BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
39 M
7

Digitized by Google

Digitized by Google

16.9

Digitized by Google

NICOLAI
SERARII
SOCIETATIS IESV THEOLOGI
IOSVE,

AB VTERO AD IPSVM VSQVE TVMVLVM, E MOYSIS EXODO, LEVITICO, NVMERIS, Deuteronomio; & è proprio ipſius libro toto, ac Paralipomenis, libris quinque explanatus:

E QVIBVS

TOMVS PRIOR GESTA EIVS VSQVE AD BELLA, TOMVS POSTERIOR BELLA omnia ab eo geſta, & ea quæ poſt bella, vſq; ad eius mortem, ſunt acta, complectitur.



LVTETIÆ PARISIORVM,
Ex officina Typographica EDMVNDI MARTINI.

M. DC. X.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

8 37 M 7

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISS. ATQVE ILLVSTRISS.
Principi, ac Domino

D. IOANNI SVICARDO
S. SEDIS MOGVNTINÆ
ARCHIEPISCOPO, S. ROM. IMP.
PER GERMANIAM ARCHICANCELLARIO,
& Principi Electori, Principi, ac Domino
ſuo clementiſſimo,

Collegium Societatis IESV *Moguntinum Felicitatem P.*

NON erat nobis quidem obſcurum, Reuerendiſſime, & Illuſtriſſime Princeps, his acceptis Nicolai Serarij cõmentariis, redintegratum iri dolorem illum, cuius, præpropera nuper eius audita morte, non dubia argumenta dederas, cum illius viri lucubrationes aliena Tibi manu offerri videris, qui non ita pridem ſua ipſemet Tibi inſcribere, coramque commendare erat ſolitus, &, qua erat apud omnes vbique eruditos, propter eximias ingenij doctrinæque copias, claritudine nominis, Tuum, Tuæque huius Academiæ, in qua duodecimum iam annum docendo, ſcribendóque florebat, ſplendorem, quoad licebat, propagare, & augere nitebatur. Quando tamen ille incredibili ſtudio, perpetuiſque laboribus, in quorum contentione vitam poſuit, id eſt aſſecutus, vt etiam ſepultus Tuæ gloriæ ſeruire poſſet, parum vel Tuo optimi Principis honori, vel ardenti doctiſſimi Viri voluntati ſtudere videremur, ſi quæ ille teſtificãdæ perpetuæ in Celſitud. Tuam pietati ſuæ iam pridem deſtinarat, vel inuideremus publico, vel alio

Digitized by Google

quam Tuo Illmo nomine ornata proderemus. Prodit ergo Tuis auſpiciis ſanctiſſimus & fortiſſimus Imperator Ioſue, nomine ipſo, rebuſque præclare geſtis, expreſſam Chriſti Optimi Maximi Saluatoris noſtri imaginem præferens. Speramus equidem fore, vt quo tempore duos Reuerendiſſimos Antiſtites, Imperiique Septemuiros, vnaque Sereniſsimum Ferdinandum Bauariæ Principẽ ſplendido apparatu in hanc vrbem Tuam accepiſti, hunc etiam non repuliſſe honorificum putes, qui diuturnis ſacri populi erroribus, qui ſæuiſsimis bellis, hoſtiumq. furori finem attulit; cui munitiſsimæ vrbis mœnia ſponte collapſa ceciderunt, cui amnes in caput relapſi ceſſerunt, cuius victorias, vt ſpectaret, ſol ipſe ſyderum princeps, eius voci obſecutus, dilata nocte, producto die ſtetit. Iucundus etiam Tibi erit, vt opinamur, quadam tecum ſocietate laudis. Etenim quemadmodum, quod vir ſanctiſsimus Moyſes fruſtra ante optarat, dilectam Deo gentem in terra tot Dei oraculis promiſſa, rerum omnium copia redundanti, princeps ipſe collocauit; ita Tibi non minima parentium Tuæ ditioni populorum pars acceptum refert, quod ad Eccleſiæ Catholicæ communionem peruenerit. quam rem etſi maiores Tui ſapientiſſimi religioſiſſimique Principes ſæpe tentarunt; videtur tamen felicitati Tuæ reſeruatum eſſe, vt longinquo & multorum opinione periculoſo labori finem imponeres. Nimirum quod ſemel in Ioſuæ geſtis admirabile nobis videtur, quod, eo duce, circumeunte ſacra pompa vrbem, tubiſque perſonantibus muri firmi inprimis altique corruerint, id quotidie tibi euenire cernimus, vt pertinaciſsimæ ſuarum opinionum mentes, ſolo Tuæ religionis & pietatis, quam tot illuſtribus exemplis omnium animis quotidie commendas aſpectu, velut quodam ariete, percellantur. Sed ne illam quidem huius dedicationis cauſam aſpernabere, quod huic ipſi inclyto Principi nomen eſt Ieſu, quo nomine hæc noſtra mi-

Digitized by Google

nima ſocietas Eccleſiæ decreto inſignita eſt. Quando igitur immortalibus illa à Tua Celſitud. beneficiis eſt affecta, quibus ne percenſendis quidem pares ſumus; patere quæſo, nos vel ab ipſis illis Heroum temporibus hunc clariſsimum virum accerſere, qui noſtris verbis gratias agat, & ne hanc tam propenſam Tuam in hoc Collegium voluntatem aliquādo deponas, roget. Rogabimus & nos interea verum noſtrum Saluatorem Ieſum, vt & ipſe ſoli, ne moueatur imperet, hoc eſt, vt Celſitudinem Tuam patriæ clariſsimam lucem quam diutiſsime ad ſalutem decuſque ſui populi ſtare in hoc gradu, & quam fieri poterit, maxime ſero velit occumbere.

Digitized by Google

TYPICA COMPARATIO

IOSVÆ F. NVN HEBRÆORVM

DVCIS CVM

IESV F. DEI D. N.

ISacidum ductor IOSVE *prænuncia veri*
Signa tulit IESV*, arcanis vmbrata figuris.*
Ille quidem ſacra bella Dei cœlo auſpice bellans;
Diſiecit fremituque virûm ſonituque tubarum
Muratam IERICHO*: hic valido clamore duellûm*
In Cruce conſummans, lituiſque & voce ſonora
Biſſenos armans Proceres, Acheronta ſubegit.
Coccineus pendens funis bipatente feneſtra
Remque genuſque RAAB *vltore exemit ab enſe:*
Purpureus CHRISTI *patulo de vulnere ſanguis*
Ægram hominum gentem Satanę tutatur ab ira.
Bis centum argenti ſiclos quia ſubripit ACHAN,
Saxorum imbre cadit, rapidoque peruritur igne:
Sic ęs auertit IVDAS*, ſic prodit* IESVM
Argenti precio, fumantis prędа gehennę.
Subſtitit in GABAON *Titan, curſumque retraxit*
Imperio IOSVE*, Iſacidaſque, Ducemque ſerenans:*
Hęſit & obriguit cœli medio attonitus Sol,
Cum IESVS *pugnam in Solymis pugnaret acerbam.*
Ille ſuis peperit placidam poſt horrida pacem
Pręlia, compoſitis reparans prima ocia rebus:
Hic cęlos terrę atque iratum numen amicans
Sontibus, optata mundum in ſtatione locauit.
Ille Palęſtinam Hebręis diſpeſcuit oram:
Deſtinat Empyreum IESVS *victoribus Orbem*
Tanto illo maior, tantoque auguſtior illo
IESVS*, quanto homini fas anteſtare Tonantem.*

CVM SACRÆ CÆSAREÆ MAIESTATIS decreto omnibus & ſingulis Typographis, & Bibliopolis, ac aliis quamcunque librariam negotiationem exercentibus ſerio firmiterque inhibeatur, ne quiſquam vllos libros à noſtris Patribus hactenus editos vel inpoſterum edendos intra Sacri Romani Imperij regnorum, & dominiorum ſuæ Cæſareæ Maieſtatis hæreditariorum fines, ſimili vel alio characteris genere aut forma, ſiue in toto, ſiue in parte recudere, vel alio recudendos mittere, aut alibi etiam impreſſos adducere, vendere & diſtrahere, clam ſeu palam citra iudicium ac teſtimonium ſupradictorum Patrum audeat vel præſumat: concedo ego HENRICVS SCHERENVS Societatis IESV per Rheni prouinciam Prouincialis Ioanni Albino, & Balthaſari Lippio Moguntinenſibus Typographis facultatem excudendi Commentaria in IOSVE, IVDICES, RVTH. à P. Nicolao Serario Societatis IESV Theologo conſcripta, à deputatis ad id Patribus approbata, conceſſaq. mihi ab admodum R. P. N. Generali CLAVDIO AQVAVIVA poteſtate, nunc excudenda. In quorum fidem hoc eis teſtimonium manu noſtra ſubſcriptum, & ſigillo munitum dare voluimus. Moguntiæ III. Nonas Aprilis. Anno CIƆ.IƆC.IX.

HENRICVS SCHERENVS.

SVMMA PRIVILEGII REGIS ET FACVLTAS Præpoſiti Prouincialis Franciæ.

IGNATIVS *Armandus Præpoſitus Prouincialis Societatis* IESV *in Prouincia Franciæ, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis, Henrico III. die* 10. *menſis Maij, an.* 1583. *& Henrico IV.* 20. *Decemb. an.* 1606. *conceſſum, quo bibliopolis ac typographis omnibus prohibetur, ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos, abſque Superiorum conceſſu imprimant, permittit Edmundo Martino Typographo Pariſienſi, Vt librum qui inſcribitur* Nicolai Serarij in librum Ioſue Commentarius in duos tomos diuiſus, *ad ſex proximos annos imprimere ac libere diuendere poſſit. Datum Lutetiæ* 4. *Ianuarij* 1610.

IGNATIVS ARMANDVS.

Digitized by Google

SVMMA PRIVILEGII.

CAVTVM eſt auctoritate Regis, ne quis in Regno Franciæ aliiſve locis ſuæ ditioni ſubiectis, *Nicolai Serarij Societ. Ieſu* T*heologi*, *in lib. Ioſue Commentarius in duos tomos diuiſus*, abſque Edmundi Martini Typographi Pariſienſis permiſſu, intra ſexennium imprimat aut diuendat: poſt publicationis exemplarium, ſi quis ſecus fecerit multa indicta, prout amplius in ipſo diplomate continetur. Lutet. Pariſ. 16. Nouemb. 1609.

Sic ſignatum, De Mandato Regis,

POTIER

Digitized by Google

INDEX QVAESTIONVM

QVÆ IN PRIMO TOMO COMENTARIORVM IN IOSVE PROPONVNTVR.

LIBER I.

CAPVT I.

De Genealogia Ioſuæ.

QVÆSTIO I. *An cuius hic recenſentur filij, Ephraim, Patriarcha ſit? pag. 7*

ii. *Sintne nouem primi proprie dicti filij Ephraim Patriarchæ?* 8

iii. *Inuaſerintne hi filij Gethæos* 10

iv. *Beria cur à Ephraim vocatus* 12

v. *Quæ Saraa, & num Ephraimi vel Beriæ proprie filia* ibid.

vi. *Quot vrbes & quomodo ædificarit eadem Saraa* ibid.

vii. *Cur proprie filij Rapha, Reſeph alij* 13

viii. *Quam varium Patris Ioſuæ nomen, & quid ſignificet* 14

ix. *De vera Ioſuæ genealogia* 14. & 15

CAPVT II.

De Ioſuæ nomine.

quæſt. i. *Quid Oſea, & Ioſue* 17

ii. *Quomodo facta nominis mutatio hæc* 19

iii. *A quo facta eadem nominis mutatio* ibid.

iv. *Quæ generatim mutandorum nominum cauſſa* ibid. & ſeqq.

v. *Speciatim, cur nominis Ioſuæ facta mutatio* 25

vi. *Quando facta nominis hæc mutatio* 27

vii. *An Ioſue recte à quibuſdam Auſes vocetur* 29

viii. *An Iehoua idem apud Hebræos quod Ioſua* ibid.

ix. *An Iehoſua recte dicatur Ioſue* 30

x. *Sitne idem nomen Ioſue, & IESVS* ibid. & ſeq.

xi. *Quomodo ex Hebræo factum nomen IESVS* 33

xii. *Sitne hoc IESV nomen ſuper omne nomen* 34

xiii. *Quam idem Auguſtiſsimum IESV nomen efficax* 37. & ſeq.

xiv. *Quonam modo tam efficax idem IESV nomen* 41. & ſeq.

xv. *Sitne venerandum nomen hoc* 48

xvi. *Quomodo venerandum IESV nomen* 49

xvii. *Quam præſtans hoc nomen ſit* 50

xviii. *Poſsitne aliquis vocari IESVS, aut Ioſue* 52

xix. *Poſsitne ab hoc nomine denominari quiſpiam Ieſuita* 54

CAPVT III.

De Bello Amaleci, lib. 10.

quæſt. i. *Quis Amalec* 61

ii. *Quis Amalecitarum Rex tum? & quod ab Aegyptiaco exitu tempus* 63

iii. *Quis belli huius locus* 63

iv. *Quæ belli eiuſdem cauſa* 64

v. *Quomodo geſtum bellum, & quibus armis* 65

vi. *Cur Ioſue hoc in bello coſtitutus Dux* ibid.

vii. *Cur à Moyſe iuſſus Ioſue viros eligere* 66

viii. *Quis collis in quem conſcendit Moyſes* 67

ix. *Cur aſcendit illuc Moyſes* ibid.

x. *Quinam cum Moyſe aſcenderunt* 68

xi. *Quid in vertice iſto fecit Moyſes* 70

xii. *Quid cum Moyſe Aaron & Hur fecerunt* 71

xiii. *Quomodo interim præliabatur Ioſue* 72

xiv. *Cur ſublatis Moyſis manibus victores Iſraelitæ depreſsis victi* 73. & ſeqq.

xv. *Quid Aaron & Hur ſignificarunt* 77

xvi. *Moyſi ſuppoſitus lapis cuius rei ſignum* 78

xvii. *Exitus pugnæ quis* 80

xviii. *Quæ victoriam conſecuta* 82

xix. *Quæ poſt victoriam dixit Dominus? & de eorum primo* ibid.

xx. *De altero* 83

xxi. *De tertio* 84

xxii. *Quæ poſt victoriam fecit Moyſes, & de eorum primo* ibid.

xxiii. *De altero* 85

xxiv. *De tertio* 86

xxv. *Quæ facti huius tertij ſecundum Græcos, Hebræos, & Latinos ſententia* 87

xxvi. *Scaligeri verſio & explicatio an recta* 89

xxvii. *Quando de Amalecitarum exitio executioni mandata hæc* 91

xxviii. *Pœnarum de Amalecitis tantum cur ſumptum* 96

xxix. *Cur in tantum tempus eaſdem Amalecitarum pœnas diſtulit Deus* 97

xxx. *Quid per haſce Amaleticarum ruinas ſignificetur.* 98

Digitized by Google

CAPVT IV.

De Ioſuæ cum Moyſe in Sinai aſcenſu.

quæſt.i. *Cur habuerit Moyſes miniſtrum, & num plures* 101
ii. *Qua in re miniſtrabat Moyſi Ioſue* 102
iii. *Cur de Ioſue literis proditum, fuiſſe Moyſis miniſtrum* 103
iv. *Quonam cum Moyſe iÿt Ioſue* 105
v. *Cur eum ſecum in montem duxit Moyſes* 109
vi. *Quando in montem aſcendit idem Ioſue* 110
vii. *Quotus ab Aegyptiaco egreſſu dies, quo ad Sinai peruentum* 113
viii. *Quo die dictum illud Exodi 19. 11. ſint parati ad diem tertium* ibid.
ix. *Quoto & menſis tertiÿ & Aegyptiaci exitus die lata lex* 114
x. *Quonam die confirmata lex* 115
xi. *An ob legis datæ memoriam Iudaica Pentecoſte fuerit* 116
xii. *Congruatne noſtra Pentecoſte cũ Iudaica quoad tempus* 118
xiii. *Congruatne quo ad rem aliquam ſignificatam* 119
xiv. *Quamdiu in monte Sinai manſit Ioſue* ibid.
xv. *Fueritne Ioſue vna cum Moyſe in edsiſſima montis & nubis parte* 122
xvi *Tot in monte diebus quid fecerit Ioſue* 123
xvii. *Fuerintne cibo potuque ibidem vſus Ioſue* 124
xviii. *Quis Ioſuæ in monte cibus & potus* ibid.

CAPVT V.

E monte Sinai Ioſuæ deſcenſus.

quæſt.i. *Audieritne Ioſue cum Dominus diceret Moyſi peccaſſe populum* 127
ii *An in ferendis tabulis Moyſen iuuerit Ioſue* 128
iii. *An recte pugnæ vlulatum audire ſe dixerit Ioſue* 129
iv. *Ioſuæ illa dicenti, quid Moyſes* 130
v. *Moyſes an Ioſue citius Iſraelitarum bacchantium voces audierit* 129

CAPVT VI.

Ioſuæ poſt deſcenſũ ſtudia factaque eodem primo Ægyptiaci exitus anno.

quæſt.i. *Quomodo fuit hoc tempore puer Ioſue* 129
ii. *Quale tabernaculũ à quo non recedebat Ioſue* 131
iii. *Quid in eo tabernaculo agebat Ioſue* 134
iv. *Quomodo & cur ab eo tabernaculo non recedebat Ioſue* 135
v. *Quamdiu hanc vitæ rationem & conſtantiam tenuit Ioſue* 136

CAPVT VII.

Ioſuæ pro Domino ſuo æmulatio.

Qu. i. *An Ioſue nunciarit Moyſi, Eldad & Medad prophetare* 139
ii. *Quomodo electus è pluribus dicitur Ioſue* 140
iii. *Quid puero illo audito dixit Ioſue* 141
iv. *Quæ cauſa cur Eldad & Medad prohibere vellet Ioſue* 142
v. *An verum, pro Moyſis gloria æmulatum eſſe Ioſue* 141
vi. *Ioſue pro Moyſe an bona æmulatio* 142
vii. *Ioannis & Chriſti Domini diſcipulorum æmulatio an melior Ioſuana* 144
viii. *Cur & cæteros à vaticinando prohiberi non petiit Ioſue* 146
ix. *Quid ex Ioſuano iſto pro Moyſe zelo diſcimus* ibid.
x. *An in 70. illorum numero non fuit ipſe Ioſue* 147

CAPVT VIII.

Ioſuæ ad explorandã terram miſſio & reuerſio.

quæſt.i. *Fueritne, cum exploratores miſſi ſunt, è populi principibus vnus Ioſue* 151
ii. *An in vecte tulerint botrum illum viri duo, & qui* 15
iii. *Exploratorum orationi à Ioſue obſiſti an debuerit* 157
iv. *An etiam eorundem orationi ſecundæ & tertiæ* 160
v. *An iiſdem obſtiterit Ioſue* 161. & 162
vi. *Cur veſtes ſciderunt Ioſue & Caleb, Moyſes vero & Aaron corruerunt* 166
vii. *Quid in ſua ad populum oratione Ioſue & Caleb* 167
viii. *An & cur Ioſue & Caleb lapidare voluerit populus* 168
ix. *Quomodo Ioſue & Caleb aduerſus populi murmurationem conſtantiam probauit Dominus* 170
x. *In iſta ſeditione vter ſe geſſit fortius, Ioſue, an Caleb* 171
xi. *Quid in exploratione iſta, ſecutaque murmuratione ſignificabat Ioſue* 172

CAPVT IX.

De Ioſuæ in populi principem electione.

quæſt.i. *Qua ratione dicitur Deus ſpirituum omnis carnis* 177
ii. *Quid à Domino moriturus petiit Moyſes.* 180
iii. *De ſucceſſore moriturus Moyſes cur adeo ſolicitus* 181
iv. *Quem petiit Moyſes ſucceſſorem* 182
v. *Quæ ſucceſſorem conſtituendi optima ratio* 185
vi. *Cur horret Moyſes populum ſine principe relinqui* 187
vii. *In ſucceſſoris deſignatione Moyſen quomodo imitentur Principes* 189
viii. *Cur Moyſi ſucceſſorem precanti, nominauit Deus* 190
ix. *Nominato diuinitus ſucceſſore quomodo ſe habuit Moyſes* 192
x. *Ad ſucceſſoris nominationem, quid adiunxit Dominus* 193
xi. *Manus impoſitio quotuplex? & quanam hæc* ibid.
xii. *Vbi & quomodo hæc manuum facta impoſitio* 194

Digitized by Google

xiii. *Quo effectu eadem manuum facta impoſitio* 195
xiv. *An mox per eam repletus Spiritu ſancto Ioſue* 196
xv. *An à Moyſe qua politicus princeps, an qua Eccleſiaſticus, hæc facta manuum impoſitio* 197
xvi. *Quomodo ante Pontificem & populum ſtatutus Ioſue* ibid.
xvii. *An prius manuum facta impoſitio, quam Ioſue ante populum ſtatutio* 198
xviii. *Quid Ioſuæ conſecrato præcepit Moyſes* ibid.
xix. *An de gloria ſua dare ſuccedenti Ioſuæ debuerit Moyſes* 199
xx. *Quomodo Ioſuæ de gloria ſua dare debuit Moyſes* 200
xxi. *Quot hic creati Principis actiones* 202
xxii. *Quomodo coram Sacerdote ſtare ipſumque interrogare debuit Ioſue* 203
xxiii. *Quid vniuerſe & confuſe erat Haurim* 204
xxiv. *Quomodo id in quo Haurim vocari ſolet.* 206
xxv. *Quomodo Haurim alias vocarentur* 207
xxvi. *Diſtinctine Vrim & Thummim quid* 208
xxvii. *Quis eorundem Vrim & Thummim vſus, & quæ nominum cauſa* 210
xxviii. *Quis per Vrim & Thummim interrogandi modus? & primo in ſacerdotibus* 211
xxix. *Quis in Sacerdotem interrogantib. interrogandi modus* 213
xxx. *Per Vrim & Thummim reſpondendi modus quis ſecundum Ioſephum* 215. *& ſeqq.*
xxxi. *Quis ſecundum alios authores* 222
xxxii. *Quæ tandem fixa ſententia* 224
xxxiii. *Quibus de rebus per Vrim & Thummim reſpondebat Dominus* 225
xxxiv. *Quomodo ad Sacerdotis verbum ingredi & egredi debuit Ioſue* 227
xxxv. *An Sacerdotis imperio ſolus obedire debebat Ioſue* 229
xxxvi. *An Vrim & Thummim vſus aliquando Ioſue* ibid.
xxxvii. *Quid interrogare de vel in iudicio Vrim & Thummim* 230
xxxviii. *Quid ſecundo ex dictis colligitur* ibid.
xxxix. *Quid tertio.* 233
xl. *Quid quarto* 234
xli. *Quid in iſta Moſaici ſucceſſoris electione fecit populus* ibid.
xlii. *Quid in eadem electione Eleazarus Pontifex* 235

CAPVT X.

De Ioſuæ geſtis vſque ad Moyſis mortem.

quæſt. i. *Fueritne in Madianitico bello Dux Ioſue* 235
ii. *An Cabalan à Moyſe acceperit Ioſue* 238 *& ſeqq.*
iii. *An iam primo loquatur Dominus Ioſue? & cur* 243
iv. *Quomodo dicitur Ioſue cum morituro Moyſe canticum cecinisse* 244
v. *Moyſis morti an adfuerit Ioſue* ibid.
vi. *Moyſis ſepulturæ an interfuerit Ioſue* 245
vii. *An vltimum Deuteron. caput vel eius partem ſcripſerit Ioſue* 246
viii. *Quid per hoc ſignificabatur quod Moyſi ſuccederet Ioſue* 247

LIBER II.

IPSVM IOSVE LIBRVM explicans.

Prol. i. *Quod libri Ioſuæ argumentum* 249
ii. *Eiuſdem author quis* ibid.
iii. *Quæ auctoritas* 252
iv. *Quis eiuſdem libri ad alios Biblicos ordo* ibid.
v. *Cur inſcribitur Ioſue* 253
vi. *Quæ libri vtilitas* ibid.
vii. *Quis interpres* 254
viii. *Quæ libri totius diuiſio* 256

PRIORIS LIBRI PARTIS

CAPVT I.

quæſt. i. *Quando, quomodo, & quoties iam locutus eſt Ioſuæ Dominus* 257
ii. *Quomodo Moyſes vocatur ſeruus Domini* 258
iii. *Cur toties iſto ſerui Dei titulo afficitur Moyſes* 263
iv. *An ideo quia ſeruus Dei mortuus dicitur Moyſes, colligatur ſaluatus* 266
v. *Quæ terra in Ioſue populumque Iſraeliticum tranſire iubet Dominus* 267
vi. *An hic terminis aliquibus terra illa circumſcribatur* 268
vii. *Qui eiuſdem terræ termini* 269
viii. *Quomodo terra hæc Iſraelitis data* 272
ix. *An ab Iſraelitis poſſeſſa hæc terra ſit aliquando poſtea* 274
x. *Iordanem tranſire cur iubetur Ioſue, & omnis populus* 276
xi. *Cur ipſum Ioſue toties confirmat Dominus* 277
xii. *Quomodo eundem Ioſue confirmat Dominus* 279. *& ſeqq.*

ALTERA PARS CAPITIS

In qua populi præparatio.

quæſt. i. *Quæ nam hæc fuit præparatio* 296
ii. *Cur iuſſa hæc præparatio* 297
iii. *Per quos iuſſa* 298
iv. *Quando iuſſa* 301
v. *Quid è præparatione iſta diſcendum* 302

Secunda præparatio certæ partis populi.

quæſt. i. *Cur iſtas tribus ſpeciatim monet Ioſue.* 304
ii. *Quid eaſdem tribus idem monuit Ioſue* 305. *& ſeqq.*
iii. *Quid iſta monenti Ioſuæ reſponſum* 311
iv. *A quibus reſponſi hoc datum Ioſuæ* 314
v. *Cur talia hæc monuit Ioſue* ibid.
vi. *Quid è tribuum trium reſponſo diſci queat* 316

CAPVT II.

quæſt. i. *Ad quid, & an recte miſſi à Ioſue exploratores* 320
ii. *Quot exploratores iſti* 321
iii. *Quinam iidem exploratores* 322

iv. *Vnde, & quo ijdem miſsi* 324
v. *Quando miſsi exploratores* 327
vi. *Quomodo miſsi exploratores* 340
vi. *Quid è miſsione iſta diſcendum* 342

ALTERA CAPITIS PARS

Quid in exploratione contigerit.

quæſt.i. *Hierichuntem peruenire vt potuerunt exploratores* 343
ii. *Raab nomen quod* 344
iii. *Fueritne Raab meretrix* 346.& *ſeqq.*
iv. *An cum venirent exploratores, meretricium adhuc exerceret Raab* 352
v. *Qualis eadem Raab meretrix* 353. & *ſeqq.*
vi. *Quot annorum tunc Raab* 355
vii. *Quando venerint, & an in Raab domo pernoctarint exploratores.* 356
viii. *An ea omnia quæ ait Ioſephus, luſtrarint exploratores* 357
ix. *De iiſdem exploratoribus quid Hierichuntinus Rex* 358
x. *Vbi, quando, & quomodo exploratores abſcondit Raab* 359
xi. *An mentita Raab* 361
xii. *An mentiendo peccarit Raab* 362
xiii. *An vt ſeruarentur exploratores neceſſario mētita Raab* 363
xiv. *An grauius mentita Raab, quam Exod. cap. 1. obſtetrices* 364
xv. *Patriamne prodiderit Raab* 365
xvi. *An abſque peccato exploratores indicare ac dedere potuiſſet Raab* 366
xvii. *An Raab cognitio de Iſraelitarum Deo naturalis an ſupernaturalis* 367
xviii. *Quis tantus Hierichuntinorum terror* 370
xix. *Quid ab exploratoribus Raab petit* 372
xx. *An Raab poſtulatis annuerint exploratores, & quomodo* 374
xxi. *Ex Hierichuntina clauſa vrbe quomodo euaſerint exploratores* 376
xxii. *Quomodo eoſdem ex vrbis muro demittere potuit Raab* 379
xxiii. *Quonam demiſsi ierint exploratores* 380
xxiv. *Quonam ordine dicta & facta hæc omnia* 381
xxv. *Qua inter ſe lingua locuti Raab & exploratores* 383. & *ſeqq.*
xxvi. *Toto latebræ triduo quid egerunt exploratores* 387
xxvii. *Eodem triduo, & deinceps vſque ad vrbem captam quid Raab* 388

TERTIA CAPITIS PARS.

De exploratorum ad Ioſue reditu.

quæſt.i. *Quæ vitæ documenta dant exploratores* 389
ii. *Quæ documenta dat Raab* 393
iii. *Quid in eadem Raab allegoriæ.* 394
iv. *Poſſetne cum B. Virgine aliquo modo comparari Raab* 396

CAPVT III.

Iordanis tranſitus.

quæſt.i. *Quando ad Iordanis ripam venerunt Iſraelitæ* 398
ii. *Quamdiu in ea Iordanis ripa ſubſtiterūt Iſraelitæ* 400
iii. *Quæ ad inſtantem Iordanis tranſitum poſterior præparatio* 402
iv. *Qui præcones? & quid de progreſſus tempore ipſi* 404
v. *Idem quid de progreſſus modo* 406
vi. *An diſtantia inter populum & arcam Geometricè an Ebraicè accipienda ſit* 407
vii. *An in Hebræo ſit, interuallum eſſe debere inter populum & arcas plures* 408
viii. *Quænam huius progreſſus cauſæ* 409
ix. *Quid ad populum Dux Ioſue* 411
x. *Quæ ſāctificationis à Ioſue indictæ cauſa.* 413
xi. *Quid ad Sacerdotes Ioſue? & an imperare ipſis potuerit* 415
xii. *Quid ad Ioſue Dominus* 416
xiii. *Quid eidem de Sacerdotibus* 418
xiv. *Ad populum quid iterum Ioſue* 419
xv. *De duodecim viris, & Iordanis diuiſione quid Ioſue* 422

ALTERA CAPITIS PARS

In qua ipſe Iordanis tranſitus à verſu 14.

quæſt.i. *Quot & qui Sacerdotes arcam portarint* 424
ii. *Quomodo portarint* 426
iii. *De Iordane. vnde ducatur* 427
iv. *Quam longe fluat Iordanis, & vbi deſinat.* 429
v. *Quā latus & profundus Iordanis* 431. & *ſeq.*
vi. *Quomodo diuiſus Iordanis* 436
vii. *A qua efficiente cauſa diuiſus Iordanis.* 437
viii. *Ab iſta cauſa efficiente quid fuit quo Iordanis diuideretur* 440
ix. *Iordane diuiſo, quomodo ſe habuit aquarum pars fontem verſus* 442
x. *Quomodo altera aquarum pars Auſtrum verſus* 445
xi. *An exſiccatum diuiſi Iordanis fundum* 448
xii. *Quo loco Iordanem tranſierunt Iſraelitæ* 449
xiii. *Quantum in tranſitu conſumſerunt tēporis.* 450

CAPVT IV.

quæſt.i. *De 12. viris lapides 12. tollentibus* 453
ii *Quanti qualeſque duodecim illi lapides* ibid.
iii. *Vnde, quo authore, à quibus ſublati hi 12. lapides? vbinam hodie ſint* 455
iv. *Vbinam alij 12. lapides in Iordane ſtatuti ſint* 456
v. *Quomodo iidē in Iordane 12. lapides erecti.* ib.
vi. *A quibus hi alij 12. lapides erecti* 458
vii. *An iſti ſint lapides, è quib. poſſe Abrahæ filios excitari dixit S. Ioannes Baptiſta* 459
viii. *Quomodo in Iordanis medio arcam tenentes ſteterint Sacerdotes* 460
ix. *Quamdiu iidem ibidem ſteterunt* ibid.

ALTERA CAPITIS PARS

De Iordanis in priſtinum fluxum reditu.

quæſt.i. *Quomodo ſuum in alueum priſtinum refuſus Iordanis* 460
ii. *Quo anno, menſe, die hic Iſraelitarum per Iordanem tranſitus accidit* 462

Digitized by Google

TERTIA PARS CAPITIS.

Qu. i. *Quid per Iordanem tranſitus ſignificat* 464
ii. *Quid amplius idem ſignificat tranſitus.* 468
iii. *Quæ in eodem tranſitus alia notanda* 471
iv. *Iordanis hæc diuiſio qui cum aliis Iordanis diuiſionibus comparetur* 474

LIBER TERTIVS.

CAPVT IV.

quæſt. i. *Cur in Chananæa Iordanis ripa hoſtes nulli fuerunt* 478
ii. *An poſt Iordanis tranſitum terram ſalutarint Iſraelitæ* 479
iij. *An Deum ipſum ſalutarint* 482
iv. *Quomodo poſt tranſitum Iordanis & vbi caſtra metati* 483
v. *Quæ ad practicum ſpiritualis vitæ vſum ex his colligi poſsint* 485
vi. *Quando, quomodo, & vbi elati è* Iordane *lapides collocati* 487
vii. *Ad quid iidem ſtatuti lapides* 490
viii. *An licuerit Ioſuæ iſtos lapides erigere* 492
ix. *Quid iidem ſignificarint lapides* 495

CAPVT V.

quæſt. i. *Quænam hic ſecunda circumciſio vocetur.* 504
ii. *An totos* 40. *annos omiſſa in ſolitudine circumciſio* 507
iii. *Ecquæ intermiſsionis eiuſdem cauſa* 509
iv. *Cur poſt Iordanis tranſitum circumciſi ſtatim Iſraelitæ* 514
v. *Quinam iterata iſta circumciſione circumciſi* 516
vi. *Quot circumciſi* 520
vii. *A quo* *ibid.*
viii. *Quo inſtrumento? an cultris lapideis* 521
ix. *Quando circumciſi* 524
x. *Quo loco circumciſi tum Iſraelitæ* 525
xi. *Quod Aegypti opprobrium quod ab Iſraelitis nunc amouet Dominus* 527
xii. *E circumciſionis vulnere quando conualuerũt circumciſi* 530
xiii. *Quoto circumciſionis die doloris plus ſentiant circumciſi & cur* 333
xiv. *Quomodo myſtice ſecunda fiat circumciſio* 535
xv. *Quæ ad iteratam circumciſionem myſtice ſpectant alia* 538
xvi. *Paſcha, vnde, quid ſignificet? quomodo vertatur & ſcribatur* 540
xvii. *Quid facere Phaſe ſeu Paſcha* 544
xviii. *Quem ob finem Paſcha inſtitutum* 545
xix. *Quæ paſchatis materia* 547
xx. *Qualiter affectus eſſe debuit paſchalis agnus* 549
xxi. *Cur eiuſmodi animal eſſe voluit Paſcha Dominus* 550
xxii. *Quæ Paſchatis eiuſdem cauſa formalis & efficiens* 553
xxiii. *Paſcha qui ederunt* 556
xxiv. *Quis edendi Paſchatis modus* 559. *& ſeqq.*
xxv. *Quis Paſchatis locus* 571. *& ſeqq.*
xxvi. *De Paſchatis tempore, & primum, quis eius annus* 575
xxvii. *Quis menſis* 576
xxviii. *Licueritne Paſcha menſe alio agere* 579
xxix. *Paſchati agendo dies quis* 584
xxx. *Fueritne in alium quandoque diem traductũ* Paſcha 590
xxxi. *Quæ immolandi edendiq.* Paſchatis *hora.* 600
xxxii. *Quotum hoc quod à Ioſue & Iudæis celebratũ* Paſcha 606
xxxiii. *An poſt tertium hoc* Paſcha *& fuerit & ſemper futura ſit eius celebritatis perpetuatio* 607
xxxiv. *Qui azymi panes, de quibus textus v.* 11. 610 *& ſeqq*
xxxv. *Quando ceſſauit manna* 626
xxxvi. *Cur tum ceſſauit manna* 628
xxxvii. *An poſt hoc tempus nunquam ceciderit manna* 630
xxxviii. *Quid ſignificet Paſchalis agnus* 631
xxxix. *Quomodo* Paſcha *ſuum hodie actitant* Iudæi 635
xl. *Qui* Ioſuæ *apparuit, quiſnam fuit* 638
xli. *Quiſnam, qui* Ioſuæ *apparuit, Angelus.* 646
xlii. *Quis, qui* Ioſuæ *apparuit Michael* 647
xxliii. *Quomodo rationibus, quæ Michaelem ſolum probant reſpondeatur, rationibuſque rationes opponantur* 651
xliv. *An & aliis rationibus probari poſsit, Michaelem non eſſe Chriſtum Dominum.* 655
xlv. Poſsitne S. *Michael Angelorum ſaltem ſupremus exiſtimari* 668
xlvi. *Quando, quomodo, quaue forma Ioſuæ apparuit S. Michael* 682
xlvii. *Cur adeo armatus Ioſuæ apparuit Michael.* 684
xlviii. *Vbi tunc erat Ioſue? quid ibi tunc agebat Ioſue* 688. 689.
xlix. *Quid apparente Angelo fecit, dixit Ioſue.* 690
l. *Quid ipſi Ioſuæ dixit Angelus* 710

INDEX QVÆSTIONVM

QVÆ IN SECVNDO TOMO COMENTARIORVM IN IOSVE PROPONVNTVR.

AD CAPVT VI. IOSVÆ.

De bellis Ioſuanis Generatim.

QVÆSTIO I. *Ioſuana contra Chananæos bella, quotnam fuerunt.* 717
ii. *Iuſtane fuerint bella hæc? & primo, An in Chananæos arma iuſte mouerint Iſraelitæ* ibid.
iii. *Contra iuſta Iſraelitarum arma, vtrum iuſte arma etiam expedierint Chananæi* 723
iv. *Quid Iſraelitarum hæc aduerſus Chananæos bella ſignificant* 728

LIBRI IOSVÆ CAPVT VI.

De bellis Ioſuanis ſpeciatim. Primo de Hierichuntino. 733.

quæſt. i. *Quis ad bellum, Hierichuntis ſtatus* 735
ii. *Quæ Hierichuntis oppugnandæ ratio* 738
iii. *In primo Hierichuntem circumeuntium ordine, qui* 739
iv. *Septem Sacerdotum tubæ cuiuſmodi fuerint* ibid.
v. *Quid Iobel* 743
vi. *An à Iobel recte dicatur Iubilæus* 747
vii. *An Hierichuntinæ obſidionis tempore cœpti iam eſſent Iubilæi anni* 748
viii. *Cur in Hierichuntina obſidione iſtiuſmodi Iubilæorum buccinis clangi voluerit Dominus* ibid.
ix. *Quot, & qui Sacerdotes circum Hierichuntem arcam tulerint? & an eorum omni præſidio latera nuda fuerint* 749
x. *An bellatoribus exceptis, arcam cætera Iſraelitarum multitudo ſecuta fuerit.* 750
xi. *An in poſtremo iſto arcam ſequentium agmine fuerint Sacerdotes, Leuitæ, ac Aegyptij aliqui* 752
xii. *An in eodem poſtremo agmine, præter ſeptem ante arcam Sacerdotes, fuerint cornicines aliqui* 753
xiii. *An iſtum circumeundæ Hierichuntis ordinem populo, per ſeipſum, vel per Sacerdotes præceperit Ioſue* 754
xiv. *Quomodo expugnata Hiericho* 755
xv. *Quis populi clamor fuit* ibid.
xvi. *Quem ad finem clamor hic* 756
xvii. *Quando, & quomodo idem clamor imperatus, ac profuſus* 757
xviii. *De vrbis anathematiſmo, & Raab conſeruatione, quando, à Ioſue præceptum* ibid.
xix. *Circuitiones quot fecerunt* 759
xx. *Hierichuntina mœnia in terræ ſuperficiem an corruerint* ibid.
xxi. *Eadem mœnia ſponte an corruerint* 761
xxii. *An tubarum ſonor, populique clamor eadem ſuccuſſerit mœnia, & proſtrauerit.* 762
xxiii. *Quomodo in vrbem introierint Iſraelitæ, quidue cum ea egerint* 766
xxiv. *Quam ob rem arcæ circumgeſtatione bellum hoc geri voluerit Dominus* 767
xxv. *Cur multitudine, ordineque ſupra expoſito circuitiones factæ* 769
xxvi. *Cur diebus, tubis & circuitionibus pluribus vtendum hic cenſuit Dominus* 770
xxvii. *Cur cum tubarum clangore, modo ſilentium, modo clamor populo indictus* 773
xxviii. *Cur definite ſeptē tubæ, ſeptem dies, & ſeptem, die ſeptimo, circuitiones adhibitæ* 776
xxix. *Dierum iſtorum ſeptem primus & vltimus quis An paſcha? An Sabbathum? aliuſue dies* 780
xxx. *Qua ſeptimi diei hora Hiericho capta* 784
xxxi. *An eodem die ſeptimo exuſta Hiericho* 785
xxxii. *Hierichuntina vero Ioſuæ quomodo conuenit hebdomas* ibid.
xxxiii. *Quid Anathema & Cherem* 789
xxxiv. *Quotuplex anathema ſit* 791
xxxv. *Hierichuntinum anathema cuiuſmodi* 792
xxxvi. *An Hierichuntino Anathemate comprehendi recte potuerunt vrbis illius matres, virgines, puellæque omnes* ibid.
xxxvii. *An eodem Anathemate infantes, pueri, & decrepiti ſenes recte comprehenſi* 794
xxxviii. *An iumenta & pecudes, veſtes & inanimæ aliæ res eodem recte anathemate comprehenſæ* 795
xxxix. *Vrbi tam pulchræ ac opulentæ, cur anathema inflictum tam dirum* ibid.
xl. *Cur ab anathemate iſto excepta metalla, & quid ijs factum* 797
xli. *An præter illa quatuor metallorum genera, in Domini theſaurum illata, etiam alia ſint, & ex illis quatuor quidquid inueniri potuerit* 799
xlii. *An Dei domibus, ſeu Eccleſiis Chriſtianis theſauros habere fas* 802
xliii. *A perſonarum anathemate, qui excepti? & an recte* ibid.
xliv. *An ipſius Raab, eiuſque neceſſariorum ſupellex, & alia bona ſeruata omnia* 804
xlv. *Quinam Raab, eiuſque propinquos & bona ſeruarint* 805

Digitized by Google

xlvi. *Quibus de cauſis ſeruata Raab cum ſuis omnibus* 806
xlvii. *Quis in Raab, eiuſque propinquis ſeruandis, modus adhibitus* 807
xlviii. *An ſicuti corporibus, ſic & animis Raab eiuſque propinqui ſaluati* 809
xlix. *Raab ſeruatam num Iſraëlitarum aliquis vxorem duxerit, & quis* 810
l. *Eandem Raab rectene Salmon duxerit* ibid.
li. *Ex biſce Raab & Salmonis nuptiis proles quæ* 812
lii. *In Hierichuntem cædibus exinanitam, & incendio hauſtam quidnam decreuit amplius Ioſue* ibid.
liii. *An Hierichuntino reſtructori recte imprecatus Ioſue* 813
liv. *An eidem imprecationi ſtructores, cæmentarij & fabri obnoxij* 814
lv. *An reædificatæ iam vrbis incolæ ad imprecationem eundem ſpectarint* 815
lvi. *An ſi loco eodem aliam alio nomine vrbem erexiſſet quis, eadem imprecatione teneretur* ibid.
lvii. *Quid ſi Hierichuntinus reſtaurator, aut liberos non habuiſſet, aut certe non tot* 816
lviii. *Fueritne tam audax Iudæorum aliquis, vt, contra imprecationem iſtam, de Hierichuntis reſtauratione cogitarit* ibid.
lix. *An contra eandem imprecationem impune fecit Hiel* 818
lx. *Quanta Ioſuæ gloria, & eius cauſa quæ.* 819

CAPVT VII.

quæſt.i. *Quis Achan* 823
ii. *Cur Achanis tam accurata indicatur genealogia* 825
iii. *Quid admiſit Achan* 826
iv. *Quæ qualiſue veſtis, quam furatus Achā.* 827
v. *Quod & quantū furatus Achan argentū.* 830
vi. *Quidnam, & quantum ex auro furatus Achan* 836
vii. *Quonā ad furta iſta modo inductus Achā.* 838
viii. *Quonam furta ſua modo texit Achan* 842
ix. *Quale Achanis peccatum fuit* 843
x. *Tam occultatum Achanis ſacrilegium, quomodo deprehenſum* 844
xi. *Hai vrbis deſcriptio, exploratio, belli contra eā inchoatio, & damni, cladiſq. acceptio* ib.
xii. *Quid, ſuorum cæde, fugaque percepta, fecit Iſraeliticus populus, eiuſque Dux Ioſue, ac ſeniores* 848
xiii. *Quænam Ioſuæ ad Deum oratio* 850
xiv. *Ad Ioſuæ petitionem, quæ Dei Opt. Max. reſponſio* 853
xv. *Sontis inquirendi quænam à Deo præſcripta ratio* 855
xvi. *An ſorte, vel Vrim & Thumim oraculo, vel modo quopiam alio detecta fuerit rea tribus, gens, domus, perſona* 856
xvii. *Sors quotuplex* 857
xviii. *Sintne ſortes fortuitæ* 860
xix. *An ex natura ſua ſortes malæ* 862
xx. *An ſortiū, quæ ſuo ex genere non vitioſæ ſunt, quædam vetitæ, quædam conceſſæ* 864
xxi. *Conceſſarum ſortium conditiones quę* 868
xxii. *Quādo, & quomodo in Achā ducta ſors.* 870
xxiii. *Quomodo, interpoſitę noctis occaſione, non aufugit Achan, ſed indictam, & quidem vltimam ſortem expectauit* ibid.
xxiv. *Achanem à ſorte proditum, quomodo ad peccati confeſſionem induxit Ioſue* 872
xxv. *Quomodo, peccati ſui confeſſione, gloriam Deo tribuere Achan potuerit* 873
xxvi. *Cur ad peccati ſui confeſſionem inducere Achanem ſtuduit Ioſue* 875
xxvii. *Achanis confeſſio cuiuſmodi* 876
xxviii. *Oculata ſacrilegij Achanis inſpectio quomodo, & cur facta* 879
xxix. *Quanam pœna ſacrilegus Achan affectus.* 880
xxx. *Quęnam res, & quinam homines cum Achane combuſti, ſaxiſque obruti* 884
xxxi. *Cur inanimę res, brutęque pecudes cōbuſtę.* 885
xxxii. *Cur Achanis filij ac filię combuſtæ* 886
xxxiii. *Quibus aut hominibus, aut rebus infcratur cremationis pœna* 888
xxxiv. *In omnium vel cineres, vel ſeminſtulata oſſa cur coniecti lapides* 890
xxxv. *Ad obruto iam Achani lapidum aceruus cur erectus* 891
xxxvi. *Quomodo per Achanis ſupplicium auerſus ab Iſraelitis furor Domini* 892
xxxvii. *Quibus de cauſis innocentes, quoſdam, nocentum aliorum cauſa, temporalibus pœnis recte punit Dominus* 894
xxxviii. *An humani Iudices poßint noxiorum temporarias etiam pœnas ad innoxios porrigere.* 902
xxxix. *An pœnas quibus noxiorum animæ in hoc vel futuro ſeculo cruciantur, poßit innoxiis etiam irrogare Dominus* 903
xl. *Quomodo ſcriptura, quæ noxiorum ad noxios & maxime parentum ad filios pœnas transferri aiunt & negant, conſonent* ibid.
xli. *Igni aeterno an cœleſti potius felicitati adiudicandus Achan* 905
xlii. *Quoſnam Achanis pœna terrere poteſt* 906
xliii. *De Caluinianis ac Lutheranis ſacrilegis, quid Lutherani ac Lutherus* 909
xliv. *Quomodo è Gentilium & Hæreticorum Poetarum, Oratorum ac Philoſophorum libris Achanes interdum nonnulli fiant* 910
xlv. *Quomodo hæretici & Apoſtatæ Monachi, Achanes fiant* 911
xlvi. *Ne Achanis inſtar, communitati noceamus, quam cauendum* 913

CAPVT VIII.

Bellum ſecundum, Haienſe. 164.

quæſt. i. *Sintne proprie in bello inſidiæ* 921
ii. *Liceatne in bello inſidiis vti* ibid.
iii. *Quotuplices, quantas, vbi & quando collocauit inſidias Ioſue* 931
iv. *Quomodo ita latenter, vt ab Haienſibus neque ſentirentur, neque deprehenderentur, collocauit inſidias Ioſue* ibid.
v. *Quo excitæ ſigno inſidiæ vrbem ceperunt* 932
vi. *Quid, & ad quid, leuare iuſſus eſt à Domino Ioſue* 933
vii. *Quando & quomodo manus & clypei extenſionem præcepit Dominus* 935
viii. *An hoc in prælio ex Iudæis interfecti aliqui & ex hoſtibus, qui & quot* ibid.

ix. Cur igni deleta Hai 936
x. Haienſis Rex quomodo, & cur ſuſpenſus. ibid.
xi. E cruce quando depoſitus Haienſis Rex, & cur 937
xii. Vbi, & quomodo humatus Haienſis Rex. 938
xiii. Quæ Haienſis expugnationis allegoria ibid.

ALTERA CAP. VIII. PARS.

De cæremonia in Hebal & Garizim montibus.

xiv. Quales, & vbi mõtes Hebal & Garizim. 941
xv. In vtro monte altare? & in hoc aut illo, quæ tribus, & quomodo 944
xvi. Cuiuſmodi altare in Hebal fuit 945
xvii. Quæ in Hebal facta ſacrificia 646
xviii. An præter Altaris lapides, alij aliqui erecti 947
xix. Quot, quanti, & quales iſti lapides 948
xx. Quidnam iſti lapides inſcripti ibid.
xxi. Quomodo in iſtis lapidibus Deuteronomij facta inſcriptio 950
xxii. Quot & quales fuere precationes ac imprecationes ibid.
xxiii. Quo, in ijs precationibus & imprecationibus pronunciandis, modo ſeſe habuerunt Sacerdotes ibid.
xxiv. Quando ad montes iſtos, cærimoniæ huius cauſa venerunt Iſraëlitæ 951
xxv. Quamdiu cærimoniæ huic data opera ibid.
xxvi. Cærimonia hæc tota cur ſuſcepta 952
xxvii. Quæ cærimoniæ huius allegoria ibid.

CAPVT IX.

Bellum 3. Gabaoniticum. 955.

quæſt.i. Quæ vrbs Gabaon, & vbi 957
ii. Quænam Heuæorum vrbes aliæ, Gabaoni iunctæ 959
iii. Gabaonitarum, ad Iſraëlitarum abs ſe auertendum bellum, aſtus quis 960
iv. Quid, quomodo, quaue lingua Gabaonitarum legati Iſraëlitis locuti 961
v. An rerum, verborumque fraudem rectè adhibuerunt Gabaonitæ 962
vi. Quid ad Gabaonitarum legationem Iſraëlitæ 965
vii. An veram vnius Dei religionem amplexi Gabaonitæ 966
viii. An cum Gabaonitis fœdus percutere potuerint Iſraëlitæ 967
ix. An quo modo cum Gabaonitis percuſſerunt Iſraëlitæ fœdus, rectè percuſſerunt 968
x. Quando & quomodo Gabaonitarum fraudem reſcierunt Iſraëlitæ 969
xi. An iureiurando Gabaonitis dato tenebantur Iſraëlitæ 970
xii. Cum iureiurando illo non obſtringerentur Iſraëlitæ, an id rectè ſeruarent 971
xiii. In tanta Gabaonitis credendi facilitate poſſitne virtutis aut Ioſuanæ, aut Iſraëliticæ aliquid notari 972
xiv. An Gabaonitis pœna ob fraudem aliqua, & quænam imponi potuit 973
xv. Quæ Gabaonitis ob mendacia & fallacias impoſita pœna 974
xvi. Gabaonitis domicilium vbinam deinceps fuerit 975
xvii. An ſeruientibus Gabaonitis data merces. 976
xviii. An, per Xilophoriæ feſtum, lignaria Gabaonitarum ſublata ſeruitus 977
xix. An per probaticam piſcinam, templique fontem aquaria eorundem Gabaonitarum ſublata ſeruitus ibid.
xx. An Gabaonitæ, Nathinæi ſint 978
xxi. A Saule Rege occiſi Gabaonitæ an multi, & cur 979
xxii. Ex hiſce Gabaoniticis ad morum conformationem quid 981
xxiii. Hæretica Gabaoniticæ hiſtoriæ allegoria quam lepida 983
xxiv. Catholica eiuſdem hiſtoriæ allegoria 984

CAPVT X.

Bellum 4. Gabaonicum ſcilicet alterum, ſeu Adoniſedechianum. 986.

quæſt.i. Quinam quinque Reges, qui Gabaonem obſederunt 987
ii. Ieruſalem quomodo & vnde vocetur 989
iii. Quænam Hebron 994
iv. Quænam Ierimoth, Lachis, Eglon ib.
v. Cur Hieroſolymorum Rex alios ad ſe Reges quatuor vocauit 995
vi. Cur Hieroſolymorum Rex Reges alios, illos ad ſe quatuor primus vocauit ibid.
vii. Quomodo Gabaoniticam ſoluit obſidionem, Regeſque fugauit Ioſue 996
viii. Quomodo conturbauit Dominus Reges iſtos 997
ix. Num qui hoſtibus iniectus terror, Panicus fuerit 998
x. Qua fugerunt perterriti hoſtes 999
xi. Quos, quantos, & quales in fugientes immiſit lapides Dominus ibid.
xii. Vnde iſti lapides inmiſſi, à quo facti & iacti, & an Ioſuæ precibus impetrati 1000
xiii. An hoc in prælio ſteterint Sol & Luna 1001
xiv. Stare naturaliter an poſſint Sol & Luna 1004
xv. Poſſitne prauus Angelus Solem & Lunam ſiſtere 1006
xvi. Poſſetne bonorum Angelorum aliquis eadem Solis ac Lunæ morari ſydera 1007
xvii. Quæ, vt in Gabaonitico bello ſtarent Sol & Luna, cauſæ fuerunt efficientes? & quid effecerit prima, Ioſue ſcilicet 1009
xviii. An, vt à conſtante ac perpetua naturæ lege deflecterent Sol & Luna, rectè popoſcerit ac iuſſerit Ioſue 1010
xix. Quid altera cauſa efficiens, Deus nimirum, effecerit 1013
xx. Quid cauſa tertia effecerit, Angelus ſcilicet 1015
xxi. Vbinam ſteterunt Sol & Luna 1017
xxii. Quonam menſe, die, hora ſteterunt Sol & Luna 1019
xxiii. Quamdiu ſteterunt Sol & Luna 1022
xxiv. An tam longa dies antea non fuerit 1024
xxv. An tam longa dies poſtea non fuerit 1025
xxvi. Sole ac Luna ſtantibus, an ſteterint ſtellæ, orbeſque cælorum alij 1029
xxvii. Ex Solis ac Lunæ quiete, an in ſublunari mundo ſecuta rerum omnium quies 1030

Digitized by Google

xxviii. *Tam longi dici pondus & æſtum ferre quomodo potuit Ioſue, totuſque populus* 1032
xxix. *Vtrum maius miraculum ſtare Solem, an regredi* ibid.
xxx. An ob hoc miraculum maior Ioſue quam Moyſes 1033
xxxi. *An tanti miraculi meminerint ſcriptores veteres* 1035
xxxii. Quis in textu citatus Iuſtorum liber ibid.
xxxiii. *An quæ è citato Iuſtorum libro noſter affert textus, poëtica ſint & verſus* 1036
xxxiv. *Cur à textu idem* Iuſtorum *liber citatus* 1039
xxxv. *Extetne Iuſtorum liber? aut, quomodo perierit* ibid.
xxxvi. *Quonam, quomodo, & quando ex hoſtium cæde reuerſi victores Iſraëlitæ* 1040
xxxvii. *Quid victi hoſtes, hoſtiumque Reges fecerunt paſſi ſunt* 1041
xxxviii. *Ob victoriam hanc, vllumne cecinerit Ioſue canticum* 1042
xxxix. *De moralis nonnullis* 1043
xl. *De belli huius allegoria* 1048
Bellum quintum Auſtrale, & capitis decimi pars altera 1051

CAPVT XI.

Bellum ſextum Iabinicum, ſeu Aquilonare. 1055.

quæſt. 1. *Quæ Aſor, eiuſque Rex* 1057
ii. *Quoſnam Reges ac populos contra Iſraëlitas concitauit Iabin Rex* 1058
iii. *Quanto numero hi contra Iſraël hoſtes fuerunt* 1060
iv. *Quem in locum ijdem conuenerunt hoſtes* 1062
v. *Quomodo, quando, & cur Ioſuam confirmauit Dominus* 1063
vi. *Quomodo, & quouſque innumerabilem hoſtium multitudinem hanc fugarit, ac ceciderit Ioſue* 1064
vii. *Quid poſt victoriam tantam fecit Ioſue.* 1066
viii. *Suam proſequendo victoriam, quas vrbes ac regna occupauit, & vel vaſtauit vel conſeruauit Ioſue* 1068
ix. *An Chananæorum nullas dimiſerit reliquias Ioſue* 1070
x. *Cur hæc ita fecit Ioſue omnia* ibid.
xi. *Cur hæc ab Ioſue ita fieri voluit Deus omnia* 1073
xii. *Induratio cordis quidnam ſit* 1075
xiii. *Quæ indurationis cauſæ efficientes* 1076
xiv. *Quomodo Deus aliquem indurare, ſeu indurationis alicuius cauſa interdum eſſe dicitur* 1077
xv. *Quis indurationis huius cauſa* 1079
xvi. *Quanto tempore bella iſta confecit, Enacimque deleuit Ioſue* ibid.
xvii. *Quæ myſtica capitis huius explicatio* 1080

CAPVT XII.

quæſt. 1. *Quot, & qui ab Ioſue ſubacti deletique Reges* 1081
ii. *Vnde tot Reges* 1083
iii. *Quot annorum ſpatio Reges iſtos Chananæos omnes, eorumque regna ſub Iſraëlitarum ditionem redegit Ioſue* 1084
iv. *An ad pacem ad deditionem, horum bellorum initio inuitauerit Chananæos Ioſue* 1085
v. *An pacem ac deditionem abnuentes Chananæi puteos ac fontes, eorum Iſraëlitis ne vſus foret, obſtruxerint, aliaque id genus fecerint* ibid.
vi. *An in ſpeluncas Chananæorum ſeſe aliqui propter Ioſuæ metum, abdiderint, in regioneſque alias, præſertim Libyam ac Germaniam alij fugerint* ibid.

LIBRI IOSVAE PARTIS SECVNDÆ PARS TERTIA. DE IIS, quæ poſt bella contigerunt.

CAPVT XIII.

Promiſſæ terræ ſanctæ diuiſio. 1091.

quæſt. 1. *Quænam hæc diuidenda promiſſa terra* 1091
ii. *Qualis terra hæc diuidenda* 1092
iii. *Ad regiones alias comparata qualis terra eadem* 1095
iv. *Quanta ſit terra eadem* 1101
v. *In quas terra diuiſa partes* 1106
vi. *Ab hæreditate, omnique terræ portione cur excluſa tribus Leuitica* 1107
vii. *Quando capiendæ portionis ius ipſi Leui ademptum* 1110
viii. *An in Leuitarum locum ſucceſſerint Ephraim & Manaſſe* 1111
ix. *An in duodecim portiones diuidi terram oportuerit, & cur* ibid.
x. *Terræ promiſſæ diuiſores qui* 1113
xi. *Terræ diuiſio vbi facta* 1116
xii. *Quonam modo facta diuiſio* 1117
xiii. *Quonam tempore facta diuiſio* 1120
xiv. *Ab iſta terræ diuiſione Sabbathici, & Iubilæi anni num incboati* 1121
xv. *Sabbathici & Iubilæi anni quomodo à Iudæis numerari deſierint* 1128
xvi. *A terræ diuiſione ad Chriſtũ Dom. quot ſummatim fuere Sabbathici & Iubilæi* 1130
xvii. *Quas ob cauſas terram illam ita diuidi voluit Dominus* 1131

Digitized by Google

CAPVT XIV.

De terræ diuiſione ſpeciatim. 1135.

quæſt. 1. Cur Iudaica & Ioſephina tribus omnium primo ſortitæ ſunt portionemq. acceperũt 1135
ii. Quando ad Ioſue acceſſit Caleb promiſſam petiturus ditionem 1136
iii. Quis & qualis vir Caleb 1137
iv. Quis mons, quem à Ioſue petit Caleb 1142
v. Quænam Hebron vrbs? & in ea quid 1144
vi. An, quam à Ioſue petebat Caleb, impetrarit Hebronem 1149
vii. An ab Ioſue, aut Calebo expugnata Hebron? & quomodo 1150
viii. Quomodo Hebronem cepit Caleb 1152

CAPVT XV.

Iudæ tribus portio ac ditio. 1153.

quæſt. 1. Sit ne vrbium, locorumque iſtorum vtilis inueſtigatio 1155
ii. In Iudæ terminis quæ notanda 1158
iii. Auſtrales vrbes Iudææ quot fuerunt 1159
iv. In Iudææ planis vrbes quot 1160
v. In montanis, deſertis, & ſummatim in Iudæa tribu tota vrbes quot 1161
vi. An aliquæ tribui huic vel deceſſerint vel acceſſerint vrbes poſtea ibid.
vii. Ad quam tribum ſpectarit Hieruſalem, & ex ea cur expelli non potuerunt Iebuſæi 1163
viii. Cur Iudææ tribus, loca vel ſingula vel plurima hic non pertractentur ibid.

CAPVT XVI.

De Ioſephinarum tribuum duarum portionibus, & ſingulatim de ipſius Ephraimiticæ. 1163.

CAPVT XVII.

De Manaſſææ tribus portione. 1167.

CAPVT XVIII.

De ſecunda terræ in ſeptem reſiduas tribus diuiſione: ac ſpeciatim de Beniaminia portione. 1172.

quæſt. 1. Quæ, & vbi Silo 1172
ii. Quis à Ioſue habitus Silunte conuentus, & quid in eo decretum 1173
iii. Quid tabernaculum teſtimonij 1175
iv. An Silunte omnium primo in Chananææ terra fixum fuerit Moyſis tabernaculum ibid.
v. An ſub dio, vel in domo aliqua ſteterit Silunte tabernaculum 1176
vi. Cur è Galgalis abductum, Siluntemque traductum tabernaculum 1177
vii. Quonam tempore tralatum Siluntem tabernaculum 1179
viii. Quamdiu Silunte perſtitit tabernaculum ibi.
ix. Cur Silunte poſtea emigrauit tabernaculum 1180
x. An, vna cum tabernaculo, Siluntem è Galgalis tranſlata Iſraëlitarum caſtra 1181
xi. An tranſlato Siluntem tabernaculo, caſtriſque ibidem fixis, cœperit Moſaicarum cæremoniarum, legiſque totius obſeruatio ibid.
xii. Capta in Galgalis terræ ſortitio cur interrupta 1182
xiii. Quomodo ſuſcepta, & perfecta ſecunda terræ diuiſio 1186
xiv. Beniamitica tribus limites & vrbes quæ. ibid.

CAPVT XIX.

De reliquarum ſex tribuum, ipſiuſque Ioſue portionibus. 1187.

quæſt. 1. Simeonica tribus limites & vrbes quæ 1189
ii. Quo iure & modo in Iudææ tribu Simeonica poſita portio 1190
iii. Cur intra Iudaicæ potius, quam alius cuiuſcunque tribus fines collocata Simeonica 1191.
iv. An ſortis errore, vel quo alio modo fuit Iudaica tribus, quam conueniret, maior portio ibid.
v. An inuite ac dolenter Simeonitas in ſortem ſuam acceperint Iudæi 1194
vi. Quibuſnam Zabulonia tribus terminis, vrbibuſue conſtat 1195
vii. Ecquos Iſſachariana tribus limites ac vrbes habuerit 1197
viii. Aſeriana tribui, qui fines? quæ vrbes 1198
ix. Nephthalicæ tribus fines, atque vrbes decretæ quænam fuerunt 1199
x. Quibus Danica portio terminis contenta? quas vrbes continuerit 1201
xi. Quam & vbi accepit hæreditatem Imperator Ioſue 1202
xii. Quando & quomodo hæreditatem iſtam accepit Ioſue 1203
xiii. Quid in ſuæ huius hæreditatis delectione, petitione, ſtructione, habitatione monſtrauit Ioſue Dux ibid.

CAPVT XX.

quæſt. 1. Quæ refugij vrbes 1207
ii. Quos apud Iſraelitas tutabantur refugij vrbes, & cur 1208
iii. Quomodo & aduerſus quos, confugam aliquem tutabantur aſyla vrbes 1209
iv. Quamdiu confugam aliquem tutabantur eædem refugij vrbes 1211
v. Cur ab refugij vrbibus, & exiliis exules liberabat Pontificis mors 1212
vi. Quot refugij vrbes, & quales 1216
vii. An Sacrarij Vrbs vel Sacrarium ipſum Aſylum fuerit 1218
viii. An apud Chriſtianos Aſyla etiam quæpiam ſint? & quę illa 1219
ix. Inter Veteris Teſtamenti & Noui Aſyla diſcrimen quod 1220
x. Num apud Iſraëlitas & Chriſtianos rectè inſtituta id genus aſyla 1221
xi. An contra Chriſtianorum Aſyla prudenter ſatis loquutus hoc loco Maſius 1223
xii. Quę refugij vrbium explanatio myſtica 1225

Digitized by Google

CAPVT XXI.

quæſt. 1. *Leuitis vrbes cur datæ* pag. 1229
ii. *Quomodo Leuitis datæ vrbes* 1230
iii. *Quot vniuerſe Leuitis omnibus datæ vrbes* 1232
iv. *Quot, & quæ præcipuis Leuitarum familiis datæ vrbes* 1233
v. *An in vrbibus aliis habitarint Leuitæ* 1236
vi. *Quantæ, & quales iſtæ Leuitarum vrbes* 1237
vii. *Quæ, & ad quid circum vrbes iſtas Leuitis data ſpatia* 1239
viii. *Leuitarum vrbium ſuburbana quanta* 1240
ix. *An in datas Leuitis vrbes nullum aut tribubus, aut tribulibus, qui illas dediſſent, fuit poſt dationem ius* 1243
x. *An in Leuiticis vrbibus, præter Leuitas, habitabat nemo* 1246

CAPVT XXII.

quæſt. 1. *Quid, & quomodo Transiordaninis tribubus diſceſſuris locutus Ioſue* 1251
ii. *Quomodo diſceſſerunt, & diſcedentes Transiordaninæ tribus altare in via excitarunt* 1254
iii. *Egerint ne Transiordanini recte aram illam erigendo* 1256

CAPVT XXIII.

CAPVT XXIV.

quæſt. 1. *Vbinam vltimum hunc populi conuentum, nouiſſimaque ad eum verba Imperator habuit Ioſue* 1269
ii. *An Iſraelitarum, quos in terram promiſſionis induxit Ioſue, maiores, in Meſopotamia & Aegypto idololatræ fuerint* 1271
iii. *An & Ioſuæ ipſius tempore, Iſraelitæ adhuc aliqui fuerint idololatræ* 1272
iv. *Verofne crabrones, ante Iſraelitas, in eorum hoſtes immiſerit Dominus* 1273
v. *An veram Iſraelitis fecit Ioſue optionem Deo aut diis ſeruiendi* 1276
vi. *Quomodo Deum eligentib. Iſraelitis dixit ver. 19. Ioſue, non poteritis ſeruire Domino* 1277
vii. *Quomodo cum Iſraëlitis fœdus percuſſit Ioſue* 1276
viii. *Quando mortuus Ioſue* 1282
ix. *Vbi, & quo cum planctu ſepultus Ioſue* 1283
x. *Quale Ducis Ioſuæ ſepulchrum? & num in hoc lapidei cum hoc ſepulti cultri* 1284
xi. *Epitaphium Ioſuæ quod* ibid.
xii. *Ad perpetuam Ioſuæ memoriam monimenta quæ alia* 1285
xiii. *An vllum cum Armeniæ, Perſidis, Mediæque Regibus bellum geſſerit Ioſue* 1286
xiv. *Liberos num reliquerit, vel cœlebs fuerit Ioſue* 1290
xv. *An hæreticorum dentes effugerit Ioſue* 1292
xvi. *Quando Ioſephi oſſa ſepulta* ibid.
xvii. *Vbi ſepulta Ioſephi oſſa* 1293
xviii. *An cum Ioſepho alij plures in Sichimis ſepulti Patriarchæ* 1295
xix. *Quomodo, & cur tranſlata in Sichem Ioſephi oſſa* 1296
xx. *Quomodo mortuus, & vbi ſepultus Eleazar Pontifex* 1297
xxi. *Huius libri finem quis ſcripſerit, & quid ei à 70. addatur* 1298

Digitized by Google

Digitized by Google

DE IOSVE LIBER PRIMVS.

PROŒMIVM, IN QVO TOTIVS OPERIS DIVISIO, ET MODVS.

FVIT IOSVE *vir planè admirabilis, heros maximus, veriſſima* IESV CHRISTI *Domini ac Saluatoris noſtri effigies ac typus, qui & nomine proprio, & rebus præclariſſimè, ipſique nomini cõuenientiſſimè geſtis, illũ non adumbrauit modo, ſed & clariſſimè, ſi quis priſco illo æuo alius, expreſſit. Hunc ego, ſanctis eius precibus,* CHRISTI*que mei ac* DEI *gratiâ fretus, explicandum ſuſcipio: ſed ita, vt explicationem non ad eum ſolum, qui in cæleſti, diuinitùſque inſpirata Bibliotheca nomen ab illo accepit, librum arctem ac reſtringam, ſed altiùs à primo* IOSVÆ *ipſius ortu ac ſtirpe ordiar, eaque colligam omnia, quæ varia & præclara de ipſo, extra librum illum, in diuinis extant libris aliis; præſertim verò in Pentateucho & Paralipomenis. Duæ igitur præcipuæ totius huius operis partes ſunt: in quarum priore continẽtur ea, quæ iam dixi aliunde accercita: in poſteriore totus ipſe liber* IOSVÆ. *Atque hic quidem ſatis videri queat diſtinctè propoſitus & explicatus, ſi ſingula eius capita proponantur & explicentur ordine; viſum mihi tamen commodiùs, ſi quæ ad ſingula diſſeruntur capita, libris diſtinguerem aliquot. Nam & ex antiquitate ſapientiſſimos, doctiſſimoſque Patres D. Hieronymũ, Ambroſium, Gregorium, alioſque non paucos video, qui ſuam in vnum aliquem Scripturæ librum lucubrationem plures in libros partiti ſint: & S. Auguſtinum huiuſcemodi partitionis auctorem ſuaſoremque opinor, cum in ſuo contra aduerſarium Legis & Prophetarum libro cap.* XXIV. *inquit:* Neſcio quomodo ita libri termino reficitur Lectoris intentio, ſicut labor viatoris, hoſpitio. *De magno igitur* IOSVE *libri à me iam dantur quinque.*

PRIMVS, IOSVE *genealogiam, nomen, ipſiuſque, ad initium vſque principatus, geſta continet.*

SECVNDVS, *Prolegomena in librum* IOSVE, *& quæ inito iam principatu vſque ad Iordanis tranſitum Princeps fecit, pertractat: à primo ſcilicet Ioſuani libri capite vſque ad capitis quarti verſum decimum nonum.*

TERTIVS, *quæ poſt Iordanis tranſitum vſque ad ipſa cum Chananæis bella contigerunt, ediſſerit: ab Ioſuani libri capitis quarti verſu decimo nono ad caput ſextum.*

Digitized by Google

QVARTVS, *bella cum Chananæis perſequitur, Hierichuntinum, Haicenſe, Gabaonicum, Adoniſedechianum, Iabinicum, ſeu Aquilonare: ab Ioſuani libri capite ſexto vſque ad tertiumdecimum.*

QVINTVS, *in iis, quæ poſt bella iſta noſtrum occuparunt* IOSVE, *Terræ nimirum diuiſio, vrbium & ad Leuitarum domicilia, & ad certorum hominum refugium deſignatio, Tribuum duarum dimiſsio, ipſaque tandem tanti Ducis mors; occupatur: à tertiodecimo capite ad libri finem vſque.*

Ac librorum quidem ſingulorum ſuis poſtea locis, aliquando diſtributiùs, indicabitur ſumma ac diuiſio: primi autem hæc eſt.

Habet liber primus decem capita.

I *agit* de Ioſuæ genealogia.
II de nomine.
III de bello Amalecitico.
IV de aſcenſu cum Moyſe in montem Sinai.
V de deſcenſu ex eodem monte.
VI de magna in tabernaculo aſſiduitate.
VII de zelo pro Moyſe.
VIII de terræ promiſſionis exploratione.
IX de electione & inauguratione ad Iſraelitici populi principatum.
X de variis ante Moyſis mortem geſtis.

Modum verò iſta tractandi & explicandi eum modo tenui, quem propoſitis rebus aut explanandis, aut in diſputationem vocandis accommodatum exiſtimaui. Alium requirat forte aliquis. Non mirum; Quot capita, tot ſenſus. *Et ipſemet ego amplectar fortaſsis aliâs alium. Cum enim plures aliquò perueniendi viæ bonæ ſunt, poteſt, & ab eodem viatore, diuerſis temporibus, & à diuerſis viatoribus, eodem tempore, ita teneri diuerſa, vt omnium nulla vituperetur. Et verò aut nunquam, aut certè perrarò fit, vt omnia omnium palatis placeant condimenta, & omnium, in cibis omnibus, conuiuarum gulam coquus vnus habeat.*

Mille hominum ſpecies, & rerum diſcolor vſus;
Velle ſuum cuique eſt: nec voto *ſcribitur* vno.

Sed primi libri primum iam incipiat caput.

DE

Digitized by Google

DE IOSVAE GENEALOGIA.

CAPVT I.

VT magnos & præſtantes heroas omnino pernoſcamus, eorum etiam maiores, operæ precium eſt intueri. idque non Rhetorum ſcholæ tantummodo, ſed ſuo etiam facto & exemplo docent diuinæ literæ. Quorſum enim alioqui tot in Geneſi, Exodo, ipſiſque præſertim Paralipomenis genealogiæ? Quorſum *generationis* IESV CHRISTI *liber* apud S. Matthæum, & Lucam? Neque enim de hiſce genealogiis, vt in Annotationibus ſuis ineptè tradit Beza; loquitur S. Paulus 1. Timoth. v. 4. ſed de iis, quas quotidie texebant, & plenis buccis iactitabant e Iudæis vani quidem: vel etiam Gentiles de inanium Deorum ſuorum proſapiis, cuiuſmodi ſuggerit in Theogonia ſua Heſiodus, vt illum in locum admonet S. Chryſoſtomus. Ideoque in S. Lucæ caput 1. S. Ambroſius, *Docet*, ait, *ſcriptura diuina non ſolùm mores in iis, qui prædicabiles ſunt, ſed etiam parentes oportere laudari, vt veluti tranſmiſſa immaculatæ puritatis hæreditas, in iis, quos volumus laudare, præcellat.* Sidonius l. 7. epiſt. ad Perpetuum. *Natalibus ſeruanda reuerentia, quia, & hos non omittendos Euangeliſta monſtrauit. Nam Lucas laudationem Ioannis aggreſſus, præſtantiſſimum computauit, quod ſacerdotali de ſtirpe veniebat.*

Noſter igitur heros IOSVE, fuit è ſanctiſſimi caſtiſſimique Ioſephi nepotibus. Cùm enim habuerit Ioſephus filios duos, Manaſſem & Ephraim, quos duabus tribubus originem noménque dare voluit iam moriturus illius pater Iacob, Geneſ. 48. v. 5. ex tribu Ephraim extitit IOSVE Num. 13. v. 9. auumque habuit Eliſamam, qui Numer. cap. 2. v. 18. Ephraimitarum omnium Princeps erat: Patrem verò *Nun*, ſui vtique patris in eadem dignitate ſucceſſorem. Et idcirco dicitur toties IOSVE *filius Nun*, quaſi præſtantis admodúmque laudati viri, Exodi 33. Num. 11. 13. 14. 27. 32. 34. Deuteronom. 23. 32. Iudic. 2. 3. Reg. 16. Nehem. 8. & alibi.

Sed vt alij etiam IOSVÆ Maiores teneantur, & quæ de iis difficultates ſunt, enodentur, ponam hic ſacra ipſa verba è Paralipom. cap. 7. verſ. 20. & ſeq. deinde quæſtiumculas aliquot. Sic autem habent illa.

Filij autem Ephraim, Suthala, Bared filius eius, Thalath filius eius, Elada filius eius, Thalath filius eius, huius filius Zabad, & huius filius Suthala, & huius filius Ezer & Elad. Occiderunt autem eos viri Geth indigenæ, quia deſcenderant, vt inuaderent poſſeſſiones eorum. Luxit igitur Ephraim pater eorum, multis diebus, & venerunt fratres eius, vt conſolarentur eum. Ingreſſuſque eſt ad vxorem ſuam, quæ concepit, & peperit filium, & vocauit nomen eius Beria, eò quod in malis domus eius ortus eſſet. Filia autem eius fuit Sara, quæ ædificauit Bethoron inferiorem & ſuperiorem, & Ozenſara. Porro filius eius Rapha & Reſeph, & Thale, de quo natus eſt Thaan, qui genuit Laadan: huius quoque filius Ammiud, qui genuit Eliſama, de quo ortus eſt Nun, qui habuit filium IOSVE.

Digitized by Google

QVÆSTIVNCVLA I. *An cuius hic filij recenſentur, Ephraim Patriarcha ſit?*

DVos in iſto textu Ephraim diuerſos conſtituit Lyranus, vnum cuius, filij à Getheis occiſi narrantur: & hunc eſſe vult è Patriarchæ illius primi poſteris, qui in Chananæa poſt egreſſum ex Ægypto habitârit. Alterum verò, ipſum Patriarcham, cuius filij ſunt Rapha, Reſeph, & alij qui deinceps referuntur. Prioris vero illius conſtituendi rationes potiſſimum duæ ſunt. *vna*: In terram Geth filij illi deſcendere non potuerunt, niſi Chananæam iam inhabitarent. Nam ne Iudæorum ex Ægypto quiſquam egrederetur, diligentiſſimè cauebatur, adeo, vt ſibi egrediendi poteſtatem fieri cùm peterent, non potuerit Rex, vt annueret, adduci, niſi malis & calamitatibus intolerandis fractus & ſubactus. Rurſum verò in eadē etiam tum Chananæa eorum patrem habitare oportuit: qui ex eorum cæde luctum hauſit maximum, & cùm filium poſtea genuiſſet, eum idcirco *Beria*, id eſt, in malo & luctu genitum appellauit. Sed in Ephraim Patriarcham iſta congruere non poſſunt. Eum enim iam tunc vltra 250. annos vitam propagaſſe oportuiſſet. Cum enim natus ipſe fuerit tempore, quo frumenti, rerumque omnium ſumma in Ægypto vbertas erat, Geneſ. 41. verſ. 52. antequam in illam deſcenderet Iacob Geneſ. 48. verſ. 5. neceſſum eſt ante annum ab Iſaaci ortu centeſimum octogeſimum octauum, & Ioſephi XXXVIII. eſſe natum. Inde verò ad exitū ex Ægypto ſupererant minimum anni CCXII. ex Geneſ. c. 15. & ex iis, quæ mihi diſputata & conſtituta Exodi, cap. 12. v. 40. Illis verò 212. annis ſi addas annos deſerti 40. fiet Ephraim ætas pluſquam 252. annorum. Accedant & illi ſeptem, quibus terram debellauit IOSVE, cap. 14. Ioſuæ. Vides Ephraimum tunc futurum fuiſſe annorum minimum 260. At hominis ætatem tantam non ferebat iam illa ætas. cùm *Iſaac*, etſi admodum longæuus fuerit, ſuo tamen anno 180. mortem obierit. Gen. 35. v. 28. *Iacob*. 147. Geneſ. 47. v. 28. *Leui* 137. Exod. 6. v. 16. *Moyſes*, anno 120. Deuter. 34. v. 7. Et verò vt viuere tamdiu potuerit Ephraim num etiam filios adhuc procreare? Factum tamen eſſe oportuiſſet, quia, vt dictum eſt, poſt filiorum priorum cædem, Beriem genuit. *Altera* vero *ratio* eſt, quòd eius filia Saraa dicatur Bethorum inferiorem & ſuperiorem ædificaſſe, quæ vrbes in Chananæa fuerunt, vt infrà patebit cap. 16. At illic ædificare, niſi poſt occupatam ab Iſraelitis terram, quomodo potuit? Nam etiamſi eam ab Ephraimo, anno ætatis 90. editam daremus, eſſet tamen ipſa poſt quietā Chananææ poſſeſſionem annorum pluſquam 130. qui ne ipſi quidem IOSVÆ conceſſi ſunt, qui centeſimum decimum tantummodo attigit, infra cap. vlt. verſ. 29.

Nihilominus tamen *vnus tantummodo hic Ephraim deſcribitur: iſque Patriarcha ille Ioſephi filius eſt*. Contextum enim diligenter aſpice, & videbis vnum ſolummodo nominari, & de eo vno eodēque dici omnia. Is filios amittit, alium progignit, & abſque alterius mentione vlla, ſubditur: *filius eius Rapha*. Quem relatiuū vel indicatiuum pronomen hoc, *eius*, reſpicit? Quem indicat? Certè præter eum Ephraim, qui antea nominatus erat, neminem. Hunc verò eundem
A Patriarcham eſſe ambigi non poteſt. *Primò* quidem, quia in tribus cuiuſcunque deſcriptione ſolet ille Paralipomenon liber primum ſtatim locum tribus illius patri & auctori tribuere. *Deinde*, quia, quos Ephraimo alteri filios dat Lyranus Suthalem, Bared, cæteros, eoſdem Numerorum caput 26. verſ. 35. Ephraimi Patriarchæ filios eſſe teſtatur. Et vero alterius Ephraimi illius pater quis? vnde ita ſubito prodit? Ab eo narrationis de tribu hac exordium cur duceretur?

B Sed rationibus reſpondendum. Hunc enim alterum Ephraim idem ſuo è cerebro exculpſit Lyranus, quod firmiſſimas illas exiſtimaret, quæ infirmæ tamen. Non enim aut filios illos, aut eorum patrem in Chananæa iam habitaſſe neceſſe fuit, vt in Getheorum illi agros irruerint. Sed ex ipſa Ægypto impreſſionem hanc facere potuerunt: idque vel antequam dira illa ſeruitute premerentur, arctiſſimiſque illis, quæ adhibitæ poſtea ſunt, cuſtodiis tenerentur; vel etiam poſtea, Ægyptij Regis nutu
C & voluntate, prout infra planum fiet, cùm de irruptionis huius cauſa dicam. Fundamento porro iſto ſubtracto, corruunt cætera, quæ ſuperſtruebat Lyranus, omnia. In altera vero ratione nihil ſanè foret abſurdi, ſi vltra etiam 130. annum vixiſſe Saraam diceremus, vrbeſque tum illas ædificaſſe. Neque enim neceſſe eſt, vt credamus neminem illo tempore ipſo Ioſue ſeniorem fuiſſe, ſicuti & in prima mundi ætate à quibuſdam ipſum Adamum æuo ſuperatum videmus, Geneſ. 5. verſ. 27. & deinceps, ab
D Iſaaco Abrahamum. Sed & de hac ipſa fœmina paulo poſt pluribus.

Q. II. *Sintne nouem primi propriè dicti filij Ephraim Patriarchæ?*

CONSTAT inter omnes, Patrem aliquando vocari eum, qui aliquibus ortum dedit, ſiue immediate, ſiue mediate, iſtoſque omnes filios nuncupari. Sed qui ortum immediate dat propriè pater eſt, & quia ab eo ſic oriuntur propriè filij: cæteri velut impropriè, vt auus abauus, nepotes abnepotes, itemque alij maiores aut poſteri. Videatur ergo alicui cum
E Vatablo, non omnes illos nouem eſſe propriè, ſiue immediate filios. *Primo*, quia cum interdum apponatur *filius eius*, interdum omittatur, videtur ſignificari eum, cui apponitur, eſſe illius, qui iamiam nominatus erat, immediatum filium, & ſic Bared eſſe Suthalæ filium, ipſius Bared Thahatam, & ita de aliis: Cur enim alioqui hoc ſermonis diſcrimen adhiberetur? *Deinde* Numer. 26. non dicitur *filius Ephraimi* Bared, ſed *Becher*, neque Thahath, ſed *Thehen*. *Tertio*, haberent idem proprium nomen fratres plures, iique ſuperſtites omnes.
F Nam inter nouem illos duo ſunt Suthalæ, duo Thahathi. *Quarto* accurate videtur ſignificare textus noſter Zabadum eſſe poſterioris Thahathi filium, itemque Suthalam poſteriorem Zabad, & Suthalæ huius Ezerem & Eladem: quia de his omnibus non ſimpliciter ait, *filius eius*, ſed mutata phraſi, *& huius filius*. *Quinto* ſæpe alibi eodem eloquendi modo narratur vnus eſſe filius eius, qui proxime anteceſſit, vt eodem. 1. Paralypomen. 5. verſ. 4. & 5. prout ex eo intelligitur, quem ibi dicitur abduxiſſe captiuum

uum Rex Aſſyriorum. Id enim non niſi poſt plures ipſius Rubem generationes factum.

Exiſtimarim tamen immediatos eſſe Ephraimi filios omnes. Primò, quia cum ratio non affertur melior, verborum propria ſemper ſignificatio in ſcripturis retinenda, vt habet D. Auguſtini regula, quam loco alio propoſui. Cur verò hic aut pro auo, aut pro abauo *pater* ſumi debeat, nihil nos cogit, vt ex eorum, quæ obiecta ſunt, diſſolutione patebit. Deinde, quia vel primus tantum propriè illius eſſet filius, vel pari ratione cæteri omnes, maximè vſque ad duos B poſteriores. Nā in Hebræo de iſtis cæteris vno eodemque loquendi modo, dicitur *beno*, id eſt, *filius eius*: & in Græco ſimiliter υἱὸς αὐτοῦ. At dici non poteſt, primum tantummodo eſſe illius filium, quia non tertiam tantum & quartam, ſed quintam & ſextam nepotum ſuorum generationem vidiſſet Ephraim. & quidem ita vt ipſius nepotes armis iam ferendis apti eſſent omnes, cùm in Gethæorum fines eruperint. Omnes ergo cęteri eius filij ſunt, niſi quod poſteriores duos putat Hebraicarum traditionum in C Paralipomen. auctor, eſſe poſterioris Suthalæ filios, quia ſcilicet iis appendicula illa ſolita non additur, *filius eius*. At inde potius colligitur, non Suthalæ, ſed ipſius Ephraimi eſſe filios. Nam vel nullius filij ſunt, quia in his appendicula hæc penitus omittitur, vel è prioribus repetenda & ſubaudienda erit: & tum, cur non eandem, quam in aliis antea faciebat, ſententiam, in iſtis non faciat: Ideoque multo minus dici poteſt, quod ſubinſinuat eum in locum D Lauaterus, hoſce duos non eſſe Suthalæ, ſed Zebadi filios, Suthalæque ipſius fratres. Denique cum dicitur, *poſt aliquam à fratribus acceptam conſolationem ingreſſus ad vxorem*, nonne ſignificatur eum propriam ſegetem amiſiſſe, nouamque idcirco ſementem feciſſe? Nam aliqui alioquin ei ſupererent è Suthala, Bared & Thehen nepotes Num. 26. verſ. 35. 36. Ad contrarias ergo rationes reſpondeo, & quidem.

Ad *primum* ſolet interdum ſcriptura, quod generatim dixit, certis adhuc particulis ſpeciatim exprimere, vel lucis maioris causâ, vel ex idio- E tiſmo & ſimplicitate Hebræi ſermonis. ſicque licet ſatis fuiſſet, dixiſſe filios, aditum tamen eorum pluribus iſtud, *filius eius* Quemadmodum & eodem l. Paralip. cap. 4. v. 24. cùm de vno patre Saule agitur, dicitur, *Sellum filius eius: Mapſam filius eius: Maſma filius eius*, vt rectè ibi probat Abulenſis.

Ad *ſecundum*. Duplicis ij nominis erant, vt in ſcripturis alij complures, *Iacob, Iſrael, Eſau, Edom Seir, Azarias, Ozias, Daniel, Celeab* filius Dauid 1. Paralip. 3. verſu. 12. & 2. Reg. 3. verſu. 2. *Suppim* hoc 7. cap. Paralip. verſu. 12. *Muppim*. Gen. F 46. v. 21. ita tamen vt inter vtraque nomina interſit non plurimum. Nam *Bered* & *Becer*, duabus tantum literis differunt, ſicuti vnâ *Chatan* & *Chathat*, licet in prioribus illius etiam vnius literæ tranſpoſitio ſit. Sic filij Dauid *Eliſua* & *Nepheg*. 2. Reg. 3. verſ. 15. vocantur 1. Paralip. 3. v. 7. *Eliſama* & *Naphes* prout hoc quidem libri quidam habent. *Ir* eodem 7. cap. verſ. 11. *Iri* verſ. 7. *Sallum* eodem 7. c. *Sellum* Geneſ. 46. 24. In *Ioſue*.

A Num. tamen libro excidit apud 70. *Becer*, & pro *Cathan* ſcriptum [illegible]: ſicuti & paulo poſt pro *Heran* ſeu *Eran* [illegible] qui 1. Paralipomen. cap. 7. v. 26. *Hadan* vt quibuſdam placet, in noſtro textu non male *Laadan*. Sed de hoc infra q. 7.

Ad *Tertium* fratres plures eodem appellari nomine rariſſimum quidem, vt in 2. epiſtola Ioannis dico, non tamen inuſitatum. Eodem enim 1. Paralip. cap. 3. verſ. 6. & 8. in filiis Dauid, duplex Eliſama, duplex Eliphalet, ſeu Eliphelet. Memini & in prophana hiſtoria notari ſimilia, B vt apud Spartianum, *Antonini* fratres. Eſtque mihi domeſticum iam exemplum vnum & alterum.

Quin & ſorores quaſdam idem cum fratribus ſuis nomen interdum habuiſſe tradit Vatablus. 1. Paralipomen. 7. verſ. 15. de *Huppim*, & *Suppim*. Vt aliqua tamen inter illos eſſet diſtinctio: videntur hic 4. Hebræi Punctores, & clariùs 70. immutatiunculas aliquas adhibuiſſe, dum eos illi *Schutablach* & *Schuthelach* nominăt, hi vero [illegible], [illegible], [illegible]. Certe Anno C Domini 1276. Bataua Domina Margaretha peperiſſe dicitur 365. fœtus, & baptizati ſunt à Rdiſſo Guidone: omnibuſque maſculis nomen impoſitum *Ioannes*: omnibus puellis *Eliſabeth*. prout eius epitaphium oſtendit, in templo Loſdunenſi. quod totum citat P. Bertius fol. 219.

Ad *quartum*. Noſtri textus ſententia ex Hebræo & Græco ſupra poſito intelligitur. Idem enim ſignificant *filius eius* & *filius huius*.

Ad *quintum*. Quando vna eademque phraſis poteſt in ſcriptura ſententias plures habere, an D hoc vel illo loco, hanc aut illam habeat, eſt ex circunſtantiis & adiunctis diſceptandum. Nam *Aſſiriaca* illic poſita *captiuitas* ad alterum nos ſenſum ducit. Nulla verò hic eiuſmodi circunſtantia.

Q. III. *Inuaſerintne hi Ephraim filij Gethæos?*

Id quaſi certum affirmant omnes, prout quæſtione prima vidimus, Lyranus, Abulenſis, quæſtionum Hebraicarum Auctor, alij. Mihi tamē longè videtur aliter, ipſos ſcilicet *Gethæos in Ephraimitas irruptionem feciſſe, ipſoſque interemiſſe*. Nam primò, fuiſſe Geth in Palæſthina con- E ſtat. 1. Reg. 6. 47. Rurſum ex iis, quæ q. 1. dicta ſunt, hęc eo tempore facta patet, quo in Ægypto adhuc hærebant Iſraelitæ. Iam ſic: Qui aliis poſſeſſiones eripere volebant, eos ait textus, ad illos *deſcendiſſe*. Sed in ſcriptura, qui ex Ægypto in Palæſthinam ſiue Iudæam eunt, ſemper *aſcendere* dicuntur, & contra, qui hinc illuc, *deſcendere*. Non ergo Ephraimitæ ſunt, qui ad Gethæos deſcēderunt, ſed Gethæi ad Ephraimitas. Lege ſi placet, Geneſ. 44. verſ. 24. *Cum aſcendiſſemus ad famulum tuum patrem noſtrum*. F *Exod. 12. verſu 38. Vulgus promiſcuum innumerabile aſcendit cum eis*. Num. 13. *Aſcendite per meridianam plagam*. & poſtea, *cumque aſcendiſſent, explorauerunt, & aſcenderunt ad meridiem*. Ibidem cap. 32. verſu. 11. *Homines iſti, qui aſcenderunt ex Ægypto*. Deut. 1. verſ. 22. *Renunciet per quod iter debeamus aſcendere*. verſu. 26. *Noluiſtis aſcendere*. & cap. 3. verſ. 1. *Aſcendimus per iter Baſan*. Geneſ. 26. *Ne deſcendas in Ægyptum*, 25. *In Ægyptum deſcendit populus*. Iam verò quæriam, obſecro, cauſa his Ephraimi natis, vt Gethęos

Digitized by Google

A vexarent: *Quatuor* apud Abulenſem 1. Paralip. 7.q. 8. *cauſas* inuenio, ſed quarum nulla placere poſſit. *Prima*; quod omnium primi Chananæam cogitarent, vt, (qua de re Geneſis vltimo mandatum acceperant) Ioſephi oſſa exportarent. Sed iis tunc in Gethæa occiſis, ea quæ ſecum extuliſſent, oſſa illic manſiſſent, contra Exod. c. 13. verſu. 18. Et ſolis Ephraimitis, an vero vniuerſis potius Iſraelitis mandatum hoc datum erat: De vniuerſis rectè intellexit & expoſuit loco iam citato Moyſes. *Altera*, quod, ob prælatum Manaſſæ ipſi Ephraimum Geneſ. 48. ſpiritus gererent. B Ephraimitæ altiores, vellentque idcirco promiſſam Chananæam ſtatim occupare. Poſſet vero id ex ſecuta eorum ſuperbia Iud. 8. & 12. & fortaſſis ex Pſal. 77. verſu 9. coloris quidpiam aſciſcere, ſed fruſtra. Quomodo enim ſoli Ephraimitæ rem tantam aggrederentur? Quomodo ſuperſtite adhuc patre, non vrbem tantum vnam, vt Geneſ. 34. Simeon & Leui, ſed gentem regionemque totam perpauci aggrederentur? An adeo ſuperbi erant, vt Iſraelitas in Ægypto cæteros relinquerent? C *Tertia* vt murmurationis, quam exploratorum nequitia excitarat, culpam & infamiam obtererent. Num 14. verſu 40. ſed inibi non Ephraimitas & Iſraelitas omnes in eadem voluntate fuiſſe comperias. verſu. 34. 44. vt taceam, multo ante relictam Ægyptum contigiſſe hanc, qua de agitur, irruptionem, vt ſuprà ſignificatum q. 1. *Quarta* demum ipſius Abulenſis, eoſdẽ Ephraimitas, cum in terra *Geſſen* habitarent Geneſ. 46. voluiſſe fines ſuos amplificare, ſicque in vicinam Geth impetum feciſſe. Sed quomodo peregrini, D in alieno regno veluti exules, neque ij admodũ multi, vicinam gentem laceſſerent? Et nonne hoc totũ eſſet latrocinari? Malem equidem exiſtimare, ipſos Ægyptiaco Pharaone ſciente ac permittente, fortaſſis etiam ob aliqua vicina cum gente litem, iubente, irruptionem hanc molitos. At coniecturis figmentiſque nihil opus. Finem & cauſam, cur alios inuaſerint iſti, de quibus hic ſermo, clarè textus pronunciat, *vt inuaderent poſſeſſiones eorum*, ſiue eæ in auro & argento, ſiue in veſte & pecore ſitæ illæ E eſſent. etſi de pecore magis intelligere videntur 70. qui κτήνη verterunt. Sed vicinorum opes diripere, pecus abigere, niſi cauſa, quæ hic nulla comparet; iuſta ſit, meriſſimum latrocinium rapina, & abigeatus eſt. An vero, tantum in Ephraimi filios adeoque in ipſum adhuc ſuperſtitem & ſenem Ephraimum ſcelus cõferemus? Hoc ſanè Gethæis dignum potius, quos audaces bellicoſos, & admodum importunos, vel ex vno Goliath intelligere poſſumus. Ita enim & Chaldæi Iob. 1. v. 17. camelorum Iobi armenta F inuaſerunt; & Gethæorum, apud quos tum latebat, moribus conuenienter, in varios irruebat Dauid. 1. Reg. 27. verſu. 8. & ſeq. Dices tamen, cur *viri Geth* hic vocentur *indigenæ*, niſi vt ſignificaretur, eos locorum in quæ aliunde, irruebant Ephraimitæ, gnaros, facilè ipſos oppreſſiſſe? Alia cauſa eſt, nimirum Gethæos non mercenarios aut ſtipendiarios, ſed indigenas, hoc ipſum feciſſe, vt eorum hoc inſtitutis conſentaneum intelligeretur: & quidem contra homines in alieno regno inquilinos & aduenas. Sic ergo dum peculium ſuum defendunt Ephraimitæ à latronibus & abigeis, qui è Geth in propinquam Ægyptum ad illos deſcẽderant, nefariè occiſi ſunt. Hinc vero intelligitur, cur Exod. 13. verſ. 17. cùm emiſiſſet Pharao populum, non eos duxit Dominus per viam terræ Philiſthiim, quæ vicina eſt. Horrebant enim Gethæos, adeoque Philiſtheos alios omnes, vt pote à quibus in Ægyptum irruentibus damna cladeſque non leues acceperant; Iſraelitæ.

Q. IV. *Beria, cur ab Ephraim vocatus?*

RAHA Hebræis malum valere, & *Be*in, eſt pęnè etiam vulgo non ignotum. *Beria* igitur vocatus eſt, aut Beriha eò quod Berahaha, id eſt in malis domus Ephraimi ortus eſſet, poſt fratrum ſcilicet funera, in ſummo parentis luctu & mœrore. At Hebraicus textus obſcurior eſt. *Et vocauit nomen eius Beria, quia in malo fuit in domo eius.* Sententiam tamen nobis rectè noſter reddidit Interpres, ſed verba tamen illa ſic intelligenda. quia *in malo fuit* ipſa ſcilicet Ephraimi vxor concipiens & pariens in illius domo. Nam illud, *fuit*, in Hebræo fœmininum eſt. Et idem volunt 70. ſed commutata oratione, vt ipſi Ephraimo ſermo ſit. ὅτι ἐν κακοῖς ἐγένετο ἐν οἴκῳ μου, quia in malis fuit in domo mea.

Q. V. *Quæ Sara, & Num Ephraimi vel Beriæ propriè filia?*

SVSPICETVR quis lectiſſimæ huic fœminæ fuiſſe idem, quod Abrahæ coniugi nomen. At non ita eſt. Illa enim Latine, Grece, Hebraice, ſimpliciter *Sara* dicta eſt Geneſ. 17. verſ. 15. Hæc noſtra vero Hebraice *Scheerah*, Grece Σαραὰ vocatur, & ita fuit forte in Latinis ſcriptum. Filiam Ephraimi cẽſent plerique omnes, cæſorum illorum, & Beriæ ſororem. Sed cum de Beria ſermo fuiſſet, ſtatim ſubiunctũ eſt, *filia autẽ eius fuit*. vt Beriæ potius filia, quàm ſoror videatur. Quemadmodum & paulo infra; *Porro filius eius Rapha*, Et hoc dicere voluit Traditionum auctor, cùm ait *Fily Beria, id eſt Sara*. Cæterum quia *Scheeram* interpretari licet *reſiduam* ſiue *reliquam*, ideo ex alicuius notatione, vel alia verſione additur in 70. neſcio quo ſenſu, καὶ ἐν ἐκείνοις τοῖς καταλοίποις. Quid ſi explicationis gratiâ ſcriptum eſſet, καὶ ἐν ἐκείνοις ἡ κατάλειπτος? id eſt, in illis, ſeu inter illos, qui erant obtruncati, ipſa fuit reſidua.

Q. VI. *Quot vrbes & quomodo ædificarit ea dem Saraa?*

QVAS iſta ædificarit, tres textus noſter & Hebræus vrbes numerat, duas videlicet *Bethoron*, & tertiam *Ozen Sara*, ſed ex hac facit Græcus duos eiuſdem fœminæ, vel Beriæ potius filios. καὶ υἱοὶ Σαραά. Sed cum in textibus aliis non ſit hoc filiorum nomen, & Traditionum auctor, Lyranus, Abulenſis, omneſque doceant, locum eſſe ab illa extructũ, ex alicuius in margine notata ſuſpitione, in Græcũ irrepſiſſe putarim illud, υἱοὶ, vti & ſuperiore quæſtione notabã ſimile. Sed quæri merito ſolet quomodo vrbes iſtas extruere illa potuerit, cùm antequam in Chananæam ex Ægypto Iſraelitę aſcenderent, iam vrbes illæ fuerint, vt infrà patebit, c. 10. & 16. Reſpondent aliqui, fuiſſe quidem illas in Chananæa vrbes, ſed eiuſdẽ nominis alias duas excitaſſe Saraam, idque putat Abulenſis probabile 1. Paralip. 7. q. 8. quia vrbes in Ægypto quaſdam ædificarunt Iſraelitæ Exod. 1. Sed has non ſane, niſi dura preſſi ſeruitute, omninoque coacti

Digitized by Google

coacti ædificarunt. Et cur in alio regno, vnde breui exitum ſperarit, tantos fruſtra ſumptus faceret? Neque facile aliis vrbibus eadem quis nomina imponit, niſi ob aliquam rei alicuius memoriam, vel ſimilitudinem. Quæ verò in Ægypto de Chananæis *Bethoron* vel memoria vel ſimilitudo huic mulieri curæ eſſe potuit? Neque ſanè quiſquam in eadem Ægypto *Bethoron* vllam recenſuit. Addit idem Abulenſis, forte in matrimonium collocatam alicui Chananæorũ Principi Saraam fuiſſe: ſicque apud illos, vrbes, quas inuenerint poſtea Iſraelitæ, condidiſſe. Vix crediderim vel ab Ephraim, vel à Saraa ipſa tam prophanas cum Gentili & Chananæo procuratas nuptias. Licet enim, quæ id vetarent, latæ leges nondum eſſent Exod. 34. Deut. 7. ipſeque Iudas Chananæam duxerit Geneſ. 38. nihilominus tamen alia ratio fuit, cùm in Chananæa adhuc, antequam in Ægyptum deſcenderent, verſarentur: alia cùm in Ægypto; vnde ante præfinitos à Deo annos Geneſ. 15. Iſraelitici ſeminis nihil ita exiiſſe videtur, vt in Ægyptum non rediret, prout fecit Exod. 3. Moyſes. Et cùm adhuc in Chananæa eſſent Abraham, Iſaac, & Iacob, eiuſmodi tamen ſibi coniugia parum probari, apertè ſatis ſignificarunt. Geneſ. 24. 28. 34. Vero igitur ſimilius eſt; quod tandem ſubiungit idem Abulenſis, *ædificandi* verbum ſumi non propriè, ſed pro *refectione* ſeu *reædificatione*. Hanc enim vrbes iſtas, quæ aut annis, aut bellis vaſtatæ fuerant, reædificaſſe. Idque confirmari poteſt ex cap. 11. verſ. 12. & 13. infra, & ex vſitato aliàs verbi huius vſu. Nam ex vrbibus & locis, quæ antea iam fuerant, multa ædificaſſe dicuntur Gad, Ruben & Manaſſes. Num. 32. & harum ipſarum Bethoron alteram ſcribitur Salomon ædificaſſe. 3. Reg. 9. verſu. 17. quia eam renouauit, muriſque communiuit & exornauit. Eodem modo Patara vrbs, quam ædificarat olim Patarus, ædificauit Philadelphus Ptolemæus, Arſinoemque vocauit, apud Strabonem libro 14. & alias vrbes alij, prout docui Iudith. 1. q. 7. Fortè tertiam vrbem, cui nomen ſuum *Saraa* hæc appoſuit, eadem etiam ratione conſtruxit, aut ſi nouã omnino erexit, erit ædificandi verbum hic non impropriè, ſed communiter & ampliſſime accipiendum, vt propriam, minuſque propriam ſignificationem ſimul amplectatur.

Q. VII. *Cuius propriè filij Rapha, Reſeph, alij?*

QVAMVIS Latinum textum, *Porro filius eius* opinari quis poſſet, referendum ad eam, quæ proxime nominata erat, Saraam, vt iſti eius filij dicerentur ex Hebræo tamen & Græco explicandus eſt, vbi illud, *eius*, maſculinum eſt, ideoque vel ad Ephraim, vel ad Beriam referendum. Abulenſis ad Ephraim refert, eique tres ex iſtis tribuit filios Rapham, Reſeph, & Thale, qui prius nominati Beriæ fratres ſint. Alij eoſdem tres malunt Beriæ filios, vt Lyranus. Quibuſdam etiam duo tantum priores Beriæ filij ſunt, tertius verò ſecundi, Reſephi ſcilicet Thelahus. Mihi videtur primo *Beriæ filius eſſe Rapha, Ephraimi nepos*. Nihil enim cauſa eſt, cur ad illum, cuius facta vltimo loco erat mentio, non referatur iſtud, *eius*, Deinde *Raphæ filij ſunt Reſeph & Thala*. Nam in Hebræo iſti duo, phraſi mutata, iunguntur, ſic: *Et Reſeph, & Thelach filius eius*. In Græco adhuc apertius σαρὰφ καὶ θαλὲς υἱὸς αὐτοῦ. Deinceps, *Thale huius filius eſt Thaan, Thaanis Laadan; Laadanis Ammiud, Ammiudis Eliſama, Eliſamæ Nun, Nunis Ioſue*. Ita vt ab Ephraimo ſit *Ioſue* nonus, à Ioſepho decimus, ab Abrahamo decimus tertius. Sic:

	Abraham.	
	Iſaac.	1
	Iacob.	2.
	Ioſeph.	3.
1	Ephraim.	4.
2	Beria.	5.
3	Rapha.	6.
4	Thala.	7.
5	Thaan.	8.
6	Saadan.	9.
7	Ammiud.	10.
8	Eliſama.	11.
9	*Nun.*	12.
10	*Ioſue.*	13.

Sunt tamen qui cenſeant, qui ſexto hic loco recenſetur, *Laadan*, dicendum eſſe ipſius Suthalæ. qui quæſt. 2. Ephraimi filius extitit, filium eundemque vocari Num. 26. verſu 36. *Heran*, hic verò 1. Paralip. 7. verſu. 25. *Hadan*. Nam illud quod ei proponitur in Latino textu *La* videtur articulus tantum Hebræus eſſe, ſeu potius genitiui aut datiui caſus nota. Ita vt ibi verti potuerit: *Ipſi Hadan filio eius*. 2. *Heran* in Num. 26. vocatur à 70. ἐδὲν, vt ſupra dictum q. 2. ad 2. quaſi *Hadan*, & conſtat reſch & daleth literas in Hebræis ob ſimilitudinem, facile, crebroque permutari. Diſerte vero Nume. 26. 36. dicitur *Suthalæ filius*. Ideoque ſecundum iſtos, Ioſue ſtemma eſt

1 Ephraim.
2 Suthala.
3 Hadan, ſeu Heran.
4 Hammin.
5 Eliſama.
6 Nun.
7 *Ioſue.*

Sed reſpuit hanc Genealogiam Latinus textus, cum poſt *Thaan* diſerte ſubiungat. 1. Paralip. 7. v. 26. *Qui genuit Laadan*. 2. quia duo, quæ propoſita ſunt argumenta nihil euincunt. Quo ad prius enim, conſtat plura eſſe alia & virorum & locorum nomina propria, quæ à *La* non diſſimiliter incipiunt, vt *Labana* Geneſ. 24. *Labana* Ioſ. 15. & 19. *Latuſſim* & *Laomim*. 1. Paralip. 1. *Laad* & *Laada* eod. lib. c. 4. verſu. 2. & 21. Quoad poſterius, plura ſunt nomina, quæ magnam cognationem habeant, pœneque prorſus eadem ſint, diuerſos tamen denotant homines, vt in *Suthala* patuit ſupra q. 2. ad 3. Accedit, quod quidam veluti eculeus textui videatur adhiberi, dum Paral. 7. verſ. 25. illud. *Ipſi Hadan filio eius*, referunt *in Annot*. Iunius & Tremellius ad *Scuthelachum*, cum inter hunc & *Hudanem* iſtum alia tam multa interiecta ſint: neque vlla vel minima literula ſit, quæ nos ad illum ſurſum vocet. Ac idcirco in priore non inuitus acquieſco genealogia.

Q. VIII.

Quam variũ Patris Ioſua nomẽ, & quid ſignificet?

In Hebrę̨o paſſim dicitur *Nun*, in hoc ta-
men Paralip. c. v. 27. *Non*. In eodem iſto loco
Græcè νὴν. creberrimè aliâs ναυὴ & ναυῆ. Vnde
& apud Latinos vtraque iſta *Nun* & *Naue* trita
ſunt: apud Ioſeph. l. 3. c. 2. ναύηκος c. 13. ναύηχος.
Quibuſdam verò ducitur à *Naueh*, quod eſt ha-
bitare, & interdum, pulchrum eſſe, quod quæ
domi cuſtodiuntur, pulchriora eſſe ſoleant.
Vnde apud Rabbinos *Noi* pulchritudo eſt,
& *Nach* pulcher, & apud Rupertum l. 1. in
Num. c. 38. *Ioſue id eſt Saluator, filius pulchritudi-
nis*: Alij, quibus aurem do libentius, id arceſ-
ſunt à *nin* quod eſt *filius*. & tunc *Nun* eſt, vt ita
dicam *filiatio* vel *filiatus*, ſiue, qui *factus* eſt *fi-
lius*. Videtur. n. olim vſitata illa Hebræa radix,
vnde ſit illud Prouerb. 29. v. 21. *Qui delicatè à
pueritia nutrit ſeruum ſuũ, poſtea ſentiet eum manon*,
id eſt, *filiatum*, ſiue *contumacem*, vt rectè noſter
vertit interpres. Nam ſe gereret eiuſmodi ſeruus,
quaſi non ſeruus, ſed filius, hæres ac dominus
eſſet. Ideóque morem minus geret, minuſque
operis & laboris volet ſuſcipere, prout in eius
libri commẽtario exponit R. Emmanuel. con-
tra R. Iudam & Tremellium, Iuniumque No-
uatores, quibus illic *manon* eſt *liberis orbus*. Et
Pſal. 71. v. 17. *Ante ſolem iinnon*, id eſt, vt vertit
Burgenſis, *filiabitur*, ſiue *vocabitur filius*, vt in
Commentario illic docet R. Abraham & Elie-
zer, c. 3. ſiue vt R. Emmanuel, & R. Dauid:
*firmabitur & permanebit nominis eius memoria &
laus, non ſecus quam ſi ſemper filiaretur*, id eſt, *filiis
augeretur*, qui patris memoriam quodam velu-
ti monumento tueri & conſeruare ſolent. Ac-
cedit quod ſicuti *nin* dicitur, ita etiam pro *ben*
legitur *bin* Exod. 33. verſ. 11. & Nume. 27. v. 19.
Deut. vlt. verſ. 9. Fortaſſis verò idem cum iſto
nomine fuit illud apud Aſſyrios celebratiſſi-
mum, *Ninus*, à quo *Niniue*, quaſi *Nin naueh*, id
eſt, *Nini domicilium & habitatio*. Nam *Naueh* eſt
οἴκησις vel κατάλυμα, vt Exod. 15. v. 13. & Prou. 3.
v. 31. c. 21. v. 20. c. 24. v. 5. Iſ. 27. v. 10. c. 32. v. 18.
c. 33. v. 20. c. 34. v. 13. c. 65. v. 10. Ierem. c. 23. v. 3.
c. 25. v. 30. c. 31. v. 23. c. 49. v. 20. c. 50. v. 19. &
44. Ez. 25. v. 5. c. 34. v. 14. Iob. 5. v. 3. & 23. 2.
Reg. 15. v. 24. In Thalmudico Tractatu Peſa-
chim cap. 10. fol. 119. Pag. 2. & Raſchbam ibi-
dem notant Ioſue filium dici, non patrem, vt
infra lib 5. notabitur iterum cap. 24. q. 14.

Q. IX.

De veri Ioſuæ genealogia.

Habet Typici *Ioſuæ* genealogia, non par-
A uas difficultates, vt vidimus. Habet etiam veri
Ioſuæ. De quibus præter antiquos, è recentio-
ribus. multa noſtri Maldonatus, Barradius, To-
letus in Lucam, Alponſus Salmero. Eſt vero
Ioſue typicus è tribu, in qua etiam fuit regnum,
ſed multo infelicius eo, quod in tribu Iuda, e
qua dominus noſter. Et fuit tribus Ephraim,
cùm eſſet alioquin hic ætate minor, ipſi Ma-
naſſeæ diuinitus prę̨lata Gen. 49. Iudas etiam
Rubeno, quoad ortum poſterior, illi antepoſi-
tus eſt, ſummiſque primogenituræ opibus &
B prærogatiuis ornatus. Vexati à Gethæis E-
phraiimitæ, fratreſque ab illis plures contru-
cidati. Quid Gethæus Goliath 1. Reg. 17. Non
ſumma Iſraelitas iniuria & infamia vexabat?
Non iſtorum terror erat maximus? ſed cæſis fu-
ſiſque tam multis ab veri *Ioſue* maiorum vno,
Dauide ſcilicet, ſtratus ille tandem, & è vita
deturbatus. Ædificauit *Saraa* nobiliſſima E-
phraimitarum fœmina, vrbes tres: ædificauit
& Iudæorum fœminarum vna, ſuo in vtero,
vrbium omnium caput & metropolin, ſanctiſ-
C ſimi Domini noſtri humanitatem. Quid *Beria*?
In Ephraimiticæ domus orbitate, luctu & ſca-
lore natus eſt, ſic vt ſolatium tamen & nume-
roſiſſimæ poſteritatis remedium afferret. In in-
gentibus mundi totius malis, in acerbiſſimis
innumerabilium animorum ſtragibus, in ſum-
ma rerum omnium deſperatione orti de Tribu
Iuda Mathanes, Iacobi, & Ioſephi: nata & il-
la, quæ vt Exod. 1. dicebam, ab amaritudine
nomen accepiſſe videri poteſt. *Maria*, vt expe-
ctatio Gentium & ſalutare totius mundi ab hiis
D exoreretur. At *Ioſue* pater ſemper *Nun* eſt, al-
terius ſcilicet hominis filius, & per filium ipſe
ſuum fama & celebritate auctus plurimũ. No-
ſtri vero *Ioſue* verus pater, non eſt vllius homi-
nis filius, ſed pater tantũmodo, *à quo omnis in cæ-
lo & in terra paternitas*. Epheſ. 3. Eſt tamen ipſe
quodammodo, vt ſuprà loquebar, per ſuum
hunc filium filiatus, dum per eum innumera-
bili filiorum, cœleſtiſque hę̨reditatis hæredum
E ſobole auctus eſt, cùm dedit iſte *poteſtatem homi-
nibus filios Dei fieri* Ioh. 1. Ioſeph vero vtroque
modo verus *Nun* eſt, cum & alterius filius ſit,
ab omnibus, ob filium iſtum, deprę̨dicetur, in
omniumque memoria & ore, cum ingenti lau-
de, verſetur, factus quodammodo omnium fi-
liorum Dei & ipſe pater beatiſſimus.

CAPVT II.

De Ioſuæ nomine.

VT hominum inter homines ſocietas, & ad mutuam vitæ operúmque omnium vtilitatem, coniunctio vigeat, ſuum cuique proprium nomen, vel ab ortu ſtatim, vel non ita multo poſt, ſolet apud omnes pœnè gentes, imponi. Nam, vt l. 5. c. 8. ex Herodoto ait Plinius *degeneres humani ritus erant Atlantes, inter quos nominum appellatio nulla vſitata*. quod in *Abarantes*, qui ſoli etiam orienti ſolent maledicere, confert Stobæus ſerm. 42. Dixit quidem S. Paulinus. *Et qui regnauit ſine nomine mox. Seſoostris*: ſed

Digitized by Google

ſed *ſine nomine*, hoc eſt ſine hæredibus, vt exponit lib. 3. Iſag. p. 310. Scaliger. Apud Græcos, *die decimo*, natis infantibus nomina indebantur, vt in *Amphidromiorum*, quæ idcirco etiam *Nominalia*, vel *Nominalium ſolennitas* à Tertul. lib. de idololatria c.16. vocantur; *proverbio* à Suida notatur. Quæ poſtmodum Athenis, vt ſe pro ciuib. gerere poſſent, indita, apud *curiales*, anno ætatis xv. vt Ariſtophanis veſparum Interpres ex Ariſtotele ſcripſit; apud *populares* verò anno xviii dum ex pueris in Ephebos, adeóque in viros a ſcribebantur, quemadmodum lib. 2. de Athenienſium Republ. c. 2. notat Sigonius. Apud Romanos etſi dixit Valerius, pueris, priuſquam virilem togam ſumerent, puellis antequam nuberent, non imponi nomina, Feſti tamen, cui in Romanis quæſtionibus aſſentitur Plut. & 1. Saturn. c. 16. Macrobius; hæc doctrina eſt: *Luſtrici dies infantium appellantur, puellarum octauus, puerorum nonus, quia his luſtrantur, atque eis nomina imponuntur*. ideoque & ille dies *Nominalis*, vt à Tertull. eum vocari dixi, non erat hebdomadis ab infantis ortu *ſeptimus*, vt in Auſon. l. 2. cap. 22. ſuſpicatur Scaliger: ſed minimum *octauus*, vt dictum eſt. Poſtea tamen iuſſit Antoninus Philoſophus, Capitolino teſte, impoſitionem hanc *die* fieri *tertio*. Apud Iudæos, qui puero circumcidendo dies ab ortu *octauus*, idem & nominando decretus fuit, vt ex B. Lucæ 1. & 2. apparet, idque vel diuino præcepto; quod traditione cognitum erat, vel humano; quod ex longa illa, & vetere cõſuetudine naſcebatur. Hæc enim libri de cardinalibus CHRISTI operibus ſententia eſt, cùm ait: *Octaua die nomen circumciſo aptari intimatum eſt iis, qui digni ſanctorum conſortio cenſebantur, quòd eorum nomina ſcriberentur in cælis & æternæ beatitudinis, quam, poſt vitæ huius ſeptimanam, octaua conſequitur, hæredes.* Apud nos Chriſtianos, conſuetudine iam inde ab Apoſtolis ducta, vti contra Illyricum oſtendit lib. 1. de baptiſmo cap. 16. Bellarminus, *quando* datur infantibus *baptiſmus*, datur & *nomen*, vt eo ſcilicet ipſo profiteantur ipſi, ſe in libro vitæ, Chriſtianæ militiæ adſcribi, taleſque ab omnibus habeantur. Ioſue igitur in ſua circumciſione, vocatus fuit *Hoſea*, ſiue *Oſee*; ſed à Moyſe poſtea, mutatione perexigua, *Iehoſua*, ſiue *Ioſue*. Ita enim Num. 13. verſu 18. legimus. *Vocauitque* (Moſes) *Oſee filium Nun Ioſue*. de quo agendum paulo pluribus. Eſt enim hoc valde magnum, vt infrà patebit. Neque ſine cauſa huiuſmodi nomina vel imponi, vel mutari pulchrè docet homil. 23. in Ioſuæ lib. Origenes. *Non eſt*, ait, *putandum fortuitò accidiſſe, vt ille Angelus Michael vocaretur, alius autem Gabriel, alius verò Raphael; & vt ad humana deſcendam, ſicut non fuit fortuitò, vt ille Patriarcha Abraham vocaretur, & ille Iſaac; & alius Iſrael: ſed ne in humanis quidem caſu accidit, ſed certa & diuina ratione, vt illa Sara vocaretur ex Sarai, vel ille Iſrael ex Iacob, vel ille Abraham ex Abram: & certum eſt vnumquemque vel angelorum vel hominum, ex iis, quæ ſcilicet iniunguntur officiis, & actibus etiam nomina ſortiri.*

QVÆST. I. *Quid Oſee, & Ioſue.*

VNA Hebręis vox eſt [illegible] *ieſcha*, quæ pſal. 19. A
v. 6. 49. v. 23. 131. v. 16. & alibi ſępe, *ſalutem* ſignificat, & ab ea voce ducuntur alia eiuſdem ſignificatûs vocabula *ieſchouah theſchouathah, theſchouath, moſchebeth*, tandemque verbum *hoſchiah, ſaluare*. Atque hinc duo iſta propria ſunt *Oſee*, & *Ioſue*, ſiue, vt magis Hebraice dicam, *Hoſeah* & *Iehoſuah*: quorũ vtrumque, vt explicat in Oſeæ c. 1. D. Hieron. & ipſa originis ratio declarat, *ſaluatorem* ſignificat. Ideoque Eccleſiaſt. 46. v.
B
2. de Ioſue [illegible]: id eſt, *fuit magnus ſecundum nomen ſuum in ſalutem electorum eius*: ſeu *ad ſalutem electorum eius*. An verò vt aliqui aiunt; *Domini Saluatorem*, & quomodo vox eadem ſignificet; dicetur infrà, q. 5. Et noſter Ioſue vocatur etiam *Hoſee* in Thalmud Tract. *Beracoth*, cap. 6. f. 63. b. niſi in antegreſſo vau mendum eſſe velit abſque cauſa ſuſpicari aliquis.

C
Quia verò extiterunt hodie non adoleſcentuli tantùm, ſed & ſeniculi, noui oratores, aut logodædali potius, quibus ne in Ciceronem peccent; religio eſt, *Saluatorem* dicere, adeo vt illud Apoſt. 1. Timoth. 1. v. 51. CHRISTVS IESVS *venit in mundum peccatores ſaluos facere*; verterit Nouator Beza, *vt peccatores ſeruaret*: ponam hic magni inprimis Ciceroniani verba, Manutij inquam è commentario in Verrinum librum ſecundum. *Soter, Græcum nomen eſt, & eum ſignificare, qui ſalutem dedit, ipſo cõſtat interprete Cicerone, quo patet communis error eorum, qui* IESVM CHRISTVM, *cuius immortalia merita nullo ſatis vno verbo exprimi Latinè queunt, Seruatorem appellant. Aliud enim eſt ſeruare: aliud ſalutem dare. Seruat is, qui, ne ſalus amittatur, aliqua ratione præſtat; Salutẽ dat, qui amiſſam reſtituit, quod ſi ſeruator non eſt ſoter, quia minus valet: ſaluator autem, vt inuſitatum. Cicero vitauit; maluitque dicere, Qui ſalutem dedit: nimirum de eo ſi loquimur, qui afflictum genus humanum non in eodem ſtatu ſeruauit, ſed à ſempiterno interitu ad perpetuæ vitæ bona perduxit, quod & ſummi Dei filius fecit, & facere ſolus potuit, neceſſe eſt, vel Saluatorẽ appellare, quod* σωτὴρ *Græcè dicitur, vſurpato in re noua nouo verbo, quod veteres quoque probarunt, vel, Ciceronis exemplo, vti circumſcriptione & dicere. Is, qui ſalutem dedit, quanquam circumſcriptio, vt interdum non commoda ſolùm, verumetiam neceſſaria videtur, ſic, iterata ſæpius, & dignitatem amittit, & ſatietatem parit.* Hæc Ciceronianus ille:

Abulenſis verò Numer. 3. quæſt. 3. & 27. vult. non proprie factam, in Ioſue, nominis mutationem, ſed additionem potius. Verùm hæc ipſa additio, mutatio quædam eſt, ſicuti & apud Phyſicos accretio, eſt motus, & mutatio. Si *Abulenſis* vocaretur *Stabulenſis*, an nominis tantùm *additio*, non autem *mutatio* eſſet?

Q. II. *Quomodo facta nominis mutatio fuerit*

VNAM tantummodo acceſſiſſe litterulam, *iod*, ſeu *ioth* aiunt plerique, in quibus & Abulenſis Numer. cap. 13. quæſt. 37. Nam *primò vocabatur*, inquit, *apud Hebræos Oſua, poſteà dictus eſt Ioſua, addendo vnam litteram.* Sed in Hebræo non *Oſua*, ſed *Oſea* vocabatur, & ab antiquiſſimis Interpretibus Græcis modò Αὐσῆ, modò ὡσηέ, à Latinis *Oſee* conuerſum eſt. Ideoque præter *iod* acceſſit etiam ipſius vocalis *e* in *a* mutatio. Et cum *iod* ipſo, vocalis etiã *e* addita, ita vt triplex mutatio facta ſit. Neque enim exiſtimandum, *vocales*, quia punctulis apud Hebræos hodie notantur, ideo *ad Hebræarum vocum naturam non ſpectare.* Quæ enim apud vllas gentes abſque vocali vox? Solent quidem eas è literarum ſuarum numero Hebræi eximere, vt ex alphabeto, & tetragrãmati appellatione cõſtat, ſed nequaquam ad vocum eſſentiam neceſſarias non eſſe fatentur, vti percopioſè tractat R. Beniamin Bariehudah, præfatione in R. Moſis Dikduk.

Q. III. *A quo facta eadem nominis mutatio?*

D. Hieronymus, initio in Oſeæ caput primum, *à Deo* factam ait. Textus verò è cap. 13. Numerorum citatus, *à Moſe*, ſed verum vtrumque. Diuino enim afflatu, per prophetiam, id ipſum fecit Moyſes, vt commentariorum in Ioſuæ præfatione agnoſcit Maſius. Alioquin parum intererat *Oſee*, an *Ioſue* ille vocaretur. cùm præſertim vna eademque iis ambobus ſubiecta notio ſit, vti expoſitum quæſt. 1. Sicque IESV D. noſtro dicit ſolet datum nomen, quandoque *à* DEO, quia eius mandata perferebat cœleſtis nuncius Gabriel: quandoque ab hoc ipſo *Archangelo*: Sed ab illo magis, vt ait lib. de fide ad Theodoſium Cyrillus, & pulchrè Sanctus Bernardus ſerm. 4. de circuncisione. *Vocatum eſt*, ait, *ab Angelo nomen, non impoſitum, nempe hoc ei nomen eſt ab æterno. A natura propria habet, vt ſit Saluator: Innatum eſt ei nomen hoc, non inditum ab humana, vel angelica natura.*

Q. IV. *Quæ generatim mutandorum nominum cauſæ?*

SI Philonis extaret περὶ τῶν μετονομαζομένων, καὶ ὧν ἕνεκα μετονομάζονται, liber, cuius meminit libro ſecundo hiſtoriæ cap. 18. Euſebius, & in Catalogo D. Hieronymus; hoc iam ſuperſederem labore fortaſſis. Nunc *cauſæ* hic potiſſimum ſpectandæ duæ, *efficiens*, & *finis*.

Ad illam ſpectat, qui autoritate, ſuoque quodam iure, vero aut vſurpato, alicui nomen dat, mutatuè: cuiuſmodi primo eſt, DEVS, à quo Abram, vocatus eſt *Abraham* Geneſ. 17. Sarai *Sara*, ſiue vt in Græco, mendosè tamen, prout in Traditionibus admonet Sanctus Hieronymus: σάρα σάῤῥα Geneſ. 17. Iacob *Iſrael* Geneſ. 28. Simon *Cephas* ſiue *Petrus* Matth. 16. Iacobus & Ioannes, *Bonarges* Marc. 13. Vnde & Apocalyp. 2. verſ. 17. *Vincenti dabo calculum candidum, & in calculo nomen nouum ſcriptum.* Videri queat Sanctus Chryſoſtomus Tom. 1. homil. *de nomine Abram.* D. Hieronymus Iſaiæ 62. & Ieremiæ 23. Deinde, nominat *Angelus bonus* Lucæ 1. verſ. 14. *Vocabis nomen eius Ioannem.* Lucæ 2.

A verſu. 21. *Vocatum eſt nomen eius* IESVS, *quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in vtero conciperetur.* Si enim, ſaltem vt diuini decreti præco, nomen dare poteſt, poterit & mutare. *Malus* etiam *Angelus*. Qui enim in lucis angelum transformare ſe audet, 2. Corinth. 14. non veretur hanc etiam ſibi dandorum nominum poteſtatem, quoad homines vſurpare; vt cùm perficta ſua oracula, nomine priore, quod Alcæus, poſteaque *Palemon* erat, omiſſo, *Herculem* appellauit, apud Ælianum lib. 2. variæ hiſtoriæ. Pythiæ verſus, quos in Euſebianis Animaduerſionibus irridet meritò Sca-

B liger, eiuſmodi ſunt.

Ὑπὸ γὰρ Ἀλκαῖος κεκλήσεαι, ὑπὸ Παλαίμων:
Ἡρακλῆα δέ σε Φοῖβος ἐπώνυμον ἐξονομάζει.
ἔργα γὰρ ἀνθρώποισι φέρων κλέος ἄφθιτον ἕξεις,

Nam Sathanam alioqui ſuis angelis, cùm ex Dei angelis, eos in teterrimos Dæmonas commutauit, priſtina, quæ ipſorum gradum, munus & præſtantiam indicabant, nomina mutaſſe, nonnullorum ſententia eſt, qui è recentibus etiam exor-

C ciſmis, quos ſecũdauit diuina bonitas, eam confirmant. Tertio denique mutant *homines*, vel *ipſimet* quorum nomina ſunt, vel *alij* prout plura deinceps exempla oſtendent.

Obſeruandum verò aliud eſſe, nomen aliquod primò aſciſcere aut imponere, aliud aſcitum iam ac impoſitum mutare. Illud enim licet omnibus: iſtud non item. Sic enim Cod. l. 9. tit. 25. ſanciunt Imperatores. *Sicut in initio, nominis, cognominis, prænominis, recognoſcẽdi ſingulos* (gratiâ) *impoſitio libera eſt priuatis: ita eorũ mutatio innocen-*

D *tibus periculoſa non eſt. Mutare itaque nomen, vel prænomen. Siue cognomen, ſine aliqua fraude, licito iure. Si liberes, ſecundum ea, quæ ſæpe ſtatuta ſunt, minimè prohiberis, nullo ex hoc præiudicio futuro.* Vbi notã illud, *ſine aliqua fraude*. Nam *falſi nominis adſeueratio*, legis Corneliæ ſcito, vetatur Dig. l. 48. tit. 10. l. *falſi nominis*, & videri de hoc poteſt Bleſſius cap. 40. de mutatione nominis, Berberius, 1. parte rubr. 11. Ioannes de Landris Pictauenſis in legum breuiario l. 9. fol. 111. Petrus Greg. 36. Syntag. 4. Briſſonius lib. 7. form. fol. 671. Albericus

E Gentilis lib. 1. de bello c. 4. Sed iam *de fine* videamus.

Quibuſdam, vt nomina mutent, cauſa eſt, *impietas*, vt illi, de quibus 2. Mach. ca. 3. & 4. dixi, *Iaſon & Menelaus*, & qui ſe, ſeculo hoc noſtro, *Pomponium Lotum*, cùm eſſet Petrus Calebet, indigitauit, apud Platinam in Paulo IV. & plerique omnes, qui à Chriſtiana fide ad Turciſmum deflectunt. Quin & impij ſceleratiſſimique ſortiarij quidam, dum impium à diabolo baptiſmum, ſuſcipiunt, vti noſter oſtendit Delrius l. 5. Diſ-

F quiſ. Magic. ſect. 16. ſ. 78. Rurſumque contra omnis generis aduerſarios, conſpicuos & inconſpicuos, nominum valere mutationẽ, inſigni væſanáque ſuperſtitione, ſuſpicantur cum Anania, l. 4. ſ. 145. nonnulli, vt aſſerit idem Delrius l. 6. c. 2. ſ. 1. q. 1. p. 146. Et neſcio an ſuperſtitionem etiam non oleat, quod refert l. 16. Ammianus: *fuiſſe ſc. Mederico Chonodomarii fratris filium, genitali vocabulo, Agenarichum dictitatum. Sed pater diu, obſidatus pignore, tentus in Galliis, doctuſque Græca quædam arcana, ad Serapionis tranſtulit nomen.* Aliis eſt *ambitio* & fraus, vt qui aliena

regna

regna & principatus fictis natalium titulis quæ- A
runt, vt apud Ioſeph. lib. 14. c. 13. *Pſeudoalexander*; & apud Valerium Maximum *alij* l. 9. c. 16. ſuperioribus hiſce aliquot annis *Pſeudoſebaſtiani* in Luſitania, imò & qui in priuatas etiã hæreditates & commoda inhiant, vt ille apud Demoſtenem orat. contra Bæotũ, *Mantitheus*, & quotquot ſpurios liberorum partus alienis edunt nominibus, vt in Euangeliis *Pſeudothomæ*, *Pſeudobarnabæ*, in hiſtoriis *Pſeudoberoſi*, *Pſeudomegaſtenes*; in B
epiſt. *Pſeudoudalrici*: in aliis alij. Quid Porphyrius? vocabatur antea *Malchus*, ſed vti refert Eunapius, *hoc ſuo nomine ponendo, voluit omnem videri poſuiſſe barbariem*. Alios mouet *periculum*, quod vel nocentibus, vt proditoribus, aliiſue interdũ ſceleratis meritò, vel innocentibus, & immeritò impendet, vt, apud Virgil. l. 7. Æneid. excitatus ab inferis Æſculapius, & *vir bis factus*, *Virbius*: apud S. Auguſt. hæreſi 49. *Manes*, qui antea C
Vrbicus: qui apud Cyril. Catech. 6. *Curbicus* apud Scaligerũ Euſel. Not. pag. 221. *Cubricus*. apud eũdẽ Cyrillus *ibidem hæreticus Mane ipſo prior Terebintus* dictus à ſeipſo poſtea *Buddas*. apud Xiphilinũ poſt Cæſaris cædẽ, *Caſca* & *Terentius* Varro, Tribuni plebis: itẽque Valẽtis Imper. hæretici temporibus, *Theodoti*, *Theodori*, *Theodoſiique* quamplurimi, Sigonio teſte li. 8. Occid. Imperij. Sed hæc ad rem aptiſſima videntur D. Ambr. in *Auxentium*, qui *Mercurini* etiam quandoque nomen ſumebat: verba l. 5. epiſtolarũ: *Auxentius eiicitur*, D
Mercurinus excluditur. Vnum portentum eſt, duo nomina. Etenim ne cognoſceretur quis eſſet, mutauit ſibi vocabulum. vt quia hic fuerat Auxentius Epiſcopus, Adrianus, ad decipiendam plebem, quam ille tenuerat, ſe vocaret Mercurinum. Mutauit ergo vocabulum, ſed perfidiam non mutauit. Exuit lupum, & induit lupum. Nihil prodeſt, quod mutauit nomen. Quid ſit, agnoſcitur. Alius in Scythiæ partibus dicebatur, alius hic vocatur. Nomina pro regionibus habet. Habet ergo iam duo nomina. & ſi hinc alio perrexerit, habebit & ter- E
tium. Quomodo enim patiatur, vt maneat ei vocabulũ ad tanti ſceleris indicium? Minora fecit in Scytia, & ita erubuit vt mutaret vocabulum. Sceleratiora hic auſus eſt, & volet quocunque perrexerit, nomine ſuo prodi?

Nonnullos inepto quandoque *pudore* adductos audio, vt Sergium Pontificem, cùm *os porci* antea vocaretur: apud Polyd. l. 4. c. 10. Reinulphũ. l. c. 31. prout Aquisgrani vocata etiam eſt ea domus, vbi Caluini fuit Synagoga. Quanquam Sergio fuiſſe hoc antea nomen rectè negat F
Tom. 2. & 11. anno 1009. Baronius. Et huc fortè ſpectatè Grammaticis *Craſſitius*, cognomine *Paſſidius* (an *Pachyus* vel *Pachydius*?) *qui mox Panſam ſe transnominauit*, vt loquitur lib. de Gram. Suetonius. Eademque de cauſa, vt familiarum pudori ac famæ conſuleretur, mutabantur, Magiſtratibus annuentibus, meretricũ nomina. Plautus Pœnulo.

Huc aduenisti hodie in ipſo tempore.
Namque hodie earum mutarentur nomina.
Facerentque indignum genere quæſtum corpore.

Trahit alios *cauſa*, de qua etiam in *S. Paulo* egi vberius núm. 6. *honeſtior*, vt qui dum ſacro olim baptiſmate initiarentur, vetera propria, vndecumque ducta, excuſſerunt nomina. Cùm Ægyptiorum Chriſtianorum, & Confeſſorum quidam à Gentili Iudice nomen rogarentur pro nomine proprio aliquod alicuius Prophetæ nomen edebant. *Hoc. n.* ait l. 8. hiſt. c. 21. Euſebius, *ab illis factitatum erat, quod pro nominibus idolorum, quæ erant fortè à parentibus ipſis impoſita, noua nomina, facta mutatione, ipſi ſibi aſciuiſſent. Eliæ. n. Hieremiæ, Heſaiæ, Samuelis & Danielis nomine ſeipſos nuncupaſſe, & germanum ac verum Dei Iſraelem, qui Iudeis erat in occulto, non ſolum rebus ipſis, ſed nominibus propriè, & ſignificanter explicatis, commonſtraſſe audire potuiſſes.* Sic apud Bedam l. 5. hiſt. c. 7. *Ceadualla* Rex, poſtea *Petrus*. quia Dei & S. Petri amore ductus, regnum reliquerat, ad illius limina venerat, ibique baptizari voluerat: apud Marcell. in S. Svviberti vita c. 24. qui antea fuit *Herigerus*, poſtea fuit *Petrus*, quia S. Petri feſto die baptizatus: qui *Hathagerus*, poſtea *Svvibertus*. quia à S. Svvib. è corporis, animique paralyſi ereptus, ibidem c. 29. qui E L D A K poſtea *Bruno*, apud S. Ludgerum epiſt. ad Rixfridum c. 8. apud Damaſcen. oratione de imag. & Niceph. alij: apud Lipomanũ Tom. 6. *S. Euſtathius* eiuſque vxor *Theopiſte*, cùm *Placidas* & *Traiana* olim dicerentur. Apud Saxonem l. 10. Sueciæ Rex *Olaus*, poſtmodum *Iacobus*: & noſtra ætate tot in India, Iaponia, & Peruana regione Reges, Dynaſtæ, aliique mortales. Noua ſiquidem in baptiſmo vita iniri videtur: ideoque noui mores quoque ac nouus ardor, & eorũ forte, quorum nomina gererent imitatio ſuſcipienda. In naturæ alioqui ſtatu fit, quod ſcripſit l. 9. c. 1. Quintilianus: *Homines, ſi aliud acceperunt, quàm quod habuerunt nomen, iidem ſunt tamen.* At in gratiæ ſtatu alios eſſe oportet: non quidem eſſentia, ſed ſententiâ & vitâ.

Sic in *Confirmationis* ſacramento *Hermenigildus* Leouigildi Regis filius, cùm fieret ex hęretico Catholicus, & *chriſmaretur* (ipſiſſimum, n. narrantis hiſtorici Turonenſis libro. 5. cap. 38. verbum retinendum puto) *Iohannes* vocatus eſt, & qui *Venceslaus* nuncupatus fuerat *Carolus* poſtea *quartus* fuit, apud Ænæam Syluium in hiſtoria Boëmica. In ipſa etiam ſacra chriſmatione, cum eam nuper, id eſt, anno 1602. in Septemb. die feſto Natiuitatis B. Virginis Romæ ab ipſo S. D. N. Clemente VIII. acciperet *D. Iuſtus Caluinus* olim Caluinianus cognomen hoc ſuum in hæreſeos & infandi hæreſiarchæ deteſtationem, abiecit, & *Iuſtus Baronius* dictus eſt à Reuerendiſſimo ſcilicet ac Illuſtriſſimo Cardinale *Baronio*, qui vt hoſpitio illum vnà cum fratre, menſes aliquot excepit, ſic & omni ſemper humanitate ac beneficentiâ proſequutus eſt, atque ad ſacrum illud vnguentum & conſignationem vtrumque deduxit. Sed de hoc ipſemet *Iuſtus* epiſtolam ad illum edidit. *S. Adelbertus* Epiſcopus Pragenſis in eadem ſacra chriſmatione hoc nominis aſſumſit, cùm prius *Voitechus* vocaretur, vt eſt in eius vita, & Ge. Pontano lib. 2. & 3. Bohemiæ piæ p. 15. & 36. itemque in Romanis hiſtoriæ S. Abundantij notis p. 133.

Sic in religioſæ vitæ ingreſſu: vt *S. Antonius* de Padua, qui pridem *Fernandus*. & hodie, apud Capucinos quidem *Seraphim*, Spiritus alius, aliter alij nomenclatur. De noſtro *Bencio*, ita Lipſius in Miſcellanea centuria epiſt. 87. *Fui Romæ familiariſſimus Planto Bencio, qui Franciſci poſtea nomen ſanctius, cum ſanctiore vita aſſumſit.* f. 93. Et ve-

Digitized by Google

rò etiam hodie apud Græcos vſitatiſſimum, vt qui Monachi fiunt, & ſchema τῆς μετανοίας, καὶ ἀγγελικὸν (Sic enim ab ipſis monaſticus appellatur habitus) ſuſcipiunt, vt vitam, ſic & nomen mutent. vti de ſe mihi referebat D. *Nectarius* Archiepiſcopus Acridanus, qui in baptiſmate dictus erat *Nicolaus*.

Fuerunt etiam, quæ vt *caſtitatem* tuerentur, impuneque ac ſancte in religioſorum cætibus laterent, fœminea remouerũt nomina, vt *Ioannes*, quæ antea dicebatur *Suſanna*, de qua die 15. Decemb. Martyrologium & Menæum Raderi p. 110. *Dorotheus* antea *Eugenia* ibidem p. 3. *Eugenius*, antea *Eugenia* de qua Alcimus, Fortunatus, & Althelmus: *Smaragdus*, quæ *Euphroſina*: *Ioſephus*, quæ *Hildegundis*, aliæque plures, de quibus lib. citato Raderus noſter p. 5.

Sic in *ſacra* quoque *ordinatione*, vt cum in Sueuonia *Gaudebertum* quendam mittere vellent S. Anſgerius, & Ibo, eum Epiſcopum dum crearunt, *Simonis* nomine inſignierunt, apud Crantzium lib. 1. Metrop. c. 32. S. *Vvillibrordus* à Pontifice dictus fuit *Clemens*, pro *Vvinfrido*, *Bonifacius*, primus noſter Archiepiſcopus Moguntinus prout not. 16. l. 3. Moguntiacarum rerũ, oſtendi. Et in Pontificib. maximis, eſt hęc iam ſolennis mutatio, de qua citatis locis Polydorus, & Ranulphus, ab ipſius videlicet exemplo ducta, qui *Simonem*, *Cepham*, ſiue *Petrum*, vt ſuprà etiam tetigi, nominauit, vt quemadmodum nominis, ſic & hominis mutatio fit. *Ex verbis*, ait S. Hieronym. in Ierem. 23. *& interpretatione nominum ſæpe res oſtenduntur, vt Abraham, Sara, & Petri, & filiorum Zebedæi vocabula commutata ſignificent, rerum mutationem.* Sane, honoris ergò, Epheſiæ Dianæ Sacerdos, etiamſi ante *Pyrrhus*, vel *Dromo* eſſet, vocabatur poſtea *Megacles*, *Megabyzus*, *Protarchus*, vt in Laërtij Xenophontẽ notauit Scholiaſtes. Et iis, qui confecrabantur, nomen indebatur nouum, ita vt indigitati, & inter Diuos recepti nomen edere nefas eſſet, heroumq; templa taciti præterirent omnes, vt in Liuij l. 1. notat Gothofredus.

Iam Babylonij Aſſyriique Reges cum nouâ imperij maieſtate, vt veteres priuatorum veſtes; ſic & nomina exuebant, prout diſſerit lib. 6. emend. Scaliger: & cui infanti *Thurini* cognomen inditum erat, fuit, procedente tẽpore, *Auguſtus Cæſar*, narrante Suetonio: & *Zeno* Imperator, qui prius *Ariomeſius* apud Niceph. l. 15. c. 27. Imperatrix *Eudocia* prius *Athenais*. Paul. Diac. Miſc. l. 13. omnes videlicet, vel vt nouo ſeſe nomine ad meliora & maiora excitarent: vel eorum forte aliqui, vt dignitatem famamque ſuam augerent. Herodian, in Heliogabalo: *Alexianus Mammææ filius, auito nomine in Macedonis regis nomen commutato, Alexander nuncupatus eſt. Nam eum regem fama per ſe celebrem, etiam magnopere coluerat Antonius Seueri filius, qui huius Alexandri pater putabatur.* Philippi Macedonum Regis vxor *Olympias*, cum eſſet paruula, vocabatur *Myrthale*, vt ait lib. 9. Iuſtinus.

Eodemque fere omnia ſpectant, qui hominũ homines alios nomẽclationibus nouis afficiunt: ſed iſto diſcrimine, quod boni & ſapientes bonum ſemper, partim illius, de cuius nomine agitur, partim aliorum intuẽtur: Mali verò, minuſque ſapientes, riſum, quandoque contemtum, vel euentum, vt in Plauto, nugatoria multa, quemadmodum qui in Pſeudolo dicebat: *Frumento affluam, vt ciuitas mihi nomen commutet, meque vt prædicet, Lenonem ex Ballione, Regem Iaſonem.* Et in Amphitruone. *Formido malè, ne ego hic nomen commutem meum, & Quintus fiam è Soſia.* Centurio quidam dictus fuit, *Cedo vitam*? Ægyptiorum Regum vnus. *Doſo*, & alicubi ſuperioribus hiſce annis iactatum audiui hoc diſtichon.

Do ſibi mutauit nuper cum Principe nomen,
Rex D o *nomen habet*: D o *capit* A c c i p i o.

Phaſgur Sacerdos Ieremię 20. poſt *Magor*: Priamus vero antea *Podarces* apud Euſtathium. 1. Iliad. *Achilles* apud Apollodorum lib. 3. *Ligyras* à patre nominatus fuerat & eius præco Homerus quondam *Meleſigenes*, apud Heliodorum. l. 3. & Plutarchum in eius vita. *Plato*, inquit initio libri de Dogmat. Platonis, Apuleius; *habitudo corporis cognomentum dedit. Namque Ariſtocles prius nominatus.* Tarquinius prius dicebatur. *Lucumo* inquit lib. 5. Strabo. Maſſilienſis *Belta*, poſt dicta *Ariſtoxena*, Milto *Aſpaſia*, Melita, *Mania*, Charitoblepharos *Lampeto*, vti refert lib. 13. Athenęus. *Diocletianus*, inquit Victor, *donec imperiũ ſumeret, Diocles appellatus. Vbi orbis Romani potentiam cepit, Graium nomen in Romanum morem conuertit.*

Eſt autem illud commune, quemadmodum editus non ita pridem R. noſter P. Alphonſus Salmero in prolegomenis Euangelicis docet: *cenſeri poteſtatis & dominatus argumentum, nouas aliquibus, quæ quidem rata habeãtur, appellationes tribuere.* Sic ſeruis olim ſuis quę libuiſſet nomina dabant domini, & ab iis erant *Quinctipores*, *Publipores*, & ſimiles, de quibus Politianus Miſcella c. 31. Quin & libertate dum eos donabant, ſuo etiam ipſos nomine ornabant, ſiue cum ſyllabę alicuius additione, ſiue ſimpliciter, prout lib. de Rom. nominibus, firmat Sigonius. Hinc apud Gellium l. 17. cap. vltimo. *Liuius Andronicus*, apud Ciceronem lib. 4. ad Atticum epiſtola 14. *T. Cecilius M. T. Tiro M. T. Laurea.* Et iis, qui adoptabantur, apud Dionem. lib. 40. & 46. & iis qui ciuitate donabantur apud Ciceronem lib. 3. epiſtola famil. 36. & Cæſarem lib. 1. de bello Gallico: iis, qui aliam in familiam tranſibant; apud eundem Ciceronem lib. 2. de legibus: iis, qui hęredes ſcribebantur apud Ciceronem lib. 7. ad Atticum epiſt. 8. Ouid. l. 15. Metamorphoſ. Briſſ. lib. 7. de formulis. Ita apud Spartianum Seuerus Imperator fratrem ſuum non amplius *Baſſianum*, ſed *Aurelium Antonium* vocari vult. Vxorem ſuam Theodoſius non *Athenaidam*, ſeu *Eudociam* apud Nicephorum lib. 14. c. 24. & in diuinis illis libris nonne, ab Ægyptio Pharaone vocatus Ioſeph *Tſaphnet Pahaneach*. Geneſ. 41. v. 45. ab Necao, Ioſiæ filius Eliacim, *Ioachim*. & Reg. 23. v. 34. à Nabuchodonoſore Mathanias huius Ioachimi patruus, *Sedecias* eodem lib. c. 24. v. 17. ab Eunuchorum Babylonicorũ præpoſito Daniel, Ananias, Miſael, & Azarias; *Baltaſar*, *Sidrah*, *Miſach*, *Abdenago* Daniel. 1. v. 7. Henricò II. Francorum Regi diſplicebant *difficilia* quædam quorumdam nobilium *nomina*, ideoque mutare illa volebat, prout à Michaele de Montaigne ſcriptum. l. 1. cap. 46. vbi & alia de nominibus plura. *Penes quos eſt rerum quarundam dominium.* (ait Moyſes

Moyſes Barcepha Comment. p. 1. cap. vlt.) *iy quibus volunt nominibus res eas cenſent, ſicut poſſeſſor ea, quæ poſſidet.* Idemque in Danielis caput 1. refert S. Hieronymus, & apertè colligitur ex Geneſ. 2. v. 19. Eſt hæc etiam cauſa ſanctis Angelis, Deoq; ipſi communis: imò ei tantò magis propria, quantò verior ipſe Dominus: itemque cæteri fines boni omnes, ſiue ad illius, qui nominatur, ſiue ad cuiuſcunque alterius doctrinam & vtilitatem ſpectant, quantò ipſe ſapientior & melior, adeoque qui ſapientia & bonitas ipſa eſt. Ideoque vt oſtendat quid ipſe ſit, & quid ſeruis ſuis, quidue per eos aliis velit facere, nomina dat, aufert, mutat. D. Hieronymus in Daniel. cap. 1. *Dominus in bonam, ait, partem nomina mutat antiqua, & ex rebus imponit virtutum vocabula, vt Abram, Saram. In Euangelio quoque Simon, Petri nomen accepit.* S. Chryſoſtomus homil. 18. in Ioannem: *Simonem Petrum appellauit, Iacobum verò & Ioannem filios tonitrui. Quamobrem? vt oſtendat ſe eundem eſſe, qui vetus dedit teſtamentum. Ipſe eſt, qui aptè nomina imponit, qui Abram Abraham, & Sarai Saram, Iacob Iſraël vocauit. Multis à natiuitate nomina impoſuit, vt Iſaac, Samſon, vt iis quorũ meminit Iſaias & Oſee. Quibuſdam quæ à parentibus acceperant, appellationem mutauit, vt prædictis, & Ieſu. Mos etiam antiquus erat, à rebus nomina imponi, quod & Helias fecit. Hoc autem non temerè fit, ſed vt ea appellatio imponatur, quæ ſit diuini beneficij perpetuũ monumentum, & memoria, per prædicta nomina, auditorum animis imprimatur.* Poſt Saræ verò mortem fuit Abrahæ vxor, de qua Quæſtionibus in Geneſim ita D. Hieronymus: *Cetura Hebræo ſermone copulata interpretatur, aut coniuncta. Quã ob cauſam ſuſpicantur Hebræi, mutato nomine, eandem eſſe Agar, quæ, Sara mortua, de concubina tranſierit in vxorem.* Ita ſane. Suſpicio hæc Iudæorum eſt, vti oſtendit R. Eliezer c. 30. mutati tamen nominis cauſas duas dat alias: *Vnam*, quòd fœmina eſſet *mekuſera miccol mine beſamim*, id eſt, inſtructa & perfuſa omni aromatum & odoramentorum genere: *Alteram*, quòd *mabeſcha nahim cakketoreth*, id eſt, bona & ſuauia eius eſſent opera inſtar ſuffimenti & aromatis.

Q. V. *Speciatim cur Ioſua nominis facta mutatio?*

Cvm enim duo illa nomina, eandem, vt dixi, rem ſignificent, meritò nunc, cur ex vno factum alterum ſit, quæritur. In eadem ſiquidem lingua, etſi vim ſynonyma eandem habeant, non tamen abſque cauſa, in propriis hominum appellationibus vnum pro altero ponitur. Habent hæc quatuor eandem notionem *Nicodemus, Demonicus, Laonicus, Nicolaus* (omnia enim populi victorem, *populi domum*, vt in *Elencho* contra me ſuo interpretatus eſt non ita pridem Scaliger, ſeu *populi domitorem* ſignificant) ſi quis me tamen trium primorum nomine aliquo vocaret, (vt hæreticus quidam Doctor, dum irâ neſcio quâ incenſus, librum contra Societatem noſtram apparaſſet, faciebat,) non audirem. Cur igitur ex *Hoſeâ* factus *Iehoſua*? Notant pleriq; omnes magnum quid & beatum portendi, dum ex ſacri ſui tetragrammati nominis *Iehoua* literis vnam aliquam alicui addit Deus, quemadmodum, vt ſuprà viſum eſt, *Abrahamo* addidit ה. Sed additionis huius alia cauſa memoratur eodem illo Gen. 17. cauſa. &, ſi per eiuſmodi additionẽ magnum & fauſtum quid portenderetur, an per detractionem abiectum & infauſtum quidpiã non oſtenderetur? Ideoq; miſera & malè admodum mulctata fuiſſet à Deo *Sara*, quæ nominis illius ſacri literam primam *Iod*, vti ſuprà q. 4. dictum, amiſiſſet. R. P. Salmero loco citato per *Iod* huius additionem, ſæpe notari ait *quandam diuinitatis & perennitatis communicationem*. At eo ipſo, tanto dono ſpoliata fuiſſet *Sara*, & eodem auctus inceſtus ille Dauidis filius Amnon, qui 2. Reg. 13. v. 20. *Aminon* vocatur. Poſſunt iſta quidem ſic obiici: attamen illud fatendum, vnius eiuſdemque literæ non vnam eandemque vbiq; vim eſſe: ſed quamnam hoc aut illo loco habeat, à circũſtantiis petendum, prout etiam ſuprà c. 1. q. 2. ad 5. de phraſis alicuius ſententia dicere memini. Hoc ergo, de quo iam quæſtio eſt, elementum *Iod* pronominis quandoque vicem fungitur. & ſic Abrahæ coniugis dignitatem amplificare cùm vellet Deus, *Non*, aiebat, *volo eam vocari amplius Sarai*, id eſt, *principem meam*, ſed infinitè ſiue abſolutè, *Saram*, id eſt, *Principem*. Hoc enim illo maius multo, cum ſeruorum ancillarumque quælibet dicere poſſit *dominam ſuam*, *Sarai*, id eſt, *principem meam*: at non præciſè & abſque coarctatione, *Saram*, id eſt, *principem*. Alias idem *Iod* paragogicum eſt, vt ab Hebræorum Grammaticis notatur, aliàs meioticon ſiue imminutiuum, vt in *Aminõ*. Licet igitur iis adſtipulari, qui ex ſacro illo nomine magnum quid & fauſtum, quãdamq; diuinitatis & æternitatis delibationem Ioſuæ tributam ſignificari exiſtimant. Hæc enim elementi huius ad prius nomen acceſſio, neq; fruſtra facta eſt, neq; in vituperationem, ſed in laudẽ & gloriam. Adq; id mihi etiam aſſerere videtur Rupertus c. 13. in Ioſue, & ante ipſum loco citato S. Hieronymus, dum ait: *Oſee lingua noſtra ſaluatorem ſonat, quod nomen habuit etiam Ioſue filius Nun, antequam ei à Deo vocabulum mutaretur: & additum eſt eius nomini, dominus, vt Saluator Domini diceretur.* Quomodo priori Oſeæ nomini, ſecundum ſanctum iſtum Patrem additum eſt *Dominus*? Quomodo ex Saluatore tantummodo, factus eſt *Saluator Domini*? ſanè non aliter quàm quod princeps nominis illius tetragrammati litera, quod vt Exod. 6. propoſui, ferè ſemper à noſtro Interprete & 70. *Dominus* verti ſolet, vetuſto illi nomini præpoſita eſt. & etiamnum hodie apud Rabbinos duæ iſtæ literæ יי *Dominum Deum* quandoque ſignificant. Si quis tamen vellet, opinari etiam queat, D. Hieronymo viſum eſſe, per literæ huius acceſſum, acceſſiſſe notam & ſignificationem nominis יה, quod etiam non raro κύριος, & Dominus verti ſolet, vt Pſal. 117. ter aut quater. Dicitur autem *Domini Saluator*, non quòd Dominum ſaluet, ſed quòd per eum, ſaluet Dominus.

Addo verò adhuc quatuor. *Primum* eſt, diuino inſtinctu & prophetiâ id factum, vt non re tantùm, ſed ipſo etiam nomine veri Saluatoris, noſtrique Domini Iesv Christi figura, expreſſiſſimuſque typus foret *Ioſue*. qua de re poſtea vberius q. 6. *Alterum*. *Iod* eſt Hebraicarum literarum omnium minima, vt apud Lucianum dialog. *de iudicio vocalium* traditur, aſpectu-

que ipſo probatur, & deſignat minimam, viliſſimamq; naturam noſtram, quā, vt ſaluaret nos, aſſumſit IESVS CHRISTVS Dominus noſter. Lepide verò potiùs, quàm verè apologum de minimæ huius literæ ad hoc nomen adiunctione ſcripſerunt Iudæorum Rabbini in Thalmud Hieroſolymitano, *Seder* 2. Tractatu *Sanhedrin*, c. 9. Tom. 2. f. 20. colum. 3. Fingunt enim ipſum Iod apud Dei tribunal queri, quòd malè admodum habeatur. Fuiſſe olim ſe in nomine *Sarai*, nunc per ſummam ſe iniuriam exturbatum. Salamonem ex eo, quod ſcriptum eſt Deuter. 17. *Rex non multiplicabit ſibi vxores* לא ירבה detraxiſſe *Iod*, & feciſſe לו ירבה id eſt, ſibi multiplicabit vxores. Reſpondet verò ipſi ſummus Iudex tria. *Primum*. Fuiſſe ipſum in fœminæ nomine, ſed fore deinceps in viri, & viri ſummi *Ioſuæ* ſcilicet vocabulo. *Secundum*. Fuiſſe olim in fine, fore nunc in principio. *Tertium*. Iod valere quidem numerum denarium, ſed in Sarah & in Abraham eum compenſari acceſſione duplicis ה. ה. quæ bis quinque ſunt. D. Epiphanius hæreſi 8. p. 14. Gr. tribus infimis lineis docet *Iod* ſignificare decimas, quæ erant ſymbolum ſeu typus IESV. cuius prima litera eſt *Iod*. *Tertium*. Ita *Iod* iſtud ad prius Oſeæ nomen acceſſit, vt nullam eius literam extruderet, nihil adimeret, ſed è literis ſuis integrum nomen relinqueret. Noſtra quoque natura eo modo diuinæ hypoſtaſi & naturæ vnita eſt, vt iſtā nihil immutaret, ei nihil penitus auferret: ſed illā retinuit integrā Dominus noſter, noſtramq; ſimul aſciuit. In ſono quidem, qui vocalibus efferri, & hodie apud Hebræos punctis exprimi ſolet, mutatum aliquid videtur. (Nam olim *Oſea* poſtea *Iehoſua* dictum eſt) niſi Abulenſi quis accedere vellet, de quo ſuprà. Sed eo ipſo ſignificatur ea mutatio, quæ in IESV CHRISTO è duabus illis naturis iam quadantenus compoſito facta eſt, dum, ob nouæ naturæ acceſſionem, naſcitur Deus, adoleſcit, ambulat, famet, ſitit, moritur. *Quartum*. Sit quamuis *Iod* literarum minima, eſt apud Hebræos tamen, Syrios & Chaldæos, illarum omnium fons & origo, è qua componuntur ipſæ ac efformantur, vt in libro de literis Phœnicum, oſtendit Poſtellus. Et humanitas noſtra, ſit licet ipſa vilis, quando tamen Oſeæ ipſi & Saluatori Deo copulata eſt, creaturarum omnium caput effecta eſt, à qua pendeant Angeli, & omnia, quæ facta in cœlo & in terra. Quid, quòd *Iod*, futuri etiam characteriſtica eſt? vt iſte Ioſue ſalutem allaturus ſignificaretur, & futuri veri Ioſuæ ſeu Saluatoris typus intelligeretur? ille verò ita eſſet verus Saluator, vt veram tamen ſalutem ab eo in futuro potius ſæculo expectare oporteat: De ipſo enim dicit in futuro Angelus Matth. 1. v. 21. *Ipſe ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum*. Sed de his, ſuum eſto cuilibet iudicium.

Q. VI. *Quando facta nominis hæc mutatio?*

SCRIBITVR ea mutatio pauciſſimis à Moyſe Num. 13. eo tempore, cùm in Chananæam exploratores ipſe mitteret. Sed fuiſſe iam antea factam, probari videtur ex iis locis, vbi ante illud tempus, *Ioſue* ſemper *Ioſue*, nuſquam verò *Oſee* vocatur. Exodi. 17. 24. 32. 33. Numeri. 11. Opiniones ſunt tres. *Prima*, factam eſſe hanc mutationem, cum exploratorum legatio illa inſti-
A tueretur. ideoque antea per anticipationem *Ioſuam* vocatum. Cùm enim Exodi, Numerorumque libri, poſt res prope omnes in Ægypto & deſerto geſtas, ſcripti ſint, poſſunt, in rerum geſtarum narratione, vti nominibus, quæ poſteriùs erant impoſita. Ita quæſtione 55. Anaſtaſius Nicænus, Iuſtinus contra Tryphonem, D. Auguſtinus lib. 16. contra Fauſtum cap. 19. Thoſtatus & Oleaſter. *Secunda* opinio ipſius Origenis homil. 1. in Ioſue, poſt reditum ex iſta lega-
B tione ita vocatum fuiſſe, cùm tumultuantes, mœrentes, deſperantes, monendo & exhortando, ipſe compeſceret, conſolaretur, erigeret. *Tertia*. Ab Oleaſtro indicata, & ab origine approbata homil. 11. in Exod. D. Auguſtino ſerm. 93. de tempore, Theodoreto quæſtione 34. in Exod. iam olim, cùm primò aduerſus Amalecitas bellum geſturus mitteretur, id nominis ſortitum. Et videtur id veritati magis conſentaneum. Quemadmodum ſcriptura non vocauit *Abraham* priuſquam ille hoc à Deo nomen
C accepit, ſed ſemper *Abram* tam in Hebræo & Græco, quàm Latino textu, ita etiam non *Ioſue*, ſed *Oſee* vocaſſet. Quid enim anticipatione illa opus fuiſſet? Congruitque iſta ſententia rectè iis, quæ de pulcherrimo IESV noſtri typo notauit eadem homil. Origenes, dum ait: IESV *nomen primò inuenio in Exodo, & volo intueri quandò primo nomen* IESV *cognominatur. Venit, inquit, Amalech craſtino. Moſes confitetur non poſſe & expugnabat Iſrael, & dixit Moyſes ad Ieſum in Raphidim. Hæc eſt prima appellatio Ieſu. Elige, inquit, tibi viros potentes ex omnibus filiis Iſrael, & egredere*
D *& confligé cum Amalech craſtino. Moſes confitetur non poſſe ſe exercitum ducere, confitetur ſe non poſſe obtinere, quamuis eum de terra Ægypti eduxerit: & ideo, inquit, vocauit Ieſum, & dixit, elige tibi viros, & egredere. Vides cui bellum gerere ceſſerit aduerſus Amalech. In hoc primo nomen diſcimus, vbi eum primò videmus ducem exercitus: non cui Moyſes iniunxerit principatum, ſed cui ceſſerit principatum. Non poteſt Moyſes eligere viros potentes, Tu, inquit, elige tibi viros potentes ex omnibus filiis Iſrael. Et fa-*
E *ctum eſt, cùm extolleret manus ſuas, inualeſcebat Iſrael: Cùm deiiceret manus ſuas, inualeſcebat Amalech. Tunc ergo inualeſcit Ieſus magis, & tunc vincit, quando Moyſes erigit manus ſuas. Victus autem eſt populus ille ab Amalech, quoniam iam non erigebat manus ſuas, ſed erant demiſſæ deorſum. Illi ſunt enim, quibus dicitur, Si crederetis Moyſi, crederetis vtique & mihi, & ecce vultis me occidere, qui legem non facitis. Ceſſante namque lege apud illos, & operibus legis, qui dum ſuam iuſtitiam quærunt ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti, demiſſæ ſunt ma-*
F *nus Moyſi, inualuit incredulitas, vincitur populus.* Ideoque poſſet Numerorum textus ex Hebræo & Græco verti ſic. *Vocaueruntque Moyſes Oſee filium Nun, Ioſue.* Lactantius lib. 4. cap. 17. CHRISTI *figuram gerebat ille Ieſus, qui cùm primùm Auſes vocaretur, Moyſes futura præſentiens, iuſſit eum* IESVM *vocari, vt quoniam dux militiæ delectus eſſet aduerſus Amalech, qui oppugnabat filios Iſrael, & aduerſarium debellaret, per nominis figuram & populum in terram promiſſionis induceret. Et idcirco etiam Moyſi ſucceſſit, vt oſtenderet nouam le-*

gem

gem per CHRISTVM IESVM *datam veteri legi ſucceſſuram, quæ data per Moſen fuit.* Tertullianus aduerſus Iudæos: *Dum Moyſi ſucceſſor deſtinaretur Auſes filius Naue, trãſfertur certè de priſtino nomine: incipit vocari* IESVS. *Nam prius dicimus figuram futuri fuiſſe. Nam quia* IESVS CHRISTVS *ſecundum populum, quod ſumus nos, nationes in ſæculo deſerto commorantes antea, introducturus eſſet in terram repromiſſionis melle & lacte manantem, id eſt, in vitæ æternæ poſſeſſionem, qua nihil dulcius: idque non per Moyſen, id eſt, non per legis diſciplinam, ſed per* IESVM, *id eſt, per nouæ legis gratiam prouenire habebat circumciſis nobis petrina acie, id eſt,* CHRISTI *præceptis, (Petra enim* CHRISTVS *multis modis & figuris prædicatus eſt) ideo is vir, qui in huius ſacramenti imagines parabatur, etiam dominici nominis inaugurãtus eſt figura, vt* IESVS *nominaretur.* Iterumque poſtea: IESVS *ob nominis ſui futurum ſacramentum, id ei nomen ſuum confirmauit, quod ipſe ei indiderat. quia non Angelum, nec Auſen, ſed Ieſum eum iuſſerat exinde vocari.*

Q. VII. *An Ioſue rectè à quibuſdam Auſes vocetur?*

IN recognitionibus Clementis næuos quoſdam notat, qui cum ſuis quibuſdam notis illas edidit, Lambertus Gruterus, & quartum næuum hunc tradit, quod *Ioſuam* illæ *Auſem* vocent. Addit tamen, *niſi fuerit binominis, aut ipſius epitheton, ac tunc fortaſsis Amſi nomen viri apud Nehemiam c. 11. quod fortem robuſtúmque ſignificet.* Sed in meridie id caligare eſt. Nam prius illud *Ioſua* nomen, Oſeam ſcilicet, vertunt ipſi Septuaginta Num. 13. τὸν αὐσῆ *Auſe.* Vnde vt ad Græcam Latinamque nominum formam accederet propiùs, factus *Auſes*, eo modo, quo dicitur *Anchiſes*. Sicque non Græci tantùm Patres, vt loco citato Origenes, & Cyrillus; ſed Latini etiam loquuntur, vt lib. contra Iudæos c. 9. Tertullianus, & l. 3. contra Marc. *Aſt Ieſus Naue filius, Auſes ante vocatus.* S. tamen Hieronymus loco ſæpius citato: *Malè*, inquit, *in Græcis codicibus & Latinis, legitur Auſe pro Oſee.* Verùm vna hic ex eodem ipſo D. Hieronymo in epiſtola de Melchiſedech ad Euagrium regula, quæ ad plurima vtilis eſt; ponenda. *Vocalibus*, ait, *literis perraro vtuntur Hebræi, & pro voluntate Lectorum atque varietate regionũ, eadem verba diuerſis ſonis atque accentibus proferuntur.* Nunc igitur quia in Auſe duæ ſunt ſyllabæ, aut de priore, aut de poſteriore lis eſt. De *priore* dico *primò*, quæ apud Hebræos aſpirantur, eam ſæpiſſime à Græcis & Latinis, maioris ſuauitatis causâ, leniùs efferri, vti etiam monet in vita ſua Ioſephus. *Deinde*, quæ à nobis in Hebræo legitur *ho*, à quibuſdam pronunciatam αὐ vel ω, vt in *Moſe* dicebam Exod. c. 2. & terra *Hus* à 70. dicitur *Auſitis* Iob 1. & patet apud Syros, quibus *Ioſeph Iauſeph* eſt, vt in Syriaco teſtamento ſemper ſcribitur Matth. 1. & alibi. Mendum tamen in Anaſtaſij Nicæni quæſtione 55. cùm *Nauſes dicitur*. De *poſteriore* verò ſyllaba non ita multo poſt dicã. Obſeruabis verò apud Herodotum lib. 4. populos Africæ quoſdam eſſe, qui vocentur Μάχλυες, & Αὐσέες, quorum illi ſolum occiput, hi ſolum ſinciput comati.

Q. VIII. *An Iehoſua idem apud Hebræos quod Ieſua?*

IN harmonia ſua Euangelica, dum inſulſiſſimam illam, de qua poſtea, IESV nominis originationem profert hæreticus Andreas Hoſiander, de *Iehoſua* ſemper de *Ieſua* nunquam omnino pugnat: ita vt duo iſta eadem prorſus eſſe, vel negaſſe, vel ignoraſſe potius videatur. Ecce tamen clariſſima è ſcripturis ipſis lux. Haggæi cap. 1. v. 1. filius Ioſedeci Pontifex maximus vocatur in Hebræo *Iehoſua*, & poſtea ſemper tam in eodem Propheta verſ. 12. & 14. & c. 2. v. 3. quàm in Zacharia cap. 2. verſ. 1. 3. & 8. Sed Ezræ 3. v. 2. idem eſt *Ieſua*, & verſ. 9. cap. 10. 18. Nehem. c. 12. v. 26. Idemque nomen legi poteſt Eſd. c. 2. v. 36. & 40. 2. Paralip. 31. v. 15. vbi noſter Interpres ipſum et nomen retinuit, niſi quod pro litera vltima reponit *e*, de qua ſequente quæſtiuncula. Videri queat capite 1. de locis noui teſtamenti, Caninius & Carbaiala lib. de inſtit. Theol. c. 36.

Q. IX. *An Iehoſua rectè dicatur Ioſue?*

NOVATORES in ore, ſuiſque verſionibus habent non infrequenter *Ioſua*. Lutherus quidem in Germanica, Caſtalio in Latina. Sed Interpreti Latino *Iehoſua*, vel *Ioſua*, nunquam, ſæpe verò *Ioſue*, interdũ etiam *Ieſus*, vti & in Græcis eſt, de quo poſtea. Et *Ioſue* quidem in Patrum, Scriptorum, Eccleſiarumque omnium vſu celebratus eſt, vt quin rectè iſto modo vocatus ſit; ambigi nihil poſſit. Cauſa tamen explicanda. Solent Hebræi etiam hodie, cùm ſuum illud ſcena ſubſcribunt, ita raptim primam illam ſyllabam proferre, vt ex ea & ſecunda vnam tantùm efficere videantur, vt *Ihoſua* ſit, in quo tamen & aſpirationem libenter, vt ſuprà dictum, deterunt Græci & Latini. Sicque etiam ex Iehuda *Ihuda*, & *Iuda*. Sed poſtrema tandem litera, quæ iiſdem Hebræis *hain* eſt, cur in *e* mutata? Reſpondẽdum literam *hain* pronunciatu eſſe difficillimam non nobis tantùm, ſed ipſis etiam Hebræis & Syris, prout in *Tisbi* teſtatur Elias, & ſequente rurſum quæſtione repetetur. Ideoque in ea maxime fit, quod S. Hieronymi regula, quæ quæſtione 7. poſita eſt, aiebat, vt à variis varie, pro locorum temporumque varietate, proferatur & ſcribatur. Videtur porro interdum prolata quaſi *e*, & exinde nobis *Ioſue*, *Berſabee*, *Sue*, *Bale*, *Oſee*, vt rectè in quinquagena cap. 23. notauit Antonius Nebriſſenſis. Quin & apud Euſebium lib. 6. Hiſtor. cap. 25. in Græco liber hic vocatur ἰωσῆ. Ideoque nimium nouitatis & vanitatis apparet ſtudium, ſi *Ioſue* horreatur, & *Ioſua* tantùm dicatur; præſertim cùm è ſcripturis *Ieſua* ſaltem dici potuiſſet, qui tamen, vt anteà etiam notatum, eandem ob cauſam, *Ioſue* à noſtro Interprete dicitur. Improbauit tamen hac in re Luthericam, Caſtalioniamque temeritatem Caluiniana frons, cui & in Gallicis Bibliis retinetur *Ioſue*.

Q. X. *Sit ne idem nomẽ Ioſue, & Ieſus?*

NEGANT id triplicis generis homines. *Primi* ſunt quibus videtur duci IESVS ἀπὸ τοῦ ἰᾶσθαι, Ionicè ἰήσασθαι, id eſt mederi. Epiphanius hæreſ. 29. S. Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 10. iſtudque fortaſſis voluit etiam S. Bernardus, cùm de IESV medico agit ſermone 6. in Vigilia Natiuitatis, & clare affirmat Moſcopulus *de ſchedis*. *Alteri* ſunt Galatinus lib. 3. cap. 20. Pagninus in Hæbraicarum nominum interpretatione, Ianſenius Concordiæ cap. 7. qui *Iehoſuam* interpretatur DEVS *ſaluabit*, aut *Deus ſalus*. Præter hos *tertius* eſt antea citatus è Nouatorum turba Oſiander: & è Catholicis quidam apud Alphonſum Mendozam quæſt. 10. poſitiua. Voluit enim ipſum IESV nomen ab Hebræo duci tetragrammato, vel potius idem cum illo eſſe,

Digitized by Google

quaſi foret *Iehesuh*. Sed refutantur omnes clariſſime, *primò* quidem ex Græco textu, qui toto hoc libro, & aliis in locis tam multis, vbi Hebraicum *Iehoſua*, vel *Ieſua* eſt, ſemper *Ieſum* vertit: Semel *ἰησοῦ* 1. Paralipom. 7. verſ. 27. Noſter verò interdum *Ioſue*, vel *Ieſue*, crebrò etiam *Ieſum*, vt Abacuc. 3. Haggæi 1. & 2. Zachar. 3. & Eſd. 2. verſ. 2. cap. 3. verſ. 2. Nehem. 12. Eccleſiaſt. 46. 1. Machabæor. 2. & lib. 2. cap. 12. Deinde Matth. 1. verſ. 21. ait Angelus, *Vocabis nomen eius* IESVM. Quid ita? *Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuũ*. Prorſus in *Iehoſua* ſeu *Ioſua* nomen, & *ſalutis* radicem digitum intendit, quemadmodum ſi de quopiam diceretur: *Doctor vocabitur. Ipſe enim alios docebit. Rex dicitur, quia reget. Iudex nominetur: nam iudicabit.* Idemque docet ipſemet Ieſus Sirach Eccleſiaſt. 46. verſ. 1. dum dicit: *Ieſue magnus ſecundum nomen ſuum in ſalutem* ſiue & Græce eſt: IESVS *fuit ſecundum nomen ſuum magnus propter ſalutem electorum ipſius.* Adderem etiam Origenem, D. Hier. Theophylactum in Matth. Iuſtinum Apol. 2. pro Chriſtianis, Damaſcenum lib. 1. c. 12. & aliorum Patrum, omniumque Doctorum agmina. Sed qui Angelo non credit, homines quid vereatur? In Claudiano Gentili alioquin, vt à D. Auguſtino lib. 5. de ciuit. Dei accepimus; Poëta, eſt contra varios Poëtas epigramma, in quo ſic:

Regnantem Dominum iam lingua fatetur IESVM
Nomine quo fundata ſalus ſtat noſtra, fideſque
Nititur, æterna tendens in ſæcula vita.

Non eſt tamen ſilentio prætereundum, vocem illam, quam finxit Oſiander, *Iehesuh*, eſſe ineptiſſimam. Nam non fert orthographica Hebræorum ratio, vt cùm deſinit in *he* dictio aliqua, prægrediatur, *vau ſchurek*, adeo vt quæ apud illos in *he* dicuntur quieſcere, hoc ipſum quandoque in *Iod* commutent. Addit loco citato Caninius, alia re, quæ nomini adeſſe inprimis debet, adhuc vocem iſtam carituram, ſignificatione ſcilicet. Oportebit enim ישוח à שוח oriri, quod in Hebraica lingua verbum omnino nullum eſt. Satis tamen id firmũ non arbitror. quia vſitatiſſimum Hebræorum *Ieſeb* ſiue *eſt*, & alia quæ ab ישו ſunt. Quod ſi hoc non vſitatum dicat Caninius, idem & de ipſo ישע audiet. Satis omnino ſunt ad Nouatoris commentum hoc explodendum, quæ allata ſunt alia, præſertim cùm ne vnam quidem, in qua ponderis aliquid ſit, rationem afferat. *Prima* eſt: In libris quibuſdam ſcribi tantummodo. ישו At ſi à *ſalute* foret, nullo eſſet pacto ferendum detrahi ע vltimum. At in Thalmudicis Iudæorum libris tantummodo ita ſcribitur. Ita eſt. Attamen idipſum fieri male, fatetur & docet ipſemet Iudæus Aben Ezra præfatione in Geneſin, itemque Rabbinus alius, Elias in Thiſbi dicens. IESV *dicunt Chriſtiani eſſe ſuum Meſſiam. Vocatus eſt* ישו *ex præcepto Angeli Gabrielis* ישועהו id eſt, *quia ſaluaturus eſſet mundum vniuerſum à gehenna.* Vidén quàm perſpicue propoſitam ſalutis radicem, indicent, meliuſque intelligãt Iudæi, quàm hæreticus Oſiander.

Duæ tamen *cauſę* ſunt, cùr abſque *hain* ſcribere voluerint impij Thalmudici. *Vna* eſt, quòd Saluatorem ſuum IESVM CHRISTVM Dominum noſtrum non agnoſcant: eique tam nobile nomen inuideant, vt idem fatetur Elias. *Altera* quòd eum imitati ſonum ſunt, quem Chriſtiani quibuſcum habitant, efferendo nomine hoc, edunt. Non enim Hebraicum illud *Ieſchua* ſonant, ſed *Ieſu* vel *Iezus*, inquit idem Rabbinus Elias, qui & cauſam ſuprà quæſt. 9. *tertiam* ſubdit, *quod hain difficillimæ pronuntiationis ſit.* Vnde & hunc ex Aben Ezra laudat canonem. *Quiſquis lectionem ipſius chet & hain in prima ætate non didicerit, eas literas nunquam tota vita ſua pronunciare poterit.* Et ſane ob hanc ipſam cauſam iidem Thalmudici, & Syri literam eandem in aliis etiam nominibus, in quibus vel odij & impietatis, vel Chriſtianorum imitationis ratio nulla eſt; omittunt. Dicunt enim pro *ſchaba, ſab*, id eſt, ſeptem, pro *Ketia Keti*, id eſt, abſciſſus: pro *thereheſar*, vel *baſar, thereſar*, id eſt duodecim. quo nomine librũ Minorum Prophetarum, quia ij Prophetæ XII. appellant, vt in Galeato Prologo ſanctus oſtendit Hieronymus: pro *arba aſer, arbiſar*, id eſt quatuordecim. Pro *Bebal, Bel*, id eſt Belus, hancque cauſam vnam dant Genebrardus in Iſagoge ſua Rabbini cap. 37. & Chaldææ Merceri, aut Druſij Tabulæ in principio. *Altera* tamen Oſiandri ratio eſt, ſi eſſet *Ieſus Iehoſua*, potius interpretandus eſſet *ſaluandus*, quàm *Saluator*. Sed loquitur ita homo imprudens, quaſi vel *Iehoſua*, vel *Ioſua* eſſent participia, quæ *peoulim* vocantur, cùm nomina propria ſint, & prius illud ne participiorum quidem principia habeat, quod alioquin eſſet *Iaſchiah*, vel potius *mouſchiah*, ſicuti & *Mochia*, qui ſaluat in lib. Iudicum, vt ibi dicetur. *Tertia*, ſcribitur *Ieſu* apud Arabes biſyllabum *Iſa* ſcilicet. vel vt in libro CHRISTI zelo ſcribitur *Iee*. Quid tum quæſo? Etiã apud nos cùm Græce non pronunciamus, IESV diſyllabum eſt. Similiterque, *Ieſua* apud Hebræos, qui pronunciare laborant accuratiùs, vti vel ex cap. 2. pag. 1. Bellarmini Grammaticæ diſcitur. Neque verò illud quod in Arabico Turcarum Alcorano biſyllabum nomen eſt, ad rem quidquam facit, cùm per *hain* illic initio ſcribatur, vti etiam Baiazetis filius *Sultan Iſa* in *Iuchaſin*, & Scaligero lib. 2. Iſagog. p. 149. certumque ſit, multa in Alcorano ſcribi, legique deprauatiſſima, vt pro *Eſau, Beelzebub*, & *Euangelio, Eles, Iblis & Engil.* In Arabicis libris aliis frequens per *hain Iaſue*, vti monet loco indicato Caninius. Nulla igitur Nouatori vllius momenti ratio.

Sed de citato in opinione prima S. Epiphanio norit Lector, eum propter Græci verbi ſimilitudinem, à medicina quidem IESVM duxiſſe: prout & alij ab Syro *aſa*, quod itidem ſanare ſignificat: ſicuti etiam quidam *Cepham κεφαλὴν*, quòd Eccleſiæ *caput* ſit S. Petrus: dixerunt: & *ἱερὸν λυμά* quaſi ſacram Solymam Euſebius & Egeſippus: nequaquam tamen verum, quod ab Angelo traditum, & hic expoſitum eſt: etymon negaſſe, ſed ipſum etiam adiunxiſſe, prout contra Ioſephum Scaligerum docui lib. 3. Trihæreſij c. 1. & lib. 5. Minerualis c. 1. Eandem illam nominum alluſionem intuitus eſt S. Cyrillus. Sed Angelicam ſemper etymologiam tenuiſſe videtur S. Bernardus, qui & ſerm. 1. in Vigilia Natiuitatis, *Quare*, ait, *vocabis nomen eius* IESVM, *niſi quia ipſe ſaluum faciet populum à peccatis eorum? Excedit pietas* IESV *omnem peccatorum quantitatem, ſeu numeroſitatem.* Videatur & S. Auguſt. ſerm. 8. de verbis Apoſtoli

Apoſtoli c. 6. & 7. Neque obſtat, quòd IESVM dixerit S. Bernardus, *Medicum*. Id enim ex operibus, non ex nomine IESV affirmatum: aut ſi ex nomine, non ex eius etymologia, ſed ex ſignificatione. quia & Medicorum eſt, *ſalutem* curare, corporaque *ſaluare*. Vnde l. 7. c. 25. Cæſarius ex Eccleſiaſt. c. 38. *Altiſſimus de terra creauit medicinam, id eſt ex carne Virginis* MARIÆ, *Saluatorem*. IESVS *interpretatur* Saluator, *ſiue ſalutare, quia Saluator medicus eſt, & ſalutare medicina*. Sed quid eſt, quod Euſebius lib. 4. Demonſt. c. vlt. *Ieſum* aut *Ioſue*, non ſimpliciter *Saluatorem & ſalutem*, ſed σωτήριον θεοῦ, id eſt, *ſalutem Dei* ſignificare inquit? Reſpondeo, videri eos putaſſe duas in iſto nomine coaluiſſe voces *ieſcha*, id eſt, *ſalutem* & *Iah* vel *Iehouah*, quem per ἰάω exprimebant, vt ex Theodoreto intelligitur q. 15. in Exod. Indeque vel corrigendus vel intelligendus Theophylactus in Matth. 1. & Moſcopulus *de ſchedis*, cum dicere videntur ab ἰάω venire IESVM, quòd apud Hebræos σωτηρία ſignificet iſta ἰάω vox.

Q. XI. *Quomodo ex Hebræo factum nomen Ieſus?*

MODI huius explicationem deſperare videtur in Matth. 1. Maldonatus, cum ait, *Septuaginta Hebraicum vocabulum ad Græcam vt potuerunt, aut vt ſciuerunt, formam reduxerunt*: Sed animoſior eſt, qui ſcribit in hæc verba c. 23. Quinquagenæ ſuæ Antonius Nebriſſenſis: *Septuaginta interpretes, qui primi ſacras literas ex Hebræo in Græcum ſermonem vertere ſunt auſi, ex Iehoſua* Ἰησοῦν *fecere expuncta videlicet he litera, cum apice holem, quod & aliis compluribus in locis fecerunt, præcipuè in tribus illis literis, quæ ſunt Græcis & Latinis omnino incognitæ* ע,ח,ה, *quas aliquando retentis apicibus, aliquando cum ſuis apicibus diſpunxerunt, id quod diſcurrentibus per nomina ſacra Scripturæ licet videre. Sed cur Græci huic particulæ terminationem in* ους *ſyllabam per* ου *diphtongum dederint, atque in eadem accentum circumflexum collocarint, non potui reperire quenquam, qui mihi diceret. Sed cum Græci nunquam circumflectant vltimas dictionum ſyllabas, niſi ſint contractæ ex ſynæreſi, neque ex quacunque ſynæreſi, ſed ex ea tantum, quæ fit ex acuta & graui, cœpi inquirere, an eiuſmodi eſſent in Hebræo ſyllabæ, quæ poſſent per ſynæreſin in vnam ſyllabam coagmentari. id quod manifeſtè deprehenſum eſt, cum in Iehoſua in penultima ſit accentus acutus, & in vltima grauis, ex quibus contractis coaleſcit ſyllaba, in qua deſiderat accentus circũflexus collocari*. At dictũ antea, quas doctus iſte vir duas in Iehoſua facit ſyllabas, vnicam tantũ eſſe. Ideoq; veriùs faciliuſq; dicemus immediatè nõ ex *Iehoſua*, ſed ex *Ieſua* IESVM factum eſſe. Hoc vnum idemque valere cum illis viderunt 70. vt ſuprà oſtenſum: & quia ſine aſpiratione in principio lenius erat, difficillimam illam gutturalem vltimam, de qua iam actum ſæpius, in *s* mutarunt, & vt de gutture vim adhuc aliquam haberet, circumflexerunt, ſicq; ex diſſyllabo *Ieſua*, diſſyllabum, aut, cum Græciore modo efferimus, triſyllabum IESVS extitit. Firmant etiam hoc Syriaci Euangeliſtæ, & Apoſtoli. apud quos ſcriptum ſemper *Ieſchua*. Sic 1. Eſd. ca. 2. verſ. 2. *Ieſua* & verſ. 36. vbi noſter vertit *Ieſue*, 70. Ἰησοῖ v. 40. Ἰησοῦ. Quin & dicere liceret olim fuiſſe viſitatam in hoc nomine apocopen, de qua ſupra q. 10. ad 2. Oſiandri rationem in cauſa tertia, & ſic ex Ieſu Hebræo & Syro eſſet Græcè & Latinè IESVS. Cur verò apud Latinos quandoque ſcribatur hoc nomen ſic IHESVS, dixi notatione in *S. Bonifacij* epiſtolas generali VII. ex V. Bedæ libro de Muſica. Citat verò in ſuis pietatis exercitamentis VVicelius Codices MS. in quibus ſcriptum ſit HIESVS. Sed vt ego quidem reor, parum bene. Compendiaria verò ſcriptura fuit hæc $\overline{IH}$, qua ad 318. illos, quibuſcum, de quinque Regibus, triumphauit Abraham, myſticè notandos vtebantur ſic: $\overline{IH}$. Vnde Prudentius: *Si quid trecenti, bis nouenis additis Poſſint, figura nouerimus myſtica.*

Q. XII. *Sitne hoc Ieſu nomen ſuper omne nomen?*

ASSERVNT multi ex D. Paulo ad Philipp. 2. Sed videtur nonnullis, à D. Paulo ibi *nomen* ſumi pro laude & gloria, vt ſententia ſit, ob ſummam dignitatem ipſi CHRISTO à Domino Deo laudem & gloriam datam, quæ omni aliâ maior & excellentior ſit. Et firmari poſſe videtur ex eo, quod iſtud IESV nomen ei datum non ſit, poſtquam fuit *obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis*, ſed multo ante, poſt ipſius ſcilicet ortum, die octauo, Luc. 2. 21. imo *priuſquam in vtero conciperetur* Luc. 1. 31. Alijs quibuſdam videtur nihil aliud apud Apoſtolum, eſſe IESV *nomen*, quam ipſummet IESVM. ita vt per nomen non vox IESVS, ſed per metonymiam figuram *res ipſa*, ſcilicet CHRISTVS intelligatur, inquit Vaſquezius noſter lib. 2. de ador. diſp. 8. cap. 10. Multo tamen videtur probabilius, de ipſo IESV nomine ac voce S. Paulum loqui. Primò quia verſ. 10. ipſemet quid per *nomen*, & quodnam nomen intelligat, exponit, *vt in nomine* IESV *omne flectatur genu cœleſtium, & terreſtrium, & infernorum*. Nam & in Græco cum articuli adiunctione adhuc clarius, ἵνα ἐν τῷ ὀνόματι ΙΗΣΟΥ, *vt in hoc nomine* IESV, id eſt, audita perceptaque voce, flectant omnes genua, IESVMque ipſum honorent. Quemadmodum vero per *nomen* cum dicitur, *dedit illi nomen*, non poteſt ipſe CHRISTVS intelligi (alioqui CHRISTVM CHRISTO dediſſet DEVS) ita neque cum dicitur, *in nomine* IESV. Vtrobique ſiquidem eadem *nominis* accipitur ſignificatio. Quod & paulo poſt, ibidem, fatetur bene fieri citatus Vaſquezius. *Secundo*: quia perſpicuè ſignificat Apoſtolus ſe de certo *nomine* loqui, quando alludit ad hominum illum morem, quo, dum viri magni nominibus propriis nominantur, ſolent ijs honorem habere, caput aperiendo, caput inclinando, genua flectendo. Ita enim apud Senecam legimus epiſtola 65. *Quidni ego magnorum virorum imagines habeam, incitamenta animi, & natales celebrem? Quidni illos honoris cauſa, ſemper appellem? Quam venerationem Præceptoribus meis debeo, eandem illis Præceptoribus generis humani, à quibus tanti boni initia fluxerunt. Si conſulem videro, aut Prætorem, omnia, quibus honor haberi ſolet, faciam, equo deſiliam, caput adaperiam, ſemita cedam. Quid ergo Marcum Catonem vtrumque, & Lælium ſapientem & Socratem cum Platone, & Zenonem Cleanthemque in animum meum ſine dignatione ſumma recipiam? Ego verò illos veneror, & tantis nominibus ſemper aſſurgo*. Iam tertio celebritatem & gloriam maximam ipſius CHRISTI Domini an non optimè indicauit Apoſtolus, quando proprium eius nomen tanto in honore futurum dixit, vt eo audito, genu flectant, non qui in terra tantum ſunt *mortales*: ſed & qui in cœlo

immortales, etiam *Angeli*, etiam qui apud inferos, vt ſunt vel *in purgatorio* animi, vel ſecundum S. Chryſoſtomum in eam epiſtolam homil. 7. Theophyl. & Hugonem, quæſtione 6. *Dæmones* & damnati, vt etiam confirmat Tom. 1. in circumciſione Domini conc. 1. Oſorius. Vnde & ſequitur verſ. 11. *& omnis lingua confiteatur, quia Dominus* IESVS CHRISTVS *in gloria eſt Dei Patris. Quartò.* Idipſum & ab euentis perſpicuum. Nam ſummo apud Chriſtianos omnes in precio id nomen eſt, vti ſub finem quæſt. 6. in Exod. 20. notat Abulenſis: cum inſigni quadam religione & veneratione id animo voluitur, & ore profertur: id cum capitis adapertione, & poplitum flexione, vel alio honoris indicio auditur: id in periculis & caſibus aduerſis, omniū maximè, à magnis & paruis, doctis & indoctis inuocatur: id à Clemente VII. apud Molanum, Ianuarij die 15. feſta celebritate ornatū: id Miſſa propria, piiſq; litaniis religiosè cohoneſtatum: id elegantiſſimè in libris, parietibus, & tẽplis fingitur, in lapidibus, columnis, & numiſmatibus magnificentiſſimè ſcalpitur, ſplendidiſſimis radiis circūdatur: idq; non apud Catholicos tantùm, ſed, quod diuina quædam vel inuitis & repugnantibus vis extorquet, apud Iconomachos Caluiniſtas, & quidem apud illum ipſum Bezam, qui de hoc nomine locum iſtum intelligendum in ſuis ad Philippenſes Annotationibus negat. Cudunt etiam *Geneuenſes* nummum aureum, in quo radiis vndique illuſtriſſimis cingitur & colluſtratur nomen hoc. *Quinto.* Certum eſt, nomen hoc eſſe omnibus omnium hominum & Angelorum nominibus præſtantius, quia *Saluatorem* notat, & quidem dum CHRISTO Domino attributum eſt: Saluatorem, qui per ſe ipſum, ſua ipſius vi, ſalutem affert, non corporibus tantùm, ſed & animis, & ſalutem non temporariam tantummodo, ſed & maximè quidem, æternam: neque illam vni tantùm vel duabus gentibus & populis, ſed omnibus. At ſi cum Dei nominibus, de quibus in Exodo dixi, & maximè, cum ipſo quadrilitero יהוה conferatur, exiſtimat adhuc Abulenſis loco citato quæſt. 7. hoc anteponendum. idque ex ipſo Ioannes noſter Oſorius explanat 4. ſerm. in feſto nominis IESV, licet interdum IESVM cum *Iehoua* confundat: forte quia iis aſſentitur, qui vnum & idem nomen parum verè opinantur: vel potius quia *Iehoua* nomen, typus eſt nominis *Ioſuæ*, ſeu IESV: quemadmodum vetus Iſraëlitarum ex Ægypto redemptio, typus fuit noſtræ ex inferno redemptionis, vt iſtud nomen explicat Pradus noſter in cap. 1. Ezech. viſ. 1. parte 2. ſect. 5.

Breuiter ego ſic. *Nominis alicuius præſtantia ex ſono, vel ſignificatione ſumitur.* Prior illa huc non ſpectat, cùm rerum viliſſimarum nomina ſuauiſſimo interdum ſono ſint, licet ne iſte quidem huic nomini deſit. *Ex ſignificatione* verò præſtantia ſumitur, vel *ob rem* ſignificatam, vel *ob modum* ſignificandi. Dei nominibus vna quidem, eademque res ſignificata eſt, & ſic paria ſunt omnia, ſed alio & alio modo res illa eadem ſæpe ſignificatur. Vel enim alia & alia proprietas, alius & alius effectus ſignificatur, vel maiore quadam energiâ, & perſpicuitate res ea- A dem monſtratur. Diuina proprietas, quæ hoc nomine potiſſimum ſignificatur, eſt *bonitas*, & miſericordiæ: effectus eſt *ſaluatio*. Hiſce verò quid præſtantius? quid nobis vtilius? quid ſuauius & acceptius? *Modus* verò hæc ſignificandi clariſſimus eſt, itemque diuinitatis pleniſſimus. Quis enim verè perfectéque quoad omnimodam ſalutem, ſalutiſq; modum, ſaluare, præter, Deum, poteſt? Nomen forte יהוה ipſam ſimplicem Dei eſſentiam denotat clariùs, ſed iſtud iſtam quidem etiam ſignificat, &, claritate ma- B iore, gratiſſima optatiſſimaque diuinæ illius naturæ attributa, & opera nobis declarat. Illud apud vnam tantùm Iudæorum gentem cultum & ſuſpectum fuit, & quidē ſilentio potiùs, quàm voce & vſu, & in vnius Pontificis tiara poſitum, vt in Exodo tradidi: & nuper contra hæreticos alios pœnè omnes, ac præſertim Hiſpanicam Hiſpanicorum Bibliorum præfationem, hæreticus *Io. Druſius* libello integro. IESV verò nomen apud Gentes, tot & tam multas, celebratiſſimum eſt, & quidem tot vocibus, literis, imagi- C nibus, nummis, pyramidibus, columnis, in Pontificum, Regum, Principumque ornamentis, in quibus auguſtiſſimi huius nominis titulo inſignita ſalutis illa noſtræ columna, vitæ baiula, æternitatis monumentum, *Crux*. *Sexto.* Ex ſignis & prædictionibus, quæ de hoc nomine factæ, dum hoc iis olim impoſitum, & in iis celebratum, qui geſtis etiam rebus, IESVM verum præſignificarunt. Sunt verò ij potiſſimum duo. Primus noſter hic *Ioſue*, vti docent Tertullianus lib. in Iudæos c. 9. l. 3. contra Marci. c. 16. Iuſtinus in D Trypho. Auguſt. lib. 16. contra Fauſtum c. 19. & ſeq. lib. 2. q. 19. Exod. q. 103. Ambroſius in Pſ. 47. Num. 1. & Hieron. l. 1. contra Iouin. Origenes in Exod. 17. Num. 1. & in hunc librum homil. 1. Theodoretus in eiuſdem huius libri principio. Euſeb. lib. 4. demonſtr. ſub finem. Alter fuit IESVS Ioſedeci filius, de quo in Eſdra dicam, & dixit Tertull. c. vlt. contra Iudæos. Lactant. lib. 4. c. 14. Origenes homil. 9. in Leuit. Ambro. lib. 3. de fide cap. 4. Euſebius lib. 4. demonſtrat. cap. 29. Auguſt. lib. 12. contra Fauſtum cap. 36. D. E Hieronymus, & Theodor. in Zachariæ 3. *Septimò.* Probatur ex patribus, qui ita D. Pauli ſententiam interpretantur. Origenes homil. 1. in hunc librum, *Nomen*, ait, *quod eſt ſupra omne nomen, eſt* IESVS: D. Bernardus in ſerm. 15. in Cant. *Oleum*, ait, *effuſum nomen tuum. Effuſum planè, quod non ſolum cælos terraſque perfudit, ſed aſperſit & inferos, adeo vt in nomine* IESV *omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur & dicat, oleum effuſum nomen tuum. Octauo.* Dicitur *Hebr. c. 1. nomen hoc differentius*, id F eſt, vt Græca vox indicat, *præſtantius*, ſiue vt in Syriaco eſt, *excellentius præ omnibus nominibus*. nomen inquam Epheſ. 1. *ſuper omne nomen, quod nominatur hoc ſeculo, & in futuro. Nono.* Poteſt & probari ex eiuſdem nominis efficacitate maxima, ſed in ſequentem ea quæſtiunculam differetur. Hinc apparet tamen, quomodò verè, *ſecundum nomen ſuum fuerit Ioſue magnus*, vt ſupra ex Eccleſiaſtici 46. allatum. & quàm rectè per inſignis in Iaponia vir, *Tomazaca* nomine cùm quendam in quodā periculo inclamantem audiſſet, IESVS MARIA, ex equo ilico deſcenderit,

Digitized by Google

cenderit, Deoque gratias egerit, quod vbi dæmonum tantummodo prius nomina audiebantur, ibi iam ſuauiſſima IESVS MARIÆque nomina inuocarentur, prout iis è regionibus ſcripſit anno 1601. *Valentinus Caruaglio.* Ad argumentum initio poſitum dico, fuiſſe hoc nomen, diuino decreto, impoſitum, ob præcognitam præuiſamque incredibilem illam demiſſionem, quam, ſalutis noſtræ cauſâ, ſubiit. Et addo, in Chriſtmanni Arabica Iſagoge pag. 18. citari ex Philipp. 2. allatum de nomine iſto teſtimonium, Arabica quidem lingua & charactere bono, ſed verſione fideque fortaſſe mala. Nam omiſſum eſt illud, *& infernorum*, cum tamen in Arabico ſit, *veman tachat âlarrſi*, id eſt, *& eorum qui ſub terra.* Et mendum fortè Typographicum: ſed in hæreticorum libris iuſtiſſima ſemper, niſi aliud aliunde comperiatur, fraudis ſuſpicio.

Q. XIII. *Quam idem Anguſtiſſimum Ieſu nomen efficax?*

PRIMO ſcriptum Actor. 4. v. 12. *non aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus in quo oporteat nos ſaluos fieri.* In hoc ſcilicet continetur ipſa, vt ſupra dictum, ſalus, ab eâque hoc nomen eſt.

Secundo. Ad corporis ægritudines curandas valet plurimum Act. 3. v. 6. *In nomine* IESV CHRISTI *ſurge & ambula*, & cap. 4. verſu. 10. *In nomine* IESV CHRISTI *Nazareni, quem vos crucifixiſtis, quem Deus ſuſcitauit, in hoc iſte aſtat coram vobis ſanus.* Orig. loco paulo poſt citando.

Tertio. Ad pellendos è corporibus Dæmones, Marc. vlt. v. 17. *In nomine meo Dæmonia eiicient.* Et exempla ſunt Act. 16. verſu. 18. Dicit enim Sanctus Paulus ſpiritui, *Præcipio tibi in nomine* IESV CHRISTI *exire ab ea,* adeo vt è perfidis etiam Iudæis imitarentur quidam, ſed euentu quandoque felici Luc. cap. 9. verſu. 49. quandoque infelici. Actorum. cap. 19. verſu 13. Sic apud Georgium Presbyterum, Tom. 2. Surij S. Theodorctus aliquoties, apud Marcellinum. cap. 20. Sanctus Suuibertus, apud Audoënum Rothomagenſem Epiſcopum libro. 2. cap. 11. Sanctus Eligius, apud Sanctum Athanaſium in vita S. Antonii: apud Theodoretum in SS. Patrum hiſtoria cap. 22. fol. 394. Sanctus Limnæus, apud Apoldianum Theodoricum lib. 2. cap. 9. S. Dominicus: & apud Cæſarium lib. 12. cap. 39. alii. Illud vero, ſi certum, quam mirabile, quod in harmonia mundi cant. 2. tono. 2. ſcribit Venetus Franciſcus! *Neque*, ait, *tacebo, quod experimento didici, nullum Dæmonem ex his qui vexant corpora humana, poſſe reſiſtere, quin velint nolint, genua flectant, quando nomen* IESV *debitè pronuntiatum, ipſis proponitur venerandum, vt fidelis inueniatur qui dixit; In nomine* IESV *omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum.* & cap. 16. tradit ſe à Iudæis ipſis audiſſe, nihil eos aliis Dei nominibus inuocatis efficere poſſe, quod eorum vis omnis ad vnum IESV nomen translata ſit. ideoque & dæmonia ipſos inuocare, vt pro Exorciſtis necromantici, Magique fiant. Et hunc Venetum laudat, eique adſtipulatur Guillelmus Mennèus l. 1. aurei velleris cap. 14. Et lib. de Dæmoniacis Thyreus noſter c. 42. n. 22. *Sagis*, ait, *& iis, qui ſe diabolo deuouerunt, mandari, & ſerio præcipi ſcimus, vt ſi quando nocturnos conuentus habent, prorſus à nomine* IESV *abſtineant, quanquam* IESVM, *abiurarint. Scimus ſubito & diabolum, & præſentem turbam diſparuiſſe: ſi quando collegarum alicui, etiam præter intentionem nomen* IESVS *excidiſſet.* Galatinus l. 8. c. 5. ex Hieroſolymitano *Thalmud* refert: quemadmodum Iudæus, qui mortiferum neſcio quid deglutierat, fuerit ab alio Iudæo per IESV nomen liberatus. Iuſtinus contra Tryphonem. *Per nomen ipſius filii Dei, & primogeniti omnis creaturæ, Dæmonium omne adiuratum vincitur, & in ditionem redigitur. Eius nominis potentiam Dæmones, tremunt & formidant.* Et alia id genus plura: cuiuſmodi etiam ſunt apud Origenem lib. 1. contra Celſum, *Non*, inquit, *incantationibus pollere videntur* (vt aiebat Celſus) *Chriſtiani: ſed nomine* IESV *cum commemoratione eius factorum. Nam his verbis ſæpè profligati ſunt dæmones ex his hominibus: præcipue quoties qui ea enunciant, ſano affectu & integra fide proferunt. Tanta certe vis nomini* IESV *ineſt contra dæmones, vt nonnunquam, etiam à malis nominatum ſit efficax. quod docens* IESVS *dicebat: Multi dicent mihi in die illa, in nomine tuo dæmonia eiecimus.*

Hæc pulcherrima: *Nomen* IESV *lymphatos ſanat, dæmones exigit, morbis præſentaneum affert auxilium.* Plura ſimilia affert idem Origenes l. 4. 5. 6. & 7. Arnobius l. 1. contra Gentes. IESV *nomen auditum fugat noxios ſpiritus, imponit ſilentium vatibus, haruſpices inconſultos reddit, arrogantium Magorum fruſtrari efficit actiones.* Huius egregii ſanè doctoris egregius diſcipulus Lactantius l. 4. c. 27: *Sicut* CHRISTVS *cum inter homines ageret, & vniuerſos dæmones verbo fugabat, hominum mentes emotas, & malis incurſibus furiatas in ſenſus priſtinos reponebat, ita nunc ſectatores eius eoſdem ſpiritus inquinatos de hominibus, & nomine Magiſtri ſui, & ſigno paſſionis excludunt.* Theodoretus epiſt. ad Philemon. de ipſius *S. Pauli* nomine: *Sufficit*, ait, *nominis mentio ad efficiendum, vt reuereatur vel maximè aduerſarius.* Quanto igitur magis, ipſius IESV *nominis* mentio? Etenim multo ſunt in CHRISTO Domino maiora & cumulatiora, quæcumque dum *S. Pauli nomen* auditur, menti occurrere idem auctor ſubiungit dicens. *Qui enim Paulum audiit, audit prædicationem totius orbis terræ, terræ mariſque cultorem, & vas electionis, & alia, ad quæ narranda, vel decies mille linguis opus eſſet.*

4. Ad omnis generis miracula, vti Dominus ipſe oſtendit Marc. vlt. verſu 17. *Serpentes tollent & ſi mortiferum quid biberint non eis nocebit. ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt.* Origenes lib. 3. contra Celſum. *Poſſumus oſtendere inenarrabilem numerum tam Græcorum, quam Barbarorum* IESV *noſtro credentium. In his quidam, in ſignum accepti per fidem virtutis, mirificè ſanant ægrotos, inuocato tantum ſuper eos Vniuerſorum* DEO *&* IESV *nomine, recitataque de rebus eius quapiam hiſtoria. Videmus enim ipſi multos ſic liberatos à grauibus malis, alienatione mentis, inſania, aliiſque innumeris, quibus nunquam vel homines, vel dæmones opem attulerunt.*

5. Ad eoſdem dæmonas, eorundemque tentationes, & fraudes ex animis eiiciendas, ad varia item propulſanda pericula. Teſtis apud S. Hieronymum, *D. Hilarion*: apud alios *S. Edmundus*, apud S. Ephrem. Tom. 3. fol. 255. *S. Abramius*, qui cum à Satana in lucis Angelum transformato, fortiſſimâ periculoſiſſimaque pugnâ grauiter oppugnaretur, contenta ei voce reſpondit: *Tenebræ tuæ tecum ſint in perditionem.*

Digitized by Google

ô plene dolo atque fallacia. Homo enim peccator ſum ego. Quia tamen caritatem Dei mei habeo, & ſpem in ipſum atque auxilium, in nullo ego te, tuaſque inſidias pertimeſco, neque tua plurima phantaſmata ac ſpectra terrorē mihi incutiunt. Pro muro ſiquidem munitiſſimo atq; tutiſſimo eſt mihi nomē Domini mei & Saluatoris IESV CHRISTI, quem dilexi ac diligo: in quo te nomine increpo, immundiſſime canis, ac miſerabiliſſime. Cæſarius lib. 12. cap. 38. eum, qui in horribilem illam ſpecum, quæ S. Patricij purgatorium dicta eſt, deſcendebat, refert ſolitos eius loci antiſtites monere, ac dicere: Videbis hac nocte inſultus dæmonum, & pœnas horribiles: ſed non poterunt te lædere, ſi nomen IESV ſemper habueris in ore. Quod ſi dæmonibus blandientibus, ſiue terrentibus conſenſeris, & IESVM inuocare neglexeris peribis. S. Gregorius Nazianzenus epiſt. ad Nemeſium: Ipſe qui CHRISTO nomen dedi, auguſtum illud nomen vix plerunque pronunciaui, cùm ſtatim dæmon, non ſine ſtridore, longiſſimè ſe proripuit, Dei immortalis vim ac potentiam clamans. Climacus gradu 20. IESV nomine cæde inimicos. Neque enim in cœlo aut in terra potentiora ſunt arma. S. Antonius in quadam cum Dæmone pugna, ei apud S. Athanaſium dicebat: Verè IESVS tandem tuas funditus ſubruit vires: &, honore nudatus Angelico, volutaris in ſordibus. Subdit verò ipſe ſanctus: vix dum verba compleueram, & ille ſublimis, nomine SALVATORIS deiectus eſt. S. Chryſoſtomus homil. de laude Dei. Hoc IESV nomen tum inferis, tum morbis, & vitiis terrori eſt. Et homil. 8. in c. 4. ad Rom. Si & in Diabolum incantationes canere noueris, ſtatim vulnerabitur. Sunt enim nobis, ſunt inquam, nobis incantationes ſpirituales, ipſum nomen Domini noſtri IESV CHRISTI, tum ipſius crucis potentia. Huiuſmodi incantatio non ſolùm draconem à ſpeluncis abigit, atque ita in ignem conicit, ſed & vulneribus quoque medetur. Hoc nomen & Dæmonibus terribile eſt, & perturbationibus, & ægritudinibus ſalutare. Hoc igitur ornemur ipſi: hoc tanquam muro nos muniamus. Exempla (quamuis aliqua iam indicata) ſuppeditant, vetera quidem Metaphraſtes in S. Auxentio, hiſtoria S. Euphraſiæ in Martio, hiſtoria Theodori archimandritæ apud Gregor. Preſbyterum in Aprili, aliæ aliorum ſanctorum hiſtoriæ apud Surium Tomo 4. pag. 154. & 513. Tom. 5. pag. 827. & 892. Tom. 6. pag. 671. Tom. 7. pag. 567. recentiora Thomas Kempenſis par. 3. ſerm. ad Nouit. poſt ſerm. 2. exem. 4. de ſeipſo. licet modeſtiæ causâ, quaſi de alio loquatur, vti notat in eius vita Badius, & nouus ſpeculi exemplorū illuſtrator d. 10. exem. 8. pag. 701. Delrius noſter lib. 2. Diſq. Mag. quæſt. 16. lib. 3. p. 1. q. 7. ſ. 1. p. 2. quæſt. 45. 8. lib. 6. cap. 2. ſ. 3. quæſt. 3. Annuæ ſocietatis anno 82. in Collegio Angepolit. anno 1585. in Maceratenſi, & Talabricenſi, anno 1586. in Antuerp. & anno eodem in Græcienſi, & Toloſano. anno 1587. in Conimbricenſi, in Treuirenſi, Muſſipontano, Foroiulienſi, Panamenſi, ac Turnonienſi.

Sextò. Ad animorum eruditionem, puritatem, & conſolationē. Origenes l. 1. contra Celſum citato. Nomen IESV inſerit miram quandā manſuetudinem, morumq; honeſtatē, humanitatem, bonitatē, placiditatem omnibus, qui non propter vitæ curas, humanaſuè alias neceſſitates, fucatè, ſed ex animo amplectuntur prædicationem Dei, CHRISTIQ; atque A futuri iudicij. Et teſtantur, qui abſque iſto nomine referunt, nullum quantauis eruditione, ſapientia & eloquentia refertum, librum ſibi placuiſſe; in quibus, vt S. Auguſtinum lib. 7. confeſſ. 20. & 21. nihil vrgeam; adeo inſignis & ſpiritu quodam diuino inſtinctus eſt Sanctus Bernardus ſerm. 15. in Cantica, vt eum non potuerit non laudare, libro 2. inſtit. cap. 16. §. Caluinus. Eius igitur ſancti verbis, quibus nominis huius cum oleo, quod lucet, paſcit, & vngit; comparationem explicauit; locum iſtum concludam. B Vnde, ait, putas in toto orbe tanta, & tam ſubita fidei lux niſi de prædicato IESV? Nonne in nominis huius luce Deus nos vocauit in admirabile lumen ſuum, quibus illuminatis, & in iſto lumine videntibus lumen dicat meritò Paulus: Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Hoc denique nomen coram Regibus & gentibus & filiis Iſrael portare iuſſus eſt idem Apoſtolus: & portabat nomen tanquam lumen, & illuminabat patriam, & clamabat vbique. Nox præceſſit, dies autem appropinquauit: abiiciamus erC go opera tenebrarum, & induamus arma lucis, ſicut in die honeſtè ambulemus: & monſtrabat omnibus lucernam ſuper candelabrum: annuncians omni loco IESVM & hunc crucifixum. Quomodo lux iſta reſplenduit ac perſtrinxit cunctorum intuentium oculos, quando de ore Petri tanquam fulgur egrediens claudi vnius corporales plantas ſolidauit, & baſes, multoſque ſpiritualiter cæcos illuminauit. Nunquid non ignem ſparſit, cùm ait, in nomine IESV CHRISTI Nazareni ſurge & ambula? Nec tantum lux eſt nomen IESV, ſed eſt & cibus. An non toties confortaris, D quoties recordaris? Quid æquè mentem cogitantis impinguat? Quid ita exercitatos reparat ſenſus; virtutes roborat, vegetat bonos mores atque honeſtos, caſtas fouet affectiones? Aridus eſt omnis animæ cibus, ſi non oleo iſto infunditur: Inſipidus eſt, ſi non hoc ſale conditur. Si ſcribas, non ſapit mihi, niſi legero ibi IESVM. Si diſputes aut conferas, non ſapit mihi, niſi ſonuerit ibi IESVS: IESVS mel in ore, in aure melos, in corde iubilus, ſed eſt & medicina: Triſtatur aliquis noſtrum? Veniat in cor IESVS, & inde ſaliat in os, & ecce ad exortum nominis lumen, nuE bilum omne diffugit, redit ſerenum. Labitur quis in crimen, currit inſuper ad laqueū mortis deſperando: Nonne ſi inuocet nomen vitæ, cōfeſtim reſpirabit ad vitam? Cui aliquando ſtetit ante faciem ſalutaris nominis duritia (vt aſſolet) cordis ignauiæ torpor, rancor animi, lāguor acediæ? cui fons forte ſiccatus lachrymarum inuocato IESV non continuo erupit vberior, fluxit ſuauior? cui in periculis palpitanti & trepidāti inuocatum virtutis nomen, non ſtatim fiduciam præſtitit? depulit metum? cui, quæſo, in dubiis æſtuanti & fluctuanti non ſubitò ad inuocationem clari nominis emicuit certitudo? F Cui in aduerſis diffidenti, iam iamque deficienti, ſi nomen adiutorij ſonuit, defuit fortitudo? Nimirum morbi & languores animi iſti ſunt, illud medicina. Denique & probare licet: Inuoca me, inquit, in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Nihil ita iræ impetū cohibet, ſuperbiæ tumorem ſedat, ſanat liuoris vulnus, reſtringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, ſitim temperat auaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem. Siquidem cum nomino IESVM, hominem mihi propono mitem & humilem corde, benignum, ſobrium, caſtum, miſericordem, & omni denique honeſtate ac ſanctitate conſpicuū, eundemq; ipſum Deum

omnipotentem

Digitized by Google

omnipotentem, qui ſuomet & exemplo ſanet, & roboret adiutorio. Hæc omnia ſimul mihi ſonant cum inſonuerit IESVS. *Sumo itaque mihi exempla de homine & auxilium de potente, illa tanquam pigmentarias ſpecies, hoc tanquam vnde acuam eas, & facio confectionem, cui ſimilem medicorum nemo facere poſſit. Hoc tibi electuarium habes, ô anima mea, reconditum in vaſculo vocabuli huius, quod eſt* IESVS, *ſaluſiferum certè, quodque nulli vnquam peſti tuæ inueniatur inefficax. Semper tibi in ſinu ſit, ſemper in manu quo tui omnes in* IESVM *& ſenſus dirigantur & actus. Denique & inuitaris: Pone me, inquit, ſignaculum in corde tuo: ſignaculum in brachio tuo. Sed hoc alias. Nunc verò habes, vnde & brachio mederis & cordi. Habes, inquam, in nomine* IESV, *vnde actus tuos vel prauos corrigas, vel minus perfectos adimpleas: itemque vnde tuos ſenſus aut ſerues, ne corrumpantur, aut ſi corrumpantur ſanes.* Hæc magnus ille IESV amator & cultor. Eat nunc ille neſcio quis à Poëta in ſuæ Metamorphoſeos l. 9. laudatus, qui

— — — — dum fuit integer æui
Terruerat magnus ipſo quoque nomine gentes.

IESVS enim noſter æui ſemper integerrimus: *ſemper & infernas perterrit nomine gentes.* Eat & Alexander Magnus, qui ægrotanti, vti refert Plutarchus, Pyrrho, *ſuo* ſe allaturum opem *nomine* promiſit. Nugæ iſtæ ſunt. Solum IESV nomen vere ἀλεξίκακον eſt. in eo vno vera corporis, animique morborum continetur medicina. *Lorinum* noſtrum in Act. 19. p. 779. & 781. non inutiliter legat aliquis.

Q. XIV. *Quonam modo tam efficax idem IESV nomen.*

IN quolibet nomine conſiderari poteſt, vel eius *ſonus*, vel *ſignificatio*: idque vel in verborum aliorum coagmentatione, vel extra. *Soni* ratione, nomen hoc efficacitatem quandam habere videtur probari, 1. ex eo quod ſi alia lingua vel ſono efferatur, vel eius Synonymum, aut periphraſis adhibeatur, nihil, aut certè non tantum efficit, vt ſi in nomine *Ioſua* aliquid fiat, aut *ſoteris*, aut *ſaluatoris*, 2. Alia etiam verba quædam ex ſua ipſorum qualitate & ſono miram quandam efficiendi vim habent. Contra morbos, v. g. febrim. *Inſcribas chartæ, quod dicitur Abracadabra*, inquit Serenus Samonicus. Rurſum verò alii: *Ananiſapta ferit mortem, quæ lædere quærit.* id eſt, vox illa morbis, mortiq; vim aduerſam habet: & apud Plinium lib. 28. cap. 2. id genus multa legi poſſunt. Ibi affirmant Attalus, *ſcorpione viſo, ſi quis dicat*, DVO, *cohiberi, nec vibrare ictum. In Africa, nemo deſtinat, niſi præfatus, Africam.* Contra domorum incendia valebant, *Arſe verſe*, ita vt iis parietes conſcriberentur. Quid tot carmina, *quæ*, inquit idem Plinius, *extant contra grandines, contra morborum genera, contra ambuſta, in partus? & alia, quibus, ex vrbibus quas obſidebant*, euocabant Romani numina, in quorum illa tutela eſſent: quibus Veſtales in precationis loco, fugitiua mancipia vrbe nondum egreſſa, retinebant: quibus fruges excantabantur, colubræ incantabantur, homines defigebantur? Nonne, certis verbis, Cato luxatis membris auxiliatur? Nonne apud Homerum Vlyſſes, profluuium ſanguinis, vulnerato fœmine, carmine inhibebat? Nonne apud Varronem, Cæſar Dictator, poſt vnum ancipitem vehiculi caſum, ſemper vt primùm conſediſſet, carmine ter repetito, ſecuritatem itinerum aucupabatur? *Serpentes Marſorum cantu contrahuntur, etiam in nocturna quiete.* Et addit idem Plin. cap. 3. *In Inſula Nili Teuryri naſcentes tanto ſunt crocodilis terrori, vt vocem quoque eorum fugiant.* Gallorum cantu audito non intremiſcunt leones? Et ſuperiori ſæculo, quemadmodum ſcriptis mandauit li. 11. VVandaliæ cap. 9. Crantzius, & lib. 5. de Huſſitis Cocleus, è ſceleratiſſimi hæretici (Nam Huſſitarum Dux erat) pelle tympanum exauditum, hoſtibus terrorem incutiebat. Et apud veteres nomina quædam cenſebantur *bona* & *proſpera*, quæ efficiebant; vt qui ea geſtarent, publicis luſtris, ad dū[...]das victimas legerentur. Poſtremò citari poſſunt complures opinionis huius patroni Serenus, de quo ſupra, Ætius lib. 4. cap. 5. Alexander Trallianus lib. 11. ſæpius, & li. 12. cap. 7. Theocriti interpres, qui & à Iunio affertur l. 3. Var. Lect. cap. 11. Paracelſus, Ficinus in Cratylum, vbi ex Pythagora multa, & de hoc ipſo IESV nomine, Pomponatius, Grillandus, Picus, Cabaliſtæ, Fr. Venetus Tom. 6. ſect. 8. num. 296. eiuſq; contra Mich. Medinam l. 2. de recta fide c. 7. patronus Alphonſus Mendoza quæſt. 10. Poſitiua, & alii. Sed omniū veluti ſignifer ſit Origenes, qui lib. 1. contra Celſum ita loquitur. *Nomina hæc Sabaoth, Adonai, aliaque apud Hebræos cum magna veneratione tradita, efficacia ſunt, ſi pronūcientur quodam ipſis congruenti modo & ordine. Alia quoque Ægyptiacâ lingua prolata Dæmonū nomina ſuam quandam vim habent: rurſuſque aliam alia linguæ Perſicæ, & ſic apud ſingulas gentes alias, & quoſdam aſſumuntur vſus.* Et cum plura de his, itemque de trium Angelorum *Michaelis, Gabrielis, Raphaelis*, nominibus dixiſſet, ſubiungit id, quod quæſtionis huius proprium eſt. *Ad huiuſmodi de nominibus Philoſophiam pertinet noſter quoque* IESVS, *cuius nominis efficaciâ iam innumeri Dæmones conſpecti ſunt manifeſtè fugati ex occupatorum corporibus & animis.* Rurſumque generatim loquens pergit. *His addendum quod affirmant incantandi periti, eandem incantationem pronūciatam lingua ſua propria efficere, quod pollicetur, ſin transferas eam in alias quaſcunque voces, euidenter vim ſuam perdere. Adeo vis ea non in ſignificationibus rerum, ſed ipſis vocum qualitatibus & proprietatibus ineſt ad hæc vel illa efficax.* Et libro. 4. fol. 465. idem refert de nominibus *Abraham, Iſaac, Iacob*, cum Dei nomine coniunctis, eaque dicit *Deo ipſi familiaria, & horrenda Dæmonibus.* Tandemque libro. 5. abſque inuolucro vllo apertiſſime, *Reperimus*, ait, *nominum naturam non eſſe ad hominum placitum: id quod viſum eſt Ariſtoteli. Et voces geminam vim habentes in lingua quapiam ſi transferantur in aliam, non eandem vim obtinent. Hominem enim à natiuitate Græco nomine illo vel illo vocatum, ſi mutato nomine in Romanum, aut Ægyptiū, aut cuiuſuis gentis incantaueris, non erit efficax incantatio: alioqui futura, ſi vtereris nomine dudum illi impoſito. Idem accidet in Romano nomine, ſi in Græcum mutato incantationem tentes. Non valebit incantatio, quæ valitura erat, ſi vtereris nomine priſtino. Id ſi verum eſt in humanis nominibus, quid ſentiendum de attributis Deo, quacumque de cauſa. Exempli gratia, ſignificat aliquid ſi interpreteris, Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob. Adiuret aliquis per Deum Abrahā, Deum Iſaac, Deum Iacob, efficiet aliquid per innatam vim eorum nominum, adentibus dæmonibus; & victis iuſſa*

facientibus. *Idem adiurator ſi dicat, per Deum patris erecti ſonantis, per Deum riſus, per Deum ſupplantatoris, tantumdem efficiet, quantum ſi adhibeat nomen quodcumque ingratiſſimum. Sic neque Iſrael, neque Sebaoth, neque Adonai, ſeruata ſua ſignificatione, mutatum in linguam aliam eſt efficax.* Tantum ſcilicet nominum ipſorum ſono tribuit Origenes. A

Ratione verò *ſignificationis*, alij efficacitatem eidem nomini tribuunt. Verum ſunto quinque propoſitiones.

Prima. *Auguſtiſſimum* IESV *nomen, ſiue in verborum aliorum complexione, ſiue extra, ſui tantum ſoni ratione, nullum effectorum, quæ ſuperiore quæſtione poſita ſunt, efficiendorum vim habet.* Sic enim tantum habet, quod voces aliæ omnes, etiam nihil ſignificantes barbaræ, impiæ, & obſcœnæ, vt aures nimirum ferire poſſit, aëremque diuerberare. Quid enim habet in ſono aliud IESVS, quam *Petrus*, aut Iobus? Et verò rerum viliſſimarum & flagitioſiſſimarum vocabula multa ſunt, multo grandiora & ſonantiora. Sed aliæ quæcunque voces, ex ſuo tantum ſono, nihil prorſus, quod extra ipſum auditum ſit, & ſi quid ex eo in corpus manare poteſt, queunt efficere. Quemadmodum oculos tantum color, & guſtatum ſapor, odoratum odor, aliaque ſenſus alios mouere poſſunt, ita & quicumque quorumcunque verborum ſtrepitus aures ſolas mouere poſſunt. Videatur Molanus cap. 56. de picturis. qui dum contra hæreticos docet, nihil hoc in nomine picto aut pronunciato ſuperſtitionis apud Catholicos eſſe, *Sciunt*, inquit, Catholici *ex ſacris concionibus, & aliunde in litteris vocis* IESVS, *non contineri aliquod myſterium, ſanctitatem, aut virtutem, eas non eſſe maioris virtutis quam tuum aut meum nomen.* Quia vero finxerunt, aliqui *litteras* & *ſyllabas* vel cum aſtris cognationem neſcio quam habere, rerumque ipſarum radios eſſe, vel proutè nobiliori lingua dictiones ſunt, efficacitate quadam eſſe perditas, legendus erit, qui doctè admodum & copioſè hæc omnia improbat, noſter Delrius Diſquiſ. Magic. lib. 1. cap. 4. quæſt. 3. & Soarez. 2. Tom. 3. diſput. 15. ſect. vltima, quibus addi poſſit mea in Tobiæ caput 8. quæſtiuncula 4. & 5. Pythagoras vero etiam in nominum arithmeticis litteris momenti plurimum conſtituebat, vt explicat cap. 20. lib. de Antichriſto Dominus *Florimundus* Burdegalenſis. Sed refutatur ille à Medina lib. 2. de recta fide cap. 1. Et apparet in Germanico contra Carolum Quintum bello, vbi certam ſibi victoriam pollicebantur Lutherani, quia *Carolus* valeret tantum 155. *Mauricius* verò 1210. Vti notauit alicubi Melanchthon. Alioqui ſunt in hoc ſacratiſſimo nomine ΙΗΣΟΥΣ, 888. quæ colliguntur ſic: B C D E F

Ι	10
Η	8
Σ	200
Ο	70
Υ	400
Σ	200

888. vt idcirco dixerit quidam.

Cui tria ſunt octo, mihi ſis, Saluator, vt opto.

Ne vereor innumerus, cui tria ſex, numerus.

Id eſt, ille, de quo Apocalyp. 13. verſu. 18. *Antichriſtus*: cuius numero, quia IESV maior eſt numerus, hoſtem illum, ex vanitatis huius regula, & præſcripto facilè ſuperabit IESVS. In libro 1. Sibyllinorum leguntur hæc:

Tunc ad mortales veniet, mortalibus ipſis
In terris ſimilis, natus patris omnipatentis.
Corpore veſtitus. Vocales quatuor autem Η, Ι, Ο, Υ,
Fert, non vocaleſque duas binûm geniorum 6. 5
Sed quæ ſit numeri totius ſumma, docebo 8
Namque octo monadas, totidem decadas ſuper iſta 80
Atq; hecatontadas octo, infidis ſignificabis 800
Humanis nomen: Tu verò mente teneto 888
Æterni natum CHRISTVM, *ſummique Parentis.*

Haſce verò *octonas* & *monadas*, & *decadas*, & *hecatontadas* variè quidem cum in hoc IESV nomine, tum verò in aliis, totoque Græcorum alphabeto, ſed vanè ac perperam conſiderarunt *Marcoſii* hæretici, vt oſtendit Tom. 1. hæreſ. 34. S. Epiphanius. Sunt vero etiam, vt in lib. 1. *Capnio*, Cabaliſtarum nonnulli, quibus magna in vocum anagrammatiſmis efficacitas videtur. Et ſanè in iſto præclarum hoc eulogium, id eſt, *Tu ipſa ouis*, cuius videlicet hoſtia & ſacrificio placandum numen, latere ſolerter vidit è Galliæ Poëtis *Auratus*: ſed quàm ſæpe in eodem ita deſcripto, ac transformato nomine ſignificata inueniri queant contraria? Ingenij totus hic ludus eſt, non res, & veritas. Ideoque inter alia inſignia, quæ Catholicis falsò attribuit Gabriel Pouelus Anglus, eſt hoc non poſtremum lib. 2. pag. 372. *Eccleſia Pagana* (ita de Catholica loqui audet hæreticus) *peccat contra ſecundum* Symboli articulum, *dum ſyllabas & litteras huius nominis* IESV, *ſecundum ſe venerandas eſſe iudicat.* Pudeat mendacij.

II. *Idem* IESV *nomen, ratione ſignificationis, extra omnem verborum complexionem, naturaliter vim eam habet, vt Deum & hominem alterius audientis menti obiiciat. Sicque variè illum afficiat, pro audientis huius diuerſa vel erga* IESVM *ipſum ſignificatum, vel erga pronuntiantem affectione.* Nam qui IESVM amat, ſuauiter eo nomine audito afficitur, in meritorum eius & beneficiorum redit memoriam, cogitat de ſalute vel ſua, vel aliena per illum parta. Interdum etiam eum quaſi præſentem & aſtantem intuetur, animoque religioſiſſimo veneratur & obſecrat, prout de *S. Iuliano* memorat Tom. 3. fol. 266. oculatus teſtis S. Ephrem. Cùm enim notaſſet hic in libris, quibus ille vtebatur, varias litterarum lituras, vbicunque ſcilicet Dei Domini IESV CHRISTI & Saluatoris ſcripta fuiſſent nomina: *Quodam*, inquit, *die dixi ad ipſum. Quis hoſce libros corrumpit? Beatus verò ad me. Nihil, inquit, à te penitus abſcondam. Fornicatrix mulier ad Saluatorem accedens, lacrymis pedes ipſius rigauit, & capillis capitis ſui abſterſit, & ego vbicunque Dei nomen mei ſcriptum comperio, lacrymis meis rigo, vt & ego ab eo remiſſionem peccatorum accipiam. At ille dixit, nõ irrigatur cor meum, niſi plorem coram Domino Deo meo.* De S. Franciſco ſcribit S. Bonauentura, quod cum Pſalmos legendo nomen DOMINI *in eis occurreret, præ ſuauitatis*

Digitized by Google

tis dulcedine labia ſua lingere videbatur. Nomē autem IESV *quum exprimeret vel audiret, ſubito quodam repletus interius totus videbatur exterius alterari, ac ſi mellifluus ſapor guſtam, vel harmoniacus ſonus, ipſius immutaſſet auditum.* Qui verò IESVM audit aut metuit, vti Dæmon, indignatur & perterretur eo audito nomine. Nam quemadmodum imagines, ſic & ſonoræ iſtæ rerum notæ intelligendi vim cōmouent. Rurſum ſi viderit DEVS eum, qui IESVM dicit, eum laudare, laudendique animo proferre, in eo ſpem ponere, per eius merita quidpiam expoſcere, auctoritatem ipſi & poteſtatem in quauis re agenda tribuere, votis annuit libenter, etiamſi veluti lætentis, dolentis, aut admirantis interiectio tantum efferretur. Dæmon verò è contrario dolet, mœret, horret. Nam quod ait libro. 1. Arnobius *Magorum frangi actiones, Dæmonum infirmari conatus, non iſtius horrore nominis*, intelligendum de *ſolo horrore illo* quem fingebant Gentiles. Cum enim viderent iſti clariſſimè, huic nomini neque Magos neque Dæmones reſiſtere. illud miſeri aiebant, poſſe quidem iſtos, ſi vellent, reſiſtere, ſed ita eos hoc nomen odiſſe & contemnere, vt audire id nolint, quemadmodum ſi Dominus aliquis præpotens nomine mancipii alicuius, quod inuiſum haberet, audito, excandeſceret, ſtomacharetur, id auerſaretur, ſeque ferre non poſſe, verbis factiſque, monſtraret. Ideoque dixit idem Arnobius, *non horrore, vt dicitis, ô Gentiles, nominis, ſed maioris licentia poteſtatis*. id eſt, *facit* hoc IESV nomen, *non illo, quem mentimini, horrore*, vel *non ſolo*, vt dicitis, *horrore*: ſed vi ac poteſtate illa, quæ huic nomini data diuinitùs, cui, vt maximè velint, maximeque conentur, obſiſtere haud quaquam poſſunt Magi, Dæmones, creaturæ vllæ. Rectè in Pſalm. 21. expoſit. 1. Sanctus Auguſtinus: *Ne demum alicuius inuadat aliquis potens, ponit ibi titulos potentis, vt cum lectus titulus fuerit, conterritus quis potentia nominis abſtineat ſe ab inuaſione.*

3. *Idem* IESV *nomen in verborum complexione, ratione ſuæ ſignificationis, eadem omnia naturaliter multo adhuc efficacius efficit.* Quia in iſta complexione clarius iam dicentis animus aperitur, & in audientis mente defigitur, ipſius ſignificati IESV auctoritas, imperium, promeritum, vis, poteſtas, & gloria. *Quintuplex* enim potiſſimum poteſt verborum iſtorum, *in nomine* IESV, eſſe ſententia. Vel enim *primo* eſt, *in auctoritate*, ſiue, *ob, & per auctoritatem.* Ioan. 14. verſu. 26. *Paracletus* Spiritus Sanctus *quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* vel *ſecundo iuſſu*, ſiue *ob imperium*. Nam illud Lucæ. 5. verſu, 5. *In verbo tuo laxabo rete*, potuiſſet Petrus dixiſſe, *in nomine tuo laxabo rete.* vel *tertio in merito* ſiue, *ob & per meritum*. Ioan. 14. verſu. 13. *Quodcunque petieritis in nomine meo id faciam*: & verſu. 14. *Si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam.* vel *quarto* eſt *in virtute*, ſiue *per poteſtatem*, Ioan. 10. verſ. 25. *Opera ego facio in nomine patris mei.* Matthæi. vltim. *Baptizantes eos in nomine Patris, & filii & Spiritus ſancti.* vel *quinto* denique eſt, *in gloria*, ſiue *propter gloriam & laudem*; & hoc in ſuperioribus modis omnibus implicatur. idque fortaſſis etiam ſignificatur à Græco, dum ait Matth. vltim. *baptizantes εἰς ὄνομα*, quaſi *in nomen*, vel

A *ad nomen & gloriam.* Et omnibus iſtis modis verum illud: *Non eſt aliud nomen*, Actorum. 4. verſu. 12. *ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*: duabuſque iſtis propoſitionibus fieri poteſt, quod ſextò effectu ſuperiore quæſtione tradebatur. Et verò legitur phraſis eadem eodem, quem dixi, ſenſu, Actuum cap. 8. verſ. 16. *μόνον βεβαπτισμένοι ὑπῆρχον εἰς τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου.* & eodem lib. cap. 19. verſ. 5. *ἐβαπτίσθησαν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου Ἰησοῦ.* id eſt, *baptizati ſunt in nomine*, ſeu *in nomen Domini* IESV.

B 4. Idem IESV *nomen tam extra, quam in verborum complexione, ſupernaturaliter, morbos, Dæmonaſque pellit, miracula peragit: ex opere ſcilicet*, vti loquuntur Theologi, *operato*. Deus enim vel per ſe, atque Angelos immediate, vel per hoc nomen, tanquam inſtrumentum, morbis Dæmonibuſque vim adhibet, eoſque profligat, prout loco ſupra citato *in Tobiam*, dictum. Mouetur enim Deus vel ſolo ipſius filii ſui IESV obiectu & memoria, dum ad eius fidem & gloriam vel conſeruandam, vel amplificandam, iſta efficit.
C vel ſolo idem nomen pronunciantium precatu, religione, virtute, vel vtroque: & hoc vſitatius, cum modus quidem primus interdum accidat, dum ab impiis nomen hoc pronunciatur, vt ſupra ex Luc. 9. v. 49. dictum. *Nec mirum*, ait S. Auguſtinus lib. 83. q. 79. *quod hæc ſigna valent, cum à bonis Chriſtianis adhibentur, quando etiam cum vſurpantur ab extraneis, qui omnino ſuum nomen ad iſtam militiam non dederunt, propter honorem tamen excellentiſſimi Imperatoris valent.* Secundum autem modum, vt præterit CHRISTI gloriā,
D ſolam hominum aſpiciat a pietatem, nunquam vſurpat Deus. Et ſi enim reſpicit Deus pias piorum preces & vota, nunquam tamen ipſius IESV laudes & celebritatem ſecludit, ita vt tertius potius à Deo modus vſitetur. Videri queat Gretſerus noſter l. 4. de ſancta cruce c. 44. & 45. adiungendo c. 62.

5. *Fiunt quandoque per alia etiam Dei aut ſanctorum nomina res iis, quæ dictæ ſunt, ſimiles, ſed neque toties, neque tam certo, & efficaciter: licet ne in iſto quidem nomine certitudo & efficacitas illa ſit, quæ*
E *in Sacramentorum eſt formulis.* Prima pars apparet in CHRISTI nomine apud Theodoretum, in Theophile c. 21. apud Prudentium, & alios, quod tamen CHRISTI nomen huic ferè ſemper IESV nomini iugatur Actor. 3. 4. 16. in ipſo *Dei*, aut *Patris*, aut *filii*, & *Spir. S.* aut aliorum, quæ etiam in exorciſmis vſurpantur, & olim maximè in illo tetragrammato. Vide Abulenſem Exo. 20. q. 7. De ſanctorum etiam nominibus v. c. B. *Mariæ* teſtatur initium B. Virginis Eccleſiæ maioris Pictauis, de quo *Michael Do-*
F *minus de Montagine* li. 1. Miſcell. c. 46. & lib. 1. cap. 9. *Brigitta*, de aliis lib. 6. cap. 34.

Secunda pars ex euentibus colligitur, qui etiam apud homines effecerunt, ne vlla nomina tam crebro vſu, quam hoc vnum, tererentur. Et ratio eſt, quia vult Deus hoc nomen, quod ſalutem noſtram, ſalutiſque principium, & fontem magis notat, apud omnes, magis in precio & memoria eſſe, vt & ipſe Deus laudetur, & nos homines magis excitemur. Tertia pars conſtat, quia nulla Dei ſanctio, vel promiſſio eſt, futurum, vt, nomine hoc pronunciato, hæc

Digitized by Google

vel illa mirifica contingant › ſed fiunt tantum cum ita diuinæ bonitati, ad ipſius I E S V laudem noſtramque vtilitatem maiorem conducere videntur. D. Auguſtin. l. 22. Ciuit. cap. 22. *Quamuis, ait, ſint per ſancta ac ſanctos curationum magna ſolatia, tamen ideo non ſemper etiam ipſa beneficia tribuuntur petentibus, ne propter hoc religio quæratur, quę propter aliam magis vitam, vbi mala non erunt omnino vlla, quærenda eſt.* S. Chryſoſt. homil. 8. ad Rom. *Si multi extitere, qui dictis illis carminibus* (*v.c. dicto nomine* I E S V) *ſanati minimè fuerunt, accuſent illi modicam ſuam fidem non dicti infirmitatem.* Et homil. 9. ad Colloſſ. *Morbis imperans terribile eſt hoc nomen. Et ſi non abegeris morbum, non hinc eſt, quod infirmum ſit hoc nomen, ſed quod vtilis ſit morbus.* Nunc ad ea, quæ obiecta initio, reſpondetur.

Ad primum. Fieri per huius ſynonymum, aut periphraſim poſſunt miranda, & quandoque facta ſunt. Vt apertius tamen & certius ipſius Saluatoris noſtri vis, maieſtas, & gloria intelligatur & celebretur, facit Deus plura per proprium ipſius nomen, quam per alia. Sed *proprium* dico eo modo ſumptum, quo apud gentes, vbi res agitur pronuntiari ſolet, v. g. apud nos I E S V S, apud Græcos *ἰησοῦς* apud Syros & Arabes *Ieſua.* Nihilominus tamen ex eorum, qui aliter pronũtiant mente, interdum etiam fit aliter. Illam enim maxime intuetur Deus, vti apud S. Brigittam lib. 6. cap. 95. de illo qui *Pater noſter* neſciebat: apud aliũ neſcio quem ſcriptorem de eo qui dicebat *Miſerere tui Deus*, & de tam multis, qui in Gallia, & alibi Latinè precantur, & quidem cum plurimis, maximeque ridiculis interdum barbariſmis, & ſolœciſmis.

Ad ſecundum: tria dico. 1. Multa in iſtis hiſtoriis parum certa eſſe: Ideoque, licet indicato loco Plinius iſta recenſeat, de re tamen tota non parum addubitat. Sic enim caput orditur: *Ex homine, remediorum primum maximæ quæſtionis, & ſemper incertæ eſt, valeant ne aliquid verba & incantamenta carminum.* Et poſtea, *ſi verum eſt: ſi ſemel recipiatur ea ratio:* Tandemque concludit, *de his ſicut libitum cuique fuerit, opinetur.* Deinde, in his nonnulla ſunt, quæ voces ſuis cum ſignificationibus commendant, quarum eſſe aliquos effectus, nemo quidem negat: ſed tantum ſupernaturales prodigioſos, & monſtrificos illos negat. Tertio, horum vero effectuum aliqui ſi euenerunt, ad ſuperſtitionem, & Dæmonum operam pertinuerunt, vt apud Auguſtinum eſt, li. 18. Ciuit. cap. 18. Delrium lib. 3. pag. 2. quæſt. 4. ſ. 8. ad ſecundum.

Ad *tertium.* Auctorum illorum Magi quidam ſunt: nonnulli ſuperſtitioſi: alii verò vel rerum euentis, vel certorum hominum narrationibus ratiunculiſque nonnullis addicti, cauſam quamcunque vel fingere, vel opinari, quam vel nullam omnino ſcire videri, vel Dæmoniacã fateri, maluerunt. Origenis verò, vt ratio argumento primo propoſita, ſic & doctrina hæc tota reſpuenda, neque, vt ait, *hæc nominis vis, aut qualitas cauſa eſt, cur Deum vocare Iouem nollent pii Chriſtiani,* ſed quia non eſt *album* vocandum *nigrum*, neque *bonum malum.* Viſi enim fuiſſent, Deum fictum colere, vel Deum verum negare, ſi ad Gentium voluntatem, Deorum nomina Deo vero tribuiſſent. Alioquin, ignoti Dei aram, & Aratei Dei propinquitatem & genus vero Dei cultui accommodauit Sanctus Paulus Actorum. 17.

Q. XV. *Sitne venerandum nomen hoc?*

N E G A N T Caluiniani, adeo vt ſiue legant Euangelium, & ad populum concionantur, ſiue alias hoc nomen audiant, caput neque inflectant neque aperiant, neq; aliud venerationis ſignum vllum edant. Sed iis primo valde aduerſatur Sanctus Paulus Philipp. 2. qui, vt ſupra probatum quæſt. 12. huic nomini honorem fieri vult. Nam Caluiniani quidnam ſunt? Cœliteſne, an terranei, an ſubterranei? At ab his omnibus, ad iſtius nominis honorem, genua flectenda, id eſt, honos aliquis deferendus. Nam pro ipſo honoris genere, ſpecies ponitur, vti & pſalm. 2. in Hebræo verſu. 20. *Oſculamini filium.* Sanè verò Caluiniani terranei ſunt. Sed qui ſe cœlitibus putant meliores, ſubterraneis verò, id eſt, Dæmonibus, & damnatis omnibus faciunt deteriores. S. Ambro. cap. 9. l. 6. Hexaem. *Flexibile*, inquit, *genu, quo præ cæteris Domini mitigatur offenſa, ira mulcetur, gratia prouocatur. Hoc. n. Patris ſummi erga filium donum eſt, vt in nomine* I E S V *omne genu curuetur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum.* 3. Synodi generales ſeptima & octaua docent, *Euangeliorum librum eſſe adorandum*, idque, *quia ſacratiſſimas nobis res proponat.* At in illo, quod nomen ſacratiorem nobis rem importat?

Tertio. Conſuetudo Eccleſiæ totius obiicitur, de qua ſupra q. 12. Iam. 4. *Extat*, ait in epiſt. Rom. ſ. 4. Catharinus, *iuſtiſſimum Pontificis decretum, quo mandatur, vt ad hoc nomen* I E S V S, *omnes inclinarent caput.* Sed de hoc ſequente quæſt. Et quando hic è Philippenſis c. 2. locus in Miſſa legitur, verbi cauſa, in *inuentione S. Crucis*, flectere debet Sacerdos genu, prout in Collectorum Miſſalium margine notatur. Concilium Moguntinum §. 2. *Codices oculis perluſtrans, cum ad venerabile & tremendum nomen* I E S V M *deueniret, caput aperit, inclinatur, & ſuſpirans in cælum oculos attollit &c.* citatq; Vaſquez noſter l. 2. de ador. diſput. 8. cap. 11. Nauarrus verò l. de oratione cap. 4. n. 5. *Statuta*, inquit, *Gallicana renocauerunt c. ſane de celeb. Miſſ. & Concilium Lugdunenſe c. Decet de immun. Eccl. l. 6. antea ſtatuit, vt cum ſublime illud nomen* I E S V S *pronuntiatur, omnes illud veneremur, ſaltem capita inclinando.* Pulchra verò, & quæ, vt auribus, ſic & mentibus hauriantur digna ſunt ipſa Gregorii verba. *Decet domum Domini ſanctitudo: decet vt cuius in pace factus eſt locus eius cultus ſit, cum debita veneratione, pacificus. Sit itaque ad Eccleſias humilis & deuotus ingreſſus: ſit in eis quieta, & deuota conuerſatio, Deo grata, inſpicientibus placita, quę conſiderantes non ſolum inſtruat, ſed & reficiat. Conuenientes ibidẽ, nomẽ illud, quod eſt ſuper omne nomen (à quo aliud ſub cœlo non eſt datũ hominibus in quo ſaluos fieri credentes oporteat;) nomen videlicet* I E S V C H R I S T I *qui ſaluũ faciet populũ à peccatis eorũ) exhibitione reuerentiæ ſpecialis attollãt: & quod generaliter ſcribitur, vt in nomine* I E S V *omne genu flectatur, ſinguli ſingulariter in ſeipſis implentes, præcipuè dũ aguntur Miſſarũ ſacra myſteria, glorioſum illud nomẽ, quandocunque recolitur, flectant genua cordis ſui, quod vel capitis inclinatione, teſtentur.* Sanctæ imagines venerandæ ſunt, vti à Bellarmino probatum diligentiſſimè. At nomina ſunt etiam quædam imagines, apud Ariſtotelem c. 1. de Interpret. & quidem ſacræ, dum ſanctas nobis res exibent. Quinto.

Digitized by Google

to. Dum Regis, Principis, præſtantiorumque virorum nomina audiuntur, honoris præfatio, capitiſque adapertio fit. Quidni cum Rex Regum & Dominus Dominantium IESVS nominatur? Cedunt tamen veritati ex eadem ſecta interdum aliqui: & Lutherani plerique, veterem iſtũ Saluatoris in ſuo nomine cultum adhuc probant, adeo vt cum Embricenſem vrbem anno 1599. hæretici tenerent, & Caluinianus præco, quam in ſchola non potuit, in curi primam, Februarii die tertio, haberet concionem, Lutheranos exacerbarit admodum, quod primo illo aditu in eos inueheretur, qui caput huic aperirent nomini: Alius verò in VVeſtphalia ſeſe, anno 1594. valde omnibus ridendum propinarit, quod cum pro concione maledictorum quædam veluti plauſtra in *Ieſuitas* effunderet, Ruſticani eius auditores, primas illas IESV ſyllabas audientes, neque magnopere de illius argumento cogitantes, honorem facerent, quotieſque *Ieſuitas* ille nominaret, (faciebat autem perſæpe) toties hi, eo in cathedra ſtomachante ac frementе, poplites flecterent. Referebat, audiente me, vir nobilis ſe, anno 1606. mẽſe Maio, cum Heydelbergam, in Reuerendiſſimi & Illuſt. noſtri aula, veniſſet, vidiſſe, Palatini aulam nullum ſanctiſſimo huic nomini honorem facere. Poſtea, eodem etiam anno, negotiorum cauſâ, illuc quoque profectus fuit, adm. Reuerendus & A.V.D. *Godefridus à Driell.* & inter alia, quæ impia viderit, narrat de hoc nomine ſic in Libello, qui ab eo inſcriptus, *Antepericope* pag. 22. *Vidi quoque aliud admirandum Heydelbergæ anno proximo præterito: nimirum vos Caluiniſtas ad auditum nomen veſtri Principis, capita aperire, dexteram oſculari, toto corpore aſſurgere, rectoſque aliquantiſper conſiſtere. Et rectè. At ad auditum Sanctiſſimum illud* DEI, *ac Domini noſtri nomen quod eſt ſuper omne nomẽ,* IESVS, *vt truncos, vt Aſinos, vt atheos, nulla prorſus exhibitâ reuerentiâ, ne politicâ quidem, conſidere.*

In Miſſa de hoc ipſo nomine legitur oratio hæc: *Deus, qui glorioſiſſimum nomen* IESV CHRISTI *vnigeniti filii tui feciſti fidelibus tuis ſummo ſuauitatis affectu amabile, & malignis ſpiritibus tremebundum atque terribile, concede propitius, vt omnes qui hoc nomen* IESVS *deuote venerantur in terris: Sanctæ conſolationis dulcedinem in præſenti ſeculo percipiant, & in futuro gaudium exultationis & interminabilis iubilationis obtineant in cœlis. Per eundem Dominum* N. IESVM CHRISTVM F. T. *Qui tecum viuit & regnat in ſecula ſeculorum Amen.* Obiici queat id, quod ſanctus refert Antoninus hiſtor. parte. 3. titulo. 24. cap. 5. §. 2. vetuiſſe Martinum V. ne radiis ſolaribus pingatur & adoretur nomen hoc. Reſpondet lib. de picturis cap. 56. Molanus, illum non ſimpliciter illud vetuiſſe, ſed ne publicè in concionibus è tabula quapiam vniuerſo proponeretur populo adorandum, idque tum, cum primo ea res à S. Bernardino fieret: ne nouitatis videlicet periculoſæ ac ſcandali aliquid in Eccleſiam inueheretur. Hoc autem procul eſſe periculum, monſtrauit experientia, vſus, poſteriorumque Pontificum ſententia, cum Clemens VII. conceſſerit feſtum de ſacratiſſimo IESV nomine inſtitui.

Q. XVI. *Quomodo*

E Catholicis putant *nonnulli* venerationem huius nominis eſſe impropriam & catachreſticam, quæ ſcilicet nihil ad nomen ipſum pertineat, ſed in ipſam ſignificatem rem feratur. Dominicus Soto lib. 2. de iuſtitia quæſt. 4. a. 2. Cordubenſis lib. 1. quæſt. 5. dub. 4. a. 2. *Alii* verò non negant quidem impropriam illam eſſe poſſe, agnoſcunt tamen etiam propriè dictam, non abſolutam, ſed reſpectiuam, vt ſcilicet rei non tantummodo ſignificatæ, ſed ipſimet nomini, propter ipſam tamen rem illam ſignificatam, honos aliquis ſit. videturque id rationi magis conſentaneum. Primò. ex citatis antea q. 15. Synodis. Secundò. ex cultus huius natura. Poteſt res, quæ ad religioſum alicuius cultum refertur, aliquo etiam ipſamet modo coli, propter id, ad quod refertur, vti poteſt ex Iſaiæ cap. 49. verſu. 7. probari, & vt patet in aliis imaginibus, codicibus, & ſimilibus. Ergo & nomen hoc. Tertiò. Ita docet S. Thomas opuſc. 60. cap. 6. Soarez. 3. p. quæſt. 2. a. 3. ſect. 5. Quæri tamen poteſt, *an omnibus Dei nominibus honor hic faciendus*, vel, an præ ceteris, *huic?* Reſpondendum poſſe quidem omnibus aliis Dei nominibus honorem haberi, doceri tamen in ſcriptura, in vno hoc maximè id faciendum, ob rationes ſupra iam allatas. Quemadmodum enim quælibet Dei imago, & quocumque ſemper loco, & ſpecie colitur, ita in Dei nominibus delectus eſt. Hinc Iſai. 12. *Confitebor tibi Domine: Ecce Deus Saluator meus veni, fiducialiter agã, & non timebo. factus eſt mihi in ſalutem. Confitemini Domino & inuocate nomen eius. Mementote, quoniam excelſum eſt nomen eius.* Et cap. 62. *Propter Sion, non tacebo, & propter Ieruſalem non quieſcam, donec egrediatur, vt ſplendor iuſtus eius, & ſaluator eius vt lampas accendatur.*

venerādum IESV nomen?

Q. XVII. *Quam præſtans hoc nomen ſit?*

EXPOSITVM id ſatis hactenus. Sed in ſummulam, quæ dictâ hic reuocanda. Præſtans igitur hoc nomen eſt. Primò. quia non ab homine aliquo, vel creatura vlla, id CHRISTO D. impoſitum: ſed à ſacro ſancta Trinitate. Secundò. quia ab Angelo in terras delatum, & tam Mariæ virgini, quam Ioſepho Matth. 1. annunciatum. Tertiò. quia res à quo nomini huic origo, ipſa inquam *ſalus*, gratiſſima eſt omnibus maximeque neceſſaria & vtilis. Quartò. quia *per nomen hoc*, & quidem *ſolum* Actor. 4. v. 12. nobis ad æternam fœlicitatem aditus. Per id effecta planè mirabilia efficiũtur. Id ab Angelis hominibus, damnatiſque ipſis maximoperè colitur & adoratur. Accedit quod à *Sibyllis* etiam acroſtichide inſigni celebratum ſit, vt in luculenta oratione pertractauit *Conſtantinus Magnus*, apud Euſebium, *in oratione ad ſacrum cœtum* cap. 18. & 19. Hoc in corde infixum inſculptũque penitus geſſit Martyr & Doctor inclytus *Sanctus Ignatius*: id mirificè adamauit & coluit *Sanctus Abraamius*, & *Sanctus Franciſcus*, vt ſupra quæſt. 14. dictum, *Catharina Senenſis*, *Sanctus Edmundus*, *Sancta Euſtochia*, ſub cuius mortuæ axilla fuit hoc nomen velut inciſum, vt eſt apud Scardeonum, & Alanum Copum dial. 3. c. 23. Ipſeque adeò S. *Paulus* Apoſtolus in vita & morte. Tradunt enim aliqui, vt *Genebrardus* libro. 3. Chronol. & locis antea citatis *Oſorius*, quingenties in epiſtolis ei nomen hoc conſignatum. Et licet tantum omnino numerum inire nondum potuerim, poſteaquam tamen ei, IESV cauſâ, gladio abciſſum caput, ter adhuc id ipſum nomẽ ingenti miraculo pro-

Ioſue. C

Digitized by Google

nunciauit, vt in *Paulo* meo attigi num. 67. D. Hieronymus in cap. primum. Epheſ. *Hoc patiebatur Paulus de nimio amore* C H R I S T I, *vt eum ſemper, quem diligebat, etiam ſuperfluè & extraordinariè nominaret.* In quibus ſanctiſſimi Doctoris verbis notes tria. Primum. Illud, *patiebatur.* Eſt enim perexcellens in diuinis amor, quando ad illa ſe ſe quis paſſiuè potius, quam actiuè habet, vt ex Dionyſio Areopagita obſeruatum. Secundum. Illud, *nimio*, id eſt, *ſummo* ſeu maximo. Nam non in ſcriptura tantum, ſed in Plauto etiam, prophaniſque aliis legimus, *nimis*, pro valde ac ſummopere. Tertium. Illud, *ſuperfluè* accipiendum non ſimpliciter, ſed ex quorundam ſaltem opinione. Sicuti & ipſe Sanctus Hieronymus in eodem Epheſ. cap. 1. verſu. 13. putauit ſuperfluè bis poſitum *in quo*, cum tamen poſterius ad *Euangelium*, cuius proximè facta erat mentio, referatur. Pulchrè verò Michael Syngelus in S. Dionyſ. Areop. orat. fol. 349. S. Paulus πολλάκις τὸ σωτήριον καὶ φερώνυμον κήρυγμα, καὶ τὸ θεῖον καὶ ἀκατάληπτον ... ὄνομα. Videlicet de ipſo dixerat Saluator ipſe Actorum. 9. v. 15. *Vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus & filiis Iſrael. Ego enim oſtendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Quocirca de hoc etiam nomine non male accipiuntur illa Zach. 14. *In die illa erit Dominus vnus, & nomen eius vnum.* Iſa. 26. *Nomen tuum, & memoriale tuum in deſiderio animæ*, Prou. 18. *Turris fortiſſima nomen Domini: ad ipſam currit iuſtus & exaltabitur.* Rom. 10. *Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.* 1. Reg. 17. *Tu venis ad me cum gladio, & haſta & clypeo, ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum.* Pſ. 42. *Salua nos propter nomen tuum Domine.* Prudentius in Apotheoſi. *Quæ iam littera* C H R I S T V M *Non habet? aut quæ non ſcriptorum armaria* C H R I S T I

Laude referta: &c.

O nomen perdulce mihi, lux, & decus, & ſpes.
Blandus in ore ſapor, fragrans odor, irriguus fons.

Mihi placent, quæ in ſtrena quadam canebat notus mihi Poëta, cum B. Virginem ipſo ſacræ Circumciſionis die loquentem inducit, ſimulque interroganti poſtea homini reſpondentem. Nam illa ſic:

Ite, Puer, I E S V, *dicite, nomen habet.*

Iſte verò,

Quod, Mater, quod nomen ais? Quod ab æthere miſit,
Qui pueri, matrem me ſuit ante, pater.
O ſuaue! ô etiam redimendum vulnere nomen!
Nempe latet I E S V *nomine cara ſalus.*
Neſcio quid ſonus ipſe refert: nec poſſe beatas
Dulcius hoc aliquid credo ſonare animas.
Huc agite, huc ſuperæ mentes, ter dicite I E S V S,
Dicite, ceu S A N C T V S *dicere ter ſolita.*
Dixerunt: repetuntq; iterumq;, iterumq;, ſtupenſque
Audiit hoc orbis, edidicitque melos.
Saxa ſonant, maria alta ſonant, ſonat arida I E S V M,
Si modò quis potis eſt hoc capere aure melos.
Solus, cui tacito ſub pectore nulla cupido
Murmurat, ille poteſt hoc capere aure melos.

Fuere olim fortunata quædam, & *boni* veluti *ominis* nomina, vt *Valerius*, *Lucrinus*, & ſimilia: Fuere quædam *ſuauia*, & *iucunda*, vt *Hyacinthus*, *Narciſſus*, *Charilaus*, *Earinus*, de quo lib. 9. epigram. 8. Martialis:

Nomen cum violis roſiſque natum:
Nomen nectare dulcius beato.

Ferunt etiam quædam *auguſta*, & in ſummo apud omnes precio ac veneratione. *Tantum*, ait in *Macrino* Capitolinus, *deſiderium nominis* A N T O N I N I *fuiſſe dicunt, vt niſi populus & milites* A N T O N I N I *nomen audirent, Imperatorium non putarent.* Et in *Diadumeno* Lampridius: *Fuit quidem tam amabile illis temporibus nomen Antoninorum, vt qui eo nomine non niteretur, mereri non videretur imperium.* Et poſtea. *Extat epiſtola Opilij Macrini, qua gloriatur, non tam ſe ad imperium perueniſſe, qui eſſet ſecundus Imperij, quam quod Antonini nominis eſſet pater factus. quo clarius illis temporibus non fuerat vel Deorum.* Vnde & paſſim hoc nomen dicitur *ſanctum*, *ſacratum*, *Cæſareum*, *Imperatorium.* Sed quid omnia hæc ad I E S V nomen? in quo beatitas æterna: ſuauitas, & iucunditas infinita: dignitas & Maieſtas immenſa. Valeant *Valerij*, marceſcant *Earini*, abſoleſcant *Antonini.* Vnum populis, gentibus, oriſque omnibus fortunatiſſimum, ſuauiſſimũ, optatiſſimum, & auguſtiſſimum I E S V nomen. in quo quæcunque optari queant, bonorum omnium complexio eſt. Salue ô ſanctum nomen. ſalue: & me ſalua.

Q. XVIII. *Poſſitne aliquis vocari Ieſus, aut Ioſue?*

D I C T V M hactenus eſt, duo hæc nomina, ipſo ſignificatu eſſe prorſus eadem: & vtroque modo heroem, cuius nunc in manibus liber, appellari. Dictum tamen etiam, fieri poſſe, vt nomina quædam propria ſint, quorum vni vnum tribuatur, non alterum. Vidi igitur hactenus perpaucos, aliquos tamen, quibus propria eſſet *Ioſue* nuncupatio. Sed qui I E S V S vocatus ſit, in Turcicis quidem hiſtoriis lego non neminẽ. Nam in *Baiazetis* illius Sultani, qui humanæ felicitatis, vt in Iudic. cap. 1. noto, verum fuit ludibrium, filiis, *Iſam*, de quo ſuprà q. 10. illæ nominant, quem Laonicus *Ieſum* vocat, & alium *Ieſum*, minorem huius fratrem. & alium rurſus *Brenezis* filium, quem l. 6. *Ieſſen* idem dixerat, prout in *Pandecte Turcico* notat Leonclauius f. 189. & 271. Apud Chriſtianos verò ſeruauit hactenus conſtãs pietas maiorum, ne nomen cœlitus allatum, ab Angelo enunciatum, in quo totius orbis ſalus, quo Dei Filius in cœlis & in terris nominatus, Angelis ipſis venerandum, hominibus adorandum, Dæmonibus tremendum, cuiquam deinceps impoſitum ſit. Sunt apud quoſdam quædam deteſtabilia, & quæ ne fari quidem dignentur homines, nomina. *Porcum*, vt ait in Thisbi Elias, *nolunt Iudæi nominare*, ſed eum generatim vocant, *dabar*, id eſt, rem. *Scellis*, dicebat Ariſtophanes, à quo & proverbium *filium abominor, & eius nomen.* Non vult *eorum, qui decertaunt alios, proferri nomina* S. Chryſoſtomus 1. ad Corinth. homil. 5. & hæretici *Acacii* nomen aboleri Anaſtaſius cupit Pontifex epiſt. ad Athanaſium Imperatorem. E contrario ſunt alia quædam nomina adeo magnifica, ſplendida, ampla, auguſtaque, vt vel ſilentio potius colantur, quemadmodum apud Iudæos nomen tetragrammaton: vel certè nequaquam peruulgentur, neque imponantur pluribus. *Antonini* die natali natus erat *Diadumenus*, & tamen *Antoninum* vocare filiũ auſus non fuit Macrinus pater, quod Imperatorium illud nomen eſſet, vti memorat Æl. Lampridius. Quemadmodum igitur ob deteſtationem (etſi in Ebracenſi Franconiæ monaſterio Deus bonus eſt, Diaboli

A boli ſepulchrum, ſicuti & Herbipoli Carthuſiam à *Tenſelio* exſtructam noui, *Iudas*, aut *Lucifer* vocari nemo vult, ita ob ſummam venerationem, IESVS nemo. Samuel Macrochianus capite vltimo: *Eiſe Arabicè eſt* IESVS. *& nullus eo nomine vocari poteſt.* Et Abulenſis Num. 13. quęſtione 36. putat etiam commodius idcirco in Bibliis noſtris *Ioſue* nomen vſurpari, quam in Græcis, aut Latinis, quæ ex illis, *Ieſu.* Quia Hippiam Tyrannum apud Athenięſes, interfecerant *Harmodius* & *Ariſtogiton*, lege cautum fuit, vt apud Gellium eſt lib. 9. cap. 2. *ne hæc ipſa eorum nomina,* B *quæ publicæ velut libertati deuota viderentur, ſeruorum cuiquam, à quoquam inderentur.* At quæ libertas maior, aut auguſtior, quàm quæ per IESVM toti terrarum orbi parta? Quis immanior Tyrannus, quàm à cuius Tyrannide vindicati populi omnes? Affecit Metium Pompoſianum, ſupplicio Domitianus quòd clariſſimorum ducum nominibus *Magonis & Hannibalis*, ſeruos appellaſſet, vt in illius vita refert c. 10. Suetonius. Quæ verò hæc ad cœleſte Regis regum, Domini dominantium nomen? Sanè verò apud Iſocra- C tem, Demoſthenem, cæteroſque ſcriptores paſſim leguntur Ἀθηναῖοι. Sed cum de fœminis ſermo eſt, etſi poſtulare id videatur loquendi analogia, communiter non Ἀθηναῖαι legimus: ſed ἀσταὶ tantum & Ἀττικαί. Indignum ſcilicet videbatur, cum vrbis illius Dea (quamuis falſa) Ἀθήνη & Ἀθηναία vocaretur, eius nomen communicare pluribus: licet aliæ ex Varrone à D. Auguſtino lib. 18. ciuit. cap. 9. & ex Metaclide, ab illius Scholiaſte Ludouico Viues afferantur. Et ſanè ſalutis conciliatio, quæ ſanctiſſimo illo nomine concluditur, ea D perfectione ac præſtantia, quæ CHRISTO DOMINO conuenit, neque hominum, neque Angelorum vlli cōuenire poteſt, neque vnquam conuenit. I*pſe ſolus*, inquit Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi 10. IESVS *appellatur vero nomine, à ſalutari medicina habens appellationem.* Et S. Bernardus ſermone 15. in Cantic. *Habuit & Iudæa,* inquit, *quoſdam Ieſus, quorum vacuis gloriatur vocabulis. Illa enim nec lucent, nec paſcunt, nec medentur. Idcirco ſynagoga in tenebris eſt, vſque adhuc fame &* E *infirmitate laborans, & non ſanabitur, nec ſatiabitur, quouſque ſciat meum* IESVM *dominari Iacob, & finium terræ.* Iterumque breuius ſermone 1. in Circumciſione IESVS *vocatur tanquam Dei filius. Neque enim ad inſtar priorum, meus iſte* IESVS *nomen vacuum, aut inane portat. Non eſt in eo magni nominis vmbra, ſed veritas.* Et ſermone 2. *Nomen* IESV *vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in vtero conciperetur. Vocatum planè, non impoſitum. Nempe hoc ei nomen eſt ab æterno. A natura propria habet, vt ſit Saluator. Innatum eſt ei nomen hoc, non inditum ab humana, vel* F *Angelica natura.* Atque hoc modo verius dicitur, *ante* IESVM *noſtrum, nullum fuiſſe Ieſum*, quàm illo modo, quem tradit lib. 3. cap. 20. Galatinus. Neque igitur hoc tempore conſentaneum, vt *Ieſus* nominetur apud nos Chriſtianos quiſpiam. ideoque Scaligerum Iulium meritò reprehendat in Elencho ſuo D. Schoppius, quòd ille libello de regnorum euerſionibus ſcripſerit, ſua in familia è Ioanne quodam natum IESVM *Nazarenum, cum Apoſtolis Petro, Ioanne, & Andrea*, ſi tamen *Ieſus* apponendus, & non ſolus *Nazarius*. *Ioſue* tamen nominari poſſit quis facilius, ſicuti

Ioſue.

A vocantur nonnulli *Adam, Abraham, Samuel, Dauid, Iſrael.* vt S. Brigittæ frater, apud ipſam in reuelationibus lib. 6. cap. 95. Cæterum ob eandem reuerentiæ ſignificationem, nulla in Polonicis tam longè lateque patentibus ditionibus nominari conſueuit *Maria*, ſic vt in gentibus aliis tam frequens eſſe nomen mirentur Poloni: & in regia nuper filiola, quæ iam mortua, velut inſolens ac nouum, *Annæ Mariæ* cognomen.

INSANIVNT contra nos, qui è *Societate* IESV, per ipſius IESV gratiā ſumus, contumelioſiſſimis ſcriptis, & vocibus hæretici, quod vel *Societas* B IESV, vel *Ieſuitæ* vocemur. Idemque tulerunt initio ſubægre, antequam ſatis cognitum noſtrum inſtitutum eſſet, Catholicorum nonnulli, vt Melchior Canus lib. 4. Locorum cap. 2. Papyrius Maſſonus in vita Pauli IV. alii apud Thuanum lib. 35. hiſtoriæ. Sed paucis quatuor hæc dico. Q. XIX. *Poſſitne ſaltem ab hoc nomine denominari quiſpiam: verbi cauſâ, Ieſuanus, vel Ieſuita?*

Primum *Poſſent Chriſtiani omnes, aut è Societate* IESV, *aut Ieſuani, & Ieſuitæ vocari.* 1. quia omnium eſt Saluator, omnibus eſt IESVS. 2. ab eo- C dem, ſecundum alterum ipſius nomen, quod eſt CHRISTVS, vocati ſunt olim, Actor. 11. verſ. 26, & etiamnum hodie vocantur *Chriſtiani.* Ergo & ab ipſo vocari poſſent *Ieſuani*, aut *Ieſuitæ.* 3. Variis modis peti poteſt ab aliquo multitudinis alicuius nomen: v. c. ſi eius ille auctor ſit, & Parens, ſi doctor, ſi caput. At Chriſtianorum omnium auctor & parens, IESVS eſt, cuius gratiā in ſacro baptiſmi lauacro regeneramur. Doctor eſt, quia viam ſalutis, Dei arcana, veram modeſtiam, manſuetudinem, humilitatem, virtuteſ- D que omnes, nos docet. Caput hominum & Angelorum eſt, quos meritorum ſuorum vi, aggregauit, in quos vitali quodam modo ſpiritualem aſſiduè vitam infundit, eoſque gubernat, celeſtibus bonis cumulat. Quidni ergo *Ieſuani* & *Ieſuitæ* ſint Chriſtiani omnes? Ad eoſdem enim omnes pertinet illud S. Pauli 1. Corinth. 1. verſ. 9. *Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in ſocietatem Filii eius* IESV CHRISTI. Et cum à Deo dicantur hominum quidam, *diuini*, à IESV quoſdam *Ieſuitas* dici, nihil obſtat. Quin verò in Cataio re- E gno, ita Chriſtianos omnes vocari docet Turcicus narrator in hiſtorica Indiæ orientalis relatione pag. 171. non ita pridem hic Moguntiæ anno 1601. editus: accipiendo tamen *Cataium* illud regnum pro iis Tartarorum terris, quæ Sinis ad ſeptentrionem finitimæ. Alioquin hoc ipſum Sinarum regnum potius eſſe *Cataium*, eiuſque vrbem regiam *Pachinum* eſſe celebratam illam *Cambala* docet, qui ex ea vrbe ſcribebat anno 1602. noſter P. Iacobus Pantoja.

Alterum. *Rectè poſſunt è tota Chriſtianorum mul-* F *titudine certi quidam homines communem illam denominationem accipere.* Nam quod omnibus commune eſt, rectè quidam accipiunt, ſi aliis iniuriæ nihil inferatur, & eorum, qui communitatis curam habent, vetet nemo: quanto magis ſi iidem ipſi approbent? Ea enim communium bonorum ratio eſt, vt iis rectè vti fruique poſſit quilibet, dum iam poſitæ adhibentur cautiones, quemadmodum patet in quotidiano vſu aëris, aquæ, viarum. & ſi quæ ciuitas paſcua habeat & fora, ſimiliter. At Societatis IESV & *Ieſuitarum* appellationem ita fert cœtus noſter, vt Chriſtia-

norum alios nullos ab eadem paronymia, ſi quidem eam velint, arceat, quodque in communis agri fructu cuilibet eſſe poteſt, id ei liberrimum relinquat. & neque Pontifex, neque Imperator, neque legitimorum totius Eccleſiæ magiſtratuum quiſquam appellationem hanc noſtram reprehendit. Imò verò approbarunt ipſi, & laudarunt ampliſſimè. Teſtes diplomata, & priuilegia tot. Teſtes tot & in tantis Prouinciis & Vrbibus excitata minimæ huic Societati domicilia. Sed, omnium inſtar, ſit Tridentini Concilii clariſſima vox seſſ.25.cap.16. *Per hæc, ſancta Synodus non intendit aliquid innouare, aut prohibere, quin religio Clericorum Societatis* I E S V, *iuxta pium eorum inſtitutum, à ſancta ſede Apoſtolica approbatum, Domino, & eius Eccleſiæ inſeruire poſſint.* Et Gregorius XIV. die 27. Iunii anno 1591. in Conſtitutione, quæ incipit, *Eccleſiæ Catholicæ. Sic*, ait, *ſtatuimus, Nomen Societatis* I E S V, *quo laudabilis hic ordo naſcens, à ſede Apoſtolica nominatus eſt, & hactenus inſignitus, perpetuis futuris temporibus, in ea retinendum eſſe.* Nonne verò & aliæ multæ multorum congregationes, quæ à communibus etiam rebus nominatæ? Ante annos 260. vigere cœpit in Hiſpania Bætica, *militum* C H R I S T I ordo, iſque à Ioanne XXII. approbatus. Ante annos 300. *ordo SS. Trinitatis*, ab Innocentio III. itidem admiſſus, de quo eius Generalis Guaguinus lib. 6. & hodie nobiliſſima eſt Romæ *Fraternitas* eiuſdem *SS. Trinitatis*: itemque alia *Saluatoris* perantiqua: Rauennæ verò *fratrum boni* I E S V *Collegium* à S. Margarita, cuius nobilitata virtus miraculis, erectum, Paulo Morigea teſte lib. de originibus religionum. Quid *ordo Ieſuatorum*? nonne ante annos 200. ab Vrbano V. aliiſque Pontificibus cenſus, & ordinibus aliis accenſus eſt? Refert rem totam Iuriſconſultus Antonius Corſetus lib. 30. quæſt. in ordinis illius laudem. Quid in Gallia nunc illuſtriſſimus nobiliſſimorum ac generoſiſſimorum Equitum flos, *qui ſancti Spiritus ordo* appellatur? Quid in Anglia quondam Catholicum, hæreticum nunc, *Collegium* C H R I S T I? Quid & in nominibus propriis? Nonne vocantur quidam, *Magni, Clementes, Pij, Probi*? Et tamen aliis quàm plurimis ineſt *magnitudo*, & ineſſe debet omnibus *clementia, pietas, probitas.* Nonne Saxonum, & Anhaltinorum Principes his ipſis annis, *Chriſtiani* dicebantur? An, eo ipſo, ſe ſolos *Chriſtianos* iactabant, aliosque Chriſtianitatis nomine ac profeſſione orbabãt? Certè *Deus* ipſe, omnium Deus. & tamen eum, quaſi ſuum proprium nominat S. Paulus 1. Corinth. 1. verſ. 4. *Gratias ago Deo meo ſemper.* Ideoque id quod hactenus de communium aut nominum, aut rerum vſu dixi, agnoſcit & ſcribit in eum locum, ex hodiernis etiã hæreticis, VVolphangus Muſculus fol. 8. *Nulla*, inquit, *iniuria afficiuntur reliqui pii, quaſi non ipſorum ſit Deus, cùm eadem charitate, fiducia, & familiaritate & illis vti liceat. Fratribus ſuis nihil præſcribit: nec fiduciam, quæ filiorum eſt erga patrem illis aufert, quæ communem patrem, ſuum vocat patrem.* Dionyſius Areopagita epiſt.10. ad S. Ioannem de iis, qui amore diuino, honorum omnium pacem diligunt, & in præſenti vita futuram inchoant, ἀγγελοπρεπῶς ... ἀνθρώπων ... ἀγαθότητι, καὶ τῆς ἄλλης ἀγαθῶν. Vbi Maximus ...

& Paſchym. iiſdem pæne verbis aiunt. ... ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ ... πάντα πράττειν ... τοῦ Χριστοῦ ὀνομαζομένων. Sed adiicit Maximus, καὶ αὐτοὺς λεγομένους ... quanto magis *Ieſuano* aut *Ieſuitas*? Ideoque vt mendaciſſimus, ſic & ineptiſſimus eſt citatus antea quæſt. 14. hæreticus Pouelus, dum Catholicam ait Eccleſiam contra ſecundum ſymboli articulum peccare, *dum Loiolanos Monachos* (ipſius enim maledica pono verba) *ſe blaſphemo ore, & inſolenti audacia Domini* IESV CHRISTI *ſocios venditantes tolerat & approbat.* Cum exoletas variis de rebus, ac præſertim de nomine iſto calumniarum crambas, de quibus lib. 36. hiſtor. narrat D. Thuanus, recoquerent anno Domini 1603. nonnulli Pariſiis, ſuſcepit ipſemet Rex veritatis ac innocentiæ patrocinium: illiſque in Luparæa Regia, anno illo, pridie S A L V T I S natæ, regiã omninò ſapientiã & breuiloquentiã, hunc in modum reſpondit: *At diſplicet hoc nomen Ieſuitarum. Cur igitur non diſplicent, qui ſe religioſos* T R I N I T A T I S *nominant? Quod ſi & iſtos, ſicuti & Ieſuitas, non probatis, cur filias veſtras eodem modo non improbatis, quæ Pariſiis vocantur* FILIÆ DEI: *Quin etiam cur vosipſos non iactatis non minus ex ordine* SPIRITVS SANCTI *eſſe quam ex hoc ordine ſunt Equites mei? Sanè malim dici Ieſuita, quam alio nomine religioſus.* Hæc magnum illud Regii oris oraculum, quod ſuam Societati I E S V nomenclationem multo magis tuetur ac vendicat, quam Socrati olim *Sapientis* nomen ac titulum Delphicus ille Loxias.

Dico tamen tertio & poſtremò, *Societatem quidem* I E S V *nuncupari optauit noſtra familia, ſed Ieſuitarum appellationem vſitauit vulgus.* Illius cauſa optima ſanè & modeſtiſſima traditur à R. P. Ribadeneira lib. 2. de B. P. N. Ignatii vita c. 11. & in eodem argumento Maffeius lib. 2. cap. 5. Vulgus verò ſpectauit, quod in aliis etiam appellationibus paſſim facit, breuitatem, ſermoniſque compendium. Hinc enim & tot in Germania, Galliaque propriorum nominum curtationes. Vide in Delrio noſtro de hoc nomine plura l. 2. Diſq. Mag. q. 10. vbi cum alios, tum Abbatem, Fumum, Scardeoniumque reprehendit, quòd *Ieſuatorum*, & *Ieſuitarum* confundant nomina. Fuit verò anno 1583. in Thuringia, neſcio quis Prædicans, qui Lutheranos ſuos, edito libello, *Ieſuitas* veros eſſe, ſicque vocandos, aſſerebat. Sed à quo non irriſus? Et quia Caluinus & Beza. 1. Corinth. 1. verti malunt, *Fidelis eſt Deus, per quem vocati eſtis, in communionem filij ipſius* I E S V C H R I S T I, de Societatis vocula, quam ex eo ſcripturæ loco, ij eiecerunt, non habent, horum aſſeclæ quiritari, niſi ad veteres Chriſtianorum hæterias, de quibus libro 10. epiſt. ad Traianum Plinius, ſeſe conferant. Legi alia poſſunt apud Tertullianum apologiæ cap. 3. Turrianum contra Boquinum. cap. 1. 3. & 6. vbi de Nazaræis, & cap. 15. ſiue vltimo: apud Franciſcum Montanum in apologia contra Arnaldum cap. 66. & 67. & in *Honoris Amphiteatro*. l. 1. cap. 1. lib. 3. cap. 2. apud Gretſerum contra Lermæum cap. 1. & 2. vbi verè quidem ait hæreticus, *Ieſuitas* in ſacris literis reperiri, videlicet Num. 26. verſ. 44. Sed malè addidit, *eos totidem literis & ſyllabis conſcribi.*

ſcribi. Nam illi τρισυλλάβως tantùm legendi, vti A monuit *Nebriſſenſis* cap. 48. cum medium illud conſonantis vim habeat, vt ex Hebræo intelligitur.

Quartò. *Qui à* IESV *appellationem accipiunt, eos æquiſſimum eſt, omni ſtudio conniti & adlaborare, vt nomini tanto ſatisfaciant.* *Nominum*, ait Sanctus Chryſoſtomus homil. 21. ad populum, *ſcire oportet dignitatem*: Et *nomina*, vt ex Alexandro Imperatore paulo poſt recitabitur, *inſignia, onerosa ſunt*: *neque* vt in Acta inquit citatus Chryſoſtomus homil. 52. *omnes ſunt Ioannes qui vocantur Ioannes. Ego*, aiebat Diadumenus B puerulus, cum & imperio, & *Antonini* nomine donatus eſſet; *elaborabo, ne deſim nomini Antoninorum. Scio enim me Pij, me Marci, me Veri ſuſcepiſſe nomen, quibus ſatisfacere, perdifficile eſt.* Commendatus apud Vopiſcum ab Imperatore Valentiniano fuit *Probus*, poſtea & ipſe Imperator, quod *adoleſcens eſſet, ac vir ſui nominis*: Clotarius à Gregorio Turonenſi lib. 10. cap. 28. *quod ſui huius nominis executor eſſet*: à Sancto Gregorio Nazianzeno in orat. S. Meletius, C *quod eſſet reapſe, quod audiebat nomine, mores inquam, & nomen haberet melleum*: à Sancto Ambroſio l. de virginibus. S. *Agnes, quod in illa* ob caſtimoniam & puritatem, *non hominis nomen, ſed martyris oraculum fuiſſet.* Diuus Hieronymus in Amos cap. 1. Pammachio ſuo loquens: *Ex interpretatione*, ait, *nominis tui, quodam vaticinio futurorum, omni arte pugnandi, aduerſum diabolum, & contrarias poteſtates te bellare demonſtras.* Militi adoleſcentiori, qui *Alexander* nominabatur, dicebat in Tyri oppugnatione ipſe Alexander Magnus: *Animosè, ò commilito. Fac facinus nomine, quod geris, dignum.* D Omnium ſcilicet ſententia eſt, bonis magniſque nominibus ſatisfaciendum. Satis autem IESV nomini fiet.

I. Si ſemper ipſius IESV nos profiteamur ſeruos, clientes, milites, diſcipulos: omni officiorum genere, omni obſeruantiæ, pietatis, religioniſque nexu erga ipſum obligatiſſimos. Sic enim & ab eo CHRISTIANI vocamur.

II. Si vt per IESVM ſalui, beatique tandem E ſimus, cupide ſtrenueque amplectamur, quæ illæ cumque ad ſalutem nobis dedit, præſcripſit, & commonſtrauit. Ea ſunt ſanctiſſimæ ipſius vitæ ac Paſſionis merita, nouæ ipſius legis ſacramenta, ſacroſancti Euangelij præcepta & conſilia. Qui enim hæc, per illius gratiam, fecerit, ſaluus erit. vt de *fide* dicitur Matth. 9. 21. Marc. 5. 39. cap. 10. 52. Luc. 7. 30. cap. 17. 19. 1. Corinth. 1. 21. *de perſeuerantia*, Matth. 10. 22. *de paupertate*, Matth. 19. 25. *de rerum humanarum contemptu*, & miſeriarum *tolerantia*, Matth. 16. 25. Marc. 3. 4. *de cultu* F *& inuocatione* Actor. 2. 21. Rom. 10. 13. S. Ambroſius cap. 9. lib. 6. Hexaem. *Imago quædam animi loquitur in vultu, fidei baſis, in qua quotidie Domini nomen inſcribitur & tenetur. Diſcedat*, inquit Apoſtolus 2. Timoth. 2. 19. *ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini.* præſertim ſanè ab eo dum ſeipſum nominat, aut cognominat, vt è Nouatoribus locum cum explicat *Ieſue.*

Bertramus Lucub. Franken. cap. 1.

III. Si eius imitemur vitam ac mores. ad quod hortatur S. Auguſtinus tract. 5. in epiſt. Ioannis. *Quomodo*, ait, *te gloriaris eſſe Chriſtianum? Nomen habes, & facta non habes. Si autem nomen ſecutum fuerit opus, dicat te quiſque Paganum. Tu factis te oſtende Chriſtianum.* (Ieſuitam.) *Nam ſi factis non oſtendis te Chriſtianum* (Ieſuitam) *omnes te Chriſtianum* (Ieſuitam) *vocent, quid prodeſt nomen, vbi res non inuenitur?*

Stemmata, inquit Satyra 8. Iuuenalis, *quid faciunt? Quis enim generoſorum dixerit hunc, qui*
Indignus genere, & præclaro nomine tantùm,
Inſignis? Nanum, Atlanta vocamus
Æthiopem cygnum. Ergo cauebis, & metues, ne
Tu ſis Creticus aut Camerinus.

Nomen, ait Saluianus lib. 4. de prouidentia, *ſine actu & officio, nihil eſt.* Alexander Mammeæ Imperator, vocatus quidem fuit *Alexander*, quia, *die mortis Alexandri Magni feſto, & in eius templo natus.* Sed cùm ei iam benè feliciterque imperanti deferretur, vt *Magni* prænomen aſciſceret, recuſauit. *Quid enim*, aiebat, *magnum feci? Cum id Alexander poſt magna geſta, Pompeius poſt magnos triumphos acceperit?* Rurſumque cum *Antonini* eum nomine ornare vellet ſenatus, *Ne*, aiebat, P. C. *ad hanc nominis neceſſitatem ne voceris, vt ego tanto nomini cogar ſatisfacere. Hæc nomina inſignia, oneroſa ſunt. Quis enim Ciceronem diceret, mutum? Quis indoctum, Varronem? Quis impium Metellum? Si Antonini nomen accipio, poſſum & Traiani, Titi, Veſpaſiani. Sicque triumphauit. Multo enim clarior viſus eſt alienis nominibus non receptis quam ſi recepiſſet*, inquit, è quo iſta, Lampridius. qui refert ei à ſenatu acclamatum: *Sacratum nomen Sacratus accipiat. Sacrum nomen caſtus accipiat.*

IV. Si nomen tantum ignauiâ, vel flagitio, vitiouè quocunque non inquinemus. De quibuſdam dixit Apoſtolus Rom. 2. 24. *Nomen Dei per vos blaſphematur inter gentes.* Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 10. *Chriſtianus* (Ieſuita) *vocatus es. parce huic nomini, ne propter te blaſphemetur Dominus noſter* IESVS CHRISTVS *filius Dei.* Saluianus ſub finem lib. 3. de prouidentia. *Magis per nomen ſacratiſſimum rei ſumus, quia, à nomine ſacratiſſimo diſcrepamus.* De Imperatore *Commodo* laudatus antea Imperator Alexander: *Commodi*, aiebat, *meminiſſe nolo, qui hoc ipſo deterior fuit, quod cum illis moribus* (fœdis nimirum ac vitioſis) *Antonini nomen obtinuit.* Rurſumque: *Nuper certè, Patres, meminiſtis, quum ille* (*Heliogabalus*) *omnium non ſolum bipedum, ſed etiam quadrupedum ſpurciſſimus, Antonini nomen præferret, & in turpidine atque luxuria Nerones, Vitellios, & Commodos vinceret, qui gemitus omnium fuerint, quum per populi, & honeſtorum coronas vna vox eſſet, hunc non ritè tantum Antoninum dici, & per hanc peſtem, violari nomen.* Et hinc illa rurſum acclamatio: *Nomen Antoninorum tu purifica. Quod ille infamauit, tu purifica. Redde in integrum, nomen Antoninorum.* Dicebat apud Plutarchum in Artaxerxe Artagerſes. ἀπὸ τὸ κάλλιστον ἐν πέρσαις ὄνομα κύρου [illegible] ἀνθρώπων. Digna vero,

quæ hic ſemel tota ponatur, D. Chryſoſtomi homil. 18. in Ioan. ſententia. *Hac*, inquit, *appellatione cæteris omnibus vehementius excitati, & promptiores ad virtutem complectandam fieri, nec ea quicquam indignum facere, conari debemus, cum eodem quo* CHRISTVS *nomine vocamur, vt Paulus teſtatur, cuius excellentiam nos intelligere oportet. Quod ſi is, qui Principis cuiuſpiam, aut alterius clari viri nomen ſortitus eſt, cum id audit, tumet, atque ſuperbit, & magnæ id ſibi gloriæ arbitratur, eiuſque auctoritatem pro viribus ſeruare nititur, quid nobis faciendum eſt? qui non Principis, non terrenæ alicuius poteſtatis, non Angeli, non Archangeli, ſed ipſius omnium Regis nomine appellari dignati ſumus? Nonne ita animam noſtram inſtituemus, vt non afficiatur infamia, qui tanto nos honore proſecutus eſt?*

V. Si & ipſi conemur eſſe quidem IESV, id eſt, *Saluatores*. Hic fremet, hic tumultuabitur, frontem, femurque percutiet hæreticus, & exclamabit! O ſuperbiam! ô inſolentiam! Vos *Ieſuitæ* vultis eſſe *Saluatores*? An præter IESVM Saluator alius vllus? Sed bona, quæſo. verba, Silentij pauxillulum pauxilliſper concede. Oſtendo, poſſe hominum aliquos dici *Saluatores*. Ac 1. quidem toto libro *Iudicum*, *Iudices*, maximè in Hebræo & Græco textu, *ſaluare* dicuntur, & Saluatores nominantur vt c. 2. v. 16. & deinceps, vt in eum librum dicitur. 2. S. Paulus *ſaluos aliquos facere vult è ſuis*. Rom. 11. 14. At qui ſaluos aliquos facit, eorum vtique *Saluator* eſt. Et 1. Corinth. 9. 22. *Omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos*. Eodēque auctore, poteſt vxoris vir *ſaluator* eſſe, viri que *ſaluatrix* vxor. 1. Corinth. 7. 16. *Vnde ſcis mulier, ſi virum ſaluum facies? aut vnde ſcis vir, ſi mulierem ſaluam facies?* S. Iacobus cap. 5. 20. *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam à morte.* σώσει ψυχὴν ἐκ θανάτου. Auditorum etiam ſuorum, Concionator, diſcipulorumque doctor, imò & ſuiipſius poteſt quis, iudice Apoſtolo, *Saluator* eſſe. 1. Timoth. 4. 16. *Attende tibi, & doctrinæ. Inſta in illis. Hoc enim faciens & teipſum ſaluum facies, & eos, qui te audiunt*, σεαυτὸν σώσεις, καὶ τοὺς ἀκούοντάς σου. Quid S. Iudas Apoſtolus? *illos*, ait v. 23. *ſaluate, de igne rapientes*. 3. Saluianus certè lib. 1. de prouidentia, hominum quoſdam vocat *ſalubres* & *ſalutiferos*. lib. 7. *ſalutis humanæ procuratores*. Cùm citaſſet ex Ioannis c. 10. in Oſeæ cap. 1. Rupertus illud, *Ego dixi, Dii eſtis, Ergo*, ait, *Prophetæ Dii ſunt, quoniam iſti ſunt, ad quos ſermo Dei factus eſt. Quod ſi Dii rectè dicuntur, nonne & Saluatores nihilominus rectè cognominantur? Si illos dixit Scriptura ſaluatores, per quos Deus temporalem Iſraeli ſalutem operatus eſt, exempli gratia, Et clamauerunt filii Iſrael ad Dominum, qui ſuſcitauit eis Saluatorem & liberauit eos, Othoniel, videlicet filius Kenez: itemque, Et clamauerunt ad Dominum, qui ſuſcitauit eis Saluatorem Aod. Si ergo illos dixit Saluatores, per quos Deus temporaliter liberauit Iſrael, quanto magis rectè illi dicuntur Saluatores, quorum labor Saluatori noſtro Deo ad noſtram æternam ſalutem cooperatus eſt?* 4. Vt vero Æſculapios, Herculem, Iouem, aliosque Deos, qui vti refert in proœmio de falſa legatione Demoſthenes, & lib. 17. Strabo, *ſoteres* ab Ethnicis, quibus verus Soter IESVS CHRI-

A STVS inauditus, dicti ſunt, omittam, ipſemet, propter quorum importunitatem & petulantiam, omnis hæc ſuſcepta iam probatio, hæretici eodem mortales quoſdam afficiunt nomine. Nam iſtorum ſator, parenſque omnium, Lutherus lib. de pueris ad ſcholam mittendis, ait *bonum Concionatorem, in regno* CHRSTI *Saluatorem eſſe: bonum item Iuriſconſultum in regno Cæſaris*. Chytræus verò in Dorotheæ funebri oratione pag. 108. *Bogislaus*, inquit, *Pomeraniæ Princeps, verè σωτήρ.* Saluatores igitur eſſe ac vocari hominum aliquos, omnino fas. Sed abſque dubio

B longe alia ratione, multoque inferiore gradu, quàm IESVS noſter auguſtum hoc ſibi iure nomen ſolus ac vnus vindicat: ὁ χριστὸς, inquit homilia 3. ad Hebræos S. Chryſoſtomus, σώζει ὡς δεσπότης: ἄγγελοι δὲ ὡς δοῦλοι, multo magis terreni, viles mortaleſque ἄνθρωποι. Agamus ergo, & magno acrique ſtudio adnitamur, primo quidem, vt noſtrum ipſorum ſinguli *Saluatores* ſimus ex Apoſtoli citato paulū ſuprà præcepto 1. Timoth. 4. 16. Incipit enim à ſeipſo charitas, & *quid prodeſt*

C *homini ſi vniuerſum mundum lucretur*, ait Saluator, *animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Matth. 16. Illudebant CHRISTO Domino crucifixo Principes Sacerdotum, Scribæ ac Phariſæi dicentes, *Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere.* Matth. 29. 42. Marc. 15. 31. Sed & de corporis tantum ſalute loquebantur, & impiè, turpitérque mentiebantur. Poterat enim, ſi quidem voluiſſet, ſeipſum ſaluum facere: poterat de cruce ſaluus & incolumis deſcendere: poterat illuſores, tortoreſque ſuos nutu ſolo diſperdere, auerruncare, ac fulminare. Sed noluit, vt ſic,

D quoad animam & corpus, ſaluos in omnem æternitatem nos faceret. At certè noſtrum cuilibet verè ac meritò, quoad animos noſtros exprobrent ſubſannabundi omnes, etiam Iudæi, & impij, *alios ſaluos facit, ſeipſum non vult facere.* non *vult*, inquam, cum per Dei gratiam, qui *omnes homines vult ſaluos fieri.* 1. Timoth. 2. 4. poſſit maximè, multoque magis, & maiore cum dedecore, noſtroque ſummo, quod auertat Deus, incommodo & luctu, in extremo iudicio

E clamabunt: *Alios ſaluos fecit, ſeipſum noluit ſaluum facere.* Abſit hoc à nobis, abſit. Quia IESV *Ieſuita* eſt, in eam primo ſummeque incumbat curam, vt ſuiipſius, per verum ſummumque Saluatorem, Saluator exiſtat, & non crucifigentium, ſed crucifixi hanc ad ſe vocem exiſtimet: *Salua temetipſum.* Matth. 23. 40. *Quis enim*, ait lib. 1. epiſt. 20. Horatius, *inuitum ſeruare laboret?* Nunquam nō in ipſius reſonet auribus ille Apoſtolicæ tubæ clangor: *Attende tibi, & doctrinæ.* Nota ordinem. Primo teipſum reſpice: te cu-

F ra: tibi attende. tum vero ad alios charitatem, laboremque tuum conuerte, alios erudi, alios doce. *Inſta in illis*, duobus ſcilicet, quæ & dete, & de aliis iam dicta: in his hære: in iſtis conſtanter ad ſupremum vſque ſpiritum permane. *Hoc enim*, quod de inſtantia, perſeuerentiaque in attentione iſta duplici, eiuſque ordine, vt primo tibi attendas, poſt vero aliorum doctrinæ, dixi; *hoc* inquam *faciens, & teipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt.* Et hoc eſt alterum, in quo omnis noſtra verſari debet contentio ac induſtria,

Digitized by Google

duſtria, vt aliorum ſcilicet *Saluatores* quoque A ſimus. Anguſta nimium eſt charitas, quæ ſolâ ſuâ contenta eſt ſalute. Non ob ſuam iſtam propriam (quamquam & hæc ipſi fuit quàm cumulatiſſima) ſed ob aliorum ſalutem deſcendit è cœlo vnigena Dei filius, & homo factus eſt, & *vocatum eſt nomen eius* IESVS Luc. 2. 21. *Ipſe enim*, aiebat Angelus Matth. 1. 21. *ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Et Apoſt. 1. Timot. 1. 15. *Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus, quod* CHRISTVS IESVS *venit in mundum peccatores ſaluos facere.* Hoc ergo & nos faciamus, docendo, monendo, concionando, ad pœnitentiam inuitando, peccata confitentibus aures dando, hæreſes dedocendo, ipſorumque hæreticorum ad veram ſanctam Catholicam Eccleſiam animos deducendo, neque id verbis tantum aut ſcriptis, ſed ipſis etiam vitæ bonæ, ſanctæque integritatis exemplis, & religioſiſſimis ad diuinam Maieſtatem precibus. AMEN. AMEN.

CAPVT TERTIVM.

De Ioſuæ geſtis; & ſpeciatim iam de geſtorum ipſorum primo; quod bellum Amaleciticum eſt.

IOSVÆ noſtri geſta duplicia ſunt. Nam eorum alia Moyſis mortem anteceſſerunt: alia ſecuta ſunt. Et iſta quidem fere in *Ioſue* libro ſunt omnia. Sed prior illa erunt è variis locis excerpenda, Exodi, Numerorum, & Deuteronomij. Eorum primum, eſt primum Iſraelitarum bellum, contra primos, qui iis ex Ægypto egreſſis, vaſtaſque inter illam & promiſſam terram, ſolitudines perambulantibus occurrerunt, hoſtes, *Amalecitas* ſcilicet; de quibus ita Moyſes Exodi 17. v. 18. *Venit autem Amalec, & pugnabat contra Iſrael in Raphidim. Dixitque Moyſes ad Ioſue, Elige viros, & egreſſus pugna contra Amalec: cras ego ſtabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu mea. Fecit Ioſue, vt locutus erat Moyſes, & pugnauit contra Amalec. Moyſes autem & Aaron, & Hur aſcenderunt ſuper verticem collis. Cumque leuaret Moyſes manus, vincebat Iſrael: ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalec. Manus autem Moyſi erant graues: ſumentes igitur lapidem, poſuerunt ſubter eum, in quo ſedit: Aaron autem & Hur ſuſtentabant manus eius ex vtraque parte. Et factum eſt, vt manus illius non laſſarentur vſque ad occaſum Solis. Fugauitque Ioſue Amalec, & populum eius in ore gladij. Dixit autem Dominus ad Moyſen: Scribe hoc ob monumentum in libro, & trade auribus Ioſue: Delebo enim memoriam Amalec ſub cœlo. Ædificauitque Moyſes altare: & vocauit nomen eius, Dominus exaltatio mea, dicens, quia manus ſolij Domini, & bellum Domini erit contra Amalec, à generatione in generationem.*

QVÆST. I. *Quis Amalec?*

STRABVS in gloſſa, vnum ex *Iſmaelis* filium eſſe vult. Sed Geneſ. 36. & 1. Paralip. 1. clare *Amalec* dicitur ipſius *Eſau* nepos, & ipſius *Eliphaz* filius. Neque tamen hic ipſemet ille *Amalec* accipiendus, cum eum eſſe oporteret annorum pluſquam 260. vt patet ex tempore, quo natus eſſe potuit Geneſ. 29. & ex iis, quæ de commoratione in Ægypto dicta ſunt Exod. 12. Sed nec eſt quartus vel quintus ex eiuſdem *Amalec* poſteris, vt exiſtimat in c. 17. Exod. q. 7. Abulenſis, qui veriſimile ait, *Principes illius populi* ab illo primo ſuo capite *ſemper Amalec vocatos*; ſed eſt ipſe populus, qui ab illo, *Amalecitarum nomen* accepit, prout perſpicitur ex Num. 13. *Amalec habitat in meridie*, & 24. *Cumque vidiſſet Amalec.* Iud. 6. *Aſcendebat Madiam & Amalec.* & 7. *Madian & Amalec.* & 10. *Sidonii quoque, Amalec.* B *& Chanaan.* Sic 1. Reg. 14. 15. 2. Reg. 1. & 8. 1. Paralip. 18. quemadmodum ſcilicet cum alibi ſæpiſſimè, tum hoc ipſo cap. 17. verſ. 11. *Iſrael*, non proprium quempiam Regem aut ducem, ſed populum ſignificat.

Hi vero *Amalecitæ* vocantur interdum *Idumæi*. Sic enim 2. Reg. 1. in Traditionibus ait S. Hieronymus, *Amalecites & Idumæus vnum eſt, quia filius primogenitus Eſau, Elaphaz fuit, & huius filius Amalec.* Vocati vero etiam poſtea ſunt *Arabes*, C & quidem ad Arabum aliorum diſtinctionem, *Petræi*, ab eorum Regia vrbe *Petra.* Ita enim eos, appellat Ioſephus lib. 3. cap. 2. Philo autem lib. 1. de Moyſe *Phœnices.* Interpretatur vero *Amalec* ex Hebræo *populus lambens & lingens* aut *deuorans*, ſecundum D. Hieronymum lib. 2. in Iſaiam: ex Syriaco *populus percutiens.* & Num. 24.

Digitized by Google

dicitur *principium gentium*, id eſt, primi hoſtium, qui ſeſe Dei populo oppoſuerunt, vt exponit lib. 3. de Trinitate cap. 20. Rupertus, & Abulenſis 1. Reg. quæſt. 3. vbi etiam monet, non eſſe totam Idumæorum gentem, ſed partem, & Num. 13. quæſt. 69. vberius de eorum ad Ægyptum & Chananæam ſitu. D. Ambroſius cap. 4. lib. Hexaem. *Amalec accipitur Rex impiorum. Iniquæ autem gentes ſunt. Vide ne principem mundi accipere debeamus, qui imperat nationibus voluntatem ſuam facientibus, cuius ſemen peribit. Semen autem eius impij & infideles ſunt, quibus ait Dominus: Vos ex patre Diabolo eſtis. Eſt etiam initium myſticum, vt illud eſt. Ego ſum primus & nouiſſimus, initium & finis. Et illud in Euangelio praecipuè, quod interrogatus Dominus quis eſſet, reſpondit: Initium quod & loquor vobis. Qui verè & ſecundum diuinitatem eſt initium omnium, quia nemo ante ipſum: & finis quia nemo vltra ipſum: & ſecundum Euangelium, initium eſt viarum Domini in opera eius: vt per ipſum diſceret hominum genus vias Domini ſequi, & operari opera Dei.* In hoc ergo *principio, id eſt, in* CHRISTO, *fecit Deus cœlum & terram: Quia per ipſum omnia facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Quod factum eſt in ipſo, vita erat: quia in ipſo conſtant omnia, & ipſe eſt primogenitus omnis creaturæ, ſiue qui ante omnem creaturam, ſiue quia ſanctus, quia primogeniti ſancti ſunt, vt primogenitus Iſrael: non quia ante omnes, ſed quia ſanctior cæteris. Sanctus autem Dominus ſupra omnem creaturam, & ſecundum corporis ſuſceptionem quia ſolus ſine peccato, ſolus ſine vanitate. Omnis autem creatura ſubiecta vanitati eſt.* De Amalecitarum autem opibus multa Ioſephus, & Iudith. cap. 4.

Q. II.
Quis Amalecitarum Rex tum? & quo ab Ægyptiaco exitu tempus?

IOBAB Idumæorum Regem de quo Geneſ. 36. & 1. Paralipomen. 1. eſſe magnum illud patientiſſimi animi exemplar I*ob*, docui Tobiæ cap. 2. quæſt. 5. & 6. in eaque iam ſententia video bonum eius libri commentatorem Pinedam noſtrum, & vetuſtiores alios, quorum meminit R. Abraham Zacuth fol. 9. 6. in *Iuchaſin*. Ea propter crediderim eum, qui ei ſucceſſit, *Huſam Themanæum* fuiſſe, qui hoc tempore Idumæorum ſiue Amalecitarum regnum tenuerit. Nam paulo antequam ex Ægypto euaderet Iſrael, I*obum* ipſum mortuum tradit *Seder Rabba* cap. 3. At bellum hoc geſtum eſt, primo liberationis huius anno, & quidem menſe altero, ſiue ante menſem tertium, vt habetur ex eodem Exodi libro cap. 19. verſu. 1. Incidit autem annus ille in mundi conditi annum ex Sederis eiuſdem calculo. 2448. ex Scaligeri lib. 5. de emend. temp. 2454. ex meo, qui medius eſt, & à me alibi probatur. 2450.

Q. III.
Quis belli huius locus?

CASTRA ſua habebant Iſraelitæ in vndecima ex Ægypto manſione, quæ veteri nomina *Raphidim* vocabatur, ſed nouo, quod ex populi ob aquæ penuriā murantis euentu acceperat, *Maſſah & Meribah*, id eſt, *tentatio & contentio*. Quod non ſatis aduertit Origenes in Exodum homil. XI. dum interpretatur, *Sin* tentationem, *Raphidim*, ſanitatem iudicij. Nam hoc eſſet verius, ſi in Hebræo eſſet *Raphidin*, nunc vero eſt *Raphidim*, vt olim pronunciabant, nunc *Rephidim*, ideoque in Græco ῥαφιδὶν pro ῥαφιδὶμ quaſi *fleruentes*, *expandentes*, vel vt in Epiſtola ad Fabiolam Sanctus Hieronymus, *diſſolutio*, aut *ſanitas fortium*, vel iuxta Syros, *diſſolutio manuum. Illud propter diſſipatum Amalec, aut ſanatum Iſrael. Iſtud propter offenſam populi contra Deum murmurantis.* Intelligendum tamen nomen hoc non tum primo impoſitum fuiſſe (Nam alioquin de eo, ſicuti & de aliis duobus traderetur) ſed factis ipſis tantummodo accommodari. Cùm vero pergerent Iſraelitæ à Meridie & Occidente verſus Septentrionem, & Orientem, & Deuteronom. 25. verſu. 18. dicantur Iſraelicici *agminis extremos* aggreſſi Amalecitæ, colligit Abulenſis hos in Meridionalem partem & Occidentalem, eaque loca vnde progreſſi fuiſſent Iſraelitæ; ſeſe infudiſſe. Videntur tamen potius in latere Septentrionali conſtitiſſe, & in progredientium Iſraelitarum vltimos irruiſſe, ſiue, vt Hebræum verbum ibi habet; decaudaſſe illos, qui itineris moleſtia debilitati tunc erant. Nam cum ibidem dicuntur *occurriſſe* Iſraeli, non eſt veriſſimile, ipſos ita poſteriora, è quibus iam perrexiſſent Iſraelitæ, loca occupaſſe, vt agminis fronti, vel corpori reliquo nihil imminerent.

Q. IV.
Quæ belli eiuſdē cauſa?

SI *Amalecita* ſpectentur, eos ad arma iſta conciuit, primo quidem *ſuſpicio & metus* aliquis, ne (quidquid negarent Iſraelitæ) ſuam ipſi regionem & regnum occuparent. vel agros certè popularentur, vt ait libr. 1. Philo de Moyſe, & prolixius Ioſephus lib. 3. cap. 2. Deinde *inuidia* quædam, & *veteris*, quam, vt interpretabantur ipſi, eorum parenti Eſau intulerat Iacob Geneſ. 27. verſu. 36. *iniuriæ memoria & vindicta.* Nam Cantic. 2. verſu. 15. ait Thargum. *Venit contra filios Iſrael impius Amalec, qui obſeruauit inimicitiam ob primogenituram ablatam, & furabatur de ſub alis nubium gloriæ, animas de tribu Dan, & occidebat eas.* R. Eliezer cap. 44. affert R. Zachariam dicentem: *Nepos Eſau fuit Amalek: & in veteri odio, ſeu inimicitiis vetuſtioris illius venit ſuper Iſraelitas, vt ex iis diſſiparet aliquot.*

Si vero *Deus* conſideretur, voluit iſto Amalecitarum flagro, Iudæorum toties & tam ſine cauſa, murmurantium caſtigare proteruiam. Vnde addit citato loco Thargum. *Tum condemnatus erat populus, niſi adfuiſſent iuſti, qui aromatibus optimis comparantur.* Et in iſtum Exodi locum, exemplo, aut ſermonis allegoria potius rem totam exponit R. Salomo. *Fuiſſe,* ait, *patrem, qui ſuis in brachiis, ante ſe filiolum geſtabat. Sed ſibi obuiam leonem cum videret, filiolum illum doſſuario corbe tectum in integrum reiecit. Sed & à tergo vidit ſequentem lupum, ideoque illum humeris geſtare cœpit. Hic vero eſuriens ac ſitiens cibum potumque petiit: & vtrumque præbuit bonus pater. Ecce interim viatores, neſcio qui: & ab iis percunctatur filius ille, parentemne ſuum alicubi viderint. Audit pater, & miratur, ſe tot hactenus beneficiis non agnitum, & qui non corpore tantū, ſed cura, & amore pluſquàm paterno præſens adeſſet, velut abſentem requiri. Stomachatur ergo & coluber devorandum illum obiicit. Sic ſanè cum Pharao, leonis inſtar, fremeret, mare rubrum, tanquam lupus ſanies*

Digitized by Google

ces panderet, cibum & potum, Iſraelitæ poſcerent, filios ſemper Iſrael tutatus eſt Deus, manna, & è petra ipſis aquam dedit. Dixerunt illi tamen eodem cap. 17. v. 7. Eſtne Deus in nobis, annon? Nunc ergo Amalecitos veluti colubro commordendos, vulnerandoſque permittit. Simile quid docet R. Phinees apud R. Eliezerem c. 44. vbi & allegoriam adhibet aliam, qua monſtratur, cur poſt annos deſerti quadraginta non expreſsè dixerit Moyſes, vt meminiſſent Iſraelitæ ſuæ illius murmurationis, *Eſtne Dominus in nobis, annon?* Exod. 17. v. 7. ſed tantummodo meminiſſent operis Amalek: quod huius nimirum cauſa fuiſſet, querula illa oratio. Addit & Lyranus, voluiſſe Deum, è conſecuta victoria, Iſraelitis addere animos, ne vllo irruentium hoſtium metu vnquàm frangantur, ſed in ſe ſpem reponant, & ad ſe confugiant, abs ſe denique ſalutem expectent. Addo ego, ne otio, deſidiaue nimia torpeſcerent, etiam, quæ ex his ſolent naſci, vitia & ſeditiones alerent, curarum iis, & formidinis aliquid indere voluiſſe. Optima enim diſſolutionis, & in peccata prolapſioris animi fultura, negotium & metus. Fuit etiam præclari Ioſuæ tyrocinij danda occaſio, & figurarum, de quibus poſtea, materies.

Q. V. *Quomodo geſtum bellum? & quibus armis?*

Tria hic deſcribuntur, *prælij apparatus, prælium, exitus.* Et ille quidem verſ. 9. in tribus ponitur, in Ducis vnius conſtitutione, in militum delectu, in auxilij promiſſione.

Dux à Moyſe conſtituitur *Ioſue.* Nam ei à Moyſe dicitur, *Elige viros.* & additur Hebraicè *nobis.* In Græcis autem eſt ἐπίλεξον σεαυτῷ ἄνδρας δυνατούς. *Delige tibi ipſi viros potentes*, ſiue *robuſtos.* Quos fuiſſe iuniores ait lib. 1. de Moyſe Philo. Expreſſit tamen hæc omnia noſter Latinus. Nam dum abſolutè ait, *Elige*, ſatis ſignificat eos ad Ducis ipſius arbitrium, & præcipientis ſententiam eligi. Et dum *viros* vocat, ſignificat minimè imbecilles, & ignauos, ſed fortes & viriles. Eſt enim, vt in Tuſcul. inquit Tullius, *à viro virtus.* R. Eliezer cap. 44. Moyſen ita loquentem facit: *Elige nobis viros, filios patrum: non degeneres, viros robuſtos robore ac virtute, timentes Deum.*

Auxilium promittitur, *Cras*, ait Moyſes, *ego ſtabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu mea.*

Prælium ergo poſtridie commiſſum, de cuius exitu poſtea. Fuerunt verò Iſraelitis arma, quæ ſubmerſis in mari rubro Ægyptiis detraxerāt, vt ait quæſt. 33. in Exodum Theodoretus, & Ioſephus lib. 2. licet ex Ægypto aliqua etiam extuliſſe opiner. Si enim auri, argenti, prætioſarumque rerum aliarum, quæ in tabernaculum poſtea collatæ ſunt, tantum extulerunt, quidni & armorum aliquid?

Q. VI. *Cur Ioſue, hoc in bello, conſtitutus Dux?*

Non ideo à Moyſe hoc in bello conſtitutus Iosve Dux, quòd bellandi peritia Iſraelitis præſtaret omnibus. Neque enim in vllo hactenus bello fuiſſe videtur, cum hoc aduerſus Iſraelitas primum ſit, & in Ægypto non bellis, ſed ſeruilibus operibus exercerentur. Neque ætate, viribus, rerumque vſu maiore, quam alij omnes fuit. Nam vel ipſe *Caleb* eum hiſce rebus videtur ſuperaſſe, qui infrà cap. 14. verſu. 11. apertis planè tibiis, canit. *Hodie 85. annorum, ſic valens, vt eo valebam tempore, quando ad explorandum miſſus ſum. Illius in me temporis fortitudo vſque hodie perſeuerat, tam ad bellandum, quam ad gradiendum.* At Ioſue poſt bellum hoc Exod. cap. 33. verſu. 11. *puer* vocatur, ſiue, *iuuenis*: & hoc libro Ioſuæ infrà cap. 13. verſu. 1. viribus iam deſtitutus ſignificatur. Abulenſis ergo cauſam tradit, quod *ſeruus Dei, Moyſis miniſter*, Hebræorumque omnium eſſet ſtrenuiſſimus. Ioſephus loco citato, quòd iuuenis eſſet pugnax, valde robuſtus, ad tolerandos labores generoſus, ad excogitandum, & eloquendum valde idoneus, quique decenter Deum & Moyſen, qui pietatis, erga Deum factus erat Magiſter, noſſet colere. Sed alia eſt etiam cauſa maior & verior, quòd à Deo, Moyſi iam ſucceſſor deſignabatur, ei principatus decernebatur, & debebat bellandi, gubernandique tyrocinium peragere, prudentiæ, fortitudinis, obedientiæ ſpecimen edere. Deinde vt ſignificaretur, nobis ex errorum & ſcelerum Ægypto egredientibus, promiſſamque cœleſtis beatitudinis terram petentibus, quis contra ſpirituales Amalecitas nobis eſſe dux deberet, *Ieſus* ſcilicet: vti obſeruat hom. 1. Origenes, qui à Ruperto lib. 3. c. de Trin. c. 20. infrà citabitur.

Q. VII. *Cur à Moyſe iuſſus Ioſue viros eligeret?*

Generalis vna cauſa eſt, quòd magni ſemper ad bella feliciter gerēda intereſſe iudicarunt, reque ipſa experti ſunt prudentiſſimi, bellicoſiſſimique duces & populi, ſi non paſſim & temerè quilibet aſſumeretur, ſed magnus, ſeriuſque delectus adhiberetur. Ideoque in Epiſtolis Seneca, *Caſtra*, inquit, *quos ad laborem & periculum accipiunt, faſtidiosè accipiunt. Vireſque regni & Romani nominis*, ait Veget. lib. 1. cap. 7. *fundamentum in prima delectorum examinatione conſiſtunt.* Neque vt rectè in politicis monet Ariſtoteles, ad omnia omnes idonei.

Sunt quibus Eleæ concurrit palma quadrigæ:
Sunt quibus in celeres gloria nata pedes.

Et elegantiſſimus ciuilis doctrinæ Magiſter l. 5. cap. 8. *Cui*, ait, *vſui quamuis magna Equitum, peditumque multitudo; ſi ignaua, imperita & tantum multitudo? Tu ſcito ex Seneca* 6. de benef. c. 31. *non vires eam habere, ſed pondus, & eſſe*, vt ait Liuius li. 1. *impedimentum maius, quam auxilium.* Græcorum quidam ſcitè monuit χειρῶν δεῖ τῷ πολέμῳ καὶ οὐκ ὀνομάτων πολλῶν id eſt, *Manibus opus eſt bello; non multis nominibus*; nomina hic ſumendo prout expoſui Act. 1. Nam *in omni conflictu non tàm prodeſt multitudo quàm virtus*, ait iam citatus Vegetius lib. 1. cap. 8. etiam *in multis legionibus, pauci ſunt, qui prælia profligant*, vt loquitur Tacitus libro 14. Annal. Ideoque deligendi optimi quique & fortiſſimi. *Speciales* aliæ cauſæ ſunt quia iudicabat Moyſes, non eſſe neceſſarium, totis Iſraelitarum caſtris negotium faceſſere. Id enim & moleſtum eſt, & inglorium. Ideoque infra cap. 7. verſu. 3. aiunt illi quos, ad explorandam Hai, miſerat Ioſue. *Non aſcendat omnis populus, ſed duo vel tria millia virorum pergant, & deleant ciuitatem. Quare omnis populus fruſtra vexabitur contra hoſtes pauciſſimos?* Conſtituit verò aliorum paucos, ait Ioſephus, circa aquam è petra ſcaturientem, vt eam cuſtodirent, plurimos verò circa infantum mulierumque cuſtodiam. Deinde præſignifi-

Digitized by Google

catum, ipſius CHRISTI IESV maximè A partes fore, vt ſtrenuos, robuſtoſque viros deligat, quos in aciem ipſe contra omnes inſidioſorum Amalecitarum copias educat. Homilia 11. in Exod. Origenes. *Moyſes*, ait, *vocat* IESVM, *lex vocat Chriſtum. vt eligat ſibiipſi viri potentes de populo. Non poterat Moyſes eligere: Sed* IESVS *ſolus eſt qui poſſit potentes viros eligere, qui dixit, Non me elegiſtis, ſed ego elegi vos. Ipſe enim electorum Dux, ipſe potentium princeps, ipſe qui confligit cum Amalec. Ipſe eſt enim qui intrat in domum fortis, & alligat fortem, & vaſa eius diripit.* Breuius in B eandem tamen ſententiam quæſt. 34. Exod. Theodoretus. IESVS, ait, *cum ſaluatore noſtro cognominis trophæum ſeruauit, tam in eo quod appellationem hanc adeptus eſt, quam ob id, quod vſus eſt opera delectorum virorum, ſicuti* CHRISTVS *ſacrorum Apoſtolorum vſus miniſterio.*

Q. VIII. *Quiſnam collis, in quē aſcēdit Moyſes?*

IN Latino abſolute quidem dicitur, *in vertice collis*, ſed in Hebræo & Græco, *in vertice collis huius.* ita vt demonſtrari videatur ille ipſe collis, de quo paulo ante dictum erat; *Horeb* ſcilicet. C Notat vero Homilia 11. citato Origenes, quod non in *montis*, ſed *collis* verticem aſcendat Moyſes. Sed id haud firmum ſatis. Licet enim diſtingui duo hæc ſoleāt vti patet, cum dicitur *Montes & colles.* Iſa. 40. v. 4. c. 42. v. 15. Pſal. 147. v. 9. dum tamen hic dicitur non ſimpliciter *collis*, ſed *vertex eius*, monſtratur in aliquo quidem montis Horeb colle fuiſſe petram illam, vnde Moyſes antea tantam aquarum vim eduxiſſet: nunc verò aſcendiſſe altius, ad ipſum collis illius cacumen ſeu verticem, qui multo erat editior, & in ipſo iam monte. Idque patebit magis ex ſequenti- D bus. Quomodo verò *mons* idem ſit *Sinai* & *Horeb* dixi. Exodi. 3.

Q. IX. *Cur aſcendit illuc Moyſes?*

AN ſenio nimio grauis & ad arma ineptus? Annorum erat quidem tunc 80. vel 81. ei tamen quod antea de ſe referebat Caleb, q. 6. congruere poterat. Nam Deutero. vlt. v. 7. ſcribitur *Moyſes* CXX. *annorum erat, quando mortuus eſt. Non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti ſunt.* An rei forſan militaris indoctus? Longe de eo alia Ioſephus lib. 2. dùm & peritiſſimè bella difficil- E lima iuuenem confeciſſe, & bellicam accuratiſſimè diſciplinam præſcripſiſſe docet. Ridet verò *in Votis* neſcio quem Lucianus, qui è ſublimi quopiam loco pugnantes videre optabat, ſed vt in prouerbio eſt, extra teli iactum. An in Moyſe curioſitas, timiditaſque huiuſmodi?

At Ioſepho ſi credimus, caſtra ſæpè, ſæpe acies, furentemque Martem viderat: certe in virum tantum, qui Ægyptium validè occiderat, iratum Pharaonis vultum, ſanguinarios, minaceſque oculos, ipſoſque pœne mucrones & gladios ſuſtinuerat, tàm ignaua & puerilis non ca- F dit ſuſpicio. Caluinus indignationis diuinæ ſignum ſuſpicatur, quòd ſuam hoc tempore præſentiam ſubducat Moyſes. At parum apte ſignum hoc daretur, cum ſe potius ideo montem aſcendere dicat Moyſes, vt opem ferat, eamque multo maiorem & diuiniorem. Ideoque diuino Moyſen ſpiritu impulſum dubitare non poſſum, *primo*, vt quemadmodum iamiam dixi, opis prælientibus plus afferret. *Profecto*, inquit Philo. lib. 1. de Moyſe, *Imperatore* IESV, *properauit Moyſes ad quærendum maius auxilium.* A quo autem quæſendum niſi à Deo? *Deinde*, vt dum abeſſet ipſe, iunioris *Ioſuæ* Ducis prudentia & virtus magis eluceret. *Tertio*, vt quid in bellis faciendum ſemper eſſet, oſtenderet, alij ſcilicet cum hoſte manus confererent, alij ad cœlum eas tollerent. *Quarto* vt eorum, quæ poſtea notabuntur, figuras ederet.

Q. X. *Qui cum Moyſe aſcenderunt, quiſnam? & maximè Hur?*

ASCENDIT cum eo ſenior eius frater Aharon, & Hur. Et ille quidem notus, hic verò non item, qui hic primò, deinceps verò ſæpius B nominatur. c. 24. 31. 35. alibi. Ideo quiſnam fuerit, quæri ſolet. Exiſtimant R. Eliezer. cap. 45. Abulenſis quæſt. 5. & 1. Paralip. 2. quæſt. 8. & 9. & nonnulli, *Calebi*, qui in exploratorum Chananæorum numero fuit, Num. 13. & *Mariæ*, quæ Moyſis ſoror, filium fuiſſe. Sed refelluntur, quia vt ſuprà indicatum quæſt. 6. ex Ioſuæ 14. hoc anno erat *Caleb* annorum tantummodo 39. *Maria* vero minimum erat 90. annorum, vt ex dictis Exodi cap. 2. certum eſt. At quod vetulæ anus cum iſto coniugium? & C quando id initum fuit? Nam 1. Paralipom. 2. duas legimus Calebo vxores fuiſſe. Prior erat *Azuba*, poſterior *Ephrata.* Ideoque vel poſt eas ducenda fuiſſet Maria, vel earum altera fuiſſet. Non *Azuba*, quia prænaturè mortua eſt. Non Ephrata, quod tamen illi aiunt, quia hæc in Chananæa nomen *Ephrata* dedit ipſi *Bethleem.* At in Chananæam non peruenit Maria Num. cap. 20. Et fuiſſet non niſi puer & pœnè infans, hoc tempore, Hur, qui tamen Exod. 24. à Moyſe in Sinai montem aſcendente, contro- D uerſiarum, ſi quæ orerentur, cum Araone Iudex hoc ipſo anno creatur, verſu. 14. Denique iis, quæ ipſimet concedunt, ſatis arguuntur. Dicunt enim Caleb anno ætatis ſuæ octauo vxorem accepiſſe Azubam, è qua ſecuto anno genuerit *Ierioth*: anno ætatis decimo Ephratam duxiſſe: ex eaque eodem anno ſuſcepiſſe filium iſtum *Hur*: & hunc ipſum poſtea cum eſſet annorum 8. genuiſſe *Huri*: hunc verò ſimiliter cum eſſet annorum 8. procreaſſe *Beſeleel*, qui annos 10. natus tabernaculum fecerit Exod. E 31. Quæ tandem abſurda vel fictitia ſunt, ſi hæc non ſunt?

Auctor Traditionum 1. Paralipom. cap. 2. eundem facit *Calebi* eiuſdem *filium*, ſed *Mariæ virum.* At eadem fere abſurda ſunt, maximè illud tamen puerile, iſti Hur Mariam nupſiſſe anum eo ætatis ſuæ tempore, quo ſe naturaliter parere poſſe negabat Sara, Geneſ. 18. verſu. 12. Ipſe vero Abulenſis anceps eſt. Nam etſi conſtanter Calebi filium inficiatur, Mariæ tamen modo filium, modo virum conſtituit. F Vtrolibet nimirum modo, vir ætate iam prouectiore poterat nunc eſſe Hur. Et ſane *virum* fuiſſe affirmat etiam Ioſephus lib. 3. cap. 2. At virginem perpetuò manſiſſe *Mariam*, non deſunt, qui aſſerant, boni auctores, Nyſſenus de Virgin. cap. 9. D. Ambroſ. Epiſtol. 82. Et è recentioribus Tom. 2. in 3. pa. diſp. 6. ſect. 3. Soarez. Malim tamen Ioſepho aſſentiri. Neque. n. illis temporibus facilè aliquam fuiſſe putem, quæ nubere nunquam liberoſque nullos procreare voluerit.

Neque

Neque illud valdè conſtanter & ſeriò aſſerunt citati Patres, vt in ipſis videre eſt. Si enim hanc certò virginem aſſeuerare potuiſſent, quàm eorum, dum de virginitatis laudibus tam multa, tamque præclara ſcriberent in huius vnius tam lectæ, tamque illuſtris fœminæ tam veteri & probato exemplo, triumphaſſent ingenia? Dico præterea, *Hur*, iſtum fuiſſe *Calebi filium*, ſed non illius, qui nunc annorum erat x x x I x, quique cum I o s v Æ noſtro poſtea in Chananæam explorator mittetur. Clarè ſiquidem & diſtinctè *duos* nobis tradit ſcriptura *Calebos*. Vnus Iephonæ filius dicitur: & huius filij fuerunt Hur, Ela, Naham, 1. Paralipom. 4. verſu. 15. Et hic fuit exploratorum illorum vnus. Alter Eſronis filius, qui & *Calubi* vocatur. 1. Paralipom. 2. verſu. 9. Cuius ex vxore poſteriore, quæ *Ephrata*, noſter iſte *Hur*. 1. Paralipom. 2. verſu. 18. 19. & additur verſu. 20. *Porro Hur genuit Vri: & Vri genuit Beſeleel.* Quod ſi in difficillima iſta queſtione attendere paulòm lubeat animum, videbis & annos & coniugia conſonare omnia. Cum enim fuerint poſt Iacobi aduentum, Iſraëlitæ annos 212. in Ægypto, vt Exod. 12. probaui, ſic exiſtimare iam licet.

1. *Iudas* cum deſcenderet in Ægyptum annorum erat 44. ex Chronologia in Geneſi tradita: & filios amiſerat primos *Her* & *Onam*, habebatque ſuperſtites, *Selam*, *Phares*, & *Zaram* Geneſ. 46. verſu. 12.

2. *Phares*, primogenitum habuit *Eſron*. ibid. & 1. Paral. 2. v. 5. Qui cum in Ægyptum deſcenderet Iacob, vel nondum natus erat, ſed per anticipationem, vt alii quidam, numeratus Geneſ. 46. vel certe admodum infans erat. Si enim ex Iudæ annis 44. detrahas annos, quibus primos tres edidit filios quam citiſſime verbi causâ, anno ætatis 14. & 15. Supererunt eius anni 29. Adoleſcant illi ad idem nuptiarum tempus, & rurſum ex 29. detrahantur 15. Supererunt 14. Iam detrahantur iterum verſ. c. annus vnus vel alter, quo Selæ maturos nuptiis annos expectauit Thamar Geneſ. 38. verſu. 11. 12. & reſtabunt 13. vel 12. Tumque *Iudas ex Thamar genuit Phares*, qui, dum in Ægyptum iretur, annorum fuerit ad ſummum 12. & ſic nondum ex eo natus Eſron. Vel ſi paulo aliter poſitis calculis, velis eum eſſe annorum 14. aut 15. vt iam Eſron genuerit, certe is, vt dixi, erat in deſcenſu illo infantulus.

3. *Eſron* iſte, paulo antequam eſſet annorum 60. genuit è priore vxore *Calebum*, qui fratrum ex illa ſuorum erat minimus, 1. Paral. 2. v. 9. & 21. Ex annis igitur Ægyptiacæ commorationis, ſubducendo iſtos 59. antequam gigneretur Caleb, reſidui erant. 153.

4. *Caleb* iſte, quia non niſi è poſteriore vxore ſua *Ephrata* ſuſtulit *Hur*, id recte cenſuerimus factum anno eius ætatis 60. qui detracti ex illis 150. reliquent 93.

5. *Hur* igitur in Ægyptiaco exitu erat annorum 93. Sicq; clariſſime animaduertitur, quomodo Moyſis ſororis, *Mariæ* vir eſſe potuerit, quomodo tam Moyſe, quam Aarone ſenior Exod. 7. verſu. 7. quomodo cum eo controuerſiarum diſceptator conſtitutus, quomodo denique *Vri* pater & *Beſeleelis* auus, Nam.

6. *Vri primogenitus ipſius Hur* 1. Paral. 2. v. 20. Sit, verbi cauſa, natus anno eius 30. fuerit is in Ægyptiaco exitu, annorum 63.

7. *Primogenitus verò ipſius Vri fuit Beſeleel* ibidem. quem dicamus ab illo genitum anno ſimiliter ætatis 30. fuerit in eodem ex Ægypto exitu, annorum 33. vt rectiſſimè tabernaculo conſtruendo, & perpoliendo artem, operamque ſuam nauare potuerit. Concludo igitur *Hur*, qui cum Moyſe, in Horeb montem, Amalecitici huius belli tempore, aſcendit, *fuiſſe Moſaicæ Mariæ maritum*, & *Calebi filium*, non illius, qui Iephonæ filius, & in exploratoribus fuit, ſed *qui ex Eſrone prodiit*. Cæterum de Caleb altero, alibi.

Q. XI. *Quid in vertice iſto fecit Moyſes?*

P r i m ò ſubſtulit ambas in cœlum manus. Poſitus enim eſt in Hebræo pro plurali ſingularis, vti non Latinus tantum noſter monſtrat, ſed Septuaginta etiam, & ipſa, quæ pluraliter ſubiungitur ratio. *Manus autem Moyſi erant graues.* Eaſdem eum etiam extendiſſe negat Homil. 11. in Exod. Origenes. Cuius tamen contrarium perſuadet non communis tantùm pictura, ſed & vetus Iudæorum mos, ipſaque adeo poſtmodum facta brachiorum ſuſtentatio. Cum enim ab vno latere ſteterit *Aaron*, ab altero *Hur*, apparet paſſa brachia, manuſque fuiſſe. ſicque ſentit Theodor. in Exod. quæſt. 34. & Tertull. lib. 3. contra Marcionem. *Extenditque manus, vt ſigno vinceret hoſtem.*

Secundò. In manuum altera Dei virgam tenebat. Ita enim facturum ſe promiſerat. verſu. 9. Et de huius virgæ nominibus, materia, & dignitate dixi Exod. 7. *Tertiò.* Huic corporis geſtui, & ceremoniæ ardentes preces coniunxit. Id enim & ex communi omnium ſententia colligitur, & ex his ipſis cæremoniis. Manuum enim illa extenſio, & virgæ protenſio, propter preces ipſas, ſuſcepta. *Quarto.* Fecit vero initio iſta, ſtans. Nam verſu. 9. ait, *ſtabo*, vbi Septuaginta præteritum adhibuerunt propheticum, quod rem certò futuram notat [illegible] pro [illegible], vt in Hebræo etiam eſt. *Quinto.* Mane incipit Moyſes precationem iſtam, eamque, toto die, vt rectè in annotationibus Elucidatoriis ait Hugo de S. Victore, vſque ad occaſum ſolem continuauit. Nam finis hic in textu diſertè poſitus eſt: Matutinum verò illud initium colligitur primò quidem ex eo, quod dixerat Moyſes eodem verſu. 9. *Cras ego ſtabo.* Nam cum eo die prælium commitendum eſſet, cæteraque omnia Ioſuæ demandaſſet, nihil ſupererat aliud, niſi vt vnum hoc ageret, ad precationem ſeſe ilico conferret, ipſum Iſraeliticorum bellatorum è caſtris egreſſum præuerteret, virgam illam quaſi certiſſimum victoriæ ſignum præferret: ſicque ingentes omnibus animos faceret. Deinde colligitur & ex altero termino. Qui enim vſque *ad occaſum ſolis* quidquam quenquam feciſſe ait, ſi meridiem, vel tempus aliud, quo inceperit, non addat, ſignificatum vult eum ab ſolis eiuſdem ortu, ſeu bene mane, cœpiſſe. Sicque narrat Ioſephus loco citato. *Sexto.* Hinc verò ſequitur, toto etiam die iejunum eundem perſtitiſſe. Curarunt, vt moris eſt, delecti milites corpora quiete, ciboque aliquo, vt ad pugnam erectiores, puluerisque & laboris, longi præſertim, & cruenti, eſſent tolerantiores.

Digitized by Google

Moyſes verò animum præparauit, & vt eſſent in cœlum vota penetrabiliora, his ieiunium copulauit. Neque à lachrymis temperaſſe, mihi facile flagrans & demiſiſſima eius animi religio & attentio perſuadet. Certè flexiſſe illum humi genua, pronumque in faciem interdum ſeſe proſtrauiſſe ſcribit R. Eliezer c. 44. vti ſub quæſtionis huius finem audiemus. Imo, vt ait Ioſephus citato loco, *pridiana prælij nocte peruigilauit*, ipſumque *Ioſue*, quemadmodum exercitum collocaret, docuit: vt verò Philo loco citato, *ſolemnibus ſeſe luſtrationibus expiauit*: Sicque caſtus, purus, & ſanctus montem inſcendit, cum tamen adhuc, ipſo mane armatam illam multitudinem *verbis egregiè confirmaſſet*, vt addit Ioſephus.

Sed cum illic dicto iam modo ſtaret ac precaretur, ex mora nimia, laſſari cæperunt genua, lapſitare manus, totumque ſenile corpus langueſcere. Neque tamen optimus precator à cœpto deſtitit, neque ilico cedere, vel ſedere, ſenex cœpit: multo minus cibum, aut puluinum poſcere: ſed contra languorem, corporiſque ſui imbecillitatem totis nitebatur viribus. ſeſe lapſantem iterum colligebat, iterum manus erigebat: iterum virgam tollebat. Idque toties, & tamdiu faciebat, donec eum omnino vires deficerent, neque quid poſſet amplius. *Octauo.* Tum vero neque precandi finem facere, aut è loco excedere voluit: ſed ad alium ſe orandi modum contulit. De quo iam. Origenes ſub finem Hom. 6. in Leuiticum. *Ad bella*, inquit, *non vadit Moyſes, non pugnat contra inimicos. Sed quid facit? Orat. Et donec ille orat, vincit populus eius. Si relaxauerit, & dimiſerit manus, populus eius vincitur & fugatur. Oret ergo & ſacerdos Eccleſiæ indeſinenter, vt vincat populus, qui ſub ipſo & hoſtes inuiſibiles Amalechitas, qui ſunt dæmones, impugnantes eos qui volunt pie viuere in Chriſto.* Præclarum verò & perutile omni populo exemplum eſt, cum bonis in rebus præeunt Principes, Pontifices, Eccleſiaſtici. *Totus*, ait R. Eliezer in citato 44. capitulo. *Iſrael*, ſeu, *omnes Iſraelitæ ſtabant extra ſua tabernacula, & videbant Moyſen genibus flexis orantem: ideoque & ipſi ſua flectebant genua. Videbant eum in faciem ſuam procidentem: procidebant & ipſi ſuper facies ſuas. Videbant eum ad cælos ſuas tollentem manus: Tollebant & ipſi ſuas. Vnde diſcendum, quòd orante congregationis capite*, quod quidam illius veluti *Apoſtolus* & apud Deum *internuntius* eſt, *omnis populus eum ſequi, & reſpondere Amen ſoleat.* Vnde S. Hieron. lib. 2. aduerſus Iouin. *In Exodo ait, aduerſus Amalec k oratione Moyſi, & totius populi vſque ad veſperam ieiunio dimicatum eſt.*

Q. XII. *Quid cum Moyſe Aaron & Hur fecerunt?*

VIDERVNT iſti ſummum *Moyſis* in precatione laborem, & conſtantiam viderunt extremam corporis totius laſſitudinem & imbecillitatem. Ergo ei remedium & opem afferre cogitarunt, non diſſuadendo, ne in oratione pergeret, (clarè ſiquidem quantum in ipſius precibus præſidij, eſſet, perſpiciebant) ſed ad ſeſſionem, & modicam brachiorum alleuationem hortando: ſtatimque non veſtes, non ex herbis thorulum, non denique molliculum quippiam, cum eiuſmodi præſtò nihil eſſet, & ſi eſſet, aſpernari ac reſpuere norant Moyſen, ſubſtrauerunt: ſed ſaxum quodpiam in ſicco illo montis Horeb cliuo forte inuentum poſuerunt, & ſuper eo, vt ſederet ille, curarunt: Deinde ſedentis ambas manus acceperunt, vnus quidem à dextra, à læua verò alter: eaſque ſic, tota reſidua diei parte, vt in cœlum ſublatæ ſemper eſſent, ſuſtentarunt. Hoc enim, quidquid contra velit Oleaſter: Hebræum verbum ſignificat, vt & noſter & Septuaginta interpretes verterunt. At Philo loco citato videtur tradere, non à quoquam manus Moyſes apprehenſas & ſuſtentatas, ſed nouo prodigio, eas diuinitus, quaſi pennas haberent, in aëre volitaſſe: ſicque ſublimes ad noctem vſque manſiſſe. Sed ipſi hoc textui, vt vidimus, aduerſatur, qui, tam claris verbis, ſuſtentationem Aaroni & Hur, hinc & inde ſtantibus tribuit.

Neq; verò ambigi poteſt, quin & à diei principio ſuas ſimul cum illo preces iunxerint, & nunc porrò iungere perrexerint, vt cum alterius ipſi brachia fulcirent, mentibus in Deum eſſent erectiſſimis. Quid enim viri boni & graues? Num in tanto rerum diſcrimine, dum de ſumma rerum agitur, dum, qui alias in caſtris manere, populumq; ibidem conſolari, & ſi quis forte motus exoreretur, compeſcere potuiſſent: Moyſen, illo in cliuo, tam intentè, tam aſſiduè, tanta cum defatigatione preces & lachrymas fundentem, virgam illam ſacram, ſacram, quodam velut auxilii pignus, Deo monſtrantem intuentur, ſpectatores tantùm ocioſi eſſe potuerunt? Non cum eo impranſi, comprecati, collacrymati?

Sed ambiguum tamen eſſe illud poteſt, cur non & ipſi ſeſſione, manuumq. fultura opus habuerint? Mihi videntur duo. *Vnum* quidem, eos, cum feſſi eſſent, ſediſſe interdum, manuſque remiſiſſe: neque contra corporis ſui grauitatem & incommodum ita pugnaſſe, quod ſcilicet non tantum in ſuis, quantum in Moyſis manibus & precibus momenti aduerterent. Imò cum Moyſis manus tenerent, ſi quando volebant, pauſare poterant: & manus ſuis ipſe viribus tantiſper ſurrigebat Moyſes. *Alterum*, eos ideo defatigatos minus, quod maiore Moyſis animus impetu & conatu in Deum ferretur, preceſque conciperet. Solet autem exinde corporis vigor aliquantulum fatiſcere ac debilitari, vti docet etiam in literarum ſtudiis, & commentationibus experientia. Quam verò dixi ab iis *ſponte* Moyſi allatam opem, eam *Moyſis iuſſu* factam putat Ioſephus.

Q. XIII. *Quomodo interim præliabatur Ioſue.*

PRVDENTER ſanè fortiterque rem agebat *Ioſue*: Mars tamen alternabat, & modo vincebant Iſraelitæ, modo Amalecitæ. Cuius rei cauſam affert duplicem Abulenſis, ſed veriorem eam cenſet, quòd quos ad pugnam delegerat Ioſue, inepti eſſent, *habentes*, ait, *corda pauitantia, & ſeruili timore depreſſa, & viribus carentes, ab omni animoſitate aliens.* Non queo tamen aſſentiri. Nam ridicule præcepiſſet Moyſes, viros idoneos deligeret Ioſue, ſi tales nulli fuiſſent, aut certe nō feciſſet Ioſue, *vt locutus erat Moyſes*, contra quam textus aſſerit verſu. 10. An verò quiſquis aliena tyrannide opprimitur, ingenio ſeruili eſt? An pauidus, eneruis, & ignauus omnis, quem aliena vexat iniuria? Erant in Ægypto duris, ruſticiſque operibus exerciti Hebræi, an ideo

timidi

Digitized by Google

timidi, effœminati, & imbelles? *Fortior*, inquit in epiſt. Seneca, *miles è confragoſo venit*, & *ex agris*, ait Vegetius lib. 1. cap. 3. *ſupplendum robur præcipuè videtur exercitus. Aptior enim armis plebs ruſtica, quæ ſub diuo, & in laboribus enutritur.* Catonis l. 1. de re ruſti. cap. 1. ſententia eſt. *Ex agricolis & viri fortiſſimi, & milites ſtrenuiſſimi gignuntur.* Quia ſcilicet, vt apud Tacitum lib. 6. Annalium eſt, *duritiæ, patientiæq; magis inſueuere.* Mihi abunde cauſa, quam ipſe textus indicat, ſatis eſt. *Cum leuaret Moyſes manus, vincebat Iſrael, ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalec.* Verum & huius cauſa inquiri rurſum poteſt: ſed ſequenti quæſtiunculæ ſeruetur.

Q. XIV. *Cur, ſublatis Moyſis manibus, vincebant Iſraelitæ, depreſſis, vincebantur?*

QVANDO ſuum in prælio vexillum & labarum ſtare vident milites, ſtant & ipſi animis, ſpeque adhuc bona dimicant. Vbi verò ſediſſe viderint, cadunt & ipſi animis, ſpem abiiciunt, vincunturque facilius. Iſaiæ 10. verſu. 18. Dixere igitur aliqui, *Moyſis manus* fuiſſe hoc in prælio *vexillum*. ſicque illis ſublatis, viciſſe Iſraelitas, depreſſis, victos fuiſſe. At niſi Metaphoricè locuti ſint, iniuriã & Moyſi & Ioſuæ faciunt. Quomodo enim iſti manus illas tam exiguas, tam à prælii loco remotas pro vexillo ſtatuiſſent? Cur non totum potius Moyſen? aut hunc, & Aaronem, & Hur ſimul? Melius enim videri potuiſſent. At ne rectè quidem aut ipſi, aut in eo monte quidquam pro ſigno eſſe potuit, ne ſi verum quidem vexillum fuiſſet. Nam à pugnantium tergo, Septentrionem verſus, erat Horeb. Quid verò à militari alienius diſciplina, quàm à tergo, quod in omnium oculis eſſe debet, ſignum ſtatuere, vt id non aſpicere, ſed reſpicere acies tota debeat? Lyranus verò in *populi peccata* cauſam confert, quæ Moyſis nimirum manus degrauabant, ideoque & cladem afferebant. Diſſentit Abulenſis. ſed crediderim equidem, ideo cæſos aliquot, vt pœnæ de populo aliquid ſumeretur. Nam huius etiam peccata bello huic occaſionem aliquam dediſſe, dictum antea eſt qu. 4.

Sed, ſunt & *aliæ cauſæ* plures & grauiores. *Prima*, vt ſecutus belli euentus non tam armis & viribus, quam precibus & lachrymis, non tam hominibus, quam Deo ipſi aſcriberetur. D. Auguſtinus de ſanctis ſermone 4. de S. Stephano cap. 1. *Ieſus mane in eremo pugnabat, & Moyſes orabat. Non quidem ambo pugnabant, & ambo orabant; Sed vnus pugnabat & alius orabat. Merito qui pugnabat, non deficiebat, quia ille orando vincebat.* Sicque ſuos ipſius ad populum ſermones, eorumque vim & fructum alienis auditorum, ouiumque ſuarum præcibus adſcribit idem S. Auguſtinus: & in eis ſpem non paruam ponit, dum pergit dicere: *Ita & ego loqui quidem videor, ſed aliis orantibus loquor, vt precibus eorum contingat mihi quod Dominus ait, Aperi os tuum, & ego adimplebo illud. Si ille ab vno tantum orante iuuabatur, & non ſuperabatur: quanto magis ego, pro quo non vnus, ſed multi rogant* D E V M *meum? Altera*, vt quemadmodum præſentis in pugna Ioſuæ virtus, ſic abſentis in monte Moyſis ſanctitas, & apud Deum gratia teſtata omnibus fieret. *Tertia*, vt non quoquomodo precandum, ſed cum religioſa etiam corporis humilitate, geſtu, & cæremonia intelligeremus. Neque enim pugnandum, cum remitteret brachia Moyſes, ſimul etiam orationem intermiſiſſe. A tamen hanc brachia remittentis orationem ſibi tam gratam non eſſe, neque tam efficacem monſtrabat Deus. Iſte verò precantium geſtus proponitur etiam Pſalm. 87. 140. 142. apud Origenem. hom. 11. in Exodum. D. Baſil. cap. 1. Iſaiæ. *Quarta.* Vt plane hoc ſemper in bellis agendum intelligeremus: non eſſe aut numero aut viribus aut ducibus aut cuicunque humanæ induſtriæ præfidendum: ſed victorias à Domino Sabaoth ſimpliciter expoſcendas & obſecrandas. In libri ſecundi vitæ Sancti Bernardi extremo ſcriptum. *Non deſiſtebat Amalech ab infeſtatione Iſrael, ſed Moyſes eleuatis in cœlum manibus potius eſt victoria, & retrahentibus ſe hoſtibus, Abbas ſanctus ſequeſter ſolicitus, clamantibus ad Deum, & domi plorantibus fratribus, irrupit in acies, & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio, & allegationibus diuinis intercurrentibus detumuere procellæ, & conuerſa eſt inter Regem & Principem tranquillitatis & pacis deſiderata ſerenitas.* Imperator Manuel Comnenus in pulcherrima illa Conſtitutionum ſuarum vndecima, quæ *Medicatrix* dici ſolet, *Ipſe*, ait, *diuinus Moyſes, quando cum Amalech prælium commiſit, ſacerdotibus vtrimque innixus, ſic eum fugauit & vicit. Sicut ille ergo, meum quoque imperium Antiſtitum ſuſtentaculo indigens, ad aciem aduerſus nouum hunc Amalech propoſitum, & veluti quandam lucis columnam nouum hunc Iſrael præcedentem, & eius greſſus dirigentem, preces eorum habere volens, hanc præſentem auream bullam, & omnium eccleſiarum matri, nouæ Sion, Dei Sapientiæ habitaculo, & iis, qui ſunt in omnibus inſulis, & in Oriente, & in Occidente Antiſtitibus donauit, eorum pro imperio meo preces magis confirmans.* Alexii Comneni Imperatoris filius Colojoannes Imperator nobiliſſimas de Scythis victorias conſecutus eſt, cum, vt refert Nicetas Choniata, inſtar Moyſis, manus tenderet in cœlos. Deique opem & Beatæ Virginis, quam & ideo orato in curru triumphare voluit, auxilium imploraret. vti & ex illo recitant Caniſius in Mariano, Baronius Tomo XII. anno 1123. Origenes homil. 13. in Numeros ſe ab Hebræo magiſtro ſuo accepiſſe refert cauſam, cur vitulo herbas depaſcenti compararit Balaam, Iſraelitas, eaque cauſa valde huc pertinet: *Audierat*, inquit, *Rex Moab, quia populus hic orationibus vincit, & pugnat aduerſum hoſtes ore, nõ gladio, & ob hoc ſine dubio apud ſemetipſum cogitauit dicens: Quoniam quidem orationibus populi huius, & precibus nulla poſſunt arma conferri, ideo etiam mihi tales aliquæ preces, & talia requirenda ſunt arma verborum & orationes tales, quæ ſuperare poſſint orationes iſtorum. Vt autem ſcias tale aliquid cogitaſſe regem, ex ſcripturæ verbis intellige, quæ ego à magiſtro quodam, qui ex Hebræis crediderat, expoſita didici. Scriptum eſt ergo.*

Et dixit Moab ad Seniores Madiam. Nunc ablinget Synagoga hæc omnes qui in circuitu noſtro ſunt, ſicut ablingit vitulus herbam campi. 1. Aiebat ergo magiſter ille, qui ex Hebræis crediderat: Cur, inquit, tali vſus eſt exemplo dicens. Sicut ablingit vitulus herbam campi? Ob hoc ſine dubio, quia vitulus ore abrumpit herbam de campo, & lingua tanquam falce quæcunque inuenerit, ſecat. Ita ergo

& populus hic, quaſi vitulus, ore & labiis pugnat, & arma habet in verbis ac precibus. Hæc igitur ſciens rex mittit ad Balaam, vt & ipſe deferat verbis verba contraria & precibus preces. D. Hieronym. præfat. in lib. 2. Iſa. *Obſecro te virgo* C HRISTI *Euſtochium, vt nobis in ſcripturarum explanatione certantibus, tum cum Moyſe ad Dominum eleues manus, vt qui exeuntes de Ægypto mare tranſiuimus rubrum, vincamus Amalec, qui interpretatur deuorans & eligens, & poſſimus tecum dicere. Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Similia videri poſſunt in can. *ſi quis vult Pontifex.* diſt. 36. vbi S. Hieron. citat Gratianus, qui ille ſcilicet interpres eſt: auctor verò verborum illic allatorum eſt Origenes hom. 6. in Leuitic. Numa Pompilius dicenti cuidem: *Hoſtes, ô Numa, contra te bellum comparant*: At ego inquit ille ridens, *ſacrifico.* In quo quidem, ait Oſorius lib. 6. de Reg. Inſtit. *Oſtendit, hoſtium vires Magis Dei propitio numine, quam exercitus robore frangendas.* Vide & Oſorium noſtrum ſerm. de expeditione contra hæret. Tomo. 4. p. 172.

Quinta, vt variarum nobis rerum ſymbolum ac typus oſtenderetur. Mihi enim Moyſes in monte iſto ſtans pro populo ſuo deprecans, brachia pandens, manus tollens, mirificam illam virgam tenens, I E S V S meus Dominus & ſaluator meus in caluariæ monte videtur, dum pro me, totoque terrarum orbe cruci ſuffixus, coram cœleſti patre ſtetit, brachia grauiſſimis verberibus, patibulique ſui baiulatione prælaſſata diſpandit: Sacratiſſimas illas manus, quibus tam multis tam ſalutarem opem cæcis, ſurdis, energumenis, ægris, mortuis opem attulerat, trabalibus iam clauis perfoſſas ſurſum ſuſtulit, ipſamque crucis ſuæ virgam, vel truncum potius arctiſſimè complexus tenuit, cœleſtique patri obtulit. *Extenſio manuum*, inquit, S. Ephrem. Tomo. 2. Paræneſi 1. *eſt crucis figura.* Et Sanctus Hieronymus epiſtola ad Fabiolam, *Ad ſignum crucis ſuperatur inimicus.* Et in cap. 12. Oſeæ, cap. 1. Abdiæ. Theodoretus in Exod. quæſt. 34. *Dum*, ait, *extendebat manus Moyſes, præ ſe ferebat typum eius, qui crucifixus eſt pro nobis. Declarata eſt igitur ſub illa figura vis ipſius veritatis. Quemadmodum enim ſerno manus extendente cecidit Amalech: ita quum Dominus manus extendit, diſſoluta eſt acies Diaboli.* In eandem plura ſententiam Origenes Hom. 1. in *Ioſue.* Tertullianus l. 3. contra Marcionem. & l. contra Iudæos. Seuerianus orat. 4. in S. Crucem, ex eo Damaſc. orat. 3. de imaginibus. Iuſtinus contra Tryphonem. D. Auguſti. l. 10. cap. 8. l. 12. contra Fauſtum cap. 30. orat. de Hæreſ. cap. 2. ſerm. 39. de tempore. S. Proſper. p. 1. de promiſſ. cap. 40. Nazianz. or. 1. 3. 6. 26. 42. Apologet. Sybilla in acroſtichide, cuius meminit l. 2. de diuinatione Cicero, Conſtantinus Magnus in orat. ad Sanctos cap. 18. D. Auguſtini lib. de ciuit. 18. cap. 23. *Sincera hunc Moyſes expreſſit brachia tendens.*

Vt fidei vincens Amalec, vt diſceret eſſe
Electum patri populum magnoque in honore
Dauidis virgam, lapidem, in quo conſtitit, in quo
Cui ſua ſpes poſita eſt, is omnia ſecula viuet,

Significarunt, verò etiam *graues Moyſis manus*,

A *graue legis iugum*, vt ait in Cantica Ser. 30. S. Bernardus. Tertiò *ſignificabat Deus*, inquit loco citato Philo, *alterorum propriam hæreditatem eſſe terram, infimam mundi partem: alterorum verò æthera ſacratiſſimum. Et quemadmodum in rerum vniuerſitate, cælum eſt terra potius, ſic etiam populum ſuum bello ſuperaturum aduerſum aciem.* Et in Exodum Homilia XI. Origenes, *Moyſes eleuat manus ſuas, & cum eleuaret manus, vincebatur Amalec. Eleuare manus, hoc eſt opera & actus eleuare ad Deum Deo placitos, & ad cœlum excelſos.*

B *Eleuat ergo manus, qui theſaurizat in cœlum: vbi enim theſaurus eius, ibi & oculus eius, ibi & manus eius. Eleuat manus & ille qui dicit, eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum. Si ergo eleuentur actus noſtri, & non ſint in terra, vincitur Amalech. Sed & Apoſtolus præcipit leuare ſanctas manus ſine ira & diſceptatione, & ad quoſdam dicebat: Demiſſas manus, & diſſoluta genua erigite, & erectos greſſus facite pedibus veſtris. Si ergo ſeruat populus legem, eleuat Moyſes manus & aduerſarius vincitur. Si non ſeruat legem, inualeſcit*

C *Amalech. Quia igitur & nobis pugna eſt aduerſus principes, & poteſtates mundi huius rectores tenebrarum, ſi vis vincere, ſi vis obtinere, eleua manus, & eleua actus tuos, & conuerſatio tua non ſit in terris, ſed ſicut dixit Apoſtolus: Super terram ambulantes, conuerſationem habemus in cœlo: Et ita poteris ſuperare populum aduerſantem tibi Amalech, ita vt dicatur de te etiam, quia in manu occulta expugnabat Dominus Amalech. Eleua & tu manus ad Deum, & imple mandatum, quo Apoſtolus ait: ſine intermiſſione orantes: & tunc fiet quod*

D *ſcriptum eſt: Quia ſicut vitulus ablingit in campis herbam viridem, ita ablinget populus hic populum qui ſuper terram eſt. Per quod (vt à maioribus accepimus) iudicari dicitur, quia populus Dei non tam manu & armis quam voce & lingua pugnabat: id eſt orationem fundens ad Deum, proſternabat inimicos. Ita ergo & tu ſi vis vincere inimicos, eleua actus tuos, clama ad Deum, vt dicit Apoſtolus: Orationi inſtantes, & vigilantes in ea. Hæc enim eſt Chriſtiani pugna, qua ſuperat inimicum.* Adiungit verò & figuram aliam idem eodem

E loco auctor. *Puto*, ait, *quòd per hanc figuram etiam duorum populorum Moyſes formam deſignet, & oſtendet vnum eſſe populum ex gentibus, qui eleuet manus Moyſi, nec extollit eas à terra, nec altum in eo aliquid & ſubtile conſiderat, vincitur ab aduerſariis & proſternitur.* Concludam ſancti Auguſtini verbis è ſermone 39. de tempore: *Bibit de petra populus, & ſtatim bellum iniit contra Amalech. Videte fratres quia poſtea quam quiſque de petra biberit, id eſt Chriſto, Sacramenta ſuſceperit, neceſſe eſt illi ad pugnam procedere. Tam-*

F *diu enim aliquis diabolum contra ſe pugnantem non ſentiet, quamdiu opera illius exercere voluerit. Qui vero illum reliquerit, & de petra bibens* C HRISTVM *ſequi elegerit, neceſſe eſt vt illum patiatur infectum, cui iſto iudicio voluit præponere* C HRISTVM. *Quiſquis ergo Chriſto coniungitur, non ad delicias, non ad voluptates, ſed ad prælium præparetur: quia omnes qui volunt piè viuere in Chriſto, perſecutionem patiuntur. Et iterum: Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Inierunt ergo bellum filii Iſrael, & Moyſes vocat* IESVM, *& dicit ad eum:*

Digitized by Google

Elige tibi viros, & pugna contra Amalech. Vſque ad hunc locum beati huius nominis mentio, id eſt IESVS, *nuſquam facta eſt. Hic primum vocabuli huius ſplendor obfulſit. Moyſes vocat* IESVM, *lex, inuocat Chriſtum. Elige, inquit, tibi viros potentes. Non poterat Moyſes eligere viros potentes:* IESVS *ſolus eſt, qui poteſt viros potentes eligere. Ipſe vtique qui dixit Apoſtolis ſuis: Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, Ipſe eſt qui domum fortis intrauit, & vaſa eius diripuit. Moyſes autem aſcendit in verticem collis. Et factum eſt cum eleuaret manus Moyſes, vincebat Iſrael. Aduertitis fratres: Moyſes manus quidem leuat, non tamen extendit. Cui ergo ſeruabatur, vt manus extenderet, niſi Domino noſtro* IESV CHRISTO, *qui extentus in cruce vniuerſum orbem complexurus brachia pietatis expandit? Moyſes ergo leuauit manus: & licet non expandit, tamen ipſa eleuatione myſterium crucis oſtendit. Videte fratres, iam tunc per Sacramentum crucis ſuperatas eſſe aduerſarias gentes. Et nos, fratres dilectiſſimi, ſi adiuuante Domino manus erigimus, diabolum ſuperamus. In manibus opera debemus accipere. Si ergo talia ſunt opera tua, vt illa poſſis in altum in conſpectu Domini leuare, potes etiam & tu in teipſo aduerſarios tuos extinguere. Quis bene manus leuat, niſi qui per eleemoſynam in cælo iugiter theſaurizat? Quis ergo bene manus leuat niſi qui aſſiduè victum, ac veſtitum pauperibus ſubminiſtrat? Quis benè manus leuat? Ille vtique qui implet illud Apoſtoli, Eleuantes, inquit, puras manus ſine ira & diſceptatione. Quia ergo quotidie nobis, & vobis pugna imminet contra aduerſarias poteſtates, ſi volumus vincere, manus noſtræ, id eſt, actus noſtri & conuerſatio noſtra non ſit in terris: ſed ſicut Apoſtolus dicit: Super terram ambulantes conuerſationem habeamus in cælo. Scriptum eſt tamen, quia ſicut vitulus ablingit in campis herbam viridem, ita populus Iſrael ablinget populum Amalech ſuper terram. Per quod indicari videtur, quia populus Dei non tam manu & armis, quam voce pugnabat & lingua, id eſt, orationem ad Deum fundebat. Ergo & tu ſi vis vincere, audi Apoſtolum dicentem, Orationi inſiſtentes & vigilantes in ea. Hæc eſt Chriſtiani pugna glorioſiſſima, non in ſuis viribus præſumere, ſed ſemper Dei auxilium implorare, cui eſt honor & imperium cum Patre & Spiritu ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.*

Q. XV. *Quid Aaron & Hur ſignificarunt?*

DE Moyſe, ipſiuſque virgâ dictum. At quid Aaron & Hur ſignificarunt? Certè in itinere ad montem, baiulantem Dominum meum *Cyrenæus* vnus adiutauit, ſed in monte ipſo nemo vnus. Torcular ibi ſolus calcauit: Solus ad offuſam toti terrarum orbi noctem expenſa brachia, ſublataſque manus tenuit. Non fuit, qui vel minimum adiuuaret, non homo, non Angelus, adeo vt exclamarit: *Deus Deus meus, ad quid dereliquiſti me.* Neque latrones duos, qui ab eius lateribus vtrimque pendebant, verbo ſaltem ei fulcri aliquid attuliſſe opinari poſſumus, cum verborum contumeliis eum oneraret alter: alter Aaronis & Hur ſuſtinere perſonam non poſſit. Dicunt aliqui, vtriuſque teſtamenti ſignificata per illos volumina. Hæc enim nos, qui capitis CHRISTI membra ſumus, ſuſtentant, fidei, ſpeique noſtræ imbecillitatem aſſi-

Ioſue:

A duè fulciunt. D. Hieronymus Epiſtola citatâ, ex Aaronis & Hur etymologia innuere videtur aliquid. *Vtramque*, ait, *Moyſis manum, Aaron, & Hur, id eſt, montanus, luciduſque ſuſtentat.* non quod Hur ſit ab Hebraico *Or*, quod eſt *lumen*, (Abeſſet enim aſpiratio) ſed quod Hebræis *chor* ſeu *Hor* aut *Hur*, ſit nobile, clarum, & illuſtre. adeo vt viri nobiles dicantur *chorin*: oratio verò perſpicua & lucida *laſchon merhuuar*, vt ait à Thiſbi Elias. An in Eccleſiæ Chriſtianæ monte hominum, genera duo ſunt, quæ CHRISTI B fidem, & religionem ſuſtentant? Sacerdotes & boni Senatores, bonus clerus, bonus Magiſtratus, in contemplationis monte poſiti ſancti, & in actionum Sanctarum candore clari & fulgidi? An Aaron, *S. Petrus*, Hur *S. Paulus*, duo Eccleſiæ Chriſtianæ columina? Nam vtrumque à Chriſtianis olim cum CHRISTO ſimul pingi ſolitum, teſtis l. 1. de Conſenſu Euang. cap. 9. S. Auguſtinus. Per *Moyſen* intelligit Rupertus lib. 3. de Trinitat. cap. 20. *legem, quæ*, vt expleatur, *ſuſtentatore indiget Aarone*, CHRI- C STO *Hure, Spiritu ſancto.* Eius poſtea idipſum, verbis eloquar. *Sed videatur rectè, vt ſupra dixi per Moyſen* CHRISTVS *Dominus accipi, cui ſemper aſſiterunt Deus Pater, & Deus Spiritus ſanctus. Nam, ſecundum carnem, infirmitates omnium noſtrum ſuſcipit, languores noſtros ipſe portauit, ſuſtentabant corporis eius imbecillitatem, Patris, & S. ſancti manus. Quas numquam ita ſubduxerunt, vt ruere ſinerent: Sed tantum, vt dolores, & cruciatus non auerterent.* Sicque illa ſuperius allata derelictio accipienda. Certè cum grauiſſimorum tormen- D torum metu CHRISTVM deſerere cogerentur Chriſtiani, legitur *S. Gregorius Thaumaturgus* in cœlum manus veluti contra Amalecitas ſuſtuliſſe, ſanctiſſimamque plurimis victoriam impetraſſe. Tomo. 4. Surii pag. 73.

Q. XVI. *Moyſi ſuppoſitus lapis cuius rei ſignum?*

SI CHRISTVM Dominum in ſeipſo conſideremus, lapis ei ſuppoſitus, ſuper quo ſedeat & requieſcat, eſt ſua ipſius diuinitas: Eſt quodammodo etiam petra illa ſuper quam ip- E ſe *Petra ima*, veruſque *angularis lapis*, Eccleſiam ſuam fundare dignatus eſt. Quin & boni piique cuiuſlibet patientia & conſtantia, ſiue animus à voluptatum blanditiis, periculorum terroribus & laboribus inuictus, ſaxum eſt quod gratiſſimam CHRISTO Domino ſedem præbeat. Sin verò quoad membra ſua CHRISTVM Dominum ſpectemus, qua in re alia teſtimonium quæramus, præterquam in Petra illa, quæ in Corinth. 10. verſu. 4. CHRISTVS eſt in lapide illo, qui apud Zachariam cap. 3. verſu. 9. & F cap. 4. verſu. 7. deſcribitur? *Sedet*, ait ad Fabiolam S. Hieronymus, *Moyſes ſuper lapidem dictum à Zacharia, qui ſeptem habebat oculos, & in Samuelis volumine appellatur Abenhaazer, id eſt, lapis adiutorii.* Cyrillus in collectaneis cap. 16. *Cum inſiſſet Moyſes* IESV *filio Naue, vt eligeret viros potentes, & exiret & acie dimicaret cum Amalech, ſubſignificauit quod* IESVS CHRISTVS *ſubiicietur mandatis legis Moſaicæ. Non veni, inquit, ad ſoluandam legem, ſed ad*

Digitized by Google

implendam. Et cum elegiſſet ex vniuerſo Iſraële, & ex vniuerſa gente viros potentes, ſacros, inquam Apoſtolos, & eorum ſucceſſores, ad confligendum acie cum Diabolo Rege vitij & peccati, eum expugnabit. Poſtridie autem inſiſt ſerui aciem ſignificans quod poſtea ſecutum eſt tempus ſuſceptæ humanitatis, quod eſt poſt adimpletionem temporis legalis. Aſcendit autem Moſes ſuper verticem collis, vt poſſit intueri prælium. Nam quæ eſt ex lege myſtagogia, conſcendit ad altitudinem cognitionis congruentem habentem ſymmetriam, vnde poſſint Iudæi intueri CHRISTI *ſtratagemata: & Moyſe quidem extendente manus inualeſcebat Iſrael, remittente autem, inualeſcebat Amalech. Nam manus quidem in aerem expanſæ, deſcribunt figuram crucis: vincit autem quicumque fert crucem: quomodo rurſus quicunque non fert crucem, ſed* CHRISTI *fidem amiſit, bello premitur. Graues autem manus Moyſis, & quæ vix attolluntur in dictam figuram: quoniam & qui ſint legis, raro ad hoc veniunt, vt ferant crucem* CHRISTI. *Et accipientes, inquit, lapidem ei ſuppoſuerunt. Et Aaron & Or ſuſſulciebant, inquit, ei manus hinc vnus & inde vnus. Lapis enim precioſus & electus eſt* CHRISTVS, *cui innitentes quieſcunt qui credunt ex Iſraële. Idem autem Chriſtus intelligitur & Aaron & Or, & Pontifex & Iudex. Nam Aaron quidem eſt Pontifex. Or vero Iudex, qui Chriſtus per vtrumque intelligitur, ſuſſulcit fideles ex Iſraële in fidem & victoriam, quæ eſt per Chriſtum, neque eos ſinit grauari & deprimi.* Dicit Caluinus huiuſmodi allegorias eſſe *plauſibiles*, ipſe tamen aſpernatur. Sed in Bibliacis Prolegominis cap. de ſenſu myſtico ſpreta iam & exſibilata hæc eius vanitas. Alius Orco iam datus Chytræus eas laudat, ſed ita vt non ſit in peccatoris ore ſpecioſa laus. *Suſtentandæ ſunt*, ait, *manus & preces noſtræ lapide ſeu Petra Chriſto, non interceſſione & meritis Sanctorum.* Quamobrem quæſo, *non interceſſione & meritis Sanctorum?* Non ſunt etiam Sancti lapides, quibus inſidere liceat? Non Petra S. Petrus? Nihil eorum merita & interceſſiones, licet longè aliter, & multo minus, quam CHRISTI Domini, nobis prodeſſe poſſunt? Sed hoc ego in meo *de litaniis* libello expoſui. Nunc tantum obſeruemus, quam Sanctis alias omnibus tantopere Hagiomachi iſti inuidere ac eripere ſolent *interceſſoris* appellationem, Caluinum hic Moyſi tribuere, ſimulque rurſus allegoriarum, quas improbabat, aliquid probare. *De ſe*, ait, *præcipuè loquitur Moſes, vt doceat munus hoc ſibi à Deo fuiſſe impoſitum. Non enim vota ſolum ex charitatis officio concepit: ſed quia eum interceſſorem Deus elegerat, qui virgæ extenſione, & tacito precandi ardore hoſtes eminus vinceret. Qua in parte typum* CHRISTI *geſſit, quanquam in aliis partibus non quadraret ſimilitudo.* Hæc ipſe. Sed, præ hoc, Philonem & Sanctum Auguſtinum libentius audio. Ille libro *Quod omnis probus liber. Iudæorum legiſlator, ait, ſapientem graues manus habere, actiones eius hoc ænigmate ſignificans, non ſuperficiem contrectantes, ſed penetrantes in ſolidum, vtpote ſubnixas non flectendo mentis propoſito. Itaque à nemine cogitur, cum ſit contemptor & mortis & cruciatuum, lege naturæ præpoſitus omnibus inſipientibus.*

A

Auguſtinus verò in 50. Homil. 27. cap. 1. *Fateor, non deſunt hoſtes. Sicut enim non deerant, qui ſequerentur fugientes, ita non deerunt qui impediant ambulantes. Prorſus chariſſimi figuræ noſtræ fuerunt. Interim in te non ſit quod contriſtet Moyſen: noli eſſe aqua amara, quam poſt mare rubrum non potuit ille populus bibere. Erat enim & ibi tentatio: Et tamen iſta quando*

B

eueniunt, quando amaricat populus, oſtendimus eis CHRISTVM, *quæ pro illis tulerit, quomodo pro eis ſanguinem fuderit: & miteſcunt, tanquam nobis lignum in aquam mittentibus. Plane hoſtem aduerſantem itineri tuo Amalech habebis. Tunc orabat Moyſes, tunc extendebat manus. Et vbi deponebat manus, conualeſcebat Amalech, vbi extendebat manus, deficiebat Amalech. Et tuæ manus extentæ ſint, deficiat Amalech tentator, & huius itineris impeditor: eſto vigil & ſobrius in orationibus, in operibus bonis,*

C

non tamen præter CHRISTVM, *quia extenſio illa manuum, Chriſti crux fuit. In illa extenditur Apoſtolus cum dicit: Mundus mihi crucifixus eſt, & ego mundo. Ergo deficiat Amalech, vincatur, & non impediat tranſitum populi Dei. Si dimittis manus à bono opere, à cruce Chriſti; præualebit Amalech. Tamen noli omnimodo aut continuo te fortem futurum putare, aut penitus deſperando deficere. Alternatio enim illa defectus & fortitudinis in manibus ſerui Dei Moyſi, fortè alternatio tua fuit. Aliquando enim in tentationi-*

D

bus deficis, ſed non ſuccumbis. Deponebat ille paulum manus, non omnino tenebat. Si dicebam motus eſt pes meus, ecce miſericordia tua Domine adiuuabit me. Noli ergo timere: adeſt in itinere auxiliator, qui in Ægypto non defuit liberator. Noli timere, aggredere viam, præſume ſecurus. aliquando ille deponebat manus, aliquando erigebat, tamen victus eſt Amalech. Rebellare potuit, ſuperare non potuit. D. Bernardus ſerm 30. in Cant. *Graues Moyſi manus, teſtibus Aaron & Hur. Graue legis iugum teſtibus Apoſtolis, qui hoc & ſibi,*

E

& Patribus importabile clamitant. Act. 15.

Q. XVII. *Exitus pugnæ quis?*

EVM deſcribit Moyſes bifariam. Primò à victoria verſ. 13. Deinde ab iis, quæ victoriam conſecuta ſunt. verſ. 14. 15. 16. Victoria certè maxima & nobiliſſima, perpaucis hiſce verbis ab eo propoſita. *Fugauitque Ioſue Amalech, & populum eius in ore gladij.* Vbi animaduertandum, primò, quod in Latino, & Græcis eſt *fugauit*, in Hebræo eſſe verbum, *fregit, debilitauit.* Et inde lepidam conflarunt Rabbinorum nonnulli fabellam, vo-

F

luiſſe Amalecitas, magicarum artium vi, volare, magnoque impetu è ſublimi, harpyarum inſtar, in Iſraëlitas irruere. At oſtendiſſe iis tetragrammaton Dei nomen *Ioſue*, ſicque fractos, & debilitatos fuiſſe. Alii, ex Amalecitarum exercitu fortiſſimos quoſque ſublatos fuiſſe. Et hoc quidem verum, ſed non ij ſoli ſublati, ſed maxima eorum omnium multitudo, ita vt eorum vires admodum acciſæ ac debilitatæ fuerint, reſiduique

Digitized by Google

reſiduique in fugam verſi. Hinc enim & Exod. 32. verſ. 18. *Col Enoch Chelſchab*, *vox eorum*, *qui in fugam vertũtur*, ſeu, vt vertit Chaldæa paraphraſis, *vox debilium : qui ſuperantur*. Obſeruat tamen Ioſephus, fuiſſe internecione occidendos omnes, niſi ſuperueniens nox à cæde Iſraelitas cohibuiſſet. 2. Data opera, Hebræo illo *frangendi* verbo vſus eſt Moyſes, vt ſignificaret meritas Amalecitarum iniquitati pœnas redditas. Nam quos Deut. 25. verſ. 18. ab illis cæſos narrat laſſos, ſiue itineris moleſtia debiles Iſraelitas, eodem vocabulo appellat, ſed ita vt inſit literæ vnius tranſpoſitio, qua fortunæ illorum ſignificatur immutatio. Tum triumphabant Amalecitæ, valebant, vigebant. Tranſpoſita iis nunc omnia. 3. Quia tam diſtinctè hic ipſius Amalec mentio fit, & deinde ipſius populi, videatur fortè Amalecitarum Rex interfectus, vel ſi euaſit, egregie vulneratus fuiſſe. Hocque poſterius crediderim probabilius, quod cum *Og* & *Seonis* peremptorum Regum toties meminerit ſcriptura, de hoc ſileat. 4. *Gladii os*, eſt ipſius acies, quod ea ſcilicet parte veluti mordeat, conſumat, ſanguinem hauriat. Vnde Luc. 21. v. 24. cadent in ore gladij; ad Hebræos 4. Apoc. 1. μάχαιρα & ῥομφαία δίστομος gladius acierum duarum, ſiue anceps. Iud. 19. v. 29. Prouer. 30. v. 14. gladij & cultri ab eo quod edant & vorent, vocantur *maacaloth* מאכלות Septuaginta eandem hic rem ab effectu dixerunt ἐν φόνῳ μαχαίρας *in gladii cæde*. Et imitentur illud Galli dum aiunt, *à trenchant de l'eſpee*. Sanctus Moyſes facit, abſque dubio, præcipuum victoriæ huius auctorem Deum. Sed, ex hominibus, videtur *Ioſue*, ſolum celebrare potiſſimum, dum tam rotunde, *non à ſe*, ſed *ab illo* infirmatos fuſoſque dicit Amalecitas. Exiſtimant tamen aliqui coniunctionem illam *que* dum dicitur *fugauitque* accipiendam, vt interdum alibi, pro illatiua, *igitur* quaſi dictum eſſet: *conſtantiſsimus in aſsidua precatione fuit Moyſes, ideoque fugauit Ioſue Amalecitarum copias*. Et ſane Iudith 4. v. 13. planiſſime ipſi Moyſi ea laus tribuitur, qui ſuperbiſſimos hoſtes iſtos non ferro pugnando, ſed precibus ſanctis orando deiecerit. Quia tamen rei eiuſdem non vna tantum ſæpe cauſa eſt, Moyſen exiſtimo ſeſe quidem, *ad Dei gloriam*, indicaſſe, victoriam hanc orando peperiſſe, ipſum autem *Ioſue* confligendo, vt intelligeremus optima & certiſſima eſſe duo hæc bellorum ſcilicet gerendorum inſtrumenta, preces ad Deum, & humanam induſtriam, prout pluribus notaui alias in illud caput 4. Iudith. Nam ſine hominum conatu viriumque à naturæ auctore Deo ſuppeditarum exertu, ſegnis & ignaua eſt oratio, Deum, pæne ipſum tentans: & ſine precibus, illiuſque auxilio humanæ vires omnes, ſtudia, & conatus manci ſunt, inanes & ſtolidi. *Niſi dominus cuſtodierit ciuitatem fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam.* Pſalm. 126. Si tamen recte volumus pendere omnia, pluſque multo in diuina ope præſidij ponendum ſemper, idque hic ſignificauit Moyſes, dum ambarum ad ſydera palmarum extenſione hoſtilem ſuccubuiſſe aciem prius narrauit. & clarius, vt ſupra tetigi Eliachim Sacerdos. Iudith. cap. 4. Vere Salomon Prou. cap. 21. *Equus paratur ad diem belli: Dominus autem ſalutem tribuit.* Videatur Collat. 3. cap. 15. Caſſianus.

Quæſt. XVIII. Qua victoriam conſecutus.

Dvo in eodem iſto, quod præ manibus, capite narrãtur: de Deo vnum, de Moyſe alterum. Sed ſunt hic prius, quæ de præda, ingentibuſque ſpoliis tradit Ioſephus lib. 3. cap. 2. in hoc veluti theatrum acceſſenda. *Victoriam, ait, pulcherrimam & opportuniſſimã vincunt noſtri maiores. Eos etenim, qui cum exercitu irruerant, ſuperarunt, & circumiacentes populos exterruerunt, magnis ſplendidiſque bonis ditati, quæ poſteaquam tantopere laboraſſent adepti ſunt. Nam cum & hoſtium caſtra cepiſſent, opes magnas publicè priuatimque habuerunt, cum ne alimenta quidem neceſſaria prius haberent. Fuit vero ipſis non in præſens tantum, ſed in futurum etiam ſæculum bonorum cauſa, hæc quæ rectè & ex animo ſucceſſerat, narrata iam pugna. Non enim ſola hoſtiũ corpora in ſeruitutem redegerunt, ſed ipſas etiam eorum mentes, cunctiſque circumhabitantibus, poſt hanc illorum depreſſionem, formidabiles fuere. Sibi vero diuitiarum magnarum vim adiunxere. Multum enim argentum, aurumque in caſtris relictum erat & vaſa ærea, quibus ad quotidianum vitæ vſum vtebantur. Multa vero & inſignis fuit vtrarumque rerum copia, earum ſcilicet quæ textiles forent, & armorum ornamenta, fueruntque alia etiam, quæ ad miniſtrorum ſpectant impedimenta, & ſuppellex ipſorum prædaque omnis generis pecorum, & eorum omnium, quæ caſtra in expeditionem aliquã profecta ſequi aſſolent. Cõpleti etiam ſunt animo Hebræi ad viriliter deinceps agendum, & in magno ipſis erat, virtutis cura, & ad laborandum exſilierunt.* (Nam pro ἧσαν lego ἥλλοντο ab ἅλλω quod & per tenuem ſpiritum notat in ἧλτο Chryſoloras) *per hoc exiſtimantes omnia capi poſſe. Et hic quidem pugnæ huius finis fuit.* Sed nondum facit idem Ioſephus finem. Addit adhuc alia, eaque præclara. *Poſtero*, inquit, *die mortuis hoſtibus detrahebat Moyſes ſpolia, & eorum, qui fugiſſent, armaturas colligebat: eos, qui fortiter ſeſe geſsiſſent, honoribus afficiebat, ipſumque belli ducem Ieſum encomiis ornabat, cum ob ea quæ geſsiſſet, præclarum à toto exercitu teſtimonium haberet. Hebræorũ vero ne vnus quidem fuit mortuus: ex hoſtibus vero tam multi, vt eorum cognoſci numerus non poſſit.* Libuit vero è Græco iſta, vt potui, vertere, quod mihi ad manum nouus interpres non ſit, & veteri dixerit olim S. Hieronymus in Apologia contra ipſum. *Omne iter dictionis ſuæ, abſque Palladis arte, ſalebris & voraginibus vitiorum inciditur.* Addit vero idem Ioſephus, exceptum conuiuio à Moyſe *Ieſum*, peractam τὴν τῶν ἐπινικίων ἑορτὴν, excitatam Deo ad perpetuam gratulationem altare, de quo poſtea. Et poſt victorias, hæc & ſimilia facienda monet lib. de re militari Onoſander.

Q. XIX. Quæ poſt victoriam dixit Dominus? Et eorum primo.

Qvæ poſt victoriam dixit Moyſi Dominus, tria ſunt: primum verſ. 14. *Scribe hoc, ob monumentum, in libro.* Ecce quàm Deo gratum, eius à nobis beneficia & opera commemorari, non verbis apud prœſentes tantùm, ſed ſcriptis apud poſteros etiam, quam neceſſarium eorum perpetuo memoriam cuſtodiri. Hinc & de eadem hiſtoria dicitur Deut. 25. & Iudith. 4. *Memento.* Vera nimirum, quæ in Tobiæ 12. & l. 3. SS. Trinitatis doxologiæ, de diuinarum, vtiliumque rerum narrationibus & ſcriptionibus mihi notata. *Scribatur hoc*, ait Dauid Pſal. 101. 19. *in generatione altera: & populus, qui creabitur, laudabit Dominum.*

Sed eſſe hic poſſunt *tres* quæſtiones. *Prima.* Scriptione alia, iniuſſu Dei, Moyſes, aut ſi iuſſu cur iſtud iam iubeatur? Non omnia expreſſo Dei iuſſu ſcripſit Moyſes, ſed quædem: cætera omnia ſolo eiuſdem inſtinctu & directu. Fiebat autem interdum, vt ſi propriam animi ſententiam ſequi voluiſſet Moyſes, quædam omiſiſſet, maximè quæ cum aliqua ipſius laude coniuncta videbantur, vt quod hoc in loco eſt de victoria eius precibus conciliata. Sed ad ſcribendum impulit eum non interior tantùm Dei afflatus, ſed præceptum etiam & imperium: itemque ſumma, quæ hinc emanatura erat, vtilitas. Rupert. l. 3. de victoria c. 23. colligit hinc iuſſum etiam ſcribere, *In principio creauit Deus cælum & terram.* *Altera* quæſtio eſt; quis liber in quem referri hæc iuſſerit Dominus? Putant Abenezra & Abulenſis, eſſe librum illum, qui *Iuſtorum* vocatur Ioſuæ 10. 2. Reg. 1. Alij generatim librum aliquem prout in 70. ſignificatur, *εἰς βιβλίον*. Quia tamen in Hebræo non *béſepher*, ſed cum articulo *baſſépher* legimus, certum; definitumque librum commodiùs accipiemus, eumque vel *Iuſtorum* illum, vel hunc ipſum *Exodi*, qui fortè ſub Moyſis manibus tunc erat. *Tertia*, Vbi & quando Moyſi dixerit hæc Dominus? Vel in ipſo monte, veſperi antequam deſcenderet Moyſes, cum plena iam conclamaretur victoria, vel certè poſtridie, in caſtris cùm eſſet, preceſque quotidianas funderet. *Quartam* excitant quæſtionem Iſraelitæ apud R. Eliezerem cap. 44. cum de die Sabbathi dictum ſit, *Memento*, quomodo idem de Amalecitis iam dicitur? Reſpondet vero Moyſes: illud *Memento* eſſe ad ſeruandum & ſanctificandum: hoc vero ad perdendum ac delendum, *quemadmodum*, ait, *vini conditi ſeu promulſidis poculum, & aceti poculum, ambo quidem pocula ſunt*: ſed diuerſus eorum ſapor & effectus.

Q. XX.
Quod eorũ, quæ poſt victoriam dixit Dominus, alterũ?

Et *trade*, inquit, *auribus Ioſuæ*. In Hebræo & Græco accipi quærant verba hæc ſequentibus connexa, vt Ioſue ſcilicet iubeatur hoc Moyſes dicere, fore, vt Amalecι memoriam deleat Dominus. Nam ſi ad priora referas, ſenſus erit, bellum, & victoriam hanc, Ioſuæ narrandã eſſe. At fruſtra hoc. Quæ enim, vidit quis, quibus adfuit, imo & præfuit, ea ipſum cur doceamus? Somnium videlicet alicui ſuũ narrare iſtud eſt. Futura verò illa illum ſcire ipſius valde intererat, vt deinceps ſperaret contra hos, alioſque hoſtes omnes diuinam imprecationem fore: animum tanto duce, qui in promiſſam terram Dei populum inducturus erat, dignum gereret: nulliſque aduerſis caſibus, & hoſtilibus copiis perterreretur. Quin & futurarum rerum typus ineſt, dum qui Iſraelitarũ ſaluator eſt, idem eo ipſo aduerſariarum gentium euerſor oſtenditur. Nam & qui nos ſaluat CHRISTVS IESVS, idem incredulos, impioſque omnes exſcindit & in abyſſum agit præcipites. Latinus tamen ad ſuperiora retulit. Nam Hebræorum כי & Græcorum ὅτι vertit non per cõtinuatiuũ quod, *ſed* per cauſatiuam *enim*. Et quidem recte. Hæc enim vſitatior particularum iſtarum vis: & Ioſuæ non ſimpliciter bellum & victoria narranda; (Id enim, vt obiiciebatur, minimè neceſſarium, & pænè ridiculum) ſed belli & victoriæ modus, quemadmodum ſcilicet diuinitus conceſſa hæc

A eſſent, & impetrata precibus. Tumque nihilominus vim habent illæ rationes, quæ Ioſuæ futurorum iſtorũ certiorem fieri expediiſſe monſtrabant. Sed quam tamen iſtud *enim* cauſam ſignificat? Quid eſt, *Hæc ſcribe*, ô Moyſes, *hæc Ioſuæ dic. Nam delebo Amalech*? Videtur plus quidẽ quàm primo aſpectu videamus, ſignificari: videlicet precibus illis impetratum, non tantũmodo, vt iam vincatur Amalec, ſed vt deinceps etiam ſtirpitus euellatur. Et quanti refert hæc *Ioſuæ*, hæc vniuerſam poſteritatem ſermonibus, librorumque monumentis cognoſcere?

Q. XXI.
Quod eorũdem Domini dictorum tertium?

B Iamiam tetigi. *Delebo enim memoriam Amalec ſub cælo.* In Hebręo & Græco vehementiùs, *Delendo delebo.* quemadmodum Gen. 2. *moriendo morieris*, ſiue vt noſter, *morte morieris*. Referũt in Thalmud Rabini, tractũ *Baba bathra* & liber præceptorum, præcepto affirmatiuo 189. itẽq; Rambã lib. vlt. Helacah vltima c. 1. & 5. Ioabo pręceptorẽ fuiſſe, qui hic & Deut. 25. v. 19. non *memoriã*, ſed *maſculum* legi volebat. Nam ſanè ſi quæ poſt acceſſerunt, puncta demantur, eædem literæ זכר tam
C hunc quam illam poſſunt ſignificare. Cum *zecher* ſit memoria, *zachar* maſculus. Ideoque & de ſimili quadam lectionis & intellectionis varietate in Miſna diſputat R. Elias orati. 3. fund. 4. n. 3. At Septuaginta, Noſter, omneſque omnino alij Rabini *memoriam* legunt: adeo, vt ſuum illum magiſtrum, quaſi ſcripturam peruerteret, ab ipſo Ioab interfectum dicant: quemadmodum ſcilicet ab Alcibiade irriſum vel percuſſum, qui Homerum corrigebat, vti refert Plutarchus. Legi poteſt l. 3. Cabalæ Capnio f. 527.
D D. Hieronymus Iſaiæ 26. verſ. 24. *Terrere*, ait, *nos debet, quare ſeptuaginta maſculum & cæteri interpretes memoriã tranſtulerunt, cum iiſdem tribus literis vtrumque ſcribatur apud Hebræos.* Videtur tamẽ explicatu difficile, fieri qui potuerit, vt Amalecitæ memoria deleretur. Cum enim hiſtoria memoriæ vita ſit, & paulo ante à Deo iuſſum ſit bellum hoc, vt eius poſtera ſæcula omnia meminiſſent, hiſtoriarum monumentis conſignari, quomodo Amalecitarum eſſe obliuio potuit? Reſpondetur infra quæſt. 27.

Q. XXII.
Quæ poſt victoriam fecit Moyſes? & de eorum primo.

E Iam ſupra ex Ioſepho indicata quædam: Textus vero *tria* reſenſet. Primum. *Ædificauitque Moyſes altare.* Videlicet vt ſuum, Iſraelitarumque omnium, à quo triumphus tantus erga ipſum numen, animum gratiſſimum oſtenderet, feſtâ ei victimâ publicè gratias ageret: eoque ipſo admoneret omnes, tam præſentes Iſraelitas, quam etiam nos, poſt bellorum felicitatẽ quid agendum. In earum prima, quas illuſtri in Africa Duci preſcribit militiæ regulas, Ferrandus Carthaginenſis. *Nihil*, ait, *viribus tuis ſuperbus*
F *aſſignes, ſed omnia, quæ ſapienter, aut fortiter, aut feliciter geris, ad laudem feras potentiſſimi creatoris.* Quia vero nouiſſimi huius temporis Nouatores ex tam crebra, quæ apud Patres eſt, Chriſtianorum altarium mentione, Chriſtianum ſacrificium tergiuerſantur agnoſcere, agnoſcãt ſuum hic Caluinum ita loquentem. *Ædificauit Moyſes altare; nempe vt ſolemni ſacrificio teſtatam faceret ſuam gratitudinem, non ipſe modo, ſed totus populus. Quod ipſum, altaris nomen demonſtrat.* Vide lib. 1. de Miſſa cap. 16. Bellarminũ. Sed & illud obſeruandum, non fuiſſe, vt hoc faceret, Moyſi præceptũ:

Digitized by Google

& tamen fecit rectiſſimè, vt quæ *ſupererogationis opera* vocantur, bona nimirũ & iniuſſa, diſcant iidem non aſpernari Nouatores. Præſcribebat quidem, vel ſola naturæ lex, vt grates Deo referret, ſed vt hoc modo, vt altari, vt ſacrificio, non definiebat neque illa, neque diuina quæpiam eo ipſo lata tempore. Quærat vero fortè aliquis, cur cum antea Ioſuæ nonnulla præſcripſiſſet Moyſes, ſcriptum ſit, verſ. 10. *fecit Ioſue, vt locutus erat Moyſes*: cum autem ipſi Moyſi, ea, quæ quæſt. 19. & 20. dicta ſunt, imperarit Deus, non ſimiliter dicatur, *fecit Moyſes, vt locutus erat Dominus*? opinor, quia feciſſe clarum ſatis erat. Qui enim etiam quæ imperata non erant, tam ſtudioſè fecit, eum quæ à Deo imperata erant, promptiſſimè accuratiſſiméque confeſtim egiſſe, quis ambigat?

Qvæst. XXIII. *Eorum, quæ poſt victoriam fecit Moyſes, quodnam alterum.*

Et *vocauit nomen eius* (altaris) *Dominus exaltatio mea*. In 70. nomen hoc dicitur κύριος καταφυγή μου. *Dominus refugium meum*. Hebræum nomen vtrumque poteſt ſignificare. Nam ſi à naſas ſiue nas נס id eſt, *exaltare* ducatur, valebit exaltationem aut vexillum. Sin vero à *nus* ſiue nas נס fugere erit refugium. Neque tamen in re ipſa quidquam intereſt. Eſt enim Deus exaltatio & refugium hominum, & ideo refugium, quia ad ſe fugientes erigere ac exaltare poteſt & vult. Ideo exaltatio, vt ad eum in omni depreſſione, & calamitatum mole confugiamus, quia nos ipſe al leuaturus, & in altiſſimum ſecuriſſimæ felicitatis locum, euecturus. Apud Vatablum, & in noua, quam explicandam ſibi propoſuit Caluinus, verſione, ita eſt. *Vocauitque nomen eius, Iehoua miraculum meum.* At magis ipſemet verſionem noſtram, & in margine, vbi poſuit, *exaltatio mea*, & in commentario, approbat. *Cur, ait, vertant quidam miraculum non video, quia nes haud dubiè ſemper pro vexillo capitur. Quanquam non inficior pro exaltatione methaphoricè hic poni, ac ſi dixiſſet Moyſes, Deum, qui Iſraelitas ſuſtinuit, dignum eſſe, qui ſolus emineat inter ipſos.* Illud tamen, haud dubie certum non eſt, cùm radix, vt dixi, Hebræa *naſas* generatim ſignificare queat *exaltare*. Quia tamen in ſublime tolluntur vexilla, qui exaltationem dicit, intelligere etiam poteſt vexillum. Sicque vere Deus nobis in aſſiduo noſtro cõtra inferorum Amalecitas bello *vexillum*, quod ſequamur, in quod intueamur, à quo toti pendeamus, eſſe debet. Idque tanto magis, quanto firmius, & aduerſus omnem hoſtium vim tutius eſt, quod nunquam deiici, nunquam diſcerpi, aut capi poteſt. Ioſephus omnia hæc alio vno complectitur nomine, dicens: θύσας δὲ χαριστήρια Μωσῆς βωμὸν ἱδρύεται νικαῖον ὀνομάσας τὸν θεόν. Vocat enim νικαῖον τὸν θεόν, id eſt, *victorem*, ſiue *victorioſum Deum*, aut ſimpliciter *Deum*, ſi *victorioſum* ad altare libeat fortaſſis referre, vt ſit βωμὸς νικαῖος quod aram victoriæ iudicem ac monimentum ſtatuerit, quam vocarit *Deum*. Poſſunt vero & hinc ſi qui Nouatorum veritatẽ & modeſtiam colunt, diſcere aliquid, ſolent ij ferrè grauiter, multiſque interdum apud rudes populos exagitare conuiciis, quod nonnulla, quæ Deo tribui ſolent, à nobis etiam B. Virgini, aliiſque quandoque Sanctis tribuamus. *Spes noſtra, vita, dulcedo, mediator.* Et vero dictum illis iam millies, alio inferiore tropo ac modo id fieri. perſiſtunt tamen, & quod, creatoris eſt, indigniſſimum clamitant, creaturis attribui. Iam dixi non A eandem eſſe rem, ſed idem tantũ nomen, & quidem longè aliter. Sed caput adhuc motitãt, nec dum acquieſcunt. Verum ecce, hoc ipſo loco, *altare*, id eſt, res inanima, ceſpes aut lapis quiſpiã, vocatur à Moyſe *Dominus exaltatio mea*, & quidẽ Hebraice, cũ magno illo nomine, *Iehoua*. Diſſimulauit hoc Caluinus & vafre quaſi Deum ſolummodo vocaſſet Moyſes, ita locum iſtũ hic expoſuit & lib. 1. Inſtit. c. 13. ff. 9. Sed aperte pugnat contra textus omnes. Et de Latino quidem patet. In Hebræo diſertè dicitur. Moyſes B ædificare altare, & *nomen ipſius* (Hoc enim pronomen *ipſius*, ſiue vt Hebræi vocant, *affixum*, tenebras omnes diſiicit) *Dominus exaltatio mea*. Græcus ait, ᾠκοδόμησε Μωσῆς θυσιαστήριον κυρίῳ, καὶ ἐπωνόμασε τὸ ὄνομα αὐτοῦ, κύριος καταφυγή μου. *Ædificauit Moyſes altare Domino, & cognominauit nomen eius, Dominus refugium meum.* Atque hæc eadem omnia Iunij verſionem iſtam explodunt: *Extruxit Moſche altare, cuius vocarit nomen, Iehouæ vexilli mei.* Eadẽ Caietanum etiã refellunt, qui non vt apertè in textibus eſt, *Dominus exaltatio*, vel *refugium* C *meum* vult: ſed *Domini exaltationis vel refugij mei*, aut vt in Vatablo alius, *altare Domini vexilli mei*. At quid ita vocare neceſsũ fuiſſet? Quia enim Domino illud ædificarat, Domini eſſe conſtabat, fuiſſetque hæc ei cum rebus omnibus, quæ Deo vſpiã conſecratæ, vel cõſecrandę vnquam erant, appellatio communis. Omnes enim illæ Domini ſunt. Quin & terra hæc habere nomen dici poſſet, quia ſcriptum, *Domini eſt terra & plenitudo eius*. Pſal. 23. Sic porro iſtud altare vocatum eſt, quia ſignum erat, & monumẽtum exaltationis, E quàm fecerat Deus, vt rectè ait hic & in Ier. 23. Lyranus; dũ *ab effectu* ita nominatum dixit. Et Oleaſter; *Vt iugis*, ait, *eſſet accepti beneficii memoria, locum à beneficio nominauit.* Refellunt eadẽ ea Galatinũ dum lib. 3. cõtra Iudæos c. 9. probat, non vocari altare Deum. Verũ duorum tantũmodo Rabbinicorum teſtiũ expoſitione rem iſtã probat. Vnus eſt *Onkelos* ſuper Geneſcos 22. c. dicẽs; *Et coluit atque adorauit Abrahã in loco illo, & ait corã Deo. Hic erũt colẽtes te, vel ſeruiẽtes tibi generationes.* E Et hoc ipſo loco Ex. 17. *Ædificauit*, inquit, *Moyſes, & coluit, vel ſeruiuit*, i. e. *ſacrificauit ſuper illud corã Deo, qui fecit ei ſigna.* Alter eſt liber *Mechilta*, qui eadẽ hæc verba ſic interpretatur. *Et ædificauit Moyſes altare, & vocauit nomẽ eius, Deus, ſignũ meum.* Dixit *Rabbi Elai Hãmakom: id eſt, Deus vocauit illud altare ſcilicet* ניסי N I S I, *id eſt ſignum meũ.* Atque hi quidẽ cõtra Iudæos aliquid valeãt, contra nos parũ. Nam textũ aliter, vt apparet, interſtinguũt, quã textus habeat, & ipſis Septuaginta qui ipſis antiquiores, aduerſantur: videnturq; ita tantum expoſuiſſe, ne Iudæi craſſiores & ad idololatriam F propenſiores aliquã inde erroris anſulã captarẽt. Alioquin aliis quibuſdã locis nomina non diſſimilia ſunt. Gen. 22. *Dominus videt*. Iud. 6. 24. *Ædificauit Gedeon altare domino, vocauitque illud Domini pax.* Sed vt dixi, modo inferore diuina hęc nomina rebus imponũtur aliis, prout rectè docet l. 1. de Christo, c. 7. Bellarm. & in Hierem. c. 23. Lyranus. Philo autẽ l. 1. de vita Moyſis p. 433. Μωσῆς ἱδρύεται βωμὸν, ὃν ἀπὸ τῶν συμβεβηκότων, ὠνόμασεν, θεοῦ καταφυγήν: ἐφ' ᾧ τὰ ἐπινίκια ἔθυε, χαριστηρίους εὐχὰς ἀποδιδούς.

Qvæst. XXIV.

Est hoc dixiſſe ipſum. *Quia manus ſolii Domini,*

Eorumdem Moyſis factū quod nam tertiū?

& bellum Domini erit contra Amalec à generatione in generationē. Eadem tamen verba ex Hebræo conuerterunt aliter alij. Nam Septuaginta ὅτι ἐν χειρὶ κρυφαίᾳ πολεμεῖ κύριος ἐπὶ Ἀμαλὴκ ἀπὸ γενεῶν εἰς γενεάς, id eſt, *quia in manu occulta bellum gerit Dominus contra Amalec à generationibus in generationes.* Recentiorum plerique ſic. *Quia manus ſuper ſolium Domini: bellū Domino in Amalec à generatione in generationes.* Apud Caluinum: *Certè manus ſuper ſolium Iehouæ: Prælium Iehouæ cum Amalec à generatione in generationes.* Vatablus. *Sublata manu ſuper ſoliū Dei iuro, quòd præliū Domini futurum ſit contra Amalec per omnia ſæcula.* Iunius ac Tremellius: *Quia manus Amaleki fuit contra ſolium Iah, bellum Iehouæ in Amalekim erit, de ætate in ætatem.*

Ioſephus Scaliger noua prorſus, & tam apud Hebræos, quàm Græcos, & Latinos inaudita verſione; & tamen *ad verbum*, vt ait ipſe, ita lib. 3. de emendatione temporum fol. 209. Græce interpretatur στήλη ὑπὲρ τῆς ἡττημίας (ſiue τροπαιάδος manus, ſiue ἐπὶ τῆς) πόλεμος ἄσπονδος κατὰ τοῦ Ἀμαλήκ, *id Cippus triūphalis propter diē menſis vltimum: Bellum irreconciliabile contra Amalecum*, ſiue vt ipſemet poſtrema hæc ſua Græca vertit, maioribuſque literis aſcribit. *Æternum bellum fore inter populum Dei & Amalec.*

Versiones vidimus diuerſas: quid per eas videatur ſignificatum, iam explicandum.

Q. XXV. *Quæ facti huius tertij ſecundum Græcos, Hebræos & Latinos ſententia?*

Græci propheticum hic oraculum fundi aiunt, quo traditur ex hoc tempore, Deum Amalecitis bellum indicere, idque gerere incipere, & geſturum porro ſemper in futuras generationes. Eodē modo & Ioſephus προεφήτευσε Μωυσῆς πανωλεθρίᾳ τοὺς Ἀμαληκίτας ἀπολουμένους, ὥστε μηδ᾽ ἕνα αὐτῶν ὑπολειφθήσεσθαι. *Prophetabat Moyſes internecione perituros Amalecitas & eorum nulliū reliquū futurum.* Et prophetiam quidem agnoſcunt etiam Rabini, Salomō, Abenezra, cæteri. Sed quid illud ἐν χειρὶ κρυφαίᾳ? Legit in quibuſdam exemplaribus Eugubinus ἐν χειρὶ κραταιᾷ & interpretatur *in manu excelſa.* vt quemadmodum alibi dicitur, *in brachio extento*, ſic & hoc loco, ſumma quadam vi Amalecitas deleturus tradatur. Sed quia Regia Biblia & correcti Septuaginta κρυφαίᾳ χειρὶ exprimunt, ſciendum primo, videri eos in Hebræo legiſſe, *iad ceſoniah*, quod eſt *abſcondita & occultata manus*: Itemque propoſitionem *bal* vel hiſce verbis præfixam vidiſſe, vel eo modo interpoſitam accepiſſe, quo apud nos in his, aliiſque ſimilibus orationibus interponitur, *Omnibus in rebus, noſtras ad aures.*

Deinde *occulta manus* dicitur, quia Dei vis & poteſtas, qua gentem illam exciſurus erat, ſub humanum ſenſum non cadit, neque niſi in effectu perſpicitur. Tempus etiam, quo ſeſe manus iſta contra illos exertura erat, non aperte prænunciabatur: ſed cum minime cogitaretur, illos tandem tetigit & obtriuit.

Hebræi vero & qui eorum amplectuntur ſententiam, volunt hic ritum eſſe cuiuſdam iuriſiurandi, quia id per manuum & digitorum elationem fieri conſueuit. Sed hoc alij à Moyſe conceptum volunt, vt in ſua illa ſuprà poſita verſione aiebant ipſi, vel paraphraſi potius indicatum, vt ait Vatablus: quaſi ad Dei thronum manum Moyſes ſuſtulerit, vel ſuper illum poſuerit, ſicque iurarit, vere futurum, vt contra Amalecitas belligeraretur dominus. A Alij vero idem iuſiurādum ipſimet Deo tribuunt, quaſi & ipſe throno ſuo manum ſuperpoſuerit, vel ad thronum admouerit: vt duplex in hiſce verbis Dei factum ſit. Vnum iurationis ſuper ſolium; alterum denunciationis belli Amaleciti, de quo iurat. Hæcque textui magis conſentanea, quàm illa, quæ Moyſem iurantem facit. Et ſic paraphraſtes Chaldæus. *Cum iuramento*, inquit, *dictum eſt à facie terribilis, cuius maieſtas eſt ſuper ſolium gloriæ, vt committatur prælium à facie domini contra viros domus Amalec, vt conſumat eos à* B *generationibus ſæculi.* Et apud Eliezerem cap. 44 ait R. Sila. *Voluit Deus ſanctus, benedictus delere ac diſperdere totum ſemen Amalek, quid igitur fecit? Extendit manū ſuam dexteram, & apprehendit thronum gloriæ ſuæ, ac iurauit, ſe deleturum ac diſperditurum omne ſemen Amalec ex hoc, & venturo ſæculo.*

Latinus noſter textus Græcorum ſententiam quomodo poſſit admittere, haud ſatis video: de qua ſignificabitur poſtea iterum aliquid quæſtione ſequente, & 27. Sed Hebræorum iſta poſterior, ei optime poteſt congruere. Nam *ma-* C *nus ſolii Domini*, eſt Dei manus in ſolio ad iurandum collocata, ſiue per ſolium iurans. Sed quid iurans? Hoc ipſum. *Et bellum Domini erat cum Amalec.* Sunt aliæ tamen Latini eiuſdem textus expoſitiones duæ non incommodæ. *Vna* gloſſæ, interlinearis & Lyrani: *Manus ſolii domini*, id eſt, *virtus & potentia in throno Dei eſt, & per hanc geret ipſe dominus bellum contra Amalec.* Vt ſic nimirum cauſa & modus explicetur eius, quod verſ. 14. dictum erat, delendum Amalecitarum memoriam. *Altera.* Deus omnipotens in ſolio ſuo re- E ſidet, neque ocioſus eſt, ſed bellum cōtra Amalecitas faciet perpetuum. Siue *manus Dei*, id eſt, *omnipotentia eſt in ſolio ſuo non vtique ocioſa*, & ab omni populi ſui hoſtium vltione ceſſans. *Quin vero deinceps grauiſſimum in Amalecitas bellum conſtabit*: eoque ipſo illos *à generatione in generationem* diſperdet, id eſt, *in perpetuum.* Quia vero per quem iuret, maiorem Deus non habet Hebr. 6. verſ. 13. ſolet aut per ſeipſum vt ibidem ex Geneſ. 22. dicitur, iurare, aut per ſuas ipſius res & attributa, quæ cum ipſo idem ſunt, vt Amos 9. E *per celſitudinem ſuam*, Ezech. 18. *per vitam ſuam*, Ierem. 51. verſ. 14. & Amos 6. *per animam ſuā*, hic *per thronum ſuū.* In iſtiuſmodi ſacramentis tolli manum moris eſſe, videmus hac in Germania quotidie, dum duo etiā digiti tolluntur, ſicut & in Anglia, vnus apud Oleaſtrū Geneſ. 14. Ideoque & Abraham iurans Geneſ. 14. *Leuaui*, ait, *manum meam ad Deū.* Et ipſemet Dominus, Deuter. 32. *Leuabo manum meam ad cœlum, & dicam: Viuo ego in æternum.* Et iurare quidem ipſum nullo modo foret neceſſe, id tamen imbecilitati F noſtræ diffidentiæ & conſolationi dat, vt eius dictis quàm firmiſſimam fidem adhibeamus, prout eodem capite. Heb. 6. docet Apoſtolus. Tremelliana vero ac Iuniana expoſitio per Amaleki additionem facilis & clara eſt: futuráque facilior & clarior, ſi pro Hebraicis Dei nominibus diceretur: *Quia manus Amaleci fuit contra ſolium Dei, bellum Domini in Amalecum erit de ætate in ætatem.* Et hunc ſenſum rectè ſuſcipere poteſt noſtra verſio. quia *manus ſolii* dici poteſt *manus contra ſolium*, vt *bellum Eccleſiæ*, id eſt, contra

Eccleſiam

Digitized by Google

Eccleſiam. *bellum Turcicum*, id eſt, contra Turcos.

Q.XXVI *Scaligeri verſio & explicatio an recta?*

Distorta omnino videtur. 1. quia neque vertit, neque, ſi verteret, accommodare textui poteſt particulam כי ſiue *quia*. Quæ enim rerum connexio hæc. *Vocauit nomen eius*.(altaris) *Exaltatio mea, dicens. Quia Cippus triumphalis propter menſis triceſimam*? 2. Vel ipſum altare eſt ille Cippus, vel nõ. Si idem, male vult, adeoque probat ex 1. Reg. 15. verſu. 12. fuiſſe *tropæum*, vel *arcum* triumphalem. Si non, fingi cauſa nulla poteſt, cur altare vocetur *exaltatio* à Moyſe dicente *Quia Cippus*. 3. Malè diceretur *Cippus propter diem triceſimum*, ſed potius *propter victoriam*, vel *propter Dei beneficium*, & *exaltationem*, quæ die illo contigiſſet. 4. Cum haberent menſes etiam alij diem triceſimum, ineptè diceretur generatim *menſis*, & non *huius* vel *illius*, verbi cauſa, *ſecundi*, quo iſta contigerunt. Quod ſi per excellentiam dicitur menſis, quaſi is notus, vti per *oratorem* intelligitur *Cicero*, per *Apoſtolum Paulus*, certè menſis potius primus tot tantiſq; portentis, Deiq; beneficiis nobilitatus intelligeretur, cum tamen iſta, poſt Ægyptiacum exitum, conſtet facta menſe ſecundo. 5. Falſum etiam eſt, triceſimum huius menſis diem fuiſſe, cum deuicti Amalecitæ. Nam poſt victoriam tradit Ioſephus, vti ſuprà quæſt. 18. vidimus, pluſculos eodem in loco dies manſiſſe Iſraelitas, ſpolia & exuuias legiſſe, conuiuia & epulas agitaſſe. Sed menſis tertij die primo, vt Hebræorum pleriſq; videtur, vel certè die 2. vt in Exodo diſſerebã, in ſolitudinẽ Sinai aduenerũt illi, vti traditur initio c. 19. Exod. Ergò è Scaligeri calculo, vel poſtero, vel altero ſtatim victoriæ die, itineri ſeſe accinxiſſent, illoq; perueniſſent. Nam diem ſecundi menſis triceſimum ſequitur, alio nullo interiecto, primus ipſius menſis tertij, pronumeniam ſcilicet neomenia. Et vt Ioſephi auctoritatem mittamus, cum eo die, quo cum Amalecitis pugnatum, ſteterit vſque ad Solis occaſum pugna, quemadmodum ſupra dictum, neceſſe foret ex priore ſententia, Moyſen vna illa inter vltimum ſecundi, & primum tertij menſis diẽ nocte, aram illam erexiſſe, ſacrificaſſe, ſtatimque die poſtero illuceſcente, in viam ſeſe cum Iſraelitis dediſſe. At quomodo, qui die toto cum plurimis & acerrimis hoſtibus, vario euentu, ſudore, fatigationeq; plurima conflixerat *Ioſue*, quomodo ipſius milites, quomodo & ipſe Moyſes, qui de diei totius precatione, manuumq; ſublatione feſſus admodum fuerat, partem quietis vllam vix cepiſſet? quomodo itinerum per ſolitudines iſtas dux illa ſuapte ſeſe vi motitans, nubes feſſos illos fractoſq; vt ſanè dicuntur fuiſſe Deut. 25. 17. ad tantum, tamq; importunum iter ſubitò coegiſſet? cum hoſtis inſequẽdus iam nullus, occupandum & præuertendũ nihil: nullus etiam à tergo & latere aduerſarius metuendus aut fugiendus. Ipſe verò etiam cippus quãdo è lapidibus ædificatus, ſculptus, & illa, quam fingit Scaliger, epigraphe inſcriptus fuiſſet? Ex poſteriore verò ſententia, non eadem quidem omnino fuerint incommoda, ſed nonnulla tamen & ferè eadem. 6. Vult verò Scaliger epigraphem hanc fuiſſe, Bellum irreconciliabile contra Amalecum. Sed vnde colligit hæc verba, in ſtellam ſiue cippum iſtum

A inciſa & inſcripta fuiſſe? Nam ſcriptionis vel inciſionis nulla, vel per ſyllabam vnicam, mentio. Sed ſint hæc tamen inſcripta & inciſa, vnde colligit hæc tantum, non etiam priora illa, Cippus triumphalis propter triceſimum? 7. Cur in Græcis ſuis omittit, quod poſt bellum in textu Hebræo, Chaldæo, Græco, & Latino eſt, Domini vocabulum? Cur & iſta, quæ in fine, A generatione in generationem? Cur quod in iiſdem textibus non eſt, addit ἄσπονδον? Venerat in mentem ſuſpicari, quemadmodũ *montes Dei*, *ar-*
B *bores Dei*, aliaq; in ſuo quodam genere magna & eximia, ſolent in ſcripturis, *Dei res* vocari, vt aliam ob cauſam in meo ad ipſum Mineruali dicebam l. 1. c. 3. ſic quod in textibus eſt, *bellum Dei*, ab eodẽ Scaligero accipi pro bello magno, atroci, & quod fœdere nullo cõponi poſſet. Idq; non ineptè dici videretur. Sed cum Latinam eius epigraphen aſpicio, video *æternũ* ab eo *bellum* vocari, vt ſcilicet, quod *à generatione in generationẽ* poſitum erat, exprimeret: ſicq; iſtud, *Dei*, ab eo ſemper Græcè omiſſum. Latinè tamen forte id vo-
C luit expreſſum, cum dixit, *inter populũ Dei*. Quod tamen *ad verbum* non eſt, vti dicebat, ſicuti neq; cætera, quæ iam tracta. 8. Textũ Hebræum variè immutat prout quidem in libris hodie omnibus tam apud nos, quam apud Iudæos legitur, & quam olim interpretis noſtri tẽpore, legebatur. Nam primò è duabus vocibus Cesiah, vnam facit Casiiah. Deinde puncta ſeu vocales fingit alias, & ex duabus facit tres, & quod diſſyllabum erat, eſſe iubet triſyllabũ. Nam eſſe deberet כסא vt aiebat, ſuaq; mihi manu ſcribebat, è Nouato-
D ribus non ignotus Scaligero Rabinus. Denique vocem cudit, quæ alibi nuſquam vllo in libro, ſacro aut prophano, viſa vel audita, vt mirandum ſit ab eo ſcribi, *In cap. 17. Exodi diſertè habetur Caſiiah*. כסייה Aliud foret ſi *Caſiah* ſaltẽ diceret כסיה.

Dixi verò de Hebræo, prout & nũc legitur, & à Latinis olim lectus, propter 70. de quibus ſupra q. 25. Ad eos tamen prouocare Scaliger non poteſt. Primò quia illi *ceſuiah* videntur legiſſe, ipſe *caſiiah*. Deinde illa eorum vox vſitatis He-
E bræorum verborum declinationibus in Paul Cal congruit: Scaligeriana verò à regulis & Grãmatica tota diſcrepat: Si כסיה ſaltem legiſſet, poſſet excuſari per ſimilia, in benoni Cal exempla, vt Prouerbio: cap. vltimo v. 27. צופיה conſiderans, aſpiciens. Sed tunc ſignificaret *occulentem*, *tegentem*, manum ſcilicet, & pro *vau cholem*, tantummodo eſſet *cholem*. Tertio illi κρυφαίαν verterunt, id eſt, *latentem* & *occultam*: ipſe τριακάδα vel ἔνην καὶ νέαν: id eſt, *triceſimam menſis*. Idque ſemel ac iterum repetit lib. 3. Iſag. pag. 223. Demum poſſunt illi ex Hebræorum verbi notione
F bonam & conſtãtem verſionis ſuæ cauſam reddere, cum כסה ſit *abdere*, *occultare*. At Scaliger ſuæ incertus eſt, dum vel à *numerando*, vel à *regendo* & *ſilendo* eam acceſſit. 9. Neque tamen id adhuc rectè facit. Nam cur à *numerando*? *Quod*, ait, *vltra triceſimum nullus numerus menſium admitteretur*: quaſi diceret, numerum vltra quem aliqua in re numerando progredi non licet, rectè vocari *caſiiah*. Sed quis ita vnquam vocauit? An quia in ſimplicibus numeris vltra decem pergere non poſſumus, denarius ideo *Caſiiah*? An quia tribus Iſrael tantùm duodecim, duodecima

Digitized by Google

eſt *Caſiah*? In anni menſibus, quia Hebræis vltra A decimumtertium excurrere non licebat, *is fuit Caſiah*? Ita de aliis quærere liceret. Si concedat Scaliger numeros quoſlibet vltimos ita vocari potuiſſe, iam valdè ineptam fecerit Cippi ſui rationem. Foret enim, *Cippus propter numerum vltimum vltra quem numerare non licet*. Quia non modo, vt ſuprà tangebam, non appoſitum eſt, eſſe menſis *huius* aut *illius* vltimum, ſed ne dictum quidem eſſet, eſſe *menſis, non autem anni, hebdomadis, certinè alicuius temporis* vltimum? verbi causâ, feſti Paſchatis aut tabernaculorum, eo B modo quo Iohannis 7. verſ. 14. dicitur, *die feſto mediante aſcendit* IESVS, & verſ. 37. *In nouiſſimo die magno feſtiuitatis ſtabat Ieſus*. Si verò neget Scaliger, ita vocari poſſe vltimos rerum omnium numeros, intra quos ſtandum; ratio erit afferenda, cur non, cum id nominis ferat etymon, & cauſa, quam ipſe in menſibus dat. Aut ſi pro ratione ſufficit veterum voluntas qui hoc nominis, etſi poſſet ex origine ſua patere latius, huic vni tamen numero & in hac vna re ſignificando impoſitum voluerunt, C erit huius illorum voluntatis index afferenda vel auctoritas, vel exemplum aliquod. Sed ad *Neomeniam*, credo, *Romanam*, ſiue, vt vſitatiori teri ſolet prouerbio, *ad Calendas Græcas* afferetur. A *tegendo* autem & *ſilendo* cur tricesimum menſis diem dictum vult? *Quòd Luna*, inquit, *tecta eſſet & ſilens*. At ſæpe etiam die menſis 29. & interdum etiam 28. ante illius nimirum φάσιν, in eius cum Sole ſynodo, tegitur ſiletque. 10. & poſtremò, eius argumenta perinfirma ſunt. Sed quia ex occaſione quadam, id oſten- D dendum mihi fuit Iudith cap. 8. quæſt. 12. actum modo non agam. Monebo tamen ſuam hanc diſputationem concludere hiſce verbis Scaligerum. *Non ignoro, hæc dicere, id eſſe bellum Grammaticis indicere: aut potius Grammaticos bellum mihi indicere*. Sed quos appellas Scaliger Grammaticos? Nam aduerſum te Interpretes omnes Chriſtiani & Iudæi, Græci, & Latini, Hebræi & Chaldæi. ipſi etiam Septuaginta. Pergit verò. *Sed vtantur ſenſu ſuo. Mihi ne meum commentum inuideant*. Sanè, *commentum*. Nemo autem, vt E opinor, inuidebit, quiſquis eius inanitatem tantam videbit.

QVÆST. XXVII. *Quando de Amalecitarum exitio, executioni mandata hæc*

RESPONDENT Iudæorum aliqui facta hæc *Eſtheris & Mardochæi tempore*, quando Amalecites *Aman* tota ſua cum ſobole in patibulum actus, & deletus eſt. Cæteri omnes ad *Saulis tempora* illud quod hic traditur, ſpectare aiunt, quādo ille Amalecitis bellum intulit, eorumq; Regem *Agag* cepit 1. Reg. 15. Et vtramque opinionem copulat R. Eliezer c. 44. & 49. Sed magna oriri poteſt dubitatio. Non enim tum Amale- F citarum videtur deleta memoria. 1. Quia cap. 1. lib. 2. Regum ſupereſt adhuc Amalecites. 2. Imò ſupereſt gens ipſa, ita vt magnis adhuc copiis in vicina loca irruat. 1. Reg. 29. & 30. 3. dicitur Dauid Amalecitas ſubegiſſe. 2. Reg. 8. v. 12. 4. Ex Amalecitis proſeminati videtur Macedones, vti probabiliter monſtratum, in *Eſtheris* commentario partis primæ particula 8. q. 1. At quàm illuſtris & peruagata Macedonum fama? 5. Amalecitarum vrbes captæ quidem ſunt, di-

A reptæ, ciuiumque ſuorum cadaueribus oppletæ, vti narrat lib. 6. Ioſephus, ſteterunt tamen ipſæ, nouaque ſenſim ſobole refloruerunt. 6. Quin verò, etiamſi fuiſſent cladibus illis, exciſa funditus Amalecitarum mœnia omnia, totaque adeo natio, nondum tamen eorum deleta penitus memoria. Nam etiamnum hodie viget illa, & vigebit, quoad ſupererunt ſacra Bibliorum folia. Hæc enim ita illorum ſunt nomine inſcripta, vt, hiſce manentibus, interire illud non queat.

Dicendum, alicuius *deleri memoriam* variis mo- B dis accipi. Nam *primo* aliquando eſt omnino illam tollere, vt de illo nihil ſciat amplius poſteritas, nulla vſquam apud homines mentio ſit aut cogitatio. Huiuſmodi verò cuius deleta penitus & radicitus euulſa ſit memoria, non equidem poſſim vllum nominare, (Nam alioquin iam aliqua eius ſupereſſet memoria) quin aliqui tamen in ſummam iſtam ſeculorum lethem demerſi ſint, haud ambigo. *Secundò*. Vt ſit aliqua quidem eorum memoria, ſed parua & longe quam futura fuiſſet, minor. *Tertiò*. Vt C ſit eorum item memoria, ſed atra, execrabilis, infamis. Ea ſiquidem iſto modo memoria extinguitur, quam optant homines, quæque eorum bonum quoddam eſt. At dedecus & infamiam horrent omnes, ſoletq; iis veluti ſupplicium & mulcta prægrauis inuri. *Quarto & poſtremo*, familiæ, gentiſue alicuius deletur memoria, quando etiamſi ſuperſint ex ea nōnulli, aliud tamen iam nomen gerunt, ſiue quia ex pudore, metu, aliaue cauſa id volunt: ſiue quia nolunt quidem, ſed quominus aliter iam vocentur, impedire non D queunt. Ad hoſce poſteriores modos tres, reuocantur illa, quæ in ſcripturis paſſim Deut. 32. v. 26. *Vbinam ſunt? Ceſſare faciam ex hominibus memoriam eorum*. Nam ecce poſt tot tantaque Iudæorum ipſa peccata, poſt ipſum etiam Dei filium occiſum, eorum memoria eſt, ſed deteſtabilis & funeſta. Pſal. 9. verſ. 6. *Increpaſti gentes & periit impius: nomen eorum deleſti in æternum, & in ſeculum ſeculi*. Et verſ. 8. *Periit memoria eorum cum ſonitu*. Etſi enim, quia in Hebræo eſt המה recte verti poſſit, *periit memoria eorum ipſorum*, vel *eorum & ipſi*, aut E quemadmodum apud S. Chryſoſtomum alius quidam vertit σὺν αὐτοῖς *cum ipſis*, mihi tamen optimè, *cum ſonitu*, verſum videtur. Nam 70. μετ' ἤχου verterunt, & detractis nouitiorum Hebræorum punctis המה legerunt à verbo המם vel quod eſt *ſonare, ſtrepitum facere*. Pſal. 33. v. 17. *Vultus Domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum*. Pſal. 108. verſ. 15. *fiant contra Dominum ſemper & diſpereat de terra memoria eorum*. Eccleſiaſt. 9. verſ. 5. *Mortui nihil nouerunt amplius, nec habent vltrà mercedem, quia obliuioni tradita eſt memo-* F *ria eorum*. Sapient. 4. verſu. 20. *Memoria illorum* (impiorum) *peribit*. Eccleſiaſt. 10. v. 19. *Terras gentium euertit Dominus, & perdidit eas vſque ad fundamentū. Areſecit ex ipſis, & diſperdidit eos, & ceſſare fecit memoriam eorum à terra*. Et de adultera fœmina cap. 23. verſ. 36. *Derelinquet in maledictum memoriam eius* (ſiue ſuam) *& dedecus illius non delebitur*. Et de laudatiſſimorum quorundā hominum poſteris c. 44. v. 8. *Qui de illis nati ſunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum: Et ſunt, quorum non eſt memoria. Perierūt quaſi non fuerint, & nati ſunt, quaſi*

non

Digitized by Google

non nati, & filij ipſorum cum ipſis. Iſaiæ 26. verſ. 14. *Contriuiſti eos, & perdidiſti omnem memoriam eorum.* Ierem. 25. verſ. 10. *Interminatur Dominus factiurum ſe, vt non ſit vltrà memoria filiorum Ammon in Gentibus.* Zachar. 12. verſ. 2. *Diſperdam nomina Idolorum de terra, & non memorabuntur vltrà.* A

Ad illa igitur *tria prima*, quæ dubitationem pariebant, dico, poſt illatam à Saule cladem, renatos quidem ex iis qui vel abſentes tùm erant, vel fuga, & latebris euaſerant, poſteaque reuerterant, Amalecitas, ſed multo minore quam olim famâ, potentiâ, dignitate: Fuitque ipſorum deinceps nomen obſcurius, & cum probro, ac dedecore coniunctius. Ad *quartum*. Patet, ex tertio delendæ memoriæ modo, reſponſum. Nam adeò conciſa & obtrita fuit Amalecitarum memoria, vt nouum aliud eorum reliquiis impoſitum nomen ſit, & quidem ita, vt valde adhuc obſcurum ſit, an ab Amalecitis illis ipſi Macedones. Et fortè ad ipſorum in *Haman* illo Eſtheriano excidium reſpexerunt Septuaginta, cum ἐν κρυφαίᾳ χειρὶ diſperdendos eos dixerunt. Quàm enim abdita, & locorum illorum, temporum, circumſtantiarumque omnium inuolucris occultata Dei hæc in illorum reliquiolas animaduerſio? Ad *quintum*. Dico primò quidem ſatis non conſtare, an Amalecitarum vrbes, & tecta ſtare ſiuerit Saul: (Nihil enim de iis vel ſcriptura, vel Ioſephus) verò tamen eſt ſimilius diruta omnia, vel iniectis certè flammis in cineres redacta. Nam iſto in bello, eorum, quæ fieri iuſſerat Dominus, præteritum à Saule aliud nihil videtur, quam quod conceſſa Regi vita, & pecorum abacti greges. At verò præceperat Dominus vniuerſas Amalecitarum res diris deuoueri, ſacraſque & deteſtabiles haberi. Nam 1. Reg. 15. v. 3. vbi Latinè legimus, *Percute Amalec, & demolire vniuerſa eius*, in Hebræo eſt, *& anathematizabiice omnia, quæ ipſius ſunt.* Hæc autem anathematis, quod in Hebræo חרם cherem vocatur natura & vis fuit, vt ferro, flammaque abſumi vellet omnia, prout in Hierichunte videbimus infrà cap. 6. quæſt. 33. ac ſequentibus: & de vrbibus aliis iubetur Deuter. 13. In Græcis ſeptuaginta variæ congeſtæ apparent verſiones. Nam vna retinet ferè ipſum illud Hebræum verbum, & dicit. πατάξεις τὸν Ἀμαλὴκ καὶ ἱερὶμ pro καὶ ἱερὶμ quaſi κατὰ χέρεμ, id eſt, ἀνάθεμα. Alia iſtud idem hiſce verbis extulit. καὶ οὐ περιποιήσῃ ἐξ αὐτοῦ, id eſt, *nihil ex eo reſiduì facies.* Siue vt in Latino noſtro eſt. *Nō concupiſcas ex rebus ipſius aliquid.* Alia καὶ ἐξολοθρεύσεις αὐτὸν, id eſt. *Funditus ipſum perdes.* Alia denique καὶ ἀναθεματιεῖς αὐτὸν, καὶ πάντα τὰ αὐτοῦ. Niſi ergo iſta tanta idem pænè ſignificantium verborum congeries ad rem & internecionem iſtam melius explicandam ſtudio facta ſit, Hebræo congruentiùs textui, & emendatiùs ita legeremus. πατάξεις τὸν Ἀμαλὴκ, καὶ ἀναθεματιεῖς αὐτὸν, καὶ πάντα τὰ αὐτοῦ. Accedit quod Chananæi, qui *Aradio Rege* ducente Iſraelitas aggreſſi ſunt, anathemate obſtricti & deleti ſunt, Num. 21. Quidni ergo & Amalecitæ? Paribus enim ſceleribus pœnæ pares ſunto. Ad *ſextum*. Horum & id genus aliorum ſuperſtes memoria eſt, ſed qualis? Fœda, triſtis, damnata, vt nullam omnino eſſe præſtaret. Quemadmodum enim de quibuſdam dixit Matth. 18. verſ. 6. Saluator, præſtare, ipſos, alligata eorum collis aſinaria mola mergi profundiſſimè, ita & Pilato, Iudæ, aliiſque id genus infeliciſſimis nominibus foret multo ſatius, obliuione obrui ſempiterna, quam in pietatis noſtræ ſymbolis commemorari toties. Et huc tendunt, quæ *Minerualis* libro 2. cap. 1. notata: & quòd de improbis dicit Pſal. 15. Dauid: *Nec memor ero nominum eorum per labia mea*: & de falſis Diis Moyſes Exod. 23. 13. *Neque audietur nomen eorum ex ore veſtro.* Sed rurſum quæſt. 30. quod huc pertineat, aliquid.

Qvæst. XXVIII. *Pœnarum de Amalecitis tantum cur ſumptū*

Potest ex dictis, & ex hoc ipſo Exodi cap. 17. non omnino neſciri cauſa, clarè tamen à Domino proponitur, Deuteronom. 25. verſ. 17. *Memento, ait, quæ fecerit tibi Amalec in via, quando egrediebaris ex Ægypto: quomodo occurrerit tibi, & extremos agminis tui, qui laſſi reſidebant, ceciderit, quando tu eras fame & labore confectus, & nō timuerit Dominum. Cum ergo Dominus Deus tuus dederit tibi requiem, & ſubiecerit cunctas per circuitum nationes in terra quam tibi pollicitus eſt, delebis nomen eius de ſub cœlo. Caue ne obliuiſcaris.* Et 1. Reg. 15. v. 2. *Hæc dicit Dominus exercituum. Recenſui quæcunque fecit Amalec Iſraeli: quomodo reſtitit ei in via cum aſcenderet de Ægypto. Nunc ergo vade & percute Amalec.* Verum dixerit aliquis,

——— *Tantæne animis cœleſtibus iræ?*

Nam primò volebat Amalec aduentantem ignotorum hominum multitudinem ſuis à finibus arcere. Quid hac in re peccati? Patriam tueri nonne fas? Aduenarum tot myriadas, tantorum peregrinorum ſimul venientiam exercitum regni aditu non prohibere, in viſcera ipſa recipere, an tutum? 2. Si peccatum ab Amalecitis fuit aliquid, pœnarum ab iiſdem nonne datum ſatis? Victi enim ſunt, ſtrage affecti maxima, caſtris rebuſque ſuis omnibus exuti. Et ſi ſatis hoc non fuit, an tam internecinum tamen contrà eos bellum eſſe pòſt debuit? Cur in fœminas ſæuitum? Cur in paruulos & lactentes?

Quid meruere boues, animal ſine fraude doloque?

Quid oues, cæteræque pecudes, & ipſa etiam inanima? Cur ne in prædā quidem illas rapere, vrbes verò & domos ſartas tectas reſeruare non licuit? Videtur ſanè tanta immanitas, & contra bellorum omnium morem, & contra eas etiam, quas de bellis fixit ipſemet Deus, leges. Deuteronom. 20. vbi virorum quidem cædes conceditur, paruulorum verò, fœminarum & iumentorum vetatur. 3. Conferantur præterea, cum aliis etiam gentibus, quæ variis Iſraelitas aggreſſionibus, & bellis vexarunt, iſti Amalecitæ. Non ſunt exſtirpati penitus Moabitæ, Ammonitæ, Idumæi: non ſunt exitialibus adeo armis appetiti: & tamen eorum in Iſraelitas iniuriis, quanam re præponderat vna hæc Amalecitarum incurſio? Latè poteſt argumentorum iſtorum explicatio patere. Nam de omni bellorum, quæ, vt promiſſam terram occuparent Hebræi, geſta ſunt, iure agi deberet. Nunc tantum abſque probationibus, quæ alibi afferendæ: Dico *primo*, Deum eſſe ſummum, & verum terrarum, poſſeſſionum, bonorumque aliorum omnium Dominum: eumque poſſe, citra cuiuſque iniuriam, iure optimo, dare illas & eripere quibus voluerit, etiamſi nulla vllius culpa foret.

Digitized by Google

& populus hic, quaſi vitulus, ore & labiis pugnat, & arma habet in verbis ac precibus. Hac igitur ſciens rex mittit ad Balaam, vt & ipſe deferat verbis verba contraria & precibus preces. D. Hieronym. præfat. in lib. 2. Iſa. *Obſecro te virgo* C h r i s t i *Euſtochium, vt nobis in ſcripturarum explanatione certantibus, tum cum Moyſe ad Dominum eleues manus, vt qui exeuntes de Ægypto mare tranſiuimus rubrum, vincamus Amalec, qui interpretatur deuorans & eligens, & poſſimus tecum dicere. Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Similia videri poſſunt in can. *ſi quis vult Pontifex.* diſt. 36. vbi S. Hieron. citat Gratianus, qui ille ſcilicet interpres eſt: auctor verò verborum illic allatorum eſt Origenes hom. 6. in Leuitic. Numa Pompilius dicenti cuidem: *Hoſtes, ô Numa, contra te bellum comparant*: At ego inquit ille ridens, *ſacrifico.* In quo quidem, ait Oſorius lib. 6. de Reg. Inſtit. *Oſtendit, hoſtium vires Magis Dei propitio numine, quam exercitus robore frangendas.* Vide & Oſorium noſtrum ſerm. de expeditione contra hæret. Tomo. 4. p. 172.

Quinta, vt variarum nobis rerum ſymbolum ac typus oſtenderetur. Mihi enim Moyſes in monte iſto ſtans pro populo ſuo deprecans, brachia pandens, manus tollens, mirificam illam virgam tenens, I e s v s meus Dominus & ſaluator meus in caluariæ monte videtur, dum pro me, totoque terrarum orbe cruci ſuffixus, coram cœleſti patre ſtetit, brachia grauiſſimis verberibus, patibulique ſui baiulatione prælaſſata diſpandit: Sacratiſſimas illas manus, quibus tam multis tam ſalutarem opem cæcis, ſurdis, energumenis, ægris, mortuis opem attulerat, trabalibus iam clauis perfoſſas ſurſum ſuſtulit, ipſamque crucis ſuæ virgam, vel truncum potius arctiſſimè complexus tenuit, cœleſtique patri obtulit. *Extenſio manuum*, inquit, S. Ephrem. Tomo. 2. Paræneſi 1. *eſt crucis figura.* Et Sanctus Hieronymus epiſtola ad Fabiolam, *Ad ſignum crucis ſuperatur inimicus.* Et in cap. 12. Oſeæ, cap. 1. Abdiæ. Theodoretus in Exod. quæſt. 34. *Dum*, ait, *extendebat manus Moyſes, præ ſe ferebat typum eius, qui crucifixus eſt pro nobis. Declarata eſt igitur ſub illa figura vis ipſius veritatis. Quemadmodum enim ſerno manus extendente cecidit Amalech: ita quum Dominus manus extendit, diſſoluta eſt acies Diaboli.* In eandem plura ſententiam Origenes Hom. 1. in *Ioſue.* Tertullianus l. 3. contra Marcionem. & l. contra Iudæos. Seuerianus orat. 4. in S. Crucem, ex eo Damaſc. orat. 3. de imaginibus. Iuſtinus contra Tryphonem. D. Auguſti. l. 10. cap. 8. l. 12. contra Fauſtum cap. 30. orat. de Hæreſ. cap. 2. ſerm. 39. de tempore. S. Proſper. p. 1. de promiſſ. cap. 40. Nazianz. or. 1. 3. 6. 26. 42. Apologet. Sybilla in acroſtichide, cuius meminit l. 2. de diuinatione Cicero, Conſtantinus Magnus in orat. ad Sanctos cap. 18. D. Auguſtini lib. de ciuit. 18. cap. 23. *Sincera hunc Moyſes expreſſit brachia tendens.*

Vt fidei vincens Amalec, vt diſceret eſſe
Electum patri populum magnoque in honore
Dauidis virgam, lapidem, in quo conſtitit, in quo
Cui ſua ſpes poſita eſt, is omnia ſecula viuet,

Significarunt, verò etiam *graues Moyſis manus, graue legis iugum*, vt ait in Cantica Ser. 30. S. Bernardus. Tertiò *ſignificabat Deus*, inquit loco citato Philo, *alterorum propriam hæreditatem eſſe terram, infimam mundi partem: alterorum verò æthera ſacratiſſimum. Et quemadmodum in rerum vniuerſitate, cælum eſt terra potius, ſic etiam populum ſuum bello ſuperaturum aduerſum aciem.* Et in Exodum Homilia XI. Origenes, *Moyſes eleuat manus ſuas, & cum eleuaret manus, vincebatur Amalec. Eleuare manus, hoc eſt opera & actus eleuare ad Deum Deo placitos, & ad cœlum erectos. Eleuat ergo manus, qui theſaurizat in cœlum: vbi enim theſaurus eius, ibi & oculus eius, ibi & manus eius. Eleuat manus & ille qui dicit, eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum. Si ergo eleuentur actus noſtri, & non ſint in terra, vincitur Amalech. Sed & Apoſtolus præcipit leuare ſanctas manus ſine ira & diſceptatione, & ad quoſdam dicebat: Demiſſas manus, & diſſoluta genua erigite, & erectos greſſus facite pedibus veſtris. Si ergo ſeruat populus legem, eleuat Moyſes manus & aduerſarius vincitur. Si non ſeruat legem, inualeſcit Amalech. Quia igitur & nobis pugna eſt aduerſus principes, & poteſtates mundi huius rectores tenebrarum, ſi vis vincere, ſi vis obtinere, eleua manus, & eleua actus tuos, & conuerſatio tua non ſit in terris, ſed ſicut dixit Apoſtolus: Super terram ambulantes, conuerſationem habemus in cælo: Et ita poteris ſuperare populum aduerſantem tibi Amalech, ita vt dicatur de te etiam, quia in manu occulta expugnabat Dominus Amalech. Eleua & tu manus ad Deum, & imple mandatum, quo Apoſtolus ait: ſine intermiſſione orantes: & tunc fiet quod ſcriptum eſt: Quia ſicut vitulus ablingit in campis herbam viridem, ita ablinget populus hic populum qui ſuper terram eſt. Per quod (vt à maioribus accepimus) indicari dicitur, quia populus Dei non tam manu & armis quam voce & lingua pugnabat: id eſt orationem fundens ad Deum, proſternabat inimicos. Ita ergo & tu ſi vis vincere inimicos, eleua actus tuos, clama ad Deum, vt dicit Apoſtolus: Orationi inſtantes, & vigilantes in ea. Hæc enim eſt Chriſtiani pugna, qua ſuperat inimicum.* Adiungit verò & figuram aliam idem eodem loco auctor. *Puto*, ait, *quòd per hanc figuram etiam duorum populorum Moyſes formam deſignet, & oſtendet vnum eſſe populum ex gentibus, qui eleuet manus Moyſi, nec extollit eas à terra, nec altum in eo aliquid & ſubtile conſiderat, vincitur ab aduerſariis & proſternitur.* Concludam ſancti Auguſtini verbis è ſermone 39. de tempore: *Bibit de petra populus, & ſtatim bellum init contra Amalech. Videte fratres quia poſtea quam quiſque de petra biberit, id eſt Chriſti, Sacramenta ſuſceperit, neceſſe eſt illi ad pugnam procedere. Tamdiu enim aliquis diabolum contra ſe pugnantem non ſentiet, quamdiu opera illius exercere voluerit. Qui vero illum reliquerit, & de petra bibens* C h r i s t v m *ſequi elegerit, neceſſe eſt vt illum patiatur infectum, cui iſto iudicio voluit præponere* C h r i s t v m. *Quiſquis ergo Chriſto coniungitur, non ad delicias, non ad voluptates, ſed ad prælium præparetur: quia omnes qui volunt piè viuere in Chriſto, perſecutionem patiuntur. Et iterum: Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Inierunt ergo bellum filii Iſrael, & Moyſes vocat* I e s v m, *& dicit ad eum:*

Elige

Digitized by Google

Elige tibi viros, & pugna contra Amalech. Vſque ad hunc locum beati huius nominis mentio, id eſt IESVS, *nuſquam facta eſt. Hic primum vocabuli huius ſplendor obſulſit. Moyſes vocat* IESVM, *lex, inuocat Chriſtum. Elige, inquit, tibi viros potentes. Non poterat Moyſes eligere viros potentes:* IESVS *ſolus eſt, qui poteſt viros potentes eligere. Ipſe vtique qui dixit Apoſtolis ſuis: Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, Ipſe eſt qui domum fortis intrauit, & vaſa eius diripuit. Moyſes autem aſcendit in verticem collis. Et factum eſt cum eleuaret manus Moyſes, vincebat Iſrael. Aduertitis fratres: Moyſes manus quidem leuat, non tamen extendit. Cui ergo ſeruabatur, vt manus extenderet, niſi Domino noſtro* IESV CHRISTO, *qui extenſus in cruce vniuerſum orbem complexurus brachia pietatis expandit? Moyſes ergo leuauit manus: & licet non expandit, tamen ipſa eleuatione myſterium crucis oſtendit. Videte fratres, iam tunc per Sacramentum crucis ſuperatas eſſe aduerſarias gentes. Et nos, fratres dilectiſſimi, ſi adiuuante Domino manus erigimus, diabolum ſuperamus. In manibus opera debemus accipere. Si ergo talia ſunt opera tua, vt illa poſſis in altum in conſpectu Domini leuare, potes etiam & tu in teipſo aduerſarios tuos extinguere. Quis bene manus leuat, niſi qui per eleemoſynam in cœlo iugiter theſaurizat? Quis ergo bene manus leuat niſi qui aſſiduè victum, ac veſtitum pauperibus ſubminiſtrat? Quis benè manus leuat? Ille vtique qui implet illud Apoſtoli, Eleuantes, inquit, puras manus ſine ira & diſceptatione. Quia ergo quotidie nobis, & vobis pugna imminet contra aduerſarias poteſtates, ſi volumus vincere, manus noſtræ, id eſt, actus noſtri & conuerſatio noſtra non ſit in terris: ſed ſicut Apoſtolus dicit: Super terram ambulantes conuerſationem habeamus in cœlo. Scriptum eſt tamen, quia ſicut vitulus ablingit in campis herbam viridem, ita populus Iſrael ablinget populum Amalech ſuper terram. Per quod indicari videtur, quia populus Dei non tam manu & armis, quam voce pugnabat & lingua, id eſt, orationem ad Deum fundebat. Ergo & tu ſi vis vincere, audi Apoſtolum dicentem, Orationi inſiſtentes & vigilantes in ea. Hæc eſt Chriſtiani pugna glorioſiſſima, non in ſuis viribus præſumere, ſed ſemper Dei auxilium implorare, cui eſt honor & imperium cum Patre & Spiritu ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.*

Q. XV. *Quid Aaron & Hur ſignificarunt?*

DE Moyſe, ipſiuſque virga dictum. At quid Aaron & Hur ſignificarunt? Certè in itinere ad montem, baiulantem Dominum meum *Cyrenæus* vnus adiutauit, ſed in monte ipſo nemo vnus. Torcular ibi ſolus calcauit: Solus ad offuſam toti terrarum orbi noctem expenſa brachia, ſublataſque manus tenuit. Non fuit, qui vel minimum adiuuaret, non homo, non Angelus, adeo vt exclamarit: *Deus Deus meus, ad quid dereliquiſti me.* Neque latrones duos, qui ab eius lateribus vtrimque pendebant, verbo ſaltem ei fulcri aliquid attuliſſe opinari poſſumus, cum verborum contumeliis eum oneraret alter: alter Aaronis & Hur ſuſtinere perſonam non poſſit. Dicunt aliqui, vtriuſque teſtamenti ſignificata per illos volumina. Hæc enim nos, qui capitis CHRISTI membra ſumus, ſuſtentant, fidei, ſpeique noſtræ imbecillitatem aſſiduè fulciunt. D. Hieronymus Epiſtola citata, ex Aaronis & Hur etymologia innuere videtur aliquid. *Vtramque*, ait, *Moyſis manum, Aaron, & Hur, id eſt, montanus, luciduſque ſuſtentat.* non quod Hur ſit ab Hebraico *Or*, quod eſt *lumen*, (Abeſſet enim aſpiratio) ſed quod Hebræis *chor* ſeu *Hor* aut *Hur*, ſit nobile, clarum, & illuſtre. adeo vt viri nobiles dicantur *chorin*: oratio verò perſpicua & lucida *laſchon mechauar*, vt ait à Thiſbi Elias. An in Eccleſiæ Chriſtianæ monte hominum, genera duo ſunt, quæ CHRISTI fidem, & religionem ſuſtentant? Sacerdotes & boni Senatores, bonus clerus, bonus Magiſtratus, in contemplationis monte poſiti ſancti, & in actionum Sanctarum candore clari & fulgidi? An Aaron, *S. Petrus*, Hur *S. Paulus*, duo Eccleſiæ Chriſtianæ columina? Nam vtrumque à Chriſtianis olim cum CHRISTO ſimul pingi ſolitum, teſtis l. 1. de Conſenſu Euang. cap. 9. S. Auguſtinus. Per *Moyſen* intelligit Rupertus lib. 3. de Trinitat. cap. 20. *legem, quæ, vt expleatur, ſuſtentatore indiget Aarone,* CHRISTO *Hure, Spiritu ſancto.* Eius poſtea idipſum, verbis eloquar. *Sed videatur rectè, vt ſupra dixi per Moyſen* CHRISTVS *Dominus accipi, cui ſemper aſſiterunt Deus Pater, & Deus Spiritus ſanctus. Nam, ſecundum carnem, infirmitates omnium noſtrum ſuſcipit, languores noſtros ipſe portauit, ſuſtentabant corporis eius imbecillitatem, Patris, &* S. *ſancti manus. Quas numquam ita ſubduxerunt, vt ruere ſinerent: Sed tantum, vt dolores, & cruciatus non auerterent. Sicque* illa ſuperius allata derelictio accipienda. Certè cum grauiſſimorum tormentorum metu CHRISTVM deſerere cogerentur Chriſtiani, legitur *S. Gregorius Thaumaturgus* in cœlum manus veluti contra Amalecitas ſuſtuliſſe, ſanctiſſimamque plurimis victoriam impetraſſe. Tomo. 4. Surii pag. 73.

Q. XVI. *Moyſi ſuppoſitus lapis cuius rei ſignum?*

SI CHRISTVM Dominum in ſeipſo conſideremus, lapis ei ſuppoſitus, ſuper quo ſedeat & requieſcat, eſt ſua ipſius diuinitas: Eſt quodammodo etiam petra illa ſuper quam ipſe *Petra una*, veruſque *angularis lapis*, Eccleſiam ſuam fundare dignatus eſt. Quin & boni piique cuiuſlibet patientia & conſtantia, ſiue animus à voluptatum blanditiis, periculorum terroribus & laboribus inuictus, ſaxum eſt quod gratiſſimam CHRISTO Domino ſedem præbeat. Sin verò quoad membra ſua CHRISTVM Dominum ſpectemus, qua in re alia ſeſſimonium quæramus, præterquam in Petra illa, quæ in Corinth. 10. verſu. 4. CHRISTVS eſt in lapide illo, qui apud Zachariam cap. 3. verſu. 9. & cap. 4. verſu. 7. deſcribitur? *Sedet*, ait ad Fabiolam S. Hieronymus, *Moyſes ſuper lapidem dictum à Zacharia, qui ſeptem habebat oculos, & in Samuelis volumine appellatur Abenhaazer, id eſt, lapis adiutorii.* Cyrillus in collectaneis cap. 16. *Cum iuſſiſſet Moyſes* IESV *filio Naue, vt eligeret viros potentes, & exiret & acie dimicaret cum Amalech, ſubſignificauit quod* IESVS CHRISTVS *ſubiicietur mandatis legis Moſaicæ. Non veni, inquit, ad ſoluandam legem, ſed ad*

Digitized by Google

implendam. Et cum elegiſſet ex vniuerſo Iſraele, & ex vniuerſa gente viros potentes, ſacros, inquam Apoſtolos, & eorum ſucceſſores, ad confligendum acie cum Diabolo Rege vitii & peccati, eum expugnabit. Poſtridie autem iuſſit ſerui aciem ſignificans quod poſtea ſecutum eſt tempus ſuſceptæ humanitatis, quod eſt poſt adimpletionem temporis legalis. Aſcendit autem Moſes ſuper verticem collis, vt poſſit intueri prælium. Nam quæ eſt ex lege myſtagogia, conſcendit ad altitudinem cognitionis congruem in habentem ſymmetriam, vnde poſſint Iudæi intueri CHRISTI *ſtratagemata: & Moyſe quidem extendente manus inualeſcebat Iſrael, remittente autem, inualeſcebat Amalech. Nam manus quidem in aerem expanſæ, deſcribunt figuram crucis: vincit autem quicumque fert crucem: quomodo rurſus quicunque non fert crucem, ſed* CHRISTI *fidem amiſit, bello premitur. Graues autem manus Moyſis, & quæ vix attolluntur in dictam figuram: quoniam & qui ſint legis, raro ad hoc veniunt, vt ferant crucem* CHRISTI. *Et accipientes, inquit, lapidem ei ſuppoſuerunt. Et Aaron & Or ſuſfulciebant, inquit, ei manus hinc vnus & inde vnus. Lapis enim pretioſus & electus eſt* CHRISTVS, *cui innitentes quieſcunt qui credunt ex Iſraele. Idem autem Chriſtus intelligitur & Aaron & Or, & Pontifex & Iudex. Nam Aaron quidem eſt Pontifex. Or vero Iudex, qui Chriſtus per vtrumque intelligitur, ſuſfultis fideles ex Iſraele in fidem & victoriam, quæ eſt per Chriſtum, neque eos ſinit grauari & deprimi.* Dicit Caluinus huiuſmodi allegorias eſſe *plauſibiles*, ipſe tamen aſpernatur. Sed in Bibliacis Prolegominis cap. de ſenſu myſtico ſpreta iam & exſibilata hæc eius vanitas. Alius Orco iam datus Chytræus eas laudat, ſed ita vt non ſit in peccatoris ore ſpecioſa laus. *Suſtentandæ ſunt*, ait, *manus & preces noſtræ lapide ſeu Petra Chriſto, non interceſſione & meritis Sanctorum.* Quamobrem quæſo, *non interceſſione & meritis Sanctorum?* Non ſunt etiam Sancti lapides, quibus inſidere liceat? Non Petra S. Petrus? Nihil eorum merita & interceſſiones, licet longè aliter, & multo minus, quam CHRISTI Domini, nobis prodeſſe poſſunt? Sed hoc ego in meo *de litaniis* libello expoſui. Nunc tantum obſeruemus, quam Sanctis alias omnibus tantopere Hagiomachi iſti inuidere ac eripere ſolent *interceſſoris* appellationem, Caluinum hic Moyſi tribuere, ſimulque rurſus allegoriarum, quas improbabat, aliquid probare. *De ſe*, ait, *præcipuè loquitur Moſes, vt doceat munus hoc ſibi à Deo fuiſſe impoſitum. Non enim vota ſolum ex charitatis officio concepit: ſed quia eum interceſſorem Deus elegerat, qui virga extenſione, & tacito precandi ardore hoſtes eminus vinceret. Qua in parte typum* CHRISTI *geſſit, quanquam in aliis partibus non quadraret ſimilitudo.* Hæc ipſe. Sed, præ hoc, Philonem & Sanctum Auguſtinum libentius audio. Ille libro *Quod omnis probus liber. Iudæorum legiſlator*, ait, *ſapientem graues manus habere, actiones eius hoc ænigmate ſignificans, non ſuperficiem contrectantes, ſed penetrantes in ſolidum, vtpote ſubnixas non flectendo mentis propoſito. Itaque à nemine cogitur, cum ſit contemptor & mortis & cruciatuum, lege naturæ præpoſitus omnibus inſipientibus.*

A

Auguſtinus verò in 50. Homil. 27. cap. 1. *Fateor, non deſunt hoſtes. Sicut enim non deerant, qui ſequerentur fugientes, ita non deerunt qui impediant ambulantes. Prorſus chariſſimi figuræ noſtræ fuerunt. Interim in te non ſit quod contriſtet Moyſen: noli eſſe aqua amara, quam poſt mare rubrum non potuit ille populus bibere. Erat enim & ibi tentatio. Et tamen iſta quando eueniunt, quando amaricat populus, oſtendimus eis* CHRISTVM, *quæ pro illis tulerit, quomodo pro eis ſanguinem fuderit: & miteſcunt, tanquam nobis lignum in aquam mittentibus. Plane hoſtem aduerſantem itineri tuo Amalech habebis. Tunc orabat Moyſes, tunc extendebat manus. Et vbi deponebat manus, conualeſcebat Amalech, vbi extendebat manus, deficiebat Amalech. Et tuæ manus extentæ ſint, deficiat Amalech tentator, & huius itineris impeditor: eſto vigil & ſobrius in orationibus, in operibus bonis, non tamen præter* CHRISTVM, *quia extenſio illa manuum, Chriſti crux fuit. In illa extenditur Apoſtolus cum dicit: Mundus mihi crucifixus eſt, & ego mundo. Ergo deficiat Amalech; vincatur, & non impediat tranſitum populi Dei. Si dimittis manus à bono opere, à cruce Chriſti; præualebit Amalech. Tamen noli omnimodo aut continuo te fortem futurum putare; aut penitus deſperando deficere. Alternatio enim illa defectus & fortitudinis in manibus ſerui Dei Moyſi, fortè alternatio tua fuit. Aliquando enim in tentationibus deficis, ſed non ſuccumbis. Deponebat ille paulum manus, non omnino tollebat. Si dicebam motus eſt pes meus, ecce miſericordia tua Domine adiuuabit me. Noli ergo timere: adeſt in itinere auxiliator, qui in Ægypto non defuit liberator. Noli timere, aggredere viam, præſume ſecurus. aliquando ille deponebat manus, aliquando erigebat, tamen victus eſt Amalech. Rebellare potuit, ſuperare non potuit.* D. Bernardus ſerm 30. in Cant. *Graues Moyſi manus, teſtibus Aaron & Hur. Graue legis iugum teſtibus Apoſtolis, qui hoc & ſibi, & Patribus importabile clamitant.* Act. 15.

Q.XVII. *Exitus pugnæ quis?*

EVM deſcribit Moyſes bifariam. Primò à victoria verſ. 13. Deinde ab iis, quæ victoriam conſecuta ſunt. verſ. 14. 15. 16. Victoria certè maxima & nobiliſſima, perpaucis hiſce verbis ab eo propoſita. *Fugauitque Ioſue Amalech, & populum eius in ore gladii.* Vbi animaduertandum, primò, quod in Latino, & Græcis eſt *fugauit*, in Hebræo eſſe verbum, *fregit, debilitauit.* Et inde lepidam conflarunt Rabbinorum nonnulli fabellam, voluiſſe Amalecitas, magicarum artium vi, volare, magnoque impetu è ſublimi, harpyarum inſtar, in Iſraelitas irruere. At oſtendiſſe iis tetragrammaton Dei nomen *Ioſue*, ſicque fractos, & debilitatos fuiſſe. Alii, ex Amalecitarum exercitu fortiſſimos quoſque ſublatos fuiſſe. Et hoc quidem verum, ſed non ij ſoli ſublati, ſed maxima eorum omnium multitudo, ita vt eorum vires admodum acciſæ ac debilitatæ fuerint,

reſiduique

Digitized by Google

reſiduique in fugam verſi. Hinc enim & Exod. 32. verſ. 18. *Col Enoch Chelſchab*, *vox eorum*, *qui in fugam vertũtur*, ſeu, vt vertit Chaldæa paraphraſis, *vox debilium: qui ſuperantur*. Obſeruat tamen Ioſephus, fuiſſe internecione occidendos omnes, niſi ſuperueniens nox à cæde Iſraelitas cohibuiſſet. 2. Data opera, Hebræo illo *frangendi* verbo vſus eſt Moyſes, vt ſignificaret meritas Amalecitarum iniquitati pœnas redditas. Nam quos Deut. 25. verſ. 18. ab illis cæſos narrat laſſos, ſiue itineris moleſtia debiles Iſraelitas, eodem vocabulo appellat, ſed ita vt inſit literæ vnius tranſpoſitio, qua fortunæ illorum ſignificatur immutatio. Tum triumphabant Amalecitæ, valebant, vigebant. Tranſpoſita iis nunc omnia. 3. Quia tam diſtinctè hic ipſius Amalec mentio fit, & deinde ipſius populi, videatur fortè Amalecitarum Rex interfectus, vel ſi euaſit, egregie vulneratus fuiſſe. Hocque poſterius crediderim probabilius, quod cum *Og* & *Seonis* peremptorum Regum toties meminerit ſcriptura, de hoc ſileat. 4. *Gladij os*, eſt ipſius acies, quod ea ſcilicet parte veluti mordeat, conſumat, ſanguinem hauriat. Vnde Luc. 21. v. 24. cadent in ore gladij; ad Hebræos 4. Apoc. 1. μάχαιρα & ῥομφαία δίστομος gladius acierum duarum, ſiue anceps. Iud. 19. v. 29. Prouer. 30. v. 14. gladij & cultri ab eo quod edant & vorent, vocantur *maacaloth* מאכלות Septuaginta eandem hic rem ab effectu dixerunt ἐν φόνῳ μαχαίρας *in gladij cæde*. Et imitentur illud Galli dum aiunt, *à trenchant de l'eſpee*. Sanctus Moyſes facit, abſque dubio, præcipuum victoriæ huius auctorem Deum. Sed, ex hominibus, videtur *Ioſue*, ſolum celebrare potiſſimum, dum tam rotunde, *non à ſe*, ſed *ab illo* infirmatos fuſoſque dicit Amalecitas. Exiſtimant tamen aliqui coniunctionem illam *que* dum dicitur *fugauitque* accipiendam, vt interdum alibi, pro illatiua, *igitur* quaſi dictum eſſet: *conſtantiſſimus in aſſidua precatione fuit Moyſes, ideoque fugauit Ioſue Amalecitarum copias*. Et ſane Iudith 4. v. 13. planiſſime ipſi Moyſi ea laus tribuitur, qui ſuperbiſſimos hoſtes iſtos non ferro pugnando, ſed precibus ſanctis orando deiecerit. Quia tamen rei eiuſdem non vna tantum ſæpe cauſa eſt, Moyſen exiſtimo ſeſe quidem, *ad Dei gloriam*, indicaſſe, victoriam hanc orando peperiſſe, ipſum autem *Ioſue* confligendo, vt intelligeremus optima & certiſſima eſſe duo hæc bellorum ſcilicet gerendorum inſtrumenta, preces ad Deum, & humanam induſtriam, prout pluribus notaui alias in illud caput 4. Iudith. Nam ſine hominum conatu viriumque à naturæ auctore Deo ſuppeditarum exertu, ſegnis & ignaua eſt oratio, Deum, pæne ipſum tentans: & ſine precibus, illiuſque auxilio humanæ vires omnes, ſtudia, & conatus manci ſunt, inanes & ſtolidi. *Niſi dominus cuſtodierit ciuitatem fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam*. Pſalm. 126. Si tamen recte volumus pendere omnia, pluſque multo in diuina ope præſidij ponendum ſemper, idque hic ſignificauit Moyſes, dum ambarum ad ſydera palmarum extenſione hoſtilem ſuccubuiſſe aciem prius narrauit. & clarius, vt ſupra tetigi Eliachim Sacerdos. Iudith. cap. 4. Vere Salomon Prou. cap. 21. *Equus paratur ad diem belli: Dominus autem ſalutem Ioſue.*

tribuit. Videatur Collat. 3. cap. 15. Caſſianus.

Qvæst. XVIII. *Quæ victoriam conſecutæ?*

A Dvo in eodem iſto, quod præ manibus, capite narrãtur: de Deo vnum, de Moyſe alterum. Sed ſunt hic prius, quæ de præda, ingentibuſque ſpoliis tradit Ioſephus lib. 3. cap. 2. in hoc veluti theatrum accerſenda. *Victoriam*, ait, *pulcherrimam & opportuniſſimã vincunt noſtri maiores. Eos etenim, qui cum exercitu irruerant, ſuperarunt, & circumiacentes populos exterruerunt, magnis ſplendidiſque bonis ditati, quæ poſt eaquam tantopere laboraſſent adepti ſunt. Nam cum & hoſtium caſtra cepiſſent, opes magnas publicè priuatimque habuerunt, cum ne alimenta quidem neceſſaria prius haberent.* B *Fuit vero ipſis non in præſens tantum, ſed in futurum etiam ſæculum bonorum cauſa, hæc quæ rectè & ex animo ſucceſſerat, narrata iam pugna. Non enim ſola hoſtiũ corpora in ſeruitutem redegerunt, ſed ipſas etiam eorum mentes, cunctiſque circumhabitantibus, poſt hanc illorum depreſſionem, formidabilis fuere. Sibi vero diuitiarum magnarum vim adiunxere. Multum enim argentum, aurumque in caſtris relictum erat & vaſa ærea, quibus ad quotidianum vitæ vſum vtebantur. Multa vero & inſignis fuit vtrarumque rerum copia, earum ſcilicet* C *quæ textiles forent, & armorum ornamenta, fueruntque alia etiam, quæ ad miniſtrorum ſpectant impedimenta, & ſuppellex ipſorum prædaque omnis generis pecorum, & eorum omnium, quæ caſtra in expeditionem aliquã profecta ſequi aſſolent. Cõpleti etiam ſunt animo Hebræi ad viriliter deinceps agendum, & in magno ipſis erat, virtutis cura, & ad laborandum exſilierunt.* (Nam pro ἥπτον lego ἥλλοντο ab ἅλλω quod & per tenuem ſpiritum notat in ἥλατο Chryſoloras) *per hoc exiſtimantes omnia capi poſſe. Et hic quidem pugnæ huius finis fuit.* Sed nondum facit D idem Ioſephus finem. Addit adhuc alia, eaque præclara. *Poſtero*, inquit, *die mortuis hoſtibus detrahebat Moyſes ſpolia, & eorum, qui fugiſſent, armaturas colligebat: eos, qui fortiter ſeſe geſſiſſent, honoribus afficiebat, ipſumque belli ducem Ieſum encomiis ornabat, tum ob ea quæ geſſiſſet, præclarum à toto exercitu teſtimonium haberet. Hebræorũ vero ne vnus quidem fuit mortuus: ex hoſtibus vero tam multi, vt eorum cognoſci numerus non poſſit.* Libuit vero è Græco iſta, vt potui, vertere, quod mihi ad manum nouus interpres non ſit, & veteri dixerit olim S. E Hieronymus in Apologia contra ipſum. *Omne iter dictionis tuæ, abſque Palladis arte, ſalebris & voraginibus vitiorum inciditur.* Addit vero idem Ioſephus, exceptum conuiuio à Moyſe *Ieſum*, peractam τὴν τῶν ἐπινικίων ἑορτὴν, excitatam Deo ad perpetuam gratulationem altare, de quo poſtea. Et poſt victorias, hæc & ſimilia facienda monet lib. de re militari Onoſander.

Q. XIX. *Quæ poſt victoriam dixit Dominus? Et de eorum primo.*

Qvæ poſt victoriam dixit Moyſi Dominus, *tria* ſunt: primum verſ. 14. *Scribe hoc, ob monumentum, in libro*. Ecce quàm Deo gratum, eius à F nobis beneficia & opera commemorari, non verbis apud præſentes tantùm, ſed ſcriptis apud poſteros etiam, quam neceſſarium eorum perpetuo memoriam cuſtodiri. Hinc & de eadem hiſtoria dicitur Deut. 25. & Iudith. 4. *Memento*. Vera nimirum, quæ in Tobiæ 12. & l. 3. SS. Trinitatis doxologiæ, de diuinarum, vtiliumque rerum narrationibus & ſcriptionibus mihi notata. *Scribatur hoc*, ait Dauid Pſal. 101. 19. *in generatione altera: & populus, qui creabitur, laudabit Dominum.*

Digitized by Google

Sed eſſe hic poſſunt *tres* quæſtiones. *Prima*. Scriptione alia, iniuſſu Dei, Moyſes, aut ſi iuſſu cur iſtud iam iubeatur? Non omnia expreſſo Dei iuſſu ſcripſit Moyſes, ſed quædem: cætera omnia ſolo eiuſdem inſtinctu & directu. Fiebat autem interdum, vt ſi propriam animi ſententiam ſequi voluiſſet Moyſes, quædam omiſiſſet, maximè quæ cum aliqua ipſius laude coniuncta videbantur, vt quod hoc in loco eſt de victoria eius precibus conciliata. Sed ad ſcribendum impulit eum non interior tantùm Dei afflatus, ſed præceptum etiam & imperium: itemque ſumma, quæ hinc emanatura erat, vtilitas. Rupert. l. 3. de victoria c. 23. colligit hinc iuſſum etiam ſcribere, *In principio creauit Deus cœlum & terram*. *Altera* quæſtio eſt; quis liber in quem referri hæc iuſſerit Dominus? Putant Abenezra & Abulenſis, eſſe librum illum, qui *Iuſtorum* vocatur Ioſuæ 10. 2. Reg. 1. Alij generatim librum aliquem prout in 70. ſignificatur, εἰς βιβλίον. Quia tamen in Hebræo non *béſepher*, ſed cum articulo *baſſépher* legimus, certum; definitumque librum commodiùs accipiemus, eumque vel *Iuſtorum* illum, vel hunc ipſum *Exodi*, qui fortè ſub Moyſis manibus tunc erat. *Tertia*, Vbi & quando Moyſi dixerit hæc Dominus? Vel in ipſo monte, veſperi antequam deſcenderet Moyſes, cum plena iam conclamaretur victoria, vel certè poſtridie, in caſtris cùm eſſet, preceſque quotidianas funderet. *Quartam* excitant quæſtionem Iſraelitæ apud R. Eliezerem cap. 44. cum de die Sabbathi dictum ſit, *Memento*, quomodo idem de Amalecitis iam dicitur? Reſpondet vero Moyſes: illud *Memento* eſſe ad ſeruandum & ſanctificandum: hoc vero ad perdendum ac delendum, *quemadmodum*, ait, *vini conditi ſeu promulſidis poculum, & aceti poculum, ambo quidem pocula ſunt*: ſed diuerſus eorum ſapor & effectus.

Q. XX. *Quod eorũ, quæ poſt victoriam dixit Dominus, alterũ?*

Et *trade*, inquit, *auribus Ioſuæ*. In Hebræo & Græco accipi quærant verba hæc ſequentibus connexa, vt Ioſue ſcilicet iubeatur hoc Moyſes dicere, fore, vt Amaleci memoriam deleat Dominus. Nam ſi ad priora referas, ſenſus erit, bellum, & victoriam hanc, Ioſuæ narrandã eſſe. At fruſtra hoc. Quæ enim, vidit quis, quibus adfuit, imo & præfuit, ea ipſum cur doceamus? Somnium videlicet alicui ſuũ narrare iſtud eſt. Futura verò illa illum ſcire ipſius valde intererat, vt deinceps ſperaret contra hos, alioſque hoſtes omnes diuinam imprecationem fore: animum tanto duce, qui in promiſſam terram Dei populum inducturus erat, dignum gereret: nulliſque aduerſis caſibus, & hoſtilibus copiis perterreretur. Quin & futurarum rerum typus ineſt, dum qui Iſraelitarũ ſaluator eſt, idem eo ipſo aduerſariarum gentium euerſor oſtenditur. Nam & qui nos ſaluat CHRISTVS IESVS, idem incredulos, impioſque omnes exſcindit & in abyſſum agit præcipites. Latinus tamen ad ſuperiora retulit. Nam Hebræorum כי & Græcorum ὅτι vertit non per cõtinuatiuũ quod, *ſed* per cauſatiuam *enim*. Et quidem recte. Hæc enim vſitatior particularum iſtarum vis: & Ioſuæ non ſimpliciter bellum & victoria narranda; (Id enim, vt obiiciebatur, minimè neceſſarium, & pænè ridiculum) ſed belli & victoriæ modus, quemadmodum ſcilicet diuinitus conceſſa hæc

A

eſſent, & impetrata precibus. Tumque nihilominus vim habent illæ rationes, quæ Ioſuæ futurorum iſtorũ certiorem fieri expediiſſe monſtrabant. Sed quam tamen iſtud *enim* cauſam ſignificat? Quid eſt, *Hæc ſcribe*, ô Moyſes, *hæc Ioſuæ dic. Nam delebo Amalech*? Videtur plus quidẽ quàm primo aſpectu videamus, ſignificari: videlicet precibus illis impetratum, non tantũmodo, vt iam vincatur Amalec, ſed vt deinceps etiam ſtirpitus euellatur. Et quanti refert hæc *Ioſuæ*, hæc vniuerſam poſteritatem ſermonibus, librorumque monumentis cognoſcere?

B

Q. XXI. *Quod eorũdem Domini dictorum tertium?*

Iamiam tetigi. *Delebo enim memoriam Amalec ſub cœlo*. In Hebręo & Græco vehementùs, *Delendo delebo*. quemadmodum Gen. 2. *moriendo morieris*, ſiue vt noſter, *morte morieris*. Referũt in Thalmud Rabini, tractũ *Baba bathra* & liber præceptorum, præcepto affirmatiuo 189. itẽq; Rambã lib. vlt. Helacah vltima c. 1. & 5. Ioabo pręceptorẽ fuiſſe, qui hic & Deut. 25. v. 19. non *memoriã*, ſed *maſculum* legi volebat. Nam ſanè ſi quæ poſt acceſſerunt, puncta demantur, eædem literæ זכר tam

C

hunc quam illam poſſunt ſignificare. Cum *zecher* ſit memoria, *zachar* maſculus. Ideoque & de ſimili quadam lectionis & intellectionis varietate in Miſna diſputat R. Elias orati. 3. fund. 4. n. 3. At Septuaginta, Noſter, omneſque omnino alij Rabini *memoriam* legunt: adeo, vt ſuum illum magiſtrum, quaſi ſcripturam peruerteret, ab ipſo Ioab interfectum dicant: quemadmodum ſcilicet ab Alcibiade irriſum vel percuſſum, qui Homerum corrigebat, vti refert Plutarchus. Legi poteſt l. 3. Cabalæ Capnio f. 527.

D

D. Hieronymus Iſaiæ 26. verſ. 24. *Terrere*, ait, *nos debet, quare ſeptuaginta maſculum & cæteri interpretes memoriã tranſtulerunt, cum iiſdem tribus literis vtrumque ſcribatur apud Hebræos*. Videtur tamẽ explicatu difficile, fieri qui potuerit, vt Amalecitæ memoria deleretur. Cum enim hiſtoria memoriæ vita ſit, & paulo ante à Deo iuſſum ſit bellum hoc, vt eius poſtera ſæcula omnia meminiſſent, hiſtoriarum monumentis conſignari, quomodo Amalecitarum eſſe obliuio potuit? Reſpondetur infra quæſt. 27.

E

Q. XXII. *Quæ poſt victoriam fecit Moyſes & de eorum primo.*

Iam ſupra ex Ioſepho indicata quædam: Textus vero *tria* recenſet. Primum. *Ædificauitque Moyſes altare*. Videlicet vt ſuum, Iſraelitarumque omnium, à quo triumphus tantus erga ipſum numen, animum gratiſſimum oſtenderet, feſtâ ei victimâ publicè gratias ageret: eoque ipſo admoneret omnes, tam præſentes Iſraelitas, quam etiam nos, poſt bellorum felicitatẽ quid agendum. In earum prima, quas illuſtri in Africa Duci preſcribit militiæ regulas, Ferrandus Carthaginenſis. *Nihil*, ait, *viribus tuis ſuperbus*

F

aſſignes, ſed omnia, quæ ſapienter, aut fortiter, aut feliciter geris, ad laudem feras potentiſſimi creatoris. Quia vero nouiſſimi huius temporis Nouatores ex tam crebra, quæ apud Patres eſt, Chriſtianorum altarium mentione, Chriſtianum ſacrificium tergiuerſantur agnoſcere, agnoſcãt ſuum hic Caluinum ita loquentem. *Ædificauit Moyſes altare; nempe vt ſolemni ſacrificio teſtatam faceret ſuam gratitudinem, non ipſe modo, ſed totus populus. Quod ipſum, altaris nomen demonſtrat*. Vide lib. 1. de Miſſa cap. 16. Bellarminũ. Sed & illud obſeruandum, non fuiſſe, vt hoc faceret, Moyſi præceptũ:

& tamen

& tamen fecit rectiſſimè, vt quæ *ſupererogationis opera* vocantur, bona mimirū & iniuſta, diſcant iidem non aſpernari Nouatores. Præſcribebat quidem, vel ſola naturæ lex, vt grates Deo referret, ſed vt hoc modo, vt altari, vt ſacrificio, non definiebat neque illa, neque diuina quæpiam eo ipſo lata tempore. Quærat vero fortè aliquis, cur cum antea Ioſuæ nonnulla præſcripſiſſet Moyſes, ſcriptum ſit. verſ. 10. *fecit Ioſue, vt locutus erat Moyſes*: cum autem ipſi Moyſi, ea, quæ quæſt. 19. & 20. dicta ſunt, imperarit Deus, non ſimiliter dicatur, *fecit Moyſes, vt locutus erat Dominus*? opinor, quia feciſſe clatum ſatis erat. Qui enim etiam quæ imperata non erant, tam ſtudioſè fecit, eum quæ à Deo imperata erant, promptiſſimè accuratiſſiméque confeſtim egiſſe, quis ambigat?

QVÆST. XXIII. *Eorum, quæ poſt victoriam fecit Moyſes quodnam alterum.*

Et *vocauit nomen eius* (altaris) *Dominus exaltatio mea*. In 70. nomen hoc dicitur κύριος καταφυγή μου. *Dominus refugium meum*. Hebrœum nomen vtrumque poteſt ſignificare. Nam ſi à naſas ſiue nas נס id eſt, *exaltare* ducatur, valebit exaltationem aut vexillum. Sin vero à *nus* ſiue nas נס fugere erit refugium. Neque tamen in re ipſa quidquam intereſt. Eſt enim Deus exaltatio & refugium hominum, & ideo refugium, quia ad ſe fugientes erigere ac exaltare poteſt & vult. Ideo exaltatio, vt ad eum in omni depreſſione, & calamitatum mole confugiamus, quia nos ipſ al leuaturus, & in altiſſimum ſecurriſſimæ felicitatis locum, euecturus. Apud Vatablum, & in noua, quam explicandam ſibi propoſuit Caluinus, verſione, ita eſt. *Vocauitque nomen eius, Iehoua miraculum meum.* At magis ipſemet verſionem noſtram, & in margine, vbi poſuit, *exaltatio mea*, & in commentario, approbat. *Cur*, ait, *vertant quidam miraculum non video, quia nes haud dubiè ſemper pro vexillo capitur. Quanquam non inficior pro exaltatione methaphoricè hic poni, ac ſi dixiſſet Moyſes, Deum, qui Iſraelitas ſuſtinuit, dignum eſſe, qui ſolus emineat inter ipſos.* Illud tamen, haud dubie certum non eſt, cùm radix, vt dixi, Hebræa *naſas* generatim ſignificare queat *exaltare*. Quia tamen in ſublime tolluntur vexilla, qui exaltationem dicit, intelligere etiam poteſt vexillum. Sicque vere Deus nobis in aſſiduo noſtro cōtra inferorum Amalecitas bello *vexillum*, quod ſequamur, in quod intueamur, à quo toti pendeamus, eſſe debet. Idque tanto magis, quanto firmius, & aduerſus omnem hoſtium vim tutius eſt, quod nunquam deiici, nunquam diſcerpi, aut capi poteſt. Ioſephus omnia hæc alio vno complectitur nomine, dicens: θύσας δὲ χαριστήρια Μωσῆς βωμὸν ἱδρύεται νικαῖον ὀνομάσας τὸν Θεόν. Vocat enim νικαῖον τὸν θεὸν, id eſt, *victorem*, ſiue *victorioſum Deum*, aut ſimpliciter *Deum*, ſi *victorioſum* ad altare libeat fortaſſis referre, vt ſit βωμὸς νικαῖος quod aram victoriæ iudicem ac monimentum ſtatuerit, quam vocarit *Deum*. Poſſunt vero & hinc ſi qui Nouatorum veritatē & modeſtiam colunt, diſcere aliquid, ſolent ij ferre grauiter, multiſque interdum apud rudes populos exagitare conuiciis, quod nonnulla, quæ Deo tribui ſolent, à nobis etiam B. Virgini, aliiſque quandoque Sanctis tribuamus. *Spes noſtra, vita, dulcedo, mediator.* Et vero dictum illis iam millies, alio inferiore tropo ac modo id fieri. Perſiſtunt tamen, & quod, creatoris eſt, indigniſſimum clamitant, creaturis attribui. Iam dixi non
A eandem eſſe rem, ſed idem tantū nomen, & quidem longè aliter. Sed caput adhuc motitāt, nec dum acquieſcunt. Verum ecce, hoc ipſo loco, *altare*, id eſt, res inanima, ceſpes aut lapis quiſpiā, vocatur à Moyſe *Dominus exaltatio mea*, & quidē Hebraice, cū magno illo nomine, *Iehoua*. Diſſimulauit hoc Caluinus & vafre quaſi Deum ſolummodo vocaſſet Moyſes, ita locum iſtū hic expoſuit & lib. 1. Inſtit. c. 13. ff. 9. Sed aperte pugnat contra textus omnes. Et de Latino quidem patet. In Hebræo diſertè dicitur. Moyſes
B ædificare altare, & *nomen ipſius* (Hoc enim pronomen *ipſius*, ſiue vt Hebræi vocant, *affixum*, tenebras omnes diſiicit) *Dominus exaltatio mea*. Græcus ait, καὶ ᾠκοδόμησε Μωσῆς θυσιαστήριον κυρίῳ, καὶ ἐπωνόμασε τὸ ὄνομα αὐτοῦ, κύριος καταφυγή μου. *Ædificauit Moyſes altare Domino, & cognominauit nomen eius, Dominus refugium meum.* Atque hæc eadem omnia Iunij verſionem iſtam explodunt: *Extruxit Moſche altare, cuius vocaris nomen, Iehouæ vexilli mei.* Eadē Caietanum etiā refellunt, qui non vt apertè in textibus eſt, *Dominus exaltatio*, vel *refugium*
C *meum* vult: ſed *Domini exaltationis vel refugij mei*, aut vt in Vatablo alius, *altare Domini vexilli mei*. At quid ita vocare neceſſū fuiſſet? Quia enim Domino illud ædificarat, Domini eſſe conſtabat, fuiſſetque hæc ei cum rebus omnibus, quæ Deo vſpiā conſecratæ, vel cōſecrandę vnquam erant, appellatio communis. Omnes enim illæ Domini ſunt. Quin & terra hæc habere nomen dici poſſet, quia ſcriptum, *Domini eſt terra & plenitudo eius*. Pſal. 23. Sic porro iſtud altare vocatum eſt, quia ſignum erat, & monumētum exaltationis,
E quàm fecerat Deus, vt rectè ait hic & in Ier. 23. Lyranus; dū *ab effectu* ita nominatum dixit. Et Oleaſter; *Vt iugis*, ait, *eſſet accepti beneficii memoria, locum à beneficio nominauit.* Refellunt eadē ea Galatinū dum lib. 3. cōtra Iudæos c. 9. probat, non vocari altare Deum. Verū duorum tantūmodo Rabbinicorum teſtiū expoſitione rem iſtā probat. Vnus eſt *Onkelos* ſuper Geneſeos 22. c. dicēs; *Et coluit atque adorauit Abrahā in loco illo, & ait corā Deo. Hic erūt colētes te, vel ſeruiētes tibi generationes.*
E Et hoc ipſo loco Ex. 17. *Ædificauit*, inquit, *Moyſes, & coluit, vel ſeruiuit*, i. e. *ſacrificauit ſuper illud corā Deo, qui fecit ei ſigna.* Alter eſt liber *Mechilta*, qui eadē hæc verba ſic interpretatur. *Et ædificauit Moyſes altare, & vocauit nomē eius, Deus, ſignū meum.* Dixit *Rabbi Elai Hāmakom: id eſt, Deus vocauit illud altare ſcilicet* נסי N I S I, *id eſt ſignum meū.* Atque hi quidē cōtra Iudæos aliquid valeāt, contra nos parū. Nam textū aliter, vt apparet, interſtinguūt, quā textus habeat, & ipſis Septuaginta qui ipſis antiquiores, aduerſantur: videnturq; ita tantum expoſuiſſe, ne Iudæi craſſiores & ad idololatriam
F propenſiores aliquā inde erroris anſulā captarēt. Alioquin aliis quibuſdā locis nomina non diſſimilia ſunt. Gen. 22. *Dominus videt*. Iud. 6. 24. *Ædificauit Gedeon altare domino, vocauitque illud Domini pax.* Sed vt dixi, modo inferore diuina hęc nomina rebus imponūtur aliis, prout rectè docet l. 1. de CHRISTO, c. 7. Bellarm. & in Hierem. c. 23. Lyranus. Philo autē l. 1. de vita Moyſis p. 433. Μωσῆς ἱδρύεται βωμὸν, ὃν ἀπὸ τῶν συμβεβηκότων, ὠνόμασε, θεοῦ καταφυγήν: ἐφ' οὗ τὰ ἐπινίκια ἔθυε, χαριστηρίους εὐχὰς ἀποδιδούς.

QVÆST. XXIV.

Est hoc dixiſſe ipſum. *Quia manus ſolii Domini,*

catum, ipſius CHRISTI IESV maximè partes fore, vt ſtrenuos, robuſtoſque viros deligat, quos in aciem ipſe contra omnes inſidioſorum Amalecitarum copias educat. Homilia 11. in Exod. Origenes. *Moyſes*, ait, *vocat* IESVM, *lex vocat Chriſtum. vt eligat ſibiipſi viri potentes de populo. Non poterat Moyſes eligere: Sed* IESVS *ſolus eſt qui poſſit potentes viros eligere, qui dixit, Non me elegiſtis, ſed ego elegi vos. Ipſe enim electorum Dux, ipſe potentium princeps, ipſe qui confligit cum Amalec. Ipſe eſt enim qui intrat in domum fortis, & alligat fortem, & vaſa eius diripit.* Breuius in eandem tamen ſententiam quæſt. 34. Exod. Theodoretus. IESVS, ait, *cum ſaluatore noſtro cognominis trophæum ſeruauit, tam in eo quod appellationem hanc adeptus eſt, quam ob id, quod vſus eſt opera delectorum virorum, ſicuti* CHRISTVS *ſacrorum Apoſtolorum vſus miniſterio.*

Q. VIII. *Quiſnam collis, in quē aſcēdit Moyſes?*

IN Latino abſolute quidem dicitur, *in vertice collis*, ſed in Hebræo & Græco, *in vertice collis huius.* ita vt demonſtrari videatur ille ipſe collis, de quo paulo ante dictum erat; *Horeb* ſcilicet. Notat vero Homilia 11. citato Origenes, quod non in *montis*, ſed *collis* verticem aſcendat Moyſes. Sed id haud firmum ſatis. Licet enim diſtingui duo hæc ſoleāt vti patet, cum dicitur *Montes & colles.* Iſa. 40. v. 4. c. 42. v. 15. Pſal. 147. v. 9. dum tamen hic dicitur non ſimpliciter *collis*, ſed *vertex eius*, monſtratur in aliquo quidem montis Horeb colle fuiſſe petram illam, vnde Moyſes antea tantam aquarum vim eduxiſſet: nunc verò aſcendiſſe altius, ad ipſum collis illius cacumen ſeu verticem, qui multo erat editior, & in ipſo iam monte. Idque patebit magis ex ſequentibus. Quomodo verò *mons* idem ſit *Sinai* & *Horeb* dixi. Exodi. 3.

Q. IX. *Cur aſcendit illuc Moyſes?*

AN ſenio nimio grauis & ad arma ineptus? Annorum erat quidem tunc 80. vel 81. ei tamen quod antea de ſe referebat Caleb, q. 6. congruere poterat. Nam Deutero. vlt. v. 7. ſcribitur *Moyſes* CXX. *annorum erat, quando mortuus eſt. Non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti ſunt.* An rei forſan militaris indoctus? Longe de eo alia Ioſephus lib. 2. dùm & peritiſſimè bella difficillima iuuenem confeciſſe, & bellicam accuratiſſimè diſciplinam præſcripſiſſe docet. Ridet verò *in Votis* neſcio quem Lucianus, qui è ſublimi quopiam loco pugnantes videre optabat, ſed vt in prouerbio eſt, extra teli iactum. An in Moyſe curioſitas, timiditaſque huiuſmodi?

At Ioſepho ſi credimus, caſtra ſæpè, ſæpe acies, furentemque Martem viderat: certe in virum tantum, qui Ægyptium validè occiderat, iratum Pharaonis vultum, ſanguinarios, minaceſque oculos, ipſoſque pœne mucrones & gladios ſuſtinuerat, tàm ignaua & puerilis non cadit ſuſpicio. Caluinus indignationis diuinæ ſignum ſuſpicatur, quòd ſuam hoc tempore præſentiam ſubducat Moyſes. At parum apte ſignum hoc daretur, cum ſe potius ideo montem aſcendere dicat Moyſes, vt opem ferat, eamque multo maiorem & diuiniorem. Ideoque diuino Moyſen ſpiritu impulſum dubitare non poſſum, *primo*, vt quemadmodum iamiam dixi, opis prælientibus plus afferret. *Profecto*, inquit Philo. lib. 1. de Moyſe, *Imperatore* IESV, *pro-*

A *perauit Moyſes ad quærendum maius auxilium.* A quo autem quærendum niſi à Deo? *Deinde*, vt dum abeſſet ipſe, iunioris *Ioſuæ* Ducis prudentia & virtus magis eluceret. *Tertio*, vt quid in bellis faciendum ſemper eſſet, oſtenderet, alij ſcilicet cum hoſte manus conſererent, alij ad cœlum eas tollerent. *Quarto* vt eorum, quæ poſtea notabuntur, figuras ederet.

Q. X. *Qui cum Moyſe aſcenderunt, quinam? & maximè Hur?*

ASCENDIT cum eo ſenior eius frater Aharon, & Hur. Et ille quidem notus, hic verò non item, qui hic primò, deinceps verò ſæpius
B nominatur. c. 24. 31. 35. alibi. Ideo quiſnam fuerit, quæri ſolet. Exiſtimant R. Eliezer. cap. 45. Abulenſis quæſt. 5. & 1. Paralip. 2. quæſt. 8. & 9. & nonnulli, *Calebi*, qui in exploratorum Chananæorum numero fuit, Num. 13. & *Mariæ*, quæ Moyſis ſoror, filium fuiſſe. Sed refelluntur, quia vt ſuprà indicatum quæſt. 6. ex Ioſuæ 14. hoc anno erat *Caleb* annorum tantummodo 39. *Maria* vero minimum erat 90. annorum, vt ex dictis Exodi cap. 2. certum eſt. At quod vetulæ anus cum iſto coniugium? &
C quando id initum fuit? Nam 1. Paralipom. 2. duas legimus Calebo vxores fuiſſe. Prior erat *Azuba*, poſterior *Ephrata.* Ideoque vel poſt eas ducenda fuiſſet Maria, vel earum altera fuiſſet. Non *Azuba*, quia præmaturè mortua eſt. Non Ephrata, quod tamen illi aiunt, quia hæc in Chananæa nomen *Ephrata* dedit ipſi *Bethleem.* At in Chananæam non peruenit Maria Num. cap. 20. Et fuiſſet non niſi puer & pœnè infans, hoc tempore, Hur, qui tamen Exod. 24. à Moyſe in Sinai montem aſcendente, contro-
D uerſiarum, ſi quæ orerentur, cum Araone Iudex hoc ipſo anno creatur, verſu. 14. Denique iis, quæ ipſimet concedunt, ſatis arguuntur. Dicunt enim Caleb anno ætatis ſuæ octauo vxorem accepiſſe Azubam, è qua ſecuto anno genuerit *Ierioth*: anno ætatis decimo Ephratam duxiſſe: ex eaque eodem anno ſuſcepiſſe filium iſtum *Hur*: & hunc ipſum poſtea cum eſſet annorum 8. genuiſſe *Huri*: hunc verò ſimiliter cum eſſet annorum 8. procreaſſe *Beſeleel*, qui annos 10. natus tabernaculum fecerit Exod.
E 31. Quæ tandem abſurda vel fictitia ſunt, ſi hæc non ſunt?

Auctor Traditionum 1. Paralipom. cap. 2. eundem facit *Calebi* eiuſdem *filium*, ſed *Mariæ virum.* At eadem fere abſurda ſunt, maximè illud tamen puerile, iſti Hur Mariam nupſiſſe anum eo ætatis ſuæ tempore, quo ſe naturaliter parere poſſe, negabat Sara, Geneſ. 18. verſu. 12. Ipſe vero Abulenſis anceps eſt. Nam etſi conſtanter Calebi filium inficiatur, Mariæ tamen modo filium, modo virum conſtituit.
F Vtrolibet nimirum modo, vir ætate iam prouectiore poterat nunc eſſe Hur. Et ſane *virum* fuiſſe affirmat etiam Ioſephus lib. 3. cap. 2. At virginem perpetuò manſiſſe *Mariam*, non deſunt, qui aſſerant, boni auctores, Nyſſenus de Virgin. cap. 9. D. Ambroſ. Epiſtol. 82. Et è recentioribus Tom. 2. in 3. pa. diſp. 6. ſect. 3. Soarez. Malim tamen Ioſepho aſſentiri. Neque. n. illis temporibus facilè aliquam fuiſſe putem, quæ nubere nunquam liberoſque nullos procreare voluerit.

Neque

Digitized by Google

Neque illud valdè conſtanter & ſeriò aſſerunt citati Patres, vt in ipſis videre eſt. Si enim hanc certò virginem aſſeuerare potuiſſent, quàm eorum, dum de virginitatis laudibus tam multa, tamque præclara ſcriberent in huius vnius tam lectæ, tamque illuſtris fœminæ tam veteri & probato exemplo, triumphaſſent ingenia? Dico præterea, *Hur*, iſtum fuiſſe *Calebi filium*, ſed non illius, qui nunc annorum erat XXXIX, quique cum IOSVÆ noſtro poſtea in Chananæam explorator mittetur. Clarè ſiquidem & diſtinctè *duos* nobis tradit ſcriptura *Calebos*. Vnus Iephonæ filius dicitur: & huius filij fuerunt Hur, Ela, Naham, 1. Paralipom. 4. verſu. 15. Et hic fuit exploratorum illorum vnus. Alter Eſronis filius, qui & *Calubi* vocatur. 1. Paralipom. 2. verſu. 9. Cuius ex vxore poſteriore, quæ *Ephrata*, noſter iſte *Hur*. 1. Paralipom. 2. verſu. 18. 19. & additur verſu. 20. *Porro Hur genuit Vri: & Vri genuit Beſeleel.* Quod ſi in difficillima iſta quæſtione attendere paulòm lubeat animum, videbis & annos & coniugia conſonare omnia. Cum enim fuerint poſt Iacobi aduentum, Iſraëlitæ annos 212. in Ægypto, vt Exod. 12. probaui, ſic exiſtimare iam licet.

1. *Iudas* cum deſcenderet in Ægyptum annorum erat 44. ex Chronologia in Geneſi tradita: & filios amiſerat primos *Her* & *Onam*, habebatque ſuperſtites, *Selam*, *Phares*, & *Zaram* Geneſ. 46. verſu. 12.

2. *Phares*, primogenitum habuit *Eſron*. ibid. & 1. Paral. 2. v. 5. Qui cum in Ægyptum deſcenderet Iacob, vel nondum natus erat, ſed per anticipationem, vt alii quidam, numeratus Geneſ. 46. vel certe admodum infans erat. Si enim ex Iudæ annis 44. detrahas annos, quibus primos tres edidit filios quam citiſſime verbi causâ, anno ætatis 14. & 15. Supererunt eius anni 29. Adoleſcant illi ad idem nuptiarum tempus, & rurſum ex 29. detrahantur 15. Supererunt 14. Iam detrahantur iterum verſ. c. annus vnus vel alter, quo Selæ maturos nuptiis annos expectauit Thamar Geneſ. 38. verſu. 11. 12. & reſtabunt 13. vel 12. Tumque *Iudas ex Thamar genuit Phares*, qui, dum in Ægyptum iretur, annorum fuerit ad ſummum 12. & ſic nondum ex eo natus Eſron. Vel ſi paulo aliter poſitis calculis, velis eum eſſe annorum 14. aut 15. vt iam Eſron genuerit, certe is, vt dixi, erat in deſcenſu illo infantulus.

3. *Eſron* iſte, paulo antequam eſſet annorum 60. genuit è priore vxore *Calebum*, qui fratrum ex illa ſuorum erat minimus, 1. Paral. 2. v. 9. & 21. Ex annis igitur Ægyptiacæ commorationis, ſubducendo iſtos 59. antequam gigneretur Caleb, reſidui erant. 153.

4. *Caleb* iſte, quia non niſi è poſteriore vxore ſua *Ephrata* ſuſtulit *Hur*, id recte cenſuerimus factum anno eius ætatis 60. qui detracti ex illis 150. reliquent 93.

5. *Hur* igitur in Ægyptiaco exitu erat annorum 93. Sicq; clariſſime animaduertitur, quomodo Moyſis ſororis, *Mariæ* vir eſſe potuerit, quomodo tam Moyſe quam Aarone ſenior Exod. 7. verſu. 7. quomodo cum eo controuerſiarum diſceptator conſtitutus, quomodo denique *Vri* pater & *Beſeleelis* auus. Nam.

6. *Vri primogenitus ipſius Hur* 1. Paral. 2. v. 20. Sit, verbi cauſa, natus anno eius 30. fuerit is in Ægyptiaco exitu, annorum 63.

7. *Primogenitus verò ipſius Vri fuit Beſeleel* ibidem. quem dicamus ab illo genitum anno ſimiliter ætatis 30. fuerit in eodem ex Ægypto exitu, annorum 33. vt rectiſſimè tabernaculo conſtruendo, & perpoliendo artem, operamque ſuam nauare potuerit. Concludo igitur *Hur*, qui cum Moyſe, in Horeb montem, Amalecitici huius belli tempore, aſcendit, *fuiſſe Moſaicæ Mariæ maritum*, & *Calebi filium*, non illius, qui Iephonæ filius, & in exploratoribus fuit, ſed *qui ex Eſrone prodiit*. Cæterum de Caleb altero, alibi.

Q. XI. *Quid in vertice iſto fecit Moyſes?*

PRIMÒ ſuſtulit ambas in cœlum manus. Poſitus enim eſt in Hebræo pro plurali ſingularis, vti non Latinus tantum noſter monſtrat, ſed Septuaginta etiam, & ipſa, quæ pluraliter ſubiungitur ratio. *Manus autem Moyſi erant graues.* Eaſdem eum etiam extendiſſe negat Homil. 11. in Exod. Origenes. Cuius tamen contrarium perſuadet non communis tantùm pictura, ſed & vetus Iudæorum mos, ipſaque adeo poſtmodum facta brachiorum ſuſtentatio. Cum enim ab vno latere ſteterit *Aaron*, ab altero *Hur*, apparet paſſa brachia, manuſque fuiſſe. ſicque ſentit Theodor. in Exod. quæſt. 34. & Tertull. lib. 3. contra Marcionem. *Extenditque manus, vt ſigno vinceret hoſtem.*

Secundò. In manuum altera Dei virgam tenebat. Ita enim facturum ſe promiſerat. verſu. 9. Et de huius virgæ nominibus, materia, & dignitate dixi Exod. 7. *Tertiò*. Huic corporis geſtui, & ceremoniæ ardentes preces coniunxit. Id enim & ex communi omnium ſententia colligitur, & ex his ipſis cæremoniis. Manuum enim illa extenſio, & virgæ protenſio, propter preces ipſas, ſuſcepta. *Quarto*. Fecit vero initio iſta, ſtans. Nam verſu. 9. ait, *ſtabo*, vbi Septuaginta præteritum adhibuerunt propheticum, quod rem certò futuram notat [illegible] pro [illegible], vt in Hebræo etiam eſt. *Quinto*. Mane incipit Moyſes precationem iſtam, eamque, toto die, vt rectè in annotationibus Elucidatoriis ait Hugo de S. Victore, vſque ad occaſum ſolem continuauit. Nam finis hic in textu diſertè poſitus eſt: Matutinum verò illud initium colligitur primò quidem ex eo, quod dixerat Moyſes eodem verſu. 9. *Cras ego ſtabo*. Nam cum eo die, prælium commitendum eſſet, cæteraque omnia Ioſuæ demandaſſet, nihil ſupererat aliud, niſi vt vnum hoc ageret, ad precationem ſeſe ilico conferret, ipſum Iſraeliticorum bellatorum è caſtris egreſſum præuerteret, virgam illam quaſi certiſſimum victoriæ ſignum præferret: ſicque ingentes omnibus animos faceret. Deinde colligitur & ex altero termino. Qui enim vſque *ad occaſum ſolis* quidquam quenquam feciſſe ait, ſi meridiem, vel tempus aliud, quo inceperit, non addat, ſignificatum vult eum ab ſolis eiuſdem ortu, ſeu bene mane, cœpiſſe. Sicque narrat Ioſephus loco citato. *Sexto*. Hinc verò ſequitur, toto etiam die iejunum eundem perſtitiſſe. Curarunt, vt moris eſt, delecti milites corpora quiete, ciboque aliquo, vt ad pugnam erectiores, pulueriſque & laboris, longi præſertim, & cruenti, eſſent tolerantiores.

Digitized by Google

A Moyſes verò animum præparauit, & vt eſſent in cœlum vota penetrabiliora, his ieiunium copulauit. Neque à lachrymis temperaſſe, mihi facile flagrans & demiſiſſima eius animi religio & attentio perſuadet. Certè flexiſſe illum humi genua, pronumque in faciem interdum ſeſe proſtauiſſe ſcribit R. Eliezer c. 44. vti ſub quæſtionis huius finem audiemus. Imo, vt ait Ioſephus citato loco, *pridiana prælij nocte peruigilauit*, ipſumque *Ioſue*, quemadmodum exercitum collocaret, docuit: vt verò Philo loco citato, *ſolemnibus ſeſe luſtrationibus expiauit*: Sicque caſtus, B purus, & ſanctus montem inſcendit, cum tamen adhuc, ipſo mane armatam illam multitudinem *verbis egregiè confirmaſſet*, vt addit Ioſephus.

Sed cum illic dicto iam modo ſtaret ac precaretur, ex mora nimia, laſſari cæperunt genua, lapſitare manus, totumque ſenile corpus langueſcere. Neque tamen optimus precator à cœpto deſtitit, neque ilico cedere, vel ſedere, ſenex cœpit: multo minus cibum, aut puluinum poſcere: ſed contra languorem, corporiſque ſui imbecillitatem totis nitebatur viribus. ſeſe la- C pſantem iterum colligebat, iterum manus erigebat: iterum virgam tollebat. Idque toties, & tamdiu faciebat, donec eum omnino vires deficerent, neque quid poſſet amplius. *Octauo*. Tum vero neque precandi finem facere, aut è loco excedere voluit: ſed ad alium ſe orandi modum contulit. De quo iam. Origenes ſub finem Hom. 6. in Leuiticum. *Ad bella*, inquit, *non vadit Moyſes, non pugnat contra inimicos. Sed quid facit? Orat. Et donec ille orat, vincit populus eius. Si relaxauerit, & dimiſerit manus, populus* D *eius vincitur & fugatur. Oret ergo & ſacerdos Eccleſiæ indeſinenter, vt vincat populus, qui ſub ipſo & hoſtes inuiſibiles Amalechitas, qui ſunt dæmones, impugnantes eos qui volunt piè viuere in Chriſto*. Præclarum verò & perutile omni populo exemplum eſt, cum bonis in rebus præeunt Principes, Pontifices, Eccleſiaſtici. *Totus*, ait R. Eliezer in citato 44. capitulo. *Iſrael*, ſeu, *omnes Iſraëlitæ ſtabant extra ſua tabernacula, & videbant Moyſen genibus flexis orantem: ideoque & ipſi ſua flectebant* E *genua. Videbant eum in faciem ſuam procidentem: procidebant & ipſi ſuper facies ſuas. Videbant eum ad cœlos ſuas tollentem manus: Tollebant & ipſi ſuas. Vnde diſcendum, quòd orante congregationis capite*, quod quidam illius veluti *Apoſtolus* & apud Deum *internuncius* eſt, *omnis populus eum ſequi, & reſpondere Amen ſolcat*. Vnde S. Hieron. lib. 2. aduerſus Iouin. *In Exodo ait, aduerſus Amalech oratione Moyſi, & totius populi vſque ad veſperam ieiunio dimicatum eſt*.

Q. XII. *Quia eum Moyſe Aaron & Hur fecerunt?*

F VIDERVNT iſti ſummum *Moyſis* in precatione laborem, & conſtantiam viderunt extremam corporis totius laſſitudinem & imbecillitatem. Ergo ei remedium & opem afferre cogitarunt, non diſſuadendo, ne in oratione pergeret, (clarè ſiquidem quantum in ipſius precibus præſidij, eſſet, perſpiciebant) ſed ad ſeſſionem, & modicam brachiorum alleuationem hortando: ſtatimque non veſtes, non ex herbis thorulum, non denique molliculum quippiam, cum eiuſmodi præſtò nihil eſſet, & ſi eſſet, aſpernari ac reſpuere norant Moyſen, ſubſtrauerunt: ſed ſaxum quodpiam in ſicco illo montis Horeb cliuo forte inuentum poſuerunt, & ſuper eo, vt ſederet ille, curarunt: Deinde ſedentis ambas manus acceperunt, vnus quidem à dextra, à læua verò alter: eaſque ſic, tota reſidua diei parte, vt in cœlum ſublatæ ſemper eſſent, ſuſtentarunt, Hoc enim, quidquid contra velit Oleaſter: Hebræum verbum ſignificat, vt & noſter & Septuaginta interpretes verterunt. At Philo loco citato videtur tradere, non à quoquam manus Moyſes apprehenſas & ſuſtentatas, ſed nouo prodigio, eas diuinitus, quaſi pennas haberent, in aëre volitaſſe: ſicque ſublimes ad noctem vſque manſiſſe. Sed ipſi hoc textui, vt vidimus, aduerſatur, qui, tam claris verbis, ſuſtentationem Aaroni & Hur, hinc & inde ſtantibus tribuit.

Neq; verò ambigi poteſt, quin & à diei principio ſuas ſimul cum illo preces iunxerint, & nunc porrò iungere perrexerint, vt cum alterius ipſi brachia fulcirent, mentibus in Deum eſſent erectiſſimis. Quid enim viri boni & graues? Num in tanto rerum diſcrimine, dum de ſumma rerum agitur, dum, qui alias in caſtris manere, populumq; ibidem conſolari, & ſi quis forte motus exoreretur, compeſcere potuiſſent: Moyſen, illo in cliuo, tam intentè, tam aſſiduè, tanta cum defatigatione preces & lachrymas fundentem, virgam illam ſacram, ſacram, quodam velut auxilii pignus, Deo monſtrantem intuentur, ſpectatores tantùm ocioſi eſſe potuerunt? Non cum eo impranſi, comprecati, collacrymati?

Sed ambiguum tamen eſſe illud poteſt, cur non & ipſi ſeſſione, manuumq. fultura opus habuerint? Mihi videntur duo. *Vnum* quidem, eos, cum feſſi eſſent, ſediſſe interdum, manuſque remiſiſſe: neque contra corporis ſui grauitatem & incommodum ita pugnaſſe, quod ſcilicet non tantum in ſuis, quantum in Moyſis manibus & precibus momenti aduerterent. Imò cum Moyſis manus tenerent, ſi quando volebant, pauſare poterant: & manus ſuis ipſe viribus tantiſper ſurrigebat Moyſes. *Alterum*, eos ideo defatigatos minus, quod maiore Moyſis animus impetu & conatu in Deum ferretur, preceſque conciperet. Solet autem exinde corporis vigor aliquantulum fatiſcere ac debilitari; vti docet etiam in literarum ſtudiis, & commentationibus experientia. Quam verò dixi ab iis *ſponte* Moyſi allatam opem, eam *Moyſis iuſſu* factam putat Ioſephus.

Q. XIII. *Quomodo interim præliabatur Ioſue.*

PRVDENTER ſanè fortiterque rem agebat *Ioſue*: Mars tamen alternabat, & modo vincebant Iſraelitæ, modo Amalecitæ. Cuius rei cauſam affert duplicem Abulenſis, ſed veriorem eam cenſet, quòd quos ad pugnam delegerat Ioſue, inepti eſſent, *habentes*, ait, *corda pauitantia, & ſeruili timore depreſſa, & viribus carentes, ab omni animoſitate alienis*. Non queo tamen aſſentiri. Nam ridiculè præcepiſſet Moyſes, viros idoneos deligeret Ioſue, ſi tales nulli fuiſſent, aut certe nõ feciſſet Ioſue, *vt locutus erat Moyſes*, contra quam textus aſſerit verſu. 10. An verò quiſquis aliena tyrannide opprimitur, ingenio ſeruili eſt? An pauidus, eneruis, & ignauus omnis, quem aliena vexat iniuria? Erant in Ægypto duris, ruſticiſque operibus exerciti Hebræi, an ideo timidi

Digitized by Google

timidi, effœminati, & imbelles? *Fortior*, inquit in epiſt. Seneca, *miles è confragoſo venit*, & *ex agris*, ait Vegetius lib. 1. cap. 3. *ſupplendum robur præcipuè videtur exercitus. Aptior enim armis plebs ruſtica, quæ ſub dino, & in laboribus enutritur.* Catonis l. 1. de re ruſti. cap. 1. ſententia eſt. *Ex agricolis & viri fortißimi, & milites ſtrenuißimi gignuntur.* Quia ſcilicet, vt apud Tacitum lib. 6. Annalium eſt, *duritiæ, patientiæq; magis inſueuere.* Mihi abunde cauſa, quam ipſe textus indicat, ſatis eſt. *Cum leuaret Moyſes manus, vincebat Iſrael, ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalec.* Verum & huius cauſa inquiri rurſum poteſt: ſed ſequenti quæſtiunculæ ſeruetur.

Q. XIV. *Cur, ſublatis Moyſis manibus, vincebant Iſraelitæ, depreſſis, vincebantur?*

QVANDO ſuum in prælio vexillum & labarum ſtare vident milites, ſtant & ipſi animis, ſpeque adhuc bona dimicant. Vbi verò ſediſſe viderint, cadunt & ipſi animis, ſpem abiiciunt, vincunturque facilius. Iſaiæ 10. verſu. 18. Dixere igitur aliqui, *Moyſis manus* fuiſſe hoc in prælio *vexillum*. ſicque illis ſublatis, viciſſe Iſraelitas, depreſſis, victos fuiſſe. At niſi Metaphoricè locuti ſint, iniuriã & Moyſi & Ioſuæ faciunt. Quomodo enim iſti manus illas tam exiguas, tam à prælii loco remotas pro vexillo ſtatuiſſent? Cur non totum potius Moyſen? aut hunc, & Aaronem, & Hur ſimul? Melius enim videri potuiſſent. At ne rectè quidem aut ipſi, aut in eo monte quidquam pro ſigno eſſe potuit, ne ſi verum quidem vexillum fuiſſet. Nam à pugnantium tergo, Septentrionem verſus, erat Horeb. Quid verò à militari alienius diſciplina, quàm à tergo, quod in omnium oculis eſſe debet, ſignum ſtatuere, vt id non aſpicere, ſed reſpicere acies tota debeat? Lyranus verò in *populi peccata* cauſam confert, quæ Moyſis nimirum manus degrauabant, ideoque & cladem afferebant. Diſſentit Abulenſis. ſed crediderim equidem, ideo cæſos aliquot, vt pœnæ de populo aliquid ſumeretur. Nam huius etiam peccata bello huic occaſionem aliquam dediſſe, dictum antea eſt qu. 4.

Sed, ſunt & *aliæ cauſæ* plures & grauiores. *Prima*, vt ſecutus belli euentus non tam armis & viribus, quam precibus & lachrymis, non tam hominibus, quam Deo ipſi aſcriberetur. D. Auguſtinus de ſanctis ſermone 4. de S. Stephano cap. 1. *Ieſus mane in eremo pugnabat, & Moyſes orabat. Non quidem ambo pugnabant, & ambo orabant; Sed vnus pugnabat & alius orabat. Merito qui pugnabat, non deficiebat, quia ille orando vincebat.* Sicque ſuos ipſius ad populum ſermones, eorumque vim & fructum alienis auditorum, ouiumque ſuarum præcibus adſcribit idem S. Auguſtinus: & in eis ſpem non paruam ponit, dum pergit dicere: *Ita & ego loqui quidem videor, ſed aliis orantibus loquor, vt precibus eorum contingat mihi quod Dominus ait, Aperi os tuum, & ego adimplebo illud. Si ille ab vno tantum orante iuuabatur, & non ſuperabatur: quanto magis ego, pro quo non vnus, ſed multi rogant* DEVM *mecum? Altera*, vt quemadmodum præſentis in pugna Ioſuæ virtus, ſic abſentis in monte Moyſis ſanctitas, & apud Deum gratia teſtata omnibus fieret. *Tertia*, vt non quoquomodo precandum, ſed cum religioſa etiam corporis humilitate, geſtu, & cæremonia intelligeremus. Neque enim pugnandum, cum remitteret brachia Moyſes, ſimul etiam orationem intermiſiſſe. A tamen hanc brachia remittentis orationem ſibi tam gratam non eſſe, neque tam efficacem monſtrabat Deus. Iſte verò precantium geſtus proponitur etiam Pſalm. 87. 140. 142. apud Origenem. hom. 11. in Exodum. D. Baſil. cap. 1. Iſaiæ. *Quarta.* Vt plane hoc ſemper in bellis agendum intelligeremus: non eſſe aut numero aut viribus aut ducibus aut cuicunque humanæ induſtriæ præfidendum: ſed victorias à Domino Sabaoth ſimpliciter expoſcendas & obſecrandas. In libri ſecundi vitæ Sancti Bernardi extremo ſcriptum. *Non deſiſtebat Amalech ab infeſtatione Iſrael, ſed Moyſes eleuatis in cælum manibus potius eſt victoria, & retrahentibus ſe hoſtibus, Abbas ſanctus ſequeſter ſolicitus, clamantibus ad Deum, & domi plorantibus fratribus, irrupit in acies, & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio, & allegationibus diuinis intercurrentibus detumuere procellæ, & reuerſa eſt inter Regem & Principem tranquillitatis & pacis deſiderata ſerenitas.* Imperator Manuel Comnenus in pulcherrima illa Conſtitutionum ſuarum vndecima, quæ *Medicatrix* dici ſolet, *Ipſe*, ait, *diuinus Moyſes, quando cum Amalech prælium commiſit, ſacerdotibus vtrimque innixus, ſic eum fugauit & vicit. Sicut ille ergo, meum quoque imperium Antiſtitum ſuſtentaculo indigens, ad aciem aduerſus nouum hunc Amalech propoſitum, & veluti quandam lucis columnam nouum hunc Iſrael præcedentem, & eius greſſus dirigentem, preces eorum habere volens, hanc præſentem auream bullam, & omnium eccleſiarum matri, nouæ Sion, Dei Sapientiæ habitaculo, & iis, qui ſunt in omnibus inſulis, & in Oriente, & in Occidente Antiſtitibus donauit, eorum pro imperio meo preces magis confirmans.* Alexii Comneni Imperatoris filius Colojoannes Imperator nobiliſſimas de Scythis victorias conſecutus eſt, cum, vt refert Nicetas Choniata, inſtar Moyſis, manus tenderet in cælos. Deique opem & Beatæ Virginis, quam & ideo orato in curru triumphare voluit, auxilium implorarer. vti & ex illo recitant Caniſius in Mariano, Baronius Tomo XII. anno 1123. Origenes homil. 13. in Numeros ſe ab Hebræo magiſtro ſuo accepiſſe refert cauſam, cur vitulo herbas depaſcenti compararit Balaam, Iſraelitas, eaque cauſa valde huc pertinet: *Audierat*, inquit, *Rex Moab, quia populus hic orationibus vincit, & pugnat aduerſum hoſtes ore, nõ gladio, & ob hoc ſine dubio apud ſemetipſum cogitauit dicens: Quoniam quidem orationibus populi huius, & precibus nulla poſſunt arma conferri, ideo etiam mihi tales aliquæ preces, & talia requirenda ſunt arma verborum & orationes tales, quæ ſuperare poſſint orationes iſtorum. Vt autem ſcias tale aliquid cogitaſſe regem, ex ſcripturæ verbis intellige, quæ ego à magiſtro quodam, qui ex Hebræis crediderat, expoſita didici. Scriptum eſt ergo.*

Et dixit Moab ad Seniores Madiam. Nunc ablinget Synagoga hæc omnes qui in circuitu noſtro ſunt, ſicut ablingit vitulus herbam campi. 1. Aiebat ergo magiſter ille, qui ex Hebræis crediderat: Cur, inquit, tali vſus eſt exemplo dicens. Sicut ablingit vitulus herbam campi? Ob hoc ſine dubio, quia vitulus ore abrumpit herbam de campo, & lingua tanquam falce quæcunque inuenerit, ſecat. Ita ergo

& populus hic, quaſi vitulus, ore & labiis pugnat, & arma habet in verbis ac precibus. Hæc igitur ſciens rex mittit ad Balaam, vt & ipſe deferat verbis verba contraria & precibus preces. D. Hieronym. præfat. in lib. 2. Iſa. *Obſecro te virgo* C H R I S T I *Euſtochium, vt nobis in ſcripturarum explanatione certantibus, tum cum Moyſe ad Dominum eleues manus, vt qui exeuntes de Ægypto mare tranſiuimus rubrum, vincamus Amalec, qui interpretatur deuorans & eligens, & poſſimus tecum dicere. Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Similia videri B poſſunt in can. *ſi quis vult Pontifex.* diſt. 36. vbi S. Hieron. citat Gratianus, qui ille ſcilicet interpres eſt: auctor verò verborum illic allatorum eſt Origenes hom. 6. in Leuitic. Numa Pompilius dicenti cuidem: *Hoſtes, ô Numa, contrate bellum comparant*: At *ego* inquit ille ridens, *ſacrifico.* In quo quidem, ait Oſorius lib. 6. de Reg. Inſtit. *Oſtendit, hoſtium vires Magis Dei propitio numine, quam exercitus robore frangendas.* Vide & Oſorium noſtrum ſerm. de expeditione C contra hæret. Tomo. 4. p. 172.

Quinta, vt variarum nobis rerum ſymbolum ac typus oſtenderetur. Mihi enim Moyſes in monte iſto ſtans pro populo ſuo deprecans, brachia pandens, manus tollens, mirificam illam virgam tenens, I E S V S meus Dominus & ſaluator meus in caluariæ monte videtur, dum pro me, totoque terrarum orbe cruci ſuffixus, coram cœleſti patre ſtetit, brachia grauiſſimis verberibus, patibulique ſui baiulatione prælaſſata diſpandit: Sacratiſſimas illas manus, quibus tam multis tam ſalutarem opem cæcis, ſur- D dis, energumenis, ægris, mortuis opem attulerat, trabalibus iam clauis perfoſſas ſurſum ſuſtulit, ipſamque crucis ſuæ virgam, vel truncum potius arctiſſimè complexus tenuit, cœleſtique patri obtulit. *Extenſio manuum*, inquit, S. Ephrem. Tomo. 2. Paræneſi 1. *eſt crucis figura.* Et Sanctus Hieronymus epiſtola ad Fabiolam, *Ad ſignum crucis ſuperatur inimicus.* Et in cap. 12. Oſeæ, cap. 1. Abdiæ. Theodoretus in Exod. quæſt. 34. *Dum*, ait, *extendebat manus Moyſes, præ ſe ferebat typum eius, qui crucifixus eſt pro nobis.* E *Declarata eſt igitur ſub illa figura vis ipſius veritatis. Quemadmodum enim ſerno manus extendente cecidit Amalech: ita quum Dominus manus extendit, diſſoluta eſt acies Diaboli.* In eandem plura ſententiam Origenes Hom. 1. in *Ioſue.* Tertullianus l. 3. contra Marcionem. & l. contra Iudæos. Seuerianus orat. 4. in S. Crucem, ex eo Damaſc. orat. 3. de imaginibus. Iuſtinus contra Tryphonem. D. Auguſti. l. 10. cap. 8. l. 12. contra Fauſtum cap. 30. orat. de Hæreſ. cap. 2. ſerm. 39. de tempore. S. Proſper. p. 1. de promiſſ. F cap. 40. Nazianz. or. 1. 3. 6. 26. 42. Apologet. Sybilla in acroſtichide, cuius meminit l. 2. de diuinatione Cicero, Conſtantinus Magnus in orat. ad Sanctos cap. 18. D. Auguſtini lib. de ciuit. 18. cap. 23. *Sincera hunc Moyſes expreſſit brachia tendens.*

Vt fidei vincens Amalec, vt diſceret eſſe
Electum patri populum magnoque in honore
Dauidis virgam, lapidem, in quo conſtitit, in quo
Cui ſua ſpes poſita eſt, is omnia ſecula viuet,

Significarunt, verò etiam *graues Moyſis manus*, A *graue legis iugum*, vt ait in Cantica Ser. 30. S. Bernardus. Tertiò *ſignificabat Deus*, inquit loco citato Philo, *alterorum propriam hæreditatem eſſe terram, infimam mundi partem: alterorum verò æthera ſacratiſſimum. Et quemadmodum in rerum vniuerſitate, cælum eſt terra potius, ſic etiam populum ſuum bello ſuperaturum aduerſum aciem.* Et in Exodum Homilia XI. Origenes, *Moyſes eleuat manus ſuas, & cum eleuaret manus, vincebatur Amalec. Eleuare manus, hoc eſt opera & actus eleuare ad Deum Deo placitos, & ad cælum erectos.* B *Eleuat ergo manus, qui theſaurizat in cælum: vbi enim theſaurus eius, ibi & oculus eius, ibi & manus eius. Eleuat manus & ille qui dicit, eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum. Si ergo eleuentur actus noſtri, & non ſint in terra, vincitur Amalech. Sed & Apoſtolus præcipit leuare ſanctas manus ſine ira & diſceptatione, & ad quoſdam dicebat: Demiſſas manus, & diſſoluta genua erigite, & erectos greſſus facite pedibus veſtris. Si ergo ſeruat populus legem, eleuat Moyſes manus & aduerſarius vincitur. Si non ſeruat legem, inualeſcit* C *Amalech. Quia igitur & nobis pugna eſt aduerſus principes, & poteſtates mundi huius rectores tenebrarum, ſi vis vincere, ſi vis obtinere, eleua manus, & eleua actus tuos, & conuerſatio tua non ſit in terris, ſed ſicut dixit Apoſtolus: Super terram ambulantes, conuerſationem habemus in cælo: Et ita poteris ſuperare populum aduerſantem tibi Amalech, ita vt dicatur de te etiam, quia in manu occulta expugnabat Dominus Amalech. Eleua & tu manus ad Deum, & imple mandatum, quo Apoſtolus ait: ſine intermiſſione orantes: & tunc fiet quod ſcriptum eſt: Quia ſicut vitulus ablingit in cam-* D *pis herbam viridem, ita ablinget populus hic populum qui ſuper terram eſt. Per quod (vt à maioribus accepimus) indicari dicitur, quia populus Dei non tam manu & armis quam voce & lingua pugnabat: id eſt orationem fundens ad Deum, proſternabat inimicos. Ita ergo & tu ſi vis vincere inimicos, eleua actus tuos, clama ad Deum, vt dicit Apoſtolus: Orationi inſtantes, & vigilantes in ea. Hæc enim eſt Chriſtiani pugna, qua ſuperat inimicum.* Adiungit verò & figuram aliam idem eodem E loco auctor. *Puto*, ait, *quòd per hanc figuram etiam duorum populorum Moyſes formam deſignet, & oſtendet vnum eſſe populum ex gentibus, qui eleuet manus Moyſi, nec extollit eas à terra, nec altum in eo aliquid & ſubtile conſiderat, vincitur ab aduerſariis & proſternitur.* Concludam ſancti Auguſtini verbis è ſermone 39. de tempore: *Bibit de petra populus, & ſtatim bellum iniit contra Amalech. Videte fratres quia poſtea quam quiſque de petra biberit, id eſt Chriſti, Sacramenta ſuſceperit, neceſſe eſt illi ad pugnam procedere. Tam-* F *diu enim aliquis diabolum contra ſe pugnantem non ſentiet, quamdiu opera illius exercere voluerit. Qui vero illum reliquerit, & de petra bibens* C H R I S T V M *ſequi elegerit, neceſſe eſt vt illum patiatur infectum, cui iſto iudicio voluit præponere* C H R I S T V M. *Quiſquis ergo Chriſto coniungitur, non ad delicias, non ad voluptates, ſed ad prælium præparetur: quia omnes qui volunt piè viuere in Chriſto, perſecutionem patiuntur. Et iterum: Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Inierunt ergo bellum filii Iſrael, & Moyſes vocat* I E S V M, *& dicit ad eum:*

Elige

Elige tibi viros, & pugna contra Amalech. Vſque ad hunc locum beati huius nominis mentio, id eſt IESVS, *nuſquam facta eſt. Hic primum vocabuli huius ſplendor obfulſit. Moyſes vocat* IESVM, *lex, inuocat Chriſtum. Elige, inquit, tibi viros potentes. Non poterat Moyſes eligere viros potentes:* IESVS *ſolus eſt, qui poteſt viros potentes eligere. Ipſe vtique qui dixit Apoſtolis ſuis: Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, Ipſe eſt qui domum fortis intrauit, & vaſa eius diripuit. Moyſes autem aſcendit in verticem collis. Et factum eſt cum eleuaret manus Moyſes, vincebat Iſrael. Aduertite fratres: Moyſes manus quidem leuat, non tamen extendit. Cui ergo ſeruabatur, vt manus extenderet, niſi Domino noſtro* IESV CHRISTO, *qui extentus in cruce vniuerſum orbem complexurus brachia pietatis expandit? Moyſes ergo leuauit manus: & licet non expandit, tamen ipſa eleuatione myſterium crucis oſtendit. Videte fratres, iam tunc per Sacramentum crucis ſuperatas eſſe aduerſarias gentes. Et nos, fratres dilectiſſimi, ſi adiuuante Domino manus erigimus, diabolum ſuperamus. In manibus opera debemus accipere. Si ergo talia ſunt opera tua, vt illa poſſis in altum in conſpectu Domini leuare, potes etiam & tu in teipſo aduerſarios tuos extinguere. Quis bene manus leuat, niſi qui per eleemoſynam in cœlo iugiter theſaurizat? Quis ergo bene manus leuat niſi qui aſſiduè victum, ac veſtitum pauperibus ſubminiſtrat? Quis benè manus leuat? Ille vtique qui implet illud Apoſtoli, Eleuantes, inquit, puras manus ſine ira & diſceptatione. Quia ergo quotidie nobis, & vobis pugna imminet contra aduerſarias poteſtates, ſi volumus vincere, manus noſtræ, id eſt, actus noſtri & conuerſatio noſtra non ſit in terris: ſed ſicut Apoſtolus dicit: Super terram ambulantes conuerſationem habeamus in cœlo. Scriptum eſt tamen, quia ſicut vitulus ablingit in campis herbam viridem, ita populus Iſrael ablinget populum Amalech ſuper terram. Per quod indicari videtur, quia populus Dei non tam manu & armis, quam voce pugnabat & lingua, id eſt, orationem ad Deum fundebat. Ergo & tu ſi vis vincere, audi Apoſtolum dicentem, Orationi inſiſtentes & vigilantes in ea. Hæc eſt Chriſtiani pugna glorioſiſſima, non in ſuis viribus præſumere, ſed ſemper Dei auxilium implorare, cui eſt honor & imperium cum Patre & Spiritu ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.*

Q. XV. *Quid Aaron & Hur ſignificarunt?*

De Moyſe, ipſiuſque virga dictum. At quid Aaron & Hur ſignificarunt? Certè in itinere ad montem, baiulantem Dominum meum *Cyrenæus* vnus adiutauit, ſed in monte ipſo nemo vnus. Torcular ibi ſolus calcauit: Solus ad offuſam toti terrarum orbi noctem expenſa brachia, ſublataſque manus tenuit. Non fuit, qui vel minimum adiuuaret, non homo, non Angelus, adeo vt exclamarit: *Deus Deus meus, ad quid dereliquiſti me.* Neque latrones duos, qui ab eius lateribus vtrimque pendebant, verbo ſaltem ei fulcri aliquid attuliſſe opinari poſſumus, cum verborum contumeliis eum oneraret alter: alter Aaronis & Hur ſuſtinere perſonam non poſſit. Dicunt aliqui, vtriuſque teſtamenti ſignificata per illos volumina. Hæc enim nos, qui capitis CHRISTI membra ſumus, ſuſtentant, fidei, ſpeique noſtræ imbecillitatem aſſi-

Ioſue:

A duè fulciunt. D. Hieronymus Epiſtola citatâ, ex Aaronis & Hur etymologia innuere videtur aliquid. *Vtramque*, ait, *Moyſis manum, Aaron, & Hur, id eſt, montanus, luciduſque ſuſtentat.* non quod Hur ſit ab Hebraico *Or*, quod eſt *lumen*, (Abeſſet enim aſpiratio) ſed quod Hebræis *chor* ſeu *Hor* aut *Hur*, ſit nobile, clarum, & illuſtre. adeo vt viri nobiles dicantur *chorin*: oratio verò perſpicua & lucida *laſchon mechuuar*, vt ait à Thiſbi Elias. An in Eccleſiæ Chriſtianæ monte hominum, genera duo ſunt, quæ CHRISTI B fidem, & religionem ſuſtentant? Sacerdotes & boni Senatores, bonus clerus, bonus Magiſtratus, in contemplationis monte poſiti ſancti, & in actionum Sanctarum candore clari & fulgidi? An Aaron, *S. Petrus*, Hur *S. Paulus*, duo Eccleſiæ Chriſtianæ columina? Nam vtrumque à Chriſtianis olim cum CHRISTO ſimul pingi ſolitum, teſtis l. 1. de Conſenſu Euang. cap. 9. S. Auguſtinus. Per *Moyſen* intelligit Rupertus lib. 3. de Trinitat. cap. 20. *legem, quæ*, vt expleatur, *ſuſtentatore indiget Aarone*, CHRI- C STO *Hure, Spiritu ſancto.* Eius poſtea idipſum, verbis eloquar. *Sed videatur rectè, vt ſupra dixi per Moyſen* CHRISTVS *Dominus accipi, cui ſemper aſtiterunt Deus Pater, & Deus Spiritus ſanctus. Nam, ſecundum carnem, infirmitates omnium noſtrum ſuſcipit, languores noſtros ipſe portauit, ſuſtentabant corporis eius imbecillitatem, Patris, & S. ſancti manus. Quas numquam ita ſubduxerunt, vt ruere ſinerent: Sed tantum, vt dolores, & cruciatus non auerterent. Sicque* illa ſuperius allata derelictio accipienda. Certè cum grauiſſimorum tormen- D torum metu CHRISTVM deſerere cogerentur Chriſtiani, legitur *S. Gregorius Thaumaturgus* in cœlum manus veluti contra Amalecitas ſuſtuliſſe, ſanctiſſimamque plurimis victoriam impetraſſe. Tomo. 4. Surii pag. 73.

Q. XVI. *Moyſi ſuppoſitus lapis cuius rei ſignum?*

Si CHRISTVM Dominum in ſeipſo conſideremus, lapis ei ſuppoſitus, ſuper quo ſedeat & requieſcat, eſt ſua ipſius diuinitas: Eſt quodammodo etiam petra illa ſuper quam ipſe *Petra ima*, veruſque *angularis lapis*, Eccle- E ſiam ſuam fundare dignatus eſt. Quin & boni piique cuiuſlibet patientia & conſtantia, ſiue animus à voluptatum blanditiis, periculorum terroribus & laboribus inuictus, ſaxum eſt quod gratiſſimam CHRISTO Domino ſedem præbeat. Sin verò quoad membrâ ſua CHRISTVM Dominum ſpectemus, qua in re alia ſeſſimonium quæramus, præterquam in Petra illa, quæ in Corinth. 10. verſu. 4. CHRISTVS eſt in lapide illo, qui apud Zachariam cap. 3. verſu. 9. & F cap. 4. verſu. 7. deſcribitur? *Sedet*, ait ad Fabiolam S. Hieronymus, *Moyſes ſuper lapidem dictum à Zacharia, qui ſeptem habebat oculos, & in Samuelis volumine appellatur Abenhaazer, id eſt, lapis adiutorii.* Cyrillus in collectaneis cap. 16. *Cum iuſſiſſet Moyſes* IESV *filio Naue, vt eligeret viros potentes, & exiret & acie dimicaret cum Amalech, ſubſignificauit quod* IESVS CHRISTVS *ſubiicietur mandatis legis Moſaicæ. Non veni, inquit, ad ſoluendam legem, ſed ad*

implendam. Et cum elegiſſet ex vniuerſo Iſraele, & ex vniuerſa gente viros potentes, ſacros, inquam Apoſtolos, & eorum ſucceſſores, ad confligendum acie cum Diabolo Rege vitij & peccati, eum expugnabit. Poſtridie autem iuſsit ſerui aciem ſignificans quod poſtea ſecutum eſt tempus ſuſceptæ humanitatis, quod eſt poſt adimpletionem temporis legalis. Aſcendit autem Moſes ſuper verticem collis, vt poſsit intueri prælium. Nam quæ eſt ex lege myſtagogia, conſcendit ad altitudinem cognitionis congruem in habentem ſymmetriam, vnde poſſint Iudæi intueri CHRISTI *ſtratagemata: & Moyſe quidem extendente manus inualeſcebat Iſrael, remittente autem, inualeſcebat Amalech. Nam manus quidem in aerem expanſæ, deſcribunt figuram crucis: vincit autem quicumque fert crucem: quomodo rurſus quicunque non fert crucem, ſed* CHRISTI *fidem amiſit, bello premitur. Graues autem manus Moyſis, & quæ vix attolluntur in dictam figuram: quoniam & qui ſint legis, raro ad hoc veniunt, vt ferant crucem* CHRISTI. *Et accipientes, inquit, lapidem ei ſuppoſuerunt. Et Aaron & Or ſuſfulciebant, inquit, ei manus hinc vnus & inde vnus. Lapis enim precioſus & electus eſt* CHRISTVS, *cui innitentes quieſcunt qui credunt ex Iſraele. Idem autem Chriſtus intelligitur & Aaron & Or, & Pontifex & Iudex. Nam Aaron quidem eſt Pontifex. Or vero Iudex, qui Chriſtus per vtrumque intelligitur, ſuſfultis fideles ex Iſraele in fidem & victoriam, quæ eſt per Chriſtum, neque eos ſinit grauari & deprimi.* Dicit Caluinus huiuſmodi allegorias eſſe *plauſibiles*, ipſe tamen aſpernatur. Sed in Bibliacis Prolegominis cap. de ſenſu myſtico ſpreta iam & exſibilata hæc eius vanitas. Alius Orco iam datus Chytræus eas laudat, ſed ita vt non ſit in peccatoris ore ſpecioſa laus. *Suſtentandæ ſunt*, ait, *manus & preces noſtræ lapide ſeu Petra Chriſto, non interceſſione & meritis Sanctorum.* Quamobrem quæſo, *non interceſſione & meritis Sanctorum*? Non ſunt etiam Sancti lapides, quibus inſidere liceat? Non Petra S. Petrus? Nihil eorum merita & interceſſiones, licet longè aliter, & multo minus, quam CHRISTI Domini, nobis prodeſſe poſſunt? Sed hoc ego in meo *de litaniis* libello expoſui. Nunc tantum obſeruemus, quam Sanctis alias omnibus tantopere Hagiomachi iſti inuidere ac eripere ſolent *interceſſoris* appellationem, Caluinum hic Moyſi tribuere, ſimulque rurſus allegoriarum, quas improbabat, aliquid probare. *De ſe*, ait, *præcipuè loquitur Moſes, vt doceat munus hoc ſibi à Deo fuiſſe impoſitum. Non enim vota ſolum ex charitatis officio concepit: ſed quia eum interceſſorem Deus elegerat, qui virgæ extenſione, & tacito precandi ardore hoſtes eminus vinceret. Qua in parte typum* CHRISTI *geſsit, quanquam in aliis partibus non quadraret ſimilitudo.* Hæc ipſe. Sed, præ hoc, Philonem & Sanctum Auguſtinum libentius audio. Ille libro *Quod omnis probus liber. Iudæorum legiſlator, ait, ſapientem graues manus habere, actiones eius hoc ænigmate ſignificans, non ſuperficiem contrectantes, ſed penetrantes in ſolidum, vtpote ſubnixas non flectendo mentis propoſito. Itaque à nemine cogitur, cum ſit contemptor & mortis & cruciatuum, lege naturæ præpoſitus omnibus inſipientibus.*

A Auguſtinus verò in 30. Homil. 27. cap. 1. *Fateor, non deſunt hoſtes. Sicut enim non deerant, qui ſequerentur fugientes, ita non deerunt qui impediant ambulantes. Prorſus chariſsimi figuræ noſtræ fuerunt. Interim in te non ſit quod contriſtet Moyſen: noli eſſe aqua amara, quam poſt mare rubrum non potuit ille populus bibere. Erat enim & ibi tentatio: Et tamen iſta quando eueniunt, quando amaricat populus, oſtendimus eis*

B CHRISTVM, *quæ pro illis tulerit, quomodo pro eis ſanguinem fuderit: & miteſcunt; tanquam nobis lignum in aquam mittentibus. Plane hoſtem aduerſantem itineri tuo Amalech habebis. Tunc orabat Moyſes, tunc extendebat manus. Et vbi deponebat manus, conualeſcebat Amalech, vbi extendebat manus, deficiebat Amalech. Et tuæ manus extentæ ſint, deficiat Amalech tentator, & huius itineris impeditor: eſto vigil & ſobrius in orationibus, in operibus bonis,*

C *non tamen præter* CHRISTVM, *quia extenſio illa manuum, Chriſti crux fuit. In illa extenditur Apoſtolus cum dicit: Mundus mihi crucifixus eſt, & ego mundo. Ergo deficiat Amalech; vincatur, & non impediat tranſitum populi Dei. Si dimittis manus à bono opere, à cruce Chriſti; præualebit Amalech. Tamen noli omnimodo aut continuo te fortem futurum putare; aut penitus deſperando deficere. Alternatio enim illa defectus & fortitudinis in manibus ſerui Dei Moyſi, fortè alternatio tua fuit. Aliquando enim in tentationi-*

D *bus deficis, ſed non ſuccumbis. Deponebat ille paulum manus, non omnino tenebat. Si dicebam motus eſt pes meus, ecce miſericordia tua Domine adiuuabit me. Noli ergo timere: adeſt in itinere auxiliator, qui in Ægypto non defuit liberator. Noli timere, aggredere viam, præſume ſecurus. aliquando ille deponebat manus, aliquando erigebat, tamen victus eſt Amalech. Rebellare potuit, ſuperare non potuit.* D. Bernardus ſerm 30. in Cant. *Graues Moyſi manus, teſtibus Aaron & Hur. Graue legis iugum teſtibus Apoſtolis, qui hoc & ſibi,*

E *& Patribus importabile clamitant.* Act. 15.

EVM deſcribit Moyſes biſariam. Primò à victoria verſ. 13. Deinde ab iis, quæ victoriam conſecuta ſunt. verſ. 14. 15. 16. Victoria certè maxima & nobiliſſima, perpaucis hiſce verbis ab eo propoſita. *Fugauitque Ioſue Amalech, & populum eius in ore gladii.* Vbi animaduertandum, primò, quod in Latino, & Græcis eſt *fugauit*, in Hebræo eſſe verbum, *fregit, debilitauit.* Et inde lepidam conflarunt Rabbinorum nonnulli fabellam, vo- Q.XVII. *Exitus pugnæ quis?*

F luiſſe Amalecitas, magicarum artium vi, volare, magnoque impetu è ſublimi, harpyarum inſtar, in Iſraelitas irruere. At oſtendiſſe iis tetragrammaton Dei nomen *Ioſue*, ſicque fractos, & debilitatos fuiſſe. Alii, ex Amalecitarum exercitu fortiſſimos quoſque ſublatos fuiſſe. Et hoc quidem verum, ſed non ij ſoli ſublati, ſed maxima eorum omnium multitudo, ita vt eorum vires admodum acciſæ ac debilitatæ fuerint,

residuique

Digitized by Google

reſiduique in fugam verſi. Hinc enim & Exod. 32. verſ. 18. *Col Enoth Chelſchab, vox eorum, qui in fugam vertũtur*, ſeu, vt vertit Chaldæa paraphraſis, *vox debilium: qui ſuperantur*. Obſeruat tamen Ioſephus, fuiſſe internecione occidendos omnes, niſi ſuperueniens nox à cæde Iſraelitas cohibuiſſet. 2. Data opera, Hebræo illo *frangendi* verbo vſus eſt Moyſes, vt ſignificaret meritas Amalecitarum iniquitati pœnas redditas. Nam quos Deut. 25. verſ. 18. ab illis cæſos narrat laſſos, ſiue itineris moleſtia debiles Iſraelitas, eodem vocabulo appellat, ſed ita vt inſit literæ vnius tranſpoſitio, qua fortunæ illorum ſignificatur immutatio. Tum triumphabant Amalecitæ, valebant, vigebant. Tranſpoſita iis nunc omnia. 3. Quia tam diſtinctè hic ipſius Amalec mentio fit, & deinde ipſius populi, videatur fortè Amalecitarum Rex interfectus, vel ſi euaſit, egregie vulneratus fuiſſe. Hocque poſterius crediderim probabilius, quod cum *Og* & *Seon* peremptorum Regum toties meminerit ſcriptura, de hoc ſileat. 4. *Gladii os*, eſt ipſius acies, quod ea ſcilicet parte veluti mordeat, conſumat, ſanguinem hauriat. Vnde Luc. 21. v. 24. cadent in ore gladij; ad Hebræos 4. Apoc. 1. μάχαιρα & ῥομφαία δίστομος gladius acierum duarum, ſiue anceps. Iud. 19. v. 29. Prouer. 30. v. 14. gladij & cultri ab eo quod edant & vorent, vocantur *maacaloth* מאכלת Septuaginta eandem hic rem ab effectu dixerunt ἐν φόνῳ μαχαίρας *in gladii cæde*. Et imitentur illud Galli dum aiunt, *à trenchant de l'eſpee*. Sanctus Moyſes facit, abſque dubio, præcipuum victoriæ huius auctorem Deum. Sed, ex hominibus, videtur *Ioſue*, ſolum celebrare potiſſimum, dum tam rotunde, *non à ſe*, ſed *ab illo* infirmatos fuſoſque dicit Amalecitas. Exiſtimant tamen aliqui coniunctionem illam *quę* dum dicitur *fugauitque* accipiendam, vt interdum alibi, pro illatiua, *igitur* quaſi dictum eſſet: *conſtantiſſimus in aſſidua precatione fuit Moyſes, ideoque fugauit Ioſue Amalecitarum copias*. Et ſane Iudith 4. v. 13. planiſſime ipſi Moyſi ea laus tribuitur, qui ſuperbiſſimos hoſtes iſtos non ferro pugnando, ſed precibus ſanctis orando deiecerit. Quia tamen rei eiuſdem non vna tantum ſæpe cauſa eſt, Moyſen exiſtimo ſeſe quidem, *ad Dei gloriam*, indicaſſe, victoriam hanc orando peperiſſe, ipſum autem Ioſue confligendo, vt intelligeremus optima & certiſſima eſſe duo hæc bellorum ſcilicet gerendorum inſtrumenta, preces ad Deum, & humanam induſtriam, prout pluribus notaui alias in illud caput 4. Iudith. Nam ſine hominum conatu viriumque à naturæ auctore Deo ſuppeditarum exertu, ſegnis & ignaua eſt oratio, Deum, pæne ipſum tentans: & ſine precibus, illiuſque auxilio humanæ vires omnes, ſtudia, & conatus manci ſunt, inanes & ſtolidi. *Niſi dominus cuſtodierit ciuitatem fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam*. Pſalm. 126. Si tamen recte volumus pendere omnia, pluſque multo in diuina ope præſidij ponendum ſemper, idque hic ſignificauit Moyſes, dum ambarum ad ſydera palmarum extenſione hoſtilem ſuccubuiſſe aciem prius narrauit. & clarius, vt ſupra tetigi Eliachim Sacerdos. Iudith. cap. 4. Vere Salomon Prou. cap. 21. *Equus paratur ad diem belli: Dominus autem ſalutem Ioſue*. *tribuit*. Videatur Collat. 3. cap. 15. Caſſianus.

QVÆST. XVIII. *Quæ victoriam conſecuta?*

A DVO in eodem iſto, quod præ manibus, capite narrãtur: de Deo vnum, de Moyſe alterum. Sed ſunt hic prius, quæ de præda, ingentibuſque ſpoliis tradit Ioſephus lib. 3. cap. 2. in hoc veluti theatrum acceſſenda. *Victoriam*, ait, *pulcherrimam & opportuniſſimã vincunt noſtri maiores. Eos etenim, qui cum exercitu irruerant, ſuperarunt, & circumiacentes populos exterruerunt, magnis ſplendidiſque bonis ditati, quæ poſt eaquam tantopere laboraſſent adepti ſunt. Nam cum & hoſtium caſtra cepiſſent, opes magnas publicè priuatimque habuerunt, cum ne alimenta quidem neceſſaria prius haberent.* B *Fuit vero ipſis non in præſens tantum, ſed in futurum etiam ſæculum bonorum cauſa, hæc quæ rectè & ex animo ſucceſſerat, narrata iam pugna. Non enim ſola hoſtiũ corpora in ſeruitutem redegerunt, ſed ipſas etiam eorum mentes, cunctiſque circumhabitantibus, poſt hanc illorum depreſſionem, formidabiles fuere. Sibi vero diuitiarum magnarum vim adiunxere. Multum enim argentum, aurumque in caſtris relictum erat & vaſa ærea, quibus ad quotidianum vitæ vſum vtebantur. Multa vero & inſignis fuit vtrarumque rerum copia, earum ſcilicet* C *quæ textiles forent, & armorum ornamenta, fuerunt que alia etiam, quæ ad miniſtrorum ſpectant impedimenta, & ſuppellex ipſorum prædaque omnis generis pecorum, & eorum omnium, quæ caſtra in expeditionem aliquã profecta ſequi aſſolent. Cõpleti etiam ſunt animo Hebræi ad viriliter deinceps agendum, & in magno ipſis erat, virtutis cura, & ad laborandum exſilierunt.* (Nam pro ἦσαν lego ἥλλοντο ab ἅλλω quod & per tenuem ſpiritum notat in ἥλατο Chryſoloras) *per hoc exiſtimantes omnia capi poſſe. Et hic quidem pugnæ huius finis fuit.* Sed nondum facit D idem Ioſephus finem. Addit adhuc alia, eaque præclara. *Poſtero*, inquit, *die mortuis hoſtibus detrahebat Moyſes ſpolia, & eorum, qui fugiſſent, armaturas colligebat: eos, qui fortiter ſeſe geſſiſſent, honoribus afficiebat, ipſumque belli ducem Ieſum encomiis ornabat, cum ob ea quæ geſſiſſet, præclarum à toto exercitu teſtimonium haberet. Hebræorũ vero ne vnus quidem fuit mortuus: ex hoſtibus vero tam multi, vt eorum cognoſci numerus non poſſit.* Libuit vero è Græco iſta, vt potui, vertere, quod mihi ad manum nouus interpres non ſit, & veteri dixerit olim S. E Hieronymus in Apologia contra ipſum. *Omne iter dictionis tuæ, abſque Palladis arte, ſalebris & voraginibus vitiorum inciditur.* Addit vero idem Ioſephus, exceptum conuiuio à Moyſe *Ieſum*, peractam διὰ τῶν ἐπινικίων ἱερῶν, excitatam Deo ad perpetuam gratulationem altare, de quo poſtea. Et poſt victorias, hæc & ſimilia facienda monet lib. de re militari Onoſander.

Q. XIX. *Quæ poſt victoriam dixit Dominus? Et de eorum primo.*

QVÆ poſt victoriam dixit Moyſi Dominus, *tria* ſunt: primum verſ. 14. *Scribe hoc, ob monumentum, in libro*. Ecce quàm Deo gratum, eius à F nobis beneficia & opera commemorari, non verbis apud præſentes tantùm, ſed ſcriptis apud poſteros etiam, quam neceſſarium eorum perpetuo memoriam cuſtodiri. Hinc & de eadem hiſtoria dicitur Deut. 25. & Iudith. 4. *Memento*. Vera nimirum, quæ in Tobiæ 12. & l. 3. SS. Trinitatis doxologiæ, de diuinarum, vtiliumque rerum narrationibus & ſcriptionibus mihi notata. *Scribatur hoc*, ait Dauid Pſal. 101. 19. *in generatione altera: & populus, qui creabitur, laudabit Dominum.*

Digitized by Google

Sed eſſe hic poſſunt *tres* quæſtiones. *Prima.* Scriptione alia, iniuſſu Dei, Moyſes, aut ſi iuſſu cur iſtud iam iubeatur? Non omnia expreſſo Dei iuſſu ſcripſit Moyſes, ſed quædam: cætera omnia ſolo eiuſdem inſtinctu & directu. Fiebat autem interdum, vt ſi propriam animi ſententiam ſequi voluiſſet Moyſes, quædam omiſiſſet, maximè quæ cum aliqua ipſius laude coniuncta videbantur, vt quod hoc in loco eſt de victoria eius precibus conciliata. Sed ad ſcribendum impulit eum non interior tantùm Dei afflatus, ſed præceptum etiam & imperium: itemque ſumma, quæ hinc emanatura erat, vtilitas. Rupert. l. 3. de victoria c. 23. colligit hinc iuſſum etiam ſcribere, *In principio creauit Deus cælum & terram.* *Altera* quæſtio eſt; quis liber in quem referri hæc iuſſerit Dominus? Putant Abenezra & Abulenſis, eſſe librum illum, qui *Iuſtorum* vocatur Ioſuæ 10. 2. Reg. 1. Alij generatim librum aliquem prout in 70. ſignificatur, *ἐν βιβλίῳ*. Quia tamen in Hebræo non *béſepher*, ſed cum articulo *baſſépher* legimus, certum; definitumque librum commodiùs accipiemus, eumque vel *Iuſtorum* illum, vel hunc ipſum *Exodi*, qui fortè ſub Moyſis manibus tunc erat. *Tertia*, Vbi & quando Moyſi dixerit hæc Dominus? Vel in ipſo monte, veſperi antequam deſcenderet Moyſes, cum plena iam conclamaretur victoria, vel certè poſtridie, in caſtris cùm eſſet, preceſque quotidianas funderet. *Quartam* excitant quæſtionem Iſraelitæ apud R. Eliezerem cap. 44. cum de die Sabbathi dictum ſit, *Memento*, quomodo idem de Amalecitis iam dicitur? Reſpondet vero Moyſes: illud *Memento* eſſe ad ſeruandum & ſanctificandum: hoc vero ad perdendum ac delendum, *quemadmodum*, ait, *vini conditi ſeu promulſidis poculum, & aceti poculum, ambo quidem pocula ſunt*: ſed diuerſus eorum ſapor & effectus.

Q. XX. *Quod eorũ, quæ poſt victoriam dixit Dominus, alterũ?*

E**T** *trade*, inquit, *auribus Ioſuæ.* In Hebræo & Græco accipi quærant verba hæc ſequentibus connexa, vt Ioſue ſcilicet iubeatur hoc Moyſes dicere, fore, vt Amaleci memoriam deleat Dominus. Nam ſi ad priora referas, ſenſus erit, bellum, & victoriam hanc, Ioſuæ narrandã eſſe. At fruſtra hoc. Quæ enim, vidit quis, quibus adfuit, imo & præfuit, ea ipſum cur doceamus? Somnium videlicet alicui ſuũ narrare iſtud eſt. Futura verò illa illum ſcire ipſius valde intererat, vt deinceps ſperaret contra hos, alioſque hoſtes omnes diuinam imprecationem fore: animum tanto duce, qui in promiſſam terram Dei populum inducturus erat, dignum gereret: nulliſque aduerſis caſibus, & hoſtilibus copiis perterreretur. Quin & futurarum rerum typus ineſt, dum qui Iſraelitarũ ſaluator eſt, idem eo ipſo aduerſariarum gentium euerſor oſtenditur. Nam & qui nos ſaluat CHRISTVS IESVS, idem incredulos, impioſque omnes exſcindit & in abyſſum agit præcipites. Latinus tamen ad ſuperiora retulit. Nam Hebræorum כי & Græcorum ὅτι vertit non per cõtinuatiuũ quod, *ſed* per cauſatiuam *enim*. Et quidem rectè. Hæc enim vſitatior particularum iſtarum vis: & Ioſuæ non ſimpliciter bellum & victoria narranda; (Id enim, vt obiiciebatur, minimè neceſſarium, & penè ridiculum) ſed belli & victoriæ modus, quemadmodum ſcilicet diuinitus conceſſa hæc

A eſſent, & impetrata precibus. Tumque nihilominus vim habent illæ rationes, quæ Ioſuæ futurorum iſtorũ certiorem fieri expediiſſe monſtrabant. Sed quam tamen iſtud *enim* cauſam ſignificat? Quid eſt, *Hæc ſcribe*, ô Moyſes, *hæc Ioſuæ dic. Nam delebo Amalech*? Videtur plus quidẽ quàm primo aſpectu videamus, ſignificari: videlicet precibus illis impetratum, non tantũmodo, vt iam vincatur Amalec, ſed vt deinceps etiam ſtirpitus euellatur. Et quanti refert hæc *Ioſuæ*, hæc vniuerſam poſteritatem ſermonibus, librorumque monumentis cognoſcere?

Q. XXI. *Quid certũ Domini dictorum tertium?*

B IAMIAM tetigi. *Delebo enim memoriam Amalec ſub cælo.* In Hebræo & Græco vehementiùs, *Delendo delebo.* quemadmodum Gen. 2. *moriendo morieris*, ſiue vt noſter, *morte morieris.* Referũt in Thalmud Rabini, tractũ *Baba bathra* & liber præceptorum, præcepto affirmatiuo 189. itẽq; Rambã lib. vlt. Helacah vltima c. 1. & 5. Ioabo præceptorẽ fuiſſe, qui hic & Deut. 25. v. 19. non *memoriã*, ſed *maſculum* legi volebat. Nam ſanè ſi quæ poſt acceſſerunt, puncta demantur, eædem literæ זכר tam C hunc quam illam poſſunt ſignificare. Cum *zecher* ſit memoria, *zachar* maſculus. Ideoque & de ſimili quadam lectionis & intellectionis varietate in Miſna diſputat R. Elias orati. 3. fund. 4. n. 3. At Septuaginta, Noſter, omneſque omnino alij Rabini *memoriam* legunt: adeo, vt ſuum illum magiſtrum, quaſi ſcripturam peruerteret, ab ipſo Ioab interfectum dicant: quemadmodum ſcilicet ab Alcibiade irriſum vel percuſſum, qui Homerum corrigebat, vti refert Plutarchus. Legi poteſt l. 3. Cabalæ Capnio f. 527. D D. Hieronymus Iſaiæ 26. verſ. 24. *Terrere*, ait, *nos debet, quare ſeptuaginta maſculum & cæteri interpretes memoriã tranſtulerunt, cum iiſdem tribus literis vtrumque ſcribatur apud Hebræos.* Videtur tamẽ explicatu difficile, fieri qui potuerit, vt Amalecitæ memoria deleretur. Cum enim hiſtoria memoriæ vita ſit, & paulo ante à Deo iuſſum ſit bellum hoc, vt eius poſtera ſæcula omnia meminiſſent, hiſtoriarum monumentis conſignari, quomodo Amalecitarum eſſe obliuio potuit? Reſpondetur infra quæſt. 27.

Q.XXII. *Quæ poſt victoriam fecit Moyſes? & de eorum primo.*

E IAM ſupra ex Ioſepho indicata quædam: Textus vero *tria* recenſet. Primum. *Ædificauitque Moyſes altare.* Videlicet vt ſuum, Iſraelitarumque omnium, à quo triumphus tantus erga ipſum numen, animum gratiſſimum oſtenderet, feſtâ ei victimâ publicè gratias ageret: eoque ipſo admoneret omnes, tam præſentes Iſraelitas, quam etiam nos, poſt bellorum felicitatẽ quid agendum. In earum prima, quas illuſtri in Africa Duci preſcribit militiæ regulas, Ferrandus Carthaginenſis. *Nihil*, ait, *viribus tuis ſuperbus* F *aſsignes, ſed omnia, quæ ſapienter, aut fortiter, aut feliciter geris, ad laudem feras potentiſsimi creatoris.* Quia vero nouiſſimi huius temporis Nouatores ex tam crebra, quæ apud Patres eſt, Chriſtianorum altarium mentione, Chriſtianum ſacrificium tergiuerſantur agnoſcere, agnoſcãt ſuum hic Caluinum ita loquentem. *Ædificauit Moyſes altare; nempe vt ſolemni ſacrificio teſtatam faceret ſuam gratitudinem, non ipſe modo, ſed totus populus. Quod ipſum, altaris nomen demonſtrat.* Vide lib. 1. de Miſſa cap. 16. Bellarminũ. Sed & illud obſeruandum, non fuiſſe, vt hoc faceret, Moyſi præceptũ:

& tamen

Digitized by Google

& tamen fecit rectiſſimè, vt quæ *ſupererogationis opera* vocantur, bona mimirũ & iniuſſa, diſcant iidem non aſpernari Nouatores. Præſcribebat quidem, vel ſola naturæ lex, vt grates Deo referret, ſed vt hoc modo, vt altari, vt ſacrificio, non definiebat neque illa, neque diuina quæpiam eo ipſo lata tempore. Quærat vero fortè aliquis, cur cum antea Ioſuæ nonnulla præſcripſiſſet Moyſes, ſcriptum ſit, verſ. 10. *fecit Ioſue, vt locutus erat Moyſes*: cum autem ipſi Moyſi, ea, quæ quæſt. 19. & 20. dicta ſunt, imperarit Deus, non ſimiliter dicatur, *fecit Moyſes, vt locutus erat Dominus*? opinor, quia feciſſe clatum ſatis erat. Qui enim etiam quæ imperata non erant, tam ſtudioſè fecit, eum quæ à Deo imperata erant, promptiſſimè accuratiſſiméque confeſtim egiſſe, quis ambigat?

Qvæst. XXIII. *Eorum, quæ poſt victoriam fecit Moyſes, quodnam alterum.*

Et *vocauit nomen eius* (altaris) *Dominus exaltatio mea*. In 70. nomen hoc dicitur κύριος καταφυγή μου. *Dominus refugium meum*. Hebrꝗum nomen vtrumque poteſt ſignificare. Nam ſi à naſas ſiue nas נס id eſt, *exaltare* ducatur, valebit exaltationem aut vexillum. Sin vero à *nus* ſiue nas נס fugere erit refugium. Neque tamen in re ipſa quidquam intereſt. Eſt enim Deus exaltatio & refugium hominum, & ideo refugium, quia ad ſe fugientes erigere ac exaltare poteſt & vult. Ideo exaltatio, vt ad eum in omni depreſſione, & calamitatum mole confugiamus, quia nos ip ſ al leuaturus, & in altiſſimum ſecurriſſimæ felicitatis locum, euecturus. Apud Vatablum, & in noua, quam explicandam ſibi propoſuit Caluinus, verſione, ita eſt. *Vocauitque nomen eius, Iehoua miraculum meum*. At magis ipſemet verſionem noſtram, & in margine, vbi poſuit, *exaltatio mea*, & in commentario, approbat. *Cur*, ait, *vertant quidam miraculum non video, quia nes haud dubiè ſemper pro vexillo capitur. Quanquam non inficior pro exaltatione methaphoricè hic poni, ac ſi dixiſſet Moyſes, Deum, qui Iſraelitas ſuſtinuit, dignum eſſe, qui ſolus emineat inter ipſos*. Illud tamen, haud dubie certum non eſt, cùm radix, vt dixi, Hebræa *naſas* generatim ſignificare queat *exaltare*. Quia tamen in ſublime tolluntur vexilla, qui exaltationem dicit, intelligere etiam poteſt vexillum. Sicque vere Deus nobis in aſſiduo noſtro cõtra inferorum Amalecitas bello *vexillum*, quod ſequamur, in quod intueamur, à quo toti pendeamus, eſſe debet. Idque tanto magis, quanto firmius, & aduerſus omnem hoſtium vim tutius eſt, quod nunquam deiici, nunquam diſcerpi, aut capi poteſt. Ioſephus omnia hæc alio vno complectitur nomine, dicens: θύσας δὲ χαριστήρια Μωσῆς βωμὸν ἱδρύεται νικαῖον ὀνομάσας τὸν Θεόν. Vocat enim νικαῖον τὸν Θεόν, id eſt, *victorem*, ſiue *victorioſum Deum*, aut ſimpliciter *Deum*, ſi *victorioſum* ad altare libeat fortaſſis referre, vt ſit βωμὸς νικαῖος quod aram victoriæ iudicem ac monimentum ſtatuerit, quam vocarit *Deum*. Poſſunt vero & hinc ſi qui Nouatorum veritatẽ & modeſtiam colunt, diſcere aliquid, ſolent ij ferrè grauiter, multiſque interdum apud rudes populos exagitare conuiciis, quod nonnulla, quæ Deo tribui ſolent, à nobis etiam B. Virgini, aliiſque quandoque Sanctis tribuamus. *Spes noſtra, vita, dulcedo, mediator*. Et vero dictum illis iam millies, alio inferiore tropo ac modo id fieri. perſiſtunt tamen, & quod, creatoris eſt, indigniſſimum clamitant, creaturis attribui. A Iam dixi non eandem eſſe rem, ſed idem tantũ nomen, & quidem longè aliter. Sed caput adhuc motitãt, nec dum acquieſcunt. Verum ecce, hoc ipſo loco, *altare*, id eſt, res inanima, ceſpes aut lapis quiſpiã, vocatur à Moyſe *Dominus exaltatio mea*, & quidẽ Hebraice, cũ magno illo nomine, *Iehoua*. Diſſimulauit hoc Caluinus & vafre quaſi Deum ſolummodo vocaſſet Moyſes, ita locum iſtũ hic expoſuit & lib. 1. Inſtit. c. 13. ſſ. 9. Sed aperte pugnat contra textus omnes. Et de Latino quidem patet. In Hebræo diſertè dicitur. Moyſes B ædificare altare, & *nomen ipſius* (Hoc enim pronomen *ipſius*, ſiue vt Hebræi vocant, *affixum*, tenebras omnes diſiicit) *Dominus exaltatio mea*. Græcus ait, ᾠκοδόμησε Μωσῆς θυσιαστήριον κυρίῳ, καὶ ἐπωνόμασε τὸ ὄνομα αὐτοῦ, κύριος καταφυγή μου. *Ædificauit Moyſes altare Domino, & cognominauit nomen eius, Dominus refugium meum*. Atque hæc eadem omnia Iunij verſionem iſtam explodunt: *Extruxit Moſche altare, cuius vocarit nomen, Iehouæ vexilli mei*. Eadẽ Caietanum etiã refellunt, qui non vt apertè in textibus eſt, *Dominus exaltatio*, vel *refugium* C *meum* vult: ſed *Domini exaltationis vel refugij mei*, aut vt in Vatablo alius, *altare Domini vexilli mei*. At quid ita vocare neceſsũ fuiſſet? Quia enim Domino illud ædificarat, Domini eſſe conſtabat, fuiſſetque hæc ei cum rebus omnibus, quæ Deo vſpiã conſecratæ, vel cõſecrandę vnquam erant, appellatio communis. Omnes enim illæ Domini ſunt. Quin & terra hæc habere nomen dici poſſet, quia ſcriptum, *Domini eſt terra & plenitudo eius*. Pſal. 23. Sic porro iſtud altare vocatum eſt, quia ſignum erat, & monumẽtum exaltationis, E quàm fecerat Deus, vt rectè ait hic & in Ier. 23. Lyranus; dũ *ab effectu* ita nominatum dixit. Et Oleaſter; *Vt iugis*, ait, *eſſet accepti beneficii memoria, locum à beneficio nominauit*. Refellunt eadẽ ea Galatinũ dum lib. 3. cõtra Iudæos c. 9. probat, non vocari altare Deum. Verũ duorum tantũmodo Rabbinicorum teſtiũ expoſitione rem iſtã probat. Vnus eſt *Onkelos* ſuper Geneſeos 22. c. dicẽs; *Et coluit atque adorauit Abrahã in loco illo, & ait corã Deo. Hic erũt colẽtes te, vel ſeruiẽtes tibi generationes*. E Et hoc ipſo loco Ex. 17. *Ædificauit*, inquit, *Moyſes, & coluit, vel ſeruiuit*, i. e. *ſacrificauit ſuper illud corã Deo, qui fecit ei ſigna*. Alter eſt liber *Mechilta*, qui eadẽ hæc verba ſic interpretatur. *Et ædificauit Moyſes altare, & vocauit nomẽ eius, Deus, ſignũ meum*. Dixit *Rabbi Elai Hãmakom: id eſt, Deus vocauit illud altare ſcilicet* ניסי N I S I, *id eſt ſignum meũ*. Atque hi quidẽ cõtra Iudæos aliquid valeãt, contra nos parũ. Nam textũ aliter, vt apparet, interſtinguũt, quã textus habeat, & ipſis Septuaginta qui ipſis antiquiores, aduerſantur: videnturq; ita tantum expoſuiſſe, ne Iudæi craſſiores & ad idololatriam F propenſiores aliquã inde erroris anſulã captarẽt. Alioquin aliis quibuſdã locis nomina non diſſimilia ſunt. Gen. 22. *Dominus videt*. Iud. 6. 24. *Ædificauit Gedeon altare domino, vocauitque illud Domini pax*. Sed vt dixi, modo inferore diuina hęc nomina rebus imponũtur aliis, prout rectè docet l. 1. dę Christo, c. 7. Bellarm. & in Hierem. c. 23. Lyranus. Philo autẽ l. 1. de vita Moyſis p. 433. Μωσῆς ἱδρύεται βωμὸν, ὃν ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος ὠνόμασε, θεοῦ καταφυγήν: ἐφ᾽ οὗ τὰ ἐπινίκια ἔθυε, χαριστηρίους εὐχὰς ἀποδιδούς.

Qvæst. XXIV.

Est hoc dixiſſe ipſum. *Quia manus ſolii Domini*,

Eorumdem Moyſis ſacterũ quod nam tertiũ?

& bellum Domini erit contra Amalec à generatione in generationẽ. Eadem tamen verba ex Hebræo conuertunt aliter alij. Nam Septuaginta ὅτι ἐν χειρὶ κρυφαίᾳ πολεμεῖ κύριος ἐπὶ Ἀμαλὴκ ἀπὸ γενεῶν εἰς γενεάς, id eſt, *quia in manu occulta bellum gerit Dominus contra Amalec à generationibus in generationes.* Recentiorum plerique ſic. *Quia manus ſuper ſolium Domini: bellũ Domino in Amalec à generatione in generationes.* Apud Caluinum: *Certè manus ſuper ſolium Iehouæ: Prælium Iehouæ cum Amalec à generatione in generationes.* Vatablus. *Sublata manu ſuper ſoliũ Dei iuro, quòd præliũ Domini futurum ſit contra Amalec per omnia ſæcula.* Iunius ac Tremellius: *Quia manus Amaleki fuit contra ſolium Iah, bellum Iehouæ in Amalekim erit, de ætate in ætatem.*

Ioſephus Scaliger noua prorſus, & tam apud Hebræos, quàm Græcos, & Latinos inaudita verſione; & tamen *ad verbum*, vt ait ipſe, ita lib. 3. de emendatione temporum fol. 209. Græce interpretatur στήλη τῆς ἱερομηνίας (ſiue τριακάδος mauis, ſiue ἑορτῆς) πόλεμος ἄσπονδος κατὰ τοῦ Ἀμαλήκ, *id Cippus triũphalis propter diẽ menſis vltimum: Bellum irreconciliabile contra Amalecum*, ſiue vt ipſemet poſtrema hæc ſua Græca vertit, maioribuſque literis aſcribit. *Æternum bellum fore inter populum Dei & Amalec.*

Q. XXV. *Quæ facti huius tertij ſecundum Græcos, Hebræos & Latinos ſententia?*

Versiones vidimus diuerſas: quid per eas videatur ſignificatum, iam explicandum.

Græci propheticum hic oraculum fundi aiunt, quo traditur ex hoc tempore, Deum Amalecitis bellum indicere, idque gerere incipere, & geſturum porro ſemper in futuras generationes. Eodẽ modo & Ioſephus προεφήτευσε Μωυσῆς, πανωλεθρίᾳ τοὺς Ἀμαληκίτας ἀπολουμένους, διὰ μηδ᾽ ἕνα αὐτῶν ὑπολειφθησόμενον. *Prophetabat Moyſes internecione perituros Amalecitas & eorum nullũ reliquũ futurum.* Et prophetiam quidem agnoſcunt etiam Rabini, Salomõ, Abenezra, cæteri. Sed quid illud ἐν χειρὶ κρυφαίᾳ? Legit in quibuſdam exemplaribus Eugubinus ἐν χειρὶ κορυφαίᾳ & interpretatur *in manu excelſa.* vt quemadmodum alibi dicitur, *in brachio extento*, ſic & hoc loco, ſumma quadam vi Amalecitas deleturus tradatur. Sed quia Regia Biblia & correcti Septuaginta κρυφαίαν χεῖρα exprimunt, ſciendum primo, videri eos in Hebræo legiſſe, *iad ceſouiah*, quod eſt *abſcondita & occultata manus*: Itemque propoſitionem *hal* vel hiſce verbis præfixam vidiſſe, vel eo modo interpoſitam accepiſſe, quo apud nos in his, aliiſque ſimilibus orationibus interponitur, *Omnibus in rebus, noſtras ad aures.*

Deinde *occulta manus* dicitur, quia Dei vis & poteſtas, qua gentem illam exciſurus erat, ſub humanum ſenſum non cadit, neque niſi in effectu perſpicitur. Tempus etiam, quo ſeſe manus iſta contra illos exertura erat, non aperte prænunciabatur: ſed cum minime cogitaretur, illos tandem tetigit & obtriuit.

Hebræi vero & qui eorum amplectuntur ſententiam, volunt hic ritum eſſe cuiuſdam iuriſiurandi, quia id per manuum & digitorum elationem fieri conſueuit. Sed hoc alij à Moyſe conceptum volunt, vt in ſua illa ſuprà poſita verſione aiebant ipſi, vel paraphraſi potius indicatum, vt ait Vatablus: quaſi ad Dei thronum manum Moyſes ſuſtulerit, vel ſuper illum poſuerit, ſicque iurarit, vere futurum, vt contra Amalecitas belligeraretur dominus. Alij vero idem iuſiurãdum ipſimet Deo tribuunt, quaſi & ipſe throno ſuo manum ſuperpoſuerit, vel ad thronum admouerit: vt duplex in hiſce verbis Dei factum ſit. Vnum iurationis ſuper ſolium; alterum denunciationis belli Amaleciti-ci, de quo iurat. Hæcque textui magis conſentanea, quàm illa, quæ Moyſem iurantem facit. Et ſic paraphraſtes Chaldæus. *Cum iuramento*, inquit, *dictum eſt à facie terribilis, cuius maieſtas eſt ſuper ſolium gloriæ, vt committatur prælium à facie domini contra viros domus Amalec, vt conſumat eos à generationibus ſæculi.* Et apud Eliezerem cap. 44 ait R. Sila. *Voluit Deus ſanctus, benedictus delere ac diſperdere totum ſemen Amalek, quid igitur fecit? Extendit manum ſuam dexteram, & apprehendit thronum gloriæ ſuæ, ac iurauit, ſe deleturum ac diſperditurum omne ſemen Amalec ex hoc, & venturo ſæculo.*

Latinus noſter textus Græcorum ſententiam quomodo poſſit admittere, haud ſatis video: de qua ſignificabitur poſtea iterum aliquid quæſtione ſequente, & 27. Sed Hebræorum iſta poſterior, ei optime poteſt congruere. Nam *manus ſolii Domini*, eſt Dei manus in ſolio ad iurandum collocata, ſiue per ſolium iurans. Sed quid iurans? Hoc ipſum. *Et bellum Domini erat cum Amalec.* Sunt aliæ tamen Latini eiuſdem textus expoſitiones duæ non incommodæ. *Vna* gloſſæ, interlinearis & Lyrani: *Manus ſolii domini*, id eſt, *virtus & potentia in throno Dei eſt, & per hanc geret ipſe dominus bellum contra Amalec.* Vt ſic nimirum cauſa & modus explicetur eius, quod verſ. 14. dictum erat, delendum Amalecitarum memoriam. *Altera.* Deus omnipotens in ſolio ſuo reſidet, nequeocioſus eſt, ſed bellum cõtra Amalecitas faciet perpetuum. Siue *manus Dei*, id eſt, *omnipotentia eſt in ſolio ſuo non vtique ocioſa*, & ab omni populi ſui hoſtium vltione ceſſans. *Quin vero deinceps grauiſſimum in Amalecitas bellum conſtabit*: eoque ipſo illos *à generatione in generationem* diſperdet, id eſt, *in perpetuum.* Quia vero per quem iuret, maiorem Deus non habet Hebr. 6. verſ. 13. ſolet aut per ſeipſum vt ibidem ex Geneſ. 22. dicitur, iurare, aut per ſuas ipſius res & attributa, quæ cum ipſo idem ſunt, vt Amos 9. *per celſitudinem ſuam*, Ezech. 18. *per vitam ſuam*, Ierem. 51. verſ. 14. & Amos 6. *per animam ſuã*, hic *per thronum ſuũ.* In iſtiuſmodi ſacramentis tolli manum moris eſſe, videmus hac in Germania quotidie, dum duo etiã digiti tolluntur, ſicut & in Anglia, vnus apud Oleaſtrũ Geneſ. 14. Ideoque & Abraham iurans Geneſ. 14. *Leuaui*, ait, *manum meam ad Deũ.* Et ipſemet Dominus, Deuter. 32. *Leuabo manum meam ad cœlum, & dicam: Viuo ego in æternum.* Et iurare quidem ipſum nullo modo foret neceſſe, id tamen imbecilitati noſtræ diffidentiæ & conſolationi dat, vt eius dictis quàm firmiſſimam fidem adhibeamus, prout eodem capite. Heb. 6. docet Apoſtolus. Tremelliana vero ac Iuniana expoſitio per Amaleki additionem facilis & clara eſt: futuráque facilior & clarior, ſi pro Hebraicis Dei nominibus diceretur: *Quia manus Amaleci fuit contra ſolium Dei, bellum Domini in Amalecum erit de ætate in ætatem.* Et hunc ſenſum rectè ſuſcipere poteſt noſtra verſio. quia *manus ſolii* dici poteſt *manus contra ſolium*, vt *bellum Eccleſiæ*, id eſt, contra

Eccleſiam

Digitized by Google

Eccleſiam. *bellum Turcicum*, id eſt, contra Turcos.

Q.XXVI *Scaligeri verſio & explicatio an rectat*

DISTORTA omnino videtur. 1. quia neque vertit, neque, ſi verteret, accommodare textui poteſt particulam כי ſiue *quia*. Quæ enim rerum connexio hæc. *Vocauit nomen eius.* (altaris) *Exaltatio mea, dicens. Quia Cippus triumphalis propter menſis triceſimam?* 2. Vel ipſum altare eſt ille Cippus, vel nō. Si idem, male vult, adeoque probat ex 1. Reg. 15. verſu. 12. fuiſſe *trophæum*, vel *arcum* triumphalem. Si non, fingi cauſa nulla poteſt, cur altare vocetur *exaltatio* à Moyſe dicente *Quia Cippus*. 3. Malè diceretur *Cippus propter diem triceſimum*, ſed potius *propter victoriam*, vel *propter Dei beneficium*, & *exaltationem*, quæ die illo contigiſſet. 4. Cum haberent menſes etiam alij diem triceſimum, inepte diceretur generatim *menſis*, & non *huius* vel *illius*, verbi cauſa, *ſecundi*, quo iſta contigerunt. Quod ſi per excellentiam dicitur menſis, quaſi is notus, vti per *oratorem* intelligitur *Cicero*, per *Apoſtolum Paulus*, certè menſis potius primus tot tantiſq; portentis, Deiq; beneficiis nobilitatus intelligeretur, cum tamen iſta, poſt Ægyptiacum exitum, conſtet facta menſe ſecundo. 5. Falſum etiam eſt, triceſimum huius menſis diem fuiſſe, cum deuicti Amalecitæ. Nam poſt victoriam tradit Ioſephus, vti ſuprà quæſt. 18. vidimus, pluſculos eodem in loco dies manſiſſe Iſraelitas, ſpolia & exuuias legiſſe, conuiuia & epulas agitaſſe. Sed menſis tertij die primo, vt Hebræorum pleriſq; videtur, vel certè die 2. vt in Exodo diſſerebā, in ſolitudinē Sinai aduenerūt illi, vti traditur initio c. 19. Exod. Ergò è Scaligeri calculo, vel poſtero, vel altero ſtatim victoriæ die, itineri ſeſe accinxiſſent, illoq; perueniſſent. Nam diem ſecundi menſis triceſimum ſequitur, alio nullo interiecto, primus ipſius menſis tertij, pronumeniam ſcilicet neomenia. Et vt Ioſephi auctoritatem mittamus, cum eo die, quo cum Amalecitis pugnatum, ſteterit vſque ad Solis occaſum pugna, quemadmodum ſupra dictum, neceſſe foret ex priore ſententia, Moyſen vna illa inter vltimum ſecundi, & primum tertij menſis diē nocte, aram illam erexiſſe, ſacrificaſſe, ſtatimque die poſtero illuceſcente, in viam ſeſe cum Iſraelitis dediſſe. At quomodo, qui die toto cum plurimis & acerrimis hoſtibus, vario euentu, ſudore, fatigationeq; plurima conflixerat *Ioſue*, quomodo ipſius milites, quomodo & ipſe Moyſes, qui de dici totius precatione, manuumq; ſublatione feſſus admodum fuerat, partem quietis vllam vix cepiſſet? quomodo itinerum per ſolitudines iſtas dux illa ſuapte ſeſe vi motitans, nubes feſſos illos fractoſq; vt ſanè dicuntur fuiſſe Deut. 25. 17. ad tantum, tamq; importunum iter ſubitò coegiſſet? cum hoſtis inſequēdus iam nullus, occupandum & præuertendū nihil: nullus etiam à tergo & latere aduerſarius metuendus aut fugiendus. Ipſe verò etiam cippus quādo è lapidibus ædificatus, ſculptus, & illa, quam fingit Scaliger, epigraphe inſcriptus fuiſſet? Ex poſteriore verò ſententia, non eadem quidem omnino fuerint incommoda, ſed nonnulla tamen & ferè eadem. 6. Vult verò Scaliger epigraphem hanc fuiſſe, BELLVM IRRECONCILIABILE CONTRA AMALECVM. Sed vnde colligit hæc verba, in ſtellam ſiue cippum iſtum

A incisa & inſcripta fuiſſe? Nam ſcriptionis vel inciſionis nulla, vel per ſyllabam vnicam, mentio. Sed ſint hæc tamen inſcripta & inciſa, vnde colligit hæc tantum, non etiam priora illa, CIPPVS TRIVMPHALIS PROPTER TRICESIMVM? 7. Cur in Græcis ſuis omittit, quod poſt bellum in textu Hebræo, Chaldæo, Græco, & Latino eſt, DOMINI vocabulum? Cur & iſta, quæ in fine, A GENERATIONE IN GENERATIONEM? Cur quod in iiſdem textibus non eſt, addit ἄσπονδον? Venerat in mentem ſuſpicari, quemadmodū *montes Dei*, *arbores Dei*, B aliaq; in ſuo quodam genere magna & eximia, ſolent in ſcripturis, *Dei res* vocari, vt aliam ob cauſam in meo ad ipſum Mineruali dicebam l. 1. c. 3. ſic quod in textibus eſt, *bellum Dei*, ab eodē Scaligero accipi pro bello magno, atroci, & quod fœdere nullo cōponi poſſet. Idq; non ineptè dici videretur. Sed cum Latinam eius epigraphen aſpicio, video *æternū* ab eo *bellum* vocari, vt ſcilicet, quod *à generatione in generationē* poſitum erat, exprimeret: ſicq; iſtud, *Dei*, ab eo ſemper Græcè omiſſum. Latinè tamen forte id vo- C luit expreſſum, cum dixit, *inter populū Dei*. Quod tamen *ad verbum* non eſt, vti dicebat, ſicuti neq; cætera, quæ iam tracta. 8. Textū Hebræum variè immutat prout quidem in libris hodie omnibus tam apud nos, quam apud Iudæos legitur, & quam olim interpretis noſtri tēpore, legebatur. Nam primò è duabus vocibus CES IAH, vnam facit CASIAH. Deinde puncta ſeu vocales fingit alias, & ex duabus facit tres, & quod diſſyllabum erat, eſſe iubet triſyllabū. Nam eſſe deberet כסא vt aiebat, ſuaq; mihi manu ſcribebat, è Nouato- D ribus non ignotus Scaligero Rabinus. Denique vocem cudit, quæ alibi nuſquam vllo in libro, ſacro aut prophano, viſa vel audita, vt mirandum ſit ab eo ſcribi, *In cap. 17. Exodi diſertè habetur Caſiiah.* כסייה Aliud foret ſi *Caſiah* ſaltē diceret כסיה.

Dixi verò de Hebræo, prout & nūc legitur, & à Latinis olim lectus, propter 70. de quibus ſupra q. 25. Ad eos tamen prouocare Scaliger non poteſt. Primò quia illi *ceſuiah* videntur legiſſe, ipſe *caſiiah*. Deinde illa eorum vox vſitatis Hebræorum verborum declinationibus in Paul E Cal congruit: Scaligeriana verò à regulis & Grāmatica tota diſcrepat: Si כסיה ſaltem legiſſet, poſſet excuſari per ſimilia, in benoni Cal exempla, vt Prouerbio: cap. vltimo v. 27. צופיה conſiderans, aſpiciens. Sed tunc ſignificaret *occulentem*, *tegentem*, manum ſcilicet, & pro *vau cholem*, tantummodo eſſet *cholem*. Tertio illi κρυφαίᾳ verterunt, id eſt, *latentem & occultam*: ipſe τριακάδα vel ἕνην καὶ νέαν: id eſt, *triceſimam menſis*. Idque ſemel ac iterum repetit lib. 3. Iſag. pag. 223. Demum poſſunt illi ex Hebræorum verbi notione F bonam & conſtātem verſionis ſuæ cauſam reddere, cum כסה ſit *abdere*, *occultare*. At Scaliger ſuæ incertus eſt, dum vel à *numerando*, vel à *tegendo & ſilendo* eam accerſit. 9. Neque tamen id adhuc rectè facit. Nam cur à *numerando*? *Quod*, ait, *vltra triceſimum nullus numerus menſium admitteretur*: quaſi diceret, numerum vltra quem aliqua in re numerando progredi non licet, rectè vocari *caſiiah*. Sed quis ita vnquam vocauit? An quia in ſimplicibus numeris vltra decem pergere non poſſumus, denarius ideo *Caſiiah*? An quia tribus Iſrael tantùm duodecim, duodecima

Digitized by Google

non nati, & filij ipſorum cum ipſis. Iſaiæ 26. verſ. 14. A *Contriuiſti eos, & perdidiſti omnem memoriam eorum.* Ierem. 25. verſ. 10. *Interminatur Dominus factum ſe, vt non ſit vltrà memoria filiorum Ammon in Gentibus.* Zachar. 12. verſ. 2. *Diſperdam nomina Idolorum de terra, & non memorabuntur vltrà.*

Ad illa igitur *tria prima*, quæ dubitationem pariebant, dico, poſt illatam à Saule cladem, renatos quidem ex iis qui vel abſentes tùm erant, vel fuga, & latebris euaſerant, poſteaque reuerterant è Amalecitas, ſed multò minore quam olim famâ, potentiâ, dignitate: Fuitque ipſorum B deinceps nomen obſcurius, & cum probro, ac dedecore coniunctius. Ad *quartum*. Patet, ex tertio delendæ memoriæ modo, reſponſum. Nam adeò conciſa & obtrita fuit Amalecitarum memoria, vt nouum aliud eorum reliquiis impoſitum nomen ſit, & quidem ita, vt valdè adhuc obſcurum ſit, an ab Amalecitis illis ipſi Macedones. Et fortè ad ipſorum in *Haman* illo Estheriano excidium reſpexerunt Septuaginta, cum ἐν κρυφαίᾳ χειρὶ diſperdendos eos dixerunt. Quàm enim abdita, & locorum illorum, temporum, C circumſtantiarumque omnium inuolucris occultata Dei hæc in illorum reliquiolas animaduerſio? Ad *quintum*. Dico primò quidem ſatis non conſtare, an Amalecitarum vrbes, & tecta ſtare ſiuerit Saul: (Nihil enim de iis vel ſcriptura, vel Ioſephus) verò tamen eſt ſimilius diruta omnia, vel iniectis certè flammis in cineres redacta. Nam iſto in bello, eorum, quæ fieri iuſſerat Dominus, præteritum à Saule aliud nihil videtur, quam quod conceſſa Regi vita, & pecorum abacti greges. At verò præceperat Dominus vniuerſas Amalecitarum res diris deuoueri, ſacraſque & deteſtabiles haberi. Nam 1. D Reg. 15. v. 3. vbi Latinè legimus, *Percute Amalec, & demolire vniuerſa eius*, in Hebræo eſt, *& anathemati ſubiice omnia, quæ ipſius ſunt.* Hæc autem anathematis, quod in Hebræo חרם cherem vocatur natura & vis fuit, vt ferro, flammaque abſumi vellet omnia, prout in Hierichunte videbimus infrà cap. 6. quæſt. 33. ac ſequentibus: & de vrbibus aliis iubetur Deuter. 13. In Græcis ſeptuaginta variæ congeſtæ apparent verſiones. Nam E vna retinet ferè ipſum illud Hebræum verbum, & dicit. πατάξεις τὸν ἀμαλὴκ καὶ ἱερεῖμ pro καθ' ἱερεῖμ quaſi κατὰ χέριμ, id eſt, ἀνάθεμα. Alia iſtud idem hiſce verbis extulit. καὶ οὐ περιποιήσῃ ἐξ αὐτοῦ, id eſt, *nihil ex eo reſiduû facies.* Siue vt in Latino noſtro eſt. *Nõ concupiſcas ex rebus ipſius aliquid.* Alia καὶ ἐξολοθρεύσεις αὐτὸν, id eſt. *Funditus ipſum perdes.* Alia denique καὶ ἀναθεματιεῖς αὐτὸν, καὶ πάντα τὰ αὐτοῦ. Niſi ergo iſta tanta idem pænè ſignificantium verborum congeries ad rem & internecionem iſtam melius explicandam ſtudio facta ſit, He- F bræo congruentiùs textui, & emendatiùs ita legeremus. πατάξεις τὸν ἀμαλὴκ, καὶ ἀναθεματιεῖς αὐτὸν, καὶ πάντα τὰ αὐτοῦ. Accedit quod Chananæi, qui *Aradio Rege* ducente Iſraelitas aggreſſi ſunt, anathemate obſtricti & deleti ſunt, Num. 21. Quidni ergo & Amalecitæ? Paribus enim ſceleribus pœnæ pares ſunto. Ad *ſextum*. Horum & id genus aliorum ſuperſtes memoria eſt, ſed qualis? Fœda, triſtis, damnata, vt nullam omnino eſſe præſtaret. Quemadmodum enim de quibuſdam dixit Matth. 18. verſ. 6. Saluator, præſtare, ipſos, alligatâ eorum collis aſinaria mola mergi profundiſſimè, ita & Pilato, Iudæ, aliiſque id genus infeliciſſimis nominibus foret multo ſatius, obliuione obrui ſempiterna, quam in pietatis noſtræ ſymbolis commemorari toties. Et huc tendunt, quæ *Minerualis* libro 2. cap. 1. notata: & quòd de improbis dicit Pſal. 15. Dauid: *Nec memor ero nominum eorum per labia mea*: & de falſis Diis Moyſes Exod. 23. 13. *Neque audietur nomen eorum ex ore veſtro.* Sed rurſum quæſt. 30. quod huc pertineat, aliquid.

Quæſt. XXVIII. *Pœnarum de Amalecitis tantum cur ſumptũ*

Potest ex dictis, & ex hoc ipſo Exodi cap. 17. non omnino neſciri cauſa, claiè tamen à Domino proponitur, Deuteronom. 25. verſ. 17. *Memento, ait, quæ fecerit tibi Amalec in via, quando egrediebaris ex Ægypto: quomodo occurrerit tibi, & extremos agminis tui, qui laſſi reſidebant, ceciderit, quando tu eras fame & labore confectus, & nõ timuerit Dominum. Cum ergo Dominus Deus tuus dederit tibi requiem, & ſubiecerit cunctas per circuitum nationes in terra quam tibi pollicitus eſt, delebis nomen eius de ſub cælo. Caue ne obliuiſcaris.* Et 1. Reg. 15. v. 2. *Hæc dicit Dominus exercituum. Recenſui quæcunque fecit Amalec Iſraeli: quomodo reſtitit ei in via cum aſcenderet de Ægypto. Nunc ergo vade & percute Amalec.* Verum dixerit aliquis,

——— *Tantæne animis cæleſtibus iræ?*

Nam primò volebat Amalec aduentantem ignotorum hominum multitudinem ſuis à finibus arcere. Quid hac in re peccati? Patriam tueri nonne fas? Aduenarum tot myriadas, tantorum peregrinorum ſimul venientiam exercitum regni aditu non prohibere, in viſcera ipſa recipere, an tutum? 2. Si peccatum ab Amalecitis fuit aliquid, pœnarum ab iiſdem nonne datum ſatis? Victi enim ſunt, ſtrage affecti maxima, caſtris rebuſque ſuis omnibus exuti. Et ſi ſatis hoc non fuit, an tam internecinum tamen contrà eos bellum eſſe pòſt debuit? Cur in fœminas ſæuitum? Cur in paruulos & lactentes?

Quid meruere boues, animal ſine fraude doliquẽ?

Quid oues, cæteræque pecudes, & ipſa etiam inanima? Cur ne in prædã quidem illas rapere, vrbes verò & domos ſartas tectas reſeruare non licuit? Videtur ſanè tanta immanitas, & contra bellorum omnium morem, & contra eas etiam, quas de bellis fixit ipſemet Deus, leges. Deuteronom. 20. vbi virorum quidem cædes conceditur, paruulorum verò, fœminarum & iumentorum vetatur. 3. Conferantur præterea, cum aliis etiam gentibus, quæ variis Iſraelitas aggreſſionibus, & bellis vexarunt, iſti Amalecitæ. Non ſunt exſtirpati penitus Moabitæ, Ammonitæ, Idumæi: non ſunt exitialibus adeo armis appetiti: & tamen eorum in Iſraelitas iniuriis, quanam re præponderat vna hæc Amalecitarum incurſio? Latè poteſt argumentorum iſtorum explicatio patere. Nam de omni bellorum, quæ, vt promiſſam terram occuparent Hebræi, geſta ſunt, iure agi deberet. Nunc tantum abſque probationibus, quæ alibi afferendæ: Dico *primo*, Deum eſſe ſummum, & verum terrarum, poſſeſſionum, bonorumque aliorum omnium Dominum: eumque poſſe, citra cuiuſque iniuriam, iure optimo, dare illas & eripere quibus voluerit, etiamſi nulla vllius culpa foret.

Digitized by Google

Secundò. Quando ex iis,quos terrarum vel bonorum aliorum poſſeſſores fecit, contra ipſum peccant aliqui, eius videlicet, aut naturæ leges violando, iam ſunt ij digniſſimi, à quibus auferat ipſe omnia. Et tanto magis, quantò eorum peccata vel plura vel maiora ſunt.

Tertiò. Si conſtare poſſet hominibus, velle Deum,vt ea ipſa,quæ modo poſſident bona,cedant alicui alteri,obſiſtere non deberent. Legitima enim bellorum cauſa eſt Iuſtitiæ defenſio, iniuriæ propulſatio. At ſi de diuina iſta voluntate liqueret,nullam is pateretur iniuriam,cui priſtinæ vel ſedes vel opes deſerendæ: quin verò ei, qui à Deo verus illatum Dominus conſtitutus & declaratus eſſet, iniuriam faceret, ſi quod ſuum amplius non eſt, illius verò eſt, retinere vi & armis conaretur.

Quartò. Cognoſci verò poteſt Dei hæc voluntas vel ipſo indicante, vti per Hieremiam factum: vel ex certis quibuſdam ſignis, vel demum ex ipſo euentu. Et hoc quidem poſtremum,ſerum nimis,niſi fortè ad conſolationem primum rariſſimum.: medium verò difficilimum. Nam etiamſi aliquo in populo multa & grauia peccata hæreant,ambigi tamen poteſt, velitne Deus ea in hoc ſæculo plectere, an in futuro. Et ſi in hoc, an hoc ipſo tempore, an per iſtos hoſtes, & an eo modo vt reſiſtam, vel herbam ſtatim,vt aiunt,porrigam. Et ſi reſiſtam,an iſto terrore me ad pœnitentiam, ſuique innocationem commouere me tantum velit, mihi tamen opitulari, meque tueri, an cadere me potius,& rerum vitæque detrimento puniri.

Quintò. Sunt tamen aliqua interdum ſigna & argumenta, quæ notare & animaduertere ſi velint homines, non temere, quid facere ſe velit Deus,intelligant.

Sextò. Eiuſmodi ſigna putarim hæc eſſe aliqua, ſi qui hoſtes habentur, non veram aliis religionem eripere,non verum Dei cultum in populo aliquo velint opprimere. Si clarè ab iis ſtare videatur Deus, eos ſingulari quodam ſtudio & fauore proſequendo, miracula etiam pro iis edendo. Si viri alioquin boni ſint, Deumque timentes, maxime quoad ipſorum principes & capita: Si legitimo humani iuris modo agant, verbi cauſa, ſi quæ ſibi deberi aiunt, modeſtè primò, & pacatè petant, ſi pacem quam bellum reuera magis appetere,ſi deniq; bona fide tractare omnia videantur. quatenus quidem humanâ hæc prudentiâ,& iudicio cognoſci, perſpicique poſſunt. Hiſce ita notatis,reſpondeo,ad

Primum. Cognouiſſe ſatis Amalecitas,partim ex ſignis iam poſitis, partim ab aliquibus, vt videtur, præmiſſis tabellariis, Iſraelitarum populũ à Deo ex Ægypto educi, ſingulari eius præſidio muniri, nõ eſſe Amalecitis ipſis hoſtes,velle tantùm vlterius progredi: doliq; & fraudis moliri nihil, abſtinere à furtis & rapinis omnibus, deniq; nihil omnino inferre detrimẽti velle,ſanctéq; polliceri. Ideoq; dicitur in illo Deut.25. *Amalec non timuiſſe Dominũ*. At niſi eius voluntatẽ cognitam habuiſſet, eius metu vacaſſe,dici non poteſt. Quamuis ergò liceret aliâs influentem iſtiuſmodi aduenarum multitudinem habere ſuſpectam, ei non credere, ipſam à finium ingreſſu impedire,his tamen,ob dictas cauſas,non licebat. Sicque Plautinum hic illud factum.

Qui cauet ne decipiatur, vix cauet etiam dum cauet.
Etiam cum cauiſſe ratus, ſæpè is cautor captus eſt.

Ad *Secundum*. De pœnarum quantitate melius ac iuſtiùs quam Deus ſtatuere quis poſſet? Et verò peccatum, vti quidem reor, nullum eſt, quod huius mundi pœnis, etiam valde magnis & acerbis,à Deo,ſi remota, miſericordia, ſolam exercere vellet iuſtitiam, vindicari non poſſet. At, quæ ipſius bonitas eſt, ſummo iſto iure non agit. Ideoque intelligendum,præter hoc vnum, quod apparet, peccatum, fuiſſe in Amalecitis alia plura & maiora,quæ vlciſci vellet Deus:ſed per huius occaſionem. Quemadmodum enim Chananæos non ideo tantum, quòd in terram promiſſam venientibus Iſraelitis repugnarint, ſuſtulit Dominus, ſed multo magis propter alia plura & grauiora, quibus contaminati & alligati erant,ſcelera,prout Geneſ.15. verſu. 16. traditur: ita & Amalecitas, apud quos hærebat, adhuc illa de qua ſuprà quæſt.4. inuidia. Ideo communes leges in ſingularibus flagitiis refigere, vel potius paulo ſeueriores figere decuit.

Ad *tertium*. Licet in vno iſto Amalecitarum peccato tanta non appareat grauitas,vt præ memoratis illis gentibus, tam graues luere pœnas, eos oportuerit,tria tamen mihi videntur. 1. Poſſe interdum iuſtiſſime æqualia peccata pœnis inæqualibus, & minora maioribus puniri. Poteſt enim hoc depoſcere aliqua vel neceſſitas, vel vtilitas publica, prout in omni pœne republica videmus. Leue furtum maiore quam graue iuſiurandum pœna coercetur, leuis, & fortè coactus, in militaribus excubiis ſomnus, quam militis eiuſdem furtum aliquod, ebrietas, & laſciuia. Et quandoq; eius naturæ peccatũ, vt certo in loco apud certos homines, certo tempore, ſeuerius quam alibi, & apud alios & quam aliâs caſtigare illud prudentia imperet. 2. Circumſtantias iſtiuſmodi perſpicere, ſuiſque momentis omnibus ponderare,ſummo illo iudice quiſnam queat ſapientiùs, accuratius, æquius? 3. In aliis,de quibus ad ſecundum dicebam, Amalecitarum peccatis, quin eiuſmodi grauioris pœnæ momenta fuerint, vix equidem dubito:ſed & in hoc ipſo, de quo agimus peccato, poſſunt à nobis notari aliqua. Nam primò quantum illud eſt, quod ipſi omnium primi bello Iſraelitas laceſſere, eoſdemque diuexare voluerunt? quòd pacatos, innoxios, iter modeſtiſſime agentes, tranſitum dimiſſiſſime poſcentes, ab alienis abſtinentiam, ſummamque innocentiam ſanctiſſimè iurantes? quòd eos, quos tantis tamque mirabilibus portentis ex Ægyptia tyrannide à Deo liberatos norant: quos ab eodem mirabiliter adhuc per ſolitudines iſtas deduci videbant, quos eidem ſummæ curæ eſſe clariſſimis ſuperpoſitæ nubis, & delabentis quotidie cœlitus mannæ argumentis intelligebant: Ideo enim vt dixi tam diſertè notatur Deuter. 25. *Amalec, non timuiſſe Dominum*. Poſſet etiam non immeritò ſuſpicari quiſpiam, pacem & amicitiam oſtentaſſe Iſraelitis Amalecitas, cum ad hoc, qui de tranſitu agerent, certos illi homines ablegaſſent & poſtea tamen ex inopinato, ex inſidiis, à tergo, promiſſu, fideque omni poſthabita, in agminis extremos, feſſos & debiles, viros, fœminas, paruulos,

Digitized by Google

paruulos, irruiſſe. Hoc enim & ſimilia inſinuare videntur illa Domini verba tam ſeria quæſtionis initio ex Deutero. & l. 1. Regum aſſumpta. De his etiam rebus legi queat Abulenſis 1. Reg. 15. q. 2. 3. 6. 7. 8.

QVÆST. XXIX. *Cur in tantum poſtea tempus eaſdem Amalecitarum pœnas diſtulit Deus?*

ALIVD cogitatione aſſequi non poſſumus, quam in his factum, quod de Chananæis Geneſ. 15. legimus verſ. 16. vbi Chananeæ terræ poſſeſſionem Abrahamo ſtatim dare noluit, ſed poſt quartam demum generationem. *Necdum enim*, ait, *completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum vſque ad præſens tempus.* Eſt enim Deus præ omnibus aliis ille, qui à Poëta neſcio quo laudatur.

Ad pœnas tardus princeps, ad præmia velox.

Peccatoribus, pœnitentiæ ac emendationis tempus libenter concedit, expectat, quam poteſt diutiſſimè ac patientiſſimè. Illibens omnino, & inuitus, & ſi dicere fas, quodammodo coactus, ad vlciſcendum & perdendum graditur. Explicat hoc alicubi S. Chryſoſtomus, & clarè nobis proponitur Geneſ. 18. & 19. vbi ad incendenda Sodoma non prius acceſſit, quàm cum de illorum flagitiis nō rumor, etiam verus, ſed clamor fuit, & quidem plurimus, quam cum *peccatum eorum aggrauatum eſt nimis* verſ. 20. & tamen dicit adhuc: *Deſcendam & videbo, vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleuerint, an non eſt ita, vt ſciam.* Neque tanta iſta, vt iras, igneſque contineret, ſollicitudine & clementia contentus, omnia indicauit ſummo ſuo amico & precatori Abrahamo, vt ſi vel pauciſſimi ea in vrbe, quibus parci poſſet, inuenirentur, omnium vni illi deprecatori ſalus & vita donaretur. Hinc verò diſcimus, *Primo*, quam dare nos operam oporteat, ne tanta iſta clementia & bonitate abutamur, ſed cum peccauimus, neque ſtatim eius in nos vibrari fulmina ſentimus, ilico reſipiſcamus, ad eum tam facilem tamque placidum Dominum reuertamur, veniamque petamus. Alioqui differetur quidem, ſed non auferetur iuſtiſſimum ſupplicium: quin verò & iuſtiſſimè auctabitur. Ita ſanè nos monet S. Apoſtolus Rom. 2. *Exiſtimas*, ait, *hoc ô homo, qui iudicas eos, qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? An diuitias bonitatis eius & patientiæ, & longanimitatis contemnis ignorans, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam. & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicii Dei.* Vbi ſanè *theſaurizādi* verbum magnam, exaggeratamque diuinæ iræ vim & copiam ſignificat. Neque enim theſaurus eſt, vbi pauca quædam & exigua ſunt. & *ira* tam pro iræ cauſis quàm effectis ſumitur. Nam quos diuina hæc tolerantia non corrigit, peccata, quibus ad iram commouetur Deus, plura indies & maiora coaceruant: idemque plura ideo & vehementiora, quæ ab irato infligi ſolent numine, tormenta excipient. *Secundo* illud etiam diſcimus Luc. 6. v. 36. vt ſimus miſericordes, placidi, longanimes ſicuti pater noſter miſericors eſt, placidus & longanimis. *Si dij*, ait Gentilis Philoſophus lib. 1. de clementia cap. 7. *placabiles ſunt, & æquè delicta peccantium non ſtatim fulminibus perſequuntur, quanto æquius eſt, hominem hominibus præpoſitum miti animo exercere imperium, & cogitare vtrum mundi ſtatus, gratior oculis pulchriorque ſit, ſereno & puro die, an cum fragoribus crebris omnia quatiuntur & ignes hinc atque illinc micant. Atqui non alia facies eſt quieti, moderatique imperii, quam ſereni cœli & nitentis.*

Q. XXX. *Quid per haſce Amalecitarum ruinas ſignificetur?*

DOEMONVM mihi vis & furor à CHRISTO Domino fractus, à Chriſtianiſque omnibus ſemper frangendus videtur ſignificari. Cum enim, vt quæſt. 1. dictum, *Amalek* ſit *populus* aut *lingens* aut *percutiens*, intelligimus à CHRISTO Domino non vnum aliquem Dœmonem, ſed populum totum victum fuiſſe: itemque nobis non contra vnum tantummodo, ſed contra quamplurimos, adeoque contra totam inferorum gentem bellum ſuſcipiendum. Illi verò aut *lingendo*, aut *percutiendo* perniciem nobis aſſiduè machinantur. *Lingunt*, cum voluptatis, vaneque mundi huius proſperitatis leui animos noſtros titillatione permulcent. *Percutiunt*, cum paupertatis, contemptus, variarumque nos calamitatum flagris conuerberant. Aut verò, vt, propius adhuc ſimilitudinem retineamus, quia ſolet molli quodam linguæ tractu, linctus fieri, *lingunt* illi nos, cum vanis quibuſdam laudibus prędicare, cum inani exteriorem bonorum quorundam noſtrorum cutem gloriola leniter; iucundeque perfricant, cum denique mellitiſſimas aſſentatorum nobis linguas applicant, eaſque huc illuc, per extima neſcio quæ noſtra molliter blandeque diducunt. Hic Amalecitarum bellum eſt, hic inſidiæ, & quidem ita, vt ſtudioſè aduertant illi, qui nam omnium ſint in Eccleſię caſtris, tardiſſimi, qui in via mandatorum Dei feſſi maxime, qui languidiſſimi, & debiliſſimi, & in hos irruunt potiſſimum. Imò, in vno eodemque homine diligenter explorant, quid in eo minus munitum, quid in poſtremis quaſi relictum, quid quaſi feſſum & imbecillum, & in hoc aut lingendo aut feriendo toti ſunt. De hiſce tamen hoſtibus penitus exſcindendis fuit olim certiſſima per prophetas prænunciatio, & ipſius Dei aſſeueratio iuriſiurandi cuiuſlibet ſanctitati ac firmitati par. Fuit & modus ille admirabilis, quem ipſi Domino tribuerunt. Septima vt ἐν κρυφαίᾳ χειρὶ, id eſt *inocculta manu*, Amaleci gētem exterminaret. Quid enim latentius & abditius, quā eum qui merus & nauci homuncio in ſpeciem apparebat, Deum ſimul eſſe, cœlos, terras, maria, totam denique mundi machinam ſolo ſuo nutu, regere ac moderari? Tum vero Amalecum trifariam deuicit ipſe. *Primo* quidem præpotentiſſima ſuæ ipſius mortis vi & efficacitate, dū expolians principatus & poteſtates, traduxit confidenter palam, triūphans illos in ſemetipſo Coloſſ. 2. 15. *Deinde* admirabile ſanctiſſimæ vitæ ſuæ exemplo, dum blandiſſima cupiditatū omnium lenocinia ita fugit, vt cœlebs & caſtiſſimus sēper manſerit: honores & ambitioſa omnia declinarit, ad regnum quæſitus ſeſe fuga proripuerit: laudes, alioqui ſibi, ſuiſque miraculis debitiſſimas auerſatus ſit: à primo ſtatim ortu duriſſima quæque & pauperrima expertus, è tenuibus natus parentibus: In ſeruili cenſu & peregrinatione, in ſtabulo, & panniculis viliſſimis. Quid cætera vitæ, mortiſque totius perſequar? *Tertio*, doctrina & cohortatione ſecundis, aduerſiſque rebus congruentiſſima, contra humanarum laudum, voluptatumque omnium linctus & blan-

implendam. Et cum elegiſſet ex vniuerſo Iſraele, & ex vniuerſa gente viros potentes, ſacros, inquam Apoſtolos, & eorum ſucceſſores, ad confligendum acie cum Diabolo Rege vitii & peccati, eum expugnabit. Poſtridie autem iuſſit ſerui aciem ſignificans quod poſtea ſecutum eſt tempus ſuſceptæ humanitatis, quod eſt poſt adimpletionem temporis legalis. Aſcendit autem Moſes ſuper verticem collis, vt poſſit intueri prælium. Nam quæ eſt ex lege myſtagogia, conſcendit ad altitudinem cognitionis congruentem in habentem ſymmetriam, vnde poſſint Iudæi intueri CHRISTI *ſtratagemata: & Moyſe quidem extendente manus inualeſcebat Iſrael, remittente autem, inualeſcebat Amalech. Nam manus quidem in aerem expanſæ, deſcribunt figuram crucis: vincit autem quicumque fert crucem: quomodo rurſus quicunque non fert crucem, ſed* CHRISTI *fidem amiſit, bello premitur. Graues autem manus Moyſis, & quæ vix attolluntur in dictam figuram: quoniam & qui ſint legis, raro ad hoc veniunt, vt ferant crucem* CHRISTI. *Et accipientes, inquit, lapidem ei ſuppoſuerunt. Et Aaron & Or ſuſfulciebant, inquit, ei manus hinc vnus & inde vnus. Lapis enim precioſus & electus eſt* CHRISTVS, *cui innitentes quieſcunt qui credunt ex Iſraele. Idem autem Chriſtus intelligitur & Aaron & Or, & Pontifex & Iudex. Nam Aaron quidem eſt Pontifex. Or vero Iudex, qui Chriſtus per vtrumque intelligitur, ſuſfultit fideles ex Iſraele in fidem & victoriam, quæ eſt per Chriſtum, neque eos ſinit grauari & deprimi.* Dicit Caluinus huiuſmodi allegorias eſſe *plauſibiles*, ipſe tamen aſpernatur. Sed in Bibliacis Prolegominis cap. de ſenſu myſtico ſpreta iam & exſibilata hæc eius vanitas. Alius Orco iam datus Chytræus eas laudat, ſed ita vt non ſit in peccatoris ore ſpecioſa laus. *Suſtentandæ ſunt*, ait, *manus & preces noſtræ lapide ſeu Petra Chriſto, non interceſſione & meritis Sanctorum.* Quamobrem quæſo, *non interceſſione & meritis Sanctorum?* Non ſunt etiam Sancti lapides, quibus inſidere liceat? Non Petra S. Petrus? Nihil eorum merita & interceſſiones, licet longè aliter, & multo minus, quam CHRISTI Domini, nobis prodeſſe poſſunt? Sed hoc ego in meo *de litaniis* libello expoſui. Nunc tantum obſeruemus, quam Sanctis alias omnibus tantopere Hagiomachi iſti inuidere ac eripere ſolent *interceſſoris* appellationem, Caluinum hic Moyſi tribuere, ſimulque rurſus allegoriarum, quas improbabat, aliquid probare. *De ſe*, ait, *præcipuè loquitur Moſes, vt doceat munus hoc ſibi à Deo fuiſſe impoſitum. Non enim vota ſolum ex charitatis officio concepit: ſed quia eum interceſſorem Deus elegerat, qui virgæ extenſione, & tacito precandi ardore hoſtes eminus vinceret. Qua in parte typum* CHRISTI *geſſit, quanquam in aliis partibus non quadraret ſimilitudo.* Hæc ipſe. Sed, præ hoc, Philonem & Sanctum Auguſtinum libentius audio. Ille libro *Quod omnis probus liber. Iudæorum legiſlator, ait, ſapientem graues manus habere, actiones eius hoc ænigmate ſignificans, non ſuperficiem contrectantes, ſed penetrantes in ſolidum, vtpote ſubnixas non flectendo mentis propoſito. Itaque à nemine cogitur, cum ſit contemptor & mortis & cruciatuum, lege naturæ præpoſitus omnibus inſipientibus.*

Auguſtinus verò in 50. Homil. 27. cap. 1. *Fateor, non deſunt hoſtes. Sicut enim non deerant, qui ſequerentur fugientes, ita non deerunt qui impediant ambulantes. Prorſus chariſſimi figuræ noſtræ fuerunt. Interim in te non ſit quod contriſtet Moyſen: noli eſſe aqua amara, quam poſt mare rubrum non potuit ille populus bibere. Erat enim & ibi tentatio: Et tamen iſta quando eueniunt, quando amaricat populus, oſtendimus eis* CHRISTVM, *quæ pro illis tulerit, quomodo pro eis ſanguinem fuderit: & miteſcunt, tanquam nobis lignum in aquam mittentibus. Plane hoſtem aduerſantem itineri tuo Amalech habebis. Tunc orabat Moyſes, tunc extendebat manus. Et vbi deponebat manus, conualeſcebat Amalech, vbi extendebat manus, deficiebat Amalech. Et tuæ manus extentæ ſint, deficiat Amalech tentator, & huius itineris impeditor: eſto vigil & ſobrius in orationibus, in operibus bonis, non tamen præter* CHRISTVM, *quia extenſio illa manuum, Chriſti crux fuit. In illa extenditur Apoſtolus cum dicit: Mundus mihi crucifixus eſt, & ego mundo. Ergo deficiat Amalech, vincatur, & non impediat tranſitum populi Dei. Si dimittis manus à bono opere, à cruce Chriſti; præualebit Amalech. Tamen noli omnimodo aut continuo te fortem futurum putare; aut penitus deſperando deficere. Alternatio enim illa defectus & fortitudinis in manibus ſerui Dei Moyſi, fortè alternatio tua fuit. Aliquando enim in tentationibus deficis, ſed non ſuccumbis. Deponebat ille paulum manus, non omnino tenebat. Si dicebam motus eſt pes meus, ecce miſericordia tua Domine adiuuabit me. Noli ergo timere: adeſt in itinere auxiliator, qui in Ægypto non defuit liberator. Noli timere, aggredere viam, præſume ſecurus. aliquando ille deponebat manus, aliquando erigebat, tamen victus eſt Amalech. Rebellare potuit, ſuperare non potuit.* D. Bernardus ſerm 30. in Cant. *Graues Moyſi manus, teſtibus Aaron & Hur. Graue legis iugum teſtibus Apoſtolis, qui hoc & ſibi, & Patribus importabile clamitant.* Act. 15.

Q.XVII. *Exitus pugnæ quis?*

EVM deſcribit Moyſes bifariam. Primò à victoria verſ. 13. Deinde ab iis, quæ victoriam conſecuta ſunt. verſ. 14. 15. 16. Victoria certè maxima & nobiliſſima, perpaucis hiſce verbis ab eo propoſita. *Fugauitque Ioſue Amalech, & populum eius in ore gladii.* Vbi animaduertandum, primò, quod in Latino, & Græcis eſt *fugauit*, in Hebræo eſſe verbum, *fregit, debilitauit.* Et inde lepidam conflarunt Rabbinorum nonnulli fabellam, voluiſſe Amalecitas, magicarum artium vi, volare, magnoque impetu è ſublimi, harpyarum inſtar, in Iſraelitas irruere. At oſtendiſſe iis tetragrammaton Dei nomen *Ioſue*, ſicque fractos, & debilitatos fuiſſe. Alii, ex Amalecitarum exercitu fortiſſimos quoſque ſublatos fuiſſe. Et hoc quidem verum, ſed non ij ſoli ſublati, ſed maxima eorum omnium multitudo, ita vt eorum vires admodum acciſæ ac debilitatæ fuerint,

reſiduique

reſiduique in fugam verſi. Hinc enim & Exod. 32. verſ. 18. *Col Enoch Chelſchah*, *vox eorum, qui in fugam vertũtur*, ſeu, vt vertit Chaldæa paraphraſis, *vox debilium: qui ſuperantur*. Obſeruat tamen Ioſephus, fuiſſe internecione occidendos omnes, niſi ſuperueniens nox à cæde Iſraelitas cohibuiſſet. 2. Data opera, Hebræo illo *frangendi* verbo vſus eſt Moyſes, vt ſignificaret meritas Amalecitarum iniquitati pœnas redditas. Nam quos Deut. 25. verſ. 18. ab illis cæſos narrat laſſos, ſiue itineris moleſtia debiles Iſraelitas, eodem vocabulo appellat, ſed ita vt inſit literæ vnius tranſpoſitio, qua fortunæ illorum ſignificatur immutatio. Tum triumphabant Amalecitæ, valebant, vigebant. Tranſpoſita iis nunc omnia. 3. Quia tam diſtinctè hic ipſius Amalec mentio fit, & deinde ipſius populi, videatur fortè Amalecitarum Rex interfectus, vel ſi euaſit, egregie vulneratus fuiſſe. Hocque poſterius crediderim probabilius, quod cum *Og* & *Seonis* peremptorum Regum toties meminerit ſcriptura, de hoc ſileat. 4. *Gladii os*, eſt ipſius acies, quod ea ſcilicet parte veluti mordeat, conſumat, ſanguinem hauriat. Vnde Luc. 21. v. 24. cadent in ore gladij; ad Hebræos 4. Apoc. 1. μάχαιρα & ῥομφαία δίστομος gladius acierum duarum, ſiue anceps. Iud. 19. v. 29. Prouer. 30. v. 14. gladij & cultri ab eo quod edant & vorent, vocantur *maacaloth* מאכלת Septuaginta eandem hic rem ab effectu dixerunt ἐν φόνῳ μαχαίρας *in gladii cæde*. Et imitentur illud Galli dum aiunt, *à trenchant de l'eſpee*. Sanctus Moyſes facit, abſque dubio, præcipuum victoriæ huius auctorem Deum. Sed, ex hominibus, videtur *Ioſue*, ſolum celebrare potiſſimum, dum tam rotunde, *non à ſe*, ſed *ab illo* infirmatos fuſoſque dicit Amalecitas. Exiſtimant tamen aliqui coniunctionem illam *que* dum dicitur *fugauitque* accipiendam, vt interdum alibi, pro illatiua, *igitur* quaſi dictum eſſet: *conſtantiſſimus in aſſidua precatione fuit Moyſes, ideoque fugauit* Ioſue *Amalecitarum copias*. Et ſane Iudith 4. v. 13. planiſſime ipſi Moyſi ea laus tribuitur, qui ſuperbiſſimos hoſtes iſtos non ferro pugnando, ſed precibus ſanctis orando deiecerit. Quia tamen rei eiuſdem non vna tantum ſæpe cauſa eſt, Moyſen exiſtimo ſeſe quidem, *ad Dei gloriam*, indicaſſe, victoriam hanc orando peperiſſe, ipſum autem *Ioſue* confligendo, vt intelligeremus optima & certiſſima eſſe duo hæc bellorum ſcilicet gerendorum inſtrumenta, preces ad Deum, & humanam induſtriam, prout pluribus notaui alias in illud caput 4. Iudith. Nam ſine hominum conatu viriumque à naturæ auctore Deo ſuppeditarum exertu, ſegnis & ignaua eſt oratio, Deum, pæne ipſum tentans: & ſine precibus, illiuſque auxilio humanæ vires omnes, ſtudia, & conatus manci ſunt, inanes & ſtolidi. *Niſi dominus cuſtodierit ciuitatem fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam.* Pſalm. 126. Si tamen recte volumus pendere omnia, pluſque multo in diuina ope præſidij ponendum ſemper, idque hic ſignificauit Moyſes, dum ambarum ad ſydera palmarum extenſione hoſtilem ſuccubuiſſe aciem prius narrauit. & clarius, vt ſupra tetigi Eliachim Sacerdos. Iudith. cap. 4. Vere Salomon Prou. cap. 21. *Equus paratur ad diem belli: Dominus autem ſalutem Ioſue.*

tribuit. Videatur Collat. 5. cap. 15. Caſſianus.

QVÆST. XVIII. *Qua victoriam conſecutae*

A Dvo in eodem iſto, quod præ manibus, capite narrãtur: de Deo vnum, de Moyſe alterum. Sed ſunt hic prius, quæ de præda, ingentibuſque ſpoliis tradit Ioſephus lib. 3. cap. 2. in hoc veluti theatrum accerſenda. *Victoriam*, ait, *pulcherrimam & opportuniſſimã vincunt noſtri maiores. Eos etenim, qui cum exercitu irruerant, ſuperarunt, & circumiacentes populos exterruerunt, magnis ſplendidiſque bonis ditati, quæ poſt eaquam tantopere laboraſſent adepti ſunt. Nam cum & hoſtium caſtra cepiſſent, opes magnas publicè priuatimque habuerunt, cum ne alimenta quidem neceſſaria prius haberent. Fuit vero ipſis*
B *non in præſens tantum, ſed in futurum etiam ſæculum bonorum cauſa, hæc quæ rectè & ex animo ſucceſſerat, narrata iam pugna. Non enim ſola hoſtiũ corpora in ſeruitutem redegerunt, ſed ipſas etiam eorum mentes, cunctiſque circumhabitantibus, poſt hanc illorum depreſſionem, formidabiles fuere. Sibi vero diuitiarum magnarum vim adiunxere. Multum enim argentum, aurumque in caſtris relictum erat & vaſa ærea, quibus ad quotidianum vitæ vſum vtebantur. Multa vero & inſignis fuit vtrarumque rerum copia, earum ſcilicet*
C *quæ textiles forent, & armorum ornamenta, fueruntque alia etiam, quæ ad miniſtrorum ſpectant impedimenta, & ſuppellex ipſorum prædaque omnis generis pecorum, & eorum omnium, quæ caſtra in expeditionem aliquã profecta ſequi aſſolent. Copleti etiam ſunt animo Hebræi ad viriliter deinceps agendum, & in magno ipſis erat, virtutis cura, & ad laborandum exſilierunt.* (Nam pro ἧσσω lego ἅλων ab ἅλω quod & per tenuem ſpiritum notat in ἅλτο Chryſoloras) *per hoc exiſtimantes omnia capi poſſe. Et hic quidem pugnæ huius finis fuit.* Sed nondum facit
D idem Ioſephus finem. Addit adhuc alia, eaque præclara. *Poſtero*, inquit, *die mortuis hoſtibus detrahebat Moyſes ſpolia, & eorum, qui fugiſſent, armaturas colligebat: eos, qui fortiter ſeſe geſſiſſent, honoribus afficiebat, ipſumque belli ducem Ieſum encomiis ornabat, cum ob ea quæ geſſiſſet, præclarum à toto exercitu teſtimonium haberet. Hebræorũ vero ne vnus quidem fuit mortuus: ex hoſtibus vero tam multi, vt eorum cognoſci numerus non poſſit.* Libuit vero è Græco iſta, vt potui, vertere, quod mihi ad manum nouus interpres non ſit, & veteri dixerit olim S.
E Hieronymus in Apologia contra ipſum. *Omne iter dictionis tuæ, abſque Palladis arte, ſalebris & voraginibus vitiorum inciditur.* Addit vero idem Ioſephus, exceptum conuiuio à Moyſe Ieſum, peractam θυσίαν ἐπινίκιον ἱερῶν, excitatam Deo ad perpetuam gratulationem altare, de quo poſtea. Et poſt victorias, hæc & ſimilia facienda monet lib. de re militari Onoſander.

Q. XIX. *Quæ poſt victoriam dixit Dominus? Et eorum primo.*

QVÆ poſt victoriam dixit Moyſi Dominus, tria ſunt: primum verſ. 14. *Scribe hoc, ob monumentum, in libro*. Ecce quàm Deo gratum, eius à
F nobis beneficia & opera commemorari, non verbis apud præſentes tantùm, ſed ſcriptis apud poſteros etiam, quam neceſſarium eorum perpetuo memoriam cuſtodiri. Hinc & de eadem hiſtoria dicitur Deut. 25. & Iudith. 4. *Memento*. Vera nimirum, quæ in Tobiæ 12. & l. 3. SS. Trinitatis doxologiæ, de diuinarum, vtiliumque rerum narrationibus & ſcriptionibus mihi notata. *Scribatur hoc*, ait Dauid Pſal. 101. 19. *in generatione altera: & populus, qui creabitur, laudabit Dominum.*

Digitized by Google

Sed eſſe hic poſſunt *tres* quæſtiones. *Prima.* Scriptione alia, iniuſſu Dei, Moyſes, aut ſi iuſſu cur iſtud iam iubeatur? Non omnia expreſſo Dei iuſſu ſcripſit Moyſes, ſed quædem: cætera omnia ſolo eiuſdem inſtinctu & directu. Fiebat autem interdum, vt ſi propriam animi ſententiam ſequi voluiſſet Moyſes, quædam omiſiſſet, maximè quæ cum aliqua ipſius laude coniuncta videbantur, vt quod hoc in loco eſt de victoria eius precibus conciliata. Sed ad ſcribendum impulit eum non interior tantùm Dei afflatus, ſed præceptum etiam & imperium: itemque ſumma, quæ hinc emanatura erat, vtilitas. Rupert. l. 3. de victoria c. 23. colligit hinc iuſſum etiam ſcribere, *In principio creauit Deus cælum & terram. Altera* quæſtio eſt; quis liber in quem referri hæc iuſſerit Dominus? Putant Abenezra & Abulenſis, eſſe librum illum, qui *Iuſtorum* vocatur Ioſuæ 10. 2. Reg. 1. Alij generatim librum aliquem prout in 70. ſignificatur, εἰς βιβλίον. Quia tamen in Hebræo non *béſepher*, ſed cum articulo *baſſépher* legimus, certum; definitumque librum commodiùs accipiemus, eumque vel *Iuſtorum* illum, vel hunc ipſum *Exodi*, qui fortè ſub Moyſis manibus tunc erat. *Tertia*, Vbi & quando Moyſi dixerit hæc Dominus? Vel in ipſo monte, veſperi antequam deſcenderet Moyſes, cum plena iam conclamaretur victoria, vel certè poſtridie, in caſtris cùm eſſet, preceſque quotidianas funderet. *Quartam* excitant quæſtionem Iſraelitæ apud R. Eliezerem cap. 44. cum de die Sabbathi dictum ſit, *Memento*, quomodo idem de Amalecitis iam dicitur? Reſpondet vero Moyſes: illud *Memento* eſſe ad ſeruandum & ſanctificandum: hoc vero ad perdendum ac delendum, *quemadmodum*, ait, *vini conditi ſeu promulſidis poculum, & aceti poculum, ambo quidem pocula ſunt*: ſed diuerſus eorum ſapor & effectus.

Q. XX. *Quod eorũ, quæ poſt victoriam dixit Dominus, alterũ?*

Et *trade*, inquit, *auribus Ioſuæ*. In Hebræo & Græco accipi quæant verba hæc ſequentibus connexa, vt Ioſue ſcilicet iubeatur hoc Moyſes dicere, fore, vt Amaleci memoriam deleat Dominus. Nam ſi ad priora referas, ſenſus erit, bellum, & victoriam hanc, Ioſuæ narrandã eſſe. At fruſtra hoc. Quæ enim, vidit quis, quibus adfuit, imo & præfuit, ea ipſum cur doceamus? Somnium videlicet alicui ſuũ narrare iſtud eſt. Futura verò illa illum ſcire ipſius valde intererat, vt deinceps ſperaret contra hos, alioſque hoſtes omnes diuinam imprecationem fore: animum tanto duce, qui in promiſſam terram Dei populum inducturus erat, dignum gereret: nulliſque aduerſis caſibus, & hoſtilibus copiis perterreretur. Quin & futurarum rerum typus in eſt, dum qui Iſraelitarũ ſaluator eſt, idem eo ipſo aduerſariarum gentium euerſor oſtenditur. Nam & qui nos ſaluat Christvs Iesvs, idem incredulos, impioſque omnes exſcindit & in abyſſum agit præcipites. Latinus tamen ad ſuperiora retulit. Nam Hebræorum כי & Græcorum ὅτι vertit non per cõtinuatiuũ quod, *ſed* per cauſatiuam *enim*. Et quidem rectè. Hæc enim vſitatior particularum iſtarum vis: & Ioſuæ non ſimpliciter bellum & victoria narranda; (Id enim, vt obiiciebatur, minimè neceſſarium, & penè ridiculum) ſed belli & victoriæ modus, quemadmodum ſcilicet diuinitus conceſſa hæc

A eſſent, & impetrata precibus. Tumque nihilominus vim habent illæ rationes, quæ Ioſuæ futurorum iſtorũ certiorem fieri expediiſſe monſtrabant. Sed quam tamen iſtud *enim* cauſam ſignificat? Quid eſt, *Hæc ſcribe*, ô Moyſes, *hæc Ioſuæ dic. Nam delebo Amalech*? Videtur plus quidẽ quàm primo aſpectu videamus, ſignificari: videlicet precibus illis impetratum, non tantùmodo, vt iam vincatur Amalec, ſed vt deinceps etiam ſtirpitus euellatur. Et quanti refert hæc *Ioſue*, hæc vniuerſam poſteritatem ſermonibus, librorumque monumentis cognoſcere?

Q. XXI. *Quod eorũ, quæ Domini dictorum tertium?*

B Iamiam tetigi. *Delebo enim memoriam Amalec ſub cælo.* In Hebręo & Græco vehementiùs, *Delendo delebo.* quemadmodum Gen. 2. *moriendo morieris*, ſiue vt noſter, *morte morieris.* Referũt in Thalmud Rabini, tractũ *Baba bathra* & liber præceptorum, præcepto affirmatiuo 189. iteq; Rambã lib. vlt. Helacah vltima c. 1. & 5. Ioabo preceptorẽ fuiſſe, qui hic & Deut. 25. v. 19. non *memoriã*, ſed *maſculum* legi volebat. Nam ſanè ſi quæ poſt acceſſerunt, puncta demantur, eædem literæ זכר tam C hunc quam illam poſſunt ſignificare. Cum *zecher* ſit memoria, *zachar* maſculus. Ideoque & de ſimili quadam lectionis & intellectionis varietate in Miſna diſputat R. Elias orati. 3. fund. 4. n. 3. At Septuaginta, Noſter, omneſque omnino alij Rabini *memoriam* legunt: adeo, vt ſuum illum magiſtrum, quaſi ſcripturam peruerteret, ab ipſo Ioab interfectum dicant: quemadmodum ſcilicet ab Alcibiade irriſum vel percuſſum, qui Homerum corrigebat, vti refert Plutarchus. Legi poteſt l. 3. Cabalæ Capnio f. 527.
D D. Hieronymus Iſaiæ 26. verſ. 24. *Terrere*, ait, *nos debet, quare ſeptuaginta maſculum & cæteri interpretes memoriã tranſtulerunt, cum iiſdem tribus literis vtrumque ſcribatur apud Hebræos.* Videtur tamẽ explicatu difficile, fieri qui potuerit, vt Amalecitæ memoria deleretur. Cum enim hiſtoria memoriæ vita ſit, & paulo ante à Deo iuſſum ſit bellum hoc, vt eius poſtera ſæcula omnia meminiſſent, hiſtoriarum monumentis conſignari, quomodo Amalecitarum eſſe obliuio potuit? Reſpondetur infra quæſt. 27.

Q. XXII. *Quæ poſt victoriam fecit Moyſes? & de eorum primo.*

E Iam ſupra ex Ioſepho indicata quædam: Textus vero *tria* recenſet. Primum. *Ædificauitque Moyſes altare.* Videlicet vt ſuum, Iſraelitarumque omnium, à quo triumphus tantus erga ipſum numen, animum gratiſſimum oſtenderet, feſtâ ei victimâ publicè gratias ageret: eoque ipſo admoneret omnes, tam præſentes Iſraelitas, quam etiam nos, poſt bellorum felicitatẽ quid agendum. In earum prima, quas illuſtri in Africa Duci preſcribit militiæ regulas, Ferrandus Carthaginenſis. *Nihil*, ait, *viribus tuis ſuperbus* F *aſſignes, ſed omnia, quæ ſapienter, aut fortiter, aut feliciter geris, ad laudem feras potentiſſimi creatoris.* Quia vero nouiſſimi huius temporis Nouatores ex tam crebra, quæ apud Patres eſt, Chriſtianorum altarium mentione, Chriſtianum ſacrificium tergiuerſantur agnoſcere, agnoſcãt ſuum hic Caluinum ita loquentem. *Ædificauit Moyſes altare; nempe vt ſolemni ſacrificio teſtatam faceret ſuam gratitudinem, non ipſe modo, ſed totus populus. Quod ipſum, altaris nomen demonſtrat.* Vide lib. 1. de Miſſa cap. 16. Bellarminũ. Sed & illud obſeruandum, non fuiſſe, vt hoc faceret, Moyſi præceptũ: & tamen

Digitized by Google

& tamen fecit rectiſſimè, vt quæ *ſupererogationis opera* vocantur, bona mimirũ & iniuſſa, diſcant iidem non aſpernari Nouatores. Præſcribebat quidem, vel ſola naturæ lex, vt grates Deo referret, ſed vt hoc modo, vt altari, vt ſacrificio, non definiebat neque illa, neque diuina quæpiam eo ipſo lata tempore. Quærat vero fortè aliquis, cur cum antea Ioſuæ nonnulla præſcripſiſſet Moyſes, ſcriptum ſit, verſ. 10. *fecit Ioſue, vt locutus erat Moyſes*: cum autem ipſi Moyſi, ea, quæ quæſt. 19. & 20. dicta ſunt, imperarit Deus, non ſimiliter dicatur, *fecit Moyſes, vt locutus erat Dominus*? opinor, quia feciſſe clarum ſatis erat. Qui enim etiam quæ imperata non erant, tam ſtudiosè fecit, eum quæ à Deo imperata erant, promptiſſimè accuratiſſiméque confeſtim egiſſe, quis ambigat?

Qvæst. XXIII. *Eorum, quæ poſt victoriam fecit Moyſes? quodnam alterum.*

Et *vocauit nomen eius* (altaris) *Dominus exaltatio mea*. In 70. nomen hoc dicitur κύριος καταφυγή μου. *Dominus refugium meum*. Hebręum nomen vtrumque poteſt ſignificare. Nam ſi à naſas ſiue nas נס id eſt, *exaltare* ducatur, valebit exaltationem aut vexillum. Sin vero à *nus* ſiue nas נס fugere erit refugium. Neque tamen in re ipſa quidquam intereſt. Eſt enim Deus exaltatio & refugium hominum, & ideo refugium, quia ad ſe fugientes erigere ac exaltare poteſt & vult. Ideo exaltatio, vt ad eum in omni depreſſione, & calamitatum mole confugiamus, quia nos ipſe allevaturus, & in altiſſimum ſecuriſſimæ felicitatis locum, euecturus. Apud Vatablum, & in noua, quam explicandam ſibi propoſuit Caluinus, verſione, ita eſt. *Vocauitque nomen eius, Iehoua miraculum meum*. At magis ipſemet verſionem noſtram, & in margine, vbi poſuit, *exaltatio mea*, & in commentario, approbat. *Cur*, ait, *vertant quidam miraculum non video, quia nes haud dubiè ſemper pro vexillo capitur. Quanquam non inficior pro exaltatione methaphoricè hic poni, ac ſi dixiſſet Moyſes, Deum, qui Iſraelitas ſuſtinuit, dignum eſſe, qui ſolus emineat inter ipſos*. Illud tamen, haud dubie certum non eſt, cùm radix, vt dixi, Hebræa *naſas* generatim ſignificare queat *exaltare*. Quia tamen in ſublime tolluntur vexilla, qui exaltationem dicit, intelligere etiam poteſt vexillum. Sicque vere Deus nobis in aſſiduo noſtro cõtra inferorum Amalecitas bello *vexillum*, quod ſequamur, in quod intueamur, à quo toti pendeamus, eſſe debet. Idque tanto magis, quanto firmius, & aduerſus omnem hoſtium vim tutius eſt, quod nunquam deiici, nunquam diſcerpi, aut capi poteſt. Ioſephus omnia hæc alio vno complectitur nomine, dicens: θύσας δὲ χαριστήρια Μωσῆς βωμὸν ἱδρύεται νικαῖον ὀνομάσας τὸν θεόν. Vocat enim νικαῖον τὸν θεὸν, id eſt, *victorem*, ſiue *victorioſum Deum*, aut ſimpliciter *Deum*, ſi *victorioſum* ad altare libeat fortaſſis referre, vt ſit βωμὸς νικαῖος quod aram victoriæ iudicem ac monimentum ſtatuerit, quam vocarit *Deum*. Poſſunt vero & hinc ſi qui Nouatorum veritatẽ & modeſtiam colunt, diſcere aliquid, ſolent ij ferre grauiter, multiſque interdum apud rudes populos exagitare conuiciis, quod nonnulla, quæ Deo tribui ſolent, à nobis etiam B. Virgini, aliiſque quandoque Sanctis tribuamus. *Spes noſtra, vita, dulcedo, mediator*. Et vero dictum illis iam millies, alio inferiore tropo ac modo id fieri. Perſiſtunt tamen, & quod, creatoris eſt, indigniſſimum clamitant, creaturis attribui. Iam dixi non eandem eſſe rem, ſed idem tantũ nomen, & quidem longè aliter. Sed caput adhuc motitãt, nec dum acquieſcunt. Verum ecce, hoc ipſo loco, *altare*, id eſt, res inanima, ceſpes aut lapis quiſpiã, vocatur à Moyſe *Dominus exaltatio mea*, & quidẽ Hebraice, cũ magno illo nomine, *Iehoua*. Diſſimulauit hoc Caluinus & vafre quaſi Deum ſolummodo vocaſſet Moyſes, ita locum iſtũ hic expoſuit & lib. 1. Inſtit. c. 13. ſſ. 9. Sed aperte pugnat contra textus omnes. Et de Latino quidem patet. In Hebræo diſertè dicitur. Moyſes ædificare altare, & *nomen ipſius* (Hoc enim pronomen *ipſius*, ſiue vt Hebræi vocant, *affixum*, tenebras omnes diſiicit) *Dominus exaltatio mea*. Græcus ait, ᾠκοδόμησε Μωσῆς θυσιαστήριον κυρίῳ, καὶ ἐπωνόμασε τὸ ὄνομα αὐτοῦ, κύριος καταφυγή μου. *Ædificauit Moyſes altare Domino, & cognominauit nomen eius, Dominus refugium meum*. Atque hæc eadem omnia Iunij verſionem iſtam explodunt: *Extruxit Moſche altare, cuius vocarit nomen, Iehouæ vexilli mei*. Eadẽ Caietanum etiã refellunt, qui non vt apertè in textibus eſt, *Dominus exaltatio*, vel *refugium meum* vult: ſed *Domini exaltationis vel refugij mei*, aut vt in Vatablo alius, *altare Domini vexilli mei*. At quid ita vocare neceſſũ fuiſſet? Quia enim Domino illud ædificarat, Domini eſſe conſtabat, fuiſſetque hæc ei cum rebus omnibus, quæ Deo vſpiã conſecratæ, vel cõſecrandę vnquam erant, appellatio communis. Omnes enim illæ Domini ſunt. Quin & terra hæc habere nomen dici poſſet, quia ſcriptum, *Domini eſt terra & plenitudo eius*. Pſal. 23. Sic porro iſtud altare vocatum eſt, quia ſignum erat, & monumẽtum exaltationis, quàm fecerat Deus, vt rectè ait hic & in Ier. 23, Lyranus; dũ *ab effectu* ita nominatum dixit. Et Oleaſter; *Vt iugis*, ait, *eſſet accepti beneficii memoria, locum à beneficio nominauit*. Refellunt eadẽ ea Galatinũ dum lib. 3. cõtra Iudæos c. 9. probat, non vocari altare Deum. Verũ duorum tantũmodo Rabbinicorum teſtiũ expoſitione rem iſtã probat. Vnus eſt *Onkelos* ſuper Geneſeos 22. c. dicẽs; *Et coluit atque adorauit Abrahã in loco illo, & ait corã Deo. Hic erũt colẽtes te, vel ſeruiẽtes tibi generationes*. Et hoc ipſo loco Ex. 17. *Ædificauit*, inquit, *Moyſes, & coluit, vel ſeruiuit*, i. e. *ſacrificauit ſuper illud corã Deo, qui fecit ei ſigna*. Alter eſt liber *Mechilta*, qui eadẽ hæc verba ſic interpretatur. *Et ædificauit Moyſes altare, & vocauit nomẽ eius, Deus, ſignũ meum*. Dixit *Rabbi Elai Hãmakom: id eſt, Deus vocauit illud altare ſcilicet* ניסי N i s i, *id eſt ſignum meũ*. Atque hi quidẽ cõtra Iudæos aliquid valeãt, contra nos parũ. Nam textũ aliter, vt apparet, interſtinguũt, quã textus habeat, & ipſis Septuaginta qui ipſis antiquiores, aduerſantur: videnturq; ita tantum expoſuiſſe, ne Iudæi craſſiores & ad idololatriam propenſiores aliquã inde erroris anſulã captarẽt. Alioquin aliis quibuſdã locis nomina non diſſimilia ſunt. Gen. 22. *Dominus videt*. Iud. 6. 24. *Ædificauit Gedeon altare domino, vocauitque illud Domini pax*. Sed vt dixi, modo inferore diuina hęc nomina rebus imponũtur aliis, prout rectè docet l. 1. de Christo, c. 7. Bellarm. & in Hierem. c. 23. Lyranus. Philo autẽ l. 1. de vita Moyſis p. 433. Μωσῆς ἱδρύεται βωμὸν, ὃν ἀπὸ τῶν συμβεβηκότων, ὠνόμασε, θεοῦ καταφυγήν: ἐφ' οὗ τὰ ἐπινίκια θύει, χαριστηρίους εὐχὰς ἀποδιδούς.

Est hoc dixiſſe ipſum. *Quia manus ſolii Domini*, Qvæst. XXIV.

Digitized by Google

Eorumdem Moyſis factorũ quodnam tertiũ?

& bellum Domini erit contra Amalec à generatiione in generationẽ. Eadem tamen verba ex Hebræo conuertunt aliter alij. Nam Septuaginta ὅτι ἐν χειρὶ κρυφαίᾳ πολεμεῖ κύριος ἐπὶ Ἀμαλὴκ ἀπὸ γενεῶν εἰς γενεάς, id eſt, *quia in manu occulta bellum gerit Dominus contra Amalec à generationibus in generationes.* Recentiorum plerique ſic. *Quia manus ſuper ſolium Domini: bellũ Domino in Amalec à generatione in generationes.* Apud Caluinum: *Certè manus ſuper ſolium Iehouæ: Prælium Iehouæ cum Amalec à generatione in generationes.* Vatablus. *Sublata manu ſuper ſoliũ Dei iuro, quòd præliũ Domini futurum ſit contra Amalec per omnia ſæcula.* Iunius ac Tremellius: *Quia manus Amaleki fuit contra ſolium Iah, bellum Iehouæ in Amalekim erit, de ætate in ætatem.*

Ioſephus Scaliger noua prorſus, & tam apud Hebræos, quàm Græcos, & Latinos inaudita verſione; & tamen *ad verbum*, vt ait ipſe, ita lib. 3. de emendatione temporum fol. 209. Græce interpretatur στήλη ὑπὲρ τῆς ἱερομηνίας (ſiue τριακάδος mauis, ſiue ἕνης τῆς) πόλεμος ἄσπονδος κατὰ τοῦ Ἀμαλήκ, *id Cippus triũphalis propter diẽ menſis vltimum: Bellum irreconciliabile contra Amalecum*, ſiue vt ipſemet poſtrema hæc ſua Græca vertit, maioribuſque literis aſcribit. *Æternum bellum fore inter populum Dei & Amalec.*

VERSIONES vidimus diuerſas: quid per eas videatur ſignificatum, iam explicandum.

Q. XXV.

Quæ facti huius tertij ſecundum Græcos, Hebræos & Latinos ſententia?

Græci propheticum hic oraculum fundi aiunt, quo traditur ex hoc tempore, Deum Amalecitis bellum indicere, idque gerere incipere, & geſturum porro ſemper in futuras generationes. Eodẽ modo & Ioſephus προεφήτευσε Μωυσῆς, πανωλεθρίᾳ τοὺς Ἀμαληκίτας ἀπολουμένους, διὰ τὸ μηδένα αὐτῶν ὑπολειφθησόμενον. *Prophetabat Moyſes internecione perituros Amalecitas & eorum nullũ reliquũ futurum.* Et prophetiam quidem agnoſcunt etiam Rabini, Salomõ, Abenezra, cæteri. Sed quid illud ἐν χειρὶ κρυφαίᾳ? Legit in quibuſdam exemplaribus Eugubinus ἐν χειρὶ κορυφαίᾳ & interpretatur *in manu excelſa.* vt quemadmodum alibi dicitur, *in brachio extento*, ſic & hoc loco, ſumma quadam vi Amalecitas deleturus tradatur. Sed quia Regia Biblia & correcti Septuaginta κρυφαίᾳ χειρὶ exprimunt, ſciendum primo, videri eos in Hebræo legiſſe, *iad ceſoniah*, quod eſt *abſcondita & occultata manus*: Itemque propoſitionem *bal* vel hiſce verbis præfixam vidiſſe, vel eo modo interpoſitam accepiſſe, quo apud nos in his, aliiſque ſimilibus orationibus interponitur, *Omnibus in rebus, noſtras ad aures.*

Deinde *occulta manus* dicitur, quia Dei vis & poteſtas, qua gentem illam exciſurus erat, ſub humanum ſenſum non cadit, neque niſi in effectu perſpicitur. Tempus etiam, quo ſeſe manus iſta contra illos exertura erat, non aperte prænunciabatur: ſed cum minime cogitaretur, illos tandem tetigit & obtriuit.

Hebræi vero & qui eorum amplectuntur ſententiam, volunt hic ritum eſſe cuiuſdam iuriſiurandi, quia id per manuum & digitorum elationem fieri conſueuit. Sed hoc alij à Moyſe conceptum volunt, vt in ſua illa ſuprà poſita verſione aiebant ipſi, vel paraphraſi potius indicatum, vt ait Vatablus: quaſi ad Dei thronum manum Moyſes ſuſtulerit, vel ſuper illum poſuerit, ſicque iurarit, vere futurum, vt contra Amalecitas belligeraretur dominus. Alij vero idem iuſiurãdum ipſimet Deo tribuunt, quaſi & ipſe throno ſuo manum ſuperpoſuerit, vel ad thronum admouerit: vt duplex in hiſce verbis Dei factum ſit. Vnum iurationis ſuper ſolium; alterum denunciationis belli Amaleciticì, de quo iurat. Hæcque textui magis conſentanea, quàm illa, quæ Moyſem iurantem facit. Et ſic paraphraſtes Chaldæus. *Cum iuramento*, inquit, *dictum eſt à facie terribilis, cuius maieſtas eſt ſuper ſolium gloriæ, vt committatur prælium à facie domini contra vires domus Amalec, vt conſumat eos à generationibus ſæculi.* Et apud Eliezerem cap. 44 ait R. Sila. *Voluit Deus ſanctus, benedictus delere ac diſperdere totum ſemen Amalek, quid igitur fecit? Extendit manum ſuam dexteram, & apprehendit thronum gloriæ ſuæ, ac iurauit, ſe deleturum ac diſperditurum omne ſemen Amalec ex hoc, & venturo ſæculo.*

Latinus noſter textus Græcorum ſententiam quomodo poſſit admittere, haud ſatis video: de qua ſignificabitur poſtea iterum aliquid quæſtione ſequente, & 27. Sed Hebræorum iſta poſterior, ei optime poteſt congruere. Nam *manus ſolij Domini*, eſt Dei manus in ſolio ad iurandum collocata, ſiue per ſolium iurans. Sed quid iurans? Hoc ipſum. *Et bellum Domini erat cum Amalec.* Sunt aliæ tamen Latini eiuſdem textus expoſitiones duæ non incommodæ. *Vna* gloſſæ, interlinearis & Lyrani: *Manus ſolij domini*, id eſt, *virtus & potentia in throno Dei eſt, & per hanc geret ipſe dominus bellum contra Amalec.* Vt ſic nimirum cauſa & modus explicetur eius, quod verſ. 14. dictum erat, delendum Amalecitarum memoriam. *Altera.* Deus omnipotens in ſolio ſuo reſidet, neque ocioſus eſt, ſed bellum cõtra Amalecitas faciet perpetuum. Siue *manus Dei*, id eſt, *omnipotentia eſt in ſolio ſuo non vtique ocioſa*, & ab omni populi ſui hoſtium vltione ceſſans. *Quin vero deinc[eps] grauiſſimum in Amalecitas bellum concitabit*: eoque ipſo illos *à generatione in generationem* diſperdet, id eſt, *in perpetuum.* Quia vero per quem iuret, maiorem Deus non habet Hebr. 6. verſ. 13. ſolet aut per ſeipſum vt ibidem ex Geneſ. 22. dicitur, iurare, aut per ſuas ipſius res & attributa, quæ cum ipſo idem ſunt, vt Amos 9. *per celſitudinem ſuam*, Ezech. 18. *per vitam ſuam*, Ierem. 51. verſ. 14. & Amos 6. *per animam ſuã*, hic *per thronum ſuũ.* In iſtiuſmodi ſacramentis tolli manum moris eſſe, videmus hac in Germania quotidie, dum duo etiã digiti tolluntur, ſicut & in Anglia, vnus apud Oleaſtrũ Geneſ. 14. Ideoque & Abraham iurans Geneſ. 14. *Leuaui*, ait, *manum meam ad Deũ.* Et ipſemet Dominus, Deuter. 32. *Leuabo manum meam ad cælum, & dicam: Viuo ego in æternum.* Et iurare quidem ipſum nullo modo foret neceſſe, id tamen imbecilitati noſtræ diffidentiæ & conſolationi dat, vt eius dictis quàm firmiſſimam fidem adhibeamus, prout eodem capite. Heb. 6. docet Apoſtolus. Tremelliana vero ac Iuniana expoſitio per Amaleki additionem facilis & clara eſt: futuráque facilior & clarior, ſi pro Hebraicis Dei nominibus diceretur: *Quia manus Amaleci fuit contra ſolium Dei, bellum Domini in Amalecum erit de ætate in ætatem.* Et hunc ſenſum rectè ſuſcipere poteſt noſtra verſio. quia *manus ſolij* dici poteſt *manus contra ſolium*, vt *bellum Eccleſiæ*, id eſt, contra Eccleſiam

Digitized by Google

Eccleſiam. *bellum Turcicum*, id eſt, contra Turcos.

Q. XXVI · *Scaligeri verſio & explicatio an recta*

Distorta omnino videtur. 1. quia neque vertit, neque, ſi verteret, accommodare textui poteſt particulam כי ſiue *quia*. Quæ enim rerum connexio hæc. *Vocauit nomen eius.* (altaris) *Exaltatio mea, dicens. Quia Cippus triumphalis propter menſis triceſimam?* 2. Vel ipſum altare eſt ille Cippus, vel nõ. Si idem, male vult, adeoque probat ex 1. Reg. 15. verſu. 12. fuiſſe *trophæum*, vel *arcum* triumphalem. Si non, fingi cauſa nulla poteſt, cur altare vocetur *exaltatio* à Moyſe dicente B *Quia Cippus*. 3. Malè diceretur *Cippus propter diem triceſimum*, ſed potius *propter victoriam*, vel *propter Dei beneficium*, & *exaltationem*, quæ die illo contigiſſet. 4. Cum haberent menſes etiam alij diem triceſimum, ineptè diceretur generatim *menſis*, & non *huius* vel *illius*, verbi cauſa, *ſecundi*, quo iſta contigerunt. Quod ſi per excellentiam dicitur menſis, quaſi is notus, vti per *oratorem* intelligitur *Cicero*, per *Apoſtolum Paulus*, certè menſis potius primus tot tantiſq; portentis, Deiq; beneficiis nobilitatus intelligeretur, C cum tamen iſta, poſt Ægyptiacum exitum, conſtet facta menſe ſecundo. 5. Falſum etiam eſt, triceſimum huius menſis diem fuiſſe, cum deuicti Amalecitæ. Nam poſt victoriam tradit Ioſephus, vti ſuprà quæſt. 18. vidimus, pluſculos eodem in loco dies manſiſſe Iſraelitas, ſpolia & exuuias legiſſe, conuiuia & epulas agitaſſe. Sed menſis tertij die primo, vt Hebræorum pleriſq; videtur, vel certè die 2. vt in Exodo diſſerebã, in ſolitudinẽ Sinai aduenerũt illi, vti traditur initio c. 19. Exod. Ergò è Scaligeri calculo, vel poſtero, D vel altero ſtatim victoriæ die, itineri ſeſe accinxiſſent, illoq; perueniſſent. Nam diem ſecundi menſis triceſimum ſequitur, alio nullo intericcto, primus ipſius menſis tertij, pronumeniam ſcilicet neomenia. Et vt Ioſephi auctoritatem mittamus, cum eo die, quo cum Amalecitis pugnatum, ſteterit vſque ad Solis occaſum pugna, quemadmodum ſupra dictum, neceſſe foret ex priore ſententia, Moyſen vna illa inter vltimum ſecundi, & primum tertij menſis diẽ nocte, aram illam erexiſſe, ſacrificaſſe, ſtatimque die poſtero E illuceſcente, in viam ſeſe cum Iſraelitis dediſſe. At quomodo, qui die toto cum plurimis & acerrimis hoſtibus, vario euentu, ſudore, fatigationeq; plurima conflixerat *Ioſue*, quomodo ipſius milites, quomodo & ipſe Moyſes, qui de dici totius precatione, manuumq; ſublatione feſſus admodum fuerat, partem quietis vllam vix cepiſſet? quomodo itinerum per ſolitudines iſtas dux illa ſuapte ſeſe vi motitans, nubes feſſos illos fractoſq; vt ſanè dicuntur fuiſſe Deut. 25. 17. ad tantum, tamq; importunum iter ſubitò coegiſſet? F cum hoſtis inſequẽdus iam nullus, occupandum & præuertendũ nihil: nullus etiam à tergo & latere aduerſarius metuendus aut fugiendus. Ipſe verò etiam cippus quãdo è lapidibus ædificatus, ſculptus, & illa, quam fingit Scaliger, epigraphe inſcriptus fuiſſet? Ex poſteriore verò ſententia, non eadem quidem omnino fuerint incommoda, ſed nonnulla tamen & ferè eadem. 6. Vult verò Scaliger epigraphem hanc fuiſſe, Bellvm irreconciliabile contra Amalecvm. Sed vnde colligit hæc verba, in ſtellam ſiue cippum iſtum A inciſa & inſcripta fuiſſe? Nam ſcriptionis vel inciſionis nulla, vel per ſyllabam vnicam, mentio. Sed ſint hæc tamen inſcripta & inciſa, vnde colligit hæc tantum, non etiam priora illa, Cippvs trivmphalis propter tricesimvm? 7. Cur in Græcis ſuis omittit, quod poſt bellum in textu Hebræo, Chaldæo, Græco, & Latino eſt, Domini vocabulum? Cur & iſta, quæ in fine, A generatione in generationem? Cur quod in iiſdem textibus non eſt, addit ἄσπονδον? Venerat in mentem ſuſpicari, quemadmodũ *montes Dei*, *ar*B*bores Dei*, aliaq; in ſuo quodam genere magna & eximia, ſolent in ſcripturis, *Dei res* vocari, vt aliam ob cauſam in meo ad ipſum Mineruali dicebam l. 1. c. 3. ſic quod in textibus eſt, *bellum Dei*, ab eodẽ Scaligero accipi pro bello magno, atroci, & quod fœdere nullo cõponi poſſet. Idq; non ineptè dici videretur. Sed cum Latinam eius epigraphen aſpicio, video *æternũ* ab eo *bellum* vocari, vt ſcilicet, quod *à generatione in generationẽ* poſitum erat, exprimeret: ſicq; iſtud, Dei, ab eo ſemper Græcè omiſſum. Latinè tamen forte id voC luit expreſſum, cum dixit, *inter populũ Dei*. Quod tamen *ad verbum* non eſt, vti dicebat, ſicuti neq; cætera, quæ iam tracta. 8. Textũ Hebræum variè immutat prout quidem in libris hodie omnibus tam apud nos, quam apud Iudæos legitur, & quam olim interpretis noſtri tẽpore, legebatur. Nam primò è duabus vocibus Cesiah, vnam facit Casiiah. Deinde puncta ſeu vocales fingit alias, & ex duabus facit tres, & quod diſſyllabum erat, eſſe iubet triſyllabũ. Nam eſſe deberet כסה vt aiebat, ſuaq; mihi manu ſcribebat, è Nouatoribus non ignotus Scaligero Rabinus. Denique D vocem cudit, quæ alibi nuſquam vllo in libro, ſacro aut prophano, viſa vel audita, vt mirandum ſit ab eo ſcribi, *In cap. 17. Exodi disertè habetur Caſiiah.* כסיה Aliud foret ſi *Caſiah* ſaltẽ diceret כסיה.

Dixi verò de Hebræo, prout & nũc legitur, & à Latinis olim lectus, propter 70. de quibus ſupra q. 25. Ad eos tamen prouocare Scaliger non poteſt. Primò quia illi *ceſuiah* videntur legiſſe, ipſe *caſiiah*. Deinde illa eorum vox vſitatis Hebræorum verborum declinationibus in Paul E Cal congruit: Scaligeriana verò à regulis & Grãmatica tota diſcrepat: Si כסיה ſaltem legiſſet, poſſet excuſari per ſimilia, in benoni Cal exempla, vt Prouerbio: cap. vltimo v. 27. צופיה conſiderans, aſpiciens. Sed tunc ſignificaret *occulentem, regentem*, manum ſcilicet, & pro *vau cholem*, tantummodo eſſet *cholem*. Tertio illi κρυφαίαν verterunt, id eſt, *latentem & occultam*: ipſe τριακάδα vel ἔνην καὶ νέαν: id eſt, *triceſimam menſis*. Idque ſemel ac iterum repetit lib. 3. Iſag. pag. 223. Demum poſſunt illi ex Hebræorum verbi notione F bonam & conſtãtem verſionis ſuæ cauſam reddere, cum כסה ſit *abdere*, *occultare*. At Scaliger ſuæ incertus eſt, dum vel à *numerando*, vel à *regendo & ſilendo* eam accerſit. 9. Neque tamen id adhuc rectè facit. Nam cur à *numerando*? *Quod*, ait, *vltra triceſimum nullus numerus menſium admitteretur*: quaſi diceret, numerum vltra quem aliqua in re numerando progredi non licet, rectè vocari *caſiiah*. Sed quis ita vnquam vocauit? An quia in ſimplicibus numeris vltra decem pergere non poſſumus, denarius ideo *Caſiiah*? An quia tribus Iſrael tantùm duodecim, duodecima

non nati, & filij ipſorum cum ipſis. Iſaiæ 26. verſ. 14. *Contriuiſti eos, & perdidiſti omnem memoriam eorum.* Ierem. 25. verſ. 10. *Interminatur Dominus facturum ſe, vt non ſit vltrà memoria filiorum Ammon in Gentibus.* Zachar. 12. verſ. 2. *Diſperdam nomina Idolorum de terra, & non memorabuntur vltrà.*

Ad illa igitur *tria prima*, quæ dubitationem pariebant, dico, poſt illatam à Saule cladem, renatos quidem ex iis qui vel abſentes tùm erant, vel fuga, & latebris euaſerant, poſteaque reuerterant: Amalecitas, ſed multo minore quam olim famâ, potentiâ, dignitate: Fuitque ipſorum deinceps nomen obſcurius, & cum probro, ac dedecore coniunctius. Ad *quartum*. Patet, ex tertio delendæ memoriæ modo, reſponſum. Nam adeò conciſa & obtrita fuit Amalecitarum memoria, vt nouum aliud eorum reliquiis impoſitum nomen ſit, & quidem ita, vt valde adhuc obſcurum ſit, an ab Amalecitis illis ipſi Macedones. Et fortè ad ipſorum in *Haman* illo Eſtheriano excidium reſpexerunt Septuaginta, cum ἐν κρυφαίᾳ χειρὶ diſperdendos eos dixerunt. Quàm enim abdita, & locorum illorum, temporum, circumſtantiarumque omnium inuolucris occultata Dei hæc in illorum reliquiolas animaduerſio? Ad *quintum*. Dico primò quidem ſatis non conſtare, an Amalecitarum vrbes, & tecta ſtare ſiuerit Saul: (Nihil enim de iis vel ſcriptura, vel Ioſephus) verò tamen eſt ſimilius diruta omnia, vel iniectis certè flammis in cineres redacta. Nam iſto in bello, eorum, quæ fieri iuſſerat Dominus, præteritum à Saule aliud nihil videtur, quam quod conceſſa Regi vita, & pecorum abacti greges. At verò præceperat Dominus vniuerſas Amalecitarum res diris deuoueri, ſacraſque & deteſtabiles haberi. Nam 1. Reg. 15. v. 3. vbi Latinè legimus, *Percute Amalec, & demolire vniuerſa eius*, in Hebræo eſt, *& anathemati ſubiice omnia, quæ ipſius ſunt.* Hæc autem anathematis, quod in Hebræo חרם cherem vocatur natura & vis fuit, vt ferro, flammaque abſumi vellet omnia, prout in Hierichunte videbimus infrà cap. 6. quæſt. 33. ac ſequentibus: & de vrbibus aliis iubetur Deuter. 13. In Græcis ſeptuaginta variæ congeſtæ apparent verſiones. Nam vna retinet ferè ipſum illud Hebræum verbum, & dicit. πατάξεις τὸν Ἀμαλὴκ καὶ ἱερὶμ pro καὶ ἱερὶμ quaſi κατὰ χέρεμ, id eſt, ἀνάθεμα. Alia iſtud idem hiſce verbis extulit. καὶ οὐ περιποιήσῃ ἐξ αὐτοῦ, id eſt, *nihil ex eo reſiduiſ facies.* Siue vt in Latino noſtro eſt. *Nõ concupiſcas ex rebus ipſius aliquid.* Alia καὶ ἐξολοθρεύσεις αὐτὸν, id eſt. *Funditus ipſum perdes.* Alia denique καὶ ἀναθεματιεῖς αὐτὸν, καὶ πάντα τὰ αὐτοῦ. Niſi ergo iſta tanta idem pænè ſignificantium verborum congeries ad rem & internecionem iſtam melius explicandam ſtudio facta ſit, Hebræo congruentiùs textui, & emendatiùs ita legeremus. πατάξεις τὸν Ἀμαλὴκ, καὶ ἀναθεματιεῖς αὐτὸν, καὶ πάντα τὰ αὐτοῦ. Accedit quod Chananæi, qui *Aradio Rege* ducente Iſraelitas aggreſſi ſunt, anathemate obſtricti & deleti ſunt, Num. 21. Quidni ergo & Amalecitæ? Paribus enim ſceleribus pœnæ pares ſunto. Ad *ſextum*. Horum & id genus aliorum ſuperſtes memoria eſt, ſed qualis? Fœda, triſtis, damnata, vt nullam omnino eſſe præſtaret. Quemadmodum enim de quibuſdam dixit Matth. 18. verſ. 6. Saluator, præſtare, ip-

A ſos, alligatâ eorum collis aſinaria mola mergi profundiſſimè, ita & Pilato, Iudæ, aliiſque id genus infeliciſſimis nominibus foret multo ſatius, obliuione obrui ſempiterna, quam in pietatis noſtræ ſymbolis commemorari toties. Et huc tendunt, quæ *Minerualis* libro 2. cap. 1. notata: & quòd de improbis dicit Pſal. 15. Dauid: *Nec memor ero nominum eorum per labia mea*: & de falſis Diis Moyſes Exod. 23. 13. *Neque audietur nomen eorum ex ore veſtro.* Sed rurſum quæſt. 30. quod huc pertineat, aliquid.

QVÆST. XXVIII. *Pœnarum de Amalecitis tantum cur sumptũ*

B POTEST ex dictis, & ex hoc ipſo Exodi cap. 17. non omnino neſciri cauſa, clarè tamen à Domino proponitur, Deuteronom. 25. verſ. 17. *Memento*, ait, *quæ fecerit tibi Amalec in via, quando egrediebaris ex Ægypto: quomodo occurrerit tibi, & extremos agminis tui, qui laſſi reſidebant, ceciderit, quando tu eras fame & labore confectus, & nõ timuerit Dominum. Cum ergo Dominus Deus tuus dederit tibi requiem, & ſubiecerit cunctas per circuitum nationes in terra quam tibi pollicitus eſt, delebis nomen eius de ſub cœlo. Caue ne obliuiſcaris.* Et 1. Reg.
C 15. v. 2. *Hæc dicit Dominus exercituum. Recenſui quæcunque fecit Amalec Iſraeli: quomodo reſtitit ei in via cum aſcenderet de Ægypto. Nunc ergo vade & percute Amalec.* Verum dixerit aliquis,

——— *Tantæne animis cœleſtibus iræ?*

Nam primò volebat Amalec aduentantem ignotorum hominum multitudinem ſuis à finibus arcere. Quid hac in re peccati? Patriam tueri nonne fas? Aduenarum tot myriadas, tantorum peregrinorum ſimul venientiam exercitum regni aditu non prohibere, in viſcera ipſa
D recipere, an tutum? 2. Si peccatum ab Amalecitis fuit aliquid, pœnarum ab iiſdem nonne datum ſatis? Victi enim ſunt, ſtrage affecti maxima, caſtris rebuſque ſuis omnibus exuti. Et ſi ſatis hoc non fuit, an tam internecinum tamen contrà eos bellum eſſe pòſt debuit? Cur in fœminas ſæuitum? Cur in paruulos & lactentes?

Quid meruere boues, animal ſine fraude doloque?

Quid oues, cæteræque pecudes, & ipſa etiam inanima? Cur ne in prædã quidem illas rapere, vrbes verò & domos ſartas tectas reſeruare non
E licuit? Videtur ſanè tanta immanitas, & contra bellorum omnium morem, & contra eas etiam, quas de bellis fixit ipſemet Deus, leges. Deuteronom. 20. vbi virorum quidem cædes conceditur, paruulorum verò, fœminarum & iumentorum vetatur. 3. Conferantur præterea, cum aliis etiam gentibus, quæ variis Iſraelitas aggreſſionibus, & bellis vexarunt, iſti Amalecitæ. Non ſunt exſtirpati penitus Moabitæ, Ammonitæ, Idumæi: non ſunt exitialibus adeo armis appetiti: & tamen eorum in
F Iſraelitas iniuriis, quanam re præponderat vna hæc Amalecitarum inuirſio? Latè poteſt argumentorum iſtorum explicatio patere. Nam de omni bellorum, quæ, vt promiſſam terram occuparent Hebræi, geſta ſunt, iure agi deberet. Nunc tantum abſque probationibus, quæ alibi afferendæ: Dico *primo*, Deum eſſe ſummum, & verum terrarum, poſſeſſionum, bonorumque aliorum omnium Dominum: eumque poſſe, citra cuiuſque iniuriam, iure optimo, dare illas & eripere quibus voluerit, etiamſi nulla vllius culpa foret.

Digitized by Google

paruulos, irruiſſe. Hoc enim & ſimilia inſinuare videntur illa Domini verba tam ſeria quæſtionis initio ex Deutero. & l. 1. Regum aſſumpta. De his etiam rebus legi queat Abulenſis 1. Reg. 15. q. 2. 3. 6. 7. 8.

Qvæst. XXIX. *Cur in tantum poſtea tempus eaſdem Amalecitarum pœnas diſtulit Deus?*

Alivd cogitatione aſſequi non poſſumus, quam in his factum, quod de Chananæis Geneſ. 15. legimus verſ. 16. vbi Chananeæ terræ poſſeſſionem Abrahamo ſtatim dare noluit, ſed poſt quartam demum generationem. *Necdum enim*, ait, *completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum vſque ad præſens tempus.* Eſt enim Deus præ omnibus aliis ille, qui à Poëta neſcio quo laudatur.

Ad pœnas tardus princeps, ad præmia velox.

Peccatoribus, pœnitentiæ ac emendationis tempus libenter concedit, expectat, quam poteſt diutiſſimè ac patientiſſimè. Illibens omnino, & inuitus, & ſi dicere fas, quodammodo coactus, ad vlciſcendum & perdendum graditur. Explicat hoc alicubi S. Chryſoſtomus, & clarè nobis proponitur Geneſ. 18. & 19. vbi ad incendenda Sodoma non prius acceſſit, quàm cum de illorum flagitiis nō rumor, etiam verus, ſed clamor fuit, & quidem plurimus, quam cum *peccatum eorum aggrauatum eſt nimis* verſ. 20. & tamen dicit adhuc: *Deſcendam & videbo, vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleuerint, an non eſt ita, vt ſciam.* Neque tanta iſta, vt iras, igneſque contineret, ſollicitudine & clementia contentus, omnia indicauit ſummo ſuo amico & precatori Abrahamo, vt ſi vel pauciſſimi ea in vrbe, quibus parci poſſet, inuenirentur, omnium vni illi deprecatori ſalus & vita donaretur. Hinc verò diſcimus, *Primo*, quam dare nos operam oporteat, ne tanta iſta clementia & bonitate abutamur, ſed cum peccauimus, neque ſtatim eius in nos vibrari fulmina ſentimus, ilico reſipiſcamus, ad eum tam facilem tamque placidum Dominnm reuertamur, veniamque petamus. Alioqui differetur quidem, ſed non auferetur iuſtiſſimum ſupplicium: quin verò & iuſtiſſimè auctabitur. Ita ſanè nos monet S. Apoſtolus Rom. 2. *Exiſtimas*, ait, *hoc ô homo, qui iudicas eos, qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? An diuitias bonitatis eius & patientiæ, & longanimitatis contemnis ignorans, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicii Dei.* Vbi ſanè *theſaurizādi* verbum magnam, exaggeratamque diuinæ iræ vim & copiam ſignificat. Neque enim theſaurus eſt, vbi pauca quædam & exigua ſunt. & *ira* tam pro iræ cauſis quàm effectis ſumitur. Nam quos diuina hæc tolerantia non corrigit, peccata, quibus ad iram commouetur Deus, plura indies & maiora coaceruant: idemque plura ideo & vehementiora, quæ ab irato infligi ſolent numine, tormenta excipient. *Secundo* illud etiam diſcimus Luc. 6. v. 36. vt ſimus miſericordes, placidi, longanimes ſicuti pater noſter miſericors eſt, placidus & longanimis. *Si dij*, ait Gentilis Philoſophus lib. 1. de clementia cap. 7. *placabiles ſunt, & æquè delicta peccantium non ſtatim fulminibus perſequuntur, quanto æquius eſt, hominem hominibus præpoſitum miti animo exercere imperium, & cogitare vtrum mundi ſtatus, gratior oculis pulchriorque ſit, ſereno & puro die, an cum fragoribus crebris omnia quatiuntur & ignes hinc atque illinc micant. Atqui non alia facies eſt quieti, moderatique imperii, quam ſereni cœli & nitentis.*

Ioſue.

Q. XXX. *Quid per haſce Amalecitarum ruinas ſignificetur?*

Dæmonvm mihi vis & furor à Christo Domino fractus, à Chriſtianiſque omnibus ſemper frangendus videtur ſignificari. Cum enim, vt quæſt. 1. dictum, *Amalek* ſit *populus* aut *lingens* aut *percutiens*, intelligimus à Christo Domino non vnum aliquem Dæmonem, ſed populum totum victum fuiſſe: itemque nobis non contra vnum tantummodo, ſed contra quamplurimos, adeoque contra totam inferorum gentem bellum ſuſcipiendum. Illi verò aut *lingendo*, aut *percutiendo* perniciem nobis aſſiduè machinantur. *Lingunt*, cum voluptatis, vaneque mundi huius proſperitatis leni animos noſtros titillatione permulcent. *Percutiunt*, cum paupertatis, contemptus, variarumque nos calamitatum flagris conuerberant. Aut verò, vt, propius adhuc ſimilitudinem retineamus, quia ſolet molli quodam linguæ tractu, linctus fieri, *lingunt* illi nos, cum vanis quibuſdam laudibus prędicare, cum inani exteriorem bonorum quorundam noſtrorum cutem gloriola leniter, iucundeque perfricant, cum denique mellitiſſimas aſſentatorum nobis linguas applicant, eaſque huc illuc, per extima neſcio quæ noſtra molliter blandeque diducunt. Hic Amalecitarum bellum eſt, hic inſidiæ, & quidem ita, vt ſtudioſè aduertant illi, qui nam omnium ſint in Eccleſię caſtris, tardiſſimi, qui in via mandatorum Dei feſſi maxime, qui languidiſſimi, & debiliſſimi, & in hos irruunt potiſſimum. Imò, in vno eodemque homine diligenter explorant, quid in eo minus munitum, quid in poſtremis quaſi relictum, quid quaſi feſſum & imbecillum, & in hoc aut lingendo aut feriendo toti ſunt. De hiſce tamen hoſtibus penitus exſcindendis fuit olim certiſſima per prophetas prænunciatio, & ipſius Dei aſſeueratio iuriſiurandi cuiuſlibet ſanctitati ac firmitati par. Fuit & modus ille admirabilis, quem ipſi Domino tribuerunt. Septima vt ἐν κρυφαίᾳ χειρὶ, id eſt *in occulta manu*, Amaleci gētem exterminaret. Quid enim latentius & abditius, quā eum qui merus & nauci homuncio in ſpeciem apparebat, Deum ſimul eſſe, cœlos, terras, maria, totam denique mundi machinam ſolo ſuo nutu, regere ac moderari? Tum vero Amalecum trifariam deuicit ipſe. *Primo* quidem præpotentiſſima ſuæ ipſius mortis vi & efficacitate, dū expolians principatus & poteſtates, traduxit confidenter palam, triūphans illos in ſemetipſo Coloſſ. 2. 15. *Deinde* admirabile ſanctiſſimæ vitæ ſuæ exemplo, dum blandiſſima cupiditatū omnium lenocinia ita fugit, vt cœlebs & caſtiſſimus ſēper manſerit: honores & ambitioſa omnia declinarit, ad regnum quæſitus ſeſe fuga proripuerit: laudes, alioqui ſibi, ſuiſque miraculis debitiſſimas auerſatus ſit: à primo ſtatim ortu duriſſima quæque & pauperrima expertus, è tenuibus natus parentibus: In ſeruili ſenſu & peregrinatione, in ſtabulo, & panniculis viliſſimis. Quid cætera vitæ, mortiſque totius perſequar? *Tertio*, doctrina & cohortatione ſecundis, aduerſiſque rebus congruentiſſima, contra humanarum laudum, voluptatumque omnium linctus & blan-

E

ditias: contra deſperationum, ætamnarumque omnium morſus & percuſſiones. *Attendite vobis* Luc. 21. *ne forte grauentur corda veſtra in crapula & ebrietate, & curis huius ſeculi, & ſuperueniat in vos repentina dies illa. Qui vident mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo.* Matth. 5. verſu. 29. *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. Alioqui mercedem non habebitis apud patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.* Quoad alterum genus, *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Matth. 11. v. 28. *Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.* c. 10. v. 38. *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me.* Luc. 9. 24. *Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent amplius, quid faciant.* cap. 12. 4. *Beati qui lugent, quia ipſi conſolabuntur. Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*, & alia quæ Matth. 5. 7. *traduntur.* Sunt hæc omnia, gladii & haſtæ, quibus ab IESV CHRISTO D. & S. N. vniuerſus Amalecitarum exercitus, à generatione in generationem, perpetuo concidatur. Nobis verò ad victoriam hanc facienda duo. *Vnum*, ne in iſta, qua ex mundi huius Ægypto ad promiſſas cœlorum ſedes tendimus, via, per ſocordiam & torporem extremi eſſe velimus: ne lenti, remiſſique nimium: ne laſſi, diſſolutique æquo amplius. *Deponentes*, ait Apoſtolus Hebræ. 12. *omne pondus & circumſtans nos peccatum per patientiam curramus propoſitum nobis certamen. Recogitate eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſum ſemetipſum contradictionem, vt ne fatigemini animis veſtris deficientes.* ibid. verſu. 3. *Remiſſas manus & ſoluta genua erigite*, verſu. 12. *Occupet*, aiebant illi apud Satyricum, *extremum ſcabies.* At non imprecor ego, tantum denuncio & moneo, Extremo, ſegnes, lentos, corpori nimium indulgentes, & in hoc itinere tardigradòs occupabit Amalecites. *Alterum*, vt dum, Deo monitore, contra lingentem hanc gentem bello confligimus, eius non viros modo, verum fœminas etiam, paruulos & lactentes, ipſa etiam pecora, & nubes funditus euertamus. *Viri*, ſunt magna quædam & craſſa quæ omnes pœne fugiunt, & deteſtantur, flagitia. *Fœminæ*, ſunt interiores animi cogitationes, è quibus tanquam è quibuſdam fœminarum vteris naſcuntur illa, de quibus Matth. 15. ſcelera. *Paruuli*, ſunt minora quædam peccata, minuſque in hominum vulgus aut nota aut improba. *Lactentes*, minima illa, quæ prudentiorum etiam aliqui, vix ſatis aduertunt, interdum etiam contemnunt. *Pecora*, ſunt peccatorum ipſorum occaſiones, quæ quaſi alimentum, aut vecturam illis tribuunt. *Vrbes* verò, ſunt interiores illæ appetitiones ac perturba-

A tiones, quæ etſi per ſeipſas peccata non ſunt, in iis tamen hæc ipſa ſedem, domiciliumque habent, ita vt diuina gratia crebro ſacramentorum vſu quotidiana & ſolicita in nos ipſos, noſtroſque affectus & propenſiones omnes inquiſitione acri, aſſiduaque precationum & actionum bonarum omnium exercitatione, domos & vrbes illas ſubruere, prorſuſque tandem deiicere, ac inflammare oporteat. Qui horum aliquibus parcit, is, cum Saule in ſeipſum ſæuiens & crudelis eſt. Et venit quidem interdum ali-

B quibus in mentem, paululum, quid corporis obſequi cupiditatibus, in cibo aut potione aliqua vel abundantiore vel delicatiore: in riſu & iocis paulo profuſioribus, in ſomno & requietibus aliis paulo largioribus, idque quemadmodum lingens ſuggerit Amalecites, vt corpus ipſum in Dei cultu habeamus ſanius & robuſtius, vt vitam eidem Domino dedicatam viuamus longiorem: vt proximis, per quandam charitatem & comitatis ſpeciem, placeamus. Hæc ſcil. victimæ ſunt & ſacrificia, quibus ſeipſum excuſabat Saul dicens: *Pepercit.n. populus melioribus*

C *ouibus & armentis, vt immolarentur Domino Deo.* At quid Samuel? *Nunquid vult Dominus holocauſta & victimas, & non potius, vt obediatur voci Domini.* Vitia, vitiorumque nobis fibræ ſtirpitus elidendæ ſunt: non vult è peccatis, vel gratiæ, virtutumque detrimentis holocauſta & victimas Dominus. Anathema eſt Amalecites, & quæ ipſius ſunt omnia. Exſcindenda, delenda, & perdenda nobis ſcelerum genera omnia, magna, parua, manifeſta, occulta, exteriora, interiora, eorumq; fomites & occaſiones, receptacula & domicilia. Sed hæc modo ſatis: In li. 1. Reg. cap.

D 15. cætera, niſi quod nullo hic omittendum modo, quod ſub q. 27. finem ad promiſſum; Eſt autem eiuſmodi. Ipſi etiam Iudæorum Rabbini exiſtimant proprie ac ſimpliciter non niſi à Meſſia ſeu CHRISTO Amalecitas funditus delendos. Nam apud R. Eliezerem, ſub finem cap. 44. partim ex Iſai. cap. 10. verſ. 13. partim ex Pſal. 82: ita loquitur R. Ioſes. *Cum veniret Sennacherib in terram Iſrael, viderunt omnes populi, qui erant in circuitu terræ Iſrael, caſtra Sennacherib: & vehementer ſibi timuerunt, fugeruntque ſinguli de loco ſuo. Dicitur* Iſaiæ. 10. 13. *Et abſtuli terminos populorum, & prin-*

E *cipes eorum deprædatus ſum. Et ingreſſi ſunt in deſertum, & immiſcuerunt ſe filiis Iſmael: fugeruntque in vniuerſum decem populi. Dicitur. n. Pſal. 82. Tabernacula Edom, & Iſmaelitæ, Moab, & Hagareni, Gebal, Hammon, & Hamalek alienigenæ cum habitantibus Tyrum: Etiam Aſſur coniunctus eſt cum ipſis. Et omnes illi caſuri ſunt in manu filii Dauid,* Meſſiæ nimirum. *Dicitur enim* eodem Pſalmo 82. *Deus pone illos, ſicut rotam, & cætera.*

CAPVT IV.

Alterum Ioſuæ geſtum; ipſius ſcilicet in montem Sinai cum Moyſe aſcenſus.

IS breuiſſimè hiſce verbis traditur Exod. 24. verſ. 13. *Surrexerunt Moyſes, & miniſter eius; aſcendenſque Moyſes in montem Dei, ſenioribus ait, Expectate hic, donec reuertamur ad vos.*

Digitized by Google

vos. Dum ait, *reuertamur*, ſecum in illo Dei monte fuiſſe ipſum Ioſue, neque cum ſenioribus infra manſiſſe, oſtendit.

Q. I. *Cur habuerit Moyſes miniſtrum, & an plures?*

MOYSES ætatis annum agebat tunc octogeſimum primum. Cum enim de Iſraelitarum ſuorum liberatione, cum Pharaone cœpit agere, annorum erat octoginta. Ex 7. 7. Anus ea in te, plagiſque inferendis conſumptus fuit, vti ex ſequentibus colligi, monſtrabam in illo ipſo Exodi libro. Tam ſeni ergo neceſſarius erat miniſter, dixerit aliquis. Sed illa ætate, & totis etiam vndequadraginta annis poſt, adeo bonis firmiſque viribus fuit Moyſes, vt nec ei oculus caligarit, neque pes vacillarit. Deuteronom. vlt. verſu. 7. Quorſum igitur ei miniſter? Neque enim mollis & delicatus erat, vt abſque neceſſitate, alienis aut manibus aut pedibus vti vellet. Et verò filios habebat duos idem Moyſes, ipſo Ioſue ſeniores, prout habetur ex cap. 2. Exod. verſu. 22. & ex iis, quæ ſupra cap. 3. q. 6. Eorum officio, ſi quid virium imbecillitas requiſiiſſet obſequii, vti ille potuiſſet. Alia igitur potius cauſa eſt, quòd, vt ait in libro de Moyſe Philo, *Rex erat* ipſe Moſes, *legiſlator*, *Pontifex* & *propheta*. Imo disertè vocatur *Rex Iſraelis* Geneſ. 36. verſu. 31. prout ibi contendit Abenezra ridens eos, qui Saulem ibi Regem ſignificari putant. & Deut. 33. verſu. 5. Ideoque cum ob neceſſitatem, tum ob dignitatem, ei eſſe miniſtros plures oportuit. Multa iis qui cum imperio multitudini præſunt, curanda ſunt, multi audiendi, multa cognoſcenda, imperanda, ſignificanda, conſtituenda. Non poſſunt vnius hominis oculi, aures, lingua, manus & pedes tot tantiſque rebus ſufficere: alienâ ei operâ opus, vt quod per ſe non poteſt, per alios faciat. Habet etiam apud homines dignitatis & maieſtatis aliquid, ipſa miniſterii copia, quemadmodum ſi ad res quaſpiam bene apteque gerendas, idoneorum adſit inſtrumentorum facultas. Quemadmodum tamen ineptus & ridiculus foret artifex, qui cum, duobus, aut tribus inſtrumẽtis ſuas optimè cõmodiſſimeq; res agere poſſet, viginti aut triginta vteretur; imo non vteretur, ſed magno ſecum onere, ac ſumptu circumferret, ea oſtentaret, iis ſeſe iactaret: ita & eorum ridenda ſtultitia, qui famulorum nihil aut neceſſariorum, aut vtilium agmina vel impedimenta potius, magnis impenſis, fructuque nullo alunt, & huc illuc ſecum trahunt. Nam *miniſter*, ait Polit. cap. 3. Ariſtoteles *in artibus inſtrumenti locum obtinet, eſtque inſtrumentum animatum*. Moyſes igitur, quia tantus ipſe, tamque variis & vtilibus diſtinguebatur negociis, miniſtros aliquos habuit: ſed neceſſarios tantum & vtiles, qui non ob inanem eum pompam vndique ſtiparent, ſed ei ad neceſſitatem, moderatumque tantarum, quas gerebat, perſonatum honorem, domi foriſque adeſſent. Neque enim eo modo *Rex* erat, quo hodie Reges videmus, ſed tantum quia cum poteſtate & autoritate diuina populum regebat, & cætera eius munia omnem ſemper modeſtiam & frugalitatem ſolent perſequi. Cæterum quot eiuſmodi Moyſis miniſtri numero fuerint, non equidem queo ſtatuere. Vnum tantummodo nominat ſcriptura, noſtrum ſcilicet *Ioſue*. Alios tamen innuit Numer. 11. verſu. 28. vbi Hebraicè vocantur *becburau* id eſt, *eius iuuenes*, & disertè ibi quæſt. 68. & rurſum poſtea, dum verba hæc explicat, *multos*, eum *miniſtros habuiſſe* ait, itemque Oleaſter ibidem, & Maſius præfatione ſecunda in Ioſue. Sed de illis verbis infra iterum.

Q. II. *Qua in re miniſtrabat Ioſue Moyſi*

GENERATIM dicere poſſumus, in iis miniſtraſſe, quæ voluiſſet Moyſes, aut quæ miniſterii ſecum ratio importat. Sed cum in ampla domo varii miniſtrorum gradus ſint, & ordines 3. Reg. 10. verſu. 5. Cicero Parad. 5. Et, vt ait apud Ariſtotelem lib. citato cap. 4. Prouerbium, *ſeruus pro ſeruo ſit*, cogitandum quid talis, apud talem, tali & loco, & tempore, potuerit facere. Honeſto ſplendidoque vti cap. 1. vidimus, loco natus erat Ioſue, annis, viribuſque florebat, militia iam egregia perfunctus, difficilimi nuper belli dux & victor. Huic quid Moyſes mandare, quod imponere miniſterium voluerit, poſſumus è ſimilibus & è quibuſdam etiam effectis coniicere. Abrahamo ſerui complures fuerunt, Geneſ. 24. 35. ſed vnus erat Eliezer, *ſeruus ſenior domus illius, qui præerat omnibus, quæ habebat*. ibid. verſu. 2. *Ioſeph miniſtrabat Domino ſuo* (Phutiphari) *à quo præpoſitus omnibus gubernabat creditam ſibi domum, & vniuerſa, quæ ei tradita fuerunt* Geneſ. 39. verſu. 4. Dauid Sauli qualis miniſter? *Egrediebatur ad omnia, quocunque miſiſſet eum Saul* 1. Reg. 18. 5. *fidelis, pergens ad imperium illius, glorioſus in domo Regis* c. 22. 14. Leuitæ miniſtrarunt ſacerdotibus, *excubando & obſeruando quicquid in cultum pertinet multitudinis coram tabernaculo teſtimonii, & cuſtodiendo vaſa tabernaculi, ſeruientes in miniſterio eius*. Numer. 3. 7. Eliſæus ſecutus eſt Eliam, & miniſtrabat ei 3. Regum. 19. 21. Nam *fundebat aquam ſuper manus Eliæ* 4. Regum. 3. 11. Hac verò aquæ ſuperfuſione ſignificatur totum illud miniſterii genus, quod minimè contemptum, & ſordidum eſt: ſed honeſtum & liberale. Nam & hodie non famulorum quilibet, ſed gratiores & honorationes ad menſam ſeſſuris, manuſque abluturis aquam dant. Ideoque Latinus etiam Homerus Georg. 4.

—— —— manibus liquidos dant ordine fontes, germanæ ſcilicet ſorores. Et Æneid. 1.

Dant famuli manibus lymphas —— ——

Itemque in Perſa ſuo alius. *Tu Sagariſtio accumbe in ſummo, meum natalem agitemus amœnum.*

—— Date aquam, manibus, apponite menſam, ——

Quod enim Rabbi Salomon 3. Regum. 18. ait, Eliæ tantum ſacrificaturo aquam Eliſæum ſuperfudiſſe, ſicque miraculo magno ex huius digitis immenſam aquæ vim extitiſſe, Rabbinicum eſt, id eſt, nugatorium, & futile, vt ibi oſtendit Abulenſis, & rurſum libro. 4. cap. 3. Eliſæi verò præter Giezi fuit etiam miniſter alius, propheta, qui ad vngendum Iehu miſſus fuit 4. Reg. 5. cap. 9. verſu. 4. Talis ergo Moyſi miniſter videtur fuiſſe Ioſue, vt toti illius familiæ eſſet præpoſitus, domum gubernaret vniuerſam: in ſacris ei precibus, & meditationibus adeſſet: ei eſſet intimus: ab eius nunquam latere diſcederet: om-

Digitized by Google

nes eius ſemper nutus obſeruaret: eius mandata ad alios perferret: de aliis, quæ audiuiſſet, vidiſſet, cogitaſſet, referret: ei denique eſſet intimus, maximeque aſſiduus, & familiaris. Nam & hoc ex illis, de quibus poſtea, effectis intelligi poteſt, quòd montem ſcilicet cum eo inierit: exinde deſcendens de populi clamoribus dixerit: terram exploratum miſſus ſit, de vaticinantibus in caſtris Eldad, & Medad ſignificarit, aliaque id genus plura effecerit. Ideoque Ioſuæ 1. verſu. 1. rectè à 70. vocatus ὑπουργὸς Μωυσῆ alias παρεστηκώς, aut θεράπων non autem δοῦλος aut ſeruus. Neque enim ſeruitutem ſeruiebat.

Q. III. *Cur hoc, de Ioſue, litteris proditum fuiſſe Moyſis miniſtrum? v.c. Ex. 24. Deut. 1. v. 28. Num. 11. v. 28.*

Non equidem animum induxerim, vt hoc ideo tantummodo litteris proditum exiſtimem, quia illius miniſter fuit. Nam & aliorum complurium quamplurimi, & ipſius etiam Moyſis, aliqui reticentur miniſtri. Deinde hoc velut epitheton non ſemel tantum, ſed iterum, iterumque Exod. 24. & 33. Numer. 11. verſu. 28. Deuteronom. 1. verſu. 38. Ioſuæ cap. 1. repetitur. & quidem ab ipſo etiam Deo Moyſi dicente, *Ioſue filius Nun, miniſter tuus.* Veniunt igitur aliæ in mentem cauſæ plures. *Prima*, Moyſis ideo *miniſter* ſcribitur Ioſue, vt magna quædam eius laus, & commendatio ſignificetur: & quidem bifariam. Primò, quòd tali viro conuiuere, miniſtrare, & obſequi dignatus ab illo ipſo fuerit. Deinde, quòd non qualis qualis fuiſſe traditur Moyſis miniſter, ſed omnium præcipuus, intimus, chariſſimus, familiariſſimus. Ideo enim tàm ſignatè præ aliis omnibus dicitur, *miniſter eius.* & clariſſimè id etiam notatum Numer. 11. verſu. 28. vbi dicitur *electus è pluribus*: ſiue vt Hebræa magis verbotenus exprimamus, *Moyſis miniſter præ ipſius ſiue iuuenibus, ipſius electis*: in Septuaginta ὁ παρεστηκὼς Μωυσῆ, ὁ ἐκλεκτὸς, *ille qui aſſiſtebat Moyſi, ille electus*, vel vt habent alij Græci libri ὁ ἐκλεκτὸς αὐτοῦ *ille electus ipſius.* Quod ſi verò magnam Elidenſis Phædon gloriam aſſequutus olim fuit, quòd Platonis ſeruus fuerit, quòd Theophraſti Pompilius, quòd Zenonis Perſeus, quod aliorum alij apud Gellium libro. 2. cap. 18. & quidam quorundam Rabbinorum Rabini, apud Zacuthum in *Iuchaſin*: quanto Ioſue noſter glorioſior, qui talis tantique viri non *ſeruus*, ita ſcilicet, vt propriè dictam ſeruitutem, vel generis, vel conditionis neceſſitate ſeruiret, ſed miniſter, ingenuuſque famulus, & familiaris fuit? Magnum videtur pleriſque Principis alicuius eſſe miniſtrum, Regi cuipiam eſſe à cubiculo, à manu, à pedibus. at multò ſanè maius Moyſi miniſtraſſe, qui verus ſuiipſius Rex, ſummus Dei amicus, Pontifex, & Prophetes fuit. *Altera cauſa*, vt intelligeretur vnde tantus, tamque inſignis virtutis vir euaſerit Ioſue.

Quemadmodum enim qui Dominis adſunt impiis, eorum ferè moribus imbuuntur, & *qui picem tangunt*, ab eâ inquinantur: ita qui piis, Deumque timentibus, induſtriis, & ſapientibus famulantur, aliquid eorum etiam pietatis, Domini timoris, induſtriæ, ſapientiæque condiſcunt, & imitantur. Quomodo tantum quotidie virtutum omnium exemplar videret Ioſue, neque inde quidquam proficeret? Quomodo tantum religionis, iuſtitiæ, ſapientiæ, comitatis ante oculos propoſitum ſemper lumen haberet, neque illo, ipſius vita, moreſque omnes illuminarentur? Vidit igitur Moyſis in precibus aſſiduitatem, & ardorem: vidit in rebus diiudicandis ſolertiam, & æquitatem, in conficiendis negotiis curam, & induſtriam, in reſponſis dandis, hominumque animis tractandis prudentiam, & lenitatem, totam denique domeſticam illius, intimamque domi, foriſque, in agendo, colloquendo, edendo, & dormiendo, conſuetudinem oculis ipſe ſuis perpetuò aſpexit: ſicque & quod præſens tum admiraretur, & poſteà in omni vitâ imitaretur. Sanctus Ambroſius libr. 2. de officiis capit. 20. *Oſtendunt*, inquit, *adoleſcentes eorum ſe imitatores eſſe, quibus adhæſerint, & ea conualeſcit opinio, quod ab his viuendi acceperint, ſimilitudinem cum quibus conuerſandi hauſerint cupiditatem, Inde tantus* Iesvs *Naue, quod eum non ſolum erudiuit ad legis ſcientiam Moyſi copula, verum etiam ſanctificauit ad gratiam. Denique cum in eius tabernaculo diuina refulgeret præſentia, & videretur maieſtas Domini, ſolus erat in tabernaculo* Iesvs *Naue, Moyſes cum* Deo *loquebatur,* Iesvs *pariter nube tegebatur ſacra: Presbyteri & populus deorſum ſtabant,* Iesvs *cum Moyſe ad accipiendum legem aſcendebat. Omnis populus intra caſtra erat:* Iesvs *extra caſtra in tabernaculo teſtimonij: Cum columna nubis deſcenderet & loqueretur cum Moyſe, quaſi fidus aſtabat miniſter. Nec exibat de tabernaculo iuuenis, cum ſeniores longe poſiti diuina trepidarent miracula. Vbique igitur, inter admiranda opera, & reuerenda ſecreta, Sancto Moyſi indiuiduus adhærebat. Vnde factum eſt, vt qui fuerat ſocius conuerſationis, fieret ſucceſſor poteſtatis. Merito igitur vir euaſit huiuſmodi, vt reſiſteret fluminum curſus, diceret ſtet Sol, & ſtaret Sol, quaſi eius ſpectator, victoriæ noctem differret, diem produceret. Quod quidem Moyſi negatum eſt, ſolus eligeretur, vt populum introduceret in terram repromiſſionis. Magnus viri fidei miraculis, magnus triumphis. Illius auguſtiora opera, huius proſperiora. Vterque igitur diuina ſubnixus gratia, vltra humanam proceſſit conditionem. Ille mari, hic cælo imperauit. Pulchra itaque copula ſeniorum atque adoleſcentum. Alij teſtimonio: alij ſolatio ſunt, alij magiſterio, alij delectationi.*

Tertia, vt diſcamus, quales eligere debeant Domini miniſtros, quibus præcipua ſuis in familiis imponere munia, quoſque habere intimos, ac coniunctiores. eos nimirum, qui melioris indolis ſunt, Deum magis timeant, in virtute progreſſum facturi videantur. Et talibus quidni, quod in epiſtolis quibuſdam monuerant Libanius, & Seneca, tribuatur? quorum iſte in 47. *Viue*, ait, *cum ſeruo clementer. In iter quoque & ſermonem admitte, & in conſilium, & in conuictum.* Idque tanto ſanè magis, quanto hi, de quibus ago, ſerui minùs ſerui ſunt, ſed liberi, & ingenui, qui ſuapte ipſi ſponte familiarem hanc operam ſuſcipiunt. *Quarta*, vt auçant homines miniſtrare

melioribus,

melioribus, & ſapientioribus, & quibus hoc euenit valdè ſibiipſis gratulentur. Hoc enim Phædonem illum fecit Philoſophum, eumque tantum, vt eius nomini ſuum illum diuinum *de immortalitate animæ* librum dederit Plato. Si enim, quod ait lib. 1. Polit. cap. 3. Ariſtoteles, iumentis vtile eſt hominibus ſeruire, prodeſtque barbaris, & agreſtioribus, parere iis, qui humanitate, atque prudentia pollent, proderit etiam omnibus in ſumma etiam libertate natis, famulatum iis aliquem, & obſequium præſtare, qui ſapientia, virtute, rerumque vſu mortalibus aliis antecellunt. Ideoque inter ea, quæ ad ſapientiæ ſtudium valde adiuuant, enumeratur *ſchimmuſch Chacamim*, id eſt, *obſequium & famulatus, qui ſapientibus præſtatur* cap. 6. Pirke auoth, & in Rabbino meo priore cap. 28. & ſuprà quæſt. 2. allata Eliæ ac Eliſæi exempla. *Quinta* demum cauſa eſt, vt in Ioſue verus ille IESVS noſter exprimeretur, qui ſe dixiſſet veniſſe *non miniſtrari, ſed miniſtrare.* Matth. 20. 28. Marc. 10. 25. & rurſum Luc. 22. verſu 27. *Quis maior eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat.* Et cap. 12. verſu. 37. *Beati ſerui illi quos, cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes. Amen dico vobis, quòd præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* Et Ioſue Moyſi miniſtrauit. quia noſter etiam IESVS *circumciſionis miniſter* fuit Romanor. 15. verſu. 8. Primò quidem, & ex textus ipſius mente quia Iudæorum, qui circumciſi erant, ſaluti operam maximè dedit, ſicuti & ſanctus Petrus *Galat.* 2. verſu. 7. *circumciſionis* etiam *miniſter* fuit: Deinde, quia hoc vnice ſategit, vt ſuum verum finem ipſa adipiſceretur circumciſio. id eſt, vere mente, ac *ſpiritu*, non carne tantùm, & materiato præputio circunciderremur. *Nihil enim ad perfectum adduxit lex.* Hebr. 7. 19. & corporea illa *circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt, ſed obſeruatio mandatorum Domini* 1. Corinth. 7. verſu. 19. Itemque *in Chriſto* IESV, *neque circumciſio aliquid valet, neque præputium: ſed fides, quæ per charitatem operatur.* Gal. 5. verſu 6. Ad eos, qui IESV noſtri miniſterium noluerunt, clamatum: *Dura ceruice, & incircumciſis cordibus, & auribus,* Actorū. 7. verſu. 51. ad nos verò, qui tantum illud miniſterium gratiſſimis animis accepimus, ac ſuſcipimus: *Circumciſi eſtis circumciſione non manu facta in expoliatione corporis carnis, in circumciſione* CHRISTI.

Q. IV. *Quonam cum Moyſe iit Ioſue?*

ASCENDIT in Sinai montem, de quo dixerat Exod. cap. 19. & 20. & vocatur ille mons tribus nominibus. Primum *mons* DEI Exod. c. 3. verſ. 1. & putat Ioſephus cauſam, quod in eo iam olim habitarit Dominus. ideoque & apud accolas hactenus ſemper inacceſſus, ſacerque fuerit. Sed vnde queat id colligi? & cum DEI habitatio in aliquo loco, non ſit niſi per aliquos inſignes effectus, quos alibi non edat; quoſnam in iſto monte, antequam Moſen alloqueretur, vnquam edidit? videtur mihi è Gentilium ſantentia ille iſtud conieciſſe, apud quos excelſiores montes religioſi, Diiſque quibuſdam dicati erant. Nota enim illa de Tarpeio monte Æneid. 8.

Hoc nemus, hunc (inquit) frondoſo vertice collem,
A *(Quis Deus incertū eſt) habita Deus. Arcades ipſum*
Credunt ſe vidiſſe Iouem, cùm ſæpe nigrantem
Ægida concuteret dextra, nimboſque cieret.

Ideoque DEI *montem* dici potiùs crediderim, quòd vaſtus admodum, editusque fuerit. Quæ enim magna ſunt, ea, vt ſuprà etiam dixi; ſolent DEI *res* vocari. quaſi diuinæ, ſiue DEO auctore dignæ, ipſiſque aſcribendæ. Deinde vero quod eo in monte iam apparebat, & deinceps ſæpius magna cum maieſtate apparere, B legemque dare ſtatueret. Secundo vocatur *Horeb*, vt apparet ex Deuteronom. 5. verſu. 2. & Pſalm. 101. *fecerunt vitulum in Horeb, & adorauerunt ſculptile.* Quod enim Exod. 20. 24. Actorum 7. verſ. 38. dicitur in Sinai factum, ita ibi memoratur. *Dominus* DEVS *noſter pepigit nobiſcum fœdus in Horeb*, Diſtinguuntur interdum quaſi montes duo forent. quia etſi eiuſdem montis erant, duo tamen veluti cacumina & ſeiuncta iuga conſtituebant: *Horeb* quidem, verſus occidentem, *Sinai* verſus orientem. C Tertium ſuum hoc *Sinai* nomen à rubis, qui in eo frequentes, accepit. Rubus enim Hebraicè, & quidem illo ipſo cap. 3. Exod. *Sinèh* dicitur, quin & ipſemet mons Deuteronom. 33. verſu 16. Nam *iod* pro ה poſitum tradit R. D. Camius per vſitatam quieſcentium literarum apud Hebræos commutationem. aut vero, vt epiſt. ad Fabiolam vult ſanctus Hieronymus, erit à ſingulari *Sin* pluralis *Sinai.* quaſi *rubi mei.* Horeb vero dicitur quaſi *aridus*, & *ſiccus*. Fuit verò iſtis tot, & tam mirificis DEI D apparitionibus, ipſaque legiſlatione mons admodum nobilitatus: hodie vero etiam *Sanctæ Catharinæ* reliquiis, & egregio *Calogerorum* cœnobio, in mediis Turcarum nationibus. Quod pluribus deſcribit teſtis oculatus Bellonius libro 2. cap. 62. 63. 64. & 65. ex eoque fuit Archimandrita ille, quem, cum minacium de Domini ſepulchro, aliiſque Chriſtianorum templis euertendis, literarum faſcibus, Romam ad *Alexandrum* VI. Pontificem miſit *Campſo* Ægyptius, ob Luſitanorum in Indiam E nauigationes mire quàm iratus, prout in Maffei libro 3. hiſtor. legere eſt. At vero quemadmodum dicitur iſte *mons coniunctus ei, quæ nunc eſt Hieruſalem*, Galat. 4. v. 25.

Reſpondent aliqui, cōiunctum eſſe per montium, qui ad Hieruſalem vſque porriguntur; ramenta: vel per ipſam Arabiam, quæ coniuncta eſt Iudeæ, in qua Hieruſalem. At priore modo poſſet *Caucaſus* dici etiam Hieroſolymæ propinquus per *Tauri* ſcilicet *Libani Antilibani, Hermonis*, & *Sionis*, montium colligationem, F ſocietatemque aliquam. Poſteriore modo poſſet etiam *Memphis*, & *Tanis* eidem Hieroſolymæ coniuncta dici, vel *Tyrus*, *Gaza*, & *Sidon*, propter eius in qua ſunt, regionis vicinitatem. D. Thomas coniunctum, ait, itineris continuatione: quia è *Sina* venerunt Hieroſolymam Iſraelitæ. At ſic *mare rubrum*, vel *Heſebon*, & tota transjordanina regio, ipſeque *Iordanes* vrbi eidem coniunctus fuerit: Dicendum potius, *coniunctum eſſe montem hunc Hie-*

Digitized by Google

A *roſolymæ, non loco, ſed ſignificatione.* Nam Græcum verbum, quo Sanctus Paulus vtitur, id ſignificat. Eſt enim συστοιχεῖν, *eiuſdem eſſe ordinis*, ac ſeriei cum aliquo: ſiue, eundem habere στοῖχον, id eſt, *ordinem.* Ideoque & Syricus vertit per שלם quod eſt cum aliquo *eſſe pacificum*, ſiue *alij conſentire*, cum aliquo conuenire, ac ei eſſe conſonum, & ſimilem, vt Actorum 14. & 22. Accedit D. Hieronymus, qui homiliam ſecundam Origenis in Cantica latinè conuertens, dixit, *Sina mons eſt in Arabia, qui confertur ei, quæ nunc eſt Hieruſalem.* Atque hoc itemque locus ille totus vt intelligatur, animaduertendum docere Apoſtolum, nos Chriſtianos veteris illius legis ſeruituti amplius obnoxios non eſſe, ſed ad veram, quæ ſpiritus ipſius eſt, libertatem vocatos, nouaque per CHRISTVM regeneratione natos. Id vero explicat inſigni allegoriâ: duarum Abrahæ vxorum, & duorum ex iiſdem filiorum. Vna enim ſerua fuit *Hagar*: & filium, qui ſeruus eſſet, *Iſmaelem* genuit. Altera erat *Sara*, libera, & domina, quæ initio fuit quidem ſterilis, ſed filium poſtea *Iſaac*, qui liber, & dominus eſſet, peperit. Prior illa ſignificat vetus teſtamentum, ſiue fœdus, quod in *Sina* monte datum, itemque terrenam, quæ in iſto ſeculo eſt, *Hieruſalem.* Quia terrena felicitas per teſtamentum il- B lud promiſſa erat. Et illius filius, eos ſignificat qui veteri huic teſtamento ſeruiunt. At poſterior illa, nouum denotat teſtamentum, ſiue fœdus, quo ſuperna datur *Hieruſalem.* Ideoque & hanc ipſam cœleſtem *Hieruſalem.* Eiuſque liberæ liber filius eorum typus fuit, qui nouum hoc fœdus amplecterentur, & libertate vera donarentur. Ideoque in Apoſtolo ſunt.

Typus	1	[illegible] Ancilla,	*Hagar*	Αν	[illegible] Libera;	*Sara*	1 Typus
	2	Eius filius,	*Iſmael*	τι	Eius filius,	*Iſaac*	2
Verita	3	*Vetus teſtamentum,* ſiue *Hieruſalem,* quæ *in hoc ſæculo* eſt.		σοι	*Nouum teſtamentum, ſiue Hieruſalem ſuperna.*		1 Veritas
	4	*Huius veteris teſtamenti,* ſiue *terrenæ Hieruſalem filii.*		χεῖ	Huius *noui teſtamenti ſiue ſupernæ Hieruſalem filii.*		4

Verba ſunt, prout ea quidem ex Græco ver- C ti queunt: *Scriptum eſt enim quoniam duos filios habuit: Vnum de ancilla, & vnum de libera. Sed qui de ancilla, ſecundum carnem natus eſt, qui autem de libera per repromiſſionem, quæ ſunt per Allegoriam dicta. Hæ enim* (duæ ſcilicet Abrahami vxores, vt ait in eum locum Sanctus Chryſoſtomus) *ſunt duo teſtamenta* (ſunt inquã *ſignificatione*, vt *allegoriæ* præfixum nomen indicat.) *Vna quidem* (illarum vxorum) *à monte Sinã, in ſeruitutẽ generans, quæ* vxorum prior, *eſt Agar. Sina enim mons, eſt in Arabia.* D *Eadem verò ſeriè reſpondet*, ipſa Agar, *ei Hieroſolymæ, quæ nunc eſt*, ſiue eam ſignificat, *& ſeruit cum filiis ſuis*: *Ipſa verò, quæ ſurſum eſt Hieruſalem, eſt libera*, eſt altera illa vxorum libera, eſt inquam *ſignificatione*, ſiue eam ſignificatur, *quæ* (vxorum altera) *eſt* (per ſignificationem) *mater noſtra. Scriptum eſt enim, &c.* Similiter etiam verti poteſt textus Syriacus.

At, inquies, diſcrepat Latinus. Nam primò in eo non eſt: *Hæ enim ſunt duo teſtamenta*, Sed, *hæc enim.* Secundò, non in eo, *vna quidem*, ſed *vnum quidem.* E Tertiò imo Græcus etiam, & Syriacus non ſimpliciter habent, *Sina enim mons eſt in Arabia*; ſed τὸ γὰρ Ἄγαρ Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ. Denique in Latino eſt, *qui*, mons, *coniunctus eſt ei, quæ nunc eſt Hieruſalẽ.* Reſpondeo ad *primum.* librariorũ vitio acceſſiſſe illud. *c.* Et quãuis in Græco αὗται ad διαθῆκαι referri poſſet, meliùs tamẽ eo pronomine demonſtratur, quod præiuit, quã quod ſequitur. Eſtque ſenſus multo clarior & facilior.

Ad *ſecundum.* Cùm proximè poſitum videret F aliquis teſtamẽtum, putauit cum eo iũgendam iſtam particulam. ſicque pro *vna*, *vnum* ſubſtituit. præſertim quia de Sina ſtatim additur, in quo teſtamentum vetus datum meminerat, poſſitque in Græco dici μία tam de teſtamento, quæ διαθήκη, quàm de fœmina: Itemque in Syriaco, in quo Græca illa teſtamenti vox vſitata. Nam ſi ad teſtamentum referri pugnes, quomodo id *in ſeruitutem generans* dicitur? Quomodo alterius teſtamenti, quod in libertatem generet, nuſquam nomen? Quomodo non & *Sion* vel mons, locuſue alius, è quo extiterit, nuncupatur? Quomodo de teſtamento illo dicitur, *quæ eſt Agar?* Et verè hic apparet, quod ſuprà dicebam, ob antegreſſam *teſtamenti* vocem, poſitum hic *vnum.* Nam eandem ob cauſam in D. Auguſtino, D. Ambroſij commentario legitur, *quod eſt Agar.* Sed iã opinor, expectas, quomodo non *teſtamentum*, ſed Agar, duarum illarum fœminarum vna hæc, à Sina mõte ſit, cùm Ægyptia fuerit Geneſ. 16. Reſpondeo, è Sina eam eſſe, non quòd orta inde ſit, ſed quòd ibi, ſiue in Arabia, in qua, vti notat ipſe Apoſtolus, mõs ille ſitus; habitarit ipſa cũ filio ſuo, totaque poſteritate. ſicque inde, tanquam e propria ipſius ſede, ac domicilio, accerſatur, & ad allegoriæ huius explicationem euocetur. Valet enim eò non parum, vt intelligatur, quomodo vetus illud fœdus eadem Agar ſignificet, cum in fœderis huius officina, primiſque, vt ita vocem, incunabulis vixerit ipſa, eiuſque filius, & Nepotes omnes. Sunt quidem è Iudæis Rabbini nonnulli, qui eandem eſſe putant *Agarem* hanc & *Ceturam.* vt in quæſtione quadam dixi ſupra cap. 2. Sed ad Geneſin ea ſpectat quæſtio, præſertim cum iis, quæ hîc iam dicta; nihil officiat.

Ad *tertium*, videtur vel ex γὰρ facta Ἄγαρ, ſed ſuperuacaneè, vel potius ex margine additum, & ita, vt in genitiuo legendum ſit: *Hæc enim Agaris Sinæus mons, eſt in Arabia.* Sicque textus iſti

Græcus

Græcus,& Syriacus firmant, quod paulo ante aiebam; è Sina monte non *teſtamentum*, ſed *Agarem* ipſam eſſe dici.

Ad *quartum*. Latinus non quidẽ verbo, ſed ſententia nobiſcum facit. Hic enim mons, non loci propinquitate, ſed, vt dixi, ſignificatione coniunctus eſt Hieroſolymæ. Cùm enim hanc Agar ſignificet, eadem vero Agar è Sina ſit, prout iam expoſitũ, ſit vt *Sina* quoque *Hieroſolymam* illam allegoricè ſignificet, ſed mediatè, ratione ſcilicet ipſius Agaris, quæ ex ipſo eſt. Sed cum immediatè ſignet eam Hieroſolymam Agar, erit totus textus illo, quem poſui, modo clarior, & planior, neque parentheſi, quæ in aliquibus libris ponitur, indigebit. Accedit, quod ſi *Sina* poneretur, vt per eum immediate, ac proximè vel hæc *temporaria Hieruſalem*, vel *teſtamentum vetus* notaretur, deberet etiam mons, aut locus alius quiſpiam nominari, qui vel æternę Hieroſolymæ, vel teſtamenti noui nota ſimiliter, & figura eſſet. quemadmodum enim allegoria iſta συστοιχίαις, ſic & ἀντιστοιχίαις conſtat. Iſta igitur de loco iſto ita videntur. Cur vero qui in Iudæa ſunt aliquando cum demõſtratiua particula dicant, *hunc Sinai*, quaſi eum præſentem illic demonſtrarent, vt Pſalm. 67. verſu. 9. Iudic. 5. 5. dicam in hoc indicato Iudicum capite.

Q. V. *Cur eum ſecum, in montem, duxit Moyſes?*

Dixerat initio citati capitis 24. Exod. Dominus Moyſi. *Aſcende ad Dominum, tu & Aaron, Nadab, & Abiu, & ſeptuaginta ſenes ex Iſrael.* Ecce quos in montem aſcenſuro Moyſi velit comitari, diſertè indicat Dominus: & *Ioſue* ne minimam quidem iniicit mentionem. Quomodo eum ergo ſecum ducit Moyſes? Reſponderi putat Abulenſis q. 17. poſſe, in Septuaginta ſeniorum illorum numero fuiſſe noſtrum Ioſue. At vero iuuenis tum erat, vt ſuprà dictũ, aut, quod idem valeat florente adhuc ætate vir. Et nonne ſuprà etiã q. 1. & 3. inter iuuenes recenſeri eum, omnibuſque anteponi vidimus? Neq; vero crediderim Moyſen, è ſenioribus, qui Magiſtratus in Republica iam gererent, qui diiudicãdis cauſis præpoſiti eſſent, habere vſũ voluiſſe, cuius, in ſui cubiculi, menſæ, aliorumque miniſteriis, operam collocari vellet. Placet igitur illa magis cauſa, quam idẽ ſubiicit Abulenſis, ductũ à Moyſe tanquã miniſtrũ, vt eius videlicet, ſi res, vſuſue requireret, præſtò haberet miniſteriũ. Quia enim, vt ex Ariſtotele ſuprà quæſt. 1. recitatum, eſt *ſeruus Domini animatum inſtrumentum*, eius inquam veluti manus, pes, oculus, aut lingua, idẽ, vnuſque cũ Moyſe iam cenſetur Ioſue. Ideoque & verſ. 2. cùm dicitur, *ſoluſque Moyſes aſcendet ad Dominum*, ab eo non excluditur ipſius mẽbrum, aut portio. quemadmodũ lib. 3. Reg. c. 12. v. 20. cùm, *præter tribum Iudam ſolam*, nemo Dauidis domũ ſecutus traditur, & lib. 4 c. 17. v. 18. cum remãſiſſe *niſi tribu Iuda tantũmodo*, in 70. μονωτάτη; ab ea non tamen abſtrahitur, neque diuellitur tribus Beniaminia. Neque cũ *ſolus Tobias* dicitur Hieroſolymitanũ templum petiiſſe, pauci aliqui ei comites negantur, vt ex eius libro c. 1. notaui. Morales etiam, & myſticæ afferri queant rationes nõ omnino, vti quidẽ reor, abſonæ. *Prima*, vt ſumma Ioſuæ dignitas paulatim innoteſceret, cum, ipſo Aharone, ſenioribus huius filiis Nadab, & Abiu, totius denique populi Septuaginta optimatibus relictis, vnus ille in tã admirabili aſcenſu ſocius, & comes deligitur. *Altera*. Cũ, vt ſuperiore quæſtione dicebatur, mõti huic ob ſiccitatẽ, & ariditatem, *Horeb* nomen poſitũ ſit, & ob rubos, & ſentes, quibus horrebat, *Sinai*, dictus ſit, virtutis vtique arduus ille aſper, & difficilis mons eſt, quem Gentilis etiã Heſiodus depinxit: in tabulâ Cebes propoſuit: Cicero, vt edificerent, in oreque ſemper haberent adoleſcentes, cõmendauit lib. 6. epiſt. ad famil. 18. Ad hunc igitur aſcẽſurus Moyſes, quidni miniſtrorũ, diſcipulorumque omnium optimũ optimus ille dominus, & doctor aſſumeret? Cur ſe illi quã cupidiſſimè non adiũgeret, non eum ſequeretur Ioſue? vt ſcilicet habeant domini, & Magiſtri omnes, quônã ſuis ipſi, vel famulis, vel diſcipulis præire, hi vero, quo illos ſubſequi, & comitari debeant. Ad hunc montem non aſcendit Epicurus: non qui hortos tantùm, fontes, & vmbras conſectantur, qui Sap. 2. verſ. 8. dicunt: *Coronemus nos roſis, antequam marceſcant, nullũ pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra.* At Moyſes, & Ioſue, id eſt generoſa, Deoque plena pectora, arentes *Horeb* ſcopulos, ſquallentes Sinai rubos petunt, quod in his virtutem, officiũ, Dei legem, Deumque ipſum ineſſe intelligũt. *Tertia*. Futurus erat Moyſis ſucceſſor Ioſue. Ideoque ipſum maximè oportebat, & in ſe, & in populo vniuerſo diuinam legem vrgere, maximi eã facere, omnibus maximis, minimis rebus anteponere. Quanam vero ratione tantũ hoc legis illius ſtudium, amor, admiratio Ioſue melius imprimi, infigique poterat, quàm ſi oculis ipſe ſuis cerneret, quomodo ad eam diuinitus accipiendam ſeſe cõparaſſet Moyſes, quomodo ſanctiſſimis numen precibus coluiſſet, quomodo ab eo tandem in ſublimiorem veluti arcem, ſanctiuſque penetral nominatim vocatur, in eoque tãdiu retẽtus, edoctus, inſtitutuſque fuiſſet? *Quarta*. Quemadmodum in montẽ à parente Abrahamo ductus Iſaac, Christi Domini montem quandoque Golgatha conſcenſuri typus fuit: Ita ſanè, & eandem Iesv noſtri conſcenſionem noſter nunc Iosve ſignificat. Vere ſiquidẽ fuit *Caluaria mons*, Christo Iesv horrendiſſimus *Horeb*, *Sinai ſanctiſsimus*. vbi & clamauit *Sitio*, & ſpinis coronatus, ſanguinem, vitãque profudit. Et fuit à Moyſe ductus Ioſue, quia ab ipſa Sinagoga, Moſaicique populi ſacerdotibus, & principibus, illuc Dominus noſter tractus, raptuſque fuit. *Quinta* demũ eſſe cauſa poteſt, quod Iesvs noſter ſuam etiam in monte legem, ſuaque præcepta daturus erat. Nam *videns turbas*. Matth. 5. v. 1. *aſcendit in montem, & cùm ſediſſet, acceſſerũt ad eum diſcipuli eius, & aperiens os ſuum, docebat eos dicens: Beati pauperes ſpiritu, & quæ ſequuntur.* Quia tamen præcepta hæc charitatis, gratiæque plena ſunt, eſt diſcrimen illud obſeruandum, quod notat Apoſtolus Hebr. 12. verſ. 18. *Non enim acceſsiſtis ad tractabilem montem, ſed acceſsiſtis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis.* Atque iſtæ nunc cauſæ occurrebant.

Q. VI. *Quando in montem aſcendit idem Ioſue?*

Expedita, & facilis reſponſio eſt, aſcendiſſe ipſum, quandò aſcendit Moyſes. poſt legis lationem, acceptionem, confirmationem cap. 24. Exod. deſumptam, & ſacroſancto fœdere ſancitam. Sed aliæ variæ ſuccreſcunt *quæſtiunculæ*.

A

Prima. Quoto ab Ægyptiaca egreſſione anno, menſe, die factus hic Moyſis aſcenſus? Et de prioribus duobus conſtat inter omnes, fuiſſe ab exitu annum primum, & menſem tertium. Id enim planum eſt ex cap. 19. Exodi verſu. 1. tum Num. cap. 10. verſ. 11. Sed de die diſſenſio nonnulla eſt, quæ ex aliis rurſum pendet quęſtiunculis. Ideoque ſit quæſtiuncula *ſecunda*, Quonam die venerint Iſraelitæ ad montem Sinai? *Tertia*, quis dies, quo in tertium diem Iſraelitas paratos eſſe iuſſit Dominus Exod. 19. *Quarta*, quonam die fuerit data lex? *Quinta*, quo confirmat? Incipiendo igitur ab his, à quibus

B

primæ illius nexa reſponſio, animaduertendum in ſecunda duo iterum includi, quæ rogentur. Vnum eſt. *Quoto menſis illius tertii die ad Sinai caſtra poſuerint?* Alterum. *Quotus is dies ab egreſſu ex Ægypto fuerit.* De priori tres ſunt opiniones, ſed aliæ poſſunt adiici. quod quinque videlicet modis illud interpretari liceat, Exod. 19. verſu. 1. *In die hac venerunt in ſolitudinē Sinai.* Primus modus eſt. *in die hac*, id eſt, in primo die menſis iam dicti tertij. Nā vt ait Abulenſis cap. 19. q. 1. *prima cuiuſque menſis vocatur dies hæc*, quia dum illuceſcit, ab

C

ea iam incipit menſis denominari talis, v. c. primus, ſecundus, tertius. Atque hinc eſt prima, & omnem maximè peruagata opinio, ventum in Sinæam hāc ſolitudinem eſſe die primo menſis tertij. Hoc enim ſentiunt præter ipſum cap. 19. quęſt. 1. & 10. cap. 24. quæſt. 21. Abulenſem, Abenezra, Seder cap. 5. & Iudæi pænè omnes apud eundem, quæſtione illa 21. D. Hieronymus in cap. 3. Oſeæ. D. Auguſtinus epiſt. 119. cap. 16. quæſt. 70. Exod. Rupertus lib. 3. de

D

Trinitate, & operibus, cap. 23. & 41. & e recentioribus Caietanus, Lipomanus. Modus eadem illa verba interpretandi *alter* eſt, vt quia erat mentio menſis tertij, dum additur, *in die hac*, ſignificatur idem numerus. quaſi eſſet in menſis tertij die, qui etiam tertius eſt. Sicque eſt opinio ſecunda eo die fuiſſe aduentum illum. In qua ſunt etiam ſcriptores non pauci, ijque clari D. Hieronymus epiſt. ad Fabiolam manſione 12. corrigens, quod loco citato ſcripſerat, Hugo de Sancto Victore in Annotat.

E

Rabbi Salomo, Lyranus. Ribera lib. 5. de templo c. 7. Vtrumlibet approbat Bellarminus lib. 3. de Sanctis cap. 13. *Tertius* interpretandi modus, eſt, vt verba, *in die hac*, referantur ad poſteriora ſuperioris capitis 18. verba, quibus Iethronis in patriam ſuam reditus narratur. Foret etiam ſententia, veniſſe Iſraelem in Sinaiticam iſtam eremum, menſe tertio, & die eodem, quo domum reuertiſſet Moyſis ſocer Iethro. Et ſuffragatur huic expoſitioni Hebraiſmus, quo demonſtratiua iſta, *hic, hac*, ſæpe pro *eodem, eademque* ponuntur. vt Pſal. 141. *In via hac, qua ambulabam, abſconderunt ſuperbi laqueum mihi*, id eſt, *in*

F

viâ eâdem, quâ ambulabam. Iob 19. ex Hebræo. *Et hic quem maximè diligebam, auerſatus eſt me*, id eſt, *ille ipſe, ille idem.* Nehem. 8. *Venerat menſis ſeptimus.* & de eodem poſteà cap. 9. *In die autem viceſimo quarto menſis huius.* Leuit. 23. *Menſe primo quartadecima die menſis ad veſperum Phaſe Domini eſt, & 15. die menſis huius, ſolennitas Azymorum Domini eſt.* Eſt ſane plana, & textui, phraſique communi admodùm conſentanea hæc interpretatio. Sed tum ex hiſce verbis ad propoſitam quæſtionem nihil eſt. Reſtat enim adhuc quærendum; Quiſnam dies ille ſit, quo & Iethronis domuitio, & Iſraelitarum ad Sinai appulſio contigerit. Quemadmodum etiam fieret, ſi quis diem hunc intelligeret, quo iſta vel dixit vel ſcripſit Moyſes. *Quartus* igitur interpretationis modus eſt, vt *in die hac*, valeat in die 15. menſis tertij, id eſt, eodem die, quo egreſſi ſunt ex Ægypto, menſe primo. Hoc enim verbis ipſis conſonat optime, Menſe tertio egreſſionis de terra Ægypti, *in die hac* (ſcilicet egreſſionis; ſiue *in eodem die* 50. menſis tamen non eiuſdē, ſed tertij) *venerunt in ſolitudinem Sinai.* poſſentque huic interpretationi robur adferre, quæ de ita phraſi paulo ante dicta ſunt, & tam crebra illius היום הזה repetitio in cap. 12. Exodi. Sed quia, qui ex hiſce duobus modis, diuerſum Sinæi aduentus diem à ſuperioribus opinaretur, vidi adhuc neminem; ij, licet ipſum facillime textum explicent, iam omittantur: & ſit *tertia*, ſiue vltima opinio eundem aduentum in menſis tertij diem vltimum incidiſſe. Sic enim ait Oleaſter, *In die hâc*, qua ſcilicet completi ſunt tres menſes ab egreſſu de Ægypto. Dices, completos eos primum fuiſſe die 15. menſis quarti. Nam à menſis primi die xv. vſque ad ſecundi menſis diem xv. eſt vnus completus, & ab huius xv. vſque ad tertij menſis xv. eſt ſecundus. Ideoque ad quarti xv. completus fuerit tertius. Reſpondeo eum de menſe primo loqui ſynecdochicōs, qui completus fuit exeunte ipſo Niſan, & ſtatim cœpit menſis ſecundus. Eoque completo tertius, & iſto completo acceſſum ad Sinai eſt. Alioqui, contra textum. Non tertio, ſed quarto egreſſionis mēſe huc penetraſſēt Iſraelitæ. Quo enim modo vocatur *menſis primus*. Exod. 12. verſ. 2. & 18. eum ſcilicet à Neomenia inchoando, & Num. 10. verſ. 11. *menſis ſecundus*, eodem hic modo à Neomenia tertia eſt *menſis tertius*. Non autem primi menſis initium in illo xv. menſis primi, & aliorum alia ſtatuendo principia. Valde interim durum & inauditum per *diem hunc* ſignificari *vltimum*. Quis ita vſquam loquitur? Quæ huic expoſitioni coniectura? Eodemque argumento labefieri videtur, quam pro prima opinione attulit Abulenſis; ratio. Nullibi enim legitur *hic* vel *hæc*, pro *primo*, aut *prima* dici. Alioquin & *hic menſis* diceretur *primus anni menſis.* Quin & ex eo apparet eſſe interpretationem hanc totam commentitiam, quod per Indicatiuum hoc, iſte menſis *principium*, Oleaſter *finem* accipit. At *dum primus cuiuſque menſis dies illuceſcit, ſimul etiam menſis incipit.* Quid tum? Vltimo itidem contenebrante, menſis deſinit. An idcirco dies *hic* aut primus, aut vltimus eſt? In ſecundā igitur ab eo ſententiā, vt *tertio tertii menſis die* venerint. Videtur enim etiam vſu quotidiano hæc loquendi ratio trita ſatis, vt præpoſitus ſemel numerus, alteri etiam ſubditæ rei iungatur. vt ſi dicam die hebdomadis VI. & eadem hora Dominus crucifixus eſt. Hebdomadæ Decembris tertiâ, eodemque die iſtud ſcribebam. Nam *hunc* pro *eodem* ſumi, dictum ſuprà. Ad alias nunc quæſtiunculas eamus.

Eſt

Digitized by Google

Q. VII. *Quotus ab Ægyptiaco egreſſu dies fuerit, quo ad Sinai peruentum?*

Eſt hæc è poſitis ſuperiore quæſtio quæſtionibus, *altera*, de quâ diſſideant neceſſe eſt, qui de menſis tertij die diſſident: adeò vt eam ob cauſam D. Hieronymus in Oſeæ 3. ſcripſerit, fuiſſe diem 45. in epiſtola ad Fabiolam diem 47. Sed antequam ferri poſſit iudicium, tria ſunt ſtatuẽda. *Primum.* Quales tum vſitati menſes fuerint? Nam *Lunares* fuiſſe, qui alternis pleni, & caui eſſe ſolent, plurimorum opinio eſt. & maximè Iudæorum in Exod. 12. in *Seder* loco citato, & in ſuis Calendariis. Itemque Abulenſis, Ruperti lib. 3. de Trinit. cap. 41. Bellarmini, & Rabani locis citatis. At *ſolares* fuiſſe, & quidem æquales, id eſt, [illegible], quemlibet dierum 30. non deſunt, qui putent, &, vt videtur, Arias lib. de temporibus. *Alterum* eſt. Si menſes fuerunt lunares, erat ne menſis menſis Niſan *plenus*, an *cauus*? Plenum id eſt, dierum 30. ſtatuit Seder loco citato, & hodierna Iudæorum Calendaria. Ideoque ſequentem menſem *Iiar*, cauum, id eſt, dies 29. Tertium *Sivan* iterum plenum. Et ita deinceps. At cauum Rupertus l. 3. de Trinit. c. 41. primum illum facit, & plenũ ſecũdum. *Tertium*: ſitne in iſta putatione ſumendus ipſe dies egreſſionis, an excludendus dies ipſius aduentus. Excludendũ monent Caietanus, & Ribera loco citato. De *primo*, libet cõmune illi ſubſcribere ſententiæ; licet ex Geneſ. c. 7. certũ putẽ, colligi & annos & menſes, diluuij tẽpore, ſolares fuiſſe: neq; ſciam, quando hæc immutata ratio ſit. Moyſes enim Exod. 12. menſium tantùm ordinẽ aliquem, non dierum in iis numerũ mutauit. etſi nec ordinem quidem ab illo mutatum: ſed primum ſemper fuiſſe vernum *Niſan*, contendit l. de variis annorum formis c. 2. p. 15. Thomas Lydyat. De *ſecundo* item aſſentior, fuiſſe menſium primũ plenum, licet ad eundẽ conficiendũ numerum, interſit nihil, vterlibet integer aut mancus fuerit. De *tertio*, vtrumlibet fiat, nihil refert, dummodo id explicetur. Magis tamẽ diem egreſſionis ſuis in putationibus excluſiſſe videtur veteres, & aduentus incluſiſſe. Fuit ergo in Sinai aduentus ab Ægyptiaco exceſſu, dies 47. ſecundũ rationẽ lunarem poſitã, & excluſo die ipſius egreſſus, incluſoque ipſius aduentus. Licebit verò D. Auguſt. & alios nonnullos per iſta, quæ dixi, explicare potiùs, quam velut Arithmeticę ignaros accuſare. Nam S. Auguſtinus locis citatis, vt Pẽtecoſtes diẽ 50. inueniat dum ex 1. menſe dies accipit 17. ex ſecundo, triginta, ex tertio tres, in ea, quæ ſolares menſes amplectitur, fuit ſententia. Ideoque vel iſti apud Bellarminum loco citato refutandi erant, vel ipſius haud culpandus calculus. Sicque de Lipomano apud Riberam. Solent alioqui omnes, qui lunaribus vtuntur menſibus, & primum menſis diem, quo Sinai attigerant Iſraëlitæ, conſtituunt, numerare diem ab exitu 45. Sequitur è quinis illis quæſtiuncula *tertia*. Sed, quæ in omnium ordine octaua.

Q. VIII. *Quonam die dictum illud Exod. 19. verſ. 11. ſint parati in diem tertium?*

Primo menſis tertij die dictum vult citatis locis D. Auguſtinus, & Abulenſis quæſt. 19. ca. 19. Sed hi iam nobis non audiendi, quia quæſt. 6. eo die nondum iter hoc ingreſſos fuiſſe ſenſimus, ſed die tantùm *tertio*. Alij ergo hoc ipſo *tertio* die Devm iſta Moyſi dixiſſe cenſent, vt R. Moyſes, & Abenezra. Sed hos non oporteret dicere, quod tamen dicunt, *primo* illo menſis die huc Iſraëlitas veniſſe, & in Montem Sinai, Moyſen bis aſcendiſſe, ex eodemque deſcendiſſe. Nam cùm primo illo die aſcendiſſet, deberetque tantum ipſe Domino, an in accipienda lege voluntarius, & lubens eſſet populus, referre, quorſum in tertium diem, aſcenſionem, reſponſumque diſtuliſſet? An non populus ſtatim dixerat, *Cuncta, quæ locutus eſt Dominus, faciemus*? An tardus adeò, & piger Moyſes, vt ne ſecundo quidem die aſcenderit? Sunt alij, quibus *quarto* potiùs die dicta hæc videantur, vt Caietanus, R. Salomo, Lyranus, Bellarminus. Sed cum primum etiam menſis diem in ſolitudinem iſtam aduentus, primoque Moyſis aſcenſui det Caietanus, multò adhuc cunctantiorem facit Moyſem, quàm paulo antè improbati Rabbini. Cæteri verò in *tertium* menſis diem, vt ſuprà viſum eſt, Sinaiticum hunc acceſſum conferunt, ſed fieri non poſſe arbitrantur, vt eodem die ſuum Moyſes fixerit tabernaculum, montem altiſſimum ſtatim aſcenderit, exinde ad populum, vt diuinam voluntatem explicaret, deſcenderit, iterumque, vt populi reſponſum referret, aſcenderit, & rurſum poſteà deſcenderit, vt in tertium diem paratos eſſe omnes iuberet. Atque his ego non poſſum aſtipulari, cùm cogito primum, etſi fuit inter Raphidim vnde diſceſſerant, & Sinai, quo venerant itineris non multum, fuiſſe tamen tantam hominum multitudinem, vt vix ante meridiem eum in locum veniſſe, ibidemque conſtitiſſe omnes videantur. Neque enim nocte, ſed luce illinc caſtra mota. Deinde quæ omnium in figendis tabernaculis occupatio? Eſto: habuerit Moyſes, vel Ioſue, vel alios, quibus tabernaculi ſui erectionem demandaret, eaque ipſe occupatione ſolutus in mõtem aſcenderet, quomodo tamen eodem die bis editiſſimum, & impeditiſſimum montem illum aſcendere, bis diuinas voces audire, bis deſcendere, bis populi ſeniores conuocare potuit? Iſto denique modo, quæ textus tradit, congruũt magis omnia. Nam v. 10. dicitur. *Sanctifica illos hodie, & cras. & ſint parati in diem tertium.* Illud, *Hodie*, ſignificat eum diem, quo iſta Dominus loquebatur, in iſto dierum ternario includendum: & eiuſdem ternarii diem illum tertium, eundem fuiſſe, quo legem daturus deſcendit Dominus, iudicant ſequẽntia v. 11. *In die enim tertia deſcendet Dominus.* Ita vt ſi die menſis tertio dicta hæc eſſent, concludendum foret, die menſis eiuſdem quinto legem datam. At *ſexto* datam volunt iſti, quibus cum mihi iam diſputatio eſt. Idque infrà confirmabitur. Statuendum igitur *die tertij menſis quarto, & ab Ægyptiacâ egreſſione* XLVIII. imperâſſe hæc Dominum.

Q. IX. *Quoto, & menſis tertij, & Ægyptiaci exitus die data lex?*

Qvarta hæc anteà ponebatur quæſtio. & primo quidem D. Auguſtinus, atque Abulenſis, citatis locis, diem nominant menſis *tertium*. Sed cùm ille vult eſſe à die mactati Agni, & eo quidem incluſo quinquageſimum. Sic: Primi menſis die 14. fuit agnus occiſus. Ab eo igitur incluſo ſuperſunt eiuſdem menſis dies —— 16.
ſecundi 30.
tertij 3.
4.

Abulenſis verò, & Rupertus l. c. ab eodem ſimiliter Paſchatis die incluſo, ſed quia lunares

menſes accipiunt, diem aiunt datæ legis fuiſſe quidem menſis tertij tertium, ſe ab illo Paſchate 49. Sic: E. primo menſe dies. —— 15.
29.
6.
——
50.

Scaliger verò lib. 3. Iſag. Canonum in cap. 6. p. 218. ait quidem legis ac Pentecoſtes diem ſemper incidere in menſis tertij diem ſextum. ſed dictum inter Paſcha & Pentecoſten primum eſſe vult diem quo primitiarum offerebatur manipulus, id eſt, diem 16. primi menſis. quia nimirum ſequentem ſecundum menſem fuiſſe cenſet cauum: non autem omnes æquabiles, pleroſque menſes, vti ante Exodum fuerant. Sed ſi, quæ ſuperius diſputata ſunt, veriora ſunt, iam planè conſtatui, & efficitur id, quod quærimus, fuiſſe menſis eiuſdem tertij diem 6. & ab exitus Ægyptiaci die non vnà numerato, 5. Sic —— 15.
29.
6.
——
50.

Et breuiùs ſic. Dies quo iuſſi ſunt eſſe in tertium diem parati, vt legē acciperēt, fuit, vt ſuprà dictum eſt quæſt. 8. menſis tertij *quartus*, & ab exitu 48. Ergo *dies* legis ipſius datæ fuit menſis illius *ſextus*, & ab exitu 50. Quia, vt eadem quæſtione probatum, in præfinito illorum dierum ternario tam primus, quàm tertius dies includendus ſic. —— 1. | 48.
2. | 49.
3. | 50.

Atque hæc aliorum doctorum, D. Hieronymi, Caietani, Riberæ, Bellarmini loco citato, omniumque Iudæorum receptiſſima ſententia eſt. Ineptiſſima verò illa, quam Tract. de annis cap. 5. pag. 45. 46. 47. inuehere, ſed abſque argumento vllo bono ſtudet Nouator Lydyat; *primitiarum manipulum* fuiſſe oblatum non poſtridie Paſchatis, ſeu die XVI. menſis primi, ſed primo die, qui poſt ſabbatum in azymorum hebdomadem incidens fuiſſet: id eſt, ſemper die illo Dominico, vt iam Chriſtianè loquimur, qui vel in eam azymorum hebdomadem incidebat, vel eam proximè ſequebatur. Diem verò fuiſſe ſabbathi, quo data lex tradit Abraham Zacuth *Inchaſin*. fol. 9. 6. alij. de quibus in cap. 2. Act. Apoſtol. quæſt. 4.

Q. X. *Quonam die confirmata lex?*

QVIA Exod. cap. 24. verſ. 13. ſcriptum, *Surrexerunt Moyſes, & Ioſue*, poſſet ea cuipiam ſubnaſci opinio, quaſi è ſomno, & quiete nocturna illi ſurrexerint, montemque ſic aſcenderint. Tum verò foret dies à data lege *tertius*, id eſt, menſis tertij *octauus*, egreſſionis 52. Nam poſtridie legiſlationis, conſtat, victimis, & fœderi per ſanguinis aſperſionem, iciendo dediſſe Moyſen operam: deinde ad montis initium cum Aaron, Nadab, Abiu, & 70. ſenioribus aſcendiſſe, Dominumque vidiſſe, prout ibidem à verſu. 1. ad 12. narratur. Dicendum tamen, eodem *legiſlationis poſtridiano aſcendiſſe in Sinai cum Ioſue Moyſen*. Nam matutino tempore facta ſunt priora illa, vti patet ex verſ. 4. Moyſes verò ſub meridiem, vel certe pòſt, vt aſcenderet, ſat adhuc habuit temporis. Et verò tūc aſcendiſſe, tota textus declarat continuatio. Nam ſiue cum illis adhuc pranderit, oblatarumque victimarum guſtarit aliquid Moyſes v. 11. ſiue, quod videri alicui poteſt probabilius, impaſtus, impranſuſque omninò fuerit, ſtatim additur. *Dixit autem Dominus ad Moyſen, Aſcende ad me.* Hæc enim verba vel nouum, iteratumque mandatum ſunt, vel idem prorſus, quod iam ſuprà v. 1. enarrari cœptum erat, prout Abulenſi poſt quæſt. 15. videtur. Vtrumlibet arbitretur quis, videbit tamen per ſequentia verba, verſ. 13. *Surrexerunt autem Moyſes & Ioſue*, nihil aliud ſignificari, quàm ſtatim ſeſe Moyſen accinxiſſe, vt præcepto illi morē gereret. ſicque abſque mora, & cunctatione vlla cœpiſſe altiùs, vnà cum Ioſue, miniſtro præ omnibus intimo, & chariſſimo, aſcendere. Solet enim *ſurgendi* verbum paſſim in ſcriptura ſumi pro ipſa ad opus aliquod, vel iter aggreſſione accipi, & præſertim dum feſtinatio, & celeritas ſignificatur: vt Deuter. 9. verſ. 12. *Surge, & deſcende hinc citò.* Marci 10. v. 1. *Inde exurgens venit in fines Iudææ.* Luc. 1. verſ. 39. *Exurgens Maria in diebus illis abiit in montana cum feſtinatione.* Imò vt acceleratio maior exprimatur, ſolet interdum apponi *manè*, vt Ierem. 7. *Manè conſurgent ad me.* vt Ierem. 7. *Locutus ſum ad vos manè conſurgens.* Hoſeæ cap. 5. verſ. 1. *In tribulatione ſuā manè conſurgent ad me.* Quod in Pſal. 15. aliter dicitur, *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſteà accelerauerunt.* Neque enim ex ſomno expergiſcebantur Cicero, eiuſque frater, cùm ille in extremo ſecundi de diuinatione ſcriberet. *Quæ cùm eſſent dicta, ſurreximus*: ſed ſe abiiſſe dicit, vel quia in Bibliotheca, quæ in Lyceo erat, aſſederant, inde ſurrexiſſe. Confirmata igitur lex fuit poſtridie quàm data fuerat: Tumq; cū Moyſe, noſter in montē Sinai aſcendit *Ioſue*, id eſt, *die menſis tertij ſeptimo*, Ægyptiacæ libertatis 51. incluſiuè, 52. excluſiuè.

Q. XI. *An ob legis datæ memoriam Iudaica Pentecoſte fuerit?*

ASSERVNT Iudæorum nonnulli, vt lib. 3. *Moreh Nebuchim* c. 41. Rabbi Moſes Ægyptius. Rabbi Eliezer cap. 41. Rabbi Iſaac Penharama, Porta 67. c. 4. fol. 193. b. Eſtque conſpirantiſſima Chriſtianorum ſententia Doctorum, vt D. Auguſtini, D. Hieronymi, & aliorum citatis locis. Rupertus tamen, & Abulenſis paulò aliter datæ legis nomen accipiunt. Volunt enim, quādo lex in Sinai à Domino pronunciata eſt, fuiſſe datam inchoate, ac imperfectè: ſed poſtridie dum ſacrificio, & ſanguinis aſperſione cōfirmata eſt, datā plenè, ac perfectè. Sicq. imperfectæ illius dationis diē non agi, ſed perfectæ. quia ille 49. eſt, vt ſuperiore quæſtione viſum, hic 50. At veriùs eſt, cùm de data lege agitur, videri tunc potius, & perfectius datā, quando in Sinai à Domino promulgata eſt, quàm poſtea, dum icto tantùm fœdere ſtabilita. Nam *primò* alioqui liceret etiam dicere, ne tum quidem, cùm ſtabilita eſt, fuiſſe perfectè datam. Quia etiam ſi lata iam, confirmata, in tabulas tamen relata nondum erat. ita vt dationis huius perfectio tum fuiſſe videretur, cùm tabulæ datæ ſunt. *Deinde* clarum eſt, aliud eſſe, legem ferre, aliud cum ritibus, & cæremoniis quibuſdam corroborare. Illud perfectiſſime in Sinai factum, hoc poſtridie per ſacrificia, & ſanguinem. *Et* nonne ſumma DEI legem promulgantis maieſtas fuit? *Nonne* legem dare, actionē ipſius legiſlatoris potiùs ſignificat, quàm legem accipientiū? Maximè enim profeſſi iam eſſent, eam ſe legem, & quidquid Domino

ſancire

Digitized by Google

ſancire libitum fuiſſet, lubentiſſimos admittere. A ita vt quæ dici ſolet, legis acceptatio, vnà cum ipſa eius latione præſtò eſſet: neque in diem poſterum differretur. A communi ergo ſententiâ cur abeundum ſit, nihil eſt. Illud tamen non immeritò miretur fortè quiſpiam, cur inſtitutæ apud Iudæos Pentecoſtes hæc, nuſquam in ſcripturis, cauſa dicatur. cùm tamen Paſchatis, Azymorum, Expiationis, & Tabernaculorum cauſæ tam diligenter traditæ ſint, cùm alibi, tum Leuitic. 23. Deuteron. 16. Imò alia potius cauſa eiuſdem Pentecoſtes inibi refertur, oblatio ſcilicet panis primitiarum, ob perfectam, collectamque meſſem. Eandem, & ſolam aperuerunt cauſam, Philo lib. de Decalogo, & Ioſephus lib. 3. Antiq. c. 10. vbi feſtum hoc *Aſarta* vocari ait, ab עצר ſcilicet, ſicuti tum idem dies in Hebræorum Computo dicitur עצרת, tum *ſeptimus Azymorum* Deuteronom. 16. & *octauus Tabernaculorum* Leuitic. 23. prout notaui etiam infrà Ioſuæ 5. quæſt. 34. vt neceſſe haud ſit, Lydiato lib. de anniformis cap. 5. pagina 48. fidem adhibere vllam, cum ſcribit, *ineptiſſimam eſſe vocis illius aſartha, interpretationem, & ad Pentecoſten appropriationem, quæ ſciolum aliquem Græculum interpolatorem, aut licentioſum interpretem prorſus redolet.* Imò tres ordinariæ in ſcriptura ſunt feſtorum clauſulæ, quæ ſingulæ vocantur *hetſereth*. 1. eſt octaua ſcænopegiorum. 2. ſeptima Azymorum. 3. Pentecoſte, vti oſtendit pluribus Scaliger lib. 3. Canonum Iſagog. pagina 218. Sed V. Bedæ ſcrupulum lib. de ratione temporum c. 9. lege.

Q. XII. *Congruatne noſtra Pẽtecoſte, quoad tempus, cum Iudaicâ?*

B PENTECOSTE noſtra vel ea dicitur, quæ prima fuit, vel quæ deinceps ſecuta eſt, & etiamnum ſequitur. Illa, vt omnium concors ſententia eſt, cœpit numerando à Dominicæ reſurrectionis die, vſque ad diem, quo miſſus in Apoſtolos Spiritus ſanctus Actor. 2. verſ. 1. fuit autem Domini reſurrectio die menſis primi 17. ideoque eum diem includendo, fuit Pentecoſte menſis tertii dies 6. ab exitus memoria dies 50. excluſiuè, dies 51. incluſiuè. Nam

Menſis primi			
die 14	♃	Agni paſchalis eſus, & ſacra inſtitutio.	
15	♀	Crucifixio. Azym. d. 1.	
16	♄	Quies in ſepulchro. Oblatio manip.	
17	☉	Reſurrectio. Vnde ad Pentecoſt. dies	1
18	☽		2
19	♂		3
20	☿		4
21	♃		5
22	♀		6
23	♄		7
24	☉	*Apparitio facta S. Thomæ. Ioan. 20.*	
25	☽		9
26	♂		10
27	☿		11
28	♃		12
29	♀		13
30	♄		14
Menſis ſecundi			
die 1	☉		15
2	☽		16
3	♂		17
4	☿		18
5	♃		19
6	♀		20
7	♄		21
8	☉		22
9	☽		23
10	♂		24
11	☿		25

Menſis ſecundi		die	
12	♃	26	à reſurrection.
13	♀	27	
14	♄	28	
15	☉	29	
16	☽	30	
17	♂	31	
18	☿	32	
19	♃	33	
20	♀	34	
21	♄	35	
22	☉	36	
23	☽	37	
24	♂	38	
25	☿	39	
26	♃	40	*Aſcenſio Domini.*
27	♀	41	
28	♄	42	
29	☉	43	
30	☽	44	
Menſis tertij			
die 1	♂	45	
2	☿	46	
3	♃	47	
4	♀	48	
5	♄	49	
6	☉	50	Pentecoſt. & miſſio SS.

Aliæ verò deinceps Chriſtianorũ Pentecoſtæ C ſimiliter à ſacra Domini anaſtaſi ducũt initium.

At Iudaica Pentecoſte, cum qua noſtra conferatur, duplex itidem conſiderari poteſt. Nam vel eam accipimus, prout deſcribitur Leuitici. 23. Deuteronom. 16. vel prout eo ipſo Paſſionis Dominicæ anno à Iudæis acta eſt. Si priore modo Iudaicam Pentecoſten conſideremus, eamque cum noſtrâ prima comparemus, ſumma erit conſonantia. Nam Iudaica erat, vt ſuprà vidimus, quæſtione 9. ab 17. menſis primi die auſpicanda incluſiuè, ſeu ab 16. excluſiuè. Noſtram verò à 17. ſimiliter auſpicati ſumus. & in vtraque tertij menſis diem ſextum cecidit. Si poſteriore modo Iudaicam eandem Pentecoſten ſpectemus inter eam, & primam illam noſtram ſumma itidem conſentio eſt. Suam enim tunc à menſis primi die 17. inchoarant Iudæi, vel ob ordinariam, ſtatamque cauſam, vel ob eam, quam loco citato tradit Bellarminus, & quam paulò diligentius excutiam Ioſ. 5. quæſt. 30. quòd quando alter azymorum dies, qui menſis primi erat XVI. in Sabbathum incidebat, differebatur in poſterum diem, id eſt, tertium azymorum, ſiue menſis diem 17. oblatio manipuli, ideoque & quinquaginta dierum primus, qui per legem Leuit. 23. cum illa ſemper cohærebat, ita vt ſemper vnum, eundemque diem obtinerent; oblatus manipulus, & Pentecoſtes ſiue 50.

Digitized by Google

dierum exordium. Dilatio enim illa ex illius ſententia, ideo fiebat, quòd vt offerretur manipulus, debebat in ſegetẽ mitti falx. At hoc ſeruile opus cẽſebatur. Ergo neq; primo die azymorũ, neq; die poſtero, ſi ſabbathũ erat, meſſio illa fieri poterat per leges eodem loco conſcriptas.

Sed opinioni huic *tria* obiicit P. Soarez Tom. 2. diſputat. 46. ſect. 1. *Primò*. Metere in oblationem manipulum, opus erat religioſum. At huiuſcemodi opera vetita non erant, vti etiam ad ſacrificia mactare oues, & boues decoriare, abluere. *Secundò*. Potuiſſet prioribus diebus meti ille manipulus. 3. A nemine huiuſcemodi exceptio tradita eſt.

Reſpondeo *ad primum*. Verè licuiſſe huiuſcemodi manipulum eo die ad oblationem reſecare: id tamen, ſicuti & alia id genus plura refugiſſe Hebræos, quòd ſeruilis operis ſpeciem quandam haberent. Neque immediatè, & proximè ad DEI cultum ea reſectio videretur pertinere. Nam in his & ſimilibus putant Iudæi, ſicuti & hodie poſitam quam vocant legis ſepem ſiue *géder hattboráh*. Nam & ipſe vidi cum, in *expiationis* die, non auderent ſuis in ſynagogis cereos ardentes vel emungere, vel, ſi cera in ipſorum etiam libros, aut veſtes deflueret, paulò componere melius: ſed eam ad rem, vel Chriſtiani operam rogarent, vel mercede conducerent. Et alio feſto die, *Tabernaculorum* ſcilicet, cùm accepiſſet eorum quiſpiam literas, vt eas aperire, & reſignare vellet Chriſtianus, eum rogabat. Cumque negaret is, & tantæ ſuperſtitionis flagitaret cauſam, reſpondebat e *Miſnah* ille, hoc, & id genus alia, eſſe *geder hattborath*. vt alibi etiam repeto Ioſuæ cap. 5.

Ad *ſecundum*. Sanè ipſo azymorum die primo non licuit, vt ſuprà dictum. quia & is admodum feſtus erat. Dubitatio tantùm eſſe poteſt, de ipſo immolationis agni die, ſaltem antè veſperam, vel pomeridianum tempus. Cur enim vel eo die antemeridianis horis, manipulum iſtum præmetere, vel prioribus etiam diebus, non licuiſſet? Exiſtimarem voluiſſe ipſos, decorumque putaſſe, vt recentiſſimus eſſet ille manipulus, ita vt quaſi ab agro ad templum priuſquam vel horreum, vel domum aliam ingrederentur, deferri oporteret illas ipſas meſſis primitias.

Ad *tertium*. Fatetur idipſum Bellarminus. At illuſtriſſimus Baronius Tomo 1. eius auctorem ſententiæ citat S. Epiphanium hæreſ. 51. Quoad cæteras verò Pentecoſtas noſtras, earum eadem ratio eſt, ſi ad Iudaicæ Pentecoſtes diem conferantur, quæ noſtrorum Paſchatum, ad illorum Paſcha. Quemadmodum enim 14. ☽ ſemper illis Paſcha eſt, nobis nunquam: ita ex illo die incluſiuè, ſemper dies 25. illis Pentecoſte eſt: nobis nunquam. quamquam veri ſimillimum eſt, eos ſtatum ordinariumque diem *Agni* edendi ſeruaſſe XIV. diem menſis primi, *azymorum* primum diem XV. *oblationis manipuli* diem XVI. & ab hoc incluſiuè ſumpto, vt ab Scaligero lib. 3. Iſag. p. 218. ſumitur, dies numeratos 50. ipſius Pentecoſtes. Sed mali ab 1. incluſiuè potius, qnod menſes adhuc omnes videantur pleni & æquabiles fuiſſe. Sicque à ſecundo die Paſchatis excluſiuè, Pentecoſten ſeu dies 50. incipiebant quidam Iudæi, vt vult Ioſephus, ſed à tertio incluſiuè. niſi Paſcha vocemus diem 15. menſis primi, & diem 16. vocemus primum Paſchatis, 17. ſecundum, vti rurſus tango in Actuum Apoſt. cap. 2. quæſt. 2. Ad feſtam tamen, & vtilem myſteriorum illorum memoriam idipſum refert nihil.

Q. XIII. *Congruantne, Iudaica, & noſtra, Pentecoſte quoad rem aliquam ſignificatam?*

IVDAICA Pentecoſte prima legem diuinitus accepit: cæteræ deinceps quotannis eius rei memoriam recoluerunt. Prima noſtra legem etiam ſpiritualem, & Euangelicam accepit, Spiritus nimirum ſancti gratiam, quâ præcepta promtè omnia complentur: variaſque linguarum dotes, & ſapientiæ, quibus in omnes lex illa terras, & nationes propagaretur. eorumque donorum anniuerſaria ſemper eo die memoria eſt. Sicq; Iudàica illa Pentecoſte noſtræ typus quidam, & figura fuit, cùm in noſtrâ veritas, & ſignificata res ipſa inſit: prout iampridem è noſtris notarunt. D. Hieronymus epiſtola 127. ad Fabiolam manſione illâ 12. citatâ, S. Leo ſermone 1. Pentecoſtes, S. Cyprianus ſermone de 55. Seuerianus apud Theophylactum, Actor. 2. ipſe etiam Theophylactus, & V. Beda ibidem. inprimiſque D. Auguſtinus epiſtola 119. cap. 16. At Caluinus Actor. 2. *In hoc*, ait, *Auguſtinum cuperem magis ſobrium, & modeſtum eſſe.* Itane verò? Tibi Caluine D. Auguſtinus ebrius, & immodeſtus? Sed eum vt accuſes, ratione forſan aliqua, & neceſſaria vrgeris. Cedo. quænam illa? Nullam affers? Et quis te non potiùs in hoc, & aliis Patribus doctiſſimis, ſanctiſſimis calumniandis non *magis ſobrium, & modeſtum*, velit? Eodem etiam die, ab Apoſtolis, panis, quem ex ipſius cœli agro dederat Dominus, primitiæ oblatæ ſunt, dum ad omnes gentes, quæ ſub cœlo ſunt, cœperunt linguis variis loqui DEI magnalia: ipſeque magnus ille ſacerdos *Petrus* primitias hominum ter mille CHRISTO Domino adiunctorum hecatombas litauit.

Poſſet hic etiam cogitari, quemadmodum matutino tempore lex in Sinai data fuerit: & Euangelica hæc gratia in Sion data ſub horam antemeridianam tertiam quomodo ibi, & hîc tonitruum fragores auditi, flammarum ardores conſpecti, mirificæ animorum mutationes factę ſint. Sed iſta nunc ſatis, de quibus iterum aliquid in caput 2. Actuum Apoſt. quæſt. 5.

Q. XIV. *Quamdiu in monte Sinai manſit Ioſue?*

QVIDAM apud Abulenſem cap. 32. quæſt. 25. volunt in caſtra rediiſſe: ſed an rediret Moyſes, ſolitum quotidie diligentiùs explorare, aſpiciendo vias, & ad montis radicem progrediendo. Dicendum tamen, *omnino tamdiu in monte ipſum manſiſſe, quamdiu ibidem manſit Moyſes.* Nam cum eo aſcendit, vti hactenus viſum eſt ex capite 24. Exod. verſ. 13. & cum eodem poſteà deſcendit eodem lib. cap. 32. verſ. 17. Neque ſuſpicari licet, eum interea temporis deſcendiſſe, & iterum aſcendiſſe. Primò enim Moyſes eum illic ſemper, & aſſiduè ſecum manſurum ſatis ſignificauit, cùm ſenioribus dixit capite 24. verſu. 14. *Expectate hic, donec reuertamur ad vos.* Deinde, *Moyſis miniſter* erat Ioſue. Non ergo niſi iuſſus illinc abire potuit. Ne ſi ipſum fortè requiſiuiſſet Moyſes, ille, ſerui nequam inſtar, ſuo ſe hero ſubterduxiſſet, aliaſque res ageret. Denique, ſi ante Moyſen, è monte deſcendiſſet, quando id obſecro fuiſſet? An ſemel tantùm? An ſæpius? &

quam

Digitized by Google

quam ob cauſam? Quem in locum? Nam in ca- A
ſtra ſi veniſſet (nec tamen video, quónam aliò
potius ire vellet) reſciuiſſet ipſe aliquid de apo-
ſtaticâ populi murmuratione, vituli fabricatio-
ne, feſtæ celebritatis indictione, aliiſque ſimili-
bus. Horum verò ſciiſſe nihil, fit ex eo perſpi-
cuum, quòd Moyſi, eorum nec quicquam indi-
cârit cap.32.verſu.7.imo cùm Bacchicos luden-
tium, ſalentiumque clamores audiret, ſiniſtri
omnino nihil ſuſpicatus ſit: ſed bellicam potius
vociterationem. Martiaque celeuſmata. ibidem
verſ.17. Potuiſſent etiam facilè ſuper Moyſe ip-
ſum rogare, qui cap.32. verſu.1. dicere auſi ſunt. B
*Moyſi huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, igno-
ramus quid acciderit.* Et verò etiam ſi ad radices
montis egreſſus quotidie fuiſſet, decipi tamen
potuiſſet, quia alia diei hora, quam ille putaſſet,
deſcenderet Moyſes: aut certè totos in via dies
ei exſpectandum fuiſſet. Cur verò non in mon-
te potiùs? Quamdiu verò ipſe in monte reſti-
terit Moyſes, duplex opinio eſt. Vna, dies ei
dat 40. altera 46. In illa ſunt Iudæi. quia Deu-
teronom.9.verſu.9. dicitur: *Perſeueraui in mon-* C
te 40. diebus, & noctibus. Idque arbitratur ve-
riſimilius Abulenſis Exodi. 24. quæſtione 21.
Nam alioqui, cùm, vt duram Hebræorum cer-
uicem aliquantulum inflecteret, ſuos pro iis la-
bores, & moleſtias explicare cœpiſſet, potiùs,
quod eum ad finem vtilius erat, dixiſſet, ſe die-
bus 46. totidemque noctibus in monte perſeue-
raſſe quàm 40. Nihilo tamen minus textui, ip-
ſique adeò veritati conſentaneum magis reor,
ſi eius in monte commorationi dies, noctéſque
tribuantur 46. Nam Exodi 24.verſu.15.dicitur:
Poſteaquam aſcendiſſet montem Moyſes, *texiſ-* D
ſe montem, & Moyſen ipſum nubes quædam, idque *ſex
diebus*: poſt hos verò vocaſſe DEVS Moyſen in-
tra nubem eandem, ſed alio iam loco, ſtatu, alio-
que modo affectum. Tunc enim nubis ipſius
medium ingreſſus eſt, quod in editiſſimo ipſius
montis erat vertice, & quidem, ardentis ignis
inſtar. Poſtea verò ſubditur: *Et fuit ibi 40. die-
bus & 40. noctibus.* Si totum ergo quo in mon-
te fuit, tempus accipiatur, id eſt, tam in inferio-
re, quàm in ſumma illius parte, tam in nebula E
quidem, ſed extra eius medium, quàm intra me-
dium, dies neceſſariò exiſtunt 46. Neque ratio-
cinationi officit illa in Deuteronomio laborum
exaggeratio. Quia non ſimpliciter ſe in monte
ait fuiſſe 40. diebus, & noctibus, ſed *nihil eden-
tem, nihil bibentem.* Sex verò diebus prioribus
ederit, & biberit aliquid. De quo poſtea. Id
verò longè plus, & ad propoſitum finem aptius
eſt, quàm ſi 46. dies, & noctes illic ſeſe fuiſſe,
diceret, nullamque illius aut inediæ, aut imbi-
beſiæ faceret mentionem. aut ſi faceret, eam F
non toti dierum illorum 46. numero adiunge-
ret, ſed eorum parti tantummodo, ſcilicet 40.
Minutior enim hæc dierum fractio vim, & im-
petum orationis fregiſſet, vt auctoritatis, &
momenti tantum non haberet. Confirmatur
porrò mea hæc ſententia ex incommoda ſex
iſtorum dierum numeratione, quæ ab illis fit.
Nam Iudæi quidem, volunt eos ab ipſo menſis
tertii principio inchoandos, quo primùm die
aſcendit in Sinai Moyſes. At hoc iam ſupra
quæſtione 6. & 7. ſublatum. Sed eſto, Aſcen-
Ioſue.

derit Moyſes menſis huius die primò, nondum
tamen tunc montem cœpit operire nubes. Nam
poſteà, id eſt, die tertio, vel quarto ex ipſorum
Iudæorum ſententiâ, de qua quæſtione 8. dixit
Dominus capite 19. v. 9. *Iam nunc veniam ad te
in caligine nubis.* Et poſteà, die ſcilicet ſexto ibi-
dem v.16. *cœpit nubes denſiſſima operire montem.*
Sed capite 24. verſu. 16. totos ſex iſtos dies nu-
be iſta opertus, tectuſque fuit Moyſes. Abu-
lenſis verò 21. quæſtione citata, cenſet ipſe qui-
dem à legis datæ poſtridiano eoſdem ſex dies ot-
diendos; ſed in quadragenarium, cuius memi-
nit ſcriptura, numerum includendos. Verum
iam paulo ante mõſtratum, ab illo eos per ſcrip-
turam ipſam diſcludi. Nam extra nebulæ me-
dium ſex dies fuit. Septimò autem die in illud,
ipſius Domini vocatu, ingreſſus eſt. *Et fuit ibi,*
ait textus verſu. 18. *quadraginta diebus, & quadra-
ginta noctibus.* Ideoque & noſter Ioſue quadra-
ginta ſex dies in Sinai hæſit: ſex quidem in parte
inferiore, extra illud nebulæ medium, vnà cum
Moyſe: reſiduos deinde quadraginta vel eodem
in loco, ſed digreſſo iam altius in nubis illud in-
timum Moyſe: vel in eadem cum ipſo Moyſe
ſtatione altiore, & nobiliore. Hoc enim iam
diſquirendum.

Q. XV. Fueritne Ioſue vnà cum Moyſe in editiſſimâ montis, & nobiliſſimâ nubis parte?

SANE verò, cum in ima montis parte Aa-
ronem, cæteroſque ſeniores reliquiſſent Moy-
ſes, ac Ioſue, aſcenderunt ipſi altius non ad ip-
ſum tamen montis cacumen. & in illa media
quaſi montis parte, manſerunt, vt audiuimus,
dies ſex. *Septimo autem die*, ait textus capite 24.
Exodi verſu. 16. *vocauit Moyſen Dominus de medio
caliginis.* Ecce ſolus euocatur Moyſes, non Io-
ſue. Et ſubditur verſu. 18. *Ingreſſuſque Moyſes
medium nebulæ, aſcendit in montem*, id eſt, in altiſ-
ſimam montis partem. Ecce rurſum ſolus nu-
bem ingreditur mediam Moyſes ſolus in editiſ-
ſimum conſcendit verticem, non Ioſue. Cum
tamen mecum ipſe repeto, antea nuſquam re-
ferri, iuſſum fuiſſe, vt aſcenderet vnà cum Moy-
ſe Ioſue, & nihilominus tamen eum aſcendiſſe
vidimus: quin verò cùm disertè ſcriptum ſit
verſu. 2. *Soluſque Moyſes aſcendit ad Dominum*, &
eum tamen comitatus eſt Ioſue, in eam pænè
feror ſententiam, vt à Moyſis latere nunquam
diſceſſiſſe putem Ioſue: ſed quo ille cumque
iit, hunc ſubſequutum. Nam nonne ſoli etiam
Moyſi dictum videri potuit verſu. 12. *Aſcende
ad me in montem, & eſto ibi*: & tamen ſubiungi-
tur verſu. 13. vnà cum illo aſcendiſſe Ioſue. Par
ſanè videtur in vtroque ad vtramque montis
partem aſcenſu ratio, & cauſæ, quæ ſuprà quæ-
ſtione 5. cur in illo ad mediam montis altitudi-
nem aſcenſu comes Moyſis rectè fuerit, allatæ
ſunt, eædem omnes eum aſſiduè Moyſi altiora
etiam ſubeunti coniungunt, pæneque affigunt.
Sed eas hîc repetere, intempeſtiuum. Et vide-
tur ſanè D. Ambroſij animo eadem inſediſſe
ſententia cum libro 2. officior. capite 20. di-
xit *Moyſes cum DEO loquebatur: Ieſus pariter
nube tegebatur.* Maſius in Ioſuæ capite 11. pa-
gina 211. *Fuit Ioſue Moyſi in ſacro illo colloquio
proximus: & tantum non in cœleſte cum eo admiſ-
ſus adytum in monte Sinæo.* At inquiens, audi-
re cum potuiſſet, cùm Exod. 32. diceret Moy-
ſi Dominus, populum peccaſſe, & cùm pro

Digitized by Google

antea negatus eſt. Quomodo igitur hic in monte cibus? Tertiò. Qui mannã? qui coturnices dabat DEVS Ex. 16. potuit aliud quodlibet eduliũ ſuppeditare. Cur ſolã igitur mannã dicamus? Ad Primum. Solebat quidẽ aliqua interdũ mannæ cõtuſio, & coctio adhiberi, ea tamẽ non ita erat neceſſaria, vt, citra eã, non eſſet illa eſui, & valetudini cõmoda. Ideoq; ſi libebat, incoctã edebãt vt oſtendit l. c. 1. Ioſephus, & colligi poteſt ex c. 16. Ex. v. 2·. Vbi ſi quid coquere velint, nõ ſi quid neceſſariò debeãt, vt pridie ſabbathorũ coquãt, B moneantur. Et cũ bonis omnẽ, quẽ vellent, ſaporẽ daret manna, vt eſt Sap. 16. non potuit hoc Ioſue, & Moyſi, abſq; omni alia vel contuſione, vel concoctione, dari? Neq; abſurdi quidquã video, ſi Moyſis miniſtrũ Ioſue, mortariolũ, ollulam, igniſq; fomitẽ aliquẽ ſecum ſumpſiſſe, quis diceret præſertim, cũ diuino monitu promoſceret Moyſes futurũ, vt paulò illic diutius morandũ foret. vt ex c. 24. Ex. v. 12. & 14. colligitur. Ad ſecundũ. Nõ aberrat à caſtris mons interuallo tanC to, vt illuc decidere manna nõ poſſet, & ſi abfuiſſet, vbi tamen Iſraëlitæ in ſolitudine iſtâ fuiſſent, ijs cœleſte hoc alimentũ poterat DEVS dare, & forte an ſolebat? Ad Tertiũ. Potuit, ſine dubio, alias quaſcunq; voluiſſet DEVS dapes largiri. Sed mannã potius fuiſſe dicimus. Quia Moyſes Deut. 9. panẽ, vt ſuprâ iã dixi, vocauit & quia cõmunis ea tunc omnibus alimonia, & verò ſũmæ erga famulos ſuos diuinæ beneuolentiæ index. Ex his verò demũ apparet, quid corporalis D habere occupationis potuerit Ioſue, nimirũ vel pro ſe tantũ diebus vltimis, vel pro vtroque ſex primis, aquã ferre, manna ſingulis diebus, aliorũ Iſraelitarum more, colligere, & ſi opus fuit, contondere, & coquere. Nunc an hoc tantũ tẽpore cũ Moſe aſcẽderit Ioſue, quæri poſſet. At erit poſtea locus oportunior. Nos diſcamus, quemadmodũ bonis præceptoribus & dominis boni adA hærere debeãt diſcipuli & miniſtri, nõ in rebus nimirũ ſolũmodo, quæ gratę ac iucũdę, ſed in aſperis etiam ac moleſtis. Neq; verò ſolus Moyſes CHRISTI Domini in deſerto ieiunantis Matt. 4. typus fuit, ſed ipſe etiã Ioſue, niſi quod quãdo ad Moyſen cõparatur hic, noſtrã potius refert perſonã, qui CHRISTI quidẽ ieiuniũ imitamur, ſed non illa perfectione, intimaq; cũ Deo coniunctione ac ſermocinatione quã ille habuit. Sed cũ hoc eodem CHRISTO Domino in cœlũ aſcẽſuro B aſcenderũt olineti montẽ diſcipuli Act. c. 1. ne à ſuo abeſſent Moyſe. Aſcendamus & nos. *Mõs* eſt omnis à terrenis, caduciſq; rebus auocatio, virtus eminẽtior, vitæ ſtudiũ perfectioris. *Si videris me*, aiebat l. 4. Reg. c. 2. v. 10. Elias, *quãdo tollar à te, erit tibi quod petiſti*. Petierat autẽ Eliſæ', cui hęc dicũtur, bonus diſcipulus duplicẽ Eliæ ſpiritũ. Et nos ſi mẽte animoq; Dominũ noſtrũ in mõte intueamur, eumq; non deſeramus ſolũ, ſpiritu nos ſuo donabit, ad quẽ accipiẽdũ, quidni, & nos vti C ad accipiẽdas veteris legis tabulas Moyſes ac Ioſue, in præcibus, ſacriſq; meditationib'. toti occupemur? *Aſcenderãt in cœnaculũ*, velut in Sinæũ montẽ aliquẽ, CHRISTI Domini diſcipuli, & *oẽs erãt perſeuerantes vnanimiter in oratione*. Act. 1. 14. Optima hæc ad Euangelicæ legis, gratiæq; diuinæ acceptionẽ præparatio, quæ iã nõ in mõte Sinai aſpero, arido, rubiſq; cõſito, ſed in Oliuarum mõte, ſuaui, leni, ac blando promiſſa Act. 1. 8. & in ſancto, iucundo, & læto Sionis monte data vt D montiũ diſcrimina, legũ quoq; indicarẽt diſcrimina. Terribilis & dura erat vetus lex: euangelica verò lenis ac placida. Illã XL. dieb. expetijt & expectauit Moyſes: iſtã X. dieb. Apoſtoli. numero nimirum ſimpliciore ac perfectiore. Nõ fuit neq. ille neq; iſti ſpe ac expectatione ſua fruſtrati: neque fruſtrabimur nos, tantũ, noſtro cũ Ioſue, in mõte, pijſque animorũ exercitationibus alacres, conſtanteſque permaneamus. fiat, fiat.

CAPVT V.

E monte Sinai, Ioſuæ deſcenſus.

DIebus illis 46. euolutis, è quib. in nubis medio, ieiunioq; perpetuo, quadraginta egit Moyſes, datæ ſũt eidẽ Moyſi à Domino lapideæ duæ fœderis tabulæ, ſimulq; indicatũ, Iſraelitas in caſtris peccaſſe, reuerteretur ergo quã citiſſimè, rẽq; totã cognoſceret. *Et reuerſus eſt* Exo. 32. v. 15. *Moyſes, portãs duas tabulas teſtimonij in manu ſua, ſcriptas ex vtraq; parte, & factas opere Domini, ſcriptura quoq; Dei erat ſcripta in tabulis. Audiẽs autẽ Ioſue tumultũ populi vociferãtis, dixit ad Moyſen. Vlulatus pugnæ auditur in caſtris. Qui reſpõdit. Nõ eſt clamor adhortantiũ ad pugnã: neq; vociferatio conpellentiũ ad fugã: ſed vocẽ cantãtium ego audio. Cumque caſtris appropinquarent, vidit Moyſes aureum vitulũ, choreas, cæteramque populi nequitiam, tabulaſque illas abiecit & confregit.*

QV. I. *Audierit ne Ioſue cum Moyſi diceret Dominus, peccaſſe populum?*

IN eodẽ mõtis vertice vna cũ Moyſe verſabatur vti ſup. dictũ Ioſue. Audijſſe igitur potuit, quęcunq; à Domino Moyſi dicebãtur. At nõ ita eſt. Nã ignoraſſe populi peccatũ videtur Ioſue, cũ diceret, *vlulatus pugnæ auditur in caſtris*. Quamquã non omnino ignorationẽ hæc vna eius vox euincit. Potuit enim ſuſpicari, quia peccaſsẽt ipſi, veniſſe hoſtes, & grauẽ ijs aliquã cladẽ inferre, aut ipſos inter ſe animis diſſidere, iãq; coorta ſeditione man' cõſerere ac depugnare. Obſeruata ſiquidẽ ei' animo eſt populi ad murmurationes B & factiones ꝓpenſio, & hærebat adhuc pœne in oculis nuperus Amalecitarũ incurſus. Hinc attamẽ colligitur, eũ ſi nõ genus peccati certè ſpeciẽ ignoraſſe. Totũ verò peccatis genus ab eodẽ Ioſue cognitũ iã fuiſſe, nõ equidẽ puto ex loco ipſo poſſe colligi. Nã etiãſi erant ambo in nubis medio, nõ tamẽ ita & exiguo aliquo ſpaciolo, vt ab altero alter nunquã abeſſet. Nã ijs etiã neceſſitaA tibus, quas naturæ pudor obire ſolet tectius parendũ quãdoq; nõ fuit? Deinde, vt ſuprà c. 4. q. 15. dictũ, Dei ad Moyſẽ ſermo eſſe potuit latẽs, totuſque intra ipſius animi penetralia conditus, nulla vt eſſet vox exterior: ſicuti etiã eſſe Moyſis ad Deũ pro populo conceptæ preces potuerunt. Vt ignoraſſe tamẽ illũ peccati genus exiſtimare quis poſſit, eſt, quòd ita narratur Ioſuæ ad Moyſẽ ſermo, quaſi rei huius omnino ignarus fuerit: ſed, cũ forte clamores exaudijſſet, ilicò, quod in B mentẽ ipſi venerit, indicauit, prælij clamores videri. Si alioqui de peccato iam antea ĩn audijſſet, paulò de clamoribus illis videatur coniecturus fuiſſe ſolertius. Neq; audijt igitur, neque cogitauit populi peccatũ, anteqnã triſtiſſimã rerũ faciẽ ſuis tandem ipſe oculis mœſtus hauriret.

VT iuuaret, æqnũ fuiſſe videatur, & quia ętate iã erat Moyſes grãdior, & quia tã lõgâ inediâ nõ paulo debilior. Miniſter etiã illius erat, vt meri- Q. II. *An in ferendis decalogi*

Digitized by Google

ipſeque Philo de legibus in ſpecie, dum Iſraelitas illos διττὴν μεθύοντας μέθην τὴν μὲν ἀσεβείας, τὴν δὲ οἴνου duplici ebrios ebrietate, impietatis, & vini. & lib. 3. de Moyſe: ἐμφορηθέντες ἀκράτου διπλῇ μέθῃ κατέσχετο, τῇ μὲν ἐξ οἴνου, τῇ δὲ καὶ ἀφροσύνης, Ideoque vnde iis vinum fuerit, potius quærendum. At quid non curat venter? Quæ regio, vnde gula vna, & exquiſitas emere cupedias non conetur? vide Plinium lib. 9. cap. 17. & 26. lib. 19. cap. 4. lib. 36. c. 1. Ait ſanè Cantic. 1. v. 14. Thargũ, è vineis Engaddi vinum Iſraelitas in deſertum attuliſſe. Iſtos igitur vitulicolas impios, cenſendum è vicinis locis vini magnam copiam aduehi curaſſe. Quod verò Moncæius libro 2 de vitulo cap. 6. p. 2. 84. haſce voces fuiſſe vult ſacrificales, quales Æneid. 10 dum *curua choros indicit tibia Bacchi*, & Philomen arguit; hoc Iudæos nihil omnino excuſat. neque vociferationes iſtas ſolo cum ſacrificio cõiunctas, non autem etiam poſt illud fuiſſe probat: maleque Philonis lib. 2. de Moyſis vita citat, cum hæc ſint in citato de ſpecialibus legibus libro: & eorum etiam mentio ſit lib. de ebrietate, aliquas bis lib. 3. de Moyſen, nulla ſecundo.

Q. V. *Vter citius Iſraelitarũ bacchantiũ voces audiit Moyſes an Ioſue?*

QVIA primò de iis locutus eſt Ioſue, idcirco citius ab eo quam à Moyſe auditos putant nonnulli, verius tamen & acriùs à Moyſe cognitas & diiudicatas. Celeritatis in audiendo maioris cauſam in ætatem conferunt, quod Ioſue multo erat Moyſe iunior, ideoque & ſenſu vigentior: Acritatem vero vocum illam diiudicãdarum maiorẽ inde Moyſi aiunt fuiſſe, quod cum de iis vocibus à Ioſue monitus eſſet, attenderit diligentius, paululumque progreſſus, magis è propinquo eas exceperit. Ita ferè Abulenſis poſt q. 25. Sed æquè cito eas percepiſſe videtur Moyſes. Nam ſimul ac dixit Ioſue, *vlulatum pugnæ audiri*, ſtatim, abſque morula vel minima, A ſubiecit idem Moyſes. *Vocem cantantium ego audio.* Sæpè vere fit, vt rem quampiam vnus æquè cito atque alius audiat, de ea tamen loqui alius iſte citius incipiat. quod alter ille ſcilicet vel ſermone rem illam indignam iudicet, vel de ea tacitus ſecum diligentius ratiocinetur, vel denique aliis quibuſdam cogitationibus intentior ſit. Neque putarim, ob ætatem, audiiſſe Moyſen grauiter, cum ei annos agenti centum & viginti, neque caligarint oculi, neque nutarint dẽtes Deut. 34. Cauſa verò, cur etiamſi tam cito B quam Ioſue bacchationes illas audiret, de iis tamen tacuerit, poteſt eſſe, quod cum à Domino Iſraelitarum ſcelus antea percepiſſet, in eius rei cogitatione, tacitaque deploratione mœſtus hærebat: quod in alienorum vitiorũ narrationem vel non, vel omnino tardiſſimè, pœneque coactè ingredi ſolebat. quod ne vni quidem alteri occaſionem de illis cogitãdi dare volebat. quod nimium cito de iis cogniturum, magnamque capturũ mœſtitiam Ioſue ſciebat. Ob eaſdem. n. etiam cauſas tam parce reſpondit, ſola Ioſuani C erroris inficiatione, breuiſſimaque veritatis indicatione contentus, cum tamen, hoc ſaltem data occaſione, illud populi facinus aperire, narrare, ac deteſtari potuiſſet. Dignum ſane totum Moyſis ſilentium, quod omnium, qui aliena interdum vitia cognoſcunt, ſiue inferiores, ſiue ſuperiores ij ſint; linguis frænos iniiciat, vt, niſi aliqua tandem correctionis, vel charitatis lex aliud poſtulet, reticentia ſumma vtantur, etiam apud intimos & valde familiares. Melius porro eaſdem voces internoſcendi ac diſtin- D guendi cauſa Moyſi fuit, eaque in ipſius animo e diuino iudicio iam hærebat, ſceleris ipſius anticipata cognitio. Cui enim cognitionis alicuius principium aliquod eſt, poteſt is de illa decernere acrius, quam cui nullum.

CAPVT SEXTVM.

Ioſuæ, poſt deſcenſum è monte Sinai, ſtudia & facta eodem primo Ægyptiaci egreſſus anno.

QVÆ, poſteaquam è Sinai monte, vnâ cum Moyſe, deſcendit Ioſue, hoc eodem primo Ægyptiaci anno egerit, alia non habemus, quam vnum hoc, quod pauciſſimis traditum verbulis Exod. cap. 33. v. 11. *Cum ille* (Moyſes) *reuerteretur in caſtra, miniſter eius Ioſue, filius Nun, puer, non recedebat de Tabernaculo.*

QVÆST. I. *Quomodo fuit hoc tepore puer Ioſue?*

NE puer, ætatis cauſa, vocetur, impedire E videntur, quæ de ipſius rebus geſtis adhuc explicata. Num enim puerum vel adoleſcentulum bello difficillimo, contra hoſtes plurimos, & ferociſſimos, præfeciſſet Moyſes? Num ſecuto anno in exploratorum numerũ relatus fuiſſet ætate adeo parua & imbecilla puer? Abulenſis ſane poſt quæſt. 23. Exod. 32. annũ hoc tempore ipſum egiſſe putat vnde quadrageſimum. Maſius præf. ſecunda, quadrageſimũ. & ex cap. vltimo Ioſue verſu. 9. vbi, cùm eſſet 110. annorum, moritur, probabilitatem habet non paruam. D. Auguſtinus lib. 18. ad Marcellum cap. 11. videtur ei tribuere nunc annos 43. cum poſt F Moyſis mortẽ ſeu deſerti annos 40. tantum 27. annos rexiſſe ait. R. Salomo dat illi nunc annos 52. Sicuti & in cõcentu Brugthronus. 53. *Sed puer* ſeruum aliquando ſignificat, vti pluribus oſtẽdi Tobiæ c. 9. & clare patet Pſal. 112. Nã vbi habet Hebr. *laudate ſerui*. Noſter, *Laudate pueri Dominũ*. Matth. 9. v. 18. *Ecce puer meus* H. *ecce ſeruus meus*. Moyſes παῖς τοῦ κυρίου, id eſt *ſeruus*. Ioſ. 14. Num. 14. v. 24. ὁ παῖς τοῦ Χάλεβ Iſai. 38. *propter Dauid ſeruum meũ*. Gen. 20. v. 14. & c. 24. v. 5. 11. 40. 43. 44. 45. *Puerum* igitur Ioſue vocari volunt nonnulli, vt Abulenſis, quod Moyſi miniſtraret. At ex ipſo refelluntur contextu, in quo præpoſitum iam erat, *miniſter eius*. & in tam paucis breuibuſque

verbis per inepta foret tautologia. Deinde intereſt plurimum dicaſne aliquem *alicuius* eſſe *puerum*. an præcisè, puerum. Illud aliquam vel ad *Patrem*, vel ad *Dominum* relationem importat: hoc non item. Duobus ergo modis *puerum* vocari eum opinor. 1. Vt puer iuuenem *ſignificet*. Huiuſmodi ſiquidem proprie notat Hebraicũ hic poſitum nomen naar נער & Græcũ νέος. Catullus de virgineo flore.

Multi illum pueri, multæ optauêre puellæ.

Et poſtea, *Nec pueris iucunda manet*. Et quia à iuuando dicti *iuuenes*, id nominis vſque ad annum 45. obtinent, vti ait apud Cenſorinum lib. de die natali cap. 13. Varro. Sæpè vero iis, qui alioqui *iuuenes*; tribuitur etiam puerorũ vel adoleſcentũ nomen, vt cum ſub finem libri de amicitia Tullius, Lælij generos vocat *adoleſcentes*: *admodum adoleſcentes*. libro. de petit. conſulatus vim ad hũc obtinendum dare ait *adoleſcentulos*, & hos eoſdem in *iuuentute* numerat. libro. officiorum cum dixiſſet *alia iuuenum, alia ſeniorum eſſe officia*, ſtatim illos nominat *adoleſcentes*. *Eſt igitur*, ait, *adoleſcentis maiores natu vereri*. & libro 2. cũ poſt primam ætatem dixiſſet, qui *iuuenes* eſſe cœpiſſent, debere magna ſpectare, ſtatim de *adoleſcentibus* explicat. *Prima igitur adoleſcẽtis commendatio ad gloriam, ſi qua ex bellicis rebus comparari poteſt*. Virgilianum Tityrum vocarat Melibœus *fortunatũ ſenem*: & tamen illi dixit Auguſtus ecloga, *Paſcite, vt ante boues pueri*. Horatio Trebatius 2. ſerm. 1. *O puer, vt ſis vitalis, metuo*. Quod Heremias cap. 1. dicebat, *Puer ego ſum*, exponit S. Hieronymus in Iſaiæ cap. 2. id eſt, *iuuenis*. Geneſ. 41. verſu. 12. *Erat ibi puer Hebræus*, Ioſeph nimirum, qui tunc annorum 30. ibidem v. 46. Iſaiæ 3. verſ. 4. *dabo pueros principes eorum*. & verſ. 5. *puer contra ſenem*. Et ſic iam ſupra cap. 3. quæſt. 6. & cap. 4. quæſt. 1. *iuuenem*, dixi Ioſue. 2. *Puer* fuit innocentia, verecundia, morumque omnium candore, quemadmodum de Saule illud expoſui. 1. Reg. 13. verſ. 1. *filius vnius anni erat Saul, cum regnare cœpiſſet*. Caſſianus cap. 4. Coll. 15. *Abbas*, inquit, *Abraham* ἁπλοῦς, *id eſt, ſimplex, pro ſimplicitate morũ & innocentia cognominatur*. Prior tamẽ expoſitio textui magis conſentanea.

Q. II. *Quale illud tabernaculum, à quo non recedebat Ioſue?*

NOVVM aliquod à Moyſe videri poſſit excitatum tabernaculum, quod antea nõ fuerit, ſed nunc primo è tabulis & pellibus, quæ aderant, conſtrui iuſſerit Moyſes. At vero tabernaculum iſtud iam antea fuiſſe, neque qualecumque, ſed certum aliquod fuiſſe, monſtrat textus, qui in Latino ait, *Moyſes quoque tollens tabernaculum tetendit extra caſtra procul*. In Hebræo: *& accepit ipſum tabernaculum* (non tabulas aut pelles) *& tetendit illud*. Sed hoc fuiſſe Moyſis propriũ exiſtimant aliqui & quidem dupliciter. Nam vel ipſum tabernaculum fuit, in quo ſuâ cum familia tota morabatur Moyſes: vel quod ſepoſitũ, & ad quotidianas preces accõmodatum habebat. Prius illud minus placet, quod ex textu appareat, aliud in quo cum familia habitaret Moyſi tentorium fuiſſe. Nam hoc extra caſtra fixum erat: in ipſis vero caſtris habitabat Moyſes & ex his ad tabernaculũ iſtud *egredi* v. 8. & ex hoc ad illa *regredi* traditur v. 11. Tabernaculorũ verò & oratoriorũ ad priuatas preces & meditationes in tentorij maioris aut domus parte aliqua ſegregatorũ vſũ tam apud veteres Hebræos, quàm apud Chriſtianos monſtraui Iudith c. 8. q. 3. & 4. In Conc. Aurelianenſ. c. 3. hæc legitur ſanctio: *Vnicuique fideliũ in domo ſua oratorium licet habere, & ibi orare: Miſſas autẽ ibi celebrare non licet*, & habetur de Conſ. d. 10. *vnicuique*. Ideoq; iſtud ad priuatas preces tabernaculũ, valde vero videtur ſimile, præſertim ſi aduertamus in Septuaginta diſertè vocari hoc *tabernaculũ Moyſis*: λαβὼν μωυσῆς τὴν σκηνὴν αὐτοῦ. Deinde quod Hex Hebraico ante dixi, *tetendit illud*, verti poſſet: *tetendit ſibi*. Quin & eadem ſententia eſt Hebræorũ quorumdam, ipſiuſq; Abulenſis q. 9. vbi etiam addit, ſi quando in conſiliũ vocaret Moyſes, populi principes & ſeniores, in hoc eos tabernaculũ conuenire ſolitos: vt precationis nimirũ, & conſilij, religionis, & prudentiæ foret ſacrarium. Nam & apud Gentiles, Romanos præſertim, non niſi in templis ſenatus conſuli potuit, vti apud Gelliũ l. 14. c. 7. docet Varro. Aliis *publicum* vniuerſi populi tabernaculũ fuiſſe videtur. ſed iterũ dupliciter. Quibuſdam. n. vt Ruperto, Gloſſæ ordinariæ, Oleaſtro eſt idem illud tabernaculũ, quod perpetuo in ſcriptura celebratur. Illud. n. *fœderis* aut *teſtimonii* vocatur, & hoc huic tabernaculo nomen à Moyſe imponi videmus. v. 7. Et loquitur textus de tabernaculo, quaſi de celebri & noto. At illo publico, quodnam celebrius & notius? Quin hoc ita foret, dubitari à nemine poſſet, ſi hoc tẽpore, poſt XLVI. illos in Sinai mõte dies, tabernaculũ illud fuiſſet. At hoc ipsũ videmus primo erigi poſtea, primo ſcilicet die anni 2. ab exitu: cũ in anni primi mẽſe quarto deſcenderint è monte Moyſes & Ioſue, ipſius ſcilicet menſis die 17. vt volũt Iudæi, vel, vt ex ſuprà diſputatis colligitur, die 24. At recapitulationẽ hic eſſe volunt; Abulenſis & alij anticipationẽ potius. Verũ iſta in textu ponere, niſi grauis cauſa vrgeat, non oportet, in hiſtoria præſertim, prout in narratione iſta eſt. Cur vero *fœderis* aut *teſtimonij* nomẽ habuerit, dicã poſtea. Exiſtimant alij publicũ hoc iampridẽ tabernaculũ ſtatim poſt Ægyptiacã liberationẽ, maxime, poſt rubri maris pertranſitionẽ, inter Iſraelitas cœpiſſe, vt publicarũ precum, diuiniq; cultus locus eſſet. Vix n. gens eſt, ciuitas, exercitus, hominũq; multitudo vlla, ſi quidẽ paulo ſit humanior, & certis legibus tẽperata, quæ publicam aliquã religionis ceremoniã, locumq, non habeat, non modo in vrbibus, firmiſq; ſedibus: ſed in profectionibus etiam & expeditionibus diuturnioribus. Hebræa ergo gens, quæ iam inde ab Abrahami tẽporibus verã veri Dei religionẽ tuebatur, quę tanto tamque diuino iã ducẽ proficiſcebatur, & quidẽ lente ſatis, non habeat vlla omnino ſacra publica? non religiones ac preces? non publicũ aliquem locũ? nõ ambulatoriũ ſacellum? Video iam apud eius maiores, qui tamẽ in Chananæa peregrinabãtur adhuc potius, quã habitabant, fuiſſe huiuſmodi loca rerum diuinarũ procurationi dicata. Cum. n. geminorũ, quos vtero ferebat colliſionem, & veluti quandã compugnationẽ in ventre ſentiret Rebecca, *perrexerit, vt conſuleret Dominum*. Gen. 52. v. 22. Quonã quæſo perrexit, niſi ad ſacratũ quẽpiam locũ, vbi publicè orabatur, colebatur, cõſulebatur Dominus? ideoque & diuinum ipſum reſponſum, quod ibidẽ ſubtextũ; accepit.

accepit. eumque locũ fuiſſe montem Moriach, vbi fuerat Iſaac, ipſe ligatus & immolandus: dicit R. Eliezer c. 32. Non eſſet igitur iam in tanta iſta Abrahami & Iſaaci poſteritate ſacrariũ vllum, vbi publica pietate coli, rogari & interrogari poſſet Dominus? Expedamus iſtũ, quod in manibus eſt, textũ Exo. 33. v. 7. *Tabernaculum tetendit Moyſes extra caſtra procul: vocauitque nomen eius tabernaculum fœderis.* Sed quis tabernaculi huius vſus, ſequitur. *Et omnis populus, qui habebat aliquã quæſtionem, egrediebatur ad tabernaculum fœderis extra caſtra.* Quaſi diceret. Vſus tabernaculi idem tum fuit, qui antea erat, vt in eo ſcilicet, à populo cõſuli, orari, & placari poſſet Dominus. ſed illo extra caſtra trãſlato, extra caſtra illuc iis proficiſcendum fuit, qui à Domino vellent ſciſcitari quidpiã. idque abſque noua vlla promulgatione, aut declaratione cœperunt ſtatim omnes facere, & præſertim Moyſes. Cui cũ antea ſolenne eſſet, in hoc tabernaculo, eaſdem ob cauſas, verſari is nunc etiã foras, extra caſtra ititat. Et facit ad inſtitutũ expoſitio hæc maxime. Magnum ſiquidem hoc Hebræorũ ex Ægypto egreſſorũ, in promiſſam terram euntiũ decus & ornamentum erat, habere ſuis in caſtris, huiuſmodi oraculum, preſẽtiſque numinis domiciliũ. At ob vituli cultum iratus nunc Dominus populi ornatũ omnem deponi iubet. Erat vero is duplex. Vnus cuiuſque proprius & priuatus. Alter publicus, totique populo cõmunis. De illo dicitur v. 6. *Depoſuerunt ergo filii Iſrael ornatum ſuum à monte Horeb.* De hoc v. 7. *Moyſes quoque tollens tabernaculum, tetendit extra caſtra.* & quidẽ *procul*: vt ſummo decore & ornatu publico ſpoliati iam eſſent: dum ſeſe ab iis tantopere diſiungeret Dominus, à quo ſe ipſi tam nefariè antea diſiunxerant, & ad vitulum contulerant. Acceperat vero idem tabernaculũ ornamẽti & ſplẽdoris, vt videtur, aliquid ex Amaleticæ pugnæ manubiis. Nam & inde populus ipſe veſtiũ, moniliũ, ornamentorũque omnis generis quã plurimũ ceperat. Ideo. n. v. 6. *vocatur ornatus è monte Horeb.* quia ibi pugnatũ & triumphatum. & variè vertitur Hebraicum ornatus nomen. à 70. κόσμος ſancti, καὶ περιστολὴ ἀπὸ τοῦ ὄρους τοῦ Χωρήβ, καὶ στολαὶ τῆς δόξης. id eſt, *mundus, ornamentum, & veſtes ſplendidæ*, prout expoſui in Eſtheris harmonia c. 5. & 14. f. 580. fuitque moris olim, vt ex hoſtiũ ſpoliis ad Dei cultum transferantur nonnulla, vt in Gedeone, Iud. 8. v. 27. Dauide, Reg. 21. v. 9. 2. R. c. 8. v. 11. *Vaſa aurea, & vaſa argentea, & vaſa ærea, quæ & ipſe ſanctificauit Rex Dauid Domino, cum argento & auro, quæ ſanctificauerat de vniuerſis gentibus, quas ſubegerat de Syria, & Moab, & filiis Ammon & Philiſthiim, & Amalec, & de manubiis Adareſer filii Rohab Regis Soba.* Tale igitur mihi hoc tabernaculũ fuiſſe videtur, quod publice Iſraelitarũ religioni iam antea erectum & Amalecitarũ nuper opibus, valde ornatũ fuiſſet quod à 70. dicitur *Moſis tabernaculum.* quia ipſum in hoc liberationis itinere ſtruxerat, eo maxime vtebatur, priuatim & publice, dum vel priuatas ipſe preces conciperet vel publicas, dũ in eo diuina meditaretur, Deũ alloqueretur, ſenatũ etiã quandoque haberet, vti volebat Abulẽſis. Ita vt hæc ſententia è ſuperioribus plures in concordiã facile adducat. & fortaſſis in hoc fuit, initio,

A *mãnæ vrna*, Exo. 16. Illud modo reſtat cur id Moyſes vocarit *tabernaculum fœderis*? Oleaſter verti ait poſſe. *Tabernaculum teſtimonii, ornatus, exaltationis* ſiue *erectionis*, & *congregationis*, ſiue *Eccleſiæ*, à variis nimirũ radicibus Hebræũ *moed* ducẽdo: poſtremãque verſionẽ cũ Pagnino magis probat. Et ſi vero iis quæ dicta ſint, poſsũt hæ interpretationes omnes accõmodari, ea tamẽ quæ ab עוד id eſt, *teſtari*, repetitur, mihi verior, quia eã & noſter interpres, & 70. qui διαθήκην μαρτυρεῖν verterunt potiſſimũ approbãt. fuit vero tabernaculum *fœderis* iam ſcilicet ab Iſraelitis per vi-
B tulũ dirupti & violati: fuit *teſtimonii* de dirupto iã & violato fœdere. Idcirco enim id è pollutis, & idololatria cõtaminatis caſtris abduci, lõgéque poni voluit Dominus. Alioqui cũ ab eadem radice עד id eſt, *præda* naſcatur, cur ſimiliter *prædæ* tabernaculũ dici nõ poſſet, quod ex hoſtiũ, vt dixi præda locupletatum & exornatũ eſſet? Abductũ vero à caſtris ac remotũ fuiſſe XII. *milliaria*, ideſt, in Act. 1. dicovberius, *bis mille cubitis* refert Thalmud tract. *Beracoth* c. 9. fol. 23. col. 2.

C A caſtris procul aberat hoc tabernaculũ. Cuſtodia igitur aliqua egebat, ne vel è vicinis gẽtibus hoſtes aliquid vel è Iudæis ipſis impij nonnulli illud deiicerẽt, diriperent, prophanarent. Cui vero aptiùs quã Ioſuæ, iuueni ſtrenuo & religioſo, bellatori egregio, Amalecitarũ domitori, cuſtodia ea demãderetur? Verũ, quia ne Hercules quidẽ contra duos, ſi Ioſuæ cauſa hæc in tabernaculo morãdi fuiſſet, militibus ei, & ſociis pluribus opus fuiſſet: aut certũ ſignum aliquod quo è caſtris, qui opẽ ferre poſſent, ſubito euo-
D carentur: verbi cauſa tintinnabulũ aliquod, aut flamma, aut ſimile quidpiã. At certe horũ nihil fuiſſe apparet, cũ ſolus in illo deſcribatur Ioſue: & eius ideo videatur mentio iniici; ne, cũ Moyſen comitari, ſequique ſoleret, ipſo redeunte in caſtra Moyſe, vnà eũ rediiſſe quis putaret, ita vt exiſtimari liceat, diuina cuſtodia ſatis tum hoc tabernaculũ, contra omniũ hoſtium, & latronum vim, ſeptũ, tutumque fuiſſe. Ideoque *tria* potius alia agebat Ioſue. *Primum.* Cum Deo ipſo aſſidue verſabatur, iugẽs ei preces adhibẽdo, di-
E uinã eius maieſtatẽ contẽplando, ei ſeſe totũq; populũ valde cõmendando. Iam. n. pridẽ ex aſſiduo cũ Moyſe cõuictu, & nuper in monte Sinai didicerat, queãdmodũ noctes & dies in hiſce pietatis exercitationibus verſari poſſet. *Deinde*: cum eo è caſtris venirent aliqui, eos accipiebat, præparabat, dirigebat. & neſcio an non eo tunc apud Deũ interprete, ac internuntio vterentur. *Tertio*, ipſius tabernaculi curã habebat, vt eius nihil à quoquã violaretur: mũda in eo & nitida eſsẽt omnia: ſi quid alicubi eſſet puluiſculi euer-
F teret; ſi quid in cortinis commotũ, probe cõponeret, portã aperiret, clauderet. ita vt verus eſſet in iſto tabernaculo *æditus*. Expende hic, mi lector, quibus officiis & operibus exercebatur, qui populi poſt Moyſen dux futurus erat, quomodo religionẽ præ omnib' colere, in ipſa præſidiũ omne collocare, in ipſa totus habitare ſatagebat. Et tria iſta cõplectitur illa in citato ſuperiore q. Thalmudico tractatu Rabbinorũ ſẽtẽtia, quę ait pro ipſo Moyſe mãſiſſe in tabernaculo Ioſuã. Et in tractatu *Menachoth* c. 11. f. 99. b. valde hãc Ioſuę pietatẽ, religionẽque ſpõtaneã vltroq; ſuſcep-

Q. III. *Quid in eo tabernaculo agebat Ioſue?*

Digitized by Google

menſe dies	1
menſis 6. dies	29
menſis 7. dies	10
	40

Sed refelluntur 1. quia ſuprà demonſtratum q. 14. eum deſcendiſſe primo menſis 4. die 17. 2. quia etiamſi eo die aſcendiſſet, non tamen die ſtatim 18. vel 19. iterum aſcendere potuiſſet. Nam deſcribitur poſt deſceſum illum facta impiorum ſtrages c. 32. tranſlatio huius tabernaculi, crebra Moyſis ad hoc itio & reditio c. 33. Nũ. vno vel altero die facta hæc omnia? verius eſt, in caſtris manſiſſe Moyſen à primo deſceſu vſque ad ſecundum & vltimum totos dies 34. id eſt, à die 24. menſis 4. vſque ad 29. menſis 5. incluſiuè vtrumque terminum accipiendo. Et eo tempore ad tabernaculũ iſtud crebrò vẽtitabat idem Moyſes: inde in caſtrenſe ſuum tabernaculum redibat. Ioſue autem è ſuo nunquã gradu

A mouebatur. Die verò quinti menſis 30. aſcendit ſecundò Moyſes, abſuntque dies, vt dixi, 40. quibus in eodem tabernaculo ſuo maximè perſtitit & excubuit Ioſue. Inde ad anni finem ſuperſunt è menſe 7 dies 20

menſe 8	29
menſe 9	30
menſe 10	29
menſe 11	30
menſe 12	29

B Ideoque ſummatim Ioſue in hoc Domini tabernaculo, in precibus & ieiunijs, in æditimi officio, & cura fuit paulo amplius menſes ſeptem. Videtur enim poſt impiorum cædem, die poſtero, id eſt, menſis quarti die 25. tabernaculum hoc è caſtris elatum, foriſque conſtitutum fuiſſe, & inde in eo iis quæ dixi, muniis perfunctum Ioſue dies 241. Accipio autem hic menſes, ex Iudæorum vſitata ſententia, & inæquales qui alternis caui ac pleni.

CAPVT VII.

Ioſuæ, pro Domino ſuo, æmulatio.

CVm 70. viros à Moyſe delectos & conſcriptos ſancto ſuo Spiritu implere vellet Dominus. Num. 11. v. 16. ad Moyſen ipſum ex illis conuenere tantum duo de ſeptuaginta: & hos tanto illo ſuo Spiritus dono egregiè affecit Dominus. *Remanſerant autem in caſtris duo viri, quorum vnus vocabatur Eldad & alter Medad, ſuper quos requieuit Spiritus. Nam & ipſi deſcripti fuerant, & non exierant ad tabernaculum. Cumque propheterent in caſtris, cucurrit puer & nunciauit Moyſi dicens. Eldad & Medad prophetant in caſtris, ſtatim Ioſue filius Nun, miniſter Moyſi & electus è pluribus, ait: Domine mi Moyſes, prohibe eos. At ille, quid, inquit, æmularis pro me? Quis det vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum ſuum.* Sicque cõticuit Ioſue, ſed quia de tota hic hiſtoria iſta diſſerendum non eſt, ſciendum, ſi 72 è ſingulis videlicet tribubus ſenos, fuiſſe delectos dicimus, conueniſſe ad tabernaculum 70.

Q. I. *An puer, qui Moyſi nunciauit, Eldad & Medad prophetare, fuerit Ioſue? vel ſaltem Moyſis miniſtrorum quiſpiam?*

QVIA ſuperius vocatus eſt puer Ioſue, hunc eundem aliquis fortè putarit, qui ad Moyſen currit, duos illos vates nouos indicat. Nam & hic non omnino ætate puer, ſed iuuenis aut adoleſcens, vt ſuprà cap 6. quæſt. 1. fuiſſe videtur. qui à 70. *iuuenis* dicitur. Sed & alius eſt, vt rectè Oleaſtro etiam viſum. Nam poſteaquam illa ille nunciaſſet, ipſius dicitur ſermonẽ ſubſequutus Ioſue, ſtatimque dixiſſe, quæ ſubiunguntur. Et apertius in Hebræo & Græco, dicitur *reſpondiſſe*. Licet verò ſæpe in ſcriptura *reſpondere* ſimpliciter pro, aggredi ad loquendum, ſumatur, vt Iob cap. 3. v. 1. Matth. 11. v. 25. c. 22. 1. Marc. 9. v. 38. & alibi, nihilominus tamẽ alius hic eſt, qui de vatibus illis nunciat: alius qui reſpondet. Nam ille tantùm *puer* vocatur: at quaſi ex huius regione ponitur accurata Ioſuæ deſcriptio, per proprium nomen, aliaſque notas plures. Quis verò puer ille fuerit, an ex ipſius Moyſis familia, vel alius quilibet, non quidem conſtat: ſed Moyſis famulorum aliquem crediderim libentius. 1. quia cognouiſſe videtur, cupere Moyſen de hiſce duobus, vbi eſſent, & quid agerent, cognoſcere, quandoquidem in præfinitum tabernaculi locum non veniſſent. Ideo enim nunciat, & vt Domini deſiderio, ſedulique famuli officio ſatisfaciat, celeritatem ſummam adhi-

C bet, & currit. Deinde, quid puerum alium ad hoc nunciandum moueret? An rei nouitas? At ea puero cur potius cordi eſſet, quam è viris & ætate prouectioribus alicui? Cur præ pueris aliis omnibus, hic vnus curreret? An forte patris, aut Domini iuſſus illum ad Moyſen mittentis? At aliqua, opinor, mittentis huius facta fuiſſet mentio, vt maior pueri huius indicio auctoritas & fides creata fuiſſet. Moyſis igitur miniſter aliquis fuit potius, & forte vel antea, vel iam, cum cæteri ſeniores adeſſent, duoſque illos abeſſe videret Moyſes, ab eo ad iſtos quærendos, & accercendos emiſſus erat.

Q. II. *Quomodo electus è pluribus dicitur Ioſue?*

D IN Hebræo tantummodo eſt מבחריו. Sed quia בחר eligere ſignificat, nomine ille Hebræo vel ſignificatur *electus* vel *iuuenis*, idque vt ait Rabbinus Camius, quia ea ætate qui ſunt, magis ad opera omnia, præſertim verò bellum valent. Pſal. 77. 32. *Electos Iſrael impediuit.* Vnde & Poëta lib. 8. Æn. ——— *Robora pubis Lecta dabo* ——— *& bello lecta iuuentus.* eandemque ob rem, apud veteres Latinos, à iuuando *iuuenes* dicti ſunt, vt ex Varrone ſuprà cap. 6. quæſt. 1. dictum בחורים iuuentutem ipſa ſignificat. ideoque quadruplex loci huius expoſitio. *Prima*, vt ſimpliciter Ioſue dicatur *electus*. Si enim *ex electis*, ergo electus eſt, & ſic in

Digitized by Google

erant, vt de Moyſis interitu, Ioſuæque imperio neceſſaria eſſet prophetiæ huius materia? Hieroſolymitanus Thargum tamen cauſam hanc tradere videtur. niſi quod myſticè potius de Christo Domino loquatur. Ita enim loquitur apud Eliam, ex Genebrardi verſione fol. 560. *Remanſeruntque duo viri in caſtris, quorum vnus vocabatur Eldad, alter autẽ Medad, & inſederat ſuper eos Spiritus ſanctus. Eldad ſic vaticinabatur. En Moyſes Propheta, ſcriba Iſraelitarum congregatus eſt de medio mundi. Et Ioſue filius Nun eius diſcipulus, poſt eum adminiſtrabit res exercitus. Medad autem prophetans dicebat. Ecce Coturnix deſcẽdit de mari, fuitq; offendiculo Iſraelitis. Vterq; autẽ pariter vaticinabatur ac inquiebat. Extremo dierũ fine Gog & Magog & eorum copiæ aſcendent Hieroſolymam. At manibus ipſius* Christi *regis concident: Tantaque ſtrage vt in totum ſeptennium filij Iſrael exurant arma eorum bellica, neq; ad arandum exeuntes, neq; arbores amputantes.* Cauſam vere alteram dilatare poſſumus variè. Imminui ſiquidem videbatur Moyſis gloria: *Primò* quòd ab eo conſcripti, & ad tabernaculum accerſiti non veniſſent. Videri enim poterant Moyſis imperium & auctoritatem contemnere. *Secundò* quòd cum, Domini iuſſu, eos vocaret, eiſque diuinum Spiritus donum, & populi gubernacula promitteret, vel dicenti non credere, ſicque fidem eius eleuare, vel omnia illa nihili facere, ſicque velut inania vel certè leuia eius promiſſa irridere viderentur. *Tertiò* quòd exiſtentibus prophetis aliis, deſinere videretur Moyſes aliis antecellere ac præſtare. Quod enim bonum, ſi in vno tantum ſit, eum admirabilem, & præ omnibus magnum & excellentem facit, id ſi in pluribus eſſe incipiat, vileſcere incipit, & quaſi è vulgo vnus tantùm aliquis videri, ille olim ſolus tam egregius & tam præſtans. Nam quæ rara, precioſiora. *Quartò* quòd exiſterent iſti prophetæ, non vt alij 70. vel duo de ſeptuaginta, Moyſis vocatu, collocatione, aliquo etiam forte precatu, & ad ipſius præſentiam, ſed ſuapte quaſi ſponte, illo pro ipſis non precante, neque ipſis præſente. quaſi dicerent, à Moyſe non petenda omnia; ſe, abſque illo, etiam poſſe aliquid; aliis etiam ſua Deum dona impartiri: opus non eſſe, illorum gratiâ ſiue vocatos, ſiue inuocatos ad Moyſen ſemper accurrere vel adulare. Hanc igitur, Moſaici honoris & præſtantiæ imminutionem, vt Eldadum & Medadum prohibere peteret Ioſue, cauſam fuiſſe concludi videtur ex ipſius Moyſis verbo. *Quid æmularis pro me?* Pro aliquo ſiquidem æmulari, eſt ob ipſius aut vtilitatem aut dignitatem imminutam indignari, contendere, laboris, dimicationiſque multum ſuſcipere. Sed de hoc 1. ſeq. plus.

Q. V. *An verum, pro Moyſis gloria æmulatum eſſe Ioſue?*

Verum eſſe colligunt, vt dixi, omnes è Moyſis oratione hac. *Quid æmularis pro me?* quaſi diceret. Æmularis. Sed ne feceris. quem ad finem eam æmulationem ſuſcipias? Quia tamen hæc in Hebræo interrogatio eſt, *An æmularis tu pro me?* ſiue *Numquid meâ cauſa, tu æmularis?* poſſet eam ita quiſpiam interpretari, quaſi vera eſſet interrogatio Moyſis, ſuſpicantis quidem illum pro ſe æmulari, non tamen aſſerentis. & eam in ſententiam explicari poſſet Latinus textus, ſic. *Quid? æmularis pro me?* vel ſimpliciter, vt *Quid*, A ſit pro *An*, æmularis pro me? Nam in occultis quandoque pro eodem ponimus quæſtiones, *an*, & *quid?* vt *quid iam de me cogitas? Quid nam diuinæ rei tecum meditaris?* A communi tamen ſententia nihil abeo. 1. quia Septuaginta ita verſunt, μὴ ζηλοῖς ἐμέ, id eſt, *non zelas me?* nonne, cauſa mea, excandeſcis? nonne, propter me, adeo ſtomacharis, & illos prohiberi poſtulas? 2. quia etiamſi Latinus textus exponi aliter poſſit, ſimpliciter tamen, minuſque tortus communis ille ſenſus videtur. 3. ſi ſuſpicatus eſt B Moyſes, ſua cauſa æmulari Ioſue, idque certò neſciuit, ſed rogauit tantùm, videretur Moyſes, parum acris & ſolers non ingeniorum modo, ſed morum etiam & verborum explorator, qui è Ioſuæ verbis, & è modo ea proferendi, ex ipſoque proferentis vultu ac geſtu non ſatis quid vellent, & quo è fonte fluerent, animaduerteret. præſertim cum intimum illum, & vti aiunt, intus & in cute notiſſimum haberet. Deinde, cur eum pro ſe potius æmulari, quàm Dei gloriam, tabernaculi honorem, inobedientiæ C caſtigationem cogitare ſuſpicaretur? 4. quæ ſequuntur verba. *Quis tribuat, vt omnis populus prophetet?* declarant non dubitantis, ſed certò videntis & iudicantis, ab æmulatione Ioſuanam petitionem ortam eſſe.

Q. VI. *Ioſue pro Moyſe an bona æmulatio?*

Æmulatio, ſiue, vt pro ea Interpretis noſtri voce, in Græco eſt, *zelus*, in ſcripturis duplex oſtenditur. bonus & vitioſus. *Bonus* Pſ. 67. Ioan. 2. 17. Cor. 2. 31. cap. 14. 1. 12. 39. 2. Corinth. 7. 11. cap. 9. 2. cap. 11. 2. Galat. 4. 8. Tit. 2. 14. *vitioſus* Pſal. 36. & 72. Actor. 5. 17. cap. 7. 9. cap. 13. 45. D cap. 17. 5. cap. 21. 20. cap. 22. 3. Rom. cap. 10. 2. cap. 13. 13. 1. Corinth. 3. 3. cap. 13. 4. 2. Corinth. 12. 20. Galat. 1. 14. cap. 4. 17. cap. 5. 20. Philipp. 3. 6. Iacob. 3. 14. cap. 4. 12. Siue autem bonus, ſiue vitioſus zelus ſit, eo ſemper nomine vis quædam & magnitudo æſtus animi ſignificatur. Vnde & hoc loco in vehementi Hebræorum coniugatione verbum *æmulandi* eſt. Sunt ergo, quibus Ioſuæ iſta æmulatio vitioſa & cum peccato coniuncta videatur, vt Abulenſi q. 67. *inuidiam* fuiſſe vult. Sed tamen non cum magno E peccato coniunctam q. 68. Aduertendum. 1. tam inuidiam, quam zelum & æmulationem oriri ex bono vel quod in aliquo eſt, in quo eſſe non debere iudicatur, vel quod in aliquo non eſt, in quo eſſe debere iudicatur. 2. bonum iſtud vel *verè bonum* eſt, vt Dei gratia ſanctificans, & virtus omnis, vel *adiaphorum* vt bona fortunæ, corporis, & quædam animi, vt ſcientia, & chariſmata illa diuina, quæ in peccatoribus etiam eſſe poſſunt, vt donum miraculorum, prophetiæ, & ſi quæ ſimilia. 3. illud iudicium, cur in hoc vel illo, F hoc vel illud bonum eſſe aut non eſſe oportere iudicatur, variis ex cauſis oriri poteſt. 1. ex eo ſcilicet, quòd ille bono illo dignus aut indignus ſit. Et tam Ariſtot. 2. Rhet. quã D. Thomæ 22. q. 36. id propriè *Nemeſis* eſt. 2. quòd eo nos bono careamus, & id ab iiſdem propriè *zelus* dicitur. 3. Quòd ex illius bono bonum aut malum, aut nobis aut aliis, verbi cauſâ, Eccleſiæ, ciuitati, vel iis rectè qui nobis quoquomodo coniuncti ſunt, euenturum videatur, & iiſdem *timor* vocatur. 4. quòd eo bono nos alius, qui par aut etiam inferior eſſe debere videretur, ſuperet: ab

Digitized by Google

erant, vt de Moyſis interitu, Ioſuæque imperio neceſſaria eſſet prophetiæ huius materia? Hieroſolymitanus Thargum tamen cauſam hanc tradere videtur. niſi quod myſticè potius de CHRISTO Domino loquatur. Ita enim loquitur apud Eliam, ex Genebrardi verſione fol. 560. *Remanſeruntque duo viri in caſtris, quorum vnus vocabatur Eldad, alter autē Medad, & inſederat ſuper eos Spiritus ſanctus. Eldad ſic vaticinabatur. En Moyſes Propheta, ſcriba Iſraelitarum congregatus eſt de medio mundi. Et Ioſue filius Nun eius diſcipulus, poſt eum adminiſtrabit res exercitus. Medad autem prophetans dicebat. Ecce Coturnix deſcēdit de mari, fitq; offendiculo Iſraelitis. Vterq; autē pariter vaticinabatur ac inquiebat. Extremo dierū fine Gog & Magog & eorum copiæ aſcendent Hieroſolymam. At manibus ipſius* CHRISTI *regis concident: Tantaque ſtrage vt in totum ſeptennium filij Iſrael exurant arma eorum bellica, neq; ad arandum exeuntes, neq; arbores amputantes.* Cauſam vere alteram dilatare poſſumus variè. Imminui ſiquidem videbatur Moyſis gloria: *Primò* quòd ab eo conſcripti, & ad tabernaculum accerſiti non veniſſent. Videri enim poterant Moyſis imperium & auctoritatem contemnere. *Secundò* quòd cum, Domini iuſſu, eos vocaret, eiſque diuinum Spiritus donum, & populi gubernacula promitteret, vel dicenti non credere, ſicque fidem eius eleuare, vel omnia illa nihili facere, ſicque velut inania vel certè leuia eius promiſſa irridere viderentur. *Tertiò* quòd exiſtentibus prophetis aliis, deſinere videretur Moyſes aliis antecellere ac præſtare. Quod enim bonum, ſi in vno tantum ſit, eum admirabilem, & præ omnibus magnum & excellentem facit, id ſi in pluribus eſſe incipiat, vileſcere incipit, & quaſi è vulgo vnus tantùm aliquis videri, ille olim ſolus tam egregius & tam præſtans. Nam quæ rara, precioſiora. *Quartò* quòd exiſterent iſti prophetæ, non vt alij 70. vel duo de ſeptuaginta, Moyſis vocatu, collocatione, aliquo etiam forte precatu, & ad ipſius præſentiam, ſed ſuapte quaſi ſponte, illo pro ipſis non precante, neque ipſis præſente. quaſi dicerent, à Moyſe non petenda omnia; ſe, abſque illo, etiam poſſe aliquid; aliis etiam ſua Deum dona impartiri: opus non eſſe, illorum gratiâ ſiue vocatos, ſiue inuocatos ad Moyſen ſemper accurrere vel aduolare. Hanc igitur, Moſaici honoris & præſtantiæ immunitionem, vt Eldadum & Medadum prohibere peteret Ioſue, cauſam fuiſſe concludi videtur ex ipſius Moyſis verbo. *Quid æmularis pro me?* Pro aliquo ſiquidem æmulari, eſt ob ipſius aut vtilitatem aut dignitatem imminutam indignari, contendere, laboris, dimicationiſque multum ſuſcipere. Sed de hoc 1. ſeq. plus.

Q. V. *An verum, pro Moyſis gloria æmulatum eſſe Ioſue?*

VERVM eſſe colligunt, vt dixi, omnes è Moyſis oratione hac. *Quid æmularis pro me?* quaſi diceret. Æmularis. Sed ne feceris. quem ad finem eam æmulationem ſuſcipias? Quia tamen hæc in Hebræo interrogatio eſt, *An æmularis tu pro me?* ſiue *Numquid meâ cauſa, tu æmularis?* poſſet eam ita quiſpiam interpretari, quaſi vera eſſet interrogatio Moyſis, ſuſpicantis quidem illum pro ſe æmulari, non tamen aſſerentis. & eam in ſententiam explicari poſſet Latinus textus, ſic. *Quid? æmularis pro me?* vel ſimpliciter, vt *Quid*,

A ſit pro *An*, æmularis pro me? Nam in occultis quandoque pro eodem ponimus quæſtiones, *an*, & *quid?* vt *quid iam de me cogitas? Quid nam diuinæ rei tecum meditaris?* A communi tamen ſententia nihil abeo. 1. quia Septuaginta ita verſunt, μὴ ζηλοῖς ἐμὲ, id eſt, *non zelas me?* nonne, cauſa mea, exeandeſcis? nonne, propter me, adeo ſtomacharis. & illos prohiberi poſtulas? 2. quia etiamſi Latinus textus exponi aliter poſſit, ſimpliciter tamen, minuſque tortus communis ille ſenſus videtur. 3. ſi ſuſpicatus eſt
B Moyſes, ſua cauſa æmulari Ioſue, idque certò neſciuit, ſed rogauit tantùm, videretur Moyſes, parum acris & ſolers non ingeniorum modo, ſed morum etiam & verborum explorator, qui è Ioſuæ verbis, & è modo ea proferendi, ex ipſoque proferentis vultu ac geſtu non ſatis quid vellent, & quo è fonte fluerent, animaduerteret. præſertim cum intimum illum, & vti aiunt, intus & in cute notiſſimum haberet. Deinde, cur eum pro ſe potius æmulari, quàm Dei gloriam, tabernaculi honorem, inobedien-
C tiæ caſtigationem cogitare ſuſpicaretur? 4. quæ ſequuntur verba. *Quis tribuat, vt omnis populus prophetet?* declarant non dubitantis, ſed certò videntis & iudicantis, ab æmulatione Ioſuanam petitionem ortam eſſe.

Q. VI. *Ioſue pro Moyſe an bona æmulatio?*

ÆMVLATIO, ſiue, vt pro ea Interpretis noſtri voce, in Græco eſt, *zelus*, in ſcripturis duplex oſtenditur. bonus & vitioſus. *Bonus* Pſ. 67. Ioan. 2. 17. Cor. 2. 31. cap. 14. 1. 12. 39. 2. Corinth. 7. 11. cap. 9. 2. cap. 11. 2. Galat. 4. 8. Tit. 2. 14. *vitioſus* Pſal. 36. & 72. Actor. 5: 17. cap. 7. 9. cap. 13. 45.
D cap. 17. 5. cap. 21. 20. cap. 22. 3. Rom. cap. 10. 2. cap. 13. 13. 1. Corinth. 3. 3. cap. 13. 4. 2. Corinth. 12. 20. Galat. 1. 14. cap. 4. 17. cap. 5. 20. Philipp. 3. 6. Iacob. 3. 14. cap. 4. 12. Siue autem bonus, ſiue vitioſus zelus ſit, eo ſemper nomine vis quædam & magnitudo æſtus animi ſignificatur. Vnde & hoc loco in vehementi Hebræorum coniugatione verbum *æmulandi* eſt. Sunt ergo, quibus Ioſuæ iſta æmulatio vitioſa & cum peccato coniuncta videatur, vt Abulenſi q. 67. *inuidiam* fuiſſe vult. Sed tamen non cum magno
E peccato coniunctam q. 68. Aduertendum. 1. tam inuidiam, quam zelum & æmulationem oriri ex bono vel quod in aliquo eſt, in quo eſſe non debere iudicatur, vel quod in aliquo non eſt, in quo eſſe debere iudicatur. 2. bonum iſtud vel *verè bonum* eſt, vt Dei gratia ſanctificans, & virtus omnis, vel *adiaphorum* vt bona fortunæ, corporis, & quædam animi, vt ſcientia, & chariſmata illa diuina, quæ in peccatoribus etiam eſſe poſſunt, vt donum miraculorum, prophetiæ, & ſi quæ ſimilia. 3. illud iudicium, cur in hoc vel il-
F lo, hoc vel illud bonum eſſe aut non eſſe oportere iudicatur, variis ex cauſis oriri poteſt. 1. ex eo ſcilicet, quòd ille bono illo dignus aut indignus ſit. Et tam Ariſtot. 2. Rhet. quā D. Thomæ 22. q. 36. id propriè *Nemeſis* eſt. 2. quòd eo nos bono careamus, & id ab iiſdem propriè *zelus* dicitur. 3. Quòd ex illius bono bonum aut malum, aut nobis aut aliis, verbi causâ, Eccleſiæ, ciuitati, vel iis rectè qui nobis quoquomodo coniuncti ſunt, euenturum videatur, & iiſdem *timor* vocatur. 4. quòd eo bono nos alius, qui par aut etiam inferior eſſe debere videretur, ſuperet: ab

iiſdemque auctoribus propriè *inuidia* ſtatuitur. Omnium id genus motionum, ſiue bonæ, ſiue malæ ſint, intenſionem impetumque vehementiorem ad zelum ſeu æmulationem, cum ſcripturâ iam reuoco: deque ipſo Ioſuæ zelo ita ſtatuo, *non fuiſſe peccatum, ſi per ſe ipſum præciſè ſpectetur: ſed ob aliquam forte circumſtantiam fuiſſe peccatum, veruntamen non magnum.* Prior pars probatur. Bonum quod Eldado & Medado adeſſe debebat, erat per ſe adiaphoron: neque præciſè dolebat, quòd illud illis adeſſet. Quis enim abſque vlla coniectura de illo id effutiat, cum ne minimum quidem, abſque ratione, delictum in vllo ſuſpicandum ſit. Sed tantùm quòd ex eo mali quidpiam Moyſi crearetur, vti quæſt. 4. expoſitum. Sed hoc, vitij nihil habebat. Nam aſpice ſingula cauſæ illius dilatatæ membra. Eſtne vitioſum iniquo ferre animo, ſi ſuperioribus non obediant inferiores? Si illorum in diſcrimen vocetur auctoritas? Si cum ratione, hi aut vanitatis in loquendo, aut imprudentiæ in iubendo, aut leuitatis in promittendo inſimulentur? Quid præterea peccati eſt, ſi quæ in tanto tanti populi gubernatore ac Principe requirebatur, & tot hactenus modis à Deo procurata erat, gloriæ præſtantia, ne vileſceret, vulgariſque fieret, extimeſcebatur? Quæ culpa, ſi ægre ab aliquo fertur, eum, quem in donorum ſuorum largitione præſcripſiſſet Deus, modum & ordinem non tueri? quos gratiæ ſuæ miniſtros eſſe iuſſiſſet, deſeri? aliâ viâ, & per alios, illius chariſmata exquiri? Deinde Moyſis verba non obiurgationem & reprehenſionem, qua Ioſue perſtringatur, vllam continent, ſed tantummodo Moyſis ipſius modeſtiæ vbertatem & affluẽtiam. Indignum enim ſeſe putar, qui cæteris haberetur præſtantior. ideoq; ſi ei æquiparentur aliqui neque fert ipſe, neq; ferre alios vult moleſte. quin potius optat ſibi æquales omnes fieri. Fit verò non rarò, vt bene ſeſe duo circa rem eandem habeant, vnus quidem ius alterius aſſerendo, alter ſuo illo iure cedendo. Quin verò, citra illam etiam Ioſuæ caſtigationem, in iiſdem verbis liceret aliter Moyſis modeſtiſſimum animum intueri. Quia enim Græcè eſt, *non zelas me?* poſſet hæc in iis accipi ſentẽtia. Quid agis, mi Ioſue? cur à vaticinando prohiberi hoſce vis? Non amas me? Non gaudes, me dum quamplurimi à Dei Spiritu aguntur & incitantur, moleſtiſſimo gubernandi onere quadantenus alleuari? Quo enim plures in populo ſapientes fuerint, eo facilior erit gubernatio. Quo plures in naui nauclerum iuuerint, eo illi ad clauum ſedere fuerit leuius. Vtinam ſint in populo prudentes ac ſapientes omnes. Vtinam vaticinentur, Deique Spiritu afflentur, & inſtinguantur omnes. Mihi ſanè tum, quæ iam eſt grauiſſima, leuiſſima foret imperij ſarcina. Si me igitur amas (vt verè amas) ne velis non quamplurimos diuinitus agitari: ſinas duos iſtos, & ſi vellet Deus, iis plures, adeoque multitudinem vniuerſam prophetare. Hoc enim, ſecus quam fortaſſis exiſtimas, mihi & vtiliſſimũ & iucundiſſimũ. Vtrolibet modo verba hæc ſumamus vel pro zelo, qui dolor æmulatio, & iræ ardor quidam eſt, vel pro zelo, qui amor, imo amoris æſtus & flamma eſt, ſumma ſemper modeſtiæ ac demiſſionis laude ornatur Moyſes, ab omni verò culpa & delicto vindicatur Ioſue. quod etiam ſatis indicat S. Cyrillus infrà non multo poſt citandus. Addo non vitio, ſed laudi potius dari, dum de Dominorum, Parentum, doctorũ, ſuperiorum honore, paulo etiam quã illi ipſimet, ſtudioſiùs & acriùs laborant famuli, diſcipuli, inferiores. Maior enim iis cura, minuſque quodammodo periculoſa incumbit. Libenter hic quærerem, de diſcipulis CHRISTI Domini, cum dæmonia eiicientem viderunt, & id ipſum facere vetuerunt, Luc. 9. v. 49. quid Ioſuæ accuſatores ſentirent. ſed de hoc ſeq. q. Ad *alteram ſententiæ partem* probandam accingor, in qua duo aiebam primò *peccaſſe ob aliquam forte circumſtantiam* Ioſue: deinde, *peccatum tamen paruum fuiſſe.* Illud probatur. 1. quia forte de Eldad & Medad ſuſpicio habuit næui aliquid. Videntur enim illi ex quadã animi modeſtia nõ veniſſe citati, quòd honorẽ horrerent, quòd ſe tanto impares oneri exiſtimarent, quòd ſeſe digniores alios exiſtimarẽt. non quòd Moyſis vel imperium vel auctoritatem, iudicium & promiſſum aſpernarentur. D. Hier. manſione 13. *Non imperij negligentes, ſed humilitate ſubmiſſi, dum ſe honore arbitrantur indignos.* & S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 16. *ob Spiritus S. gratiam ac vim oſtendendam*, eos ait abfuiſſe, prout eius verba, quæ infrà q. 10. citantur, monſtrabunt. Deinde, etiam ſi duo hi vel etiam multò plures vaticinarentur, ſua tamen adhuc Moyſi præſtantia, ob alias plurimas maximaſq; virtutes, diuinaſq; teſtificationes, ſarta tecta manebat. Tertiò. vel fictè ipſos ac ſimulatè, vel verè vaticinari arbitrabatur. ſi fictè, nimium in tãtos viros, Moyſis ipſius iudicio paulo ante probatos, & ad munus hoc delectos, fuit ſuſpicioſus. Si verè, diuinum agnoſcere donum debebat, neque ipſi velle obſiſtere. Leue tamen id, quidquid eſt delicti, fuiſſe intelligitur ex eo. 1. quòd tota iſta Ioſuæ vox ex animo profecta fuit bono, magnoque erga Dei ſeruum Moyſen, Deumq; ipſum amore, ſed cum parua quadam animi virorum illorum ignorantia, & diuinæ munificentiæ inconſiderantia. 2. quia motus iſte, ſcintillæ inſtar ſubitò & emicuit & euanuit. Dixerat puer in caſtris Eldad & Medad prophetare. & ſtatim, *Domine mi*, ait, *prohibe eos.* Dixit Moyſes ne tanto ſui zelo raperetur, & ſtatim, ne verbum quidem. Ideoque immodicæ ſunt illæ Caluini voces, *ſtultam ac præpoſteram Ioſuæ zelotypiam fuiſſe, immodicoque ſtudio & amore Moyſen eſſe proſequutum.*

Q. VII. *Iohannis & Christi Domini, diſcipulorum æmulatio, an, quàm iſta Ioſuæ, melior?*

PRO magiſtro ſuo S. Iohanne Baptiſta contra CHRISTVM Dominum æmulatos eius diſcipulos legimus Matth. 9. v. 14. & maximè Iohan. 3. v. 26. & pro CHRISTO D. Iacobum & Iohannem Luc. 9. verſ. 49. contra quendam in CHRISTI nomine dæmonia eiicientem, neque tamen Chriſto Domino adhæreſcentem Marci 9. v. 38. Luc. 9. v. 49. & paulo poſt contra Samaritanos CHRISTVM Dominum hoſpitio accipere nolentes v. 54. Hunc ergo Moyſis diſcipulum cum illis conferamus. Nam & horum Magiſtrorum cum Moyſe comparatio eſſe poteſt, cum Iohannes, ſe, pro quo diſcipuli zelarentur, dignum non eſſe oſtẽdit Iohan. 3. v. 27. & CHRISTVS Dominus Luc. 9. v. 50. clarè dixit. *Nolite prohibere.* Ac diſcipuli Iohannis, culpa vacare

Digitized by Google

care qui poſſint, non video, cum ſuper CHRISTO Domino, dum à Iohanne baptizatus eſſet, Spiritum S. vidiſſent, voces diuinas Matth. 3. Luc. 3. & tot à Iohanne de ipſo teſtimonia iam audiſſent. Ideoque melior Ioſuæ noſtri æmulatio. Diſcipulos verò CHRISTI Domini vehementer arguit Caluinus, & qui ab eo decepti ſunt. Nam in illius dæmonia eiicientis prohibitione *feciſſe ipſos inconſideratè ac temerè, ſuperbè ac inuidè.* inconſideratè quidem, quia inconſultò Domino eum prohibuerunt. ſuperbè ac inuidè. quia pari ſecum aduerſus dæmonas poteſtate præditum eum nolebant. A peccato tamen immunes ipſos docuit Theophylactus & Beda. quod non *inuidia*, ſed *charitate*, ad prohibendum acceſſerint. Fuit verò charitas hæc partim erga CHRISTI Magiſtrum, partim erga illum dæmonum eiectorem. Erga CHRISTVM quidem, quòd cum ſolis Apoſtolis eam hactenus conceſſiſſet poteſtatem, hunc ab eo conſtitutum ordinem & diſciplinam retinere ſtudebant. Erga illum verò, quòd contra hunc ordinem venire ipſum, ideoque & delinquere putabant. Planum fit hoc ex eorum ad CHRISTVM Dominum accurſu, & alacri, lætaque denunciatione. Quaſi enim eius gloriæ ac diſciplinæ conſuluiſſent optimè, audacter & penè gloriabundè aiunt. *Magiſter v. q. i. n. t. e. d. q. n. ſ. n. & prohibuimus eum.* Neque ipſorum hunc animum CHRISTVS Dominus reprehendit, ſed tales deinceps prohibendos non eſſe docuit. primò quidem quia & illi diuinam ſuam gloriam augerent, & Apoſtolorum ſcopo, id eſt, CHRISTI Domini fidei, & gloriæ propagandæ congruerent, operamque ſimul darent. Hæc enim duarum illarum rationum vis. *Nemo eſt, qui faciat virtutem in nomine meo, & poſſit cito malè loqui de me. Qui enim non eſt aduerſum vos, pro vobis eſt.*

In ipſa verò contra Samaritanos indignatione ait idem Caluinus, *ſtultâ elatos fuiſſe fiducia.* Sed Patres D. Hieronymus, q. 5. ad Algaſiam: V. Beda, Titus Boſtrenſis multo de illis meliora. Vindictam eos aiunt, non ſuam ipſorum, ſed CHRISTI Domini optaſſe. idque non vlla ſua culpa, ſed ſola Euangelici & Chriſtiani Spiritus ignorantia. Hac enim de cauſa illi à CHRISTO Domino reprehenduntur. *Apoſtoli*, ait S. Hieronymus loco citato, *in lege verſati, in qua tantum iuſtitiam nouerant, oculum pro oculo, dentem pro dente, vlciſci nituntur iniuriam, & imitari Eliam, ad cuius vocem, duos Pentecontarchos milituum, ignis abſumpſerat.* *Nec mirum profectò*, ait Maldonatus noſter, *eſt, id Apoſtolos facere voluiſſe, cum tam multas vindictæ cauſas habere viderentur. Primum exemplum Eliæ. Deinde iuſtiorem, quam ille cauſam. Ille enim propter excluſum à Iudæis ſeruum, hi propter rejectum ignominiosè Deum, ignem in eos mittere volebant*, vt Titus argumentatur. Inuitabat & locus. Samaritani enim illi fuerant, in quos & Elias ignem cœlo deduxerat 4. Regum. 1. & duplici pœna digni videbantur, qui ſimplici non fuerant emendati: & ſi non aliud, certè moderatio qua vſi ſunt, culpa liberare potuit, *Vis dicimus?* Ambroſius prorſus excuſat. qui & ait: *Quid mirum filios tonitrui fulgurare voluiſſe?*

Si vtraq; hæc Apoſtolorum æmulatio ſpectetur, quo ad eum, ob cuius honorem & auctori-

A tatem, ea ſuſcipiebatur, vtraque profectò melior eſt, quam iſta Ioſuæ. *Amplioris enim gloriæ* CHRISTVS *præ Moyſe dignus eſt habitus, quanto ampliorem honorem habet domus qui fabricauit illam.* Hebr. 3. verſ. 3. Si verò, quoad indignandi, timendi, ac ſuſpicandi cauſas, eædem æmulationes conſiderentur, videtur Ioſue iuſtiorem habuiſſe cauſam, quam in priore ſua æmulatione Apoſtoli, ſed iidem in ſecunda meliorem quam ille, prout ex dictis ferè perſpicuum. vide libellum de Apoſtolis num. 38.

Q. VIII. *Cur & cæteros à vaticinando prohiberi non petiit Ioſue?*

B Ex cauſis, quæ q. 4. Ioſue mouebant, vt Eldad & Medad prohiberi peteret, vna ſola in vaticinantes alios congruere potuit, ea ſcilicet, quòd pluribus ad eximiam iſtam prophetię gloriam efflorèſcentibus, marceſcere, obſcurari & peruulgari Moyſis excellentia videretur. At iſta cauſa, cœterorum illorum reſpectu, non ita potuit Ioſuæ animum purgare ac ſtimulare, ſicuti duorum iſtorum intuitu. quia illi eius imperio paruerant vocati: ad tabernaculum ſeipſos ſtiterant, Moyſis preces & benedictionem magni fecerant, ei, ſecundum Deum, quidquid excellentis iam doni haberent, aſcripſerant. quòd de ipſius ſe ſpiritu accipere perſpicerent ac profiterentur. Præterea clarum de his Dei teſtimonium & voluntas erat, quem, etiam contra animi ſui ſenſum, libentiſſimè amplectebatur ac reuerebatur Ioſue. Accedebat poſtremò, quòd etiamſi quæ in vno collecta Moyſe videbatur, gloria in plures iam ſpargeretur, non tamen in tam multos adhuc, quam dum duo illi accedebant, ita vt ſubuereri etiam potuerit, ne & ſupernumerarij alij plures accederent.

Q. IX. *Quid ex Ioſuano iſto pro Moyſe zelo diſcere liceat?*

D LICEAT ſanè *primò* egregiam eius in Dominum doctoremque ſuum beneuolentiam, ardentemque amorem diſcere. qui, vt ſuprà dixi q. 6. & 7. laudabilis & Apoſtolicus eſt. *Deinde* videmus, quanta humanarum mentium imbecillitas & cæcitas ſit, quæ in rebus prouidendis, & ſyncere diiudicandis tam multa non vident, ideoque errant & labuntur. *Tertiò*, bonos etiam viros in bonis etiam rebus debere diligenter attendere, ne nimio aliquo zelo temere aut imprudenter quidquam ſtatuant, aut de aliis loquantur. *Quartò*, meritò ſuſpecta nobis ea oportere eſſe vel facta, vel conſilia, in quibus de noſtra vel noſtrorum gloria & honore agitur. Hic enim perſæpe *latet anguis in herba*, dum non purè putéque Dei gloriam quærit, ſed vel ſuam, vel ſuorum, imò etiam dum iſtorum ſpectare gloriam videtur, ſuam quodammodo ſpectat. dum ex ipſa cum illis coniunctione illam ad ſe redundare vult ac ſperat. Ferunt ſcilicet ægrè miſeri mortales, ſi etiam ab aliis boni quid fiat, cuius ipſi vel auctores vel certè adiutores & ſocii non habeantur. Alius ille & verè perfecteque Apoſtolicus D. Pauli zelus Philipp. 1. verſ. 18. cum varii variis de cauſis & quidem prauis, ipſique aduerſis, CHRISTVM D. prædicarent. *Quid enim?* ait. *Dum omni modo, ſiue per occaſionem, ſiue per veritatem* CHRISTVS *annuncietur: & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo.* Hæc verus ille & omni laude cumulatus diuinæ gloriæ zelotes. Poſtremò, hac vna imperfectione detracta, ſuſtinet etiã hic Ioſue CHRISTI Domini figuram. Cuius ea zeli vis, & ignis fuit, vt nulla, ne minima quidem recula, Patris

Ioſue. G

æterni gloriam violari aut minui ferre poſſet. adeo *vt non ſineret*, ait S. Marcus cap. 11. v. 16. *vt quiſquam transferret vas per templum*, & de ipſo ſcriptum ſit Pſal. 68. & Iohan. 2. v. 18. *Zelus domus tuæ comedit me.* Quod ſi cum imperfectiũcula iſta Ioſuæ zelum conſiderare liceat, typum is geſſerit CHRISTI Domini, non quoad ipſummet, ſed quoad ipſius membra, bonos ſcilicet pioſque homines, in quorum aliquando aut factis aut conſiliis & ſermonibus aliqua id genus vanitatis aut ignorationis labecula inſidet. In hac ipſa tamen & illud laudandũ ac imitandum, quòd Ioſue, non niſi apud Moyſen id dixerit, reique totius arbitrium ei commiſerit. Minus enim periculi eſt, quando apud ſapientiores iſtiuſmodi quid contingit. Illi enim huiuſmodi verbis aut non decipiuntur aut minus: & ęſtuantibus animis frigidæ aliquid aſpergunt, docendo, monendo, meliora & perfectiora oſtendendo, prout hic à Moyſe factum cernimus.

Q. X. *An in ſeptuaginta illorum numero non fuit ipſe Ioſue?*

INITIO cap. 13. Num. dicitur Ioſue fuiſſe *ex principibus & capitibus populi*. & verò cum eligerentur ſeptuaginta ad populi gubernationem, Moyſis alleuationem, iudiciorum, publicorumque conſiliorum honorem, ad eos meritò videatur Ioſue allegendus fuiſſe. Allectus tamen adſcriptuſque tum non fuit, vt apparet. *Primo*, quia illis adhuc prophetantibus venit de Eldad & Medad nuncius, & tunc confeſtim prohiberi eos voluit Ioſue. *Deinde*, quia non Moyſis, ſed propriam ipſe cauſam apertè viſus fuiſſet agere, quod in honoris ſocietatem plures admittere nollet. *Tertio*, debebant illi eſſe è populi ſenioribus. *Congrega mihi*, ait Dominus verſ. 16. *ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael, quos tu noſti, quod ſenes populi ſint, ac magiſtri.* At vti ſæpè hactenus dictum, iuuenis hoc tempore fuit Ioſue. imo ſtudio dataque opera, cum ſeniorum iſtorum meminiſſet 55. de Ioſue ſubiunxit verſ. 28. eum è *iuuenibus* fuiſſe, vt in illorum numero haud quaquam fuiſſe intelligeremus. Dices, *ſeniores* hic vocatos non tam phyſicè quam ethicè. id eſt, non tam qui ætate ſenes, quam qui maturitate, ſapientia & moribus. Ita enim Oleaſter, & iam olim Rupertus in Num. cap. 31. *Notandum*, ait, *diligenter, quod cum dixiſſet, Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenioribus Iſrael, addidit, quos tu noſti, quod ſenes populi ſint ac magiſtri. Nam re vera Deus, non ſanctitatem annorum, ſed ſanctitatem requirit animorum.* Et D. Hieronymus in Iſagog. 24. ſub finem & cap. 3. *Moyſi*, ait, *præcipitur, vt eligat præsbyteros, quos ſcit eſſe præsbyteros, qui imitantur vetuſtum dierum, cuius cæſaries deſcribitur candida, vt ætatis longitudo mõſtretur.* Et Apoſtolus Paulus, qualis præſbyter eligi debeat, pleniſſimè ſcribit ad Timotheum. 1. Epiſt. cap. 5. vnde & in prouerbiis cap. 20. *Gloria ſenum canities.* Quæ eſt iſta *canities?* haud dubium quin ſapientia, de qua ſcriptum eſt, *Canities hominum prudentia eſt.* Talis verò ſenex prorſus fuit Ioſue, moribus maturus, ſapientia canus. Fuit ſanè. ſed præter ethicam iſtam ſenectutem & canitiem, phyſica etiam requirebatur. Hæc enim in priore Dominici præcepti parte ſignificatur. *Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenioribus Iſrael.* poſtea de morali ſubditur. *quos tu noſti quod ſenes populi ſint.* Poſſet tamen hoc poſterius accipi, de aptitudine. quos noſti aptos eſſe, vt ſenes fiant, & præfecti, ſiue, vt, ſeniorum, præfectorumque munus, & auctoritatem tueantur. Et hos putant aliqui, vt Oleaſter, eoſdem eſſe, qui Iethronis conſilio nuper Exod. 18. delecti fuiſſent, nuncque Dei ſuffragio, quod antea factum non erat, approbentur, &, cum antea cauſas tantum diſceptarent, iam ad populi gubernacula euehantur. Alij diuerſos credunt. vtroſuis ſentiamus, in eorum albo non fuit Ioſue. idque primo & præcipuè propter ætatem. Debuit enim hoc, ſaltem ordinis huius initio, ſeruari, vt non niſi natu maiores in illum tranſcriberentur, non quod nemo iunior poſſit prudentiâ, morumque grauitate ac ſanctimonia pollere: neque quòd è ſenioribus nemo iuuenilibus interdum leuitatibus obſequatur, & imprudens ſtoliduſque ſit: ſed quòd vt plurimum, ætas minor imperitiam, animique leuitatem aliquam, maior peritiam, grauitatemque adiunctam habere ſoleat. Deinde propter Moyſen, ne tam charo, tamque fido miniſtro deinceps orbaretur. Neque enim, vt ſuprà etiam tactum, in quotidiano domeſticoque miniſterio è populi ſenatoribus ac optimatibus occupari aliquem voluiſſet Moyſes. Poſtremò propter Ioſue. cui erat vtilius, à tanti Magiſtri diſciplina, conſpectu, & ore nundum abſtrahi. & forte ſignificari debuit ille, qui antequam in hominum lucem prodiret, annos tot in parentum domo & obſequio latere voluit IESVS CHRISTVS Dominus ac Saluator noſter. An in eum verò poſtea ordinem vocatus ſit, equidem adhuc quæro. Videretur. n. conſentaneum, vt qui omnium Princeps futurus erat, is in Reip. conſiliis & tribunalibus primo exerceretur: & ad ſumma, per ſynedrij gradus, aſcenderet. Neque. n. qui ſecutor non erat, Conſul olim fiebat: neque ſi factus fuiſſet, probè ſatis id muneris geſſiſſet. Pompeius ſane, *quia, ob aſſiduam militiam in ſenatum vix vnquam veniſſet Conſul creatus, ne ſenatus quidem habendi & conſulendi rationem ſciebat, adeo vt M. Varronem familiarem ſuum rogarit, vti commentarium faceret εἰσαγωγικὸν (ſic. n. Varro ipſum appellat) ex quo diſceret, quid facere, dicereque deberet, cum ſenatum conſuleret.* Gel. l. 14. cap. 7. Nihilominus tamen quia literis proditum non eſt, neque à quoquam, quidquam traditur, in medium relinquo. Potuit. n. Moyſes ſatis eum inſtituere, & ſumma cum eo conſuetudo & aſſiduitas, omnium aliorum munerum & graduum inſtar erat, imò & quidpiam multo maius atque vtilius. Ideoque & diſerte S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 16. Ioſuam in hoc LXX. numero haud fuiſſe, neque nunc Spiritus ſancti donum accepiſſe docet. cuiuſque verba, quæ q. 6. promiſit, ſunt hæc: *Spiritus ſanctus deſcenderat in 70. ſeniores tempore Moyſi. Non erat tum in illos 70. viros Spiritus ipſe diuiſus: ſed gratia tantum, pro eorum, qui recipiebant facultate. Sexaginta tantum & octo aderant. Eldad autem & Modad (ſic in Græcis 70. & aliis ſcribi ſolet Μωδάδ) aberant. Vt igitur oſtenderet non Moyſen eſſe largitorem, ſed Spiritum operantem Eldad & Medad vocati quidem, ſed non occurrentes prophetabant. Stupefactus eſt Ieſus ille typicus, Naue vocatus, ſucceſſor Moyſis, & conueniens eum, dicit: Audiſti quod Eldad & Medad prophetant. Vocati erant, ſed non aduenerant. Domine*

Digitized by Google

ne mi Moyſes, prohibe eos. Non poſſum, inquit ille, prohibere. Cæleſtis enim eſt iſta gratia. Ac tantum abeſt, vt eos cohibere queam, vt etiam fateri cogar, me ex gratia Domini id habere, ſed non puto te ex odio iſta dicere. Caue autem, vt æmuleris pro me, vel inuideas, quòd illi prophetant, Tu autem nequaquã. Expecta tempus. Quis dabit vniuerſum populum eſſe Domini Prophetas? Quando det Dominus Spiritum ſuum ſuper eos? Propheticè dicit, quòd, Quando det. Tunc enim nondum A *dederat. Tu quoque nondum habes. Numquid Abraham, & Iſaac, & Iacob, & Ioſeph antea non habebant? Numquid non habebant id quod dicit, Quando det Dominus Manifeſtum eſt, hic ſignare illum abundantiam doni Spiritus ſuper eos omnes. quaſi diceret: Nunc iſta gratia particularis: ſed tunc erit copioſum donum. Quod completum eſt apud nos in die Pentecoſtes.* Hæc Sanctus ille.

CAPVT VIII.

Ioſuæ ad explorandam terram miſſio, reuerſio, geſtaque alia.

ANNVS ab exitu agebatur ſecundus, menſiſque ſecundus, cùm, die huius viceſimo, è Sinai ſolitudine progreſſi Iſraelitæ Num. cap. 10. *Venerunt in ſolitudinem Pharan* ibid. verſu. 13. cum in locum, vbi ſeptuaginta, de quibus ſuprà, delecti fuerant, ſeniores, infami ſepulchrorum *concupiſcentiæ* nomine notatum cap. 11. Inde in partem aliam *Phaſeroth* nuncupatam, vbi contra Moyſen, ob eius vxorem, ab Aarone, eiuſque ſorore Maria, murmuratum; proceſſerunt Num. c. 12. inde in alias poſtea partes Num. 33. tandemque in Cadeſbarne Deuteronom. 1. verſu. 20. hic verò dixit Moyſi populus ibidem verſu. 22. *Mittamus viros, qui conſiderent terram, & renuncient, per quod iter debeamus aſcendere: & ad quas pergere ciuitates.* Retulit hoc populi poſtulatum ad Dominum Moyſes, cui ita ab illo reſponſum, Numer. 13. verſu. 3. *Mitte viros, qui conſiderent terram Chanaam, quam daturus ſum filiis Iſrael, ſingulos de ſingulis tribubus ex principibus.* Sicque à Domino approbatus placuit Moyſi ille populi ſermo Deuteronom. 1. 23. & fecit, quod Dominus imperauerat, de deſerto Pharan mittens Principes viros XII. quorum è variis tribubus varia ſunt nomina Num. 13. verſu. 5. Sed ex iis duo ad Ioſuæ librum ſpectant; e tribu quidem Iuda, *Caleb* filius Iephone: è tribu Ephraim *Oſeæ filius Nun.* quem ibidem verſu. 18. vocant *Ioſue*, prout ſuprà cap. 2. expoſitum. Ierunt illi, terram explorarunt; *& pergentes vſque ad torrentem botri, abſciderunt palmitem cum vua ſua, quem portauerunt in vecte duo viri.* verſ. 24. Reuerſique exploratores *terræ poſt* 40. *dies omni regione circuita, venerunt ad Moyſen & Aaron, & ad omnem cœtum filiorum Iſrael, in deſertum Pharan, quod eſt in Cades.* verſ. 26. 27. *locutique eis, & omni multitudini, oſtenderunt fructus terræ, quæ & vidiſſent, narrarunt.* verſ. 28. & ſeq. terramque illam ab vbertate, fructuumque bonitate laudarunt, & præſenti allatorum fructuum, teſtimonio commendarunt. Sed eandem ex iiſdem exploratoribus, præter Calebum & Ioſue, omnes aliunde vituperarunt maximè, ita vt omnem illic porro tendendi animum vniuerſo populo ademerint: ſeditionem grauem concitarent, vt ij Ægyptum regredi, quam illuc infeliciter progredi malle ſe conclamarint caſtra tota: *Cultores*, aiebant, *fortiſſimos habet terra illa, & vrbes grandes atque muratas. Stirpem Enac vidimus ibi. Nequaquam ad hunc populum valemus aſcendere. quia fortior nobis eſt. Terra, quam luſtrauimus, deuorat habitatores ſuos. Populus, quem aſpeximus proceræ ſtaturæ eſt. Ibi vidimus monſtra quædam filiorum Enac de genere giganteo, quibus comparati quaſi locuſtæ videbamur.* At eodem illo primo reditus die, inter hæc Caleb compeſcens murmur populi, qui oriebatur contra Moyſen, ait. *Aſcendamus & poſſideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam.* verſu. 31. Totus ille veſper, & inſecuta nox ſic in murmurando & tumultuando tranſacta cap. 14. verſ. 2. idemque poſtero die, magnâ animorum proteruiâ reuocatum. tumque verſu. 5. *Moyſes & Aaron ceciderunt proni in terram coram omni multitudine filiorum Iſrael. At verò Ioſue filius Nun, & Caleb filius Iephone, qui & ipſi luſtrauerant terram, ſciderunt veſtimenta ſua, & ad omnem multitudinem filiorum Iſrael locuti ſunt. Terra, quam circuiuimus, valde bona eſt. Si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam, & tradet humum lacte & melle manantem. Nolite rebelles eſſe contra Dominum: neque timeatis populum terræ huius. quia ſicut panem, ita eos poſſumus deuorare. Receſſit ab eis omne præſidium. Dominus nobiſcum eſt: nolite metuere. Cumque clamaret omnis multitudo, & lapidibus eos vellet opprimere, apparuit gloria Domini ſuper tectum fœderis cunctis videntibus filiis Iſrael.* de quibus iuſtiſſimo idem Dominus dolore, itaque percitus, multa Moyſi queſtus & contra eos interminatus, adiecit verſ. 23. *Non vide-*

bunt terram, pro qua iuraui patribus eorum, nec quiſquam ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur eam. Seruum meum Caleb, qui plenus alio ſpiritu ſecutus eſt me, inducam in terram hanc quam circuiuit, & ſemen eius poſſidebit eam. Iterumque verſ. 29. *Omnes, qui numerati eſtis à 20. annis, & ſuprà, & murmuraſtis contra me, non intrabitis terram, ſuper quam leuaui manum meam, vt habitare vos facerem, præter Caleb filium Iephone, & Ioſue filium Nun.* Et repetitur idem Num. 32. verſ. 10. *Iratus Dominus iurauit dicens, ſi videbunt homines iſti, qui aſcenderunt ex Ægypto à 20. annis & ſuprà, terram quam iuramento pollicitus ſum Abraham, Iſaac & Iacob & noluerunt ſequi me præter Caleb & Iephone Cenetæum. & Ioſue filium Nun. Iſti impleuerunt voluntatem meam.* Sed copioſius adhuc omnia dicuntur Deuteron. 1. à verſ. 26. vbi ab cæterorum exitio excipiuntur itidem Caleb & Ioſue hiſce verbis v. 35. *Non videbit quiſpiam de hominibus generationis huius peſſimæ, terram bonam, quam ſub iuramento pollicitus ſum patribus veſtris, præter Caleb filium Iephone. Ipſe enim videbit eam, & ipſi dabo terram, quam calcauit, & filiis eius, qui ſecutus eſt Dominum. Nec tu* (ô Moyſes) *ingredieris illuc: ſed Ioſue filius Nun, miniſter tuus, ipſe intrabit pro te. Hunc exhortare & robora, & ipſe ſorte terram diuidet Iſraeli.* facta hæc omnia. Et primò quidem decem alij exploratores, eodem illo reditus die poſtero, morte repentina extincti ſunt: deinde progreſſu temporis, interierunt murmuratores omnes. Nam de illis ita Num. 14. 36. *Igitur omnes viri quos miſerat Moyſes ad contemplandam terram, & qui reuerſi murmurare fecerunt contra eum omnem multitudinem, detrahentes terræ, quod eſſet mala mortui ſunt atque percuſſi in conſpectu Domini. Ioſue autem filius Nun, & Caleb filius Iephone vixerunt ex omnibus, qui perrexerunt ad conſiderandam terram.* De aliis verò eodem lib. c. 26. cum eorum Catalogus, qui terram ingreſſuri eſſent, recenſitus fuiſſet; additur verſ. 64. *Inter quos nullus fuit, eorum, qui ante numerati ſunt à Moyſe & Aaron in deſerto Sinai. Prædixerat enim Dominus, quòd omnes morerentur in ſolitudine. Nulluſque remanſit ex eis niſi Caleb filius Iephone, & filius Nun.* Atque hæc ſunt, quæ circa terram exploratam ad Ioſue videntur pertinere. Suntque, vt apparere potuit; triplicia. Vel enim ante iter facta ſunt, vel in itinere, vel poſt, vbi iam rediiſſent. de quibus quæruntur hæc.

QVÆST. I. *Fueritne, cum exploratores miſſi ſunt, è populi principibus vnus, Ioſue?*

SVPERIORI capite q. vltima è ſeniorum 70. numero Ioſue, tūc fuiſſe negatum eſt. Nunc verò, an in aliorum ſaltem principum ordine fuerit, quæritur. Et quidem textum ſi, vt oportet, conſulimus, affirmandum ſtatim videtur. Diſerte ſiquidem Dominus Num. 13. v. 3. *mitte viros, qui conſiderent terram, ſingulos de ſingulis tribubus ex principibus.* Hebr. *omnes principes in ipſis.* ſcilicet *patribus*, quorum erant tribus, vel *in ipſis tribubus.* Et continuo additur v. 4. *fecit Moyſes quod Dominus imperauerat, de deſerto Pharan, mittens principes viros.* Hebraicè *omnes ipſos, qui erant viri, capita filiorum Iſrael ipſi.* Si verò textum eundem B cum alio, qui eſt Num. 1. & cum iis, quæ dicta, conferimus; negandū apparet. Nam ſuperius dictum eſt, parū Moyſi decorū viſum, vt eo vteretur miniſtro, qui in populo magiſtratū gereret aliquem: & capite illo primo, enumerantur omnes populi principes: in quorum catalogo non eſt Ioſue, neque verò aliorum enumeratorum vllus. Neque dici poteſt, vel illos eoſdem aliis hic nominibus nominari, vel hos in illorum iam locum ſucceſſiſſe. Nam quomodo ne vnius quidem nomen idem foret? Cur ſtudio tam diuerſa nomina ponerentur? Et quod magis vrget; appoſita parentum nomina, & tactæ in primo Paralipom. illorum genealogiæ hos ab illis diuerſos demonſtrant. Sumatur vnus, verbi cauſa, *Ioſue.* Is hoc loco dicitur ex tribu Ephraim Princeps fuiſſe: ibi *Eliſama.* filius Ammiud. Actor. 1. Paralipom. 7. verſ. 27. ipſius Eliſamæ nepos traditur Ioſue. prout etiam ſuprà patuit cap. 1. quæſt. 7. Iam verò illi recenſiti ſunt anno exitus ſecundo, die primo Menſis ſecundi.

A Et hi noſtri ad eundem annum paucis tantum modo elapſis menſibus, vel hebdomadibus potius, pertinent. At nunquid illi priores omnes tam cito mortui ſunt? Si dicis, in ſuperiore murmuratione, & ob eam illata plaga, mortuos fuiſſe, in ſepulchris concupiſcentiæ ſcilicet, occurritur, iis debuiſſe ſaltem ſuccedere filios. verbi cauſâ, *Eliſamæ* ipſum *Nun.* Sicque iam eſſet Princeps in Ephraim, non *Ioſue*, ſed eius pater *Nun*, Eliſamæ, & ſic de aliis. Manebant igitur adhuc illi priores principes vel omnes, vel ex iis ſaltem aliqui. Quo igitur modo & Ioſue, & cæteri explorationis ſocij, principes? Reſpondeo primò in Iudaico populo principes fuiſſe duplices, *politicos* nimirum & *Eccleſiaſticos*. Sed eorum varij rurſum gradus. Nam vnus in politicis ſummus tunc erat Moyſes: in Eccleſiaſticis Pontifex Aaron. & alius poſtea Pontifex 2. Paralip. 26. 7. Hebr. dicitur *ſacerdos caput.* Inferiores erant alij. Sed, Eccleſiaſticis, de quibus hic nihil iam agitur; omiſſis; Politici erant vel in toto populo capita, & principes: & huiuſmodi fuerunt illi, de quibus ſuperiori capite, ſeptuaginta: vel erant capita & C Principes ex ſingulis tribubus. & hi rurſum duplices. Vel enim erat vnus aliquis tribus totius caput & princeps, qui Phylarchus, aut phylarcha dictus: vel certe alicuius in eadem tribu portionis. & hoc iterum dupliciter contigiſſe videtur. Nam vel tribus ipſæ *ſecundum familias* ac ſtirpes, quas Hebræus *domos patrum*, vel *paternitatum* potius vt 70. ſignificant, appellat, dum vertunt Numeri 1. οἴκοις πατριῶν & capite 13. δήμοις πατριῶν; conſiderabantur:

conſiderabantur: vel *ſecundum numerum.* priore modo dicebantur *capita familiarum*, vel ſimpliciter *patres* aut *patriarchæ*: poſteriore modo, pro varietate numeri hominum, varia quoque fuit præfecturarum ac nominum ratio. Alij enim erant *chiliarchi*, alij *centuriones*, alij *quinquagenarij*, nonnulli *decani*, vt explicatur Exod. 18. Deuter. 1. &, vt addit Ioſephus libro 3. cap. 3. alij erant

A *myriarchi*, qui 10. ſcilicet millibus præerant: alij pentecoſiarchi, qui 500. alij *triacontarchi*, qui 30. & *icoſiarchi*, qui 20. Verbi cauſa inſpiciatur vna, è qua Ioſue noſter; Ephraimitarum tribus. in qua Numer. 1. verſu. 32. erant hominũ 40500. Ideoque, præter tribuum omnium principem, erant in ea hi principes.

1. Phylarches vnus, ſcilicet *Eliſama.*

2 ſecundum
- 1 familias ex 1. Paralyp. 7. & dictis ſuprà c. 1. q. 7. *Patriarchæ* { *Raphitarum.* *Reſephitarum.* }
- 2 numerum.

1. Myriarchi	4.
2. Chiliarchi	40.
3. Pentecoſiarchi	81.
4. Hecatontarchi	405.
5. Pentecontarchi	810.
6. Triacontarchi	1350.
7. Icoſiarchi	2025.
8. Decarchi	4050.

NAM quando vltra perfectum numerum redundebant aliqui, vel ij reuocabantur ad eum, qui eiuſdem ordinis primus erat, tantiſper dum noua ſobole numerus debitus conficeretur, vel in eodem ordine omnium erat minimus, cui numerus nondum perfectus aderat. verbi cauſa. In iſta tribu præter 40000. ſuperſunt 500. Hi ad Chiliarchum primum pertinebant vt præeſſet ille 1500. Si verò 600. vel 700. aut plures, ſed infra mille fuiſſent: hi Chiliarchum habere potuiſſent, ſed omniũ infimum, donec conſummaretur iſte millenarius. Nunc, quia è perfectis numeris, qui perfectũ ſuum habent, eſt *quingentenarius*: iis præerit proximè *pentecoſiarchus*. qui tunc, vt dixi, Chiliarchorum primo parebit, ita vt cum ordinarie duos tantum præfectura illa Pentecoſiarchos requirat, nunc, extra ordinem, tres habeat. Et omnes iſti poſſunt dici *Capita populi*, & *principes*, & quidem de 70. & phylarchis, ceteriſque maioribus conſtat: ſed de minoribus etiam & inferioribus probatur ex c. 18. Exod. v. 25. vbi Hebraicè *capita* { 1000 100 50 10 } *ſuper populum* conſtituta diuiduntur in principes hominum, itemque Deuteronom. c. 1. v. 15. Et iidem dicuntur etiam I*udices* ibidem, & iis adduntur qui Hebraicè שוטרים à 70. γραμματοεισαγωγεῖς. vel etiam ſimpliciter γραμματεῖς vt Exod. cap. 5. v. 15. & 19. à noſtro interprete ibidem verſ. 15. *doctores* vocantur. à quo iidem cum ſuperioribus ſignificantur. Iam verò non iſti tantum, ſed eorum etiam filij, etiamſi actu has nondum dignitates ſuſtinerent, quia tamen potentiã ſuſtinebant & ex illorum erant ſanguine, *Principes* etiam quandoque vocabantur, ob genus ſcilicet, & ſperatam parentum dignitatem. quemadmodum & hodie filij ſenatorum, principum, & Regum. Abulenſis ergo poſt quæſt. 2. & quæſt. 12. duo dicit. Primo. Iſtos omnes non fuiſſe actu iam principes. quia dicitur Num. 13. verſ. 3. *Mitte ex principibus.* non *mitte principes.* At Hebræus textus omnino ait. *Mitte viros, omnes principes in ipſis.* & Græcus πάντα ἀρχηγὸν ἐξ αὐτῶν. Deinde non eſt concluſio hæc bona: *Eſt ex principibus.* Ego *non princeps*, imò contrarium potius colligitur, vt ſuprà dictum, cap. 7. quæſt. 2. Alterum, etiamſi principes fuiſſent, non fuiſſe tamen ſummos tribuum principes ſiue phylarchas. & hoc ſatis initio huius quæſt. probatum eſt. Dicit quidem lib. 1. de Moyſe Philo duodecim miſſos Phylarchos, è tribu qualibet vnum: ſed generaliùs Phylarchum vocat, qui aliquem in tribu principatum ac munus gerit. ideoque addit τοὺς δοκιμωτάτους à Moyſe ἀριστίνδην delectos. Si autem qui propriè Phylarchus erat, mittendus fuiſſet, nullo iam delectu opus fuiſſet. Ideoque dicendum fuiſſe omnes principes, non genere tantùm, ſed & aliqua etiam enumeratarum præfecturarũ. Nam vocat eos Ioſephus libro tertio cap. 13. χωριστάτας. & Philo, vt iamiã audiimus τοὺς δοκιμωτάτους καὶ τοὺς ἐν τέλει. Quomodo verò tales, ſi ſola iis à genere commẽdatio? deinde non poſſet clariùs dominus deſcribere eos, qui actu præfecturas iam iniiſſent, quam iſtos deſcripſit. Tertio, quis credat Calebũ, qui poſtea Num. 34. in tribu Iuda Phylarches fuit, & hoc tẽpore annũ iam agebat ætatis quadrageſimũ Ioſuæ c. 14. v. 7. nondũ neque ad myriarchiã, neq; ad chyliarchiam, neque ad aliud munus vllũ perueniſſe? Tale igitur etiam imperiũ aliquod Ioſue, qui copias in hoſtẽ antea duxerat, victorque redierat; hoc tempore geſſiſſe ſi quis opinetur, nihil, vti quidem reor, à vero aberrarit: ſed, ob ea, quæ ſemel ac iterũ antea diſputata ſunt, dicere oportebit, voluiſſe Moyſen eo vti miniſtro, qui præcipuum quendem in populo principatum ac dignitatem teneret, cuiuſmodi erant 70. illi, & phylarchæ, fortaſſis etiam Myriarchi: non recuſaſſe tamen aut chyliarchum, aut inferiori aliquo munere affectum. Nam & paſſim videmus non in Regum tantummodo & principum aulis, ſed paulo etiam maiorum dominorum familiis eos miniſtrare, qui in alios tamen dominãtur. ita vt dicere poſſint, ſe ſub poteſtate quidem eſſe alterius, alios tamen in ſua etiam habere poteſtate. Hoc autem fieri tãto facilius tunc potuit, quanto imperia illa erant ab omni grauiore domi-

natu liberiora, & ad ordinem, iuſque tantummodo tuendum accommodatiora. Et quoties opus erat, facile, bonâ Moyſis venia, muneri ſuo vacare poterat Ioſue: vel vicarium alium quempiam, ſapientem & bonum, dare. fuerit ergo nunc è populi principibus aliquis.

Q. II. *An ia vecte tulerint botrum illum viri duo, & qui?*

ISTAM, ob ſolum S. Chryſoſtomum pono quæſtiunculam. Nam hom. 23. ad Epheſios dicit ἐν ἀμφορεῦσι portatum, id eſt, vti quidem vertit eius interpres, *in amphoris*. Sed *vectem*, ſeu *palangam*, & *duos* fuiſſe *viros*, qui recte, ſeu palanga illa botrũ iſtum tulerunt, exprimit Hebræus, & Latinus textus. nam primo ipſum ferendi inſtrumẽtum diſertè *vectis* aut *palanga* ſiue, vt Hebraicum verti poſſet: *baculus*, vocatur, in Philone δοκὶς l. 1. de Moyſe: & in 70. ἀναφορεῦς. Hincque apparet in Chryſoſt. textu hærere mendũ quod emendandũ ἐν ἀναφορεῦσι id eſt, *in palãgis* ſeu *vectibus*, Neq; iſtorũ nominũ vllũ duos fuiſſe baiulos arguit. Potuiſſet. n. vnus quiſpiam, vel vni ſuo humero baculũ imponere, ſicque pendentẽ ex eo botrũ à tergo ferre, prout videmus quoſdam interdum viatores pallium, vel ſimile quid geſtare: vel vtique humero duos itidẽ baculos componere, qui à tergo cõmitterẽtur, & ex iis nexus racemus deferretur, præſertim cũ apud 70. non ἀναφορία, ſed ἀναφορεῦς, vt dixi legamus. Sed in Hebræo baculorũ, ſeu palangoriorum duorum numerus ſic denotatus eſt. *Tulerunt in baculo in duobus* ſiue, *inter duos*. Nunc vero fieri pótuit, vt duo iſti, vel iidem ſemper non eſſent, vel in orbẽ iret onus, vel iidem eſſent quidẽ, ſed non *Caleb & Ioſue*, verũ alij quilibet. Prius videretur poſſe colligi ex nimia duorum ſatigatione, ſi palangarent ſemper. Nam è palanga, ſiue baculo iſto pendebat abſciſſus vitis palmes, & cum eo botrus ingens & grauis. Neque. n. ſolius ſaporis oſtendi gratia ferebatur. (Nã ſic vnus, vel alter botrus quilibet ſuffeciſſet) ſed multo maximè ferebatur, vt admirabilẽ terræ illius pinguitudinem ac fertilitatẽ oſtenderet. Quod factũ non eſſet, ſi vſitatæ magnitudinis vna ferretur. At dum talis affertur, qualis alibi perrata eſt, vel certe vt portenti ſimile quidpiam narratur, quã beata videri tellus hæc potuit? Atius Næuius apud Ciceronem primo de diuinatione, *cùm, propter paupertatem, ſues puer paſceret, vna ex his amiſſa, vouiſſe dicitur, ſi recuperaſſet, vuam ſe Deo daturum, quæ maxima eſſet in vinea. & tandẽ mirabili magnitudine vuã inuenit, quæ diuinitus oblata viſa eſt.* Cum Norinberga Forchemium, annis ſuperioribus, veniſſem, vidi in hoſpitis mei, Reuerendi D. Decani illius Eccleſiæ domo, vuę imaginẽ, quæ quod grandior eſſet, digna illis in locis viſa eſt, quæ ad memoriam, expingeretur. Quod ſi eſſet regio, vbi vuæ tales creſcerent, pauloque melioris eſſent ſaporis, quis regionis illius vbertatem non obſtupeſceret? Hæc in Italiã exciuit Gallias illecebra, vt à Plinio l. 12. c. 1. ſcribitur. Sed de vitium vuarumque magnitudine plura Dauid de Pomariis in *Tſammeach*, verbo *Sambation*. & in *Canicularibus* Collat. 21. Maiolus, Peruana P. Iacobi Torrenſis epiſtola hic anno 1603. edita, *in Ica*, inquit pag. 4. *tam grandes ſunt racemi, vt plus vini optimi, ſuauiſſimique præbeant, quã bini, terniue in Europa.* Strabo lib. 2. in Margiana, lib. 15. in Carmania botros narrat bicubitales. Referunt apud Stephanũ lib. *de vrbibus* Euphotus & Metrophanes, in *Eucarpia* minoris Aſiæ opido tam immanes exoriri racemos, vt ſinguli iuſta ſint ſingulis curribus pondera, & vnius tantùm vecturâ quando que confractus conciderit currus. Laudat etiam lib. 14. c. 1. Plinius vuas digitales, quæ prælongis dactylorũ acinis protendũtur: & maiores alias, vaccini ad inſtar vberis, prægnates bumaſtos. Et ſunt qui ſcribant, in Africa, interiore bottryones infantis pueri magnitudinem ſuperare. Miſit, aliquando Mogũtini huius Collegij Rector *Hermãnus Thyranus* racemũ, qui in horto domeſtico creuerat, & 6. vel 7. *pondo* erat, vnum Reuerendiſſimo & Illuſtriſ. D. Abbati Fuldenſi *Balthaſari* ſua in Patmo tunc exulanti. Illuſtriſſ. N. Radũcilius epiſt. 3. *Iuſſit Capitaneus Turcicus nobis dari vuæ Rhodiæ racemos, qui tantæ erant magnitudinis vt ad tres vlnæ pariter extenderentur. Grana verò ſingula talia, qualia pruna ſolent apud nòs eſſe.* Pag. 204. Videbatur igitur poſtulare ratio, vt ferrent alternis omnes. idque docet ac ſcribit li. 1. de Moyſe Philo. βότρυν διὰ ἐκτεμόντες, καὶ δοκίδος ἐκ μέσου ἀπαιωρήσαντες, ἣν ταῖς ἀρχαῖς δυοῖν ἔθεσαν τῷ μὲν ὤμῳ τῷ δὲ ὤμῳ ἐπιθέντες, ἐκ διαδοχῆς πιεζομένων αἰεὶ τῶν προτέρων. At e contrario, iidẽ potius ſemper videntur fuiſſe baiuli. quia alij etiam ex eadẽ terra viſendæ magnitudinis, pulchritudinis ac bonitatis fructus allati ſunt, mala granata, & ficus. fortaſſis etiam his plures, vt oliuæ, palmæ ſimiles. Nam frumentũ, & hordeum demeſſa iam erant. v. 21. Ita ſuum cuique onus eſſe potuit, & cũ clam pergerẽt, neque cum indignis ſermonis multũ miſcere poſſent, non poterant ad victum neceſſaria ſemper emere: ita vt ſicuti eorũ eſſet facultas, oporteret ex iis in poſteros dies ferre ſecũ aliquid. Sicq; ſarcinullæ ſemper ſuppetebãt omnibus aliquæ. Deinde qui aſſueuerant vni oneri ferendo, id cõmodiùs & faciliùs, quam alij, videbantur continuare. maximè in vuã geſtãda. quia certus gradiendi modus, ne concuſſu nimio, in calidioribus illis locis grana deciderent, adhibendus erat. Hos verò duos puto Caleb & Ioſue fuiſſe. primo quia inter ſe coniunctiſſimi erant, moribuſque ſimillimi. ideoque libẽtius & faciliùs ſeſe in opere aliquo iungebant. deinde erat hoc paulo quam cætera, onus moleſtius. Id magnę virtutis viri ſubibant, quam alij libentiùs. Tertio, maiorem vim, ad terram illam commendandam vuæ huius aſpectus, quam aliorum fructuũ habebat. Cæteri verò exploratores eo iam animo erãt, vt eam non, vti par eſſet, ſyncerè ac magnificè, ſed exiliter tantum ac frigide laudare vellent. Hæc enim in ipſo exploratorũ reditu facta, cum iam murmurationem & ſecutam poſtea ſeditionem animo coquerent. Quartò fieri potuit, vt ne poma quidem & ficus ferre alij illi voluerint: ſed omnia iſta tulerint duo iſti, in ſinu, & ſacculis, aut ſportulis, quas aut viatici ferendi, aut huius etiã tandem vſus causâ, ſecum extuliſſent. Quinto aſſerit S. Chryſoſt. hom. 24. ad Epheſios dicens verè celeſtem fructũ allatum CHRISTO, non à Caleb & Ioſue, qui ſcilicet olim terrenum tulerant. Poſtremò valde congruit quæ traditur à Ruperto. 1. Num. c. 37. allegoria. vt CHRISTVS Dominus ſit vua plena ſucci ſacri ſui ſanguinis, & in baculo crucis geſtatur, coronatur à Iudæis. ſed à Ioſue & Caleb tanquam figura geſtatur, & à bonis omnibus portari debet. Et vero

Iſaiæ

Digitized by Google

Iſaiæ 11. v. 1. CHRISTVS Dominus ab Rabbinis vocatur *botrus*, vt ibidē notat Lyranus. D. Auguſt. feria 2. Pentec. ſerm. 2. *vites noui erant, vinum de cælo nouū expectabatur: Iam enim fuit magnus botrus ille calcatus & glorificatus.* Et in Pſalm. 8. explicans titulū *pro torcularibus, Dictus eſt*, ait, *Dominus botrus vuæ, quē ligno ſuſpenſum de terra promiſſionis, qui præmiſſi erant à populo tanque* CRVCIFIXVM, *attulerunt*. Duas vel tres huic cōnexas addo ſciſcitatiūculas. Vna eſt. *An è vecte illo botri forſan plures pependerint?* Nam ſi palmes ille vnicū tantummodo racemū habuit, non ſatis inde terra illa laudaretur. quia quod magnitudo hic vuæ
B proferret, alibi vuarū in eodem palmite multitudo cōpenſaret. Si vero plures, cur non relicti, vt ſtuperēt eo aſpectu magis omnes? Plures quidem fuiſſe in palmite illo vuas opinor, ſed vnā tantūallatam, idq; primo, quia oneris ſatis daret vnica. Secundo, quia demōſtrari poſſet aliarum, quæ decerptæ fuiſſent, locus, vt fidei ſatis & ſtuporis ex illa vna præſente colligeretur. Tertio, quia nō palmes integer, ſed potius palmitis ramulus vnicus fuit, prout Hebr. indicat vocabulū, quo ſegmen aut reſectiūcula ſignificatur. Al-
C tera. *Cur palmitis ſegmē vel reſectiuncula hæc aſſūpta, & nō vua ſolū?* Putat Abulēſis id factū protectionis à ſole cauſa. Sed addi poteſt, maiorē etiā ornatū, & recreationē fuiſſe. Fit enim, neſcio quomodo, vt cū foliis & ramuſculis allati fruct⁹ magis placeāt v. c. ceraſa & poma. adeo vt in mēſas etiam quandoque, cum ſubiectis foliis, apud elegantiores inferantur vuæ ipſæ. Tertia eſt, an *peccarint iſti ex alienis vitibus & arboribus vuas iſtas, poma & ficos decerpendo?* Reſpondet negatè Abu-
D lenſis quæſt. 38. & recte, non ſolum, quia parua res erat: ſed etiam, quia in terras illas ius iam Iſraelitis erat. ſicque illis explorare, & quæ eodem pertinebant, facere, ſeque ad illas occupandum exacuere, & incitare. citra culpam vllam, iure optimo poterant.

Q. IV. *Exploratorum primæ orationi à Ioſue obſiſti an debuerit?*

IN primo reditus exploratorū die duas vel tres eorū orationes legimus eodē Num. c. 13. Et ex earū prima quæ cōtinetur v. 28, 29. & 30. Subſequutā ſtatim populi murmurationē oſtendit v. 31. Ei tamē orationi an à Ioſue obſiſti debuerit,
E rectè videatur poſſe quiſpiam dubitare. In ea ſi quidē narrarūt illi tantūmodo, quæ vera, & quæ ipſis. vt explorarent imperata erāt. Nā aduerte ſingula. Primo. *Terra*, inquiunt, *ad quā miſiſti nos, reuera fluit lacte & melle.* At hoc verū erat. Nā *fluere lacte ac melle*, prouerbiū erat quo sūma terræ bonitas ſignificabatur. idque intelligitur vel ex ipſa, quæ hic adiūgitur, probatione. Nō enim lac & mel in teſtimoniū afferunt, ſed terræ fructus, quos attulerant. Addunt. n. *vt ex his fructibus intelligi poteſt*, pergūt. *Sed cultores fortiſſimos habet.* In
F Heb. eſt poſitiuus tātū, *fortis populus habitat in terra.* itēq; in Græco ἰσχυρὸν ἐστι. Et hoc nonne verū? Patet ex Deut. 7. v. 1. & c. 9. v. 1. vnde interpres noſter vidit recte per ſuperlatiuū poſſe poſitiuū hunc verti. Tertio *& vrbes grandes atque muratas* In Hebr. ſententia eadē, ſed verborū ordo trāſpoſitus. Sic *& vrbes munitæ* (ſiuē *muratæ*) *& magnæ valdè.* At non veriſſimū? In *hierichunte*, *Hai*, *Gabaon*, aliiſq; poſtea cōpertū fuit, dum in terrā ipſā perrectū eſt. Sed & aſſerit Moyſes Deut. c. 9. vbi verborū, qui hic ordo. & additur quod in 2. vel 3. oratione hic poſitum eſt, *vſque ad cælos.*
A Quarto. *Stirpē Enac vidimus illic.* firmat & hoc loco citato Moyſes. Quinto, quæ de Amalecitarū, Hethæorū, Iebuſeorū, & Amorrhæorū ſedibus adiungunt, nō ita ſeſe prorſus habebāt? Eadē vero hęc omnia, vt explorarēt, iis imperata fuiſſe, agnoſces legēdo capitis eiuſdē 13. Num. v. 19. 20. & 21. Ideo. n. vbi noſter interpres ait, *reuera*, Hebraicè dicitur גם id eſt, etiā quaſi dicerēt: *Ita ſe res habet*, vti ſæpe dictū fuerat: *Eſt, vt memorauit Moyſes*: verbis res ipſa cōgruit. Quid igitur erat, cur iis obſiſtere poſſet, aut deberet Ioſue? vera
B n. dicentibus repugnare, mentiri eſt: & exploratores, quæ viderint & explorarint, narrare nolle, aut impedire, eſt eos velle immorigeros, infidos, ſuoque ne quicquā muneri ſatisfaciētes. At dixerit aliquis, cū populū noſcent pauidum, ſatius eos erat tacere, quam illi terrorē iniicere, murmurandiq; cauſam præbere. Verū ſcire qui poterant, futurū, vt adeo terreficeret populus: Et eſto, ſcirēt hoc ipsū, aut certè probabiliter ſuſpicarentur, impoſito muneri ſatisfacere nonne debebatur? An quia nequā alius eſt, bonus eſſe
C non debeo? Si ſcandalū fuit: erat id paſſiuū, non actiuū, vt loquūtur ſcholaſtici. Eapropter ſunt apud Abulenſ. q. 42. qui exploratores iſtos omni culpa vacuos arbitrātur: ideoq; nec iis à Ioſue vel alio vllo, reſiſtendū fuiſſe. Ipſe vero Abulēſis peccatū quidē admiſiſſe vult: ſed id è ſecutis eorūdem exploratorū orationibus probat: in prima iſta ſolā repræhēdit intentionē. quod iſta illi dixerint, vt, qui audiiſſet, populū cōcitarēt: Sed cū vera, & imperata, id eſt, quæ omnino dicēda erant, dicerentur, quomodo ſola hæc praua in-
D tentio cognoſci potuit? ſi à ſubſecutâ pœnâ reſpōdeas, adeoq; ab ipſius Dei teſtimonio, qui ālio quodā ſpiritu plenos iſtos ait ſequenti cap. quā quo Caleb fuit, fatendū id quidē erit, ſed intentio hæc, quomodo à populo tunc perſpici, quomodo vim habere tantā potuit, vt irarū ac murmurationū tantas in illos faces accēderet? Dico igitur, non ſolā in oratione iſta prima prauā intētionē fuiſſe: ſed alia etiā duo vitioſiſſima, quæ in populi oculos & aures incurrerent, eūq; tantopere inflāmarent. *Vnum* fuit in exploratorum
E vultu, oculis, geſtu, ipſaq; verba illa, quæ aliqui vera & imperatis cōſentanea erant, pronūciandi modo. Quis enim neſcit eidē orationi aliter & aliter pronunciate aliā & aliā vim ac notionē ſubeſſe: Hāc igitur ipsā orationē primā vel pronūcia ipſe, vel pronūciari ab alio fac, ita vt primū illud exiliter, leuiter, cōtēptè proferatur, cætera omnia grāditer lente, admirabūdè, vultu, voceq; obſtupeſcēte, exaggerāte, vibrāte, interdū etiā quaſi tremula & exanimi, iā ſenties, orationi oratio quātū interſit. *Alterū* fuit in his ipſis
F verbis. Magnā. n. omnino vim habet aduerſatiua illa particula v. 29. *Sed* & maiorē adhuc exceptiua in 70. ἀλλ' ἢ ὅτι: maximā hebraica אפסכי, quæ modo per *niſi quod*, exprimitur, modo per *verūtamē*, vt fere ſignificat Thargū dū per ברם vertit 2. Reg. 12. v. 14. Num. 22. v. 35. Cūq; אפס quādoque *nihil*, aut rei alicuius *finē & cōſumptionē* ſignificet, vertitur hic à Pagnino ē, *excepto quod*, ita vt ſētentia ſit. Terrā feracem eſſe, prout nobis ſæpe promiſsū fuit, verū eſt. Sed de ea obtinēda deſperādū. Obſtabit. n. nobis, & omnes potius nos dele-

Digitized by Google

bit ac diſperdet, incolatum vis & robur ingens, (A) vrbium plurium magnitudo, & tam à natura quam ab arte munitio, gigantea Enacimitarum vaſtitas, ipſique hoſtilium gentium ſitus: Cum à meridie ſtatim occurrant, qui non ita pridem graui nos bello vltro laceſſere auſi ſunt, & acceptæ tum cladis memoriã attrociter vlciſci parant, Amalecitæ: tum deinceps ad Orientem, additum omnem è montibus, quos incident, intercludunt Hethæi, Iebuſæi, & Amorrhæi: ad Occidentem denique ſunt maximæ ferociſſimorum Chananæorum gentes, quæ etiamſi (B) per mare mediterraneum, vel per vicinas arenas, alterum illud, hoc noſtro deſerto, iter acciperemus, nos terræ illius finibus prohiberent ac propulſarent. Hæc in primis illis exploratorum verbis inerat ſententia. hæc ſpectabant. hæc indignantes, quiritentes & deſperantes, voce, ac multo magis ipſa corporis totius compoſitione, iactabant, vnde & tanta in populo trepidatio & pauor, tanta commurmuratio & deſperatio coorta. prorſus vt in Cæſaris caſtris accidiſſe, apud ipſummet legimus lib. 1. de bello (C) Gallicano. Abs re non fuerit, vt aptior inſtitui poſſit collatio, illius huc verba tranſcribere. *Dum*, ait, paucos, *dies ad Veſontionem, rei frumentariæ, commeatuſque cauſa, moratur Cæſar, ex percunctatione noſtrorum, vocibuſque Gallorum, ac mercatorum, qui ingenti magnitudine corporum Germanos, incredibili virtute, atque exercitatione in armis, eſſe prædicabant, ſæpe numero ſeſe cum iis congreſſos nè vultum quidem atque aciem oculorum, dicebant ferre potuiſſe: tantus ſubito timor omnem exercitum occupauit, vt non mediocriter omnium mentes, animoſque* (D) *perturbaret. hic primum ortus eſt à tribunis militum, ac præfectis, reliquiſque, qui, ex vrbe, amicitiæ, cauſa, Cæſarem ſecuti, non magnum periculum miſerabantur, quod non magnum in re militari, vſum habebant. quorum aliùs, alia cauſa illata, quàm ſibi ad proficiſcẽdum neceſſariam eſſe diceret, petebat, vt eius voluntate diſcedere liceret. nonnulli, pudore adducti, vt timoris ſuſpicionem vitarent, remanebant. hi neque vultũ fingere, neque interdum lachrymas tenere, poterant: abditi in tabernaculis aut ſuum fatum querebantur, aut* (E) *cum familiaribus ſuis commune periculum miſerabantur: vulgo totis caſtris teſtamenta obſignabantur. horum vocibus, ac timore paulatim etiam ij, qui magnum in caſtris vſum habebant, milites Centurioneſque, quique æquitatui præerant, perturbabantur, qui ſe ex his minus timidos exiſtimari volebant, non ſe hoſtem vereri, ſed anguſtias itineris, & magnitudinem ſyluarum, quæ inter eos, atque Arioviſtum, intercederent, aut rem frumentariam, vt ſatis commode ſupportari poſſet, timere dicebant. Nonnulli etiam Cæſari renunciabant, tùm caſtra moueri, ac ſigna ferri iuſſiſſet; non* (F) *fore dicto audientes milites, neque propter timorem, ſigna laturos.* Vidiſti trepidos, fugamque quæritantes Romanos? Et tamen non omnino vana erant, quæ de corporum magnitudine, bellicoque robore audierant. Nam idem Cæſar libro 2. cũ de Aduaticis Gallis, qui ex Cimbris, Teutoniſque prognati erant, ageret, *plerumque*, ait, *omnibus Gallis, præ magnitudine corporum ſuorum breuitas noſtra contemptui eſt. & miratos ait quibuſnam manibus aut viribus, præſertim homines tantulæ ſtaturæ* (Romani) *tanti oneris turrim in muros ſeſe* (A) *collocare confiderent.* Et lib. 4. *Sueui neque multum frumento, ſed maximam partem lacte atque pecore viuunt, multumque ſunt in venationibus. Quæ res & cibi genere, & quotidiana exercitatione, & libertate vitæ, quod à pueris, nullo officio aut diſciplina aſſuefacti, nihil omnino contra voluntatem faciunt, & vires alit: & immani corporum magnitudine homines efficit.* Quocirca æquum, adeoque neceſſarium prorſus fuit, vt quemadmodum à Cæſare factũ; primæ huic exploratorum illorum quærelæ ac orationi occureretur: idque à Ioſue vt fieret, (B) qui apud Moyſen, & populum tantus erat, quique rebus omnibus interfuerat, & fortaſſis quodammodo præfuerat res videbatur poſtulare.

Q. V. *An eorumdem exploratorũ orationi ſecundæ, vel tertia obſiſtendum à Ioſue fuerit?*

MVLTO magis quam primæ. quia eadem animi nequitiâ, corporis, & vocis conformatione palam iam & appertè mẽtiti ſunt, & ad murmurationem ſollicitarunt iſti exploratores. Nã primò aiunt. *Nequaquam ad hunc populum valemus aſcendere.* Quomodo ergo Deus ducebat illô? deinde, *quia fortior nobis eſt.* Si ſimpliciter (C) cum populo conferatur populus, eſt iſtuc quidem verum, vt conſtat è citatis Deuteronomij capitibus 7. verſ. 1. & 9. verſ. 1. ſed ſi Iſraelitarum populus cum Dei ope ac manu, qua ducebatur & protegebatur, conſideretur, vox nefaria eſt. *Si enim Deus pro nobis, quis contra nos?* Tertiò, ſiue quæ adiungatur, tertiam illorum orationem efficiant, ſiue ſecundam continuent, aut tam primæ quam ſecundæ ſentẽtiam oſtendant (poſſunt enim abſque incommodo putari hæc omnia) clarè ait textus, eos *detraxiſſe terræ quam inſpexerant*, idque *apud filios Iſrael.* Nã (D) melius iſtud iungetur cum *detraxiſſe* iſto, quam cum ſequenti *dicere*, licet accentibus ſuis, diſiungere videantur Hebræi. Poteſt enim ita Hebræus iam textus explicari. *Et euulgarunt inter filios Iſrael*, vel *exire ac emanare fecerunt in filios Iſrael terræ illius infamiam.* Quarto. *Terra deuorat habitatores ſuos.* Qua quæſo ratione? Aiunt quidam in nimia terrę bonitate fieri, idque tripliciter. Primo. quia delitiis omnes nimis eneruabat, eorumque vitam incidebat. Secundo. quia (E) inde aliò quopiam egredi, aut migrare vellet nemo: ideoque domi morerentur omnes. Tertio. quia concupiſcebatur ab omnibus. ideoque aſſiduæ in illa contentiones, rixæ, bella, & cædes. Sed iſta non *ad infamiam*, quam ſa terræ conabantur exploratores iſti aſpergere, ſpectaſſent, quin ad laudem potius maximam. Abulenſis quæſt. 51. ſignificari cenſet, eius regionis aërem fuiſſe morboſum, noxium, & peſtilentem. & hoc eos collegiſſe autumant, quibus fere aſſentitur, Iudæi, quod eo tem- (F) pore, vt, vel ſic Iſraelis hoſtium multitudinem imminueret, additumque illi faciliorem præpararet, maximam in gentes illas peſtem immiſiſſet. adeo, vt funeribus & aſſiduis humationibus occupati, vt ne ad ipſos quidem exploratores attenderent. Iam iſtud ſane ab illius terræ aditu retardare plurimum & auocare Iudæos poterat, ſed quod peſtis huius veſtigium? vnde colligitur? vix crederem, ſi peſtem tantam exploratores vidiſſent, tamque lethali auram catagioue infeſtam, ſenſiſſent, progreſſuros

Digitized by Google

greſſuros tam diu & tam longe fuiſſe: aut ſi progreſſi fuiſſent, in caſtra ilico intima, mediamque Iſraelitarum ſimulque conglobatorum multitudinem in reditu ingreſſuros. Quantum enim id periculi fuiſſet? Quanta vel imprudentia, vel temeritas? Caietanus duo tradit. *Vnum*, dici tantum, eos qui inibi morarentur, exiguo admodum temporis ſpacio viuere, ſtatim emóri omnes, ante ipſam ſenectutis maturitatem. *Alterum*, eſſe illic gigantes, qui tyrannide cæteros omnes, vt Geneſis 6. opprimerent, penituſque deuorarent. Alij forte deuorationis modi non improbabiliores ſint. Vnus, vt terrarum ea in regione labes crebras velint iſti notare. Nam & Plinius lib. 2. cap. 93. *ipſa*, inquit, *ſe condens terra deuorauit*: aut ſi Ferdinandi Pintiani correctionem mallimus, *Ipſa ſe comeſt terra. Deuorauit Cibotum altiſſimum montem cum oppido Curite.* & Numer. cap. 16. verſu. 32. in Datan, Core, & Abiron ſupplicio, *Aperiens terra os ſuum deuorauit eos cum tabernaculis ſuis*, &c. Alter, vt alludant ad Ægyptiorum morem, quo mortui homines condiri ſolent, non autem deuorandi terræ vermibus obiici, adeo vt lib. 2. Herodotus triplicem Ægyptiorum ταρίχευσιν & condituram deſcribat. Primam nobilium, valdeque diuitum alteram mediocrium, tertiam pauperum. Et quia Iudæis iſta cadauerum integritas & conſeruatio placebat, adeo vt eam poſtmodum ſuos in mores induxerint, teſte S. Ioanne cap. 23. eam ob cauſam iſti, quaſi probrum magnum de terra illa narrant, eam non quidem viuos, ſed mortuos, ſepultoſque ac ſitos deuorare. Quintò, *populus*, aiunt, *quem aſpeximus, proceræ ſtaturæ eſt.* Hebraicè paulo vehemẽtius, *omnis populus, quem vidimus in medio terræ illius* (terræ) *viri ſunt menſurarum, id eſt, multarum & magnarum menſurarum*, qui Iſraeliticum *populum*, non vno aut altero digito aut manu, ſed plurimum magnitudine ſuperant. Sic enim & domus admodum magna deſcribitur Ierem. 22. verſu. 14. At verò mendacia hic nonne minimum duo ſunt. quòd ſcilicet tantam illorum magnitudinem dicant, & quod non aliquos tantum, ſed *omnem populum* eiuſmodi aſſerant? Sextò, cum totius populi giganteam pœne magnitudinem dixerint, pergunt tamen, & inter iſtos tam magnos & vaſtos proferunt alios, qui his multo maiores, vt ita dicam, gigantibus gigantes ſint. *Ibi vidimus monſtra quædam filiorum Enac de genere giganteo.* Hebraicè, *Illic vidimus gigantes, filios Enac de gigantibus.* Septimò. Necdum ſatis. ſeipſos etiam apertè iam cum illis comparant. *Illis comparati quaſi locuſtæ videbamur.* Hebraicè rurſum exaggeratius. *Et fuimus in oculis noſtris quaſi locuſtæ: & ſic fuimus in oculis ipſorum.* id eſt, Tã nos, quam ipſi iudicarunt, nos admodum puſillos & imbecilles: ita vt tam nobis ipſis quam illis, locuſtarum tantummodo inſtar, homuli videremur paruuliſſimi & eneruiſſimi. quos vel ſuis ipſorum pedibus, tanquam vermiculos & locuſtas poſſent illi proterere. Cum hæc igitur querela omnia quæ ſuperior habeat, & multa adhuc pluribus & apertioribus mendacijs inſtructa ſit, multo vtique magis ei à Ioſue reſiſti & contradici debuit.

Q. VI. NEGAT q. 54. Abulenſis. & ei negandi cau-

A ſa, quod Ioſue nulla, ſed Calebi mentio tantum
fiat. Nam verſu. 31. *Inter hæc Caleb compeſcens murmur populi, qui oriebatur contra Moyſen, ait aſcendamus & poſſideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam.* Sed ſi ſe hiſce fluctibus non oppoſuit Ioſue, quid igitur fecit? An & ipſe fluctuatus? Imo verò etiam aliquid amplius, dicendum videbitur. Eurum aut Notum in concitandis illis fluctibus eum fuiſſe. Nam cum de Caleb, quæ attuli dixiſſet textus, ſubiungit. *Alij verò qui fuerant cum eo, dicebant, nequaquam ad hunc populum valemus aſcendere.* Cum his ergo aliis fue-

An iiſdem eorundem exploratorũ querulis, mendacibus & ſeditioſis orationibus à Ioſue obſitum ſit?

B rit Ioſue, cum murmuratoribus murmurator, cum queſtoribus queſtor, cum turbonibus, & ſeditionis totius facibus turbo & fax. Sunt apud illum, quibus de Ioſue, quoad primum iſtum diem, primaſque illorum querelas & dehortationes, placeat ſuſpicio. Sed in tantum, tamque Deo & Moyſi probatum carumque caput, tanta improbitas, tam audax & fœda mentiendi, populumque incitandi libido cadere non potuit? Et quomodo, cum ne vnum quidem

C ex iis, qui murmuraſſent, promiſſionis terram ingreſſurum Dominus toties dixiſſet cap. 14. verſu. 22. 29. & 30. Deuteronom. 35. Ioſue tamen vna cum Caleb exciperetur Num. 14. verſu. 30. Deuter. 1. 38.? Si dicas hanc ei culpam ignouiſſe Deum, quia poſtridie reſipuit, murmurantibuſque obſtitit, dabis iſto quidem modo præclarum celeris à peccato reſipiſcentiæ, diuinæque benignitatis erga pœnitentiam agentes exemplum, ſed poſteaquam iis quæ ab exploratoribus effutita erant mendacia obuiam ire cœpit Caleb, an omnium neminem ei fidem

D adhibuiſſe, ſeque à cepto murmurationis metu reuocaſſe putamus? Et tamen, ſi qui vel eo adhuc die, vel poſtero reſipuerunt, pœna omnes illos inuoluit: vt quia vel ſaltem murmurare cœpiſſent, terram non intrarent, in ſolitudine morarentur. Sed eſto, ſolus ſeſe correxerit Ioſue: An eius tamen peccatum ab omni omnino pœna immune eſſe debuit? Decem alij exploratores ſubito, vt poſtea dicetur. mortui ſunt, atque *percuſſi in conſpectu Domini*, Numer. 14. verſu.

E 37. Vixit verò Caleb & Ioſue. Reliquus omnis populus ea mulctatus pœna fuit, vt ex eo ne vnus quidem terram ingreſſus ſit. Ingreſſus eſt tamen Caleb & Ioſue. Si ſceleris huius particeps aliquo modo Ioſue, cur & pœnæ nõ aliquo modo particeps? Cur non aliqua ſaltem plaga feritur? Nam non multo ante hoc ipſum tempus murmurarat aliquantulum, & in re minoris multo monenti *Maria*: & tamen etiamſi grandæua iam, & ſancta, & prophetis, & Moyſis ipſius ſoror, imò ſeruatrix, & altera pene ma-

F ter eſſet, quæ ipſum ex aquis extractum aptiſſimè lactari, & educari fecit, lepra percuſſa eſt. & cum pro ea, magno Dominum clamore precaretur Moyſes, audijt: *ſi pater eius ſpuiſſet in faciem illius, nonne debuerat ſaltem ſeptem diebus rubore ſuffundi? Separetur ſeptem diebus extra caſtra.* Ioſue verò, qui tam officij ſui oblitus fuiſſet, vt non ipſe murmuraſſet modo, ſed ad murmurandum contra Moyſen & Deum, non pauculos aliquos, ſed tam ingentem, tot millium multitudinem, & quidem tot & tam impudentibus mendacijs & calumniis

contra ſuam ipſius conſcientiam concitaſſet, impunis foret? nihil omnino diuinæ vindictæ, vel vno duntaxat, alterove die perſentiſceret? Aliud igitur comminiſcitur Abulenſis, primo illo ſeditionis die ipſum Ioſue neque murmuraſſe, vel ad murmurandum alios incitaſſe, neq; murmurantibus & ad murmurãdum incitantibus obſtitiſſe. Sed *medius*, inquit, *fuit*. id eſt, neq; murmurauit, neque murmur conpeſcuit. Vetus apud Gellium lib. 2. c. 12. Solonis lex eſt. *In caſu ciuilis diſcordiæ qui non alterutrâ parte ſeſe adiũxerit, ſed ſolitarius, ſeparatuſque à communi malo ciuitatis ſeceſſerit, is domo, patria, fortuniſque omnibus careto, exul extorriſque eſto.* Sed maioris eſt contra mediũ iſtum ſtatum ponderis diuina inſtitutio Eccleſiaſtæ. 3. *Tempus loquendi, tempus tacendi.* Quod verò magis neceſſarium loquendi tempus quam dum contra Magiſtratus, Deumque ipſum conſilia ineuntur, linguæ agitantur, ſeceſſio conclamatur? Et quem contra potius clamare, vociferari & obteſtari decebat, quam Ioſue? Nam id ſupra iam probatum. *Calide* apud Suetoniũ Iul. cap. 75. Cæſar, *Medios & neutrius partis ſuorum ſibi numero futuros* pronuntiauit. At neque Moyſes, neque Aaron, quando vt diuina promiſſa in nihilum reciderent, ipſeque in illis varius mõſtraretur, maximè agebatur; dicere idem potuerũt. Qui à Moyſe, vel à Deo potius ipſo tunc non ſtabãt, ij hoſtes & perduelles omnes erant. Medium tunc eſſe, tacere, impietatis cohorti non obſtare, Dei cauſam prodere eſt, nefarioque ſilentio præuaricari. Deteſtatur nonnullos Iſaias Propheta dicẽs c. 56. v. 10. *Canes muti non valentes latrare.* At latrandi quęnã maior neceſſitas, quam dum in Domini domũ irruunt latrones, in gregẽ lupi, in Dominũ ipſum aduerſarij? Qui *Medium* igitur illo tempore Ioſue dicit, eum is profectò nequaquam excuſat, ſed grauiter accuſat, illiberalis, ignauiq; & importuni ſilentij reum facit. Ita igitur ſtatuo, eum vna cum Caleb tumultus huius principiis, quoad potuit, obſtitiſſe: neque primis illis quiritationibus mutũ, quietum, aut medium illo modo fuiſſe. 1. quia ſine vlla titubationis, aut ſilentij, vllius ſignificatione cõmendatur non raro eius in iſtis turbis conſtantia, virtus, & religio, vt ſeq. c. 14. v. 6. 30. 38. Eccleſiaſtici 46. v. 9. vbi præclarum hoc elogium: *In diebus Moyſi, miſericordiam fecit ipſe, & Caleb filius Iephone, ſtare contra hoſtem, & prohibere gentem à peccatis, & perfringere murmur malitiæ.* 2. quod quæ ornatiſſima tribuitur phraſis ipſi Caleb. laudãdo, eadem etiam ipſi ornando Ioſuę adhibetur. Ea verò eſt, *Calebum plenum alio ſpiritu, ſecutum eſſe Dominum.* Numer. 14. c. 24. ſiue vt Ioſuæ 14. v. 8. *ſecutus eſt Dominum.* Hebræus illo Numerorũ loco ita, pro vt etiam monuit Oleaſter, verti poſſet. *Seruo meo Caleb merces* aut *remuneratio* ſcilicet *erit.* & ratio ſubditur *fuit ſpiritus alius cum eo, & impleuit poſt me.* Nam עקב ſæpe mercedem ſiue retributionem, quæ, vt in corpore, pedis plãta, ſic in agendo extrema eſt, ſignificat, vt Pſalm. 18. verſu. 11. Pſalm. 39. v. 16. Pſal. 69. v. 3. Pſal. 118. v. 33. & 112. Deinde quia magis explicatur Dei promiſſio ipſi Caleb facta, de qua Ioſuæ 14. 9. Tertiò, quia melius conuenit, quod ſi vel iſta in verſione dictio prætereatur, vel vertatur, vt à quibuſdam fit, *propterea quod* aut *quia*, propter coniunctiuas

A particulas, quæ in Hebræo ſunt. Quæ enim ſententia, ſi dicamus, *Seruum meum Caleb, propterea quod fuit alius ſpiritus cum eo, compleuit poſt me, & inducam in terram?* Has tamen coniunctiones fere omittunt, qui cauſalem ibi particulam nolunt vt Vatablus, Pagninus, & fortaſſis noſter. Nam pro *Caleb, qui plenus*, forte ſcripſit, *Caleb quia plenus*, præſertim cum etiam in Gręcis ſit ὅτι. At *implere poſt Dominũ*, eſt, vt rectè vertit noſter & ſeptuaginta, *ſequi Dominum*: ſed non quoquo modo, verum magna cum cura, & zelo, ita vt eorum, quæ fieri voluerit Deus, nihil, quoad

B fieri quidem poteſt, prætermittatur. Sed ſedulò, diligenterque fiant omnia. Id enim & ipſa *impletionis* vox importat & Hebræa quæ vim & intenſionem exprimit, coniũgatio *Piel*, Ioſ. 14. verſu. 84. 9. & hoc Num. 14. verſu. 24. vt *dages* ipſum indicat, licet pro *chirec* ſubſcriptum ſit *patach*. At contra Num. 32. verſu. 11. & 12. negatur populus *impleuiſſe poſt Dominum*, ideoque & terrã non ingreſſurus, *præter Caleb & Ioſue, quia impleuerunt poſt Dominum.* Ecce & Ioſue noſter

C *impleuiſſe poſt Dominum* dicitur. Quomodo verò impleuiſſet, ſi primo die, cum maximè conſtantiã & veritate opus eſſet, *medium* ſe geſſiſſet, id eſt, contra officium immotus, elinguis, à populo diſiunctus, Moyſi non coniunctus permanſiſſet? Sunt eiuſdem orationis tres aliæ apud Oleaſtrum expoſitiones. Vt *impleuiſſe poſt ſe* dicat Dominus, qui non ſolum antea, ſed etiam tunc eum ſecutus eſt: qui impleuit verbum ipſius, qui plene ipſum ſecutus eſt, ſeu in omnibus tenuit partes eius. At horum nihil

D fuiſſet à Ioſue præſtitum, ſi illo die Moyſen, veritatem, & conſtantiam deſeruiſſet. Atque hoc ipſum eſſe videtur, quod à Mattathia dicitur 1. Mach. 2. verſu. 55. IESVS, *dum impleuit verbum, factus eſt Dux in Iſrael.* Iam verò, quomodo hæc eius culpa omni omnino pœna & aliqua ſaltem ferulâ vacare non potuiſſet, dictum ſupra. Quartò demum, quænam afferri queat cauſa, cur ilico ſeſe Moyſi adiungere, naſcentique murmuri obuiam ire noluiſſet? Reſpondent apud Abulenſem

E quæſt. 55. nonnulli, præſentem non fuiſſe primo illo tumultus initio Ioſue. At verò reuertiſſe cum exploratoribus aliis conſtat, vuamque ſuis ipſius humeris in populi conſpectum attuliſſe dictum antea. Quo iam igitur ijſſet? An ſe ad nouum fœderis tabernaculum vel ad ſuum illud vetus veteris ſacri tabernaculi domicilium, religionis causâ, contulerat? volebat ſcilicet de ſuo ſuorumque comitum felici reditu, Deo confeſtim gratias agere, priſtineque ſeſe ſacri loci cuſtodiæ, cu-

F reque, quam ocyſſimè reſtituere. haberet hoc probabilitatis, & boni etiã ad pietatem exempli non parum, niſi ea nimium intempeſtiua videretur religio, ne primæ quidem eorum, quæ itinere toto geſta & notata fuiſſent, narrationi adeſſe. Quorſum. n. miſſus erat, niſi vt de terra illa cognoſceret, eam oculis ipſam luſtraret, omnia exploraret, omniumque tandem, redux, Moyſi ac populo rationem, narrationemq; inſtitueret? Nam & iſtam ob cauſam, tantus illorum numerus delectus erat, vt tanto certiora eſſent omnia, & reſtatiora, cur tam multi eadem cõſentientes referrent.

Digitized by Google

ceſſarium eleuare, totique legationi auctoritatem detrahere, id verò nimiſque importunum fuiſſet. Accedit, quòd, ſine dubio, multa iam prauæ cæterorum exploratorum voluntatis ſigna, toto illo itinere, animaduerterat, voculas tumultuantium iam in ipſis animorum indices notarat. Cur igitur non vereretur, ne, quod factum eſt, eueniret, populoque illi ad murmurandum actores forent? Et ſi verebatur, quomodo ſuam veritati vocem, apertumque teſtimonium abſentia ſua, tali tamque importuno tempore, ſubtrahebat? *Credi poteſt*, ait ibidem Abulenſis, *quòd Ioſue etiamſi nunc eſſet præſens, non auſus fuerit contradicere populo, vel fortè expectabat ſuper hoc iuſſionem Moyſis.* Neutrum tamen, vti quidem reor, credibile. Nam prius aliud nimia cum ignauia & timiditate coniunctum fuiſſet. quæ ſanè à tanto, tamque excelſo & forti animo abfuit ſemper quam plurimum. Poſterius verò per ineptam modeſtiam ridiculamque nimis imprudentiam ipſi Ioſuæ tribuit. An ignorabat quodnam veritati patrocinium deberet? An quæ Moyſis, tali in re, mens & voluntas, quæ Dei ſententia eſſet, dubitare vllo modo poterat? An non videbat, quid Caleb, & quanta Moyſis voluntate & approbatione ageret? Probabilitatis plus haberet, ſi, cum tantam exploratorum aliorum improbitatem, tantam feruentis populi væcordiam vidiſſet, ei, præ ſumma rei indignitate, illud tribueremus, Æn. 2.

Obſtupui, ſteteruntq; comæ, & vox faucibus hæſit.

Nam & c. ſeq. q. 9. & 29. Abulenſis nouo & inaudito populi crimine attonitos, in terram corruiſſe Moyſen & Aaronem putari poſſe putat. Minus tamen prudentis, minuſque ad varia non fortunæ, ſed humanorum motuum & perturbationum tela parati animi videtur, adeo commoueri, vt neque os, neque mens officium faciant. Parum ad Reipublicæ gubernacula, maiorumque aliquarum rerum adminiſtrationem aptus videretur, quem ſi quid præter eius mentem accidat, tantopere conturbet, exanimet, è mentis gradu deiiciat. Sermone igitur, & quacunque potuit actione, murmuratoribus iſtis contraueniſſe, opinãdum potius, illud tantũmodo quod quæſtionis huius principio tãgebatur, videndum cur, in primo furoris huius impetu, non Ioſuæ, ſed Calebi mentio tantùm facta ſit. Mihi autem cogitanti occurrunt duo. *Vnum*, ex eo, quòd Ioſue ſileatur, non rectè inferri, cum quoq; ſiluiſſe. Nam totis iſtis Numer. capitibus 13. & 14. quid ad ſedãdos iſtos motus dixit ad populum Moyſes? Nihil habetur. & tamẽ Deut. c. 1. v. 29. ſe ab omni metu & formidine ipſos pluribus auocare conatũ profitetur. *Alterum*, de eodẽ Ioſue interdum ſileri, quia ferè conſtabat, cum Moyſi Domino & magiſtro adhæſiſſe: ita vt cũ iſti cõtra Moyſen turbines cierẽtur, dubitandum non eſſet quin vti Moyſes, ſic & miniſter eius fideliſſimus eos componere adlaboraret. Patet ex dictis hactenus. maximè ca. 4. q. 5. 6. 15. & colligi poſſe videtur ex Ioſue 14. v. 8. dũ de ipſa tragœdia ipſi Ioſuæ loquẽs Caleb ait: *Fratres mei, qui aſcẽderunt mecum, diſſoluerunt cor populi.* Qui *fratres*? An & ipſe Ioſue? Sanè verò frater genere & gente, ſicut & e variis tribubus exploratores alij. Sed eum tamen hiſce verbis non complectitur. Eum enim alioqui grauiter perſtringeret, quem paulo ante tamen verſu. 6. in huius facti laude ſibi ſocium adiunxerat. quin de ipſo, qui à Deo populi princeps, Moyſiſque ſucceſſor erat, quaſi foret manifeſtum omnibus, quid tum feciſſet, ita iam tacet, de ſoliſque aliis loquitur. Et forte, quod ſe ait murmuranti populo dixiſſe Moyſes Deuterom. 1. hoc per Ioſue dixit: vel potius, & per ſe, & per ſuum Ioſue. cuius innocentia & virtus ex his etiam contra eos defenſa Rabbinos videtur, qui apud Maſium Ioſuæ 14. pag. 243. 244. eum accuſare non veretur & timiditatis, quòd cum Caleb noluerit Hebronem aſcendere, & improbe ſimulationis, quòd eam ipſe quod Caleb in via ſimulârint ſe in eadem cum exploratoribus aliis eſſe ſententia.

Q. VII. *Cur veſtes ſciderunt Ioſue & Calebi Moyſes vero & Aaron corruerunt?*

In ſummo luctu apud Iudæos, aliaſque gentes propriarum veſtium ſciſſionem fuiſſe, oſtendi in Eſther cap. 4. Eum verò luctum excitabat vel carorum mors, vel calamitas quæcunque publica aut priuata: ſed apud pios, Deique amantiores homines de præteritis, propriis, aut alienis delictis, pœnitentia, vel aliqua ab aliquibus impiis iacta in Deum ipſum contumelia. hinc enim ſimulata & hypocritica Caiphæ, cum in Deum blaſphemiæ CHRISTVM D. arguere vellet Matth. 26. veſtium laceratio, & è contrario quorundam quòd id, cum res poſtularet, non fecerint Domini reprehenſio apud Ieremiam, cap. 36. verſ. 24. *& non timuerunt*, ait, *neque ſciderunt veſtimenta ſua Rex & omnes ſerui eius, qui audierant vniuerſos ſermones iſtos.* Ioſue igitur & Caleb ſanctiſſimi homines, cum ab exploratoribus aliis, & ab inſaniente iam vulgo tantam diuinæ bonitati, quaſi aut vana de telluris optimè aditu promiſiſſet, aut per imbecillitatem, quæ promiſiſſet, implere nõ poſſet, aut certe ob graue quoddam & acerbum erga Iſraelitas, Abrahami, Iſaaci, & Iacobi poſteros, odium non vellet, iniuriam fieri viderent, ſciderunt veſtimenta ſua. Sed cum omnium in ſolitudine Iſraelitarum veſtes diuinitus conſeruarentur Deuteronom. 8. eas diloricare qui potuerunt? & vt potuerint, quomodo idipſum agendo non peccarunt? Dei enim miraculum infringere videbantur. Reſpondet ad prius illud Abulenſis quæſt. 33. ad poſterius quæſt. 34. Et ſi quæris, quas poſtea veſtes habuerunt? Reſp. quæſt. 35. *Corruiſſe* verò *in terram* Moyſen & Aaronem ait contextus. & eius rei cauſas tres affert quæſt. 9. cap. 14. Abulenſis plures quæſt. 29. ſed quæ ad tres poſſunt reuocari quadantenus. *Prima.* quòd tanta tanti ſceleris nouitas & magnitudo eos attonabat. ſed de hoc ſuperiore quæſtione. *Altera*, quòd populum geſtu illo demiſiſſimo rogare vellent, ne ſe occiderent, vel potius nè in Ægyptum redirent, cœptâque iam inſaniâ deſiſterent. Ardentibus enim ira & deſperatione animis blanda & ſupplex oratio prodeſt amplius, quam dura & imperioſa. hocque poſterius magis amplectitur. q. 29. Abulenſis. quia dicuntur non coram Deo, ſed coram multitudine cecidiſſe. *Tertia* igitur, quod pro tanta populi prauitate Deum precari vellent. eſtque id conſentaneum, iis quæ in vituli adoratione fecit idem Moyſes Exod. 32. Deut. 9. & ea iam olim fuit Ioſephi lib.

3.cap. 13.ſententia. eſtque hodie Caietani, *Moyſes*, inquit Ioſephus, *& Aaron, cum in terram cecidiſſent, Deum orabant non pro ſua ipſorum ſalute, ſed vt ab ignoratione populum ceſſare faceret, omniumque mentem ab inſtantis ipſis perturbationis vehementiſſima vi perturbatam ſedaret.*

Q. VIII. *Quid in ſua ad populum oratione Ioſue & Caleb?*

VARIA ſunt, & ea iis quæ vel ab exploratoribus aliis, ſiue præuaricatoribus potius, aut proditoribus, vel à populo, quem infatuarant illi, iactabantur, oppoſita. Primum de terræ, *quam* illi adeo criminabantur, bonitate. *Terra, quam circuiuimus*, ſiue vt Hebraicè dicitur, *quã pertranſiimus ad explorandum*, vt Græcè, *quam luſtrauimus, valdè bona eſt.* Puto è Latino *valdè* vnum excidiſſe. Id enim & in Hebræo & in Græco geminum eſt, vt ſumma & intenſiſſima bonitas ſignificetur. & ſolet alioquin eiuſmodi orationem noſter Interpres per ſuperlatiua vertere. Alterum. *Si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam.* Hic ego Græcam & Latinam particulam, *ſi*, accipio affirmatè pro certe & verè. 1. quia obiicitur hæc è regione oratio illi, quam de Dei erga ſe odio & maleuolentia ter miſeri illi præuaricatores ſpargebãt. *Odit nos Dominus*, aiunt, Deut. 1.verſ.27. *& idcirco eduxit nos de terra Ægypti, vt traderet nos in manu Amorrhæi atque deleret.* Nunc verò quaſi è regione clamant Ioſue & Caleb. *Ipſe Dominus nobis certè propitius eſt.* Verè nos diligit, nobiſque bene vult. Hæc enim Hebræi verbi vis: in nobis ſibi complacet, ſiue vt alias dici ſolet, in nobis habet beneplacitum. Et videtur Dei hanc beneuolentiam augere Græcum αἱρετίζει. quaſi foret. *Verè nos, præ populis aliis omnibus, eligit & diligit Dominus.* 2. quia ſic propius ad Hebræum textum accedimus, non omittendo in ſequentibus verbis particulam, *&*, quæ à noſtris abeſt, in illo eſt, ſic *& nos inducet in eam.* 3. quia ita & alibi Hebræum אם, Græcum εἰ & Latinum *ſi*, accipiuntur. vt Num. 16. verſ.38. Pſal. 58.verſ.16. Pſal. 61.verſ. 5. Iob 22. verſ. 20. Prouerb.3.verſ.32. cap.23.verſ.18. Iſa.4.verſ.4.c.29. v.16. Geneſ.47.verſ.17. Tertium aduerſatur illi, quod iidem illi aiebant cap.13.v.32. *Nequaquam valemus ad hunc populum aſcendere.* At Ioſue & Caleb, *Dominus*, inquiunt, *inducet nos in eam* (terram) *& tradet humum lacte & melle manantem.* Noſtris viribus nos terram obtenturos non dicimus, ſed ipſius Dei, qui promiſit, qui verax & fidelis, & vti dictum eſt, erga populum totum beneuolens eſt, ope ac manu. Quartũ. *Nolite rebelles eſſe contra Dominum.* Aperta enim contra eum rebellio eſt illud v. 3. *Nonne melius eſt reuerti in Ægyptum?* Quintum. *Neque timeatis populum terræ huius*, etiamſi ſcilicet vobis adeo fortis, procerus, & bellicoſus, totque gigantum plenus depingatur. Nam, vt dictum eſt, & paulo poſt iterum dicetur: Domini viribus non noſtris debet populus iſte ſubiici & exterminari. Sextum in populi illius & Iſraelitici comparatione verſatur. Dixerunt enim ſeditionis huius flabella, *populus fortior nobis eſt filiis. En accomparati quaſi locuſtæ videbamur.* Quid igitur Ioſue & Caleb? *ſicut panem, ita eos poſſumus deuorare.* Summam in eo quod difficillimum, adeoque ἀδύνατον aſſerebant illi, facilitatem docet. Quid enim facilius quam panem eſſe? Imò verò quemadmodum in panis eſu non facilitas tantùm, ſed vtilitas etiam & vo-

A luptas eſt: ita & in hoſtibus iſtis ſuperandis, penituſq; delendis & conſumendis. Ita & quidam alibi dicitur quoſdã deuorare, *ſicut eſcam panis*. Pſ. 13.v.4. Pſ.52.v.5. & ſimile. quod infrà dicitur c. 24.verſ.8. In Græco tamen maior hoc loco emphaſis: *Populus ille* κατάβρωμα ἡμῖν ἐστιν *cibus nobis eſt.* & in Hebræo, *panis noſter ipſi ſunt*, eo ſcilicet modo, quo dici vulgo ſolet, *vnus tantum bolus eſt*, vel *vnum ſolummodo tentaculũ*. Sic enim locutos audio hæreticos, cũ priore vice obſeſſum venirent Catholi cũ *Molshemium*, à quo tamen, re infecta, diſcedere poſtea coacti. B Septimũ. *Receſſit ab eis omne præſidium.* Hebraicè, *Receſſit vmbra eorum de ſuper ipſos.* Et vmbram hanc inuenio quintupliciter expoſitam. Nam 1. vmbra quibuſdam *Deus* eſt. 2. aliis *robur* & audacia. 3. aliis item, *duces* & principes, qui belli vſum habeant. 4. nonnullis apud Abulenſem q. 12. ipſe *Iob* cuius in hæc ferè tempora incidit mors. 5. & poſtremò, ipſi Oleaſtro eſt *qualecumq; robur*, ſiue animi ſiue corporis ſiue murorum, ſiue armorum, ſiue Ducum, ſiue Dei ipſius. Et placet. 1. quia hæc omnia rectè C ſignificat *vmbra*. quod quemadmodũ æſtate in locis æſtu feruentibus, cuiuſmodi illa, in quibus tũ verſabantur, fuerunt, vmbra nos ab Solis ardoribus protegit ac defendit, ſic omnia hæc ab hoſtium, aliorumque malorum incurſu. Deinde, quia omnibus ferè iſtis modis alicubi vmbra ſumitur. vt Pſal. 56. Gen.2. Iſ. 30.36.& 49. Thren. 4. Ezech.31. Tertio, quia generalem iſtam protectionem inſinuauit noſter Interpres, cum *omne præſidium* vertit, & 70. ἀφέστηκε ὁ καιρὸς ἀπ' αὐτῶν. Quarto, demum, quia ſingula illa, quæ ab aliis D *vmbra* dicebantur, vel vera non ſunt, vel minus accommodata. Nam, verbi cauſa, quomodo Deus impiarum & deteſtabilium gentium illarum cuſtos & protector fuit, hoc præſertim tẽpore, cum, vt eſt Geneſ.14. impleta eſſet iniquitas illorum? Duces verò, militeſque ſatis exercitatos eis, qui ferociſſimi erant, qui vt in Amalecitis nuper vidimus; aduenientem Iſraelem vltrò laceſſere vel è finibus ſuis prohibere, vel vrbes ei claudere, magniſque cum copiis bellum inferre auſi ſunt, quoſque pluribus etiam annis, E magniſque præliis vix tandem continere ille potuit, quis defuiſſe ſuſpicetur? Et verò Iob ad Chananæos, quinam quæſo pertinet? aut quomodo eos *tueri* & contra Iſraëlitarum, Deique radios opacare ipſos aut potuiſſet aut voluiſſet? Octauum. *Dominus nobiſcum eſt* hoc ſolum contra omnium Chananæorum vires, mœnia, & gigãtes ſatis eſt. *Si enim Dominus pro nobis, quis contra nos?* ſi nobiſcum Dominus, eadem nobis, quæ illi ſors. Cum eo innumeræ ſemper Angelorum legiones, cum eo, etiamſi abſint illi, vis, poten- F tia, & fortitudo ſemper immenſa. Quis tanto comite, duce ac Imperatore trepidet? Nonum igitur eſt. *Nolite metuere.* hic expectas licet, quodnam illud ſit quod toties precatur Sacerdos, *Dominus vobiſcum.* de quo in *Ruth* c. 2. Hic tamen non precatio eſt, ſed enunciatio eſt, aſſeuerans, *Deum eſſe cum Iſraele*, & poſitum hîc nomen eſt illud ineffabile, adeoq; præpoſitum, pro quo poſuit & poſtpoſuit Iſaias *el* c.7. in *Emanuel*.

Q. IX. *An Ioſue & Caleb lapide*

MOYSEN & *Aaronem* lapidare voluit populus auctore Ioſepho lib. 2. non *Ioſue & Caleb*. At è contrario textum ſi aſpicimus, videatur potius

de

Digitized by Google

dare voluerit populus, & cur?

de hiſce duobus lapidandis fuiſſe populi conſi-
A lium. Nam relatiuum, *eos*, videtur ad illos pro-
xime ſpectare, quorum erat iam iam recitata
oratio. Sicque Ioſue tum & Caleb, lapidandas
fuiſſe cenſet Caietanus. & inuere videtur Ru-
pertus lib.1. in Num. cap. 36. *Multitudo*, ait, *vo-
lebat eos lapidibus opprimere, qui alio ſpiritu ſequeba-
tur Dominum.* Et Origenes hom. 8. *Populus infi-
delitatis deſperatione praceps agitur, & ad lapidan-
dos eos, qui bona nunciant, proſilit.* Mihi tamen ad
omnes iſtos.4. populi furor videtur pertinuiſſe.
B *De illis* enim primò dictum erat, quemadmo-
dum coram omni filiorum Iſrael multitudine
in terram ſeſe pronos abiecerint: *de his* verò,
quemadmodũ ad eandem illam verba fecerint,
tum vniuerſe ſubditur. *Cumque clamaret populus,
& lapidibus eos vellet opprimere.* aut vt in Hebræo
eſt. *Et dixerunt omnis multitudo*, ſiue vt ſemper
vertunt 70. *omnis Synagoga, ad lapidandum eos la-
pidibus*, id eſt, Clamabant omnes maximis, con-
fuſiſſimiſque vocibus, Lapides, lapides. Tolla-
mus è medio ſceleſtos: obruamus mendaces:
C falſiloquos & impoſtores auerruncemus. Ni-
mis enim videtur exile, quod ait Caietanus, *non
dixiſſe illos, velle ſe lapidare, ſed tantum eſſe lapidan-
dos.* Factum verò id eſt, ſine dubio, quia inſano
quo amentes ferebantur, conſilio eos non aſ-
ſentiri, ſed ab eo precibus, verbis, factiſque de-
hortari videbant. Hic verò conſiderandum. 1.
quam dira Iudæorum iſtorum ceruix, quam fer-
reum os, & amens mens fuerit. Scripſit olim
Ethnicorum quidam

Virgil. 1. Æneid.

—— Magno in populo cum ſæpe coorta eſt
D *Seditio, ſæuitque animis ignobile vulgus*
Iamque faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat:
Tum pietate grauem, ac meritis ſi forte virũ quem
Conſpexere, ſilent, attentiſque auribus aſtant.
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

At contra hic omnia. Cum tot & tales, tanta
pietate, tantiſque meritis grauiſſimos homines
Vulgus iſte conſpiceret, eoſdemque ſapientiſſi-
me placidiſſimeque ſe alloquentes audiret, non
modo tumidos animos, & efferueſcentia pecto-
ra regi mulcerique paſſus non eſt, ſed tum vel
E maxime ira, furore, ac inſania exarſit, animis ſæ-
uiit, ſaxa corripuit. Quis non obſtupeſceret? Eſt
præterea illud etiam conſiderandum, quæ pio-
rum hoc in mundo ratio ſit. Cum improbitati
obſiſtunt, impietatem caſtigant, vitia diſſua-
dent, à peccatis mentes in illa homines abſtra-
here nituntur, ilicò contra eos infiniti clamores,
& conuitia: de iis falſiſſimi rumores: in eorum
capita lapides: in vitam & corpus, enſes & la-
quei. Ita enim de piis omnibus, & eorum capi-
te CHRISTO IESV in ſapientia cap.2. verſ.12.
F & apud Iſaiam cap.3. verſ.10. in Græcis loquun-
tur impij. *Circumueniamus iſtum, quoniam inutilis
eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & impro-
perat nobis peccata legis.* Tertiò, lapidationis pœ-
na in quos à lege conſtituta erat? Certe vero in
eos tantum, qui in Deum quidpiam idololatriâ,
blaſphemia, ſacrorum dierum, & ceremonia-
rum violatione commiſiſſent, Leuitic.24. Deut.
13. & 17. Num. 15. aut verò turpi alienum tho-
rum adulterio contaminaſcent Deut.22. Et ta-
men in ſanctiſſimos, Dei metuentiſſimos, & ca-
ſtiſſimos ſaxea iſta modo mors paratur. Nihil

Ioſue.

A finxit, nihil exaggerauit, aut temere dixit Moy-
ſes, cum Exod.17.v.4.diceret. *Quid faciam popu-
lo huic? Adhuc paululum, & lapidabit me.* Scili-
cet, vt æternæ felicitatis adipiſcerentur coro-
nam veteris illi teſtamenti Patres, eos etiam
tunc eſſe *Stephanos* oportuit.

Q. X.
Quomodo Ioſua, & Caleb in murmuratione iſta zelum & conſtantiam probauit & commendauit Dominus?

SIBI ſanctorum iſtorum in tanta rerum om-
nium perturbatione zelum & conſtantiam fuiſ-
ſe quam gratiſſimam tribus potiſſimum modis
palam fecit Dominus. Primò enim, cum clama-
ret omnis multitudo, & lapidibus eos vellet op-
B primere, *apparuit gloria Domini ſuper tectum fœde-
ris cunctis filiis Iſrael.* Græce, *ſuper tabernaculo teſti-
monij*, Hebraicè verò. *in tabernaculo teſtimonij* aut
cœtus, ad omnes filios Iſrael. & inde in textu Latino
quod *fœderis tectum* hic valeat intelligitur, cum
ſupra Num. 3. ipſas tantum, quibus operieba-
tur tabernaculum, cortinas ſignificet. *Gloria* ve-
rò *Domini* fuit, vt ait loco citato Ioſephus, nu-
bes illa, quæ tabernaculo ſuperſtare ſolebat:
ſed nouo aliquo cum ſplendore, & inuſitata-
rum figurarum ſpecie, quæ vel ſanctos iſtos cir-
C cumambiret, ac veluti abderet: vel impios &
ſaxeos illos horribiliter conterrefaceret, arma-
tas iam ſaxis manus, & ad iactum exerta brachia
compeſceret. παρῆν, ait Ioſephus, ἀστράψαν, καὶ στᾶσα
ὑπὲρ τὴν σκηνὴν, ἐσήμαινε τὴν ἐπιφάνειαν τοῦ θεοῦ. Putat Ca-
ietanus eos ad tabernaculũ confugiſſe, in eoque
delituiſſe. Sed qui ex Sacerdotib. & Leuitis non
erant, quomodo illud ingredi auſi fuiſſent?
Ideoque potius videtur, eos ad tabernaculum
fuiſſe, vbi populi cœtus, conſilium, & concio,
more conſueto erat. 2. cum mortis ante terræ
D ingreſſum oppetendæ in omnes, qui 20. annum,
vel ſuperiorem quemcumque agerent, ſenten-
tiam ferret Dominus, hoſce duos *Ioſue* & *Cale-
bum* exceptos ſemper profeſſus eſt, c.14. v.24.
& 30. Num. 26. v. 66. iterumque Deut. 1. &
Eccl. 46. v. 9. D. Auguſt. ſer. 106. de tempore.
*De populo illo ſeniore non amplius quam duo meruerunt
terram repromiſſionis intrare: & in ipſis duob. aliquid
figuratum eſſe cognoſcimus. Sicut.n. ſupra dictum eſt,
duo ſunt præcepta dilectionis, quæ Chriſtianum popu-
lum inuitant, vt vitam æternam accipiant. Ita illi
E duo fuerunt, qui Iudæorum populo conſilium dabant:
quod ſi in Deum crederent, feliciter terram repromiſ-
ſionis introirent.* 3. decem exploratores alij, à qui-
bus murmurationis origo, *mortui ſunt atque per-
cuſſi in conſpectu Domini*, v.37. Quo id modo fa-
ctum ſit, variant ſententiæ. Aiunt primo non-
nulli, *peſte* diuinitus immiſſa è medio ſublatos.
At R. Salomo, eorum linguas *tabo, venenoque*
fluxiſſe, adeoque inflatas extumuiſſe, vt omnem
ſpiritus & auræ huius hauſtum impedirent. &
ſic ſubito eſſe mortuos. Caietanus de lapſo cœ-
F litus *igne* conſumptos fuiſſe, prout aliis ante qui-
buſdam euenerat. Sed Abulenſis ipſo loquendi
genere, quod & agnoſcit Caietanus, *repentina*
tantum *morte*, quæcunque tandem ea fuerit, ex-
tinctos vult. Nam, *coram Domino*, idem eſt, at-
que tum temporis, cum gloriam illam ſuam
oſtentaret Dominus, in illo ipſo articulo & lo-
co, plagâ, quæ ipſa quidem ſub oculos non ca-
deret, horribilem tum effectum in omnium
conſpectu ederet, percuſſi, confeſtim & dere-
pente mortui ſunt. cum ex Iſraelitis alij, qui ab
his dementiti fuerant, non niſi paulatim alij

H

poſt alios diuerſis annis & temporibus, animas efflarint. At nulla neque peſtis, neque linguæ inflatio & tabum, neque flamma, neque ſubita & repentina mors duobus iſtis; quos diuinus obuallabat fauor & auxilium, nocere quidquam potuit. ibidem v. 38. felices, terque quaterque aduerſus omnia muniti & cuſtoditi, quos tegit & cuſtodit Dominus. Lege Pſal. 90. *Qui habitat in adiutorio altiſſimi*.

Q. XI. *In iſta ſeditione vter ſe geſſit melius ac fortius, Ioſue an Calebi*

NEGARI, ait Num. 13. q. 55. Abulenſis non poſſe, quin Caleb ſe habuerit excellentius? & probat hoc ipſum tribus argumentis, primum B eſt ex eo, quod pręIoſue Calebũ laudauit Deus. idque quatuor modis. Nam Num. 14. v. 24. eum 1. Deus ait murmur compreſſiſſe, neque in ea re ſocium ei nullum adiungit. 2. eum ſolum, eandem ob cauſam, *ſeruum ſuum* vocat. Quod laudis quantæ ſit, vel inde patet, quòd Moyſem ſummè laudaturus hoc ipſo *ſerui* elogio eum ornauit. Num. 12. vt infra c. 1. q. 2. dicitur vberius. 3. eum dixit *habere ſpiritum ſuum*. At talis dicitur *Dei filius* Rom. 8. Quo quid excellentius? 4. eum non modo ſpiritum ſuum habuiſſe ait, ſed & *ad* C *plenitudinem* habuiſſe. Quo rarius & inuſitatius quidnam eſt? Alterum verò argumentum è diuinis promiſſionibus ducitur. Neque.n. iſta verborum laude, quæ maxima tamen eſt, contentus Dominus, rem etiam adiunxit ampliſſimam, fore vt & ipſe, & eius poſteri terræ, quam luſtraſſet, tamque fortiter ac ſtrenue contra eius criminatores & refugas defendiſſet, partem obtineret in æternum lectiſſimam. idque iure etiam iurando grauiſſimo confirmauit Moyſes Ioſ. 14. verſ. 9. Tertium eſt, cum mortem ex- D ploratoribus aliis inflictam effugerit Ioſue, quid tamen cauſæ foret, cur in ſeditionis huius ſedatione nunquam laudaretur, niſi vt ei antecelluiſſe plurimum Caleb intelligeremus? Verum iſta magnum quendam virum præferuidum zeloten, & Moyſis, diuinorumque promiſſorum conſtantiſſimum defenſorem fuiſſe Caleb, demonſtrant: vt ipſi tamen Ioſuæ anteponendus hac in re ſit, mihi non perſuadent. Nam & eadem fere omnia Ioſuæ itidem conueniunt, vti paulo poſt dicam: & ſi quæ abſunt, quantula ea E ſunt omnia, ſi ad id, quod Ioſuæ ipſi diuinitus datum, conferantur? Ipſe quidem, ipſe ſolus ſummum eo in populo principatum accepit, Moyſes locum obtinuit, non cum populo tantum promiſſam terram ingreſſus eſt: ſed & in eam illum, cum imperio, diuiniſque prodigiis ac portentis, deduxit: eam ab hoſtium manibus vindicauit, & Iſraelitis diſtribuit, in eaque omnes tanquam in diuina hæreditate collocauit & confirmauit. Si, quod vult Abulenſis, metu ali- F quo titubaſſet, iiſque qui terram illam aſpernabantur, & in Ægyptum regredi volebant, vel annuiſſet vel coniunxiſſet, imò ſi, præ omnibus maioreque animo, prudentia, & conſtantia ijs non obſtitiſſet, an & illam ineundo & in illa manendo, bellando, domicilia figendo, remque publicam excitando, omnium Princeps & Imperator, diuino calculo, delectus, creatuſque fuiſſet? Scio trepidatione quadam ſanctum quondam *Petrum* lapſaſſe: & Eccleſiæ tamen totius ſummum in terris caput & Moderatorem à Deo conſtitutum. Sed ſancti eiuſdem *Pe-*

A *tri* lacrymas lege, & quidem amaras: Ioſuæ verò nec vnam lacrymulam, vel pœnitentiæ illius indiciolum. Nimirum, non modo nihil peccarat, ſed & optimè, præclariſſimeque, toto tempeſtatis huius tempore, à primo etiam flatu ac motu aduſque redditam tranquillitatem, ſeſe habuerat. illud tantummodo neceſſarium videtur, vt hanc ei gloriam & laudem tribus illis, quas exprompſit Abulenſis, rationibus, nihil eripi vel imminui oſtendam. *Ad primum* dico iiſdem etiam laudibus omnibus, Dei ore, ornatum fuiſſe ipſum Ioſue. Nam 1. iam ſupra dictum eſt quæſt. 4. vel Ioſue ipſi Calebo ſocium adiungi: vel ſi quando, vt fit, prætermittitur, quænam prætermiſſionis eius cauſa ſit. 2. *Dei ſeruus* etiam Ioſue vocatur Ioſ. vlt. verſ. 29. Iudic. 2. verſ. 8. & nonne multo nobiliore modo, quam vnquam Caleb Dei ſeruus fuit. Num. 27. Ioſ. 1. verſ. 9. cap. 4. verſ. 14. 3. fuit etiam in Ioſue Dei Spiritus. Num. 27. verſ. 18. & plenitudinem etiam Spiritus eidem non defuiſſe, probatũ antea q. 4. ex Num. 32. v. 12. *Ad ſecundam rationem* dico duo. Vnum: ipſi Ioſuæ plus quiddam quam Calebo datum. videlicet, vt quam, & quantam vellet, ipſe terram deligeret, eamque à nemine, cum princeps eſſet, peteret. Caleb verò, ſi quid habere voluit, id vt à Ioſue ipſo peteret, neceſſe fuit. Ioſ. 14. Alterum, Ideo fortaſſe nullum huiuſmodi de terra promiſſum Ioſue factum fuit; quia cœlibem vitam acturus, nulloſque liberos & nepotes relicturus erat. Ita enim ſentit contra Iouinianum S. Hieronymus. ſed de hoc alibi poſtea Ioſ. c. vlt.. *Ad tertium* demum, Iam oſtendi quæſt. 4. fuiſſe laudatum ipſum Ioſue, & ſi quando pręteritus ſit, cur id factum ſit, monſtraui. Certe verò quia Calebi nullum illuſtrius & ſanctius factum quam hoc, ideo maximè laudatur. At Ioſuæ alia ſunt plurima & maxima, vt hæc veluti quędam tantummodo ſtellula in clariſſimis eius factis non tantopere videatur conſpicua. Si pertendat quis adhuc, Calebum eo ipſo primas tenere, quòd dum vna cum Ioſue nominatur, priore ipſe loco ponatur, Num. 14. verſ. 30. cap. 26. verſ. 65. cap. 32. verſ. 12. Deuter. 1. 36. reſpondeo, non habitam in iſta nominatione maioris laudis rationem, ſed tantummodo neceſſitatis, quia cum vocari ſimul non poſſent, debuit alteri alter præponi. Quod ſi pergatur, & dicatur, aliquando ſaltẽ in iſta neceſſitate præponi tum potuiſſe Ioſue, dico ita etiã factum eſſe. Nam eo ipſo c. 14. v. 30. dicitur. *At verò Ioſue filius Nun & Caleb filius Iephone ſciderunt veſtimẽta ſua.* & v. 38. *Ioſue autẽ filius Nũ & Caleb filius* Iephone *vixerunt ex omnibus, qui perrexerãt ad conſiderandam terram.* Si quam tamen dignitatis cogitationem ſuſcipere quis velit, cogitetis tribum Iuda occultis ſæpe modis in ſcriptura prælatam. At ex ea erat Caleb: ex Ephraim verò Ioſue.

Q. XII. *Quid in exploratione iſta, ſeditaque murmuratione ſignificabat Ioſue?*

DE Moyſe diſſerit hom. 8. in Num. Origenes, de eodem & Ioſue Rupertus lib. 1. Num. c. 37. & ſequentibus. D. Chryſoſtomus homil. 23. ad Epheſ. in morali. *Huius*, ait, *ex huius mundi Ægypto exitus dux eſt, non Moyſes, ſed* IESVS. *Quomodo? Ne eadem nobis accidant, vt non eadem agamus, & non eadem patiemur. Illi murmurabant. Illi fuerunt ingrati. Ne eadem ergo nobis accidant. Quomodo ceciderunt illi omnes? Nihili fecerunt terram deſiderabilem*

lem. Quomodo nihili fecerunt? Atqui admirabantur, Eo quod molles euaſerint, & pro ea labores noluerint ſuſcipere. Ne ergo cœlum nihili faciamus. Hoc eſt nihil facere. E cœlo fructus eſt ad nos delatus, non fructus qui portatur in amphoris, ſed arra ſpiritus: vitæ agendæ ratio & conſeruatio, quæ eſt in cœlis, quam docuit Paulus & admirandi agricolæ. Non Caleb filius Iephonæ, neque I E S V S *Filius Naue hos tulit fructus: ſed* I E S V S *Filius miſericordiarum, Filius eius qui eſt verè Deus, omnem tulit virtutem, omnes qui inde ſunt fructus, hymnos ad nos detulit cœleſtes. Nam quæ apud ſuperos dicunt Cherubim, ea nobis quoque iuſſit dicere, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Ad nos attulit virtutem Angelorum. Neque ducunt vxores, neque nubunt Angeli. Hoc quoque hic plantauit bonum. Illi pecunias non amant, neque alia. Hoc quoque nobis donauit. non eſt amplius mors, ſed ſomnus. Audi enim ipſum dicentem. Lazarus amicus noſter dormit. Vidiſti fructus ſupernæ Hieruſalem. & quod eſt admirabilius, bellum non eſt decretum: ſed ante promiſsionem donauit nobis hæc omnia. Nam illi quidem, etiam cum veniſſent ad terram promiſsionis, laborabant, imo vero non laborabant. Nam ſi Deo parere voluiſſent, abſque armis & inſtructa acie omnes cepiſſent vrbes.* Ego vel ex iiſdem authoribus, vel vnde dederit Dominus, alia delibabo paucula. Eſt vtique terra nobis promiſſa, cœlum beatitate omni refertiſſimum. Heb. 4. Id prænoſcit optimè tam qui mittit Moyſes, tam qui mittitur Ioſue. ſed populi tamen rudioris, id eſt, omnium noſtrum cauſa, exploratio inſtituitur. Dupliciter verò eam fieri cogitare poſſumus. Primò, ſi qui ex hac vita emigrarent, & quæ in ſæculo altero vidiſſent, adiiſſent, quouis modo percepiſſent, ea nobis rediuiui nunciarent. Et hoc quidem in quibuſdam factum, tam in vetere ſynagoga, quam in Chriſtiana Eccleſia. ſed quis, eo modo, plura & maiora perſpexit, quis verius certiuſque retulit, quam veriſſimus noſter Ioſue *Chriſtus D.* qui tertia die reſurrexit à mortuis, *& Apoſtolis præbuit ſe ipſum viuum poſt paſsionem ſuam in multis argumentis, per dies 40. apparens eis, & loquens de regno Dei?* Act. 1. v. 3. ſed ex hoc exploratorum genere ſcio neminem, qui ad incredulitatem, terręque illius beatiſſimæ contemptum & deſperationem inducere conatus ſit. quin contra potius, ij omnes, de quibus in S. Bonifacij epiſtolam 21. quamplurimos impios, etiam perfidos, Gentiles, ſceleribuſque maximis irretitos, ad pietatem, pœnitentiam, verumque cœleſtis illius terræ amorem ac deſiderium ſemper excitarunt, vti exemplis plurimi docere poteſt: etſi vnum ſcio aliquem ex lib. 4. dial. S. Gregorij, qui aliis quidem plurimum, ſibi tamen nihil profuit. Poſſet tamen dicere aliquis cæteros mortuos eatenus quibuſdam murmurandi cauſam dare, quatenus non reuertantur, neque regionis illius, in quam præmiſſi ſunt, ſtatum nobis referant. Ita enim diues & purpuratus ille dicebat Lucæ 16. *Si quis ex mortuis ierit ad eos pœnitentiam agent.* & apud ſapientem alij Sapient. 2. v. 1. *Non eſt refrigerium in fine hominis, & non eſt, qui agnitus ſit reuerſus ab inferis.* Verum videtur paulò durius, ſi qui hactenus è terra illa reuerſi non ſunt, eos diceremus, murmur excire. ſic enim tot ſanctorum Apoſtolorum, Martyrum, & aliorum myriades perſonam eorum explora-

Ioſue.

A torum decem ſuſtinerent, qui nequiter & flagitioſe murmuris authores fuerunt, ideoque & à Domino, prout vidimus, plexi grauiter. Alter igitur, quo in terram illam exploratores mittuntur, modus eſt in hac vita, vt ire ſcilicet illi ac redire, ſuaque ipſorum voluntate, quæ exploratè cognorint, narrare queant. Id verò fit, quando ad ſcientiam, & veritatis perſcrutationem applicamur, ſiue ſit ea ſcientia & veritas naturalis, ſiue ſupernaturalis. Illam quidem in cœlorum, terræ, maris, rerumque omnium contem-
B platione, in hiſtoriis, Mathematicis, Ethycis, Phyſicis ſcrutamur: hanc verò in diuinarum literarum libris, Eccleſiaſticis traditionibus, Conciliis, priſciſque ſanctis Patribus, & nouis omnibus Theologis tam ſcholaſticè diſſertantibus, quam placidè, docteque diuina explanantibus. *Ad terram viuentium*, ait loco citato Rupertus, *explorandum miſsi ſunt, quicumque ſcripturas ſanctas in manibus habemus, primis Iudæis Domino dicente Iohan. 5. Scrutamini ſcripturas, quia vos putatis in ipſis vitam habere: deinde & de Apo-*
C *ſtolis Euangeliſta dicente, quia tunc aperuit illis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas. Scripturas namque intelligentibus illud rectè decantatur. Introduxit nos Dominus in terram fluentem lac & mel, vt lex Domini ſit ſemper in ore veſtro. Legendo igitur atque intelligendo aſcendimus, terramque optimam exploramus.* Sed exploratorum iſtorum complures quid agunt? quid loquuntur? Terræ illius felicitatem verbis & operibus eleuant & imminuunt: alios ab illa concupiſcenda & adeunda vel difficultates nimias exaggerando, vel ſuas nimium vires deſpiciendo, vel Dei opem & auxilium remo-
D uendo, vel denique mentiendo, & ea, quæ nuſquam ſint, comminiſcendo, auocant & abſterrent. Hoc Gentilium egerunt tot & tanti Poëtæ, oratores, philoſophi, de quibus ad Romanos 1. v. 21. *Quia cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis & volu-*
E *crum, & quadrupedum, & ſerpentium, Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam: vt contumeliis efficiant corpora ſua in ſemetipſis: qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium: & coluerunt & ſeruierunt creaturæ potius quã creatori, qui eſt benedictus in ſecula, Amen.* Hoc tot in Chriſtiana Eccleſia egerunt, aguntq; hodie impii & criminoſi hæretici: de quibus c. 33. li. cit. Rupertus. *Alij*, ait, *alij inquam, qui fuerunt nobiſcum, ſcilicet Antichriſti hæretici, qui exierunt ex nobis, ſed non erãt ex nobis, detrahunt terræ, quam in-*
F *ſpexerant. Cum dictum ſit Matth. 19. v. 17. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata, dicunt iſti. Non volumus aſcendere, quia Dei mandata ſeruari non poſſunt.* Hoſtes noſtri caro & peccatum fortiores nobis ſunt. quia *nobis non eſt liberum arbitrium*, non vllæ vires, quas humanæ alioqui naturæ poſtulat integritas. Vrbes illic Eccleſiaſticorum canonum & præceptorum grandes & muratæ. Stirpem Enak vidimus ibi, Papas, Epiſcopos, monachos. Odit nos Dominus. quia etiam antequam naſceremur, & mali quidquam egiſſe prænoſceremur, æternis hominum partem maxi-

Digitized by Google

mam ſupplicijs addixit.& idcirco eduxit nos de matris vtero, vt traderet nos in manu tartarei Amorrhæi, & ſempiterna gehenna cruciaret. Tentanti nos diabolo comparati quaſi locuſtæ videmur, imo quaſi maſſa quædam carnea, & vile lutum, quod nihil omnino poteſt. Terra, quam in Eccleſia Papiſtica luſtrauimus, deuorat habitatores ſuos, eorum opes & pecunias exhauriendo in eleemoſynis, miſſis, templorum ædificatione, altarium ornatu: ipſa hominum corpora enecando precibus, ieiuniis, variiſque & prædutis pœnitentiæ operibus: ipſos denique animos quaplurimis ſuperſtitionibus, idolomaniis, & ethelothriſceis perdendo, & in orci barathrum detrudendo. Talia, quos faſcinat hæreſis, exploratores. Illi verò inter Catholicos viri doctrinâ & rerum cognitione præſtantes, ſed qui inſano fluxarum mundi huius opum amore tenentur, voluptatum illecebris obſequuntur, exemplo imperitæ mutitudini malo ſunt, an non ipſis operibus, edita veluti voce, clamant, redeundum in Ægyptum eſſe: arduam nimis adituque pæne impoſſibilem eſſe cœlorum regionem: eſſe in via horrifica quædam laborum, moleſtiarum, & tentationum monſtra, contra quæ luctari non poſſint infirmæ terrenarum concupiſcentiarum noſtrarum locuſtę. Atque in hos cadit ſine dubio illud Saluatoris Luc. 11.v.52. *Væ vobis legiſperitis, quia tuliſtis clauē ſcientiæ, ipſi non introiſtis, & eos, qui introibant, prohibuiſtis.* Noſter verò verus Ioſue iſtis omnibus contradicit: veritatē annunciat: viſa & comperta palam teſtatur. *Deū nemo vidit vnquam*, ait S. Iohannes c.1.v.18. *Vnigenitus filius, qui eſt in ſinu Patris ipſe enarrauit.* & ipſe de ſe ipſo c.2.v.11. *Amē, amē dico vobis, quia quod ſcimus, loquimur, & quod vidimus, teſtamur.* Quemadmodū verò per denos illos exploratores impios, omnis impiorū doctorum tam è Gentilibus, quā ex hæreticis, imò & Catholicorū Catholicæ doctrinæ conuenienter haud viuentiū turba ſignificatur: ita in Caleb & Ioſue noſtro pauci illi egregij & lectiſſimi cōtinentur, qui vel ante CHRISTI D. Euangelium docuerunt, vel eiuſdem CHRISTI ſæculo, ac deinceps poſtea. Et hi enim fidi exploratores ſunt, qui illius ipſius Ioſuæ membra, è quorū numero vnus, Act. 4. v. 20. *Nō poſſumus*, ait, *quæ vidimus & audiuimus, nō loqui*: & alius Ioan. 1. c. 1. *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerūt de verbo vitæ (& vita manifeſta eſt, & vidimus & teſtamur, & annunciamus vobis vitam æternā, quæ erat apud Patrem & apparuit nobis) quod vidimus & audiuimus annunciamus vobis.* Sed miſſis illis veteribus, poſſemus vel cum S. Chryſoſtomo homil. 23. ad Eph. duos Apoſtolos *Petrum* & *Paulum* per Caleb & Ioſue ſignificatos exiſtimare: vel cum Ruperto libro citato per *Caleb* ipſos accipere Apoſtolos viroſque Apoſtolicos om-

A nes, qui vt illius nomen ſignificat, ſunt Dei & CHRISTI Domini quaſi *cor*, vel eiuſdem *canes* cuſtodientes Domini gregem, latrantes contra infidelitatem, vitia omnia, & diuinorum Eccleſiæ theſaurorum fures & latrones. Hi cum CHRISTO D. vt certa æternæ felicitatis nobis argumenta oſtenderent prægrandē conſcientiarum pacis & gaudij vuam, ſacrorumque ſuorum librorum, & totius Eccleſiaſtici ordinis poma, & ficus plane mirabiles attulerunt. *Dei*
B *enim*, aiebat eorum quidam, 1. Cor. 2. v. 9. *ſumus adiutores.* Hi cum eodem Ioſue, omnia ſemper falſa, fallacia, vana & captioſa prauorum teſtium dogmata coarguerunt, palamque repudienda monſtrarunt. Hi ſeculis omnibus cum graſſantem & exultantem ſceleratorum hominum doctrinam, alioſque circumſcribentem & dementantem viderent præ iuſto animi dolore, ac zelo, ſuas ipſorum veſtes diloricarunt, i.e. quæ, vti à quibuſdam dictum, animorum veluti veſtes ſunt, corpora ſua laboribus maximis, conuerſa-
C tionibus difficillimis, exhortationibus aſſiduis, precibus ac gemitibus apud diuinam maieſtatem perpetuis, diurnis nocturniſque librorum peruolutationibus, ſtudiorumque occupationibus, fregerunt atque dilacerarunt. Hi ob eundem zelum & ſuſceptæ ſemel veritatis patrocinium, in mille furentium populorum flammas, lapidationes, & gladios incurrerunt. fuiſſentque ſexcenties impellentibus falſis doctoribus, ſubito conciſi, diſcerpti, milleque ſaxis obruti, niſi diuina eos gloria ſepſiſſet, in aliudque tempus commodius eorum præmia diſtuliſſet. fecit
D porro eadem diuina bonitas, vt vani illi & praui exploratores & magiſtri horrificis crebro mortibus, in mundi totius conſpectu à Deo confecti & mactati ſint, vt quid inter veritatem & vanitatem, inter lucem & tenebras, intereſſet, perſpiceretur ab omnibus. Exempla quædam in meo *Iuda*. n. 16. poſui, & in Macha. l. 1. c. 6. ſed plura Bellarminus lib. 4. de Eccleſia. cap. 17. Et tandem ad inferorum ſupplicia præcipites miſerrimi aguntur. Nam *reuera*, inquit c. 33. lib. cit. Rupertus, *ſicut detractores illi pro die receperunt an-*
E *num, ſic hæretici omnes, cum Iudæis incredulis, pro temporalis blaſphemiæ culpa, ſempiternum recipiunt interitum.* ſed quibus idē Rupertus verbis ſuum illum librum 1. claudit, iiſdem libet caput hoc meum octauum claudere. *Maligni ſpiritus vſque horma, id eſt, vſq; in profundum inferni, quod æternum eſt anathema, ſupradictos ſanctæ terræ detractores, omnes hæreticos concidendo, victorum more perſequuntur. Arca namque teſtamenti Domini cum illis non eſt. Lex Domini, lex veritatis cum illis non eſt: & proinde quęcumque arma, quaſi arma verbi Dei corripiunt, non proderunt illis, nec valet illis dixiſſe, peccauimus. quia videlicet Catholicæ Eccleſiæ nequaquā reconciliati ſunt dignis pœnitētiæ fructibus.* Videri verò poteſt idem Rupertus in c. 2. Cant. p. 18. & l. 8. de officiis c. 4.

CAPVT IX.

De Ioſuæ in populi rectorem & principem electione, & inauguratione.

ANNO Ægyptiaci exitus quadrageſimo, menſe 9. vel potius 10. (nam 10. mortuus eſt Moyſes) in campeſtribus Moab Iordani proximis, in vltima Iſraëlitarum manſione, quæ à *Bethſemoth* erat vſque ad *Abelſatim* Num. 33. v. 49. precatus eſt

Dominũ Moyſes, ſibi ab illius benignitate concedi, vt Iordanẽ tranſire, terrãq; promiſſã oculis propius cernere liceret, Deu.3.v.25. ſed propter eius ad petrã peccatum, ei hoc negatũ, & tãtũmodo conceſſũ, vt è monte *Abarim* longè terrã illã aſpiceret. ſicq; ſtatim moreretur. ibidẽ & Deut.31.v.3. Num.27.v.12. & ſequẽtibus. Tunc auditâ decretæ ac impẽdẽtis iã mortis horã, reſpõdet ipſe Moyſes Domino. Num. 27.v.16. *Prouideat Dominus Deus ſpiritum omnis carnis, hominẽ, qui ſit ſuper multitudinẽ hãc, & poſſit exire & intrare ante eos, & educere eos vel introducere: ne ſit populus Dñi ſicut oues abſq; paſtore. Dixitq; Dñs ad eum: Tolle Ioſue filium Nun, virũ in quo eſt ſpiritus, & pone manũ tuã ſuper eum. Qui ſtabit corã Eleazaro ſacerdote & omni multitudine: & dabis ei præcepta cũctis videntibus, & partẽ gloriæ tuæ, vt audiat eũ omnis ſynagoga filiorũ Iſrael. Pro hoc, ſi quid agendũ erit, Eleazar Sacerdos cõſulet Dñm. Ad verbum eius egredietur & ingredietur ipſe, & omnes filij Iſrael cũ eo, & cætera multitudo.* Fecit *Moyſes vt præceperat Dñs, &c. Dixerat Dñs* Deut.3.v 28 *Præcipe Ioſuæ, & corrobora eũ, atq; conforta, quia ipſe præcedet populũ iſtũ, & diuidet eis terrã, quã viſurus es.* Ioſuæ igitur ait idẽ Moyſes ibidẽ v.21. *in tẽpore illo præcipi dicẽs: Oculi tui viderant, quæ fecit Dñs Deus veſter duobus his Regibus* (*Gog* Regi Baſã & *Seon* Regi Amorr.) *ſic faciet omnibus regnis, ad quæ trãſiturus es. Ne timeas eos. Dñs enim Deus veſter pugnabit pro vobis.* Et Deut.31.v.7. *vocauit Moyſes Ioſue, & dixit ei corã omni Iſrael. Confortare & eſto robuſtus. Tu enim introduces populũ iſtũ in terrã, quam daturum ſe patribus eorum iurauit Dominus: & tu eam ſorte diuides. Et Dominus qui ductor eſt veſter, ipſe erit tecum. Nõ dimittet, nec derelinquet te. Noli timere, nec paueas.* Iterũq; v.14. ait Dominus ad Moyſen: *Ecce prope ſunt dies mortis tuæ. Voca Ioſue, & ſtate in tabernaculo teſtimonij, vt præcipiam ei. Abierunt ergo Moyſes & Ioſue, & ſteterunt in tabernaculo teſtimonij: apparuitq; Dñs ibi in columna ibi nubis, quæ ſtetit in introitu tabernaculi.* Et v. 19. *Nunc itaque ſcribite vobis canticum iſtud, & docete filios Iſrael: vt memoriter teneant & ore decantent, & ſit mihi carmen iſtud pro teſtimonio inter filios Iſrael.* Et v.23 *ſcripſit ergo Moyſes canticum, & docuit filios Iſrael. præcepitque* Dominus *Ioſuæ filio Nun, & ait: Confortare, & eſto robuſtus: tu enim introduces filios Iſrael in terram, quam pollicitus ſum, & ego ero tecum.* Et c.32.v 44. *Venit ergo Moyſes, & locutus eſt omnia verba cantici huius in auribus populi, ipſe & Ioſue filius Nun.*

Q. I. *Quanam ratione dicitur Deus Spiritus omnis carnis?*

HOc Domini elogium non hoc tantũ loco, ſed eodem etiam Num. l.c.16. n. 22. celebratur. Sed ad illud intelligendum prædiſcendæ *ſpiritus* & *carnis* notiones, quæ vt variæ ſunt, ita variis in locis explicantur. Sed breuiter; *Spiritus* ſubſtantiã quandoq; ſignificat, quãdoque accidẽs. *Subſtãtia* verò illa vel ſũma & increata eſt, vel creata. *Increata* vel abſolutè Deus eſt, vt Ioã. 4. *Spiritus Deus eſt*, & Seneca lib. 2. quæſt. nat. cap. 45. itemque Poëta.

Principio cœlum ac terras, campoſque liquentes
Spiritus intus alit. Æneid. 6.

Vel ſpeciatim, tertia ſcilicet Trinitatis perſona, Io.14.15. Act. 2.45. *Creata*, vel integra eſt, vel integræ pars. *Integra*, eſt vel Angelus, tam bonus Pſ.103. Heb.1. quã malus. Mat.12. l.3. Reg.c. vlt. v.21. vel aer, aura & vẽtus Ex.15.10. Pſ.10. & 106. Ariſtotel. de mũdo. Virg. eclog. 4. D. Cyril. catech.16. Phil. l. de Gigã t. *Pars* eſt anima, vt *emittere ſpiritũ, in manus Domini cõmẽdare ſpiritũ*. Matt. 27.v.50. Luc.23.46. *Accidẽs*, vel eſt ipſius animi motio, vel habitus quiſpiã, vel certè quaſi habitus. Nã de quibuſdã diſput. pluſculũ eſt. Motio illa vel omniũ prima eſt, & e qua pẽdẽt aliæ omnes, ipſa ſcilicet vita Gen 7.v.15. Iob 17.v.1. Pſal. 76.v.4. & hæc fortaſſis eſt illa, quæ lib. de mũdo auctori (de quo v. 2. teſt. l.1.c. 2. Muretus) dicitur ἡ ἐν φυτοῖς καὶ ζώοις καὶ διὰ πάντων διήκουσα ἔμψυχός τε καὶ γόνιμος οὐσία, & πνεῦμα. niſi potius intelligẽdus ſit Virgilii *Spiritus*, de quo paulò ante. Motiones animorũ aliæ, ſunt vel *bonæ*, vt ſpiritus prophætiç, & motus ij omnes, quos gratia ſua excitare in nobis ſolet Spirit᷒ S. vt dũ in eo clamamus, *Abba Pater*, Rom 8. vel *malæ*, vt ſpiritus diſsẽſionis. Iud.9.v.23. furoris, mẽdacij, blaſphemiç, fornicationis, apud eũdẽ S. Cyri. catech. *Habit᷒*, vel quaſi habitus, ſunt itidẽ boni & mali. *Boni*, vt ſpiritus *Ioſue*.

A mãſuetudinis 1.Cor.4.v.21. lenitãtis Gal.6. gratiæ Heb.10.v.28. adoptionis Rom.8.v.15. humilitatis Dan.3.v.59. precũ Zac.12.10. ſapiẽtiæ & intellect᷒, & alij, qui numerãtur apud Iſa. c.11.v.2. dici ſolẽt dona Spiritus S. de quib᷒ d. Th.1.2.q 88.q.4. *Mali* ſũt his cõtrarij, de quib. tetigi Tob.3.q.4.6.6. & huc pertinet, quod aliqui etiam in ſcripturis obſeruãt vocari q̃doq; animã partẽ eã animi quç inferior eſt, & in qua perturbationes exiſtũt: ſpiritũ
B verò partẽ animi principẽ, & ſuperiorẽ, vt Heb.4. v.12. Iam *caro* vel ſubſtãtiã ſignificat etiã, vel accidẽs. Quãdo ſubſtantiã ſignificat in ea, vt circa incarnationis definitionẽ, initio 3. partis D. Tho. notaui, vel viua eſt, vel mortua. Sed ὁμωνύμως tantũ hęc apud Ariſt. 4. meteor. caro dicitur. *Viua* verò vel viuẽtibus omnib᷒ tribuitur, quo etiãmodo apud Pli.l.13.c.4.l.16.c.38. prout q.2.Tob.5. monebã. *arborũ caro* legitur: vel ſolis animalib. & hæc vel ſecũdũ horũ genera, & ſpecies cõſideratur, vt dũ
C Gen.7.v.21. Leu.11.v. Ecc.13.v.20.c.40.v.8.c.44. 19.1.Cor.15. alia ſtatuitur, *caro hominũ, peccatorũ, volucrũ, piſciũ* vel ſecũdũ idẽ animalis indiuiduũ: & tũ vel ſpectatur prout in eiuſdẽ animalis corpore à partib᷒ aliis diſtinguitur, aut nõ. Si diſtinguitur; à Galeno l.10 de methodo & 11. de ſimpl.c. duplex traditur. vna *propriè* dicta *caro*, & triplex eſt, *lacertoſa* ſcilicet, vt muſculorũ, *minus villoſa*, & *glãduloſa*, eadẽq; craſſior. Altera *impropriè* dicta, quæ παρέγχυμα dicitur, i. e. *affuſio*, cuiuſmodi eſt caro cor-
D dis & hepatis. Sed interdũ pro toto corpore ſumi videtur, vt dũ hominem dicũt aliqui ex carne & animo cõſtare. dũ *caro Chriſti* D. mãducenda proponitur Io.6. dũ eiuſdẽ *caro in ſpe requieſcit*, Act.2. v.26. *interitus carnis* 1.co.5. *nemo carnẽ ſuã odio habuit* Ep.5.30. *permanere in carne*. Phil.1.24. Si vero à partib. aliis nõ diſtinguitur, ſumitur ſynecdochicῶs ꝓ toto animali. & ſic interdũ ipſa hominis eſsẽtia,

Digitized by Google

imo ſæpiſſimè ipſemet homo *caro* nuncupatur, vti notarunt S. Cyril. in Io. 1. & l. 1. de incarnatione c. 14. D. Auguſt. Enchiridij c. 36. l. 4. de Trinit. c. 20. l. 14. Cor. c. 2. & legi poſſunt exempla Geneſ. 8. *Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt.* & ibid. *omnis caro corrupit viam ſuam.* Pſalm. 55. *Non timebo quid faciat mihi caro,* Pſal. 66. Iſ. 40. & 49. Rom. 3. alibi. Quando verò ſignificat *caro* accidens, eas fere notat propenſiones, concupiſcētias, & peccata, quorum vel cauſa, vel occaſio eſt caro noſtra. & ſic apud S. Paulum non raro Rom. 7. v. 5. 18. 25. c. 8. v. 1. 5. 7. 12. 13. 1. Cor. 15. 50. 2. Cor. 10. v. 5. Gal. 3. 3. c. 5. verſ. 13. 16. 17. 19. Epheſ. 2. 3. 11. alibi. Cum tot igitur modis & *ſpiritus* & *caro*, dicitur, quis ex omnibus tandem cenſendus, quo nominetur *Deus ſpirituum omnis carnis?* Ac *primo* quidem certum eſt, Deum eſſe ſpirituum omnium, qui creatæ ſubſtantiæ ſunt, & omnium, qui accidentia moraliter bona ſunt, ſimpliciter effectorem & largitorem, eorum vero, qui accidentia moraliter mala ſunt, phyſicè tantum effectorē & largitorem: moraliter verò, quatenus mala ſunt, permiſſorem tantūmodo, & ad bona tamen quæpiam directorē. ſunt hæc omnia perſpicua ex iis, quæ de rerum omniū efficientia, de animarū origine, de gratiæ bonorumque operū natura, de peccati cauſa, in Theologicis docentur. Hoc autē modo locū iſtū explicat Oleaſter. *Secundò*, certum eſt, eum omnium omnino ſpirituum tam eorum, qui ſubſtantiæ, quam qui accidentia ſiue bona, ſiue mala ſunt, inſpectorem & cognitorem eſſe ſapientiſſimum ac ſolertiſſimum, ita vt ne minimū quidem ei non perſpectiſſimum ſit. Hebræor. 4. & ſic Lyranus. *Tertiò*, certum eſt, omnium itidem omnino dominum eſſe, licet aliter & aliter. Nam in ſpiritus, qui accidentia mala ſunt, ita dominatur, vt eos puniat, in bonum aliquod conuertat, & non impediat, cum tamen infinitâ in ſua impedire poſſet. Sicque hic intelligendū putat Abulenſis. *Quartò*, certum etiam eſt, non de omnibus omnino ſpiritibus hic loqui Moyſen; ſed de iis tantū, qui ſunt carnis. Ideoque non de Deo ipſo, non de Angelis aut bonis, aut malis. Dices, Hebraicè hic vocari *ſpiritum omni carni*. At etiam Angeli poſſunt carni ſiue homini eſſe ſpiritus. quia iis ſcilicet quodammodo famulantur, eos cuſtodiunt, & iuuant. Reſpondeo ſæpè Hebræam literam lamed, non datiuum, ſed genitiuum etiam & caſus alios indicare, vt ex Hebreæ linguæ patet initiis. ideoque ab interprete noſtro rectè verſum, *Deus ſpirituū omnis carnis*; & cōfirmatur. quia quod hic dicitur *omnis carnis* perinde eſt, atque *in omni carne*, vt colligitur ex eo quod ſubditur v. 18. *virū, in quo eſt ſpiritus*. *Quintò*, non etiam loquitur de animantium brutarum ſpiritibus. Cauſam dat Abulenſis, quòd illæ non habeant ſpiritum propriè dictum in carne, ſed homines. Sed ſi tam latè patet ſpiritus quā anima, quemadmodum habent illæ animam in carne, ita ſane & ſpiritum, & quidem multo magis quam homines. Earum enim animæ totæ in corpora immerſæ & deiectæ ſunt, ita vt neque ipſæ, neque vllæ ipſarum actiones ab illis ſeiungi & euocari poſſint: totæ in cibum & paſtū, & in terram. & voluptatē proiectæ, totæque mor-

A tales. Cauſa igitur eſſe poterit hæc in animalibus, quòd quia brutorum animæ tam terreſtres & materiatæ ſunt, minus propriæ ſpiritus appellantur. vel potius, quia *ſpiritus* hoc loco nomen non ſubſtantiam ſignificat, ſed accidens. idque vt ſuprà dictū eſt, eiuſmodi quod in animo ſit, cumq; benè aut malè afficiat. Nam cum paulo poſt v. 18. dicitur eſſe *ſpiritus in Ioſue*, quis quæſo ſpiritus erat? Num is, qui ſubſtantia ſiue animus? At in omnibus, qui tum viuebant, Iſraelitis etiam erat. Accidēs ergo eiuſmodi erat,
B quod non in omnibus. Ideoque dico iam *ſexto*, *Deum ſpirituum omnis carnis* hic nuncupari, quia cognitor eſt omnium hominis affectionum, omnium animi propenſionum, motuū, & habituū. vt idem ſit, quod Act. 1. καρδιογνώστης, quod Heb. 4. v. 12. *diſcretor cogitationum & intentionum cordis*, κριτικὸς ἐνθυμήσεων, καὶ ἐννοιῶν καρδίας. Nam hoc ad inſtitutum ſpectat, ea diuinæ cognitionis penetrantiſſimæque perſpicientiæ laus & memoria, quâ de aliquo è tanta multitudine deligendo agitur, qui ad gubernandi munus omniū
C aptiſſimus ſit, quemadmodū illo epitheto Deus Act. 1. etiam orabatur, cum de S. Matthiæ in Iudæ locum electione ageretur. Deinde & *ſpiritus* nomen ita rectè accipitur, vti oſtenſum, & ſimiliter etiam *vniuerſæ carnis*. Nam & pro ſolis hominibus ea vſurpatur Geneſ. 8. *Omnis caro corruperat viam ſuam*, Pſal. 64. *Omnis caro ad te veniet*. Iſa. 40. v. 5. *videbit omnis caro ſalutare Dei*. v. 6. & 1. Pet. 1. 24. *omnis caro fœnum* 49. *ſciet omnis caro*. Rom. 3. *Ex operibus legis non iuſtificatur omnis caro*. & Deuter. 5. 26. Pſalm. 144. 21. Eccleſ. 1. 10. c.
D 14. v. 18. c. 39. v. 24. *opera omnis carnis coram illo, & non eſt quidquam abſconditum ab oculis eius*. c. 41. 6. Iere. 12. v. 12. cap. 25. 3. Ezech. 20. 48. cap. 21. 5. Ioelis. 2. 28. Act. 2. v. 10. Matth. 24. 22. Marc. 13. 20. Luc. 3. v. 6. Septuaginta verò verterunt vtroque loco ὁ θεὸς πνευμάτων, καὶ πάσης σαρκός. *Deus ſpirituum & omnis carnis*. In Latinis exemplaribus Apocal. 22. verſ. 6. legitur *Deus ſpirituum Prophetarum*, & in perpaucis Gręcis. Sed in horum pluribus. *Deus ſanctorum Prophetarum*. in Syriaco tamen etiam *Deus ipſius ſpiritus Prophetarum*.

E Generatim hoc vnum, vt in populi gubernatione ſucceſſorem ſibi daret idoneū: ſpeciatim verò hæc. 1. *prouideat hominem ſuper multitudinem hanc.* hominem vocat *virum*, in quo verè virtus ſit, & maſculum pectus, animique robur. Nam effœminatis animis ac moribus non fœminæ modo, ſed & viri, quid agant, cui proſint? *Prouidendi* verò verbum Hebraicum verterunt hic Septuaginta ἐπισκεψάσθω vnde Pſalm. 108. v. 8. Actorum. 1. verſ. 20. ἐπισκοπὴν *epiſcopatus*. Numer. 3. verſ. 32. καθιστάναι *præficere* non ſimpliciter, ſed adhibita inſpectione. Hanc enim
F verbum illud importat, ita vt obſeruare liceat, quænam teneri debeat ratio in rectoribus & præfectis conſtituendis. Cum ſcilicet & inſpectio diligens adhibenda, quis & qualis ſit, qui præficiendus eſt. Idque ſi vſquam maximè profecto neceſſarium in Eccleſiæ gubernatoribus & magiſtris. Cuiuſmodi ſunt, qui ab hac ipſa re nomen acceperunt *Epiſcopi*, & *Parochi*. Multitudo verò illa vſitato more vocatur ab iiſdem 70. συναγωγή. Secundò, deſcribit diſtinctiùs, qualem præficiendum illum eſſe oporteat. idque verbis

Q. II. *Quid à Domino moriturus petiit Moyſes?*

Digitized by Google

verbis quatuor. 1. *vt poßit ſcilicet exire ante eos.* 2. *intrare* ante eoſdem 3. *educere eos* 4. *introducere.* Significant verò verba hæc, duo in aliquorum gubernatore potiſſimum neceſſaria. *exemplum* ſcilicet bonum, quo illis præat, ſiue quopiam eundem, ſiue redeundũ ſit: ſiue quidpiam agendum, ſiue omittendum: deinde *prudentiam*, auctoritatem, doctrinam, & potentiam, qua ad officium eos excitet, inſtituat, compellat: ita vt præter exemplum eos, quo res cumque poſtulabit, ducat, reducat, faciat ad res agendas aggredi, faciat deſiſtere. Abſque priori parum prodeſt poſterius: abſque poſteriori vero magna etiam in priori vis: & valdè in iis etiam, qui aliis non præſunt, laudabile eſt. imò ab eo teſtimonium & commendatio, vt principatu ab Epiſcopatu dignus quiſpiam iudicetur, rectiſſimè ducitur. Ita de Dauide iuuene adhuc, neque dum Sceptrum tenente legimus. 1. R. 18. verſu. 13. *Egrediebatur & intrabat in conſpectu populi*, & verſ. 16. *omnis autem Iſrael & Iuda diligebat Dauid. Ipſe enim egrediebatur & ingrediebatur ante eos.* Nota cauſam & fontem, e quo tantus omnium erga Dauidem amor manebat. *ante omnes* ſcilicet *egrediebatur & ingrediebatur.* Hoc admirationem excitat, amorem gignit, auctoritatem parit, reuerentiam commouet, honorem & dignitatem conciliat. Hæc ad honores optimos via optima, & maximè compendiaria: hi gradus quibus ad ſumma quæque aſcendi rectè poteſt. Exiſtimat verò ab ouium paſtoribus metaphoram hanc petitam Oleaſter. Nam Ioan. 10. v. 4. *bonus paſtor cum proprias oues emiſerit, ante eas vadit & omnes illum ſequuntur, quia ſciunt vocem eius.* Eſtque hoc etiam ex D iis, quæ de ouibus hic ſubduntur veri ſimile. Poſſet tamen etiam videri à bonis bellorum *ducibus* id repetitum, qui primi martem cient, periculaque omnia ſubeunt; ſicut exemplum & normam dando præliandi & ceſſandi, oppugnandi, & propugnandi. vt apud Poetam Æneid. 7. Ipſe *vocat pugnas: ſequitur tum cætera pubes* 3. addit Moyſes. *ne ſit populus Domini, ſicut oues abſque paſtore.* de quibus poſtea.

Q. III. *De Succeſſore moriturus Moyſes cur adeo ſolicitus?*

Mortem iam iam Moyſi oppetendam dixerat Dominus, & quidem cum rei admodum E moleſtæ, præteriti ſcilicet delicti, commemoratione, pœnáque adiuncta, fore, vt optatam, totoque annos petitam tellurem non ingrederetur, & horum tamen ſenſu videtur ipſe Moyſes nullo tangi: mortẽ nihil horret: peccatum ſuum agnoſcit, neque approbari toties quæritur: non vrget, vt aut diutius viuere, aut promiſſam terram introire liceat: ſed omnis eius mens & cogitatio in ſucceſſore fixa hæret: de hoc vno ſolicitus eſt: hunc vnum à Domino rogat & expoſcit. Quidnam quæſo cauſæ? Sanè F verò vti in Philone, initio libri de charitate obſeruatum optimè ſummus quidem eius erga populum ſibi à Deo olim commiſſum amor. Hic enim, vt, de huius etiam commodis & vtilitatibus, in poſterum curam ſolicitudinemque tantam caperet, faciebat. Pater iis omnibus viuens fuerat, vult & moriens eſſe pater. Pupillis illis ſuis vult optimos præfici tutores & curatores. Optimam & ampliſſimam iis hæreditatem relinquit; terram à Deo promiſſam: ne infantuli, quapiam ſtoliditate ac leuitate illam deſerant A vel aliorum ſcelere ac iniuriâ eandem amitant omni ſibi ratione prouidendum exiſtimat. Nihil autem ad hoc momenti plus habet, quam ſi cuſtodem, moderatoremque laboris optimum, relinquant parentes. Sed hic Moyſis erga populum amor ex alio rurſum amore fluebat eo ſcilicet, quo Deum Opt. Max. maximè ac præcipuè adamabat. Ideo enim tam tenerè dicit paulo poſt. *ne populus Domini.* Quia enim ab hoc illo, è gentibus omnibus, delectum populum ſciebat, ita vt quaſi ſuum ille peculium duceret B ac nominaret Exod. 19. verſ. 5. & rurſum quia in hoc populo vera religio, doctrina caſta, ceremoniæ, quibus Deus ipſe celebretur, ſanctæ ſedem fixerant, deincepſque, vbi optatam terram tetigiſſent, templumque in illa magnificentiſſimum excitaſſent, fixuræ quam altiſſimè, & in longiſſimum tempus erãt, ideo populum hunc florere, ideoque ducem à quo ducãtur, doceantur, & in officio contineantur, habere optat quam peritiſſimum. Abſque hoc enim nulla vnquam ciuitas, Reſpublica, populus floruit: C diuinum, vti oportebat, numen coluit, pace, paciſque ornamẽtis, & humanæ vitæ copiis abundauit. Præclarum hic igitur omnibus, qui ad Eccleſiæ ac Reipublicæ gubernacula ſedent, exemplum à Moyſe relictum, quomodo ſibi ſubditos populos diligere, quod iis maxime optare atque quantum in ſe eſt, morituri procurare debeant. Eam vero rem egregie verſibus in Æneiæ claſſis gubernatore illo expreſſit Poeta.

Nam Princeps ante omnes denſum palinurus agebat
Agmen. ad hunc alij contendere iuſſi.
Sed cùm eum ſomnus & *inopia quies*
——— *cum puppis parte reuulſa.*
Cumque gubernaclo liquidas proiecit in vndas
præcipitem, Submerſus eſt miſer, inferos petiit.

Eum inibi cùm inueniſſet Æneas, quid huic ipſe? —— *Maria*, inquit, *aſpera iuro,*

Non vllum pro me tantum cepiſſe timorem,
Quam tua ne ſpoliata annis, excuſſa Magiſtro,
Deficeret tantis nauis ſurgentibus vndis.

Hoc imitati quandoque Principes aliqui. Sed è maximo numero perpauci.

Q. IV. *Quam petiit Moyſes ſucceſſorem?*

Ivdæorvm apud Abulenſem q. 41. opinio eſt; ſuorum filiorum alicui petiiſſe Moyſen, vt in principatu ſibi ſuccederet. Sed aperta contra textum, in ſanctiſſimum virum iniuria eſt. Omnium. n. neminem nominauit, ſed vti ſupra patuit, idoneum tantummodo aliquem petit; & quia multi in hominum animis receſſus, multæ in vultu & morib. perſonæ ac mendacia, ideo non quem ipſemet virum bonum, & ad res tantas aptum habilémque videret ac iudicaret; ſed quem ipſe cordium ſcrutator Deus peritiſſime idoneum noſſet ac vellet, hũc, ſiue propinquus eſſet, ſiue alienus, ſiue notus, ſiue ignotus, ſiue diues, ſiue pauper, hunc in quem à Deo poſtulat. Et verò tantum in eius animo æquilibrium fuit, vt cum Ioſue tandiu domi habuiſſet, eius opera & miniſterio tam fideli vſus fuiſſet, eius erga Deum religionem, erga populũ iuſtitiam & comitatem, in Amalecitarũ bello induſtriam & fortitudinem, in exploranda terra, & contra impios accuſatores ac murmuratores de-

Digitized by Google

ſendenda peritiam atque conſtantiam, in quotidiana vita temperantiam & integritatem accuratiſſimè perſpexiſſet, imò (licet id neget c. 27. Num. in morali Oleaſter fol. 71.) diuinitùs de eo iam alias cognouiſſet, eamque ob cauſam ſecum ad montem, & ad alia tam multa, & toties adhibuiſſet, eum tamen nihilominus, non definiri ac nominare voluerit: ſed quaſi de illo ſciret nihil, audiſſet, vidiſſetque nihil, ita indefinitè cuiuſcunque idonei ſucceſſionem obſecrat. idque vti quidem opinor. Primo, vt diuinam de Ioſue ſententiam confirmatiorem acciperet; Secundo, eandem populo teſtatiorem relinqueret. Tertio, omnes ipſemet humanos affectus exueret, certiuſque ipſemet cognoſceret, ſe nihil gratiæ, nihil humano erga Ioſue ſtudio, ſi nimirum fortè aut eſſe aut videri alicui poſſet, daro. Quartò. vt exemplum relinqueret omnibus abſolutius & purius in ſucceſſoris alicuius delectu ſeruandum: ne caro & ſanguis ea in re, quæ vti grauiſſima eſt, ita & grauiſſimè puriſſimeque geri debeat, præpolleant. Confirmantur iſta omnia pulcherrimis Philonis, lib. de charitate, verbis, quæ vt cuilibet ad manum magis ſint, magiſque proſint, hic inſcribenda. *Cùm*, ait, *mortalis huius vitæ finis instaret, oraculo aperto de hoc præmonitus, nullũ vel Regẽ, vel priuatum imitatus eſt, quorum vnicum votum habetur ac ſtudium, hæredes liberos relinquere: ſed quamuis pater eſſet duorum filiorum, neutrum ſucceſſorem ſibi optauit, victor affectuum erga cognatos ac domeſticos, & poterat, ſi filios ſuſpicabatur parum idoneos, certè fratris filios extollere, tam virtute merito ſacerdotum. Sed fortaſſe aut non placebat, eos à diuinis rebus distrahi: aut potius cogitabat, impoſſibile eſſe, eundem hominem rectè curare ſimul regnum & ſacerdotium. quandoquidem alterum religionis, alterum ſubditorum curam profitetur, aut fortaſſe non putauit rem tam magnam pertinere ad ſuum iudicium: maluitque iudicandam Deo committere, qui pro ſua potentia perſpicit etiam intima pectorum. Hæc vera eſſe vel hinc colligitur. Erat ei amicus & familiaris penè à puero* IESVS *nomine, non vulgaribus conciliatus artibus, ſed amore integro cœleſtique, ex quo omnes virtutes proueniunt. is etiam conuictor contubernaliſque Prophetæ fuit, niſi ſi quando ille ſeceſſum quæſiuit propter diuina colloquia. idem adminiſtrationis reip. particeps, & tantùm non principis vicarius, multa pro poteſtate ſolitus erat gerere. Attamen quamuis ſciret hunc eſſe diu ſpectatæ probitatis hominem, dictis factiſque honeſtatem eius expertus, & quæ maximè requirebatur, beneuolentiam erga populum, ne ſic quidem auſus eſt ei principatum committere, ne forte opinione falleretur, non ſatis fidens humano iudicio, itaque ne ſibi ipſi quidem credens, ſupplex inuocauit Deum, qui ſolus inuiſibilem animam introſpicit, & mẽtium arcana penetrat, vt ex optimatibus eligeret vnum aliquem idoneum principem, qui paternam curam ſubditorum gereret: ſubleuatiſque ad cœlum puris, & virgineæ (vt ita loquar) caſtitatis manibus, ſic precatus eſt: diſpiciat Dominus Deus ſpirituum, & vniuerſæ carnis de homine, qui plebem hanc curet, paſcatque ſine crimine, ne corrumpatur ſicut grex diſperſus carens Magiſtri curâ & diligentiâ. Quis non miretur has preces, dicatque: Here quid ais? Ita ne tibi fratrique deſunt germani filij, ſucceſſores à natura dati? aut his,*

A *an illos principatum relinquito. Quod ſi neutros exiſtimas idoneos, & potior eſt tibi reipublicæ, quam neceſſitudinis domeſticæ ratio, habes certè amicum irrepreheñſibilem ac probatæ virtutis, vel tuo iudicio ſapientiſſimo. Quin igitur hunc, ſi probitas non genus ſpectatur, eligis? Verum reſpondebit: cum in omnibus rebus non eſſe præcipitandum iudicium, tum in his potiſſimum, quæ rectè aut ſecus adminiſtratæ, plurimis felicitatem aut calamitatem afferunt. Nihil autem principatu maius, cui belli paciſque arbitrium committitur à ciuibus. Quemadmodum enim ad proſperam nauigationem opus eſt bono peritoque gubernatore,*
B *ſic etiam ſapiente principe ad tuendam tranquillitatem bene conſtitutæ reipublicæ. Cæterum de ſapientia, quæ non me tantum, ſed & toto mundo eſt antiquior, non eſt fas quemquam iudicare, niſi Deum, aut aliquem ſincerum, purum, germanumque amatorem ipſius ſapientiæ. Et iam ante exemplo meo didici, ne alijs quidem vt cunque idoneis in ſpeciem, principatum decernere. Nam reipublicæ curam inuitus ſuſcepi, non humanis ſuffragijs princeps deſignatus, ſed manifeſtis oraculis, diuina voce iubente, quantumlibet deprecarer molem rerum*
C *veritus, donec iterum atque iterum iubenti parere, metu coactus ſum. An non igitur abſurdum fuerit, nunc non per eadem incedere veſtigia? & cùm ipſe noluerim principatum niſi ex Dei ſententia ſumere, nũc arbitratu meo ſucceſſorem eligere, ne hominum quidem expectatis ſuffragijs? præſertim cùm agatur de regimine gentis non vulgaris, ſed primum populoſiſſimæ omnium quotquot vſquam ſunt, deinde profeſſæ rem maximam, cultum eius qui eſt, patris, conditoriſque rerum omnium. Quicquid enim alijs contingit ex optimæ cuiuſque philoſophiæ ſtu-*
D *dio, id Iudæis ex ſuis legibus ac moribus, videlicet ſummi Dei notitia, repudiato errore deorum ex creaturis conſecratorum. nullus enim creatus verè Deus eſt, quantumuis habeatur pro Deo, cum æternitate, ſine qua non eſt numen, careat. Hoc vnum euidens argumentum eſt eximiæ erga ſuam gentem caritatis atque fidei.* & Diui Hieronymi in caput. 1. ad Titum, *Moyſes amicus Dei, cui facie ad faciem Deus locutus eſt: potuit vtique ſucceſſores principatus, filios ſuos facere, & poſteris pro-*
E *priam relinquere dignitatem, ſed extraneus de alia tribu eligitur* IESVS *vt ſciremus principatum in populos non ſanguine deferendum eſſe, ſed vitæ. At nunc cernimus plurimos hanc rem beneficium facere, vt non quærant eos, qui poſſunt Eccleſiæ plus prodeſſe, & in Eccleſia erigere columnas: Sed quos vel ipſi amant, vel quorum ſunt obſequiis deliniti, vel pro quibus maiorum quiſpiam rogauerit, & vt deteriora taceam, qui vt Clerici fierent muneribus impetrarunt.* Diſſimilia non ſunt, neque ſenſu, neque legentium vtilitate, iſta Origenis hom. 22. in Numeros. *Receſ-*
F *ſurus Moyſes de ſæculo orat Deum, vt prouideat ducem populo. Quid agis Moyſes? Nunquid filij tibi non ſunt, Gerſon & Eleazar? Aut ſi aliquid de ipſis dubitas, non ſunt filij fratris magni & egregij viri? Quomodo non oras Deum pro ipſis, vt eos conſtituat populo duces? Sed diſcant Eccleſiarum principes, ſucceſſores ſibi non eos, qui conſanguinitate generis iuncti ſunt, nec qui carnis propinquitate ſociãtur, teſtamẽto ſignare, neque hæreditariũ tradere Eccleſiæ principatum, ſed referre ad iudicium*

iudicium Dei & non eligere illum, quem humanus commendat affectus, ſed Dei iudicio totum de ſucceſſoris electione permittere. Nunquid non poterat Moyſes eligere principem populo, & vero iudicio eligere, & recta iuſtaque ſentẽtia, ad quem dixerat Deus: elige preſbyteros populo, quos tu ipſe ſcis presbyteros eſſe, & elegit tales in quibus continuo Dei ſpiritus requieſceret, & propheταrẽt omnes: Quis ergo ita potuit eligere principem populi, vt Moyſes poterat? Sed hoc non facit, non eligit, non audet. Cur non audet? Ne poſteris præſumptionis relinquat exemplũ. Sed auſculta quid dicit: Prouideat, inquit, Dominus Deus ſpirituum, & omnis carnis, hominem ſuper ſynagogam hanc, qui egrediatur ante faciem eorum, & qui ingrediatur, & qui producat eos, & qui reducat. Si ergo tantus ille ac talis Moyſes non permittit iudicio ſuo de eligendo principe populi, de conſtituendo ſucceſſore, quis erit qui audeat, vel ex plebe, quæ ſæpe clamoribus ad gratiam, aut ad precium fortaſſe excitatis, moueri ſolet, vel ex ipſis etiam ſacerdotibus quis erit, qui ſe idoneũ ad hoc iudicet, niſi ſi cui oranti, & petẽti à Domino reueletur? Pulchrè verò ac verè apud Fla. Vopiſcũ in *Tacito* Imperatore Senator ille conſularis falconius Nicomachus: *Ingens gloria morientis principis eſt, magis Rempublicã amare quam filios.* Et de Theodoſio itidem Imperatore S. Ambroſius. *Dilexi*, ait, *virũ, quod cum iam corpore ſolueretur, magis de ſtatu Eccleſiarum quam de ſuis periculis angebatur.*

Q. V. *Quæ ſucceſſorem conſtituendi optima ratio?*

Constitvi poteſt in principatu aliquo ſucceſſor vel *à Deo* clarè, & apertè, vel à Deo quidem, ſed minus clarè, per ſortes videlicet, de quibus Philo li. de creatione principis in principio, Lipſius lib. 2. Polit. c. 4. & ego in c. 1. Act. & Ioſ. c. 7. infrà: vel *per homines*: fitq; hoc dupliciter, vel aliqua iſtorũ electione, vel ſtirpe ac ſanguinis propinquitate. *Prima* illa *ratio* quin *optima* ſit, dubitabit nemo, qui Dei & ſapientiã & erga hominum genus beneuolentiã cogitatione aliquando cõplexus fuerit. Duo enim hæc faciunt, vt omniũ aptiſſimum, vtiliſſimumq; ille ſemper conſtituere poſſit ac velit. Per ſapientiã videt finẽ optimum & quæ ad eũ ferant, vias ac rationes aptiſſimas: per beneuolentiã, illum & iſtas vult. Eſt verò ea principes orãdi ratio vtiq; optima, quæ & finem habet optimum, & ad eum media optima. Rurſum, quæ rectiſſimæ optimæq; regulæ cõſentanea maxime. demũ etiã, quæ certò talis ab omnibus cognoſci poteſt. Poſſet hic tantum obiicere quiſpiam, Saulem diuinitus & perſpicuè datum ac nominatum regem, & tamen quis extitit? Et apud Iſaiam cap. 3. verſu. 4. dicit ipſemet Dominus, *Dabo pueros principes eorum, & effœminati dominabuntur eis.* At ſi pueros accipimus, prout eum in locum accipit S. Hieronymus, & in Num. ca. 32. Rupertus, eos, qui licet natu maiores ſint, maioribus tamen & *leuitate pueriles* ſunt, quis vt gubernandis populis præponantur, ineptiſſimos non videat? ſi verò eos, qui *ætate pueri*, aut certè, vti Hebræum Græcumque nomen fert, *iuuenes* ſint, accipimus iam quod ille apud Lucanum lib. 8. dicere poterimus.

Ætas Niliaci nobis ſuſpecta Tyranni eſt.
Ardua quippe fides robuſtos exigit annos.

Et rationem indicat lib. 1. Politicorum. cap. vltimo Philoſophus. quòd ea minor ætas iis ferè prudentiæ, virtutumq; præſidiis, quæ ad gubernandum neceſſariæ, careat: contra verò audacia, ſuperbia, laſciuia, cupiditatibus ac leuitate abũdet. Vnde grauia in Remp. mala, prauorũ exemplorum, bellorum non neceſſariorum, tribunalium fœde violatorum, ſumptuũ ingentium, & ſimilia pleraque alia exiſtunt. adeo vt ingemuerit Eccleſiaſtes. c. 10. v. 16. & dixerit. *Væ tibi terra, cuius Rex puer*, ſiue vt in Iſai. 3. à D. Hieronymo citatur, *iuuenis eſt*: leges de magiſtratibus ineundis annales apud Ciceronem Philipp. 5. tulerint Gentiles adhuc Romani: Qui ſuperiore quæſtione citatus fuit conſularis Nicomachus: *Dij*, aiebat, *auertant principes pueros: & patres patriæ dici impuberes. quos ad conſulatus dandos dulcia, & circuli & quæcunque voluptas puerilis inuitet. Quæ, malùm, ratio eſt, habere Imperatorem (Principem qui famam curare non nouerit: qui quid ſit Reſp. neſciat: qui faciat eos Conſules, Duces, Iudices, quorum vitas, merita, ætates, familias, geſta non norit?* Quin & fictis eandem rem fabulis in ſuo Phaëtonte docuerint poëtæ, à quorum vno inducitur ille poſtulans equorum ſolis gubernationem: At ei reſpondetur.

Magna petis Phaeton: & quæ non viribus iſtis
Conueniunt. Eas tamen habenas cum extorſiſſet, quantum mundi totius incendiũ? quæ pernicies? Etiãſi ergo ipſemet è cœlo Dominus Principes deſignaret, rebuſq; præficeret publicis non optima illa ratio videri poſſet. occurrendũ tamẽ optimum quidẽ, ſemper futurũ: ſed dupliciter. 1. ratione finis, qui eſt nõ particulare gẽtis alicuius particularis bonũ, ſed vniuerſale, vniuerſi ſcilicet totius bonũ. Hoc ſiquidem interdum requirit, vt populi quidam caſtigentur, fortunis euertantur, miſeriis afficiãtur, principatu & vita ſpolientur: è cõtrario, alij euehãtur, opibus augeantur, gloria & imperio amplificentur. Hunc ad finem expeditiſſima via eſt, ſi vel annis vel moribus pueri ad earum, quæ perire habeant, Rerum publicarum clauum ſedeant. 2. ratione finis etiam, qui eſt particulare particularis alicuius gentis bonum. ſed non mundanum, fluxum, & caducum, prout ſunt opes, rerum abundantia, pax & tranquillitas corporum ac fortunarum: ſed aliud multo maius & melius, imitatio ſcilicet ad Deum ipſum & pœnitentia, auocatio à peccatis: horum expiatio: maiorum ſcelerum impeditio, & quæ generis eiuſdẽ alia ſunt. Nunc verò per imperitos, ignauos, impioſque principes fit, vt bonorum quidem temporalium naufragia ſint: ſed lachrymarum & pœnitentiæ omnibus tabulæ offerantur, reſipiſcendi omnibus anſa detur: vel certè auferatur coacervandorum vel eorundem, vel aliorum flagitiorum occaſio. Nam ſi per Principum induſtriam & virtutem bella, egeſtates, & calamitates aliæ auerterentur, pergerent porro in priſtinis ſceleribus ipſo rerum omnium curſu proſpero ebrij & amentes. Si Princeps foret pius & religioſus, qui & exemplo & legib. eos ad officium & religionem cogeret, non obtemperarent, tumultuarentur, arma corriperent, ſicque fierent, deteriora prioribus poſteriora. Iſta quia cordiũ ſcrutator prouidet, dedit interdum Saules, pueros, & effœminatos. & ij eo tempore, loco & fine aptiſſimi fuere. ita vt ſemper, quæ à Deo fit principum creatio, optima cenſeri meritò debeat. Sed quia perpetua non eſt, imo extraordi-

Digitized by Google

naria,& ſupra naturam, communemque mundi A
huius ordinem:huic *proxima eſt*, ea quæ *per homi-*
num ipſorum *electionem* fit:& tanto quidem me-
lior, quanto per meliores ac prudentiores. Prior
illa pars clarebit, ſi aduertamus, hos natura eſſe
boni commodiq; ſui appetentes : ruſumq; non
neſcire principum bonorum operâ ſe illo potiri
poſſe:malorum ignauiâ eo cariturus. Iam verò
cum, Dei inſtar, ſcire haud poſſit hominum
mens, quis certò bonus, quis certò malus, habet
tamen eius bonitatis inueſtigandæ ac exploran-
dæ vias plurimas,& humano modo, ſatis certas, B
minimumque fallentes : obſeruationem ſcilicet
vitæ anteactæ, rerum olim geſtarum, educatio-
nis,& indolis, propenſionum, ac ſtudiorum, ami-
citiarum & ſodalitatum. Hinc verò & poſterior
eius, quod dicebam, pars elucet. Hæc.n. omnia
penitiùs & peritiùs vident & amplectuntur, qui
meliores ac ſapientiores ſunt. Sed quia in iſtis
incredibiles ſæpè diſſenſiones & factiones exi-
ſtunt, & ex eo reſpublicæ, quarum per primam
electionem, ſalus & incolumitas quærebatur, in
extremum diſcrimen & excidium coniiciuntur, C
atque vt à Poëtarum quodam ſcriptum, *ſtultus*
honores ſæpe dat indignis & famæ ſeruit ineptus duo
hiſce malis longus ſæculorum vſus remedia ex-
cogitauit. Vnum, vt eligendi rationes varias,
quæ fraudis gratiæ turbarumq; minimum habe-
rent, indagaret, eaſdemque legib. cautionibuſq;
variis firmaret:alterũ, vt qui è principibus naſce-
rentur, ij principes ſuccederent. Nam de his be-
nè ſperandum cur eſſet, neque pauca neque par-
ua Rebus publicis pignora viſa ſunt. quòd hos
bene parentes educaturi, regiiſq; artibus probe D
ornaturi eſſent, quòd acceptum illi à parentibus
decus nolle viderentur imminuere, non labefa-
ctare imperium:non populos deſtituere:non pa-
rentũ gloriam obſcurare : nõ iuſtam liberis adi-
mendi principatus cauſam relinquere, non in ſe
vnis ac vltimis familiam, partumq; ſplendorem
extinguere : denique quod vim neſcio quam in-
generare videatur ipſe ſanguis,& ſatus adeo cla-
rus,& nobilis. *fortes*, ait ille, *creantur fortibus*. fal-
lunt hæc ramen ſæpè omnia. & *heroum filij noxæ*.
ſeu vt Rabbini aiunt, *chomets ben iaiin* : ideſt, *ace-* E
tum eſt filius vini, quòd ex hoc aceſcente ac dege-
nerante fiat. Quia tamen prioris ac melioris il-
lius modi remedium eſt, eam deriuandorum
principatuum rationem probauit Deus, in Iu-
dæis Regibus, Aaronicisque ſacerdotibus. prout
hic q.39. notat Abulenſis. Et hodie multis in re-
gnis retinetur:nequaquã tamen in ſacerdotibus,
ob ea, quæ diſſerit Bellarm. lib.1. de Clericis c.6.

Q. VI. *Cur horret Moyſes abſque Principe populum relinqui?*

IPSEMET expoſuit dicens : *Ne ſit populus Do-*
mini, ſicut oues abſque paſtore. Nam his in verbis tria
potiſſimum ſignificantur. *Primum*:eſſe populum F
ouium inſtar, quæ abſque maximis certiſſimiſq;
periculis, paſtore non poſſunt carere. Luporũ ſi-
quidem tũ obiectæ ſunt miſellæ faucibus: pote-
rit rapere volẽti cuilibet:neq; tueri ſe vllo modo
poſſunt. Accedit, quòd imprudẽtes admodũ &
ſtolidæ ſunt, adeo vt qui ſtupidiores aliquãdo vi-
ſi ſunt, vel *ouiculæ* nominarẽtur, vt Fabius Max.
vel *ouilli fœtus* ſymbolo ſignificarentur, vt ille in
Tarquiniũ arietãs Brutus:ſintq; quibus inſipiẽtia
noretur, prouerbia προβάτου βίον ζῆν, & προβάτων ἦθος.
vnde & lepide dixit in veſpis ſuis Ariſtophanes,

A *conſidere in conſilio pecus ouillũ* : Diogenes verò in-
doctũ hominẽ, ſed cultu alioqui diuite ornatum
χρυσόμηλον appellauit. Quô ouium vna quæpiam
præire incipit, eô ferè ſequũtur aliæ omnes, etiãſi
in perículoſum alioqui locũ vel amnem ruant.
Abſq; paſtore ne paſcuũ quidem aptũ gramẽ in-
uenire poſſunt:nõ gregalẽ inter ſe ſocietatẽ reti-
nere, ſed ſi terroris quid inciderit, aut vero earũ
aliquas huc illuc graminis alicuius cõſpecti, aut
ab fure aliquo porrecti, ſalis libido traxerit, diſ-
pergũtur & lõgè lateq; diſſipantur. Quin verò &
B abſq; Paſtore, ne laneã illã, quæ ardentiore ſole
moleſtiſſima ipſis eſt, veſtẽ exuere, vel, cum eius
donatione vel maximè hominibus prodeſſe ſo-
leant, eam vlli donare poſſunt. Ita populus quiſ-
piã, ſi à quo regatur, præſidẽ non habeat, aliorum
populorũ iniuriis expoſitus eſt, in eoq; ipſo, qui
potẽtiores, fortiores & audaciores, rapiũt & ve-
xãt alios. prout quilibet nequitia & audacia pro-
iectior exiſtit, qui populũ huc vel illuc incitare
incipiat, eum ſequuntur omnes, & paulo pòſt,
alium. Excitãtur ſeditiones, tumultus, diſcordiæ
C ac bella inteſtina. Vnde dilabi populũ illũ,& in
nihilũ redigi neceſſe eſt. Alios aliô trahit formi-
do, aliô alios libido, ambitio, auaritia. Si quid
etiã in eiuſmodi populo boni ſit, id neq; cũ alijs
communicãt, neq; citra moleſtiã & tædium ipſi
retinent. *Moleſta*, dicebat Antiſthenes apud Phi-
lonem loco paulò poſt indicando, *Sarcina, vir bo-*
nus. Quàm iis igitur princeps neceſſarius? vt eo-
rum ſcilicet, imprudẽtia, ſtultitia, leuitas, impe-
tus, ſapientis alicuius iudicio regatur, auctoritate
coerceatur, opibus defendatur & adiuuetur? Phi-
D lo eo in libro, quo *omnem probũ liberum eſſe oſtẽdit*,
Queadmodũ, ait, *Capris, bubus, ouibus præſunt caprarij*
bubulci, paſtoreſq; , greges autẽ non poſſunt præeſſe opi-
lionibus : ſic & vulgus pecori non abſimile, opus habet
curatore principe. qui ordo eſt bonorum virorum, ſuis
gregibus præfectorũ. Eandem principis neceſſitatẽ
docet apum etiã exemplo Seneca l.1. de clemẽtia
c.19. Et hiſce verſibus in Antigona Sophocles.

Ἀναρχίας γὰρ μεῖζον οὐκ ἔστι κακόν.
Αὕτη πόλεις τ' ὄλλυσιν, ἥδ' ἀναστάτους
οἴκους τίθησιν.

E *Alterum* è tribus antea propoſitis, eſt *populum*
hunc eſſe *ipſius Domini*, id eſt, oues & gregem
ipſius. prout etiã ait propheta Dauid Pſ. 94. *Ipſe*
eſt Dominus Deus noſter : nos autem populus eius, &
oues paſcuæ eius. Iam verò non ouiũ tantũmodo,
ſed earũ etiam Domini intereſt, vt illis paſtor ne
deſit. Quem enim ex ouibus fructum capiet, niſi
qui eas ducat, paſcat, & cuſtodiat, adſit paſtor?
Quod ex iis lac, quæ vellera, quas carnes exſpe-
ctabit, ſi præda lupis, furibus, & abigeis relin-
quuntur? Si à nemine tondeantur, à nemine ip-
F ſarum ſcabies curetur, ſi fame demum cõfician-
tur? Ita ſanè, quomodo vigebit in Dei populo,
Dei cultus & religio, ſtabit iuſtitia, legumque
ſanctitas, hærebit tot in Ægypto editorum por-
tentorum, totque hactenus acceptorum benefi-
ciorũ memoria, & iuſtiſſima laus ſi princeps illi
populo nullus ſit? Hoc ſcilicet indicant triſtes
illæ toties iteratæ in libro Iudicũ voces. *In diebus*
illis non erat rex in Iſrael, ſed vnuſquiſque quod ſibi
rectum videbatur, hoc faciebat. *Tertium*, quod indi-
cat Moyſes, eſt petere ſe, non quemcunque poſt
ſe populo præfici, ſed eiuſmodi, qui verè *paſtor*
ſit.

Digitized by Google

A ſit. Sunt enim è principibus interdum quidam inertes, mercenarij, ouium contemptores, voratores & Tyranni. At Moyſes paſtorem depoſcit. qui cum & ſolicitudine magna oues Domini ad ſaluberrima ſacræ doctrinæ, vitæque integræ paſcua deducat, iis exemplo & auctoritate præeat, has à luporum aliarumque ferarum feritate defendat, canibus quàm ſagaciſſimis & vigilantiſſimis muniat, à furibus & latronibus tueatur, ſcabioſas ſegreget, ne ſuam cæteris contagione quadam ſcabiem affricent: infirmas curet, in ouilia & caulas tempore oportuno deducat, B valdè omnes & ſingulas diligat & amet. Has enim ob cauſas etiam Gentilis Græcorum Poëta Regem vocare ſolet ποιμένα λαῶν. At libro antea citato *de viri probi libertate* Philo, *hoc*, inquit, *Homericũ nomen bonis viris noluit natura magis competere. Nam Reges* (*ij nimirum, qui præſtantiſſimæ ſuæ dignitatis partes minus obeunt*) *paſcuntur magis quam paſcunt, dediti amoribus, potationibus & cupediis, ne quid dicam de auro argentoque, & aliis rebus precioſioribus, quas expetunt.* Et ad hos tales ſiue ij Eccleſiaſtici, ſiue politici ſint, C pertinet grauiſſima illa Domini apud Ezechielem cap. 34. conqueſtio & comminatio. Nam initio ſtatim *& factum eſt*, ait propheta, *verbum Domini: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipſe ſuper paſtores, requiram gregem meum, de manu eorum, & ceſſare faciam eos, vt vltra non paſcant gregem, nec paſcant amplius paſtores ſemetipſos: & liberabo gregem meum de ore eorum: & non erit vltra eis in eſcam.* fortaſſis verò hac etiam ſimilitudine vſus eſt Moyſes, quia quod apud Ægyptios, e quorum iam ſeruitute liberabantur, contemptui D & probro erat, id ſummo loco habendum doceret. Nam paſtores illi contemnebant, vti dictum Geneſis 46. verſu. 34. adeo vt, quemadmodum apud Ioſephum libro 1. contra Apionem refert Ægyptiorum ipſorum ſcriptor & ſacerdos Manetho, contumeliæ cauſa, Ægyptiaco nomine ὕκσως appellarent Iudæos ipſos, vel eorum principes. Illud enim Ioſepho interprete, valet, vel *captiuos & ſeruos paſtores*, aut certè *Reges paſtorum*. Cæterum eiuſdem ſimilitudinis, quæ facillima & vtiliſſima, creber aliis E in ſcripturæ locis vſus. 3. Regum. vlt. verſu. 17. 2. Paralipom. 18. verſu. 16. Iudith. 11. verſu. 15. Ezechiel. 33. verſ. 5. & 8. Matth. 9. 36. Marc. 6. 34.

Q. VII.
In ſucceſſoris deſignatione Moyſen quomodo imitentur Principes?

CVM *prima*, vti dictum eſt, q. 5. ratio ſupra naturam & extraordinaria ſit, exſpectandum non eſt, vt contenta claraque voce, nominet è cœlo Deus aliquem: ideoque vbi, *ſecunda*, quæ in eligendo poſita eſt, ratio vſitabitur, poterit qui è vita & principatu abiturus eſt, Moyſem tripliciter imitari. *Primo*, ſi egregio quodam amore populum ſibi ſubditum proſequatur: ſicque F Deum ipſum, cuius ille populus eſt, ſeriis crebrò precibus obſecret, vt qualem oportet, talem ſibi ſufficere dignetur: eam ſcilicet iis, penes quos eligendi ius eſt, mentem iniiciendo, vt optimum velint, exquirant, inueniant, eligant. *Deinde*, ſi quoties licet, maximè verò extremo vitæ tempore ad huiuſmodi electionem Electores hortetur: in eorum manu oſtendat populi ſalutem, exitium: roget ne ambitione, odio, gratia, prauoue affectu alio ab recta electionis via deduci ſe patiantur. cogitent quæ à Deo danda ratio ſit, ſi eius ouibus lupum, viris fœminam, populo Tyrannum præficiant. *Tertiò*, ſi ſe poſitis omnibus, quæ huc illuc animos diſtorquent, perturbationibus, naturæq; prauitatibus, ſyncere coram Deo ſentiat, aliquẽ vel aliquos muneri huic gerendo pares, reiq; publicæ vtiles, eos indicando & commendando, niſi ſi forte periculum foret, ne ea indicatione iis aperiretur feneſtra nominationibus, quas caro & ſanguis, non autem recta ratio, publicumq; commodũ ſuggerit: aut verò nimia litium & inuidiarum materia præberetur, quoddamq; veluti contentionis pomum relinqueretur. Vbi verò *tertia* tantum ſucceſſionis ratio, hæreditaria nimirum obtinet, Moyſen quadantenus imitabitur è vita ceſſurus princeps, ſi hanc in curam ſedulò, ſerioq; ſemper incumbat, vt ſui quam optimè à puero educentur ac inſtituãtur liberi, & quidem iis præſertim artibus, quæ imperãti neceſſariæ. Quæ quidẽ ſunt, religio ac Dei cultus, prudentia, tẽperantia, iuſtitia, & fortitudo, & quæ ad has pertinent, animi modeſtia & demiſſio, comitas, & liberalitas, vel magnificentia. Neq; paruũ eandem ad rem momentum habebit, ſi cõſiliarios procuret hæredi optimos, ſi & in vita ſæpe ipſos, & in morte præſertim, officij etiam ſui admoneat, eique ea præcepta det, quæ neceſſaria, vtiliaque maxime iudicauerit: ſi deniq; ita ipſemet viuat ac regat, vt hæredi virtutis ac integritatis hæreditatem, verumq; populi regendi, & gerendorum honorum exemplar, factis ipſis relinquat. Eademq; quodammodo omnia poteſt etiam prior ille, cui non ſtirps & venter, ſed ſuffragia & calculi ſucceſſorem daturi ſunt. Si enim dum rerum potitur ac ſuperſtes eſt ipſe, id agat, vt quàm optima ſit iuuentutis inſtitutio, illiuſq; præſertim, è qua ſucceſſor petendus, fieri vix poterit, quin in tanto bene inſtitutorũ numero vnus quiſpiam loco illo dignus deligatur. Eodemq; modo ſi elaboret, vt ſenatoribus optimis conſilia publica & ciuitates abundent, vt maxima ſit apud omnes & prima cura diuini cultus, & boni publici. Qui hæc viuus agit, ſucceſſorem, Moyſis inſtar, à Deo poſtulat optimum. Sapienter ac verè libro 2. de Moyſe Philo: ἄνευ θείας ἐπιφροσύνης οὐ κατορθοῦται τὰ βασιλέων καὶ ὑπηκόων πράγματα.

Q. VIII.
Quem Moyſi tam ſerio precanti ſucceſſorem nominauit Deus?

IOSVE noſtrum nominauit Dominus. *Tolle*, ait ipſe Moyſi, *Ioſue filium Nun, in quo eſt ſpiritus: & pone manum tuam ſuper eum.* In Hebræo dicitur *Tolle tibi*. & in 70. *ſume ad te ipſum* quaſi beneficium eo ipſi Moyſi præſtaretur, quòd voti compos fieret & à Domino ſucceſſor nominaretur, iſque peridoneus. Nam ille datiuus commodum quandoque ſignificat. Quia tamen, vt ſuprà etiam alibi dictum eſt, idem datiuus pleonaſmum hebraicum ſæpe numerò tantùm efficit, ideo ab interprete iam noſtro præteritus eſt. Et fortaſſis videtur nihil aliud eſſe quam accipere, ſuo lateri adiungere ac educere. Nam infrà verſ. 22. dicitur, Moyſes illum *ſibi iam accepiſſe* vel *tuliſſe*, abſque datiuo illo. Sed conſiderandum, ita ſucceſſorem nominari, vt in ſigni ſimul encomio & laude efficiatur, eaque duplici. *Prior* à ſtirpe, ipſiuſque parente ducitur. de qua cap. 1. ſuprà. Nam profectò, vt apud Horatium ſatyra 6. dicitur.

Quiſquis promittit ciues, vrbem ſibi curæ

Imperium fore, & Italiam & Delubra deorum.
Quo patre ſit natus, num ignota matre inhoneſtus,
Omnes mortales, curare, & quærere cogit.

Sed quia vt ad Piſonem ait alius

——————*perit omnis in illo*
Genus bonos, cuius laus eſt in origine ſola.

& alius ——*Nobilitas ſola eſt, atque vnica virtus.*

Ideo Ioſuæ poſterior laus, & maior, & magis obſeruanda eſt, in *eo* ſcilicet *eſſe ſpiritum*. At hunc eſſe admodum multiplicem, ſuprà iam patuit huius ipſius capitis q. 1. Quiſnam igitur iſte in Ioſue *ſpiritus*? Libri quidam Græci, vt ex Origene colligitur hom. 21. in Numeros, & Latini plerique legunt *ſpiritum Dei*. Sed cum & iſte, vt indidem patet, multiplex ſit, quis in eodem Ioſue *Dei ſpiritus*? Definiunt aliqui tripliciter. Primò, vt ſit *ſpiritus bonus*, quo hominis animus Deo ad omnia propter ipſum ſubditus, eiuſdemque legem relatus efficitur. Et ſanè valdè is Domino conſentaneus, & neceſſarius ſpiritus eſt. Quibuſdam eſt *ſpiritus fortitudinis*, quo redditur quiſpiã contra pericula & aduerſa omnia, quantumuis magna & difficilia fortis, conſtans, infractus. Et principem talem inprimis eſſe nonne oportet? Tertiò, Chaldæus paraphraſtes *ſpiritum prophetiæ* dixit, idque valdè approbat Abulenſis poſt. quæſt. 41. *Iſte ſpiritus*, ait, *nimis erat conueniens principi tanti populi, & potiſſimè bellaturo contra tantam hoſtium multitudinem. Nam in quibuſdam ad proſperè agendum neſciret modum, niſi Deus diceret. maximè quia Iudæi erant valdè ſcrupuloſi, & dubitabant de ſingulis, niſi cum à Deo certificarentur, ſicut ait Apoſtolus 1. Corinth. 1. ſcilicet Iudæi ſigna petunt: Græci verò ſapientiam. Et verum eſt, quod Ioſue habuit iſtum ſpiritum. Nam ſæpiſſimè ei Deus locutus eſt poſt mortem Moyſi, vt patet in proceſſu libri ſui.* Et poſt ſuperiores duos enumeratos ſpiritus, rurſum concludit *propheticum ſpiritum* principi ad multitudinem tantam regendam magis neceſſarium. *Et hoc*, ait, *apparet in 70. ſenioribus, qui dati ſunt Moyſi in coadiutores. Nam immediatè prophetare inceperunt, & nunquam ceſſauerunt, vt videtur ſuprà* cap. 11. Maſius præfatione ſecunda. Spiritum dicere videtur *animi induſtriam*, perſpicacitatem, prudentiam, ſicut Malach. 2. verſu. 15. Caietanus ſpiritum vocat *ſtudium ad ſpiritualia*, ad ea inquam, quæ Dei ſunt, præferenda omnibus, quæ carnis, & quæ mundi ſunt. *Exiſtimo* equidẽ *omnes iſtos ſpiritus in Ioſue fuiſſe. Sed non eos ſolos, vel eorum aliquem vocabulo illo definitè ſignificatum: ſed* generatim ſignificari *omnem ſpiritum, qui principem, paſtoremque* talem, qualem petierat Moyſes, *conſtitueret*: vt ante populum exire & introire religioſe ac ſapienter, ipſum inducere ac educere iuſtè ac fortiter, magna à Dei gloria, magno cum populi emolumento, magno ſuorum fructu & promerito poſſet: S. Ephrem lib. de virtutibus c. 2. t. 2. f. 42. IESVS *Naue filius perfecta ſua obedientia, tantum donum promeruit, vt Moyſis ſucceſſor fieret.* Ideoque pulcherrimus in Ioſue iſto veri illius noſtri Ioſue typus eſt: In quo Iſaias primò generatim ait *requieſcere ſpiritum domini*, deinde hunc ipſum in ſex ſpeciales, tribuit, ſpiritum ſapientiæ, ac intellectus, ſpiritum conſilij ac fortitudinis, ſpiritum ſciẽntiæ ac pietatis. Nam qui addi ſolet *ſpiritus timoris Domini*, vnus & idem is eſt cum *ſpiritu pietatis*, prout eo loco monſtratum eſt. Hos igitur omnes, iiſque plures alios alibi à ſcriptura traditos, quorum tamen omnium multitudo & vniuerſitas vno ſeptenario numero comprehendi ſolet, in Ioſue fuiſſe, tradit Hebræus, & correctus Latinus, cum vniuerſè ait in Ioſue *ſpiritum* ineſſe. aut ſi definitè vnus aliquis accipi debet, is intelligeretur omnium præſtantiſſimus. Nam quemadmodum κατ' ἐξοχὴν *poëta* Virgilium, *Orator* Ciceronem, *Apoſtolus* D. Paulum: ita & *ſpiritus* eum, qui omnium excellentiſſimus. ſed ille quis? Longa foret diſputatio, ſi ſpirituum ſingulorum, diuinorumque munerum iſtorum inſtituenda eſſet contentio, vnuſque alteri, imo vnus omnibus anteponendus. Hic mei ſimilis dicat Palæmon.

Non noſtrum inter vos tantas componere lites.

Ideoque ipſummet verum Spiritum & donorum iſtorum omnium auctorem & donatorem ſpiritum ſanctum accipiamus. quo completus Ioſue, ſimul & omnibus his eius donis plenus refertuſque fuit. O virum magnum cuius in laude vel hoc vnum inuenitur, *in quo eſt ſpiritus*. Si in eo ſpiritus eſt, ſpiritualis eſt. Si ſpiritualis, non carnalis. Si non carnalis. non facit *opera carnis*, quæ Galat. 5. verſu. 20. *Sunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inuidiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia.* Si in eo ſpiritus eſt, *ſpiritu vtique viuit*, mouetur, ambulat, ducitur, *iudicat omnia, à nemine autem iudicatur*. Si in eo ſpiritus eſt, iucundiſſimos ipſius *ſpiritus fructus decerpit, qui ſunt, charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, conſtantia, caſtitas.* Si in eo ſpiritus eſt, in eo gratiarũ omnium fons & origo, diuinorum munerum omnium encyclopædia pulcerrimarum virtutum omnium mundus, certiſſima, iucundiſſimaque cœleſtium bonorum teſſera.

Q. IX. *Nominatio diuinitus ſucceſſore, an doluit vel gauiſus eſt Moyſes?*

SI, vt nugabantur ſuprà q. 3. Iudæi, pro filiis prehenſaſſet Moyſes, iis à Deo iam præteritis non potuiſſet non dolere. At verò, quia purè putè idoneum hominem, quemcunque illum voluiſſet Deus, petiit, totamque hanc electionem verè ac ſimpliciter in illius, vti par erat, arbitrio poſuit, ideo gaudet potius & exultat quia voti ſui compos factus eſt: quia priorem, quam de Ioſue habuerat hactenus ſententiam, iteratò confirmatam vidit: denique quia principatu ipſo digniſſimum, populoq; maximè ſalutarem ſciebat. Hoc verò alterum profert Philo libro de charitate argumentum eximiæ, qua populum ſuum Moyſes proſequitur, charitatis. *Poſtquam* ait, *optimus eius diſcipulus imitatorque* IESVS *propter mores amabiles princeps à Deo confirmatus fuit, Moyſes haud quaquam triſtis ob fratrem filioſque præteritos, ſed plenus inenarrabili gaudio, quòd proſpectum eſſet genti de rectore modis omnibus incomparabili (id enim indubitatum erat de eo, qui Deo placuerat) apprehenſa eius dextra produxit eum ad concionem, nihil de imminente obitu ſuo ſolicitus. Sed ad familiarem ſibi hilaritatem accedente recenti lætitia, alacriter affatus eſt populum*: Sanctus Dionyſius Areopagita epiſtola ad Demophilum. Moſes ὑπερεῖχε μὲν ἁπάσης φιλοτιμίας καὶ φιλαρχίας, καὶ παρεχώρει τῷ θεοκρίτῳ διὰ τοῦ λαοῦ προστατεῖν. Superior erat omni ambitione & principatus cupiditate. con-

ceſſitque

ceſſitque ei, quem iudicaſſet Deus, populi præfecturam.

Q. X. *Ad ſucceſſoris nominationem, quid adiunxit Dominus?*

Plvs ſemper dat effuſa Dei bonitas quam rogetur. Succeſſorem à Deo renunciari petiit ſolummodo Moyſes: & Dominus non illum ſolummodo renunciauit: ſed modum etiam, quo principatu illo inaugurari deberet, adiunxit. Modus verò hic è trium ferè hominum *actionibus* percipitur, *Moyſis* nimirum, *Ioſuæ*, & *Eleazari* pontificis. *Moyſis* actiones vel circa populum verſantur, vel circà ipſum deſignatum principem. *Illæ* fuerunt, vt populum totum ad comitium vocaret, præſertim verò ad ipſum, qui ſemel ac iterum hic nominatur, pontificem Eleazarum. Licet enim diſertè id non mandetur, ex ipſo tamen contextu ſatis colligitur. *Hæ* verò ſunt tres vel quatuor. 1. vt deſignato Principi manus imponat. 2. vt eum ante Pontificem, & populum ſtatuat. 3. vt in omnium conſpectu, ei præcipiat 4. vt ei de gloria ſua det. de quorũ ſingulis deinceps aliquid. & de hoc etiam earum numero infrà quæſt. 18.

Q. XI. *Manus impoſitio quotuplex, & quanam hic?*

Varia in ſcripturis eſt *manuum impoſitio* quę à Græcis dicitur χειροθεσία. Nam & Deus manus interdum dicitur imponere vt 4. Regum. 3. verſu. 15. & imponunt homines. iique vel ſuper animantium brutarum capita, vituli, arietis aut hirci, vt in ſacrificiorum ritibus explicatur Exod. 29. 15. Leuit. 1. 4. cap. 3. verſ. 2. & 8. ca. 4. verſ. 4. & 15. cap. 8. verſ. 14. ca. 16. 2. Paralipom. 29. verſ. 23. vel ſuper homines. & quidem vel ſuper ſeipſos, vt doloris cauſâ. Thamar 2. Reg. 13. verſu. 19. ſilentij cauſa alius Eccleſiaſt. 5. verſu. 14. vel ſuper alios. Et in noſtro quidem *textu imponere manus* ſemel ſignificat, violentas alicui manus iniicere, 4. Regum 11. verſu. 16. ſemel etiam morienti alicui oculos claudere Geneſ. 46. verſ. 4. alibi verò ſemper inſigni aliquem bono aliquo afficere & exornare. Sed hoc rurſum admodum multiplex. Nam *primò dum bene* liberis aut nepotibus *precarentur* veteres, manus iis imponere ſolebant Geneſ. 48. verſ. 14. & 17. idemque hodie adhuc factitantes Iudæos video, dum benedictionem ab iis petunt filioli, aut filiolæ. poſitis enim ambabus ſuper illorum capita manibus, filiolo quidem aiunt: *Ponat te Deus ſicuti Ephraim & Manaſſen:* filiolæ verò: *Ponat te Deus ſicuti Saram & Rebeccam*, prout etiam in fine libelli *ſchemoth debarim* notauit R. Elias Leui. Atque huc referri poteſt ea manus impoſitio, qua bene paruulis precatus eſt Deus Matth. 19. quæque cum exorciſmis adhibetur baptizandis, de qua Dionyſius Areopagita Eccleſ. Hieronym. Conc. 4. Carth. canone 85, Cyprianus in actis Concilij Carth. D. Auguſtin. libr. de peccatorum meritis cap. 26. Bellarm. libr. 1. de ſacro baptiſmo cap. 26. *Deinde* manus etiam imponendo, edendorum miraculorum poteſtate clari homines, varias corporum *ægritudines depulerunt*, vt 4. Reg. 4. verſu. 34. Eliſæus. & in nouo teſtamento quam creberrimè Christvs Dominus & Apoſtoli. Matth. 9. 18. capit. 19. 13. & 15. Marc. 5. verſ. 23. cap. 6. verſu. 5. cap. 7. 32. cap. 8. 23. & 25. cap. 10. verſ. 16. verſ. 18. Luc. 4. verſ. 40. Act. 9. verſ. 12. & 17. cap. 28. verſ. 8. *Tertiò*, vt ſacræ *confirmationis* ſacramentum daretur manuum fiebat impoſitio. Act. 8. verſ. 12. & 17. cap. 19. verſu. 6. adeo vt confirmationem ipſam appellarint veterum nonnulli, *manuum impoſitionem* D. Auguſtin. tract. 6. in Canon. Ioh. & l. 15. Trinit. cap. 26. D. Hieronymus contra Lucifer. Emiſſenus ſerm. pent. D. Cyprianus epiſt. 73. Pontifices etiam vetuſtiſſimi & ſãctiſſimi; Fabianus in epiſt. Vrbanus in epiſt. Euſeb. in epiſt. 3. Melchiades in epiſt. 6. Leo epiſt. 88. Et Concilia, Elibertinum can. 77. Pariſienſe. can. 45. Arelatenſe. 1. can. 8. & 2. can. 17. Meldenſe de conſec. d. 5. can. *Epiſcopum*. *Quartò* alia quædam in Chriſtiana etiam Eccleſia cernitur manuum impoſitio, dum à ſacerdotibus ſuper iis, quos præteritæ vitæ pœnitet, preces concipiuntur, ipſique abſoluuntur. de qua D. Auguſtinus lib. 3. de baptiſmo, c. 16. & lib. 5. c. 20. & 23. Concil. Carthag. 4. can. 78. & 80. prout oſtendit lib. 2. de confirmatione c. 7. Bellarminus. *Quinta* alia item manuum impoſitio eſt in ſacra ordinatione vel diaconorum Act. 6. verſ. 6. vel Sacerdotum & Epiſcoporum Act. 13. verſ. 3. 1. Timoth. 4. verſ. 14. & cap. 5. verſ. 22. & à Græcis ea χειροτονία dicitur. de qua in Bellarmino lib. 1. de ſacr. ordinis c. 9. plura. *Sextò* demum in principis inauguratione adhibita eſt hoc ipſo loco Num. 27. eadem manum cæremonia: & fortaſſe huc referri poteſt, illa, *quæ* Iudæorum Rabbini creantur, vt idem R. Elias ſcribit in *Thisbi*, & *Rabbinus* meus prior cap. 21.

Q. XII. *Vbi, & quomodo manuum hæc facta impoſitio?*

Svpra caput manum impoſuiſſe Moyſen nihil ambigo. Etſi enim non exprimitur, ex omnibus tamen aliis, quibus bonum aliquod confertur, cæremoniis coniici hoc poteſt. In omnibus enim capiti imponuntur manus; ideoq; infrà v. 23. vbi Hebraicè tantummodo legitur, *poſuit manus ſuper eum*, clarè dixit noſter Interpres *impoſuiſſe Moyſen manus capiti Ioſuæ*. Modus verò fuit, vt ambæ manus coniunctæ eſſent, prout & modorum aliorum conſuetudo, & Hebræum verbum importat סמך. Alii coniunctionẽ iſtam ad caput referunt, vt Oleaſter nimirũ vt capiti iungerentur manus. Vtraq; tamen manuum inter ſe & ipſarum ad caput coniũctio ſumi poteſt fieri enim aliâs poteſt, vt vna poſt alteram, manus imponatur, vel ambæ quidem & iunctæ, ſed ita vt ſublimes in aere contineãtur ſupra caput; non ſuper capite, ſi eum Valla diſtinguere hæc libeat. Nunc verò ambæ extentæ manus capitis verticem attingunt, & in eo quaſi requieſcunt. An verò flexis tum genibus eſſe ipſum oportuerit Ioſue, vel ſteterit ipſe quidem, ſed caput admodum demittens, nihil affirmo. Alterutro tamen modo ſummam præ ſe modeſtiam ac religionem tulit. In cap. 4. *helácah ſanedrin* apud Rambam tom. 4. lib. vltimo docetur, debere Iudicum omnium aliquem eſſe: סמוך, ſicuti Moyſes miniſter noſter: סמך Ioſuã. & idem סמך etiam 70. & apparet ſuper eos maieſtas Dei, quæ שכינה vocari aſſolet. & ſic iſti alios סמך vſque dum deſiit סמיכה, id eſt, non amplius impoſuerunt manus ſuper caput, ſed tantùm dixerunt: *Tu es Rabbi* סמוך *ſamuch*. Quin & de eo, qui ipſius Rab, ſeu Doctoris ſocius eſt, dicere etiã ſolent Iudæi לסמך לרבנות vel, dederant Ipſi סמיכה aut סמיכות, vti notat in ſuo *Tſamach* Dauid de Pomaria. pag. 152. & Elias in *Thisbi* in

Digitized by Google

voce *chabor*. qui etiam in voce *ſamach* docet cæ- A
remoniam hanc ab Moyſis exemplo iſto du-
ctam, prout aut etiam R. Abraham Zacuth f.
60. & *Rabbinus* meus prior c.21. vbi & de verbis
quæ ſimul ex ſolenni addebantur formula, no-
tatum.

Q. XIII. *Quo effectu eadem manuum facta impoſitio?*

Si hunc tantummodo Numerorum 27. lo-
cum inſpiciamus, nihil amplius eſſe putabimus
quam ritum & cæremoniam aliquam, qua ex-
teriùs declaretur populi gubernator & Prin-
ceps. quaſi ius ei & poteſtas tribuatur populum
ſub manu ſua habendi regendique: aut ſi maius B
quidpiam putemus, erit bonæ fauſtæque preca-
tionis cæremonia. cuiuſmodi aliæ illæ manuum
impoſitiones. de quibus ſuprà 9. 10. & tum
quæri poteſt: ea benedictione ſitne ipſi à Deo
impetratum quidpiam? & quidnam illud? Rur-
ſum, an vt Geneſ. 48. prophetiam aliquam fa-
ctam id habuerit? At ſi Deuteronomij caput vl-
timum verſ. 9. adeamus, maius quiddam quam
videatur, actione illa profectum apparebit. Ita
enim legitur. *Ioſue filius Nun, repletus eſt ſpiritu*
ſapientiæ. Quia Moyſes poſuit ſuper eum manus ſuas. C
& Hebraicè ſenſu prorſus eodem: *Ioſue filium*
Nun impleuit ſpiritus ſapientiæ, quia, &c. Nonne
hiſce verbis clarè ſignificatur, impoſitionem il-
lam manuum cauſam fuiſſe, cur ſapientiæ ſpi-
ritu impleretur Ioſue? Negat tamen eo loco
Abulenſis, duas ob cauſas: Vnam. quia *volun-*
tas Dei cauſa fuit, vt ſapientiâ ille impleretur: Al-
teram, *quia ante illam manuum impoſitionem, iam*
inerat in Ioſue ſapientiæ ſpiritus, vt patet ex verbis
illis, *in quo ſpiritus eſt*. de quibus antea quæſt. 7.
ſed nihil magnoperè conficiunt rationes hæ. D
Prior enim argumentatur ab affirmatione cau-
ſæ generalis & principalis ad particularis & ſe-
cundariæ vel inſtrumentalis negationem. Quis
enim vel in Phyſicis vel in Ethicis ferat ita ra-
tiocinantem: Dei Voluntas mundum illuminat,
non igitur Sol. Dei voluntas gratiam dat. Ergo
non baptiſmus, non Euchariſtia, non id genus
alia. *Poſterior* verò tantummodo concludit ſpiri-
tu ante impoſitas manus vacuum non fuiſſe Io-
ſue: ſed ſpiritu etiam poſtea donatum & au-
ctum non fuiſſe haud probat. Non enim ſi qui E
ad Euchariſtiam gratiâ Dei ornatus accedit, gra-
tiam ideo nullam accipit. Antequam impone-
rentur Timotheo manus, iam gratiâ non vulga-
ri præſtabat, vbi tamen manus impoſitæ ſunt,
vberior data. 2. Timoth. cap. 1. & hoc ipſum
tandem fatetur ipſe Abulenſis, cum ſubdit: *Po-*
tuit illa gratia data ante, per manuum impoſitionem,
augmentari, quemadmodum in recipientibus ſacra-
mentum, gratia præexiſtens recipit augmentum. & in
Ioſue cap. 1. quæſt. 4. non vult quidem eo tem-
pore quo manum impoſuit Moyſes, comple- F
tum ſapientiæ ſpiritu Ioſue fuiſſe, cauſam ta-
men, cur, illo mortuo, completus fuerit in il-
lam refert. Sanè verò clarè demonſtrat textus,
auctiorem ei ſpiritum datum, cum in Hebræo,
ait. *Et impleuit eum ſpiritus ſapientiæ.* Antea ſcili-
cet in eo erat ſpiritus: ſed eum nunc implet. Ita
igitur exiſtimo: *fuiſſe manuum impoſitionem ſpiri-*
tus iſtius cauſam, non quidem phyſicam ſed moralem,
& per modum impetrationis, vt bene ſcilicet
precanti Moyſi annuerit Deus, ſapientiamque
in Ioſue auxerit. idque docet S. Auguſtinus Nu-
mer. quæſt. 54. Quanquam verò de ſapientia
ſola mentionem facit ſcriptura, parem tamen
ſpirituum aliorum, de quibus quæſt. 7. puto ra-
tionem. Aut certè ſola hæc iam magis increuit,
quia in principe requiritur omnium maximè.
ideoque & à Salomone ſola olim petita. 3. Reg.
2. & eadem à Deo ille admodum amplificatus:
aliiſque ſimul dotibus exornatus. Et hic rurſum
figura quædam eius quod Lucæ 3. verſ. 53. ſcrip-
tum eſt. Iesvs, *proficiebat ſapientia & ætate, &*
gratia apud Deum & homines. Addit loco citato S.
Auguſtinus. *Iuſſus eſt Moyſes manus imponere, ne*
quiſquam homo qualibet præpollens gratia Sacramen-
tum Conſecrationis audeat recuſare. Lutheranus
Chytræus in iſtud caput 27. fol. 534. *Omnibus*,
ait, *ſanctis, impoſitione manuum, & aliis ritibus, or-*
dinatio miniſtrorum Eccleſiaſticorum facta eſt. & in
cap. 29. Exod. fol. 39. ait, *ritum haud dubiè à pri-*
mis patribus acceptum, qui ſignificat rem Deo placen-
tem, benedictam & deſtinatam ad officia diuina, ſeu
cultus diuinos. & tamen poſtea ibidem toties re-
petit, *non eſſe neceſſariam manuum impoſitionem*
iſtam, non ad eſſentiam ordinationis ſpectare, ſed ſe-
cundum formulam Lutheri, *eſſe Piam & Grauem*
quam ait, *optandum eſſet in omnibus emendatis Ec-*
cleſiis diligentiſſimè retineri.

Q. XIV. *An ſtatim cum impoſitione manuũ repletus fuerit ſpiritu iſto Ioſue?*

Hebræorvm Rabbini exiſtimant Ioſue
non niſi poſt triceſimum à Moyſis morte diem
ſpiritu iſto completum fuiſſe: iiſque aſſentitur
Abulenſis in Ioſue cap. 1. quæſt. 4. hiſce verbis:
Iſta impletio ſapientiæ poſt mortem Moyſi & comple-
tionem planctus propriè fuiſſe dicitur, vt patet Deute-
ronom. 34. cum dicitur, fleueruntque filij Iſrael eum.
30. diebus in campeſtribus Moab, & completi ſunt dies
planctus lugentium Moyſen. Ioſue verò filius Nun re-
pletus fuit ſpiritu ſapientiæ, ergo videtur quod prius
completi ſunt 30. dies planctus ſuper Moyſen, quam Io-
ſue impleretur ſapientia. Et quoniam forte reſponde-
bitur, quòd iſta completio non inducet hoc: ſed ſolum
quod non receſſerunt Iſraelitæ de loco planctus, quouſ-
que finiti fuerunt 3. dies. Dicendum eſt, non poſſe ſta-
re. Nam ad hoc ſufficiebat, quod dicebatur in litera.
ſ. fleueruntque eum filij Iſrael in campeſtribus Moab
30. diebus. ergo non receſſerunt de campeſtribus quouſ-
que expleti fuerunt 30. dies: nec oportebat addi, &
completi ſunt dies lugentium Moyſen: niſi aliquod al-
terum ſit, ad quod referatur. & neceſſario debet referri
ad immediata. Ergo cum ſequatur ibi. Ioſue verò filius
Nun repletus fuit ſpiritu ſapientiæ, dicẽdum erit, quòd
ſit ſenſus: quod poſtquam completi ſunt dies lugentium
Moyſen, Ioſue filius Nun repletus fuit ſpiritu ſapien-
tiæ. & tunc non potuit hoc eſſe: niſi in apparitione Dei:
& confortatione. de qua dicitur capite 1. Sed in eiuſ-
dem capitis explicatione ſtatim ſub initium iſta
negat Maſius. *Cæterum*, ait, *quanto temporis inter-*
uallo, poſt Moyſis obitum, quæ hic narrantur, acci-
derint, nulla ſatis certa iniri poſſe ratio videtur.
Thalmudici quidem, qui ſumunt, neq; luctu, ne-
que alia vehementiore perturbatione occupa-
tum hominis animum, prophetico ſpiritu vn-
quam afflari, definiunt hoc ſpacium diebus tri-
ginta: quot ſcilicet Moyſis funus fleuerunt Iſ-
raelitæ. Quia enim poſt luctus illius narratio-
nem, continuò memoratur, Ioſuam plenum
fuiſſe ſpiritu prudentiæ, exiſtimant illi, mox poſt
eos parentales dies, Deum hæc ad iſtum verba
feciſſe. & hunc fuiſſe diem ſeptimum menſis
Niſan,

Digitized by Google

Niſan, cùm poſt triduum ipſe eſſet populum tranſportaturus in Chananæam. Sed quod illi ſumunt, ego certè non facile ipſis conceſſero. Poteſt enim Deus quaſuis nebulas ab eo animo diſcutere, quem diuino ſuo ſpiritu vult informare, atque illuſtrare. Ad hoc, prudentiæ illo ſpiritu, cuius in Deuteronomio eſt mentio, non tandem poſt triginta dierum luctum, ſed ſimul cum impoſita Moyſis manu afflatus atque imbutus *fuiſſe videtur Ioſua. Veroſimilius ergo eſſe puto, ſimulatque Moyſes è vita diſceſſiſſet, memorem Ioſuam verborum Dei, quæ nuper ad ipſum de nube, in tabernaculo ſacro fecerat; & ſimul ſpiritus illius cæleſtis pulſu percitum, quem Moyſis manu initiato collatum diximus; ilico, die, nocte, toto animo, in cogitationem adminiſtrationis maximi illius, atque difficillimi imperij incubuiſſe.*

Q. XV. *An à Moyſe quà politicus princeps, an quà Eccleſiaſticus aut Propheta, manuum tamen impoſitio facta?*

Satis ex dictis in Exodo conſtat, triplicem in vno Moyſe perſonam fuiſſe, *principis*, videlicet *politici*, principis, *Eccleſiaſtici*, ſiue Sacerdotis, & *Prophetæ*, prout tribus de Moyſe libris à Philone traditum. Nunc verò manus Ioſuæ cum imponere debuit, quamnam ex iſtis perſonam geſſit? potuit enim & vt pius *princeps*, & deceſſor bene ſucceſſori precari, & vt *Sacerdos* ſolemnem quaſi precem concipere, iſtamque veluti ſacram Deo ipſi hoſtiam, in ipſius ſcilicet obſequium, religionis, legiſque columen, populi ſtabilimentum, & vtilitatem offerre potuit & tanquam *Propheta* quiſpiam à Deo monitus ac incitatus, prout alij poſtea quidam quoſdam vnxerunt, & inaugurarunt. Mihi tamen magis arridet, vt *tanquam Sacerdos, & Pontifex*, licet extraordinarius idipſum egerit. Ea enim precatio publica & ſolennis cum eſſet, ſacerdotem magis decebat, & eo modo erat quadantenus dignior, Deoque gratior. quia ſcilicet à munere ac poteſtate digniore, quæ ad Deum accedit propiùs, exiſtebat. Sed occurres, debuiſſe tum hanc impoſitionem non à Moyſe, ſed ab Eleazaro fieri, quia & pontifex erat ordinarius, & præſens tum aderat. Potuiſſet ſanè ab ipſo fieri, & factum fuiſſet, niſi vltimus hic veluti Moyſis actus fuiſſet, in quo decuit vt deceſſurus ſucceſſuro, herus miniſtro, Magiſter diſcipulo, & quaſi pater chariſſimo filio fauſtiſſima & optima quæque optaret, à Deoque precaretur.

Q. XVI. *Quomodo ante Pontificem & populum ſtatutus Ioſue?*

Posteaqvam imponi manus iuſſerat Dominus, ſubdit in Hebræo verſ. 18. *Et ſtare ipſum* (Ioſue) *facies, ante Eleazarum Sacerdotem, & ante vniuerſum cœtum*, ſiue *ante totam ſynagogam Iſraelis.* Modum verò, quo eum ſtare fecit Moyſes, explicat libr. antea citato de charitate Philo. *Moyſes enim apprehenſa Ioſuæ dextera, produxit eum ad concionem, nihil de imminente obitu ſuo ſolicitus: ſed ad familiarem ſibi hilaritatem accedenti recenti lætitia, alacriter affatus eſt populum his verbis. Mihi iam inſtat tempus diſcedendi ex hac vita corporea. ſuccedet autem in meam curam hic electus à Deo, ſimulque protulit oraculum* (de quo quæſt. 7.) *cui mox creditum eſt.* Et fuit ante omnium oculos ita conſtitutus, vt ab omnibus verè princeps cognoſceretur, approbaretur, ſuſciperetur. Ideoque ſub capitis finem dicunt 70. Ioſue à Moyſe commendatum. Cùm verò eſſent Iudæi omnes in comitio illo congregati, vnus tamen præ

Ioſue.

A omnibus, & ſolus nominatur Eleazarus: vt Pontificis dignitas oſtenderetur, & in principum electione ac approbatione, auctoritas veluti apprimè neceſſaria commendaretur.

Q. XVII. *Vtra prius facta, manuum impoſitio vel hæc ante omnes ſtatutio?*

Prius recenſetur manuum impoſitio verſ. 18. quam hæc ante Pontificem & populum totum ſtatutio. ſed è contrario infrà verſ. 22. & 23. prius ante hos conſtituitur, deinde eius capiti manus imponuntur. Et omnino videtur ordo hic ſeruatus. Maximè ſiquidem ad Ioſuæ principatum populo non declarandum tantummo-B do, & perſuadendum, ſed ad commendandum etiam, & reuerentia, veneratioque magna inſigniendum valebat hæc in omnium oculis adhibita cæremonia. Quis enim eum non coleret ac veneraretur principem, cui tantus, tamque Deo gratus vir, tam inſigni cæremonia felicia omnia precatus eſſet? quem ipſe Iudaicorum Sacerdotum & Pontificum omnium primus, & quidem alio iam ſuperſtite munuſque illud obeunte, functionem tamen adhuc extraordinariam retinens, Deo opt. max. commendaſſet, C quaſique hoſtiam aliquam, cui, vt ſuprà dictum, imponi manus ſolebant, obtuliſſet, eiuſque planè cultu & obſequio deuouiſſet ac ſacraſſet? Quocirca dicendum, fuiſſe antea verſ. 18. & 19. præſcriptum tantummodo quod facere deberet Moyſes, non quo ordine. ſed eum ab eo retentum & adhibitum ordinem, quem verſus vltimus & penultimus aperuit. eumque profectò valde rationi conſentaneum. Primò enim à Moyſe dextra eius prehenſa in congregatam populi totius concionem adductus eſt: hic ante D Pontificem, in omnium conſpectu, tantiſper conſtitutus eſt, & ab eodem Moyſe laudatus, vt ſuprà quæſt. 14. Tum vel monitus vel ſponte, cum velle Moyſen capiti manus imponere videret, vtrumq; genu demiſſiſſimè flexit, expoſitamq; benedictionem & conſecrationem accepit. Surrexit poſtea, & alia quæ ſequuntur, facta ſunt.

Q. XVIII. *Quid Ioſuæ iam conſecrato præcepit Moyſes? & cur?*

Caietanvs tradit publico præcepto à Moyſe compulſum Ioſue, vt principatum admitteret, ne quis eum forſan vſurpare vel ambi-E te putaret. ſed quod in Hebræo eſt *præcipiendi* verbum, valet mandata quædam, & præceptiones certas dare, aliquemque inſtruere. Ideoque Interpres noſter vertit verſu. 20. *dare præcepta.* Sed mutato verbo rem eandem verſu. 23. expoſuit, per *cuncta replicauit*, id eſt, præcepta ei dedit, prout præceperat Dominus, vbi 70. συνέστησεν αὐτὸν, id eſt, *Moyſes commendauit ipſum Ioſue.* vel, vt verti etiam poſſe indicat S. Auguſtinus, *conſtituit ipſum.* Etſi verò non difficile eſt intelligere, cuiuſmodi præcepta iſta fuerint, eo-F rum tamen aliquem ex Philone loco ſupra indicato, guſtum licet capere. *Ad* Iesvm, inquit, *verſus Moyſes, hortatur vt rem gerat ſtrenuè, vtque bene conſulat Reipubl. ac conſtanter in bene conſultis perſeueret.* *Non conſtat*, ait Oleaſter, *quid ei mandauerat; ſed credendum eſt mandaſſe illi, vt ſemper ſequeretur imperium Domini, & populum in officio contineret:* & id genus alia, quemadmodum homines morituri mandare ſolent filiis & ſucceſſoribus ſuis: vt patet primo Regum primo de Dauide cum moreretur. Atta-

Digitized by Google

men Deuteronom. 3. verſu. 21. loquitur Moyſes. *Ioſuæ quoque in tempore illo præcepi, dicens, Oculi tui viderunt, quæ fecit Dominus Deus veſter duobus his Regibus: Sic facies omnibus regnis, ad quæ tranſiturus es. Ne timeas eos, Dominus enim Deus veſter pugnabit pro vobis.* Et verſu. 28. dicit ipſi Moyſi Dominus: *Præcipe Ioſuæ, & corrobora eum atque conforta: quia ipſe præcedet populum iſtum, & diuidet terram, quam viſurus es.* & c. 1. v. 38. *Ioſue filius Nun miniſter tuus ipſe intrabit pro te. hunc exhortare & robora, & ipſe ſorte terram diuidet Iſraeli.*

Subiungit verò cauſas tres idem Philo, cur præceptionibus iſtiuſmodi voluerit Dominus principis inaugurationem hanc non carere. *Prima*, quia cum ſalutaria id genus præcepta & monita dat futuro nouoque Principi veteranus, eo ipſo ſuum erga Rempublicam amorem egregiè teſtatur. *Altera*, fieri poteſt, vt qui futurus princeps deſignatur, is præ animi ſui modeſtia, onus honoremque illum reſpueret, illique ſe imparem iudicaret. Cum verò ei tam amica & tam vtilis admouetur præceptio, facilior eſt, totumque ſe in Dei & Reipub. poteſtatem dat. *Tertia*, vt poſteris daretur exemplum, quemadmodum eos deceret, vt cum faſcibus & ſceptris, vnà etiam regulas benè ſanctèque viuendi, ac regendi ſucceſſoribus relinquerent. Idque fortaſſis in veteri illo & facto & prouerbio ſignificatum, dum in curſu *lampadem* ſuccedenti alteri tradebant. Quid enim *lampas* iſta, niſi quæ hominis mentem illuminant, vitam principatumque illuſtrant, doctrinæ, monitiones, adhortationeſque optimæ? ſed ſuis loquentem verbis Philonem iterum audiamus. *Quamuis*, ait, *non erat opus hac adhortatione, tamen non potuit ſe continere Moyſes, quin amicum admoneret officij, & tum quoque proferret affectum charitatis erga populum, cui tam diu præfuerat. Nec omnino fuit ſuperuacanea monitio, ne fortaſſe grauaretur ſubire tantum oneris: vtque exemplum atque regula proderetur cæteris, communicandi bona conſilia cum ſuis ſucceſſoribus, & inſtruendi eos præceptis optimis. Poteſt enim boni viri hortatus confirmare labantem animum, & excitare ne terreatur rerum temporumque difficultatibus.* De huiuſmodi verò præceptis egi etiam, & exempla quædam attuli initio commentarij in Tobiæ cap. 4.

Q. XIX. *An de gloria ſua dare ſuccedenti Ioſuæ debuerit Moyſes?*

DISERTÈ affirmat textus debuiſſe. neſcio tamen quid vel Oleaſtro, vel apud ipſum quibuſdam in mentem venerit, vt vertere malint: *dabis de deſcenſu tuo*, vel *de deiectione tua.* Nam 1. Hebræum nomen הוד cum in ſcripturis ſæpe ſit, ſemper ſignificat *gloriam & decorem* vel *potentiam & fortitudinem*, vnde gloria ſolet exiſtere, vt Pſal. 8. v. 2. & 6. Pſal. 95. v. 6. Pſal. 45. v. 4. 44. v. 5. Prouerb. 5. verſu. 9. Pſal. 146. verſu. 12. Iſai. 30. v. 30. Deut. 10. verſu. 8. cap. 11. verſu. 31. Ierem. 22. 19. Hoſ. 14. verſu. 7. Habacuc. 3. verſ. 3. Zach. 10. verſu. 3. 2. ipſi 70. etiam δόξαν hîc verterunt. 3. Ratio ipſius Oleaſtri per infirma eſt, videlicet; ידה valet Ierem. 50. verſu. 14. *proiicere.* Ergo הוד ſignificat deſcenſum & deiectionem. Neque enim à verbo illo nomen iſtud eſt, neque quomodo ſit, fingi poteſt. Sed ab הדה deduxerit Oleaſter. At quomodo eo Ieremiæ loco imperatiuus haberet ידו & non הדו? Citaſ-

A ſet ſaltem potius Iſaiæ cap. 11. verſ. 8. vbi in *teguli cauernam mittit* הדה *manum puer.* ſed poſitum illic ה pro *iod* contendit R. Iuda. & ſi verba iſta duo ſint, eiuſdem ſignificationis eſſe apparet. ideoque cum prius illud non *proiicere* tantùm ſignificet, ſed *confiteri* etiam, *gratias agere*, & *laudare*, idem & de poſteriori erit ſentiẽdum. Quomodo igitur à *deiectione* potius, quam à *confeſſione, laudatione* nomen hoc trahit abſque neceſſitate, abſque cauſa vlla? Explicat verò duplici hoc modo. 1. *dabis de deſcenſu tuo, id eſt, de ſpiritu,*
B *qui deſcendit ſuper te, quando te ducem conſtitui. 2. dabis de deiectione tua, id eſt, de humilitate, quæ virtus Moſeh laudabilem & glorioſum valde reddidit.* Licet verò, quæ dicuntur, vera eſſent, (quod ſequenti quæſtiuncula magis examinabitur) ij tamen ſenſus textui, vti iam oſtenſum, non conueniunt. ideoque multo illud minus verum, quod de priore illo idem aſſerit Oleaſter; *videtur ſenſus germanior.* Duo tamen adhuc hic quærenda. Vnum, *cur noſter Interpres vertat, Dabis partem gloriæ tuæ?* Nam Septuaginta verterunt δώσεις τῆς
C δόξης σου ἐπ' αὐτόν. vel, vt in quibuſdam libris fuiſſe teſtatur S. Auguſtinus quæſt. 55. Numer. & apparet ex origine homil. 22. aliiſque nonnullis Græcis codicibus τὴν δόξαν. Reſpondeo, noſtrum expreſſiſſe quod in Hebræo eſt, *de gloria tua.* Nam de ſuis pecuniis, honoribus, vel rebus quibuſcunque dare, eſt earum partem largiri. Et hoc idem volunt 70. Nam *dabis gloriæ tuæ ſuper ipſum*, id eſt, aliquid gloriæ tuæ, ſiue partem aliquam. Ideoque Procopius, Theodoretus, q. 48. D. Auguſtinus loco citato, ex iiſdem vertunt, *da-*
D *bis de gloria tua*, quaſi fuerit ἀπὸ τῆς δόξης. ſiue, vt dixi, *dabis gloriam tuam*, non totam, ſed quoad aliquid. Alterum. Cum ſub capitis finem repetantur omnia quæ fieri iuſſerit Dominus, eaque à Moyſe effecta tradantur, *hoc vnum cur omiſſum eſt?* An ſatis exprimitur, in eo quod verſ. 22. *Fecit Moyſes, vt præceperat Dominus?* & verſ. 23. *Cuncta replicauit, quæ mandauerat Dominus?* ſiue vt in Hebræo, *Præcepit ei ſecundum quod dixerat Dominus in manu Moyſis?* An quia, non ſtatim hoc factum, ſed vſque ad Moyſis mortem dilatum?
E Videbimus ſeq. quæſt.

Q. XX. *Quomodo Ioſuæ de gloria ſua dare debuit Moyſes?*

DVO hic explicanda. 1. *quid* iſta Moyſis *gloria* ſit. 2. quomodo *de ea* Ioſuæ *dari* debeat. Quoad primum, quadruplex opinio. Nam quibuſdam. *Da de gloria tua*, ſiue *da de laude tua.* idem eſt, atque *lauda.* tuis ipſe verbis commenda. Quod Moyſen feciſſe narrant, vt ſuprà q. 15. notatum; Septuaginta. Sed mirus eſſet hic loquendi modus: neque vlli vel Hebræo, vel Græco, aut Latino explanatori probatus. Et cum 1. Paralip. vltimo dicit Dominus, ſe Salomoni gloriam da-
F turum, nunquid eum ſe laudaturum dicit? Nonnullis accipienda videtur *corporis gloria*, quæ in Moyſe inerat: admirabilis videlicet ille ſplendor, qui eum veluti cornutum efficiebat, prout in Exodo expoſui. Aliis placet *animi gloria.* virtus nimium, & vaticinandi beneque gubernandi chariſma. Et huc pertinere poteſt ille Oleaſtri *deſcenſus & deiectio*, de qua ſuperior. quæſt. Quarti malunt eſſe *gloriam poteſtatis*, & cuiuſdam veluti *exterioris honoris* ac maieſtatis: modeſtæ tamen, & quæ modeſtiſſimũ Principẽ haud dedeceret: eique

eique neceſſariam pareret ac tueretur auctoritatem. ideo Caietanus gloriam interpretatur *inſignia gloriæ*. Primis aſſentiri non queo, propter eas, quas dixi ante, rationes. Secundos verò non ſequor. 1. quia de Ioſue nihil eiuſmodi vnquam proditum. 2. quia quæ Moyſis vultui ſplendorem attulit, cauſa Ioſue defuit, tabularum ſcilicet, quibus leges continerentur allatio, de qua 2. Corinth. 3. Apoſtolus, & iterata cum Deo familiariſſima & longiſſima dierum 40. ſermocinatio. 3. quia dubium eſt, an ad hoc vſque tempus fulgorem illum retinuerit Moyſes, an verò iam pridem deſierit. Denique fulgorem iſtum Ioſuæ largiri quomodo potuiſſet? Nam ipſius faciei & corpori qualitatem quandam fixam & conſtantem indere oportuiſſet. Et hoc eodem vltimo argumenti conuelli etiam cenſet Abulenſis opinionem ſecundam. Virtutis enim & gratiæ alicuius vel habitum, vel actionem in animo efficere quis hominū poſſit? eaque propter non dixiſſet Dominus, *Dabis de gloria tua*. Sed *ego dabo*, prout etiam ſuprà Num. 11. idem Dominus dum ſpiritum electis 70. dare voluit, locutus eſt. At reſponderi duo poſſent, primò Deum ad virtutes & chariſmata iſta efficienda Moyſe vti voluiſſe, tanquā inſtrumento, quemadmodum verbi cauſa, hodie vtitur baptiſatore vel aliquo alio Sacramenti miniſtro ad gratiæ in hominum animis effectionem. Secundò, iſtas virtutes à Moyſe dandas, non efficiendo, ſed proponendo & docendo. quo modo in diſcipulis excitat Magiſter ſcientiam, iiſdemque omne officium, & vitæ integritatem dat. Si enim verè à doctoribus hæc accipere dicuntur diſcipuli, ea his doctores dent neceſſe eſt. Atque iſto modo intelligebat *ſuum* Oleaſter *deſcenſum* & *directionem* à Moyſe dandam. Nam vbi moribus inſtituendis caput hoc 27. applicat. *Nonne*, ait, *tibi videtur Moyſi dicere Dominus, Dic Ioſue vt diſcat à te, quia mitis es, & humilis corde?* Mihi equidem multo magis hic dandi modus arridet, quam ille prior, cum efficientia illa; vtpote, quæ ſuprà naturæ ordinem eſt, ponenda non ſit, niſi ratio quædam certa vrgeat. Hæc vero per doctrinam & cohortationem datio vſitatiſſima. Vnum ei tamen valdè obſtat, quòd idem foret, *Moyſen Ioſuæ præcipere*, & *de gloria ſua dare*. Quod ſi concedatur, minuendus quidem fuerit ille Moyſis actionum quaternarius, de quo q. 9. Sed expeditur facilè, qui ſuperiore quæſtiuncula propoſitus nodus fuerat, *Cur*, inquam, *gloriæ donatio* iſta *cum cæteris Moyſis actionibus iteratò perſcripta non fuiſſet*. Nihil enim neceſſe fuit, quia eadem hæc eſſet *cum præceptione* actio. Quia tamen, poſteaquam Moyſi à Domino mandatum erat, vt Ioſuæ præceptiones daret, tam diſtinctè adiunctum eſt, vt etiam *de gloria ſua* eidem tribueret, patiamur ſanè diſtinctas eſſe actiones, & *quartū gloriæ modum*, qui Abulenſi etiam placuit, *amplectamur*. Nā & plures Moyſi famulos fuiſſe dictum cap. 4. quæſt. 1. & exterioris id genus ſeruitij, & auctoritatis vocat etiam ſcriptura *gloriam*, vt Geneſ. 45. v. 13. *Nunciate patri meo vniuerſam gloriam meam, & cuncta quæ vidiſtis in Aegypto*. Atque id etiam ſignificat, quæ adiungitur dationis huius cauſa, *vt audiat eum omnis ſynagoga Iſrael*. Quoad 2. ſciendum ita de gloria

Ioſue.

A ſua dediſſe Moyſen Ioſuæ, vt neque quidquā ipſe amitteret, neque pauxillū tātummodo quidpiam iſte acciperet. prout lib. 1. notat S. Auguſtinus. *Sic enim*, ait, *accipiendum eſt, ac ſi diceret, facies eum ſocium gloriæ tuæ. Non autem huiuſmodi res, quaſi particulariter diuiſæ minuuntur, ſed totæ ſunt omnibus, totæ ſingulis, quæ earum habeant ſocietatem*, prout de ſpiritus communicatione in Moyſe ac Septuaginta, de quibus ante cap. 7. in doctoribus & diſcipulis rectè notat lib. de gigantibus Philo. Ideoque princeps, quoad viueret, manebat cum dignitate, plurimoque ſeruitio Moyſes:
B eius autem dignitatis & ſeruitij cōſors erat Ioſue: ſiue *partem accipiebat*, id eſt, particeps fiebat: vt iam non tanquam miniſter, prout olim, ſed tanquam dignitate proximus, princeps alter, nouus Moyſes, Moyſi ſemper vel aſtaret vel aſſideret. multa iam reſponſa daret, multa multis cum imperio præciperet, vnâ tantum principatus auctoritate Moyſi ipſi ſemper conſeruatâ. Et ſic in noſtro textu accipienda eſt *gloriæ pars data*: & cogitandum, ideo cum cæte-
C ris, quæ Moyſes egerat, memoratam, ſub capitis extremum, hanc non fuiſſe, quia ea gloriæ cum Ioſue cōmunicatio facta ſemper eſt, quoad in viuis fuit: & illo quidem inaugurationis die inchoata eſt: ſed inchoata tantum, & ſecutis deinceps diebus, ad Moyſis obitum vſque perfecta continuata. Et hoc loco typus quidem illius, quod Ioan. 12. v. 28. *Pater*, aiebat IESVS noſter, *clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cælo, & clarificaui, & iterum glorificabo*. Rectè vero ſuprà citatus Oleaſter, *Diſcant*, ait, *ex hoc loco principes*
D *cum miniſtros & officiales inſtituūt eis de ſua gloria tradere coram omnibus, quibus præficiendi ſunt, ſummè honorare, vt ſubditi videntes, quanti eum faciat ſuperior, eum reuereantur, illique obediant, eumque honorent. Cùm enim Pater* CHRISTVM *doctorem cæliſcum in orbem miſiſſet, audi qualiter eum commendat. Hic (inquit) eſt Filius meus dilectus: in quo mihi benè complacuit, ipſum audite. Sic & ipſe* CHRISTVS *cum Apoſtolos ad prædicandum miſiſſet, dixit: Trado vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes.*

IN Hebræo textu tradi tres videntur. Prima. Q. XXI. *Quot hic traduntur creati principis actiones?*
E *Ante faciem*. Eleazari Sacerdotis ſtabat. Altera: *Et interrogabat eum in iudicio haurim coram Domino.* Tertia. *Ad verbum eius egredietur & ingredietur ipſe*. Antequam quidnam eæ importent quæratur; eſt prior illæ iſtarum binarius diſcutiendus. Nonnullis enim quorum in numero Vatablus in textu & Oleaſter; vnica illa prior actio principi tribuenda videtur, vt nimirum *coram Pontifice ſtet*: poſterior verò ipſi Pontifici, vt *ipſe interroget coram Domino*, non *eum*, ſed *ei* ſcilicet Ioſuæ, id eſt, *pro ipſo*. Et confirmari poteſt. 1. ex
F noſtro textu v. 21. *pro hoc* (Ioſue) *ſi quid agendū erit, Eleazar Sacerdos conſulet Dominum*. 2. qui hic interrogat, interrogat *in iudicio haurim*, & *coram Domino*. Sed ſolis Sacerdotibus ita interrogare licebat, quia ſoli geſtabant haurim Exod. 28. & ſoli ad Dominum, ante arcam ſcilicet accedere poterant. Veriùs tamen, *ambæ iſtæ actiones principis videntur*. Nam 1. qui verbo *ſtabit*, præponitur nominatiuus. idem verbo, *interrogabit*, præponendus ex ratione ipſius coniunctionis, *&*. Deinde 70. ita tradiderunt, dum vertunt, *ἐπερωτήσουσιν αὐτὸν ἱερεῖς, interrogabunt ipſum*, ſcilicet *Sacer-*

Digitized by Google

dotem. Et vertunt pluraliter, *interrogabunt*, vel vt non ſolum principem, ſed populum etiam Sacerdotes interrogaturum oſtenderent, vel vt non hunc ſolum principem Ioſue, ſed & omnes qui principatũ tenerent, idẽ facere poſtea oportere docerent. Tertio, quia poſſunt etiam Laici Dominum in iudicio *haurim* rogare, coramque ipſo ſtare, non per ſe ipſos immediatè, ſed per ipſos Sacerdotes. Quarto, quia qui priorem ſententiam in textu ſuo ſecutus erat Vatablus, poſtea in Commentario ita ſemper explicat, vt principem faciat interrogantem. Nam editione Lutetiana anno 46. *Conſulet*, ait, *Pontificem de rebus agendis tanquam conſcium voluntatis Dei*, &c, *Interrogabit Sacerdotem ſententiam ſuam, quid Dominus velit fieri? vel ſententia Dei illuſtrantis. Nam hic Vrim vel Pontificem vel, Deum ſignificant.* Quin & ille ipſe, qui pontificiæ auctoritati ſemper iniquior eſt; Caluinus, *Hic*, ait, *vna in re ſubiicitur Sacerdoti* (princeps) *vt eum interroget per Vrim & Thummim.* Hoc enim ſymbolo commendata fuit ſacerdotij dignitas, vt Deum princeps conſuleret per os Sacerdotis, qui indutus ſacro Ephod, cuius emblemata erant *Vrim & Thummim*, reſponſa dabat, tanquam Dei ipſius interpres. At prius de noſtro Interprete argumentum dicetur poſtea. Ad ſecundum iam dictum, & iterum poſtea dicendum. Poſſet verò hic etiam agi de ingreſſu & egreſſu, qui ad verbum Pontificis fieri debet: ſed de eo infra commodiùs.

Qvæst. XXII. *Quomodo coram Pontifice ſtare, ipſumque interrogare debuit Ioſue?*

Non huius tantùm temporis, quo princeps crearetur Ioſuæ, actiones iſtæ ſunt; ſed futuri. quas videlicet poſtea, cum principatũ reapſe iam gereret, agere deberet. Nam cum iam ſuprà dictum ſit, ipſum coram Pontifice ſtatutum fuiſſe, quid niſi in futurum iam dicitur, *& ſtabit?* Deinde hoc ipſo creationis tempore, quid erat, quod Pontificem interrogaret? ſed nimirum vt deinceps, cum impoſito fungi munere cœperit, interroget, præſcribitur. Duplex ergo iſte, ante Pontificem, Ioſuæ ſtatus: Vnus quidem, dum ad principatũ euehitur; Alter poſteaquam euectus eſt, duo ſignificat. Vnum oportere meritò eum, qui Dei populo præponendus eſt Dux, Rex, & Imperator, ſiſti ante Pontificem, primò quidem, vt ſuo quaſi diuinitus miſſo ſuffragio illius Principatum & Imperium approbet Sacerdos. Neque enim ad æternã ſummi paſtoris ouium ſalutem parum intereſt, quis & qualis in eas cum Imperio & poteſtate princeps dominetur, an ſcilicet fidei religioniſque ſanæ ſit, an rectè, & ex legibus, non autem tyrannicè recturus illas videatur. Ideoque & Dominus præcipiebat, Deuteronom. 17. v. 15. *Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non ſit frater tuus.* Alij enim è gentibus aliis, vel vera Dei cognitione, legumque ipſius ac cæremoniarum ſanctitate imbuti non erant: vel in Iſraelis ſemen, è quo ipſi non eſſent, minus propenſi, de eoque conſeruando, amplificando, & exornando minus ſoliciti. Deinde, vt eo ipſo ante Sacerdotem ſtatu, Deo faceret honoris quiddam princeps. Dei enim Sacerdotum reuerentia in Deum ipſum redundat. vti c. 4. *Iudith.* quæſt. 2. etiam notaui. *Hac re mandatur, vt Pontificem veneretur Princeps, tanquam ſibi prælatum*, ait Caietanus. Tertiò, vt eodem illo actu, ſe Sacerdotibus quidpiam dicturis & præcepturis morem alacriter expeditéque geſturum cõteſtetur. Vnde & præclara illa, quæ in Chriſtiana Eccleſia viget, conſuetudo, vt ſeſe non Eccleſiaſtici tantum Principes, Epiſcopi, Archiepiſcopi, & Patriarchæ, ſed Politici etiam Principes, Reges, & Imperatores Pontifici, quando per ſeipſos coram nequeunt; ſiſtant per literas & legatos, fidem iis ſuam aperiant, & reuerentiam, obedientiamque polliceantur, prout exemplis ex antiquitate plurimis Baroniani oſtendunt Annales, & hodiernæ Imperatoris, Regumque Franciæ, Hiſpaniarum, Luſitaniæ, Poloniæque ad Pontificem legationes, epiſtolæ, orationes, quas vel Muretus, vel alij ediderunt. & nuper dum Chriſtianiſſimum Francorũ regnum iniret *Henricus* IV. eius apud ſanctã Apoſtolicã ſedem legatus. Videri poteſt contra Machiauellum lib. 1. P. Ribadeneira cap. 7. & 12. *Alterum*, quod ſtatus ille poſterior ſignificat, eſt, vt re iam ipſa præſtetur, quod principatus initio cæptum promiſſumque fuit optime, erga Dei Sacerdotis obſequiũ, obſeruantia, & obedientia. Sed vide in fine cap. 1. Ezech. Pradum pag. 57. & his adde ſi placet, quæ Ioſuanorum Sacerdotum cap. 1. addidi numero 7.. *At coram omni etiam multitudine ſtetit Ioſue; prorſus ſed cauſæ omnino diſpari, prout ipſe textus indicat. Nam de illa dicitur: vt audiat eum* (*Ioſuam*) *omnis ſynagoga filiorum Iſrael. De Sacerdote verò: Ad verbum eius egredietur. Ideo ſtatus coram populo, bis tantum commemoratus. Sed coram Sacerdote, ter vt cum populi erga Principem officium iam explicatum eſſet, Principis etiam erga Pontificẽ obſeruantia denotaretur. Vnde & 70. Interpretes, non niſi ſemel cum de populo agitur, ſtandi verbo vtuntur. idque cum iam clarè diſſimulis coram eo, & coram Sacerdote ſtandi ratio expoſita fuiſſet. Gazæus verò Procopius, Iubet Deus, ait, à populo quidem conſuli principem, ab hoc Sacerdotem, ab hoc denique Deum.* Interrogare verò in iudicio *haurim* coram Domino, eſt vel de iudicio, vel ſecundum iudicium ipſorum *haurim* ſuſcitari, id eſt, vel ſecundum formulã, morem, & ritum ipſorum *haurim* quæ coram Domino adhiberi ſolent: vel interrogare per applicationẽ Pontificij Ephod, aut pectoralis, quod Exod. 28. dicitur pectorale iudicium verſ. 15. & 30. At *haurim* iſta, eorumque iſte mos & iudicium paulò illuſtrãdum magis. Nam quæ olim libello *de Ioſuanis Sacerdotibus* cap. 2. edidi, erant ex hiſce ferè diſputationibus contracta.

Qvæst. XXIII. *Quid, vniuerſè ſaltem & confuſè, erant Haurim?*

Erant *Haurim* in ſacerdotibus veſtibus, aliquid vt patet ex cap. 28. Exod. Erant vero iſtiuſmodi ſacerdotales veſtes variæ. In his vna ex auro, hyacintho, purpura coco bis tincto, & biſſo retorta: Pontificis propria, quæ *Ephod, epomis, ſuperhumerale*, à Ioſepho interdum *diplois*, aut *ſtola hieratica* vocata eſt. In huius interiore parte, ad pectus, dodrantalis lacuna erat, quam ex eadem materiâ, ſed conduplicatâ; quadratum quoddam, quod ſpithamam, ſeu palmum maiorem, aut duodenos digitos longum, & latum fuit; explebat. Viſebantur in eo pretioſiſſimi lapides duodecim, ordine, ſeu verſ. æquali quadruplici, vt in eorum quolibet trias fuerit. ideoque & ſcripſerit in lib. 3. hiſt. proœmio Turonenſis: *In Logio portabat Aaron Trinitatem.*

I S.u dius

1 *Sardius, Topazius, Smaragdus.*
2 *Carbunculus, Sapphirus, Iaſpis.*
3 *Ligyrus, Achates, Amethyſtus.*
4 *Chryſolithus, Onyx, Beryllus.*

In horum verò lapidum ſingulis ſingula filiorum Iacobi, è quibus Hebræorum gentes duodecim; nomina erant inſculpta.

Obſeruandum vero. 1. D. Epiphanium libello de gemmis, hanc pectoralis partem non *quadratam* facere, ſed *quadrangulam*, longiorem ſcilicet, quàm latiorem. Sed infrà maioris huius longitudinis cauſa eripietur. Interim. Cyrillus lib. 11. de adoratione, fol. 27. 9 *Fides*, ait, *ſignum eſt, quòd terni, & tanquàm in Trinitate diſpoſiti ſunt lapides: firmitatis autem, quod ea figura confirmatis autem, quæ quadrata eſſet, & paribus vndique lateribus.*

Deinde, hoſce lapides ab Ioſepho lib. 5. captiuitatis cap. 15. alio interdum ordine numerari ſic.

1 *Sardius, Topazius, Smaragdus,*
2 *Carbunculus, Iaſpis, Sapphirus.*
3 *Achates, Amethyſtus, Ligyrius.*
4 *Onyx, Beryllus, Chryſolithus.*

Sed nominum fortè aliqua tranſpoſitio inibi accidit, ſicuti & apud R. Azariam fit, lib. 3. cap. 49. vbi in ordine tertio primum nomen fit vltimum: in quarto, vltimum fit primum, ſecundum vltimum; tertium, ſecundum. At qui à me paulò ante poſitus eſt ordo, cum Hebraico textu congruit, & cum eodem ipſo etiam Ioſepho lib. 3. Antiquit. cap. 8. vbi non nuda ſolùm nomina recenſet, ſed ſuum ſingulis ordinem, ſæpeque numerum aſcribit. Tantùm enim diſcrepat, quod in ordine primo primum vocet non *Sardium*, vt aliàs, ſed *Sardonyca*: & in ſecundo ſecundum conſtanter *Iaſpidem* faciat, *Sapphirum* tertium. Niſi dicamus eundem lapidem aliter, & aliter ab eo Græcè conuerſum. Nam & de 70. Exod 28. ſi cum Interprete noſtro conſentantur, idem videtur dicendum. Illis enim & ordines, & nomina hæc.

1 *Sardion, Topazion, Smaragdus.*
2 *Carbunculus, Sapphirus, Iaſpis.*
3 *Ligyrion, Achates, Amethyſtus.*
4 *Chryſolithus, Beryllion, Onychion.*

Sic ſanè videmus & in gemmis aliis duabus, quæ in Pontificis humeris anticam epomidis partem cum poſticâ nectebant. Eas noſter Interpres vertit *onychinos lapides*. Ioſephus loco vtroque citato *Sardonychas*, Septuaginta loc. cit. & Philo lib. 2. de monarchia *Smaragdos*.

Tertiò, vult in Iudicum 20. R. D. Kimhi inſcripta etiam fuiſſe nomina *Abraham, Iſaac, Iacob.* Idque ſumpſit Rabbinus hic è ſuo Thalmud, Tractat. *Zoma* cap. 7. fol. 73. b. vbi & alia etiam inſcripta dicuntur verba, nimirum *Schibte Ieſuron*, id eſt, *tribus Recti, dilecti, ſeu Iſraelis*, qui nomine illo afficitur Deuteronomij 32. v. 15. & cap. 33. verſ. 5. & 26. Sed cùm ſcriptura tam ſæpe, tamque perſpicuè XII. filiorum Iſrael nomina inſcribi iubeat, mirū foret, ſi, qui

A inſcribendi tamen fuiſſent; parentes ne ſemel quidem nominaſſet: nunquam neque Abraham neque Iſaac, neque Iacob ſeu Ieſchuronem illa in re monſtraſſet. Poſtremo de gemmis iſtis legi queant S. Chryſoſtomus apud Anaſtaſium Nicænum quæſtione 38. S. Epiphanius libello citato, Dionyſius in Periegeſi, Rueus, lib. de gemmis, & in libello *de Morbinis* cap. 10. Nic. Guibertus Medicus: è Rabbinis verò Rambam lib. de myſteriis gemmarum, Bachaias, Raſchi in Iudic. 18. Rabbi Iſaac Cato, Thargum
B Cantic. 5. & alij, quos laudat in Cōcentu Brughtonus. Quòd ſi vero eſſent hi depingendi ordines, iubet qui in libellum S. Epiphanij notas ſcripſit, primum eſſe purpureum, ſiue rubrum cum nigredine aliqua: alterum hyacinthinum, ſiue ianthinum: tertium puceum, ſiue cocci, id eſt ſcarlati. Quartum, byſſinum, id eſt ſplendidum, auroque ſimilem, ſed dilutiorem.

VOCATVR illud, de quo quæſtione ſuperiore, quadratum Pontificis ornamentum. 1. ab Hebræis *choſen*, à Chaldæis, *choſena*. idque à for- QVÆST. XXIV. *Quomodo id, in quo haurim; vocari ſoleat*
C titudine vel theſauro deductum eſſe ſibi, ait in Exod. 28. Caluinus, *non diſplicere*. Sed cùm fortitudo per עז theſaurus per אוצ ſcribatur, quæ illis cum *choſen* ſimilitudo? 2. à Ioſepho lenitâ, vti ab eo ſæpe fit, duriuſculâ Hebræa voce, & alio forte punctulo, *Eſſen* niſi *Oſſen* ſcriptum extitit. 3. à 70. λόγιον, id eſt *oraculum*. In quibuſdam Græcis exemplaribus, & in D. Hieronymo Iſa. 50. Oſeæ 3. legitur λογεῖον. ſed minus vt videtur, bene, ſi vel aliorum id genus Græcorum analogiam, vel auctorum bonorum vſum ſpectemus. Secundum illum, ipſe potiùs conſulendi
D locus λογεῖον vocandus eſt, vt, μαντεῖον, διδασκαλεῖον, ξενοδοχεῖον, ὀρφανοτροφεῖον, & conſimilia. Secundum hos vero, vt in Sylla Plutarchum, appellantur vates λόγιοι. & apud Heſychium ipſa τὰ μαντεύματα ſunt λόγια. 4. A pectore, cui ſupponitur tam à noſtro interprete, quam ab Hebræis *pectorale* dicitur. 5. Quia λόγος non orationem tātùm, ſed rationem etiam ſignificat, & huius vel ſedes, vel officina, vel initium ſaltem, & origo in pectore ſtatui aſſolet, idcirco *Rationale* vertit in-
E terdum S. Hieronymus. *Rationale*, ait lib. 2. de monarchia Philo *vocatur vero nomine. Quia quicquid cælo continetur, certis eſt rationibus fabrefactum, & ornatum, quæ inter ſe congruunt.* 6. Appellatur etiam quādoque ſynecdochicωs *Ephod*. Quia eius ſcilicet pars, & emblema quoddam eſt. 7. tandem cum adiunctione vocari ſolet *Rationale Iudicij*, Exodi 28. verſ. 15. & 30. *Iudicium filiorum Iſrael* eodem verſ, 30. *Iudicium Vrim* hoc ipſo Num. 27. c. Cauſam dat loco citato Rabbi Dauid, quòd per iſtud indicabantur iudicia
F hominum, qui DEVM quodpiam interrogarent. Rabbi vero Salomon, quod ſuper ſcriptum eſſet *Miſpat*, id eſt, *iudicium*. Sed meliores afferunt cauſas alij. quod ſcilicet DEI de re aliquo iudicium per illud demonſtretur, aut ipſe proprietur. aut contra, quod hominum iudicia, voluntas, deſiderium, & cauſa DEO ipſi proponatur. Hæc enim omnia facit Sacerdos, dum ſacra iſtâ veſte ornatus effata diuina poſcit, accipit, hominibus enunciat, vel eodem ornatu eorum vota offert.

Digitized by Google

Sed & alia cauſa, quæ ſuperiorum quaſi fundamentum, vel auxiliaris eſt; rectè additur, quod ornamento iſto, filiorũ Iſraelis ius, ad ea quę Abrahæ,, Iſaaco, & Iacobo diuinitus facta erant promiſſa, repræſentabatur, vt, eo ſymbolo, iſtorum ſemper memoria renouaretur, tanque apud DEVM, quam homines reuireſceret. Sic enim ille ad beneuolentiam, beneficentiamque, hi ad fidem, ſpem, omnemque religionis ſanctitatem inuitabantur. Addi verò poteſt, reſponſa, quæ per iſtud oraculi genus dabat DEVS, fuiſſe veluti quædam ſapientiſſima iudicia, regulaſque certiſſimas, quas in iudicando & agendo ſecuriſſimè, vtiliſſiméque ſequerentur filij Iſrael. Sed illuſtrabit non parum omnia hæc illuſtris S. Cyrilli libro 11. de adoratione oratio.

Nam eum ita interrogat Palladius: *Quam ob cauſam hoc opiſicium, appellatum eſt Rationale iudiciorum?* Reſpondet ipſe, *Nonne ſuperhumerale item ſuperius appellatum eſſe ex eo, quod ſuper vtrumque humerum induceretur, verbi originem ſpectantes dicebamus?* *Palladius. Ita. Quid tum? Cyrillus. Quia itidem rectè ex vocis origine, ac proportione, quod in corde, & viſceribus repoſitum eſt, rationale iudiciorum appellatum eſſe dicimus, cùm ſedes quodammodo facultatis noſtræ rationalis cor ſit, ac viſcera: inhæret autem propemodum & infixa eſt ſecundum naturam huic rationali facultati etiam illa in quibuſcunque rebus agendis recta, & integra iudicandi facultas, id eſt, iuſtum iudicium, & quod rem quamque decet. An verò facultas rationis, quæ eſt in nobis, non expendit rerum agendarum naturas, & à rebus præferendis parum iucundas, inutileſque ſecernit? Palladius. Sanè verò Cyrillus. Atqui conſueuit Scriptura diuina iudicium appellare vim illam, qua rectè, & iuſtè iudicamus. Itaque Beatus Dauid in Pſalmis ait, Beati qui cuſtodiunt iudicium & faciunt iuſtitiam in omni tempore: Dixit etiam rurſus, Et honor Regis, iudicium diligere: præclara namque Regis gloria eſt, & honos, ſi iuſtitiam diligat. Id igitur ornamentum, quod cordi, & pectori ſuperiectum eſt, rationale vocatur iudicij ob eam cauſam, quòd ibi ſitum eſt, vbi rationis facultas eſt, locus, in quâ facultate rectè, ac iuſtè iudicandi ratio continetur.*

Q.XXV. *Quomodo haurim aliás vocarentur?* ISTO quidem loco Numer. 27. *haurim* vocantur, præpoſito *he*, quod Hebræi *notificatiuum* vocant, vt magis videlicet exprimeretur. & indicaretur iſta interrogandi Dominum ratio; alibi tamen *he* illo detracto *Vrim*. Idque dupliciter. vel enim ſolitariè *Vrim*, vt hic & 1. Regum. 28. vel copulatè, vt alibi ſemper *Vrim, & Thummim* dicuntur. Et prius quidem nomen *illuminationes*, *illuminantes*, aut *lumina* ſignificat, poſteriùs verò *perfectiones*, aut *perficientes*, ſicuti & in Thargũ Chaldaica, *Vraia*, & *Thumaia*: Græca conuerterunt τὰ δῆλα, δήλωσιν, καὶ ἀλήθειαν φωτισμὸς, καὶ τελειόσεις: φωτίζοντας, καὶ τελείους. Noſter interpres *doctrinam*, & *veritatem*, aut quod hiſce inſignibus ornentur, ipſos Sacerdotes, aut, ſimile quidpiam, prout conuenire viſum. Diuus Hieronymus in Oſeæ 3. *Theraphim*, ait, *Septuaginta interpretati ſunt* δήλους, *Aquila* φωτισμὸς, *& hæc ipſa ſunt* ἐν λογίῳ (ſiue λογίῳ) *id eſt, rationali*. Sanè verò narrat libro 14. variæ hiſtoriæ Ælianus, apud Ægyptios antiquitus *Iudices* fuiſſe *Sacerdotes*. & horum principem fuiſſe, qui omnium erat ætate prouectiſſimus, huncque alios omnes iudicaſſe. *Oportebat verò*, vt ipſius iam verba retineam, *ipſum eſſe hominem iuſtiſſimum, nullique omninò parcentem. Habebat verò imaginem circa collum ex Sapphiro lapide & vocabatur imago illa* ἀλήθεια *Veritas*. Æmulati enim ſunt multis in rebus Iudæorũ inſtituta veteres Ægyptij. Et Hierapoli, qui oracula interrogabat, is erat ἀρχιερεὺς, vt ait de Syria dea Lucianus.

QVÆST. XXVI. *Diſtinctius, Vrim & Thummim quid?* QVIDNAM verò iſta, & quomodo in rationali fuerint, quomodo per ea DEVS & rogatus ſit, & reſponderit, ait Diuus Auguſtinus quæſt. 117. Exod. & Cyrillus lib. 11. de adoratione inuentu perdifficile, alij vero etiam, ἀδύνατον. Rabbinus Camius ſummam iſtorum ignorationem apud ſuoſmet Hebræos eſſe fatetur. Nam in radice *Vr*, *Quid*, ait, *ſint Vrim & Thummim, apud nos neſcitur*. Et Raſchi dicit eam ſcripturam fuiſſe *nomen ineffabile: Veruntamen*, inquit, *non eſt huius rei explicata veritas*. Similia R. Alphes, & R. Azarias libro 3. *Imrebinah* cap. 60. fol. 57. b. Noſter Caietanus, *Quid*, ait, *intelligatur nominibus Vrim, & Thummim, nullus, (quantum nouimus) hactenus explicauit.*. Neque tamen deſperatione fractis ab horum inueſtigatione ceſſandum. Ab *Vrim* & *Thummim* illuminantur, & perficiuntur orantes & laborantes.

Ἄπαντα, inquit Alexis, τὰ ζητούμενα ἐξευρίσκεσθαι ἂν μὴ προαποστῇς, μηδὲ τὸν πόνον φύγῃς. *Et res valdè obſcuras vel in ſpeculo videre præſtat, quam nullam prorſus earum intelligentiam capere*, inquit citato de adoratione libro 11. B. Cyrillus. *Duplex* ergo de iis *ſententiarum genus* video. *Prius*, eſſe *ab* enumeratis in pectorali *gemmis diuerſum quid* opinatur. Sed quid. Opinationes multæ. Prima. eſſe duplicem ipſam epomidis texturã, de qua Exod. 28. v. 16. Atque hæc mihi videtur Philonis ſententia lib. 2. de Monarchia. *Rationale*, ait, *geminus textus variat, quorum alter claritas appellatur, alter veritas*. Secunda. eſſe inter duplicem illam texturam laminas quaſdam inſignes, auream vnam, & argenteam alteram. Sed varie. Nam *primò* in his ait R. Salomon fuiſſe inſcriptum DEI nomen ineffabile IEHOVAM. idque amplectitur Vatablus, Eugubinus, & alij. *Secundò*. R. Abraham fuiſſe inſtar Aſtrolabi compoſitum, ita vt vel inde Aſtrolaborum exemplar, & inuentionem acceperint Aſtrologi. *Tertiò*. Hebraica quædam gloſſa apud Abulenſem Exod. 28. poſt quæſt. 12. in his fuiſſe inſcripta XII. tribuum nomina, & cum ſingulis aliquod ſtellæ alicuius, vel ſideris, Angeliue nomen. idque vt, ſiderum, Angelorumue iſtorum vi, memoria XII. illarum tribuum in mente diuina cuſtodiretur. *Quartò*. in iiſdem fuiſſe DEI nomina, quæ partim 72. literarum, partim 30. 28. & 4. Ita R. Abraham francus in R. Abraham Abenezra ſecretorum declaratione. Tertia. eſſe has ipſas voces in pectorale illud infixas, *Vrim*, *Thummim*. Et hoc dicere videtur libro. 3. de vita Moyſis Philo. *Erat*, ait, *rationale quadrangulum duplicatum pro baſi deſtinatum ferendis duabus virtutibus quæ ſunt Reuelatio & veritas, rurſumque poſtea duas*

duas virtutes nominat. Idque placet è Iudæis R. Dauid Kimhi, è Catholicis D. Auguſtino Exod. quæſt. 18. Hugoni Victorino apud Lipomannum in Exod. Radulpho lib. 6. in Leuit. Bellarmino lib. 4. de Pontif. cap. 3. & ex hæreticis ipſi Caluino. Quarta eſſe adamantem, cuius fulgore, colorisque variatione indicarentur, quæ à Deo rogaret quiſpiam. Ita lib. de gemmis S. Epiphanius, Suidas verbo *Ephod*, Anaſtaſius Nicænus quæſt. 38. qui etiam aureæ ſtellulæ comparat. Quinta Caietani, qui conditiones duas eſſe vult induendi pectoralis, vt ſcilicet *abſque rugis*, & *ad totum corpus apte* induatur. Nam in Exod. 28. fol. 266. cùm de his plura notaſſet, addit. *Si hæc iunctum fuerit, quod paſtorale indigebat in ipſo actu quo accommodabatur pectori Pontificis duabus conditionibus: apparebit quod illæ duæ conditiones ſignificatæ ſunt nominibus Vrim & Thummim. Pectorale ſiquidem constructum erat non ex auro, ſed textum ex filis lini ſerici & auri: & ideo ex parte materiæ multas rugas habere poterat, multaſque obliquitates. Nec quatuor eius latera pauillis aureis tendebantur (vt vel ſic euaderet rugas) ſed terminabatur vndique catenis aureis, quæ non ſufficiunt ad tollendum rugas à pectorali. & propterea indigebat pectorale vt ſic accommodaretur pectori ſecundum catenas & laqueos, & extenſionem & directionem, vt & ſecundum omnes ſui partes manifeſtum pateret, & ſecundum omnes, ſui partes rectitudinem ſitum, commenſurationemque ad brachia, ad barbam, & reliqua haberet, & iſtæ duæ conditiones ſignificantur ad litteram nominibus Vrim & Thummim. Et eſt ſenſus, & dabis ad pectorale accommodando ipſum pectori Pontificis Vrim, hoc eſt luces (id eſt vt omnes illius partes clare luceant, clare pateant, nullo tegmine, nulla ruga aliqua eius pars lateat ſeu obtenebretur) & Thummim, hoc eſt perfectiones: id eſt vt totum, & qualibet eius pars diſponatur tam rectè ac commenſurate relatiue ad brachia & pilos barbæ, ad catenas & laqueos, ad baltheum, &c. vt habeant omnia requiſita ad perfectam diſpoſitionem totius & ſingularum partium.*

Poſterius ſententiarum genus eſt, eſſe ipſiſſimas illas gemmas, quæ duobus hiſce nominibus, iuſtas ob cauſas, inſignantur. Lucebant enim, ſplendoremque à ſe maximum, cum eſſent nobiliſſimæ, diffundebant. Ideo igitur *Vrim* vocatæ. Integritate, perfectioneque maximâ, cum è toto eſſent genere quàm lectiſſimæ, pollebant. Ideo *Thummim* nominatæ.

Atque hæc ſententia eſt Ioſephi, Lyrani, Abulenſis, Oleaſtri, Moncæij li. 1. de Aar. cap. 19. & Riberæ noſtri. & ad veritatem mihi ſententia propenſior videtur. Nam ſuperiores illæ vel perſpicua commenta, vel certè abſque fundamento, cui nitantur, fictæ opinationes ſatis apparent. & earum aliquæ, maximè Aſtrolobica illa à Toſtato copioſe loco citato refellitur. *Deinde* ſi adamas vllus duodecim illis adiunctus fuiſſet, cur gemmarum illarum nomina, ordines & loca, tam ſtudioſè notarentur, hic verò ne ſemel quidem vſquam nominaretur, neque vllus ipſius locus indicaretur? Quid quod Smaragdos ab vtroq; ipſius latere ponit Anaſtaſius, qui etiam in ſcriptura nuſquam ponuntur, vel certè non niſi in Pontificis humeris? *Tertiò* ſi *Vrim & Thummim* aliud quàm gemmæ iſtæ forent, quidnam cauſæ fingi poſſet, cur eorum materia, forma, qualitas, quantitas, locus, nuſquam ne verbulo quidem deſcriberentur. Et aliarum quidem, etiam minutiſſimarum, recularum, tam accurata, tamque operoſa deſcriptio eſt, de his, verò, quæ tanti momenti, tantæque dignitatis eſſent, ne vocula quidem vna, vel apiculus? Scio Rabbinum Salomonem, ſilentij tanti cauſam in horum fabros, Phrygiones, aut gemmarios conferre, quòd ſcilicet fuerint alij, quam cæterorum ornamentorum. Vel enim ipſummet Devm, vel, eo certè dictante, Moyſen, in Sinæo monte, *Vrim & Thummim* feciſſe narrat, ſed nullo indicio, nulla vel probabili coniectura. Et cur memoriæ id minus proditum eſſet, quàm Decalogi tabulas Dei eſſe digito perſcriptas? Videmus verò eoſdem lapides, omnium conſenſu, Exod. 25. verſu. 7. vocari *lapides ſoham*, & *lapides Milluim*. Vbi noſter vertit *lapides Onychinos*, & *gemmas*. Quid ergo mirum ſi *Vrim & Thummim* etiam nominitentur? Moueat tamen fortè quempiam, quod dum Pontificalium veſtium confectionem præſcribit Devs, primo lapidum omnium inſitionem, ſculpturam, nomina, ordinem accuratè tradit, tumque demum, quaſi aliud omnino præcipiens: *Pones autem*, inquit, *in rationali iudicij Doctrinam, & Veritatem* (Vrim & Thummim) *quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram* Domino, *& geſtabit iudicium filiorum Iſrael in pectore ſuo, in conſpectu* Domini *ſemper*. Sed intelligendum, breuem veluti ſummam, ceu anacephalæoſin eorum, quæ hactenus dixiſſet; hic inſtitui. neque nouam omnino rei fabricam, ſed eiuſdem, quæ narrata iam eſſet, nouum quaſi vſum, nouaque nomina indicari. Non eſt enim, ad rei alicuius vel vtilitatem, vel ſtudium inculcandum, iſtiuſmodi diuino in Codice, inſolens repetitio. Quartò, & poſtremò, eſt Caietani ſententia illa pœnè ridicula. Primò enim ſcripturæ phraſes non congruunt. Nam *dare Vrim & Thummim* foret nihil aliud, quàm epomidis rugas prohibere, & ſacerdotis corpori aptare. *Interrogare* verò *in Iudicio Vrim*, quid erit? Secundò, Qui veſtes ad corpus habiles conficerent ſartores, qui materiam rugarum expertem texerent, vel illas quoquo modo impedirent, etiam famuli, qui dominorum veſtes explicant, & trahunt, ij dicerentur *Vrim & Thummim dare*. Tertiò. In omni veſtium genere, ſi aptæ, minimeque rugoſæ eſſent, dici poſſet, *ineſſe Vrim & Thummim*. Quartò. Ineptiſſimè vertiſſent 70. & noſter, *Doctrinam*, & *Veritatem*. Et tamen ipſius Caietani gloſſator *ſanam intelligentiam* appellat. Et ipſe Caietanus, *Hunc*, ait, *ſenſum eſſe litteralem affirmarim*.

Q. XXV. *Quis eorundem Vrim & Thummim vſus, & quæ nominum cauſa?*

Vsvs verò iſte eſt, vt per eos lapides adeò lucentes, & perfectos, lucis, perfectioniſque omnis auctor & rogaretur, & reſponderet: reſpondenſque tam ſacerdotes, quam Princeps, & populum luce quadam ſpirituali compleret ac perficeret, dum inuolutas iis res oſtendit, ambiguas explanat, eos de agendis, vel omittendis inſtruit. de via, & modo quippiam aggrediendi, aut perficiendi edocet. *Nomina* porro *ita generatim*, & eam, quæ in ipſis lapidibus ineſt, vt ſupra dixi, lucem, & perfectionem, & hanc quæ

ab ipſis quodammodo efficitur, denotant. Sed hanc poſteriorem maximè ſpectarunt interpretes Græci, & Latini, dum iis, quas antea quæſt. 23. poſui vocibus, iſta reddiderunt, vt propterea nouum cum Bellarmino lib. 4. de Pontifice cap. 3. vocum iſtarum fabricari etymon haud neceſſe ſit, dum non ab *or* & *tham*, id eſt, *luce* ac *profectione*, ſed ab *tarach*, & *aman*, id eſt, *doceo*, & *verum eſt*, has arceſſit. Breuiter & clarè Thalmud Tract. Ioma cap. 7. ſub finem fol. 73. b. *Vrim, ſchemeirin eth dibrehen: Thummim ſchemaſchlimin eth dibrehen.* id eſt, *vocantur Vrim, quia illuſtrant ac illuminant ea quæ dicunt: Thummim, quia explent ac perficiunt, quæ dicunt.* Quæ verba citat etiam R. Azarias lib. 3. cap. 50. fol. 157. vbi tamen etiam notat, poſſe videri *Thummim* vocatos quia Iſraelis perfectos ſignificabant. At eodem modo potuiſſet eos lumina dicere, indeque *Vrim* vocare. Quod non vult.

Speciatim verò plura important, quæ partim ad ipſius DEI per lapides iſtos reſpondentis laudem, partim ad ſacerdotum inſtructionem, Eccleſiæque totius conſolationem ſpectant. Sed de ijs commodius, vbi horum *modus* expoſitus fuerit, agetur. Eſt is verò *duplex*, interrogandi ſcilic. per iſta, & reſpondendi.

QVÆST. XXVI.

Quis per Vrim & Thummim interrogandi modus? & primò in Sacerdotibus?

MODVS iſte vel ſpectatur in ipſo DEVM interrogante Sacerdote, vel in Principe, alioue homine Sacerdotem ipſum interrogante. Ille, qui quidem mihi non placeat, duplex traditur. *Vnus* ab Hugone loco quæſt. 24. citato, *per ſortes* nimirum interrogaſſe Sacerdotem. Sed vbi vlla vnquam ſortium mentio, vel minimum ſaltem iudicium, cùm de *Vrim* agitur? Et nonne diuerſa omnino ratio fuit, ſortibus quippiam exquirendi, & per *Vrim* rogandi? Vtramque rationem eodem in capite 14. lib. 1. Regum legimus: ſed prout diuerſæ interrogandi rationes fuerunt, ita diuerſis etiam verbis explicatæ ſunt. Nam noſtra hæc per *Vrim* interrogatio deſcribitur verſu. 18. vbi noſter, & Hebræus: *Applica arcam*, ſiue *admoue*, vel *appropinquare fac arcam*, Septuaginta, *Applica* ἐφούδ, vti etiam notat quæſt. 16. in Iudices Theodoretus. Iterumque poſtea verſu. 37. Sed ſortitio verſu. 40. & ſequẽtibus. *Alter modus* apud Abulenſem quæſt. 15. Exod. 28. à R. Salomone, Abenezra, & aliis traditur, *ſcripſiſſe in charta ſacerdotem*, id quo ſciſcitari volebat: videturque modum eum præ ſe ferre Latina Nicæni, Anaſtaſij verſio, dum ait. *Quando ſacerdos* DEVM *ipſum erat ſciſcitaturus de aliquo capite, alligabat ipſum inſuper humerali in medio pectoris, & imponebat ſubter manus ſuas, & inueniebatur expanſa in palmis ſuis tanquam pyxidula.* Nam illud ipſum quod alligabat, & ſubter manus ſuas reconderat, quid, niſi caput de quo interrogabat? Aut ſi ipſum adamantem, quem paulò antè ille poſuerat, dicas, dicendum etiam erit, eum non ſemper rationali cohæſiſſe: ſed auferri, rurſumque imponi ſolitum. Quod qualiter fieri potuerit, non apparet. An ipſum Ephod? videtur, quia & id tantummodo pro rationali accipit: & apud Suidam eſt ※ quod neceſſariò non adamantum, ſed vel ad κεφάλαιον, vel ad Ephod refertur. At ſanè potius ad κεφάλαιον, quia ſubditur, *Reſpiciens ad Ephod*, cùm ſuffeciſſet dicere, *Reſpiciens ad illud.* quod ſcilicet explicabat, & de quo iàm iam locuturus erat. Quin & D. Cyrillus libro 11. de adoratione ſol. 279. *Apertè non indicat textus, vtrum lapides; an velut in parua tabella eam inſcriptionem fieri iuſſerit.* Et præterea *ſiue*, ait, *lapides illi fuerint, ſiue tanquam in aurea tabella ea nomina deſcripta fuerint, id verò non nimium curioſè peruestigabimus.* Cæterum in Sophronij Prato c. 147. legimus D. Leonem ſuam quandam contra Hæreticos epiſtolam, D. Petri tumulo ſuperpoſuiſſe, petiiſſeque, vt peccatum ſi quid eſſet, Apoſtolica id manus corrigeret, idque ita factum eſſe. Quin & ab Heliopolitano neſcio quo Apolline reſponſa, diplomatibus conſignatis, abſentes poſtulaſſe, auctor li. 1. Satur. c. 23. Macrobius. Sed ſcripturæ iſtiuſmodi, nullum in ſcripturâ totâ, vel obſcurum veſtigium. Et nunquid abſens Deus erat, vt litteris cum eo agendum eſſet? Nunquid in ſubitis interdum rebus ſcribendo tempus conſumptum?

Illud potius tenendum, à ſacerdotib. gemmato iſto pectorali ſumpto, precibuſque & verbis, quæ res poſtularet, adhibitis, quæſtiones poſitas fuiſſe. Vnde 1. Reg. 23. Sacerdoti Rex, *Applica Ephod*. cuius vt dixi, pectorale, pars erat, adduntur que verba, non litteræ vllæ, quibus ſciſcitatio tota fieret. v. 10. & 12. Si aderat arca, coram ipſa fiebat interrogatio: non quidem ſancta ſanctorum ingrediendo: ſed ſancta tantum, vel ſaltem, conuerſo ad illam vultu, alicubi ſtando, vt 1. Reg. 14. Nam omnino debuiſſe ad *ſchecinah* ſeu ad Dei maieſtatem facie conuerſa eſſe ſacerdotem docet Tractatus *Ioma* cap. 7. f. 73. & Rambam c. 10. Tractatus de vaſis templi Tom. 3. f. 188. vbi ait ſacerdotem ita ſtetiſſe, vt *panaiu liphne haaron, facies eius eſſet ante arcam.* Si non aderat arca, ſufficiebat ipſa epomidis indutio, vti videtur colligi ex 1. Reg. 27. & vtrumque iſtud vocatur in Hebræo 2. Eſd. 7. v. 65. *ſtare ad Vrim & Thummim*, vbi noſter *donec ſtaret ſacerdos doctus, & eruditus.* Sententia ſiquidem eſt, illos, de quibus illic ſermo, è ſacerdotum numero exturbatos non prius ad ſacerdotalium ciborum, & redituum communionem recipiendos, quam de ijs per Vrim conſuluiſſet Dominum Pontifex. Denique ſolebat is, vt DEVM rogaret, ac precaretur, manus expandere, ac in cœlum tollere. Id enim ſignificatum videtur 1. Reg. 14. v. 19. dum poſcenti oraculum ſacerdoti dixit Rex, *Contrahe manum tuam*, ſiue vt Hebræum etiam verbum notat, *Collige*. Poteſt tamen & hoc ita intelligi, quaſi dixeret Rex: *Satis eſt. ne admoneas arcam, vti dixeram. Deſine id conari, manumque ad illam porrigere.* Nam hoſtium clamor creſcit. Diutius expectandi tempus non eſt. Cum porrò precatus eſſet, eum ait Anaſtaſius *ad Ephod aſpexiſſe.* At huius veritas, pendet ex iis, quæ de modo reſpondendi dicentur. Dum verò in ſacerdote Deum interrogante neceſſaria dicitur ſacra epomis, ſimul ſignificatur, ſacris eum veſtib. propriis ornatum eſſe oportuiſſe, prout docet citatum Tract. *Ioma* c. 7. f. 72. b. & loco citato Rambam, qui & ſub capitis finem diſtinguit Pontificalem epomidem, ab aliis quæ ſacerdotum aliorum, Leuitarum, & Prophetarum erant. Non videtur verò prætermittendum, quod iiſdem locis tam Thalmudici

dici quam Rambam monuerunt, *Cohen ſcheæno medabber beruach bakkodeſch, vſcheſinach ſcharah balan, æn ſchoelin bo.* id eſt. *Per ſacerdotem, qui non loquitur in ſpiritu ſancto, & ſuper quem non reſidet Dei maieſtas, non eſt interrogandum.* idque probant illi è libri 2. Reg. cap. 15. v. 24.

QVÆST. XXVII. *Quis in ſacerdotem interrogantibus interrogandi modus?*

In eo autem qui ipſum ſacerdotem interrogabat, requirit Oleaſter Num. cap. 27. *Primò vt præſens adſit*, rogantique Dominum ſacerdoti aſtet. vnde R. Bochai in Deuteronomij *Parſchach Sophetim* fol. 207. b. notat Prophetas coram Rege ſeſe aderabundos inflectere: At Regem coram ſacerdote ſtare, cum *Vrim* vti vult. Sed *aſtandi* modum hunc eſſe vult R. Dauid in 20. Iudicum, vt *verſus ſacerdotem* vertat *faciem.* idque tradit citatus ſuperiore quæſtione Tractatus cap. 7. fol. 37. At Rambam vult eum, qui interrogat ſtare poſt ſacerdotem. cap. 10. Tract. de vaſis templi numer. 11. Eius verò commentator R. Ioſeph Caru illic fol. 188. Tomo. 3. ſatis ſignificat enim à Raſchi & Rabbinis alijs diſcrepare. Deinde, vt *ipſum interroget, non cogitatione ſolâ, neque clarâ voce*, ſed eo modo, quo coram Domino loquebatur Anna 1. Reg. 1. verſ. 13. aut vt ait citato iam loco Rambamus eo modo quo quis ſecum intra ſeipſum orar. At cum ſacerdos vultu eſſet in arcam, vel certè in Occidentis partem, aut ſi placet, in aliam quamcunque conuerſo, debuiſſet aduerſus ſtare qui interrogabat: cum deceret potius, eum eodem, quo aſpiciebat ſacerdos, aſpicere, vt ad DEVM ipſum ſimul, & ſimiliter ferrentur ſupplicantium vota, vultus, & oculi. *Clarâ* verò *voce* vſum, qui ſacerdotem interrogabat, eſſe, tam clarum videtur, vt hoc ipſum doceat Hieroſolymitanus Thalmud, & qui hunc affert R. Azarias lib. 3. cap. 57. fol. 157. b. itemque Peruſch. in Ioma cap. 7. fol. 731. & mirum ſir contrarium à Rabbinis iſtis fingi. Nam quomodo eum aliâs exaudire, ipſiuſque quæſtionem intelligere poſſet ſacerdos? Quomodo, vt, Reg. 1. Eli, ſic & ipſe non erraret? Nam ita illo loco, quem iſte citat, Rabbinus ſcribitur: *Anna loquebatur in corde ſuo, tantumque labia illius mouebantur, & vox pœnitus non audiebatur.*

Sed reſponderet aliquis, quæſtiones non ipſi ſacerdoti proponi, ſed DEO ſoli: Sacerdote tamen, *Vrim*, & *Thummim* præ ſe geſtante. Poſſerque iſtud confirmari, ex interrogandi formulis, quibus vtuntur Saul 1. Reg. 14. verſu. 37. Dauid c. 23. verſu. 10. & 12. Omnes enim ad DEVM ipſum referuntur, ei loquuntur, ab eoque, quod cognoſcere aueant, ſciſcitantur. & hanc ob cauſam hæſitat lib. Reg. 14. quæſt. 3. Abulenſis, & cap. 23. quæſt. 7. ibi, *ſecundum erat*, & poſtea, *ſed tunc ſtat dubium.* Verum enimuerò iſta ratione non interrogaretur Pontifex, ſed DEVS ſolus. At quemadmodum ſuprà toties vidimus, ex ipſo Num. 27. iubetur Eleazarum interrogare noſter Ioſue. Deinde cum ſæpe de publicis rebus, pace, bello, ſimilibus interrogatio eſſet, ſacerdotem, qui horum omnium probè alioquin gnarus, celare, quorſum attinebat? An vt auguratus Atij Nauij ſcientiam Tarquinius apud Liuium, & Ciceronem *de diuinatione*, tentauit, ſic qui Dominum interrogabant, eius ſacerdotum, & oraculorum propheticam vim; fidem-

A que tentabant? Tertiò ſi ſoli DEO proponebantur quæſtiones, cur ſola quærentium cogitatio ſatis non fuiſſet? cur labiorum motitatio, & commurmuratio, Annæ inſtar, præſcriberetur? Iam quartò, ſcire velim, quid, antequam ſic Anna loqueretur, in hoc interrogandi genere factum fuiſſet? An à veteribus illis interrogatoribus hunc illa cum DEO loquendi modum didicerit, an ab ea omnes, qui ſecuti ſunt, interrogatores? An caſu & illi, & illa ſic, vel ex lege illi, caſu iſta, vel contra?

B Verius igitur, *ipſi ſacerdoti poſitas ab interrogatoribus quæſtiones*, quas DEO ille proponeret: ideoque & ea *voce* poſitas, quæ *ſonora & clara* eſſet, vt ab illo accipi, & audiri, DEOque tandem proponi poſſent, prout ex Procopio notatum ſuprà. Illæ verò Saulis, & Dauidis interrogantium formulæ DEVM quidem appellant, eique loquuntur: ſed cum ſacerdote, & per ſacerdotem. Multa enim & in prophanis, & in ſacris inuenias, quæ verbis iiſdem internuncio ipſi mandantur, quibus ea eloqui, & nunciare ille

C debeat. Vt 2. Reg. 3. verſu. 12. 13. 14. Ideoque libro 1. Reg. cap. 4. Abulenſis quæſt. 31. licet dubius ſir, in hanc tamen partem potius concludit. *Saul, ait, non conſulebat Dominum per ſe, ſed ſacerdos conſulebat pro eo. Cum verò dicitur, quòd Saul conſuluit, & quod non reſpondit ei DEVS: dicitur conſuluiſſe: quia iubebat ſacerdoti quod cõſuleret Dominum. Sicut dicitur ædificare domum, qui eam ædificari iubet. vel dicitur conſulere Dominum: quia quæſtio, quam proponebat ſacerdos, ipſius erat. Et ſic etiam dicetur de Dauid, quod ipſe non conſulebat Dominum per ſe, ſed*

D *ſacerdos magnus pro eo. Quanquam non eſt inconueniens, quod aliquando ipſe quærens proponeret verba conſultationis aſſiſtente ſibi Pontifice, & hoc magis ſignificatur de Dauid ex verbis litteræ infrâ 23. c. cum dicitur. Dixit Dauid ad Abiathar ſacerdotem: Applica Ephod. & ait Dauid. Domine DEVS Iſrael &c. Si tradent me viri Ceilæ in manus eius: & ſi deſcendet Saul. & ait Dominus. Deſcendet: Dixit Dauid ſi tradent me viri Ceilæ. Quæ omnia ſatis apparent eſſe verba Dauid.*

Denique monet citato cap. 10. Tract. de vaſis

E templi Rambam & Dauidi Kamio videtur, vnicam tantum vnâ vice quæſtionem proponendam fuiſſe: non plures ſimul. Sed refelluntur ex li. 1. Reg. c. 23. & 30. vti notat in illud caput 23. q. 13. Abulenſis. Quia tamen hanc interrogantis conditionem ex eodem Thalmudico tractatu *Ioma* cap. 7. f. 73. hauſerunt iſti Rabbini, ſciendum inibi tam in Gemara quàm in Gloſſa addi, ſi plura interrogentur, reſponderi quidem, ſed ad vnum tantummodo: & quidem ad primum quod vel interrogatur vel interrogari de-

F buit. Nam cum duo interrogaſſet Dauid 1. Reg. 23. v. 11. & prius quidem, an tradendus à Cehilicis in Saulis manus, poſterius, an deſcenſurus eſſet Saul? reſpondit Dominus v. 12. *Deſcendet.* & poſtea, *Tradent* viri Ceilæ. Nihilominus tamen paulo poſt fatetur idem Thalmudius tractatus, potuiſſe interrogari plura, & ad omnia reſponderi. quia id perſpicuum ex li. 1. Reg. c. 30. v. 8. Neque verò Rabbinicum iſtud. *Æn ſchelin ſchene de barim ceubad:* id eſt, *Non interrogandæ duæ res quaſi vna*, conuenit cum Ariſtotelico illo li. 1. Elench. cap. 4. ne plures fiant interroga-

Ioſue.

Digitized by Google

tiones quaſi vna. ſcilicet ambiguæ ac ſophiſticæ.

QVÆST. XXVIII.

Per Vrim & Thummim reſpondendi modus quis? & primò ſecundum Ioſephum?

MODOS, *quibus reſponderet Dominus, ſeptem* hactenus legi, vel audiui.

Primus eſt, vt gemmas tantum iſtas præter vſitatum, & naturalem earum modum illuſtrari vel obſcurari, aliterue colorari fecerit Dominus, indeque à ſacerdotibus, & à ſpectantibus interrogatoribus, cognitum, & intellectum ſit, quidnam ille reſponderet. Ita in hiſtoriæ cõpendio Cedrenus dicẽ διὰ τῆς αὐγῆς, τὰ χρησὰ. διὰ τῆς ἐπισκιάσεως τὰ δεινὰ ſignificata fuiſſe. S. Epiphanius libro de lapidibus *Per coloris ſui mutationem ſignificabat adamas, mortem quidem, ſi niger gladium, ſi ſanguineus, proſperitatem, ſi, vt nix, candidus, vti quando de S. Ioanne Baptiſta gignendo reſponſum accepit Zacharias.* Anaſtaſius Nicænus l.c. *ſtatim*, ait, *fulgurabat adamas, & lucem eiaculentes emittebat radios. Si autem Deo non placebat, manebat lapis in ſuo ordine. Si autem erat populum gladio traditurus, fiebat ſanguinolentus. Si autem mortiferum quidpiam erat euenturum, fiebat niger.* Eadem & Suidas verbotenus poſuit: ſed eorum partem vnicam tantum illam de radiatione D. Chryſoſtomus oratione 3. contra Iudæos, Genebrardus li. 2. Chronol. f. 94. alijque ſecuti Ioſephum li. 3. Antiq. c. 9. in Græco, c. 12. in Latino Ruffiano qui ipſos 12. lapides, itemque illos, qui in Pontificis humeris erant, ſardonychas colluxiſſe vult: & laudat Abulẽſis Exo. 28. q. 15. Moncæius l. de vitulo aureo cap. 19. q. 223. & è Nauatoribus Chytræus Iudic. cap. 1. p. 131. è Rabbinis aliquo modo R. Eliezer. cap. 38. ſemel & iterum, R. Azarias lib. 3. cap. 50. fol. 157. b. aliquo, vt videtur, modo.

At eum ego modum velut imperfectum, neque, dum ſolus ſumitur, veritati ſatis conſentaneum reieci alias incitato antea libello *de Ioſuanis ſacerdotibus*. Sed quia è mihi chariſſimis pereruditus vir eandem, quam ego, in re magnis, ob temporis antiquitatem, & Bibliaci textus breuitatem, inuolutam tenebris, veritatẽ ſcrutatur, & eam in citato Ioſepho ſatis expoſitam putat, meiſque contra hunc argumentis reſpondere nititur, vt magis magiſque *Vrim* & *Thummim* veritas, & doctrina liqueat, repetam primò, quæ illic dixi, nullo vel addito, vel adempto verbulo: Deinde quid ad ea, vel de iis Syzetetes, & Diſquiſitor ille mihi amiciſſimus. Ego igitur ſic.

Reſpondendi modum Ioſephus ita explicat, vt à gemmis iſtis mirus quidam fulgor emicuerit, *quoties belli alicuius gerendi, auctor, adiutorque* DEVS *eſſe voluiſſet, adeo vt ad Sacerdotis aſpectum, vniuerſæ ſtatim multitudini conſtiterit*, DEVM *affuturum. Sed num de bello tantum* DEVS *conſulebatur? Num de ſolis quæſtionibus ad quas ſola* ETIAM, *aut* NON *ſufficiebant! Imò verò etiam de modo res quaſdam agendi quandoque interrogatio erat, quandoque de eodem, etſi interrogatio non eſſet, cum tamen ipſa, quò clarior, & cumulatior eſſet, reſponſio continebat. Audi Dauids, an contra Philiſteos aſcenderet, quærenti, quid reſponſum. Non aſcendas. Sed gyra poſt tergum eorum, & venies ad eos ex aduerſo pyrorum. Et cùm audieris ſonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium. Quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, vt percutiat caſtra Philiſtiim. At quod lapidum iubar, qui radij hæc tam multa, tam non opinata, tam noua, & peregrina loqui potuerunt? Quæſitum ab eodem quam in vrbem aſcenderet; reſponſumque fuit. Hebronem. Quis fulgor hanc indicabat? Cùm verò interdum reſponderetur,* NON, *interdum* NIHIL *omnino, quomodò intelligeretur, an negatè reſponſum daretur, an omnino nullum? Quamuis ergo modus iſte admodum plauſibilis, mihi parum tamen credibilis præſertim cùm & alios ibidem auctoris euſdem lapſus, multo tamen leuiores, minuſque accuſandos videam. Propter oraculorum certitudinem à Græcis id λόγιον appellatum ait. Sed nunquid Hebræi Septuaginta non erant, qui ſic appellarunt, à quibus Græci illi acceperunt? Ducentis ante ſuos illos commentarios annis, ob diuinarum legum violationem, ſplendores illos extinctos eſſe refert. At multo antè huic oraculorum generi finem impoſitum teſtantur Iarius, Camius, Elias, aliique Rabbini. Cùm de Perſici belli euentu Alexander Magnus per Vrim & Thummim, de quibus audierat, Numen conſuli optaret, à Pontifice audit: A die quo domus iſta deportata eſt in Babyloniam, abſconditi fuerunt ab ea Vrim & Thummim.*

Syzetetes verò meus ſic. *Vidi qui contra Ioſephi, quem ſequor, ſententiam, non vno ariete molitetur, 1. Sibi diſplicere ſcribit, & ſuſpectum eſſe ſingulare Ioſephi teſtimonium. 2. quoniam in eodem loco Ioſephus duabus adhuc aliis in rebus, labitur hic quoque lapſum. tum quia dicit hoc à Græcis λόγιον vocitum, cùm tamen Septuaginta ſic vocarint, qui Hebræi fuerunt. tum quia dicat ducentis ante ſuos commentarios annis, hos ſplendores ob legis violationem exſtinctos: cum tamen Thalmudici, & Iarhius, &* Kimchi, *& Elias Germanus teſtentur, diu ante huic oraculo finem impoſitum, ſcilicet iam inde à captiuitate Babylonicâ: quod à Iaddo reſponſum ferunt, Alexandro Magno petenti, vt pro ſe* DEVM *de belli Perſici euentu conſuleret. Denique quia ſequeretur ex hac Ioſephi narratione, oraculum hoc tantum inſueuiſſe de bello reſpondere, quod non eſt verum. Item ſequeretur ſolummodo conſueuiſſe de illis quæſtionibus, ad quas, per, ita, vel, non, reſponderi poſſet. Conſtat autem ſæpe pluribus reſpondiſſe, & quidem interdum inopinata, & præter interrogationem. His vir acutus, & egregiè doctus conatur Ioſephi fulgorem infuſcare: ſed leui manu fuligo poteſt amoueri.*

Ad primum reſpondeo, licet id ſolus Ioſephus dixiſſet, maximam eius, in rebus ad Sacerdotium ſpectantibus, cùm ipſe Sacerdos fuerit, auctoritatem eſſe debere: præterea nullius alius ſupereſt illius æui Hebræus ſcriptor, qui talia diſcutere potuerit, præter Philonem, & Ioſephum. Philo paucula huiuſmodi attigit, allegoriis ſolis intentus, neque negauit. Ioſephum ergo ſolum id aſſirmaſſe, quid mirandum?

Id quidem nihil mirandum, ſed illud miror, vbinam, & quibus è verbis meis hoc ille argumentum exſculpſerit. Nuſquam enim comparet. *Quia* contrarium potius innuiſſe ſatis videor, dum *multis modum iſtum eſſe* dixi *plauſibilem*. Deinde dum ait, *licet id ſolus Ioſephus dixiſſet*, ſignificat alios plures dixiſſe, quorum aliquos vellet poſtmodum nominare. Dixiſſet alioqui, *licet id ſolus Ioſephus dixerit*. Sed in calamo hæſerunt, & illud tantummodo pugnat, cum fuerit Sacerdos Ioſephus, in rebus ad Sacerdotium ſpectantibus ei meritò credendum. Rectè. Si res iſta ipſius adhuc tempore ad ſacerdotium

ſpectare

Digitized by Google

ſpectare, aut, ab eo ſaltem, vel ſemel in omni vitâ ſpectari potuiſſet. Interim concedit, qui de hoc hiſtoricè, non allegoricè ſcripſerit, alium ex *illius æui Hebræis* ſuper eſſe neminem.

Pergit. *Ad ſecundum. Nego in his Ioſephum labi. Licet enim 70. fuerint Hebræi Sanhædritæ, Græcè tamen, non Hebraicè ſcripſerunt, & cum ſcriberent Græcè, λόγιον dixerunt: & eos poſtea cuncti proſelyti Græci in hoc nomen clatura ſecuti fuerunt, non aliam ob cauſam, niſi ob eam, quam Ioſephus ibi retulit; ex cuius contextu Græco manifeſtum eſt, eum loqui de Græcis duntaxat illis, qui Iudaicos ritus venerabantur. Notum verò, Iudæos, & Græcos ſic diſtingui, vt Græcorum nomen retineant, quotquot ex Gentilibus ad Iudaiſmum tranſierant.* At ego ipſe; Septuaginta Hebræi cùm eſſent, Græcè non ſciiſſe modo, ſed & primos *rationali* hoc λογίου nomen impoſuiſſe aio: ideoque non Græcos ipſos, ſiue illi proſelyti ſint, ſiue non. Minus tamen rectè, de proſelytis Græcis loqui Ioſephum exiſtimat. Apud eum enim ἕλληνες οἱ τὰ ἡμέτερα τιμῶντες ἔθη, ſunt Gentiles, qui Iudaicam tamen gentem, eiuſque leges, templum, & inſtituta ſuſpiciebant, & amore, honoreque proſequebantur. vt nonnulli quandoque primò philoſophi, quos paulò antê dicebat τοὺς μὲν τὴν σοφίαν ἐπ' ἐκφαυλισμῷ τῶν θείων ἠσκηκότας. Ita enim & de illis lib. 1. contra Apionẽ. ἐπεὶ μόνον ἠπίσταντο τοὺς Ἰουδαίους, ἀλλὰ καὶ ἐθαύμαζον ὅσοις αὐτῶν ἐνέτυχον, οὐχ οἱ φαυλότατοι, τῶν ἑλλήνων, ἀλλ' οἱ ἐπὶ σοφίᾳ μάλιστα τεθαυμασμένοι, ῥάδιον γνῶναι. & ſubdit exemplum de Clearcho, Ariſtotele; alijs. iamque antea dixerat Pythagoram Iudaicarum rerum zelotem fuiſſe. Secundo *Reges*, de quibus ita lib. 12. cap. tertium inſcribit. πῶς ἐτίμησαν οἱ τῆς Ἀσίας βασιλεῖς τὸ Ἰουδαίων ἔθνος. idq; capite toto proſequitur. Tertio. *Alij cuiuſcunque ſortis homines*. quos quatuor menſium itinere Hieroſolymam veniſſe narrat κατὰ τιμὴν τοῦ παρ' ἡμῖν ἱεροῦ. Non .n. omnes illos fuiſſe *proſelytos* apparet ex eis, quæ adiungit: *quoſdam* ſcilicet *ſacrificiorum participes non fuiſſe, quoſdam ſemiperfecta ea reliquiſſe, alios ne in templum quidem admiſſos.* Sanè verò ê Gentilibus multi fuerunt, qui etſi ſuis adhuc ſuperſtitionibus obligati manerent, admirarentur tamen, & laudarent Iudæorum ritus, & mores, de quibus etiam lib. 2. de Moyſe Philo. Nonnulli etiam, qui ſuperſtitionibus quidem, & idolis omnibus vale dicerent, neq; proſelyti tamen fierent, ſed σεβόμενοι τὸν θεὸν dicerentur, quos à Iudæis diſtinguit ipſe Ioſephus li. 14. cap. 12. & interdum nominat in Actibus Apoſtolorum S. Lucas, prout eo in libro monui. Magis videretur mea illa obiectuncula diſſolui, ſi ſtatueretur Græca quædam Moſaicæ legis verſio ante Septuaginta. Per eam enim mea hæc labefieret inficiatiuncula, firmaretur tamen mea pro vetuſtiore illa verſione affirmatio, quam in Biblicis Prolegomenis tradidi: Licet duo adhuc probanda forent, non ab Hebræis Græcæ linguæ peritis, ſed à ſolis Gentilibus verſionem illam factam olim fuiſſe, itemque veteres illos non alia voce, quàm τοῦ λογίου Hebræum nomen vertiſſe. Quorum prius negare ſatis videretur Theopompi apud Ioſephum lib. 2. cap. 2. pœna.

Sed pergit Syzetetes. *De oraculi quoque ceſſatione meritò Ioſephi auctoritatem cunctis Thalmudicis, &, ſexcentis Rabbinis recentioribus, qui totius antiquitatis ſunt imperitiſſimi; præfero: De Iaddi quidem illo reſponſo, quo ad oraculorum ceſſationem, nec Latini, nec Græci Hiſtorici, qui res Alexandri ſcrupuloſè fermè ſunt proſecuti, vel vno verbulo meminerunt. Ioſephus verò, Zonaras, & Glycas quando accuratè narrant, quæ Iaddus cum Alexandro egerit, ea recenſent; vnde ſatis colligatur, de oraculo per Vrim & Thummim nihil Alexandrum cogitaſſe: cuius illum quoque fuiſſe ignarum prorſus veriſimile cenſeo: De victoriâ vero Darij à* Deo *docent per viſum certiorem factum. Arbitror ergo Ioſephum egiſſe de fulgore huiuſmodi penitus, ſemperque ceſſante. Nam per interualla, quin aliquando etiam prius ceſſauerit; vt Saulis, & poſteà quorumdam Regum, poſt Dauidem, tempore, non eſt dubitandum. Glycas quidem indicat, quando Iſraelitæ* Devm *offenderant, non conſueuiſſe illis* Devm *per Ephod reſpondere. Sic igitur ſuſpicor, ſolitos Iudæos primò per Sacerdotes, applicato Ephod,* Devm *conſulere: ſi hâc viâ non ſuccederet, recurriſſe ad prophetas, tam qui ſacerdotes non eſſent. Sic enim legas ipſos quoque ſacerdotes ad Holdam prophetiſſam oraculi causâ adiiſſe.* Facio verò libenter, vt docti admodum viri verba recitem, non vt mea illâ tantum vel tuear, vel explicem, ſed & multò magis, quia doctrinæ ſemper, ad diſputationis, & eius, quæ à nobis quæritur, veritatis amplificationem, afferunt non parum.

In his igitur paulo pluribus eius verbis *duo* tantum, quæ minus probem, ſunt. *Vnum*, quòd verè à Ioſepho ſcriptum putet, ſicuti & lib. 1. de vitulo cap. 19. putat Moncæius; ducentis annis antequam hiſtoriam illam ſuam ſcriberet, fulgorem iſtum deſiiſſe. *De Ioſephi auctoritate*, quanta ſit, & quibus, vel quot, & qualibus, & quibus in rebus anteponenda, litigare iam nolim; rem ipſam tantum videamus. Iudaicæ antiquitatis commentarios mandauit ille litteris, vt ipſe quidem ſub finem illorum refert; anno Imperatoris Domitiani xiii. ætatis ſuæ lvi. Christi D. anno xcv. Ergo anno primo Olympiadis cviii. Vrbis ıↃcxlvi. ante Christvm Dominum natum anno cv. vel circiter (ſequatur, quam quis volet Chronologiam. De duobus enim, vel tribus, aut quatuor annis nihil ad inſtitutum facit diſſenſiuncula) deſtitit ſplendor hic. Ergo poſt Machabæorum tempora: & ante Ioannis Hyrcani mortem, Ariſtobuli, & eius fratris Alexandri regnum. At toto iam Machabæorum tempore, oraculi huius nihil fuiſſe, vel inde apparet, quòd cùm tot, & tam grauia iis ſæpe occurrerent pericula, metus, & dubitationes, nunquam tamen neque Mathathias, neque Iudas, neque Ionathas, aut Simon, licet Pontifices ipſemet forent; Devm per *Vrim & Thummim* conſuluiſſe deprehendantur. Quia verò lib. 1. cap. 4. ita de Iuda templum perpurgante legimus verſu. 44. *Et cogitauit de altari holocauſtorum, quod profanatum erat, quid de eo faceret. Et incidit illis conſilium bonum, vt deſtruerent illud, ne fortè illis eſſet in opprobrium, quia contaminauerant illud gentes, & demoliti ſunt illud. Et repoſuerunt lapides in monte domus, in loco apto, quoadúſque veniret propheta, & reſponderet de eis.* Si vllus in *Vrim & Thummim* radius tum adhuc fuiſſet, non eum aſpexiſſent? Et verò hoc argumento rem iſtam om-

Digitized by Google

nino confici ſenſet Abulenſis Exodi 28. quæſt. 15. & Pererius noſter tomo 4. in Geneſ. cap. 25. qui tamen ſibi an ſatis conſentiat, non video, dum ex illo Iudæ facto probat *Vrim & Thummim*, tunc non fuiſſe, & tamen *Ionathæ temporibus deſiſſe*, ait. Cùm enim Iudam ſequutus ſit Ionathas, ſi prioris æuo iam deſiierant, non potuerunt poſterioris tempus attingere, tumque deſinere. vt interim taceam eundem Olympiadem 168. eidem Ionathæ tribuere, qua tamen multo prior fuit Abulenſis verò, quia de accurata chronologia, in iſta quidem diſputatione, non laborat; ita Ioſephi ſententiam proponit, vt modò dicat oraculum hoc finem cœpiſſe ante Chriſti Domini natiuitatem annis 130. vt 1. Reg. cap. 23. quæſt. 7. modò annis 150. vt ibidem cap. 14. q. 31. modo annis 160. vt Exod. cap. 28. q. 15. vbi tamen contra Ioſephum, ante Machabæorum, vt dixi, tempora finem illis iam fuiſſe concludit. Adiicio & tertiam adhuc rationem. Dicit eodem loco Ioſephus eum diuinitùs fulgorem ademptum, propter peccata, legumque ipſarum tranſgreſſionem. At quænam ea eſſe tum potuit, tam grauis, tam Deo ipſi inuiſa, tantaque pœna, & detrimento digna? Et quomodo Ioſephus cum Symonis Hyrcani, Ariſtobuli, aliorumque res geſtas, cedes, calamitates commemorat, non vel verbulo, diuinam hanc iram, oraculique iacturam indicauit? Ante illos igitur Ioſephi ducentos annos defeciſſe certum eſt. Quod vnum iam probandum erat.

Sed ad quæſtionis huius perfectionem ſpectat illud etiam, vt inquiratur, *quo tempore antea, imò & ante Machabæorum ætatem, oraculi genus hoc euanuerit?* Magna inter ipſos Iudæorum Rabbinos diſſenſio eſt, vti apparet ex ijs, quæ ſcripſit R. Azarias lib. 3. cap. 50. fol. 157. b. & cap. 51. f. 164. Opiniones autem inuenio potiſſimas tres. *Prima* eſt Abulenſis quæſtione illâ 15. in Exo. 28. Factum hoc intermedijs inter Alexandrum, & Machabæos temporibus. & ad hanc opinionem reuocandam, quæ apud citatum R. Azariam cap. 51. ait poſt Symeonem iuſtum ceſſaſſe *Vrim & Thummim*. *Altera*, iam inde ab Hieroſolymitani templi per Nabuchodonoſorem incendio, & Babylonicâ captiuitate. Eſtque hæc Rabbinorum plurium partim antè citatorum, partim aliorum ſententia, & Chriſtianorum, neque paucorum, neque indoctorum vt Galatini lib. 4. cap. 9. Porcheti 1. p. Vict. cap. 7. dicunt. n. hi, & Rabbini illi in ſolo templo primo fuiſſe Vrim & Thummim, non in ſecundo. Ita ipſi Thalmudici cap. 1. Tract. *Ioma* ſub finem, & Hieroſolymitanus Thalmud in *Kiduſchin*. & Tract. *de ieiuniis*. *Tertia*, iis diebus, quibus Pontificem optimum occiderat Ioas Iudæ Rex, omnia & quæ in ſanctis ſanctorum, & quæ per Vrim & Thummim dabat Deus, reſponſa ceſſaſſe. Ita Genebrardus lib. 1. Chronol. f. 61. ab ipſo etiam Moncæio citatus pag. 225. Et hinc nata mihi videtur vel hiſtoria, vel fabella, quam de amiſſa Pontificialis epomidis gemma, pretioſiſſima, eaque tandem â quodam, qui eleemoſinas liberaliſſimas dederat, inuenta, & magno cum ipſius commodo ſacerdotibus reddita, narrat ſub decem tribuum captiuitatis tempora Cedrenus fol. 90.

Ex his verò mihi videtur *media verior*. *Prima* quia cum propter peccata ſint oraculo iſto priuati Iudæi, vti ſuprà docebat Ioſephus; meritò tum videntur priuati, cum ob eadem, & templo, & aris, ſacriſque omnibus ſpoliati ſunt. Vnde & refellitur quod f. 164. capit. 51. dixit R. Azarias, peccatum illud fuiſſe Sadducæorum hæreſin. Nam & poſt Symeonis iuſti tempora fuit hæc, vt lib. 2. Trihæreſij cap. 19. monſtratum: neque peccatum tam generale, & in tam excellentibus populi capitibus initio extitit. *Secunda*. Quia poſt illam captiuitatem, nulla vſquam eius mentio ampliùs ita vt fuiſſe dicatur: licet vt ſupra quæſt. 26. dictum; inueniatur 2. Eſd. 7. 65. vſque ad *Vrim*. quod fatetur citatus R. Azarias cap. 50. fol. 157. b. exponi poſſe, quaſi valde ſerò, ſeu poſt multa ſæcula, ſeu, vt ipſe loquitur; *vſque ad mortuorum reſurrectionem, vel vſque ad Meſsiæ aduentum*. quia *prima* illa opinio tantum poſita videtur, vt, aliquo modo, , cum aliqua Ioſephi auctoritate, etiamſi minus accurata veritas retineretur. *Tertia* verò vnde probari poſſit, non video. Citat quidem auctor ille Sanctum Epiphanium, ſed vnde? Et cur, ob regis illius in Pontificem ſcelus, ipſi ſummo ſuo & ornamento, & beneficio mulctarentur Pontifices? Etſi enim aliqua etiam Regum pœna erat, eos non poſſe vti Pontificum oraculis, maior tamen Pontifices ipſos, ob iacturam illam, dolor vſſiſſet. Deinde an pauci, vel parum alij ſcelerati Reges? Tam multos vno penè nutu ſacerdotes, eoſque inſontes, & epomidatos omnes nefario admodum ſacrilegio, iugulauit Saul 1. Regum. cap. 22. & tamen adhuc poſteà viguerunt *Vrim & Thummim*. Quomodo ea igitur, vnius ab Ioæ culpam, ſublata ſic fuiſſent? *Quartò* qui ea ſententia non veriſimilior tantum, ſed Chriſtianæ etiam veritati fauentior, & vtilior videtur. Quam enim magnum, ſi in templo ſecundo nunquam oraculum hoc fuerit, & tamen ab Haggæo cap. 2. verſu. 10. idem primo templo nobilius, auguſtiuſque dicatur, ob vnum ſcilicet IESVM CHRISTVM in illud venientem? Quin & apertè hanc opinionem ſe amplecti profitetur citato cap. 5. R. Azarias, vt cum de templo ſecundo Haggæum loqui fateatur, Chriſtianorum tamen inde argumentum eludat. Ideo tam ipſe, quod Rambam cap. 10. Tract. *de vaſis templi*, dicunt partim fuiſſe, partim non fuiſſe Vrim & Thummim in templo ſecundo: fuiſſe in aliquo tempore ſub illius initium: non fuiſſe poſita. *Quintò* & poſtremò, quia bonis in primis auctor in Haggæi primum caput, contra ſententiam iſtam, nihil niſi ſolam Ioſephi auctoritatem proferre potuit; quam tamen ſupra eſſe à veritate alienam oſtenſum eſt. Et hunc auctorem, apud illum cuius modo diſquiſitionibus reſpondeo; ad Ioſephinum iſtud tempus tantoperè amplectandum momenti non parum habuiſſe, ſuſpicor. Nam & apud me, niſi veritatis aliô me lux raperet, quidni valeret plurimum? Sicuti & in illo, quod ibidem miratur,

Genebrardum

Genebrardum hominem Catholicum, & eruditum, negare fuiſſe ſacrum ignem in templo ſecundo: & tamen citare cap. 1. lib. 2. Machabæorum, cum contrarium ibi doceatur. Non enim Genebrardus ſuam eo loco fol. 94. ſed Iudæorum ſententiam referebat, & ex Machabæorum libro tantum probabat, noluiſſe ſacerdotes, vt impiorum Gentilium quaſi manibus ignis ille contaminaretur. Suam verò ſcripturæ conſentaneam poſteà tradidit fol. 138.

Alterum, quod in Syzetetæ meis verbis minùs probo, eſt, de *Vrim & Thummim Alexandrum nihil interrogaſſe, nihil ſciſſe, aut cogitaſſe.* Teſtes pro ſe affert, ſed mutos omnes, prorſuſque de hoc tacitos. Ego loquentes, & affirmantes attuli. Dialecticorum illud non ingeram, ab Auctoritate negatiuâ; ſed quia mihi cum viro non Theologiæ modò, ſed & Iuris conſultiſſimo negotium eſt, ex eo quæro, vtrum Teſtium genus magis audiendum? Si quod mei aſſerunt, id non tacerent, ſed falſum dicerent ipſius Teſtes, poſſet fortaſſis me haud multum, aut nihil repugnante, Fonteiana illa vſurpare. *Vos Belgarem, atque Allobrogum teſtimoniis credere non timetis? Scit Indiciomarus, quid ſit teſtimonium dicere?* Agam tamen iam quaſi quod dixi, teſtaretur nullus: & dico vel ſolâ coniectura hominibus non omnino ſtupidis videri poſſe non improbabile. *Alexandrum de iſto Iudæorum oraculo* licet eius æuo pridem obmutuiſſet; *ſciſſe, cogitaſſe.* Ac primò quidem, nonne in hoc ipſo, de quo diſſerimus, loco ſcribit Ioſephus, lapidum iſtorum fulgorem externis, & peregrinis admirationi fuiſſe vel maximè? Nonne, vt ſuprà etiam tetigi, Philoſophos idem ſuſpexiſſe narrat? Nonne lib. 1. contra Apionem Pythagoram, Hermippum, Herodotem, Clearchum, Ariſtotelem, Hecatæum Abderitem enumerat, qui Iudaicas res vel noſcent, vel editis etiam libris explicaſſent? Et Hecatæus quidem ἀνὴρ inquit ille φιλόσοφος ἅμα περὶ τὰς πράξεις ἱκανώτατος Ἀλεξάνδρῳ τῷ βασιλεῖ συνακμάσας. Ariſtoteles verò eiuſdem Alexandri præceptor fuit. An igitur cum ab alijs, tum ab hoc de Iudæis cognoſcere nihil potuit ipſe Alexander? Solent verò ea fere, quæ apud Gentes aliquas maximè admirabilia ſunt, aut fuerunt, ſermonibus maxime celebrari. Et quis credat Regem neque indoctum, neque ignauum, de Gentibus quæ ante Darium, quem petebat, occurrerent, non curioſè interdum quæſiiſſe, quæque apud ſingulos præclara, & mira viderentur, non interrogaſſe? Imo etiam ne tum quidem, cum obiecto diuinitus viſo, moneretur? cum Tyrum, & Gazam cepiſſet? cum ad ſummum ſacerdotem litteras illinc daret, tandemque Hieroſolymam properaret? Venienti obuiam proceſſit ſummus ille ſacerdos *Iaddus*, cum ſacerdotibus ſacerdotalibyſſinâ amictis omnibus, ipſe Pontificalibus ornamentis conſpicuus. Obſtupuit Alexander, adorabundus, procidit, dextram porrexit, vrbem, & templum iniit, ſacrificiaque ex illius præſcripto, plura obtulit. vti copioſè narrat lib. 11. cap. vltimo. Ioſephus, vt interim, quæ Gorionides lib. 1. cap. 6. narrat, diſſimulem. An neque tum de *Vrim* & *Thummim* inaudire quidpiam potuit? Nihil de illius veſtibus percunctatus eſt? Et ſi percunctatus eſt, cum Græca ei lingua, inter cætera nominaretur λόγιον an quia ea voce oraculū ſignificari ſciret, oraculorumque in tantâ expeditione omnium eſſet cupidiſſimus, occaſionem inde ſaltem non accepit, ſciſcitandi, an apud gentem illam aliquod, & quale oraculum foret? Interroganti verò, an quid & tum eſſet, & quod olim fuiſſet, non copioſiſſimè, ſapientiſſimèque reſpondit Pontifex? Alexandro igitur aliquid de *Vrim & Thummim* cogitatum, cognitum & auditum, etiamſi ſcriptores nulli dicerent, rerum tamen ipſarum conſideratio certum ſatis, & probabile efficit.

Ioſue.

Sed pergit Syzetetes. *Ad tertium dico, nihil eorum ſequi, quæ inferuntur. Nam belli meminit Ioſephus, vt rei de qua frequentius agebatur.*, fulgoris verò tantum, prætermiſſa ſubſequente *Sacerdotali manifeſtatione, meminit, quia manifeſtatio illa, res ſolita, fulgur verò, res cæteris gentibus planè inſolita, & inaudita erat, & ideo illam memoriæ ſtatuerat commendare.* Mihi verò perſuaſum, omnes, qui Ioſephum legerint, è verbis ipſius conceſſuros, duo iſta ſequi. At ſi adijciamus ea, quæ Syzetetes vult, ipſiuſque modo interpretamur, non vtique ſequentur. Sed probandum erat, ijs appoſitis modificationibus loqui Ioſephum. Alioquin & quilibet alium quemlibet modum Ioſepho in mente dixerit fuiſſe: Sed ab eo quaſi vel ſolidum alibi, & auditum, vel minus certè rarum, mirumque non explicatum. Ideoque non ratiocinando vti ego, ſed affirmando, tradit loco citato noſter Pererius. *Ioſephi modum non fuiſſe generalem, ſed in rebus tantum bellicis & quidem tantum de euentu vel felici, vel aduerſo.* Verum iſta de Ioſepho iam ſatis. Mihi & illud quærere libeat, damnaritnè hunc eius modum D. Auguſtinus quæſt. 117. Negat lib. 4. Diſq. cap. 1. quæſt. 2. ſerm. 1. Delrius noſter: ſed eum tantum; qui adamantem fulgentem ſtatuit.

Modvs *alter* eſt, vt litterarum, quæ in gemmis inciſæ tribuum nomina edebant; fulgore quodam reſponderet Dominus. Sed ferè idem cum Ioſephino modus, eſt niſi, quod per iſtum explicari iam poſſet, quomodo non ſolum *Etiam* vel *Non*, ſed alia etiam reſponderentur. eamque ob cauſam à R. Dauid Camio excogitatus.

Qvæst XXIX. *Quos, per eoſdem Vrim & Thummim reſpondendi modos, tradunt autores alij*

At multa forent adhuc alia fingenda: videlicet fulgorem fuiſſe litterarum illarum quarundam, aliarum non fuiſſe; rurſus quandam fuiſſe fulgorem, qui declararet hanc primo loco, illam ſecundo, aliamque tertio, & deinceps loco accipiendam literam: tertio ætate prouectiores, calligantesque, inſtar Eli, Pontifices ad *Vrim & Thummim*, ineptos fuiſſe. Ideoque vel ex inferiorum Sacerdotum ordine, qui *Rationale* illud geſtarent; vicarios ijs dandos fuiſſe, vel maximè principibus, totique Iudæorum populo moleſtum fuiſſe, quòd effata illa diuina expeditè non poſſet annoſus Pontifex legere, ac enuntiare.

Accedit, quòd in Patriarcharum duodecim nominibus, non omnes Hebraici Alphabeti litteræ ſint. Vbi enim ח ט צ: Et ſi, *Abraham, Iſaa*,

rogationum non reſpondebatur illo tantū ſplendore (nec enim commodè hoc potuit) ſed longè aliter. Audiebatur enim à Sacerdote interna quædam, vel externa quandoque locutio, ſeu oraculum, quod ipſe poſtea interroganti manifeſtaret. Quanquam nec abſurdum hic ſit opinari, ad ſplendorem tunc lapidum acceßiſſe Sacerdotis lumen propheticum menti eius à D E O *infuſum.* Et quia modus is plenior eſt, magiſque omnibus pænè conſentaneus; qui ſuſcipiatur, dignus eſt. Neque fuit ille à me, cum illa ſcriberem, negatus; ſed primus tantum modus, velút imperfectus, cum à pleriſq; putaretur perfectiſſimus, reiectus. Quin verò pleniorem iſtum & abſolutiorem modum ex voce, fulgoréue conflatum putaui aliquando à D. Chryſoſtomo traditum orat. 3. contra Iudæos. Videtur tamen potius vocem illi oraculorum generi aſcribere, quod ſemel in anno abſque Pontificali Ephod. intra ſancta ſanctorum accipiebat Pontifex: fulgorem verò ipſis *Vrim & Thummim.* Hæc enim eius verba. *Si quando cognoſcendum aliquid erat è propitiatorio, vox quæpiam è medio Cherubim prodibat, prædicans futura. Rurſus è lapidibus, qui erant in pectore ſummi Sacerdotis (Id vocabant declarationem) relucebat fulgor quidam futura ſignificans.* Cui aſſentitur Num. 27. quæſt. 42. Abulenſis. Sanè Rabbinus Azarias lib. 3. cap. 50. fol. 157. b. duos etiam modos *boteleth & matſteraphoth*, de quibus antea quæſt. 29. copulat.

QVÆST. XXXI. *Quibus de rebus per Vrim & Thummim, reſpondibat Dominus?*

N V M E R O R V M capite 27. de practicis rebus reſponſurum Dominū ſignificat textus noſter cum ait. *Si quid agendum erit, Eleazar conſulet Dominum.* Et has quidē tantummodo bellicas fuiſſe videbatur ſuprà ex ipſis Ioſephi verbis colligi. At verò practicas accipere oportet, non tam preſſè, quàm à Philoſophis interdum fit, ſed ita vt omnia, quæ aliquam hominis actionem, ſiue interiorem animi, aut voluntatis, ſiue exteriorem requirant, complectatur. Etſi enim in Græco & Hebræo non ſunt verba illa. *Siquid agendum erit*, ipſa tamen eorum res & ſententia ſignificatur per ſubiūcta illa *ingrediendi, & egrediendi*, de quibus antea. Ex quibus etiam intelligitur, omne actionum genus tam belli, quàm pacis, tam ſacrarum, quàm prophanarū, cœleſtium & terrenarum ſignificari. Licet plura de bellicis expeditionibus, quàm de negotiis aliis exempla ſuppetant. vt 1. Reg. 14. verſ. 19. c. 23. verſ. 10. cap. 30. verſ. 7. lib. 2. c. 2. verſ. 1. cap. 5. v. 22. Publica tamen hæc negotia, ſeu quæ ad perſonas ſpectarent, publicas indicat illa ſemel & iterum in cap. 7. Ioma fol. 72. b. & 73. repetita obſeruatio, quam & cap. 10. de vaſis templi notat Rambam, vt per *Vrim* Deum interroget Sacerdos *pro Rege*, pro *Ab beth din*, id eſt pro Synedrij ſenatuſuę patre ſeu Principe: pro *miſchebatſibur tſarich bo*, id eſt, pro omni eo, qui communitati neceſſarius eſt, cuiuſmodi refertur *Meſchuach hammilkamah*, id eſt, Sacerdos, qui peculiariter ad rerum bellicarum ex legis præſcripto directionem vngebatur: denique pro *col hedath zu ſanhedri*, id eſt, pro toto Synedrio & Eccleſia.

Sed infinita interrogatio fuerit, ſi quoties quidpiam agendum, toties interrogandum eſt. Sed facile modificatio illa intelligitur, quæ alibi expreſſa eſt, quamque ipſum interrogandi

A & conſulendi verbum affert: *Si quid* videlicet *obſcurum vel ambiguum ſit.* Neque enim de apertis, & ante pedes, vt aiunt, poſitis, interrogatio aut conſultatio eſt. *Non* D E V S *interſit*, ait quidam: *niſi dignus vindice nodus inciderit.* Hanc interrogationis materiem alio modo 70. & Hebræi enunciaſſe videntur. Nam illi quidem præſcribunt, vt interrogetur *iudicium τῶν δήλων, manifeſtorum coram Domino.* Hi verò, vt *de iudicio haurim.* Sæpe ſiquidem eorum *In*, pro *De*, ponitur. Si tamen non, *De*, ſed, *In iudicio*, malimus, his etiam verbis, modus quo interro-
B gandus D E V S, accipietur. Et in Num. 31. quæſt. 5. putat Abulenſis non improbabilem modum inquirendi, quænā eſſent virgines, fuiſſe per *Vrim & Thummim*: licet ibi minus aptè.

Quòd ſi quæras, *cur de humanis, caducíſque* iſtiuſmodi *rebus reſpondere* D E V S *dignatus ſit, etiam per Prophetas*, rationem præclaram dat Origenes lib. 1. cōtra Celſum hiſce verbis: *Gentibus cognitionem futurorum petentibus ex oraculis,*
C *auſpiciis, auguriis, ventriloquis, aruſpicibus, Chaldæis genethliacis, quæ artes omnes apud Iudæos ſunt vetitæ, ſi ipſi nullum ſolatium habuiſſent, è futurorum præſcientiâ, certè impulſi humana quadam futura cognoſcendi libidine cōtempſiſſent res ſuas, vt nihil diuinum in ſe habentes, nec alium poſt Moſen Prophetam recipiſſent, nec ſermones eorum mandaſſent literis, tranſfugiſſentque ad oracula gentium, aut ipſi conati fuiſſent apud ſe ſimile aliquod inſtituere. Quamobrem nihil abſurdi eſt etiam de fortuitis quibuſdam Prophetas eius gentis reſpondere ſolitos, quo ſatisfacerent talium re-*
D *rum cognoſcendarum cupidis, ſicut Samuelem de aſinis perditis, & de morbo regij pueri illum de quo in tertio libro Regnorum ſcriptum eſt: alioquin quomodo potuiſſent ij, qui legi Iudaicæ patrocinabantur increpare aliquem volentem idolorum oracula conſulere, ſicut legitur Helias Ochoziam increpans: An eò quòd non ſit* D E V S *in Iſrael, vos itis in Baal ad conſulendum Myiæum Deum Acaronitarum? Mihi ſanè videtur bene comparatum fuiſſe, non tantùm quòd naſciturus è virgine Seruator noſter, verum etiam quòd Prophetæ Iudæis dati ſunt, qui prædicerent de futuris non ſo-*
E *lum illa vniuerſalia, de* C H R I S T O, *de regnis mundanis, de futuris Iſraelitarum caſibus; de credituris* S E R V A T O R I *gentibus, & aliis multis, quæ ad illum pertinent; ſed de priuatis quoque negotiis, ſicut de perditis aſinis à Cis requiſitis, de morbo quo ægrotauit filius Regis Iſrael, aut ſi quid aliud tale in ſcripturis habetur.* Et lib. 3. ferè initio, *Quomodo*, ait, *oſtendent nobis iſti, qui ſtultitiam Iudæis, atque Chriſtianis obiiciunt, potuiſſe Iudæorum gentem conſiſtere ſine vllâ promiſſionum præſentiâ? Et cùm circumuicinæ gentes ſingulæ in ſuorum, vt tunc habebantur Deorum*
F *fana, peterent oracula, hos ſolos qui contemptum externorum numinum didicerant, vt non Deorum, ſed dæmonum, nimirum Prophetarum voce moniti omnes gentium Deos eſſe dæmonia: neminem habuiſſe, qui diuinæ mentis interpretem ſe profeſſus à vanis illis mentes ad ſe traheret eos; qui alioqui noſcendorum futurorum cupidine deſciuiſſent ad cultos ab aliis dæmonas? Conſidera igitur an non neceſſe fuerit eos domi habere meliorum vatum copiam, qui externos contemnebant vnà cum ſuis numinibus. Ergo cùm paſſim miracula fierent, ſicut ipſe mox memorat Aeſculapium ſanationes & ora-*

cula præſtantem totis ſibi dici dicatis vrbibus, Tricæ, Epidauro, Coo, Pergamo, & Ariſteum Proconneſium, aliumque quendam Clazomenium, & Cleomedem Aſtypalſem: apud ſolos Iudæos placentes ſibi vt peculiarem DEI *rerum vniuerſarum conditoris populum, nihil erat ſignorum aut prodigiorum quod confirmaret fidem in eum, coniunctam cum ſpe melioris vitæ aliæ? Atqui quomodo hoc ſuaret aliquis? Statim enim deſciuiſſent à Deo ſuo, cuius ope priùs pendebant, ad illos externos fatidicos, & ſanitatum largitores Deos, ſi ſui nullam ſenſiſſent in rebus dubiis præſentiam.* Ita Origenes.

QVÆST. XXXII. *Quomodo ad Sacerdotis verbum egredi & ingredi debuit Ioſue?*

HÆC ſuprà ponebatur tertia creati Principis actio. & valet hæc ad *ad verbum Sacerdotis ingreſsio & egreſsio*, idem, quod, *in omnibus abſque vllâ repugnantia, & tergiuerſatione*, Sacerdoti obedire. *Ad verbum*, ait, *eius egredietur, & ingredietur.* Hebraicè *ad os eius.* Sed conſtat non infrequentem eſſe metonymiam, vt pro effectu causâ ponatur. Ideoque rectè interpres pro Hebraico *ore*, *verbum* nobis dedit *Egredi* verò & *ingredi* frequentiſſima in ſcripturis ſunt, pro quidpiam incipere, moliri, perficere. ita vt Sacerdotis verbo audito, quidlibet aut aggrediendum, aut omittendum ſit. Sed *cuius* aut *verbum*, aut *os*, cui tantoperè obſequendum? DEI *verbum* ait eſſe quidem. Nec repugno. modò id, Interprete Sacerdote, ad Principis, populique aures efferri cenſeatur, vt vox quæ horum aures ferit, Sacerdotis quidem ſit loquentis: DEI vero tanquam eius, qui Sacerdoti, vt iſta loqueretur, dedit, quique per hunc ipſum, tanquam internuncium loquitur. Sic enim DEVM *os quorumdam tangere, in eorum ore, verba ſua ponere*, quoſdam *os ſuum* nominare legimus. Vnde & illud. *Qui vos audit, me audit.* Alius quidem, ipſius *Ioſuæ verbum* hoc eſſe credidit. Vbi ſanè meritiſſimè dixeris, optimum alioquin Homerum, dormitare. Clarum enim videtur de illius verbo præcipi, qui interrogatur. At ſiue is Deus ſit, vt ſuperior ille volebat, ſiue potius Sacerdos, vt rerum ipſarum connexio indicat, nullo modo Ioſuæ verbum erit. Et verò finis, cur coram Sacerdote, Principi ſtandum, cur ab eo ſciſcitandum quidpiam. ſit, nõne hiſce verbis explicatur? Quemadmodum enim paulò antè finis, cur coram populi multitudine, ſtatui, debuerit, expoſitus eſt, *vt audiat eum omnis Synagoga*: ſic & hoc ipſo loco, cur ante Sacerdotem ſtare, conſilium ab eo petere. vt Sacerdotis ſcilicet verbum audiat, ei obſecundet. Ideoque, quantumuis à Pontificiæ poteſtatis hoſtibus editus, ita hunc in locum, ſcribit Vatablus. *De ſermone Sacerdotis intelligit. Non vult Dominus quidquam aggredi Ioſuam, & populum inconſulto ſummo Pontifice, cui Dominus reuelabat ſuam ſententiam de rebus agendis omnibus.* Fateor tamen cuniculum, in quem ſe cum vſus foret; conderent, affoſſum ibidem videri. Additur enim, *Quaſi diceret Dominus: Secundum quod ipſe Pontifex à me edoctus loquetur, ipſe & filij Iſrael ſuſcipient aliquid agendum, aut deſiſtent*, Volunt enim lucifugi, contra ea, quæ Pontifex pronunciauit, ſibi hanc ipſam exceptionem concedi, illum non à DEO, ſed

A *à ſeipſo* edoctum loqui, ſe alioqui perlibenter parituros. Sed quæ tum oraculorum diuinorum auctoritas? quæ reſponſorum ſacerdotalium vtilitas? Nunquam non ingeniorum humanorum leuitas proteruiet: ſemper quidquid per ſacerdotes, dicat, moneat, doceatue DEVS; obganniet, hos non bene DEVM interrogaſſe, non quam oportebat diligentiam, & ſcripturarum cognitionem adhibuiſſe, non precationum, non ſynodorum ſatis. aut vere DEI loquentis voces, & afflatus, vel omnino nullos accepiſſe, vel ſi acceperint, eos B certè non intellexiſſe. Demum, vtut iſta ſeſe habeant omnia, diuinam ſententiam & voluntatem, populo neque ſyncerè, neque ſimpliciter enunciare? Suo quadam arbitratu ſomnia fingere, & fabulas admiſcere, propriis inuentis contaminare omnia. Ideoque vt obſtrepentes iſtiuſmodi linguas coërceret, penituſque reſecaret Dominus, ſimpliciter. *Ad verbum*, inquit, *eius ingredietur* (IPSE, & OMNES) *filij Iſrael cum eo, & cætera multitudo.*

C Nunc ergo iſtud mihi conſidera: IESVM *Naue*, inquit ſanctus Ambroſius, lib. 2. de off. cap. 20. vt ſuprà cap. 4. quæſt. 2. *non ſolum erudiuit ad legis ſcientiam Moyſi copula, verumetiam ſanctificauit ad gratiam. Cùm in eius tabernaculo diuina refulgeret præſentia, & videretur maieſtas Domini, ſolus erat in tabernaculo* IESVS *Naue. Moyſes cum* DEO *loquebatur: Ieſus pariter nube ſacrâ tegebatur. Presbyteri & populus deorſum ſtabant: Ieſus ad accipiendam legem cum Moyſe aſcendebat. Omnis populus inter caſtra erat, Ieſus extra caſtra in tabernaculo teſtimonij. Cum columna* D *nubis deſcenderet, & loqueretur cum Moyſe, quaſi fidus aſtabat miniſter. Nec exibat de tabernaculo Iuuenis, cum ſeniores longè poſiti diuina trepidarent miracula. Vbique igitur admiranda opera, & reuerenda ſecreta, ſancto Moyſi indiuiduus adhærebat, vnde factum eſt, vt qui fuerat ſocius conuerſationis, fieret ſucceſſor poteſtatis. Meritò huiuſmodi vir euaſit, vt ſiſteret fluminum curſus, decerneret, Stet Sol, & ſtaret Sol, quaſi eius ſpectator victoriæ; noctem differret, diem produceret, &* E *quod quidem Moyſi negatum eſt; ſolus eligeretur, vt populum introduceret, in terram promiſsionis. Magnus vir fidei miraculis, magnus triumphis.* Si tantus igitur vir, in magnis Moyſis ſchola, vel *ſinu potius*, à primâ, vt Hebræi tradunt; pueritia educatus, tam ſancta, & illuſtri diſciplina perfectus, tot, tantiſque rebus & geſtis, & gerendis nobilitatus, ipſius etiam DEI collocutione dignatus, populi Dux, DEI ſeruus, *Propheta*, imò, vti quidem Auguſtinus, expoſuit, etiam *Angelus*, à Sacerdote pendere, ipſum omnibus in rebus paulò implicatioribus F adire, conſulere, audire, ac ſequi debuit, an parùm quæ veteris legis Pontificum, quæ noſtrorum, quorum illi vmbra fuerunt, auctoritas ſit, intelligitur? Quotquot ſanè Chriſtiana in Republica *Ioſuæ* fuerunt, ſuos iidem omnes *Eleazaros*, & habuerunt, & valde coluerunt: neque vllam Abulenſi in Num. 27. & in Ioſuæ 14. quæſt. 2. dicenti ad Ioſuæ imperium Eleazaro ingrediendum & egrediendum fuiſſe, aurem dederunt: neque Conſtantinopolitano illi

Digitized by Google

illi Imperatori, qui Ieſum in Sacerdotem accepiſſe imperium ſcripſit: & ex Innocentij III. epiſtola, quæ citatur c. *ſolitæ* x. de maioritate & obedientia, conſtat. vbi reſpondet quidem iſte *Beniamitam* Ieſum (*Ephraimitam* legerim) veri *Ieſu* figuram, ſecundum ſpiritum geſſiſſe: ſed addendum, eum, quia Princeps erat ſecularis, haud quaquam in Sacerdotes dominatum.

Quæst. XXXIII. An Sacerdotu imperio ſolus obedire debebat Ioſue?

Etiamsi aliud nihil dixiſſet Dominus, quàm Ioſue ad Sacerdotis verbum egredi & ingredi oportere, ſatis ſignificaſſet idem, & aliis multo magis faciendum. Cùm enim populo vniuerſo præeat Princeps, ſi Sacerdotem hic ſequitur, ſequetur & populus Dominus tamen cum Sacerdotalem hanc obedientiam valdè omnibus impreſſam, & inculcatam vellet, poſtcaquā de Principe dixerat, addidit, *& omnes filij Iſrael cum eo*. Cumque id iam plus ſatis videretur, adhuc tamen adiunxit: *& cætera multitudo*. Tria ergo eorum, qui obtemperare Sacerdoti debeant, genera enumerantur. 1. ipſe *Princeps*. 2. *Omnes filij Iſrael cum eo*. tribus inquam omnes, ipſique Phylarchi. nemo excipitur. Si Sacerdoti audire Principem oportet, multo alios magis. Principis exemplum præeuntis, omnes & ſingulos ſequi conſentaneum, idque illud *Cum eo* ſignificat. Quanquam hanc 70. particulam ad ipſam omnium in tali obedientiâ conſentionem reuocare videntur, dum ὁμοθυμαδὸν verterunt, nullus vt repugnet, nullus, vel animo, & cogitatione ſolâ, reluctetur. 3. *Omnis Synagoga*, vt iidem conuerterunt 70. Licet enim hæc eoſdem ipſos, qui adhuc enumerati, complectatur, alio tamen modo. Singuli antea ſpectabantur: iam verò coniuncti, & in vno quaſi concilij alicuius corpore congregati. Nam ne Eccleſia quidem reliqua vniuerſa Pontificis Maximi verbum aſpernari, vel ſuum ei antepouere poteſt.

Quæst. XXXIV. An Vrim & Thummim vſus aliquādo Ioſue?

Nusquam quidem toto Ioſuano volumine relatum, vel à Principe Sacerdotum, vel à Sacerdote, Dominum interrogatum, quin tamen ſuis vterque partibus egregiè ſatis fecerit, dubium eſſe non poteſt. Neque enim fruſtra hæc tam ſeriò mandauit Deus, neque ipſe hominum ſimilis eſt, qui aliqua interdum, ſi caſus aliquis incideret, preſcribunt. quæ ideo, quod iſte non incidat, nunquam fiunt. Prouident enim iſti prudentia humana ea tantùm, quæ euenire queant, non autē quæ certò euentura. Vtraque vero clariſſimè diuinus oculus intuetur. Ideoque ſi qua futura nunquam eſſent, de iis præceptorum nihil daret. Neque in ſcripturis nouum, quæ in hoc etiam conſultationis, genere crebrius facta ſint; alto inuolui ſilentio. *Num hodie*, aiebat, 1. Reg. 22. 15. Sacerdos ille, *cœpi pro eo* (Dauid) *conſulere Dominum?* Conſtat eundem Dominū à Moyſe quàm ſæpiſſime conſultum, & tamen non niſi ter ſummum quinquies id articulatè proditum, Accedit, quod ſemel tantum Ioſ. 9. diuinam hanc percunctationem omiſſam, omiſſionemque reprehenſam inuenimus. Quanto plures eſſent reprehenſiones, ſi plures omiſſiones? Quæ fulmina, ſi interrogatum, & reſponſum, non tamen obtemperatum?

Quæst. XXXV. Quæ ex dictis colliguntur? & primò, quid interrogare de vel in iudicio Vrim, & quæ horum certitudo?

Ex his intelligitur, quidnam ſit, quod ſuperius quæſt. 31. dicebamus interrogare Dei vel In *iudicio Vrim*. Nam qui Dei *iudicio* interrogat, hoc vult, vt quod ipſo *Vrim* iudicio, ſeu ſacro pectoralis vſu compertum, indicatum, & iudicatum fuerit, id à Sacerdote iam pronuncietur, pandetur, & explicetur, adeò vt Geneuenſis antea nominatus commentarius, *Interrogare* Dei *iudicio Vrim, nihil aliud eſſe dicat, quàm de ſuo ipſius iudicio Pontificem interrogare*. Qui autem In *iudicio* quærit, ſi Sacerdos eſt, intelligitur quærere non quoquo modo, ſed aſſumpto Ephode ac pectorali, ſi Princeps vel alius quicunque, vult is vt Sacerdos à Deo quærat, non quacunque ratione, ſed aſcito eodem ipſo Ephode, ac pectoralis ornamento. Vbi enim reſpondebat Sacerdos, certi iam omnium animi erant, in iis quæ dixiſſet, acquieſcendum: eam eſſe Dei ipſius ſummam voluntatem, doctrinam, & veritatem aliam fingendam aut expectandā non eſſe. Id enim vt demonſtraret dominus ſubiunxit *Ad verbū eius* (Pontificis) *egredietur & ingredietur ipſe* (Princeps) *& omnes filij Iſrael cum eo* (Principe) id eſt, vbi reſponderit, & quidquid reſponderit Pontifex, ei, quacunq; de re agatur, ſiue ſit egreſſionis, ſiue ingreſſionis, eo quo ſuprà expoſitū eſt, modo, erit ab omnibus, abſque contradictione vel exceptione vlla, obtemperandum. Et idcirco dicunt in citato ſæpius cap. 7. *Ioma* Hebræi certiora fuiſſe per *Vrim*, quam per prophetiam oracula, quòd à circumſtantiis & conditionibus quibuſdam hæc pendeant, interdumque mutentur: illa non item. Vnde & *Thummim* quaſi *meſchlimim* vocari dicunt iidem Thalmudici, vt ſuprà indicatum quæſt. 25. & negant Iudicum cap. 20. verſ. 18. & 23. de victoria interrogatum, ſed ſolummodo poſtea verſ. 28.

Quæst. XXXVI. Quid ſecundo ex his dictis colligitur?

Intelligitur ſecundò, quæ Pontificum de fideis articulis, controuerſiſque capitibus interrogatorum partes ſint. Debent ad Dominum, à quo doctrina & veritas omnis, audire, ipſi ſupplicare, ſacrū Ephodem & pectorale, in quo *duodecim Apoſtolorum nomina* ſint, ſumere, id eſt, Apoſtolica ſcripta & traditiones expēdere, populi Chriſtiani gemmas, id eſt, Epiſcopos & Doctores adhibere, ſummoque ſtudio laborare, vt docti & illuminati alios ipſi doceant & illuminent. *Imponatur*, ait Origenes, *rationali* Manifestatio, *vt poſſit reſpondere omni poſcenti ſe, rationem de fide & veritate. Ponitur autem ſuper illud &* Veritas, *vt non illa aſtruat, quæ proprio poteſt excogitare ingenio, ſed quæ veritas habet, nec à veritate vnquam diſcedat.* Idem Origenes homilia 6. in Leuiticum. *Logium*, ait, *ſapientiæ indicium eſt, quia ſapientia in ratione conſiſtit. Sed quæ ſit ſapientiæ huius & rationis virtus oſtendit. Imponit enim ſuper rationalem, manifeſtationem, & veritatem.* Deinde quæ in eorum dictis & factis omnibus ſapientia & integritas, quæ ſynceri pectoris doctrina & perfectio, quæ bonorum exemplorum imitatio, quis zelus & ardor alios docendi ſeu illuminandi & perficiendi. *In rationali*, ait ſanctus Gregorius, 2. Paſtor. cap. 2. lib. 1. epiſt. 24. *vigilanter adiun-*

Digitized by Google

*gitur, vt duodecim nomina Patriarcharum deſcri-
bantur. Aſſcriptos enim Patres ſemper in pectore
ferre, eſt antiquorum vitam ſine intermiſſione cogi-
tare.* Nam *tunc Sacerdos irreprehenſibiliter gra-
ditur, cùm exempla Patrum præcedentium indeſi-
nenter intuetur, cum ſanctorum veſtigia ſine ceſſatio-
ne conſiderat, id eſt, Sacerdoti iudicium filiorum Iſ-
rael, in pectore, coram domini conſpectu geſtare, eſt
ſubiectorum cauſas pro ſola interni iudicis intentione
diſcutere, vt nihil ſe ei humanitatis admiſceat in eo,
quod diuinâ poſitus vice diſpenſat.* D. Hierony-
mus in Oſeæ 2. *Hoc intelligimus, quod in pectore &
corde Pontificis* ἀλήθεια καὶ φωτισμοὶ, *id eſt, veritas eſſe
debeat atque doctrina: vt non ſolùm ſciat rectam fi-
dem, ſed & quod cognouerit poſſit ore proferre. Quod
& Apoſtolus Paulus ſcribit ad Titũ, docens, qualis Epi-
ſcopus ordinandus ſit: Oportet enim Epiſcopum ſine
crimine eſſe, tanquam* Dei *diſpenſatorem: non ſu-
perbum: non iracundum, non vinolentum, non percuſ-
ſorem, non turpis lucri cupidum: ſed hoſpitalem, beni-
gnum, ſobrium, iuſtum, ſanctum, continentem, am-
plectentem eum qui ſecundum ſanam doctrinam eſt
fidelem ſermonem: vt potens ſit exhortari in doctrina
ſana: & eos qui contradicunt arguere.* Et epiſtola
128. *pulchrè autem hoc ipſum quod in medio eſt, ap-
pellatur rationale. Ratione enim cuncta ſunt plena;
& terrena hærent cœleſtibus, immò ratio terrenorũ, &
temporum, caloris & frigoris, & duplex inter vtram-
que temperies, de cœli curſu & ratione deſcendit. Vn-
de & rationale cum Ephod fortius ſtringitur. Porrò
quòd dicitur in ipſo rationali* δήλωσις *eſſe, &* ἀλήθεια,
*id eſt, veritas, vel manifeſtatio atque doctrina, hoc
ipſum ſignificat, quod nunquam in* Dei *ratione men-
dacium ſit, ſed & ipſa veritas multis ſignis & argu-
mentis monſtretur hominibus, & vſque ad mortales
veniat. Vnde factum eſt, vt rationem ſolis, &
lunæ, & anni, & menſium, & temporum, & hora-
rum, tempeſtatum quoque ſerenitas, atque vento-
rum, & rerum omnium noſceremus, accipientes inſi-
tam à* Deo *ſapientiam, & ipſo habitatore, atque
doctore, domicilij ſui nobis, & fabricæ ſcientiam de-
monſtrante.* Et poſtea.

*Rationale duplex eſt, appertum & abſconditũ, ſim-
plex, & myſticum, duodecim in ſe lapides habens, &
quatuor ordines; quos quatuor puto eſſe virtutes, pru-
dentiam, fortitudinem, iuſtitiam, & temperantiam,
quæ ſibi hærent inuicem: & dum mutuò miſcentur,
duodenarium efficiunt numerum, vel quatuor anima-
lia, quæ in Apocalypſi deſcribuntur plena oculis, &
Domini luce radientia mundum illuminant. In vno
quatuor, & in quatuor ſingula, vnde &* δήλωσις καὶ
ἀλήθεια, *id eſt, manifeſtatio, vel doctrina, & veritas
in pectore Sacerdotis eſt. Cùm eum indutus quis veſte
multiplici, conſequens eſt, veritatem, quam corde reti-
net, ſermone proferre: & ob id in rationali veritas eſt,
id eſt ſcientia, vt nouerit quæ docenda ſint, & mani-
feſtatio, atque doctrina, vt poſſit inſtruere alios, quod
mente concepit. Vbi ſunt, qui innocentiam Sacerdoti
dicunt, poſſe ſufficere? Vetus lex nouæ congruit: idip-
ſum Moyſes, quod Apoſtolus. Ille Sacerdotis ſcientiam
ornat in veſtibus: iſte Timotheum, & Titum inſtruit
diſciplinis.* Philo lib. de Iudice. *Quid in vita eſt
æquè pretioſum ac veritas? quam vates ſapiens inſcri-
pſit loco ſacratiſſimo, ea parte veſtis Pontificiæ, vbi eſt
principalis vis animæ, vt Sacerdotem per hoc ornamen-
tum auguſtiorem faceret. Veritati autem adiunxit
cognatam virtutem, declarationem vt vocat, vt eſſent
ceu imagines orationis, quæ vel animo concipitur, vel
A proferiur etiam.* Nam *huic declaratione opus eſt, per
quam aperiatur alijs quicquid latet in animo: ſicut
veritate illi alteri ad perfectionem vitæ, actionumque
par quas itur ad felicitatem.* Lib. 3. de Moyſe. *Vo-
luit rationale quadrangulum eſſe artifex, pulchrè ſub-
indicans, oportere rationem tum naturæ, tum hominis
inconcuſſam eſſe ac ſolidam: quapropter ei duas ſuprà
dictas virtutes attribuit, reuelationem atque veritatem.
Nam & naturæ ratio vera eſt reuelatoriaque omnium,
& ea quæ in ſapiente eſt imago illius alterius, debet eſſe
veriſſima, & nihil celare præ inuidia, quod quidem
B cognitu ſit vtile. Quin & vniuſcuiuſque noſtrûm tum
oratio, tum ratio his duabus ornanda eſt proprijs virtu-
tibus, declaratione oratio, veritate interna ratio. De-
cet enim mentem mendacium nullum admittere, ora-
tionem autem expeditè veritatem proferre declarare-
que.* Libro 2. de Monarchia. *Rationale gemi-
nus textus variat, quorum alter claritas appellatur,
alter veritas. Per hanc ſubindicatur non eſſe
fas vlli mendacio cælum aſcendere, quod totum
inde ad terreſtria loca relegatum ſit, & demigrarit
in animos ſceleſtorum hominum. Per claritatem
C verò res noſtras clareſcere naturis cœleſtibus, aliâs in
obſcuro futuras. Liquet enim, quod niſi ſole illuſtrante,
non eſſent conſpicua tot qualitates corporum, nec tot
cœlorum formarumque ſpecies, nec dierum, noctium,
menſium, annorumque diſcrimina, & in vniuerſum
quis diſtinxit tempora, niſi ſolis, lunæ, cæterorumque
ſyderum curſus & recurſus concinniores quàm vt
enarrari poſſint humanâ facundiâ? vnde numerorum
natura, niſi ex obſeruatione modo dictarum temporis
partium? Quis in tanta maris latitudine ſimul & al-
titudine vias nautis aperuit, niſi ratio ſyderum? Alia
D quoque innumera viri ſapientes deprehenſa per eorum
notitiam retulerunt in litteras, vt procellas & tran-
quillitates aëris, felices ac malignos frugum prouen-
tus, æſtus remiſſos & ardentiſſimos, hyemes aſpe-
ras aut vernantes, ſiccitates & pluuias, fœcundi-
tatem animantium & ſtirpium, aut è diuerſo ſterili-
tatem, & id genus alia. Omnium enim rerum ter-
reſtrium in cœlo ſigna notata ſunt.* Quin verò & Cy-
rillus lib. 11. de adoratione, cùm per lapides in
rationali poſitos, ſanctos homines intellexiſ-
ſet, pergit dicere eorum nomina in Christi
E figuram ibi poſita, *qui*, ait, *vnà cum ſanctis homi-
nibus verſatur: Ecce enim, inquit, vobiſcum ſum om-
nibus diebus, & vſque ad conſummationem ſæculi.
Veritas autem ac manifeſtatio* Christvs *eſt: In
eo enim Patrem cognouimus, & manifeſtauit nobis bo-
nam ipſius voluntatem & perfectam & beneplacẽtem,
iuxta ſcripturas: ait enim Chriſtus: Iam non dico vos
ſeruos; vos amici mei eſtis, quia omnia, quæ audiui à
Patre meo, annunciaui vobis. Veritas eſt etiam alia ra-
tione ille Emmanuel: quia ipſe ſolus eſt ſecundum na-
turam, & vt* Devs *ex* Deo *ſolus Sanctus, ſolus
F Dominus; at verò creatura per participationem atque
imitationẽ, id eſt, quocunque ille eſſe intelligitur. Adeſt
itaque* Christvs *cum ſanctis viris præſens, cum tan-
quam in manifeſtatione ac veritate intelligitur.* Atque
huc ſpectat, non illud Momi, qui hominum *pe-
ctora feneſtrata* optabat; ſed Æliani votum, qui
loco antea citato malebat in Ægyptij Iudicis
pectore *veritatem* ineſſe, quàm *huius*, ante illud,
pendere imaginem. Iudices, ait lib. 15. Var. hiſto-
riarum, *apud Ægyptios ijdem quondam fuerunt,
qui & Sacerdotes. In his princeps erat ſententiæ,*

maximus

maximus natu, & in omnes ſtatuendi ius habebat. Eum omniũ hominũ eſſe iuſtiſſimum & ſynceriſſimũ oportebat, qui circa collũ imaginẽ ex ſapphiro gemma confectã geſtabat, quæ vocabatur veritas. Ego verò iudicem non tã in lapide ſculptã aut expreſſam veritatẽ circumferre, quã in animo, mentéque inſitam & infixã habere, velim. Hæc ille. Hoc tamen rei huius erat figura & monimentũ. Sed illud ridiculum, quod Lutheranus quidã Brunſuicẽſis Hermãnus Nicephorus in diſputatione *de diſtributione Dialecticæ* num. 40. ſeriò affirmat, diuinâ auctoritate probari duas Logicæ partes *Inuentionẽ* & *Iudicium*, quia illa per *Vrim*, hoc per *Thummim* ſignificatur.

Q. xxxvii. Quid è dictis colligitur tertiò?

Intelligitur tertiò, quãtò Iudæi, ſuo in Sacerdote Gentilibus feliciores, qui cùm auium volatus, garritus & tripudia ſoliſtima, pecudũ exta, raucos mugitus aut balatus ſuperſtitioſiſſimè ſuſpicerent, hãmonas, dodonas, Delphos & Trophonia neſcioquæ antra, oraculorum causâ, ſtudiosè adeò colerẽt, ſimulachra ſua, diuinos ſuos, Pythones & Ariolos, vt Iſaias inquit, cura ſollicitudineque tãtâ interrogarent, nihil tamen niſi obſcurũ, anceps, incertũ, fallax & mendax, vt ipſemet Tullius, Plinius, aliique diſſeruerunt, conſequerẽtur. Hinc lib. 7. cõtra Celſum Origines. *Dico,* ait, *de modo enumeratis oraculis, poſſe nos ex auctoritate Ariſtotelis & Peripateticorũ multa proferre, Pythiæ, cæteriſque fidem abrogantia: poſſe item ex Epicuro eiuſque ſectatoribus transſcribere quid de his ſentiant, oſtendereque quòd ipſi Græci nihil pendant Græciæ oracula vel celebratiſſima. Sed faciamus nõ eſſe figmẽta hominum, quæ ferũtur de afflata numine Pythia, cæteriſque id genus vatibus, videamus annõ, ſi diligẽter rei veritatẽ expẽdamus, euinci poſſit, etiãſi maximè ſint oracula, nõ conſequi neceſſario præeſſe illis numẽ aliquod, ſed potius quoſdã malos dæmonas, & ſpiritus infenſos humano generi, opponenteſque ſe animis ad cœlũ per virtutis viã ac veram pietatẽ tendentibus, qua redeãt ad* Devm. *Certè de Pythya, quo non aliud manteũ eſt celebrius, narratur vatem illã Apollinis deſidere ſuper foramẽ ſpecus Caſtaly, & aſcendentẽ inde ſpiritũ per muliebre gremiũ recipere, quo repleta profert iſta præclara & diuina vt putantur oracula. Cõſidera nunc annon hoc ipſo abũdè intelligatur ſpiritus illius impuritas, nõ per cæcos meatus multo puriores muliebri gremio penetrãtis in animã fatidicam, ſed per eos quos vir honeſtus non ſuſtineret aſpicere, nedum tangere: idque non ſemel atque iterum, quod fortaſſe ferendum erat, ſed quotieſcunque illa inſtata Phœbo prophetare creditur, quin & illud quod extra ſe rapta, magicis artibus furiata, ipſa quid agat intelligit, nõ eſt opus diuini ſpiritus. Deberet enim quicunque diuino afflatur numine, ante alios qui oraculis eius iuuantur, & ad meliorem naturæ conſentaneam vitam proficiunt, ipſe cernere quid ſit conducibile, præſertim tantiſper dum* Devs *eſt in eius pectore. Nos ſanè colligimus è ſacris ſcripturis, quòd Iudæorum Prophetæ illuſtrati diuino ſpiritu, quatenus opus erat illuſtrari diuinorum conſiliorum interpretes primi fruebantur aduentu ad ſemetipſos: contactique animam (vt ita loquar) ſancto Spiritu, & hanc adipiſcebantur ſplendidiorem, & mentem perſpicaciorem, atque adeò corpus ipſum, non ampliùs ſpiritui contumax, aut rectam vitæ rationem faſtidiens, nimirum emortuum (ſicut noſtri loquuntur) carnis concupiſcentijs. Perſuaſum enim eſt nobis quòd opera carnis inimica* D e o *mortificantur per diuino-* A *rem ſpiritum. Quòd ſi Pythia extra ſe rapitur, dum fata canit, qualis exiſtimandus eſt ille ſpiritus offundens menti ac rationi tenebras cum ſit ſimilis huic dæmonum generi, quod non pauci Chriſtiani eijciunt ex obſeſſis corporibus, idque ſine omni curioſitate magorum & veneficorum, ſed ſolis precibus, adiurationibuſque ſimplicibus, quæ ſunt artes hominum ſimplicium: Nam plerunque plebei homines hæc faciunt, per verbum ſuum coarguante dæmonum infirmitatem* Christi *gratia, quòd non opus ſit ad profligandos eos ex anima hominis & corpore ſapientibus verbis & validis de fide rationibus.* Et poſteà. **B** Nihili pendimus Pythia, Dodonæa, Claria, Branchidarum, Ammoniſque oracula, & ſi qua celebrantur, ſolaque miramur Iudaica, videntes horum fortem, conſtantem, honeſtamque vitam dignam fuiſſe, vt in animis eorum hoſpitaretur diuinus ſpiritus, nihilque hic ſimile dæmonum diuinationibus.

Q. xxxviii. Quid quartò ex iis, quæ hactenus disputata, colligendum?

Demum verò intelligitur, quanto nos vtriſque Chriſtiani antecellamus. Nam & falſa inanique Gentilium diuinationis ſuperſtitione **C** liberati, & veriſſima iam Vrim & Thummim in veriſſimis, grauiſſimiſque rebus adepti ſumus. Erat Sacerdotium Iudaicum Sacerdotii noſtri typus & figura: res quæ eis promittebantur & dabantur, temporariæ, cœleſtium & diuinarum, quæ per Christvm Iesvm, nobis allatæ & communicatæ, vmbra tantum & imagino. De temporariis caduciſque bonis, de bellorum proſpero vel aduerſo euentu, de modo prælii aut fugæ ineundæ, de conſimilibus aliis Sacerdos interrogatus reſponſa edebat clara, certa, omninoque indubia, **D** vt multo verius τὰ δῆλα quàm Apollinea illa Delus, vocarentur. Nos verò de hiſce quidem inferioribus abiectioribuſque vitæ commodis, oraculum, quod ſciam, nullum ſingulare accepimus: ſed de iis quæ ad æternam felicitatem perpetua, & vera bona deducant; de ijs inquam rebus quæ ad fidem, ſpem, & charitatem ſpectent, qui conſulatur, & à quo clarè certò conſtanterque reſpondeatur, nobis Pontifex Maximus, Chriſti ipſius Domini Vicarius, S. **E** Petri ſucceſſor datus. Quod ſi non eſſet, nonne multo nobis fuiſſent Iudæi beatiores? Nonne ambiguis difficillimiſque temporibus, adiumenti, diuinique alloquii plus habuiſſent? Neque enim diuinis etiam ſcriptis, quæ Gentilium auguria, tripodas, quercus, & ſortes omnes ſuperarent, caruerunt.

Singulare dixi *de temporariis bonis* oraculũ nos nõ habere, quia vniuersè nobis alioqui cõſtat, ſi religionem & iuſtitiam colamus, diuina mandata ſeruemus, bonum faciamus, à malo de- **F** clinemus, illa cumulatiſſimè nobis ſuppeditanda, vel eo certè modo, quod ad meliorum, cæterorumque bonorum adeptionem: nobis cõducibilius. *Subſequuntur*, aiebat ſanctus Celeſtinus epiſtola 5. ad Imperatorem Theodoſium, *omnia proſpera, ſi primitus, quæ* D e o *ſunt cariora ſeruentur*, nimirum *iuſtitia eleuat gentem: miſeros autem populos facit peccatum.* Prouerb. 14. *Primum quærite regnum* D e i, *& cætera adiicientur vobis.* Matth. 5:

Q. xxxix. Quid in iſta Moſaici ſucceſſoris electione [illegible]?

Spectauit eam electionem populus, & aſſenſu, applauſuque ſuo approbauit. Sed neque elegit ipſe, neque manus impoſuit, neque honorem &

obedientiam ab eo accepit: Sed è contrario ab ipſo Princeps. Si dicas Originem homilia 6. in Leuiticũ ex eo quod in veſtiendo Aarone præſens fuit populus Leuit. 8. verſ. 4. ſic ratiocinari. *Licet ego Dominus de conſtituendo Pontifice præcepiſſet, & Dominus elegiſſet, tamen conuocatur & Synagoga. Requiritur enim in ordinando Sacerdote & præſentia populi, vt ſciant omnes, & certi ſint, quia qui præſtãtior eſt ex omni populo, qui doctior, qui ſanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad ſacerdotium, & hoc aſtãte populo, ne qua poſtmodum retractatio cuiquam, ne quis ſcrupulus reſideret. Hoc autem eſt quod & Apoſtolus præcipit in ordinatione Sacerdotis dicens: Oportet autem illum & teſtimonium habere bonum ab his qui foris ſunt.* Quam etiam ob rem videatur neceſſaria ſemper in Principum electione populi præſentia: Reſpondetur omnino parẽ eſſe argumenti rationem. Sed quemadmodum in politicis Principibus eſt per hæreditatem ſucceſſio, vel per certos optimates electio, vt in Imperio Romano, ita & in Eccleſiaſticis, de quibus Bellarminus lib. 1. de Cleric. à cap. 2. videatur. An verò ſolenni ritu obedientiã ei detulerit, diſputatur infrà lib. 2. c. 1. pag. vlt. qu. 4. cõtra Maſiũ.

Q. XL. *Quid in eadem electione Eleazarus Pontifex.*

Non, vt populus, electionẽ tantũmodo iſtam ſpectauit, & quoquo modo approbauit Eleazarus Põtifex: Sed primò ſacerdotali eã auctoritate approbauit, ratãque habuit. Deinde venerationem, & obedientiã à ſtante Ioſue grauiter ac

A modeſtè admiſit. Sedẽs, vt res ipſa innuere videtur, in ſacerdotali *cathedra*, quæ & *Moyſis* vocatur Matth. 22. Tertiò, modum didicit nouos deinceps, ſi quando ferret vſus, Principes alios creãdi, quẽ & ipſe ſeruaret, & Sacerdotibus futuris præſcriberet. Quemadmodum ipſemet Moyſes Aaronem Põtificalibus veſtibus ornauit Leuit. 8. & cùm ille moreretur, eius hunc filium Eleazarũ Num. 20. vt deinceps, quem modũ vidiſſẽt, retinerẽt ſucceſſores: ita hoc loco, aſpexit Eleazar, quemadmodũ in populi conſpectũ adduceretur

B deſignatus Princeps, ei manus imponeret Moyſes, ipſi præcepta daret, Sacerdoti ſiſteret, vt itidẽ poſtea faceret ipſe, ipſiuſque poſteri. Formula enim quędã creandorũ Principum, & exẽplar hic monſtratũ. Quartò & poſtremò didicit, quemadmodũ ſummâ cũ auctoritate poſſet, quod agendũ foret, Principi dicere, ac imperare *Præcepta enim ipſi Principi obedientia, facultatem imperandi reſeruari Pontifici ſignificat*, ait Caietanus.

C Sic ergo Iſraelitarum *Dux*, &, vt in Samaritanorũ, apud Scaligerum Iſagog. Canonũ lib. 3. pag. 218. vocatur, *Rex primus*, *primus* inquam in terra promiſſa, deuicta, diſtributa & pacata conſtitutus eſt Ioſue, de quo in *Iuchaſin* folio 10. 51. 158. vbi & inter alia dicitur fuiſſe *Moyſis facies vt Sol, Ioſuæ vt Luna* f. 51. cũ de Rabbino Eliezer Hircani filio, cuius aliquoties antea citaui & poſtea citabo capitula, narrat Rabbinus Abrahã Zacuthus.

CAPVT X.

De reſiduis Ioſuæ geſtis, vſque poſt Moyſis mortem.

RESidua Ioſuæ noſtri geſta, vſque poſt Moyſis mortem, ſunt fere iſta in textu quatuor. *Corroboratio* ipſius, *electio* ad promiſſionis terram diuidendam, *Canticum*, & *Moyſe* iam mortuo, *ſucceſſio*. De primo, & ſecundo etſi quæſt. 16. ſuperioris capitis conſtat, ſæpe Moyſen Ioſuæ præceptiones varias dediſſe, ipſiuſque animum monitis pluribus firmaſſe, terræque diuiſioni præpoſuiſſe: quo tamen ei magis appropinquabat mors, eo id ſæpius, & diligentiùs tam ipſe, quàm Dominus faciebat. Ideoque Deuter cap. 31. verſu 7. *Vocauit Moyſes Ioſue, & dixit ei coram omni Iſrael: Confortare, & eſto robuſtus: tu enim introduces populum iſtum in Terram, quam daturum ſe patribus eorum iurauit Dominus, & tu eam ſorte diuides. Et Dominus qui ductor eſt veſter, ipſe erit tecum: non dimittet, nec derelinquet te: noli timere, nec paueas.* Et verſu. 14. ait *Dominus ad Moyſen: Ecce propè ſunt dies mortis tuæ: Voca Ioſue, & ſtate in tabernaculo teſtimonii, vt præcipiam ei. Abierunt ergo Moyſes, & Ioſue, ſteterunt in tabernaculo teſtimonii: apparuitque Dominus ibi in columnâ nubis, & quæ ſtetit in introitu tabernaculi. Dixitque Dominus ad Moyſen: Ecce tu dormies cum patribus tuis.* Et verſu 23. *Præcepitque Dominus Ioſue filio Nun, & ait: Confortare, & eſto robuſtus: tu enim introduces filios Iſrael in Terram, quam pollicitus ſum, & ego ero tecum.* De tertio eſt in eodem capite verſu 19. *Nunc itaque ſcribite Canticum iſtud, & docete filios Iſrael, vt memoriter teneant, & ore decãtent, & ſit mihi carmẽ iſtud pro teſtimonio inter filios Iſrael.* Et c. 32. v. 44. *Venit ergo Moyſes, & locutus eſt omnia verba cãtici huius in auribus populi, ipſe, & Ioſue filius Nun.* De quarto eſt in eodem Deu. libro cap. 34. v. 9. *Ioſue filius Nun repletus eſt ſpiritu ſapientiæ, quia Moyſes poſuit ſuper eum manus ſuas. Et obedierunt ei filii Iſrael, feceruntque ſicut præcepit Dominus Moyſi.*

Q. I. *Fueritne in Madianitico bello dux Ioſue?*

Quia fœminarũ illecebris in grauiſſima ſcelera Iſraelitarũ quã plurimos pellexerũt Madianitæ Nũ. c. 25. ideo puniri eos bello, & clade acerbiſſima iuſſit Dominus, eodẽ l. c. 31. eſtque id bellũ Dei ope, ac manu geſtũ ita feliciter, vt ex hoſtibus plurima vtriuſq; ſexus millia fũditus exciſa ſint: ipſe etiam nequitiæ totius auctor, & architectus Balaã cum iis interẽptus. In hoc igitur bello Ducẽ fuiſſe Ioſue ait qu. 3. in illud Numerorũ caput Abulẽſis, idq; in littera tradi affirmat. Caietanus de hoc in littera nihil trãditum verè docet. veriſimile tamẽ *videri* Ducem illũ fuiſſe.

Quod & ferè aſsẽtior. Bellũ enim ſine duce tantũ geſtũ nõ eſt, vel is igitur fuit Moyſes, vel Ioſue, vel alius quiſpiã. At nõ Moyſes, quia eo capite v. 6. dicitur ipſe Moyſes cũ armatis nõ exiiſſe, ſed eos miſiſſe cũ Phinees. Si dicas, ipſi Moſi dictũ ibidẽ fuiſſe v. 2. *Vlciſcere filios Iſrael de Madianitis*, reſpondet R. Salomo, idipsũ apud Dominũ deprecatũ eſſe Moyſẽ ſeſe excuſando, quia inter Madianitas verſatus, & honeſto coniugio auctus fuerat Exo. 2. At multo acceperat beneficiorum plus ab Ægyptijs, inter quos natus, altus, & educatus, imo & à Regina in fi-

Digitized by Google

res? cùm tamen ita DEO viſum, ingentem eorum, quòd vitulum conflâſſent, ſtragem edidit. Exod. 32. verior cauſa eſt, quòd morti iam iam propinquum bello eum adhuc implicari, hominumque, licet hoſtium, ſanguine aſpergi noluerit Dominus. Et ſatis fuiſſe, ſi non per ſeipſum, & ſua manu, ac præſentia, ſed per alios, quos emiſiſſet, vindictam illam ſumeret. Alius verò quis præter Ioſuam fuiſſet? Vnus in textu tantùm, de quo coniectura fieri queat, nominatur *Phinees*. Nam v. 6. dicitur Moyſes *millia ex Iſraelitis delecta miſiſſe cum Phinees*: ſiue vt in Hebræo, & Græco, *Miſit Moyſes illa millia in aciem, & Phineem in aciem*. Quo quid aliud ſignificatur, niſi eum millenariis illis ducem fuiſſe? Et verò id meritò fieri videbatur, quia præ omnibus aliis contra ſceleratas, & illecebroſas Madianitarum blanditias zelo flagrarat Phinees, acceptoque ſtatim pugione, pœnas ab illis repoſcere cœperat Num. 25. Quemadmodum ergo ſacerdotij ſummi dignitatem ei, ob eam cauſam, promiſit DEVS ibidem verſu 13. ita & nunc dum illam, Patre adhuc ſuperſtite, inire nō poſſet, dux ſummus conſtitutus videtur. Neque enim militarib. copiis præeſſe ſacerdotes inuſitatum fuit in illa Republica, vt ex hiſtoria Machabæorum, & Ioſephi vita, & libris captiuitatis abundè perſpicuum. Et videtur id ferè amplecti poſtea poſt quæſt. 4. Abulenſis. *Phinees*, ait, *fuit vnus de ducibus belli, & præcipuus*. At non fuit ex iis, qui ſingulis millibus, & centuriis præerant, cum millia, & centuriæ illæ non eſſent è tribu Leui, quemadmodum idem Abulenſis docet quæſt. 4. ſed ex aliis tribubus: ideoq; & eorum capita. Et addit, *miſſum illum, quoniam erat vir ſtrenuus in armis, & pro Domino zelauerat*: ſuprà cap. 25. Reſponderi tamen poſſet, miſſum eum cum exercitu fuiſſe, non vt eum regeret, ſed vt præſentia ſua iuuaret, *primò* eos, pro zelo ſuo, *exhortando*, & tubis clangendo. vti à ſacerdotibus præliorū initio fieri præceptum Deut. 20. Ideo enim & hîc additur, *in eius manu tubas fuiſſe*. Non quòd plures ipſemet tubas inflaret, ſed quia iis præerat, & ex eius nutu eas inflabant alii, eo modo, quo eodem capite verſ. 49. dicunt tribuni, & centuriones, *ſuos milites in manu ſua fuiſſe*. quod rectè noſter vertit, *ſub manu*. & idcirco has tribus non *in* ſolius Phineæ, ſed aliorum etiam *manu* fuiſſe dixerāt 70. Certè in tract. *Sutah* dicitur miſſus ad prælium Phinees, vt eſſet *meſchuah milchamah*, id eſt, *præco & hortator ad bellum*. quod fuiſſe ſacerdotis officium monſtratur ibidem ab initio capitis 8. *Deinde conſeruando vaſa ſanctitatis*, quæ ad idem bellum ſimul mittebantur. verſ. 6. Ea verò à tubis non diſtinguunt Vatablus, & Oleaſter, ſed cum in Hebræo, & Græco ſit copulatiua coniunctio, neque cauſa appareat, cur à propria, & vſitata ſignificatione abduci hoc loco debeat, diuerſa hæc à tubis illis vaſa cenſebimus. Sed quænam illa? Dicunt Rabbini *arcam* & Pontificalem *laminam* fuiſſe. Et recenſet ineptam hoc loco fabellam R. Salomo, quemadmodum Phinees, etiamſi nondum Pontifex, laminam iſtam fronti ſuæ impoſuerit, & Madianitas volantes deiecerit. Si diſtincta ſint à tubis, *putarem*, ait Oleaſter, *veſtes, vel ornamenta ſacerdotalia*. verùm vbi ſimile quid alias legitur. Sed quia in arca erat mannæ vas, & ei adhærebant, quibus geſtabatur baculi, idcirco pluraliter *vaſa dicuntur* hæc omnia. Hanc verò ad bellū ferri ſolitā legimus etiā 1. Reg. 4. & 14. & Ioſ. 6. 2. Reg. 11. Et colligitur ex Num. c. 14. v. 44. quemadmodū ſcilicet idola ſecum ad prælia ferre ſolebant Gentiles. 2. Reg. 5. Sed clarè & abſq; ambiguo vllo dicunt Rabbini Thalmudici in citato tract. Sutah. c. 8. f. 48. *Vaſa ſacra fuerunt arca, & tabulæ, quæ in ipſa. Tertio, precando* iuxta arcā ipſam pro bellatorum incolumitate, & victoria. Neq; enim ocioſos tātùm ſpectatores & exſpectatores, tāto in periculo ſacerdotes eſſe decuit. At rursū more hic ſuo fabulatur R. Salomo. quia videlicet in Hebr. v. 4. & 5. ter legitur nomē *mille*, idcirco è ſingulis tribubus vult *tria millia* profecta, è quibus pugnarēt mille, ſarcinas cuſtodirēt mille, orarent mille. quaſi in Hebræo nouum ſit abſq; vlla multiplicatione, numerū eundē crebrò iterari. Poſſent prætereà pro Ioſue coniecturæ afferri. *Primo* quòd recens iam omnium princeps deſignatus, meritò deberet huic bello præfici. tum vt ſe magis omnibus probaret, quemadmodū bello Amalecitico, tum vt principatus labores obire, gloriamque quaſi prælibare inciperet. prout ſuprà *de gloria ei ſua* dare iubebatur Moyſes. *Secūdo* quòd ipſius hortatu & religione, inferiorum ducum excitata videtur tanta illa pietas, & in Deum munificentia, vt è ſuis manubiis tam optima illius tabernaculo dedicarint ſpolia v. 49. & ſequentib. *Tertio* quia v. 13. dicitur victoribus obuiā veniſſe Moyſes, & Eleazar. Cur cū iis nō nominaretur Ioſue, Moyſis renunciatus ſucceſſor? Nā de aliis generatim tantummodo ſubditur. *Et omnes principes Synagogæ*. videtur igitur Ioſue dux iſto in bello fuiſſe, vel certè ipſe, vt dictum eſt Phinees.

Q. II. *An Cabalam, à Moyſe acceperit Ioſue?*

ACCEPISSE, communis Hebræorum ſententia eſt. Nā initio primi capitis libri *Pirke auoth* ita legitur. *Moſes* קבל *accepit legem de Sinai, & tradidit eam Iehoſchuæ. Iehoſchua vero ſenioribus, ſeniores prophetis. Prophetæ tradiderūt eā viris ſynagogæ magnæ.* Sic & in l. *Cether Malcouth*. Eadē, ſed copioſiùs in principio tomorū ſuorū Rābā, & *Maſſecheth* ſeu Tractatus *Auoth*. & Elias in *Thisbi*: & Rabbenu Moſes Makotſi præfatione in *librum magnū præceptorum. Moſes*, inquit, קבל *accepit legem ex ore ipſius Domini mundi de Sinai. &* מסרה *tradidit eam Ioſuæ, quia ſic ſcriptū eſt. Et miniſtrabat ei Ioſue filius Nun iuuenis. Nō mouebat ſe è medio tabernaculi. Et Ioſue tradidit eam ſenibus 70. ad ducendū Iſraelē poſt eū in via recta. quia ſic hæc oratio. Et ſeruiuit Iſrael Domino omnibus diebus Ioſuæ, & omnibus diebus ſenū. Senes tradiderūt eā prophetis, & Prophetæ priores, tradiderūt eā prophetis poſteriorib. qui ſunt Haggæus, Zacharias, Malachias. Et iſti tradiderunt eam viris cōgregationis magnæ. & ab his* קבלו *acceperunt ſapiētiam generatio poſt generationē ex tunc, & vſq; nūc.* Addit verò, *ab iis, qui cum Ioachim Babylonem tranſlati ſunt, Daniele, Eſdra, Mardochæo, eorumq; ſociis, & poſt ſubactam à Nabuchodonoſor Ægyptū, ab Ieremia Baruch, & aliis fuiſſe ſuper Euphratis flumen excitatam ſapiētiæ ſedē, ſiue vt hodie appellamus, Academiam Nehardeam nomine, in quâ ſemper ſapientes poſteà extiterunt, à quibus Babylonicū Thalmud conſtatū. Ii verò qui cum Zorobabel, & poſtea cum Eſdra è captiuitate redierant, fixerunt, priore illâ manēte, aliā Hieroſolymis ſapiētiæ ſede, cuius*

Digitized by Google

ſapientes Hieroſolymitarum Thalmud, & quidem priùs, compilarant. R. Abraham Leuita, filius Dauid in libro Cabalæ. *Moſes*, ait, *præceptor noſter (ſuper eum pax) accepit legem à* Deo *Opt. M. in monte Sinai: & Ioſue filius Nun, ſuper quem pax, ab ipſo legem habuit vtramque, id eſt, ſcriptam, & ore acceptam. Nam certè Moſes legislator noſter præſidens diſceptabat omnes Iſraelitarum controuerſias à manè ad veſperam. Quod ſi dicas, hoc eſſe intelligendum de lege ſcriptâ, hoc fieri non poteſt. Nam illa non complectitur vnum è mille caſibus, qui quotidie exoriuntur. Poſtea autem eis præpoſuit tribunos, centuriones quinquagenarios, apudque illos hæc habuit verba: Negotia fratrum veſtrorum, & quod iuſtum eſt iudicate. De ſeipſo verò, Præcepique vobis tempore illo, quid facere deberetis, &c. Quod quidem præceptum non eſt aliud, niſi lex ore tradita,* καὶ ἄγραφος. *Præterea de negotio immolationis, & legibus ſiue ritibus eius ſcriptum eſt. Quemadmodum præcepi tibi, ſacrificabis, & comedes. Quibus apertè docet Moſes ſibi fuiſſe præſcripta mandata de immolandis victimis, quæ in lege exarata non ſint. At qui impoſſibile eſt, quin ea ſucceſſori Ioſuæ declarauerit. Ioſue autem illa tradidit ſenioribus, & diſceſſit ex hac vitâ in ſempiternam anno mundi 2517. Seniores qui ætatem produxerunt poſt Ioſue, ea deinde tradiderunt prophetis. Prophetæ autem ſibi mutuò, alter alteri ſecundum ſeculorum, & ætatum ordinem, vſque ad Haggeum, Zachariam, & Malachiam. Rurſum prophetæ ea tradiderunt viris ſynagogæ magnæ, nempe Zorobabeli filio Salathielis Iechoniæ filij, hiſque qui cum ipſo redierunt ab exilio Babylonico, Ieſu, Nehemiæ, Seraiæ, Raaliæ, Mardocheo, Balſam, Maſpari, Bagoæ, Rahum, Baanæ. Hi quippe ſunt principes Synagogæ magnæ.* Eldad Danites in ſuâ de Iudæis clauſis hiſtoriâ, vel fabulâ potiùs. *Sunt*, ait, *illi peritiſſimi fidei, & religionis, docti in Miſnáh, in Thalmud, in Agada. Thalmud quod habent linguâ ſanctâ, pureque Hebraica deſcriptum eſt, & ſic ipſi legunt, quemadmodum ſapientes noſtri, prout acceperũt ab ore Ioſue filij Nun, quem docuerat Moyſes, quem oraculum præpotentis* Dei. *Domus etiam iudicij* לבק *à domo iudicij. ait & Hieroſolymitanus Thalmud, & Rambam.* hiſq; ſimilia tradit R. Abraham Zacuth in *Iuchaſin* ſæpius, & R. Dauid de Pomariis in *Tſemach*. itemque *Midras*. Pſalmi 105. vel ſecundum Hebræorum calculum 106. f. 46. At malè pœnè apud omnes audit *Cabala & Cabaliſtæ*. In ſua ad Cardanum exercitatione 355. Iulius Scaliger, *Mauritaniæ, Tingitanæ*, ait, *Magi, ea videntur vti ſcientia, quæ à Iudæis Cabala nuncupatur, ab ipſis Zairagia. Cuius præſcriptionibus veriſſima reſpondendo ſummam prophetarum opinionem etiam apud ſapientes conſequuntur. Cæterum haud ex diuinis nominibus, ſed ex quadam, quæ litterarum complexu conflatur, coordinatione, quaſi miſcella Planetarum, Lunæ manſionum, ſignorum ſitum, motus conuentus, ſolitudines, diſceſſus, diſſidia, & conſenſiones notant: & tum alia, tum anni vniuerſi commoda atque incommoda denunciant ex tempeſtatibus.*

Res vt tota intelligatur, & cognoſcatur. intelligendum *primò Cabalæ* nomen ſignificare *acceptionem*, cui reſpondet *datio*, ſiue *traditio*, quæ *Maſorah* vocatur. Idq; in citatis hactenus Hebræorum verbis manifeſtum ſatis.

Secundò. Ea, quæ ad Dei legem, & religionem ſpectant, habentur dupliciter, ſcripta nimirum, & doctrinâ non ſcriptâ, ſed ore communicatâ, poſteriſque traditâ Prius illud genus Hebræi vocant *thorah bichthab*: Poſterius *thorah bealpheh*.

Tertiò. Præter ea, quæ in Pentateucho ſcripta ſunt, & cum iis alia plurima diuinitùs Moyſen cognouiſſe, ambigi non poteſt. Neque enim quæ à Deo cognouit, tam paucis chartis explicare, diſtincteq; ſatis explanare potuit. & in iis, quæ ſcripſit, multa recondi myſteria ſciuit, eademque perſpexit, quæ, non niſi alio docente, cõprehendi à poſteris potuerunt. videatur Philo & Nazianzenus li. de ſtatu Epiſcoporum, & lib. 1. Theologiæ. Sicq; Rabanus in M S. Commentariis in Parali. ait *à Deo monſtratum in monte Sinai legis exemplar: ab Moyſe ipſe Ioſue traditum ab hoc ſenioribus.* videatur & Picus Mirandula in Apologiæ principio, & quæſt. 5. meuſque *Rabbinus* prior cap. 13. *Quartò* Inter eos, qui reconditiorem illam doctrinam, & eorum, quæ ſcripta eſſent, vberiorem, planioremque ſententiam acceperant, fuit *Eleazar, Phinees*, alij: ſed omnium facilè princeps *Ioſue*, qui κατ' ἐξοχὴν ipſius miniſter, ac diſcipulus dicitur.

Quintò A Ioſue acceperunt eadem, qui populum maximè docere, ipſique quoad ſacra, & iudicia, præponi debebant. Et ab his deinceps alij, prout ab Hebræis traditur.

Sexto Ea tam *Cabala*, quàm *Maſora* optima, & laudatiſſima eſt. Quid enim vel Deus, vel ſancti iſti traderent, vel acciperent, niſi optimum, & laudatiſſimum?

Septimo Eſt ea *Cabala* per Iudæorum Rabbinos varie aucta, vt ex Ioſepho lib. 13. cap. 18. Gr. Gorionide lib. 4. c. 6. Baſileenſis editionis c. 29. Cracouienſis patet: & nonnullis interdum nugis, & erroribus deprauata. vt patet primo ex iis, quæ de miraculis per certos characteres, & voces ac litteras faciendis docent apud Capnionem lib. 3. Cabalæ fol. 545. & ſequent. ſecundo ex 72. Angelis ab ipſis ideo efflictis, quia 50. ſunt *partæ ſapiẽtiæ*, vt aiunt, & 22. *Hebraici alphabeti elementa*, è quorum coniunctione naſcuntur 72. tertio ex aliis item Angelis, qui Adami, & aliorum præceptores fuerint. quarto ex lege in igneo globo ſcripta, eiuſque litteris variè poſtea confuſis, & permutatis. quinto Extant eius diſciplinæ libri, in quibus vana eiuſmodi plura. Cuiuſmodi ſunt.

1. Liber *Ietſira*, cuius fabulantur auctorem *Adamum*, ſed eſt Rabbi *Abraham*, aut R. *Aciba*, in quem commentati ſunt R. *Iacob Cohen, Iſaac* de nomine ſancto, & R. *Ioſeph* filius Vzielis. 2. *Zohar* R. Simeonis filij Iohai, cùm in tenebricoſo ſpecu annos 24. delituiſſet, De quo ex Genebrardo infra.

3 *Habbochir.*
4 *Cabbala R. Abraham Alaphia*
5 Super arcana legis commentarij *Rambam*, qui & *Gerundenſis* filius Nehemani.
6 *Nebuchim*: ſiue Perplexa *Rambam*. ſiue *Moyſis Ægyptij*.
7 *Scheare Tſedek*. R. Ioſeph. f. Carmirolis
8 *Scaar Orah.* R. Ioſeph Caſtalienſis Salertanus ciuis, cuius etiam eſt *Ganath Egoz*. id eſt, *Hortus nucis* libri 3.

1. de dictionibus
2. de litteris

3. de

Digitized by Google

3. de punctis

9. *Haemunoth R. Saadia.*
10 *Sod Hattorach.R. Abraham Abenezra.*
11 *Liber R. Hamai* ſ. Hamina. quij eloquentiſſimus.
12 *Haion* eiuſdem.
13 *Peruſch Kedoſchad R. Azariel.*
14 Liber *Schemoth*
15. *Sepher Peruſch alphabeta*, ex R. Akiba.
16 *Schaar Harazim*, id eſt, *de reconditis Pſal.* 18. *R. Ama.*
17 *Haiachid.* cuius meminit. *Abenezra* de myſterio legis c. 1.
18 *Sodoch*
19 Quæſtiones abſtruſæ.
20 Libellus Cabalæ. *R. Azariel* alijs *Oriel* Gronenſis.
21 *Derech Haemunach*, & *Derech Hacephirah*
22 Liber radicum *R. Ioſeph Albi*, qui tamen magis ethicus
23 *Alkozer. R. Iuda Leui*
24 *De* 10. *numerationibus R. Tedaci leui.*

De quibus omnibus R. Simeon Iudæus apud Capnionem lib. 1. fol. 452. Et in fine commentariorum *Ioſuæ* Andræas Maſius. Deinde ex ſententiâ, & breuib. argumentis doctiſſimi Genebrardi lib. 2. Chronol. in hæc verba fol. 168. *R. Simeon Ben Iohai auctor libri Zoar. Quo poſuit fundamenta ſtultæ, & vanæ artis illius Cabbaliſticæ, quæ languet circa litteratum apices, numeros, tranſpoſitiones, anagrammatiſmos, vocum inuerſiones, alluſiones, amphibologias, homonymias. Nam eius vanitatis myſteria tribus præcipuè conſtant, quæ indicantur voce* גנת.

Nempe Geometria (ſic imperitè confuderunt Geometriam cum Arithmetica) quando litteræ expenditur numerus. Noteriacon, quando littera ponitur pro integra dictione. Sic autem barbarè dicitur à notariorum apicibus. Temurá, q. permutatio (elementorum) cùm vna littera pro altera ſubſtruitur. E duobus primis vocabulis, quorum vnum eſt Græcum, alterum ſemilatinum, intelligis, quo tempore tam inepta ars excogitata fuerit, nihilque minùs eſſe quam Cabalam. i. ſcientiam, quæ à maioribus per manum recepta ſit. Præter iſtiuſmodi ineptias continet multa impia, & ex omni hæreſium furfure conflata. Conſtituit decem Sephiroth, ſiue numerationes, pro ſuo fundamento, quas ſiue ſtatuant eſſe ſententiam Dei, *ſiue aliquid aliud extra* Dei *eſſentiam, impiè introductas ex eo apparet, quòd in* Deo *numerum, & multitudinem realem ponant. Tale erat negotium, vel potius otium Marini, & Colorbaſii diſcipulorum Valentini, qui cuncta ſuæ religionis myſteria è literis Alphabeti Græci probare conati ſunt. Iren. lib. 1. cap. 9. & 10. Reuchinum Capnionem tribus libris harum nugarum guſtum mundo præbuiſſe ſine refutatione, Paulumque Ritium, & Picum Mirandulanum ſe earum patronum conſtituiſſe, equidem miror. Neque enim ea eſt Cabbala ab eruditis Patribus laudata, quæ partim hiſtorica eſt, partim* תורה כעלפה *nominatur, id eſt, lex ore percepta. Hæc enim legis ſcriptæ pura eſt interpres, & ſimplices Synagogæ traditiones, conſuetudines, ritus, maiorum explanationes continet, quarum fragmenta nonnunquam ſuppeditant Thalmud, Deraſim &c.* Videri poſſet, niſi obeſſent alia, caput 47. Agrippæ *de*

Ioſue.

vanitate ſcientiarum prioris etiam *Rabbini* caput
A 13. vbi & Pleſſæi Forſterique *de Cabala* nouitatem reijcio. 8. Sublatis ex hodierna Cabala erroribus, qui ſcilicet cum Dei verbo, Eccleſiaſticiſque canonibus, & dogmatis pugnant, poſſunt alia retineri. Nam vel vera ſunt, vel certè veritati non inimica, & antiqua tamen, aut iucunda, & ingenioſa. De *antiquitate* atteſtari videtur. Primò, Eſdræ liber quartus c. 14. v. 45. & 46. *Altiſſimus, ait: Priora, quæ ſcripſiſti, in palam pone, & legant digni, & indigni: nouiſſimos autem Septuaginta conſeruabis, vt tradas eos ſapientibus de populo tuo. In his enim eſt*
B *vena intellectus, & ſapientiæ fons, & ſcientiæ flumen.* Quod poſtremum & in Thalmud ita relatum. *En moſcrim ſathre thorah, ela leioets vechacam chaduſchſim ouncuum lacheſh.* id eſt, *Non traduntur abſcondita legis, niſi conſiliario, & ſapienti Magiſtro inuenum, & intelligenti Mago.* Secundò. Diuidi ſolet artificioſa *Cabala*, primo in eam, quâ pro dictione ponitur dictio, idque vel per litterarum Metatheſim, vel per æqualem numerum. ſecundo, in eam, qua littera pro dictione integra eſt. tertio in eam, qua pro littera ſtatuitur littera, per
C alphabeticam quandam reuolutionem, quæ dici ſolet *athbaſch.* Ac partium penè iſtarum omnium exempla ſuppetunt vetera. De prima quoad numerorum æqualitatem eſt in Apocalypſi cap. 13. verſu 18. *Qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ. Numerus enim hominis eſt, & numerus eius ſexcenti ſexaginta.* De ſecunda eſt in libri Regum tertij Traditionibus Hebraicis ferè ſub initium, tomo 3. D. Hieronymi, vbi ſic. *Habes quoque apud te Semei filium Gera fili Gemini de Bachurim, qui maledixit mihi maledictione peſſi-*
E *ma. Peſſima dicitur Hebraicè nimretſeth, quod quinque litteris enunciatur. id eſt* נמרצת *In* נ *noeph, id eſt, adulter,* מ *Moabita,* ר *raſcha id eſt, impius,* צ *tſara, leproſu* ת *thaoba, id eſt, abominatus.* De tertia ipſemet Sanctus Hierony. in Hierem. 25, vbi legitur *ſeſach*, & intelligitur *Babylon. Qhomodo,* ait, *Babylon, quæ Hebraicè dicitur* בבל *intelligatur* ששך: *non magnoperè laborabit, qui Hebrææ linguæ paruam ſaltem habuerit ſcientiam. Sicut apud nos Græcum alphabetum vſque ad nouiſſimam litteram per ordinem legitur, hoc eſt* α. β, *& cætera, vſque ad* ω,
E *rurſumque propter memoriam paruulorum ſolemus lectionis ordinem vertere, & primis extrema miſcere, vt dicamus* α, ω β, ψ. *ſic & apud Hebræos primum eſt* א, *ſecundum* ב, *tertium* ג, *vſque ad vigeſimam ſecundam, & extremam literam* ת, *cui penultima eſt* ש *Legimus itaque* אתבש: *cumque venerimus ad medium,* ל *litteræ occurrit* כ *& vt ſic rectè legatur, legimus Babel, ita ordine commutato legimus Seſach. Vocales autem litteræ inter* ב *&* ב *&* ל *iuxta idioma linguæ Hebrææ in hoc nomine non ponuntur.* Iucunda verò, & ingenioſa hæc eſſe om-
F nia concedet quilibet facile, qui tot hodie laudibus, etiam à bonis, doctiſque viris, efferri viderit Poëtarum anagrammatiſmos, & logogriphos. Itemque illa olim de numero 420. quem dat & λοιμὸς, & Demagoras in Græcorum Anthologia, & apud Gillium, D. Florimundum Remũdum l. de Antichriſto c. 20. Heliodorum l. 9. qui dicit Νεῖλον fluuium, eſſe annum, id eſt dies 365. Videatur libellus Iulij Gyraldi ænigmatum, verbi cauſa, de nomine ε, η, ο, ι, υ, ς. Et de ſimilibus

aliis apud Reuſnerum f., 78. Fabulam hic, ſed A
quæ inſtituto admodum congruat, inſerere liceat. Æſopi herus Xanthus marmoream in ruinis quibuſdam columnan inuenit, in qua ſeptem iſtæ litteræ. α, β, δ, ο, ε, θ, χ. Mirantur omnes, & ſibi ex, quid velint, cogitant.

Æſopus verò hanc earum eſſe ſententiam pronunciat. Ἀποβὰς βήματα τέσσαρα, ὀρύξας εὑρήσεις θησαυρὸν χρυσίου, id eſt, *Abſcedēs gradus quatuor inuenies theſaurum auri;* Placuit coniectura. ſed magis, quod inuentum fuit aurum copioſum. Nam, quod prætermitti non debuit, coniecto- B
ri, è theſauro illo nihil dedit Xanthus. Eum igitur aliud, ijs etiam literis præceptum contineri monet; nimirum, Ἀπελθόντες βαδίζοντες διέλεσθε ὃν εὕρετε θησαυρὸν χρυσίου. *Quis tollētis, dum abitis, diuidite, quem inueniſtis theſaurum auri.* Sed cum neque vllam animi grati partem ingratus Dominus ſuſciperet, indignari Æſopus, & dicere? *Nidaret aliquid literarum ſeſe mandato morem geſturum.* Illud enim eſſe huiuſmodi. Ἀπόδος βασιλεῖ Διονυσίῳ, ὃν εὗρες θησαυρὸν χρυσίου. *Redde Regi Dionyſio, quem in-*
ueniſti theſaurum auri. Quis hoc ingenium non C
laudet? Tantam ſolertiam quis non miretur? Et iam paucis litteris tam varias, tamque aptas confici ſententias? Laudat ſane iſtiuſmodi etiam in ſecundo de Oratore Tullius. Sint igitur iſtius generis Cabalæa, non quidem ſacra, certa neceſſaria, bella tamen & ingenij, ſolertiæque plena. Iulius Scaliger in Logogriphis.

Ne tibi ſint nugę hæ. Quid enim ille ſuperbit ineptus?
Perque manus tradit ſapientis nomen inane?
Quo labyrintheis anfractibus omnia verſat.
Accipe, vtrumque libens ergo, aut vtrumq; relinque. D

9 De priore, ac puriore, & ſolidiore Cabala intelligendi, qui per hanc à Moyſe, de diuinis, Ioſue inſtructum verè cenſuerunt.

10 In eadem Cabala etſi admodum excellens, minor tamen fuit Ioſue, quàm Moyſes. non ſolum, quia non eſt diſcipulus ſuprà Magiſtrum, ſed etiam, & multo magis, quia Deuteron. vltimo verſ. 10. dicitur. *Et non ſurrexit vltrà propheta in Iſrael, ſicut Moyſes.* Atque hoc volunt Rabbini dum aiunt, *Moyſen ſapientiæ portas*
penetraſſe vnde quinquaginta, ſed Ioſue tantum *duo-* E
dequinquaginta. Iterumque Moyſis faciem *ſolis*, Ioſuæ verò *lunæ* inſtar fulſiſſe. apud Capnionem lib. 3. f. 510. & 545. prout etiam ſuprà cap. 9. q. 40. tangebam. Sed *o tu vere Ioſue, mi Chriſte*, doce me iuſtificationes tuas. Dixiſti. n. Patri tuo cœleſti Ioh. 17. v. 14. *Ego dedi eis ſermonem tuum. Sicut tu me miſiſti in mundum, & ego miſi eos in mundum. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, vt dilectio, qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis. Amen.*

Q. III. *An iam primò loquatur Dominus Ioſuæ, & cur?*

Rupertus lib. 1. in Ioſue cap. 2. ante Moyſis F
mortem bis Dominum Ioſuæ locutum ait. Primo quidem, Num. 27. deinde hoc ipſo loco Deuter. 31. verſu 14. & ſequentibus. Sed impropriè dici poteſt priore illo loco ipſi Ioſuæ locutus Dominus. Nam *de ipſo* potius, quam *ipſi* locutus eſt, ſiue vti tandem ipſemet ait Rupertus. *ſuper illo* potiùs quàm *ad illum.* Hic ergo omnium primò, proprie ad ipſum Ioſue verba facere cœpit Dominus. & maximè v. 23. Licet enim in Hebræo, & Græcis 70. correctis verbum *Præcepit* referri videatur ad Moyſen, qui
paulò antè dicebatur *Canticum illud ſcripſiſſe*, Cor- A
rectus tamen Latinus diſertè ait: *Præcepitque Dominus Ioſuæ filio Nun.* idque rectum eſſe patet ex ipsâ Hebræâ eius, qui Ioſuæ præcipit, & loquitur, oratione, in qua ſic eſt. *Tu introduces filios Iſrael in terram, quam iuraui ipſis.* At 70. vt Moyſis oratio eſſe videretur, primam hanc perſonam *iuraui*, verterunt in tertiam *iurauit.* licet in re ſenſus idem ſit. Cur verò hic loqui Ioſuæ Dominus cœperit; cauſa fuit, vt eius, coram vniuerſo populo, dignitatem, & auctoritatem ille am-
plificaret, eumque Moyſi, cui vni loqui ſolebat B
Dominus, verum ſucceſſorem, & iam quodammodo parem oſtenderet.

Q. IV. *Quomodo dicitur Ioſue vnà cum morituro iā Moyſe canticum & ſcripſiſſe, & cecíniſſe?*

Nodvm iſtum Pagninus non ſoluit, ſed rupit. Nam Deut. 32. verſ. 44. textum aliam in ſententiam ita detorſit: *Locutus eſt Moyſes omnia verba Cantici huius in auribus populi huius, & in auribus Hoſeach filij Nun.* vt nō cecinerit Ioſue, ſed Moyſes tantùm, in populi tamē, & illius auribus. *Neque male ſic interpretatur Santes*, inquit Oleaſter. Imò verò peſſime. Non enim textui tantū no-
ſtro repugnat, & Latinis Explicatoribus omni- C
bus, ſed Hebræis etiam, apud quos ſub *haam* locata finiendæ orationis nota, quæ *atnach* dicitur. Repugnat etiam ipſis 70. qui ſic. ἐπῆλθε Μωσῆς, καὶ ἐλάλησε πάντας τοὺς λόγους τοῦ νόμου τούτου εἰς τὰ ὦτα τοῦ λαοῦ, αὐτὸς καὶ Ἰησοῦς ὁ τοῦ Ναυή. Modus igitur inueniēdus, quo conſcripſerint, & cōcinuerint ambo. Eſt autem is, vt vel ambo totum, vel ſinguli partem. rurſumq; vel eodem ſimul tēpore, vel diuerſo. *Primò* enim fieri non potuit, vt diuinitus afflati ambo eoſdē omnes verſus, & voces conſcriberent,
clareq; concinerent, non ſecus, quàm ſi ſtudio, D
& labore vnum aliquod carmē didiciſſent, idipſumque ſymphoniace vna canerent. *Secundò*, vt verſum vnū cantu pręiret, vnus verbi cauſa Moyſes, ſubſequeretur, eundem repetēdo, Ioſue. *Tertiò*, vt alternis verſum vnum caneret Moyſes, alterum Ioſue, prout in hymno illo *Te* Devm *laudamus*, ab Sancto Ambroſio, & Auguſtino factum, vulgo traditur. *Quartò*, vt totum priùs caneret Moyſes canticum, id ſtatim poſtea iteraret Ioſue. *Quintò*, vt iteraret illud Ioſue, ſed non ſta-
tim, verùm multo poſtea tempore, cùm & ipſe E
ſcilicet moriturus eſſet. Atque duos iſtos poſteriores modos amplexi ſunt auctores boni; quartum quidem Caietanus, quintū Abulenſis. Nam in c. 32. ille ſic. *Conſentaneum rationi eſt, vt Moyſis tam ſenis vox minus audiretur, & propterea Iehoſuach adiutor eius tāquam interpres connumeretur.* Hic verò in idem caput, ſic: *Iſta verba* (Cantici) *coram populo non proponebat Ioſue, quia ſolus Moyſes proponebat. Sed quia dicebat, quòd etiam iſta verba à* Deo *audiuerat, cùm ambo ſimul ſtarent ante Do-*
minum in hoſtio tabernaculi. & ex hoc accidit, quod F
quando Ioſue morti propinquus erat, annunciauit eis, quod poſt mortem ſuam peccaturi erant contra Dominum, vt patet Ioſuæ, cap. 24. etſi ſextum etiam modum his innuere verbis videtur idem Abulenſis, vt Ioſue ſcilicet dicatur cum Moyſe Canticum iſtud ſcripſiſſe, & cantaſſe, quia id ſe à Deo vna cum Moyſe audiuiſſe teſtificatus ſit.

Q. V. *Moyſis mortian adfuerit Ioſue?*

Negat Abulenſis, qui Moyſen in valle, in qua ſepultus fuit non in ipſo monte Nebo mortuum vult: & etiamſi in monte mortuus fuiſſet,

fuiſſet, illuc tamen ſolum eum aſcendiſſe, ſicque morienti adfuiſſe neminem. Sed in monte mortuum docet Latinus, & Hebræus textus. Quia cum *vallis* mentio nulla, ſed *montis* tãtummodo facta fuiſſet, dicitur verſ. 5. *Mortuuſque eſt ibi Moyſes ſeruus Domini.* In eum verò montem cum aſcẽderet Moyſes, multos eum comitatos, & morienti aſſuiſſe docet Caietanus: Et in his præcipuè nominat *Ioſue.* Eſtque id veri ſatis ſimile. Alioqui non, niſi ex præcedentibus Moyſis de ſuâ morte prænunciationibus, mortuũ eum populo cõſtituiſſet: potuiſſetque à nõnullis putari, eum vel ſecundum ordinariam conſuetudinem, vel ex animi modeſtia de ſe ita loquutum, ſed eum, inſtar Enoch, vel Eliæ, in paradiſum DEVM tranſtuliſſe. Si enim non defuerunt, qui eum, vt apud Euſebium libro 9. Præpar. ait Artapanus; *Mercurium* eſſe vel Ægyptiorum DEVM *Thoth*, vel Deorum aliorum aliquem, vt ait hæreſi 55. S. Epiphanius, & Cyrillus libro 1. contra Iulianum, ſuſpicati ſint: rurſumque alij ne mortuum quidem exiſtimarunt, vti Canone 20. S. Hilarius, libro 1. de Cain. S. Ambroſius, & vterum alij apud S. Baſilium ſerm. de morte, qui in tertio S. Ephrem. tomo eſt, multique item recentiorum, vt Catharinus Geneſ. 1. & 2. Io. Arboreus lib. Theoſophiæ. cap. 11. alii apud Ioachimum Abbatem Apocalyp. 11. quid facturi olim fuiſſent Iudæi ſi eorum nemo mortuum illum vidiſſet? Morienti ſanè noſtrum adfuiſſe Ioſue docent Thalmudici Tractatu *Themurach* cap. 2. f. 16. licet ineptam, more ſuo, ibi attexant fabulam. Aiunt enim ea ipſa ora qua Moyſes *niphtar legan beden*, id eſt, *in paradiſum moriens, abiit*, dixiſſe ipſum Ioſuæ, vt ſi quas haberet in lege dubitationes ac difficultates, eas iam peteret. iſtum verò, ſuperbia elatum, negaſſe dubiorum ſibi quidquam eſſe: ſed pernoſce omnia. cum à Moyſe ipſo nunquam diſceſſerit, ſed vt ſuprà dictum cap. 6. à tabernaculo non receſſerit: ideoque ei fuiſſe indignatum Moyſen, pœnamque illi diuinitus inflictam, vt trecentorum legis ſcitorum obliuiſceretur, dubijſque ſeptingentis vexaretur. imo tria huiuſmodi legis ſcitorum millia ipſo Moſaici luctus tempore in obliuionem veniſſe. Sed commenta iſta Rabbinica ſunt, quæ quamuis apologi cuiuſdam inſtar, moneãt, ne quis etiam doctiſſimus ſibi præfidat, inaniterque tumeat, male tamen arrogantis ac ſuperbi perſona hominis ipſi imponitur Ioſuæ. Nam in ipſis etiam fabulis tenendum decorum. At illud iam ſatis, è Rabbinorum quidem ſententia, demigrãti hinc Moyſi affuiſſe Ioſue. Et hoc, vt ſua ferè ſolet è Thalmude mutuari, repetit in capitis primi Ioſuæ principio Raſchi. Deuter. verò commentarius, qui Rabbah dicitur, Moyſen ſolum conſtituit, f. 302. b. & 303. ſed iucundam veluti Comœdiam proponit, dum multas Moyſes ne moreretur, ad Deum querelas, & preces narrat: Samaelis item Diabolorum principis inſidias, & conatus, ipſiuſque tandem Dei è cœlis cœlorum deſcenſum cum tribus Angelis Michaele, Gabriele, & Zagzagele, qui morientem allocuti ſint, & compoſuerint.

Q. VI. *Moyſis eiuſdem ſepultura an interfuerit Ioſue?* NEGANT omnes. & meritò. Nam eodem Deut. cap. 34. v. 6. legimus. *Non cognouit homo ſe-*

Ioſue.

pulchrum eius (Moyſis) *vſque in præſentem diem.* At cognouiſſet hominum aliquis, ſi ſepulturæ adfuiſſet Ioſue. Obijci tamen poſſunt hæc 1. In 70. ibidem legitur ſic: ἐτελεύτησε Μωυσῆς, καὶ ἔθαψαν αὐτὸν ἐν γαὶ *Mortuus eſt Moyſes, & ſepelierunt ipſum in valle.* Quinam quæſo ſepelierunt? Nonne homines? Et nonne cum his maximè præſens Ioſue? Quod verò in Hebræo, & Latino legimus, *Et ſepeliuit eum*, poſſumus referre, non ad DEVM, ſed ad hominem. Solent enim huiuſmodi nominatiui ſæpe apud Hebræos intelligi. 2. in quodam vetuſtiſſimo S. Ephrem manuſcripto codice, qui Romæ eſt, leguntur hæc: *Ieſus ſepeliuit Moyſẽ.* prout teſtatur in ſermone eiuſdem S. Ephrem *de transfiguratione.* Vooſſius tomo 3. f. 192. 3. Quomodo tam diſtinctè ſciri poſſet, illũ *in valle montis Nebo* ſepultum, & non alibi, ſi non in longinqua regione, quia in ſorte Gad c. 33. ſepeliendus fuiſſe ſignificabatur, ſaltem in eiuſdem Moabitidis regionis loco alio modo etiam ſepultum, in eâ vallis parte quæ *è fani Phogor regione eſt*, ſiue vt in 70. dicitur, *prope ipſum eſt*, ſi non adfuiſſent, & vidiſſent hominum aliqui? Etſi viderunt aliqui, nonne cum, & præ alijs omnibus Ioſue? Horum omnium, ex quæſtionibus de Moyſis ſepulturâ traditis, eo Deuteronomij loco, & in Epiſtola ſancti Iudæ, patet ſolutio. Nunc breuiter.

Ad primum *Sepelierunt Moyſen Dei iuſſu Angeli*, vt ait hæreſi 9. S. Epiphanius.

Ad ſecundum. Qui dicitur Moyſen ſepeliiſſe, *Ieſus*, non hic noſter Typicus Ieſus fuit, ſed verus. Nam ibidem ſubditur: *Ipſe vocauit, & eduxit Eliam, ipſe omnium Dominus.* Dicitur verò ſepeliiſſe. quia eius, tanquam Dei, iuſſu, prout iam dictum eſt, ſepultus fuit: vel quia, vt Ioſuæ c. 5. dicetur, fuerunt nonnulli, quib. *Ieſus* dicitur *Michael.* At in epiſtola S. Iudę v. 9. Michael Moyſen ſepeliuit. Quia tamen his vix aſſentior, ſatis eſt, Chriſti noſtri iuſſu, ab Michaele, inferioribuſque Angelis aliis conditum, humatumque Moyſen.

Ad 3. *Propheticè* id, narrationis huius ſcriptorem *cognouiſſe*, ait Abulenſis. Sed Caietanus dicit, *omnibus, qui morienti Moyſi adfuerunt, ſpectantibus in vallem ab Angelis delatum illius corpus, tumque nube quadam diffuſa, ne diſtinctè ſepulchri locus videretur, inibi ſepultum fuiſſe.* Scribit verò Iſaac Ben Harama in porta 105. f. 272. colum 3. mortuo Moyſe, fleuiſſe, noſtrum Ioſue, veſtes laceraſſe, luxiſſe ac dixiſſe, *Abbi, Abbi, Rabbi, Rabbi, Abbi ſchegeddoltham minnebarai. Rabbi ſchelimmadtham thorach.* id eſt, *Pater mi, Pater mi Magiſter mi, Magiſter mi, Magiſter mi, qui educaſti me ab adoleſcentia mea, qui docuiſti me legem.* ſcilicet vt Eliſæus ferè ad Eliam lib. 4. Reg. cap. 2. Citatus verò ſuperiore quæſtione commentarius *Rabbah* f. 303. b. ait, quæſiuiſſe Ioſue Magiſtrum ſuum, ac dixiſſe illud è Pſalmo 11. *Saluum me fac Domine, quoniam defecit Sanctus: quoniam diminutæ ſunt veritates à filiis hominum.*

Q. VII. *An vltimũ Deuteronomij caput, vel eius certe partẽ ſcripſerit Ioſue?* NON Ioſue, ſed ipſummet Moyſen caput hoc totum ſcripſiſſe ſentiunt Ioſephus libro 4. cap. vlt. Origenes lib. 2. contra Celſum. Abulenſis in cap. 1. Ioſue quæſt. 11. *Non eſt*, ait, *certum an Eſdras illud ſcripſerit, vel Moyſes viuens.* Si ab iis verò quæras, quomodo ſe in montem

aſcendiſſe, ibique mortuum, & in valle ſepultum ſcribere potuerit Moyſes, reſpondent, prophetico id ſpiritu feciſſe. Solent autem & pro futuris præterita vſurpare prophetæ. Eſt ſanè hoc aliquid. Sed non iſta tantummodo prçteritorũ tam crebra poſitio alium potiùs auctorem ſignificat, ſed & illud, quod v. 6. dicitur. *Nõ cognouit homo ſepulchrũ eius vſque in præſentem diem.* Nam vt rectè q. 3. ratiocinatur Abulenſis, verba hæc ſignificant, ignotum fuiſſe Moyſis ſepulchrũ ad illud vſque tempus, quo viuebat, & ſcribebat ille auctor. Ergo is non erat ipſe Moyſes, qui tunc & mortuus, & ſepultus iã nec viuebat, nec ſcribebat: ſed alius. Et hunc Eſdram eſſe ſuſpicati quidam ſunt. Sed Ioſue ipſum fuiſſe, tradit idẽ Abulenſis ibidẽ, & q. 4. eſtque probabilius. Quia & in prophetiâ, & in populi gubernatione illi ſucceſſit, eratque ipſius & miniſter, & diſcipulus, vt meritò tanti ſui heri, doctoris, & Principis exitũ feliciſſimum, planeque admirabilem poſteritati prodere debuerit. Quis. n. ante Eſdram ſilentio hæc inuoluta, neque vllâ litterarũ luce illuſtrata credat? Sed ſunt, qui totum caput ab eodẽ Ioſue ſcriptum cenſeant, alij tantum à v. 5. ad finem: alij demum ſola hæc ex iſto capite verba. *Et non cognouit homo ſepulchrum eius vſq; ad præsẽtem diem.* Primam & tertiam opinionẽ alijs tribuit Abulenſis, mediam amplectitur. Eademq; eſt Rabinorum c. 1. Babæbatræ in Thalm. & Iſidori Clarij ſcholijs in c. 1. Ioſuæ: & mihi ſatis placet, ſed magis prima. Cũ enim hiſtoricũ hic agat ſcriptor, hiſtoricè, non propheticè ipſius accipienda videtur narratio. Sicque magis cohærent, & planiora ſunt omnia. niſi quod ex illis v. 10. *Et non ſurrexit vltrà propheta in Iſrael, ſicut Moyſes*: ratiocinatio de futuris etiam tẽporibus inſtitui debeat, hunc in modum. Si rectè, ac verè dixit Ioſue, ſuis temporibus non adhuc ſurrexiſſe Moyſi parem prophetã, quãto minùs poſtea ſurrecturus erat? Si enim nec ipſe Ioſue illi çqualis, quiſnã ei alius, qui quidẽ purus homo ſit, æquiparari vnquã poterat? Neque aliter, etiamſi ad Eſdræ tẽpora hoc referremus, de ſequutis etiam tẽporibus ratiocinandum. Eſt tamen in prophetarũ cõparatione quædã difficultas, de qua Lyranus, & alij in Pſalmorũ principio. Abulenſis Num. 12. ego in Iſaiæ c. 1. An verò librũ ſuo nomine inſignitũ qui iam ſequitur, ſcripſerit ipſe Ioſue, dicetur, in eius libri Prolegomeno ſecundo. Certè D. Athanaſius in epiſtolæ ad Marcellinum extremo, ſi non Interpres Latinus, ſed textus Græcus legatur, affirmare videtur, iuſſiſſe Deum vt legẽ Moyſis: Deuteronomium ſcriberet Ioſue, Dux iam cõſtitutus. Sed quæ rei huic probatio? niſi velit quod & Rabbini docent, debuiſſe regẽ ſeu principẽ populi ſol, cum ad gubernationẽ admoueretur, deſcribere Deuteronom. etiamſi iam antea id, vti priuatus deſcriptum haberet.

Q. VIII. *Quid per hoc ſignificabatur, quòd Moyſi ſuccederet Ioſue?*

Significabatvr futurum, vt legi Moſaicæ ſuccederet Christi Euangeliũ, & ſynagogç Eccleſia, prout copioſè docet in Ioſue homilia 1. & 2. Origenes. Sed breuius in eundẽ librum initio Theodoretus hiſce verbis. *Docuit nos ſapiẽtiſſimus Paulus, teſtamentum vetus fuiſſe figurã. Hæc enim omnia, inquit in figura contingebant illis: ſcripta ſunt autẽ ad correptionem noſtram, in quos fines ſeculorũ deuenerunt. Et ſcribens ad Gallatas, ſic ait: Scriptum eſt quòd Abraham duos filios habuit, vnũ ex ancilla, & vnum ex libera. Sed qui ex ancillâ, ſecũdum carnem natus eſt: qui verò ex libera, per repromiſſionẽ, quæ ſũt per allegoriã dicta. hæc enim ſunt duo teſtamenta. & quæ ſequuntur. Non quod remiat hiſtoriã, ſed vt veritati figuram. Abraham* Deo, *duas vxores duobus teſtamentis, filios populis. Sic & hoc loco per Moyſen debemus intelligere legem: Per Ieſum, eiuſdem cum illo nominis ſaluatorem. Quòd autem lex appellata ſit Moyſes, iam demonſtrauimus, vſi teſtimonio ſcripturæ diuinæ. Habent enim, inquit, Moyſen, & prophetas. Et, vſque in hodiernũ diem quando legitur Moyſes, velamen poſitũ eſt ſuper cor eorum. Quemadmodũ igitur defuncto ſecundũ hiſtoriam Moyſe, Ieſus populũ introduxit in terrã promiſſam: ita finita lege Ieſus noſter apparens, populo pio regnum cælorum apperuit. Finis enim legis* Christvs *ad Iuſtitiã omni credenti. Et lex quidem, & prophetæ vſq; ad Ioannem prophetauerunt: à diebus autem Ioannis regnũ cælorũ vim patitur, & violenti rapiunt illud. Sed quomodo nomẽ miniſtri quadrat Domino noſtro* Iesv Christo? *inquit enim de Ieſu filio Naue: Dixit Dominus Ieſu filio Naue miniſtro Moyſis. Audimus quoque Apoſtolum dicentem: Dico autẽ Ieſum Chriſtum miniſtrum fuiſſe circũciſionis propter veritatẽ* Dei *ad confirmandas promiſſiones Patrũ. Et rurſum: Vbi autẽ venit plenitudo temporis, miſit* Devs *filium ſuum natũ ex muliere, factum ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret, vt filiorum adoptionem reciperemus. Factus igitur ſub lege ſic declaratus eſt miniſter circũciſionis. & Iudæis inquit in hũc modũ. Si Moyſi crederitis, crederitis & mihi. Nam de me locutus eſt ille. Si quidẽ illi dixerunt Ieſu filio Naue. Sicut in cũctis obediuimus Moyſi, ſic obediemus & tibi.* Similia ferè in Collectaneis Grillus fol. 1056. *Quomodo*, ait, *poſt mortem Moyſis Ieſus Naue accepit præceptũ, ita poſt mortem legalis litteræ* Iesvs Christvs *accepit præceptum noui populi, cap. 1. in Ioſue lib. 1. Rupertus D. Auguſtinus ſerm. 105. de temp. & è recentioribus Maſius in Ioſue cap. 1. poſt mortem Moſis, poſt finem legis Moſaicæ, quæ* Deo *vt filiorum pedagogus, ſeruierat, miſſus eſt à* Deo *patre Ioſua, ſiue* Iesvs Christvs, *miniſter Moyſis.*

Fuit enim ille miniſter circumciſionis, propter veritatem Dei, *vt rata ea faceret, quæ maioribus fuerant à* Deo *promiſſa: fuit etiam Moyſis legi obediens, vt eos, qui legi erant ſubiecti, redimeret, atque per adoptionem in filiorum libertatem vindicaret. Miſſus, inquam, eſt* Iesvs christvs, *vt eos, quos Moſes per loca vaſta, inuia, ſterilia oberrantes adhuc circũduxerat, nec ad promiſſam quiuerat hæreditatem introducere, hoc eſt, qui in horrida, difficili, & ſterili lege, atque vmbra futurorum bonorum adhuc verſati, ad ipſam rerũ perfectam repræsẽtationem pertingere non poterãt, eos ipſe per Iordanem, id eſt, baptiſmum, quo virtute ſanguinis illius expiamur, & ſacroſãctis æternæ hæreditatis myſterijs initiamur, duceret in terrã ſemini Abrahæ promiſſam: vbi rebus ipſis, non rerum vmbris potirentur, fruerenturq;. Baptiſmum enim non obſcurè ſignificari per Iordanem, quis ex hiſtoria* Christi, *& Ioannis non intelligit?* Atque hæc de Ioſue hactenus è varijs ac ſparſis Pentateuchi locis, nunc ad collectas, libroque qui ipſius præfert nomen, vno contextas & colligatas res, ipſo apud verum Iesvm ſuis præeunte precibus ac ſuffragijs, pergamus.

LIBER

Digitized by Google

LIBER SECVNDVS,

QVI IPSVM IOSVÆ LIBRVM EXPLICAT

PROLEGOMENA OCTO.

Primum.

Quod libri Ioſuæ argumentum?

COMPLECTITVR *Ioſue liber* eum veteris Eccleſiæ ſtatum, qui Moyſis mortem proxime conſecutus eſt. quemadmodum ſcilicet ea, quam Abrahamo, eiuſque filio Iſaaco, & nepoti Iacobo; patribuſque aliis promiſerat DEVS, terra tandem ab ſanctorum illorum poſteris, qui *Iſraelitarum populus* dicebantur, inita, ſubacta, diuiſa, & poſſeſſa ſit: idque annorum XIV. vel etiam plurium, vt infrà dicetur; ſpacio, duce, ac moderatore Moyſis ipſius ſucceſſore *Ioſue*. Tunc enim per iſtum Iſraelitarum ad regiones iſtas vel aduentum, vel reditum (ita ſiquidem poteſt vocari, quia eorum olim maiores in Ægyptum, vnde iam adueniunt, deſcenderant) verus ibidem DEI opt. max. cultus, vera Eccleſia, cum acceptis diuinitus legibus & ceremoniis omnibus, ſedem accipere, Gentiliumque incolarum idolis & ſuperſtitionibus exterminatis, domicilium figere incepit.

II. *Libri eiuſdem Auctor quis?*

SEX de hoc opiniones video. *Prima* eſt apud Abulenſem quæſt. 13. fuiſſe quendam Ioſuanis temporibus poſteriorem, vel iis potius temporibus æqualem, vt in ſancti Athanaſij Synopſi eſt. *Secunda* apud eundem Abulenſem infrà cap. 4. ante quæſt. 14. & cap. 7. quæſt. 9. Iſaiam Prophetam eſſe auctorem vult. Sed

A argumento nullo. *Tertia* Eleazarum Pontificem exiſtimat auctorem. *Propriæ enim*, ait huius opinionis auctor, *erant eius partes, non modò viuâ voce, ætatis ſuæ populum docere, ſed teſtatam quoque ad poſteros facere* DEI *gratiam in Eccleſia conſeruanda, vt vera religio meliùs propagaretur. Et antequam degeneraſſent Leuitæ*, inquit idem, *fuerunt ex illo ordine actuarij, qui in perpetua monimenta referrent, quidquid memoratu dignum erat in Eccleſiæ gubernatione.* poſſetque id forſan confirmari ex Iſaiæ 36. verſu 3. & 22. aliiſque locis, vbi Leuitarum quidam vocantur *mazkirim*, quaſi qui rerum memoriam ſcribendo cu-

B ſtodirent, ſiue, vt ſæpe noſter vertit Interpres, *qui eſſent à commentariis.* Accedit quod lib. 1. contra Apionem ait Ioſephus, apud Ægyptios & Babylonios moris fuiſſe, vt circa publicos rerum geſtarum commentarios philoſopharentur Sacerdotes. Iudæi verò τοῖς ἀρχιερεῦσι καὶ τοῖς προφήταις τὴν πρᾶξιν, Pontificibus, & Prophetis hoc ipſum commendarent. *Quarta* eſt ipſius Abulenſis quæſt. 13. in cap. 1. & quæſt. 9. cap. 7. quæſt. 11. cap. 16. Ioſuæ ſcriptorem fuiſſe Samuelem. *Quinta* Andreæ Maſij præ-

C fat. in hunc librum, Eſdram fuiſſe, & quidem, vel ſolum, vel vnâ cum æqualibus piis, & eruditis hominibus, de quibus idem cap. 8. fol. 142. *Sexta* ipſummet Ioſue ſtatuit ſcriptorem. eaque mihi ad veritatem videtur propenſior. 1. Ipſius Magiſter Moyſes, Eccleſiæ ſtatum, qui tempore ſuo fuiſſet, litteris à ſe mandandum ſenſuit. Quidni bonus eum imitaretur & diſcipulus, & ſucceſſor? 2. Videtur idipſum omnino aſſeri Eccleſiaſtici cap. 46. verſu 1. dum dicitur, *Fortis in bello Ieſus Naue, ſucceſſor Moyſi in*

Prophetiis. Ita enim ibi legendum oſtendunt Græci. Sed quas ait *prophetias*? Eas opinor, quibus Ioſuæ mentem illuſtrabat Dominus, maximè verò quas ad alios verbis literiſque perferret. Sacras enim Scripturas, *prophetiarum* nomine vocari conſtat ex 2. ſancti Petri cap. 1. verſ. 19. Iam tertiò, in poſtremo libri huius capite verſ. 26. ita legimus. *Scripſit quoque* (Ioſue, qui in Hebræo & Græco disertè nominatur) *omnia verba hæc in volumine legis Domini.* Quænam verba hæc? Vtique non ea duntaxat, quæ fœdus, de quo mentio illic facta; continebant, ſed vniuersè res omnes, quas liber iſte recitat. Nam alioqui ſuffeciſſet dicere, *Percuſsit Ioſue in in die illo fœdus, & propoſuit populo præcepta atque iudicia in Sichem, & ſcripſit ea omnia in volumine legis Domini.* Deinde quod eſt volumen legis Domini? Nonne vel Deuteronomium, vel totus Moyſis Pentateuchus? In eo verò ſcripſit, quando in eodem Codice, qui in arca erat, ſuum iſtum coniunxit. Hinc & Chaldæus manuſcriptus, quem ſe habere ſcripſit Maſius fol. 114. ita locum iſtum vertebat. *Scripſit Ioſue verba iſta in libro, & appoſuit libro legis* Dei. Quartò, eſt hæc inter doctos homines receptior ſententia, non recentiores modò Vatablum, Abulenſem, Driedonem lib. 1. cap. 3. Pinedam præfat. 3 in Iob: ſed veteres etiam & Chriſtianos, vt Iunilius lib. 1. de partibus diuinæ legis cap. 8. ac in ſynopſi Dorotheus oſtendunt, & Hebræos, qui Babæbathræ cap. 1. Ioſue librum ſuum ſcripſiſſe edocent. fol. 14. b. Baſil. editionis, & rurſum fol. 15. vbi additur, quomodo etiam ſcripſerit octo vltimos verſus Deuteronomij, prout mox rurſus dicendum erit. idemque Radako videtur in libro viarum linguæ ſanctæ. Quinto, ex eorum, quæ contra proponuntur diſſolutione, idem firmatur. Nam obiicit Caſtalio in ſuis Annotationibus duo. 1. *In cap. 10. citatur liber Recti, ad probandam hiſtoriam de ſole conſiſtere iuſſo, qui tamen liber à Ioſue citari non potuit, cùm ſit poſt tempora Dauidis ſcriptus. Nam 3. Reg. cap. 1. citatur ex libro Recti hiſtoria de Dauide. 2. Scribuntur ea cap. 15. huius libri de Axa Calebi filia, quæ poſt mortem Ioſuæ geſta ſunt in Iud. cap. 1.* 3. expeditio filiorum Dan contra *Leſem* infrà cap. 19. verſu 47. quæ poſt Ioſue ſuſcepta Iud. c. 18. Eadem à Maſio etiam obiiciuntur. Sed huiuſcemodi à poſteriorum Prophetarum aliquibus verbi cauſa à Samuele, vel qui Dauidis, aut Salomonis tempore fuerint, vt infrà cap. 16. à 70. indicatur, aliis, & nominatim à magno illo & ſcientiſſimo Eſdra fuiſſe adiecta, libenter confitemur: neque tamen propterea is ipſi Ioſuæ liber negandus. Alioquin & Geneſeos, aliorumque ſequentium librorum Moyſen patrem negabimus, cùm in illis *Hebronis* nomen, quod à Calebi filio poſtea impoſitum fuiſſe putant non pauci & ſimilia inueniantur, adeoque & ipſe Moyſis è vita diſceſſus & funus, quemadmodum hic etiam ipſius Ioſuæ mors narratur cap. vltimo verſ. 29. Certè diſertim aſſerunt Thalmudici in Babæbathra cap. 1. Moyſi Deuteronomio adieciſſe noſtrum Ioſue verſus octo vltimos: Eleazarum vero huic libro adieciſſe iſta quæ de Ioſuę mor-

A te ſunt infrà cap. 24. à verſu 29. ad 33. qui quia de ipſius Eleazari obitu agit, cum dicũt à Phinees adiectum: Addiici poſſet quartum è cap. 4. verſ. 9. & cap. 5 verſ. 9. vbi *vſque ad præſentem diẽ* dicuntur lapides in Iordanis medio erecti manere. Atque hoc obiiciunt ibi Abulenſis & Maſius. Sed eadem poteſt adhiberi reſponſio, quæ infrà iterum in memoriam reuocanda, cap. 14. quæſt. 5. & cap. 16. num. 7. Sexto demum & vltimo accedit aliarum ſententiarum inanitas. Nam prima, tertia, & quarta rationum nihil
B afferunt. Secunda vero docet quidem circa monumenta publica operam ſtudiumque Pontifices, & Leuitas, Prophetaſque poſuiſſe, non tamen ab illis ſolis eſſe ſcripta omnia. Deinde, nonne omnino & inter Prophetas Ioſue? Nonne *in prophetiis* Moyſi eum ſucceſſiſſe dixit paulo antè c. 46. Eccleſiaſticus? Et infrà, primis cum prophetis à Iudæis aggregari, dicetur.

III. *Quæ libri eiuſdem auctoritas?*

C QVI diuinam prorſuſque canonicam huius libri auctoritatem vel hoc tempore, vel iam olim negarit, ſcio neminem, præter Samaritanos, & alios, qui vel vetus inſtrumentum ſolùm reiecerunt, vel ſolo certè Moyſis Pentateucho eſſe nos oportuere contentos docuerunt, prout in generalibus Bibliorum Prolegomenis expoſui. Fortè tamen, qui apud D. Hieronymum in Iſaiæ cap. 16. *ſanguinarium* Ioſue per contumeliam appellarunt, parum huic libro tribuerunt, cum hic illi maximæ ſemper
D virtutis & diuinæ approbationis teſtimonium det. Neque enim vel tenuis ratio vlla eſt, ob quam de auctoritate iſtâ vllatenus ambigi poſſit, cùm & Chriſtiani omnes hactenus & Iudæi, conſpirantibus eum animis, tanquam certiſſimum, & à Deo dictatum amplexi ac venerati ſint.

IV. *Quis libri eiuſdem ad Bibliacos alios ordo?*

DIVVS Hieronymus epiſtola ad Paulinum
E & è Iudæis nonnulli primas Moyſis libris, dant, ſecundas ipſi *Iob*. S. verò Chryſoſtomus & Olimpiodorus in Iob 38. eidem libro non ſecundas, ſed primas dederunt. Et mouet omnes cauſa vna, quod ante libros alios omnes, eam patientiæ hiſtoriam ſcripſiſſe videatur Moyſes, vt in generalibus Prolegomenis dictum eſt. Sed optime proximum, poſt Moyſis libros, obtinet locum Ioſue. Nam res ipſa, temporumque & geſtorum ratio illis continuatiſſima. Ideoque & libri huius principium eſt, cuiuſmodi eſſe ſo-
F let eorum librorum, qui cum antecedentibus apte iunguntur, videlicet, *Et fuit*, prout quæſtione 1. in *Iudith* cap. 1. expoſitum. Et nunquid æquiſiſſimum, vt Magiſtro diſcipulus, deceſſori ſucceſſor cohæreſcat? *Iob* vero à Moyſe ſcriptum eſſe, non concedit in Synopſi D. Athanaſius, in Catena Olympiodorus, in oratione contra Iulianum D. Nazianzenus, qui eam Salomoni ſcriptionẽ tribuunt. Sed proper alias plures rationes & teſtimonia, cõcedamus eſſe ipſius Moyſis opus, an è ſecundo ea propter loco deiiciendus

Digitized by Google

iiciendus Ioſue? Nam aut in ordine iſto, *temporis* habenda eſt *ratio*. & ſic, vel ante Exodum vel in ipſa certè poni deberet *Iob*, qui ante Iſraelitarum ex Ægypto migrationem acerbitates illas omnes excepit, & tum ferè mortuus eſt: Eodemque modo Pſalmi Dauidis, Prouerbia, cæterique Salomonis libri libris Regum tertio & quarto præponendi fuerint. Aut vero *ſcriptoris* ducenda potius *ratio* eſt, vt quæcunque Moyſis ſunt, ea ſemel collocentur omnia. Sed tunc ſi librũ hunc ſcripſiſſet Eſdras, vt volebant ſuprà nonnulli, foret is poſt Eſdræ librum collocandus, & ſi qui Moyſis in Pſalterio Pſalmi ſunt, vti quibuſdam viſum; reuocandi huc forent, ſimiliſque in aliis perturbatio adhibenda eſſet. In nouo etiam Teſtamento inter S. Lucæ, & S. Ioannis Euangelia inculcandi eſſent Actus Apoſtolorum, & poſt eiuſdem S. Ioannis Euangelium, ante S. Pauli Apoſtolorumque aliorum epiſtolas, Apocalypſis ponenda. Meliùs omnino factum, vt e rerum, temporumque connexione hi inter ſe libri connecterentur, præſertim quia tenet Iob hiſtoria modum narrandi & explicandi alium, eſtque ſeparatum omninò argumentum & materia. Quare & D. Hieronymus in eadem citatâ præfatione communem poſteà ſententiam ſecuutus eſt.

Eleganter verò S. Athanaſius in epiſtola de Pſalmorum interpretatione ad Marcellinum, tres iſtos vna iungit, & *Triteuchum* vocat, *Ioſue, Iudices, Ruth*.

V. Cur idem liber inſcribitur Ioſue?

LICET eius auctor *Ioſue* ſit, vti prolegomeno ſecundo dictum, è re tamen ipſa videtur inſcriptio potiùs petita. Ea enim eo libro narrantur, quorum dux, auctor, & moderator fuit Ioſue: ab eoque incipit liber, & in eo deſinit. De cuius parentibus, nomine, rebuſque aliis anteà geſtis expoſitum ſatis libro ſuperiore.

Extat apud Samaritanos adhuc hodie liber ex Hebraica in Arabicam linguam conuerſus, qui IOSVE vocatur, quia nimirum à Moyſis exceſſu, Ioſuæque imperio incipit, licet cum eo non deſinat, ſed vltra Imperatoris Hadriani pergat imperium. Hunc Samaritano charactere deſcriptũ habere ſe ſcribit Scaliger l.7. Emend. p.627.

VI. Quæ libri eiuſdem vtilitas?

OMNES illæ, quæ inſpiratarum diuinitus ſcripturarũ traditæ ſunt in Bibliacis Prolegomenis vtilitates, hoc in libro inſunt. Sed eminent hæ potiſſimum. quòd DEI opt. max. fidem in promiſſis egregiam & certiſſimam demonſtret: quod inſigne Principis, bello, & pace, erga DEVM & ſubditos optimi ſpecimen det: quod pacem, rerum copiam, fauſtitatemque omnem à DEO eſſe, ab eoque, dum quo par eſt modo, religioſè colitur; affatim donari oſtendat; quòd terræ, quam tota paſſim ſcriptura nunquam non memorat, geographiam, & quandam veluti picturam ob omnium oculos conſtituat; denique quòd præclariſſimum nobis CHRISTI IESV Domini ac Saluatoris noſtri Typum, quoddamque velut ſpeculum pro-

A ponat. Vnde in hunc ipſum librum homilia 4. Origenes. *Liber hic non tam nobis geſta filij Naue indicat, quàm* IESV *Domini mei nobis ſacramenta depingit.*

VII. Qui libri eiuſdem Interpretes?

INTERPRETATI apud Hebræos hunc librum ſunt R. Abnezra, R. Salomon Iarchi, R. Iſaias, qui compendium tamen potiùs inſtituere videtur. Apud Chriſtianos verò Origenes,
B Theodoretus, Procopius, D. Auguſtinus, Rupertus, Lyranus, Abulenſis, & è Germania noſtra poſtremò *Andreas Maſius*, quem quaſi parum rectè fidei vellicant nonnulli. App. Poſſ. pag. 284. vlt. de Ioſuæ. At qui eum de facie familiariterque norunt, Catholicæ fidei, Pontificiæque auctoritatis retinentiſſimum affirmant, etiam qui factum id nollent, è Nouatorũ grege quidem. Et quoties hoc ex hiſce ſuis commentariis clarè ac palam præ ſe fert? In cap. 6. fol. 103. *Stultiſſimum, ait, ne dicam impium, mihi videtur*
C *in ea ſacra, cæremoniaſque, & ritus colendi* DEI, *quos à maioribus noſtris in Eccleſia, ſanctiſſimis,* DEOque *probatiſſimis viris traditos habemus, inquirere curioſius*. Ibidem fol. 105. *Nihil noſtris rationibus noſtroque iudicio in illis mentiamur diuinis effatis, ſed mente ſimplici, acquieſcamus in iis ſenſis, quæ nobis ſanctorum Patrum auctoritas explicauit; Eccleſia approbauit; vetuſtas roborauit.* Et paulò poſt. *Iſta ad verba Dei addimenta, cùm eò ſpectent, vt illuſtrior auguſtiorque diuinus hic euadat triumphus, & maiore omnium animos religione afficiat, adeò non diſplicuiſſe* DEO, *vt*
D *etiam vehementer grata fuerint, ipſe exitus docet. Quod propter non video, cur à multis tam petulanter rideri debeat omnis in templis* DEI *ritus atque apparatus, non disertè præſcriptus à* DEO; *ſiquidem ad excitandam pietatem vtilis ſit.* Et clariſſima Catholicæ fidei profeſſio, ad eamq; cohortatio eſt in cap. 11. p. 211. quam ibidem citare ſtatuo quæſt. 10. & contra Iconomachos Caluiniſtas cap. 22. altariumque ac rituũ, hoſtes omnes. ibid. pag. 316. & 317. 324. cap. 24. p. 336. Quin & vidua eius vxor, licet honeſtiſſimo Conſuli Seueneræ mo-
E do nupta, eiuſque propinqui alij ſanam, in hæreticorum medio, religionem, quam in illo viderunt tueri adhuc dicuntur. vt meritò eum aliquoties laudet noſter *Pererius*. Nam in Gen. c. 15. num. 108. *Andreas*, inquit, *Maſius ſcriptor eſt non minùs elegans & diſertus, quàm eruditus & accuratus*. Et in cap. 16. diſp. 17. num. 256. *Andreas Maſius ætate noſtrâ Commentarios edidit in librum Ioſue, non minùs ſanè Catholicos & pios, quàm eruditos & diſertos.* In Exod. cap. 12. diſput. 2. *Andreas Maſius, ſcriptor eruditus & diſertus.* Arias Mõtanus in huius libri Ioſuæ cap. 11. fol. 348.
F *Doctiſſimus & piiſſimus vir, nobis cariſſimus And. Maſius in hunc eundem locum ſcripſit.* Et cap. 21. p. 536. *Pius Maſius*. Et in appatatu Bibliorum plura. Quod ſi aliqua in re (quod humanum eſt) offendit aut errauit, in modeſtiſſimas, hæreſeoſque calumniam omnem depellentes has eius voces intuendum. *Quin multi*, ait ipſe præf. in Græcam editionem f.124. *à me diſſentiant, recuſare neque poſſum neque volo: ſed meum iudicium, in quo magnam eſſe infirmitatẽ ingenuè confiteor, omnium iudicio, & præſertim* SACROSANCTÆ ECCLESIÆ, *eiuſ*

Digitized by Google

ſummo PONTIFICI ROMANO *ſubmitto.* A vide & in cap. 17. vbi non fidei, ſed vitiorum noſtrorum carpit improbitatem pag. 273. ſicuti & c.20.aſylorũ abuſum p. 302.& ſequente. Neque qui accuſare ipſum voluerunt, Caſtrius in Iſaiam, Poſſeuinus in Bibliothecæ lib. 2. cap. 8. & alij, vllam in eo hæreſin probarunt: ſed ex his etiam Poſſeuinus in Apparatus parte 1. eum *eruditum, doctum & probum fuiſſe*, ait, *conſtare* pag. 85. & par. 2. pag. 284. Atque hæ olim mihi cauſæ, vt lib. *de Ioſuanis Sacerdotibus* cap. 7. quòd per eius lectionem profeciſſe aliquid viderer, B debita eum laude gratus libenſque proſequutus ſim. Neque tamen ideo ab eo, ſi quando à veritate mihi diſſentire videatur, diſſentiendi (quod poſteà non infrequenter fiet) ius ademptum velim. Aliud enim eſt virum aliquem Catholicum & doctum, ac vtilem exiſtimare, aliud eius in ſententias & verba iurare omnia.

Significat vero Maldonatus in Matth. cap. 1. vbi de Raab agit, ſe in hunc librum ſcripſiſſe. Sed videre nondum licuit.

VIII. Quæ libri totius diuiſio?

DIVIDITVR liber hic in partes duas. Vna, quæ in ipſo promiſſæ terræ acceſſu, & primo quaſi limine, ante Iordanis tranſitum acta ſunt: altera, quæ poſt eundem tranſitum proponit. Primum verò illud promiſſæ terræ limen, erat vltima itineris Ægyptiaci, totiuſque per vaſtam ſolitudinem peregrinationis manſio, de quâ in Exodo dictum eſt. Poſſunt porrò prioris partis tres cenſeri particulæ. Prima ipſorum vt Iordanem tranſirent, præparationem oſtendit, cap. 1. Altera, exploratorum miſſionem, cap. 2. Tertia ipſum ad terram illam tranſitum capite 3. & 4.

PRIOR

PRIOR LIBRI PARS.

CAPVT PRIMVM.

ET factum eſt poſt mortem Moyſi ſerui Domini, vt loqueretur Dominus ad Ioſue filium Nun, miniſtrum Moyſi, & diceret ei: Moyſes ſeruus meus mortuus eſt: ſurge, & tranſi Iordanem iſtum tu & omnis populus tecum, in Terram, quam ego dabo filiis Iſraël. Omnem locum, quem calcauerit veſtigium pedis veſtri, vobis tradam, ſicut locutus ſum Moyſi. A deſerto & Libano vſque ad fluuium magnum Euphraten, omnis terra Hethæorum vſque ad mare magnum contra ſolis occaſum erit terminus veſter. Nullus poterit vobis reſiſtere cunctis diebus vitæ tuæ: ſicut fui cum Moyſe, ita ero tecum: non dimittam, nec derelinquam te. Confortare, & eſto robuſtus: tu enim ſorte diuides populo huic Terram, pro qua iuraui patribus ſuis, vt traderem eam illis. Confortare igitur, & eſto robuſtus valde: vt cuſtodias, & facias omnem legem, quam præcepit tibi Moyſes ſeruus meus: ne declines ab ea ad dexteram vel ad ſiniſtram, vt intelligas cuncta quæ agis. Non recedat volumen legis huius ab ore tuo: ſed meditaberis in eo diebus ac noctibus, vt cuſtodias & facias omnia quæ ſcripta ſunt in eo: tunc diriges viam tuam, & intelliges eam. Ecce præcipio tibi, confortare, & eſto robuſtus. Noli metuere, & noli timere: quoniam tecum eſt Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcumque perrexeris. Præcepitque Ioſue principibus populi, dicens: Tranſite per medium caſtrorum, & imperate populo, ac dicite: Præparate vobis cibaria: quoniam poſt diem tertium tranſibitis Iordanem, & intrabitis ad poſſidendam Terram, quam Dominus Deus veſter daturus eſt vobis. Rubenitis quoq; & Gaditis, & dimidiæ tribui Manaſſe ait: Memĕtote ſermonis, quem præcepit vobis Moyſes famulus Domini: dicēs, Dominus veſter dedit vobis requiem, omnem terram, vxores veſtræ, & filij, ac iumenta manebunt in Terra, quam tradidit vobis Moyſes trans Iordanem: vos autem tranſite armati ante fratres veſtros, omnes fortes manu, & pugnate pro eis, donec det Dominus requiem fratribus veſtris, ſicut & vobis dedit, & poſſideant ipſi quoque Terram, quam Dominus Deus veſter daturus eſt eis: & ſic reuertimini in Terram poſſeſſionis veſtræ, & habitabitis in ea, quam vobis dedit Moyſes famulus Domini trans Iordanem contra ſolis ortum. Responderuntque ad Ioſue, atque dixerunt: Omnia, quæ præcepiſti nobis, faciemus: & quocumque miſeris, ibimus. Sicut obediuimus in cunctis Moyſi, ita obediemus & tibi, & tibi, tantum ſit Dominus Deus tuus tecum, ſicut fuit cum Moyſe. Qui contradixerit ori tuo, & non obedierit cunctis ſermonibus, quos præceperis ei, moriatur. tu tantùm confortare, & viriliter age.

COMMENTARIVS.

EST *in hoc capite quædam ad Iordanis tranſitum, & ad promiſſam terram acceſſum præparatio. eaque partim Ducis ipſius, partim populi. Ducem ipſum egregiè præparat* DEVS, *eum alloquendo, & inſtruendo, de* ſeptem *ſcilicet capitibus.* Primum *eſt, vt quia è vita deceſſit Moyſes, et iam in populi gubernatione, & impoſito alias munere ſuccedere, fortiter & alacriter agere, promiſſamque terram inire incipiat. Hoc enim volunt verba illa v.* 2. Surge, & tranſi Iordanem iſtum. Alterum, *terra oſtenditur occupanda, cuius termini ſtatuuntur, prout infrà explicabitur.* Tertium *eſt, verſ.* 5. *diuinum ſemper affore auxilium.* Quartum *verſ.* 6. 7. *&* 9. *vt animo bono & conſtanti ſit Ioſue.* Quintum *eodem verſ.* 6. *futurum, vt iam Iſraelitis ſuis hæreditatem in promiſſâ terrâ det Ioſue.* Sextum, *Moyſis legem eidem ſtudioſiſſimè ſeruandam v.* 7. *ſicuti & Deuteron.* 3. Septimum & vltimum, *legis eiuſdem librum aſsiduè meditandum & in ore habendum eſſe verſ.* 8. *Cur verò incipiat hic liber à particula,* Et, *dixi Iudith cap.* 1. *quæſt.* 1.

Digitized by Google

ſapientes Hieroſolymitarum Thalmud, & quidem priùs, compilarant. R. Abraham Leuita, filius Dauid in libro Cabalæ. *Moſes*, ait, *præceptor noſter (ſuper eum pax) accepit legem à* D E O *Opt. M. in monte Sinai: & Ioſue filius Nun, ſuper quem pax, ab ipſo legem habuit vtramque, id eſt, ſcriptam, & ore acceptam. Nam certè Moſes legislator noſter præſidens diſceptabat omnes Iſraelitarum controuerſias à manè ad veſperam. Quod ſi dicas, hoc eſſe intelligendum de lege ſcriptâ, hoc fieri non poteſt. Nam illa non complectitur vnum è mille caſibus, qui quotidie exoriuntur. Poſtea autem eis præpoſuit tribunos, centuriones quinquagenarios, apudque illos hæc habuit verba: Negotia fratrum veſtrorum, & quod iuſtum eſt iudicate. De ſeipſo verò, Præcepique vobis tempore illo, quid facere deberetis, &c. Quod quidem præceptum non eſt aliud, niſi lex ore tradita,* καὶ ἄγραφος. *Præterea de negotio immolationis, & legibus ſiue ritibus eius ſcriptum eſt. Quemadmodum præcepi tibi, ſacrificabis, & comedes. Quibus apertè docet Moſes ſibi fuiſſe præſcripta mandata de immolandis victimis, quæ in lege exarata non ſint. At qui impoſſibile eſt, quin ea ſucceſſori Ioſuæ declarauerit. Ioſue autem illa tradidit ſenioribus, & diſceſſit ex hac vitâ in ſempiternam anno mundi 2517. Seniores qui ætatem produxerunt poſt Ioſue, ea deinde tradiderunt prophetis. Prophetæ autem ſibi mutuò, alter alteri ſecundum ſeculorum, & ætatum ordinem, vſque ad Haggeum, Zachariam, & Malachiam. Rurſum prophetæ ea tradiderunt viris ſynagogæ magnæ, nempe Zorobabeli filio Salathielis Iechoniæ filij, hiſque qui cum ipſo redierunt ab exilio Babylonico, Ieſu, Nehemiæ, Seraiæ, Raaliæ, Mardocheo, Balſani, Maſpari, Bagoæ, Rahum, Baanæ. Hi quippe ſunt principes Synagogæ magnæ.* Eldad Danites in ſuâ de Iudæis clauſis hiſtoriâ, vel fabulâ potiùs. *Sunt*, ait, *illi peritiſſimi fidei, & religionis, docti in Miſnáh, in Thalmud, in Agada. Thalmud quod habent linguâ ſanctâ, pureque Hebraica deſcriptum eſt, & ſic ipſi legunt, quemadmodum ſapientes noſtri, prout acceperũt ab ore Ioſue filij Nun, quem docuerat Moyſes, quem oraculum præpotentis* D E I. *Domus etiam iudicij* לבק *à domo iudicij. ait & Hieroſolymitanus Thalmud, & Rambam.* hiſq; ſimilia tradit R. Abraham Zacuth in *Iuchaſin* ſæpius, & R. Dauid de Pomariis in *Tſameach*. itemque *Midras*. Pſalmi 105. vel ſecundum Hebræorum calculum 106. f. 46. At malè pœnè apud omnes audit *Cabala* & *Cabaliſtæ*. In ſua ad Cardanum exercitatione 355. Iulius Scaliger, *Mauritaniæ, Tingitanæ*, ait, *Magi, ea videntur vti ſcientia, quæ à Iudæis Cabala nuncupatur, ab ipſis Zairagia. Cuius præſcriptionibus veriſſima reſpondendo ſummam prophetarum opinionem etiam apud ſapientes conſequuntur. Cæterum haud ex diuinis nominibus, ſed ex quadam, quæ litterarum complexu conflatur, coordinatione, quaſi miſcella Planetarum, Lunæ manſionum, ſignorum ſitum, motus conuentus, ſolitudines, diſceſſus, diſſidia, & conſenſiones notant: & tum alia, tum anni vniuerſi commoda atque incommoda denunciant ex tempeſtatibus.*

Res vt tota intelligatur, & cognoſcatur. intelligendum *primò Cabalæ* nomen ſignificare *acceptionem*, cui reſpondet *datio*, ſiue *traditio*, quæ *Maſorah* vocatur. Idq; in citatis hactenus Hebræorum verbis manifeſtum ſatis.

Secundò. Ea, quæ ad D E I legem, & religionem ſpectant, habentur dupliciter, ſcripta nimirum, & doctrinâ non ſcriptâ, ſed ore communicatâ, poſteriſque traditâ Prius illud genus Hebræi vocant *thorah bichtbab*: Poſterius *thorah bealpheh*.

Tertiò. Præter ea, quæ in Pentateucho ſcripta ſunt, & cum iis alia plurima diuinitùs Moyſen cognouiſſe, ambigi non poteſt. Neque enim quæ à D E O cognouit, tam paucis chartis explicare, diſtincteq; ſatis explanare potuit. & in iis, quæ ſcripſit, multa recondi myſteria ſciuit, eademque perſpexit, quæ, non niſi alio docente, cõprehendi à poſteris potuerunt. videatur Philo & Nazianzenus li. de ſtatu Epiſcoporum, & lib. 1. Theologiæ. Sicq; Rabanus in M S. Commentariis in Parali. ait *à Deo monſtratum in monte Sinai legis exemplar: ab Moyſe ipſe Ioſue traditum ab hoc ſenioribus.* videatur & Picus Mirandula in Apologiæ principio, & quæſt. 5. meuſque *Rabbinus* prior cap. 13. *Quarto* Inter eos, qui reconditiorem illam doctrinam, & eorum, quæ ſcripta eſſent, vberiorem, planioremque ſententiam acceperant, fuit *Eleazar, Phinees*, alij: ſed omnium facilè princeps *Ioſue*, qui κατ' ἐξοχὴν ipſius miniſter, ac diſcipulus dicitur.

Quintò A Ioſue acceperunt eadem, qui populum maximè docere, ipſique quoad ſacra, & iudicia, præponi debebant. Et ab his deinceps alij, prout ab Hebræis traditur.

Sexto Ea tam *Cabala*, quàm *Maſora* optima, & laudatiſſima eſt. Quid enim vel Deus, vel ſancti iſti traderent, vel acciperent, niſi optimum, & laudatiſſimum?

Septimo Eſt ea *Cabala* per Iudæorum Rabbinos variè aucta, vt ex Ioſepho lib. 13. cap. 18. Gr. Gorionide lib. 4. c. 6. Baſilecnſis editionis c. 29. Cracouienſis patet: & nonnullis interdum nugis, & erroribus deprauata. vt patet primo ex iis, quæ de miraculis per certos characteres, & voces ac litteras faciendis docent apud Capnionem lib. 3. Cabalæ fol. 545. & ſequent. ſecundo ex 72. Angelis ab ipſis ideo effictis, quia 50. ſunt *partæ ſapiẽtiæ*, vt aiunt, & 22. *Hebraici alphabeti elementa*, è quorum coniunctione naſcuntur 72. tertio ex aliis item Angelis, qui Adami, & aliorum præceptores fuerint. quarto ex lege in igneo globo ſcripta, eiuſque litteris variè poſtea confuſis, & permutatis. quinto Extant eius diſciplinæ libri, in quibus vana eiuſmodi plura. Cuiuſmodi ſunt.

1. Liber *Ietſira*, cuius fabulantur auctorem *Adamum*, ſed eſt Rabbi *Abraham*, aut R. *Aciba*, in quem commentati ſunt R. *Iacob Cohen, Iſaac* de nomine ſancto, & R. *Ioſeph* filius Vzielis. 2. *Zohar* R. Simeonis filij Iohai, cùm in tenebricoſo ſpecu annos 24. delituiſſet, De quo ex Genebrardo infra.

3 *Habbochir.*
4 *Cabbala R. Abraham Alaphia*
5 Super arcana legis commentarij *Rambam*, qui & *Gerundenſis* filius Nehemani.
6 *Nebuchim*: ſiue Perplexa *Rambam*. ſiue *Moyſis Ægyptij*.
7 *Scheare Tſedek*. R. Ioſeph. f. Carmitolis
8 *Seaar Orah*. R. Ioſeph Caſtalienſis Salertanus ciuis, cuius etiam eſt *Ganath Egoz*. id eſt, *Hortus nucis*; libri 3.

1. de dictionibus
2. de litteris

3. de

3. de punctis

9. *Haemunoth R. Saadia.*
10 *Sod Hattorach. R. Abraham Abenezra.*
11 *Liber R. Hamai* f. Hamina. quj eloquentiſſimus.
12 *Haion* eiuſdem.
13 *Peruſch Kedoſchad R. Azariel.*
14 Liber *Schemoth*
15. *Sepher Peruſch alphabeta*, ex R. Akiba.
16 *Schaar Harazim*, id eſt, *de reconditis Pſal.* 18. *R. Ama.*
17 *Haiachid.* cuius meminit. *Abenezra* de myſterio legis c. 1.
18 *Sodoth*
19 Quæſtiones abſtruſæ.
20 Libellus Cabalæ. *R. Azariel* alijs *Oriel* Gronenſis.
21 *Derech Haemunach*, & *Derech Haeephirah*
22 Liber radicum *R. Ioſeph Albi*, qui tamen magis ethicus
23 *Alkozer. R. Iuda Leui*
24 *De* 10. *numerationibus R. Tedaci leui.*

De quibus omnibus R. Simeon Iudæus apud Capnionem lib. 1. fol. 452. Et in fine commentariorum *Ioſue* Andræas Maſius. Deinde ex ſententiâ, & breuib. argumentis doctiſſimi Genebrardi lib. 2. Chronol. in hæc verba fol. 168. *R. Simeon Ben Iohai anctor libri Zoar. Quo poſuit fundamenta ſtultæ, & vanæ artis illius Cabbaliſticæ, quæ languet circa litterarum apices, numeros, tranſpoſitiones, anagrammatiſmos, vocum inuerſiones, alluſiones, amphibologias, homonymias. Nam eius vanitatis myſteria tribus præcipuè conſtant, quæ indicantur voce* נגה.

Nempe Geometria (ſic imperitè confuderunt Geometriam cum Arithmetica) quando litteræ expenditur numerus. Noteriacon, quando littera ponitur pro integra dictione. Sic autem barbarè dicitur à notariorum apicibus. Temurá, q. permutatio (elementorum) cùm vna littera pro altera ſubſtruitur. E duobus primis vocabulis, quorum vnum eſt Græcum, alterum ſemi-Latinum, intelligis, quo tempore tam inepta ars excogitata fuerit, nihilque minùs eſſe quam Cabalam. i. ſcientiam, quæ à maioribus per manum recepta ſit. Præter iſtiuſmodi ineptias continet multa impia, & ex omni hæreſium furfure conflata. Conſtituit decem Sephiroth, ſiue numerationes, pro ſuo fundamento, quas ſiue ſtatuant eſſe ſententiam D*EI*, *ſiue aliquid aliud extra* D*EI eſſentiam, impiè introductas ex eo apparet, quòd in* D*EO numerum, & multitudinem realem ponant. Tale erat negotium, vel potius otium Marini, & Colorbaſii diſcipulorum Valentini, qui cùncta ſuæ religionis myſteria è literis Alphabeti Græci probare conati ſunt. Iren. lib. 1. cap. 9. & 10. Reuchinum Capnionem tribus libris harum nugarum guſtum mundo præbuiſſe ſine refutatione, Paulumque Ritium, & Picum Mirandulanum ſe earum patronum conſtituiſſe, equidem miror. Neque enim ea eſt Cabbala ab eruditis Patribus laudata, quæ partim hiſtorica eſt, partim* תורה כעלפה *nominatur, id eſt, lex ore percepta. Hæc enim legis ſcriptæ pura eſt interpres, & ſimplices Synagogæ traditiones, conſuetudines, ritus, maiorum explanationes continet, quarum fragmenta nonnunquam ſuppeditant Thalmud, Deraſim &c.* Videri poſſet, niſi obeſſent alia, caput 47. Agrippæ *de vanitate ſcientiarum* prioris etiam *Rabbini* caput 13. vbi & Pleſſæi Forſterique *de Cabala* nouitatem reijcio. 8. Sublatis ex hodierna Cabala erroribus, qui ſcilicet cum D*EI* verbo, Eccleſiaſticiſque canonibus, & dogmatis pugnant, poſſunt alia retineri. Nam vel vera ſunt, vel certè veritati non inimica, & antiqua tamen, aut iucunda, & ingenioſa. De *antiquitate* atteſtari videtur. Primò, Eſdræ liber quartus c. 14. v. 45. & 46. *Altiſſimus, ait: Priora, quæ ſcripſiſti, in palam pone, & legant digni, & indigni: nouiſſimos autem Septuaginta conſeruabis, vt tradas eos ſapientibus de populo tuo. In his enim eſt vena intellectus, & ſapientiæ fons, & ſcientiæ flumen.*

Ioſue.

Quod poſtremum & in Thalmud ita relatum. *En moſcrim ſathre thorah, ela leioets vechacam chaduſchſim ouncuum lacheſh.* id eſt, *Non traduntur abſcondita legis, niſi conſiliario, & ſapienti Magiſtro iuuenum, & intelligenti Mago.* Secundò. Diuidi ſolet artificioſa *Cabala*, primo in eam, quâ pro dictione ponitur dictio, idque vel per litterarum Metatheſim, vel per æqualem numerum. ſecundo, in eam, qua littera pro dictione integra eſt. tertio in eam, qua pro littera ſtatuitur littera, per alphabeticam quandam reuolutionem, quæ dici ſolet *athbaſch.* Ac partium penè iſtarum omnium exempla ſuppetunt vetera. De prima quoad numerorum æqualitatem eſt in Apocalypſi cap. 13. verſu 18. *Qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ. Numerus enim hominis eſt, & numerus eius ſexcenti ſexaginta.* De ſecunda eſt in libri Regum tertij Traditionibus Hebraicis ferè ſub initium, tomo 3. D. Hieronymi, vbi ſic. *Habes quoque apud te Semei filium Gera fili Gemini de Bachurim, qui maledixit mihi maledictione peſſima. Peſſima dicitur Hebraicè nimreiſeth, quod quinque litteris enunciatur. id eſt* נמרצת *In* נ *noeph, id eſt, adulter,* מ *Moabita,* ר *raſcha id eſt, impius,* צ *iſtra, leproſu* ת *thaoba, id eſt, abominatus.* De tertia ipſemet Sanctus Hierony. in Hierem. 25, vbi legitur *ſeſach*, & intelligitur *Babylon. Quomodo,* ait, *Babylon, quæ Hebraice dicitur* בבל *intelligatur* ששך*: non magnoperè laborabit, qui Hebrææ linguæ paruam ſaltem habuerit ſcientiam. Sicut apud nos Græcum alphabetum vſque ad nouiſſimam litteram per ordinem legitur, hoc eſt α, β, & cætera, vſque ad ω, rurſumque propter memoriam paruulorum ſolemus lectionis ordinem vertere, & primis extrema miſcere, vt dicamus α, ω, β, ψ. ſic & apud Hebræos primum eſt* א, *ſecundum* ב, *tertium* ג, *vſque ad vigeſimam ſecundam, & extremam literam* ת, *cui penultima eſt* ש *Legimus itaque* אתבש *: cumque venerimus ad medium,* ל *litteræ occurrit* כ *& vt ſic rectè legatur, legimus Babel, ita ordine commutato legimus Seſach. Vocales autem litteræ intèr* ב *&* ב *&* ל *iuxta idioma linguæ Hebrææ in hoc nomine non ponuntur.* Iucunda verò, & ingenioſa hæc eſſe omnia concedet quilibet facile, qui tot hodie laudibus, etiam à bonis, doctiſque viris, efferri viderit Poëtarum anagrammatiſmos, & logogriphos. Itemque illa olim de numero 420. quem dat & λειμὼν, & Demagoras in Græcorum Anthologia, & apud Gillium, D. Florimundum Remũdum l. de Antichriſto c. 20. Heliodorum l. 9. qui dicit Νεῖλος fluuium, eſſe annum, id eſt dies 365. Videatur libellus Iulij Gyraldi ænigmatum, verbi cauſa, de nomine θ, η, σ, ι, υ, ς. Et de ſimilibus

Digitized by Google

aliis apud Reuſnerum f., 78. Fabulam hic, ſed quæ inſtituto admodum congruat, inſerere liceat. Æſopi herus Xanthus marmoream in ruinis quibuſdam columnan inuenit, in qua ſeptem iſtæ litteræ. α, β, δ, ο, ε, θ, χ. Mirantur omnes, & ſibi ex, quid velint, cogitant.

Æſopus verò hanc earum eſſe ſententiam pronunciat. Ἀποβὰς βήματα τέσσαρα, ὀρύξας εὑρήσεις θησαυρὸν χρυσίου, id eſt, *Abſcedẽs gradus quatuor inuenies theſaurum auri;* Placuit coniectura. ſed magis, quod inuentum fuit aurum copioſum. Nam, quod prætermitti non debuit, coniectori, è theſauro illo nihil dedit Xanthus. Eum igitur aliud, ijs etiam literis præceptum contineri monet; nimirum, Ἀπολαβόντες βαδίζοντες διέλεσθε ὃν εὕρετε θησαυρὸν χρυσίου. *Qui tollentes, dum abitis, diuidite, quem inuenistis theſaurum auri.* Sed cum neque vllam animi grati partem ingratus Dominus ſuſciperet, indignari Æſopus, & dicere? *Nidaret aliquid literarum ſeſe mandato morem geſturum.* Illud enim eſſe huiuſmodi. Ἀπόδοτε βασιλεῖ Διονυσίῳ, ὃν εὕρετε θησαυρὸν χρυσίου. *Redde Regi Dionyſio, quem inueniſti theſaurum auri.* Quis hoc ingenium non laudet? Tantam ſolertiam quis non miretur? Et iam paucis litteris tam varias, tamque aptas confici ſententias? Laudat ſane iſtiuſmodi etiam in ſecundo de Oratore Tullius. Sint igitur iſtius generis Cabalæa, non quidem ſacra, certa neceſſaria, bella tamen & ingenij, ſolertiæque plena. Iulius Scaliger in Logogriphis.

Ne tibi ſint nugę hæ. Quid enim ille ſuperbit ineptus?
Perque manus tradit ſapientis nomen inane?
Quo labyrintheis anfractibus omnia verſat.
Accipe, vtrumque libens ergo, aut vtrumq; relinque.

9 De priore, ac puriore, & ſolidiore Cabala intelligendi, qui per hanc à Moyſe, de diuinis, Ioſue inſtructum vere cenſuerunt.

10 In eadem Cabala etſi admodum excellens, minor tamen fuit Ioſue, quàm Moyſes. non ſolum, quia non eſt diſcipulus ſuprà Magiſtrum, ſed etiam, & multo magis, quia Deuteron. vltimo verſ. 10. dicitur. *Et non ſurrexit vltrà propheta in Iſrael, ſicut Moyſes.* Atque hoc volunt Rabbini dum aiunt, *Moyſen ſapientiæ portas penetraſſe vnde quinquaginta*, ſed Ioſue tantum *duodequinquaginta.* Iterumque Moyſis faciem *ſolis*, Ioſuæ verò *lunæ* inſtar fulſiſſe. apud Capnionem lib. 3. f. 510. & 545. prout etiam ſuprà cap. 9. q. 40. tangebam. Sed *o tu vere Ioſue, mi Chriſte*, doce me iuſtificationes tuas. Dixiſti. n. Patri tuo cœleſti Ioh. 17. v. 14. *Ego dedi eis ſermonem tuum. Sicut tu me miſiſti in mundum, & ego miſi eos in mundum. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, vt dilectio, qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis. Amen.*

Q. III.
An iam primò loquatur Dominus Ioſuæ, & cur?

Rupertus lib. 1. in Ioſue cap. 2. ante Moyſis mortem bis Dominum Ioſuæ locutum ait. Primo quidem, Num. 27. deinde hoc ipſo loco Deuter. 31. verſu 14. & ſequentibus. Sed impropriè dici poteſt priore illo loco ipſi Ioſuæ locutus Dominus. Nam *de ipſo* potius, quam *ipſi* locutus eſt, ſiue vti tandem ipſemet ait Rupertus. *ſuper illo* potiùs quàm *ad illum.* Hic ergo omnium primò, proprie ad ipſum Ioſue verba facere cœpit Dominus. & maximè v. 23. Licet enim in Hebræo, & Græcis 70. correctis verbum *Præcepit* referri videatur ad Moyſen, qui paulò antè dicebatur *Canticum illud ſcripſiſſe*, Correctus tamen Latinus diſertè ait: *Præcepitque Dominus Ioſuæ filio Nun.* idque rectum eſſe patet ex ipsâ Hebræâ eius, qui Ioſuæ præcipit, & loquitur, oratione, in qua ſic eſt. *Tu introduces filios Iſrael in terram, quam iuraui ipſis.* At 70. vt Moyſis oratio eſſe videretur, primam hanc perſonam *iuraui*, verterunt in tertiam *iurauit.* licet in re ſenſus idem ſit. Cur verò hic loqui Ioſuæ Dominus cœperit; cauſa fuit, vt eius, coram vniuerſo populo, dignitatem, & auctoritatem ille amplificaret, eumque Moyſi, cui vni loqui ſolebat Dominus, verum ſucceſſorem, & iam quodammodo parem oſtenderet.

Q. IV.
Quomodo dicitur Ioſue vnà cum morituro iā Moyſe canticum & ſcripſiſſe, & cecinisſe?

Nodvm iſtum Pagninus non ſoluit, ſed rupit. Nam Deut. 32. verſ. 44. textum aliam in ſententiam ita detorſit: *Locutus eſt Moyſes omnia verba Cantici huius in auribus populi huius, & in auribus Hoſeach filij Nun.* vt nõ cecinerit Ioſue, ſed Moyſes tantùm, in populi tamẽ, & illius auribus. *Neque male ſic interpretatur Santes*, inquit Oleaſter. Imò verò peſſime. Non enim textui tantũ noſtro repugnat, & Latinis Explicatoribus omnibus, ſed Hebræis etiam, apud quos ſub *haam* locata finiendæ orationis nota, quæ *atnach* dicitur. Repugnat etiam ipſis 70. qui ſic. ἐλάλησε Μωσῆς, καὶ ἐλάλησε πάντας τοὺς λόγους τοῦ νόμου τούτου εἰς τὰ ὦτα τοῦ λαοῦ, αὐτὸς καὶ Ἰησοῦς ὁ τοῦ Ναυή. Modus igitur inueniẽdus, quo conſcripſerint, & cõcinuerint ambo. Eſt autem is, vt vel ambo totum, vel ſinguli partem. rurſumq; vel eodem ſimul tẽpore, vel diuerſo. *Primò* enim fieri non potuit, vt diuinitus afflati ambo eoſdẽ omnes verſus, & voces conſcriberent, clareq; concinerent, non ſecus, quàm ſi ſtudio, & labore vnum aliquod carmẽ didiciſſent, idipſumque ſymphoniace vna canerent. *Secundò*, vt verſum vnũ cantu prǫiret, vnus verbi cauſa Moyſes, ſubſequeretur, eundem repetẽdo, Ioſue. *Tertiò*, vt alternis verſum vnum caneret Moyſes, alterum Ioſue, prout in hymno illo *Te Devm laudamus*, ab Sancto Ambroſio, & Auguſtino factum, vulgo traditur. *Quartò*, vt totum priùs caneret Moyſes canticum, id ſtatim poſtea iteraret Ioſue. *Quintò*, vt iteraret illud Ioſue, ſed non ſtatim, verùm multo poſtea tempore, cùm & ipſe ſcilicet moriturus eſſet. Atque duos iſtos poſteriores modos amplexi ſunt auctores boni; quartum quidem Caietanus, quintũ Abulenſis. Nam in c. 32. ille ſic. *Conſentaneum rationi eſt, vt Moyſis tam ſenis vox minus audiretur, & propterea Iehoſuach adiutor eius tãquam interpres connumeretur.* Hic verò in idem caput, ſic: *Iſta verba* (Cantici) *coram populo non proponebat Ioſue, quia ſolus Moyſes proponebat. Sed quia dicebat, quòd etiam iſta verba à* Deo *audiuerat, cùm ambo ſimul ſtarent ante Dominum in hoſtio tabernaculi. & ex hoc accidit, quod quando Ioſue morti propinquus erat, annunciauit eis, quod poſt mortem ſuam peccaturi erant contra Dominum, vt patet Ioſuæ, cap. 24.* etſi ſextum etiam modum his innuere verbis videtur idem Abulenſis, vt Ioſue ſcilicet dicatur cum Moyſe Canticum iſtud ſcripſiſſe, & cantaſſe, quia id ſe à Deo vna cum Moyſe audiuiſſe teſtificatus ſit.

Q. V.
Moyſi morti an adfuerit Ioſue?

Negat Abulenſis, qui Moyſen in valle, in qua ſepultus fuit non in ipſo monte Nebo mortuum vult: & etiamſi in monte mortuus fuiſſet,

fuiſſet, illuc tamen ſolum eum aſcendiſſe, ſicque morienti adſuiſſe neminem. Sed in monte mortuum docet Latinus, & Hebræus textus. Quia cum *vallis* mentio nulla, ſed *montis* tãtummodo facta fuiſſet, dicitur verſ. 5. *Mortuuſque eſt ibi Moyſes ſeruus Domini.* In eum verò montem cum aſcẽderet Moyſes, multos eum comitatos, & morienti aſſuiſſe docet Caietanus: Et in his præcipuè nominat *Ioſue.* Eſtque id veri ſatis ſimile. Alioqui non, niſi ex præcedentibus Moyſis de ſuâ morte prænunciationibus, mortuũ eum populo cõſtituiſſet: potuiſſetque à nõnullis putari, eum vel ſecundum ordinariam conſuetudinem, vel ex animi modeſtia de ſe ita loquutum, ſed eum, inſtar Enoch, vel Eliæ, in paradiſum DEVM tranſtuliſſe. Si enim non defuerunt, qui eum, vt apud Euſebium libro 9. Præpar. ait Artapanus; *Mercurium* eſſe vel Ægyptiorum DEVM *Thoth*, vel Deorum aliorum aliquem, vt ait hæreſi 55. S. Epiphanius, & Cyrillus libro 1. contra Iulianum, ſuſpicati ſint: rurſumque alij ne mortuum quidem exiſtimarunt, vti Canone 20. S. Hilarius, libro 1. de Cain. S. Ambroſius, & vterum alij apud S. Baſilium ſerm. de morte, qui in tertio S. Ephrem. tomo eſt, multique item recentiorum, vt Catharinus Geneſ. 1. & 2. Io. Arboreus lib. Theoſophiæ. cap. 11. alii apud Ioachimum Abbatem Apocalyp. 11. quid facturi olim fuiſſent Iudæi ſi eorum nemo mortuum illum vidiſſet? Morienti ſanè noſtrum adſuiſſe Ioſue docent Thalmudici Tractatu *Themurach* cap. 2. f. 16. licet ineptam, more ſuo, ibi attexant fabulam. Aiunt enim ea ipſa ora qua Moyſes *niphtar legan beden*, id eſt, *in paradiſum moriens*, *abiit*, dixiſſe ipſum Ioſuæ, vt ſi quas haberet in lege dubitationes ac difficultates, eas iam peteret. iſtum verò, ſuperbia elatum, negaſſe dubiorum ſibi quidquam eſſe: ſed pernoſce omnia. cum à Moyſe ipſo nunquam diſceſſerit, ſed vt ſuprà dictum cap. 6. à tabernaculo non receſſerit: ideoque ei fuiſſe indignatum Moyſen, pœnamque illi diuinitus inflictam, vt trecentorum legis ſcitorum obliuiſceretur, dubijſque ſeptingentis vexaretur. imo tria huiuſmodi legis ſcitorum millia ipſo Moſaici luctus tempore in obliuionem veniſſe. Sed commenta iſta Rabbinica ſunt, quæ quamuis apologi cuiuſdam inſtar, moneãt, ne quis etiam doctiſſimus ſibi præfidat, inaniterque tumeat, male tamen arrogantis ac ſuperbi perſona hominis ipſi imponitur Ioſuæ. Nam in ipſis etiam fabulis tenendum decorum. At illud iam ſatis, è Rabbinorum quidem ſententia, demigrãti hinc Moyſi affuiſſe Ioſue. Et hoc, vt ſua ferè ſolet è Thalmude mutuari, repetit in capitis primi Ioſuæ principio Raſchi. Deuter. verò commentarius, qui Rabbah dicitur, Moyſen ſolum conſtituit, f. 302. b. & 303. ſed iucundam veluti Comœdiam proponit, dum multas Moyſes ne moreretur, ad Deum querelas, & preces narrat: Samaelis item Diabolorum principis inſidias, & conatus, ipſiuſque tandem Dei è cœlis cœlorum deſcenſum cum tribus Angelis Michaele, Gabriele, & Zagzagele, qui morientem allocuti ſint, & compoſuerint.

Q. VI. *Moyſis einſdem ſepulturæ an interfuerit Ioſue?*

NEGANT omnes. & meritò. Nam eodem Deut. cap. 34. v. 6. legimus. *Non cognouit homo ſepulchrum eius* (Moyſis) *vſque in præſentem diem.* At cognouiſſet hominum aliquis, ſi ſepulturæ adſuiſſet Ioſue. Obijci tamen poſſunt hæc 1. In 70. ibidem legitur ſic: ἐτελεύτησε Μωυσῆς, καὶ ἔθαψαν αὐτὸν ἐν γαὶ *Mortuus eſt Moyſes, & ſepelierunt ipſum in valle.* Quinam quæſo ſepelierunt? Nonne homines? Et nonne cum his maximè præſens Ioſue? Quod verò in Hebræo, & Latino legimus, *Et ſepeliuit eum*, poſſumus referre, non ad DEVM, ſed ad hominem. Solent enim huiuſmodi nominatiui ſæpe apud Hebræos intelligi. 2. in quodam vetuſtiſſimo S. Ephrem manuſcripto codice, qui Romæ eſt, leguntur hæc: *Ieſus ſepeliuit Moyſẽ.* prout teſtatur in ſermone eiuſdem S. Ephrem *de transfiguratione.* Vooſſius tomo 3. f. 192. 3. Quomodo tam diſtinctè ſciri poſſet, illũ *in valle montis Nebo* ſepultum, & non alibi, ſi non in longinqua regione, quia in ſorte Gad c. 33. ſepeliendus fuiſſe ſignificabatur, ſaltem in eiuſdem Moabitidis regionis loco alio modo etiam ſepultum, in eâ vallis parte quæ *è fani Phogor regione eſt*, ſiue vt in 70. dicitur, *prope ipſum eſt*, ſi non adfuiſſent, & vidiſſent hominum aliqui? Etſi viderunt aliqui, nonne eum, & præ alijs omnibus Ioſue? Horum omnium, ex quæſtionibus de Moyſis ſepulturâ traditis, eo Deuteronomij loco, & in Epiſtola ſancti Iudæ, patet ſolutio. Nunc breuiter.

Ad primum *Sepelierunt Moyſen Dei iuſſu Angeli*, vt ait hæreſi 9. S. Epiphanius.

Ad ſecundum. Qui dicitur Moyſen ſepeliiſſe, *Ieſus*, non hic noſter Typicus Ieſus fuit, ſed verus. Nam ibidem ſubditur: *Ipſe vocauit, & eduxit Eliam, ipſe omnium Dominus.* Dicitur verò ſepeliiſſe. quia eius, tanquam Dei, iuſſu, prout iam dictum eſt, ſepultus fuit: vel quia, vt Ioſuæ c. 5. dicetur, fuerunt nonnulli, quib. *Ieſus* dicitur *Michael.* At in epiſtola S. Iudę v. 9. Michael Moyſen ſepeliuit. Quia tamen his vix aſſentior, ſatis eſt, Chriſti noſtri iuſſu, ab Michaele, inferioribuſque Angelis aliis conditum, humatumque Moyſen.

Ad 3. *Propheticè* id, narrationis huius ſcriptorem *cognouiſſe*, ait Abulenſis. Sed Caietanus dicit, *omnibus, qui morienti Moyſi adſuerunt, ſpectantibus in vallem ab Angelis delatum illius corpus, tumque nube quadam diffuſa, ne diſtinctè ſepulchri locus videretur, inibi ſepultum fuiſſe.* Scribit verò Iſaac Ben Harama in porta 105. f. 272. colum 3. mortuo Moyſe, fleuiſſe, noſtrum Ioſue, veſtes laceraſſe, luxiſſe ac dixiſſe, *Abbi, Abbi, Rabbi, Rabbi, Abbi ſchegeddoltham minneharai, Rabbi ſchelimmadtham thorach.* id eſt, *Pater mi, Pater mi Magiſter mi, Magiſter mi, Magiſter mi, qui educaſti me ab adoleſcentia mea, qui docuiſti me legem.* ſcilicet vt Eliſæus ferè ad Eliam lib. 4. Reg. cap. 2. Citatus verò ſuperiore quæſtione commentarius *Rabbah* f. 303. b. ait, quæſiuiſſe Ioſue Magiſtrum ſuum, ac dixiſſe illud è Pſalmo 11. *Saluum me fac Domine, quoniam defecit Sanctus: quoniam diminutæ ſunt veritates à filiis hominum.*

Q. VII. *An vltimũ Deuteronomij caput, vel eius certè partẽ ſcripſerit Ioſue?*

NON Ioſue, ſed ipſummet Moyſen caput hoc totum ſcripſiſſe ſentiunt Ioſephus libro 4. cap. vlt. Origenes lib. 2. contra Celſum. Abulenſis in cap. 1. Ioſue quæſt. 11. *Non eſt*, ait, *certum an Eſdras illud ſcripſerit, vel Moyſes viuens.* Si ab iis verò quæras, quomodo ſe in montem

L ij

aſcendiſſe, ibique mortuum, & in valle ſepultum ſcribere potuerit Moyſes, reſpondent, prophetico id ſpiritu feciſſe. Solent autem & pro futuris præterita vſurpare prophetæ. Eſt ſanè hoc aliquid. Sed non iſta tantummodo preteritorũ tam crebra poſitio alium potiùs auctorem ſignificat, ſed & illud, quod v. 6. dicitur. *Nõ cognouit homo ſepulchrũ eius vſque in præſentem diem.* Nam vt rectè q. 3. ratiocinatur Abulenſis, verba hæc ſignificant, ignotum fuiſſe Moyſis ſepulchrũ ad illud vſque tempus, quo viuebat, & ſcribebat ille auctor. Ergo is non erat ipſe Moyſes, qui tunc & mortuus, & ſepultus iã nec viuebat, nec ſcribebat: ſed alius. Et hunc Eſdram eſſe ſuſpicati quidam ſunt. Sed Ioſue ipſum fuiſſe, tradit idẽ Abulenſis ibidẽ, & q. 4. eſtque probabilius. Quia & in prophetiâ, & in populi gubernatione illi ſucceſſit, eratque ipſius & miniſter, & diſcipulus, vt meritò tanti ſui heri, doctoris, & Principis exitũ feliciſſimum, planeque admirabilem poſteritati prodere debuerit. Quis. n. ante Eſdram ſilentio hæc inuoluta, neque vllâ litterarũ luce illuſtrata credat? Sed ſunt, qui totum caput ab eodẽ Ioſue ſcriptum cenſeant, alij tantum à v. 5. ad finem: alij demum ſola hæc ex iſto capite verba. *Et non cognouit homo ſepulchrum eius vſq; ad præſẽtem diem.* Primam & tertiam opinionẽ alijs tribuit Abulenſis, mediam amplectitur. Eademq; eſt Rabinorum c. 1. Babæbatræ in Thalm. & Iſidori Clarij ſcholijs in c. 1. Ioſuæ: & mihi ſatis placet, ſed magis prima. Cũ enim hiſtoricũ hic agat ſcriptor, hiſtoricè, non propheticè ipſius accipienda videtur narratio. Sicque magis cohærent, & planiora ſunt omnia. niſi quod ex illis v. 10. *Et non ſurrexit vltrà propheta in Iſrael, ſicut Moyſes*: ratiocinatio de futuris etiam tẽporibus inſtitui debeat, hunc in modum. Si rectè, ac verè dixit Ioſue, ſuis temporibus non adhuc ſurrexiſſe Moyſi parem prophetã, quãto minùs poſtea ſurrecturus erat? Si enim nec ipſe Ioſue illi ęqualis, quiſnã ei alius, qui quidẽ purus homo ſit, æquiparari vnquã poterat? Neque aliter, etiamſi ad Eſdræ tẽpora hoc referremus, de ſequutis etiam tẽporibus ratiocinandum. Eſt tamen in prophetarũ cõparatione quædã difficultas, de qua Lyranus, & alij in Pſalmorũ principio. Abulenſis Num. 12. ego in Iſaiæ c. 1. An verò librũ ſuo nomine inſignitũ qui iam ſequitur, ſcripſerit ipſe Ioſue, dicetur, in eius libri Prolegomeno ſecundo. Certè D. Athanaſius in epiſtolæ ad Marcellinum extremo, ſi non Interpres Latinus, ſed textus Græcus legatur, affirmare videtur, iuſſiſſe Deum vt legẽ Moyſis: Deuteronomium ſcriberet Ioſue, Dux iam cõſtitutus. Sed quæ rei huic probatio? niſi velit quod & Rabbini docent, debuiſſe regẽ ſeu principẽ populi ſol, cum ad gubernationẽ admoueretur, deſcribere Deuteronom. etiamſi iam antea id, vti priuatus deſcriptum haberet.

Q. VIII. *Quid per hoc ſignificabatur, quòd Moyſi ſuccederet Ioſue?*

Significabatvr futurum, vt legi Moſaicæ ſuccederet Christi Euangeliũ, & ſynagogę Eccleſia, prout copioſè docet in Ioſue homilia 1. & 2. Origenes. Sed breuius in eundẽ librum initio Theodoretus hiſce verbis. *Docuit nos ſapiẽtiſſimus Paulus, teſtamentum vetus fuiſſe figurã. Hæc enim omnia, inquit in figura contingebant illis: ſcripta ſunt autẽ ad correptionem noſtram, in quos fines ſeculorũ deuenerunt. Et ſcribens ad Gallatas, ſic ait: Scriptum eſt quòd Abraham duos filios habuit, vnũ ex ancilla, & vnum ex libera. Sed qui ex ancillâ, ſecũdum carnem natus eſt: qui verò ex libera, per repromiſſionẽ, quæ ſũt per allegoriã dicta. hæc enim ſunt duo teſtamenta. & quæ ſequuntur. Non quod renciat hiſtoriã, ſed vt veritati figuram. Abraham* Deo, *duas vxores duobus teſtamentis, filios populis. Sic & hoc loco per Moyſen debemus intelligere legem: Per Ieſum, eiuſdem cum illo nominis ſaluatorem. Quòd autem lex appellata ſit Moyſes, iam demonſtrauimus, vſi teſtimonio ſcripturæ diuinæ. Habent enim, inquit, Moyſen, & prophetas. Et, vſque in hodiernũ diem quando legitur Moyſes, velamen poſitũ eſt ſuper cor eorum. Quemadmodũ igitur defuncto ſecundũ hiſtoriam Moyſe, Ieſus populũ introduxit in terrã promiſſam: ita finita lege Ieſus noſter apparens, populo pio regnum cælorum aperuit. Finis enim legis* Christvs *ad Iuſtitiã omni credenti. Et lex quidem, & prophetæ vſq; ad Ioannem prophetauerunt: à diebus autem Ioannis regnũ cælorũ vim patitur, & violenti rapiunt illud. Sed quomodo nomẽ miniſtri quadrat Domino noſtro* Iesv Christo? *inquit enim de Ieſu filio Naue: Dixit Dominus Ieſu filio Naue miniſtro Moyſis. Audimus quoque. Apoſtolum dicentem: Dico autẽ Ieſum Chriſtum miniſtrum fuiſſe circũciſionis propter veritatẽ* Dei *ad confirmandas promiſſiones Patrũ. Et rurſum: Vbi autẽ venit plenitudo temporis, miſit* Devs *filium ſuum natũ ex muliere, factum ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret, vt filiorem adoptionem reciperemus. Factus igitur ſub lege ſic declaratus eſt miniſter circũciſionis. & Iudæis inquit in hũc modũ. Si Moyſi crederitis, crederitis & mihi. Nam de me locutus eſt ille. Si quidẽ illi dixerunt Ieſu filio Naue. Sicut in cũctis obedimus Moyſi, ſic obediemus & tibi.* Similia ferè in Collectaneis Grillus fol. 1056. *Quomodo, ait, poſt mortem Moyſis Ieſus Naue accepit præceptũ, ita poſt mortem legalis litteræ* Iesvs Christvs *accepit præceptum noui populi, cap. 1. in Ioſue lib. 1. Rupertus D. Auguſtinus ſerm. 105. de temp. & è recentioribus Maſius in Ioſue cap. 1. poſt mortem Moſis, poſt finem legis Moſaicæ, quæ* Deo *vt filiorum pedagogus, ſeruierat, miſſus eſt à* Deo *patre Ioſua, ſiue* Iesvs Christvs, *miniſter Moyſis.*

Fuit enim ille miniſter circumciſionis, propter veritatem Dei, *vt rata ea faceret, quæ maioribus fuerant à* Deo *promiſſa: fuit etiam Moyſis legi obediens, vt eos, qui legi erant ſubiecti, redimeret, atque per adoptionem in filiorum libertatem vindicaret. Miſſus, inquam, eſt* Iesvs christvs, *vt eos, quos Moſes per loca vaſta, inuia, ſterilia oberrantes adhuc circũduxerat, nec ad promiſſam quiuerat hæreditatem introducere, hoc eſt, qui in horrida, difficili, & ſterili lege, atque vmbra futurorum bonorum adhuc verſati, ad ipſam rerũ perfectam repræſẽtationem pertingere non poterãt, eos ipſe per Iordanem, id eſt, baptiſmum, quo virtute ſanguinis illius expiamur, & ſacroſãctis æternæ hæreditatis myſterijs initiamur, duceret in terrã ſemini Abrahæ promiſſam: vbi rebus ipſis, non rerum vmbris potirentur, fruerenturq;. Baptiſmum enim non obſcurè ſignificari per Iordanem, quis ex hiſtoria* Christi, *& Ioannis non intelligit?* Atque hæc de Ioſue hactenus è varijs ac ſparſis Pentateuchi locis, nunc ad collectas, libroque qui ipſius præfert nomen, vno contextas & colligatas res, ipſo apud verum Iesvm ſuis præeunte precibus ac ſuffragijs, pergamus.

LIBER

Digitized by Google

LIBER SECVNDVS,

QVI IPSVM IOSVÆ LIBRVM EXPLICAT

PROLEGOMENA OCTO.

Primum.

Quod libri Ioſuæ argumentum?

OMPLECTITVR *Ioſue liber* eum veteris Eccleſiæ ſtatum, qui Moyſis mortem proxime conſecutus eſt. quemadmodum ſcilicet ea, quam Abrahamo, eiuſque filio Iſaaco, & nepoti Iacobo; patribuſque aliis promiſerat DEVS, terra tandem ab ſanctorum illorum poſteris, qui *Iſraelitarum populus* dicebantur, inita, ſubacta, diuiſa, & poſſeſſa ſit: idque B annorum XIV. vel etiam plurium, vt infrà dicetur; ſpacio, duce, ac moderatore Moyſis ipſius ſucceſſore *Ioſue*. Tunc enim per iſtum Iſraelitarum ad regiones iſtas vel aduentum, vel reditum (ita ſiquidem poteſt vocari, quia eorum olim maiores in Ægyptum, vnde iam aduenniunt, deſcenderant) verus ibidem DEI opt. max. cultus, vera Eccleſia, cum acceptis diuinitus legibus & ceremoniis omnibus, ſedem accipere, Gentiliumque incolarum idolis & ſuperſtitionibus exterminatis, domicilium figere incepit.

II. Libri eiuſdem Auctor quis?

SEX de hoc opiniones video. *Prima* eſt apud Abulenſem quæſt. 13. fuiſſe quendam Ioſuanis temporibus poſteriorem, vel iis potius temporibus æqualem, vt in ſancti Athanaſij Synopſi eſt. *Secunda* apud eundem Abulenſem infrà cap. 4. ante quæſt. 14. & cap. 7. quæſt. 9. Iſaiam Prophetam eſſe auctorem vult. Sed

A argumento nullo. *Tertia* Eleazarum Pontificem exiſtimat auctorem. *Propriæ enim*, ait huius opinionis auctor, *erant eius partes, non modò viuâ voce, ætatis ſuæ populum docere, ſed teſtatam quoque ad poſteros facere* DEI *gratiam in Eccleſia conſeruanda, vt vera religio meliùs propagaretur. Et antequam degeneraſſent Leuitæ*, inquit idem, *fuerunt ex illo ordine actuarij, qui in perpetua monimenta referrent, quidquid memoratu dignum erat in Eccleſiæ gubernatione.* poſſetque id forſan confirmari ex Iſaiæ 36. verſu 3. & 22. aliiſque locis, vbi Leuitarum quidam vocantur *mazkirim*, quaſi qui rerum memoriam ſcribendo cu- B ſtodirent, ſiue, vt ſæpe noſter vertit Interpres, *qui eſſent à commentariis.* Accedit quod lib. 1. contra Apionem ait Ioſephus, apud Ægyptios & Babylonios moris fuiſſe, vt circa publicos rerum geſtarum commentarios philoſopharentur Sacerdotes. Iudæi verò τοῖς ἀρχιερεῦσι καὶ τοῖς προφήταις τοῦτο προστάξαντες, Pontificibus, & Prophetis hoc ipſum commendarent. *Quarta* eſt ipſius Abulenſis quæſt. 13. in cap. 1. & quæſt. 9. cap. 7. quæſt. 11. cap. 16. Ioſuæ ſcriptorem fuiſſe Samuelem. *Quinta* Andreæ Maſij præ- C fat. in hunc librum, Eſdram fuiſſe, & quidem, vel ſolum, vel vnâ cum æqualibus piis, & eruditis hominibus, de quibus idem cap. 8. fol. 142. *Sexta* ipſummet Ioſue ſtatuit ſcriptorem. eaque mihi ad veritatem videtur propenſior. 1. Ipſius Magiſter Moyſes, Eccleſiæ ſtatum, qui tempore ſuo fuiſſet, litteris à ſe mandandum ſenſuit. Quidni bonus eum imitaretur & diſcipulus, & ſucceſſor? 2. Videtur idipſum omnino aſſeri Eccleſiaſtici cap. 46. verſu 1. dum dicitur, *Fortis in bello Ieſus Naue, ſucceſſor Moyſi in*

Digitized by Google

Prophetis. Ita enim ibi legendum oſtendunt Græci. Sed quas ait *prophetias*? Eas opinor, quibus Ioſuæ mentem illuſtrabat Dominus, maximè verò quas ad alios verbis literiſque perferret. Sacras enim Scripturas, *prophetiarum* nomine vocari conſtat ex 2. ſancti Petri cap. 1. verſ. 19. Iam tertiò, in poſtremo libri huius capite verſ. 26. ita legimus. *Scripſit quoque* (Ioſuæ, qui in Hebræo & Græco disertè nominatur) *omnia verba hæc in volumine legis Domini.* Quænam verba hæc? Vtique non ea duntaxat, quæ fœdus, de quo mentio illic facta; continebant, ſed vniuersè res omnes, quas liber iſte recitat. Nam alioqui ſuffeciſſet dicere, *Percuſſit Ioſue in in die illo fœdus, & propoſuit populo præcepta atque iudicia in Sichem, & ſcripſit ea omnia in volumine legis Domini.* Deinde quod eſt volumen legis Domini? Nonne vel Deuteronomium, vel totus Moyſis Pentateuchus? In eo verò ſcripſit, quando in eodem Codice, qui in arca erat, ſuum iſtum coniunxit. Hinc & Chaldæus manuſcriptus, quem ſe habere ſcripſit Maſius fol. 114. ita locum iſtum vertebat. *Scripſit Ioſue verba iſta in libro, & appoſuit libro legis* Dei. Quartò, eſt hæc inter doctos homines receptior ſententia, non recentiores modò Vatablum, Abulenſem, Driedonem lib. 1. cap. 3. Pinedam præfat. 3. in Iob: ſed veteres etiam & Chriſtianos, vt Iunilius lib. 1. de partibus diuinæ legis cap. 8. ac in ſynopſi Dorotheus oſtendunt, & Hebræos, qui Babæbathræ cap. 1. Ioſue librum ſuum ſcripſiſſe edocent. fol. 14. b. Baſil. editionis, & rurſum fol. 15. vbi additur, quomodo etiam ſcripſerit octo vltimos verſus Deuteronomij, prout mox rurſus dicendum erit. idemque Radako videtur in libro viarum linguæ ſanctæ. Quinto, ex eorum, quæ contra proponuntur diſſolutione, idem firmatur. Nam obiicit Caſtalio in ſuis Annotationibus duo. 1. *In cap. 10. citatur liber Recti, ad probandam hiſtoriam de ſole conſiſtere iuſſo, qui tamen liber à Ioſue citari non potuit, cùm ſit poſt tempora Dauidis ſcriptus. Nam 3. Reg. cap. 1. citatur ex libro Recti hiſtoria de Dauide. 2. Scribuntur ea cap. 15. huius libri de Axa Calebi filia, quæ poſt mortem Ioſuæ geſta ſunt in Iud. cap.* 1. 3. expeditio filiorum Dan contra *Leſſem* infrà cap. 19. verſu 47. quæ poſt Ioſue ſuſcepta Iud. c. 18. Eadem à Maſio etiam obiiciuntur. Sed huiuſcemodi à poſteriorum Prophetarum aliquibus verbi cauſa à Samuele, vel qui Dauidis, aut Salomonis tempore fuerint, vt infrà cap. 16. à 70. indicatur, aliis, & nominatim à magno illo & ſcientiſſimo Eſdra fuiſſe adiecta, libenter confitemur: neque tamen propterea is ipſi Ioſuæ liber negandus. Alioquin & Geneſeos, aliorumque ſequentium librorum Moyſen patrem negabimus, cùm in illis *Hebronis* nomen, quod à Calebi filio poſtea impoſitum fuiſſe putant non pauci & ſimilia inueniantur, adeoque & ipſe Moyſis è vita diſceſſus & funus, quemadmodum hic etiam ipſius Ioſuæ mors narratur cap. vltimo verſ. 29. Certè diſertim aſſerunt Thalmudici in Babæbathra cap. 1. Moyſi Deuteronomio adieciſſe noſtrum Ioſue verſus octo vltimos: Eleazarum vero huic libro adieciſſe iſta quæ de Ioſuę morte ſunt infrà cap. 24. à verſu 29. ad 33. qui quia de ipſius Eleazari obitu agit, cum dicũt à Phinees adiectum: Addiici poſſet quartum è cap. 4. verſ. 9. & cap. 5 verſ. 9. vbi *vſque ad præſentem diẽ* dicuntur lapides in Iordanis medio erecti manere. Atque hoc obiiciunt ibi Abulenſis & Maſius. Sed eadem poteſt adhiberi reſponſio, quæ infrà iterum in memoriam reuocanda, cap. 14. quæſt. 5. & cap. 16. num. 7. Sexto demum & vltimo accedit aliarum ſententiarum inanitas. Nam prima, tertia, & quarta rationum nihil afferunt. Secunda vero docet quidem circa monumenta publica operam ſtudiumque Pontifices, & Leuitas, Prophetaſque poſuiſſe, non tamen ab illis ſolis eſſe ſcripta omnia. Deinde, nonne omnino & inter Prophetas Ioſue? Nonne *in prophetiis* Moyſi eum ſucceſſiſſe dixit paulo antè c. 46. Eccleſiaſticus? Et infrà, primis cum prophetis à Iudæis aggregari, dicetur.

III. *Quæ libri eiuſdem auctoritas?*

QVI diuinam prorſuſque canonicam huius libri auctoritatem vel hoc tempore, vel iam olim negarit, ſcio neminem, præter Samaritanos, & alios, qui vel vetus inſtrumentum ſolùm reiecerunt, vel ſolo certè Moyſis Pentateucho eſſe nos oportuere contentos docuerunt, prout in generalibus Bibliorum Prolegomenis expoſui. Fortè tamen, qui apud D. Hieronymum in Iſaiæ cap. 16. *ſanguinarium* Ioſue per contumeliam appellarunt, parum huic libro tribuerunt, cum hic illi maximæ ſemper virtutis & diuinæ approbationis teſtimonium det. Neque enim vel tenuis ratio vlla eſt, ob quam de auctoritate iſtâ vllatenus ambigi poſſit, cùm & Chriſtiani omnes hactenus & Iudæi, conſpirantibus cum animis, tanquam certiſſimum, & à Deo dictatum amplexi ac venerati ſint.

IV. *Quis libri eiuſdem ad Bibliacos alios ordo?*

DIVVS Hieronymus epiſtola ad Paulinum & è Iudæis nonnulli primas Moyſis libris, dant, ſecundas ipſi *Iob*. S. verò Chryſoſtomus & Olimpiodorus in Iob 38. eidem libro non ſecundas, ſed primas dederunt. Et mouet omnes cauſa vna, quod ante libros alios omnes, eam patientiæ hiſtoriam ſcripſiſſe videatur Moyſes, vt in generalibus Prolegomenis dictum eſt. Sed optime proximum, poſt Moyſis libros, obtinet locum Ioſue. Nam res ipſa, temporumque & geſtorum ratio illis continuatiſſima. Ideoque & libri huius principium eſt, cuiuſmodi eſſe ſolet eorum librorum, qui cum antecedentibus aptè iunguntur, videlicet, *Et fuit*, prout quæſtione 1. in *Iudith* cap. 1. expoſitum. Et nunquid æquiſſimum, vt Magiſtro diſcipulus, deceſſori ſucceſſor cohæreſcat? *Iob* vero à Moyſe ſcriptum eſſe, non concedit in Synopſi D. Athanaſius, in Catena Olympiodorus, in oratione contra Iulianum D. Nazianzenus, qui eam Salomoni ſcriptionẽ tribuunt. Sed propter alias plures rationes & teſtimonia, cõcedamus eſſe ipſius Moyſis opus, an è ſecundo ea propter loco deiiciendus

Digitized by Google

iiciendus Ioſue? Nam aut in ordine iſto, *temporis* habenda eſt *ratio*. & ſic, vel ante Exodum vel in ipſa certè poni deberet *Iob*, qui ante Iſraelitarum ex Ægypto migrationem acerbitates illas omnes excepit, & tum ferè mortuus eſt: Eodemque modo Pſalmi Dauidis, Prouerbia, cæterique Salomonis libri libris Regum tertio & quarto præponendi fuerint. Aut vero *ſcriptoris* ducenda potius *ratio* eſt, vt quæcunque Moyſis ſunt, ea ſemel collocentur omnia. Sed tunc ſi librũ hunc ſcripſiſſet Eſdras, vt volebant ſuprà nonnulli, foret is poſt Eſdræ librum collocandus, & ſi qui Moyſis in Pſalterio Pſalmi ſunt, vti quibuſdam viſum; reuocandi huc forent, ſimiliſque in aliis perturbatio adhibenda eſſet. In nouo etiam Teſtamento inter S. Lucæ, & S. Ioannis Euangelia inculcandi eſſent Actus Apoſtolorum, & poſt eiuſdem S. Ioannis Euangelium, ante S. Pauli Apoſtolorumque aliorum epiſtolas, Apocalypſis ponenda. Meliùs omnino factum, vt e rerum, temporumque connexione hi inter ſe libri connecterentur, præſertim quia tenet Iob hiſtoria modum narrandi & explicandi alium, eſtque ſeparatum omninò argumentum & materia. Quare & D. Hieronymus in eadem citatâ præfatione communem poſteà ſententiam ſecutus eſt.

Eleganter verò S. Athanaſius in epiſtola de Pſalmorum interpretatione ad Marcellinum, tres iſtos vna iungit, & *Triteuchum* vocat, *Ioſue, Iudices, Ruth*.

V. Cur idem liber inſcribitur Ioſue?

LICET eius auctor *Ioſue* ſit, vti prolegomeno ſecundo dictum, è re tamen ipſa videtur inſcriptio potiùs petita. Ea enim eo libro narrantur, quorum dux, auctor, & moderator fuit Ioſue: ab eoque incipit liber, & in eo definit. De cuius parentibus, nomine, rebuſquę aliis anteà geſtis expoſitum ſatis libro ſuperiore.

Extat apud Samaritanos adhuc hodie liber ex Hebraica in Arabicam linguam conuerſus, qui IOSVE vocatur, quia nimirum à Moyſis exceſſu, Ioſuæque imperio incipit, licet cum eo non deſinat, ſed vltra Imperatoris Hadriani pergat imperium. Hunc Samaritano charactere deſcriptũ habere ſe ſcribit Scaliger l. 7. Emend. p. 627.

VI. Quæ libri eiuſdem vtilitas?

OMNES illæ, quæ inſpiratarum diuinitus ſcripturarũ traditæ ſunt in Bibliacis Prolegomenis vtilitates, hoc in libro inſunt. Sed eminent hæ potiſſimum. quòd DEI opt. max. fidem in promiſſis egregiam & certiſſimam demonſtret: quod inſigne Principis, bello, & pace, erga DEVM & ſubditos optimi ſpecimen det: quod pacem, rerum copiam, fauſtitatemque omnem à DEO eſſe, ab eoque, dum quo par eſt modo, religiosè colitur; affatim donari oſtendat: quòd terræ, quam tota paſſim ſcriptura nunquam non memorat, geographiam, & quandam veluti picturam ob omnium oculos conſtituat; denique quòd præclariſſimum nobis CHRISTI IESV Domini ac Saluatoris noſtri Typum, quoddamque velut ſpeculum pro-

A ponat. Vnde in hunc ipſum librum homilia 4. Origenes. *Liber hic non tam nobis geſta filij Naue indicat, quàm* IESV *Domini mei nobis ſacramenta depingit.*

VII. Qui libri eiuſdem Interpretes?

INTERPRETARI apud Hebræos hunc librum ſunt R. Abnezra, R. Salomon Iarchi, R. Iſaias, qui compendium tamen potiùs inſtituere videtur. Apud Chriſtianos verò Origenes, B Theodoretus, Procopius, D. Auguſtinus, Rupertus, Lyranus, Abulenſis, & è Germania noſtra poſtremò *Andreas Maſius*, quem quaſi parum rectè fidei vellicant nonnulli. App. Poſſ. pag. 284. vlt. de Ioſuæ. At qui eum de facie familiariterque norunt, Catholicæ fidei, Pontificiæque auctoritatis retinentiſſimum affirmant, etiam qui factum id nollent, è Nouatorũ grege quidem. Et quoties hoc ex hiſce ſuis commentariis clarè ac palam præ ſe fert? In cap. 6. fol. 103. *Stultiſſimum*, ait, *ne dicam impium, mihi videtur* C *in ea ſacra, cæremoniaſque, & ritus colendi* DEI, *quos à maioribus noſtris in Eccleſia, ſanctiſſimis,* DEOque *probatiſſimis viris traditos habemus, inquirere curioſius.* Ibidem fol. 105. *Nihil noſtris rationibus noſtroque iudicio in illis mentiamur diuinis effatis, ſed mente ſimplici, acquieſcamus in iis ſenſis, quæ nobis ſanctorum Patrum auctoritas explicauit; Eccleſia approbauit; vetuſtas roborauit.* Et paulò poſt. *Iſta ad verba Dei addimenta, cùm eò ſpectent, vt illuſtrior auguſtiorque diuinus hic euadat triumphus, & maiore omnium animos religione afficiat, adeò non diſplicuiſſe* DEO, *vt* D *etiam vehementer grata fuerint, ipſe exitus docet. Quod propter non video, cur à multis tam petulanter rideri debeat omnis in templis* DEI *ritus atque apparatus, non diſertè præſcriptus à* DEO; *ſiquidem ad excitandam pietatem vtilis ſit.* Et clariſſima Catholicæ fidei profeſſio, ad eamq; cohortatio eſt in cap. 11. p. 211. quam ibidem citare ſtatuo quæſt. 10. & contra Iconomachos Caluiniſtas cap. 22. altariumque ac rituũ, hoſtes omnes. ibid. pag. 316. & 317. 324. cap. 24. p. 336. Quin & vidua eius vxor, licet honeſtiſſimo Conſuli Seuenenæ mo- E do nupta, eiuſque propinqui alij ſanam, in hæreticorum medio, religionem; quam in illo viderunt tueri adhuc dicuntur. vt meritò cum aliquoties laudet noſter *Pererius*. Nam in Gen. c. 15. num. 108. *Andreas*, inquit, *Maſius ſcriptor eſt non minùs elegans & diſertus, quàm eruditus & accuratus.* Et in cap. 16. diſp. 17. num. 256. *Andreas Maſius ætate noſtrâ Commentarios edidit in librum Ioſue, non minùs ſanè Catholicos & pios, quàm eruditos & diſertos.* In Exod. cap. 12. diſput. 2. *Andreas Maſius, ſcriptor eruditus & diſertus.* Arias Mõtanus in huius libri Ioſuæ cap. 11. fol. 348. F *Doctiſſimus & piiſſimus vir, nobis cariſſimus And. Maſius in hunc eundem locum ſcripſit.* Et cap. 21. p. 536. *Pius Maſius.* Et in apparatu Bibliorum plura. Quod ſi aliqua in re (quod humanum eſt) offendit aut errauit, in modeſtiſſimas, hæreſeoſque calumniam omnem depellentes has eius voces intuendum. *Quin multi*, ait ipſe præf. in Græcam editionem f. 124. *à me diſſentiant, recuſare neque poſſum neque volo: ſed meum iudicium, in quo magnam eſſe infirmitatẽ ingenuè confiteor, omnium iudicio, & præſertim* SACROSANCTÆ ECCLESIÆ, *eiuſ-*

Digitized by Google

PRIOR LIBRI PARS.

CAPVT PRIMVM.

ET factum eſt poſt mortem Moyſi ſerui Domini, vt loqueretur Dominus ad Ioſue filium Nun, miniſtrum Moyſi, & diceret ei: Moyſes ſeruus meus mortuus eſt: ſurge, & tranſi Iordanem iſtum tu & omnis populus tecum, in Terram, quam ego dabo filiis Iſraël. Omnem locum, quem calcauerit veſtigium pedis veſtri, vobis tradam, ſicut locutus ſum Moyſi. A deſerto & Libano vſque ad fluuium magnum Euphraten, omnis terra Hethæorum vſque ad mare magnum contra ſolis occaſum erit terminus veſter. Nullus poterit vobis reſiſtere cunctis diebus vitæ tuæ: ſicut fui cum Moyſe, ita ero tecum: non dimittam, nec derelinquam te. Confortare, & eſto robuſtus: tu enim ſorte diuides populo huic Terram, pro qua iuraui patribus ſuis, vt traderem eam illis. Confortare igitur, & eſto robuſtus valde: vt cuſtodias, & facias omnem legem, quam præcepit tibi Moyſes ſeruus meus: ne declines ab ea ad dexteram vel ad ſiniſtram, vt intelligas cuncta quæ agis Non recedat volumen legis huius ab ore tuo: ſed meditaberis in eo diebus ac noctibus, vt cuſtodias & facias omnia quæ ſcripta ſunt in eo: tunc diriges viam tuam, & intelliges eam. Ecce præcipio tibi, confortare, & eſto robuſtus. Noli metuere, & noli timere: quoniam tecum eſt Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcumque perrexeris. Præcepitque Ioſue principibus populi, dicens: Tranſite per medium caſtrorum, & imperate populo, ac dicite: Præparate vobis cibaria: quoniam poſt diem tertium tranſibitis Iordanem, & intrabitis ad poſſidendam Terram, quam Dominus Deus veſter daturus eſt vobis. Rubenitis quoq; & Gaditis, & dimidiæ tribui Manaſſe ait: Memẽtote ſermonis, quem præcepit vobis Moyſes famulus Domini: dicẽs, Dominus veſter dedit vobis requiem, omnem terram, vxores veſtræ, & filij, ac iumenta manebunt in Terra, quam tradidit vobis Moyſes trans Iordanem: vos autem tranſite armati ante fratres veſtros, omnes fortes manu, & pugnate pro eis, donec det Dominus requiem fratribus veſtris, ſicut & vobis dedit, & poſſideant ipſi quoque Terram, quam Dominus Deus veſter daturus eſt eis: & ſic reuertimini in Terram poſſeſſionis veſtræ, & habitabitis in ea, quam vobis dedit Moyſes famulus Domini trans Iordanem contra ſolis ortum. Reſponderuntque ad Ioſue, atque dixerunt: Omnia, quæ præcepiſti nobis, faciemus: & quocumque miſeris, ibimus. Sicut obediuimus in cunctis Moyſi, ita obediemus & tibi, & tibi, tantum ſit Dominus Deus tuus tecum, ſicut fuit cum Moyſe. Qui contradixerit ori tuo, & non obedierit cunctis ſermonibus, quos præceperis ei, moriatur. tu tantùm confortare, & viriliter age.

COMMENTARIVS.

EST *in hoc capite quædam ad Iordanis tranſitum, & ad promiſſam terram acceſſum præparatio. eaque partim Ducis ipſius, partim populi. Ducem ipſum egregiè præparat* DEVS, *eum alloquendo, & inſtruendo, de* ſeptem *ſcilicet capitibus.* Primum *eſt, vt quia è vita deceſſit Moyſes, etiam in populi gubernatione, & impoſito alias munere ſuccedere, fortiter & alacriter agere, promiſſamque terram inire incipiat. Hoc enim volunt verba illa v.* 2. Surge, & tranſi Iordanem iſtum. Alterum, *terra oſtenditur occupanda, cuius termini ſtatuuntur, prout infrà explicabitur.* Tertium *eſt, verſ.* 5. *diuinum ſemper affore auxilium.* Quartum *verſ.* 6. 7. *&* 9. *vt animo bono & conſtanti ſit Ioſue.* Quintum *eodem verſ.* 6. *futurum, vt iam Iſraelitis ſuis hæreditatem in promiſſâ terrâ det Ioſue.* Sextum, *Moyſis legem eidem ſtudioſiſſimè ſeruandam v.* 7. *ſicuti & Deuteron.* 3. Septimum & vltimum, *legis eiuſdem librum aſſiduè meditandum & in ore habendum eſſe verſ.* 8. *Cur verò incipiat hic liber à particula,* Et, *dixi Iudith cap.* 1. *quæſt.* 1.

Digitized by Google

quæ iubentur, vel optantur quàm ex parte modi, quo fiunt. Nam priore modo, vel vna tantùm eiuſmodi res eſt, vel plures, ruſumque maior aut minor. Poſteriore autem modo, vel ad iſtas res efficiendum curà adhibetur maior aut minor. Sine dubio enim qui res plures eiuſdem tamen magnitudinis efficit maiore titulo, *DEI ſeruus* dicendus quàm qui vnam: ruſumque qui maiores quàm qui minores, & qui maiore & interiore curâ, quàm qui minore ac remiſſione. Sed omnium maximo, qui & plures, & maiores, maiore curâ. Colligi enim poteſt hoc ex ipſa ſeruitutis natura, communique de bonis ſeruis opinione. vnde & Dominus Lucæ 17. verſ. 10. comparatè *inutilem* eum vocat, qui tantummodo, quæ imperarat Dominus, non autem ea etiã quæ innuerat, ſibique grata indicarat, facit, *Nunquid*, ait, *gratiã habet* (Dominus) *ſeruo illi, quia, fecit quæ ei imperauerat?* Et rurſum. *Sic & vos, cùm feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite ſerui inutiles ſumus. Quod debuimus* (ex præcepto ſcilicet) *facere, fecimus.* Rectè ſiquidem lib. 3. de beneſ. cap. 21. Seneca. *A ſeruo præſtatur Domino miniſterium; & interdum etiam beneficium, quando pluſquam neceſſe eſt, ab eo præſtatur.* Maſius igitur cenſet, ob vnam tantummodo imperij, quod DEI nutu geſſerat, cauſam, *DEI ſeruum* iam vocari. Sed nimis anguſta & peruulgata foret ea Moſis laudatio. Nam primo etiam Saul, & alius pæne quilibet Rex, aux Iudex, & Princeps, iſto modo ſeruus DEI eſt. *Non eſt enim poteſtas niſi à DEO* Roman. 13. Et *per illum regnant Reges.* Prouerbiorum 8. 15. Imò Nabuchodonoſor ita in ſcripturis *DEI* etiam *ſeruus* vocatur. Hieremiæ cap, 25. 9. 27. 6. 43. 10. Deinde alibi, vt infrà cap. 22. ſæpiſſime hac eadem ſerui DEI laude ornatur, prout infrà patebit, etiã vbi nulla eius imperij & gubernationis, ſed virtutũ protiùs ſummeq; in DEI obſequio ſedulitatis ratio habebatur. Quidni, & hoc igitur loco? Tertiò ſolet ſcriptura libentiùs epitheton hoc tribuere ob inſignem in DEI cultu operam, aſſiduumque ſtudium, quàm ob ſolam populi alicuius gubernationem. Sic enim *Dei ſerui* vocati ſunt Abraham Pſal. 104. 143. Iſaac Danielis 3. Iacob 2. Macab. 1. Iob ipſe cap. 1. 2. 42. verſ. 7. & 8. Dauid Pſal. 88. verſ. 4. & 21. Ezech. 34. & 38. Ierem. 33. Iſa. 37. 1. Machab. 4. Daniel in ipſius libro cap. 6. verſ. 20. cap. 14. verſ, 36. ipſi etiam Prophetæ Daniel 9. verſ. 10. Zach. 1. verſ. 6. alibi, & alij paſſim tam multi. D. Hieronymus initio epiſtolæ ad Titum. *Hæc ſeruitus non eſt illa, de qua ipſe Apoſtolus ait: nec enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore: ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater: verùm nobilis ſeruitus, de qua & Dauid ad DEVM loquitur: Ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ. Et beata Maria ad Angelum: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Hanc ſeruitutem habuit & Moyſes, de quo Dominus ad Ieſum filium Naue: Moyſes* (inquit) *famulus meus mortuus eſt. Et in alio loco: Mortuus eſt Moyſes famulus Domini in terrã Moab per verbum Domini. Abſit quippe vt ſpiritum ſeruitutis Moyſen & Mariã in timore, & non in dilectione DEI habuiſſe credamus. Nec mirũ quamuis ſanctos homines, tamen DEI ſeruos, nobiliter appellari, cùm per Eſaiam Prophetam pater loquatur ad filium: Magnum eſt tibi vocari te puerum meum: quod*

A *Græcè dicitur: μέγα σοί ἐστι τὸ κληθῆναί σε παῖδά μου. Puer autem, hoc eſt, παῖς, quia poteſt ſecundum Græcos & famulum & filium ſignificare: in Hebræo quæſiuimus, & inuenimus non filium meum ſcriptum eſſe, ſed ſeruum meum, id eſt* עבדי *Vnde & Abdias Propheta, qui interpretatur ſeruus Domini, ex famulatu DEI nomen accepit.* Fuit igitur Moyſes DEI ſeruus, quia totâ vita ſua DEO ſeruiuit, omneſque ſuas actiones, ſtudia & cogitationes ad illius cultum & voluntatem contulit, idque præcipua quadam cura & animi contentione. quamuis hu-
B manæ imbecillitatis vitio aliquantulum aliquãdo lapſus ſit.

Q. III. *Cur toties iſto ſerui DEI titulo afficitur Moyſes?*

Hoc ſanè capite non ſemel tantùm, ſed ſæpius Domini ſeruus idem Moyſes dicitur verſu ſcilicet 2. 7. 13. 15. & verò etiam alibi, infra cap. 22. verſ. 2. 4. 5. Num. 12. verſ. 7. & 8. Deuter. vlt. & 5. Pſal. 104. verſ. 26. Iudith. 4. verſ. 13. 2. Eſd. 1. verſ. 8. cap. 9. verſ. 14. Malach. 4. & Baruch. 1. v. 20. Id verò fit, *primum* quidem, vt quemadmodum ſuperiore quæſtione dictum eſt; excellens Moyſis in diuino cultu obſequium, promptiſ-
C ſima & conſtantiſſima in omnibus (quantum quidem humanitatis tulit infirmitas) præceptis, & nutibus obedientia. Vnde & *fidelis in omni domo DEI* Heb. 3. v. 2. vbi S. Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum c. 69. *fideliſſimum* legit. *Secundò*, vt intelligamus, quanta hominum laus & gloria ſit, DEI eos eſſe ac vocari ſeruos. Videmus quantoperè gloriantur nonnulli, quòd Regi aut Principi alicui ſint à conſiliis, à ſecretis, ab epiſtolis, à cubiculo, à pedibus. Sint phylaciſtæ, promi condi, tabellarij, ſtratores, patagiarij, ſarcinatores, calceolarij, coci, & vti noſtrates
D iocari iam ſolent Germani, ſint *hypocauſti calefactores*, aut *ſubcalefactores.* Quanto verò Dominus maior, tanto eſt ipſa ſeruitus honeſtior & ſplendidior, in eodem videlicet ſeruitutis ordine manendo. Amplius enim eſt Regi cuipiam eſſe à conſiliis, quàm alicui tantùm Comiti aut Nobili: maius eſſe Imperatoris Cãcellarium, quàm Principis alicuius. ſicque de aliis. Sed DEO Dominus maior quis? Nonne ipſe *Dominus Dominantium*, in cuius manu Principum, Regum,
E & Imperatorum omnium principatus, regna, imperia, corpus & anima, vita & mors? Vide huius mundi Dominorum quàm anguſtus, & pæne ſeruilis dominatus. Non poſſunt Angelis quidquam imperare: nullum iis in cœlis ius. Nõ poſſunt Soli dicere: *Orere, luce*, hunc aut illum locum coque, calefac, ſerena: In ipſas nubes quę ipſorum auctoritas? Iis præcipere non poſſunt, *Veniant*, locum aliquem vmbrâ opacent, pluuiis irrigent, vel abſcedant, ſolis radios ne impediant, imbres & tempeſtates ne effundant. O
F quàm vellent non tonitrua tantùm & fulmina in hoſtes contorquere, ſed ſeipſos, cùm tonat aut fulminat, liberare, certoque tutari. Quanti Auguſtus, & Tyberius vel ſolum ab hiſce fragoribus metum terroremque redimere optâſſent? Non eſt ex omnibus, qui in aërem ſurſum plus quidpiam poſſit, quàm vt vinum fortè aliquam altiorem turrim ædificet, atque inde circumcirca volucres imperium ſuum ridentes aſpiciat, dum, quod ille nullo modo poteſt, ipſe huc illuc, per cœlum hoc, liberè ſoluteque feruntur, volitant, cantillant. Cum Hiſpani Regis Philippi II. filiolus Iacobus ad feneſtram quandam

Digitized by Google

ſtans à vento moleſtiæ neſcio quid pateretur, A
cœpit puerili quadam ſtultitia & vanitate dicere: *Tibi, ô vente, impero ne moleſtiam mihi vllam des.* Aſtabat ei honorarius tum puer Beatus Ludouicus Gonzaga, & dixit: *Poteſt, ô Domine, Celſitudo Tua hominibus quidem, vt obediant, imperare: ſed non elementis. quia hoc ſolius Dei eſt, cui etiam Celſitudinem Tuam obedire neceſſum eſt.* O vocem veram! ô ſententiam non tam puero, quam Sopho grandi, ſanctoque magno digniſſimam: quam & magnus ipſe Philippus cum audiiſſet, laudauit maximoperè. prout in illius Beati vita
B
totum hoc refertur parte 1. cap. 7. pag. 57. At in terra dominantur principes. Sanè *in terrâ*, & tantum: neque tamen infra extimam eius ſuperficiem profundiùs, quàm quouſque puteum, in quem tamen deſcendere nolint; fodiant, vt neque terræ ipſius tremoribus minus obnoxiæ ſint eorum arces & palatia, quam ruſticanorum tuguriola & mapalia. Et in ipsâ illius ſuperficię, quibuſdam veluti lineis definita cuiuſque portiuncula eſt. In Gallia quod imperet, Hiſpano, nihil eſt, neque in Hiſpania Gallo, neque in Germania vtrilibet. In ſuam verò
C
cuiuſque portiunculam non ea vlli poteſtas, vt quam velit partem aridam, arida ſit, quam fontibus & amnibus irriguam, irrigua ſit: quã montoſam, montoſa ſit, quam planam, plana ſit. Ex ea exiſtere iubeat, quas, vbi & quando velit arbores fruges, herbas, flores, metalla, in ea, inueniat quas, vbi, & quando libebit, beſtias, feras & cicures, pingues & macras, ad eſum, ad laborem, ad oblectationem. Ne his quidem, quidquam collibuerit, mandare poteſt; aut ſi mãdet,
D
quàm nullum ſuum ſit imperium, ilicò experietur. Dicat enim cani, vt aret, lupo gregem cuſtodiat, aut, obuio lepori, in culinam vt currat, quid niſi ſe non magnum dominũ cognoſcet? At in homines dominatur. Non tamen in præteritos aut futuros. ſed præſentes tãtùm. & quidē, ſi vt ne in vnũ quidē totũ, etiam omniũ ille minimus & viliſſimus ſit. *Animã eius* (ait Dominus & Saluator noſter Luc 12.) *occidere non poteſt.* non poteſt quo voluerit, inuitam & repugnantē
E
illius voluntatē cogere: non efficere, vt ſciat vel neſciat, meminerit aut obliuiſcatur, cogitet aut non cogitet, quæcunque illi placuerint. non vt metãt, non oderit, non eius imperio libertatem ſuam præferat, non ei præeſſe, quàm ſubeſſe mallet. Par de corporis membris, quoad res plurimas, ratio. *Poteſt* quidem *corpus occidere*, poteſt imperare, vt quas nouit ac poteſt quiſpiam res faciat: Sed non, vt montes commoueat, abſque ſomno, cibo, fœdaque aliqua per mucum, ſputum, vrinam, aliaſque ſordes egeſtione viuat
F
ſemper ſanus ſit, nunquam moriatur. Et quid eum hoc in aliis non poſſe mirum? Seipſum à morte, à morbo, à veneno, à caſu, ab inſidiis, ab iiſdem illis omnibus incommodis, ab omni etiã muſcæ aut pulicis morſu immunem tutumque prorſus aſſeuerare non poteſt. Quid, quòd ſeruorum operâ ita indiget, vt ſine iis vix quidquã agere, vix viuere poſſit? quod vt eos ſibi obſequioſos reddat, iis penè ipſemet ſeruire debeat? Niſi enim ſubditos & amicos morũ aliqua comitate, ſermonis affabilitate, rerum quas petunt conceſſione, opum honorumque largitione teneat, multa ſecus quàm vellet, faciat, eorum cõ-

filiis pareat, non pauca diſſimulet, ad eorum voluntates, negotia, ſe vultumq́, ſuum & mores aliquantulum accommodet, quandiu quæſo dominabitur? Neſciò an ineptè ſacrum illud verbum ad ſe imperantium quidam traduxiſſe, alióq; ſenſu interpretatus dicatur: ſe *Regem Regũ eſſe, Dominumque dominantium*, id eſt, eorum, qui ſi ipſis placet, obtemperant, ipſimet regunt, & arbitratu ſuo dominantur. Et de Reuerendiſſimo noſtro Maguntino *VVolffgango* refert, qui à ſecretis ei fuit quidam dicere ſolitum, **Jch muſz ſchunder viele dinge dulden/ ſo ich zuuor nicht gedultet: vnd noch gute Wort dazzu geben.** Tam ſcilicet anguſta, incõſtãs, mãca, & ſerua eſt Dominorum huiuſmodi poteſtas. vt meritò potiùs in maxima laude ponendum ſit, eſſe aliquem non terreni alicuius Domini, Regis & Imperatoris, ſed cœleſtis, æterni, & maximi ſeruum. Hinc Martialis illa vox.

Sit liber, Dominus, qui volet eſſe meus.

Et apud Euripidem ipſe Ion.

κλεινὸς ὁ πόνος μοι
θεοῖσι δούλαν χέρ' ἔχειν.
οὐ θνητοῖς, ἀλλ' ἀθανάτοις
εὐφάμοις πόνοις μοχθεῖν
οὐκ ἀποκάμνω.

Ioſephus lib. 8. cap. 4. ἀνθρώπῳ δ' οὐ λίαν, οὐκ ἄξιον ἀπονέστερον ἢ θεῷ. Itemque alius. *Seruire* DEO *regnare eſt.* Laudat Apollonius illud Tireſiæ ad Oedipum apud Sophoclem: οὐ γάρ τι σοὶ ζῶ δοῦλος, ἀλλὰ Λοξίᾳ, id eſt: *Non ſeruus ego viuo tibi, aſt Apollini.* vti refert lib. cap. 2. Philoſtratus. Et noſter S. Paulus, nonne quaſi titulorum ſuorum præcipuum omnibus pænè epiſtolis ſuis præſcribit ſe IESV CHRISTI, vel *Apoſtolum*, vel *ſeruum*, vel & *Apoſtolum & ſeruum*? D. Hieronymus in Iſaiam 56. *Sic Iacobus* DEI *& domini noſtri* IESV CHRISTI *ſeruus* cap. 1. & notant in eum locum Didymus & Oecumenius. *Simon Petrus ſeruus & Apoſtolus* IESV CHRISTI. 2. cap. 1. *Iudas Ieſu Chriſti ſeruus. Apocalypſis Ieſu Chriſti, quam dedit illi* DEVS *palam facere ſeruis ſuis, quæ oportet fieri cito, mittens per Angelum ſuum ſeruo ſuo Ioanni* cap. 1. Dauid verò Pſal. 115. *O Domine, quia ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Pſal. 118. *Seruus tuus ſum ego, fac cum ſeruo tuo miſericordiam.* Simeon ille ſenex lectiſſimus Luc. cap. 2. *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine.* Beatiſſima Virgo, ſummi Regis mater, cœli terræque Regina iam deſignata. *Ecce* inquit, *Ancilla Domini.* Luc 1. Conſtantinus Magnus gaudebat ſe *Dei ſeruum* vocari. Euſeb. orat. de laud. Conſtant. Quam præſtans ergo hic Moyſi laus & encomium non ab hominum aliquo, ſed à DEO ipſo datum, dum ait, *Moyſes ſeruus meus mortuus eſt.* Theodoretus in ſanctorum Patrum hiſtoria cap. 4. *Fidelis*, ait, *Dei ſeruus* Martianus *Sufficit enim hoc dicere cum etiam magnum Moyſen hoc cognomine honorarit Dominus.* Auguſtinus lib. 22. contra fauſtum cap. 66. *Hunc ergo Moyſen famulum* DEI *viui*, DEI *veri*, DEI *ſummi, fabricatoris cœli & terræ, non de alieno, ſed de nihilo non premente neceſſitate, ſed affluente bonitate, non per ſui membri pœnam, ſed per ſui verbi potentiam: hunc inquam, Moyſen, humilem in recuſando tam magnum miniſterium: ſubditum in ſuſcipiendo, fidelem in ſeruando, ſtrenuum in exſequendo: in regendo populo fidelem & vigilantem, in corrigendo vehementem, in amando ardentem, in ſuſtinendo patientem: qui pro eis, quibus præfuit,* DEO *ſe interpoſuit conſulenti, oppoſuit*

poſuit

Digitized by Google

poſſunt iraſcenti. Hunc itaque talem ac tantum virum, abſit à nobis, vt ex maledico Fauſti ore penſemus, ſed ex ore planè veridici Dei, qui veraciter hominem, quem fecerat, nouerat: quandoquidem etiam peccata hominum, quæ ipſe non fecit, & in diffitentibus, vt iudex agnoſcit, & in confitentibus vt pater ignoſcit. Ex ore omnino eius Moyſen ſeruum eius, & amamus & admiramur, & quantum poſſumus imitamur, cùm ſimus lõgè illius meritis inferiores, etiam nullo Aegyptio vel occiſo, vel expoliato, nullo bello geſto quorum ille aliud futuræ indole deſenſoris, alia impoſito imperio Dei fecit.

Q. VI. *An ideo quia Dei ſeruus dicitur mortuus Moyſes, colligatur ſaluatus?*

Conferens cum Chriſto D. Moyſen Fauſtus Manichæus apud Auguſtin. lib. 16. contra ipſum ſic ſcribebat, Moyſes offenſo Deo ſuo occiditur in monte: hic Patri perplacens patitur propria voluntate. quaſi quia ob peccatũ morte affectus eſt, ideo etiã in mortè Deo diſplicuit: ſicq; in ſaluatorum numero nõ ſit. Et fortè *Logicis amplificationibus* paulo quis addictior dixerit, ſatis eſſe, vt Dei aliquando ſeruus olim fuiſſet, etiã ſi tũ, cùm moreretur, non eſſet: Deiq; amicitiam amiſiſſet. Sed ſi cum Logica rationem, vti oportet, moralemq; loquendi modum cõſideremus, facilè apparebit, etiam cùm mortem obiret Moyſes, in Dei gratiâ fuiſſe. Quando enim bonus quiſpiã Dominus bono alicui viro, quem mortuo ſeruorum ſuorum alicui ſuccedere vult, dicit; Talis & talis, ſeruus meus mortuus eſt. Eius iam locum capeſſe: duo ſimul facere videtur: primò quidem bono mortuum illum eulogio decorare: quod ſeruus innocens, fidelis, & ad extremum vſq; ſibi gratus fuerit: Deinde hunc alterum, qui ſufficitur, hortari, vt illum imitetur, eodem ſe modo gerat, ſicque pari Domini ſui gratiâ & charitate fruatur. Hinc Dialecticus alioqui nobilis Caietanus. *Hoc*, ait, *ſeruus meus, eſt epitheton Moyſis, quo Deus ipſe teſtatur placuiſſe ſibi officia Moyſis, appellando ipſum ſeruum ſuum. imò dicẽdo, Moſes ſeruus meus mortuus eſt, aperit, quod mortuus eſt ſeruus ſuus: hoc eſt, quod licet quandoque peccauerit, & peccando non fuerit ſeruus meus: attamen mortuus eſt ſeruus meus, mortuus eſt in ſtatu ſeruitutis meæ: mortuꝰ eſt ſic, quodquid quid erat, quidquid operabatur, meũ erat. Seruus enim totũ quod eſt, Domini eſt.* Manichæo autẽ illi reſpõdet li. citato c. 16. D. Auguſtinus. *Non ideo Moyſi famulo* D E I *derogaueris, quia eum peccatorem fuiſſe, & offenſo Deo ſuo in monte occiſum eſſe dixiſti. Nouerat enim, & ipſe in Domino gloriari, vt ab eo ſaluus fieret, à quo & ille qui dicit, Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum. Arguitur enim Moyſes voce diuinâ, quòd eius fides ad aquam de petra eliciendam aliquantulum titubauerit, quod ei cum peccato Petri poteſt eſſe commune, qui mediis fluctibus ſimili fidei defectu dubitauit. Verùm abſit vt credamus hinc eum eſſe alienatum ab æterna ſocietate Sanctorum, qui cum ſancto Helia, ſicut Euangelium loquitur, meruit clarificato in monte Domino aſſiſtere. Nam & in veteribus legis libris, etiam poſt ipſum peccatum, quantum ſit apud Deum meritum eius, apparet.* Ruſumque quæſt. 1. in hunc librum *Non ſolum*, ait, *hoc teſtimonio, ſed etiam in Deuteronomio multis documentis approbatur Moyſes ita defunctus, vt Dei famulus, & Deo placens; quamuis in eo illa vindicta completa ſit, ne terram promiſſionis intraret. Ex quo datur intelligi, Dominum etiã bonis ſeruis ſuis in aliquo ſuccenſentem, & tẽporaliter vindicare, & tamen in eorum habere numero, qui ſunt in domo eius vaſa in honore vtilia Domino, quibus daturus eſt, promiſſa ſanctorum.* Pluribus de hoc ipſo diſputat quæſt. 5. 6. 7. 11. 12. 13. & quidem ita vt ne ad purgatorium quidem veniſſe oſtendat quæſt. 7. Sed res certior eſt, quàm vt immorandum diutiùs. Præſertim cùm ſub Pentateuchi finem explicata generatim ſit.

Q. V. *Quæ terra in quam Ioſue, populumque Iſraeliticum tranſire iubet Dominus.*

Erit infrà cap. 13. & ſequentibus de hac agendum pluribus. Nunc ex iſto loco tantùm obſeruanda hæc. *Primum*: Terram illam eſſe trans Iordanem verſus Occidentem. Nam Ioſuæ tũc trans Iordanem verſus Orientẽ exiſtenti à Domino dicitur: *Tranſi Iordanem iſtum in terram.* Sed quando additur, vt in eam non Ioſue tantùm, verùm *totus* etiam *populus* tranſeat, accipiendum id commodè, vt ij ſcilicet, ſolummodo ſignificentur, quibus à Moyſe in trans Iordanina illa caſtrorum parte nullæ adhuc poſſeſſiones datę fuerant: & ex his etiã ij, quibus tranſitum imperarat Moyſes, de quibus paulò pòſt v. 12. *Secundum*: terram eandem iure, titulóque iuſtiſſimo ab Iſraelitis occupandam, deincepſque poſſidẽdam. Cùm enim variæ à Theologis, & Iureconſultis cauſæ ac iura, quibus rem aliquam ab alio iam alioqui poſſeſſam iuſtè accipere, armiſq; ſi opus eſt, vindicare, vindicatamque poſſidere liceat doceantur, omnium nullũ neque rectæ rationi, neque iuſtitiæ, ac æquitati magis conſentaneum, quam cùm verus, perfectus, & abſolutus illius rei Dominus eam, ſciens, prudenſque alicui dat.

Sed rerum omniũ Dominus verus, perfectus, & abſolutus nonne D E V S eſt? Nonne Pſal. 23. *Ipſius eſt terra, & plenitudo eius? Orbis terrarum, & vniuerſi, qui habitant in eo?* Non vinearum, agrorum, ditionumq; omnium fines in ſua vnius manu perfectiſſimè habet, ideoque quibus vult, eos arbitratu ſuo, iuſtiſſimè aut adimit, aut largitur? Hic verò Ioſue in terram tranſire iubet, *quam ego*, ait, *dabo filijs Iſrael.* ſiue vt ſignificantiùs in Hebræo, & Septuaginta eſt, forſanque in noſtro interprete duabus mediis litterulis adẽptis olim fuit, *quam ego do.* Magna enim illi, *Ego*, ſubiecta vis. ẽ qua etiam extitit, vt auro, argẽto, veſte, aliiſque rebus, quas ab Ægyptiis acceperunt Iſraelitæ, bono iure potirentur Exod. 12. Aſſerunt quidem ẽ veteribus D. Auguſtinus ſerm. 105. de tempore, S. Epiphanius lib. 1. hæreſ. 9. quæ eſt Samarit. hæreſi. 66. S. Ephremi Doctor Iacobus Edeſſenus apud Anaſtaſ. lib. 1. de paradiſo, & è recentioribus Guilelmus Poſtellus in Coſmographia, pluréſque alii, fuiſſe olim terram iſtam à *Semo* poſſeſſam, deinde huius poſteris, à *Chanaan* poſteritate, vi exturbatis, ab eadem occupatam, & inſeſſam fuiſſe. Ideoque Iſraelitis, qui è Semi erant ſtemmate, quaſi priſtinam hæreditatem, iure iuſtiſſimo debitam fuiſſe. Sed ſitne id verum, addubitari poſſe, oſtendit Maſius, quia violenta hæc exturbatio Chananæis nuſquam obiicitur. Tot tamen & tantorũ veterum auctoritati non debet tam exilis tenebras offundere ratiuncula. Eſto enim nõ obiiciatur ab Iſraelitis illa exturbatio, an idcirco non fuit? Certum eſt ex Geneſ. 15. ob completas iniquitates, expulſos hinc Amorrhæos, & tamẽ vbi, ab Iſraelitis, hoc iiſdem illis vmquã

Digitized by Google

obiectum? Certum etiam eſt, Dᴇɪ dono, regionis eiuſdem dominos veros eſſe factos ipſos Iſraelitas, & tamen, quando id ab iiſdem prædicatum? Niſi fortè ſemel Iud. 11. v. 24. At hæc ſententia è graui maiorum traditione ducta eſt, qui & in Oriente fuerunt, vt è citato Edeſſeno manifeſtum: & in Occidēte, vti refert S. Auguſtinus loco citato. *Tradunt*, ait, *maiores noſtri, quòd quando filij Noe omnem terram inter ſe inuicem diuiſerunt, terra iſta quæ dicitur Chananæorum, in diuiſione orbis, ſeniori filio Noe, id eſt, Sem in poſſeſſionem obuenerit, & eam tempore non paruo poſſederit. Poſtea verò increſcentes populi Chananæi de illo vtique filio, qui à patre fuerat maledictus, venerunt ad loca illa, & per violentiam expulſis fratribus ſuis, id eſt, filijs Sem, terram eorum more barbarico poſſederunt. Et quia beatus Abraham de genere Sem legitur fuiſſe, filij eius, id eſt, populi Iſraelitæ, non alienam terrā tradente Domino peruaſerunt, ſed ſuam propriam, quam per violentiam, patres eorum perdiderant, receperunt.* Caſſianus Collat. 5. cap. 24. *Quantum docet Vetus traditio, has eaſdem terras Chananæorum in quas introducuntur filij Iſrael, filij Sem fuerant quondam in orbis diuiſione ſortiti, quas deinceps per vim atque potentiam poſteritas Cham peruaſionis iniquitate poſſedit.*

Affertur verò ab eodem S. Auguſtino ratio alia, quòd nimirum Chananæorum peccata grauiſſima fuerint, ideoque iuſtiſſimo Dᴇɪ iudicio rectiſſimè terrâ illa ſua ſpoliari potuerint. cui adiungendum rectiſſimè itidem potuiſſe alijs à Dᴇo poſtea dari, vel ſi quibus ea quadantenus, ob præmium promiſſionem, aut ius quodcunque deberetur, vel ſi quos vndecunque arbitrio ſuo deligere, in eaque collocare voluiſſet, prout ipſos Iſraelitas collocauit ob factum eorum Patribus Abraham, Iſaaco, Iacobo promiſſum; & his etiam promiſit, partim vt eorum fidem ac pietatem terreſtri etiam aliquo præmio afficeret Geneſ. 22. v. 16. partim, & quidem omnium primò; quia ita ipſius diuinæ voluntati placuit. Sed S. Auguſtinum legamus. *Quia*, inquit, *Chananæi, excepto illo peccato, quòd poſſeſſionem alienam inuaſerant, multa nefanda & inaudita crimina committebant, in tantum, vt quando Dominus Sodomam & Gomorrham ſubuertebat, dixiſſe legatur; Nec dum enim completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum: & expectabat Dominus, vt aut conuerterentur, & agerent pœnitentiam: aut certè ſi conuerti nollent, crimina criminibus cumulantes, & peccandi menſuram implētes: iuſtiſſimam* Dᴇɪ *ſententiam ſuſtinerent. Quia ergo eos dupliciter inuenit reos diuinâ cenſurâ, pro eo quòd & terras alienas inuaſerant, & poſtea ſcelera & crimina inaudita commiſerant, iuſto iudicio puniuntur, & Iſraelitico populo antiquorum poſſeſſio reformatur.*

Qv. VI. *An hic terminis aliquibus terra illa circumſcribatur?*

Peruulgata in litterarum ludis eſt fabula, quam velut hiſtoriam referunt in Lybico, Apianus, in Epitomes lib. Iuſtinus; Dido Tyriam, ſoli tātum in Africa mercatum, *Taurino*, ait Æneid. 1. Virgilius, *quantum poſſet circumdare tergo*. Cumque id exiguum quid videretur, minutiſſimas tamen in partes & lora tergi illius corium diſſecādo, maximum nouæ vrbi exædificandæ locum, præter omnium opinionem, circumplexam. Ita verſ. 3. maximum, pœneque interminatum hic locum Iſraelitis dare videtur Dominus, cum ait. *Omnem locum, quem calcauerit veſtigium pedis veſtri, vobis tradam.* Nam primo ab Ægypto quemadmodum per longiſſima ſolitudinum ſpatia venerant, ſic progredi adhuc verſus occidētem & ſeptentrionem poterant.

2. Poterat Ioſue tot hominum millia certas in turmas diuidere, & alias huc, alias illuc amandare, vt quemadmodum *Phaleg* tempore Geneſ. 10 diuiſa fuit terra: ſic & iam ab Iſraelitis diuideretur, diuiſimque adiretur.

3. Potuit ſingulos in extremas etiā orbis regiones ablegare. & tum calcaſſet Iſraelitarum pes ea loca, ſicq; in ipſorum poteſtatem, donatione diuina, veniſſent.

4. Quid, quòd tempus calcationi huius nullum præfinitur; ſed quaſi ſempiternum foret, ita dicitur, *omnem locum, quem calcauerit* non hoc primo ingreſſu, vel hoc aut ſecuturo anno, ſed infinitè *calcauerit veſtigium pedis veſtri*, vnquam ſcilicet, *vobis tradam*. At quæ iam pœne veteris orbis ora, quæ gens, quæ tam incognita tellus, quò Iudæorum non veſtigium aliquod peruenerit? Totus igitur olim notus orbis à Deo ijs traditus. Ita ſane cenſent ipſorum Rabbini Thalmudici. quos in ſuis *Siphre* & *Iohar* citat R. Symeon Ben Iohai, & contra eos Abulenſis quæſt. 22. Sed æquum fuit animum eos ad ea. quæ v. 4. traduntur attendere.

Nam quis & vbi ſit omnis ille locus, quem ſi veſtigijs preſſiſſent, Deo tradente, obtinerent, explicatur. eiq; certi fines, ac termini circumſcribuntur, de quibus ſeq. quæſt. Quod verò interpres noſter *veſtigium* vertit, in Hebræo nomē eſt, quod manibus & pedibus accommodatur. & in illis *vola* & *palma*, interdumq; per ſynechdochen, *manus* verti ſolet Ezech. 6. verſ. 11. cap. 12. verſ. 14. 1. Reg. 5. verſ. 4. 2. Reg. 22. verſ. 1. cap. 9. verſ. 34. 3. Reg. 18. verſ. 43. Thren. 2. verſu 19. Pſ. 25. v. 5. Pſ. 43. v. 20. Leui. 9. v. 17. Nū. 5. v. 18. Exod. 4. verſ. 4. Prouerb. 6. verſ. 1. cap. 31. verſ. 7. & 19. Pſal. 23. verſ. 4. In his *planta* & ſynechdochi*xῶς*, pes infra cap. 3. verſ. 13. Ezech. 1. verſ. 7. Geneſ. 8. verſ. 8. Leuit. 11. verſ. 27. vbi noſter *manus* poſuit, eo modo, quo etiam Græcorum Latinorumque nonnulli, brutarum animantium pedes *manus* vocarunt, vt Oppianus de vrſis agens, & de iiſdem Plinius lib. 8. cap. 36. de ſimiis lib. 11. 44. itemque Galenus lib. 6. Anat. cap. 1.

Qv. VII. *Quinam eiuſdem terra termini?*

Eo modo, quo Ptolomæus, Strabo, aliiq; Geographi regionis alicuius terminos quatuor conſtituunt, ratione ſcilicet præcipuarum quatuor mundi plagarum, ita & hic Iſraeliticæ terræ, ſpiritus ſanctus. Eſt autem *primus terminus, à Meridie*, deſertum, id videlicet, per quod, ab Ægyptiaco exitu, annos iam 40. ititatum. Hoc enim quia è recenti facto omnium in memoria erat, per antonomaſiam *deſertum* dicitur, & veluti in terminis collocatur, quod alioqui *deſertū Sim & Gades* vocatur Num. 27. 32. & 33. 34. verſu. 3. & hîc Auſtralis terminus à Ptolomæo li. 5. Geograph. *Arabia Petræa* ſtatuitur, à Tacito lib. 5. hiſtor. *Ægyptus*, à ſcriptura verò alibi ſæpe *Berſabee* 2. Reg. 3. 13. 24. 3. Reg. 4. 4. Reg. 23. 1. Paral. 21. 2. 30. in Geneſ. 15. *fluuius Aegypto*, qui, vt alibi expoſui, eſt non ille ipſe Nilus plenior, ſed is, *qui*, vt ait D. Auguſtinus quæſt. 21. in hunc librum, *fluit per Rhinocoluram ciuitatem*, illius plenioris Nili quidā veluti riuus,

Digitized by Google

de quo cap.15, Geneſ.diſputat.9. Pererius. *Secundus terminus à Septentrione* eſt *Libanus.* mons in ſcriptura celebratiſſimus.

De quo plura quæri poſſunt. Et primo *vnde iſte mons id nominis ceperit?* Maſius à thure putat, quod Hebraicè *lebonah*, Græcè λίβανος, καὶ λιβανωτὸς vocatur. Id cùm ſit duplex, præſtantiſſimum ſcilicet, minuſque præſtans, illud in Sabæâ ſolâ naſcitur, prout cecinit 2. Georg. Virgilius, *Solis eſt thurea virga Sabæis:* hoc verò etiam alibi. & in hoc monte præſertim, vbi cedrorum, terebinthorũ, aliarũmque reſinoſarũ arborũ copia. Ab his qui extat viſcoſus humor concreſcens, *thus* vocari ſolet, vti apud Plinium lib.12.cap.14.lib. 14.cap.6. Et Eccleſiaſtici 24.verſ.21. *Quaſi libanus non inciſus vaporaui habitationem meam.* Ab albis niuibus Libanum dictum ait Ribera in Abacuc ſecundum. Nam *Laban* Hebræis album eſt, & *regio hæc præcipuum montium*. ait libro citato Tacitus, *Libanum erigit, mirum dictu, tantos inter ardores, opacum, fidumque niuibus.* Vtramque nonnulli notionem ſpectant. Quia enim *thus* ibi *candidum.* ideo Libanum appellatum vult S. Hieronymus. Ego horum nihil improbo. Quo enim cauſæ nominationis huius plures concurrerint, eo meliùs, ita vt à thure & niue inibi copioſa & candida *Libanus* vocatus ſit. Sed ad hæc magis ex Hieremiæ 18. verſ. 14. *Nunquid deficiet de petra agri, nix Libani?* & ad iſtum viuis alborem reſpicere videntur, qui Hieroſolymitanum Dei templum Zach. 11. Iſai. 35. Ierem. 22. Abacuc.2. idcirco *Libanum* etiam vocari aiunt, quia vti tradit libro 9. de Captiuitat. c. 6. Ioſephus. candidiſſimis lapidibus longe lateque quaſi fulgebat.

Secundo. *Vbinam incipit* idem *Libanus?* Duo ſunt verſus Septentrionem montes, qui Libani nomen gerunt, ſed vnus ſimpliciter *Libanus, Antilibanus* alter; à Græcis & Latinis dicitur. & vnus quidem magis verſus Septentrionem, alter Auſtrum magis verſus, valle ſcilicet perampla interiacente, in qua vrbes *Heliopolis, Albia, Damaſcus,* fluuij *Adonius* & *Chryſorrhoas*: vir admodum pius & doctus, eum qui Septentrionalior eſt, Antilibanum, qui Auſtralior Libanum, eſſe contra Poſtellum probat tripliciter. Primo quia Plinus lib.5. cap.20. à Sidonis terco Libanum incipi ait. Secundo D. Hieronymus lib. de locis Hebræ. *ea quæ ſuprâ Libanum ſunt, Antilibanus* inquit, *appellatur.* Tertio Chryſorrhoas fluuius tendit ad Orientem in Euphraten, & ab omnibus è Libano ſcaturire dicitur. Ac niſi Libanus Auſtralior ſit, vel ex eo non orietur hic fluuius, vel in Euphraten certe progredi non poterit, quia oppoſiti Trachonitæ montes, quos *Aſſadamum* vocat Ptolomæus, impedirent. Ego tamen dico primo in Hebræo vno eodemque ſimplici Libani nomine vtrumque iſtum nominari; & quidem rectè, quia vnus idemque mons videtur, licet paulo ſit amplior interpanſa conuallis, quæ Polybio lib.5. *Marſya* vocatur: ideoque & Plinius loco cit. vtrumque olim muro coniunctum fuiſſe refert. Secundo huius tamen montis duo iuga ſunt, ideoque & duo quaſi mõtes. Vnde Numer. 34. verſ. 8. Hebraicè & Græcè vocatur, *mons & mons*, id eſt, *biuertex*, aut, *geminus.* Pro quo in noſtro Interprete *altiſſimus.* Tertio Eius montis ad quod Aquilonarius eſt, exiſtimo Libanum potius vocari, & quod Auſtralius, Antilibanum. Nam Ptolomæus loco cit. *Libani latitudinem* ait *eſſe partium*, ſiue vti vocare iam ſolent, *graduum 34. Antilibani verò 33.* Deinde Strabo lib.16. *Duo, ait, ſunt montes, qui inter ſe quaſi paralleli, qui Syriam quæ Cæleſen caua dicitur, efficiunt, Libanus & Antilibanus paululum ſupra mare ambo incipientes; Libanus quidem ſupra mare illud, quod eſt iuxta Tripolin, & vrbem* θεοῦ πρόσωπον. *id eſt* DEI *faciem, Antilibanus verò ſupra mare, quod iuxta Sidonem.* Ad primam igitur illam rationem reſpondeo, Plinium pro vtroque iugo Libani tunc nomẽ ſumpſiſſe, quod poſteà diſtinguit. Ad ſecundam. vocauit D. Hieronymus id *ſupra Libanum*, quod Auſtralius eſt. Ad tertiam. Quis in Euphraten exonerari Chryſorrhoan docet? Certè de eodem ita ibidem Strabo. *Chryſorrhoas ab Damaſcenorum vrbe ac regione incipiens ferè totus in riuos abſumitur. quia magnam eius regionis partem, & eam quidem quæ valde profunda eſt, irrigat.*

3. *Vter Libanus hoc loco terminus conſtituitur?*

Ex Hebræo & Latino generali nomine finiri hoc non poteſt: ſed ex eo Græco, quo ſeptuaginta vſi ſunt.

Hic enim pro Libano Antilibanum poſuerunt. Itemq; infrà c.9. Deut.1.3.11. idq; firmari poteſt ex eo quod Hebraicè dicitur, *A deſerto & Libano hoc.* Nam demonſtratiuũ, *hoc*, eum maximè mõtem indicat, qui Moabiticis campis, in quibus tunc Iſraelitæ; proprior magiſque conſpicuus erat. Is autẽ erat mõs Auſtralior, *Antilibanus* ſcilicet. vnde & alibi terminus iſte à *Dñi* duci ſolet.

Tertius terminus eſt *ad Orientem* Euphrates. De hoc dixi Geneſ. 2. vbi paradiſi quartus fluuius conſtituitur. Sed primo *cur fluuius magnus dicitur?* In *7. perek ſchebuoth* Thalmudici reſpondent, id factum, quia terram hanc, quæ omnium præſtantiſſima eſt terminat. Sed eodem modo Libanus *magnus* diceretur: & verò Iordanis eſſet *maximus*, quia terram eãdem perluit, ac lætificat. Ideoque potius à verâ ſui ipſius magnitudine id epithethon accipit cum eâ ipſum etiam Tigrin, vt ait lib.16. Strabo qui tamen etiam Dan. 10. *magnus* dicitur, alioſque paradiſi fluuios, quos in *tractatu de paradiſo* eſſe Phaſin & Araxẽ ſuperet. Idque Hebraicè & Græcè innuitur cum fluuij repetito nomini modò epithethon illud, modo nomen proprium adiungitur ſic. *Fluuius magnus fluuius Perath.* vnde lib.3. Lucanus.

> *Quaque caput, rapido tollit cũ Tigride, magnus Euphrates.*

2. *Eſt ne terræ huius terminus verè Orientalis?*

Septentrionalem vult eſſe Maſius: & ſanè etiã Septentrionis latus aliquanti ſuperteneret Euphrates. Sed nullus tum ab Oriẽte foret terminus: & contra Geographiam, & tribus tantùm cœli regionibus defineretur terra hæc. cùm tamen Deut.11.v.24. paulo quàm hic clariùs termini quatuor figantur: & infra in omnibus etiã tribubus. De Orientali alio termino poſtea.

Quartus terminus ad Occidentẽ, ſiue vt textus habet, *contra ſolis occaſum*, vel vt 70. *ab ſolis occaſu*, eſt *mare magnum*, quod nos *Mediterraneum*, Tacitus etiam loco citato *Iudaicum* vocat. *Magnum* verò dicitur, comparatè & reſpectu harum partium, horumque hominum. Cum enim omnis aquarũ congregatio *mare* Hebræis vocatur, tria in iſtâ

Iſraelitarum terrâ erant maria. Primum eſt aquarum *Merom*, de quibus infrà cap. 11. Secundum, *Lacus Tyberiadis* ſiue *Geneſareth*. Tertium *mare mortuum*. vnde loco citato Tacitus, *Iordanes pelago non accipitur. Sed vnum atque alterum lacum integer perfluit: tertio retinetur* aſphaltite nimirum, qui, ait idem Tacitus, *immenſo ambitu eſt, ſpecie maris, ſapore corruptior, grauitate odoris accolis peſtifer*. Ad hæc igitur dum Occidentale illud pelagus confertur, meritò à Iudæis, & his in locis *magnum appellatur*. A

Qv. VIII. *Quomodo terra hæc Iſraelitis data fuerit?*

De modo, quo Iſraelitis data hæc à Deo terra fuerit, duplex quæſtio eſt. Vna: fueritne data, vt vectigalis tantùm & tributaria illis foret? an verò vt hæreditaria, & ipſorum etiã ſedes? D. Auguſtinus quæſt. 21. in hunc librum *prius* illud tradit: Maſius *poſterius*: P. Pererius in Geneſ. 15. diſ. 10. etſi ab hoc diſſentire ſe ait, *medium* tamẽ quidam tenet. Ait enim, hæreditariam datam illis fuiſſe, ad hoc tamen ſatis eſſe, ſi vectigalia imponerent, ſibique tributa & obſequium pendere cogerent. At eadem interpolatur quæſtio. Id enim de quo potiſſimum quæritur, eſt, *vtrum terra iſta ita Iſraelitis data fuerit, vt eam ipſe totam incolerent, inter ſe diuiderent, tanquam propriam hæreditatem per ſeipſos obtinerent?* Et planè iſto iis modo Deum dediſſe arbitror. Primo quia ita hæreditatis nomen in ſcriptura ſumi ſolet. Quamuis enim quod in Italia, India, nouoque orbe Catholicus Hiſpaniarum Rex obtinet, id hæreditaria eius poſſeſſio ſit, ſcripturæ tamen vſu ac phraſi non diceretur *Hiſpanorum hæreditas*. præter eas portiones, quas veteribus exactis incolis, incolunt ipſi ac inhabitant. De terrâ verò iſtâ inquit Deuteronom. 19. v. 10. ſe eam *populo ſuo dare hæreditatẽ*. Ita enim Hebræus loquitur quod noſter vertit, *dare poſſidendam*. Et Septuaginta. ἐν τῇ γῇ ἣ κύριος ὁ θεός σου δίδωσί σοι ἐν κλήρῳ. Secundo. Si ad terræ donationem hanc ſatis eſſet, eam eſſe Iſraelitis vectigalem, etiam hæreditario iure, tunc Iudæa & Galilæa, eorum etiam hæreditas fuiſſet, etiam ſi Iordanem non tranſiſſent, ſed in terrâ Og & Seon Regum manſiſſent omnes. Tertio. Iubet Dominus Deus, ſi quidẽ enumeratos iſtos terræ fines penitus aliquando conceſſerit, quemadmodum Patribus iurauit, vt aſyla, ſeu refugij vrbes duplicent. Nunc quæro, an duplicare has oportuit, ſi vectigalem tãtummodo terram haberent, an verò ſi in ea domicilium ipſi haberent? B C D E

Si illud 1. male Dauid & Salomon feciſſent, qui cùm eo modo imperium, vt infrà dicetur, protulerint, nullas tamen eiuſmodi vrbes conſtituerint. Si iſtud: ergo Dei mens in promiſſio iureque iurando fuit, fore, vt domicilia in terra illâ Iſraelitæ collocarent. Illud tamen de Dauidis ac Salomonis peccato, *nihil*, ait Pererius, *negotij fuerit expedire*. Audiamus. *Et dupliciter dilui poteſt*. Primò. *Non erat tunc opus nouis Aſylis, nondum enim gens Hebræa in tantum numeroſâ propagatione aucta erat, vt eam commodè terra Chanaan non caperet, ſed in exteras regiones, ductis colonis, diffundi neceſſe eſſet. Fuit præterea illud ad Euphratem vſque ad imperium Hebræorum, perquam breue: quod ſi longo tempore bene ſtabilitum & roboratum perduraſſet, tunc Hebræi de nouis aſylis inſtituendis egiſſent, nec* D e i *iuſſa exequi prætermiſiſſent*. Sed prius illud reſponſum apertè, quod vrgemus: concedit, oportuiſſe ſcilicet in partes illas ducere colonias, in iiſque habitare, factum tamen id tunc non eſſe, quia nondum gens Hebræa in tantum numeroſâ propagatione aucta erat. Poſterius verò à culpa Dauidem & Salomonem non liberat. Nam initio ſtatim, dum eas regiones occupauit Dauid, certiſque Reſpublicas legibus & inſtitutis, victoris iure, temperauit, aſila hæc præfinire debuiſſet. Quemadmodum ſtatim atque Chananæam Iſraelitæ diuiſerunt ilico aſyla etiam decreuerunt. Quod ſi cunctandum adhuc aliquid fuit, nonne, Salomonis ſaltem principatu, cunctatum iam ſatis erat? Quin verò etſi breue fuit hoc in terras illas imperiũ, tamen cùm initio à Dauide inchoaretur, tam breue futurum haud putabatur. ideoque ita cõponendũ & cõformandum erat, quaſi diutiſſimè manſurum eſſet. Ita enim & ſperant, & faciunt, qui nouas imperiis ſuis acceſſiones adiungunt. F A B

Cùm verò etiam ad Salomonem vſque, non ſceptra modò capeſſentem, ſed è vita etiam abeuntem omnes hæ in Iſraelitarum poteſtate, annos pluſquam xL. terræ fuerint, nonne ad illa Dei iuſſa exequendum procraſtinatio nimia? Et ſi religioſiſſimus Dauid, ſapientiſſimus Salomon tanto tempore nihil fecerant, quis tandem incepturus eſſet? Verum enimverò ſciuerunt illi, ſe illo Dei præcepto non teneri, niſi terras illas propriam veluti hæreditatem adiiſſent, in iiſq; domos & ſedes, priſtinis exturbatis Gentilibus, conſtituiſſent. Et hæc etiam ſententia eſt D. Hieronym. epiſt. 129. vti poſtea videbitur. Altera quæſt. eſt, *ſit ne tota hæc terra cum conditione aliqua, vel abſolute data?* Signatiſſimè conditionem in terræ huius donatione, vnam quidem, ſed bifariam appoſuit Dominus. Semel, vt, pars quæ abſolute iamiam in poſſeſſionem dabatur, poſtmodum retinetur: Deinde, vt pars, cuius adhuc poſſeſſio differebatur, obtineretur. Prioris conditio etſi ex euentu colligi facile poſſit, dum è Chananæa ipſoſmet Iſraelitas, ob peccata, in exilium abductos videmus: declaratur tamen Deuteronom. 11. verſ. 20. 21. 22. 23. *Scribes*, ait Dominus, *ea verba* ſcilicet mea *ſuper poſtes, & ianuas domus tuæ: vt multiplicentur dies tui & filiorum tuorum in Terra quã iurauit Dominus Patribus tuis, vt daret eis quamdiu cælum imminet terræ. Si enim cuſtodieritis mandata quæ ego præcipio vobis, & feceritis ea, vt diligatis Dominum Deum veſtrum, & ambuletis in omnibus viis eius, adhærentes ei, diſperdit Dominus omnes gentes iſtas ante faciem veſtrã, & poſſidebitis eas quæ maiores & fortiores vobis ſunt.* Poſterioris ibidem eadẽ ratio ſignificatur, dum verſ. 24. ſtatim additur. *Omnis locus quem calcauerit pes veſter, veſter erit. A deſerto, & à Libano, à flumine magno Eufrate vſque ad mare Occidentales erunt termini veſtri. Nullus ſtabit contra vos: terrorem veſtrum & formidinem dabit Dominus Deus veſter ſuper omnem terram, quã calcaturi eſtis, ſicut locutus eſt vobis*: ſed apertius c. 19. verſ. 8. *cum dilatauerit Dominus Deus tuus terminos tuos, ſicut iurauit patribus tuis, & dederit tibi cunctam Terram, quã eis pollicitus eſt, (ſi tamen cuſtodieris mandata eius, & feceris quæ hodie præcipio tibi, vt diligas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius omni tempore) addes tibi tres alias ciuitates*. Atque hoc eſt quod hic verſ. 3. donationi ſuæ rurſum attexit Dominus, C D E F

Digitized by Google

minus, dicens non ſimpliciter *omnem locum* de quo ſuprà, tradere ſe, ſed, *ſicut*, ait, *loquutus ſum Moyſi*, id eſt cum conditione Moyſi locis iam citatis expoſita, prout etiã admonet hic quæſt. 1. Theodoretus.

Q. IX. *An ab Iſraelitis poſſeſſa hæc aliquãdo terra fuerit poſtea?*

ASSERIT loco citato S. Auguſtinus poſſeſſam fuiſſe *Salomonis temporibus*: Caietanus vero & Oleaſter, *etiam Dauidis*. Negat vtrumque Maſius & loco citat. D. Hieron. Sed nimirum iis, quæ priore ſuperioris quæſtionis parte, vtrique ſenſerunt, conuenienter loquuntur. Quia enim D. Auguſtinus terram hanc tantummodo ita diuinitus datã putabat, vt vectigalis fieret, ideo iam Salomonis tempore id effectui datum affirmat: quia vero Maſius ita datam cenſet, vt eam, pulſis cultoribus tenerent ac inſiderent Iſraelitæ, ideo dationem hanc executioni mandatam negat.

Dico igitur primo, *verè Salomoni ſubditam vectigalemque terrã iſtam, vſque ad Euphraten fluuium fuiſſe.* Nam 3. Reg. 4. ita ſcriptum. *Salomon erat in ditione ſua, habens omnia regna ſecum, à flumine vſque ad terram Philiſthiim, & vſque ad terminũ Ægypti offerentium ſibi munera, & ſeruientium cunctis diebus vitæ eius.* Quod vero *flumen* illud? Nonne id, quod κατ' ἐξοχὴν, ita in ſcripturis præcisè nominatur? Nonne id, quod ſuprà dictum eſt, vocari *magnum*? Nonne demum illud, quod abſque ambage vlla indicat Dominus Gen. 15. cùm ait: *A fluuio Ægypti, vſque ad flumen Euphraten?* Quod inibi eſt, *vſque ad*, recte, vt Hebraicam ellipſin, quæ & alibi non rara eſt, exprimeret, adiunxit noſter Interpres. Licet mirũ ſit, quomodo tota hæc periodus in 70. non ſit, quam Græca tamen quædam habent, vt in Bibliis Regii s:led parùm aptè dicunt ἀπὸ ποταμοῦ τῆς γῆς φυλιστιείμ. Et eodem libro 3. Regum cap. 4. poſt allata iam verba, non multo poſt; *Ipſe* (Salomon) *obtinebat omnem regionem, quæ erat trans flumẽ, quaſi à Tapſa vſque ad Gazam, & cunctos reges illarum regionum, & habebat pacem ex omni parte in circuitu.* Thapſa vero hic eſt, quæ ad Hebraicum vrbis nomen *Thiphſach* accedendo apud Ptolomæum lib. 5. dicitur *Thampſacus, vbi* Euphratis vada. Sed his in verbis illud, *trans*, accipiendum pro *ad*, vel *iuxta*, quemadmodum eadem Hebraica particula ſumitur etiam Iſa. 9. v. 1. Matt. 4. verſ. 14. & 2. Paral. 20. verſ. 2. vti quidem Maldonato noſtro videtur in Mat. 4. Quia enim ex vtraque amnis alicuius ripa trãſiri poteſt in alteram, ideo particula illa ripam vtramque ſignificat, reſpondetque tam ipſi *trans* anguſtiùs accepto, quàm ipſi *cis*, vel *iuxta*, & *ad*. Ideoque Interpres noſter, quod in iiſdem citatis verbis Hebraicè dicitur, *in omnibus Regibus trans flumen*, vertit *cunctos reges illarum regionum.* Et rurſum quod additur, *& habebat pacẽ ex omni parte in circuitu* Hebræus ita effert. *Et Salomoni erat pax ab omni trans illud* (ſcilicet flumen) *circũcirca.* Chaldæus vero in vtraque iſta imperij Salomonici deſcriptione ipſum *Perath* nomen diſertè ſemper poſuit, ſed Hebraicam particulam retinuit, quam interpres *trans*, & *citra* interpretatus eſt. Cum tamẽ de Euphrate ſemper ſermo ſit, ſemper accipiẽda particula non ſpeciatim, prout ipſi *citra* opponi ſolet, ſed generatim prout hanc includit, & ſignificat, quemadmodum iam paulo

Ioſue.

ante dixi. Nam alioquin etiam vltra Euphraten ſub Salomonis ditionem, Meſopotamiam, aut eius partem aliquam veniſſe, cenſendũ erit. eaque propter cautè ac verè rem iſtam ἀπ' Εὐφράτου *ab Euphrate*, indicauit Ioſephus lib. 8. c. 2. ἦσαν ἕτεροι τῷ βασιλεῖ ἡγεμόνες, οἱ τῆς τε Σύρων γῆς καὶ τῶν ἀλλοφύλων, ἥ τις ἦν ἀπ' Εὐφράτου ποταμοῦ διήκουσα μέχρι τῆς Αἰγυπτίων. id eſt. *Alij erant Regi Salomoni Principes, iiſque in Syrorum, aliarumque gentium terrã, quæ ab Euphrate fluuio vſque ad Ægyptiorum terram pertinebat, ſiue progrediebatur.*

Dico ſecundo, *videri ſimiliter Salomonis patri Dauidi ſubditam, vectigalemque terram eandem fuiſſe.* Quamuis enim tam diſertè de eo; quàm de Salomone præſcriptum non ſit, ſatis tam inſinuatum. Num 1. Paralip. 18. 2. Reg. cap. 8. v. 3. dicitur *profectus, vt dominaretur ſuper flumen Euphraten.* Ita enim optimè, quod in Hebræo eſt, *vt adduceret manum ſuam in fluuio Euphrate*, vertit noſter Interpres, & quod in Græcis, ἐπιστῆσαι τὴν χεῖρα αὐτοῦ ἐπὶ τὸν ποταμὸν Εὐφράτην.

At vero voti eum compotem factum eſſe, Hieroſolymamque pluribus partis victoriis, triumphantẽ rediiſſe conſtat ex eodem capite. Nam v. 6. *facta eſt Syria Dauid ſeruiens ſub tributo ſeruauitque Dominus Dauid in omnibus ad quæ profectus eſt.* Accedit Emathæi Regis gratulatio v. 10. manubiarum ingens copia v. 11. deuictarũ gentium breuiculus quaſi catalogus v. 12. 14. Ad hæc, Tota cis Euphraten regio Salomoni paruit, vt oſtenſum paulo ante, vel ea ergo ſeſe ipſi vltro ſubiecit, vel coacta. Non vltro. Magnum enim id miraculum foret, ideoque cum ipſius Salomonis maieſtas, & dilatatiſſimum regnum explicatur, nequaquam id taceretur. Coacta igitur. At vel ab ipſomet Salomone, vel ab eius Parente Dauide. Non ab ipſo: quia prima & maxima regni ſui parte, bellorũ nihil omnino geſſit. Ideo enim & templi ædificatio ipſi mandata, & Pacifici nomen impoſitũ. A Dauide igitur armis domita, vectigaliſq; facta fuerat.

Dico tertio: *neque Salomonis, neque Dauidis tẽpore, veteres exinde colonos eiectos vnquam fuiſſe, domiciliaque Iſraelitas ibidem fixiſſe.* Patet. alioqui vectigalis non fuiſſet regio, ſed vt cætera Iudæorum terra, libera. fuiſſentque in ea Præfecti aliqui, ad neceſſarium cõmeatum, Salomoni pendendum conſtituti, quemadmodũ in XII. tribubus 3. Reg. 4. quin & refugij vrbes præſtitutæ, prout ſuperiore quæſtione dictum.

Dico quarto: *non eo pleno perfectoque modo terram hanc Iſraëlitis, vt eam poſſiderent, datam, quo promiſſa fuerat.* Nam, vt in ea ipſimet, prioribus Dominis expulſis, habitarent, data erat, vti ſuperiore quæſtione probatũ, & ab iis nunquam ſic poſſeſſa, prout iam oſtenſum.

Dico quinto: *cauſam, cur pleno perfectóque illo modo terram non dederit Dominus, eſſe, quia poſitæ conditioni*, de qua in vltima quæſtionis octauæ parte dictũ eſt, *locum non dederunt Iſraelitæ.* Nam poſt Salomonem, imo ſub ipſius ſupremum vitæ tempus, ad idola, neque ſemel tantũ, neque vno ſolum modo declinatum. *Si*, ait, S. Hieronymus ad Dardanum epiſt. 129. *obſeruaſſes, Iudea, mandata Dei: & in præceptis illius ambulaſſes, ſi non pro omnipotenti Deo coluiſſes Beelphegor, & Baal; Beelzebub & Chamos. quos quia prætuliſti Deo, omnia,*

M iij

quæ tibi promiſſa fuerant, perdidiſti. Et mihi in Euangelio promittuntur regna cælorum: quæ inſtrumentum vetus omnino non nominat. Sed ſi non fecero quæ præcepta ſunt; nequaquam erit culpa in promittente, ſed in me, qui promiſſum accipere non merui. Vbi enim optio proponitur ad eligendum, qui operari renuis, fruſtra cupias, quod promiſſum eſt. Et in Ez. cap. 20. promiſſam ait fuiſſe Palæſtinam, Phœnicen, Arabiam, Syriam cœlen, Ciliciam, & cæteras regiones. *quas*, inquit, *Iſraeli, ſi Dei præcepta ſeruaſſet, Dominus repromiſit, quas quia non accepit, vitium fuit incredulitatis eius.* Ad plenum porro, perfectumque iſtum modum, non terræ illius gentes tantummodo viciſſe ac ſubegiſſe oportuit, ſed tam numeroſâ etiam ſobole abundare, vt colonias eo quã plurimas traducere licuiſſet.

Dico ſextò: *cauſam, cur aliquo tamen modo eadem terra in obſequium & vectigal Iſraelitis data ſit: eſſe, quia volebat paulatim eos in pleniſſimam, perfectiſſimamque poſſeſſionem deducere.* Ideoque primum eam illis ſubdidit: & feciſſet deinde, vt in ea ſoli habitarent, ni ſcelerum impedimenta obieciſſent. feciſſet verò *dupliciter*, *primò* ita gentes illas frangendo & eneruando, vt abſque fœdere, deditione, conditioneuè vlla, vel in Iſraelitarum poteſtatem totæ conceſſiſſent, vt eas arbitratu ſuo expellere, vel mancipiorum loco retinere potuiſſent, vel in præliis & vrbium excidiis internecione penitus deletæ fuiſſent. *Secundò* tantam ſobolem largiẽdo, vt vacuas illas, quamuis ampliſſimas, ſedes ſuis ipſi coloniis & filiis complere potuiſſent.

Dico ſeptimò & vltimò: *ſi pleniſſimo perfectiſſimoque modo terram illam poſſediſſent, vel è Chananæa tribus eò plures migraſſent*, eamque totam, vni, aut alteri tribui reliquiſſent, *vel è qualibet tribu ducta illuc portio aliqua fuiſſet*, duodecimque in illis locis tribus ita excitatæ, vt vna integra tribus duo ſemper loca teneret: vnũ quidem priorem in Chananæa: poſteriorem alterum in nouis hiſce terris. Et hoc poſterius crediderim veriſimilius. Primo vt æterna tribui cuilibet data ſemel hæreditas conſtaret. Secũdo quia ita duo in loca ſparſa initio ſtatim fuit Manaſſæa tribus, & poſtea Danica. Tertio quia modus iſte ſolet hominibus eſſe gratior, vt etiamnum hodie videmus in noua Hiſpania.

Q. X.
Si iſta erat promiſſa terra, Iordanem tranſire cur iubetur Ioſue, & omnis populus?

NOLVIT Dominus totam ſimul promiſſam terram dare penitus, ac ſubigere: ſed eos prius in vnâ eius parte diligentius exercere: tumque ſi bene officium facerent, illiuſque leges ac cæremonias non ignauè tuerentur, educere ipſos in latiores fundos, amplioreſque prouincias, prout antea expoſitum. Quia verò pars hæc *trans Iordanem* occupanda iam erat, armiſq; domanda, ideo tam Dux, quàm *omnis populus* tranſire iubetur: *omnis* inquam, præter eos, quos exceperat pauculos Moyſes Num. 32. qui, in ſedibus ab ipſo vltra Iordanem datis, reſiderent tantiſper dum bellum hoc perageretur. Atque hunc ordinem ſignificat ipſe textus, cum primo iubet Iordanem tranſiri, eamque terram poſſideri: deinde ſubiungit quatuor illos terminos, qui terræ multo amplius ambiunt & complectuntur. vt ex illis anguſtiis ſumma, ſi quidem poſitis ſtarent ipſi conditionibus, ſecutura intelligeretur laxitas.

Q. XI.
Cur ipſum Ioſue toties confirmat Dominus?

TAMNE animo humili, fracto, & abiecto fuit
A Ioſue, vt tot tantiſque modis firmandus, & ne deſperatione rueret, conſtabiliẽdus eſſet? Nam Deuter. 1. 38. imperat de ipſo Dominus Moyſi, *Hunc exhortare & robora.* Et cap. 3. 28. *Corrobora eum atque conforta.* Et cap. 31. 7. *Vocauit Moyſes Ioſue, & dixit ei coram omni Iſrael: Confortare & eſto robuſtus.* Rurſum interiectis nonnullis verſ. 23. *Præcepitque Dominus Ioſuæ filio Nun, & ait. Confortare & eſto robuſtus.* Hoc verò c. 1. quater, *Confortare, & eſto robuſtus. Noli metuere, & noli timere.* Quæ tanta & tam effœminata hæc illius im-
B becillitas, timor & trepidatio? Sane vero ſi cõſiderare velimus, duæ nobis potiſſimum cauſæ apparebunt, cur erigendus & corroborandus ille toties fuerit. *Vna* eſt, quod iudicare Dominus voluerit, quantum, quamque arduum, difficile, ac periculoſum ſit aliis præeſſe. *Altera*, quod idipſum altiſſima cogitatione, ſapientiſſimóque mentis oculo penitus perſpexerit, ſenſeritque noſter Ioſue. Nuſquam ei animi fractio, langor, vel ignauia obiicitur: quin & ex rebus hactenus fortiter præclarèque geſtis, ma-
C gnanimum, conſtantem, ac generoſum fuiſſe, poteſt intelligi. Sed cui curam, metum, horroremque non afferat oneris, dum gubernãdi alij ſunt, magnitudo, propriæq; imbecillitatis conſcientia? Gubernationis finem ſpecta. Non eſt ipſum gubernantis commodum, diliciæ, aut honor: ſed ipſorum, qui gubernandi ſunt. Nam *moderatori Reip.* ait lib. 5. de Republicâ Tullius, *beata ciuium vita propoſita, vt ea opibus firma, copiis locuples, gloriâ ampla, virtute honeſta ſit.* Alioqui Tyrannus potius quàm Princeps fuerit, vt
D oſtendit lib. 8. Polit. c. 10. Philoſophus.

Tu ciuem, Patremque geras: tu conſule cunctis.
Non tibi: nec tua te moueant, ſed publica damna,

inquit ad Honorium Claudianus. Iam deſcendat in ſeipſum non imprudens quilibet. Expendat quanta ſuipſius læua ſit natura noſtra: quàm emolumentorum propriorum appetens, quanto voluptatis, laudiſque ſtudio inflammata: & ſtatim ſentiet, quanta cum difficultate coniunctum ſit, omnem propriæ vtilitatis curam, ſtudiumque abijcere, de alienis aſſiduè
E commodis cogitare, eaque ſemper, & ſola procurare.

Et quomodo procurare? Tanto ſane ſtudio, tam acri cura, & conatu, vt nullus, quantumuis ingens, deſugiendus labor ſit, moleſtia & defatigatio nulla recuſanda: ferè ſemper genius defraudendus: neceſſaria pœne quies poſthabenda, ſomnus vix guſtandus.

Ita enim Homericũ illud admonet Iliad. β, & χ.

ὐ χρὴ παννύχιον βουληφόρον ἄνδρα καθεύδειν

Et Silius Italicus.

F *Turpe duci totam ſomno conſumere noctem.*
O Rector Libyæ vigili ſtant bella Magiſtro.

Iam quæ prudentia & attentio, quæ iuſtitia & æquitas, quæ animi magnitudo, clementia & modeſtia, quanta temperantia & ſobrietas, & quod caput eſt, quanta erga DEVM O. M. religio, in eo & ab eo ſpes ac fiducia requiritur? Nam ſine his, eorum quæ ad officium ipſius ſpectant, nihil aget rectè & vtiliter. ipſumque ſuo exemplo virtutem ſubditis omnibus indere ac inſtillare oportet. Nam, vt Latinus ante citatus

Poëta

Digitized by Google

Poëta inquit ——————— *componitur orbis*
4. Regis ad exemplum ————————

Si ſit impius, iniquus, iners, ad libidinem, crapulam, ignauiamque proiectus, eoſdem inferioribus præcipere mores videbitur. E contrario, DEVM ipſe timeat, fide ſit optimâ, virtutem & officium colat, ab eo tanquam à ſole aliquo mutuabuntur ſtellæ omnes, quibus ipſe oriendi, occidendiq; Dux; lumen inſigne. *Rex,* ait in Thyeſte Seneca, *velit honeſta: nemo non eadem volet.* Quod ſi in adminiſtratione ipſa ab eo quidpiam peccetur, *omnia,* inquit idem lib. 1. de Clementia Sapiens, *facta dictáque Principis rumor excipit: nec magis ei quàm ſoli latere contingit:* & vt aiebat Satyricus. Sat. 8.

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto qui peccat, maior habetur.

Neque apud homines hoc tantummodo, ſed apud Deum etiam; cui de ſingulis ipſi Principi commiſſis capitibus danda ratio: de ſingulis ab eodem Principe perceptis tributis, nummis, honoribus: de toto principatus ipſius fine, & mediis ac rationibus, quibus illum aſſequi potuit ac debuit. Harum ſanè ſimiliumque rerum ſeria cogitatio metum homini prudenti, neque iniuſtum, neque paruum inicit, cùm ad populorum gubernacula vocatur. Fuerunt plerique omnes Gentilium Principum incredibili principatus cupiditate inflammati, & ambitioſiſſimi, quoſdam tamen interdum ex iſtis etiam cauſis nonnullæ terruerunt, vt imperia & principatus aut recuſarent, aut acceptos dolerent, quandoque & deponerent. Hoc poſtremum facere cogitauit non ſemel Auguſtus, fecit Diocletianus: fecit & ſecundum Antonianus Pius ab Adriano adoptatus, & poſtea Pertinax, vti apud Iulium Capitolinum eſt. In primo autem gradu poſſunt quamuis multi recenſeri. Sed eo in genere quid clarius, & nobilius afferri poteſt, quàm is, in quo ſumma omnia, qui cœlorum, ſolorumque omnium Rex & Dominus, CHRISTVS IESVS? Nam vt periculorum, quæ imperantibus maxima impendent, iuſtam formidinem, omniſque ambitionis non inutilem fugam doceret, cùm cognouiſſet Iohan. 6. verſ. 15. quia *venturi eſſent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus.* vt in Ioſue noſtro illa ipſa Saluatoris noſtri fuga, imperiique horror præmonſtratus iam olim videatur. Attamen præter generalia hæc, fuerunt duo etiam alia, quæ noſtrum Ioſue conturbare metuque non paruo afficere poterant, conſideratio ſcilicet hoſtiũ, contra quos manu iam decertandum, deinde & ipſius populi, quem imperio regere, & in illorum ſedibus collocare oportebat. Illorum enim erat ingens multitudo, vires maximæ, arma & animi ad bella expeditiſſimi. Horum verò, vt aliarum rerum eis nihil deficeret, mira duritia erat, intolerabilis cõtumacia. Quis Moyſe Princeps prudentior, temperantior, modeſtior, laborioſior? Quis eodem aduerſus Deum religioſior, aduerſus populum comior & affabilior? Et tamen quoties in eum populus iſte irâ & furore immaniſſimo exarſit? Quoties aduerſus eum murmurauit, eius nomen conuiciis proſcidit, ipſum diris & imprecationibus inſectatus, lapidibus etiã ob-

A ruere voluit? Viderat hæc omnia Ioſue: multoque ſibi peiora meritò extimeſcebat: eaſque ob cauſas eum nunc toties Dominus alloquitur, erigit, quodamq; veluti robore obſepit & circumuallat. Quin ſi rectè iudicare volumus, eo ipſo indicat etiam Dominus, quanta Ioſue modeſtia, quamque demiſſa de ſeipſo ſentẽtia fuerit, vti rectè notat fol. 20. Maſius.

Q. XII. *Quomodo eundem Ioſue confirmat Dominus?*

DVODECIM hic fere proponit Dominus, quæ firmando illius animo non parum valeant. *Primum* eſt, *Nullus poterit vobis reſiſtere, cunctis diebus vitæ tuæ.* At dicet aliquis, reſtiterunt multi, & B magnis copiis. Verum hic *reſiſtendi* vox Hebraicè valet ſtare, & quidem ita firmè, vt neque cadat, neque cedat quis. Hanc enim vim affert coniugatio *hithpael,* in qua hoc verbum eſt. Sed quàm diuturna hæc deiiciendorum hoſtium tanta felicitas? Quoad viueret Ioſue.

Quemadmodum in eius nomine, ſic & in vita Iſraelitarum, triumphorumque fauſtitas includebatur. vt ſciamus quoad viuit in nobis Chriſtus, noſque regit & ducit, nihil aduerſum C nos poſſe vllas carnis, mundi, tartarique phalangas, & bella quidem non defutura: ſed perpetuas in iis victorias, lauroſque ſemper virentes futuras. Neque enim abſonũ videtur, quod in quibuſdam carpit Maſius, eas calamitates rectè innui, in quas ſe Iſraelitæ, ſua ſocordia, & aduerſus Deum impietate, ipſi coniecerunt poſt Ioſuæ exceſſum. Quod enim obiicit primo, parum id conſentaneum eſſe prolixiſſimis illis Dei pollicitis, quæ ſummam terræ amplitudinem promittebant, facilè per inficiationem reiici- D tur. Nam pollicita illa cum conditione, vti dictum eſt q. 8. fuerunt: quæ quamdiu in viuis eſſet Ioſue, ſeruanda fuit: ideoque & quæ cum eâ connexa, coniunctáque erat felicitas. Hinc. n. illud Iud. 2. v. 7. *Seruierunt Domino cũctis diebus eius* (Ioſuæ) *& ſeniorum, qui longo poſt eũ vixerant tempore.* Obiicit ſecundo: Inſtar patris optimi erat Ioſue de futurâ Iſraelitarũ incolumitate ac dignitate ſolicitus. Ergo ei de futura Iſraelitarum prauitate, ac infelicitate nihil indicare debuit Dominus. Neganda eſt iſta concluſio. Primo E quidem, quia populi eiuſdẽ Princeps, Paterque optimus fuit Moyſes. Et tamen Deut. 31. v. 27. & 29. *Noui, quòd poſt mortem meã iniquè agetis, & declinabitis citò de via quam præcepi vobis: & occurrent vobis mala in extremo tempore,* &c. Deinde, magna conſolatio nunquid erat, populum hunc, etſi ad malum eſſet propenſiſſimus; toto tamen Ioſuæ ipſius æuo, in officio perſtiturum victoriiſque ingentibus potiturum? Tertiò, non certo prædicatur futurũ, vt illo è vita ſublato, peccent Iſraelitæ, miſeriiſque variis implicentur: ſed in- F nuitur tantùm: & certò affirmatur, eo ſuperſtite, nihil ſimile formidandum. Iam quartò hic ipſe innutus, curã ſemper & ſolicitudinem exſuſcitat & in iis qui regunt, & in iis qui reguntur: in Patribus & filiis. In illis quidẽ, vt legibus, inſtitutis, præceptiſq; optimis hos egregiè, in futurũ tẽpus, inſtruere ac ſuffulcire conentur: in his verò, vt illis pareant, neque omni cura & metu ſoluti viuant Epicuræè. *Alterũ* eſt. *Sicut fui cum Moyſe, ita ero tecũ.* Fons & origo ſuperioris omnis felicitatis monſtratur. Nam neque maius, neq; munitius, & beatius quidquã, quã eſſe nobiſcum

Digitized by Google

D e v m. Quod & à Poëtis ſubindicatum, quando Vlyxi Mineruam, Æneæ Venerem, heroibus aliis deos alios comites, & quaſi laterones adiungunt. Ariſtides in panegyrica oratione. ὥσπερ ἔφη πίνδαρος, θεοῦ δείξαντος ἀρχὰν, οὐδὲν δεῖ τὸ κωλῦον, Et aduerſus otij obtrectatores. θεοῦ δὲ φησὶ πίνδαρος, δείξαντος ἀρχὰν, εὐθεῖα δὴ κέλευθος, εὑρεῖν τὸ προκείμενον. Suidas verò θεοῦ παρόντος, ἅπαν ἄπορον, πόριμον. Vnde Adagium. *Deo præeunte nullus officit obex.* De hoc tamen in Ruth plura, dum illud, *Dominus vobiſcum* explicatur cap. 12. quæſt. 2. & ſequentibus. At non ſimpliciter cum Ioſue futurum ſe promittit Dominus, ſed comparatè, *ſicut fuit cum Moyſe.* Variis enim modis, quoad varia effecta eſſe poteſt D e v s cum aliquo. Fuit vero cum Moyſe quoad gratiam, familiaritatē, auxilium in Pharaonis aditu & Iſraelitarum ex Ægypto eductione Exodi cap. 4. in populi gubernatione, hoſtiumque debellatione. Quoad eadem, fuit etiam cum Ioſue, licet quoad familiaritatem, inferiore quodā modo. Nam Deuter. vlt. verſ. 10. *Non ſurrexit vltra Propheta in Iſrael, ſicut Moyſes, quem noſſet Dominus facie ad faciem in omnibus ſignis, atque portentis.* Eleganti illuſione ad æternum verbum, ſicuti & ſæpe alias, vertit Chaldæus: *ſicut verbum meum opem tulit Moyſi; ita etiam & tibi opem feret.*

Tertium. Non dimittam te, nec derelinquam te, confirmatio hic quædam, aut amplificatio potius ſuperioris rationis. Multi quandoque nonnullis eſſe ſolent amici, familiares, auxiliatores. Sed non ita multò poſt nulla, vel facili de cauſa eos deſtituunt. Non ita ſe cum Ioſue facturum promittit Dominus, quin conſtantem, & firmum in amicitia & ope promiſſa futurū. Idem & iiſdem omnino verbis, vniuerſo etiam Iſraelitarum populo promiſit Deuternom. 31. v. 6. Ex quo intelligimus primo, ab amicis temerè non recedendum: deinde in malis & aduerſis Deum nobis affuturum, vt hinc probat S. Chryſoſtomus, homil. 6. ad pop. Tertio cauendum ne eos nos præbeamus, quos, præter voluntatem, derelinquere debeat Dominus. Ab eo enim, ni ſiqui eum prius deſeruerit, deſeritur nemo, vt alicubi dixit S. Auguſtinus. Cùm à Rege Babylonio ad Ezechiam legati veniſſent, *dereliquit eum Dominus.* 2. Paralipom. 32. verſ. 31. *vt tentaretur, & nota fierent omnia, quæ erant in corde eius.* Sed ſi voluiſſet, in iſta, quam permiſit Dominus, tentatione ſtare potuit, neque à Domino, vel tantillum recedere. Aliud enim eſt nos à D e o, vt tentemur, aliquantulum relinqui, aliud ſimpliciter relinqui. Hoc, præterquam cum relinquentibus, non accidit.

Quartum. Tu enim ſorte diuides populo huic terram, pro quā iuraui Patribus tuis, vt traderem eam illis. Magnum fuit terram illam Iſraelitarum Patribus promittere: magnum ad eam tot tantiſque portentis & victoriis illos adducere. Quidni ergo etiam magnum in ea ipſos tanquam in hæreditate optima collocare, eaque in re D e i ipſius miniſtrum, quaſique vicarium agere? Talis verò futurus Ioſue hoc libro dicitur, idque aliis ſæpe locis, veluti amplum & inſigne quidpiam, repetitum eſt, Num. 34. 17. Deuteron. 1. 38. cap. 317. In Hebræo, tamen nulla hic ſortis mentio, ſed, *Tu hæreditare facies populum hunc terram.* Noſter tamen Interpres hoc ipſum, & amplius quid expreſſit, modum ſcilicet, quo in hæreditatem iſtam populum ille miſſurus eſſet. Quod ſi in terræ poſſeſſionem aliquos deducere tanti eſt, quanti obſecro in æternam cœlorum hæreditatem? Et ſi huius rei conſideratio tantos ipſi Ioſuæ, in tantis rerum periculis & moleſtiis, animos facere debet, quantam è fine ſibi propoſito conſolationem capient, quibus vnum hoc munus & cura, vt cœleſtium hæredes bonorum quàm plurimos conſtituant? Ex iſto loco vberem conſolationis materiam Angelum illum, qui mœrentē & afflictum in horto, id eſt in ipſo eius paſſionis veſtibulo, I e s v m noſtrum conſolatus eſt, ſumpſiſſe docent boni Auctores. Iurauerat verò de terrâ iſtâ Dominus Geneſ. 12. & 15.

Quintum. Confortare igitur, & eſto robuſtus valdè, vt cuſtodias & facias omnem legem, quam præcepit tibi Moyſes ſeruus meus. A fine ducitur confirmationis huius argumentum. Eam enim ob cauſam forti eſſe animo Ioſuam oportet, quia ipſi cuſtodienda & facienda vniuerſa Moyſis lex, vti particula, *Vt*, demonſtrat, & Græcorum infinitiui φυλάσσειν καὶ ποιεῖν, itemque Hebræorum, *ad cuſtodiendum, ad faciendum.* Sed hoſce duos opinatur Maſius ita ſumendos, vt in priori poſterior concludatur ſic. Prorſus eſto fortis & firmus valdè, vt obſerues agere ſecundum vniuerſam legem. quia ſequēti verſ. 8. dicitur Hebraicè *propter cuſtodire ad faciendum.* Melius tamen ſubintelligitur copulatiua particula *&*. Eam enim cenſuerunt inſerendam ipſi Septuaginta, & Latinus Interpres: Hebræique illi, qui ad diuerſa infinitiuos duos iſtos referunt, vt R. Gerundenſis: cui *obſeruare* hic eſt *à vetitis cauere: facere* verò ad ea, quæ agenda præcipiuntur, pertinet. Quin & alibi eadē in Hebræo inter eadem duo verba inſeri ſolet coniunctio vt Deuter. 7. verſ. 12. Et quoad ſententiam attinet, *Eſt*, inquit Maſius, *obſeruare agere, idem, quod animum attendere ad agendum, operamque dare, ne quid eorum omittatur, quæ lege præcepta ſunt.* Rectè hoc quidem: ſed ſi cum Latinis Græciſque Interpretibus copulationem retinemus, nonne ipſa verborum idem veluti ſignificantium geminatio vim eandem affert? Hic igitur obſeruemus ſex. *Primum,* cur, qui in alios dominantur, forti, celſoque præ cæteris animo eſſe oporteat. Nempe oportet ipſos non id tantummodo ſatagere, vt populum quoquo modo coerceant, prudentia quadam humana, metuque aut præmio ad ea, quæ ſola iis temporaria mala detrahant, eiuſdémque generis bona concilient, agendum inflectant, ſed multo magis, vt lex Domini, & quidem vniuerſa præ omnibus vigeat: hanc ipſe in ſeipſo penitus exprimat: hanc ſeruari ab omnibus quàm diligentiſſimè ſtudeat. Vnde *duplex* hinc *error* eiicitur. *Vnus* eorum, qui de fidelium, Chriſtianorumque Principum principatu, eorumdemque fine nihil ſublimius, quàm de Gentilibus, & iis, quos ſola doceat natura, ſentiunt. quaſi ſatis ſit, furta, rapinas, iniuriaſque alias propulſare, pacem, tranquillitatem, caducarumque rerū omnium affluentiam procurare, nullā verò aut fortè perexiguam fidei, legumq; ſuprà naturā aliquantulum

Digitized by Google

lum nos euehentium rationem ducere. Eſt tamen longè aliud *eſſe* tantummodò *Principem*, & *eſſe Christianum Principem: eſſe Regem*, & *eſſe Chriſtianum Regem.* Et tamen etiam illi aut Ethnico, aut mere naturali Principi perſuaſum volunt ſapientes, virtutis & eorum omnium, quæ ad verum hominis finem, extremumque bonum ducant, rationem habendam maximam. Legatur Philoſophus lib. 1. Eth. 9. lib. 5. cap. 1. Lib. 7. Polit. 1. 13. & 14. Plato. lib. 1. & 4. de legibus in Epinomide, & alibi. Plutarchus tom. 3. opuſc. in principio, & tom. 2. de ijs, qui tardè corripiuntur à numine; Demoſthenes ſub finem orationis contra Ariſtogitonem. Iſocrates ad Nicoclem, Hippodamus Pythagoræus lib. de felicitate. poſſuntque huc accerſi quæ apud D. Thomam 12. quæſt. 92. de generali legum fine ſolent diſſeri, & à Iuriſconſultis nonnullis diſſerta ſunt. Nauarro lib. de finibus actuum humanarum, Epone, & Garcia Fortunio. *Alter* verò *error*, & multo quidem tetrior ac deteſtabilior eorum, qui Chriſtiani videri cùm velint, Chriſtianam tamen funditus religionem euertunt. Ii à quibuſdam *Politici*, à pluribus *Machiauelliſtæ* vocantur; & exiſtimant id vnum Principibus agendum, vt opes ac imperium quàm munitiſſimum, ampliſſimumque reddant, non tamen vero, ſyncero, caſtoque Dei cultu, fide, ac religione: ſed fictâ ſimulata & quidem ea qualicunque, quam ſcilicet populo placere, ac in vulgus plauſibilem ſenſerint. O impios! O hypocritas! Præſcribit hic Ioſuæ Dominus, & per illum Ioſuanis, ſiue Chriſtianis Principibus omnibus, vt magnos, virileſque prorſus animos induant, idque illo ſcopo ac fine, vt ipſi per ſe, perque ſuos ſubditos, vniuerſā Dei legem ac diſciplinam, ſartam, tectamq; cuſtodiant. Obſeruemus *ſecundò*, non immeritò, ad talem tamque inſignem ſcopum, fortitudinem præcipi. Nam verè difficilia quam plurima, laborioſa, & permoleſta incidunt. Eſt ipſa populorum infirmitas, ſola plerumque terrena ſpectantium, multorum ab omnibus, quæ paulò celſiora ſunt, tergiuerſatio, in virtutum officijs tarditas & murmuratio. Sunt maledicæ multorum linguæ: ſunt occultæ ſeditiones, inimicitiæ, inſidiæ, Quid horum in ijs, qui veteri, ſanctæ Catholicæque religioni reſtituendæ; operam, hoc tempore, nauant, non videmus: Sed vicerunt iam iſta omnia fortiſſimè aliqui. Vincit & nunc, atque, vti diuina ſperare iubet gratia; peruincet magnus in ſua Styria, Carinthia & Carniola Ioſuæ imitator, optimorum parentum optima proles, heros fortiſſimus, doctiſſimus, religioſiſſimus, FERDINANDVS Archidux. Obſeruemus *tertiò* non ſolùm hic Ioſuæ dici, vt forti & corroborato animo ſit, ſed duo in Hebræo adijci aduerbia, quæ vim vtique magnam adijciunt, eorumque alterum eſt, VALDE, alterum noſter, & ante ipſum Septuaginta verterunt, IGITVR. Quod verti etiam poteſt, *prorſus, omnino, duntaxat.* Obſeruemus *quartò*, legis obſeruationem requiri, non quo ad aliqua tantum, ſed quo ad omnia vti Deuter. 6. verſ. 2. *Quicunque totam*, ait, S. Iacobus cap. 2. verſ. 10. *legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus.* quo de loco pulchra S. Auguſtinus

Ioſue.

A epiſt. 29. & 102. Eſt verò id propter eos conſideratione dignum, qui vnam vel alteram hæreſin in ſe, vel in populo tolerabilem exiſtimant: non laborant, ſi in vno vel altero dogmate diſſenſio ſit. At quomodo Catholica fides fuerit, ſi omnium quæ rectè illa proponit, non ſit aſſenſio? De hac certè ſuo in Symbolo ſancit S. Athanaſius. *Quam niſi quiſque integram, inuiolatamque ſeruauerit, abſque dubio in æternum peribit.* Verum, vt vniuerſam legem ſeruet quis, fieri num poteſt? De hoc ambigere Chriſtiani no-
B minis hominem vllum, mirabitur; qui Dominum illud velle ac præcipere viderit. Num vult, vt quod fieri non poteſt, faciamus? Num vt vniuerſum aliquod pondus humeris feramus præcipit, cuius aliquot tantum pondo parteſque poſſumus? Sanè, ſi vel imprudens Dominus, vel importunus ac Tyrannicus eſt. Neque tamen propterea efficitur, vt nunquam vel tantillum peccemus. Nam etiamſi ab officio aliquantulum aliquando diſcedat, ſiue præter officium potiùs agat aliquid vir bonus, legum ta-
C men nullam contemnit, ſed ex ignorantia, vel infirmitate, ita tantummodo delinquit, vt publicè interim lex vigeat, de ſuo illo delicto ſtatim doleat, idque corrigat, & precibus veniam, firmioremque DEI gratiam requirat. Obſeruemus *quintò* ita de lege loqui DEVM, quaſi eius eſſet auctor Moyſes, & ob ipſius auctoritatem cuſtodiri deberet, cùm miniſter ille tantummodo fuerit. Sed hæc erga ſeruos ſuos DEI bonitas eſt, vt cum eorum opera & miniſterio vtitur, ijs auctoritatis quàmplurimum conciliet.
D Cogitare igitur licebit, quid obedientiæ debeat religioſus homo diſciplinæ ſuæ conditoribus: ſed cuſtodiat & faciat, quæ ipſi præcepit DEI ſeruus S. Antonius, S. Baſilius, S. Benedictus, Franciſcus, Dominicus, Ignatius. Quid cùm ipſa quidpiam præcipit Eccleſia? Obſeruemus *ſextò* Dominum non dixiſſe, *quæ vobis præcepit Moyſes: ſed quæ tibi.* Etſi enim reuera omnibus dentur leges & præcepta, ea tamen ad ſe præcipuâ quadam ratione ſpectare debent Principes, & præpoſiti alijs omnes exiſtimare. In ipſorum
E enim vita, exemplo, & cura legum omnium vita eſt. Si eas ſeruent ipſi, ſeruabunt & ſubditi. Si ſeruantibus eas præmia, ſi violantibus, pœnas conſtituant, vigebunt ac ſpirabunt ipſæ in omni hominum cœtu, ordine, ſexu, ac ætate.

Sextum. Ne declines ab ea ad dextram, vel ad ſiniſtram, vt intelligas cuncta, quæ agis. Primò ſciendum, videri poſſe alicui ſcriptum hic fuiſſe. *Ne declines ab eo*, ſcilicet Moyſe. Quia in Hebræo non eſt *fœmininum*, prout Deut. 17. verſ. 18. & 19.
F *ſed maſculinum*, ſicque interpretatur R. Dauid. Et exinde colligeretur iterum, quanta Moyſis virtus, & auctoritas fuerit, & qualis etiamnum eſſe debeat iam ſuperiorum omnium, vt ab ijs ne tantillum quidem abeant ſubditi. Retineri tamen debet, quod in Latinis libris omnibus video *ab ea*. Quia ſi de Moyſe ageretur, maximè ob legem, cuius adminiſter fuit, ageretur, quaſi eſſet, *ab eo legem præcipiente.* Ideoque dum ab illa non diſceditur, neque ab hoc diſceditur. 2. quia Maſoretæ fatentur hic maſculinum pro fœminino poſitum. 3. quia Septuaginta dixerunt

Digitized by Google

ἀπ' αὐτῆ ſcilicet ἐνταλμάτων non declinādum. Nam antea poſuerant verbum ἐντείλατο in quo includuntur ἐντάλματα, id eſt, *præcepta*. Secundū cenſet Ralbag *ad dexteram* eos *declinare*, qui de ſuo aliquid diuinæ legi addunt, *ad ſiniſtram* verò, qui detrahunt. Sed latiùs patet ea loquendi formula. Significat enim primò quidem ipſius vitæ rectæ deſertionem, deinde alterius cuiuſcunque acceptionem, ſiue quemcunque ab illa deflexum ad vtrumlibet latus, ſiue id fiat, ob aliquid quod vtile, iucundum, imò etiam quod bonum, Deo que gratum videtur, *ſiue* ob detrimentum aliquod, dolorem & cruciatum, voluptatem, & impietatem. Illud enim omne per *dextram*, iſtud per *ſiniſtram* ſignificatur. Via enim præceptorum Domini directa, maximeque compendiaria eſt. Si ab ea deflectitur, in obliquam ilico venitur, quemadmodum apud Geometras, dum à duobus propoſitis punctis minimum aſcendit aut deſcendit linea. Eſt verò iſtud in ſcriptura vſitatiſſimum prouerbium Geneſ. 24. Num. 20. & 22. Deut. 2. 5. 17. 28. hîc & infrà cap. 23. 1. Reg. 6. & 14. 2. Reg. 2. & 14. 4. Reg. 22. 2. Par. 34. Prouerb. 4. Iſai. 30. 2. Cor. 6. Neque verò *ad dexteram* illi declinant, qui præter Dei verbum, ſacras etiam Apoſtolicaſque traditiones, aut religioſæ cuiuſdam diſciplinæ formulas retinent. Illi enim rectam viam non deſerunt, ſed in eam ſemper inſiſtunt: & illis ipſis aut traditionibus, aut pijs viuendi formulis in ea ſeſe firmant, vel vt ne ab ea vnquam excidere: vel vt in ea expeditius procurrere ſemper poſſint. Tertiò, cauſa vna moniti huius ſubditur, *vt intelligas cuncta, quæ agis*. Chaldæus & ferè Rabbini vertunt, *vt proſperè agas in cunctis, quæ agis*. Sed Hebræum verbum etiam valet prudentem eſſe, beneque rem intelligere. Sicque etiam hîc acceperunt 70. Et verò vnde vera proſperitas, rerumque agendarum felicitas, niſi à vera prudentia, quæ carnalis non eſt, neque tantummodo humana, ſed diuina etiam, è Dei ſcilicet gratia, ſacræque ipſius doctrinæ fontibus, & ſanctorum illius ſeruorum monitis & exemplis hauſta & deriuata? De hac illud vatis neſcio cuius haud vanum.

Nullum numen abeſt, ſi ſit prudentia tecum.

Vt igitur hæc obtineatur, eiuſque comes ac vmbra felicitas, in Domini legibus perſiſtendum, neque aut dextrorſum aut ſiniſtrorſum ab ijs vellatum, vt aiunt, vnguem, aut pilum deflectendam. *Agendi* verbum hic à 70. & noſtro poſitum pro Hebræo *ambulandi* tropo, qui etiam Deut. 29. verſu. 8. propriè per *facere* in Hebræo exponitur.

Septimum. Non recedat volumen legis huius ab ore tuo. Sed cur *ab ore*, non vt Prouerb. 3 verſ. 21. *ab oculis* non *de manibus* librum hunc deponi vetat? Reſpondent aliqui, *os* per ſynecdochen pro facie, vel etiam homine toto poni. Sed pari adhuc modo potuiſſet oculos & manus dicere. *Os* igitur dixit. Primò quia eam actionem, qua exterius à beſtijs deferimus, maximè, ſignificauit omni ſtudio conformandam, & è diuinæ legis præſcripto moderandam. Mors enim & vita in manu linguæ, Prouerb. 17. 21. Si *os* benè regitur, reguntur & cætera benè omnia. *Si quis*, ait S. Iacobus cap. 3. verſ. 2. *in verbo non offendit, hic perfe-*

A *ctus eſt vir, potens etiam fræno circumducere totum corpus.* Secundò. Voluit etiam Dominus iudicatum, oportere in corde legem ſuam eſſe penitus affixam & impreſſam. Si enim ab ore non debet volumen hoc recedere, neque à corde ipſo debebit, quia vt ait Matth 12. verſ. 34. Dominus, *ex abundantiâ cordis, os loquitur*. & rectè veterum quidam dicebat τὸν λόγον εἶναι τῦ νόου ῥύσιν, *orationem eſſe rationis fluxum*. quòd ab eâ, quaſi à fonte aut vaſe quodam pleno effluere illa ſoleat. *Cor ſapientis* ait Prouerb. 16. 23. Sapiens, *erudiet os eius,* B *& labiis eius addet gratiam*. Tertiò. Principibus viris præcipuè conſentaneum, vt eorum oratio, & quodlibet pænè verbum ac ſyllaba rectè, ſcienter ac ordine proferatur, quia ſemper ab eâ pendet plurimum, eam expendunt & longè lateque differunt omnes. & ex ea, de ipſius ſapientia, moribus, & auctoritate, iudicium fit. At verò, *fieri qui poteſt, vt ab alicuius ore non recedat legis volumen?* Satis quidem conſtat per *volumen*, non ipſam aut membranam, aut papyrum, & atramentum, intelligi: Sed res in eo præſcriptas: cùm ta- C men tam ſæpe & dormientibus & vigilantibus tacendum ſit, quando verò loquendum, alia ſæpe, quæ quotidianus vſus affert, loquendum ſit, quomodo eſſe ſemper in ore poteſt volumen hoc; Duobus modis alicui dicuntur aliqua eſſe *ſemper* vel *in ore*, vel *in pectore*. Primò ſi *ſemper, quando oportet*, aut *decet*. Secundò ſi *quam frequentiſſimè*. Ita enim docent tot aliæ ſimiles loquendi formulæ, ipſique literarum Magiſtri. *Frequentiſſimè* verò eſt, cùm modò ipſa Dei lex laudatur, mox ex ea diſcitur & dicitur, docetur & mo- D netur quidpiam: modò de eâ etiam quæritur ac diſſeritur. Et iſta ſane Regibus & Principibus omnibus modo quodam, de quo poſteà, conueniunt omnia. Sed eſt modus alius, quo *ſemper* hic in alicuius ore liber eſt, ſi videlicet quidquid loquitur, è libri huius regulis loquatur, quandocunque tacet, conuenienter huius libri præceptis taceat. Et ſic Pſal. 118. 43. *Ne auferas de ore meo verbum veritatis vſquequaque*. Verùm ex Hebræo noua rurſum oritur quæſtiuncula. In illo enim eſt. *Non recedat liber legis iſte ab ore* E *tuo*. ita vt non liber legis quilibet, ſed *iſte*, vnus videlicet certus & demonſtratus ori mandandus ſit. Ita è Rabbinis cenſent nonnulli, & eum librum fuiſſe aiunt vnum illum, quem Ioſue, cùm eū affaretur Dominus, ante pedes habebat: vel quem pro vexillo manibus geſtare conſueſſet, tumque temporis manu tenebat. Nihil tamen figmentis iſtis opus. *Liber iſte* demonſtrat ſpeciem, non indiuiduum. Idque vt clarius docerent Interpres noſter & Septuaginta, verterunt, *volumen legis huius*, non verò *volumen le-* F *gis hoc*.

Octauum. *Sed meditaberis in eo diebus ac noctibus; vt cuſtodias, & facias omnia, quæ ſcripta ſunt in eo.* Finis ad quem perpetuum diuini voluminis in ore domicilium, & nocturna, diurnaque aſſidua eius meditatio referri debet, hic proponitur. qui perfecto eſt, non vt, quemadmodum hæretici noſtri; noua cudat dogmata, quemadmodum Iudæi, veteram perfidiam propugnet, quemadmodum ex omnium hominum genere nonnulli; cum omnibus & de omnibus decertet, omnibus anteponatur, monſtretur digito,

ac dicatur

& dicatur *hic eſt:* ſed vt ſecundum illius præcepta viuatur, ad eius amuſſim diligenter & accurate, facta, dictaque, & cogitata omnia dirigantur. *Non auditores legis iuſti ſunt apud* DEVM*: ſed factores legis iuſtificabuntur*, Roman. 2. 13. At non minus vere quàm ſcitè à Rabbinis in tractatu *Sanedim* cap. 17. dictum eſt. *Qui ſacras litteras legit, neque quod legit, ad actionem confert, ſimilis ei eſt, qui crebrò ſeminat, metit nunquam: itemque mulieri, quæ parit ſæpe: ſed natos ilicò ſepelit: demum cantori, qui diem totum canit, neque poſtea quidquam habet.* Similis etiam diſputatio in alio eorundem Rabbinorum libro, qui *Tſeror hammor*, id eſt, *faſciculus myrrhæ* inſcribitur. Eſt verò ad legum cuſtodiam, & rerum aliquarum effectionem vtiliſſimum quid, *meditatio*. Hæc enim obliuionem obrepere vllam non ſinit: animum ad agendum, ipſaque adeò corporis membra exſuſcitat: in vigilantibus quidē ſemper, in dormientibus etiam interdum, vt veriſſimum illud videatur πάντα μελέτη δύναται. *Omnia poteſt meditatio*. In re militari commendatur à Plutarcho Philopoemenes, quòd in ipſis etiam itineribus de prælijs, rebus, locisque ad aciem aptis perpetuò cogitaret, ſummamque bellicæ rei peritiam, & laudem, victorias, & trophæa exinde plurima conſecutum narrat. Quid igitur faciat, cui Domini lex meditatio? Hebræorum verò verbum quibuſdam videtur ſignificare *ſermonem*, & per tropum, ipſam *cordis cogitationem*, quæ ſermo quidam eſt. At verò potius ipſā iſtā cogitationē primariò ſignificat: tumque ad primum eius effectum, orationem ſcilicet transfertur. Solet enim ferè ſeria & acris meditatio in verba prorumpere, adeò, vt qui etiam ſoli ſunt, vocem ſæpe non contineant, vt in ſe ipſo notauit S. Auguſtinus lib. Confeſſ. in philoſophantibus ipſe etiam Lucianus. ſicque factum, vt in ſcripturis quandoque meditari dicantur *os & lingua* Pſal. 34. & 36. 70. 124. Iſa. 59. verſ. 3. Sed *vt noctes & dies meditetur quis, fieri non poteſt?* Eadem hic reſponſio eſt, quæ paulò ante fuit, dum quemadmodum fieri poſſet, dictum eſt, vt ab ore alicuius nunquam recederet legis liber. Omnium enim vſu contritum hoc prouerbium, quo etiam dicebat Poëta,

——— *Vos exemplaria Græca*
Nocturnâ verſate manu, verſate diurnâ.

Et Dauid noſter Pſal. 1. *In lege eius* (Domini) *meditabitur* (iuſtus) *die ac nocte*. At ſi in lege Domini, eiuſque libro tanta meditationis eſſe debet perpetuatio, quis quæſo locus, & quod tempus alijs legendus erit? An Poëtarum, Oratorum, Philoſophorum, aliorumque tot, & tam varij codices omnes abijciendi? Senſiſſe ita videtur in *Thalmud* Babylonio, tractatu Menachoth, ſeu de oblationibus veſpertinis ac farinaceis cap. 11. fol. 99. b. 41. R. Iſmael. A ſororis enim filio rogatus poſteaquam Moyſis legem ſatis edidiciſſet, poſſetne temporis aliquid Gentilium ſcriptis tribuere? reſpondit; *velle* DEVM, *vt noctes atque dies legi ſuæ impendamus*. Diſpiceret igitur omnes temporis partes, horaſque omnes numeraret: & ſi quidem extra diei noctiſque ſpatium aliquem inueniret, eam ſanè in Gentilium lectionem conferret. Argute. Et leguntur ſimilia in Thalmude Hieroſolymitano in *Ioſue*. tractat. *Peah* & *Sutah*, itemque in R. Azaria lib. 3. **A** *Meor henaim* cap. 2. fol. 39. b. Neque verò è Chriſtianis nemo fuit, cui eadem hæc arrideret ſententia. ſed à doctis viris nuper Eſpencæo, & Poſſeuino, quondam verò à D. Baſilio, D. Auguſtino, D. Hieronymo egregiè confutata. Et quidem R. Samuel Nehmanni filius, vt in eodem Babylonij Thalmudis loco ſubditur; & R. Ionathan in Tractat. Menachoth cap. 11. fol. 99. b. tantæ meditationis hic *non præceptum*, ſed *benedictionem* eſſe ait, noſtri hodie *conſilium* dicerent, id eſt, non violati præcepti reos eſſe, qui non fa- **B** ciunt; ſed melius agere, ideoque benedictionem & præmium conſequi eos, qui meditationi ſe tali dederent. Et ſic Propheta Pſalmo citato. *Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum: ſed in lege Domini voluntas eius: & in lege eius meditabitur die ac nocte.* Adiungitque, quibus adhoc inuitet, vtilitates præclaras, de quibus paulò poſt & Pſ. 118. *Adiuua me & ſaluus ero: & meditabor in iuſtificationibus tuis ſemper. Quomodo dilexi legem tuam Domine? Tota die meditatio mea eſt.* Cui verò ab occupationibus, rebuſque ſuis otij tantum non **C** eſt, vt adeò aſſiduè cogitatione iſta pertractet, quid agat? Certum eſt, varios eſſe hominum ſtatus, artes, occupationes. Poſſunt tamen omnes, primò tempus iſtud, quod huic rei à DEO vel Eccleſia præfinitum eſt, impendere, vti olim fuit *ſabbathum* prout ſcribit lib. 2. contra Apionem Ioſephus, adeò vt ſuos Iudæos dicat, Dei leges in animo penitus inſculptas habuiſſe, meliuſque eas memoria, quam nomina etiam ſua propria tenuiſſe: hodie apud nos *Dominicus* eſt, alijque *feſti dies*. Deinde verò, tantis laboribus, curis, **E** negotijs ſeſe nè prudens vllus implicet, vt è ſingulis aut diebus, aut noctibus tempuſculi aliquid, etiamſi per exiguum idipſum ſit, tam vtili, laudatæque meditationi dare non poſſit? Vide ſi placet, quæ de humanarum actionū omnium meditatione generatim è ſeptem Sapientibus Corinthius Periander tradit apud Auſonium: Ad eam verò rem aptiſſimum tempus cenſet S. Chryſoſtomus *nocturnum*, quando mortales alios, cæteraque animalia omnia ſilentium habet altiſſimum. Nam & media nocte ſurgebat **E** Dauid ad confitendum nomini Domini, Pſalm. 118. 62. Sed quia feſſos ſomnus interdum complectitur arctius, quàm vt ſurgere tum poſſint, laudem etiam non paruam habet *matutinum*. *In matutinis*, ait idem Dauid Pſal. 62. *meditabor in te.* Neque verò alienum omnino eſſe *veſpertinum* tempus, demonſtrat Iſaac, qui Gen. 24. verſu 63. egreſſus fuerat ad meditandum, inclinata iam die. Neque enim Nebriſſenſi quinquagenæ capite 28. aſſentiri queo, actum corporis eo in loco potiùs quàm mentis cogitationem intelli- **F** gi. Cauſam verò illic attuli. Sed cùm Principum, Regumque, & Imperatorum tot & tantæ ſint occupationes, næ magno illi ſemper in precio & laude meritiſſimò fuerunt, qui ſacræ diuinorum librorum lectioni ac meditationi plus quiddam operæ tribuerunt. In his è noſtris fuêre complures. Nam *Conſtantinus Magnus* apud Euſebium libro 1. de ipſius vita capite 26. omni cura & cogitatione, poſteaquam Chriſtianorum ſacris initiari decreuiſſet, hoc in ſtudium incubuit, idque ſatis patuit in Concilio Nicæ-

Digitized by Google

no, vbi & doctiſſimam orationem habuit. Vn-
de & Porphyrius Poëta ei ſcribebat. *Inter belli*
paciſque virtutes, triumphos & laureas, legum ſan-
ctiones & iura, etiam Muſis tibi familiaribus adeò va-
cas, vt inter tot diuinæ maieſtatis inſignia, quibus in-
nictus ſemper in primis es, huius etiam ſtudij in te mi-
cet ſplendor egregius. Hungarici regni auctor *S.*
Stephanus, etiam adoleſcens mira ſacrarum litte-
rarum cupiditate flagrabat, vti de eo narrat
Chartuitius. Epiſcopus. Diſertiſſimus verò
ſcriptor Oſorius libro 6. de inſtitutione Regis.
Numquam, ait, *ſatis laudare potero multos Luſitaniæ*
Principes, qui temporibus illis incultis, in quibus om-
nia præclara ſtudia ſepulta eſſe videbantur, multum ta-
men legebant, quod eorum conciones, quas in annales
tranſlatas legimus, plenæ Philoſophorum ſententiis fa-
cilè declarant. In litteris autem ſacris ſummo ſtudio
verſabantur: ita vt ſi quid ab illis latinè ſcribendum
eſſet, eodem planè ſtylo ſcriberent. Veluti Rex Alphon-
ſus primus regni huius conditor, cuius diuina virtus
cum admirabili ſapientia coniuncta, meritò eſt in omni
æternitate celebranda. Is igitur, cùm Scalabim vrbem
ſitu, & arte munitiſſimam, & militum multitudine,
& vigilum diligentia, & præfectorum vigilantia defen-
ſam: centum & viginti tantùm hominibus fortiſſimis
ſtipatus, nocte vna cepiſſet: & vrbis ſitum, & regio-
nis fertilitatem, & expugnationem illam non incom-
modè litteris Latinis complexus eſt: ita tamen vt ap-
pareat illum ex ſanctis litteris non viuendi tantum
diſciplinam, ſed dicendi etiam ſtylum & rationem
percepiſſe. Quid *Carolus Magnus*? Fuit earundem
adeò litterarum ſtudioſus, vt quemadmodum
10. epiſtola ad ipſum ſcribit Albinus, *ex eo So-*
phiæ flumina manarent, & eruditionis cacumen præ-
fulgeret: idemque difficillimas ab illo quæſtio-
nes poſitas doctiſſimis reſponſis enodaret. Vn-
de admirabundus tomo 9. anno Domini 778.
ait Reuerendiſſimus & illuſtriſſimus Baronius.
Planè miraculum videri potuit, hoc ſeculo rudi inue-
niri Regem adeò excultum ſacris litteris, & in procin-
ctu ſemper poſitum Principem velut ocioſum de rebus
diuinis philoſophantem, vt planè quem Magnum titu-
lo merito dicunt, ipſe iure ter Maximum appellarim,
nempe bellicâ fortitudine, ſcientia, & pietate. Et qui
temporibus illis Treuirenſis Chorepiſcopus
Imperatoris *Ludouici* res geſtas commentario
illigauit, *Theganus*, poſteaquam hunc à Patre
Carolo ipſo coronatum, & varijs de pietate, re-
ligione, ac iuſtitia præceptis inſtitutum, & in
Aquitaniam profectum retuliſſet, ſubiungit. *Im-*
perator (Carolus) *nihil aliud cœpit agere, niſi in ora-*
tionibus & eleemoſynis vacare, & libros corrigere.
Nam quatuor Euangelia CHRISTI *quæ intitu-*
lantur nomine Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis, in vl-
timo, ante obitus ſui diem, cum Græcis, & Syris opti-
mè correxerat. Et verum quidem eſt, quod hoc
loco notauit Chytræus, eundem Carolum ad
pſalmodiam in templis acceſſiſſe, & vnâ ceci-
niſſe, & filijs ac Principibus lectiones canen-
das diſtribuiſſe (Nam & in ipſius vita hoc ipſum
teſtatur Eginhardus) ſed eum miror hæreticum
addere hæc: *Is Carolus Magnus latè in has regiones*
Saxonicas religionem Chriſtianam primus propagauit.
Nam id cùm veriſſimum ſit, nonne ſeipſum &
Saxones ſuos triſtiſſima damnat ſententia, quod
ab ea ipſa religione, ijſque ſacris, quæ ille pri-
mus eas in oras aduexit, turpiſſimè iam diſceſ-

A ſerint? Pergit tamen. *Et pleraſque in hac inferiore*
Saxoniâ, & VVeſtphalia Eccleſias & Epiſcopatus ſuo
ſumptu condidit. Sanè. Sed cur eæ iam euertun-
tur, earum opes, vel in Principum fiſcos, vel in
alios certè vſus, abuſus ac fides, quam quarum
cauſa, illas ille condiderat, per nouarum hære-
ſeon placita, ſacrilegè abripiuntur? Scilicet è
pijs, maximiſque Chriſtianorum Principum
heroibus, neminem Nouatores iſti, niſi turpiſ-
ſimam ſibi, quòd ab illis degenerarint, labem
inurant, laudare vmquam poſſunt. De Impe-
B ratore Alexio Comneno ſcribit, qui eum diſpu-
tantem bis audiuit, Euthymius Zigabenus in
Panopliæ ſuæ principio, eum cum hæreſes ſuo
in Imperio Græco graſſari varias videret; inſi-
gnem ſacris nauaſſe litteris operam. *Cum à pu-*
blicis, inquit, *grauiſſimiſque Reipuq. muneribus, &*
curis ſupereſſet aliquid temporis, id omne in diuinarum
ſcripturarum voluminibus accuratè perlegendis conſu-
mebat, deque iis cum viris eximiis, quorum egregia
multitudine Regia ſemper referta eſſe ſolet, colloque-
batur, approbatos imprimis ſermones colens: quorum in-
C *genti quodam amore animus eius ardebat.* Præclarum
verò, & pænè dignum ſtupore, quod lib. 2. ſcri-
bit Panormitanus. *Arragoniæ Regem Alphonſum,*
quater & decies, cum Gloſſis, & Commentariis ſacra
Biblia perlegiſſe. D. Philippo II. Hiſpaniarum
Rege Gallus hiſtoricus Petrus Matthæus ſcri-
bit lib. 1. hiſt. Franciciæ pacis pag. 64. hiſce quæ
è Gallico tamen tranſlata; verbis: *Illius exerci-*
tationes, erant vel in Bibliorum lectione, per quam lo-
quitur Deus hominibus, vel in precibus, per quas Deo
loquuntur homines. E veteri autem inſtrumento
D quid hoc in genere *Dauid* fecerit, oſtendunt luce
meridiana clariùs ipſius Pſalmi, præſertim
CXVIII. Et pios alios Reges ac Principes omnes
ei morem geſſiſſe præcepto, quod Deut. 17. fi-
xum eſt, negare quis poſſit? Libet vero, quia huic
ipſi, in quo iamdudum verſor, loco valde con-
iunctum eſt, idipſum recitare, & de eodem pau-
cula notare. Sic habet verſ. 18. *Poſtquam ſede-*
rit (Rex) *in ſolio regni, deſcribet ſibi Deuteronomium*
legis huius in volumine, accipiens exemplar à Sacerdo-
tibus Leuiticæ tribus, & habebit ſecum, legetque illud
E *omnibus diebus vitæ ſuæ, vt diſcat timere Dominum*
DEVM *ſuum, & cuſtodire verba, & cæremonias eius,*
quæ in lege præcepta ſunt. Nec eleuetur cor eius in ſu-
perbiam ſuper fratres ſuos, neque declinet in partem
dextram vel ſiniſtram, vt longo tempore regnet ipſe, &
filius eius ſuper Iſrael. Tria vero hiſce verbis aut
quatuor Regi præcipiuntur, & deinde præcep-
torum iſtorum fines oſtenduntur. Ex iis quæ
præcipiuntur, *primum* eſt, vt ſibi legis Deutero-
nomium deſcribat Rex. Alienanè manu an pro-
pria, non dicitur, & vtrumlibet licuiſſe opinior.
F Primo, quia quæ per alios facimus, facere & ipſi
dicimur, vt habet Iuris regula: in iſtis videlicet,
quæ exteriorem tantùm operam, non autem
mores proprios attingunt. Deinde quia Rab-
bini apud Rambam lib. 14. qui *Sophetim* ſeu *Iudi-*
ces vocatur, in vltimo tractatu, qui de Regibus
& præliis eſt, ca. 3. & 4. tradunt, duos legis libros
Regem habere debuiſſe. Vnum in theſauris,
gaziſque ſuis: alterum, ſemper in promptu, &
ſignificant potuiſſe Regem libros iſtiuſmodi à
maioribus accipere, ijſque vti, quaſi deſcripſiſ-
ſet ipſemet. Textui tamen conſentaneum ma-
gis

Digitized by Google

gis cenſerem, ſi eam ipſemet operam ſumeret. Nam primò ſic textus verba ſimpliciore, candidioreque ſenſu accipiuntur, & ſatisfit primæ ſtatim cogitationi, quæ ex iiſdem verbis legenti cuilibet, occurrit. Deinde magis cum præceptorum iſtorum fine congruit, qui horum memoriam perpetuam requirit. Quæ enim ipſi ſcribimus, ea multò firmiùs ac tenaciùs memoriæ infigimus, quàm quæ tantummodo legimus, quia, vt rectè S. Ambroſius epiſtola 45. notauit, *non ſolum auribus, ſed etiam oculis ea ponderamus, quæ ſcribimus.* Ideoque quamuis Amanuenſibus vti potuiſſent, pios tamen Reges ſua ipſorum manu diuinam legem interdum exſcripſiſſe crediderim, quemadmodum & è noſtris fuerunt quidem. Nam præter alios, de quibus ſuprà, teſtantur hiſtoriæ, Anglorum Regem *Alfredum* omnes teſtamenti noui libros ſua ipſius ſcriptione bis abſoluiſſe. *Alterum*, quod præcipitur, eſt, vt exſcribat legem Rex, non eſt quolibet, aut cuiuſlibet exemplari, ſed ex eo, quod *penes Sacerdotes Leuitas* erat. Id verò quale fuit? & cur ita mandatum? Ad prius videtur reſpondendum, fuiſſe ipſum Moyſis autographum, quia Deuteron. 31. verſu 24. ita legimus; *Poſtquam ergò ſcripſit Moyſes verba legis huius in volumine, atque compleuit, præcepit Leuitis, qui portabant arcam fœderis Domini, dicens: Tollite librum hunc, & ponite eum in latere fœderis arcæ Domini* D E I *veſtri, vt ſit ibi contra te in teſtimonium.* At obijci poſſet primò, librum illum à Summo tantum Sacerdote dari potuiſſe, quia ei ſoli ad arcam, templo præſertim iam exſtructo, aditus, & quidem tantum in anno ſemel, parebat. Deinde, crebriore vſu detritus & cummaculatus tam auguſtus ille theſaurus fuiſſet. Tertiò potuiſſet etiam fortaſſis librariorum aliquorum nequitia quidpiam vel delendo vel eradendo, vel imitando deprauari. Reſpondeo, fuiſſe vel autographum, vel apographum, ſed eiuſmodi tamen, quod ab illo exſcriptum conſtaret, cum eoque penitus congrueret. Ad poſterius verò facilis reſponſio eſt, mandatum id fuiſſe, vt error & deprauatio omnis abeſſet. Deinde verò, vt ſe in ſacrarum litterarum tam lectione, quàm explicatione, omnes, etiam Reges, à Sacerdotibus pendere ſcirent oportere, ſicque horum ſanciretur auctoritas, illorum exerceretur animi humilitas. Præceptorum *tertium* eſt, vt lex iſta cum Rege ipſo ſemper ſit. Apud Rambam loco citato, Rabbini docent, ante Regis conſpectum eſſe ſemper legem oportuiſſe etiam, cum bella gereret, niſi tria hæc fortè incidiſſent. Primò vt latrinas ille peteret. Secundò vt balneas. Tertiò vt locum aliquem alium, qui huius lectione indignus eſſet. Præceptorum *quartum & vltimum* eſt, vt quem ipſe Rex legis librum ſcripſerit, lectitet aſſiduè. Ideo enim prius, vt ante oculos ſemper eſſet, præcipiebatur, quo eius legendæ nunquam deeſſet occaſio. Quamdiu verò facere hæc deberent Reges, monſtrat contextus dicens, *Poſtquam ſederit in ſolio regni ſui, & omnibus diebus vitæ ſuæ*: id eſt, à primo regni primordio, vſque ad eiuſdem, vitæque ſimul extremum terminum. *Fines* porro, cur omnia Regibus hæc præcipiantur, *quinque* ſunt, vel quinque

Ioſue.

ſaltem modis indicantur. *Primus*, vt diſcant

A D E V M timere, prout ait Pſal. 2. Dauid. *Et nunc Reges intelligite: erudimini, qui iudicatis terram.* *Secundus*, vt cuſtodiant verba & cæremonias, ſiue vt 70. vertunt, τὰ δικαιώματα, iuſtificationes ipſius, & in Hebræo additur, quorſum cuſtodire iſtas oportet, ad eas ſcilicet faciendum. *Tertius*, ne ſuperbia efferantur. *Quartus*, ne in dextram aut læuam vſpiam deflectant. *Quintus*, vt tam ipſi, quàm eorum filij diu ac feliciter Domini populum gubernent. Et propter eadem hæc, huic ipſi textui conuenienter,

B illuſtri rei bellicæ Duci, præceptum hoc, in Iuſtitiæ quinta regula, quam & in Eſther laudaui, dabat olim Carthaginienſis Ferrandus. *Lectionis*, ait, *ſtudium, quamuis vndique occupationibus eruentibus, vigore deſiderij ſpiritualis, remotâ tepiditate, ferueſcat.* Et copioſius, ac ipſis etiam ex intima philoſophia repetitis cauſis, ſubtilius; D. Thomas opuſc. 20. lib. 1. Regimine Principum capite 15. *Sicut*, ait, *ad vitam, quam in cælo ſperamus beatam ordinatur ſicut ad finem vita qua hic*

C *homines bene viuunt: ita bonum multitudinis ordinat ſicut ad finem quæcunque particularia bona per hominem procurantur ſiue diuitiæ ſiue lucra, ſiue ſanitas, ſiue facundia, vel eruditio. Si igitur dictum eſt, qui de vltimo fine curam habet, præeſſe debet his qui curam habent de ordinatis ad finem, & eos dirigere ſuo imperio, manifeſtum ex dictis fit, quod Rex ſicut Domino & regimini quidam adminiſtrant per ſacerdotij officium, ſubdi debet, ita præeſſe debet omnibus humanis officiis, & ea imperio ſui regiminis ordinare. Cuicunque autem incumbit*

E *aliquid perficere quod ordinatur in aliud ſicut in finem hoc debet attendere, vt ſuum opus ſit congruum fini. Sicut faber facit gladium, vt pugnæ conueniat, & ædificator, ſic debet domum diſponere, vt ad habitandum ſit apta. Quia igitur vitæ, qua in præſenti bene viuimus, finis eſt beatitudo cæleſtis, ad regis officium pertinet ea ratione vitam multitudinis beatam procurare ſecūdum quod congruit ad cæleſtem beatitudinem conſequendā, vt ſcilicet ea præcipiat, quæ ad cæleſtem beatitudinem ducunt, & eorum contraria ſecundum quod fuerit*

E *poſſibile interdicat. Quæ autem ſit ad veram beatitudinem via, & quæ ſint impedimenta eius, ex lege diuina cognoſcitur, cuius doctrina pertinet ad ſacerdotum officium, ſecundum illud Malachiæ 2. cap. Labia Sacerdotum cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent de ore eius. & ideo in Deuteron. 17. Dominus præcipit. Poſtquam ſederit Rex in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuter. legis huius in volumine accipiens exempla à Sacerdote Leuiticæ tribus, & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, vt diſcat timere Dominum* D E V M *ſuum, & cuſtodire verba, & cæremonias eius, quæ in lege præcepta ſunt. Per legem igitur di-*

F *uinam edoctus, ad hoc præcipuum ſtudium debet intendere, qualiter multitudo ſibi ſubdita bene viuat.*

Sed ex hæreticorum caſtris prodire interdum aliquos, & clamare video, inuitari à ſcriptura ipſa Principes ac Reges ad ſacrarum literarum lectionem: è contrario autem ab eadem & illos, & omnes pœnè Chriſtianos à Tridentino Concilio arceri, in librorum ſcilicet prohibitorum Indicijs regula quarta. *Reſpōdeo primò* à ſacrarum litterarum lectione ibi ne vnum quidem vel Chriſtianum, vel homunculum quemcunque

Digitized by Google

minimum arceri;ſed à vernaculis tantummodo Bibliorum verſionibus, quas ipſimet hæretici teſtantur, non eſſe ſacras litteras, prout in VVittkeri controuerſia videre eſt. Volunt enim ſolos fontes, id eſt, ſolum in veteri Teſtamento Hebræum, ſolum in nouo Græcum eſſe ſacras litteras. & confirmatur ex eorum ſententia hoc ipſum adhuc tripliciter. Primò. Variæ inter ipſos, vt de multiplicibus Latinis taceam; vernaculæ ſunt verſiones, non in diuerſis modò linguis, Germanica, Gallica, Polonica, & alijs, quas ridicule vnum in volumen, fructu nullo, ſumptu maximo, congerere cœpit Norimbergæ Lutheranus Elias Hutterus: ſed in eadem etiam lingua. Nam alia eſt apud nos Germanos verſio Lutherana, alia Zvvingliana, ſiue Tigurina. Si hæ ſacrarum litterarum nomine dignæ ſunt, diuerſæ igitur in diuerſis Gentibus, & in eadem vna verbi cauſa, Germanica erunt ſacræ litteræ. Secundò corrigunt ipſi modò ſic, modò aliter ſuas iſtas vernaculas. Sacras igitur litteras corrigerent. Nam de Luthero docui in Prolegomenis Bibliacis eum fateri, ſe crebrò in verſione ſua erraſſe, Iudæorumque Rabbinis æquo plus credidiſſe. Caluiniani Geneuenſium Paſtores & Profeſſores Gallica, quibus hactenus auctoritatem tantam tribuerant: Biblia ſua corrigunt, & ab editione anni 1535. multa ex Hebræis & Græcis notata inquirunt, quibus varios verſionis illius prioris locos emendent in editione, cui tam laciniosè præfantur anno 1588. Et ecce hanc ipſam correctionem adhuc irridebat, ineptamque ſuperiore hebdomade, cum ſuper ipſius menſa, forte fortuna, meo à ſocio liberis inſpiceretur, dicebat Anglus hæreticus, ſed qui ſummam Hebrææ linguæ imperitiam Geneuenſibus omnibus crebrò admodum obiectat, Hugo Brugthonius. Sed vide quàm Elias ille Hutterus mira tradit anno 1602. libello Germanico ad omnes magiſtratus. Tertiò. Vetant Caluiniani Lutheranam verſionem: Lutherani Caluinianam, vt ex ea, quæ inter Heidelbergenſem Paræum, & Heluetium Samuelem Huberum lite fuit, cognoſcitur. Vetantne ipſi ſacras litteras? Non, inquiunt, ſed eorum tantum verſiones corrigimus, & vetamus. Rect. Sed cauſæ quid eſt, quòd cum Indicis regula illa quarta à Bibliorum verſionibus non ſimpliciter, ſed à vernaculis auocet, vos concludatis, à ſacris litteris Chriſtianos abſterrere? Deſiſtite igitur, obſecro, calumniari, & iſtiuſmodi, apud imperitos, mendaciorum bullas efflare. Pergo nunc, & *reſpondeo ſecundò*, regulam illam nè à vernaculis quidem Bibliorum verſionibus omnino ac penitus auocare, ſed moderatiſſime, cum ea ſcilicet ipſa conditione, quam expoſitus Deutoronomij locus adhibuit, vt hæ verſiones petantur ab ipſis Sacerdotibus, id eſt, vt earum habendarum ac legendarum facultas ab ipſis Paſtoribus, Epiſcopis inquam, vel, vbi quidem ij ſunt, ab Inquiſitoribus petatur. Quid in hac obſecro modificatione imprudens, cauillo, aut reprehenſione dignum? Dictum ſanè antea, de-
A buiſſe ipſos etiam Reges à Leuiticis Sacerdotibus exſcribendorum Bibliorum exemplar poſtulare. idque, ne in exemplorum aliorum varietate mendi forte quidpiam aut prauitatis ineſſet. Itemque vt, in diuinorum voluminum cuſtodia & explicatione, Sacerdotum illorum auctoritas, Regumque demiſſio conſtaret. Quantò ergo æquius, ab iiſdem pendere populum cæterum, non in vero, germanoque Bibliorum textu, ſed in vernaculis eorum verſionibus, quæ ab Eccleſia vniuerſa non-
B dum probatæ, ſæpenumerò etiam nondum ſatis aptæ vel emendatæ ſunt, prout de ſuis ipſos aduerſarios confitentes paulò antè audiuimus? In Euchariſtiæ Sacramento, quo nihil Eccleſia ſanctius, nihil Chriſtiano cuilibet, id ſumere ſi velit, magis expoſitum: videmus apud ipſos etiam Lutheranos & Caluinianos, eius ſumendi facultatem à Prædicantibus peti: aut certè agnoſcunt, ſi quem populi ſui abuſum notarent, poſſe hoc ſe ſciſcere, ne abſque ſuo conceſſu, ad illud acce-
C deret quiſpiam. *Reſpondeo tertiò*, facultatem iſtiuſmodi, alijs quidem in regionibus facile, Regibus & Principibus, qui tam multa & magna alia impetrant, concedi: in noſtra verò Germania iampridem conceſſam videri. Nam Catholicorum paſſim manibus Germanica *Dietengerby* Biblia teri ſciunt ac cernunt Epiſcopi & Parochi, neque, cum facillime poſſent, reprehendunt: quin verò gaudent potiùs & laudant, vt vel ſic peſtilentes hæreticorum Bibliacæ tranſlationes emigrent: ne-
D que ſint eorum ignari Catholici, quibus inaniter gloriari ac exultare ſolent hæretici. Sed hæc ſatis. Illud cum Maſio notemus, pulchrum & breuem Theologiæ vtiliter ſtudendi modum verſu hoc octauo præſcribi, vt primò nimium lectitentur ſacri libri: tum meditatione ſeria in animo verſentur ac agitentur: denique verò in vſum ac opus deducantur. Videatur S. Auguſtinus lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 9. & 8. Sixtus Senenſis Biblioth. annot. 152.

Quartò & poſtremò, quia regula illa quarta, mi-
E nus à pleriſque percipi videtur, breuem eius analyſin proponam. In ea igitur eſt procœmiolum, deinde partim conceſſiones, partim prohibitiones.

1. *E ſacris Biblijs vulgari lingua, paſſim, ſine diſcrimine, permiſſis, oritur aliquid vtilitatis.*

2. *Oritur etiam aliquid detrimenti.*

3. *Plus detrimenti oritur, idque probatur experientia.*

4. *Detrimentum hoc oritur non ob ipſorum Bibliorum res, verba, Spiritum, vllumue aliud vitium, aut*
F *cauſam, ſed ob hominum temeritatem.*

5. *Idcircò non ſacra ipſa Biblia prohibentur, ſed tantummodo ſacra Biblia vulgari lingua, neque ea ipſa adhuc quoquo modo, ſed prohibentur tantùm, ne paſſim, & ſine diſcrimine permittantur.*

6. *Permitti autem poſſunt vulgari lingua Biblia à Catholicis auctoribus verſa, omnis generis hominibus. Sunt autem hi duplices: ſeculares, aut regulares, & ſeculares vel ſunt librorum emptores, aut venditores, ſiue bibliopolæ.*

7. De ſæcularibus ſunt hæc.

1. Secularibus

A *1. Sæcularibus permitti poſſunt vulgaria illa Biblia, ab Epiſcopis, vel inquiſitoribus.*

2. Debent verò iſti, qui permittunt, tria facere. Primò. Parochi aut confeſſarij eorum quibus permiſſio fieri debet, conſilium adhibere. Secundò, dare operam, vt intelligant, an ex huiuſmodi Bibliorum illorum lectione non damnum, ſed fidei, atque pietatis augmentum capere poſſint. His enim ſolis permiſſio iſta concedenda. Tertiò, facultatem & permiſſionem iſtam facere debent ſcripto.

3. Qui Biblia iſtiuſmodi vulgaria habere aut legere
B *volent, debent iſtam facultatem ab illis, quos concedere poſſe dictum eſt, petere, & quidem ita vt in ſcriptis eam impetratam habeant.*

4. Qui abſque tali facultate ea legere, ſiue habere præſumpſerit, debebit illa ipſa Biblia ordinario reddere: aut niſi fecerit, in confeſſione, peccatorum abſolutionem percipere non poſſit.

5. Bibliopolæ non debent iſtiuſmodi Biblia ei, qui facultatem iſtam non habuerit vendere, aliouè quouis modo concedere, verbi cauſa vtenda dare.

6. Si ſecus faxint iſti Bibliopolæ, Bibliorum illorum
C *precium amittent, quod in vſus pios ab Epiſcopo conuertendum erit. Subiacebunt etiam pœnis alijs, quæ pro delicti qualitate, poterunt, ipſius Epiſcopi arbitrio, infligi.*

7. De regularibus ſunt hæc.

1. Regularium prælati poſſunt in permiſſione iſta reſpectu ſubditorum ſuorum, quod Epiſcopos & Inquiſitores, rerum ſæcularium, poſſe dictum eſt.

2. Regulares ſubditi ad Biblia iſtiuſmodi legenda, vel emenda debent à Prælatis ſuis habere facultatem.

Nonum. *Tunc diriges viam tuam, & intelliges eam* Eſt hoc fructus quidem & vtilitas ſuperioris in diuinis libris diligentiæ. Sed *dirigitur hominis via*
D dupliciter. Primò, cùm recto itinere ad terminum aliquem pergitur. Secundò. Cùm feliciter ac proſpere fluunt homini omnia. & de poſteriore potius directione hic agi, monſtrat Hebræum volumen, & Græca, quæ ipſi reſpondent, duo è duabus, vt videtur, verſionibus in 70. relicta. τότε εὐοδωθήσῃ. καὶ εὐοδώσεις τὰς ὁδούς σου. prout etiam Iſaiæ 48. verſu. 15. *directa eſt via eius.* capite 63. verſu 10. *Voluntas Domini in manu eius dirigetur.* Poſt, *intelliges*, verò, poſſet omitti *eam.*
E vt ſenſus ſit; *intelliges*, id eſt; fies homo intelligens, homo prudens ac ſapiens. Hoc enim Hebræum תשכיל indicat, cum quo prorſus conuenit Angelorum *ſkill.* Magnus ille Virgilianus heros lib. 12. dicebat:

Diſce puer virtutem ex me, verumque laborem
Fortunam ex alijs——————

Diuinus verò codex non illa modò ſe docturum, ſed & hanc daturum certo certius pollicetur. Quis eius ergò amore non flagret? Hinc & Pſalmus primus de eo, qui in lege Domini me-
A ditatur die ac nocte. *Et erit*, ait, *tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum: quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo: & folium eius non defluet: & omnia quæcunque faciet, proſperabuntur.* Idem enim illic Hebræum, quod hic notabam, verbum eſt. Sed quam infelices Machiauelliſtæ, qui è libris, conſilijſque Dei verbo repugnantibus, proſperitatem venantur! In Iſaia cap. 84. verſu 18. *Hæc dicit Dominus redemptor tuus ſanctus Iſrael. Ego Dominus Deus tuus docens te vtilia, gubernans te in via, in qua ambulas. Vtinam atten-*
B *diſſes mandata mea: facta fuiſſet ſicut flumen pax tua, & iuſtitia tua ſicut gurgites maris, & fuiſſet, quaſi arena ſemen tuum, & ſtirps vteri tui, vt lapilli eius; non interiſſet, & non fuiſſet attritum nomen eius à facie mea.* Et paulò poſt. *Non eſt pax impijs dicit Dominus.* Notum verò, *pacis* nomine in ſcripturis ex Hebraiſmo ſignificari omnem rerum copiam, proſperitatem, & corporum, animorumque felicitatem. Et ea de cauſa eleganter illic verterunt 70. οὐκ ἔστι χαίρειν τοῖς ἀσεβέσι. *Non licet impijs gaudere.*

C *Decimum. Ecce præcipio tibi. Confortare & eſto robuſtus.* Pro *Ecce*, verti poſſet vti Iob 22. verſu. 5. & c. 31. verſu 4. *Nunquid non præcipio tibi?* Et magnam habet vim iſta interrogatio. quaſi diceret. Aſpice quiſnam ſit, qui bono te animo eſſe iubet.

Nunquid Homo eſt? Nunquid Angelus? Nunquid non potius ipſemet hominum, Angelorumque Dominus? Sed eandem vim exprimunt 70. & noſter, per admirationis particulam. *Ecce* ſicuti Iob 6. v. 13. pro ſimili.

Vndecimum, Noli metuere, & noli timere.

D *Duodecimum. Quoniam tecum eſt Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcunque perrexeris.* Iam ſuprà verſu 5. dictum eſt. *Ero tecum*; ſed idemipſum nunc iteratur, vt firmitatis animo plus accedat, & iteratur cùm amplificatione eorum in quibus cum ipſo Ioſue futurum ſe dicit Dominus. *In omnibus*, ait, *ad quæcunque perrexeris.* Poteſt enim eſſe cum aliquo Deus, ſiue ipſi aliqua in re auxiliari: *non in omnibus.* At Ioſue diuinum *in omnibus* auxilium ſpondetur. Ideoque vertit Chaldæus. *Auxiliatur tibi verbum Domini Dei tui,*
E *in quocunque loco verſaberis.* Vtinam & mihi ſeruulo ſuo, per S. Ioſuæ præces, in hac alijſque meis ſcriptiunculis, idem concedere dignetur, qui & apud Iſaiam c. 41. v. 10. clamat. *Ne timeas, quia ego tecum ſum: ne declines, quia ego Deus tuus. Confortaui te, & auxiliatus ſum tibi: & ſuſcepi te dextrâ iuſti mei.* S. Paulus Hebr. 11. 5. *Sint*, ait, *mores ſine auaritia: contenti præſentibus. Ipſe enim, dixit: Non te deſeram, neque derelinquam, ita vt confidenter dicamus, Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo. Pſal. 55.*

ALTERA CAPITIS PARS.

In qua populi præparatio.

EA præparatio duplex. Nam vel vniuerſi populi eſt, vel certæ alicuius partis. Illa iſto capite traditur verſu 10. & 11. & cap. 3. verſu 5. Altera toto capitis huius reſiduo. De illa, prout hic iam exprimitur, agendum. N ij

Digitized by Google

Q. I. *Quænam hæc fuit præparatio?*

EA fuit, vt *cibaria* præpararent omnes. Sed quænam cibaria ? Sunt *opiniones* quatuor. *Prima* Rabbinorum quorundam, quam veluti ex Eliæ prophetæ ſcholâ repetunt, in tractatu de peregrino cultu cap. 1. eſſe *anteactæ vitæ pœnitentiam, & veram erga Deum pietatem.* Nam mannæ adhuc pluuia ijs quotidiana erat, vt corporales cibos vllos præparare opus nihil omnino fuerit. At eſt ita tropologica potius, quam hiſtorica expoſitio. Quomodo enim tum obſcurè pœnitudo ac pietas illa indicaretur ? Quis hoc è populo intelligeret ? cùm tamen præparationis huius promulgatio, totis caſtris, ad vniuerſum totius multitudinis vulgus fieri deberet. *Altera* eſt R. Salomonis, non etiam ſignificari cibos, ſed alia quæcunque ad iter, ac bellum eſſent neceſſaria, vt *cibaria præparare* ſit, quaſi vaſa colligere, ſiue vt lib. 5. cap. 1. ait Ioſephus, eſſe vniuerſam multitudinem ad prælium paratam. Verum Hebræa hic poſita vox *tſedah* eſcam ſemper alibi ſignificat. Quomodo igitur, aut cur eam hic ſignificationem exueret? An qui à venando ducitur, ſententia foret, venationem apparatè. Sed quotuſquiſque tum ſarcinarum collectionem indici aduertiſſet ? *Tertia* Procopij eſt opinio, mannam quidem diebus ſingulis depluiſſe: ſed nunc iuberi copioſiorem ad iter colligi, vſitataque tunſione & coctione, de qua in Exodo dictum; præparari. *Quarta* Maſij, & ante ipſum Abulenſis q. 31. & ſequentibus vſque ad 39. & ante vtrũque, R. Dauid Kimhi, fuiſſe *obſonia*. Mannam enim panis inſtar apud Iſraelitas habuiſſe: nunc verò præcipi, vt alios ei cibos adiungant. In tertiam ierim ſentẽtiam libentius. 1. quia cùm omnem ſaporem ſuauitatis haberet manna, eduliorumque omnium vicem præſtaret, vt in Exodo confirmabam; ſicque abundè omnibus ad neceſſitatem, & voluptatem etiam ſufficeret, veriſſimile non videtur, Ioſue alios cibos, publicâ præconum voce ac edicto, imperaſſe. Licet enim alios interdum Iſraelitæ ipſi adiunxerint, vti ex Deuteronom. 2. v. 28. colligitur, non tamen id eis iubebatur: ſed indulgebatur 2. Hebręum illud *tſedah* nomen nunquam pro eſculentis alijs, vt excludi panem oporteat, ſumitur: ſed generatim & hunc & illa ſignificat Gen. 24. verſ. 25. & cap. 45. v. 27. Exod. 13. v. 39. infrà verò clarè verſu 5. & 11. Iud. 7. 8. vbi noſter crebrò *cibaria* quandoque *pulmentũ*, vel *viaticum*: 70. ſemper ἐπισιτισμὸν vertunt. Cur ergo ex hoc loco panis, ſiue manna eiciatur, vt alias tantummodo eſcas obſonari populo præcipiatur ? Tertio ſi communiter, & quaſi ex lege dapibus alijs, quàm manna vti iam cœpiſſent Iſraelitæ, defeciſſet eos vtique manna ante diem menſis primi decimum quintum. Videmus enim ita factum infrà cap. 5. verſu 12. cùm terræ frugibus veſci cœpiſſent. Reſpondet quæſt. 38. Abulenſis duo. Primo eos in Amorrhæorum terrâ manſuros non fuiſſe: Ideoque mannam ijs ibi ſubtrahi non debuiſſe. Secundo fruges nouæ nondum maturuerant, vt certum ſolidumque ijs nutrimentum eſſe poſſet. At facile prius illud reijcitur. Primo, quia præparatio iſta, etſi in Amorrhæâ terra trãs Iordanam facienda erat, non tamen pro ea ſiue non vt in ea præparati cibi ederentur: ſed vltra Iordanam deferrentur: & eorum dies aliquot vſus foret. Deinde quid interſit manere-

A turnè in illa terra, an tranſirent, ſi quidem alijs ſeſe quàm manna cibis communiter, & ex lege ſuſtentare potuiſſent, ac voluiſſent ? Poſterius autem nihilo firmius eſt. Nam veterum frugum in Amorrhæa tanta ſuppetebat copia, vt, cùm deleti eſſent incolæ, Iſraelitarum victui ſufficere potuiſſet, vt ipſemet Abulenſis probat q. 35. Et de Chananæa, in quam ibant, idem quis dubitet ? Obiicit tamen cõtra ſententiam iſtam idem auctor q. 31. duo. *Primò* Manna in poſterum diem ſeruata putreſcebat. *Secundò* ſingulis
B ea diebus decidebat. Eius igitur apparatum facere ſuperuacaneum fuiſſet. Ad *primum* reſpondeo; Deum ſolitum mannam, quæ feria ſexta collecta fuiſſet, à putredine immunem die Sabbatthi conſeruare: ſicque hoc tempore ad aliquot dies feciſſe: idque diuinitus præmonitum Ioſue intellexiſſe. Quin & in arca, manna, quæ monumenti cauſa erat, nulli prorſus putredini annos quàm plurimos fuit obnoxia. Ad *ſecundum* dicetur ſequenti quæſtione, & forſan alibi, quando diſputabitur, an in Chananæa, poſt
C Iordanis tranſitum, vllus mannæ delapſus fuerit.

Q. II. *Cur iuſſa hæc præparatio?*

REDDITVR Iſraelitis ab ipſomet Ioſue cauſa: *Quoniam poſt diem tertium tranſibitis Iordanem.* Solent profecturis militibus tale quidpiam Duces indicere, vt apud Frontinum libro 4. cap. 7. *Cato Tertiam partem militum cibaria parare, & naues aſcendere iuſſit.* vertit Maſius, *intra triduum.* Et quidem ita aliquando verti poteſt Hebræorum particula בעוד vt Hierem. 15. verſu 9. 2. Regum. 12. v. 22. Et videtur inter iſtas verſiones hoc eſ-
D ſe diſcrimen, quòd, qui *intra triduum* ait, ſignificet ante tertium finitum diem fore tranſitum Iordanis: alter verò *poſt eundem diem tertium finitum.* Ac ſane iſtum ſenſum clarè hîc & cap. 2. amplectitur Ralbag, & innuunt 70. dum aiunt. *Adhuc hos dies: & tranſitis Iordanem iſtum.* Noſtri tamen textus verſio non hunc modò; ſed alterum etiam ſenſum admittit. Nam quod Marci 8. verſ. 31. dicitur CHRISTVS DOMINVS *poſt hos dies reſurgere*, valet, *intra tres dies*, ſicuti & Math. 27. verſu. 62, vt hunc in locum
E probat Maldonatus noſter. poteſtque de iſto loquendi modo conſuli regula Tyconij tertia apud Sanctum Auguſtinum lib. de doct. Chriſt. & Nebriſſenſis in quinquagena cap. 25. Sed vter magis ſenſus congruat, infra dicetur.

Nunc ſatis, cauſam cur apparari cibaria debeant, eſſe, qui triduo adhuc labente, vel certè iam lapſo vltra Iordanem eundum eſſet. At quid tum ? an manna ipſos amplius proſequutura non erat: an proſequutura quidem, ſed id vel neſciebat, vel ambigebat Ioſue ?
F Neutrum quidem rear. Sed potius tanta fuiſſe Ioſue Ducem prudentia, reique militaris peritia, vt proſpexerit, id quod fieri facilè potuit, vt ſcilicet Iordanem tranſeuntibus occurrerent Chananæi, vel certè poſtquam tranſiiſſent, caſtraque fixiſſent, varijs eos copijs velut indagine cingerent, aſſiduis eos prælijs fatigarent, ipſaque adeò labentis mannæ collectione & præparatione prohiberent. Quamuis verò, Dei numine, horum nihil factum ſit: prudentis tamen Imperatoris fuit, ita ſe comparare, vt ſi fortè accidiſſet, erubeſcere non haberet ac dicere. *Non putaram.*

In

Digitized by Google

In omni, ait Vegetus lib. 3. cap. 3. *expeditione vnũ eſt, & maximum conſilium, vt tibi ſufficiant victus, hosies frangat inopia. Sæpius enim pecunia quàm pugna conſumit exercitum, & ferro ſæuior fames eſt.* Et addit. *Reliquis caſibus poteſt in tempore ſubueniri, populatio & annona in neceſſitate, remedium non habẽt, niſi antea condantur.* Erat & Iſraelitarum iſta multiudo ad quiritationes & murmurationes æquo propenſior. Si in ipſo igitur promiſſæ terræ ingreſſu, primoque, vt ita dicam, veſtibulo, eſuriendum aliquid fuiſſet, quam de Imperatore ſuo nouo queſti fuiſſent? quam eum cõtempſiſſent, maledictiſque fixiſſent? Neque vero hæc Ioſuæ tam prudens in commeatu curando diligentia, neque allata militiæ eadem de re præcepta illi aduerſantur, quod Ieſus noſter tradidit Matth. 6. *Nolite ſoliciti eſſe in craſtinum. Ideo dico vobis, ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis.* Non enim omnem Deus ſolicitudinem hominibus detractam vult, ſed eam tantùm, quæ è quadam erga Deum diffidentia oritur, vt ibidem apparet v. 26. 28. 30. quæque à Dei cultu & obſequio illos detorquet ac diſtrahit. v. 24.

Q. III. *Per quos iuſſa eadem præparatio* — In textu per einſmodi homines promulgatio hæc populo indicta eſt, quibus & imperaret Ioſue, & ipſi populo, & à noſtro Interprete dicuntur, *Principes populi*: à 70. γραμματεῖς τοῦ λαοῦ. Sed ſciendum in Hebræo vocari שוטרים quos licet moneat in Theſauro Pagninus cũ *vau* hic ſcribi, ſemper tamen abſque ipſo inuenio. Qui verò & quales illi fuerunt, varia diſſertatio eſt, quã accendit etiam Græcorum, Latinorumque interpretum variatio. Nam Septuaginta illos interdum vertunt γραμματεῖς vt hic & infrà cap. 3. & cap 23. verſ. 2. c. 24. verſ. 1. Exod. c. 51. v. 5. 6. 10. Deuter. 20. v. 5. & 9. & ferè Paralip. 26. v. 29. ſed iterum clarè ibidem cap. 27. verſ. 1. Interdum γραμματοεισαγωγεῖς Deuter. 1. verſ. 5. & c. 16. v. 18. cap. 29. v. 10. eademque vox, cum in Hebræo nihil ei reſpondeat, poſita eſt in Græcis quibuſdam libris: Exod. 18. ſecundum notationes Græcas ibidem, & D. Auguſtin. in Exod. q. 69. qui diuersè tamen legit γραμμάτων εἰσαγωγεῖς: interdum κριτὰς 2. Paralip. 29. verſ. 11. interdum verò ἀναγκάζοντας Prouerb. 6. v. 6. vbi ab Aquila & Theodotione ἐκβιασταὶ dicuntur, ab illo etiam quandoque ἐκδικηταὶ, vti notat Maſius. Noſter verò interpres vocat eos, *qui præſunt operibus*. Exod. 5. verſ. 14. *præfectos* ibidem v. 6. 10. 1. Paralip. 27. v. 1. *principes populi* hîc, *Præcones* infrà c. 3. *duces* Deuteronom. 20. verſ. 5. & 9. *Magiſtros*, Ioſuæ 23. verſ. 2. cap. 24. verſ. 1. Deuter. 16. v. 18. *qui docerent ſingula* Deuteronom. 1. verſ. 15. 1. Paralip. 26. v. 29. *Præceptores* Prouerb. 6. verſ. 6. *doctores* Deuteronom. 29. verſu 10. 2. Paralipomen. 26. verſu 11. Hos igitur D. Auguſtinus q. citata & lib. 18. Ciuit. c. 39. *ludimagiſtros*, ſine litterarum doctores quaſi alphabetarios fuiſſe ſenſet. Nam ex litterarum iſtarum nomine, dicit illic, hinc intelligi iam ante legem Hebræis litteras fuiſſe, *quæ*, ait, *quando cœperint eſſe, neſcio vtrum valeat indagari.* Pagninus in theſauro ſemel atque iterum *Prætores* nuncupat, additque de Iudaica Politia cap. 5. Bonauentura Cornelius, fuiſſe illos, *quos Galli vocant, Preuoſts*. Sigonius lib. 7. de Rep. Hebræ. cap. 7. fuiſſe *Iudicibus ipſis maiores*, iiſque præfectos, *qui cauſas ad illos introducerent, quemadmodum ſcilicet hodie in Venetorum ciuitate, Aduocatores communis*, olim apud Athenienſes erant *hieromneuones*, de quibus idem Sigonius lib. 4. de Rep. Athenienſ. cap. vlt. Lipomanus Exod. 5. *notarios & Actuarios* appellat. Maſius hoc loco *magiſtratus adminiſtros, monitores, ſtatores, præconos, & apparitores*. Oleaſter Exo. 18. & Deuter. 1. *minores Iudices*. Nam, vt ait. R. Abraham, *Iudex iudicabat, iſti verò exequebantur, quod iudicatum erat, & ſontes cogebant*, vnde ipſis, *flagra & lora* ſicuti Romanis lictoribus dat R. Salomon. Sed *quàm rectè*, ait Maſius, *ipſe viderit*: Equidem certè vix puto hoc ex ſacris litteris confici poſſe. Attamen ſummam iis cogendi poteſtatem, ideoque arma, & flagra iis fuiſſe, nonne ſatis illi ſignificant interpretes, à quibus eos vocari audiuimus, ἀναγκάζοντας, ἐκδικητὰς καὶ ἐκβιαστὰς? Eſtque hæc inter Hebræos peruulgatiſſima opinio, quàm lib. 14. *helacah.* 1. cap. 1. perſequitur ipſe Rambam, dicens fol. 227. b. fuiſſe apud Iſraelitas duplex concilium, quod *Sanhedrim* vocaretur, magnũ ſcilicet ac paruum, & in illo quidem fuiſſe 27. Iudices, in hoc 24. Præter iudices fuiſſe in Concilio etiam noſtros iſtos *ſchoterim*, qui ante illorum faciem ſtarent, & eſſent בעלי מקל ורעה id eſt, *fuſtuerij, neſciſque Domini*: ita vt viderentur fuiſſe, non inſtar ſatellitum noſtrorum, quos Germanicè **Stattknecht**/ *ciuitatis miniſtros* vocamus, ſed magnæ auctoritatis ac poteſtatis viri, & quidem veluti ῥαβδοῦχοι, etſi Actorum 16. verſ. 35. à noſtro interprete *lictores*, ab aliis *viatores* vertuntur, itemque verſ. 38. quemadmodum ſcilicet Agrippinæ Coloniæ ſunt, qui *Magiſtri violentiarum* nũcupantur Iudicibus tamen ipſis inferiores, quibus aſtare debebant, & quorum tantummodo ſententias executioni mandabant. Quia tamen, quod in eadem illa quæſtione dixit S. Auguſtinus; non facilè quales fuerint, intelligitur, dicam breuiter, quod videtur.

1. Ante datam legem, conſtitutamque à Moyſe Iſraelitarum Rempub. *ſchoterim* iam fuerunt Exod. 5.

2. Eorum functiones variæ fuerunt, ideo & tam variis ab Interpretibus affecti nominibus, quia hæc ab illis arceſſebant. Quia enim armati erant, & cogebant, ideo ab ipſa vi, ἐκβιασταὶ & ἀναγκάζοντες. Quia iudiciis intererant, & quod iudicatum erat effectui dabant, ſicque quodam modo iudicabant; ideo κριταὶ ſunt, & fortè Chaldaico illo nomine, quod noſter *Præſides* vertit Eſ. 1. cap. 7. v. 25. ſignificatur, quod alioqui *Iudices* ſignificat: ſed iam illud Iudicum nomen antecedebat.

——— Quia Iudicibus aderant, ideo *Iudicibus conſtituti* dicuntur Deuteron. 1. non tanquam iis propoſiti, vti putabat Sigonius, ſed tanquam adiutores vel adminiſtri: Quia populo maiores erant, in eumque poteſtatis aliquid habebant, ideo *principes populi & præfecti* vocantur. Quia Iudicum, & Principum edicta populo denunciabant, ideo & *Præcones* erant. Sed cur γραμματεῖς & γραμματοεισαγωγεῖς, difficilè dictu eſt, quia *hoc nomen*, ait inibi Sanctus Auguſtinus *in nullo vſu habemus vel officiorum vel magiſteriorum.* Poſſunt autem γράμματα ſumi quadrupliciter. 1. vt ſint ipſa lectionis elementa, & vti ex Græcis ipſi

Digitized by Google

etiam Rabbini paſſim nominant, *alphabetum*, aut certe litterarum ſcientia eſt, id eſt, Grammatica. Et ſic, vt ſuprà dictum; *Grammato iſagogeos* intellexit S. Auguſtinus, quòd *introducant in litteras*, vt ait in illa quæſtione, vel quòd *litteras ipſas inducant*, vel *introducant quodammodo in corda diſcentium*, vel *potius in ipſos, quos docent*, vt in lib. de Ciuit. citato idem loquitur S. Pater. Sed in re tam notâ, & vſitatâ, quid tam nouo & inuſitato verbo vterentur Septuaginta? Cur aliæ tam multa, quæ in promptu erant, vt *Grammaticorum Grammatiſtarum, Grammatodidaſcal* ων & ſimilioum, deſpicerent? Et num rectè Rhetoras ῥητορικῆς εἰσαγωγεῖς, Philoſophos σοφίας εἰσαγωγεῖς dixerimus? 2. vt ſint epiſtolæ, tumque eſſet eorum functio, quæ *Ianitorum* eſt, vt introducerent ſcilicet litteras aliunde miſſas: vel certè, quæ hodie *ſecretariorum*, aut eorum, qui *à libellis ſupplicibus* ſunt. Aut vero facerent: quod in Principum, & Magiſtratuum litteris tabellarij, veredarij, feciales, quemadmodum S. Paulus qui Principum litteras ad Damaſcenā ſynagogam ferebat. Honeſta functio, ſed quæ illa in Republica, illiſque tēporibus parum neceſſaria erat. Nihil enim ferè, aut perparum certe cum exteris nationibus negotij erat, & Iudæorum, ſi peregrinarentur illi, litteræ an proprium vbique Magiſtratum requirebant? Et quas vel vnde litteras accipiebant? vel quò mittebāt, cùm in Ægypto eſſent, cùm in Chananæam pedem primò inferrent? Et tamen iſti, vti clarū, iam tunc erant. Accedit, quòd malè à Latino toties verterentur *Magiſtri, doctores, præceptores*, niſi fortè, quia de litterarum iſtiuſmodi aduentu Iudices docerent, aut de horū litteris, populo 3. vt ſint litteræ ſiue tabellæ iudiciales, quibus accuſationes, defenſiones, petitiones, teſtimonia, ſyngraphæ, & ſimilia, quæ in iudicium deduci ſolent, continerētur. Ita loco indicato Sigonius. Nam Athenienſibus fuere magiſtratus, quos εἰσαγωγεῖς τῶν γραφῶν appellarunt, vt quas illi γραφὰς vocant 70. γράμματα verterint, & ſub finē lib. 1. de bello ciuili eadem locutione vtitur Cæſar dicens. *Quaſcunque controuerſias inter ſe milites habuerant, ſuâ ſponte ad Cæſarem introduxerunt*. Ideoque iſtâ ratione, qui litem cuipiam intendere cupiebat, is aduerſarium ad aliquem horum Principum adducebat, & quodammodo in ius rapiebat, qui ſi litem aut nomen recepiſſet, rem ad iudicium introducebat. Iudices verò cognita cauſa, aut abſoluebant reum aut damnabant, damnatumque exactori tradebant, vt eſt Luc. 12. v. 58. Et iſte modus eſſe quidem potuit, ſed non neceſſe fuit, eos idcirco Iudicibus eſſe præpoſitos: ſicuti neque Afraniani, neque Cæſariani milites, qui ſuas ad Cæſarem cauſas introducebant, Cæſarem maiores erant: ſed ſatis eſt, iis eos opera manu & vi aſtitiſſe, ac miniſtraſſe. vt in citato S. Lucæ capite, *Princeps*, ad quem litigaturi vadunt, ſit aut Romanus, qui in Iudæâ tunc erat Præſes, aut potius is, qui Synedrii princeps & caput erat: *exactor* vero ſicut in Græco eſt, πράκτωρ, cui reum debebant Iudices, ſit vnus è *ſchoterim* iſtis quiſpiam, vel ipſe eorum ordo, qui Iudicum ſententiæ morem damnatos gerere cogebat, vti antea oſtenſum. 4. γράμματα ſacræ ipſæ litteræ, diuinæque leges. Et harum iudicibus ipſis fuiſſe peritiores iſtos, cēſet Cornelius: A ita vt deceptatione viderentur Dei leges, populique ſcita, conſuetudines & hiſtorias, ſi Iudicibus minus forſan occurriſſent, ſuggeſſiſſe, ipſaſque in tribunalia introduxiſſe. Atque hunc modum valdè facit probabilem τῶν γραμματέων ſiue *ſcribarum* appellatio, tamque crebra *Magiſtrorum*, *Doctorum* & *Præceptorum* repetitio. Sed ante legē Moſaycam, quænam ſacræ fuerunt in Ægypto Iſraelitis litteræ? quæ inſtituta? qui annales? fuiſſe tamen aliqua id genus ſcripta monſtrat *Enoch liber*, de quo in epiſtola S. Iudæ; & *liber bellorum* B *Domini* Numer. 21. v. 14. Quod ſi tunc eſſe γραμματεῖς aliqui potuerunt, quanto magis poſtea, cum lex fuit perlata, totque cæremoniæ, ritus, & mores inſtituti, tot libri ſcripti, & de manu in manum traditi? Quocirca non ex ambitione, vti ſuſpicatur Maſius, ſed ex officij ſui ratione, ſacrarum iſti rerum ſcientiam profitebantur. & vel quarta hæc, vel tertia expoſitio tenēda. Sed hanc malim ego; præſertim cum & hos *Leuitas* fuiſſe dicat Hebræorum vetus liber *Siphre*. Idq; ſatis congruit non iis ſolum, quæ 2. Paralip. 34. C verſ. 13. ſcripta ſunt, ſed ipſi etiam Ioſepho docenti lib. 4. cap. 8. in qualibet magiſtratum gerere debuiſſe viros ſeptem, & horum cuilibet eſſe duos adminiſtros oportuiſſe Leuitas. & rurſum lib. 2. contra Apionem, fuiſſe ſacerdotes ἐπισκόπους πάντων, δικαστὰς ἀμφισβητουμένων, κολαστὰς κατεγνωσμένων, id eſt, *omnium inſpectores, controuerſiarum iudices, damnatorum punitores*. Neque repugnat fuſtuariis eos, cædibuſque præfuiſſe, cum in bello armis decertarint, vt ex Machabæorum libris patet, eorumque plurimi grauiſſimas à vitu-D licolis, eorum aliquot millia enſe feriendo, pœnas ſumpſerint Exod. 32. verſ. 28. & omnium quaſi anteſignanus in iuſtiſſimæ eiuſmodi vindictæ cauſa ſeſe præbuerit Phinees, dum libidine flagrantem Iudæum, ſcortumque Madianiticum pugione transfodit. Num. 25. verſ. 8.

Q. IV. *Quādo iſta eadem præparatio?*

SIVE dies, ſiue menſis præparationis huius quæratur, ſciendum, poſſe hic vel eorum, quæ hactenus dicta ſunt, vel eorū quæ deinceps dicentur, rationem haberi. *Priore modo*, *duo* quæ-E runtur. *Vnum*, an poſt Moſaici funeris ac luctus dies 30. præparatio hæc indicta fuerit? Negant aliqui. Sed neceſſitate quadam, de qua ſuo loco, adacti: Sed Omnino tamen, poſt elapſos illos dies 30. indictionem hanc factam, ſtatuendum. Primo quia facta eſt poſt Domini ſermonē iubentis, vt Ioſue animo bono eſſet, Iordanémque tranſiret. Sed per capitis huius quæſtiunculam primam fuit ille habitus poſt eluctū Moyſen. Secundo Aaronis & Mariæ tricenarius luctus, ita quietè traductus fuit, vt publicæ rei ni-F hil omnino interea geſtum ſit Num. 20. Quomodo igitur Moyſi honoris minus habitum fuiſſet? Tertio: Eidem ſubſcribunt ſententiæ Abulenſis â q. 39. Arias, Maſius, Caietanus: & è vetuſtioribus Ioſephus lib. 5. c. 1. Seder Olam, R. Iſaias, & Ralbag. *Alterum* eſt; An eodem, quo Ioſuæ locutus erat Dominus, die, hæc ipſi populo proponi iuſſerit Ioſue? Annuet, quiſquis Ioſuæ ipſius virtutem ac obedientiam animo reputarit. Quomodo enim cūctaretur, moraſque traheret, cum dicentem illum andiiſſet, verſ. 2. *Surge, & tranſi Iordanem iſtum*? Ideoque non

Digitized by Google

abſonè Caietanus, benè manè, ſub auroram, ſer-
mocinatum cum Ioſue Dominum exiſtimat:
poſtea vero, die paulo adultiore, mandata hæc
ad populum data. *Poſteriore modo* plura in diſqui-
ſitionem vocanda: ſintuè ſcilicet eodem tem-
pore miſſi exploratores, an verò ante poſt? Itē-
que ſitne hoc idem tempus repetitum infrà cap.
3. an diuerſum ſit? Sed de ſingulis aptius poſtea:
& tum quiſnam hic aut menſis, aut dies fuerit,
conſtituetur. cap. 2. quæſt. 5. pag. 1.

Q. V. *Qui è prepatione iſto diſcendum?*

QVID bellorum ducibus in annonæ cura
diſcendum ſit, vidimus antea quæſt. 1. pag. 2.
Nunc verò poſſunt è quocunq; ordine ac æta-
te vniuerſi homines alia diſcere. Sic enim cogi-
tandum: poſt *tres* dies, id eſt, pauculos, qui ad
viuendum nobis dati ſunt, tranſeūdum eſſe Ior-
danem, id eſt, vitam iſtam, quæ currentis aquæ
inſtar, fluit aſſiduè, cum morte commutandam,
veniendumque in regionem aliam nobis ante
neque habitatam, neque peragratam, aut viſam.
Cibaria igitur præparemus oportet. *Operamini*,
ait Dominus Iob. 6. verſ. 27. *non cibum, qui perit,
ſed qui permanet in vitam æternam.* Et Eccleſiaſt.
c. 14. verſ. 17. *Ante obitum tuum operare iuſtitiam,
quoniam non eſt apud inferos inuenire cibum.* quod &
poëticè veterum quidem ita monebat.

Non ſeges eſt infrà, non vinea culta, ſed audax
Cerberus: & Stygiæ nauita puppis aquæ.

Variè verò cibos, qui præparandi, exponunt
Patres. Procopius pœnitētiæ opera, pietatiſque
actiones, & crebram SS. Euchariſtiæ ſumptio-
nem commendari ait: eique ſubſcribunt citati
q. prima partis huius ſecundæ Thalmudici. Ad
fidem vero S. Sanctæ Trinitatis hunc hortatur
S. Auguſtinus ſerm. 106. de tempore. *Mortuo*, ait,
*Moyſe, Ieſus ſuſcepit imperium, & ceſſante lege, Do-
minus noſter verus Ieſus totius mundi obtinuit prin-
cipatum. Ieſus ergo ille qui typum Domini præferebat
veniens ad Iordanem dixit ad populum: Parate vobis
cibos ad diem tertium. Diem tertium, fratres chariſſi-
mi, Trinitatis agnoſcimus eſſe myſterium. Quos ergo
cibos præparare debemus, vt ad diem tertium venia-
mus? Videtur mihi, quod cibus iſte fides intelligi de-
beat. In Chriſtianis enim fides eſt, per quam in Trini-
tatem creditur, & ad ſacramentū baptiſmi peruenitur.*

*Quod ergo tunc Ieſus ille dixit populo ſuo, hoc nunc
& verus Ieſus per miniſtros ſuos dicit populo Chriſtia-
no. Quid eſt enim aliud dicere, Parate vobis cibum ad
diem tertium: niſi, Trinitatis ſuſcipite ſacramentum.*
Origenes hom. prima in hunc librum ad om-
nia virtutis officia, & diuinorum Librorū ſtu-
dium inuitat. *Cibaria*, inquit, *opera ſunt, quæ nos ad
futuram vitam, velut fidele viaticum comitantur. Vi-
demus tamen quoniam non cōuenit negligenter, & qua-
ſi in tranſitu litteras legere diuinas, vnde eos iubet ci-
bos parare non habentes frumentum. Manna enim ci-
bus erat eis. Sed cùm iam tranſierimus fluminis hu-
ius ripas, deficit manna: & ideo ſi non vnuſquiſ-
que præparauerit ſibi cibos, non poterit ſequi* IESVM
terram repromiſſionis intrantem. Rupertus in hunc
librum cap. 8. & hæc, & eos, qui ad ciborum
iſtorum præparationem monere populum de-
beant, explicat. *Principes*, ait, *populi ſunt ſancti
Apoſtoli, de quibus huic Ioſuæ, id eſt, Saluatori*
CHRISTO *filio ſuo* DEVS *pater in Pſalm. dicit.
Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues eos*

A *principes ſuper omnem terram, memores erunt no-
minis tui. Porrò Ioſuæ huius caſtra, vel populus
eius, omnes electi ſunt, omnes hi ſunt, qui ad vitam
præordinati ſunt. Vbi vel quando Ioſue, id eſt, Sal-
uator noſter, iſtis principibus ſuis horum per medium
caſtrorum tranſire, & hæc imperare iuſſit? In Gal-
ilæa in monte poſtquàm reſurrexit à mortuis, vbi &
videntes principes adorauerunt, quidam autem dubi-
tauerunt. Tunc enim dixit. Data eſt mihi omnis
poteſtas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete om-
nes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filij &
Spiritus ſancti: docentes eos ſeruare omnia, quæ
B mandaui vobis. Igitur Ioſue, quia audierat dicen-
tem ſibi Dominum: Surge, & tranſi Iordanem iſtum,
ſtatim præcepit principibus populi. dicens, tranſite
per medium caſtrorum, quia Saluator noſter, qui au-
dierat dicentem patrem* DEVM, *Exurge gloria mea,
exurge Pſalterium & Cithara, nihilominus præce-
pit Apoſtolis ſuis docens: Ite in mundum vniuer-
ſum, ite & tranſite per medium nationum: tranſite
inquam accincti, tranſite expediti, nuſquam ſubſi-
ſtentes, nuſquam retro aſpicientes, nullo vos nego-
cio ſæculari impedientes, neque ſacculum, neque pe-
C ram portantes, non æs in zonis veſtris habentes, vt
omnibus exonerati, nulloque ſub onere curui, veloci-
ter ad omnes nuncium bonum perferatis. Et imperate
inquit, populo, ac dicite: Præparate vobis cibaria, quo-
niam poſt diem tertium tranſibitis Iordanem, & in-
trabitis ad poſſidendam terram, quam Dominus Deus
noſter daturus eſt vobis. Imperate inquam, vtimini
imperioſa ſpiritus libertate, quoniam vbi ſpiritus Do-
mini, ibi libertas, quæ nullius pulchritudini adulетur,
nullius atrocitatem timeat. Præperate vobis cibaria,
prouidite fructus dignos pœnitentiæ: theſaurizate fi-
D dem, comportate ſpem, reponite vobis charitatem. Hæc
enim cibaria vitæ æternæ ſunt.*

*Poſt diem tertium tranſibitis Iordanem, id eſt, ſe-
cundum negocium, vel opus diei tertij, de morte ad
vitam, de hoſte ad amicum, de diabolo tranſibitis ad*
DEVM. *Ego tertia die reſurrexi à mortuis per glo-
riam Patris: ita & vos in nouitate vitæ ambuletis. Hæc,
inquit, populo imperate, hęc dicite, hæc imperando,
hæc dicendo, velociter tranſite.* Præclara idipſum
parabola in S. Barlaam hiſtoria demonſtrauit
E S. Ioan. Damaſcenus: Quid vero, ſi non poſt
triduum, ſed, vt loquitur Auſonius; poſt triho-
rium, alio hinc nobis emigrandum? Licet enim
cogitare, iuuentutē eſſe quendam veluti fluuiū,
& poſt eius tranſitum, in rugoſam ſenectutem
veniendum. Ideoque cum de ſapientia loque-
retur Satyra quinta Perſius.

——*Petite hinc*, ait, *iuueneſque ſeneſque*
Finem animo certum, miſeriſque viatica canis.

Eſtque communis & peruulgata ſapientum
monitio, bonas artes iuuentuti eſſe tanquam
ſenectutis ἐφόδιον, ſiue *viaticum* ſtudioſiſſimè
F comparandas.

Dum vires, annique ſinunt, tolerate labores,
Iam veniet tacito curua ſenecta pede.

Obſeruent denique, quibus alios docen-
di munus, incumbit, quàm ſerio nouiſſimo-
rum, tranſituſque huius, & præparationis
mentionem ſuis iniicere debeant: & quidem
omnibus, & publicè, in Eccleſiæ medio: in
ſcholis, inquam, & templis, quoties, datur oc-
caſio.

Digitized by Google

SECVNDA PRÆPARATIO
Certæ partis populi.

SVPERIOR cohortatio ad omnes tribus: hæc ad duas tantùm, & dimidiatam vnam ſpectat, *Rubenitican* ſcilicet *Gaditicam*, & *Manaſſeæ dimidium* verſ. 12. & ſequentibus vſque ad capitis finem.

Q. I. *Cur iſtas tribus ſpeciatim monet Ioſue?*

DVPLEX potiſſimũ afferri *cauſa* poteſt. *Vna* è tribuum ipſarum: *altera* è Ioſuæ Ducis conſideratione. *Prior* intelligitur ex ea, quæ numer. 32. capite, narratur hiſtoria. quemadmodũ ſcilicet à Moyſe trans Iordanina Seonis & Og Regum regna in poſſeſſionẽ hæ tribus acceperint. Nam ita conuentum fuit, vt ipſæ cæteris tribubus Iordanem tranſeuntibus comitarentur, in bello adeſſent, ad Chananææ occupationem præſtò forent. Sed cùm id omnibus conſtaret quid nunc temporis monere, opus? Reſpondet Maſius, conuentis alioqui ſtaturos non fuiſſe tribuum iſtarum homines, primo quia Moyſes iam mortuus erat, ideoque ab eius ira nihil timerent. Secundo, quia terræ, quam acceperant, bonitas & amœnitas nimium ineſcatos ac irretitos teneret. Tertio quia cum variis hoſtibus ea eſſet circumdata regio, eam bellatorum præſidio vacuam & nudam relinquere nolebant. *Cùm*, ait, *hæ tribus, ſedes nuper commodas nactæ eſſent, regna Sebonis atque Og, & Galaditidem vniuerſam, auctore Moyſe, cuius iam ſatis functi indignitatem non amplius reuererentur, credibile eſt, non, niſi ſeorſim monitos & propriè, non fuiſſe cum alijs ſponte traiecturos flumen: Sed in dulci, & omnibus vitæ commoditatibus affluente nido, apud vxores, liberoſque, ac rem ſuam familiarem, manſuros: præſertim cùm non ignorarent, eas ſuas poſſeſſiones nouas, à vicinis, iſque potentiſſimis hoſtibus non eſſe ſatis tutas.* Bona tamen viri tanti veniâ, nimium hæc in tribus iſtas cenſura grauis. Quis enim credat, eos cum recentiſſima eſſent pacta & conuenta hæc, cùm vltrò in ea illi cõſenſiſſent, voluntarium ſponte auxilium & comitatũ obtuliſſent, & in beneficio magno, ſeſe auditos, repoſuiſſent, tam citò datam DEO & hominibus fidem violare voluiſſe? Mortuus erat quidem Moyſes, ſed num apud illos omnis eius mortua erat auctoritas? Nam apud DEVM (vti de Abraham, Iſaac & Iacob dixit Dominus Matth. 22. verſu 32.(viuere ipſum neſciebant? Num, qui ei ſucceſſerat, Ioſue contemnebãt, præſertim cùm teſtis, vna cum Eleazaro, cæteriſque tribuum Principibus adhibitus fuiſſet? Num & iſtos omnes viuos ac ſpirantes nihil reuererentur? Terrę verò bonitas eos quidem vt eam peterent, inuitarat, ſed num, vt ex ea ſe cum tribubus aliis in hoſtem ituros, vltrò promitterent, impedierat? An, vt apud Poëtam, *moly* herbæ guſtatu dementatos, ſine cauſa, ſine argumento & ratione fabulabimur? Hoſtes vtique circumfuſos non neſciebant, cùm in expeditionem exituros ſe Moyſi pollicerentur, quomodo igitur, quæ promiſſionem tum non coercuit, egreſſionem promiſſam nunc coerceret? Alioqui de iſta re, multa hic q. 63. Abulenſis: & ego, quod ſatis ſit, infrà.

Præterea verò, nonne conditionem eſſe poſitam hanc ſciebant, *ſi cum cæteris progrederentur*, A eam illis terram relinquendam: ſin recuſarent, adimendam? Et cæteræ tribus omnes vi eas cogere, vel ad promiſſa perpellere, vel è terra illa expellere, cùm tanto eſſent numero maiores, potuiſſent facillimè. præſertim cùm in eam non venientibus occurri obſiſtique poſſet, ſed in eâ iam eſſent: neq; vrbes adhuc ita cõmunitæ, quin expugnari ac deleri leuiſſimo poſſent negocio. Eos igitur nũc promiſſorũ memores, erga Moyſen feliciore iam vita fruentem reuerentes, nulla B telluris huius vbertate deprauatos aut effæminatos, nullo circumfuſarum gentium metu fractos & debilitatos fuiſſe ſtatuo: monitos tamen à Ioſue, vt etiamſi per ſe iam alacres, & erecti eſſent, alacriores tamẽ ac erectiores fierent. Nam & generoſiſſimos equos, ad curſumque incitatiſſimos, popyſmis tamẽ aliquibus incitari magis quotidie videmus.

Non nocet admiſſo ſubdere calcar equo.

C Idq; Iob. cap. 39. v. 27. confirmat Dominus, dicens, *feruens & fremens equus ſorbet terram. vbi audierit buccinam, dicit, Vah.* Atque hinc *altera cauſa* oritur. Ideo ſcilicet illos cohortatum Ioſue, quia Dux & Imperator erat optimus atque prudentiſſimus, qui ſtudio profectionis ardentibus, faces tamen adhuc aliquas vtiliſſimè ſubdi ſciebat, neque cohortandi laborem fugiebat. Non deſunt interdum inertes, ignauique homines, qui aliis præpoſiti cùm ſint, eos nunquam monent. idque, vt aiunt, quia illi officium ſatis D ſuum faciunt, re autem vera, quia vel eos extimeſcunt, vel minimi eos laboris tædet, pigetq;. Melius in Philippica quarta Tullius. *Faciam*, ait, *vt Imperatores inſtructâ acie ſolent. Quanquam paratiſſimos milites ad prœliandum videant, vt eos tamen adhortentur. Sic ego vos ardentes & erectos ad libertatem recuperandam cohortabor.* Et magnus ille noſter Orator S. Leo ſerm. 9. de ieiunio ſeptimi Menſis: *ſcio quidem, dilectiſſimi*, ait, *plurimos veſtrûm ita in ijs, quæ ad obſeruantiam Chriſtianæ fidei pertinent, eſſe deuotos, vt noſtris cohortationibus non indigeant admoneri. Quod enim dudum & traditio* E *decreuit, & conſuetudo firmauit, nec eruditio ignorat, nec pietas prætermittit. Sed quia Sacerdotalis officij eſt, erga omnes Eccleſiæ filios curam habere communem, in id quod & rudibus profit & doctis, quos ſimul diligimus, pariter incitamus, vt ieiunium quod nobis ſeptimi menſis recurſus indicit, fide alacri per caſtigationem animi & corporis celebremus.*

Q. II. *Quid eadem tribus idem monuit Ioſue?*

Primò in memoriam ijs redigit v. 13. quæ Nũ. 32. inter ipſos & Moyſen tranſacta ſint: deinde ex ijs ipſis adhortationem inſtituit v. 14. ibi *vos autem*. In illis obſeruandum *primo* Moyſen illo F enconomio, de quo ſuprà q. 2. & 3. ornari, & quidem oportunè, vt maius in ijs quæ præcepiſſet, pondus, maiorque erga ipſum, vita licet functum. obſeruantia & obedientia ſit. *Deinde*, non eſſe Moyſis orationem, quæ incipit, *Dominus Deus veſter*,

Digitized by Google

veſter, &c. Nam de ipſo ſtatim dicitur, *quam tradidit vobis Moyſes*. neque in illo Numer. 32. aut vſquam alibi verbotenus inuenitur: ideoque illud, *dicens*, non ad verborum enumerationem, ſed ad ſententiam referendum. Sicque ſæpe in nouo teſtamento citatur vetus, non ſingulis huius verbis redditus: Sed ſenſu tantum. *Tertiò*. dicitur Deus requiem & terram Galaaditidem omnem, de qua ſermo eſt, hiſce tribubus dediſſe verſu.13. paulò pòſt verò verſu 15. hoc idem *Moyſi* tribuitur, nimirum dedit Deus, vt auctor & Dominus ſummus, dedit Moyſes, vt eiuſdem adminiſter & famulus. *Quartò*. Reprehendit Interpretem noſtrum Maſium, quod *iumenta* verterit, quæ Græcè κτήνη. Hebraicè *micneh* vocentur. Nam duobus hiſce nominibus ſignificantur maiores, minoreſque pecudes: illo autem Latino ſolæ maiores, quæ hominum. ſcilicet labores iuuant, vti boues, equi, aſini. vnde & pro *iumentis* reponit ipſe *pecudes*, cum tamen & hæ reſtringi poſſint. *Quintò* de manentibus iſtis vxoribus & paruulis, quærit à quæſt. 63. vſque ad 75. Abulenſis, quis eos interim ab hoſtibus defendit, agricolatione ſuſtentauit, illas etiam cõiugii vſu fœtauit. Sed de his & ſimilibus oportunius infrà c. 22.

In ipſa verò adhortatione venit illud *primo* notandum, hic Hebraicum *&* verti per, *autem*, quemadmodum & alibi non raro. *ſecundo* qui à noſtro Interprete, & à Græco Aquila vocantur *armati*, in 70. ſunt ἄζωνοι ſicuti infrà cap.4.v.13. in Hebræo חמשים *chemuſchin*. quos exponunt aliqui *quin nos*, vt quini videlicet, quinique proceſſerint: alii *ad lumbum vſque armatos*, quod 2. Reg. 2. cap. 23. *Chomeſch*, à 70. vertatur ψόα, id eſt, *lumbus*. Maſius *baltheo ſuccinctos & expeditos*. abſque *armis*, quia neque iis tam diuturna ſeruitute oppreſſis non poterant arma ſuppetere, neque, ſi ſeſe tanto ſtudio loricaſſent, ſatis in Dei præſidio ſpei fiduciæque fuiſſet. Verùm iam in Exodo dixi, vnde Iſraelitis arma eſſe potuerint, & agnoſcit ipſemet Maſius, è ſubmerſorum ſcilicet Ægyptiorum exuuiis, è Moabitarum, & Amorrhæorum nuper deletorum ſpoliis. Neque cõtra diuinam ſpẽ, & fiduciã eſt, ſi belligeraturi gladios, loricas, & omnis generis arma gerãt. Humanas enim artes, opera, & præſidia nõ reſpuit, Dei gratia. quin verò, niſi extraordinariã ſecus quidpiam ſuadeat Dominus, imprudentiæ, magnæque temeritatis foret, à Deo expectare omnia, ſtudii, armorum, & conatus aut nihil, aut non tantum, quantum recta, prudenſque dictat ratio, adhibere. Vetus illud: *Cum Minerua moue manum*. Et ſi Dei potentiam ſpectes, quid iſtarum tribuũ vllo prorſus comitatu, imò quid aliarum vllo etiam bello, & caſtrorum ordine opus fuiſſet? prout ſub capitis huius finem & ſubſequentis initium ipſe idem annotat Maſius & Abulenſis cap. 2. quæſt. 3.

Auxilium conatus amat. Quis namque vocantem
Adiuuet, aut ſomno virtutem iungat inerti?

Sed de hoc poſtea ſæpius, & in cap. 4. *Iudith* fol. 252. De equis quod obiicit videbimus eo loco, vbi hoc ſe idem auctor dicturum dicit. Rectè igitur vertit noſter *armatos*, vel quia lumborum tenus armati erant, vel potius quia armis quibuſcunque & quomodocunque prout illud tempus, vt cuiuſque ratio ferebat, vel denique quia ipſo ad iter paratu, ordine alacritate, ſuccinctu inſtructi: & ſic etiam accipi poſſunt *armati* Exod. cap. 12. verſu 18. vbi eadem, quæ hic, vox. de qua ibidem plura, & hic infrà cap. 4. verſu 12. vbi 70. διεσκευασμένοι. Sicque interpretũ diſſenſio nulla fuerit, cùm ſinguli aptam & verã vocis huius aliquam ediderint ſignificationem. quæ etiam prorſus ei congruit, quam habet nomen *chalutſim*, quod pro illo ponitur infrà ibidẽ verſu 13. vel *chuſchim*, quo in hac eadem hiſtoria ſemper vtitur Moyſes Num. 32. verſu 17. *Tertio* Ante fratres tribubus his eũdum erat. Sed quomodo? an in prima ſemper acie, primoque in viis, præliiſque loco eſſe debebant? Nam Hebræa vox, *liphne*, valet non tantùm, propriè *ante*, quoad locum & ordinem: ſed etiam quoad aſpectum & cognitionem. vt dicatur ſic *ante*, qui in alicuius oculis facili negotio eſt, ſiue præis eat, ſiue ſubſequatur, aut ad latus interior, exteriorue ſit. Ideo que ambigi poteſt, fuerintne *ante* quoad locum, an quoad cognitionem & conſociationem? Maſius & Caluinus hunc poſteriorem modum volunt, ideoque ait ille vertendum potiùs, *coram fratribus*. Et confirmari poteſt dupliciter. 1. Sic frequẽter in ſcriptura iſtud *liphne* accipitur, vt Geneſ. 1. verſu. 9. 2. Regum, 2. verſu 9. & quidem in hac ipſa narratione Num. 32. in Hebræo quinquies, verſu 21. bis verſ. 22. 27. & 30. licet Latino interpreti ſatis viſum fuit, ſemel exprimere verſu 21. Deinde. Ordo & caſtrametandi, & ex iis excedendi à Moyſe præſcriptus & ſeruatus Numer. 2. & 10. violandus iã eſſet. Nam in ſecundo tantùm ordine procedebãt Rubenitæ & Gaditæ: in tertio Manaſſæi. Prior tamen modus Abulenſi q. 80. & mihi magis placet. quia cùm vox aut phraſis aliqua rectè variis modis accipi poteſt, non ſimpliciter hæc vel illa, pro cuiuſque arbitratu, ſignificatio ſumenda, ſed quænam ei loco, de quo agitur, maximè conueniat, ſpectandum ex aliis in ſcripturæ ſenſu indagando vſitatis rationibus. At ex iſtis, videtur omnino cæteris tribubus haſce noſtras præiiſſe. Primo quia infrà c. 4. v. 12. vertunt 70. ἔμπροσθεν τῶν υἱῶν Ἰσραήλ. quod ad priorem, ipſius *ante*, rationem magis pertinere agnoſcit Maſius. Secundo noſter Interpres qui ſanè perantiquus, & perdoctus; ibidem adhuc clariùs eaſdem tribus in Iordanis tranſitu *præceſſiſſe* ait. Tertio quia Hebræum *liphne* pro anteriore loco ibidẽ accipi patet ex eo, quòd ante hæc verba proximè narratur v. 11. quemadmodum ſacerdotes perrexerint *ante populum*. Sed ordine primo, vt arca ſcilicet, ſuis cum ſacerdotibus populo dux foret, communis opinio eſt, à quã ne ipſe quidem abhorret Maſius, cùm eo loci ſcribit.

Illud, ante populum, anceps eſt. Commodè enim ſic interpretetur, vt ſignificet arcam ſe denuo itineris ducem præbuiſſe: atque per exſpectantem apud tranſmiſſum fluuiũ populum, ad principia penetraſſe. Hincque poſteà colligit probos antiſtites in omni officio ac virtitute primos & anteſignanos eſſe oportere. Quarto demum. quia ex iis, quæ obiiciebantur, alterum iam expoſitum eſt; alterum verò facile conceditur, ſtationum ſcilicet ac itinerum ordinem à Domino nunc immuta-

Digitized by Google

ἄνδρες ἰσχυροὶ δυνάμει, ἄνδρες ὀνομαστοί. & ſimiliter 1. Paralipomenon 7.5. de Iſſacharianis quibuſdam, cum alios verſu 4. tantùm dixiſſet *accinctos*, *ad prælium*, ſiue aciem bellicam. Hoc enim eſt in Hebræo, & in 70. *ἰσχυροὶ παρατάξασθαι εἰς πόλεμον* pro *fortiſſimos*, qui in noſtro textu ſunt, 2. Par. 26. verſ. 12. *Omnis numerus principum per familias, virorum fortium, duorum millium ſexcentorum.* cùm tamen nemeroſiſſimum alioquin exercitum haberet Ozias Rex, de quo ibi. Tertio, quia tria, quibus hanc opinionem delere nititur Abulenſis, nulla ſunt. *Primum*, filijs nō eſt tranſeundum. Vos autem tranſite. id eſt, omnes præter filios. Reſpondeo omnes præter hos, & eos, quos adiuncta roboris modificatio exceperit. *Secundò.* Mandauerat Moyſes, vt bellatores omnes tranſirent Num. 33. verſ. 21. Ergò, & Ioſue. Reſpondebitur paulò pòſt, cùm an peccarit Ioſue, diſſeretur. *Tertiò.* Aſſenſi ſunt Moyſi iubenti, vt tranſirent omnes. Ergo idem iis iam proponitur. Reſpondetur. Quia illud aſſenſi ſunt, potuiſſe quidem iis proponi: ſed magis eos commonet Ioſue, minus quid ab iis petendo. Conatur etiam idem Abulenſis oſtēdere, phraſin hāc omnibus ad bellum aptis tribui, quia Num. 1. verſ. 3. quicunque 20. agunt annum, & ad ætatē antea præfinitam iuuenes ſunt; vocantur *viri* fortes. Reſpondeo illic hoc Latinum nomen ſignificare id, quod poſtea verſ. 20. 22. 23. 25. & ſequen. effertur, per *procedentes ad bellum*, vt ex Hebræo apertè conſtat, & ex ipſis etiam 70. in quibus *ὁ ἐκπορευόμενος ἐν τῇ δυνάμει* eſt ille, *qui in exercitu progreditur* ad bellum ſcilicet cæteraque bellica. Hinc verò iam manifeſtum, quod ſuprà tāgebam; per verba hæc admodum multos à Iordanis tranſitu excipi, ſed inprimis eos, qui natu grandiores ſunt, imbecilli, viribuſque corporis minùs vigentes. Et per eadem verba excipi etiā potuiſſent ſexus ætatiſque infirmioris omnes, niſi voluiſſet Ioſue prius eos diſertim excipere, quos excepiſſet olim, iſtis tribubus ita petentibus, Moyſes: tumque his alios etiam plures adiungeret.

Sed rectenè, & abſque peccato id fecerit, ea porrò eſt *altera*, quæ ponebatur *quæſtio*. Nam cùm Num. 32. verſ. 21. tam ſignate dicat Moyſes *Omnis vir bellator armatus Iordanem tranſeat*, ſuſpicio fortè cuipiam incidat, vti notat quæſt. 75. Abulenſis, diſceſſiſſe à Moyſis præcepto noſtrum Ioſue. Sed quomodo diſcederet, qui iam iam à Deo verſ. 7. ne *ad dextram aut ſiniſtram* tantillum deflecteret, monitus erat, imò & qui in hac ipſa ſua exhortatione, tribus ipſas, ipſius Moyſis auctoritate, ac encomio interpoſito, tam grauiter officij admonet? *Rectè* igitur ibidē & 78. quæſt. *Abulenſis*, nihil hic à Ioſue peccatum eſſe: *ſed illud minus rectè*, quod ait, eo ſemper animo fuiſſe Ioſue, vt quiſquis ferre arma poſſet, in Chananæam cum tribubus alijs proficiſceretur: ſed cùm ſummam eorum omnium alacritatem, obediendique ſtudium ex eorum reſpōſo cognouiſſet, immutaſſe animum, ſatiſque ſtatuiſſe, ſi in belli ſocietatem venirent 40000. Nam ſpōte certa, animi ſui decreto, antequā illi quidquam reſponderent, *fortes* tātùm *manu* venire iuſſerat, manendi verò cæteris poteſtatem fecerat. Planum hoc primò ex iis, quæ de iſtis fortibus diſ-

A putata. Secundò ex ratione. Vel prouidebat Ioſue, conducibile haud eſſe, vt bellatoribus ſubacta nuper prouincia omnibus careret, vel non. Si prouidebat, quomodo, vt ex ea in Chananæam irent omnes, imperaſſet? Si non prouidebat, an non hebes & ſtupidus nimium? Quis tam demēs; vel parùm prouidus Imperator, qui non aduerteret, poſſe ſubactæ gentis reliquias rurſum coire, vicinos populos ſolicitare, vel hos ſua quadam ſponte, aut etiam periculi eiuſdem metu, poſſe arma corripere, in regionem à propugnatoribus nudam irruere, imbellem fœminarum ac puerorum turbam inuadere, totam ferro, flammaque atrociter ac impunè internecioni dare? Prouidit igitur ſapientiſſimus Ioſue hoc ipſum: & tanto ſuos, ſuorumque res, & cariſſima pignora, tamque præſenti obiectare periculo noluit: ſed vt eſſent in Galaaditide tuta, defenſa & munita omnia. 70000. inibi reliquit: & vt cæteras tamen tribus, pro virili, adiutarent. 40000. id eſt, omnium florem excerpſit. Intellexerat ſcilicet hanc Moyſi mentem fuiſſe: qui eadem, quæ dixi pericula, prudentiſſimo etiam animo proſpiciebat: maximè cùm tribus iſtæ ſignificaſſent Num. 32. v. 17. & *vniuerſos* quidem cum armis in Chananæam ire iuſſiſſe: ſed duntaxat, vt eorum exploraret animum ac videret an ſe ſuaq; tantùm quærerent, de fratrum commodis nihil aut parum laborarent. Vbi verò paratos ac voluntarios omnes ſenſit, priuatim poſtea Ioſue ſignificaſſe, præſidium in occupatâ iam Amorrhæâ relinqueret, ſecum verò vltra Iordanem, quot & quos videretur, duceret. At diuinæ tum cuſtodiæ fidēdum fuit, quemadmodum cùm ter in anno Hieroſolymā viri omnes conuenirent. Exod. 34. Ita ſanè, ſi quemadmodum illic, ita hac in re defenſionem promiſiſſet. Eo autem nihil promittente, audacia & temeritas quædam fuiſſet, ditionem paulò antè domitam, virorum omnium inanem relinquere, nulliſq; aduerſum hoſtium incurſiones, præſidijs, vrbes, & vicos communire. Tertiò, vel intelligebat etiam Ioſue, non eſſe omnes iſtarum tribuum copias ad inſtans bellum neceſſarias, vel non intelligebat. Si intelligebat, cur fruſtra tantam multitudinem fatigaſſet? Si non intelligebat, quomodo reſidere domi vllos paſſus eſt? Sed hæc ſatis: quibus conſentient quæ infrà cap. 22. v. 8. tradentur, & ab Abulenſi ibidem quæſt. 5.

Quintò & vltimo, in eadem adhortatione notanda illa v. 15. particula, *contra Solis ortum.* id eſt, verſus ſolis ortum. Ea verò etiam alibi vſitatur, vt Num. 32. v. 19. idq; quia *trans Iordanem* dupliciter dicitur. Nam cadit hic loquendi modus, in vtramque ipſius amnis ripā & latus. ſed alterum verſus Occidentem, alterum verſus Orientem. quia cùm Hebræorum præpoſitio à *tranſeundo* ducatur, certum ex alterutro latere in alterutrum tranſiri.

Tria ei reſponſa ſunt. *Prima*, obedientiæ ſummæ delatio, ſimpliciter & comparatè. *Simpliciter*, bipartitò. 1. quod omnia, quæ iam dixerat & monuerat Ioſue. *Omnia, quæ præcepiſti nobis, faciemus.* 2. quoad alia etiā plura. *Et quocūque, miſeris ibimus.* id eſt, ad quēcumque locum, vt vertunt 70. vel ad quamcunque rem & negocium, vt

Qv. III.
Quid iſta momenti Ioſua reſponſum?

Hebræa etiam ſumi poſſunt. niſi rem eandem aliter dici quis velit: & tamen maior ſaltem in repetitione vis foret. *Comparate* verò, *ſicut obediuimus in cunctis Moyſi, ita obediemus & tibi*. At verò ſæpe illi non obedierant, vt murmurationes tot declararant, & ipſemet Moyſes Deuter. 31. verſ.27. Dici poteſt 1. eos qui non obedierant, variis per ſolitudinem exitiis è medio pridem ſublatos eſſe; hos verò, qui iſta loquuntur, verè ſemper modeſtos, morigeroſque fuiſſe. Si Deuteronomii citatum locum vrgeas, in quo ad viuos & præſentes ſermo eſt, reſpondendum, ibi haberi rationem populi, qui vnus & idem, ob breuem temporis interiecti moram moraliter cenſetur, & is, in quo immorigeri & contumaces, vna cum morigeris & obſequioſis fuerunt, & in quo, illis extinctis, hi iam ſoli ſunt. 2. Loquuntur reſpectu eius, quam Moyſi præſtiterũt, obedientiæ. Quamuis enim ea interdum vel æquo minor, vel omninò nulla fuerit, ſæpius tamen & conſtantiùs aliqua & magna fuit. Quomodo enim alioqui tot in peregrinatione annos duraſſent, hucque tandem loci ac termini deueniſſent? Quin etiam cenſeri poteſt, inobedientiam nullam fuiſſe, quòd repetitis pœnis ea ſemper expiata videatur: ideoque nec eius vllam iam eſſe memoriam, aut veſtigium. 3. Melior & ſanior populi pars loquitur, ſignificando & quid à ſe factum, & quid ab omnibus faciendum fuerit. Id verò ſe paratos omnes reapſe poſthac diligenter alacriterque facere. Verùm Scyllã dum fugio, in Charybdim perferor. Seſe iſti laudant? ſuam iactant obedientiam? *Obediuimus*, aiunt *in cunctis Moyſi*. Eſt aliqua quidem hæc laudatio, ſed non inanis, nulla vero iactantia. Modeſta ſiquidem & demiſſa futuræ obedientiæ confirmatio eſt è præteritâ, & ex inſigni ducum ipſorum æquiparatione. Videri enim poſſet, Moyſis apud ipſos valuiſſe auctoritatem, vt eius paruerint mandatis: non autem tãti apud eoſdem fore ipſum Ioſue. Non ita, inquiunt, eſt. Sed ſi Moyſi obediimus, obediemus & Tibi. Par amborum veſtrorum imperiũ, par à DEO in principatu auctoritas. Par igitur & noſtrum erit obſequium. Nihil tibi quàm illi à nobis expectãdum minùs. Hæc recta & modeſta cùm ſint, & à noſtro textu cùm exprimatur, quidnam illud eſt, quod ait Maſius. *Hic Iſraelitæ ſe de obedientiâ non iactant, quod Latina tranſlatio, mendosè profectò, expreſſit?* Vbi & quod quæſo mendum? Nam verbo tenus in Hebræo eſt. *Secundum omnia, prout aduerſus Moyſen audientes fuimus, erimus & erga te*. In 70. *Iuxta omnia, iuxta quæ, Moyſi obtemperauimus, obtemperabimus tibi*. Quid inter hos & Interpretem noſtrum, ſi non verborum ordinem, ſed rem ac ſentẽtiam ſpectes, diſcriminis? Quid noſtra differt ab ipſiuſmet verſione, quæ ex Hebræo ſic habet. *Omnino, vt Moyſi auſcultauimus, ſi auſcultabimus tibi*: ex Græco ſic. *Omnibus modis, ſicut obtemperauimus Moſi, ſic obtemperabimus tibi*.

Alterum, quod reſponſum eſt. *Tantum ſit Dominus* DEVS *tuus tecum, ſicut fuit cum Moyſe*. Quorũ verborum duplex eſſe poteſt ſententia: exceptiua vna, votiua verò altera. *Exceptiua*, In omnibus Tibi quidem obediemus, modò tu DEO conſentanea præcipias, ipſius legi nihil repugnes. *Votiua*. O, velit tibi adeſſe Dominus: optamus,

A illumque rogamus, vt quemadmodum cum Moyſe, ſic tecum ſit. eademque bipartita expoſitio, in reſponſi verbis vltimis locum habet. *Tu tantum confortare, & viriliter age*. Ac prior quidem illa exceptiua Rabbinis Dauid Kimhio, Leui Gerſonidæ, Thalmudicis cap.13. tractatus *ſanhedrin* magis placet: Maſio, mihique poſterior optatiua. Primò, quia quando Principi maximè nouo, aliquid loquenti ac monenti annuit populus, ſolet huiuſmodi crebrò vota intexere. vt *Viuat Rex. Longa vita Principi:* DEVS *Domino no-*

B *ſtro auxilietur*, & ſimilia. Secundò, quia in tanta tam promptæ ac obedientis voluntatis ſignificatione parum aptè fuiſſet modò appoſitum, quod apud omnes gentes, etiam barbaras, clariſſimum & receptiſſimum eſt, quod rationis humanæ iudicium præſcribit omnibus, quod in omni fœdere, pacto & promiſſo intelligitur: niſi ſcilicet id contra DEVM ſit, contra fas, & æquum. Nimium enim ipſi Principi viderentur diffidere, qui in publicâ veluti gratulatione ac plauſu conditionem hanc acclamarent. quæ in

C ſyngraphis etiam & codicillis, vbi exiliter & ad viuum reſecantur magis omnia, vix apponitur: licet ob rei euidentiam & neceſſitatem abeſſe nunquam cenſeatur. Illud enim *vſque ad aras*; nõ in amicitiis tantùm & ſocietatibus, ſed in omnibus, vt dixi, paciſcendi, pollicendi, obediendique generibus locum habet: quamuis verbo taceatur. Dicunt verò, *Dominus* DEVS *tuus*, potiùs quàm *noſter*: vt ipſius Ioſuæ animum, auctoritatemque augeant, quaſi ei valde ſit DEVS propitius & amicus: ipſe cõtrà illum colat valdè & reuereatur.

D *Tertium* eſt, pœna quam ſponte ipſi ſuâ inobidientibus conſtituunt. *Qui contradixerit ori tuo, & nõ obedierit cũctis ſermonibus, quos præceperis ei, moriatur*. Qui Moyſis violarant præcepta, ij ferè ſemper non è Moyſe, ſed à DEO ipſi puniti ſunt. Hi verò volunt, & aduerſum ſeipſos decernũt. vt ſi quis vnus Ioſuæ in omnibus & ſingulis morem non geſſiſſet, in eum, etiamſi diuina ilico, vindicta, quæ differtur crebrò; non adeſſet morte tamen animaduerteretur. Iam apud gentes a-

E lias, pœnarum genera erant varia. Nam vel fortunas, vel corpus affligebant. Idque vel carcere, vel plagis ac verberibus, vel morte. Ad fortunas ſpectat ζημία τῶ βίυ id eſt, *mulcta in facultatibus* Eſdræ.1.cap. 7. Ad *carcerem* παράδοσις ibidem. Ad *plagas* & verbera, παιδία. id eſt, caſtigatio ibidem. Vbi tamen *exilium* à noſtro conuerſum eſt. quod de eo non accipiendum, quo ad gentes & ſola quædam alia ire cogũtur ſontes (Hoc enim exilij genus apud Iudæos negat lib. contra Apionem Ioſephus) ſed de eo, quo in alias

F quaſdam Iſraeliticas vrbes verbi cauſâ quæ *refugij* erant. vt ex Deuterono. 21. confirmat lib. 6. de Iudaica Republ. Sigonius cap. 8. *Mons* denique in eodem Eſdræ loco poſita eſt. & omniũ quidem prima. Mirari ergo nunc libet, quòd inobedienti non mulctam qualemcunque, non carcerem, non verberationes, ſed pœnarum ſũmam, mortem infligi ſtatuũt. Tãtus ſcilicet parendi ardor erat. Sed hoccine approbauit Ioſue? Non liquet. Quæ tamen ipſius bonitas, clementia, & Moyſis imitatio erat puto reipsâ non approbaſſe, niſi forte in rebus quibuſdam grauiſſimis,

Digitized by Google

uiſſimis, maximique momenti, vt infrà in *Achan* videbimus: ſicque in officio magis omnes contineret, quâ reuerentiâ, quo impoſitæ pœnæ metu.

Qv. VI. *A quibus reſponſi hoc datum Ioſuæ.*

Hoc, ait Maſius, *reſponſum, ego certè non iſtarum trium, ſed omnium ſimul tribuum eſſe exiſtimo, quæ iam per ſuos tribunos, aut alios primæ auctoritatis viros ad Imperatorem allegatos, ſolemniter ipſi deferunt imperium & obedientiam ſuam atque obſequium.* At ſanè iam pridem ſolemniter & imperium & obedientiam Ioſue detulerant omnes tribus, primò quidem quadantenus Num. 27. poſteaquam à Deo & Moyſe Ducem creari, tantoque commendari opere viderant, & rurſum Deuteronom. 31. dum vnà cum Moyſe in ſacra tabernaculi æde ſtare, cum Deoque ipſo qui aſpexerant: ſed omnium maximè, ſtatim ac vita functus eſt Moyſes, vt quæſt. 1. pag. 1. huius capitis aiebam. Neque enim abſque capite, cui parere ſponderent, tanta multitudo in alieno & peregrino loco, & ſolo rectè morari: neque tandiu tam debitum, neceſſariumque officium differre vllo modo potuit, niſi eſſet ſtultiſſima, inertiſſima, & contumaciſſima Hinc Deuteronom. vlt. verſ. 9. dicuntur filij Iſrael, poſt Moyſen eluctum, non obediendi animum detuliſſe; ſed ipſum iam opus. *Et obedierunt*, ait ille textus, *ei filij Iſrael.* Deinde ſi ſolemne hoc obediendi officium ei nondum detuliſſent tribus omnes, quomodo iis prius quidquam imperare auſus fuiſſet? Quomodo non totam ad ſe multitudinem acciiſſet, idque ab iis officium exegiſſet? Sed iure, ordineque omni prætermiſſo, populi principibus dixiſſet, *Tranſite per medium caſtrorum, & imperate populo?* Præterea verò, cùm verſ. 16. dicitur. *Reſponderuntque ad Ioſue, ac dixerunt*, nonne clarè ſatis ſignificatur, reſpondiſſe illos, quos præſentes coram ſe habebat, quibus loquebatur, quibus quæ iam expoſita ſunt quæſt. 2. proponebat? Hi autem ſunt, vt verſ. 12. notatur, *Rubenitæ, Gaditæ, dimidiaque tribus Manaſſe.* Ab his igitur Ioſuæ reſponſi hoc datum. An verò quod adiungit Maſius, illud Deuteronom. 18. verſ. 15. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus* Devs, ad Ioſue, vt Chriſti typum, formamque pertineat, inibi, & Act. 3. verſ. 22. cap. 7. verſ. 37. dictum eſt.

Q. V. *Cur talia hæc monuit Ioſua.*

Cva præ cæteris tribubus, haſce tres monendas duxiſſet Ioſue, quærebatur quæſt. 1. nunc verò, cur hiſce iiſdem tribus tribubus, talia propoſuerit de Iordanis tranſitu, ope fratribus ferenda, iis præeundo. *Cauſa* verò *prima* eſt, quòd Principis boni ſit, quæ ſingulis accommodata ſint, diſpicere, iiſdemque proponere. Et iam quidem à Moyſe iſta eadem acceperant, memoriaque nunc, vt quæſt. 1. dictum cuſtodiebant, & effecta vltro dare volebant, eorum tamen, quæ prudentis namque Ducis eſſent, prætermittere nihil voluit Ioſue. Homerus fine Iliad. 12. Ἄλλον μὲν &c. Quintilianus lib. 1. cap. 4. Sopater ad Hemeterium fratrem, apud Stobæum ſerm. 44. *Altera*, quòd explicare ac definire idem Dux voluit, quod inuolutum ac infinitum à Moyſe coram populo dictum erat, & huic priuatim euolutum ac ex-

A planatum, vt ſcilicet non omnes ac ſinguli è tribubus iſtis, qui per ætatem ad arma iam habiles haberentur, vltra Iordanem ducerentur, ſed, vt quæſt. 2. dicebam, ex iis tantùm aliqui, quos nimirum deſcripſiſſet. *Tertia*, quòd eo ipſo eorum alacritatem acuere magis voluit, cùm pauciores multo quàm ſuſpicati fuiſſent, ab iis peteret. Cùm enim eſſent 110580. ex iis non accepit, vti potuiſſet, 100000. non 900000. vel 800000. non denique dimidiam ſaltem partē, 55290. ſed 40000. tantùm. Magna ſubditis ad

B parendum illecebra eſt, cùm minus quàm poſſunt, aut putant, ab iis exigunt Præpoſiti. *Quarta*, quòd minorē hūc numerum ea definire nota voluit, quæ vt, ob paucitatem, tribus iſtas exhilararet: ita cæteris triſtitiæ nihil afferret. Lectiſſimos enim quoſque ac fortiſſimos ſignificauit deligendos, quorum vtique præſentia & vigor magnum ad inſtantis belli molem afferre poterat momentum. Et in hoc maxima Ioſuæ prudentia & moderatio elucet, qui ita parti vni conſulit, vt alteri nihil obſit: ſed illud Apoſtoli

C omnibus iam inculcet. *Non vt alijs ſit remiſſio, vobis autem tribulatio: ſed ex æqualitate* 2. Corinth. 8. verſ. 13. *Quinta.* Voluit Ioſue, vel per eum diuinus Spiritus docere, quæ in Eccleſia Dei eſſe deberet ſocietas & opitulatio. Fratrum quidem noſtrorum hæreditatem opimam planeque vberem iam acceperunt trans Iordanem in cœleſti Galaad. Nobis fluuius iſte adhuc tranſenndus: nobis bellum adhuc gerendum, manus adhuc cum hoſtibus qui immanitate barbari, & multitudine innumerabiles, conſerendæ. Quid?

D Deſerentne nos noſtri illi fratres? nullum ab iis auxilium? Nullus comitatus? Ecce nobiliſſima triumphantis illius Eccleſiæ pars, Sancti Angeli nobis comites, adiutores, & cuſtodes. Qui vitam hac in terra egerunt, ſancti nobis prægrediuntur exemplo, prece, adiutorio. *Horum*, ait S. Bernardus ſerm. 2. in feſto omnium Sanctorum, *memoria langorem, teporem, erroremque depellit, cùm eorum interceſſione iuuetur noſtra infirmitas, conſideratione beatitudinis excitetur neglegentia noſtra, ignorantia quoque noſtra ipſorum erudiatur exemplis.* Sed

E in hac quoque terra noſtra iuuare alios alij debemus, & maximè qui perfectiores iam ſunt. *Debemus*, ait S. Paulus Rom. 15. ve. 1. *nos firmiores, imbecillitates infirmorum ſuſtinere.* Quid? qui pacatam in religionum ſacrarum receſſu ſedem iam obtinent, præpingui lectionis, precationis, receſſus, & contemplationis gleba fruuntur, ſi ſuis in Eccleſia Catholica fratribus à Chananæis, id eſt, hæreticis, grauiumque ſcelerum ſatoribus impendere periculum videant, nonne quieti, ſacroque ſuo illi ocio arma, tubas, pugnas ante-

F ponēt? Teſtis apud Theodoretum in S. Patrum hiſtoria in Euſebio eremita cap. 4. admirabilis *Amraianus*: ſerm. 9. 12. & 40. in Cantica *D. Bernardus*: apud Caſſianum collat. 24. cap. 13. *Macarius* in librorum contra Filidinum præfatione. *Aphraates*: & apud S. Brigittam lib. 4. cap. 128. ipſemet *Chriſtus Dominus. Si*, ait S. Gregorius libro 6. epiſt. 5. *vnigenitus Patris, pro explenda vtilitate omnium, de ſecreto Patris egreſſus eſt ad publicum noſtrum, nos quid dicturi ſumus, ſi ſecretum noſtrum præponimus vtilitati proximorum?* Sunt aliæ veterum pulchræ ac vtiles allegoriæ:

Digitized by Google

Origenes ho.3. *Vide, ait, mihi hodie laboranti in agone vitæ huius, & habenti certamen aduerſus inimicos, id eſt contrarias poteſtates, quomodo in auxilium veniunt illi qui ante aduentum* CHRISTI *Domini mei in lege iuſtificati ſunt. Vide quomodo Eſaias mihi præſtat auxilium, cùm me ſermonibus ſuæ legis illuminat. Vide accinctum & expeditum venientem Hieremiam ad auxilium noſtrum, & ſui voluminis iaculis hoſtes acerrimos, & cordis mei tenebras effugantem. Accingitur & Daniel ad noſtrum auxilium, cùm nos de Chriſti præſentia ac regno, & de Antichriſti futura fraude inſtruit & præmonet. Adeſt & Ezechiel ſacramenta nobis cœleſtia in quadriformibus rotarum circulis ſignans, & rotam concludens in rota. Ducit & Oſee biſſenas prophetici agminis turmas, & procedunt omnes ſuccincti lumbos in veritate quam prædicant ad auxilium fratrum ſuorum, vt eorum voluminibus inſtructi, diabolicas non ignoremus aſtutias. Iſti ergo qui viri fortes ſunt, armati & præcincti lumbos in veritate exeunt in auxilium noſtrum, & pugnant nobiſcum. Infantes autem, & mulieres non exeunt ad prælium noſtrum. Nec mirum, infans enim dicitur qui non loquitur. Quid me ergo adiuuare potuit ille qui nihil locutus eſt? cuius nihil inuenio quod legam? cuius ſermo non inſtruit? Mulierem verò dicit Apoſtolus infirmum vas eſſe. Vnde & conſequenter, infirmum vas ad conflictum non venit, ne confringatur & pereat. Sic namque & de Ieſu Domino in Euangelijs dicitur, quia calamum quaſſatum non confregit. Quia ergo mulieres à viris ſuis domi doceri iubentur, & magis in diſcipulorum quàm docentium perſona ponuntur, ad auxilium meum non venit qui docere me non poteſt, & cuius nihil inuenio quod imitari debeam, vel tenere* Rupertus c.9.lib.1. Ioſue. *Rubenitæ & Gadditæ, & dimidia tribus Manaſſe ante tranſitum Iordanis, ante introitum terræ repromiſſionis iam ſortiti poſſeſſiones, myſticè eccleſiaſtici ſunt ordines, qui iam in hoc ſeculo & vita præſenti, vt inſtantiùs & ex debito verbum* DEI *annuncient, licitas & ex Euangelio ſibi conceſſas facultates accipiunt, vt illis euangelizare vacet, vt eos non ſolùm pro ſpe futurorum, rerū &, pro re præſentium Chriſtum annunciare delectet. Vos ergo, inquit, mementote ſermonis, quem præcipit vobis Moyſes famulus Domini. Mementote ſermonis, mementote profeſſionis, mementote legis & debiti, mementote officij vel Præpoſiti veſtri. Nam væ vobis eſt, ſi non pugnaueritis, quia iam pugnæ ſtipendium accepiſtis: ſi non euangelizaueritis, qui de euangelio viuitis. Armati tranſite ante fratres veſtros, omnes fortes manu, & pugnate pro eis: armati inquam verbo & opere, & fortes manu: ne fortè alijs prædicantes, ipſi reprobi efficiamini. In his verò omnibus, præclarum vti ſemper alias, Ieſu Chriſti Domini noſtri typum gerit Ioſue, quia omnis illius oratio, cohortatio, & vita in charitatis commendatione ſemper verſata eſt. Mandatum, aiebat Iohan. 13. verſ.34. do vobis, vt diligatis inuicem: ſicut dilexi vos vt & vos diligatis inuicem.* Cætera quæ in prudentiæ ac lenitatis maximæ ſunt, quam in Chriſto Ieſu expreſſa omnia?

QV. VI. *Quid è tribuum trium reſponſo diſci queat?*

Obedientia primò ab iis diſcenda. *Vir obediens loquetur victoriam.* Prouerbiorum 21. verſu 28. & quidem DEO gratiſſimum obediendi genus, quod pro aliorum ſalute ſuſcipitur, quemadmodum & Chriſtus Dominus Philipp.2. *factus eſt obediens, vſque ad mortem, mortē autem crucis.* Sūt verò, quibus ſi quid indulgeant ſuperiores, ſi minus quàm ſummo iure poſſint, præcipiant ea, illorum patientia & fecilitate abuti ſoleāt, vt quemadmodum vulgo dici ſolet, ſi concedatur digitus, totam ij manum accipiant. Non ſic tribuum iſtarum tribules, quin potius ad maiorem ſunt excitati alacritatem, quæ *alacritas ſecundo* etiam loco nobis diſcenda eſt: ita, vt cum ſuperioribus ſancta quadam pugna certemus. Minus illi poſcant: nos offeramus plus, aut certè quanta poſſumus accurratione, quod poſcunt, præſtemus, memores tamen illius ſemper, vt cùm fecerimus omnia, dicamus: *Serui inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus.* Lucæ 17. verſu 10. *Tertiò.* Sunt alii, quibus obediendi ſtudium ſit, ſed non niſi magnis quibuſdam, & admodùm nominatis hominibus · eorum ſucceſſoribus minus forſan celebratis, non item. Mitto illos, qui in militia tantùm *Cæſares* & *Alexandros* quibus obediant, requirant, in Rebuſpublicis, *Solonas & Licurgos.* Videas in Religioſorum familiis interdum nonnullos, quibus vel in ore, vel certè in opere; Antonio, Macario, Benedicto parerem, ſed iſte, qui modò hæc præcipit, quis? Sanè verò ſi recte ratiocinabimur, plus quiddam præſtantiæ, dignitatis, & gloriæ in *Moyſe*, quàm in *Ioſue* inerat. Illa tot iam annos, tot & tam præſentibus: DEI teſtificationibus ac elogiis, tot tantiſque miraculis & prodigiis, parta, conſeruata & amplificata illi erat: & verbo vt dicam, Moyſes Magiſter fuerat, Ioſue diſcipulus, quia tamen par erat imperandi ius, nihil minùs ſe huic, quàm illi obſequuturos, magna ſapientique voce, noſtri iſti ſpoponderunt. Non eorum qui præſunt magna nomina, ſed poteſtas, & is, ob quem his obeditur, intuēdus Domin⁹. *Quartò.* Sed cogitemus in hiſce tribubus piorum Iſraelitarum vocem. Moyſi obedierant: volunt igitur & Ieſu Chriſto ſimiliter obedire. *Videamus*, ait loco antea citato Origenes, *quid dicunt ad Ieſum iſti qui veniunt ex illa terra quam diſtribuit Moyſes: ſicut audiuimus (aiunt) Moyſen ita audiemus & te. Nihil tam verum, quàm quòd omnis qui audit Moyſen, audiat & Ieſum Dominum noſtrum. De Ieſu enim ille ſcripſit. Vnde & Dominus in Euangelio arguens eos, quia ex eo quod ſibi non credunt: nec Moſeo credant: dicit: Si crederetis Moyſi: crederitis vtique & mihi De me enim ille ſcripſit. Ioan. 5. verſ.* 46. Sed ego plus quiddam optem. Illi obedierant in cunctis Moyſi, nos multo magis, multoque ſtudioſiùs & conſtantiùs eidem Ieſu Chriſto Domino ac Saluatori noſtro. Maior enim hic quàm ille Moyſes, & maius ei iubendi ac imperandi ius. *Quintò. Eſt*, ait Maſius, *obſeruanda optantis populi proba religio, qui Moſis omnem felicitatem non eius fortunæ, ſed* DEO *acceptam referant: neque Ioſuam porrò poſſe res proſperè gerere, niſi huius ope adiutum cognoſcant.* Sed ſi Ieſum noſtrum in Ioſue ſpectemus, ipſi non aliter quàm DEO quidquam optare poſſumus, aut debemus, vt cum eius nimirum membris, Eccleſiâ totâ, & ſingulis eius partibus.

Sicque

ſit DEVS: huius in illis fiat voluntas: ab his illi A
laus & gloria reddatur. Sicque compleatur
magis & magis illud Iſaiæ cap. 53. verſ. 10.
Voluntas Domini in manu eius (CHRISTI)
dirigetur. Sed ſi in eodem Ioſue Reges, Prin-
cipes, ac, vt S. Auguſtini verbo vtar;
præditos noſtros auſpiciamus, æquum
profectò eſt eadem iis crebro ex animi
ſententia, voueamus, à Saluatore ipſo precemur
vt cum iis DEVS ſit: ipſi, in tantis gubernandi B
laboribus, moleſtiis, & periculis confortentur,
viriliterque agāt. *Obſecro*, ait S. Paulus 1. Timot.
2. verſ. 1. *primum omnium fieri obſecrationes, oratio-
nes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus ho-
minibus, pro regibus & omnibus, qui in ſublimitate
ſunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in om-
ni pietate & caſtitate. Sciendum eſt*, inquit S. Gre-
gorius libro 6. epiſtola 5. *quia vt nobis liceat rectam
fidem liberè fateri, & cuncta quæ agenda ſunt, concor-
diter in pace diſponere, pro Sereniſſimorum Domino-
rum vitâ, propriâ quoque ſobole inceſſanter orandum
eſt, vt omnipotens* DEVS, *eorum pedibus barbaras na-
tiones ſubyciat: longa eis & felicia tempora concedat,
quatenus per Chriſtianum imperium ea, quæ in* CHRI-
STO *eſt, fides regnet.* Itemque epiſtola 7. de nouo
Epiſcopo. *Sicut is, qui vobis plebibuſque prælatus
eſt, intercedere pro omnibus: ita vt pro eius conuerſa-
tione & moribus orare omnes debetis, vt apud omnipo-
tentem* DEVM, *& vos illius valeatis imitatione pro-
ficere, & ille meritis veſtris adiuuetur. Cuncti autem
concorditer pro ſereniſſimis Dominis eorumque pia ſo-
bole, cum magnis iu quantum poſſumus, aſſiduè fle-
tibus oremus, vt eorum vitam gratia protegens ſuperna
cuſtodiat, & Chriſtiano Imperio gentium colla ſubſter-
nat.* Noſtriſque hiſce temporibus accommo-
datiſſime libro 9. epiſtola 40. *Pro vita piiſſimi
& Chriſtianiſſimi Imperatoris Domini noſtri, & tran-
quilliſſima eius coniuge, & manſuetiſſima ſobole ſem-
per orandum, quorum temporibus ora hæreticorum
conticeſcunt: quia etſi eorum corda in inſania peruerſi
ſenſus ebulliunt, orthodixi tamen Imperatoris tempore
praua, quæ ſentiunt, eloqui non præſumunt.*

CAPVT II.

1 MIſit igitur Ioſue filius Nū de Setim duos viros exploratores in abſcondito: &
dixit eis: Ite, & conſiderate Terram, vrbemque Iericho. qui pergentes ingreſſi
ſunt domum mulieris meretricis, nomine Rahab, & quieuerunt apud eam. 2. Nuncia-
tum que eſt regi Iericho, & dictum: Ecce viri ingreſſi ſunt huc per noctem de filiis Iſ-
rael, vt explorarent Terram 3. Miſitque rex Iericho ad Rahab dicens: Educ viros, qui
venerunt ad te, & ingreſſi ſunt domum tuam: exploratores quippe ſunt, & omnem
Terram conſiderare venerunt. 4. Tollenſque mulier viros, abſcondit, & ait: Fateor,
venerunt ad me, ſed neſciebam vnde eſſent: 5. cumque porta clauderetur in tenebris,
& illi pariter exierunt, neſcio quo abierunt: perſequimini cito, & comprehendetis eos
6. Ipſa autem fecit aſcendere viros in ſolarium domus ſuæ, operuitque eos ſtipula
lini, quæ ibi erat. 7. Hi autem, qui miſſi fuerant, ſecuti ſunt eos per viam, quæ ducit
ad vadum Iordanis: illiſque egreſſis ſtatim porta clauſa eſt. 8. Necdum obdormierant
qui latebant, & ecce mulier aſcendit ad eos, & ait: 9. Noui quod Dominus tradiderit
vobis Terram: etenim irruit in nos terror veſter, & elanguerunt omnes habitatores
Terræ. 10. Audiuimus quod ſiccauerit Dominus àquas Maris rubri ad veſtrum
introitum, quando egreſſi eſtis ex Ægypto: & quæ feceritis duobus Amorrhæorum
regibus, qui erant trans Iordanem: Sehon & Og, quos interfeciſtis. 11. Et
hæc audientes pertimus, & elanguit cor noſtrum, nec remanſit in nobis ſpi-
ritus ad introitum veſtrum: Dominus enim Deus veſter ipſe eſt Deus in cœlo
ſurſum, & in terra deorſum. 12. Nunc ergo iurate mihi per Dominum, vt quo-
modo ego miſericordiam feci vobiſcum, ita & vos faciatis cum domo patris mei;
detiſque mihi verum ſignum, 13. vt ſaluetis patrem meum & matrem, fratres ac
ſorores meas, & omnia quæ illorum ſunt, & eruatis animas noſtras à morte. 14.
Qui reſponderunt ei: Anima noſtra ſit pro vobis in mortem, ſi tamen non
prodideris nos. cumque tradiderit nobis Dominus terram, faciemus in te mi-
ſericordiam & veritatem. 15. Demiſit ergo eos per funem de feneſtra: do-
mus enim eius hærebat muro. 16. Dixitque ad eos: Ad montana conſcendi-
te, ne fortè occurrant vobis reuertentes: ibique latitate tribus diebus, donec
redeant, & ſic ibitis per viam veſtram. 17. Qui dixerunt ad eam: Innoxij eri-
mus à iuramento hoc, quo adiuraſti nos: 18. ſi ingredientibus nobis Terram, ſi-
gnū fuerit funiculus iſte coccineus, & ligaueris eum in feneſtra, per quā demiſiſti nos:

mo iter inſtituendum, cognoſcendam. Nunc verò, cum omnia hæc à Ioſue viſa ſint & narrata, à pleriſque audita, omniumque animis cognita & percepta ſint, alia quædam intelligere cupit Ioſue. quæ ſcilicet vrbis proximæ munitio, quis belli apparatus, quæ animorum ad illud vis & ardor, quis hoſtilium copiarum numerus & ſimilia, quæ temporis huius ratio ſuadebat. Nam primi illi exploratores, anno Ægyptiaci exitus altero, hi vel 40. exeũte vel 41. ineunte mittuntur, prout inferius dicendum. *Ad tertium* Mendatio & nequitiæ reducum exploratorum extitit illud, quidquid fuit, malorum. At Ioſue veritatem tum dicebat: & eam modo quærebat: è qua periculi nihil, ſed boni plurimum certò confidebat. Quod ſi ab exitu res tota pendenda, nè & Moyſes, qui explorationem illam inſtituit, & Deus, qui annuit, in culpã vocabãtur. Sed —— *careat ſucceſſibus opto.*

Quiſquis ab euentu facta notanda putat.

Neque ſi quid male aliquando, aliquorum culpa, ſucceſſit, id nunquam iterandum, ſed vitiũ quod fuit, corrigendum, & è fuga in pugnam redeundum. καὶ γὰρ οἱ φυγόντες μαχήσονται. Ad *quartum* putat Maſius ipſum Ioſue ad hoc vltro à Deo excitatum fuiſſe, vt poſt ſuperiora, quæ audiuimus, promiſſa, benigniſſimus Pater ſuum Imperatorem, vtpote hominem; hoc inſuper ſpeculatorum bono nuncio animaret. Alij, Ioſue Dei oraculũ per *Vrim & Thummim* ſciſcitatum aiunt. Et vtrumque quidem probabile eſt, ſed quia neutrum in textu innuitur, & quod fecit Ioſue, rei bellicæ peritis ducibus omnibus vſitatum eſt, prudentia magiſtra iſtud ab eo factum reor potius cum Abulenſi q. 3.

Q. II. *Quot exploratores iſti?* Dvos fuiſſe ait textus, ſed cur neque plures, neque pauciores? Nam ſane miſerat olim Moyſes XII. Num. 13. & ſuprà lib. 1. c. 8. & ſpeculari poteſt vnus omnia tutiſſimè. Cur tunc potuerit *plures* mittere Moyſes, cauſa eſt, quia minus tum de iis erat ſuſpicionis, cũ pacata, & ab omni bello, bellique rumore tranquilla eſſent omnia. Nunc verò cum ingentes Iſraelitarum copias iam adeſſe, maximas Amorrhæorum ſtrages nuper edidiſſe, regionemque totam occupaſſe conſtaret, ſuſpectiora erant omnia. ita vt tanto numero peregrini & ignoti, quin exploratores iudicarẽtur, progredi haud poſſent, cum & duo etiam iſti deprehenſi ſint. Deinde illi à toto populo, ad totam terram gentemque luſtrandam, ſtudioſeque contemplandam mittebantur: hi verò ad propinquam tantummodo vrbem, vicinumque locum. Duodecim verò illi fuerunt, quia tributim delecti, & emandati. *Vnũ* verò mittere, fuit quoad ſuſpiciones quidem & pericula tutius: ſed non quoad explorationis fidem & dexteritatem. Plura enim vident duo quam vnus: meliùs omnia meminerunt, accuratius expendunt, certius inter ſe conferunt, de iis deliberant & loquuntur, duobuſq; plus creditum quam vni. Et in ipſis itineribus ſeſe mutuo excitant, docent, confirmant. *Melius* eſt ergo *duos eſſe ſimul, quam vnum*, ait Eccleſiaſtes c. 4. verſ. 9. *Habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ. Si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ ſoli, quia cùm ceciderit, non habet ſubleuantem ſe.* Et docet Ariſtot. Ethicorum 8. principio, ipſiuſque Doctor Pla-

A to in Protagora; firmiores, melioréſque à pluribus quam ab vno decerni ſententias. Vnde Homericũ illud à Cicerone l. 9. ad familiares, & l. 9. ad Attic. laudatur toties σύν τε δύ' ἐρχομένω. quod quia huic loco maximè conſentaneum eſt, Latinos ex Iliad. x. verſus referam. Ad explorandũ ſiquidem, quid contra Græcos molirẽtur Troiani, ſeſe vltro iuuenis & robuſtus offert Diomedes, ſed ita, vt comitem, hiſce poſtulet.

At mihi ſi qui alius veniat comes, ille futurus
Solamen: fueritque ſimul fiducia maior,
Si duo coniuncti veniant. Dein hic prior illo
B *Si quid opus facto videt. At qui ſolus & vnus*
Quamuis perſpiciat, tamen eſt mens ſegnior illi, &
Conſilium tenue.

Qvinam verò ij exploratores fuerint, non eſt memoriæ proditum. Cum tamen eorum, quos ad idem muneris ablegarat olim Moyſes, edita omnium nomina ſint Num. 13. cauſas edit Maſius, quod hi Ioſuani à ſolo Ioſue miſſi fuerint, Moſaici à toto populo: hi obſcuri homines fuerint, illi clari & primarij: hi neque in bonã, neque in malam partem memorandum quidpiam egerint: illi vero vel inſigni ſcelere ac exitio, vel præſtãti fide ac religione ſpectatiſſimi ſint. Sed cauſæ iſtæ, vel idoneæ ſatis non ſunt, vel etiam falſæ. Nam, vt legatorum reticeantur, vel afferantur nomina, quid refert, à populo an ab Imperatore mittantur, & primarij ne ſint an non? Nihil vero ab his geſtum memorabile, cum de ipſis hoc ipſo capite tam præclara dicenda ſint, quis credat? Neque tamen, præter diuinam voluntatem, quæ ſcriptoris huius calamo nomina illa ſubduxit, afferre quidquam habeo? Sed fuiſſe *Calebũ*, & *Phinees*, tradit R. Salomo & ij Rabbini alij, qui exploratorum iſtorũ alterum aiunt fuiſſe Angelum. Nam ſic de Phinees aliquando loquuntur. Negat exploratores iſtos Maſius, quod excitatis atque intentis iam tum hoſtium animis, tantos tanto periculo vires nollet Imperator obiicere. At in rebus arduis & magnis, nonne omni diſcriminum cogitatione obiecta, deligẽdi aptiſſimi? Nonne apud Xenophontem 16. Cyropæd. viri dignitate illuſtres, ad explorandum idonei maxime? Scipio ſanè Africanus, *capta occaſione mittendæ ad Syphacem legationis, cum Lælio, ſeruorum habitu, tribunos, & centuriones lectiſſimos ire, iuſſit,* quibus curæ eſſet, perſpicere regias vires, ait lib. 1. c. 7. Frontinus, qui etiam c. 1. addit. *cum ex illis L. Statorium, quia ſæpius in eiſdẽ caſtris fuerat, quidam ex hoſtibus viderentur agnoſcere, à Lælio eum, occultandæ conditionis eius cauſã, baculo vt ſeruum caſtigatum.* Q. Fabius Maximus *bello Hetruſco* (verba eiuſdem Frontini ſunt eodem c. 2.) *cùm adhuc incognitæ forent Romanis ducibus ſagaciores explorandi viæ, fratrem Fabium Cæſonem, peritum linguæ Hetruſcæ, iuſſit Hetruſco habitu penetrare Ciminiam ſyluam.* Ecce non parcunt iſti ſummæ dignitatis, arctiſſimæque neceſſitudinis hominibus & fratribus, communi bono bene vt conſulant, & pauidior erit Ioſue? Reprehẽdit, aliud quaſi agẽdo, Poëta Græcus Agamemniona, quod explorationis ſocium petenti Diomedi, vt optimum quidem eligeret, ſuaſerit, ſed addiderit, *ſi è regia is ſtirpe non fuerit,* quia ſcilicet

ἔδδεισε περὶ ξανθῷ Μενελάῳ, id eſt,

timuit ne in periculi ſocietatem aſciſceretur

Q. III. *Quinam iidem exploratores fuerint?*

Digitized by Google

Atrides, quem chariſſimum habebat, frater *Menelaus*. Quid, quod vltro, huiuſmodi partes, viri principes, & fortiſſimi quique ſibi depoſcunt? Cùm in Achçorum deſperatiſſimis rebus, nocte intempeſta, ſummo cum vitæ periculo exploratorem à Neſtore conquiri audiiſſet Tydides ille Diomedes, illico ipſe.

Νέστορ ἐμ' ὀτρύνει κραδίη καὶ θυμὸς ἀγήνωρ
Ἀνδρῶν δυσμενέων δῦναι στρατὸν ἐγγὺς ἐόντα.

Et poſteaquam hæc, & alia ille dixit, nonne

οἳ ἔθελον Διομήδει πολλοὶ ἕπεσθαι;

ipſum ſequi cõplures voluerunt? & in his Martis famuli. B Aiaces duo, & Meriones, & Neſtorides, & Menelaus, & Vlyſſes? Qui ergo Calebi Phineæque virtutem, animi magnitudinem, & zelum animo ſecum reputarit, eos hiſce poëticis heroibus nihilo inferiores, & diſcriminum, pro totius gentis vtilitate, DEIque religione, appetentiores facile ſibi perſuaſerit, & idcirco illam R. Salomonis ſententiam complectitur Abulenſis, vetereſque apud Thanchumam Rabbini omnes. eandemque perlubens complecterer, ſi quæ ab ea me nonnihil diſtrahunt, apte *duo* C hæc ſoluerẽtur. *Vnum*. Phineæ & Calebi laudes recenſentur, Eccleſiaſtici c. 45. 46. & in his de exploratione hac, quæ periculi tamen magnitudine, Rabbæ fide ac ſalute, populi totius fructu nobiliſſima, verbum omnino nullum. Reſponderi poteſt, non omnia omniũ, quorum ibi texuntur laudes, geſta commemorati, ſed ex iis præcipua tantùm delibari, modiceque attingi. adeo, vt nec inſignis illa Phineæ ad redeuntes Trãs Iordanianas tribus legatio, de qua infrà c. 22. referatur. *Alterum*, quod me magis retinet; D eſt auctoritas 70. Interpretum, qui hic & infrà c. 6. verſ. 23. hoſce duos exploratores fuiſſe aiũt νεανίσκους. valet enim Græcum hoc verbum *adoleſcentulos*, *iuuenculos*, aut certe *adoleſcentes* aut *iuuenes*, vt cum vertit noſter Actorum. 2. v. 17. & Ioel. 2. v. 28. *iuuenes veſtri videbunt*, vbi Græcè νεανίσκοι. At hoc tempore fuit Caleb annorum 80. vti habetur infrà cap. 14. v. 7. & 10. Quomodo igitur ipſe νεανίσκος? Reſpondet Maſius; *Eo verbo, audaciam illorum hominum, & ſtrenuitatem potius, quã ætatem iuuenilem ſignificare 70. voluiſſe exiſtimo*. E Ego verò fateor, poſſe virium, audaciæ, ac ſtrenuitatis eo in verbo, & eius cognato νεανίας haberi rationem: non ſolius ætatis, vt in *S. Paulo meo* Num. 18. dixi olim, & patet ex Ioſepho in vita, & lib. 4. cap. 30. Lipſio in epiſtolicis quæſtionibus q. 1. & ex iis quæ ſuprà lib. 1. cap. 6. quęſt. 1. tradita ſunt: quin etiam *iuuentutem* à Galeno, qui 25. & 36. ætatis anno eam circũſcribit, vocari τῶν νεανίσκων ἡλικίαν, vti contra Valeriolam probat lib. 1. ſect. 3. Medicus Fuchſius? F ſed non exiſtimo neque in ſcriptura, neque in ſcripturis aliis vſquam inueniri, vt qui conſtantem iam ætatem prætervecti ſunt, ſeniumque 60. 70. vel 80. annorum ingreſſi ſunt, etiamſi animo acres, corporéque vigentes & pollentes ſint, prout infrà c. 14. de *Caleb* legimus; ij ſimpliciter & ſine additione aliqua νεανίσκοι appellẽtur. Fuerint ergo iſti exploratores *iuuenes*, aut vt in Hebræo & Latino eſt, *Viri*, robuſti, ſtrenui, & qualem ad explorandum requirebat apud citatum Poëtam *Menelaus*; ἀρηΐφιλον. Ita enim hic Hebræum nomen accipiẽdum monet R. Kimhius. & de Latino dixit Tullius; *à viro virtus*. A Eorum verò alter, tam per haſce corporis, animique dotes, quam per ætatem, eſſe potuit *Phinees*. Videturque hæc ſententia magis poſtea ipſi arriſiſſe Abulenſi c. 6. poſt, q. 54. Quod verò Phinees verum fuiſſe Angelum aiunt Rabbini, refutatione vix dignum. Quomodo enim Eleazari filius, quomodo aliorum ipſe filiorum pater fuiſſet? Citat verò Ioh. Baptiſta Gramaye lib. de Iſrael. q. 51. Philonem ſcribentem, legatos iſtos fuiſſe *Cenez*, & *Sceniamiam*. Et de *Cenez* quidem dicitur cap. 1. Iudicum: ſed *Seniamias*, B quis? Et quis horum editor? non *Philo*, ſed *Pſeudo-Philo*.

INITIO capitis huius vtrumque iſtud notatur. Primò enim miſſi dicuntur è *Setim*, de quo loco dictum in Exodo, manſione vltima. Tantum Ioſephus iam concordandus. Is enim item lib. 5. ex *Abila*, vnde ad Iordanem profectos Iſraelitas dicit; hoſce miſſos inſinuat. ſed *Abila* in Cœleſyria ponitur à Ptolomæo verſus ſeptemtrionem multò altius, quam quo iam aſcendiſſent C Iſraelitæ. Dicendum ex S. Hieronymo lib. de locis Heb. varias eſſe *Abilas*. vnde & illa, quæ obiicitur Septemtrionalior, ad cæterarum diſtinctionem & à Ptolomæo & à S. Luca cap. 3. dicitur *Abila Lyſaniæ*. Omnes verò ab *Abel*, cum planitiam ſignificat, nomen accipiunt. ideoque apud Ioſephum, *ex Abila*, valet *è campeſtribus Moab*, quæ eadem ſunt, *Setim*.

Q. IV. *Vnde, & quo iidem exploratores miſſi?*

Quo autem miſſi ſint, monſtrant ipſa Ioſuæ verba v. 1. *Ite & conſiderate terram, vrbémque Iericho*. Terra intelligitur non Chananæa tota, vt D Caietanus putat, ſed eius pars proxima, in qua erat, quæ vrbium omnium prima occurrebat, *hiericho*: prout de ea v. 3. hic. Eam vero deſcripſit lib. 4. cap. c. 27. Ioſephus. aitque in campo fuiſſe; ſed ei à latere occidentali, inter ipſam ſcilicet, & Hieroſolymam, montem incubuiſſe tenuem, infructuoſum, longiſſimũ, ob quem ſuperiori capite dixerat τὴν ἀντικρὺς Ἱεροσολύμων ὀρεινήν, id eſt, *montanam terram, quæ è regione Hieroſolymorum eſt*, vbi latrocinia & cædes plurimæ, vti ſignificat lib. 16. Strabo, & D. Hieronymus in E Matth. 20. & in Paulæ Epitaphio. vnde ille, qui Hieroſolymis deſcendebat in Hiericho Luc. 10. *incidit in latrones*, ab iiſque ſpoliatus, grauiterque vulneratus eſt. & D. Hieronymus in Epitaphio Paulæ, *Recto*, ait, *itinere deſcendebat Hiericho, & vidit locum adomim, quod interpretatur ſanguinũ, quia multus in eo ſanguis, crebris latronum fundebatur incurſibus*. In horum verò montanorum pede, qua occidentem reſpiciunt, deſertum illud, in quo CHRISTVM Dominum 40. dies ieiunaſſe conſtat. Matt. 4. eſſe traditur. Hinc. n. ab incolis F *quarantana* vocatur. In altero autem eorumdem pede, quâ orientem ſpectãt, eſt nobilis ille fons, quem 4. Reg. 2. ab Eliſæo dulcoratum & fœcundatum ex hoc eodem Ioſepho audiemus. Et in eodem oriẽtalis vrbis Hiericho latere αὐλὼν ſiue *planus ager* eſt, ad Iordanem vſque fœcunditatis & amœnitatis olim maximæ, ob quã Plinius lib. 5. cap. 14. hiericontem ait, *palmites conſitam, fontibus irriguam*. Tacitus hiſt. lib. 5. *Exuberant* (in Iudæa) *fruges: præterque eas balſamum & palmæ*. Sic Strabo lib. 17. D, Radziuilius ep. 2. f. 106. *Circa hierichuntem*, ait, *omnis annonnæ, fructuum*,

ctuum, dactylorum præſertim, & ſimilium medicinalium, quibus calida cœli temperies amica eſt; & vini maxima vbertas. Et poſtea: *Licet ſex tantùm milliaribus per directum diſtet hinc Hieroſolyma, quæ multas dactylorum arbores circumcirca habet, fructus tamen eiuſmodi iſtic* (Hieroſolymis) *non matureſcunt. hic autem ad plenam maturitatem perueniunt. habetur hic arbor ſpalati, quæ maximo precio æſtimatur, & calidiſsima aeris temperie opus habet: vt & roſæ hierichuntinæ, quarum vſus mulieribus ad faciliorem partum mirificè confert. Fructus omnes & Segetes duabus hic antè hebdomadis quam Hieroſolymis citius proueniunt. Nec mirum, ſunt enim hic adeò immenſi calores: vt hinc petentibus Hieroſolymam, cælum longè frigidius videatur: vbi aër itidem ſalubrior, & noctes nimij caloris expertes.* & Ioſephus loco citato. *Palmarum*, ait, *quæ ab illo Eliſæi fonte irrigantur plura ſunt genera*, guſtatu & *appellationibus inter ſe differentia. Harum, quæ pinguiores ſunt ſi calcentur, etiam mel copioſum emittunt, alio quolibet non multò deterius. & annum altrix eſt regio. fert verò etiam opobalſamum, quod ſanè præſtantiſsimum, & inter fructus, qui hinc naſcuntur, etiam Cyprum* (Quidam hanc eſſe dicunt arborem, quæ in Italia *liguſtrum* vocetur, Plin. lib. 12. cap. 25.) *& myrobalanum, vt nihil erraturus ſit, qui dixerit, diuinam hanc eſſe regiunculam, in qua quæ rariſsima & pulcherrima ſunt, copioſa gignuntur. Nam aliorum etiam qui eidem inſunt, fructuum gratiâ, nullum facilè totius terrarum orbis clima, cum ea conferri poſſit. adeo magno cum fœnore reddit, quod in eam iniectum ſatumque fuerit.* Et ante Ioſephum Strabo lib. citato: *Hiericus*, inquit, *planities eſt circumcirca montibus comprehenſa, qui alicubi tamen in theatri formam ad illam inclinant. Hic verò palmetum eſt, permixtum habens & ſtirpium materiam aliam manſuetam & fructuoſam: abundans autem palmis ad longitudinem ſtadiorum centum, totus irriguus, totuſque domiciliorum plenus. Illic etiam regia eſt, & balſami paradiſus*; quod in precio eſſe magno, quia ibi tantùm prouenit, docet (quamuis ex eo citet aliud Maſius;) paucis interiectis Strabo. & rurſum hiſce verbis Plinius lib. 12. cap. 26. *Omnibus odoribus præfertur balſamum, vni terrarum Iudeæ conceſſum.* Iuſtinus lib. 36. *Opes genti* (Iudæorum) *ex opobalſami vectigalibus creuêre, quod in his tantùm regionibus gignitur.* Sed quia hiſce teſtimoniis ad ſacramenti confirmationis eleuandam materiam abutuntur hæretici, addendum eſt, auctores iſtos de eo, quod vel illis temporibus erat, vel eſſe audierāt, vel de regionibus quas norunt, eſſe loquutos. Alioquin Maſius hoc loco, Lipſius in lib. 5. Taciti, Bellonius lib. 2. Obſer. cap. 39. Thomas Bozius de ſignis Eccleſiæ, omnes, qui Ægyptum æuo noſtro adeunt, illic etiam naſci balſamum affirmant, & affirmauit iam olim Dioſcorides, & in Palladij Epithalamo Claudianus.

Gemmatis alij per totum balſama tectum
Effudere cadis. duro, quæ ſocius vngue
Niliacus pingui deſudat vulnere cortex.

Imo in manus ſcripta epiſtola *Marci* cuiuſdam *Antonij Ambazati* Armerii ad Reuerendiſſimum Cardinalem Iul. Ant. *Sanctorium* legi, mira ceremoniâ & Chriſtianorum concurſu in *Ezmiazim* Armeniæ, eccleſiarumq; eius omnium pa-

A triarchali & primaria ſede, ſingulis quadriennis, aut quinquenniis *Chriſma* confici, & ad illud adhiberi *balſamum*, quod *Ægyptium* vocetur, quod hoc tempore verum balſamum, præterquam in Ægypto naſci haud puteturieiuſque locus à Turcis cuſtodiâ diligentiſſimâ obſepiatur. Illuſtriſſimus tamen Olikenſis Dux ep. 3. fol. 184. & 205. has in Ægypto arbores balſami nunc exaruiſſe tradit: ex iis tamen tranſplantatas alias Solymanno procurante *in Arabia felici*, ita vt inde magna eius copia iam habeatur: adeo vt non parum etiam ſecum in
B Poloniam retulerit. Sed & in *India* naſci, res iam comperta eſt, vidique inde miſſum non ſemel. licet accidentia quædam aliquantulum diuerſa ſint, vt in variis fieri ſolet vinorum generibus. Quia verò Iſaiæ 38. à R. Salomone, aliiſque Rabbinis, & Aria Montano per excellentiam vocatur *vnguentum*, in eam facilè ducor ſententiam, vt idcirco *balſamon* vocatum ſit, quaſi *baal ſchemen*, id eſt, *princeps vnguentum*, aut vnguentorū dominus. Nam ad illud Cantic. 7. *Mandragoræ dederunt odorem*, ait ex Thar-
C gum, in Thisbi R. Elias Læuita. *Suauis odor fuit coram me, ſicut odor balſami: vnguentum eſt valdè dulce, neque inuenitur odor ipſo melior. alioque nomine nuncupatur apharſemon.* Anonymus Cluſij Animaduerſor, citatum antea Bellonium dupliciter carpit. *Primò* quaſi aſſereret, balſametum in Hiericho nullum fuiſſe. *Secundò* quod à Soldanis Balſamum ait conſitum. Sed prius illud non aſſerit: *Niſi*, ait, *nos ipſi balſami plantam vidiſſemus, in eam ferè opinionem inclinaremus, in Hiericho planis nunquam cultum fuiſſe.* Quoad
D poſterius verò, tantummodo refert Bellonius, quod ex Illuſtriſſimo iam notatum Radriiulio; cum exaruiſſet Cairenſe balſamentum; Soldanorum ac Baſſarum Ægypto præfectorum cura, ſuffectum nouelletum. Cenſet verò planitiem iſtam Maſius à Ioſepho li. c. tradi longam ſpatio ſtadiorum circiter 70. latam verò 20. At hoc Ioſephus non de planitie, ſed de fontis Eliſæani fluxu & irrigatione tradidit. Cùm enim de eo loqueretur, ſubiunxit, καὶ μὲν ἐπέχει ἑβδομήκοντα σταδίων μῆκος, &c. & de eodem addit. ἐκτρέφει τ᾽ ὃν αὐτῷ
E (ſcilicet πεδίῳ) παραδείσους πυκνούς. Et ibidem teſtatur alioqui Ioſephus eam vrbem ab Hieroſolymis abeſſe 150. ſtadiis, ab Iordane tantum 60. Neque de poſteriore hac diſtantia diſſident à Ioſepho Thalmudici in tractatu *Ioma*, ſed de priore cum Hieroſolymis hierichuntem vſque, *peraſot*, id eſt, *paraſangas* ſtatuant 10. vni verò *paraſangæ* tribuit R. Salomon milliaria 4. ita vt paraſanga continuerit ſtadia 32. vel ſi de breuioribus paraſangis, quas in *Cyri Anabaſi* attingere Xenophontem putat Maſius, ſtadia 29. Sic-
F que priore illa paraſangarum maiorum ratione, forent inter Hieroſolymam & hierichuntem ſtadia 320. poſteriore quæ minorum eſt; 290. Illuſtriſſimus Dux antea citatus epiſtola 2. fol. 106. ait *hierichuntem Hieroſolymis, ſi directum iter teneatur, diſtare 6. miliaribus*, & fol. 104. *ab Iordane vno & dimidio, vel paulo plus.*

Addam de nomine adhuc exiguum quid. Apud Interpretem noſtrum indeclinabile eſt *Hiericho*, vti de *Rages* in Tobia dixi capite 1. apud Ptolomæum, & Plin. locis citatis, & *Hierichus*

Digitized by Google

ijs epacti 5. erunt 28. addantur è primo ſecuti anni menſe dies 9. erunt dies 37. terminis excluſis, incluſis verò dies 39. Ex 37. auferantur dies luctus 30. ſuperſunt ſeptem, vel nouem. Ex his auferantur dies tres indicti, ſuperſunt 4. vel 6. ante indictionem. Si ergo poſitis diebus 34. ante tranſitum Iordanis, vnoque tantummodo die poſito ante indictionem, ad omnia, quæ de exploratione narrantur, temporis ſatis erat, quanto magis ſi à Moyſis obitu dies ſint 37. vel 39. & antequam præparatio indicatur, dies dentur 4. aut 6.? Multo verò plus temporis concedunt illæ ſententiæ, quæ citius Moyſen mortuum aſſerunt. valdè igitur, vt dixi commodè aſſeri poteſt, & poſt luctum, & ante præparationis indictionem, exploratores miſſos. *Tertio. dici* etiam commodè *poteſt* eodem ſimul die miſſos exploratores, & ad præparationem monitos Iſraelitas. 1. quia Ioſephus ita docet libro 5. cap. 1. dum vno eodemque triduo exploratores abfuiſſe, ipſumque ſeſe populum præparaſſe narrat. 2. quia vel indictio facta erit, ita vt indictionis dies non ſit ipſius indicti tridui pars, & ſic idem foret cum eo, quod ante dictum eſt de quatuor diebus poſt luctum ante tranſitum. vel vt ſit pars. & ſic primo die profecti fuiſſent exploratores, & exijſſent hieruchuntem, latere cœpiſſent, ſequenti die toto latuiſſent, initio etiam tertij die ſecuti, & tunc reuertiſſent. *Quarto. Ex iſtis omnibus, mihi veriſimilius videtur.* miſſos exploratores ante indictam præparationem, & quidem ſecundum illam explicationem, quæ minimum dies 37. vel 39. ante Iordanis tranſitum ſtatuit. 1. quia commodiùs, magiſque propriè omnia quæ de tempore hic traduntur, poſſunt explicari 2. quia in vltima ſententia, quæ eodem die miſſos exploratores, & promulgatam præparationem ſtatuit, ſi tridui promulgati pars ſtatuatur dies promulgationis, non redeunt exploratores ante diſceſſum ex *ſetim*. Sicque non cohæret cap. 3. principium cum fine ſecundi. ſed in iſta cui magis aſtipulor ſit tantummodo prolepſis narrationis, cohæretque caput tertium cum ſecundo, ſatiſque ad omnia temporis eſt. *Tertia comparatio* eſſe poſſet ad annum, ſed de ea infrà cum de tranſito Iordane agetur. *Tertia* igitur nunc ſit *ad menſem*. Si eſſet in Ianuario mortuus Moyſes, potuiſſent in Februario mitti exploratores: Si in Februario, & quidem die 7. vti Iudæorum habet Kalendarium, videntur miſſi in Aprili, ſiue ſecuto *Niſan*. Nam ante Aprilem, etiamſi dies illi 5. additi, ij numerentur; luctui finis impoſitus non eſt, cum ille totos 30. dies durarit, in Februario illo dies tantum reliqui eſſent 24. quibus additi dies 5. ſunt tantum 29. *Quarta & vltima comparatio* eſt ad menſis huius diem. Eſt autem probabilius, miſſos eoſdem exploratores die ipſius *Aprilis* ſiue *Niſan* ſecundo. Primo. quidem quia die primo finem luctus habuit. ideoque non ipſa Neomenia, miſſi exploratores. & cum tranſeundi tempus inſtare ſciret Ioſue, à Deo nunc ad id excitatus & corroboratus eſſet, ſatiſque toto 30. dierum ſpacio de tranſeundi modo varia cogitare potuerit, quis eum dubitet, tum cogitaſſe omnium primo exploratores mittendos? & quis neget, quod prudenter cogitarat, eum quam primum licuit, effectum dediſſe? 2. quia ita commodius explicatur profectionis ipſorum, latibuli, rediruſque tempus. Ierunt enim, verbi causâ, die iſto *Niſan menſis* ſecundo hierichuntem, & inde veſperi exierunt. cœperuntque in montibus diliteſcere. & inde ad ſequentem diei tertij veſperum dies vnus fuit, inde ad quarti diei veſperum dies ſecundus. inde ad diei quinti veſperum dies tertius. & tum vel ſtatim, vel mane die menſis ſexto, ſiue die, ab ipſorum abitu, quarto redierunt. Die menſis ſeptimo facta eſt promulgatio. Eodem die, & ſecuto octauo præparatio, die nono abitus ad ipſum Iordanem. & is tertius præparationis dies erat. die decimo tranſitus per Iordanem.

Sed in vltimis hiſce diebus vna adhuc difficultas eſt. quæ ad caput 3. propriè pertinet. Addo tamen, poſſe etiam vere dici, veſperum illum diei ſecundi fuiſſe primum diem latendi, diem 3. fuiſſe ſecundum latendi. diem 4. inchoatum, fuiſſe tertium latendi, eundemque fuiſſe diem redeundi, vt exiſtimant Hebræorum aliqui, Maſius, & ego infrà p. 2. q. 22. vel die quinto redijſſe. die ſexto factam promulgationem, eundemque diem 6. fuiſſe primum præparationis; diem 7. 2. diem; octauum. 3. & die nono item ad Iordanem, quem die 10. pertranſierint. Tantum eſt vna difficultas, an eodem, quo hierichuntem ingreſſi ſunt, eodem etiam egreſſi ſint? Sed de hoc quæſt. 7. infra. & calculum vix impedit. Ideoque totum hoc de exploratoribus caput, ſi temporis ordo teneretur, eſſet verſui nono capitis primi ſubiungendum, & decimo anteponendum: vltimo autem capitis primi verſui caput tertium attexendum. Non eſt autem ordo temporis retentus, quia voluit Ioſue vno narrationis filo complecti, quæ poſt diuinum alloquium publicè geſſiſſet: vna verò alia narratione quid priuatim, & clam populo. voluit verò iſtud quia *exploratorum miſſio*, inquit Caietanus, *proceſſit à Iehoſua humano conſilio, promulgatio autem præparationũ proceſſit ex diuina reuelatione. Par autem fuit, vt liber geſtorum Iehoſuæ initium à diuina diſpoſitione haberet, & quod humano fuerat conſilio factum, ſubiungeretur.* Cæterum ex his habentur ea, quæ capite ſuperiore in præparatione priore quæſt. 4. quærebantur. habetur etiam *præteritum* verbum, à quo Hebraice, Græcè ac Latinè caput hoc incipit, recte per *pluſquamperfectum* exponi, *Miſerat igitur.* quamuis prima Hebræa particula verti poſſit non tantum *igitur*, ſed etiam, *&*. prout à 70. verſa eſt.

Q. VI. *Quomodo miſſi exploratores?*

VERBO, quod aiunt, reſpondet Hebræus miſſos eos eſſe חרש quod hodie omiſſum à 70. alij in regijs Biblijs verterunt κρυφῆ noſter *in abſcondito*: *Non eſt*, Caietanus, *vſquequaque clarum an miſſio hæc ſcribatur clandeſtina relatiuè ad populum Iſrael, vel relatiuè ad indumenta & exteriora ſigna exploratorum. Vtrumque enim poteſt intelligi.* Sed illuſtrabitur hoc quicquid eſt, totum, ſi aduertamus, & quænam variorum *expoſitiones* ſint, & de ijs, quid ſentiendum. Illas autem *quinas* comperio, è quinis videlicet Hebræi illius nominis notionibus. *Prima* expoſitio eſt Ralbagij, qui fuiſſe iſtos ait miſſos *explorantes*

Ioſue.

Digitized by Google

cogitationem, id eſt, vt eſſent exploratores cogitationum machinationumque hoſtilium. quia A verbum *charaſ* valet quandoque *machinari*. Prouerbior. cap. 3. 29. cap. 6. 13. & 16. cap. 14. 22. & hos non aliud exploraſſe videmus, quam quo animo eſſent hoſtes: non autem locorum ſitus, vrbis propugnacula, & ſimilia. Sed ea tantum, quæ in Raab ipſius domo audierunt. *Secunda* veterum quorundam Rabbinorum apud Tanchumam, fuiſſe miſſos *exploratores opifices*, ſeu, vt vulgari apud Germanorum etiam vulgus, nomine vocat Abulenſis, *magiſtros* vocat, non B quoſcunque, ſed ex eodem Hebræo, *Fabros*, qui aut ſint *Ferrarij* vt 1. Regum. 13. 18. Iſaiæ 44. verſ. 12. aut *lignarij* vt eodem Iſa. capite verſu 13. aut *lapidarij* Exod. 28. verſu 11. vt fabrilia ſcilicet inſtrumenta, veſteſque tulerint, ſeque iſtiuſmodi opificij homines ſimularint. *Tertia* eorundem apud eundem Tanchumam, & Radakium, fictiles ollas teſtaſque geſtaſſe, ne agnoſcerentur. Nam & hoc vox illa ſignat. *Quarta* veterum Rabbinorum in lib. Ruth, Radaki in lib. Rad. & R. Salomonis ac Lyrani; ſimulaſſe iſtos ſur- C ditatem & infantiam, imo etiam inſaniam, prorſus inſtar Dauidis 1. Reg. 21. ſemper ſilendo. *Quinta* miſiſſe ipſos Ioſue tacitè & clam. Sed Abulenſis vult *clam Chananæis* Maſius *clam Iſraelitis*. cui me adiungo. primo quidem, qui videtur omnino textus hanc exploratorum miſſionem hac voce ab illa diſtinguere voluiſſe, quæ Numer. 13. à Moyſe inſtituta fuerat populo ſcilicet poſcente ac flagitante. Et confirmatur ex diſſimilitudine narrationis poſt reditum inſtitutæ. Nam Moſaici narrarunt omnia & D Moyſi, & Aaroni, & omnium Iſraelitarum cætui Numer. 13. verſu 27 Iſti verò ipſi tantum Ioſue dicuntur narraſſe ſub finem huius capitis verſu 23. 2. expoſitiones quatuor primæ reijciuntur à Græcis κρυφῆ vertentibus. 3. eadem etiam repelluntur, quia ſimiliter Chaldaicus Thargum *berathrz*, id eſt, arcanè, clam, in ſecreto 4. quia vox Hebræa neque primæ illius expoſitionis *cogitationem* ſignificat, neque ſecundæ vel *opificem* vel *opificium*, neque tertiæ *fictilia*. Etſi enim verbum *charaſu* ſignificationem vnde E duci hæc poſſent, habet, ea tamen nomini nuſquam tribuitur. Aut mutanda eſſent hic puncta, quæ ipſimet Rabbini poſuerunt. Nam *charaſch* per *cholem* & *tſere*, aut *charaſh* per duo *camerſim* opificium vel opifex eſt. & *chares* cum puncto in ſiniſtro cornu, *teſta* eſt Leuit. 6. 27. Pſal. 21. verſu 16. Iob. 41. verſu 10. 4. Regum. 3. 26. Audio quidem, noſtra memoria principem virum hoſtium caſtra ingreſſum, carbonarij ſpecie carbones vendentis, alium *Suſatum* VVeſtphaliæ vrbem, cum vaſis teſtaceis: Sed eorum, vt F dixi, nihil hic conuenit. 5. Si ſurditatem ſimulaſſent, ſemperque mutorum inſtar ſiluiſſent: nonne hoc ipſo ſeſe ſuſpectiores feciſſent? Nam quod additur, inſaniam ſimul finxiſſe, fictitium eſt, cum nec Hebræi nominis notio id importet, nec agendi ratio permittat. Si enim amentes & inſanos agebant, quomodo vnà ſemper ibant? quomodo amentiæ factum, vel indicium vllum, vt in Dauide non profertur, ne ab illis quidem, qui eorum Regi aduentum indicarunt, vel eos apud Raab quæſierunt. 6. Cum *charaſh* etiam arare valeat Iud. 14. 18. Iob. 1. 14. 1. Reg. 8. 12. quid cauſæ eſt, cur agricolarum ſchemate iſtos non exornarint iidem Rabbini, nullum ijs vomerem, tribulam, aut falcem dederint? præſertim cum inſtaret iam meſſis, & quaſi ad demetendas ſegetes mercenarij, prout apud nos hodie fit, accedere potuerint? 7. ne in quinta quidem expoſitione verum videtur iſtud, *in abſcondito*, poſitum, vt clam Chananæis profectos intelligeremus. Nam quis neſcit exploratores omnes clam hoſtibus emitti? omneſque id agere maximè, vt ſint illis quam occultiſſimi & ignotiſſimi? Ideoque cum exploratores miſiſſe dicitur Ioſue, haud fuit neceſſe, vt id hoſtibus inſcijs feciſſe narraretur. Inſcijs ergo & inconſultis potius Iſraelitis miſſi ab eo illi ſignificantur. Neque obſtat, quod prima expoſitio aiebat, hos vbi reuertiſſent, de hoſtium tantummodo animis narraſſe, non autem de vrbis & locorum aut ſitu aut propugnaculis. Nam timore fractos hoſtium animos narrarunt, quaſi præcipuum quoddam & eximium, è quo certa victoriæ ſpes oſtendebatur. de cæteris tamen omnino tacuiſſe non ait textus; quin potius de ijs etiam commemoraſſe indicat. verſu 23. *Narrauerant*, inquit, *omnia, quæ acciderant ſibi.*

Q. VII. *Quid è miſſione iſta diſcendum?*

PRÆTER mortalia, quæ ad periti Ducis officium, vel ad omnium induſtriam, quæſtione potiſſimum prima & ſecunda expoſui, nunquam aſpernandum illud doctrinæ genus, quod allegoriam vtilem continet. Mihi ergo videtur verus noſter Ioſue CHRISTVS Dominus biſariam exploratores, vt in terram nos promiſſionis introducat, mittere: totius ſcilicet Eccleſiæ reſpectu, & propriæ noſtrum cuiuſque animæ. Et vtroque quidem modo *Angeli* ipſi, exploratores quidam ſunt, etiamſi ſæpe inuiſibiles, vti notat hom. 3. Origenes, ſed *priore modo*, antequam in terras iſtas è cœlorum deſcenderet domicilio, fecit noſter Ioſue, vt ad explorandos hominum animos, duo quaſi exploratores prægrederentur, *naturæ* ſcilicet *ſiue lex* & *Moyſis*. Vtraque lege perſpexit magnam hominum eſſe cæcitatem, infirmitatem, prauitatem: perſpexit magnam eorundem ſuperbiam, ſecuritatem, negligentiam. Tumque vt malis tantis remedium afferret, Deſcendit DEI filius. Sic apud Iudæos præmiſit etiam velut exploratores *Prophetas*, *S. Ioannem Baptiſtam*: apud Gentes, *Sibyllas*. Quin & iam cum in certam quampiam regionem hodie per fidem venire vult, prius ablegat *Apoſtolos*, *Apoſtolicique ſpiritus homines*, quibus omnia prudenter luſtrandi cura ſit. *Poſteriore modo*, cum, per gratiam & chriſmata meliora, noſtros in animos penetrare ſeſe vult, radios in mentes noſtras quoſdam immitit, varijs voluntates noſtras motibus excitat, vel timoris, vel amoris, vel alius cuiuſcunq; affectionis. Fit autem per eos animorum noſtrorum exploratio. Si enim obſiſtimus, indigni tanto bono reddimur: Si cedimus, ad nos venit, nobiſcunque manet, varijs magniſque donis animas noſtras felicitans. Quid enim mundus iſte? Quid peccatoris anima, niſi quædam *hiericho*? Nam & hæc & illa vitiorum exundantia, luciſque perpetua variatio & amiſſio nonne

Digitized by Google

ne lunaticos efficit? Nonne amœnitatem, deliciarumque odores, amoresque nimij corrumpunt, eneruantque? ſed quibus explorandi datur negotium, duo maximè proſpiciant, primo vt non viliſſimi & abiectiſſimi quique ſint, ſed viri principes & clari, non quoad terrenas opes ac dignitates: ſed quoad eas, quas inſignis & ſolida virtus affert. Sint vita caſti, moribus integri, fama laudati, doctrina inſtructi, zelo incenſi, alijs denique ad tantum tanque arduum ac vtile munus neceſſarijs dotibus præſtantes. Deinde ſolitarij, quoad eius fieri poteſt, non ſint. Eleganter Hebræus quidam אני לבדי אני id eſt, *Ego ſolus, non ego*, & noſtrorum veriuerbium, *vnus homo, nullus homo.* Ideo & Dominus Apoſtolorum collegium inſtituit, & diſcipulos *binos miſit* Lucæ 10. verſ. 1. *ante faciem ſuam, & locum, quo erat ipſe venturus*, vt vel hoc nomine ſatis magnas DEO gratias agere nunquam poſſim, qui me in IESV filij ſui, & Saluatoris noſtri Societatem vocare dignatus eſt inmerentem, nihil tale cogitantem, indignumque prorſus. De ſocialis verò vitæ vtilitate agit Diuus Bernardus ſerm. 23. in Cantica. Quintilianus lib. 1. cap. 5. Et hoc omnino facit ſemper DEVS. Clam ipſis, vt dixi quæſt. 6. *Iſraelitis* mittit exploratores Ioſue, quia citra omne noſtrum meritum, abſque vlla petitione, ante omnem noſtram cogitationem omnia, quæ ad felicitatem noſtram ſunt, procura, ad fidem vocat, faces intellectui, ſtimulos voluntati noſtræ admouet, gratiamque nobis primam largitur. Diuus Auguſtinus ſerm. 106. de tempore duos exploratores interpretatur *duo* veri Ioſuæ, *præcepta charitatis*, erga Deum ſcilicet & proximum. Pulchrè etiam Gloſſa ordinaria. *Moraliter*, inquit, *confeſſarij dici poſſunt exploratores, quia debent diligenter peccatorum conſcientias explorare, & ſic ingrediuntur domum mulieris Meretricis, id eſt conſcientiam perſonæ peccatricis, quam ſaluant ad morum rectitudinem ſuis conſiliis reducendo.*

ALTERA CAPITIS PARS.

Docens, quid in exploratione iſta exploratoribus contigerit.

Q. I. *Hierichuntē peruenire vt potuerunt exploratores.*

QVÆ in hierichuntinam vrbem exploratoribus aditum intercluderent, *duo* videantur alicui fuiſſe: *Vnum*, ipſe *Iordanis* fluuius, quem, abſque ingenti miraculo, pertranſire non potuit Iſraelitarum exercitatus infrà cap. 3. verſu 15. 16. *Alterum* hoſtium, *excubiæ* diſpoſitæque ad itinerum clauſtra ſpeculæ, militumque ſtationes. Nam ita ſolitum fieri & diſciplina militaris, & hiſtorica docet experientia. Ad *prius*, diceret, vti ab Abulenſi quæſt. 12. ſuggeritur, forte aliquis, hos etiam diuino miraculo tranſiiſſe. Potuit enim Deus ijs fluuij alueū exſiccare, vti olim Iſraelitis in mari rubro, & ijſdem poſtea in hoc ipſo amne, potuit ſuper aquas eorum greſſus firmare? vt Matth. 14. potuit, qui eos tranſueheret, vel piſcem, vti de Amphione fabulata olim Gentilitas, vel beſtiam quamcunque aliam ſummittere, potuit vel nauem vel pontem ſubitò conſtituere, ac denique in aëra tollere, & *Abacuc*, inſtar, Danielis 14. verſ. 35. vel caſtiſſimi illius *Ammonis*, de quo in vitis Patrum, vel, vt Iudæi quidem nugantur, *arcæ*, ipſos tranſportare: aut ipſiſmet etiam, tanquam volucribus, prout Dædalum feciſſe priſci memorant fabulatores, alas & volatum dare. Potuit profectò hæc, & his multo alia plura & maiora Dominus, & maximè ſi exploratorum alter, vt in Rabbinorum nugis eſt, fuiſſet *Angelus*. Sed miraculum iſtiuſmodi vllum ſi contigiſſet, quomodo reticeret ſcriptura? quomodo non præ alijs omnibus narraſſent ijdem iam reuerſi exploratores: Neque enim ad excitandos & confirmandos omnium animos vlla eſſe potuit accommodatior narratio. Naturalis ergo tranſeundi modus aſſeuerandus, qui ſane fuit vel *natatus* vel potius *vadatio.* Nam Iordanis vada legimus Iud. 3. 28. cap. 12. verſu 5. Et hoc cap. 3. verſu 7. quaſi vnde, & quomodo hierichuntem iſti veniſſent, odorarentur hierichuntini, ſecuti ſunt eos, *per viam quæ ducit ad vada Iordanis*, per ea tamen non potuerunt poſtea vadari totæ Iſraelitarum copiæ, quia vt infrà cap. 3. dicetur, vehementius tum exundauit fluuius. Et videmus non raro vel imbrium copia, vel glaciei, niuiumque liquatu, paucularum horarum ſpacio, ita intumeſcere non maiores fluuios, ſed fluuiolos etiam & riuulos, vt vbi antea, vno pœne paſſu, tranſire licuit, poſtea etiam vix ſcaphis liceat. Et in fortium virorum laude alibi videmus poni, quod, eodem exundante fluuio eum tamen peruadati ſint. 1. Paralipom. 12. 15. Licet verò alicui etiam in Iſraelitarum caſtris eadem animi fortitudine vada tranſmittere potuiſſent, quo tamen tota multitudo? tot fœminæ, paruuli pecora? *Ad poſterius.* Si liberet etiam alicui miracula comminiſci, poſſet vel ἀορασίαν & cæcitatem, qualem Gen. 19. verſu 11. 4. Regum. 6. verſu 18. legimus, vel lethargicum ſoporem, vt 1. Reg. 29. verſu 7. vel Panicum terrorem, vt eodem lib. cap. 14. verſu 15. vel ſimile quid proferre.. Sed ſatis apparet, miram hierichuntinorum vel ſecuritatem, vel deſidiam, ſtultitiamque fuiſſe, qui in tanta hoſtium propinquitate, horum nihil fecerint, quæ vel minima rei bellicæ præſcribit peritia. Sed de hoc iterum alibi. Verum interim illud Polybij lib. 9. ἡ τῶν πέλας ἀπειρία, μέγιστον ἐφόδιον γίνεται τοῖς ἐμπείροις πρὸς κατόρθωσιν id eſt: *Aliorum imperitia maximum peritis ad proſperitatem viaticum eſt*, ſeù *adiumentum.*

Q. II. *Raab nomen quod.*

DVO apud Hebræos nomina ſunt רחב & רהב quæ apud nos Latinos & Græcos interdum Hebraico ſono retinentur, interdum conuertuntur. Cum retinentur, ita ſcribi, legique ſo-

Digitized by Google

lent, quaſi vnum, idemque foret. Quemadmodum enim hic eſt Græcè ῥαάβ, Latinè *Raab*, ſic & Pſal. 86. vbi tamen Hebraicè *Raab* eſt. Id autem oritur, ex cauſa eadem, ex qua dixi l. 1. c. 2. IESVM oriri pro *Iehoſuach*, & lib. de Apoſtolis. *Ioannem* aut Ionam pro *Iochanan*. Oderunt enim, vt oſtendit lib. 1. Antiq. & in vita ſua Ioſephus, itemque tomo quinto in Ioan. Origenes: ſuauiores Latinorum & Græcorum linguæ aſperas Hebræorum aſpirationes, cuiuſmodi eſt illa *Raab*, & in fœminæ, de qua hoc loco agitur, nomine *Rachab*. Cum autem conuertuntur, noſtra hæc *Rachab* eſt *latitudo* Iob. 36. verſu 16. & cap. 38. verſu 18. Prouerbior. 2. verſu 4. aut, vt in Radicibus vult Radak, eſt *latus & amplus*. *Raab* verò *robur* eſt, & *ſuperbia & vanitas*, vel *robuſtus, ſuperbus*, & *vanus* Iob. 9. verſu 13. cap. 26. verſu 12. Iſaiæ 30. verſu 7. cap. 51. verſu 9. Pſal. 39. verſu 5. Pſalm. 86. verſu 4. Pſalm. 88. verſu 10. vnde Sanctus Hieronymus in Iſaiam libro 9. in cap. 30. *Verbum*, ait *Hebraicum Rahab, Aquila* ὁρμημα, *id eſt, impetum & ſuperbiam, Symmachus turbationem, Septuaginta* μάταια *id eſt, vanitatem, Theodotio latitudinem interpretati ſunt, quod tribus litteris ſcribitur*, רהב *& ipſum eſt, quod in Pſalmis legitur. Memor ero Rahab, & Babylonis ſcientium me.* Quæ verba Diuus Auguſtinus in Pſalmum illum, & veteres alij de noſtra iſta *Raab* accipiunt, ſed Rabbini, Pagninus, Genebrardus, alijque ferè omnes recentiores de *Ægypto*, quæ ob vires animique tumorem, & arrogantiam, id nominis adepta eſt, vt ſententia ſit? *memor ero Ægypti, & Babylonis ſcientium me*, id eſt, cum ſcient me, ſiue cum fidem, cultumque meum amplectentur, aut ſi Hebraicum cum 70. proprius adhuc accedere libeat, *memorari faciam Ægyptum & Babylonem ſcientibus me*, id eſt, curabo, vt apud omnes, qui in Eccleſia mea ſunt, meque norunt, & cultum meum profitentur, Ægypti & Babylonis etiam memoria vigeat, quia ſcilicet, vt Iſaiæ 66. verſu 28. promittitur, & ipſe ad CHRISTI fidem, ſummumque virtutis ſtudium ſeſe conferent. Et ſic de Ægypto Iſaiam citatis locis exponit ſemper in Commentario Diuus Hieronymus. Neque tamen veterum, verbi causâ, Ruperti, in illo Pſalmi loco de *Rahab* noſtrâ expoſitio aſpernanda eſt, 1. quia ſane iſta duo verba *Rachab & Rahab*, non litteris tantum, ſed ſignificationibus etiam, vel eadem, vel admodum affinia ſunt. Quod enim *latum & amplum eſt*, id ferè *robuſtum & ſuperbum* eſt, vnde apud nos de eo, qui ſuperbus, vſitatum. **Er macht ſich breit.** Et apud Senecam epiſt. 121. de inconſtante ac ſuperbo. *Modo dilatat ſe vſque ad inuidiam: modo ſubſidit, & contrahitur infra humilitatem verè iacentium.* 2. quia vt ex Diuo Hieronymo audijmus, *Rahab* etiam interpretatus eſt Theodotio *latitudinem*. 3. quia ſententia etiam congruit optimè. Cum enim eo in Pſalmo deſcribatur & laudetur Eccleſia, quòd ad eam Babylon, Paleſthini, Tyrij & Æthiopes, Gentiles venturi ſint, nonne primo loco rectè ponitur, quæ è Gentilibus Chananæis, vel omnium prima, vel omnium certè præcipua, præcipuoque ſtudio, & modo veræ ſeſe religioni adiunxit? De hoc tamen poſtea. Nunc moneo, in quibuſdam Græcis exemplaribus Iudicum 1. verſu 19 ῥηχάβ. Sed ab alio verbo & ſignificatione. Nam à רכב eſt, currumque ſignificat. Et 2. Regum 4. verſu 2. ab eodem verbo ſimiliter, latronum principum vnus *Rechab* Græcè ῥηχάβ. & Nehem. 3. verſ. 4. princeps vici Bethacaram. Hæc verò noſtra ſemper à Ioſepho ῥαχάβη appellatur, ſeu *Rachabe*.

Q. III. *Fuerit ne Raab meretrix.*

NEGANT Rabbinorum nonnulli, vt Radâk, R. Ionah, alij: & è recentioribus Chriſtianis pauci quidam, vt Lyranus hic, & Matth. 1. Vatablus hic, Pagninus, Arias Montanus hic & in Iſ. 23. Titelmanus Matthæi 1. Sed eſſe volunt *cauponariam* mulierem, ſeu, vt vocant Lyranus & Abulenſis *hoſpitalariam*, D. Auguſtinus lib. 18. ciu. cap. 18. *ſtabulariam*: paſſim omnes hodie Cicerone, Ouidio, & Horatio ſuffragantibus, *hoſpitam*. Argumenta pro ijs eſſe poſſunt ſeptem hæc. 1. Thargum vertit פונדקיתא, id eſt, fœminam hoſpitem, quæ hoſpitio aduenientes omnes accipit. Ducitur enim ab Græco πανδοκεία vel πανδοκεύτρια, & inter eruditos conſtat è Græcorum lingua eſſe in *Thargum* voces quamplurimas. 2. Hebræum *mazon* eſcam, omniſque generis cibum ſignificat. Ergo Hebræum, quo Raab appellatur *zonah* ſignificabit ciborum paratricem ac venditricem, vt exponit Radak. 3. abſurdum foret, exploratores iſtos, probos vtique & ſpectatos, prout ſuprà dictum eſt, ad ſcortum diuertiſſe. Nam aut ſcortari cum ea volebant, aut non: ſi volebant, quàm pudenda hæc eorum infamia? quàm intemperans libido? vt ad negotium adeo ſerium emiſſi, tanto in periculo conſtituti, in hoſtili vrbe, & in primo ſtatim ingreſſu, ante omnia, operam voluptati dare vellent? ſi non, parum tamen prudentes, caſti cautique ſignificantur, qui meretricis domum ineunt, quæ vt Plautinus ait, *Lydus, orci ianua eſt, rapiduſque fluuius, vbi tuto tranſire non poteſt. Vbi aculeata omnia, & quæ animum fodicant, bona diſſimulant, facta & famam ſauciant.* Noſterque Salomon Prouerbiorum 5. verſu 3. *Fauus ſtillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius, nouiſſima autem illius amara quaſi abſinthium, & acuta quaſi gladius biceps. Pedes eius deſcendunt in mortem, & ad inferos greſſus eius penetrant, per ſemitam vitæ non ambulant, vagi ſunt greſſus eius, & inueſtigabiles. Nunc ergo fili mi audi me, & ne recedas à verbis oris mei. Longè fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domus eius.* Et capite 7. verſu 27. *Viæ inferi, domus meretricis, penetrantes in interiora mortis.* Tanto autem periculoſiores id genus ganeæ, quanto eorum qui ſe in eas ingurgitant, corpus viuidius, ætaſque florentior, *Iſtoc*, ait idem ille Plautinus, *illecebroſius fieri nihil poteſt.*

Nox, mulier, vinum homini adoleſcentulo.

At hos fuiſſe *iuuenes*, toroſos ac fortes, conſtitutum antea eſt quæſtione 3. 4. Raab iſtam duxit vxorem poſtea *Salmon* Naaſſonis Iudæorum Principis filius Matthæi 1. verſu 5. At vilem mulierculam, quæ pudorem amiſiſſet, turpiterque ſeſe alijs proſtituiſſet, an connubio ſibi iungeret vir ampliſſimus, honeſtiſſimus? 5. Si Hebræum nomen meretricem ſignificaret, ſufficeret eo ipſam Raab ſemel crimine defor-maſſe. Nunc verò & hic & infrà capite 6. verſ. 17. & 25. itemque apud S. Paulum & S. Iacobum

bum iteratur itentidem. 6. poſſunt Græca & Latina etiam nomina, ſicuti Hebræum. in honeſtiorem trahi ſignificationem. *πόρνη* enim à *πωλεῖν* ſiue à *πέρνημι*, quod eſt *vendo*, ducitur: & à *merendo*, vt ſemel & iterum notat Nonius, meretrix. Cur igitur cauponatrix, & quæ cibos vendit, hoſpitiumque præſtando meretur, iſtis in bonam partem nominibus ornari non poſſit? 7. E. *Raab* huius progenie duxit Dominus originem Matth.1. At quam indecorum, Chriſtianiſque contumelioſum, ipſam virginem, virginis filium, virginitatis præconem & auctorem, hominum caſtiſſimum, Deum ſanctiſſimum è ſcorto procreatum?

Sunt iſta quidem plauſibilia, ſolidæ tamen veritatis plus in altera ſententia eſt, verè ſcilicet, proprieque *meretricem fuiſſe*. Nam primò textus omnes id aſſerunt: & ijs quidem verbis, quæ alibi nunquam in bonam partem ſumuntur: Sed perpetuò & in ſcripturis, & in exoticis etiam ſcriptoribus impudicam fœminam, ſcortumque ſignificant, vt ſatis appareat recentiores iſtos Rabbinos, à quibus fluxit ſuperior illa opinio, etiam hoc loco, hiſce verbis notionem ſubieciſſe, non quæ reuera eſſet ſubiecta, ſed quæ Rabbinis ipſis, è proprio commento & libidine, collibuiſſet. Percurramus, obſecro, ſingula. 1. *Hebræum* eſt *zonach*. Hoc in Biblijs occurrit ſæpiſſime, & alia nuſquam ſignificatio, vt Geneſ. 38. verſu 15. *Quam* (Thamar) *cum vidiſſet Iudas, ſuſpicatus eſt eſſe meretricem*. poſtea verſu 20. & 21. vocatur *Kedeſchah* Leuit. 21. verſu 7. *ſcortum & vile proſtabulum non ducet vxorem Sacerdos*. verſ. 14. *ſordidam & meretricem non accepiet*. Deut. 23. verſu 17. *Non offeras mercedem proſtibuli, nec pretium canis, in domo Domini Dei tui*. Illa verò paulo ante vocabatur etiam *Kedeſchah*, cum dicitur *Non erit meretrix de filiabus Iſrael*. 3. Reg. 3. verſu 16. *Venerunt duæ mulieres meretrices ad Regem*. Iſa. 23. verſu 15. *Erit Tyrus ſicut canticum meretricis*. Ierem. 2. verſu 20. *Subter omne lignum tu proſterneberis meretrix*. Ezech. 16. verſu 31. *Non facta es quaſi meretrix*, & verſu 4. vbi noſter ait, *deſines fornicari*, Hebraicè eſt, *Ceſſare faciam te à meretrice*, id eſt, ne ſis amplius meretrix. Oſeæ 4. verſu 14. *Cum meretricibus conuerſabantur*. Neque hoc modo nomen, ſed & verbum, à quo eſt, *zanach* fornicari & meretricari ſemper valet Geneſ. 38. verſ. 23. Leuit. 19. verſu 28. Iud. 19. verſu 2. Oſeæ 4. v. 12. Ezech. 16. verſu 34. & alibi nimis quam ſæpè. itemque alia, quæ ab hoc ſunt nomina, fornicationes, ſtupra, & meretricationes ſemper ingerunt, vt *zenunim* Geneſ. 38. verſ. 23. 4. Reg. 9. verſu 22. Oſeæ 1. verſ. 2. cap. 2. verſu 4. Ezech. 13. verſu 29. cap. 23. verſ. 11. Nahum. 3. verſu 4. *zenuth* Num. 14. verſu 33. Ieremiæ 3. verſu 2. & 9. cap. 13. verſu 27. Eſech. 43. verſu 78. 9. Oſeæ 4. verſu 11. & *thaznuth* Ezech. 15. verſu 34. cap. 16. verſu 26. cap. 23. 7. 8. 17. 29. & 35. Locus vnicus eſt, in quo quia vini mentio fit, cum ſe in cauponam ſuam trahere poſſe putant Rabbini, Ioelis 3. verſu 3. vel quia ipſi eum prohetam in Hebræo aliter diuidunt, verſu 9. vbi noſter ſic. *Et poſuerunt puerum in proſtibulum, & puellam vendiderunt pro vino, vt biberent*. Nam pro *in proſtibulum*, quia eſt *bazonach*, exponunt ipſi, *in cauponaria*,

A ſiue *in œnopolio*. Et quia ridiculum eſt, puerum fieri *cauponariam* aut *œnopolium*, exponunt *in* per *cum*, vt eſſet *cum cauponaria*. Sed hæc contra veterem Latinum Interpretem, & vetuſtiſſimos 70. & perſpicuam textus ſententiam vis nimia eſt. Queritur enim Dominus de grauiſſimus Iudæorum peccatis, ijſque iudicium & acerbiſſima ſupplicia minatur, an quia vino vēdēdo, accipiēdiſque hoſpitibus filios applicuerunt? Non. Sed quia ad infamem, infandamque eos libidinem proſtituerunt, prout de ijs
B etiam expoſui cap. 4. lib. 2. Machab. fol. 569. Et certè alioqui debuiſſet non tam puellus, quam puella poni *azonah*, vt ipſa eſſet cauponaria, & puellus à poculis. Ideoque & in huius quidem loci expoſitione à ſuis abit, ſeque ad nos applicat Radakius. 2. *Græcum πόρνη* ijſdem in locis eſt etiam vbi *kedeſcha* legitur. Imò iſtud etiam nomen, in Hebræam, vel Chaldæam potius linguam immigrare fecit *Thargum* Ezech. 23. vt eſt in *Metburgeman*. Et in nouo item inſtrumento frequenter. Matth. 21. verſu 31. 31. Luc. 15. 30. 1.
C Corinth. 6. 15. 16. Apocal. 17. ſæpius & cap. 19. verſ. 2. Imò etiam *πορνεύειν* & *πόρνος* *ſtuprator, fornicator*, aut etiam *cinædus*. Deut. 23. verſu 17. 1. Corinth. 5. v. 9. 10. 11. cap. 6. 9. v. 9. & 18. Epheſ. 5. 5. Heb. 12. & 13. Apoc. 21. & 22. & *πορνεία* Matth. 5. 32. cap. 15. 19. c. 19. 9. Marc. 7. 21. Ioan. 8. 4. Actor. 15. & alibi tam ſępe, vt ſit annumerare putidum. Atque illo *πόρνης* nomine afficitur Raab, non hoc modo capite, ſed etiam Hebræor. 11. verſu 31. à D. Paulo, & à S. Iacobo in epiſt. cap. 2. verſu 25. De *Latino meretrix* iiſdem in locis par omni
D ratio eſt, niſi quod alicubi ponat Interpres eius aliud Synonimum *proſtibulum* ſcilicet. Cum igitur toties hæc in diuinis libris nomina ſint, ſemperque libidinoſa ſint, neque vllus vbi cauponariā denotet, proferri locus poſſit, nōne meridiana eſt luce clarius, hanc hoc loco ſignificationem à Rabbinis tantummodo, quia ita volunt, fingi & obtrudi? promant, ſi vllo modo poſſint, eorum aſſeclæ, vllum in eandem honeſtam ſignificationem, non iam è ſacris voluminibus, ſed è tot tantiſque antiquis, Græcis aut
E Latinis auctoribus exemplum duntaxat vnicum: aut ingenuè fateantur, ſe abſque ratione & iudicio, Rabbinis æquoplus fidei adiungere.

Iam 2. Extra paternam domum habitabat, proprijs in ædibus, maritumque & liberos nullos habebat, vti ex eo colligitur, quod cum tam diligenter ſuos omnes v. 13. enumeret, mariti & liberorum nullam vnquam inijciat mētionem, cum tamē, vt ait Offic. 1. Tullius, *prima ſocietas in ipſo ſit coniugio, proxima in liberis*. Vel igitur vidua erat honeſta, vel meretrix. Nō, quod aſſerit tan-
F tū Caietanus, vidua, quia vti de Thamar, Iudith & alijs, alicubi ſignificaretur, Meretrix igitur.

3. Veteres patres Græci & Latini vna mente, vnaque veluti voce, in propatulo pudicitiam habuiſſe *Raab* omnes profitentur. Quomodo hos igitur propriam ſacrorum verborum vim retinentes deſeramus, & Rabbinica cerebra quiduis arbitratu ſuo comminiſcentia ſuſpiciamus? Imò verò illos potius audiemus, qui ſunt S. *Clemens* epiſt. ad Epheſios. S. *Irinæus* lib. 4. c. 37. *Orig*. lio. 1. & 3. & 7. clariſſimè. S. *Ephrem* ſerm. 2. de pœn. tō. 1. fol. 158. & ſermone in mu-

Ioſue. P

lierem peccatricem tom.3.S.*Nazianzenus* orat. 16. S. *Chryſoſtomus* hom. 40. ad prop. *Raab meretrix erat, ſed ſaluata fuit.* Sic hom.3. in Mat.hom. 2.ad Rom.hom.5.de pœnitentia, hom. de muliere peccatrice & Phariſæo,qui nūc primo editus in S. Ephrem. tom.3. hom. de circo apud I. Cæſ. Bullengerum l.de circo. *Theodoretus* hic q. 2.& in Pſ. 86.in Heb.11. *Procopius* hic *Euthymius* in Mat.1.S.*Ambroſius* l.8.in Luc.cap.17.libro de fide,capite 5.libro 2.de Virginibus,libro ad virginem lapſam vltim.ſub finem.*Potens es Domine, dirumpere vincula mea, quibus ligata ſum, atque conſtricta, qui Raab ſordidam non aſpernatus es.* lib.de Salomone c.5.in Pſ. 37. & 40.*Raab meretrix erat, quæ perfidiæ atque intemperantiæ ſe alebat ſtipendiis.* S.*Auguſtinus* lib.contra mend.c.15.&17.in Pſal. 86.ſerm.105.q.2.hic D.*Hieronym.*epiſt.ad Pammach. & prologo in Hoſeam. *Ioſephus Abbas* apud Caſſianum collat. 17. c.17. *Ipſius Raab non ſolum nulla virtutum, ſed etiam impudicitiæ monumenta commemorat ſcriptura.* Pet.*Damianus* lib. 6. ep.5. *Gentile proſtibulum*, vt infra citabitur part.3. huius capitis q.2.eam vocat. Imò etiam Rabbini antiquiores,& ex hæreticis noſtris aſtipulantur nonnulli.*Thalmud* Hieroſolymitanus in Seder. 4.tract.*roſh haſchanach* c.1. Et Babylonicus in *chatah & mechiltha*. *Caluinus* hunc in locum, *Cur nomen*, ait, *meretricis quidam fugiant, & zonach exponant, quæ cauponam exerceat, non video.* Iterumque. *Cum nomen zonach vbique ferè* (imo abſque ferè) *ſcortum ſignificet, nulla ratio hic cogit à recepto vſu diſcedere.*

4. Demum ſtabilitur veteris huius ſententiæ veritas non parum diſſoluendis ijs,quæ obijciebantur. Itaque

Ad *primum* dico, non liquere an vox à Græcis illa ſit. Multæ enim aliæ in Thargum peregrinitates.2. ſit à Græcis tamē πανδοκεύτρια forte cenſuit,quæ omnes non ad hoſpitium tantummodo, ſed ad lectum etiam ſuum,& ad ſeipſam admitteret. Eandem enim ob cauſam vocantur meretrices à Græcis quibuſdam, πανδοσίαι, δημόσιαι πανδοχεῖαι, δημιουργοὶ γυναῖκες. Sed quia iſtud ait p. 10. 82. Euſtathius εὐφήμῳ λόγῳ dici, dico ſimiliter 3.Chaldæum iſtum Paraphraſten,verecundiæ cauſâ,varijs ſæpe minus ſordibus nominibus meretrices appellare. Nā vt obſeruat Maſius, alicubi vocat pro *zonah*, Proſtantem, & *quæ ſe intra ædes continere nequit*, ſed continuò *pro foribus eſt*: alibi *vagā & oberrantem*,interdū *fallacem*,nunc verò pandoceutriam. Et ne quis à me fingi hoc putet,ita etiam alijs in locis, vbi de ſtupro & ſcorto agi dubitatio nulla eſt,conuertit Iudic.11.v.1. Ezech.23.v. 4.

Ad *ſecundum* dico 1. non à *zoun*, ſed à *zanah* quod eſt fornicari,ac libidinari,exiſtere nomen *zonah*,vti Rabbini nōtant ipſimet in verbo illo ſecundo. Deinde ſit à *zoun*,duplex alia,ſi nō probabilior,certè nihilo improbabilior,afferri cauſa poteſt, cur à verbo iſto eſſet meretrix. *Vna*, quia nomen hoc eſt à zan,quod Pſal.143. ver.3. variam ſpeciem, omnimodáque copiam ſignificat. Cum igitur promiſcuè omnis generis hominibus faciat ſui corporis copiam meretrix,an etymologia hæc inepta ſit?*Altera*, libidinis mater, fons & origo eſt ſaturitas, rerumq; affluentia, vnde & aiebat quidam: *Sine cerere & Baccho friget Venus.* Et apud Athenæum li.1. Clearchus.

Adeſt Venus,vbi magna rerum copia. Contra,illa miſeros odit,ac fugit viros.
A Quidni ergo & rectè hinc meretrix?Sanè,ob iſtam varietatem & copiam, dicunt 2.Paral.16.v.13 Rabbini,ſepultū Regem in varijs aromatibus & ſpeciebus, noſter *in aromatibus & vnguentis meretricis.* Quod aliqui arma etiam ab eodem *zoun* repetunt, facilius ab *azen*,cum Raab Ionach facerent.

Ad *tertium*,dico *primò* fuiſſe Raab meretricem, ignoraſſe ipſos exploratores, vel quia eo ſigno, habitu & ſpecie non erat, qua apud Ægyptios & Hebræos eſſe ſolerent. Quemadmodum
B enim Geneſ.38.verſ.16.ex eo quod faciem tecta erat *Thamar*, eam meretricem ſuſpicatus eſt Iudas:ita è contrario,quia tecta non erat Raab,vel certè cultu ac vultu illo non erat,qui meretricibus,quas vel viderant vel audierant,vſitatus,de ipſa tale nihil ſuſpicati ſunt. Vel etiam, quia tam liberali,honeſtoque modo in ſuam eos domum inuitabat. Fieri enim potuit,vt quod narrat lib. 5. cap. 1. Ioſephus, primò vrbem obierint,hoſpitium deinde,in quo diuerſarentur, & de ijs, quæ volebant, aliquid inaudiret, in vico
C illo quærerent: illa verò perhumanè ipſis, planeque hoſpitaliter,quaſi viri cuiuſpiam honeſti ac hoſpitalis vxor, domum vltrò ſuam detulerit. Hoc enim apud S. Paulum Heb. 11.v. 31. S. Iacobum 2.v. 25. videtur ſignificari, dum ipſius deprædicatur hoſpitalitas, maximè ſi apud illū expendatur illud,*cum pace*,& apud hūc, ὑποδεξαμένη. Nam illud eſt, cum beneuolētia, beneficientiaque magna. Iſtud verò importat aliquid in accipiendo, ſuauitatis,ita vt quod apud S. Paulum eſt δεξαμένη μετ' εἰρήνης, hoc apud S.Iacobū ſit
E ὑποδέχεσθαι.habent enim Græcorū verba quædam cum ὑπὸ,gratam affabilitatem,& induſtriam. Dico *ſecundò*. Eſto norint, fuiſſe meretricem, quæ, vt eſt Prouerb.9.v.15.ſederit *in foribus domus ſuæ ſuper ſellam,vt vocaret tranſeuntes viam & pergentes itinere ſuo. Quis eſt paruulus, declinet ad me?* non ad eam tamen peccandi cauſa, diuerterunt. Etſi enim vti reprehendit li.5.hiſt. Tacitus, *proiectiſſima fuit ad libidinem Iudaica gens*, & ex ea plerique facile, vbi fuit occaſio,cum mulierculis lupati ſunt,vt *Iudas* Geneſ.38. *Samſon* Iud. 14. *Dauid* 2.Reg. 11.*alij* Num. 25. attamen meliora de
E his vt ſentiamus, facit non illa Rabbinorum opinio,quod *Caleb & Phines* fuerint(ſuprà enim negaui q. 3.) ſed *primò*, quod temeritatis & improbitatis videatur, tanti eos flagitij accuſare, quos ne verbulo quidem vnico carpit ſcriptura: *Deinde*,quod ipſorum occupatio,feſtinatio,trepidatio laſciuiam omnem excluderet. Ac ſunt quidem vera, quæ de meretriciorum infamia gurguſtiorū, & periculis allata ſunt, ſed his alia longè mens erat. Ad illam introierunt,quia in
F vrbe ijs latendum alicubi erat. Nuſquam verò commodior latebra, quia vllius proxima vrbis portæ domus v. 15.vt confectare, poſſent commode abſq; pluribus oculis egredi, quia habebat & è mœnibus exitum, vt ſi vrgeret neceſſitas,exilire illinc liceret,demum etiam quia meretrix. Nam olim ſigna quædam meretricum fornicibus, ædibuſque conceſſa, quibus aditu alios prohiberent.

Ignoto meretrix corpus iunctura Quiriti
Oppoſitâ populum ſubmouet ante ſerâ

Et lib.1. Epigram. Martialis.

At

Digitized by Google

At meretrix abigit teſtes, veloque, ſeraque,
Raraque ſummani fornici rima patet.

Quid, quod ipſe ad ſcortum introitus, ad explorationis eximendam ſuſpicionem, valebat? Non enim hoc faciunt homines prudentes, induſtrii, curioſi, negotioſi, pauidi, ſed fatui, ignaui, diſſoluti, ocioſi, ſecuri & aſtuti? Et, ob iſtas tot & tantas oportunitates, potuerunt ſponte illam ſolicitare, ipſius hoſpitium rogitare, precium multò maius, quam ab amatoribus vllis, ob noctem totam, accipere poſſit, offerre: Sed, cum ipſamet vltrò, vt dixi, eos tam hoſpitaliter inuitarit, animoque eſſent contra voluptatem fortiore, proprijſque periculis pauentiore, quidni infame alioqui tectum ſubirent? Nec dubito, quin diuinus vtrimque inſtinctus fuerit: in illa quidem, vt inuitaret: in his, vt introirẽt. in illa, vt hos ſibi, ob inſtans vrbis excidium, conciliaret: in his, vt ſuum benè gererent negotium, ſaluique ac incolumes illinc repedarent.

Ad *quartum*. Tanta hæc operis imperfecti Auctori, & Theophylacto in Matth. ei cap. 1. machina viſa eſt, vt dubitarint eadem ne eſſet noſtra hæc *Raab*, & illa Matth. 1. Sed eandem fatentur alij Patres omnes, & ſcriptura ſatis indicat, dum tacitis ſpectatæ virtutis fœminarum nominibus hanc extra ordinem cum illaudatis aliquot alijs recenſet. Qui verò cur meretricem vir ampliſſimus & honeſtiſſimus duxerit, quærunt, quærere etiam deberent cur *Gentilem*. Id enim etiam vetitum Exod. 34. verſu 16. Deut. 7. verſu 3. Reſpondebunt legis id permiſſu factum, quia Gentilis eſſe deſierat, verique Dei cultum amplexa erat. Ego autem dico ſimiliter, meretricem eſſe deſtitiſſe, veræque cum verò Dei cultu caſtimoniæ ſtudium amplexam. At infamia tamen in eius nomine quędam hærebat. Non maior, quàm quòd idola olim coluiſſet, omnem autem illam deterebat nouæ religionis laus, vitæ immutatio, &, quod caput eſt, recentiſſimi eius erga exploratores totumque Iſraelitarum populum promeriti admiratio, gloriaque florentiſſima. Et ſi quid adhuc, à quo vir abhorreret ingenuus reſidere potuit, id totũ eximia *Salmonis* erga Deum, ſuamque Rempublicam pietas duxit pro nihilo, quaſique abſorbuit, dum ſepoſitis alijs omnibus in ſummum huius benefactum intuens, eam coniugij ſui præmio afficere voluit, primæ ſcilicet tribus vir primarius. Si enim apud Athæneum lib. 13. Abydeni, vt meretrici, cuius indicio ſeruitutem depulerant, gratiã referrent, tantoperè adlaborarunt, quidni & noſtræ huic, Iſraelitæ?

Ad *quintum*. Toties *meretrix* nominatur, vt peccatoribus exemplum ſit diuinæ bonitatis & miſericordiæ, ſi à peccatis deſiſtant, eaque ſeriò corrigant: vt laudetur ipſa, quæ talis fuiſſet, neque poſtea talis manſiſſet: vt laudetur Dominus, qui reſipiſcentes non abijcit, ſed ſua in hoc & futuro ſæculo proſequitur miſericordiã. Fit enim quod ait Apoſtolus Rom. 5. verſu 20. *vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia*. Eaque propter *Dauidis* in ſcriptura memoratur adulterium, 2. Reg. 12. *Matthæus publicanus* Matth. 9. *Magdalena peccatrix* Lucæ 7. verſu 37. & 39. Et verò ſi ciborum hoſpitijque venditrix meretricis hic nomine ſignificaretur, quæ *Ioſue* nam ea laus tanta foret, vt iterari toties oporteret?

Ad *ſextum*, Quæ ex vocabulorum etymologijs fieri poſſent, facienda non ſunt omnia, ſed loquentium, ſcribentiumque vſus conſiderandus. Alioqui quàm abſurda & ridicula multa? Certè hoc in loco, fortis & laudata illa mulier, quæ tot Prouerb. 31. laudibus effertur, πόρνη erit, quia ſindonem fecit, & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo: Anna illa propheteſſa filia Phanuel, quæ CHRISTVM infantem in templo aſpexit, vaticinijſque proſecuta eſt, meretrix, quod plurimum apud Deum *meritorum* iam collegerat, meretrix erit, & quia non deſcendebat de templo, ieiuniis & obſecrationibus ſeruiens die hac nocte Lucæ. 2. verſu 37. Imo Beatiſſima virgo, ſumma ob eandem *merendi* cauſam, eſſet meretrix. At quæ hoc aures ferant? Tenenda igitur illa his in verbis notio, vt quæ ſeipſam ad obſcœnitatem vendit, quæque ſui corporis abuſu meret, πόρνη ſit, & meretrix, quemadmodum ἑταιρεῖν eſt mercede corpus vulgare, inquit Athenæus lib. 13.

Ad *ſeptimum*, *Fidelis ſermo*, ait Apoſtolus 1. Tim. 1. verſu 15. *& omni acceptione dignus, quòd* CHRISTVS IESVS *venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere*. Id omnibus, vt demonſtraret, voluit è peccatoribus ortum ducere: idque à ſcribis ſuis ita in Commentarios referri, vt ex potiſſimum fœminæ, & quidem, ex omnibus, præter vnam nullo modo ſilendam matrem, ſolæ, quæ turpitudinis, au idololatriæ labe aliqua inſignes fuiſſent, memorarentur. Sunt autem ipſæ, vel quæ in matrimonio erant, vt Vriæ vxor, *Bethſabee*, vel quæ fuerant, vt vidua *Thamar* & *Ruth*, vel quæ nec erant, nec fuerant, vt *Raab*, vt omnibus, ad frugem ſi redeant, ſpes & venia in CHRISTO IESV propoſita ſit. *Notandum*, ait, Sanctus Hieronymus in Matthæi cap. 1. vbi de Thamar agit, *in genealogia Saluatoris nullam ſanctarum aſſumi mulierum, ſed eas quas ſcriptura reprehendit, vt qui propter peccatores venerat, de peccatoribus naſcens, omnium peccata deleret.* Idemque tradunt S. Ambroſius, Chryſoſtomus, Euthymius. Neque hoc alteri quæſtioni aduerſatur, de tribus in eadem genealogia omiſſis Regibus, Ochozia. Ioa, & Amaſia. quia, vt in 4. Reg. noto, ij prætereuntur, quòd ex Achabi ſtirpe, quæ ad quartam generationem, ex Eliæ vaticinio. 3. Reg. 21. verſu 21. delenda erat, fati eſſent. Neque rurſum Chriſtianis probroſum, in ſuo ſtemmate tales quaſdam extitiſſe flagitioſas, quia ob ſummam humani generis vtilitatẽ, de qua paulò ante, id etiã humilitatis & probri, à Domino gloriæ ſuſceptum, & expiatum. Hinc verò patet, quam ineptè faciant, qui tot nouas quotidie verſiones moliuntur, & vel *cauponariam*, vel *meritoriã* vertunt. Imò extiterunt iam ex hæreticorum turba duo, qui in ipſo textu *& meretricem & cauponam* ſimul poſuerunt, Iunius & Tremellius vertentes, *Venerunt in domum cuiuſdam meretricis caupona.*

Q. IV.

An cum venirent exploratores, meretricium adhuc exercerat Raab?

APVD Lyranum & Abulenſem quæſt. 14. putant aliqui, antequam hi ad eam venirent, à meretricatu iamdudũ abijſſe: ita vt meretrix tunc amplius non eſſet. At ego non niſi cum iſti veniſſent, veræque ſeſe ipſa Dei religioni ad-

Digitized by Google

tem Corinthium, & puellas 25. vti apud Pindarum eſt, adduxiſſe. *Tertiò.* Ab iſtiuſmodi ſcortis celebrata illic quotannis Aphrodiſia. Similia Herodotus lib. 1. ſub finem, Iuſtinus lib. 21. Dio Chryſoſtomus in ſua Corinthiaca. Et Deuter. 23. vbi Græcè in 70. eſt *οὐκ ἔσται τελεσφόρος ἀπὸ θυγατέρων ἰσραὴλ, καὶ οὐκ ἔσται τελισκόμενος,* quid niſi initiati à ſalacitatis præſidibus ſignificatur? Ideoque Theodoretus *τελισκομένους* dicit *τοὺς τῶν δαιμόνων μυστήρια διδασκομένους*. Et qui rurſum notatur, cum meretricis precium offerri vetetur? Nonne quod ſacræ meretrices Diis ſuis ex impuro, ſordidóque illo quæſtu offerebant? Mihi ergo Raab noſtra è ſacrarum iſtarum numero fuiſſe videtur. Nam 1. hiericho à Lunæ cultu poteſt non immeritò videri nominata. Magna enim huius apud Gẽtiles erat religio, aut ſuperſtitio potius, vt ex Strabone paſſim conſtat, verbi cauſa, lib. 17. ſemel ac iterum, & Ieremia noſtro cap. 7. v. 18. & cap. 44. v. 19. vbi, quemadmodum apud Horatium carmine ſæculari, *Regina cœli* vocatur. non vt imperitè ait Beza in B. Lucæ 1. verſ. 32. *Sol*, impieq́ue addit nomen hoc ad B. Virginem à Chriſtianis, *non minore cum blaſphemia*, trãſferri. *Lunæ* autem meretrices dicatas paulo ante narrabat Strabo. 2. loci amœnitas & rerum omnium affluentia hic apud Chananæos excitabat, vti & Comanis, Corinthi, Alexandriæ, alibi, ſcortationes & flagitia omnia. 3. Idcirco videtur in anathema & excidium perpetuum vrbs data poſtea. 4. Regij miniſtri eius domum non ingrediuntur, ſed ei dicunt verſ. 3. *Educ viros, qui venerunt ad te, & ingreſſi ſunt domum tuam.* quaſi ſcilicet in domum irrumpere ipſi, eamque violare non auderent. Quomodo enim alioqui Regij ſatellites, regio mandato armati, in re tam ſubita, tantique ponderis, non illicò irruiſſent, omniaque ſcrutati eſſent? Et licet non irruerẽt, ſui tamen adhuc facti rationem dant. *Exploratores quippe ſunt, & omnem terrã conſiderare venerunt.* 5. Cum iidem vel acclamando, vel per ancillulam, quæ ad ipſos ianuam pulſantes miſſa eſſet, nunciando, vt illos educeret, Regis nomine ſignificaſſent, quomodo ei moræ tantum concederent, vt exploratores aſcendere faceret, linique calamis eos adoperiret? 6. Et, quæ libuit dicenti crediderunt confeſtim illi apparitores, quaſi magnæ apud ipſos eſſet fidei & auctoritatis. 7. Huc etiam fortaſſis pertinet *coccineus* de quo infrà, *funis*, & *lini ſtudium*. Meretrices enim pellucidiſſimis vſas telis narrat apud Athenæum Eubalus, *Tuniculis*, ait, *prætenui filo textis, tanquam membranulis tectas*. Nihil tamẽ ex his firmè omnino concludi ſatis intelligo: Sed Dei gratia in abundantiori turpitudinis ac ſuperſtitionis vaſe magis elucet. Sicque intelligitur, quomodo & bono genere & amplis facultatibus eſſe potuerit, cum obſequium præſtare ſe Deo miſeræ ac cœcæ mentes putarẽt. Vide noſtrum etiam Villalpandum in Ezech. 43. c. 79. Martinum de Roa lib. 2. Singul. cap. 9. 10. lib. 3. c. 9. & ſequente.

Q. VI. *Quot annorum tunc Raab?*

Fuiſſe annorum xv. vult in Anglico ſuo ſcripturæ concentu Hugo Brugthonus. Ait enim, anno Moyſis 107. exitus Ægyptiaci anno 27. natam. à quo incluſo ad 40. exitus annum, ſunt anni 14. At anno 41. ineunte ad eam venerunt exploratores, ideoque annorum xv. Rabbi autem Salomo apud Abulenſem q. 49. & Thalmudici in *Megilla cap.* 1. & *Meglitha* Rabbinique alij poſteriores, vt R. Godolias in ſchalſcheleth fol. 14. ei annos dant 50. Toto enim Iſraelitarum peregrinationis tempore ſcortatam aiunt, & ſcortari cœpiſſe anno ætatis decimo. Sed vnde colligi poſſit alterutrũ, non video. Vnũ hæc video, ab hoc ingreſſus in terram anno vſque ad Dauidis natiuitatem, qui annos pauciſſimos numerat, numerare 366. fere. Cum autem *Ruth* c. vlt. & *Matth.* 1. ex ea iam vxore Salmon generarit Booz, & Booz generarit Obed, hic vero Ieſſe, & hic Dauidem, apparet haud admodum ætate prouectam illam fuiſſe. At de hoc illic iterum erit accuratiùs diſſerendum.

Q. VII. *Quando venerint, & an in Raab domo pernoctarint exploratores?*

Occidente iam ſole in vrbem exploratores veniſſe ait quęſt. 17. Abulenſis, ſed neque id itineris longitudo neceſſario poſtulat, neque verbum v. 1. *quieuerunt*, de paulo poſt; & repugnat lib. 5. cap. 1. Ioſephus. ideoque ſatis eſt, ſi poſt meridiem, vnâ vel alterâ, priuſquam occideret ſol, hora veniſſe cenſeamus. *Pernoctaſſe* autem affirmat omnino Caietanus. ita vt veſpere Raab domum intrarint, totam ibi noctem quieuerint, poſtero dię vrbẽ obierint, & explorarint, domumq; redierint. Sicque poſtero iſto die viſi, & Hierichuntino Regi fuerint indicari. Ratio eſt prima; quia verſ. 1. diſertè dicitur, *quieuerunt apud eam*, ſiue vt in Hebræo, *dormierunt ibi*. Secunda Eodem Hebræo verbo dicitur verſ. 8. *Necdum obdormierunt qui latebant*: & paulo poſt è mœnibus tamen demiſſi ſunt. Ideoque fatendum, de altera hic nocte ſermonem eſſe. Alioqui pugnaret ſecum textus dicens, *dormierunt & non dormierunt*. Nihilominus tamen, non pernoctaſſe, veri ſenſeo ſimilius. 1. quia v. 2. Regij Corycæi dixerant. *Ecce viri ingreſſi ſunt per noctem de filiis Iſrael, vt explorarent terram.* Hebraicè ſiquidem ſcribitur, ingreſſi ſunt *hac nocte*. At vel primo aduentus die vt exiſtimo, vel ſecundo, vti exiſtimat Caietanus, iſtud illi dixerunt. Si primò habetur inſtitutum. Si ſecundò, dicere potius debuiſſent, *ingreſſi ſunt heri*, non *hac nocte*. At, inquies, pridie non aduerterant. Quomodo igitur poſtridie aduerterunt? & quomodo ante noctem non aduerterunt? Secundo. Corycæorum, Iudicumque omnium mos eſt, vt citi veloceſque ſint, quo diligentiæ opinionem colligant, & officio ſuo nauiter ſatisfaciant. Hi vero tardi, pœnéque ſeri fuiſſent, ſi ſuum in poſtridianam noctem procraſtinaſſent indicium. Apparet vero ipſos voluiſſe videri coram Rege admodum celeres & oculatos, dum dicunt: *Ecce, hac nocte.* Tertio. quia Ioſephi cap. 1. lib. 5. Hebræorumque & Latinorum receptior hæc opinio eſt, vt ſuprà parte 1. q. 5. expoſitum. Quarto, duæ obiectæ rationes iſtam nihil minuunt: Nam Hebræum verbum שכב varia ſignificat, *dormire* nimirum. *Veneri operam dare, mori*, & abſque ſommo, Venere, ac morte, ſimpliciter *cubare, iacere*, aut *quieſcere*, ac *morari*. Hoc enim etiam ſignificat verbum לין. Hanc autem poſtremam ſignificationem in v. 1. accipiendam, primam vero in v. 8. probatur primo ex noſtro Interprete, qui idcirco vnum idemq; illud Hebræum Latinis duobus conuertit, vt vnius illius

duas hic ſignificationes oſtēderet, *quieſcendi* ſcilicet, ſiue *morandi*, & *obdormiendi*. 2. Idem etiam quos imitatus noſter eſt, antea fecerant 70. Nā 1. loco verterunt κατέλυσαν ἐκεῖ, vti dictum quæſt. 5. poſteriore autem. κοιμηθῆναι αὐτούς. Sicque ratio vtraque ſoluitur, & poſterior præſertim, quam vrget magis Caietanus. Nulla enim repugnantia eſt, ſi dicamus in domo Raab quieuiſſe ac moratos eſſe, ſomnum tamē haud cepiſſe. Neque homonymia eſt, ſed Hebraica verbi eiuſdē vſitata polyſemia. Significationes verò alias huc non pertinere patet quidem de *morte*, cùm viui ſaluique in caſtra redierint. de *coitu* autem probatur 1. ex eo, quod iſtam ſignificationem dum habet hoc verbū, ſolet cum particula, *cum*, & nomine aliquo fœminæ, aut alio, coniungi, non autem ſolitariè poni, vt Geneſ. 19. v. 34. & 35. cap. 26. 10. c. 39. v. 12. Num. 5. 13. & 19. Exod. 22. 18. Deuter. 22. 22. Leuit. 15. 24. 1. Reg. 2. v. 22. 2. Reg. 11. verſ. 11. &c. 2. ex dictis quæſt. 3. Quamquam ſi verſu 1. *ſomnum* ſumeremus, dicere adhuc liceret, non dormiſſe, ſed dormire voluiſſe: vel eo animo Raab domum ſubiiſſe, vt inibi dormirent & pernoctarent: Sed poſtea v. 8. non licuiſſe. Nam præterita Hebræorū verba ſæpe ſignificant, non quod quis fecit, ſed quod facere voluit, quemadmodum & illud B. Virginis Luc. 1. v. 34. *Virum non cognoſco*, id eſt, volui, ſtatui, & decreui non cognoſcere. Si Caietano aſſentiri quiſpiam mallet, poſſet calculum ſupra pag. 1. quæſt. 5. poſitum ita inſtituere. Die ſecundo menſis *Niſan* hierichuntem ingreſſi, ibique pernoctarunt. poſtridie nocturno tempore illinc egreſſi ſunt, & in montibus ſe occultauerunt ea nocte, ſicque primus occultationis dies fuit: dieque menſis quinto, qui occultationis tertius, redierunt ad Ioſue.

Q. VIII. *An ea omnia, quæ ait Ioſephus luſtrarint exploratores?*

Ioſephi verba ſunt hæc ſub lib. 5. principium. *Cùm fixiſſet illic* Iesvs *caſtra, repente exploratores aduenerunt. nihil horum quæ agebantur apud Chananæos ignorantes. Latenter enim prius omnem vrbē eorum licenter conſiderauerūt, ſimul & muros, quicunque fortes, & qui non ita cauti eſſe viderentur: Sed & portas, quædam eſſent fragiles, oportunum præberent inuaſuris introitum: Non autem curabant ciues, quicunque videbant eos, iſta conſiderare, putantes viſionis gratia peregrinos aptiſſima eos ciuitatis loca ſingula perſcrutari, non voluntate tamen hoſtili. Cumque veſpere factum fuiſſet, & deſcendētes in habitaculum quoddam muro vicinum veniſſent, in quo etiam cœnaturi erant, eſſetque eis iam diſcedendi cura, nunciatum eſt Regi cœnanti, quod exploratores quidam ciuitatis ex Hebræorum exercitu venientes eſſent in Raab habitaculo, cum multa latendi prouidentia conſtituti. Ille verò repentè eos præcepit comprehenſos adduci, vt eos torquens agnoſceret, quid agere volentes adeſſent. Cumque inuaſionem eorū Raab agnoſceret (nam ſuprà murum ſtipulam lini ſiccabat) exploratores quidem illic abſcondit. His autem qui miſſi fuerant à Rege dicebat, quod peregrini quidem ignoti fuerint ante paulùlum, quam ſol occumberet apud eam, & cœnantes abſceſſerint. Quos ſi timorem ciuitati, & Regi periculum ferentes veniſſe putarent, ſine labore eos comprehenderent perſequentes. Illi verò muliere ita loquente, nullum eius arbitrati dolum diſceſſerunt, neque perſcrutantes habitaculum eius. Cumque perrexiſſent per vias per quas eos præcipuè ire credebant, & quæ ducerent ad vada Iordanis, & nullum ſignum agnoſcerent, à labore quieuerunt. Tumultu autem ſedato, Raab deducens viros, & periculum pro eorum ſalute faciens ſuum, quæ ſi capi in eorum occultatione potuiſſet, nequaquam ſupplicia Regis euaſiſſet, ſed cum omni domo peſſimè deperiſſet, rogabat vt haberent ſui memoriam: & dum Chananæorum terram obtinerent, huius ſalutis repenſationem eos ſibi conferre poſcebat.* Reuocat hæc ad trutinam omnia quæſtionibus pluribus Abulenſis quæſt. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. ſed in his morari nihil opus. Vel enim è iam dictis, vel è dicendis manifeſta ſunt omnia. In hac tamen vetere, quam ſequitur Abulenſis, Ruffiniana verſione notari poſſet. Primò, legendum, *latentes* pro *latenter*. Nam Græce eſt λαθόντες. Secundo, pro *gratia peregrinos aptiſſima*, legendum, *peregrinis aptiſſima*. Nam dicitur ἱστορία τοῖς ξένοις κατ' οἰκίαν. Tertio, pro *illic abſcondit*, legendum, *in illis*, ſcilicet ſtipulis, εἰς τὰς ἀγκαλίδας ἀποκρύψασα. Quarto, pro, *periculum pro eorum ſalute faciens*, & cætera congruentius Græco textui verti ſic: *Et periculum, quod pro ipſorum ſubiret ſalute (Nam ſi deprehenderetur ipſos occuluiſſe &c.) exhortata eſt, vt in memoria haberent, & cum Chananæorum terræ compotes facti recompēſationem præſentis huius ſalutis poſſent reddere.* Sunt & in eadem verſione, alia: ſed momenti ferè minoris.

Q. IX. *De iiſdem exploratoribus quid Hierichuntinus Rex, eiuſq; ſatellites?*

Cœnabat *Rex*, inquit libro citato Ioſephus, *& vt ab indicibus audiit, veniſſe in vrbem exploratores, ilico, qui eos in vrbe aut foris caperent, ſuos miſit ſatellites.* Dum enim capiuntur exploratores, à periculo ſeipſum conſeruat quis, ſimulque nocet hoſtibus, non eorum tantummodo numerum imminuendo, ſed conſilia impediendo ac diſturbando. Quanto enim ij vnis partibus conducibiliores: tanto alteris nocentiores. Ideoque certiſſimum his vitæ periculum, ſi capiātur. L. *omne ff. de re militari*. & apud Appianum de bello punico, Vegetium lib. 3. c. 5. Sed quemadmodum hac in re militaris diligentiæ aliquid adhibuit Rex, ita mirū eſt, tantam eiuſdem, & Hierichuntinorum ignauiam, ſtultitiamque fuiſſe, vt cum eſſent adeo propinqui hoſtes, ad vrbis portam ita ſecurè peregrinis accedere, intraque illam, abſque vllo examine ac ſcrutatu, introire liceret. Satellites ſimiliter nimium faciles & creduli, dum vt ſuprà explicatum eſt, in Raab, domum ſubito non irrumpunt, non ſurſum, deorſumque aſcendunt, non vertunt, mouent & ſcrutantur omnia: ſed vni fœminæ, & meretrici fidem confeſtim adhibent, tantumque ipſi permittunt ocij, vt eos, qui quærebantur, in ſumma domus parte poſſit oculere. Superſtitio fortè, vt dixi, eos aliqua tenebat, ſed cui par inſcitia & ſtupor cohærebat. Verum diuinitus facta hæc omnia, videbimus verſ. 11. Ideoque nec neceſſe habemus, exiſtimare, priuſquam iſti venirent ſatellites, ab ipſa iam Raab occultatos fuiſſe, vti aiunt, Maſius Caietanus, Tremellius, & alij, qui idcirco vertunt verſ. 4. *Tollenſque viros mulier abſcōderat.* Nam, cur, propriam verborum vim abſque neceſſitate illa deſeramus? & cur, quod neſcimus, fingamus vicinorum muſſitationem, aut de exploratoribus Regi indicatis rumorem ad Raab aures perueniſſe: ſicque illos abdidiſſe? At verſ. 6. propterea per *pluſquam perfecta* exponenda eſſe, colligitur

Digitized by Google

ſe, colligitur ex ipſo verſ. 4. vbi facit, quod verſ.
6. fecerat. Illud verò etiam parum è bellica diſ-
ciplina, tam ſero vrbis portas, tali tempore.
tamque propinquis hoſtilibus copiis, claudi, vt
tenebræ expectatæ ſint. Dum porro iam con-
tenebraſſet, egreſſi ſunt iſti exploratorum ex-
ploratores, & poſt eos clauſa porta, partim quia
tempus iam nocturnũ, partim, ne ſi in vrbe ad-
huc vſpiam deliteſcerent, qui quærebantur, illis
vllus egrediendi locus eſſet. Illud verò in Lati-
no & Græco verſ. 5. *cumque clauderetur porta in
tenebris*; valet, *cum proximum eſſet, vt porta claude-
retur, tenebris iam incedentibus*: ſiue, vt ait Chal-
dæus, *cum claudendæ portæ tempus adeſſet*.

Q. X.

Vbi, quãdo, & quomodo exploratores abſcondit Raab?

Solarium vocat Interpres, locum vbi explo-
ratores abſcondit Raab. Dupliciter vero id no-
minis accipitur. Vel enim *ſolare*, ſiue vt inclinat
lib. 7. capite vltimo Plinius; *ſolarium horologium*
eſt, in plano copiam, aut clepſydra, vt cum ſe-
cundo de natura Deorum ait Cicero, *Qui conue-
nit, cum ſolarium, vel deſcriptum, aut ex aqua con-
templare, intelligere declarari horas arte, non caſu,
mundum autem, qui & has ipſas artes, & earum arti-
fices, & cuncta complectatur, conſilij & rationis ex-
pertem putare?* Vel eſt ſuperior domicilij alicuius
pars, ſoli expoſita, ideoque & ipſum tectũ ma-
xime. vt apud Plautum, & ſic hoc loco, & ſæpe
alias noſter Interpres, Hebræum *gag*, id eſt, *te-
ctum* vocat: vocantque id 70. δῶμα hic & Deu-
teronom. 22. 8. 2. Reg. 11. verſ. 2. Iſaiæ 22. verſ.
1. & ab iis mutuati Euangeliſtæ, vt Actor. 10. v.
9. Matth. 10. verſu 2. *Quod in aure auditur, præ-
dicate* ἐπὶ τῶν δωμάτων *ſuper tecta*. Et Matt. 24. verſ.
17. Itemque Marc. 13. verſ. 15. ἐπὶ τοῦ δώματος, *qui
ſuper tectum, ne deſcendat in domum*. Erant enim re-
gionum illarum tecta, pauimentorum noſtro-
rum inſtar, plana, vt in iis ambulare, diuerſari,
epulari, aliaque id genus facere liceret, vti col-
ligitur è citatis locis, & D. Hieronymo in Da-
nielis 6. & epiſtola ad Suriã. Vnde & hoc ſum-
pſit libro de ædificiis Gribaldus. Videbis etiam,
ſi lubet, quæ notaui Tobiæ 3. fol. 50. & Iudith.
8. fol. 299. Ioſephus lib. 5. cap. 1. tamen dixit
ἐπὶ τοῦ τείχους ob cauſam quæſt. 20. explicandam.
Quando verò id factum, diſputat Abulenſis q.
6. monetque occultatos fuiſſe, cùm fores clau-
ſas pulſaſſent Regij miniſtri, antequam aperire-
tur, vel certe antequam ad eos iret Raab.

Modus verò eos abſcondendi fuit. Habebat
Raab in domus ſolario linum, vt ſiccaretur ad
ſolem expanſum. Sub hoc iſtos iacere iuſſit,
eoque denſiore ipſos cooperuit. Sed ſunt hic in
textu quærenda paucula. Nam in Hebræo eſt
verſ. 6. *Occultauit ipſos in linorum ligno diſpoſitorũ
ipſi ſuper tectum*. Quid igitur primo eſt *linorum li-
gnum*? De verſione dicam primo, tum de re. 1.
Vatablus *culmos lini*: Noſter vero Interpres ait
eſſe *ſtipulam lini*. Sed *hoc*, ait Maſius, *vix ferri po-
teſt. Non enim ſcriptum habetur piſthim, quod Lati-
nus reddidit, hoc eſt lignum lini, ſed ligna lini. Neque
verò cortices decuſſi ſolent reponi, ſed in clibanos &
furnos abiici*, vt ait lib. 19. cap. 1. Plinius. Memi-
niſſe tamen duorum debuit Maſius. *Vnum* eſt,
idem eſſe *linorum lignum*, & *ligna lini*. Solẽt enim,
vti notat in comment. Radak, quãdoque apud
Hebræos ita duo ſubſtantiua iungi, vt vtrum li-
bet regere aut regi poſſit. Nã verbi cauſa Exod.
25. v. 3. dicitur *vermiculus cocci*, & eadem ſigni-
A ficatione Leuit. 14. v. 4. *coccũ vermiculi*. 2. Theſ.
1. verſ. 8. Latinus *in flamma ignis*: Græcus *in igne
flammæ*, vertique poſſet *linum ligneum*, aut *lignum
lineum*. *Alterum* eſt, *ſtipulæ* nomen interdum ſu-
mi pro *calamo*, vt cum dixit Poëta

——— *miſerum ſtipula diſperdere carmen.*

Sicque quod noſter dicit *lini ſtipulam*, dicunt
eodem modo 70. λινοκαλάμῃ, vt ipſemet in ſua
Græci textus verſione agnoſcit, & retinet Ma-
ſius. imo & in ſua ex Hebræo verſione Nouato-
res Tremellius & Iunius. Ioſephus vero lib. 5.
B cap. 1. λίνου ἀγκαλίδας. Neque vero, vt ipſe putat,
idem apud Plinium ſunt *lini cortices*, & *ſtipula*.
Iam *quo ad rem*, duo affert idem Maſius. Vnum
fortè illud lini genus eſſe, quod loco citato vocauit, ait,
*Plinius Xylinum, à frutice, quem aliqui goſſypion vo-
cant, plures Xylon. Et ſanè ex hoc veſtes fiebant tenuiſ-
ſimæ & candidiſſimæ*. ideoque & Ægypti Sacerdo-
tibus, quos *linigeros* vocat Martialis lib. 12. epi-
gr. 25. Plutarchus in Iſide Abuleius Apol. 1. gra-
tiſſimæ. Sed quia non verterunt 70. λινοξύλινον
ſed vt dixi, λινοκαλάμῃ, alteram Maſij explica-
C tionem amplector, vt ſit *linum, quod crudum ad-
huc & lignoſum eſt, hoc eſt, quòd è terra recens euulſum
exſiccatum, & ſtuppario malleo excuſſum nondum eſt*:
quod Eccleſiaſtici 40. dicitur ὠμόλινον. Hoc me-
lius ex ſecunda quæſtiuncula intelligetur, quæ
eſt:

Quomodo lina iſta ipſi Raab diſpoſita fuerint? Sex
ferè lini præparationes ac diſpoſitiones loco ci-
tato indicat Plinius, quas hodierna etiam pro-
bat experientia. 1. *Euulſum*, ait, *& in faſciculos ma-
nuales colligatum ſiccatur in ſole, pendens conuerſis ſu-
D perne radicibus vno die. 2. mox quinque aliis diebus,
in contrarium inter ſe verſis faſcium cacuminibus, vt
ſemen in medio cadat. 3. poſt menſem triticeam, virgæ
ipſæ merguntur in aquam ſolibus tepefactam, pondere
aliquo depreſſæ. Nulli enim leuitas maior.* Quarto.
iterumque vniuerſæ, vt prius, ſole ſiccantur. Quinto.
Mox areſactæ in ſaxo tunduntur ſtuppario malleo. Sex-
to *ferreis tandem hamis pectitur*. Diſpoſuerat verò
Raab diſpoſitione ſecunda, vti & id quod *de li-
gno* dictum eſt, & triticea, quæ tum facta non-
E dum erat, meſſis indicat. idque ſanè oportuniſ-
ſimè. Nam quia illa faſcium oppoſitio non ad
ſiccationem tantùm valet, ſed ad ſeminis etiam
decidentis exceptionem, minor in iis erat ſuſpi-
cio, minorque ea commouendi & excutiendi
occaſio. Eandem diſpoſitionem ſignificant 70.
cum linum iſtud aiunt ἐστοιβασμένον, ideſt, *aptè ſtru-
ctum & compoſitum*, thororum è ſtramentis, quos
στιβάδας in Lygurgo vocat Plutarchus, inſtar;
prout iſto verbo vtuntur etiam iidem 70. vel
alij, Eccleſiaſtici 8. 3. Regum. 12. Cur verò li-
F num habuerit & ſiccarit, dicet aliquis ex mulie-
rum more id factum, quarum eiuſmodi opera
ſunt. Rectè id quidem: cum de mulieribus ho-
neſtis & induſtriis agitur, qualis prouerbior. 31.
verſu 19. 20. 21. deſcribitur. Sed nonne ocio-
ſæ meritrices? nonne & ideo meretrices, quia
deſidioſæ? E perditiſſimis iſtis tamen erat Raab.
ideoque fœmineos etiam labores & opera tra-
ctabat. Sicuti & apud Strabonem libro 8.
illa, quæ ſcorto alteri velut probrum obii-
ciebat, ὅτι οὐ φίλεργος εἴη, οὐδ᾽ ἔριον ἅψαιτο; id eſt,
quòd neque laboroſa eſſet, neque lanam tractaret.

Huius autem cauſa fuit, quæ ex Ioſepho libro 4. cap. 27. duci poteſt, quòd *propter maximam hierichuntini aëris temperiem, lineis ibi amicirentur homines, etiam hyeme,* cum in aliis Iudçæ partibus nix eſſet. omnium tamen maximè, quæ venale corpus habebant, mulieres, vti quæſt. 5. dicebam.

Tertio. quod verſu 4. dicit noſter, *Tollens mulier viros, abſcondit,* in Hebræo eſt, *abſcondit eum.* Quomodo *eum,* & non *eos?* Tria reſpondent Rabbini. *Primum* apud Lyranum, Phinees eſſe angelum, ideoque apud Abulenſem etiam quæſt. 27. & Thanhumam eſt; ſolũ Caleb fuiſſe occultatum; quia dixerit Phinees, ſe ſacerdotem eſſe: & ſacerdotes, Angelorum inſtar, poſſe, ſi velint, aut videri aut non videri. *Secundum* Raſchi. ita mulierem feſtinaſſe, eaſque ſolarij anguſtias fuiſſe, vt non niſi alterum illa texerit. Sed vtrumque hoc eſſe nugatorium, quid probare opus? *Tertium* Radach & Ralbag. Vnum in vna ſolarij parte, alterum in altera occultatum fuiſſe. Alioqui ſi ſimul inuenti fuiſſent, eminuiſſet lini aceruus nimium, ſuſpicandique & ſcrutandi occaſionem dediſſet. Dicendum breuiter, vſitatum Hebræis eſſe, vt in enumeratione plurium, de vno dicant, quod de ſingulis dicendũ, vt ſcilicet occultarit Raab illum & illum. Adde adiectionem *no* fortaſis aliquando eſſe pluralem, ſicuti & *mo* eſt ſingularis Iſaiæ 53.

Q. XI. *An mentita Raab?*

D i x i t v. 4. & 5. Raab quinque. in quorum primo, fatetur id quod à Regiis indicibus ac ſatellitibus obiiciebatur. Sed pro eo, quod in Hebræo eſt *ſic, aut, etiam,* poſuit noſter Interpres verbum, quod in eiuſmodi annutu, & rei, quæ quaſi obiicitur, confeſſione vſitatum *fateor.* 70. verò, venerunt ad me viri. Reliqua quæ ſunt quatuor, à veritate abeunt omnia. *Primò. Neſciebam vnde eſſent.* At ſicuti eos è filiis Iſrael agnouerunt indices, ita & ipſa, & multò quidem magis, vt oſtendit ipſamet v. 9. & 10. *Secundò. Cumque porta clauderetur in tenebis, & illi pariter exierunt.* At domi latebant. loqui vero de vrbis porta ſatis claret. prout etiam concludit quæſt. 44. Abulenſis. *Tertio. Neſcio quo abierunt* At in ſolario hærere notat, *Quartum. Perſequimini cito & comprehendetis eos.* ſcilicet, vos hinc diſcedite, & in eos incidetis alibi, qui alibi non ſunt. Sunt porrò de hiſce Raab verbis *opiniones duæ. Prima.* In his hanc mentitam non eſſe; quia hæc omnia dixerit de hoſpitibus aliis, qui eo tempore ſuo ex hoſpitio profecti ſint. Ita vel Tremellius, vel Iunius in huius loci annotatione. *Hoc,* ait, *reſponſum cur mendax neceſſario ſtatuamus dici oportere, non video. Potuerunt enim alij apud Rachabam (puta Cauponam) diuertiſſe, de quibus illa reſponderit. prout opus eſt diuinæ prouidentiæ alios hoſpites indicari ex veritate, & alios ex fide & charitate diſſimulari.* Sed primo initiur opinio hæc falſo illi, quod antea funditus ſublatum quæſt. 3. *de Caupona* fundamento. ſecundo ex cõtextu clarè apparet, ipſam Raab de iiſdem, de quibus rogabatur, reſpondere. Ideo enim, ait, *fateor,* & *comprehendetis eos.* tertio. Eſto, liceat interdum quædam reſpondendi calliditas, licere tamen non fatentur illius patroni, cùm legitime interrogatis, qui legitimam interrogandi poteſtatem habet, vt expoſui Iudith 13. q. 10. At hierichuntino Regi, eiuſque adminiſtris ea vtique poteſtas erat, &, modo moribus legibuſque conſentaneo, interrogabant. Sicque ab iis, qui Raab, mentitam negant, incõmodum quidem vnum fugitur, ſed in alterum incurritur; vt taceam ſuo eos magiſtro aduerſari Caluino. Altera igitur aliorum omnium opinio eſt, mentitam eſſe, ſatiſque ex iam dictis confirmata.

Q. XII. *In mentiendo peccarit Raab?*

D v Æ opiniones. *Prior* mentitam eſſe: ſed abque peccato. Ita Ioſeph Abbas apud Caſſianũ collat. 17. c. 17. qui ſuæ quondam ciuitatis princeps & non ſolũ Ægyptiâ, ſed etiam Græcâ facundia diligenter edoctus, vt idem ſcribit Caſſianus collat. 16. c. 1. Nam hæc illius verba, loco illo priore ſunt. *Taliter de mendacio ſentiendum atque ita eo vtendum eſt,* quaſi *natura ei inſit ellebori. Quod ſi imminente exitiali morbo ſumptum fuerit, ſit ſalubre: cæterum abſque ſummi diſcriminis neceſſitate perceptum præſentis exitij eſt. Ita namque etiam ſanctos ac probatiſſimos Deo viros veniabiliter legimus vſos fuiſſe mendacio, ſicut Raab, cuius cum non ſolum nulla virtutum, ſed etiam impudicitiæ monumenta commemoret ſcriptura, pro tali mendacio, quo exploratores maluit occultare quam prodere, admiſceri populo* D e i *æterna benedictione promeruit. Quæ ſi veritatem loqui, aut ſaluti ciuium conſulere maluiſſet, nulli dubium, quod nec imminentem cum vniuerſa domo ſua fugiſſet interitum, nec auctoribus Dominicæ natiuitatis inſerta, & in patriarcharum annumerata catalogo, per ſucceſſorem ſuæ prolis edere meruiſſet omnium ſaluatorem.* Et rurſum. *Nec Raab mortem alias quam hoc remedio potuiſſet euadere, nec Iacob ad benedictionem primogeniti peruenire. Non enim Deus Iudex, ſed etiam propoſiti ac deſtinationis inſpector eſt. Qui ſi aliquid, causâ ſalutis æternæ ac diuinæ contẽplationis intuitu, ab vno quoque, vel factum viderit, vel promiſſum, tametſi hominibus durum atque iniquum eſſe videatur, ille tamen intimam cordis inſpiciens pietatem non verborum ſonum, ſed votum diiudicat voluntatis; quia finis operis & effectus conſiderandus eſt perpetrãtis, quo potuerunt quidam, vt ſupra dictum eſt, etiam per mandacium iuſtificari, & alij per veritatis aſſertionem peccatum perpetuæ mortis incurrere.* Nam veniabile apud hunc auctorem vocatur, id quod alias peccatum foret, nunc verò non eſt: ſed ei venia eſt, ſiue bona D e i venia & voluntate fit: prout ex tota eius diſputatione patet, itemque ex eo, quod iſto mẽdacio tot & tanta bona promeritam Raab vult, imò per mendacium iuſtificatam. At peccato, quantumuis paruo, facileque expiando, neque meritum, neque iuſtificatio parari vlla poteſt. Aliud eſſet; ſi, vt Ambroſius l. 10. in Lucam c. 22. loquitur, vocaret *veniabilem culpam,* aut peccatum, ſed *veniabile.* Neque obeſt, quod eodem cap. ait, *iſta mendaciorũ perfugia recipienda, ita tamen, vt reatu humilis conſciẽtiæ ſalubriter mordeamur.* videtur enim ad metum, & animi demiſſionem hortari, non ad veræ culpæ agnitionem. Hoc etiam loco *Chytraus* vult Raab mendacium Deo non diſplicere: Sed inſcienter & indocte mendacium, cum rei arcanæ ſilentio confundit. *Altera* opinio eſt *Sancti Auguſtini* lib. *contra mendacium* cap. 15. docentis eſſe mendacium, ſed *minutum* & *veniabile.* quia officioſum: cum quo Lyranus, Abulenſis quæſt. 33. & 38. & tota iam Theologorum

ſchola

ſchola non illebenter ſentit. Quia verò contra ſententiam alibi dixi, tantum dico, hoc Raab mendacium eo modo explicandum, quo cap. 1. Exo. explicatum nutricum mendacium, vt non ipſi peccato, ſed eius fidei, charitati, hoſpitalitati, totique operi bono cui per accidens, iunctum fuit hoc peccatum; laus præmiumque fuerit. Sed ſanctum illum Doctorem Auguſtinum audiamus. *Quod*, ait, *ſcriptum eſt, bene Deum feciſſe cum Hebræis obſtetricibus, & cum Raab hierichuntina meretrice, non ideo factum eſt, quia mentitæ ſunt, ſed quia in homines Dei miſericordes fuerunt. Non eſt itaque in eis remunerata fallacia, ſed beneuolentia, benignitas mentis, non iniquitas mentientis. Sicut enim mirum abſurdumque non eſſet, ſi alio prius tempore commiſſa ab eis aliqua opera mala* DEVS *propter poſteriora opera bona vellet ignoſcere: ita mirandum non eſt, quod vno tempore in vna cauſa Deus vtrumque conſpiciens: id eſt, factum miſericorditer, factumque fallaciter, & bonum remunerauit, & propter hoc bonum malum illud ignouit. Si enim peccata, quæ propter carnis concupiſcentiam, non propter miſericordiam fiunt, propter poſteriora opera miſericordiæ dimittuntur, quæ propter ipſam miſericordiam committuntur, grauis eſt enim peccatum quod animo nocentis, quàm quod animo ſubuenientis efficitur. Ac per hoc ſi illud deletur opere miſericordiæ poſteà ſubſequente, cur hoc quod eſt lenius, non deletur ipſa hominis miſericordia, & præcedente vt peccet, & comitante cum peccat?* Et poſtea. *Reſtat vt intelligamus illis mulieribus vel in Ægypto vel in Hiericho pro humanitate, miſericordia redditam fuiſſe mercedem vtique temporalem, quæ quidem & ipſa æternum aliquid etiam illis neſcientibus prophetica ſignificatione figuraret, vtrum autem ſit aliquando, vel pro cuiuſquam ſalute mentiendum, cum quæſtio ſit in qua diſſoluenda etiam doctiſſimi fatigantur, valde illarum mulierc ularum, in illis populis conſtitutarum, & illis moribus aſſuetarum excedebat modum. Itaque hanc earum ignorantiam, ſicut aliarum rerum quas pariter neſciebant, ſed ſciendæ ſunt à filijs non huius ſæculi, ſed futuri,* DEI *patientia ſuſtinebat: qui tamen eis pro benignitate humana, quam famulis eius impenderant, quamuis cæleſte aliquid ſignificantia, præmia terrena reddebat. Et Raab quidem ex Hiericho liberata, in* DEI *populum tranſitum fecit; vbi proficiens poſſet ad æterna & immortalia munera peruenire, quæ nullo ſunt quærenda mendacio.* Iterumque libri eiuſdem cap. 17. ſed ſequenti quæſtione afferetur, ſimilia vult *Rupertus* lib. 2. cap. 11. licet ibi menda ſint, videtur verò eadem ſentire *Caluinus*, ita tamē vt errorem admiſceat, quaſi peccatis operi bono adiunctis nulla pœna ſit, vel, vt ipſe ineptius loquitur; *nulla imputatio. Præcipua*, inquit, *actio* DEO *grata, quia vitium virtuti admiſtum non imputatur.*

Q. XII. *An vt ſeruarentur exploratores neceſſario mentita Rahab.*

D. Auguſtin. lib. contra mendacium cap. 17. docet, potuiſſe à Deo, abſque vllo ipſius Raab mendacio, conſeruari exploratores, & corporalem propriam, illorumque vitam præſentiſſimo potius mortis periculo exponendam fuiſſe, quam vt mendacium Raab diceret. Sed nō poteſt tota diſputatio vel ſubtiliùs vel clariùs quā ejus ipſius verbis proponi. Ea igitur sūt. *Sed dicet aliquis: Ergone obſtetrices illæ, atque Raab melius feciſſent, ſi nullam miſericordiam præſtitiſſent, nolendo mentiri? Imo verò illæ mulieres Hæbrææ, ſi eſſent tales, de qualibus quærimus, vtrum ſit eis aliquando mentiendum, nec aliquid falſi dicerent, & fœda miniſteria de paruulis occidentis liberrimè recuſarent. Sed, inquies, ipſæ morerentur. At vide quid ſequatur: Morerentur enim cæleſtis habitationis incomparabiliter ampliore mercede, quam domus illæ quas ſibi fecerunt, in terra eſſe potuerunt. Morerentur enim futuræ in æterna felicitate, mortem perpeſſæ pro innocētiſſima veritate. Quid illa in Hiericho? Nunquid hoc poſſet? Nonnè ſi quærentes ciues mentiendo non falleret, verum dicendo latentes hoſpites proderet? An poſſet interrogantibus dicere: ſcio vbi ſunt, ſed Deum timeo, non eos prodo? poſſet hoc quidem dicere ſi iam eſſet vera Iſraelitis, in qua dolus non eſſet: quod futura erat per miſericordiam Dei tranſiens ad ciuitatem Dei. Verum illi hoc audito, inquies, illam perimerent, domum ſcrutarentur. Sed nunquid conſequens erat, vt illos etiam quos diligenter occultauerat, inuenirent? proſpexerat enim cautiſſima mulier, & ibi eos poſuerat vbi latere potuiſſent, etiamſi ei mentienti creditum non fuiſſet. Ita & illa, ſi tamen à ſuis ciuibus eſſet occiſa, pro miſericordiæ opere, vitam iſtam finiendam precioſa in conſpectu Domini morte finiſſet, & erga illos eius beneficium inane nō fuiſſet? Sed inquies Quid ſi ad illum locū vbi eos occultauerat, ij à quibus quærebantur, perſcrutando omnia perueniſſent? Iſto modo dici poteſt: Quid ſi mulieri viliſſimæ atque turpiſſimæ, non ſolum mentienti, verum etiam peieranti credere noluiſſent? Nēpe etiam ſic conſecutura fuerat, quæ timendo mentita eſt. Et vbi ponimus voluntatem ac poteſtatem Dei? An fortè non poterat & illam, nec ciuibus ſuis mentientem nec homines Dei prodentem, & illos ſuos ab omni pernicie cuſtodire? A quo enim & poſt mulieris mendacium cuſtoditi ſunt, ab eo potuerunt, etſi illa mentita non eſſet, vtique cuſtodiri. Niſi fortè obliti ſumus hoc fuiſſe in Sodomis factum, vbi maſculi in maſculos nefanda libidine accenſi, nec oſtium domus in qua erant, quos quærebant inuenire potuerunt: quando vir iuſtus in cauſa omnino ſimillima pro ſuis hoſpitibus mentiri noluit, quos eſſe angelos neſciebat, & vim morte peiorem ne paterentur, timebat. Et certè poterat talia reſpondere quærentibus qualia in Hiericho mulier illa reſpondit. Nam prorſus ſimiliter & illi interrogando quæſierunt. Sed homo iuſtus noluit pro corporibus hoſpitum animam ſuam ſuo mendacio maculari, pro quibus voluit corpora filiarum alienæ libidinis iniquitate vim perpeti. Faciat ergo homo etiam pro temporali hominum ſalute quod poteſt. Cum autem ad hunc articulum ventum fuerit, vt tali ſaluti conſulere niſi peccando non poſsit, iam ſe exiſtimet non habere quid faciat, quando id reliquum eſſe perſpexerit, quod non rectè faciat. Proinde Raab in Hierico, quia peregrinos homines Dei ſuſcepit hoſpitio, quia in eorum ſuſceptione periclitata eſt, quia in eorum Deum credidit, quia diligenter eos vbi potuit occultauit, quia per aliam viam remeandi conſilium fideliſſimum dedit, etiam ſupernæ Hieruſalem ciuibus imitanda laudetur. Quod autem mentita eſt, etiam ſi aliquid ibi propheticum intelligenter exponitur, non tamen imitandum ſapienter proponitur: quamuis Deus illa bona memorabiliter honorauerit, hoc malum clementer ignouerit.* Ita ille, veritatis, morumq; Cenſor optimus.

Qv. XIV. *An grauius mentita Raba, quam Exod. cap. 1. obſtetrices.*

ET illius & harum eſſe veniale mendacium, ſed ipſius Raab eſſe grauius, copiosè admodum explicare conatur Abulenſis quæſt. 34. 35. 39. quia infantes omnino innocentes, nihil neque ab ipſis, neque ab eorum parentibus contra publicam Ægyptiorum ſalutem aut tentatum, aut

veri ſaltem ſimiliter tentandum; & quia ſuis ipſemet obſtetrices manibus illos interficere iubebantur. Secus & exploratoribus & Raab omnia. Et quæſt. 41. ad 1. eam non æterna, ſed temporalia bona meruiſſe docet.

Q. XV. *Patriamne prodiderit Raab?*

Si vulgari more proditionem vocemus, quamcunque actionem, quæ temporali ciuitatis incolumitati, publicoque ſtatui aduerſa, & cum hoſtibus amicè inſtituta ſit, à proditione Raab excuſare non fuerit adeo facile. Nam ſciebat eos hoſtes & exploratores: eos tamen hoſpitio accepit, benignè habuit, de iis à Rege interrogata, non, vti veritas publicaque patriæ ſalus poſtulabat, reſpondit, illos domi ſuæ occuluit, è muro ſaluos & incolumes demiſit, & quo modo Regiorum ſatellitum manus effugere poſſent, edocuit, tempuſque & locum, quo laterent indicauit. Horum omnium vel vnum proditionis reum agat, quid igitur omnia? Legatur lex illa prima, quæ in codice eſt, *de his qui latrones*. Si verò de proditione paulo cũ Theologis diligentius loquamur, proditio vocanda eſt, non quæcunque iſtiuſmodi actio, ſed vitioſa, peccatoque coniunctà, ideoque, vt aliter facere potuerit ac debuerit, requiritur, quorum alterutrum ſi abſit, adeſſe peccatum nõ poteſt. Nam *ad impoſsibile obligatur nemo*, & ſi omittat quis, quod facere non debet, culpa nulla eſt. Quin verò aliter facere potuerit Raab, dubitari non poteſt. An verò debuerit, id eſt, de quo difficultas. Nam inſitus à natura gentibus omnibus in patriam amor, ſancita diuinis humaniſque legibus erga eandem pietas exigere à Raab videbatur, ne hoſtes domo receptaret, aut vt receptatos certè indicaret, maximè cum Regis nomine idipſum ab ea peteretur, itemque, vt eorum ad ſuos reditum impediret, patriæque, pro virili, auerteret excidium. Caluinus, *ſola*, inquit, *cognitio, quam Deus eius animo indidit, eam eximit à culpa, tanquam ſolutam communi lege*. Sed qua de cognitione loquitur? An de ea, de qua Raab ipſa verſu 9. loquitur? *Noui quod Dominus tradiderit vobis terram?* At certè ſola iſta cognitio non potuit à culpa eam eximere. Conſtat enim vti rectè argumentatur quæſt. 38. Abulenſis neceſſarium non eſſe, vt ſimpliciter velimus, quod Deus vult. v. c. patrem meũ occidi, patriam vaſtari, templa incendi, hos & illos æternis addici ſupplicijs. Nam & CHRISTVS D. cum certò Hieroſolymorum excidium noſſet, id nolebat tamen, ideoque *cum appropinquaret ciuitati fleuit ſuper illam* Lucæ 19. An de cognitione perfectiore loquitur, qua & hoc norit Raab & ſimul omnes iſtius rei circumſtantias & modos, quibus rectè poſſet, hac in re, ſeipſam gerere? Et tunc verum quidem ait, ſed difficultatem nondum adimit. Quæritur enim: An tales aliquæ circumſtantiæ & modi ſint, & quinam illi? Obſcurè quidem, ſed niſi nouam velit eſſe reſponſionem, circumſtantiam & modum vnum videtur paulo poſt ſubiicere, idem Caluinus, cũ ait. *Quamuis ad eum vſque diem obſtricta fuiſſet ſuis popularibus, vbi tamen cooptata fuit in corpus Eccleſiæ, noua conditio, quædam manumiſsio fuit à iure ſocietatis, quo inter ſe deuincti ſunt ciues*. At falſa & periculoſa hæc aſſertio. Non enim gratia tollit naturam, neque diuinum aut humanum ius na-

A turalem legem, vt in ſimili proditionis argumento diſſerit 2. 2. ad quæſt. 33. a. 7. Caietanus. Et nunquid ad religioni Chriſtianæ odium conflandum valet, docere, eos, omnes, qui Chriſtiani ſunt, omni iure liberari, quo Principibus, ciuitatibuſque ſuis obſtricti ſunt? Aliter ſanè S. Paulus Rom. 13. aliter Sanctus Petrus 1. cap. 2. aliter Patres omnes. Patrocinari ſcilicet aliud quaſi agens voluit hoc loco Caluinus, iniquæ ac violentæ ſuæ tot arcium & vrbium, *Geneuenſis* præſertim, occupationi, tot & tam nefariis

B Caluiniſtarum proditionibus, belliſque ciuilibus. Nam ſtatim atque è Catholico fit Caluinianus, in Eccleſiæ ſcilicet veræ corpus cooptatur, ideoque nullo iam iure, omnium ciuium ſocietati obligatus eſt. Abulenſis quæſt. 37. & 38. & Maſius: etiam proditionis à Raab crimen depellunt, quia diuinitùs cognorit vrbem ab Iſraelitis capiendã: Sed addunt, cognouiſſe ſimul quidquid egeret ipſa, ſiue aperiret, ſiue operiret exploratores, aliter fieri nõ poſſe, ideoque meli' fuiſſe, vt in communi patriæ totius interitu, quẽ

C indicio & opera nulla impedire poſſet: ſed ſaltẽ, ſuoſque, & ſua ſeruaret. Nec illud ab Abulenſi quidem præteritum eſt, eam diuinæ voluntati ſuam conformaſſe, quoad hoc, vt naturali & honeſta in patriam charitate ferretur, ideoque hoc eius exitium dolenter ferret, cuperetque fieri ſi poſſet, ſtare illam & florere ita vt proditionis rea non ſit Raab, quia certa omnino cognitione præceperit, patriam, quidquid tandem contra ipſa niteretur, euertendam: & de tam triſti caſu, ex naturalis legis impulſu, doluerit. Alia

D ratio, & vti quidem exiſtimo, firmior, ſecutura iam iam quæſtione, afferetur. Scriptura profectò, dum cap. 6. verſ. 17. & 25. hoc eius factum laudat, omnis eam proditionis exortem pronunciat. Et Iuris peritorum ſententia eſt. *Qui prodit patriam, non odio principis principaliter, nec vt ei ciuitas auferatur, ſed ad illum finem, non incidit in crimen maieſtatis*, vide Cephal. d. 76. 661. Petrũ Ærodium 2. decr. 9. alios *ad legem Iuliam maieſtatis*.

Q. XVI. *An abſque peccato exploratores indicare, ac dedere potuiſſet Raab?*

POTVISSET, inquit quæſt. 40. Abulenſis. Imo

E quæſt. 41. *dato*, ait, *quod prodidiſſet, & occidiſſet, vel occidi fuiſſet Iſraelitas, non peccaſſet*. Non queo tamen, id vt credam, animum inducere. Primo, quia Deus ipſi Raab non ſolum oſtenderat, hierichuntem ab Iſraelitis capiendam, ſed iuſto etiam bello, cuius ipſe Dux & pœne Imperator, capiendam, vti manifeſtum ex v. 9. & 10. Cum verò nouit quiſpiam certò, bellũ ab altera parte iuſtum eſſe, debet omni ſtudio cauere, nepartì illi noceat. Nam iuſtitiæ alioqui repugnaret: Iniuſtitiam ſciens ac prudẽs propugnaret, ideo-

F que ſi tempus eiuſmodi forte incidat, vt non modo peregrinus & gregarius miles, qui ſtipendium danti cuilibet nomen dat, ſed ciuis etiam & principi alicui ſubditus clarè citraque dubitationem omnem intelligat, iniuſta eſſe ciuitatis ac principis arma ſequi ea nullo modo poteſt, ſed, quod de obſtetricibus Ægyptiis quæſt. 12. dicebat S. Auguſtinus, mors ab eo eſſet potius oppetenda, quam claræ perſpicuæque iuſtitiæ vim vllam inferre. Atque hæc etiam ratio & fundamentum, cur exploratores illos in patriæ commodum prodere, aut morti dedere haud

quaquàm

Digitized by Google

quaquam Raab debuerit, ideoque proditionis omnis culpa vacarit. Secundo, charitas in patriam, adeoque in quemcunque alium, è naturæ hauſta fontibus, id præſcribit, & cum omne ab eo malum non poſſumus, tantum certè quantum poſſumus remoueamus, tantumque, quantum licet, eius bonum conſeruemus. At conſtabat ipſi Raab, ſe ſuæ ciuitatis excidium prohibere non poſſe, videbat tamen, ſi exploratoribus à Ioſuæ miſſis nihil noceret, quin eos potius adiuuaret, poſſe aliquas patriæ ſuæ reliquias conſeruari, & quidem quoad omnem huius & futuri ſæculi æternitatem. Suadebat itaque recta ratio, planèque huc impellebat, vt daret ipſa, quam poſſet, operam, ne detrimenti quidquam caperent exploratores. Tertio. Eius voluntati eos adhibuit diuina bonitas motus, qui iudiciis iſtis practicis reſponderent. Quemadmodum igitur tam certis, liquidiſque iudiciis non aſſentiri peccatum fuiſſet: ita & tantis, tamque rationi conſentaneis motionibus nihil cedere. Infringere longiſſima diſputatione conatur Abulenſis alia *duo* argumenta, *vnum* eſt: Tenebatur, Raab, quos hoſpitio acepiſſet, pro viribus defendere, vti Loth Geneſ. 19. *Alterum*: A Deo mouebatur ad exploratores occultandũ & adiuuãdũ Sed iſtis, vel non vtor, vel certè non eo, quo ille ſibi obiicit & ſoluit modo. Sic enim alioquin iis vterer. Tenebatur Raab eos, quos hoſpitio accepiſſet, hoſpites, etiãſi hoſtes, quia tamen certò bellum eos iuſtum gerere ſciebat, pro viribus tueri. Et, à Deo, ad eos hoſpitio accipiendum ac tuendum mouebatur, ita vt eum motum ad rem honeſtam, bonam, veroque practico iudicio congruentem impellere certò perſpiceret. Abſque peccato igitur exploratores indicare, necique dedere nullo modo Raab potuit.

Q. XVII. *An quæ de Iſraelitarum Deo ac felicitate, ipſi Raab inerat cognitio, naturalis aut ſupernaturalis fuerit?*

Post exploratorum abſconſionem ter ad eos verba feciſſe Raab legimus. Nam primò, quæ de iis noſſet, oſtendit, eaque propter de ſe ſuiſque conſeruandis iuſiurãdum ab iis petiit verſu 9. 10. 11. 12. 13. Secundò, eos, quo ire deberent, & quamdiu in via hærere, docuit verſu 16. Tertiò, quæ illi dixerant, approbauit, verſu. 21. In horum igitur primo difficultas eſt, cum ait verſu 9. *Noui, quod Dominus tradiderit vobis terram*, vnde id illa noſſet? an à Deo, an ab omnibus, vel humano quodammodo? Poſterius hoc forte non iis diſpliceat, qui ita ratiocinentur. Primo, potuit Raab ab hominibus audire Deum Iſraelitis terram tradidiſſe. Nam id ſæpè hi ipſi dictitabant, & quidem publicè, per ſuos ad gentes alias caduceatores, dum ab illis per earum terras tranſitum peterent, vt Deuteronom. 2. verſ. 29. Quæ autem ita publicè geruntur aut dicuntur, ſolent ad vicinos quoſque populos facillime perferri, paſſimque narrari. Secundo, potuit humana idem ipſum ratiocinatione cognoſcere, quia ſcilicet Iſraelitas ſuis popularibus tãtum terroris inieciſſe, ipſoſque metu tam exanimatos videbat. Quis enim tam rudis ac imperitus, qui non ita ratiocinetur? En hoſtes noſtri tanti, tamque fortes ac robuſti ſunt, nos autem omnes mirum in modum pauemus, animos cadimus, totoque corpore contremiſcimus. Actum igitur de nobis: penes hoſtes victoria eſt: Nos noſtraque omnia tradit in eorum manus Deus. Sic enim & apud Naſonẽ Metamorph. 8. Scylla: *Et causâque valet.* (Minos) *cauſamque tuentibus armis, vt, puto vincemur.* Tertio. Ipſamet Raab huiuſcemodi naturalem cognoſcendi modum ſe adhibuiſſe videtur plane omnibus monſtrare, cum tantam iſtam ciuium ſuorum formidinem ex mirabilium & portentorum, & victoriarum, quæ Iſraelitis contigiſſent, auditione natam teſtatur v. 10. *Audiuimus*, ait, *quòd ſiccauerit Dominus aquas maris, & quæ feceritis duobus Amorrhæorum Regibus*. Et adhuc in 70. qui cauſalem particulam apponunt, clariùs, ἀκηκόαμεν γάρ. Et clariſſimè v. 11. *Et hæc audientes pertimuimus.* Vſitatiſſimus autem & quotidianus iſte apud omnes gentes cognoſcendi ac ratiocinãdi modus, ex audita hoſtium fecilitate, vicinarumque gentium clade ſibi ipſis timere, ac tanto quidem magis, quanto illa maiora & mirabiliora fuerint. Exemplorum plenæ omnes, quæ quidem bella tractant, hiſtoriæ. Quarto, ſi quæ in Raab ſupernaturalis cognitio fuiſſet, in eo maximè fuiſſet, quod eodem verſu 11. dixit. *Dominus Deus veſter ipſe eſt Deus in cælo ſurſum, & in terra deorſum.* At potuit hoc etiam naturaliter cognoſcere, vel quia dicebant alii, vel quia non niſi à Deorum maximo & potentiſſimo mirabilia illa, nobileſque victorias proficiſci poſſe indicaret, quemadmodum ſcilic. ob incredulorum quoſdam ait, Apoſtolus 1. Rom. 20. *Inuiſibilia ipſius à creatura mũdi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.*

1. Fuit ſupernaturalis in Raab cognitio, quia Heb. 11. verſu 31. fuit in ea *fides*, & quidem ea, quæ hic dicuntur ad fidem illam pertinuiſſe, ipſiuſque materiam, circa quam exerceretur, fuiſſe intelligi poteſt, quod ſumat illa, quæ ibi recenſet, fidei exempla omnia è ſcripturis, vt facta ſcilicet, in quibus fides enituit, ex illis ſint. At factum ipſius Raab, in quo fides eius enituerit, non habemus, niſi hoc. Duo enim de ea refert Apoſtolus 1. *fide* non periiſſe cum popularibus ſuis incredulis. 2. *fide* accepiſſe hoſpitio exploratores, quorum hoc poſterius prioris illius cauſa eſt. Quia enim fide accepit exploratores, ideo cum ſuis incredulis ciuibus haud periit. At fides, qua illos accepit, quæ alia præter hanc, quod nouerit Deum terram Iſraelitis tradidiſſe, & quæ adduntur? Nam iſtis in verbis includitur. Primo ipſam nouiſſe Deum. Si enim eum nouit tradere terram, prius ipſum nouit. 2. Deum noſſe, non quemlibet, ſed eum, qui verus Deus, quem idcirco vocat *Iehouah*. Tertio nouiſſe ipſum Iſraelitis eſſe propitiũ, quod tam bene ipſis faciat. 4. neque nunc tantum eſſe: ſed olim iam fuiſſe, cum Geneſ. 15. verſu 18. cap. 26. verſu 4. eorum Patribus terram hanc promiſit, & promittendo tradidit. Nam Hebraicè eſt, *ſciui, quia Dominus tradidit vobis hanc terram*. Neque enim probo Lyranum & Abulenſem, *præteritum* hoc explicantes per *futurum, tradet*. Nulla enim propriæ ſignificationis omittendæ cauſa vti etiam admonet Maſius. Si tamen, quod licet, *futurum* accipiamus, cognitio ſupernaturalis adhuc habebitur, auctore Origene hom. 3. qui ob verba hæc, Raab *propheteſſam* vocat. 5. nõ hæc modo noſſe, ſed iis etiam aſſentiri, quod eſt

prorſus credere. Nam hoc ſine diuina mentis illuſtratione, ſanctoque voluntatis motu non potuit. Secundo, ſi verborum Raab ſeriem & contextum diligenter aſpiciamus, comperiemus, omnium quæ hic ait, cauſam & caput eſſe hoc; *Dominus Deus veſter, ipſe eſt Deus*, &c. Nam vt tanti Iſraelitarum roboris, tot & tam mirabilium, quæ iis acciderunt, portentorum cauſa indicetur, tam in Hebræo, quam Græco & Latino, particula cauſalis, *quia* vel *enim*, additur. *Dominus enim Deus veſter*. At verò hoc non niſi cognitione, quæ ſupra hominem & naturalem eſt, comprehendi, approbari, & ſuſcipi potuit. Nam primo Deus verus hic agnoſcitur, qui *Iehouah*, deinde idem Deus ſignatè *Deus Iſraelitarum*, non Gentilium eſſe intelligitur. Tertio prædicatur eius naturæ ac potentiæ immenſitas quia dicitur eſſe *Deus in cælo ſurſum, & in terra deorſum*. Eſt autem perinde ac ſi diceretur, eius naturam vno aliquo loco haut contineri, quamuis maximo & ampliſſimo. Quàm magnus & & vaſtus terrarum orbis? Quot quantiſque partibus maius ac vaſtius cœlorum ſpacium? Et tamen neque in ſola terra Deus eſt, neque in ſolo cœlo. Sed vtrumque complet, id eſt, ſumma & inſima, ideoque & intermedia omnia, vt rectè li.2. de Deo c.2. noſter notat Soarez, ideoque totum hoc, quodcunque id eſt; mundi vniuerſum, Dei natura tenet ac permeat, & exinde fluit immenſa illa eiuſdem, vis ac numen, quo cœlum & terras, Angelos & homines, totũ inquam mundum, ſuo arbitratu, regit & gubernat. Etſi verò horum aliqua poſſent à Philoſophis quibuſdam naturæ vim ſolerter indagantibus naturaliter cognoſci, non tamen à fœmina, & quidem meretricis nugis dedita, anniſque iuniore: neque etiam à Philoſophis definitè illud, *Deum verum, eſſe quem*, nunquam adhuc viſi aduenæ, peregrini & hoſtes *colerent Iudæi*, *vide*, ait Caietanus, *in muliere iſta, non ſolum timorem, ſed fidem ac manifeſtam confeſſionem, quod Iehouah, qui eſt Eloe Iſrael, ipſe eſt Elohim in cælo & terra, & propterea non eſt mirum, ſi ſeruata eſt. Quam enim Deus illuminauit intus, & effecit ſeruatricem electorum ſuorum, ſeruauit quoque à clade hiericho.* Eadem Theoreti quæſt.1. Maſij, & Abulenſis quæſt. 48. ſententia eſt.

Secundo. Fuit eadem Raab cognitio naturalis, quoad cauſam proponẽtem, ſiue quod idem valet; vt iſta mente & voluntate perciperet, iiſq; adhæreret Raab, ea ipſi propoſuerunt homines immediate, non angelus aut Deus. Eſt hoc quidem contra Abulenſem loco citato, ſed non contra veritatem. Nam primò ſi vel Angelus ipſi Raab apparuiſſet, vel hæc ei Deus per ſonoras aliquas voces, aut impreſſas in eius animo formas ac ſpecies, loquutus fuiſſet, dixiſſet ipſa vti dixit Cornelius Actor.10. *ſibi Angelum aſtitiſſe*, vel vti Prophetæ *ſibi Deum loquutum*. Nunc verò tantum ait, *Scio*.2. vnde ſciat, exponit, vt explicuit argumentum tertium initio propoſitum.3. confirmant eandem fere propoſitionem cætera quoque ibidem argumenta.4. dicuntur à S. Paulo Heb.11. verſ. 31. alij hierichuntini ἀπειθήσαντες, id eſt *increduli*, quòd credere noluiſſet. Nam ἀπειθεῖν non ſimpliciter valet *fide carere*, ſed *carere, cum habere quis potuiſſet ac debuiſſet*: ſeu *nolle credere*, nolle iis quæ proponuntur, obſequi & obedire. Ergo potuerant Hierichuntini, ſi voluiſſent, iiſdem verbis fidem habere, quibus habuit Raab. Ergo eodem illis modo etiam res propoſitæ fuerunt. Alioqui dicere poſſent ſinguli, mihi Angelus nullus adfuit. Mihi loqui noluit Deus, & quo modo his eius effatis fidem dare potuit? *fides enim ex auditu* Rom. 10.v.17. Modus igitur quod ad fidem adducta eſt Raab, fuit eiuſmodi. Longè & latè, ad Gentes etiam remotiores, certiſſima de iis, quæ in Ægypto propter Iſraelitas geſſiſſet Deus, fama peruagata eſt, itemque de rubri maris ſiccati miraculo, aliiſque ſimilibus, narrabant vicinis Chananæis hæc quamplurimi: & poſtremo Sionis, & Og Amorrhæorum potentiſſimorum Regum ſtrages, dicebãt vel eſſe, vel certe ab Iſraelitis aſſeri Deum omnium optimum & maximum, cuius beneficentia & poteſtate omnia hæc gererentur. Audiuit Raab: & Deo lucem in ipſius mentem infundẽte, voluntatemque commouente, vera cognouit, iiſque credidit: Audierunt Hierichuntini alij, & lucem iis, motumque diuinum obtulit Dominus, ſed repudiarunt, & aſſentiri noluerunt. Fuit ergo in Raab *cognitio* quidem, ob rerũ ipſarum præſtantem & interiorem diuinam lucem ac motum; *ſupernaturalis*: ſed *naturali modo* prius ab hominib. exterioribuſque ſenſibus cepit initium, non ab Angelo, vel Deo, & ſic intelligo quod l. 5.c.1. ait Ioſephus, [illegible]. Dixi tamen *immediatè*, quia & iſta homines dicere, & *totum hoc, quod famam & hominum narrationem* vocaui, Dei beneficium extitit. Hæc autem fidei cognitio & aſſenſio quonam tempore primum facta ſit, preciſe non queo dicere: puto tamen vno vel altero die ante ipſorum exploratorum aduentum, vel eo ipſo fortaſſis die ac momento, cum eos primum aſpexit, ſtatimque ipſos, fide hac vrgente inuitauit, hoſpitioque recepit, & tuta eſt.

Qvæst. XVIII. *Quis tãtus, qui in hierichuntinos irruerat, terror?*

Eadem quæſt.48. *terrorem* duplicem facit Alenſis, *naturalem & ſupernaturalem*, & poſterioris huius generis fuiſſe iſtum, qui hierichuntinos perterruit, exiſtimat. *Duas* verò *ſupernaturalis* eiuſmodi *terroris conditiones* recenſet. *Vna* eſt, vt à Deo ille immittatur. *Altera*, vt admodum durus ſit, animoſque penitus eneruet, hancque conditionem putat etiam prioris eſſe ſignum, in quo inter ipſum ac naturalem internoſcatur, argumentum certiſſimum. Quin verò ſupernaturalis eiuſmodi terror aliquis ſit, ambigi nõ poteſt. Quemadmodum enim corporum ægritudines membrorumque debilitationes hominibus quandoque immittit Dominus: ita & animorum perturbationes, metus nimirum & langores, & vtraque poſita conditio manifeſtè cernitur Leuit.26. verſu 36. *Dabo pauorem in cordibus eorum in regionibus hoſtium. Terrebit eos ſonitus folij volantis, & ita fugient quaſi gladium. Cadent nullo perſequente.* Sicque apud Gentiles etiam fuit, qui vocabatur *panicus terror*, de quo libro 1. Polyætus & libio 4. de de re militari dial.11. Lipſi°. & δαιμονίους φόβους, in quibus aiebant, [illegible]. Sed in priore conditione, quæri poteſt. *quomodo* eiuſmodi *terrorem immittat* Devs? Reſpondeo fieri hoc poſſe *dupliciter*. *Primo*, ſi malum

lum quodpiam impendens obiiciat hominum animis, quod magnum ſit, quodque à magnis viribus inferatur, & e contrario ſummam ad malo iſti obſiſtendum imbecillitatem, in iis qui timere debent oſtendat. Hinc enim exiſtit ſanguinis ad cor fuga, in vultu pallor, in corporis membris tremor, in animo conſilii ad reſiſtendum inopia & abiectio. *Secundo*, ſi abſque huiuſmodi mali vel imbecillitatis cognitione ac proſpectu ſanguinem iſto modo ab exterioribus corpotis ad interiores partes propelleret, eoſque pallores ac tremores excitaret. Sed poſterior hic modus vix veri timoris rationem haberet, ſed quandam tantummodo eius partem vel effectum: & ſine priore vix vnquam, vt puto, à Deo fit. Sed *malum impendens* vireſque ad id arcēdum imbecillas *bifariam* iterum mentibus *proponit Deus*. *Primo*. efficiendo pro aliquibus res reuera magnas, ex quibus meritò illa in aliis opinio exiſtat, vt dum miracula in aliorum commodum & ſalutem edit, vel ſimile agit quidpiam. *Secundo*. efficiendo vt mente apprehendant homines aliquid, quod non eſt, vel certe non tantum eſt, vt ſi ex aliquo militum clamore ac barritu, quia montium fortè iugis & vallibus repercutitur, maior multò quam ſit hoſtium exercitus cogitetur. Sed mihi dixeris. Itane fallacis rei falſæque opinionis Deus auctor? Annuunt quidem aliqui, ſed abnuendum eſt. *Primo*. quia Deus ea tunc ſenſibus obiicit, quæ vere ſenſus feriunt: & quæ non neceſſario ſignificant id, quod homines colligunt & ſuſpicantur. Sed hoc iſti ſua imperitia, temeritate, propriaque ſponte colligunt & ſuſpicantur. Nam reſonans illa in vallibus & montibus *echo*, verus vtique ſonus eſt: & ſi diligenter ac peritè paululum expenderetur non illius tantæ, quantum expaueſcens fingit animus, index multitudinis intelligeretur. Sicque in aliis. *Secundo*. quia concedi poteſt, ſemper adeſſe malum quod expaueſcitur, itemque adeſſe virium infirmitatem, quæ malo illi propulſando longe impares ſint, non quidem ſi nude ac ſolitarie illud ipſum, quod timorem affert, cōſideretur, ſed ſi eo modo conſideretur, quo tunc eſt. Licet enim, quoad ſe, ſit perexiguum quid, & quaſi nihil, quatènus tamen cum eo implicatur & coniungitur Deus, vt qui ea re, tanquam inſtrumento, ad conterendos hoſtium animos vti vult, ſic reuera maximum quidpiam eſt, nimiumque hominum exiles vires, vt obſiſtere vllo modo poſſint. Atque ita, quomodo terrorem quandoque immittat Dominus, eſto expoſitum.

In altera terrotis huius conditione, cogor ab doctiſſimo illo homine aliquantulum diſſentire. Nam primò quemadmodum poteſt ingentes quoſdam terrores iniicere: ita poteſt & minores, prout ſcilicet expedire cenſuerit. Neque enim graues tantùm & inſanabiles in corporib. morbos efficit, ſed liuores etiam interdum, & qui ſanari poſſunt facile. 2. ſunt etiā metus quidam naturales, ita duri, vt animos penitus enerment ac frangant. Vide, vt omittantùr iam noſtri Damaſcenus & Nyſſen. apud D. Thomam 1. 2. quæſt. 41. a. 4. laudati; quæ indagator naturæ maximus Ariſtoteles 2. Rhet. cap. 15. docet, quæque Tullius Tuſcul. 4. vbi *deſperationem, examinationem, pauoremque* deſcribit, *qui motus eſt mentem decutiens, omnemque ex animo expectorans ſapientiam*, vt ibidem ait Ennius. Sint vel illi oratores exemplo, qui ad dicendum cum accederent, totis aliquando artubus contremuerunt, penituſque obmutuerunt, vt lib. de Oratore ſcriptum à Tullio. Quomodo igitur hæc naturalem ac ſupernaturalem internoſcendi metum nota optima ſit? Aliam igitur conditionem vel notam malim, quando ſcilic. à Deo res quæpiam inuſitate geruntur, quibus hoſtilium meritò percellantur animi, vel quando negotium geri diuinum conſtat, & interim ex re quapiam, quæ in ſe aut nulla, aut peregrina eſt, trepidant, pauidique horrent aduerſarij. Hæc enim crebrò in ſacris litteris cōmemorari video. Gen. 35. verſ. 5. Exod. 23. Deut. 2. 11. 28. Iob. 6. Pſal. 87. Iſa. 30. Ierem. 15. & 49. Leuit. 26. & Pſ. 52. *Trepidauerunt timore, vbi non erat timor*. Poteſt porrò *Chananæorum* iſte *metus* vtroque modo *ſupernaturalis* ſeu diuinus cognoſci. Nam *primo* prout ipſa hic Raab memorat, maxima pro Iſraelitis portenta ediderat Dominus. Neque obeſt quod obiicit Maſius, *ante annos plures exaruiſſe illud pelagus, & occaſione potius quā viribus, deletos Amorrhæorum Reges*. Nam & illius exſiccationis memoria, & huius occaſionis donatio, diuinam vim & auxilium Iſraelitis præſens oſtendebat. *Secundo*. Cum neque numero, neque robore pares Chananæis Hebræi eſſent Deuteronom. 7. verſ. 1 adeò vt ipſos ipſimet Iſraelitæ admodum formidarent Numer. 14. nunc tamen ipſi Chananæi, quaſi eſſent Iſraelitæ multò & numeroſiores & robuſtiores, trepidant & perhorreſcunt. Attamen excipiet forte aliquis tantam haud videri Chananæorum trepidationem, quantam hic Raab narrat. *Elāguerunt omnes habitatores terræ. Elanguit cor noſtrum, nec remanſit in nobis ſpiritus ad introitum veſtrum*. Nam certè aduenientibus Iſraelitis portas occluſerunt hierichiuntini: aduerſus illos in aciem & campum prodire auſi hauenſes, & alij, de quibus poſtea, quaſdam etiam quandoque Iſraelitarum ſtrages ediderunt. Quomodo igitur metu adeo languidi, & exanimes referuntur? Phyſicorum vox eſt, *quæ parum diſtant nihil diſtare videntur*. Chananæorum natio erat viribus, armis, numero viribus, propugnaculiſque munitiſſima. Potuiſſet Iſraelitarum gentem, ſi humana tantùm prudentia & robore actum fuiſſet, conficere potius ac delere. Nunc ita modicè obſtiterunt, vt obſtitiſſe nihil videantur: ideoque pauore ac metu conſternari, nihil animi, nihil virium ac ſpiritus habuiſſe. Atque iſtud tantum morali phraſi voluit Raab ſignificatum. Cæterum, notabis in textu, Interpretem noſtrum *elangueſcendi* verbo exprimere, quod in Hebræo eſt, *liquefieri*, ceræ ſcilicet aut niuis inſtar, ipſos vero 70. id omiſiſſe verſu 9. & vertiſſe verſu 11. ἡμεῖς ἐξέστημεν τῇ καρδίᾳ ἡμῶν, id eſt, *nos emoti mente ſumus, Ecſtaſi veluti quadā à nobis diſceſſimus*, ideoque & ibi noſter interpoſuit, *pertimuimus*.

Qv. XIX. *Quid ad exploratoribus Raab petiit*

Petiit ab exploratoribus Raab *quatuor*, à

quibus duo priora , ſunt primaria poſtulata: A
duo reliqua horum veluti confirmationes. Et prioribus illis, *vnum* eſt generale, vt *cum patris ſui domo facerent miſericordiam*,& quidem eo modo, quo ipſa *cum illis miſericordiam fecerat*, rationem ſcilicet modeſtè oſtendens, cur ab illis petere hoc audeat. *Miſericordiæ* porrò nomen valde hic anguſte ſumendum cenſet Abulenſis, quando ſcilicet quis alicui non merito benefacit, quod & gratiam interpretatur Caietanus. At licet in poſteriori membro poſſit hoc locum habere, quia exploratoribus nihil meritis B
bene ipſa fecit, non tamen in priori: Iam enim ipſa merebatur, vt ei ab illis, & propter ipſam, paternæ ipſius domui benefieret. Ac principio quidem meritum erat, quale in accipiendâ referendaque gratiâ eſſe ſolet, de quo lib. 3. de beneficiis Seneca, & Poëta quidam.

Eſt aliqua ingrato meritum explorare voluptas.

Poſtea verò vbi promiſſio & iuſiurandum acceſſit, quandam iam iuſtitiæ rationem induit. Et Hebraicum nomen חסד patet in ſcripturis latiſſimè, vt beneficentiam omnem, quæ in a- C
lios ſiue viuos, ſiue mortuos: ſiue miſeros, ſiue non miſeros: ſiue meritos, ſiue immeritos: ſiue iuſte ac pie, ſiue liberaliter ac benignè confertur, ambiat & complectatur. Et ſic etiam Noemi ad ſuas Nurus Ruth. 1. verſu. 8. *Faciat vobiſcum miſericordiam Dominus, ſicut feciſtis cum mortuis, & mecum. Alterum* poſtulatum diſtinctè & ſpeciatim explicat, quod generatim iam petitum. Nam *domus patris* nomini intelligebat, ipſumet patrem, & matrem, eorumque filios & filias, id eſt, ſeipſam, & fratres ſororeſque ſuas: D
horumque omnium bona ac facultates. Per *miſericordiam* verò quam petebat, intelligi voluit, horum omnium, dum hiericho caperetur, ſalutem & incolumitatem. *Vt ſaluetis*, ait, *patrem meum & matrem, fratres ac ſorores meas, & omnia quæ illorum ſunt, & eruatis animas noſtras à morte.* Nam quod *ſui* eam mentionem nullam feciſſe aiunt Radach & Maſius, eiuſque ſilentij cauſas afferunt, reclamat ipſa, cum ait, *animas noſtras*, prout in 70. adhuc clarius. Verum illud tamen & mirum, priùs illam parentibus, & fratribus, E
ac ſororibus, quàm ſibi ipſi cauiſſe. Tanta ipſius erga illos erat pietas & amor: tanta de ipſis cura & ſolicitudo, tanta de ſeipſa apud exploratores ipſos, eorumque Ducem, populum, & Deum fiducia. De marito & liberis ne verbum quidem, quia vt ſuprà q. 3. dictum, meretrix erat, & his carebat. An verò ad hos iam nominatos, acceſſerint poſtea, plures, dicetur v. 18. cap. 6. ver. 26. *Animam verò à morte eruere*, eſt vitam ipſam conſeruare. Sæpe ſiquidem μετωνυμικῶς, cauſa illa pro effectu ſuo ponitur. Cæterum pro F
eo, quod noſter ait interpres, *ſaluetis*, & Hebræus *liberetis*, elegantiſſimo verbo vſi ſunt 70. ζωγρήσατε. Eſt autem ζωγρεῖν *capere aliquem viuum*, & conſeruare, apud Homerum, Thucydidem, Herodotum li. 1. vbi de Crœſo. li. 2. & in ſcripturis. 1. Paralip. 25. 2. Tim. 2. v. vult. vbi noſter, *captiui tenentur*, à diabolo ſcilicet, ſed ita vt viui adhuc ſint, & poſſint reſipiſcere: quemadmodum apud Athenæum lib. 13. impurus quidam ſenex nonagenarius, ſe in copiarum, quibus præerat, medio, *viuum à ſcorto capi* aiebat. Luc. 5. verſ. 10. *Ex hoc iam homines eris capiens*, non quoquo modo, ſed ita, vt quos ceperit bonus piſcator S. PETRVS, eos vita ſpirituali ac cœleſti viuos ac incolumes cõſeruet. E poſteriorib⁹ duobus *alterum* eſt, iuriſiurandi petitio. *Iurate* ait, *mihi per Dominum. Omnis enim hominum controuerſiæ finis ad confirmationem eſt iuramentum*: Heb. 6. verſ. 16. *Alterum* eſt, ſigni alicuius petitio, quo ipſa in ſummo illo tumultu, & clade, quam, vrbe capta, futuram animo prouidebat, exploratores, totumque Iſraelitarum exercitum præſtiti iuramenti admoneret, omnemque à ſe, & ſuis vim arceret. Duo igitur hæc poſteriora ſunt vt dixi, priorum confirmationes, & ſigna, quibus illa firma & ſtabilia monſtrarentur ac fierent, ita vt prius ſignum hæc ipſi Raab potiſſimum ſignificet: poſterius verò, ipſis exploratoribus & Iſraelitis omnibus. *Detis*, ait, *mihi verum ſignum*; id eſt, ſignum, quod vbi vobis, veſtriſque vrbem vaſtantibus & cæde complentibus monſtrauero, verè ac certò tuta ſim ego, meique omnes, & à Caietano male cum priore ipſo ſcilicet iureiurando, idem putatum.

Annuerunt exploratores, & quidem lubentiſſimi, cum grati, probique eſſent homines. *Improbus eſt*, ait in Perſa Plautus, *qui beneficium ſcit ſumere & reddere neſcit.* Serpens apud Ælianum lib. 13. variæ hiſtoriæ cap. vltimo, eum, à quo altus fuerat, magno invitæ periculo protexit: Leo apud Gellium lib. 5. cap. 14. à ferarum, quibus obiectus erat, ſeruulum, à quo moleſtia quadam liberatus erat, laniatu liberauit; Delphinus apud Athenæum lib. 13. Mileſium, à quo viuus emptus, & in mare liber remiſſus olim fuerat, naufragio in mediis vndarum fluctibus pereuntem excepit, ſaluum & incolumem ad littus vexit, & conſeruauit. An, à qua accepti, ſummoque in capitis diſcrimine protecti, & ſeruati eſſent, fœminam non ſeruarent Iſraelitæ? Omnia igitur quæ illa petierat, conceſſerunt, & quidem quam petierat, cumulatiùs fere omnia. Nam, vt in captiuis ait idem Plautus, *quod bonis benefit beneficium, gratia ea grauida eſt bonis.* Ad primum Raabæ poſtulatum, ſimpliciter & abſque comparatione reſpondent Exploratores: *Faciemus in te miſericordiam*: adduntque: *& veritatem.* Putat verò Radak *miſericordiam* illam ad ipſius Raab parentes & cognatos: *veritatem* verò illam ad ipſam Raab, quod illa gratuitum, neque debitum beneficium ſit, hæc iuſtum & debitum. ſed de priore dixi ſuperiori quæſtione. Poſterior verò illi quandoque adiungitur, vt ſignificetur illa miſericordia & beneficentia non modo *certa & conſtans*, prout putat Maſius, ſed etiã *vera, ſyncera, nihilque omnino fucata.* vt Prouerb. 1. 14. verſ. 22. 16. verſ. 6. *Miſericordia & veritate redimitur iniquitas*, & Geneſ. 24. verſ. 27. & 4. 9. Pſal. 22. verſ. 6. 84. verſ. 12. *Ad ſecundum* non hos tantùm, quos recenſet Raab, ſed plures etiam, eius gratiâ, ſaluandos promittunt. Etſi enim *ſorores* videntur omittere v. 18. & infrà c. 6. v. 23. non omittunt tamẽ, neque etiam, vt Abulẽſi placet, fratrum nomine continent, ſed earũ loco verbũ ſubſtituũt exploratores capaci⁹, quo & ipſæ,

Q. XX. *An Raab poſt ſlata annuerint exploratores & quomodo?*

Digitized by Google

ſurſum, ſiue deorſum ad latus ſint & viuant, ca- A
piantur. Nam hic v.18. eſt in Latino, *& omnis
cognatio tua*, in Græco & Hebræo, *& tota domus
patris tui*. Infrà v.c.6.verſ.23. in Latino ſimiliter
eſt, *cuncta cognatio illius*, in Hebræo, *omnes familiæ
illius*, in Græco, *ἡ συγγένεια αὐτῆς*, vnde q.53. & 56.
ſatis refellitur Abulenſis. Imo hic v.19. viden-
tur omnibus, quotquot ea in domum ſuam re-
cipere voluiſſet, ſalutem polliceri. Angelos er-
go illos, qui cumulatiſſimam ſuo etiam hoſpiti
Loth gratiam olim retulerunt, boni iſti explo-
ratores imitati ſunt. Tenebant enim memoria B
eos illi dixiſſe Geneſ.19.ver.12. *Habes hic quem-
piam tuorum? generum, aut filium, aut filias, omnes qui
tui ſunt, educ de vrbe hac*. Rurſum quoad corpo-
rum ſalutem, de ſua ſuorumque vita ſolummo-
do rogarat Raab, hi verò, vt alapas, verbera, pul-
ſationem, iniuriamque omnem ab illis repellãt,
dicunt v.19. *Si eos aliquis tetigerit*. Hebraicæ, *Si
cuiuſquam manus in illorum aliquem fuerit*. Ad *ter-
tium*. Acceperunt iidem à Raab ſacramentum li-
benter, v.10. eoque ſe hiſce verbis obſtrinxerũt
v.14. *anima noſtra ſit pro vobis in mortem*. Putauit C
quidem Radak ijs illos hoc tantum dicere, *Si
quis interficere vos voluerit, prohibebimus, & quidem
propriorum corporum obiectu, vt nos potius, quam vos
interficiamini*. ſed iſto modo aliqua quidem foret
promiſſio, nulla tamen iuratio. Exiſtimandum
igitur potius, ſimplici iureiurando maius quod-
dam hic ab illis iurari, execratione ſcilicet adhi-
bita ſic. Vita noſtra pro veſtra ſit, nos, ſi quid
fallimus, ſi tu aut eorum quiſpiam, aut quid-
piam perierit, morte mulctet Dominus. Huiuſ-
modi enim iuranda, & imprecationes paſſim v- D
ſitatæ, vt apud Ciceronem, Plautum, & ſimiles;
*ne viuam, ne ſim ſaluus, ita viuam, Diſperéam: Dij me
perdant, ita mihi viuere & mori contingat*. Apud
Propertium lib. 4. eleg. 7. *Si fallo, vipera noſtris
Sibilet in tumulis, & ſuper oſſa cubet.*
Elegia vlt. *Ipſa loquor, pro me, ſi fallo, pœna ſororum
Infelix humeros vrgeat vrna meos.*

Sicque in publicis fœderibus, cum porcum
vel agnum ſaxo, ſilice percuterent patrati patres
magna voce iurabant. *Si dictis legibus populus Ro-* E
*manus prior deficiet, tu illo die Iupiter populum Ro-
manum ſic ferito, vt ego hunc porcum hodie ferio: tan-
toque magis ferito, quanto magis potes, polleſque*. Rur-
ſumque cum lapidem è manu excuterẽt, ſeque
ſic è bonis viuorum & mortuorum omnibus e-
iici peterent, vti ex Liuio, Polybio, & aliis co-
piosè lib. 4. & 8. de formulis oſtendit Barnabas
Briſſonius, hucque pertinent illa in noſtriſquo-
que ſacris libris, *Hæc faciat mihi Deus, & hæc ad-
dat* de quibus ego alibi, rurſumque illud hic v.
19. *Cunctorum ſanguis redundabit in caput noſtrum*,
breuius Hebraicè, *Sanguis eius in capite noſtro*, ſi- F
ue *ſuper caput noſtrum*: vt Matth. 27. verſ. 25. *San-
guis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros*. Sed quia
res religioſiſſima eſt iuſiurãdum, ne vllo poſtea
modo violetur, aut violari certè videatur, dili-
genter antea prouidendum, vt circũſpiciantur
& expendãtur omnia, variæque ſi opus ſit, cau-
tiones adhibeantur, vt cum veteres, de quibus
paulo ante, in ſolennibus illis iurandis addebãt,
*ſi fallo prudens ac ſciens, ſi deficit prior populus, publi-
co conſilio, dolo malo* & ſimilia. Noſtri ergo iſti
exploratores, cum religione, prudentiaque inſi-

gni eſſent, cautiones tres adhibuerunt. *Prima*
eſt verſ.14. *Si tamen non prodideris nos*, idque vt
vult apud Abulenſem quidam, enunciando
poſtquam abierimus, nos hic fuiſſe, vt idcirco
vrbem diligentius Rex communiat, vel etiam
adhuc antequam abeamus, vt vult ipſe Abulen-
ſis, qui ſcribit exploratores intellexiſſe, ſe à Deo
liberandos, etiamſi à Raab ipſa in vrbe indica-
rentur, & proderentur, vel quia, vt Caietanò vi-
detur, nondum ſciebant, quomodo euaſuri eſ-
ſent, an per feneſtram, an aliter. Sed prius il-
lud ridiculum. Nam ſeipſum in grauiſſimum
vitæ periculum dediſſet Raab, ſatiſque Rex, ſi
vrbem communire vellet, de exploratorum ad-
uentu notat. *Poſterius* nihilo verius, vnde enim
& quomodo ſe liberandos, etiamſi in vrbe ad-
huc morantes proderentur intelligebant? Et
quis iureiurando ſolutos ignoraret, ſi eos ipſa,
non vti cœperat, porrò cuſtodiiſſet? De *tertio*
poſtea. Quod igitur cauent, eſt, ne hoc eo-
rum factum, pactumque peruulgetur: ſicque
vel nimium multi & vita indigni, ſe in ipſius
Raab domum, dum caperetur vrbs, intrude-
rent, vel ſignum, de quo paulo poſt, tollerent
vel ipſius Raab ſigno ſimile plures ponerent,
vel alio aliquo modo, ne quæ promiſerant ex-
ploratores, effecta darentur, impedirent. Hæc
autem prima cautio in 70. verſ. 14. non eſt, ſed
tantùm verſ. 20. in Hebræis verò legitur ſic. *Si
non enunciaueritis verbum noſtrum*, ita vt ab Inter-
prete noſtro ſcriptum ſit, *Si tamen non prodideri-
tis nos*, vel potius, modice, quod facile fit, *protra-
cto iod* & exinde facto *vau* lectum fuerat non
תגידו ſed תגירו, prout etiam legitur verſ.20 *Alte-
ra cautio* verſ.18. & 19. vt omnes, quos ex ſecun-
di poſtulati conceſſu, volet ipſa Raab ſaluos, in
ipſius ſeſe domum recipiant, neque cum vrbem
occupabit Iſraelitarum exercitus, pedem illinc
efferant. *Tertia*, verſ. 18. vt è domus feneſtra, *fu-
niculus coccineus* pendeat, de quo paulo poſt. *Ad
quartum*, præfinitur petitum ſignum, vt ſit ille
ipſe, quo per muri feneſtram demiſſi fuerint
exploratores coccineus funiculus, ex ea ipſa
muri parte ac feneſtra dependens verſ.18. Eun-
dem enim omnino præſcribi (de quo dubitare
Abulenſis videtur) patet ex textu verſ. 18. vbi
Latinè, Græcè, ac Hebraicè cum articulo
demonſtratiuo dicitur, *funiculus iſte*, de quo ſe-
quenti quæſtione. Proteſtantur verò ter ſe ex-
tra culpam, noxiamque omnem futuros, niſi
cautionibus his obtemperatum ſit. Primò qui-
dem verſ.17. vbi male à quibuſdam, vti notat
Abulenſis, poſita fuerat negatio, *non*, ideoque
ſententia affirmatiua eſt: *Innoxij erimus*: id eſt,
non violabimus iuſiurãdum: vel, dabimus ope-
ram, innocentes vt ſimus. Deinde verſ. 19.
vbi idem nomen vertit noſter, *alieni*. Tertiò,
verſ.20. vbi rurſus idem nomen vertitur, *mundi*,
aptè tamen ad ſententiam.

Nox erat; clauſa porta erat, à Rege intus & Q. XXI.
foris quærebantur boni exploratores. Quid *Ex hieri-*
agerent? Expectarent craſtinum, dum portæ a- *chunt ina*
perirentur? aut omnium in ipſos intentiſſimi o- *clauſa vrbe*
culi? Caperentur ilico, & ad iratum Regem *quomodo*
ducerentur. Manerent in domo Raab oc- *euaſerunt*
culti? At periculum erat, ne altera inſtitueretur *explorato-*
de ipſis interrogatio, & quæ omiſſa nuper fuerat *res?*

Digitized by Google

domus totius perſcrutatio. Neque verò; etiamſi abſque periculo vllo, inibi, vſque ad Iſraelitarum aduentum, poſſent commorari diutius, è re ipſorum erat. Requirebat enim eorum officium, non vt laterēt, neque ad eum, à quo miſſi erant, quoquo modo redirent, ſed vt explorata quàm citiſſimè poſſent, ipſi Ioſuæ referrent. Ecce igitur liberationis eorum modus admirabilis verſ.15. *Demiſit ergo eos* (Raab) *per funem de feneſtra.* Funis hic tripliciter in Hebræo appellatur. *Primò*, vnico nomine, quod verſu iam citato חבל eſt, & ſignificat funem non quemcunque, ſed fortem, qui ex pluribus cōpoſitus. Hoc enim nomen ſemper coniunctionem, & ſocietatem quandam importat, vti exemplis facile poſſet declarari, adeò vt eo etiam ſignificetur hominum aliqua congregatio & caterua, vt 1. Reg.10.verſ.5. vbi *cuneus Prophetarum*, & ſecūdum quoſdam Rabbinos, Pſal.118.v.61 quin ita interpretantur. *Cateruæ impiorum prædatæ ſunt me*, vbi ex 70. noſter, *funes peccatorum circumplexi ſūt me*, & per eiuſmodi funes demiſſus etiam in lacū Ieremias cap.38.verſ.6. & 12. *Secundò* appellatur duobus nominibus verſ. 21. *funiculus* nimirum *coccineus*, quorum illud, non diminuit funē, quo antea vſus interpres, ſed idem omnino ſignificat, ſed poſitum, quia aliud in Hebræo quam antea, nomen eſt תקוה cuius in ſcripturis *duplex* notio. *Vna*, & crebertima, dum exſpectationem & ſpem ſignificat. Iob. 4. verſ.6. cap.7.verſ.6. cap.8.verſ.13. cap.14.verſ. 7. & 15. cap.17. verſ.15, cap.27. verſ.8. Pſal. 9. verſ.19. Prouerb.11. verſ.7. cap.23. verſ.18. & alibi. *Altera* hic, dum funem denotat, quaſi contextum. & è pluribus congregatis filis compoſitum. Nā in verbo קוה etiam contexendi atque congregandi vis eſt, & inde funis fortis & robuſtus, vti admonet R. Iſaias. Dat eidem nomini Radak ex Chaldeo *fimbriæ* ſignificationem. Sed ea, & cauſa, propter quam hic adhibitam vult fimbriam ficta eſt, quia ſcilicet in Raab domo fimbriam è coccineis filis forte cōſpexerint exploratores. Nam vt ſuperiore quæſtione dicebam idem omninò funis fuit, quo & hi demiſſi, & qui à Raab poſtea ſuſpenſus. *Coccum* verò vel *coccus*, à quo *coccineus*, vel *frutex* eſt, cuius granū & per ſeipſum rubræ tincturæ idoneum eſt, & ſi purpuræ colori adiungatur, cum inſigniter acuit, & veluti accendit, vti oſtendit li.21.c. 8. Plinius vel eſt *vermiculus*, qui è dicti iam fruticis grano, piſi aut lentis figurā, naſcitur, eiuſdemque foliis adhæret, vti docet Iſidorus, ruboremque inſignem, aut per ſe, aut purpureo additus efficit, cumque vermiculum vocant Arabes *carmen* aut *chermes*, aut, vt lib. 3. hiſtoriæ Turcicæ ait Chalcondylas, κρήμινον. Sed ſiue à grano, ſiue à vermiculo rubens hic color ſit, bifariam ſumitur. Vel enim eo ſemel res quæpiam tingitur, vel bis, aut ſæpius, cum ſcilicet aut lana tantum alterutro inficitur, aut & lana, & ipſum quod poſtmodum ex ea fit filum, & hæc poſteriora vocarunt veteres δίβαφα, quaſi bis tincta, de quibus ad Cælium Cicero, & Plinius lib.9.c. 36. Seneca Hercule Oeteo, cum ait:

Nec Sidonio mollis aheno
Repetita bibit lana rubores

& Lyricus ——— *Muricibus Tyriis iteratæ vellera lanæ.*

Hinc verò fit, vt iſta quandoque diſtinguantur, vt Iſa.1.v.18. *Si fuerint peccata veſtra, vt coccinum, ſicut nix, dealbabuntur: & ſi fuerint rubra velut vermiculus, velut lana erunt:* aliquādo pro eodem viciſſim ſumantur, vt ibidem 70. quod coccinū eſt, vocant *phæniceum*, quod verò *vermiculus* eſt, vertunt κόκκινον. Et Exod.25. v.4. Hebraicè *vermiculus cocci*, pro quo vertitur à noſtro *coccum bis tinctum*, itemque c.25.v.1.c.39.v.29.c.36.v.8.c. 28.v.5. Imo confunduntur hæc non rarò cum rubro purpureo, muriciſue colore, vt explicat li. 1. Miſcel.c.8. Brodæus, itemque cum Oſtro de quo Gel.l.2.c.26. & cum omni rubro, quod pulchrius ac illuſtrius, vel nigrantius eſt. Vnde à Tertulliano l.4. *contra* Marcionem, *roſeus* à D. Gregorio, D. Chriſ. hom. ad baptizandos, & S. Epi. *ſanguineus* dicitur, dicitur autem *coccus* Hebraicè שני vel à שנן quod eſt *acuere*, quia vt dixi purpureum colorem acuit, vel vt Radakio placet à שנה quod eſt *iterare*, quia idem, vt etiam dixi, color iteratò adhibetur. Videtur porrò Interpres noſter conſulto libētius *coccinum*, quam *coccum* vertere vt ſignificet id, quod à cocco eſt, ſiue ſit color ipſe, ſiue vermiculus, aut id, quod eo colore, vermiculiue ſucco tinctum & imbutum eſt. Vbi verè id genus grana & vermiculi naſcantur, & id genus alia docet Arias Montanus Iſaiæ 1. Delrius noſter Cōmentario in Medeam fo.23.24. & ego, cum de Tabernaculi materia dicebam. Atque hinc tandem patet, cum ſcripturarum loci alij, tum hic noſter, quomodo ſcilicet exploratorum *funis coccineus* fuerit. *Tertiò* tribus idem funis appellatur nominibus verſ.18. *Signum* ſcilicet *funiculus coccineus*. Sed in textibus omnibus eſt hic difficultatis aliquid, & primo in Hebræo. Nā ibi repetitur ſecūda iam expoſita funis huius appellatio, ſed ita, vt interponatur nouum nomen חוט & quidem à priori regatur. Vertitur autem alibi ſemper *filum* Ge. 14.v.23. Iud.16.v.12. 3. Reg.7.v.15. Eccle.4.v.11. Cantic.4.v.3. Cur hæc igitur facta interpoſitio? Reſpondet Radak eſſe duo ſynonyma ſic, *filum fili coccini* ligabis, quemadmodum Danielis 12. v.2. *in terra terræ*, tūcque poſſet adhiberi regula, quam ex eodem Rabbino circa Pſalmi 107. titulum notat Genebrardus, & in Theſ. verbo שבש Pagninus, *quādo apud Hebræos duo eiuſdē ſignificatus ſubſtātiua nomina iungūtur aliqua in illa rerū genere præſtātia ſignificatur*, vt *limus terræ*, id eſt, limus limoſiſſimus, *lutū cœni*, id eſt, lutū maximū vel cœnoſiſſimū. *Filum* igitur *fili*, vel poti⁹ *funis fili*, erit funis è filis probè admodū cōtextus atque cōtactus, ideoque admodum firmus, & qui haud facilè rumpi aut diſſolui poſſit. In Græco autem apponitur *ſignū*, explicationis cauſa, quia funis hic in ſignum à Raab petitum datus eſt, præſertim cum antea v.14. id, prout ſuperiore q. indicaui, præteritum in eodem Græco textu fuerit. Latinus verò etiamſi eo loco id nonprætererit, eiuſdem tamen explicationis cauſa, & ad Græcorum 70. imitationem, idem hoc verſu 18. repetiit, niſi ſuaui quadam ad Hebræi nominis תקוה ſignificationem alteram putet quis alluſum, vt hic funis, *ſpei*, quam de ſua & ſuorum liberatione deberet habere Raab, *ſignum* fuerit, & è quo ſalus exſpectanda. Sed in Græco præterea idem funis σπαρτίου vocatur. An is è ſparto vel

Digitized by Google

to vel geniſta verè fuit? Ex his enim confiebant A olim funes, vt ex Plinio l.24.c.9. Catone de re ruſtica. Xenophōte, in Cynegetico clarum eſt: & etiamnū hodie cōfiunt. Ego ex *lineo* potius, *ſericoq;* filo contextū reor. 1. quia id Hebraic⁹ textus clarè ſatis indicat: deinde vix videatur tam vilibus alioqui funibus tam precioſus coccineus color adhibitus. 2. quia vſitatum, vt funis omnis è quacunque materia ſit, σπάρτον aut σπαρτίον vocetur. quemadmodum & σχοινίον, cum tamen propriè hoc ſit è iunco plexus funis. *Iunco* enim, inquit Plinius lib. 19. cap. 2. B *Græcos ad funes vſos nomini credamus, quo herbam illam apellant* (σχοῖνος enim iuncus eſt) *poſtea palmarum foliis philyraque.* Sicque loco ante citato Ieremias, ſchœniis in lacum demiſſus fuit, & quem, in Ocni σχοινία plectentis fabulâ, comeſum ab aſino iunceum funem ait Cratinus, vocauit Plinius lib. 35. cap. 11. *ſpartum. Piger*, ait, *qui appellatur ocnos, ſpartum torquens, quod aſellus arrodit*: Propertius ſimpliciter *funem*.

Dignior obliquo, funem, qui torqueat, ocno.

In hoc enim verbo accidit, quod & in aliis C pluribus fieri docet Seneca lib. 5. de beneficiis cap. 13. *Quædam*, ait, *etiam ſi vera non ſint, propter ſimilitudinem, eodem vocabulo comprehenſa ſunt.* Sic *pyxidem* & *argenteam* & *auream* dicimus, cum tamen ex *buxo*, propriè fieri vox ipſa clamet. Itemque cap. 14. *Aes alienum habere dicitur, & qui aureos debet, & qui corium forma publica percuſſum, quale apud Lacedæmonios fuit, quod vſum numeratæ pecuniæ præſtat.* Demum, quia lini copiam idcirco habuiſſe videtur Raab; vt id genus, fila & funes elaboraret, vt ſuprà quæſt. 5. & 9. Atque D hinc expediri aliud poteſt, *tali teſte vti Raab cur voluerit?* Dico enim (allegoriâ, de qua poſt; iam omiſſa) id factum, quia ei ad manum illa erat, eamque conficiebat. Apud Lyranum Hebræi dicunt, eo eam funiculo ſolitam admittere & emittere amaſios. Sed in feneſtra, quæ in vrbem potius ſpectaret; factum id eſſet. Memini audire, qui diceret, meretriciarum domorum indiciū hoc fuiſſe. Sed quomodo probarit, vix ſcio. Signūm terroris fuiſſe noſtro videtur Martino de Roa lib. 1. cap. 3. Sed cur ante Hierichuntis E occupationem fila eiuſcemodi habuiſſet, iiſque vſa fuiſſet, non video. Et vero tenues etiam huiuſmodi funiculos fortes admodū eſſe, vel hinc intelligitur, cum linea quædā fila fuerint, quorum ſingula 365. filis conſtiterint apud Plinium lib. 19. cap. 1. & noſtra memoria ſericeo fune perexili ſeſe è quadam cuſtodiā inſignē virum principem demiſiſſe audiui. Reſtat, vt *cum ſcriptura ſitne Ioſephus concors*, intelligamus. Nam in illa exploratores demittit Raab: apud iſtum ſeipſos ipſimet. Sed nimirū demiſſionis conſilium F illa oſtendit, feneſtram monſtrauit, funem porrexit, alligauit, & tenuit: iſti hunc manibus complexi è muro deſcenderunt & abierunt: ſicque tam ab iſtis, quā ab illa in demiſſione actum aliquid. An vero ante domus ianuam fuerint etiam *rubra* quædam *ſigna*, vt idem aſſerit, dicetur capite ſexto.

Q. XXII. *Quomodo eoſdem ex vrbis muro*

S. Paulum olim è Damaſci muro ſportâ demiſerunt diſcipuli Act. 9. verſ. 25. ita nimirum, vt vrbis murum ſimul aſcenderint, & in ſportam illum poſuerint, ſicque abire ſiuerint. At

demittere potuit Raab?

A Raab, exploratores vt demitteret, hierichuntis mœnia nihil neceſſe habuit aſcendere, ſed e ſua ipſius domo idipſum faciendi facultatem ſummam habuit. *Domus enim eius hærebat in muro.* v. 15. ſiue vt in Hebræo eſt; *quia domus eius in pariete muri erat: & in muro ipſa habitabat.* Nam ita fuit eius domus conſtructa, vt eius paries, vnus & idem eſſet cum vrbis muro: ſicque illius eſſet paries. *Hodie*, vti ſcribit epiſtola 2. fol. 105. Illuſtriſſimus Dux Olikenſis, *turris vnica tantum dimidiata parte, integra, quadrangularis, in ciuitatis ex-* B *tremitate ſupereſt, quā nōnulli domus meretricis Raab eſſe volunt, alij Zachæi. Quamobrem ob alterutrius memoriam diuinitus partem eius maiorem reſeruatam exiſtimant. quandoquidem in toto illo ciuitatis ſitu, vix vnius cubiti altitudine, integer murus inueniri poteſt.* Vide cap. 6. quæſt. 16. quo iſta fortè referrentur melius. Sed *in muro* ipſa *cur habitabat?* Maſius fol. 49. Caluinus, & alii reſpondent, fortunæ tenuioris ciues, præſertimq; meretrices in vrbis mœnibus aut domunculas inædificare, aut fornices incolere ſolitas. Verum multis in vrbibus vide- C re eſt, honeſtorum, diuitumque & amplorum hominum ædes ita ſtructas, vt earum idem ſit, & paries, & vrbis murus. Ideoque caſui, vel diuinæ potius prouidētiæ id tribuendum, quæ tanto ante, hanc elabendi viam Iſraeliticis nunciis præparauit. Sed quomodo, cadētibus vrbis mœnibus, non ſimul domus Raab iſte paries, adeoque tota domus non corruerit, differatur in c. 6. Illud iam cogitetur, quanta hierichūtinorum væcordia & ſtupor fuerit, qui hoſte tam vicino murorum rationem & curam maiorem non ha- D buerint, vt feneſtras iſtiuſmodi aut claudi curarent, aut diligentiùs obſeruarent, noctu præſertim, quando ſolent ad hoſtes etiam indigenæ ac ciues transfugere.

QVÆST. XXIII. *Quonam, Hierichunte recta ierunt exploratores & ad Ioſue quando redierunt?*

VTRVMQVE iſtud iis ita præſcripſit Raab. v. 16. *Ad montana conſcendite, ne fortè occurrant vobis reuertentes: ibique latitate tribus diebus, donec redeāt, & ſic ibitis viam veſtram.* Qui à Rege miſſi erant ad Iſraelitarum exploratores capiendos, vocat noſter Interpres *reuertentes*, vt magis exprimat, quomodo his occurrere potuerint, ſed in He- E bræo & Græco vocantur hic iidem bis *perſequētes* ipſos exploratores, οἱ καὶ διώκοντες ὀπίσω αὐτῶν. Rectè verò vt ad montes irēt illi, monuit Raab, id eſt, in cōtrarium, vel omnino, vel fere locum, quam putarent Regij ſatellites. Nam vt 1. parte cap. q. 4. dictum; Cingebatur Hiericho montibus verſus Occidentem, Septentrionem, & Auſtrum. Ipſe vero Iordanis ad Orientem erat. Regij ergo inſectatores verſus fluuium, quo iſtos ad caſtra ſua properare cenſebant, progrediebantur. Si eodem rectâ pergerent explorato- F res, potuiſſent illi dum gradum referrent, his occurrere, vel etiam dum retrò interdum reſpicerent, eos aliquo etiam per tenebras modo videre, vel certè audire. cum minimos etiam pedum ſtrepitus nocturna prodant ſilentia, præſertim apud eos, qui mente, oculis, & auribus quidpiam tum quærunt. *Triduum* iis ad latendum præſtituit. quia id eorū tuendæ ſaluti conſentaneum. vt neque minus, neque plus oporteret. Non minus, quia vti eadem illa quæſt. 4. dictum hierichunte ad Iordanem vſque ſtadia erant 60. id eſt, Italica miliaria 7½. noſtrātia ſe-

Huius autem cauſa fuit, quæ ex Ioſepho libro 4. cap. 27. duci poteſt, quòd *propter maximam hierichuntini aëris temperiem, lineis ibi amicirentur homines, etiam hyeme*, cum in aliis Iudęæ partibus nix eſſet. omnium tamen maximè, quæ venale corpus habebant, mulieres, vti quæſt. 5. dicebam.

Tertio. quod verſu 4. dicit noſter, *Tollens mulier viros, abſcondit*, in Hebræo eſt, *abſcondit eum*. Quomodo *eum*, & non *eos*? Tria reſpondent Rabbini. *Primum* apud Lyranum, Phinees eſſe angelum, ideoque apud Abulenſem etiam quæſt. 27. & Thanhumam eſt; ſolū Caleb fuiſſe occultatum; quia dixerit Phinees, ſe ſacerdotem eſſe: & ſacerdotes, Angelorum inſtar, poſſe, ſi velint, aut videri aut non videri. *Secundum* Raſchi. ita mulierem feſtinaſſe, eaſque ſolarij anguſtias fuiſſe, vt non niſi alterum illa texerit. Sed vtrumque hoc eſſe nugatorium, quid probare opus? *Tertium* Radach & Ralbag. Vnum in vna ſolarij parte, alterum in altera occultatum fuiſſe. Alioqui ſi ſimul inuenti fuiſſent, eminuiſſet lini aceruus nimium, ſuſpicandique & ſcrutandi occaſionem dediſſet. Dicendum breuiter, vſitatum Hebræis eſſe, vt in enumeratione plurium, de vno dicant, quod de ſingulis dicendū, vt ſcilicet occultarit Raab illum & illum. Adde adiectionem *no* fortaſis aliquando eſſe pluralem, ſicuti & *mo* eſt ſingularis Iſaiæ 53.

Q. XI.
An mentita Raab?

Dixit v. 4. & 5. Raab quinque. in quorum primo, fatetur id quod à Regiis indicibus ac ſatellitibus obiiciebatur. Sed pro eo, quod in Hebræo eſt *ſic, aut, etiam*, poſuit noſter Interpres verbum, quod in eiuſmodi annutu, & rei, quæ quaſi obiicitur, confeſſione vſitatum *fateor*. 70. verò, venerunt ad me viri. Reliqua quæ ſunt quatuor, à veritate abeunt omnia. *Primò. Neſciebam vnde eſſent*. At ſicuti eos è filiis Iſrael agnouerunt indices, ita & ipſa, & multò quidem magis, vt oſtendit ipſamet v. 9. & 10. *Secundò. Cumque porta clauderetur in tenebris, & illi pariter exierunt*. At domi latebant. loqui vero de vrbis porta ſatis claret. prout etiam concludit quæſt. 44. Abulenſis. *Tertio. Neſcio quo abierunt* At in ſolario hærere notat, *Quartum. Perſequimini cito & comprehendetis eos*. ſcilicet, vos hinc diſcedite, & in eos incidetis alibi, qui alibi non ſunt. Sunt porrò de hiſce Raab verbis *opiniones duæ. Prima*. In his hanc mentitam non eſſe; quia hæc omnia dixerit de hoſpitibus aliis, qui eo tempore ſuo ex hoſpitio profecti ſint. Ita vel Tremellius, vel Iunius in huius loci annotatione. *Hoc*, ait, *reſponſum cur mendax neceſſario ſtatuamus dici oportere, non video. Potuerunt enim alij apud Rachabam (puta Cauponam) diuertiſſe, de quibus illa reſponderit, prout opus eſt diuinæ prouidentiæ alios hoſpites indicari ex veritate, & alios ex fide & charitate diſſimulari*. Sed primo inititur opinio hæc falſo illi, quod antea funditus ſublatum quæſt. 3. *de Caupona* fundamento. ſecundo ex cōtextu clarè apparet, ipſam Raab de iiſdem, de quibus rogabatur, reſpondere. Ideo enim, ait, *fateor*, & *comprehendetis eos*. tertio. Eſto, liceat interdum quædam reſpondendi calliditas, licere tamen non fatentur illius patroni, cùm legitime interrogatis, qui legitimam interrogandi poteſtatem habet, vt expoſui Iudith 13. q. 10. At hierichuntino Regi, eiuſque adminiſtris ea vtique poteſtas erat, &, modo moribus legibuſque conſentaneo, interrogabant. Sicque ab iis, qui Raab, mentitam negant, incōmodum quidem vnum fugitur, ſed in alterum incurritur; vt taceam ſuo eos magiſtro aduerſari Caluino. Altera igitur aliorum omnium opinio eſt, mentitam eſſe, ſatiſque ex iam dictis confirmata.

Q. XII.
In mentiendo peccarit Raab?

Dvæ opiniones. *Prior* mentitam eſſe: ſed abſque peccato. Ita Ioſeph Abbas apud Caſſianū collat. 17. c. 17. qui ſuæ quondam ciuitatis princeps & non ſolū Ægyptiâ, ſed etiam Græcâ facundia diligenter edoctus, vt idem ſcribit Caſſianus collat. 16. c. 1. Nam hæc illius verba, loco illo priore ſunt. *Taliter de mendacio ſentiendum atque ita eo vtendum eſt*, quaſi *natura ei inſit ellebori. Quod ſi imminente exitiali morbo ſumptum fuerit, ſit ſalubre: cæterum abſque ſummi diſcriminis neceſſitate perceptum præſentis exitij eſt. Ita namque etiam ſanctos ac probatiſſimos Deo viros veniabiliter legimus vſos fuiſſe mendacio, ſicut Raab, cuius cum non ſolum nulla virtutum, ſed etiam impudicitiæ monumenta commemoret ſcriptura, pro tali mendacio, quo exploratores maluit occultare quam prodere, admiſceri populo* DEI *æterna benedictione promeruit. Quæ ſi veritatem loqui, aut ſaluti ciuium conſulere maluiſſet, nulli dubium, quod nec imminentem cum vniuerſa domo ſua fugiſſet interitum, nec auctoribus Dominicæ natiuitatis inſerta, & in patriarcharum annumerata catalogo, per ſucceſſorem ſuæ prolis edere meruiſſet omnium ſaluatorem*. Et rurſum. *Nec Raab mortem alias quam hoc remedio potuiſſet euadere, nec Iacob ad benedictionem primogenitis peruenire. Non enim Deus Iudex, ſed etiam propoſiti ac deſtinationis inſpector eſt. Qui ſi aliquid, causâ ſalutis æternæ ac diuinæ contēplationis intuitu, ab vno quoque, vel factum viderit, vel promiſſum, tametſi hominibus durum atque iniquum eſſe videatur, ille tamen intimam cordis inſpiciens pietatem non verborum ſonum, ſed votum diiudicat voluntatis; quia finis operis & effectus conſiderandus eſt perpetrātis, quo potuerunt quidam, vt ſupra dictum eſt, etiam per mendacium iuſtificari, & alij per veritatis aſſertionem peccatum perpetuæ mortis incurrere*. Nam veniabile apud hunc auctorem vocatur, id quod alias peccatum foret, nunc verò non eſt: ſed ei venia eſt, ſiue bona DEI venia & voluntate fit: prout ex tota eius diſputatione patet, itemque ex eo, quod iſto mēdacio tot & tanta bona promeritam Raab vult, imò per mendacium iuſtificatam. At peccato, quantumuis paruo, facileque expiando, neque meritum, neque iuſtificatio parari vlla poteſt. Aliud eſſet; ſi, vt Ambroſius l. 10. in Lucam c. 22. loquitur, vocaret *veniabilem culpam*, aut peccatum, ſed *veniabile*. Neque obeſt, quod eodem cap. ait, *iſta mendaciorū perfugia recipienda, ita tamen, vt reatu humilis conſciētiæ ſalubriter mordeamur*. videtur enim ad metum, & animi demiſſionem hortari, non ad veræ culpæ agnitionem. Hoc etiam loco *Chytræus* vult Raab mendacium Deo non diſplicere: Sed inſcienter & indocte mendacium, cum rei arcanæ ſilentio confundit. *Altera* opinio eſt *Sancti Auguſtini* lib. *contra mendacium* cap. 15. docentis eſſe mendacium, ſed *minutum & veniabile*. quia officioſum: cum quo Lyranus, Abulenſis quæſt. 33. & 38. & tota iam Theologorum ſchola

ſchola non illebenter ſentit. Quia verò contra ſententiam alibi dixi, tantum dico, hoc Raab mendacium eo modo explicandum, quo cap. 1. Exo. explicatum nutricum mendacium, vt non ipſi peccato, ſed eius fidei, charitati, hoſpitalitati, totique operi bono cui per accidens, iunctum fuit hoc peccatum; laus præmiumque fuerit. Sed ſanctum illum Doctorem Auguſtinum audiamus. *Quod*, ait, *ſcriptum eſt, bene Deum feciſſe cum Hebræis obſtetricibus, & cum Raab hierichuntina meretrice, non ideo factum eſt, quia mentitæ ſunt, ſed quia in homines Dei miſericordes fuerunt. Non eſt itaque in eis remunerata fallacia, ſed beneuolentia, benignitas mentis, non iniquitas mentientis. Sicut enim mirum abſurdumque non eſſet, ſi alio prius tempore commiſſa ab eis aliqua opera mala* Devs *propter poſteriora opera bona vellet ignoſcere: ita mirandum non eſt, quod vno tempore in vna cauſa Deus vtrumque conſpiciens: id eſt, factum miſericorditer, factumque fallaciter, & bonum remunerauit, & propter hoc bonum malum illud ignouit. Si enim peccata, quæ propter carnis concupiſcentiam, non propter miſericordiam fiunt, propter poſteriora opera miſericordiæ dimittuntur, quæ propter ipſam miſericordiam committuntur, grauis eſt enim peccatum quod animo nocentis, quàm quod animo ſubuenientis efficitur. Ac per hoc ſi illud deletur opere miſericordiæ poſtea ſubſequente, cur hoc quod eſt leuius, non deletur ipſa hominis miſericordia, & præcedente vt peccet, & comitante cum peccat?* Et poſtea. *Reſtat vt intelligamus illis mulieribus vel in Ægypto vel in Hiericho pro humanitate, miſericordia redditam fuiſſe mercedem vtique temporalem, quæ quidem & ipſa æternum aliquid etiam illis neſcientibus prophetica ſignificatione figuraret, vtrum autem ſit aliquando, vel pro cuiuſquam ſalute mentiendum, cum quæſtio ſit in qua diſſoluenda etiam doctiſſimi fatigantur, valde illarum mulierculaum, in illis populis conſtitutarum, & illis moribus aſſuetarum excedebat modum. Itaque hanc earum ignorantiam, ſicut aliarum rerum quas pariter neſciebant, ſed ſciendæ ſunt à filijs non huius ſeculi, ſed futuri,* Dei *patientia ſuſtinebat: qui tamen eis pro benignitate humana, quam famulis eius impenderant, quamuis cœleſte aliquid ſignificantia, præmia terrena reddebat. Et Raab quidem ex Hiericho liberata, in* Dei *populum tranſitum fecit; vbi proficiens poſſet ad æterna & immortalia munera peruenire, quæ nullo ſunt quærenda mendacio.* Iterumque libri eiuſdem cap. 17. ſed ſequenti quæſtione afferetur, ſimilia vult *Rupertus* lib. 2. cap. 11. licet ibi menda ſint, videtur verò eadem ſentire *Caluinus*, ita tamē vt errorem admiſceat, quaſi peccatis operi bono adiunctis nulla pœna ſit, vel, vt ipſe ineptius loquitur; *nulla imputatio. Præcipua*, inquit, *actio* Deo *grata, quia vitium virtuti admiſtum non imputatur.*

Q. XII. *An vt ſeruarentur exploratores neceſſario mentita Rahab.*

D. Auguſtin. lib. contra mendacium cap. 17. docet, potuiſſe à Deo, abſque vllo ipſius Raab mendacio, conſeruari exploratores, & corporalem propriam, illorumque vitam præſentiſſimo potius mortis periculo exponendam fuiſſe, quam vt mendacium Raab diceret. Sed nō poteſt tota diſputatio vel ſubtiliùs vel clariùs quā eius ipſius verbis proponi. Ea igitur sūt. *Sed dicet aliquis: Ergone obſtetrices illæ, atque Raab melius feciſſent, ſi nullam miſericordiam præſtitiſſent, nolendo mentiri? Imo verò illæ mulieres Hæbrææ, ſi eſſent tales, de qualibus quærimus, vtrum ſit eis aliquando mentiendum, nec aliquid falſi dicerent, & fœda miniſteria de paruulis occidentis liberrimè recuſarent. Sed, inquies, ipſæ morerentur. At vide quid ſequatur: Morerentur enim cœleſtis habitationis incomparabiliter ampliore mercede, quam domus illæ quas ſibi fecerunt, in terra eſſe potuerunt. Morerentur enim futuræ in æterna felicitate, mortem perpeſſæ pro innocētiſſima veritate. Quid illa in Hiericho? Nunquid hoc poſſet? Nonnè ſi quærentes ciues mentiendo non falleret, verum dicendo latentes hoſpites proderet? An poſſet interrogantibus dicere: ſcio vbi ſunt, ſed Deum timeo, non eos prodo? poſſet hoc quidem dicere ſi iam eſſet vera Iſraelitis, in qua dolus non eſſet: quod futura erat per miſericordiam Dei tranſiens ad ciuitatem Dei. Verum illi hoc audito, inquies, illam perimerent, domum ſcrutarentur. Sed nunquid conſequens erat, vt illos etiam quos diligenter occultauerat, inuenirent? proſpexerat enim cautiſſima mulier, & ibi eos poſuerat vbi latere potuiſſent, etiam ſi ei mentienti creditum non fuiſſet. Ita & illa, ſi tamen à ſuis ciuibus eſſet occiſa, pro miſericordiæ opere, vitam iſtam finiendam precioſa in conſpectu Domini morte finiſſet, & erga illos eius beneficium inane nō fuiſſet? Sed inquies Quid ſi ad illum locū vbi eos occultauerat, ij à quibus quærebantur, perſcrutando omnia perueniſſent? Iſto modo dici poteſt: Quid ſi mulieri viliſſimæ atque turpiſſimæ, non ſolum mentienti, verum etiam peieranti credere noluiſſent? Nempe etiam ſic conſecutura fuerat, quæ timendo mentita eſt. Et vbi ponimus voluntatem ac poteſtatem Dei? An fortè non poterat & illam, nec ciuibus ſuis mentientem nec homines Dei prodentem, & illos ſuos ab omni pernicie cuſtodire? A quo enim & poſt mulieris mendacium cuſtoditi ſunt, ab eo potuerunt, etſi illa mentita non eſſet, vtique cuſtodiri. Niſi fortè obliti ſumus hoc fuiſſe in Sodomis factum, vbi maſculi in maſculos nefanda libidine accenſi, nec oſtium domus in qua erant, quos quærebant inuenire potuerunt: quando vir iuſtus in cauſa omnino ſimillima pro ſuis hoſpitibus mentiri noluit, quos eſſe angelos neſciebat, & vim morte peiorem ne paterentur, timebat. Et certè poterat talia reſpondere quærentibus qualia in Hiericho mulier illa reſpondit. Nam prorſus ſimiliter & illi interrogando quæſierunt. Sed homo iuſtus noluit pro corporibus hoſpitum animam ſuam ſuo mendacio maculari, pro quibus voluit corpora filiarum alienæ libidinis iniquitate vim perpeti. Faciat ergo homo etiam pro temporali hominum ſalute quod poteſt. Cum autem ad hunc articulum ventum fuerit, vt tali ſaluti conſulere niſi peccando non poſſit, iam ſe exiſtimet non habere quid faciat, quando id reliquum eſſe perſpexerit, quod non rectè faciat. Proinde Raab in Hierico, quia peregrinos homines Dei ſuſcepit hoſpitio, quia in eorum ſuſceptione periclitata eſt, quia in eorum Deum credidit, quia diligenter eos vbi potuit occultauit, quia per aliam viam remeandi conſilium fideliſſimum dedit, etiam ſupernæ Hieruſalem ciuibus imitanda laudetur. Quod autem mentita eſt, etiam ſi aliquid ibi propheticum intelligenter exponitur, non tamen imitandum ſapienter proponitur: quamuis Deus illa bona memorabiliter honorauerit, hoc malum clementer ignouerit.* Ita ille, veritatis, morumq; Cenſor optimus.

Qv. XIV. *An grauius mentita Raha, quam Exod. cap. 1. obſtetrices?*

Et illius & harum eſſe veniale mendacium, ſed ipſius Raab eſſe grauius, copioſè admodum explicare conatur Abulenſis quæſt. 34. 35. 39. quia infantes omnino innocentes, nihil neque ab ipſis, neque ab eorum parentibus contra publicam Ægyptiorum ſalutem aut tentatum, aut

veri ſaltem ſimiliter tentandum; & quia ſuis ipſçmet obſtetrices manibus illos interficere iubebantur. Secus & exploratoribus & Raab omnia. Et quæſt. 41. ad 1. eam non æterna, ſed temporalia bona meruiſſe docet.

Q. XV. *Patriamne prodiderit Raab?*

Si vulgari more proditionem vocemus, quamcunque actionem, quæ temporali ciuitatis incolumitati, publicoque ſtatui aduerſa, & cum hoſtibus amicè inſtituta ſit, à proditione Raab excuſare non fuerit adeo facile. Nam ſciebat eos hoſtes & exploratores: eos tamen hoſpitio accepit, benignè habuit, de iis à Rege interrogata, non, vti veritas publicaque patriæ ſalus poſtulabat, reſpondit, illos domi ſuæ occuluit, è muro ſaluos & incolumes demiſit, & quo modo Regiorum ſatellitum manus effugere poſſent, edocuit, tempuſque & locum, quo laterent indicauit. Horum omnium vel vnum proditionis reum agat, quid igitur omnia? Legatur lex illa prima, quæ in codice eſt, *de his qui latrones*. Si verò de proditione paulo cũ Theologis diligentius loquamur, proditio vocanda eſt, non quæcunque iſtiuſmodi actio, ſed vitioſa, peccatoque coniunctâ, ideoque, vt aliter facere potuerit ac debuerit, requiritur, quorum alterutrum ſi abſit, adeſſe peccatum nõ poteſt. Nam *ad impoßibile obligatur nemo*, & ſi omittat quis, quod facere non debet, culpa nulla eſt. Quin verò aliter facere potuerit Raab, dubitari non poteſt. An verò debuerit, id eſt, de quo difficultas. Nam inſitus à natura gentibus omnibus in patriam amor, ſancita diuinis humaniſque legibus erga eandem pietas exigere à Raab videbatur, ne hoſtes domo receptaret, aut vt receptatos certè indicaret, maximè cum Regis nomine idipſum ab ea peteretur, itemque, vt eorum ad ſuos reditum impediret, patriæque, pro virili, auerteret excidium. Caluinus, *ſola*, inquit, *cognitio, quam Deus eius animo indidit*, *eam eximit à culpa, tanquam ſolutam communi lege*. Sed qua de cognitione loquitur? An de ea, de qua Raab ipſa verſu 9. loquitur? *Noui quod Dominus tradiderit vobis terram?* At certè ſola iſta cognitio non potuit à culpa eam eximere. Conſtat enim vti rectè argumentatur quæſt. 38. Abulenſis neceſſarium non eſſe, vt ſimpliciter velimus, quod Deus vult. v. c. patrem meũ occidi, patriam vaſtari, templa incendi, hos & illos æternis addici ſuppliciis. Nam & CHRISTVS D. cum certò Hieroſolymorum excidium noſſet, id nolebat tamen, ideoque *cum appropinquaret ciuitati fleuit ſuper illam* Lucæ 19. An de cognitione perfectiore loquitur, qua & hoc norit Raab & ſimul omnes iſtius rei circumſtantias & modos, quibus rectè poſſet, hac in re, ſeipſam gerere? Et tunc verum quidem ait, ſed difficultatem nondum adimit. Quæritur enim: An tales aliquæ circumſtantiæ & modi ſint, & quinam illi? Obſcurè quidem, ſed niſi nouam velit eſſe reſponſionem, circumſtantiam & modum vnum videtur paulo poſt ſubiicere, idem Caluinus, cũ ait. *Quamuis ad eum vſque diem obſtricta fuiſſet ſuis popularibus, vbi tamen cooptata fuit in corpus Eccleſiæ, noua conditio, quædam manumiſſio fuit à iure ſocietatis, quo inter ſe deuincti ſunt ciues*. At falſa & periculoſa hæc aſſertio. Non enim gratia tollit naturam, neque diuinum aut humanum ius na-

A turalem legem, vt in ſimili proditionis argumento diſſerit 2. 2. ad quæſt. 33. a. 7. Caietanus. Et nunquid ad religioni Chriſtianæ odium conflandum valet, docere, eos, omnes, qui Chriſtiani ſunt, omni iure liberari, quo Principibus, ciuitatibuſque ſuis obſtricti ſunt? Aliter ſanè S. Paulus Rom. 13. aliter Sanctus Petrus 1. cap. 2. aliter Patres omnes. Patrocinari ſcilicet aliud quaſi agens voluit hoc loco Caluinus, iniquæ ac violentæ ſuæ tot arcium & vrbium, *Geneuenſis* præſertim, occupationi, tot & tam nefariis

B Caluiniſtarum proditionibus, belliſque ciuilibus. Nam ſtatim atque è Catholico fit Caluinianus, in Eccleſiæ ſcilicet veræ corpus cooptatur, ideoque nullo iam iure, omnium ciuium ſocietati obligatus eſt. Abulenſis quæſt. 37. & 38. & Maſius: etiam proditionis à Raab crimen depellunt, quia diuinitùs cognorit vrbem ab Iſraelitis capiendã: Sed addunt, cognouiſſe ſimul quidquid egeret ipſa, ſiue aperiret, ſiue operiret exploratores, aliter fieri nõ poſſe, ideoque meli' fuiſſe, vt in communi patriæ totius interitu, quẽ

C indicio & opera nulla impedire poſſet: ſed ſaltẽ, ſuoſque, & ſua ſeruaret. Nec illud ab Abulenſi quidem præteritum eſt, eam diuinæ voluntati ſuam conformaſſe, quoad hoc, vt naturali & honeſta in patriam charitate ferretur, ideoque hoc eius exitium dolenter ferret, cuperetque fieri ſi poſſet, ſtare illam & florere ita vt proditionis rea non ſit Raab, quia certa omnino cognitione præceperit, patriam, quidquid tandem contra ipſa niteretur, euertendam: & de tam triſti caſu, ex naturalis legis impulſu, doluerit. Alia

D ratio, & vti quidem exiſtimo, firmior, ſecutura iam iam quæſtione, afferetur. Scriptura profectò, dum cap. 6. verſ. 17. & 25. hoc eius factum laudat, omnis eam proditionis exortem pronunciat. Et Iuris peritorum ſententia eſt. *Qui prodit patriam, non odio principis principaliter, nec vt ei ciuitas auferatur, ſed ad illum finem, non incidit in crimen maieſtatis*, vide Cephal. d. 76. 661. Petrũ Ærodium 2. decr. 9. alios *ad legem Iuliam maieſtatis*.

Q. XVI. *An abſque peccato exploratores indicare, ac dedere potuiſſet Raab?*

POTVISSET, inquit quæſt. 40. Abulenſis. Imo

E quæſt. 41. *dato*, ait, *quod prodidiſſet, & occidiſſet, vel occidi fuiſſet Iſraelitas, non peccaſſet*. Non queo tamen, id vt credam, animum inducere. Primo, quia Deus ipſi Raab non ſolum oſtenderat, hierichuntem ab Iſraelitis capiendam, ſed iuſto etiam bello, cuius ipſe Dux & pœne Imperator, capiendam, vti manifeſtum ex v. 9. & 10. Cum verò nouit quiſpiam certò, bellũ ab altera parte iuſtum eſſe, debet omni ſtudio cauere, ne parti illi noceat. Nam iuſtitiæ alioqui repugnaret: Iniuſtitiam ſciens ac prudẽs propugnaret, ideo-

F que ſi tempus eiuſmodi forte incidat, vt non modo peregrinus & gregarius miles, qui ſtipendium danti cuilibet nomen dat, ſed ciuis etiam & principi alicui ſubditus clarè citraque dubitationem omnem intelligat, iniuſta eſſe ciuitatis ac principis arma ſequi ea nullo modo poteſt, ſed, quod de obſtetricibus Ægyptiis quæſt. 12. dicebat S. Auguſtinus, mors ab eo eſſet potius oppetenda, quam claræ perſpicuæque iuſtitiæ vim vllam inferre. Atque hæc etiam ratio & fundamentum, cur exploratores illos in patriæ commodum prodere, aut morti dedere haud

quaquam

Digitized by Google

quaquam Raab debuerit, ideoque proditionis omnis culpa vacarit. Secundo, charitas in patriam, adeoque in quemcunque alium, è naturæ hauſta fontibus, id præſcribit, & cum omne ab eo malum non poſſumus, tantum certè quantum poſſumus remoueamus, tantumque, quantum licet, eius bonum conſeruemus. At conſtabat ipſi Raab, ſe ſuæ ciuitatis excidium prohibere non poſſe, videbat tamen, ſi exploratoribus à Ioſuæ miſſis nihil noceret, quin eos potius adiuuaret, poſſe aliquas patriæ ſuæ reliquias conſeruari, & quidem quoad omnem huius & futuri ſæculi æternitatem. Suadebat itaque recta ratio, planèque huc impellebat, vt daret ipſa, quam poſſet, operam, ne detrimenti quidquam caperent exploratores. Tertio. Eius voluntati eos adhibuit diuina bonitas motus, qui iudiciis iſtis practicis reſponderent. Quemadmodum igitur tam certis, liquidiſque iudiciis non aſſentiri peccatum fuiſſet: ita & tantis, tamque rationi conſentaneis motionibus nihil cedere. Infringere longiſſima diſputatione conatur Abulenſis alia *duo* argumenta, *vnum* eſt? Tenebatur, Raab, quos hoſpitio acepiſſet, pro viribus defendere, vti Loth Geneſ. 19. *Alterum*; A Deo mouebatur ad exploratores occultandū & adiuuādū Sed iſtis, vel non vtor, vel certè non eo, quo ille ſibi obiicit & ſoluit modo. Sic enim alioquin iis vterer. Tenebatur Raab eos, quos hoſpitio accepiſſet, hoſpites, etiāſi hoſtes, quia tamen certò bellum eos iuſtum gerere ſciebat, pro viribus tueri. Et, à Deo, ad eos hoſpitio accipiendum ac tuendum mouebatur, ita vt eum motum ad rem honeſtam, bonam, veroque practico iudicio congruentem impellere certò perſpiceret. Abſque peccato igitur exploratores indicare, necique dedere nullo modo Raab potuit.

Q. XVII. *An quæ de Iſraelitarum Deo ac felicitate, ipſi Raab inerat cognitio, naturalis aut ſupernaturalis fuerit?*

Post exploratorum abſconſionem ter ad eos verba feciſſe Raab legimus. Nam primò, quæ de iis noſſet, oſtendit, eaque propter de ſe ſuiſque conſeruandis iuſiurādum ab iis petiit verſu 9.10.11.12.13. Secundò, eos, quo ire deberent, & quamdiu in via hærere, docuit verſu 16. Tertiò, quæ illi dixerant, approbauit, verſu. 21. In horum igitur primo difficultas eſt, cum ait verſu 9. *Noui, quod Dominus tradiderit vobis terram*, vnde id illa noſſet? an à Deo, an ab omnibus, vel humano quodammodo? Poſterius hoc fortè non iis diſpliceat, qui ita ratiocinentur. Primo, potuit Raab ab hominibus audire Deum Iſraelitis terram tradidiſſe. Nam id ſæpè hi ipſi dictitabant, & quidem publicè, per ſuos ad gentes alias caduceatores, dum ab illis per earum terras tranſitum peterent, vt Deuteronom. 2. verſ. 29. Quæ autem ita publicè geruntur aut dicuntur, ſolent ad vicinos quoſque populos facillime perferri, paſſimque narrari. Secundo, potuit humana idem ipſum ratiocinatione cognoſcere, quia ſcilicet Iſraelitas ſuis popularibus tātum terroris iniecisse, ipſoſque metu tam exanimatos videbat. Quis enim tam rudis ac imperitus, qui non ita ratiocinetur? En hoſtes noſtri tanti, tamque fortes ac robuſti ſunt, nos autem omnes mirum in modum pauemus, animos cadimus, totoque corpore contremiſcimus. Actum igitur de nobis: penes hoſtes victoria eſt: Nos

A noſtraque omnia tradit in eorum manus Deus. Sic enim & apud Naſonē Metamorph. 8. Scylla: *Et cauſâque valet.* (Minos) *cauſaque tuentibus armis, vt, puto vincemur.* Tertio. Ipſamet Raab huiuſcemodi naturalem cognoſcendi modum ſe adhibuiſſe videtur plane omnibus monſtrare, cum tantam iſtam ciuium ſuorum formidinem ex mirabilium & portentorum, & victoriarum, quæ Iſraelitis contigiſſent, auditione natam teſtatur v. 10. *Audiuimus*, ait, *quòd ſiccauerit Dominus aquas maris, & quæ feceritis duobus Amorrhæorum Regibus.* B Et adhuc in 70. qui cauſalem particulam apponunt, clariùs, ἀκηκόαμεν γάρ. Et clariſſimè v. 11. *Et hæc audientes pertimuimus.* Vſitatiſſimus autem & quotidianus iſte apud omnes gentes cognoſcendi ac ratiocinādi modus, ex audita hoſtium fœlicitate, vicinarumque gentium clade ſibi ipſis timere, ac tanto quidem magis, quanto illa maiora & mirabiliora fuerint. Exemplorum plenæ omnes, quæ quidem bella tractant, hiſtoriæ. Quarto, ſi quæ in Raab ſupernaturalis cognitio fuiſſet, in eo C maximè fuiſſet, quod eodem verſu 11. dixit. *Dominus Deus veſter ipſe eſt Deus in cælo ſurſum, & in terra deorſum.* At potuit hoc etiam naturaliter cognoſcere, vel quia dicebant alii, vel quia non niſi à Deorum maximo & potentiſſimo mirabilia illa, nobileſque victorias proficiſci poſſe indicaret, quemadmodum ſcilic. ob incredulorum quoſdam ait, Apoſtolus 1. Rom. 20. *Inuiſibilia ipſius à creatura mūdi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.*

1. Fuit ſupernaturalis in Raab cognitio, quia D Heb. 11. verſu 31. fuit in ea *fides*, & quidem ea, quæ hic dicuntur ad fidem illam pertinuiſſe, ipſiuſque materiam, circa quam exerceretur, fuiſſe intelligi poteſt, quod ſumat illa, quæ ibi recenſet, fidei exempla omnia è ſcripturis, vt facta ſcilicet, in quibus fides enituit, ex illis ſint. At factum ipſius Raab, in quo fides eius enituerit, non habemus, niſi hoc. Duo enim de ea refert Apoſtolus 1. *fide* non periiſſe cum popularibus ſuis incredulis. 2. *fide* accepiſſe hoſpitio exploratores, quorum hoc poſterius prioris illius cauſa eſt. E Quia enim fide accepit exploratores, ideo cum ſuis incredulis ciuibus haud periit. At fides, qua illos accepit, quæ alia præter hanc, quod nouerit Deum terram Iſraelitis tradidiſſe, & quæ adduntur? Nam iſtis in verbis includitur. Primo ipſam nouiſſe Deum. Si enim eum nouit tradere terram, prius ipſum nouit. 2. Deum noſſe, non quemlibet, ſed eum, qui verus Deus, quem idcirco vocat *Iehouah*. Tertio nouiſſe ipſum Iſraelitis eſſe propitiū, quod tam bene ipſis faciat. 4. neque nunc tantum eſſe: ſed F olim iam fuiſſe, cum Geneſ. 15. verſu 18. cap. 26. verſu 4. eorum Patribus terram hanc promiſit, & promittendo tradidit. Nam Hebraicè eſt, *ſciui, quia Dominus tradidit vobis hanc terram.* Neque enim probo Lyranum & Abulenſem, *præteritum* hoc explicantes per *futurum, tradet*. Nulla enim propriæ ſignificationis omittendæ cauſa vti etiam admonet Maſius. Si tamen, quod licet, *futurum* accipiamus, cognitio ſupernaturalis adhuc habebitur, auctore Origene hom. 3. qui ob verba hæc, Raab *propheticlem* vocat. 5. nō hæc modo noſſe, ſed iis etiam aſſentiri, quod eſt

Digitized by Google

prorſus credere. Nam hoc ſine diuina mentis A illuſtratione, ſanctoque voluntatis motu non potuit. Secundo, ſi verborum Raab ſeriem & contextum diligenter aſpiciamus, comperiemus, omnium quæ hic ait, cauſam & caput eſſe hoc; *Dominus Deus veſter, ipſe eſt Deus*, &c. Nam vt tanti Iſraelitarum roboris, tot & tam mirabilium, quæ iis acciderunt, portentorum cauſa indicetur, tam in Hebræo, quam Græco & Latino, particula cauſalis, *quia* vel *enim*, additur. *Dominus enim Deus veſter.* At verò hoc non niſi cognitione, quæ ſupra hominem & naturalem B eſt, comprehendi, approbari, & ſuſcipi potuit. Nam primo Deus verus hic agnoſcitur, qui *Iehouah*, deinde idem Deus ſignatè *Deus Iſraelitarum*, non Gentilium eſſe intelligitur. Tertio prædicatur eius naturæ ac potentiæ immenſitas quia dicitur eſſe *Deus in cœlo ſurſum, & in terra deorſum*. Eſt autem perinde ac ſi diceretur, eius naturam vno aliquo loco haut contineri, quamuis maximo & ampliſſimo. Quàm magnus & & vaſtus terrarum orbis? Quot quantiſque partibus maius ac vaſtius cœlorum ſpacium? Et C tamen neque in ſola terra Deus eſt, neque in ſolo cœlo. Sed vtrumque complet, id eſt, ſumma & infima, ideoque & intermedia omnia, vt rectè li. 2. de Deo c. 2. noſter notat Soarez, ideoque totum hoc, quodcunque id eſt; mundi vniuerſum, Dei natura tenet ac permeat, & exinde fluit immenſa illa eiuſdem, vis ac numen, quo cœlum & terras, Angelos & homines, totũ inquam mundum, ſuo arbitratu, regit & gubernat. Etſi verò horum aliqua poſſent à Philoſophis quibuſdam naturæ vim ſolerter indagan- D tibus naturaliter cognoſci, non tamen à fœmina, & quidem meretricis nugis dedita, anniſque iuniore: neque etiam à Philoſophis definitè illud, *Deum reum, eſſe quem*, nunquam adhuc viſi aduenæ, peregrini & hoſtes *colerent Iudæi*, *vide*, ait Caietanus, *in muliere iſta, non ſolum timorem ſed fidem ac manifeſtam confeſſionem, quod Iehouah, qui eſt Eloe Iſrael, ipſe eſt Elohim in cœlo & terra, & propterea non eſt mirum, ſi ſeruata eſt. Quam enim Deus illuminauit intus, & effecit ſeruatricem electorum ſuorum, ſeruauit quoque à clade hiericho.* Eadem Theo- E reti quæſt. 1. Maſij, & Abulenſis quæſt. 48. ſententia eſt.

Secundo. Fuit eadem Raab cognitio naturalis, quoad cauſam proponẽtem, ſiue quod idem valet; vt iſta mente & voluntate perciperet, iiſq; adhæreret Raab, ea ipſi propoſuerunt homines immediate, non angelus aut Deus. Eſt hoc quidem contra Abulenſem loco citato, ſed non contra veritatem. Nam primò ſi vel Angelus ipſi Raab apparuiſſet, vel hæc ei Deus per F ſonoras aliquas voces, aut impreſſas in eius animo formas ac ſpecies, loquutus fuiſſet, dixiſſet ipſa vti dixit Cornelius Actor. 10. *ſibi Angelum aſtitiſſe*, vel vti Prophetæ *ſibi Deum loquutum*. Nunc verò tantum ait, *Scio*. 2. vnde ſciat, exponit, vt explicuit argumentum tertium initio propoſitum. 3. confirmant eandem fere propoſitionem cætera quoque ibidem argumenta. 4. dicuntur à S. Paulo Heb. 11. verſ. 31. alij hierichuntini ἀπειθήσαντες, id eſt *increduli*, quòd credere noluiſſet. Nam ἀπειθεῖν non ſimpliciter valet *fide carere*, ſed *carere, cum habere quis potuiſſet ac debuiſſet*: ſeu *nolle credere*, nolle iis quæ proponuntur, obſequi & obedire. Ergo potuerant Hierichuntini, ſi voluiſſent, iiſdem verbis fidem habere, quibus habuit Raab. Ergo eodem illis modo etiam res propoſitæ fuerunt. Alioqui dicere poſſent ſinguli, mihi Angelus nullus adfuit. Mihi loqui noluit Deus, & quo modo his eius effatis fidem dare potuit? *fides enim ex auditu* Rom. 10. v. 17. Modus igitur quod ad fidem adducta eſt Raab, fuit eiuſmodi. Longè & latè, ad Gentes etiam remotiores, certiſſima de iis, quæ in Ægypto propter Iſraelitas geſſiſſet Deus, fama peruagata eſt, itemque de rubri maris ſiccati miraculo, aliiſque ſimilibus, narrabant vicinis Chananæis hæc quamplurimi: & poſtremo Sionis, & Og Amorrhæorum potentiſſimorum Regum ſtrages, dicebãt vel eſſe, vel certe ab Iſraelitis aſſeri Deum omnium optimum & maximum, cuius beneficentia & poteſtate omnia hæc gererentur. Audiuit Raab: & Deo lucem in ipſius mentem infundẽte, voluntatemque commouente, vera cognouit, iiſque credidit: Audierunt Hierichuntini alij, & lucem iis, motumque diuinum obtulit Dominus, ſed repudiarunt, & aſſentiri noluerunt. Fuit ergo in Raab *cognitio* quidem, ob rerũ ipſarum præſtantem & interiorem diuinam lucem ac motum; *ſupernaturalis*: ſed *naturali modo* prius ab hominib. exterioribuſque ſenſibus cepit initium, non ab Angelo, vel Deo, & ſic intelligo quod l. 5. c. 1. ait Ioſephus, [illegible]. Dixi tamen *immediatè*, quia & iſta homines dicere, & *totum hoc, quod famam & hominum narrationem* vocaui, Dei beneficium extitit. Hæc autem fidei cognitio & aſſenſio quonam tempore primum facta ſit, preciſe non queo dicere: puto tamen vno vel altero die ante ipſorum exploratorum aduentum, vel eo ipſo fortaſſis die ac momento, cum eos primum aſpexit, ſtatimque ipſos, fide hac vrgente inuitauit, hoſpitioque recepit, & tuta eſt.

EADEM quæſt. 48. *terrorem* duplicem facit Alenſis, *naturalem & ſupernaturalem*, & poſterioris huius generis fuiſſe iſtum, qui hierichuntinos perterruit, exiſtimat. *Duas* verò *ſupernaturalis* eiuſmodi *terroris conditiones* recenſet. *Vna* eſt, vt à Deo ille immittatur. *Altera*, vt admodum durus ſit, animoſque penitus eneruet, hancque conditionem putat etiam prioris eſſe ſignum, in quo inter ipſum ac naturalem internoſcatur, argumentum certiſſimum. Quin verò ſupernaturalis eiuſmodi terror aliquis ſit, ambigi nõ poteſt. Quemadmodum enim corporum ægritudines membrorumque debilitationes hominibus quandoque immittit Dominus: ita & animorum perturbationes, metus nimirum & langores, & vtraque poſita conditio manifeſtè cernitur Leuit. 26. verſu 36. *Dabo pauorem in cordibus eorum in regionibus hoſtium. Terrebit eos ſonitus folij volantis, & ita fugient quaſi gladium. Cadent nullo perſequente.* Sicque apud Gentiles etiam fuit, qui vocabatur *panicus terror*, de quo libro 1. Polyætus & libio 4. de de re militari dial. 11. Lipſi⁹. & δαιμονίους φόβους, in quibus aiebant, φεύγειν καὶ [illegible]. Sed in priore conditione, quæri poteſt. *quomodo* eiuſmodi *terrorem immittat* DEVS? Reſpondeo fieri hoc poſſe *dupliciter*. *Primo*, ſi malum

QVÆST. XVIII. *Quis tãtus, qui in hierichuntinos irruerat, terror?*

Digitized by Google

lum quodpiam impendens obiiciat hominum animis, quod magnum ſit, quodque à magnis viribus inferatur, & e contrario ſummam ad malo iſti obſiſtendum imbecillitatem, in iis qui timere debent oſtendat. Hinc enim exiſtit ſanguinis ad cor fuga, in vultu pallor, in corporis membris tremor, in animo conſilii ad reſiſtendum inopia & abiectio. *Secundo*, ſi abſque huiuſmodi mali vel imbecillitatis cognitione ac proſpectu ſanguinem iſto modo ab exterioribus corporis ad interiores partes propelleret, eoſque pallores ac tremores excitaret. Sed poſterior hic modus vix veri timoris rationem haberet, ſed quandam tantummodo eius partem vel effectum: & ſine priore vix vnquam, vt puto, à Deo fit. Sed *malum impendens* vireſque ad id arcēdum imbecillas *bifariam* iterum mentibus *proponit Deus*. *Primo*. efficiendo pro aliquibus res reuera magnas, ex quibus meritò illa in aliis opinio exiſtat, vt dum miracula in aliorum commodum & ſalutem edit, vel ſimile agit quidpiam. *Secundo*. efficiendo vt mente apprehendant homines aliquid, quod non eſt, vel certe non tantum eſt, vt ſi ex aliquo militum clamore ac barritu, quia montium fortè iugis & vallibus repercutitur, maior multò quam ſit hoſtium exercitus cogitetur. Sed mihi dixeris. Itane fallacis rei falſæque opinionis Deus auctor? Annuunt quidem aliqui, ſed abnuendum eſt. *Primo*. quia Deus ea tunc ſenſibus obiicit, quæ vere ſenſus feriunt: & quæ non neceſſario ſignificant id, quod homines colligunt & ſuſpicantur. Sed hoc iſti ſua imperitia, temeritate, propriaque ſponte colligunt & ſuſpicantur. Nam reſonans illa in vallibus & montibus *echo*, verus vtique ſonus eſt: & ſi diligenter ac peritè paululum expenderetur non illius tantæ, quantum expaueſcens fingit animus, index multitudinis intelligeretur. Sicque in aliis. *Secundo*. quia concedi poteſt, ſemper adeſſe malum quod expaueſcitur, itemque adeſſe virium infirmitatem, quæ malo illi propulſando longe impares ſint, non quidem ſi nude ac ſolitarie illud ipſum, quod timorem affert, cōſideretur, ſed ſi eo modo conſideretur, quo tunc eſt. Licet enim, quoad ſe, ſit perexiguum quid, & quaſi nihil, quatènus tamen cum eo implicatur & coniungitur Deus, vt qui ea re, tanquam inſtrumento, ad conterendos hoſtium animos vti vult, ſic reuera maximum quidpiam eſt, nimiumque hominum exiles vires, vt obſiſtere vllo modo poſſint. Atque ita, quomodo terrorem quandoque immittat Dominus, eſto expoſitum.

In altera terroris huius conditione, cogor ab doctiſſimo illo homine aliquantulum diſſentire. Nam primò quemadmodum poteſt ingentes quoſdam terrores iniicere: ita poteſt & minores, prout ſcilicet expedire cenſuerit. Neque enim graues tantùm & inſanabiles in corporib. morbos efficit, ſed liuores etiam interdum, & qui ſanari poſſunt facile. 2. ſunt etiā metus quidam naturales, ita duri, vt animos penitus eneruent ac frangant. Vide, vt omittantur iam noſtri Damaſcenus & Nyſſen. apud D. Thomam 1. 2. quæſt. 41. a. 4. laudati; quæ indagator naturæ maximus Ariſtoteles 2. Rhet. cap. 15. docet, quæque Tullius Tuſcul. 4. vbi *deſperationem*, *exanimationem*, *pauoremque* deſcribit, *qui motus eſt mentem decutiens, omnemque ex animo expectorans ſapientiam*, vt ibidem ait Ennius. Sint vel illi oratores exemplo, qui ad dicendum cum accederent, totis aliquando artubus contremuerunt, penituſque obmutuerunt, vt lib. de Oratore ſcriptum à Tullio. Quomodo igitur hæc naturalem ac ſupernaturalem internoſcendi metum nota optima ſit? Aliam igitur conditionem vel notam malim, quando ſcilic. à Deo res quæpiam inuſitate geruntur, quibus hoſtilium meritò percellantur animi, vel quando negotium geri diuinum conſtat, & interim ex re quapiam, quæ in ſe aut nulla, aut peregrina eſt, trepidant, pauidique horrent aduerſarij. Hæc enim crebrò in ſacris litteris cōmemorari video. Gen. 35. verſ. 5. Exod. 23. Deut. 2. 11. 28. Iob. 6. Pſal. 87. Iſa. 30. Ierem. 15. & 49. Leuit. 26. & Pſ. 52. *Trepidauerunt timore, vbi non erat timor*. Poteſt porrò *Chananæorum* iſte *metus* vtroque modo *ſupernaturalis* ſeu diuinus cognoſci. Nam *primo* prout ipſa hic Raab memorat, maxima pro Iſraelitis portenta ediderat Dominus. Neque obeſt quod obiicit Maſius, *ante annos plures exaruiſſe illud pelagus, & occaſione potius quā viribus, deletos Amorrhæorum Reges*. Nam & illius exſiccationis memoria, & huius occaſionis donatio, diuinam vim & auxilium Iſraelitis præſens oſtendebat. *Secundo*. Cum neque numero, neque robore pares Chananæis Hebræi eſſent Deuteronom. 7. verſ. 1 adeò vt ipſos ipſimet Iſraelitæ admodum formidarent Numer. 14. nunc tamen ipſi Chananæi, quaſi eſſent Iſraelitæ multò & numeroſiores & robuſtiores, trepidant & perhorreſcunt. Attamen excipiet forte aliquis tantam haud videri Chananæorum trepidationem, quantam hic Raab narrat. *Elāguerunt omnes habitatores terræ. Elanguit cor noſtrum, nec remanſit in nobis ſpiritus ad introitum veſtrum.* Nam certè aduenientibus Iſraeliris portas occluſerunt hierichiuntini: aduerſus illos in aciem & campum prodire auſi hauenſes, & alij, de quibus poſtea, quaſdam etiam quandoque Iſraelitarum ſtrages ediderunt. Quomodo igitur metu adeo languidi, & exanimes referuntur? Phyſicorum vox eſt, *quæ parum diſtant nihil diſtare videntur*. Chananæorum natio erat viribus, armis, numero viribus, propugnaculiſque munitiſſima. Potuiſſet Iſraelitarum gentem, ſi humana tantùm prudentia & robore actum fuiſſet, conficere potius ac delere. Nunc ita modicè obſtiterunt, vt obſtitiſſe nihil videantur: ideoque pauore ac metu conſternati, nihil animi, nihil virium ac ſpiritus habuiſſe. Atque iſtud tantum morali phraſi voluit Raab ſignificatum. Cæterum, notabis in textu, Interpretem noſtrum *elangueſcendi* verbo exprimere, quod in Hebræo eſt, *liquefieri*, ceræ ſcilicet aut niuis inſtar, ipſos vero 70. id omiſiſſe verſu 9. & vertiſſe verſu 11. ἡμεῖς ἐξέστημεν τῇ καρδίᾳ ἡμῶν, id eſt, *nos emoti mente ſumus, Ecſtaſi veluti quadā à nobis diſceſſimus*, ideoque & ibi noſter interpoſuit, *pertimuimus*.

Qv. XIX. *Quid ad exploratoribus Raab petiit*

Petiit ab exploratoribus Raab *quatuor*, &

Q

quibus duo priora , ſunt primaria poſtulata: A duo reliqua horum veluti confirmationes. Et prioribus illis, *vnum* eſt generale, vt *cum patris ſui domo facerent miſericordiam*, & quidem eo modo, quo ipſa *cum illis miſericordiam fecerat*, rationem ſcilicet modeſtè oſtendens, cur ab illis petere hoc audeat. *Miſericordiæ* porrò nomen valde hic anguſte ſumendum cenſet Abulenſis, quando ſcilicet quis alicui non merito benefacit, quod & gratiam interpretatur Caietanus. At licet in poſteriori membro poſſit hoc locum habere, quia exploratoribus nihil meritis B bene ipſa fecit, non tamen in priori: Iam enim ipſa merebatur, vt ei ab illis, & propter ipſam, paternæ ipſius domui benefieret. Ac principio quidem meritum erat, quale in accipiendâ referendaque gratiâ eſſe ſolet, de quo lib. 3. de beneficiis Seneca, & Poëta quidam.

Eſt aliqua ingrato meritum exprobrare voluptas.

Poſtea verò vbi promiſſio & iuſiurandum acceſſit, quandam iam iuſtitiæ rationem induit. Et Hebraicum nomen חסד patet in ſcripturis latiſſimè, vt beneficentiam omnem, quæ in a- C lios ſiue viuos, ſiue mortuos: ſiue miſeros, ſiue non miſeros: ſiue meritos, ſiue immeritos: ſiue iuſte ac pie, ſiue liberaliter ac benignè confertur, ambiat & complectatur. Et ſic etiam Noemi ad ſuas Nurus Ruth. 1. verſu. 8. *Faciat vobiſcum miſericordiam Dominus, ſicut feciſtis cum mortuis, & mecum.* *Alterum* poſtulatum diſtinctè & ſpeciatim explicat, quod generatim iam petitum. Nam *domus patris* nomini intelligebat, ipſumet patrem, & matrem, eorumque filios & filias, id eſt, ſeipſam, & fratres ſororeſque ſuas: D horumque omnium bona ac facultates. Per *miſericordiam* verò quam petebat, intelligi voluit, horum omnium, dum hiericho caperetur, ſalutem & incolumitatem. *Vt ſaluetis*, ait, *patrem meum & matrem, fratres ac ſorores meas, & omnia quæ illorum ſunt, & eruatis animas noſtras à morte.* Nam quod *ſui* eam mentionem nullam feciſſe aiunt Radach & Maſius, eiuſque ſilentij cauſas afferunt, reclamat ipſa, cum ait, *animas noſtras*, prout in 70. adhuc clarius. Verum illud tamen & mirum, priùs illam parentibus, & fratribus, E ac ſororibus, quàm ſibi ipſi cauiſſe. Tanta ipſius erga illos erat pietas & amor: tanta de ipſis cura & ſolicitudo, tanta de ſeipſa apud exploratores ipſos, eorumque Ducem, populum , & Deum fiducia. De marito & liberis ne verbum quidem, quia vt ſuprà q. 3. dictum, meretrix erat, & his carebat. An verò ad hos iam nominatos, acceſſerint poſtea, plures, dicetur v. 18. cap. 6. ver. 26. *Animam verò à morte eruere*, eſt vitam ipſam conſeruare. Sæpe ſiquidem μετωνυμικῶς, F cauſa illa pro effectu ſuo ponitur. Cæterum pro eo, quod noſter ait interpres, *ſaluetis*, & Hebræus *liberetis*, elegantiſſimo verbo vſi ſunt 70. ζωγρήσατε. Eſt autem ζωγρεῖν *capere aliquem viuum*, & conſeruare, apud Homerum, Thucydidem, Herodotum li. 1. vbi de Crœſo. li. 2. & in ſcripturis. 1. Paralip. 25. 2. Tim. 2. v. vult. vbi noſter, *captiui tenentur*, à diabolo ſcilicet, ſed ita vt viui adhuc ſint, & poſſint reſipiſcere: quemadmodum apud Athenæum lib. 13. impurus quidam ſenex nonagerarius, ſe in copiarum, quibus præerat, medio, *viuum* à ſcorto *capi* aiebat. Luc. 5. verſ. 10. *Ex hoc iam homines eris capiens*, non quoquo modo, ſed ita, vt quos ceperit bonus piſcator S. PETRVS, eos vita ſpirituali ac cœleſti viuos ac incolumes cõſeruet. E poſteriorib⁹ duobus *alterum* eſt, iuriſiurandi petitio. *Iurate* ait, *mihi per Dominum. Omnis enim hominum controuerſiæ finis ad confirmationem eſt iuramentum:* Heb. 6. verſ. 16. *Alterum* eſt, ſigni alicuius petitio, quo ipſa in ſummo illo tumultu, & clade, quam, vrbe capta, futuram animo prouidebat, exploratores, totumque Iſraelitarum exercitum præſtiti iuramenti admoneret, omnemque à ſe, & ſuis vim arceret. Duo igitur hæc poſteriora ſunt vt dixi, priorum confirmationes, & ſigna, quibus illa firma & ſtabilia monſtrarentur ac fierent, ita vt prius ſignum hæc ipſi Raab potiſſimum ſignificet: poſterius verò, ipſis exploratoribus & Iſraelitis omnibus. *Detis*, ait, *mihi verum ſignum*; id eſt, ſignum, quod vbi vobis, veſtriſque vrbem vaſtantibus & cæde complentibus monſtrauero, verè ac certò tuta ſim ego, meique omnes , & à Caietano male cum priore ipſo ſcilicet iureiurando , idem putatum.

Annuerunt exploratores, & quidem lubentiſſimi, cum grati, probique eſſent homines. *Improbus eſt*, ait in Perſa Plautus, *qui beneficium ſcit ſumere & reddere neſcit.* Serpens apud Ælianum lib. 13. variæ hiſtoriæ cap. vltimo, eum, à quo altus fuerat, magno invitæ periculo protexit: Leo apud Gellium lib. 5. cap. 14. à ferarum , quibus obiectus erat, ſeruulum, à quo moleſtia quadam liberatus erat, laniatu liberauit; Delphinus apud Athenæum lib. 13. Mileſium, à quo viuus emptus, & in mare liber remiſſus olim fuerat, naufragio in mediis vndarum fluctibus pereuntem excepit , ſaluum & incolumem ad littus vexit, & conſeruauit. An, à qua accepti, ſummoque in capitis diſcrimine protecti, & ſeruati eſſent, fœminam non ſeruarent Iſraelitæ? Omnia igitur quæ illa petierat, conceſſerunt, & quidem quam petierat, cumulatiùs fere omnia. Nam, vt in captiuis ait idem Plautus, *quod bonis benefit beneficium, gratia ea grauida eſt bonis.* Ad primum Raabæ poſtulatum, ſimpliciter & abſque comparatione reſpondent Exploratores : *Faciemus in te miſericordiam:* adduntque: *& veritatem.* Putat verò Radak *miſericordiam* illam ad ipſius Raab parentes & cognatos: *veritatem* verò iſtam ad ipſam Raab, quod illa gratuitum, neque debitum beneficium ſit, hæc iuſtum & debitum. ſed de priore dixi ſuperiori quæſtione. Poſterior verò illi quandoque adiungitur, vt ſignificetur illa miſericordia & beneficentia non modo *certa & conſtans*, prout putat Maſius, ſed etiã *vera, ſyncera, nihilque omnino fucata.* vt Prouerb. 1. 14. verſ. 22. 16. verſ. 6. *Miſericordia & veritate redimitur iniquitas*, & Geneſ. 24. verſ. 27. & 49. Pſal. 22. verſ. 6. 84. verſ. 12. *Ad ſecundum* non hos tantùm, quos recenſet Raab, ſed plures etiam, eius gratiâ, ſaluandos promittunt. Etſi enim *ſorores* videntur omittere v. 18. & infrà c. 6. v. 23. non omittunt tamẽ, neque etiam, vt Abulẽſi placet, fratrum nomine continent, ſed earũ loco verbũ ſubſtituũt exploratores capaci⁹, quo & ipſæ,

Q. XX. *An Raab poſtulatis annuerint exploratores & quomodo?*

Digitized by Google

A ſurſum, ſiue deorſum ad latus ſint & viuant, capiantur. Nam hic v.18. eſt in Latino, *& omnis cognatio tua*, in Græco & Hebræo, *& tota domus patris tui*. Infrà v.c.6. verſ.23. in Latino ſimiliter eſt, *cuncta cognatio illius*, in Hebræo, *omnes familiæ illius*, in Græco, ἡ συγγένεια αὐτῆς, vnde q.53. & 56. ſatis refellitur Abulenſis. Imo hic v.19. videntur omnibus, quotquot ea in domum ſuam recipere voluiſſet, ſalutem polliceri. Angelos ergo illos, qui cumulatiſſimam ſuo etiam hoſpiti Loth gratiam olim retulerunt, boni iſti exploratores imitati ſunt. Tenebant enim memoria B eos illi dixiſſe Geneſ.19.ver.12. *Habes hic quempiam tuorum? generum, aut filium, aut filias, omnes qui tui ſunt, educ de vrbe hac*. Rurſum quoad corporum ſalutem, de ſua ſuorumque vita ſolummodo rogarat Raab, hi verò, vt alapas, verbera, pulſationem, iniuriamque omnem ab illis repellãt, dicunt v.19. *Si eos aliquis tetigerit*. Hebraicæ, *Si cuiuſquam manus in illorum aliquem fuerit*. Ad *tertium* Acceperunt iidem à Raab ſacramentum libenter, v.10. eoque ſe hiſce verbis obſtrinxerũt v.14. *anima noſtra ſit pro vobis in mortem*. Putauit C quidem Radak ius illos hoc tantum dicere, *Si quis interficere vos voluerit, prohibebimus, & quidem propriorum corporum obiectu, vt nos potius, quam vos interficiamini*, ſed iſto modo aliqua quidem foret promiſſio, nulla tamen iuratio. Exiſtimandum igitur potius, ſimplici iureiurando maius quoddam hic ab illis iurari, execratione ſcilicet adhibita ſic. Vita noſtra pro veſtra ſit, nos, ſi quid fallimus, ſi tu aut eorum quiſpiam, aut quidpiam perierit, morte mulctet Dominus. Huiuſmodi enim iuranda, & imprecationes paſſim vſitatæ, D vt apud Ciceronem, Plautum, & ſimiles; *ne viuam, ne ſim ſaluus, ita viuam, Diſperream: Dij me perdant, ita mihi viuere & mori contingat*. Apud Propertium lib. 4. eleg. 7.

Si fallo, vipera noſtris
Sibilet in tumulis, & ſuper oſſa cubet.

Elegia vlt. *Ipſa loquor, pro me, ſi fallo, pœna ſororum*
Infelix humeros vrgeat vrna meos.

Sicque in publicis fœderibus, cum porcum vel agnum ſaxo, ſilice percuterent patrati patres magna voce iurabant. *Si dictis legibus populus Romanus prior deficiet*, E *tu illo die Iupiter populum Romanum ſic ferito, vt ego hunc porcum hodie ferio: tantoque magis ferito, quanto magis potes, polleſque*. Rurſumque cum lapidem è manu excuterẽt, ſeque ſic è bonis viuorum & mortuorum omnibus eiici peterent, vti ex Liuio, Polybio, & aliis copioſe lib. 4. & 8. de formulis oſtendit Barnabas Briſſonius, hucque pertinent illa in noſtriſque quoque ſacris libris, *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat* de quibus ego alibi, rurſumque illud hic v. 19. *Cunctorum ſanguis redundabit in caput noſtrum*, F breuius Hebraicè, *Sanguis eius in capite noſtro*, ſiue *ſuper caput noſtrum*: vt Matth.27.verſ.25. *Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros*. Sed quia res religioſiſſima eſt iuſiurãdum, ne vllo poſtea modo violetur, aut violari certè videatur, diligenter antea prouidendum, vt circũſpiciantur & expendãtur omnia, variæque ſi opus ſit, cautiones adhibeantur, vt cum veteres, de quibus paulo ante, in ſolemnibus illis iurandis addebãt, *ſi fallo prudens ac ſciens, ſi deficit prior populus, publico conſilio, dolo malo* & ſimilia. Noſtri ergo iſti exploratores, cum religione, prudentiaque inſigni eſſent, cautiones tres adhibuerunt. *Prima* eſt verſ.14. *Si tamen non prodideris nos*, idque vt vult apud Abulenſem quidam, enunciando poſtquam abierimus, nos hic fuiſſe, vt idcirco vrbem diligentius Rex communiat, vel etiam adhuc antequam abeamus, vt vult ipſe Abulenſis, qui ſcribit exploratores intellexiſſe, ſe à Deo liberandos, etiamſi à Raab ipſa in vrbe indicarentur, & proderentur, vel quia, vt Caietano videtur, nondum ſciebant, quomodo euaſuri eſſent, an per feneſtram, an aliter. Sed prius illud ridiculum. Nam ſeipſum in grauiſſimum vitæ periculum dediſſet Raab, ſatiſque Rex, ſi vrbem communire vellet, de exploratorum aduentu notat. *Poſterius* nihilo verius, vnde enim & quomodo ſe liberandos, etiamſi in vrbe adhuc morantes proderentur, intelligebant? Et quis iureiurando ſolutos ignoraret, ſi eos ipſa, non vti cœperat, porrò cuſtodiiſſet? De *tertio* poſtea. Quod igitur cauent, eſt, ne hoc eorum factum, pactumque peruulgetur: ſicque vel nimium multi & vita indigni, ſe in ipſius Raab domum, dum caperetur vrbs, intruderent, vel ſignum, de quo paulo poſt, tollerent vel ipſius Raab ſigno ſimile plures ponerent, vel alio aliquo modo, ne quæ promiſerant exploratores, effecta darentur, impedirent. Hæc autem prima cautio in 70. verſ. 14. non eſt, ſed tantùm verſ. 20. in Hebræis verò legitur ſic. *Si non enunciaueritis verbum noſtrum*, ita vt ab Interprete noſtro ſcriptum ſit, *Si tamen non prodideritis nos*, vel potius, modice, quod facile fit, *protracto iod* & exinde facto *vau* lectum fuerat non תגידי ſed תגידו, prout etiam legitur verſ.20 *Altera cautio* verſ.18. & 19. vt omnes, quos ex ſecundi poſtulati conceſſu, volet ipſa Raab ſaluos, in ipſius ſeſe domum recipiant, neque cum vrbem occupabit Iſraelitarum exercitus, pedem illinc efferant. *Tertia*, verſ. 18. vt è domus feneſtra, *funiculus coccineus* pendeat, de quo paulo poſt. *Ad quartum*, præfinitur petitum ſignum, vt ſit ille ipſe, quo per muri feneſtram demiſſi fuerint exploratores coccineus funiculus, ex ea ipſa muri parte ac feneſtra dependens verſ.18. Eundem enim omnino præſcribi (de quo dubitare Abulenſis videtur) patet ex textu verſ. 18. vbi Latinè, Græcè, ac Hebraicè cum articulo demonſtratiuo dicitur, *funiculus iſte*, de quo ſequenti quæſtione. Proteſtantur verò ter ſe extra culpam, noxiamque omnem futuros, niſi cautionibus his obtemperatum ſit. Primò quidem verſ.17. vbi male à quibuſdam, vti notat Abulenſis, poſita fuerat negatio, *non*, ideoque ſententia affirmatiua eſt: *Innoxij erimus*: id eſt, non violabimus iuſiurãdum: vel, dabimus operam, innocentes vt ſimus. Deinde verſ. 19. vbi idem nomen vertit noſter, *alieni*. Tertio, verſ.20. vbi rurſus idem nomen vertitur, *mundi*, aptè tamen ad ſententiam.

Q. XXI. *Ex hierichuntina clauſa vrbe quomodo euaſerunt exploratores?*

Nox erat; clauſa porta erat, à Rege intus & foris quærebantur boni exploratores. Quid agerent? Expectarent craſtinum, dum portæ aperirẽtur? aut omnium in ipſos intentiſſimi oculi? Caperentur ilico, & ad iratum Regem ducerentur. Manerent in domo Raab occulti? At periculum erat, ne altera inſtitueretur de ipſis interrogatio, & quæ omiſſa nuper fuerat

Digitized by Google

to vel geniſta verè fuit? Ex his enim conficiebant olim funes, vt ex Plinio l. 24. c. 9. Catone de re ruſtica. Xenophōte, in Cynegetico clarum eſt: & etiamnũ hodie cõfiunt. Ego ex *lineo* potius, *ſericoq;* filo contextũ reor. 1. quia id Hebraic⁹ textus clarè ſatis indicat: deinde vix videatur tam vilibus alioqui funibus tam precioſus coccineus color adhibitus. 3. quia vſitatum, vt funis omnis è quacunque materia ſit, σπάρτον aut σπαρτίον vocetur. quemadmodum & χοινίον, cum tamen propriè hoc ſit è iunco plexus funis. *Iunco* enim, inquit Plinius lib. 19. cap. 2. *Græcos ad funes vſos nomini credamus, quo herbam illam apellant* (χοῖνος enim iuncus eſt) *poſtea palmarum foliis philyraque.* Sicque loco ante citato Ieremias, ſchœniis in lacum demiſſus fuit, & quem, in Ocni χοινία plectentis fabulâ, comeſum ab aſino iunceum funem ait Cratinus, vocauit Plinius lib. 35. cap. 11. *ſpartum. Piger*, ait, *qui appellatur ocnos, ſpartum torquens, quod aſellus arrodit*: Propertius ſimpliciter *funem*.

Dignior obliquo, funem, qui torqueat, ocno.

In hoc enim verbo accidit, quod & in aliis pluribus fieri docet Seneca lib. 5. de beneficiis cap. 13. *Quædam*, ait, *etiam ſi vera non ſint, propter ſimilitudinem, eodem vocabulo comprehenſa ſunt.* Sic *pyxidem* & *argenteam* & *auream* dicimus, cum tamen ex *buxo*, propriè fieri vox ipſa clamet. Itemque cap. 14. *Aes alienum habere dicitur, & qui aureos debet, & qui corium forma publica percuſſum, quale apud Lacedæmonios fuit, quod vſum numeratæ pecuniæ præſtat.* Demum, quia lini copiam idcirco habuiſſe videtur Raab; vt id genus, fila & funes elaboraret, vt ſuprà quæſt. 5. & 9. Atque hinc expediti aliud poteſt, *tali teſte vti Raab cur voluerit?* Dico enim (allegoriã, de qua poſt; iam omiſſa) id factum, quia ei ad manum illa erat, eamque conficiebat. Apud Lyranum Hebræi dicunt, eo eam funiculo ſolitam admittere & emittere amaſios. Sed in feneſtra, quæ in vrbem potius ſpectaret; factum id eſſet. Memini audire, qui diceret, meretriciarum domorum indiciũ hoc fuiſſe. Sed quomodo probârit, vix ſcio. Signũm terroris fuiſſe noſtro videtur Martino de Roa lib. 1. cap. 3. Sed cur ante Hierichuntis occupationem fila eiuſcemodi habuiſſet, iiſque vſa fuiſſet, non video. Et vero tenues etiam huiuſmodi funiculos fortes admodũ eſſe, vel hinc intelligitur, cum linea quædã fila fuerint, quorum ſingula 365. filis conſtiterint apud Plinium lib. 19. cap. 1. & noſtra memoria ſericeo fune perexili ſeſe è quadam cuſtodiâ inſignẽ virum principem demiſiſſe audiui. Reſtat, vt *cum ſcriptura ſitne Ioſephus concors*, intelligamus. Nam in illa exploratores demittit Raab: apud iſtum ſeipſos ipſimet. Sed nimirũ demiſſionis conſilium illa oſtendit, feneſtram monſtrauit, funem porrexit, alligauit, & tenuit: iſti hunc manibus complexi è muro deſcenderunt & abierunt: ſicque tam ab iſtis, quã ab illa in demiſſione actum aliquid. An vero ante domus ianuam fuerint etiam *rubra* quædam *ſigna*, vt idem aſſerit, dicetur capite ſexto.

Q. XXII. *Quomodo eoſdem ex vrbis muro*

S. Paulum olim è Damaſci muro ſportâ demiſerunt diſcipuli Act. 9. verſ. 25. ita nimirum, vt vrbis murum ſimul aſcenderint, & in ſportam illum poſuerint, ſicque abire ſiuerint. At

A Raab, exploratores vt demitteret, hierichuntis mœnia nihil neceſſe habuit aſcendere, ſed e ſua ipſius domo idipſum faciendi facultatem ſummam habuit. *Domus enim eius hærebat in muro.* v. 15. ſiue vt in Hebræo eſt; *quia domus eius in pariete muri erat: & in muro ipſa habitabat.* Nam ita fuit eius domus conſtructa, vt eius paries, vnus & idem eſſet cum vrbis muro: ſicque illius eſſet paries. *Hodie*, vti ſcribit epiſtola 2. fol. 105. Illuſtriſſimus Dux Olikenſis, *turris vnica tantum dimidiata parte, integra, quadrangularis, in ciuitatis ex-*

demittere potuit Raab?

B *tremitate ſupereſt, quã nõnulli domus meretricis Raab eſſe volunt, alij Zachæi. Quamobrem ob alterutrius memoriam diuinitus partem eius maiorem reſeruatam exiſtimant. quandoquidem in toto illo ciuitatis ſitu, vix vnius cubiti altitudine, integer murus inueniri poteſt.* Vide cap. 6. quæſt. 16. quo iſta fortè referrentur melius. Sed *in muro* ipſa *cur habitabat?* Maſius fol. 49. Caluinus, & alii reſpondent, fortunæ tenuioris ciues, præſertimq; meretrices in vrbis mœnibus aut domunculas inædificare, aut fornices incolere ſolitas. Verum multis in vrbibus vide-

C re eſt, honeſtorum, diuitumque & amplorum hominum ædes ita ſtructas, vt earum idem ſit, & paries, & vrbis murus. Ideoque caſui, vel diuinæ potius prouidẽtiæ id tribuendum, quæ tanto ante, hanc elabendi viam Iſraeliticis nunciis preparauit. Sed quomodo, cadẽtibus vrbis mœnibus, non ſimul domus Raab iſte paries, adeoque tota domus non corruerit, differatur in c. 6. Illud iam cogitetur, quanta hierichũtinorum vecordia & ſtupor fuerit, qui hoſte tam vicino murorum rationem & curam maiorem non ha-

D buerint, vt feneſtras iſtiuſmodi aut claudi curarent, aut diligentiùs obſeruarent, noctu præſertim, quando ſolent ad hoſtes etiam indigenæ ac ciues transfugere.

QVÆST. XXIII. *Quonam, hierichunte recta ierunt exploratores & ad Ioſue quando redierunt?*

VTRVMQVE iſtud iis ita præſcripſit Raab. v. 16. *Ad montana conſcendite, ne fortè occurrant vobis reuertentes: ibique latitate tribus diebus, donec redeãt, & ſic ibitis viam veſtram.* Qui à Rege miſſi erant ad Iſraelitarum exploratores capiendos, vocat noſter Interpres *reuertentes*, vt magis exprimat, quomodo his occurrere potuerint, ſed in He-

E bræo & Græco vocantur hic iidem bis *perſequẽtes* ipſos exploratores, οἱ πάλιν διώκοντες ὀπίσω αὐτῶν. Rectè verò vt ad montes irẽt illi, monuit Raab, id eſt, in cõtrarium, vel omnino, vel fere locum, quam putarent Regij ſatellites. Nam vt 1. parte cap. q. 4. dictum; Cingebatur Hiericho montibus verſus Occidentem, Septentrionem, & Auſtrum. Ipſe vero Iordanis ad Orientem erat. Regij ergo inſectatores verſus fluuium, quo iſtos ad caſtra ſua properare cenſebant, progrediebantur. Si eodem rectâ pergerent explorato-

F res, potuiſſent illi dum gradum referrent, his occurrere, vel etiam dum retrò interdum reſpicerent, eos aliquo etiam per tenebras modo videre, vel certè audire. cum minimos etiam pedum ſtrepitus nocturna prodant ſilentia, præſertim apud eos, qui mente, oculis, & auribus quidpiam tum quærunt. *Triduum* iis ad latendum præſtituit. quia id eorũ tuendæ ſaluti conſentaneum. vt neque minus, neque plus oporteret. Non minus, quia vti eadem illa quæſt. 4. dictum hierichunte ad Iordanem vſque ſtadia erant 60. id eſt, Italica milliaria 7½. noſtratia ſe-

re duo, id eſt, vnum & $\frac{1}{4}$. Quia igitur veſpere, dum eſſent claudendæ vrbis portæ, hi egreſſi ſunt ſatellites, mature ante noctis medium ad Iordanem peruenerunt. Faciamus eos ſibi ſurſum, deorſum, ad hoc & illud vadum iiſſe, aut ſubſtitiſſe, ſilenterque cõſideraſſe, omnia vel ſepes, dumos, liras, riuos, vias, latebraſque vicinas omnes excuſſiſſe. Nam dormiendi tempus non erat. Sed, ſi libet dormierint etiam: potuerunt illuceſcẽte die accuratiùs perluſtrare omnia, huc illuc ſe conferre, & mature tamen adhuc ante meridiem redire. Ne tamen ſi diutius forte morarentur, vel alicubi hærendo, ſpecularentur, in eos inciderent boni exploratores, vt totum illum omnino diem & noctem occulti quieſcerent, neque in viam ſe darent, tutiſſimè iis conſultum. Neque triduo plus deliteſcere opus fuit. Nam quos aſſecuti non eſſent, putare potuerunt, nimia velocitate progreſſos, Iordaniſque tranſitum, antequam ipſi venirent, præuertiſſe. Vrgebat deinde ipſos Regis expectatio, cupientis de re tota ilico certior fieri. fortaſſis etiam fames domum reuocabat. Neq; enim vero ſimile ad tam ſubitam excurſionem cibum eos ſecum aſportaſſe. ideoque vt libentiſſime pergerẽt, vel curioſiſſimè percurſarent, peruiderentque omnia, ſatis abundè iis fuit nox vna, & ſecuti diei tantum, quantum libuit. Sicque abſque periculo vllo potuerunt Iſraelitarum exploratores ad Ioſue reuerti. Fuerit ergo aliqua tantùm ſynecdoche in *tribus* iſtis *diebus*, quia primi & vltimi pars tantùm aliqua in latibulo exacta; quemadmodum *tertia die reſurrexiſſe Dominus traditur*. & paſſim fit, vt noctis tempus, quod ante ſomnum fuerit, priori diei tribuatur. Ideoque tertia à diſceſſu die ad Ioſue reuerſi ſunt, id eſt, menſis primi die 4. vel 5. vt ſuprà expoſitum parte 1. cap. quæſt. 5. Sed vtrũ humanâ prudentiâ tam aptè triduum illud præfiniit Raab? an diuino potius afflatu? Iſtud poſterius Rabbi Salomon, aliique Thalmudici aſſerunt, *quod neque nos*, ait Maſius, *reſellendum putamus*: etſi abſonum non ſit, humanis coniecturis prudenter prudentem, ſolertemque fœminam vſam eſſe.

Q. XXIV. *Quonam ordine dicta & facta hæc omnia?*

Discedvnt à textus ordine nõnulli, voluntque antequam exploratores è muro demitteret Raab, totum iſtum dialogũ, quem inter ſe hæc & illi habent à v. 9. vſque ad 21. dictum fuiſſe. Nam 1. quomodo eos Raab demiſiſſet, antequam petitum ab ea ſignum illi darent? At v. 15. iam demiſſos narrat contextus, poſtea verò primum dediſſe ſignum illuc v. 18. 2. Quomodo exploratores, non omnes ſimul cautiones, antequam vllo ſe ſacramento alligarent, vel certè antequam demitterent, enumeraſſent? 3. Et quomodo fieri potuit, vt extra vrbem ad muros tam multa & Raab & exploratores ipſi loquerentur. verſ. 16. 17. 18. 19. 20. 21. Nam ſane clara ſatis voce vtendum fuit, cum illa domi ſuæ in murorum vrbis parte altiore, illi iam in inferiore parte foris eſſent. Et nulli erant in muris, qui audirent, vigiles, circitores, vicini? Hiſtoricam ergo narrationis enallagen in hiſce verſibus conſtituunt Abulenſis, Caietanus, Maſius. Ego cum Radak ipſius contextus filum ſequor, rectumque ſenceo. Nam cùm loquerentur ea, quæ verſu 18. ſunt, apparet iam demiſſos fuiſſe, quia dicunt ibidem, tam Hebraicè & Græcè quàm Latinè per præteritum, *demiſiſti nos*. Reſpondet poſt quæſt. 54. Abulenſis, hoc referendum ad tempus, non iſtud, quo loquuntur exploratores, quia demiſſi nondum erant, ſed ad illud, quo ad vrbem poſtea cum toto Iſraelitarum exercitu venerant. Sed in hiſtorica narratione abſurdum, dicere aliquid factum, quod reuera nondum factum eſt, & tamen verum cenſeatur, quia aliquo poſtea tempore verum erit, factum eſſe. Neque ipſum iuuat fœdus priſtinum, Leuit. 26. Neque reuera id iam præterito tempore datum erat Exod. 19. Aliter igitur Caietanus; è duobus exploratoribus alterum iam demiſſum fuiſſe, alterum verò ſuperius adhuc fuiſſe: ſed iam iam demittendum, & hunc iſta ſuo, ſociique nomine locutum. Atque ſic quidem verè locutus eſſet. Sed vel dicendum fuerat, *ſocium meum demiſiſti*, vel in præſenti *demittis nos*. quod per participium Hebraicum dixiſſet מורידתנו את moridathenu ath. Nam quod ait idem Caietanus, medium extremorũ eſſe particeps, non inde ſequitur præterito poſſe nos rectè vti pro præſenti vel futuro. Breuiùs & commodius Maſius, temporum enallagen eſſe vſitatiſſimã apud Hebræos. itaque *demiſiſti* pro *demiſeris* poſitum eſſe, aut pro *demittere paras*. Non diſciplicerer, niſi verborum proprietas in hiſtorica narratione perpetuò retinenda eſſet, in temporum præſertim deſcriptione, niſi aliud alia bona quæpiam ratio explicet. Nunc verò nulla iſtiuſmodi comparet ratio. Nam quæ obiectæ ſunt, nihil vrgent. *Ad primum.* Feſtinabat admodum, & ſacramento ab ipſis accepto, ſatis intelligebat futurum, vt boni ac religioſi homines de eo ſeruando ſoliciti eſſent, ideoque ſignum domus inueniendæ vel ſponte darent aliquod, vel ſponte ſibi ipſis efformarent. *Ad ſecundum.* Feſtinabant etiam ipſi, & modo hæc, modo illa occurrebat cautio, vel modo vnam vnus, modo alteram alter dicebat, iurarentque vniuerſè quidem, ſed prudenter, conditionibus ſcilicet appoſitis, quas iamiam dicerent. *Ad tertium* Poterant eadem etiam timeri omnia, in ipſa demiſſione quantumuis arcana & taciturna. Nam qui eam viderent, nulli erant in muris excubitores, circitores, vicini? Diuinæ vtique prouidentiæ fuit, ne quis adeſſet, videret, ſubaudiret, ipſique ſubmiſſâ, quoad poterant voce, ſuſurroque leniſſimo vtebantur. Ideoque ſi quid à contextu ſimplici recedendum eſſet, mallem dicere, duplicem hic eiuſdem demiſſionis narrationem inſtitui. Vnam, quæ verſu 15. claudatur: alteram, quæ ſermones & circumſtantias paulo plures narret, incipiatque à verſu 16. & finiatur v. 21. vbi verbo tenus in Hebræo eſt. *Et dimiſit eos* (non *demiſit*) *& abierunt, & alligauit funem coccinum in feneſtra.* ſcilicet quo ipſos demitteret: non autem quo demiſerat. Ideo enim in eodem Hebræo additur v. 22. *Et abierunt & venerunt in montes.* Tuncque illud, *demiſiſti*, eſſet accipiendum reſpectu prioris narratum iam factæ, vt dixerint ipſi quidẽ, *dimittis nos.* Sed quia iam narratum erat, ipſam demiſiſſe: dicatur, *demiſiſti*. Sed præſtat, vt dixi, vnicam narrationem

nem cenſeamus: eamque in ſententiam ſatis interdum pronus Maſius fol. 48. ibi. *ſed neque illud.* fol. 49. *ſin autem.* & fol. 51. *putat ergo,* & *Nihil enim, &c.*

Q.XXV. *Qua inter ſe lingua locuti Raab & exploratores?*

HEBRÆAMNE linguam Raab didicerat? vel Chananæam exploratores? Vtrumque à vero nihil abhorrere cenſuerit, qui aut apud Athenæum lib. 13. legerit, meretricum nonnullas, vt eſſe poſſent verborũ argutiis delicatiores, blandiores, omnique lenocinio inſtructiores, operam philoſophiæ, Muſicis, & Mathematicis dediſſe: aut fieri potuiſſe conſiderarit, vt in Iſraelitarum caſtris, vel Chananæi, vel Chananice ſcientes Ægyptij aliqui forent, à quibus linguã illam didicerint Iſraelitarum nonnulli. Sed facilior, veriorque reſponſio eſt, Hebræã, Chananæamque linguam, vel eandem omnino fuiſſe, vel ita certe conterminas & ſimiles, vt mutuò inter ſe loqui & agere poſſent per commodè Chananæi & Hebræi. *Primò* enim ex iis, quæ de paradiſo & hominum illinc expulſione alias dicta ſunt, conſtat, mortalium primos his in locis moratos. Eos verò Hebræa lingua vſos docent propria eorum nomina à Spiritu ſancto, ex propriis etimologiis explicata. *Adam, Heua, Kain, Abel, Enos, Lamec, Henec, Cainam, Tubal, Cham, Noe, Sem, Cham, Iapheth*, & alia plurima. Poſt linguarum verò diuiſionem, eiuſdem Hebrææ linguæ vſum ibidem manſiſſe, commonſtrant etiam omnia regionum, vrbium, vicorum, fluuium, montium, hominumque nomina: & Hebraicus fœderis titulus, quem Geneſ. 31. fixit Iacob, *Galaad*, ſcilicet. Deinceps verò eandem linguam à Iacob aliiſque Patriarchis in Ægyptum importatam fuiſſe, ibidemque ad exitum vſque cuſtoditam, teſtes ipſa etiam nomina illic impoſita, *Aaron, Maria, Ioſue, Caleb*, & ſimilia tam multa in Numeris & Paralipomenis conſinata: teſtes & ipſi Iudæi apud quos traditio eſt, ipſorum maiores in Ægypto tria, quæ à ſuis accepiſſent maioribus non mutaſſe *nomina, linguam, & veſtes. Secundò* dicit Iſaias c. 19. v. 18. *In die illa erant quinque ciuitates in terra Ægypti loquentes lingua Chanaam.* Sed hanc Interpretes omnes Latini, Græci, Hebræi, *Hebræam* eſſe, concordibus & vocibus & calamis affirmant. adeo, vt referente in Sophoniæ ſecũdum D. Hieronym. Iudæi exiſtiment, Gentiles omnes, qui ad Meſſiam cõuertentur, Hebraicè loquuturos, & quidem tam purè, quam ante Babylonicam captiuitatem ſolebãt Hebræi loqui. Eſt hoc quidem fabula, & nimium craſſa Rabbinorum opinio, indicat tamen, quid per Chananæã linguam apud Prophætam, ipſi intelligant. *Tertiò.* D. Hieron. in illum Iſaiæ locum l. 7. *Lingua,* inquit, *Chananitis inter Ægyptiã & Hebræam media eſt, & Hebrææ magna ex parte confinis.* D. Chryſoſt. in 2. Tim. c. 2. hom. 4. *Hebraicã & Syriacam* linguas *ſummam inter ſe conſonantiam habere* ait. Rurſum D. Hieron. in Ionæ c. 3. *Syram & Punicam* cum Hebræa eſſe affines oſtendit. Nam quod *Kikaion* ait Hebræa, hoc ille vocant *elkeiion.* Et l. 1. com. in c. 2. Gal. f. 168. *Non aliud ſignificat Petrus, aliud Cephas, ſed quam nos Latinè & Græcè petram vocamus, hanc Hebræi & Syri, propter linguæ inter ſe vicinitam, Cephan nuncupant. Quartò.* Lingua Punica, vel Chananæa eſt, vel ex illa.

A Sed eadem vel Hebræa, vel ex illa eſt. Eadẽ igitur Chananæa, & Hebræa, vel ex illa eſt. Eadem igitur Chananæa, & Hebræa, vel inter eas perparum intereſt. *Prior* illa *ſumptio* patet ex iis, quæ infrà dicam *de Mauruſiis*: & ex D. Auguſtino in expoſitione epiſtolæ ad Romanos, vbi Chananæam illa mulierem, quæ Matth. 15. filiæ ſalutem à Domino poſcebat, myſticè interpretatur *Phœnicem Didonem,* quę Pœnorum regiã Carthaginẽ extruxit, deinde ſubiungit. *Interrogati ruſtici noſtri quid ſint, Punicè reſpondentes, Chanani corrupta ſcilicet ſicut in talib. ſolet, vna littera, quid aliud reſpondent quã Chananæi?* B Iſtud tamen de corruptione intelligẽdum reſpectu linguæ Latinæ, in qua vt explicat, vna interpoſita dipthongo ſiue littera, vocantur *Chananæi.* alioqui Chananæus abſque vlla in in primigenia lingua, Hebraica ſcilicet, litterę corruptione eſt *Chanani.* Et de vulgaribus ciuibus idem ſerm. 24. de verbis Apoſtoli c. 3. *Prouerbium eſt Punicum, quod quidem Latinè vobis dicam, quia Punicè non omnes noſtis.* Et ſub finem præfationis in lib. 2. com. ad Galat. C *Aphri,* ait, *Phœnicum linguam nonnulla ex parte mutauerunt. Poſterior ſumptio* probatur 1. ex D. Hieronymo traditionibus in Geneſ. *Punica,* inquit, *lingua Hebrææ contermina eſt.* Et in Hieremiæ cap. 25. *Pœni ſermone corrupto, quaſi Phœni appellantur, quorum lingua, Hebrææ linguæ magna ex parte confinis eſt.* D. Auguſt. q. 16. in Iudices. *Iſtæ,* ait, *linguæ Punica & Chananæa, non multum inter ſe differunt.* Et ſerm. 35. de verbis Domini. *Iſtæ linguæ, Hebræa & Punica, ſibi ſignificationis quadam vicinitate ſociantur.* 2. ex multis Pœnorũ vocibus, quæ eædem ferè Hebræorũ. Nam *Carthago* apud Solinum chartada, quaſi ſcilicet חרתא קרתא quod, ait idem auctor, *Phœnicum ore exprimit ciuitatem nouam.* Sed ibidem *hadramytus* quaſi חצר מות id eſt *atrium moriendi,* aut *mortis,* ſiue *Plutonis.* Nam vt apud Byblienſem Philonem eſt; Phœnicibus, corũq; ſoboli, Pœnis μωτ eſt θάνατος καὶ πλούτων Ipſa *Dido* verò, ait Modij, (quem poſt varios tandem corporis, animiq; errores ad Catholicã matrem rediiſſe gaudeo (Seruius; *vero nomine Eliſſa antè dicta eſt: ſed, poſt interitum, à Pœnis Dido appellata fuit, id eſt virago, Punicã linguã,* ſiue *dilecta,* & forte E ante interitum etiam à דוד vnde *Dauid* & illa in Pſalm. 67. *Rex virtutum dilecti dilecti.* Hannibal חניבעל haſdrubal חצרובעל. Nam *Baal,* inquit lib. cit. D. Auguſtinus, *Punici videntur dicere Dominum. vnde Baalſamen, quaſi Dominum cæli intelliguntur dicere. Samen quippe apud eos, cæli appellantur:* Hebraice שמים. In Plautina Pœnulo plura ſunt, verbi cauſa.

Mi. *Hauo. Cuiates eſtis? aut quo ex opido?*
P. *Hanno, Muthumballe be Chaedreanech.*
F Ag. *Quid ait?* M. *Hannonẽ ſe ſe ait Carthagine Carthginienſem Muthumballis filium.*

Ecce, Hauo. à חוה. quaſi *viue,* χαῖρε. ὑγίαινε vnde & apud nos *Aue,* ſeu *Haue,* vt non recentiores modo, ſed Diuus etiam Auguſtinus habet epiſt. 43. *hanno* autem à חנן eſt *Eucharius,* & pœne Iohannes. *Muthumbal,* mortis aliquorum Dominus; *Be* quaſi *Ben,* id eſt filius, vel ſi cum ſequenti iungatur, intelligetur in priori *filius,* vt cum dicetur. *Salomon Danidis, Iacobus, Zebedæi;* & ſentẽtia erit, in *Chadreanech,* ſiue vt corrigit quidam, in *Caſreanech,* id eſt, *in atriis Anech. Et per*

Digitized by Google

alias alij ſignificationes dant.

ϖιρῶμις vel *Picormin*, bonus, egregius, Herod. li. 2. καλὸς κἀγαθός.

Remobath, fictorum monachorum genus deterrimum D. Hieronymus ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis.

χαίρη gaudium & feſtum lib. de Iſid. Plutarchus.

Sarſes cœnobitæ. I. D. Hieronymus ad Euſtoch. de cuſt. virg.

χθὼ, παιδεία, πλήρης τροφή. Horapollo c. 38. lib. I. Pierius l. 38.

Saphaneth phance, vel *tzophnath pahaneach*. nomen Ioſepho impoſitum Gen. 41. verſu 45. eſtque Ioſepho Flauio lib. 2. cap. 3. κρυπτῶν εὑρετὴς aut ἑρμηνευτὴς, id eſt, *abſconditorum repertor*, aut *Interpres & reuelator*. Chaldæo, *cui occulta reuelantur*: veteribus, ex eorum ſententia, noſtro Interpreti, *Saluator mundi*, & ad hoc pulchra eſt alluſio apud Horapollinem lib. 1. cap. 60. Vitioſè verò in libro de nominibus Hebraicis ſcribitur *ſomtonphane*, & apud Iſidorum Orig. lib. *cephaneth*, *abſconditor repertorum*. *Aphane* quibuſdam videtur duci Græcorum φάνη, φαίνω, φάνερος ipſum verò duci ab Hebræo צפן *abſcondere*, vel צפה *aſpicere*, *ſpeculari*. Nam Iud. 11. verſu 39. vbi nobis eſt Maſpha, Hebraice eſt מצפה Græce σκοπιὰ vel ἀπὸ σκοπιᾶς. & cap. 12. verſu 1. צפה quod plane cum צפנת congruit. In Græco σαφωνὰ, in Ioſepho σίφεις Poſſet Druſius videri lib. 9. Obſer. c. 5.

χῶθις. Horapollo lib. 1. ca. 3. Canicula. ἀστροκύων ὃς καὶ δοκεῖ βασιλεύειν τῶν ἄλλων.

Thephis, proſerpinaca cap. 18. Apul. de herb.

Titothos. Cyclaminus Apul. cap. 16. de herbis.

Thūs. Hircus. D. Hieronymus in Iſa. 46.

Typho, qui & *ſethe*. Diodoro lib. 5. ac Suidæ *Priapus*.

τc. *hyc*. Germanicè Hirt, paſtor, apud Ioſeph. l. Contra Apionem. Horapoll. lib. 1. cap. 59.

Poſſent alia plura colligi, maxime *nomina propria* hominum, vt *Phutiphar*: & *herbarum* apud Apuleium lib. de herbis cap. 1. 2. 3. 4. 8 10. 14. 15. ſequentibus, & ſimilia. Seb cui grata fuerint, ea inquiret, cui ingrata, hæc etiam deſpuet. *Menſium* Ægyptiacas tantum appellationes è Ptolomei Almageſto & alijs, non poſſum non ſimul, ob eorum frequentem vſum, adiungere.

1. *Thot*. incipiendo ab ortu caniculæ dum ſol ingreditur Leonem.
2. *Paophi*.
3. *Athyr*.
4. *Coiak*.
5. *Tybi*.
6. *Mechir*.
7. *Phamenoth*.
8. *Pharnuth*.
9. *Pachon*.
10. *Payni*.
11. *Epiphi*.
12. *Meſori*.

QVÆST. XXVI. *Toto latebra triduo quid*

Ne vllum ijs, in aliena hac terra, procul à caſtris, mannæ bolum tribuat quiſpiam, multis adlaborat Abulenſis quæſtionibus 57. 58. 59. 60. 61. Sed eæ aptiùs ad caput 5. pertinent, ideoque A breui concludo, vel eo triduo ieiunaſſe: vel cibo quidem vſos, ſed quem vel ſecum è caſtris apportaſſent, vel à Raab accepiſſent. Nam 1. triduanum ieiunium eſſe naturale, neque inuſitatum oſtendi cap. 3. Tobiæ fol. 50. & addi poteſt Ægyptius ille deſertus 1. Reg. cap. penult. verſu 12. itemque multi pij viri, de quibus Diuus Auguſtinus lib. de moribus Eccleſiæ Catholicæ cap. 33. *Ieiunia*, inquit, *prorſus incredibilia multos exercere didici, nam quotidie ſemel ſub noctem reficiendo corpus, quod eſt vſquequaque vſi-* B *tatiſſimum, ſed continuum triduum, vel amplius ſæpiſſimè, ſine cibo ac potu ducere. Neque hoc in viris tantum, ſed etiam in fœminis.* Et tanto fuit hoc exploratoribus facilius, quanto per ſynecdòchen fuit triduum hoc contractius. Nam eius primo die in caſtris edere potuerunt, deinde veſperi apud Raab: demum etiam tertio die cum ad Ioſue reuertiſſent. Sed veri puto ſimilius eo etiam die, quod ederent, ipſis fuiſſe, vel ob priſci æui, quo ſecum neceſſaria ferebant viatores, morem, vel potius ob eximiam ipſius C Raab hoſpitalitatem, & beneuolentiam. Nam quomodo eos, quibus triduanam latebram indicebat, quoſque ſummoperè diligebat, ſuæ, ſuorumque ſalutis auctores optarat, viatico nullo inſtrueret? Xenia tamen & apophoreta dant hoſpites hoſpitibus, & quos tantoperè obſeruabat, quibus ſe, ſuos ſuaque omnia committebat, nihil tam hoſpitalis, prudens, & benefica daret fœmina?

ederunt ac egerunt exploratores?

Cæterum, quid egerint, conijci poteſt. Nocturno illo tempore Ducem Deum precati, ad D montes, gradu admodum ſuſpenſo, & attentis egregiè animis & auribus, correpſerunt, illic ſolicite peruigilarunt: vbi diluxit, huc & illuc circumſpexerunt, aliquid interdum ierunt, interiorem Chananæam, Hieroſolymitanam præſertim partem, è ſummis, quibus licuit, locis ſpeculati ſunt, & maximè in Regis ſatellites oculorum aciem intenderunt, an eos omnia quæritantes, vel in vrbem redeuntes videre poſſent. Hoc eorum fuit opus, nec dubito, E quin manus ad cœlum quandoque ſuſtulerint, Deumque Abraham, Iſaac, & Iacob precati ſint, vt ſibi ad Ducem ſuum fœlix ab illo reditus, qui illi gratus, totique Iſraelitarum populo eſſet ſalutaris, concederetur.

QV. XXVII. *Eodem triduo, & deinceps vſque ad vrbem Captam, Raab quid egit?*

DIMITTENS Raab exploratores, vt pergerent, *appendit funiculum coccineum in feneſtra*, verſu 21. Dicebatur quidem ſuprà quæſt. 23. poſſe hanc funiculi appenſionem accipi, quaſi ea ipſa eſſet, quam ad illos demittendos, non quam, poſt eos iam demiſſos, vt ſignum foret, ex illorum præſcripto verſu 18. adhibuit. At- F tamen rectè poſterior hæc appenſio intelligitur. 1. quia prior narrata iam erat verſu 15. 2. quia ibidem dictum, vero eſſe ſimilius, iſta omnia dicta & facta, poſteaquam illi iam demiſſi, foris, extra vrbem, ad mœnia ſtabant. 3. quia ita etiam videtur Radakio, Lyrano, Abulenſi, Caietano, Maſio. Sed illud tunc dubij oritur, an illis dimiſſis & abeuntibus funē eum ſtatim appenderit, an vero poſtea, & quando? Duæ ſunt opiniones. 1. Radakij, appenſum tantummodo fuiſſe, cum hierichuntina inciperet ob-

Digitized by Google

datur. De ijs apud Regis aures ſermo triſtis & accuſatorius inſtituitur: ipſique ad necem depoſcuntur. Vſitatum eſt, vt in hominum ſermones, vituperationes, odia, etiam apud magnos & principes viros, boni & innocentes incurrant. Ex hiericho ad mõtes ſe conferunt, vt è mundis huius pluſquam lunaticis mutationibus & incõſtantijs cœleſtia petamus: ſurſum per diuinarum rerum contẽplationem aſcendam⁹, in his, dum hierichuntini Regis, vel Tartarei port⁹ Tyranni, nos ad mortẽ, eamque ſempiternã conquirunt ſatellites, tantiſper deliteſcamus. Nam quid quæſo improbi & flagitioſi ſodales, quid qui ad vina, ludos, voluptates, imo etiã ad opes, honores, & inanes glorias inuitant, quid inquã ſunt, niſi inconſtantis mutabiliſq; lunæ adminiſtri, hierichuntini apparitores, & carnifices? vita hęc noſtra vix tridui inſtar habet. Heri nati ſumus, hodie viuimus, cras morimur. Reſpectu autẽ Eccleſiæ totius, ita c. 11. li. 1. Rupertus ſpiritualiter. *Regi Hiericho nunciatum eſt, veniſſe ab Ioſue miſſos exploratores, quando principi huius mundi diabolo, re ipſa compertum eſt, veniſſe contra principatum, & aereas poteſtates. Regemque tenebrarum à Saluatore miſſos euangelij prædicatores. Tunc, inquam, hoc illi nunciatum eſt, quando de cordibus hominũ, de templis vel ſimulachris gentium illum eijci cœptum eſt. Miſit ergo Rex iſte: Rex inquam, filiorum ſuperbiæ, & Rex Hiericho, ſtultitiæ. Qui ſunt vel fuerunt miſſi Regis huius? Primus Nero, Regis diaboli lictor præcipuus. Deinde Domitianus. Deinde Traianus. Deinde cæteri omnes, hominum quidem principes, dæmonum autem ſatellites: mundo quidem imperantes, diabolo autem parentes. Iſti miſſi à Rege ſuo, miſſi inquam. i. inſpirati à diabolo, dixerunt ad Raab, dixerunt ad Ecleſiam, quæ toto iam Orbe Romano diffuſa,* Christi *Apoſtolos vna fidei domo ſuſceperat. Educ viros qui venerunt ad te, & egreſſi ſunt domum tuam. Hoc dixerunt edictis nouis legibus, proſcriptionibus, gladijs, & varijs tormentorum generibus. Cum enim modis omnibus perſequendo & occidendo id agerent, vt* Christi *nomen, & Apoſtolorum eius fidem extirparent, viros educi compellebant, qui venerant ad eam, & domum eius ingreſſi fuerant. At illa talibus nunquam aſſenſum præbuit, imò & vbi vtrinque ſeruare nequiuit, fidei margaritam abſcondit, & ſuam potius vitam prodidit. Non ſolum autem, ſed & ſecundum hiſtoricum quoque mulieris huius exemplum vbicunque cauſa vel ratio popoſcit, ſuſceptos ſaluatoris miſſos, per aliam viam fugituros emiſit. Nec verò bellatorum fidiſſimi Duces hoc modo gloriæ ſuæ crimen intulerunt, quoties perſecutores aſtu fallendo, de loco ad locum fugerunt. Nam vbi totam Chriſti familiam perſecutor petit, & tanquam in totum ouile, lupus aut leo deſæuit, vbi paſtor non fugere abiectis armis, ſed vſque ad mortem ſtare, ſocius periculi, animamque ſuam pro ouibus dare debebit. Vbi verò ſolum paſtorem latro aut carnifex petit, illic vtiliter fugæ præſidium quærit, ſecundum auctoritatem euangelicam. Cum perſecuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Sic Paulus Damaſci vbi præpoſitus Regis Arethæ cuſtodiebat ciuitatem, vt eum comprehenderet, quia ſolus quærebatur, à fratribus per murum volens ſubmiſſus eſt in ſporta, & ſic euaſit manus eius. Vbi vniuerſalis perſecutio ſæuientis Neronis tam paſtoris eiuſdem, quam & ouium vitam quæſiuit, ibi nec feneſtram,*

A *nec, funem, nec ſportam popoſcit, ſed libenter ſuo ſanguine in exemplum ouium pro Saluatore occubuit.*

Sed nec de nihilo eſt, quod ſub lino, & lino quidem ligneo prius à Raab occultati fuerint ijdem exploratores. Neſcio enim an non ſignificetur, ijs à rebus iuuamen nobis ac præſidium eſſe, quæ paruæ, rudes adhuc, & impexæ, duræque videantur, eiuſmodi tamen ſunt, vt ex ijs maxima præclariſſima & vtiliſſima fieri ſoleant. Atque *vt à confeſſis*, ait præfatione

B lib. 9. Plinius, *ordiamur vtilitatibus, quæque non ſolum terras omnes, verum etiam maria replenere. ſeritur ac dici neque inter fruges, neque inter hortenſia poteſt, linum: ſed in qua non occurrere vitæ parte? quodue miraculum maius? herbam eſſe, quæ admoneat Ægyptum Italiæ, quæ ventos, procellaſque recipiat, denique tam paruo ſemine naſci, quod orbem terrarum vltro citroque portet, tam gracili auena: tam non altè à terra tolli: neque id viribus ſuis necti, ſed paſſum, tuſumque & in mollitiem lanæ coactum.* Quænam verò illæ res paruæ, viles & contemptæ, quæ huic

C lino ſimiles? Mortificatio ſcilicet membrorum noſtrorum, quæ ſuper terram ſunt, refrænatio perturbationum animi, exercitatio humilitatis, paupertatis, patientiæ. imò etiam ſacramentorum Chriſtianorum vſitatio, ſtudiumque & labor in ſacrorum librorũ diſciplinis. Mihi etiam ſub lino cubare ac latere videntur ij tutiſſimè, qui ſub Eccleſiæ Catholicæ decretis, inſtitutis, diuinarumque ſcripturarum interpretationib. ſeſe continent. *Lineum. n. textum*, ait Apolog. 1. Apuleius, *puriſſimum eſt rebus diuinis velamentum.*

D Et paulo poſt. *Mundiſſima lini ſeges, inter optimas fruges, terra exorta, non modo indutui & amictui ſanctiſſimis Ægyptiorum ſacerdotibus: ſed opertui quoq; inde rebus ſacris vſurpatur.* Origenes homilia 1. *Nec lini ait, ſtipulam, in qua exploratores delitеſcebãt, ego abſque ſacramentis accipio. Linum namque eſt indumentum ſacerdotale.* de quo Ioſephus l. 20. c. 8.

Præſtantiſſima verò in ijſdem exploratoribus eſt *gratitudo*. de qua ſuprà q. 19. c. 2. *Imitari nõ decet agros fertiles*, vti monet lib. 1. Off. Tullius, *qui plus multo reddunt, quam acceperunt.* Neque non

E imitatione digniſſima eorum *in iurando prudentia & cautio*, de qua ibidem. & *modeſtia* inſignis, mulierculæ vnius non ſpreuere conſilium: ſed ei morem accurate geſſerunt, non citius, non ſerius ad ſua reuertentes. Demum reuerſi narrant Duci ſuo Ioſuæ quæcunque ipſis obtigiſſent. Nam & verò Ioſuæ reuerſi Apoſtoli *narrauerunt quæcunque fecerant.* Lucæ c. 9. verſu 10. Quantoperè autem Raab ipſam laudarint, & commendarint, quanta cura iuriſiurandi, quo ſe obligarint, religionem explicarint, monſtra-

F bit ipſius Ioſuæ ſolicitudo infrà cap. 6. verſu 22. ſignum ſalutis dant verè *coccineum*, Ioſuæ ſcilicet noſtri crucem, ſed hoc poſtea, cætera vèrò, quæ hiſce conſonant, libet ipſius Theodoreti quæſt. 1. in hunc librum, verbis afferre. *Sicuti, ait, ab* Iesv *filio Naue miſſi exploratores, credentem meretricem ſeruauerunt, dato ei pro ſigno ſalutis, filo coccineo, ita noſtri Saluatoris Apoſtoli meretricem, id eſt, in varijs idolis recumbentem Eccleſiam ab intemperantia priſtina reuocarunt, & bonis æternis dignam affecerant: non funiculo coccineo vtentes vt ſigno, ſed ſacratiſſimo ſanguine ſalutem compa-*

quæratur à nobis, quia vita eorum noſtro pendet arbitrio. Et in Pſ. 37. *Raab meretrix alienigena illa de ſeculo, tamen animam ſuam non ſolum contemptu omnium quæ habebat, ſed etiam vitæ periculo putauit eſſe redimendam: quæ exploratores* IESV *Naue ciuibus ſuis quærentibus denegauit, & hoſtes patriæ, legatos tamen fidei, maluit occultare quam prodere. Non eam minæ ciuium, non bellorum pericula, non incendia patriæ, non ſuorum diſcrimina terruerunt. Diſce vir, Diſce Chriſtiane quomodo verum* IESVM *ſequi debeas, quando fœmina contempſit omnia ſua, &* IESVM *in figura propter ſimilitudinem nominis eſt ſecuta.*

QVÆSTIO III.

Quid in eadem Raab allegoriæ?

RAAB *Eccleſiæ Catholicæ figuram* geſſiſſe omnes pœne veteres docent. Orig. hom. 3. S. Cypr. lib. de vnit. Eccl. cap. 5. Procopius in hunc locum, Theodoretus q. 1. vti paulo ante q. 1. audiebamus, & in Heb. 11. D. Chryſoſt. hom. 5. de pœnitentia, Rupertus l. 1. in Ioſ. c. 12. D. Aug. in Pſ. 86. Theophila. in Matth. ca. 1. cauſæ afferuntur ferè ſex.

Prima, quia Raab latitudinem ſignificat par. 2. q. *Quæ eſt ergo* ait Origenes, *latitudo, niſi Eccleſia hæc Chriſti, quæ* Iſ. 49. v. 20. *dicit. Anguſtus eſt mihi locus, fac ſpatium mihi, vt habitē.* Et paulo poſt confert hanc cum Iapheth. Spectetur Eccleſię veræ nota quarta in Bellar. l. 4. de Eccleſ. c. 7.

Altera cauſa eſt, quòd Gentilis & meretrix Raab fuerit. Nam Eccleſia magnam partem ex Ethnicis idololatris, & peccatoribus collecta eſt, vt ibidem ait Origenes. *Neque verò*, ait Theodoretus, *quiſquam exiſtimet Raab eſſe figuram Eccleſiæ indignam, verum audiat Apoſtolum dicentem* ad Titum, 3. *Eramus aliquando, & nos inſipientes, increduli, errantes, ſeruientes deſiderijs & voluptatibus varijs, in malitia & inuidia agentes, odibiles, odientes, inuicem. Et iterum: Sed tunc vt ignorantes Deum, ſeruiſtis iis, qui non ſunt Dij.* & 1. Cor. 6. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* & alio in loco: *Nolite errare, neq; fornicatores, neq; adulteri, neq; molles, neque maſculorum concubitores, neque idololatræ, neque auari, neque fures, neque maledici, neq; ebrioſi, neq; rapaces regnum Dei poſſidebūt.* Deinde ſubijcit: *Et hæc eratis aliquando, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine Domini noſtri* IESV CHRISTI, *& in Spiritu Dei noſtri.* Atque hoc non citata ſolum ho. 3. ſed 1. etiā & 7. inculcat Orig. recteque addit citato loco Theophyl. Vti recepit Raab Ieſu illius exploratores, ſic *Eccleſiam gentium recepiſſe* IESV CHRISTI D. N. *Apoſtolos.*

Tertia cauſa eſt excellentia fidei, benignitatis, aliarumque virtutum, quæ in Eccleſia tota ſunt, de quibus ſuperiore q.

Quarta eos, quos domo ſua ſemel accepit, omni ſtudio, & cura tuetur, cuſtodit, ab hoſtiū manibus liberat, ſub lino tegit, ad ſuæ domus ſuperiora euocat, ad montes ſuadet pergere. Nam *Eccleſia quos ſuſcepit, in editis & excelſis*, ait hom. 3. Origenes, *fidei conſtituit ſacramentis. Nemò enim qui ab* IESV *mittitur, inuenitur deorſum, & humi iacens, ſed in ſuperioribus permanet.* Rurſumque paulo poſt. *Conſilium*, inquit, *eis dat*, myſticum & cœleſte *nihil habens terrenum. Per montana, dicit, abire. Nolite per valles incedere, humilia & deiecta refugite: quæ excelſa ſunt, & ſublimia prædicate.*

Quinta cauſa. Suæ ſuorumque omnium ſalutis A ſymbolum accipit, *funem coccineum.* idque cupidiſſimè amplectitur, ilico præ ſe fert, ilico domum ſuam eo conſignat, & ab alijs omnibus diſcriminat. Hoc verò quid eſt, niſi purpureus IESV ſanguis, ſanguinolentum corpus, clamys coccinea, cruenta crux? *Sciebat*, inquit idem ibidem Origenes, *quia nulli eſſet ſalus, niſi in ſanguine Chriſti.* Et Rupertus: *ſignum iſtud, funiculus iſte coccineus in feneſtra ligandus, titulus eſt paſſionis Dominicæ inter oculos Eccleſiæ iugiter pingendus, coccineus inquam funiculus, ſanguineum eſt crucis ſignaculum* B *iugiter pingendum in fronte eius. Quod enim ſignum aliud bene ſibi prouida poſtulat Eccleſia?* D. Aug. in Pſ. 86. *Meretrix, quæ ſuſcepit nuncios, & alia via eiecit, quæ præſumpſit in promiſſione, quæ timuit Deum, qui dictum eſt, vt per feneſtram mitteret coccum. i. vt in fronte haberet ſignum ſanguinis Chriſti.* Videri queat Martinus de Roa lib. 1. c. 3. Arcuit verò in Iſraelitarum hyperthyris agni ſanguis percutientem Ægyptos Angelum. Arcuit & ſanguineus funis in Chananææ mulieris feneſtra, domus illius, in horrendo vrbis totius excidio, C ruinam. Fœlix teſſera, quæ ante oculos conſtituta, malorum aduertit molem, ſalutem affert, eos, qui in eo ſpem ponunt, conſeruat, funis mirabilis, qui materia è qua eſt, puriſſimum & caſtiſſimum IESV noſtri corpus ſignificat, qui filorum iam plurium contextu non naturarum tantum duarum aptiſſimam inter ſe connexionem, ſed omnium etiam cœleſtiū chariſmatum contextum oſtendit: qui ipſa è ſuperiore loco penſione, ductam è ſummo cœlorum originem & aduentum prædicat, qui colore profuſum, E pro totius mundi ſalute, ſanguinem repræſentat, qui robore, nexuſque firmitate, vim crucis, virtutem inquam Dei & ſapientiā demonſtrat. quia *quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus*, 1. Cor. 1. v. 25. Refert l. 1. Herodotus ſolitas quondam vrbes integras, eorum, quos colerent, deorum fanis ſeſe funibus alligare. Hoc igitur tam miro fune non ſeſe vero Iſraelitarum Deo penitus alligauit Raab?

Sexta cauſa, eos, quos domus ſuę cōplexu Raab tenuerit, ruant licet vndiq; mœnia, ſoſpites eos, E tutoſq, habet. Qui verò extra ſunt, etiamſi pedem illinc tantū efferāt, nę ferro & flamma pereunt, abſque miſericordia vlla, omnes miſerrime. Hoc iā q. prima nobis inſuſurrabat Theodoretus: Sed planiore maioreq, voce idem acclamant alij, & Orig. quidē ho. 3. ſic: *Si quis ergo Saluari vult, veniat in hanc domum huius quæ quodā meretrix fuit. Etiam ſi de illo populo vult aliquis ſaluari, ad hanc domum veniat, vt ſalutē conſequi poſſit. Ad hanc veniat domum, in qua Chriſti ſanguis in ſigno redemptionis eſt. Nā apud illos qui dixerunt: ſanguis eius* F *ſuper filios noſtros, Chriſti ſanguis in condēnatione eſt. Poſitus enim fuerat Ieſus in ruina, & reſurrectionem multorum, & ideo contradicentibus ſigno eius, efficitur ſanguis eius ad pœnam, credentibus ad ſalutem. Nemo ergo ſibi perſuadeat, nemo ſemetipſum decipiat: extra hanc domum, id eſt, extra Eccleſiam, nemo ſaluatur.* S. Cyprianus l. c. *ſtare tu, & viuere putas poſſe de Eccleſia recedentem? ſedes ſibi alias & diuerſa domicilia condentem? cum dictum ſit ad Raab in qua præformabatur Eccleſia: Patrem tuum & matrem tuam & fratres tuos, & totam domum patris tui colliges ad te-*

ipſam in domum tuam, & erit omnis, qui exierit oſtium domus tuæ foras, reus ſibi erit. Rupertus. *Qui oſtium domus tuæ egreſſus fuerit, quicunq; ſe ipſum ab vnitate fidei præciderit, hæreſeſq; ac ſchiſmata fecerit, ſanguis ipſius erit in caput eius, & nos erimus alieni.* Sed idẽ argumentum perſequitur pluribus D. Aug. l. 21. ciuit. c. 21. l. de vnitat. Eccl. c. 4. & 16. liber prior contra Fr. Puccium filidinũ c. 11. Relatu. porro indigna, quę de coccino iſto impuri apud S. Epiphanium hæreſ. 26. dixerunt Gnoſtici. Melius, in mala tamen cauſa, dixerunt Donatiſtæ, *honorandos pro ſui martyrij merito* illos, *qui perſecutoribus ſcripturas non tradidiſſent illius mulieris exẽplo, quæ duos exploratores in Hiericho, in quibus figurarentur duo teſtamenta, vetus & nouum, tradere perſecutoribus noluit.* vt apud S. Aug. legere eſt in Breuiario collationis cum Donatiſtis, collat. diei tertia, c. 13.

QVÆSTIO IV.

Poſſetne cum B. Virgine aliquo modo comparari Raab?

QVID, inquies, cum meretrice Virgini? & Virgini omnium lectiſſimæ, puriſſimæ, illibatiſſimæ ſed quęras, quid etiã meretrici cum Eccleſia, quæ Chriſti ſponſa caſtiſſima? Et tamẽ patrum paulo ante comparationes audiuimus. Omnem igitur laſciuioris vitę turpitudinem & leuitatem procul remouendo, quidni B. Virgo *Raab* quædam ſit? Certè quoad nomen, quo, vt ſæpicule iam dictũ, *latitudo* ſignificatur, omnes in oras latiſſime diffuſum eſt *Mariæ* nomen, virtus, & gloria. *Ex hoc enim*, aiebat ipſa Luc. 1. *beatã*

A *me dicent omnes generationes.* Genuit B. Virgo verũ Ioſue. & in eiuſdẽ progenitorum ſerie, *Raab* eſt. Accipit Raab hoſpitio ipsũ in ſuis exploratoribus Ioſue: At ipſum in ſe ipſo B. Virgo. *felix*, ait ſer. 2. de aſſump. B. Virginis, S. Ber. *mulier quæ iã non exploratores Hiericho, ſed potius fortiſſimũ illum expoliatorem ſtulti illius, qui verè vt luna mutatur, non legatos* IESV *filij Naue, ſed ipsũ magis ſuſcipere meruit verum* IESVM *filiũ Dei.* Illos ab hierichuntini Regis ira & iniuria liberauit Raab: & verum Ioſue

B *Maria* e Regis Herodis furore ac inſania. Illa illos è feneſtra demiſit: hæc in Ægyptũ iſtũ deportauit. Illa coccineũ ſignum è feneſtra, quo ſartã tectamq; domũ ſuam ſeruaret, demiſit. hæc verũ è cœlo Ioſue deuocauit, & è ſacrati veteri ſui feneſtra, *ſignum, cui contradicetur* Luc. 2. v. 35. vt illabefactum vniuerſum retineret orbem extulit.

Illa exploratores ad mõtana miſit: & triduum in illis cõmorandi conſiliũ dedit. Iſta, D. Greg. auctore 1. Reg. *mons eſt domus Domini in vertice mõ-*

C *tium*, mons in cuius latibus & ver⁹ delituit Ioſue, & deliteſcere poſſunt Ioſuani omnes, donec aliquando iſtos perſequendi, ijſq; tentationũ catenas & ſuppliciorum peſſima quæq; machinandi finem faciant Hierichuntinorũ. i. lunaticorũ & inſanorum omniũ Regis ſatellites, de quibus ſupra q. 1. Tunc enim & feliciter vitæ huius Iordanem tranſibimus, & ad verum noſtrum Ioſue reuertemur. Amen. Reſidua de Raab dabit caput. 6.

CAPVT III.

IGitur Ioſue de nocte conſurgens mouit caſtra: egredienteſque de Setim, venerunt ad Iordanem ipſe, & omnes filij Iſrael, & morati ſunt ibi tres dies. 2. Quibus euolutis, tranſierunt præcones per caſtrorum medium. 3. & clamare cœperunt: Quando videritis arcam fœderis Domini DEI veſtri, & ſacerdotes ſtirpis Leuiticæ portantes eam, vos quoque conſurgite, & ſequimini præcedentes. 4. ſitque inter vos & arcam ſpatium cubitorum duum milium: vt procul videre poſſitis, & noſſe per quam viam ingrediamini: quia prius non ambulaſtis per eam: & cauete ne appropinquetis ad arcam. 5. Dixitque Ioſue ad populum: Sanctificamini: cras, enim faciet Dominus inter vos mirabilia. 6. Et ait ad ſacerdotes: Tollite arcam fœderis, & præcedite populum. Qui iuſſa complentes, tulerunt, & ambulauerunt ante eos. 7. Dixitque Dominus ad Ioſue: Hodie incipiam exultare te coram omni Iſrael: vt ſciant quòd ſicut cum Moyſe fui, ita & tecum ſim. 8. Tu autem præcipue ſacerdotibus, qui portant arcam fœderis, & dic eis: Cum ingreſſi fueritis partem aquæ Iordanis, ſtate in ea. 9. Dixitque Ioſue ad filios Iſrael: Accedite huc, & audite verbum Domini DEI veſtri. 10. Et rurſum: In hoc, inquit, ſcietis quòd Dominus DEVS viuens in medio veſtri eſt, & diſperdet in conſpectu veſtro Chananæum & Hethæum, Heuæum & Pherezæum, Gergeſæum quoque & Iebuſæum, & Amorrhæum. 11. Ecce, arca fœderis Domini omnis terræ antecedet vos per Iordanem. 12. Parate duodecim viros de tribubus Iſrael ſingulos per ſingulas tribus. 13. Et cum poſuerint veſtigia pedum ſuorum ſacerdotes, qui portant arcam Domini DEI vniuerſæ terræ in aquis Iordanis, aquæ, quæ inferiores ſunt, decurrent atque deficient: quæ autem deſuper veniunt, in vna mole conſiſtent. 14. Igitur egreſſus eſt populus de tabernaculis ſuis, vt tranſiret Iordanem: & ſacerdotes, qui portabant arcam fœderis, pergebant ante eum. 15. Ingreſſique eis Iordanem, pedibus eorum in parte aquæ tinctis (Iordanis autem ripas aluei ſui tempore meſſis impleuerat) 16. ſteterunt aquæ deſcendentes in loco vno, & ad inſtar montis intumeſcentes apparebant procul ab vrbe, quæ vocatur Adom vſque ad locum Sarthan: quæ autem inferiores erant, in Mare ſolitudinis (quod nunc vocatur mortuum) deſcenderunt, vſquequo omnino deficerent. 17. Populus autem incedebat contra Iericho: & ſacerdotes, qui portabant arcam fœderis

deris Domini, ſtabant ſuper ſiccam humum in medio Iordanis accincti, omniſque populus per arentem alueum tranſibat.

IORDANIS TRANSITVS

DVæ capits partes. In priore vſque ad verſum 14. narratur ad Iordanis ripam Iſraelitarum aduentus, & vltimæ ad fluuij eiuſdem tranſitum præparationes. In poſteriore, ipſe tranſitus.

QVÆSTIO I.

Quando ad Iordanis ripam venerunt Iſraelitæ?

EST quidem ſuperiore cap. part. 1. quæſt. 5. dies indicatus. Sed paulo poſt in ſecutura quæſtiuncula firmabitur amplius. Nunc quodnam *diei tempus* huic profectioni & initium & finem dederit, dicendum. De *initio*, ſic habet capitis huius tertij principium. *Igitur Ioſue de nocte conſurgens mouit caſtra.* Illud *igitur* in Hebræo & Græco eſt. Sed quod variè admodum vertitur. & quia hic quædam cum ſuperioribus de præparatione priore triduana, deque exploratorum miſſu ac reditu narrationibus continuatio, rectè dictum. *Igitur.* Nox verò hic eſt antelucanum tempus, quod noctis quidem extremum eſt, ſed tenebricoſum adhuc, & admodum matutinum. Id enim important duo, quæ in Hebræo & Græco ſunt vocabula. Vnum eſt השכים quod per ſe & abſque adiuncto alio valet *mane ſurgere.* idque ferè ſemper à 70. per ὀρθρίζειν vertitur à noſtro *mane ſurgere*, & ſemel Lucæ 21. v. 38. *manicare.* quod ibi vocat Beza *barbarum vocabulum.* Eraſmus, & ex eo Pagninus in Theſauro, *inauditum latinis auribus, quod* inquit Eraſmus, *nec Auguſtini aures ferre queant.* Sed multo loquitur modeſtius hic ſanctus pater quæſt 46. in Iudices, dum tantummodo ait, *ſibi non occurrere Latinum eſſe verbum.* Qui tamen Latinæ antiquitatis ſcrinia excuſſit penitius, litteratiſſimus, Iuſtus Lipſius in quadam ad me anno 49. epiſtola Auguſto exeunte Latinum eſſe probauit, è vetere Iuuenalis Interprete. de quo cap. 19. Iud. quæſtione 5. & alibi. Et verò iſtis Interpretis noſtri oblatratoribus Latina ſunt *dormitio*, *diluculatio*, & ſimilia, quia in vno aliquo iſta, etſi iam exoleta repererunt. Iſtud verò, quod vetus Interpres, ex ijs quos legerat auctoribus, etiamſi hodie ij forte non extant, aut à nobis certè lecti nondum ſunt, conſeruauit, cur faſtu tanto obiiciant? *Alterum* eſt *babóker.* id eſt, *in mane.* ita vt ſi verbotenus vertendum eſſet, duo iſta vocabula ſimul iuncta vertere oporteret, *ſurrexit mane*, *mane.* Sed quia foret hoc durius, & ea verborum iſtorum coniunctione nihil ſignificatur, niſi, vt dixi tempus admodum adhuc matutinum, & vt ita dicam; *ante dilucanum*, ideo noſter hic, & Geneſ. 22. verſu 3. vertit, *de nocte conſurgere*, in Pſalm. 126. verſu 2. *ante lucem ſurgere*, interdum *mane*, aut *diluculo ſurgere*, Geneſ. 19. verſu 27. Num, 14. verſu 4. Exod. 8. verſu 20. Iob 1. verſu 5. Iſa. 5. verſu 11. 70. hic & alibi ὀρθρίζειν τὸ πρωΐ. Quæ ſi conſiderare voluiſſet Maſius, ſuam hanc opinor vocem continuiſſet; *cur baboker interpretatus ſit Latinus, de nocte non ſatis intelligo.* Pro illo, *mouit caſtra*, Hebraicè eſt: *Et perfecti ſunt.* Vnde patet inanem eſſe Abulenſis diſputationem poſt quæſtionem 1. An iſtud, *de nocte*, iungendum ſit, cum *conſurgens*, an, *cum mouit*, ita vt priore modo ſignificetur, tempus nocturnum, poſteriore, matutinum, ipſaque aurora.

Ioſue.

A Nam ex dictis patet, cum ipſo *ſurgendi* verbo iſtud iungendum. Interim tamen certum eſt, tempuſculi aliquid in totius exercitus commotione poſitum eſſe, ſicque profectos omnes, cœlo albeſcente, in aurora. maximè ſi præeuntem arcam oculis intueri, pedibuſque ſequi debuerunt. de quo infrà.

Itineris vero huius *finis* fuit maturè admodum ante meridiem. quia vt ſupra dictum, aberat à *Setim* fluuius 60. tantummodo ſtadijs, id eſt, non totis duobus Germanicis noſtris
B miliaribus. Etſi enim magna hominum multitudo & exercitus progreditur, quam vnus vel pauci aliquot, tardius, potuerunt tamen omnes commodiſſimè ſub ante meridianam horam octauam vel nonam ſeſe illuc appellere. Hic verò ambabus, vt dicitur, manibus, è Rabbinorum Mechilta, egregium illud accipiendum documentum: nimio ſomno indulgendum non eſſe: ſed ad homini digna munia bene mane alacriter ſurgendum. Ita olim Abra-
C ham Geneſ. 19. ipſius oeconomus Eliezer cap. 24. verſu 54. Iacob. cap. 31. verſu 22. Moyſes Exodi 8. Iob. cap. 1. & alij ſanctiſſimi homines. *Surgam*, Pſalm. 107. Dauid, *diluculo.* vel vt Hebræa, ibi verti poſſunt; *excitabo* ſeu *expergefaciam auroram.* quaſi diceret, vt in eum locum notat Midras fol. 46. b. col. 2. *Nunquam me aurora inuenit dormientem: nunquam ea me excitauit: ſed ego potius illã excitaui, & expergefeci.* Quoties verò id, vt cap. 2. quæſtione 11. notaui, principibus inculcat Homerus? Quoties omni hominum generi noſter Salomon Prouerb. cap. 6. & 24. Quoties Eccleſiaſticæ in ma-
D tutinis hymnis adhortationes? v. c.

è S. Gregorio. *Pulſis procul torporibus,*
Surgamus omnes ocyus:
Et nocte quæramus pium
Sicut Prophetam nouimus.

è S. Ambroſio. *Expelle ſomnolentiam*
Ne pigritantes obruat.

è Prudentio. *Ales diei nuncius*
Lucem propinquam præcinit
Nos excitator mentium
Iam CHRISTVS *ad vitam vocat.*
Auferte, clamat, lectulos
E *Ægros, ſopore deſides.*
Caſteque, recte, ac ſobrie,
Vigilate iam ſum proximus.

Turpe eſt, cũ Perſij Satyricum illud audiẽdum;
Stertis adhuc? iam clarum mane feneſtras, Intrat.
Vel Maronis illud lib. 4.
Ænea, potes hoc ſub caſu ducere ſomnos?
——— *Vigilaſne Deum gens*
Ænea? Vigila. vel Martialis illud.
Surgite, iam pueri vendit ientacula piſtor;
Criſtatæque ſonant vndique lucis aues.

Dolebat Demoſtheni, vti apud Ciceronem eſt Tuſc. 5 ſi quando antelucana fabrum induſtria vinceretur, & nobis non dolebit, ſi eorundem, & quorũlibet tabernariorum, aut ſeruulorum, aut ancillularum vigilentiã ſuperemur? Ad

Digitized by Google

Eſtheris caput 6. quæſt. 14. laudaui ex Plutarcho lib. *ad imperitum Principem*, illud Perſarum Regum inſtitutum, quo huius cubiculum cubiculariorum vnus ingredi ſolebat, & clamare. *Surge, ô Rex, & negotia cura, quæ te Meſoromaſdes* (id eſt, Sol) *curare voluit.* Putemus (id quod reuera, ſed abſque corporea ſpecie, ac ſono fit) nobis mane, cum expergiſcimur, Angelum bonum adeſſe, & acclamare, ſurge ô homo, & ſtudia, negotiaque cura, quæ te æternus Deus, IESVS CHRISTVS, Dominus & Saluator tuus curare voluit. Sic enim & Apoſtolus Rom. 13. verſu 11. *Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere. Nox proceſſit, dies autem appropinquauit.* Vetus & contrita ſententia eſt. *Aurora Muſis amica eſt.* addo ego, & precibus, & curis, cogitationibuſque omnibus, imo etiam corporis laboribus, & exercitationibus omnibus. Liceat, quod ſomniculoſo nimium quidam dicebat, paululum immutare.

Stulte quid eſt ſomnus, gelidæ niſi mortis imago?
Longa quieſcendi tempora, foſſa dabit.

Quod vocabulo vno egregiè ſignificauit Homerus, quando τανηλεγὴ mortem ſcripſit Odyſſeæ 2. vt ibi explicat Euſtathius, & qui μακροκοίμητον interpretatur, Heſychius.

QVÆSTIO II.

Quamdiu in ea Iordanis ripa ſubſtiterunt Iſraelitæ?

OPiniones duæ ſunt. *Prior* S. Auguſtini, q. 2. Lyrani, Abulenſis q. 2. & ferè communis, ſubtitiſſe inibi dies tres, idque textus noſter videtur aſſerere, cum ait. *Venerunt ad Iordanem, ipſi & filij Iſrael, & morati ſunt ibi per tres dies.* Hic tamen auctoribus horum trium dierum alius, & alius calculus. Nam Diuo Auguſtino ſunt hi tres dies omnino diuerſi à tribus illis, quibus cibariorum præparatio facta eſt ſuprà cap. 1. Alijs verò ijdem ſunt, vt eius nimirum tridui die primo ad Iordanem venerint Iſraelitæ, ibidemque eo die, & ſecutis duobus hæſerint. eſtque hæc Ioſephi lib. cap. ſententia. Si benè aduertatur. *Poſterior opinio* eſt Caietani, Maſij, Ralbagij, & aliorum ferè Rabbinorum: vnum tantummodo hic diem, & noctem manſiſſe. Diem autem illum fuiſſe eum ipſum, quo huc aduenerant, & qui prioris indictæ præparationis erat tertius. menſis verò primi nouus. Probatur primò ex Hebræo, qui ad verbum ſic habet. *Venerunt ad Iordanem, ipſi & omnes filij Iſrael, & pernoctarunt ibi, antequam traiicerent. Et factum eſt à fine trium dierum, & tranſierunt præcones per medium caſtrorum.* Hic vides disertè ſignificari ſemel tantum ibi pernoctaſſe antequam Iordanem traijcerent. Nam ſi de viatoribus aliquibus dicas, diſceſſerant Binga, venerunt Moguntiam, ibique pernoctarunt, antequam Rhenum traijcerent, & Francofurtum irent: ſignificaueris vnâ tantum ipſos nocte commoratos Moguntiæ. Neque refert, ſi quis dicat Hebræum verbum, vti 70. κατέλυσαν, vertat, *commorati ſunt.* Par enim ratio eſt, licet ex ea verbi ſignifica-

A tione illud concidat argumentum, quod à ſomno ducit Caietanus. Neque obſtat, quod additur, *à fine trium dierum.* Nam hi tres dies non ſunt commorationis in hac Iordanis ripa, ſed præparationis, de qua 1. capite 2. Textus Latinus, & ſi non tam diſtinctè, omnia hæc aperit, commodè tamen ſententiam eandem ferre poteſt. Quia enim c. primo dierum trium, & nunc initio huius capitis, duorum locorum, *Setim* ſcilicet ac *Iordanis* facta erat mentio, ſubdit: *& morati ſunt ibi per tres dies.* ibi inquam,
B in Setim & Iordanis ripâ morati ſunt adhuc per tres dies, illos ſcilicet de quibus cap. 1. vnde & ſequitur. *Quibus euolutis*, in vtroque ſcilicet loco, & poſt eorum dierum promulgationem cap. 1. factam. Et quia ſequabatur de tranſitu, ideo tanquam omnibus perſpicuum omiſit idem textus hæc, *priuſquam traiicerent.* 3. ſi triduum huius capitis aliud foret ab illo, de quo cap. 1. falsò ibidem dixiſſet Ioſue verſu 11. *Poſt diem tertium tranſibitis Iordanem.* Nam non niſi poſt diem 6. aut 7. tranſiiſſent. ita vt
C ne largior quidem ille loquendi modus, quo Sancto Laurentio Sixtum Pontificem dixiſſe. *Noli mœrere: ſequeris me poſt triduum*; explicat tract. 27. in Ioannem D. Auguſtinus; conuenire poſſit. Neque dici poteſt, eos, qui poſt diem 7. tranſeunt, tranſire etiam poſt tertium. Fallax enim & ridicula foret oratio. In huiuſmodi ſiquidem temporum præfinitionibus ſolent accipi tempora præcisè. vt ſi dicam; veni ad horam. nolo ſignificare, me ante duos aut tres dies veniſſe. poſt horam faciam docendi
D finem: exſibilabor, ſi poſt duas, aut tres intelligam. Tunc verò Ioſue, ſciuiſſet Iſraelitas poſt triduum præcisè ſumptum non tranſituros aut neſciuiſſet. Si prius, fuiſſet mendax & populi totius impoſtor. Si poſterius, erraſſet, fuiſſetque ipſe admodum deceptus. Atque hoc quidem concedit quæſtione 2. D. Auguſtinus. Sed vt rectè cap. 1. Lyranus obijcit, nimium hoc ipſius Ioſuæ nomini ac famæ, in primo ſtatim principatus ſui principio, aduerſarium fuiſſet: nimium etiam à bonitate Dei ac
E propoſito alienum fuiſſet, vt quem vellet Iſraelitis commendatum, in Moyſis loco & honore conſtitutum, gloria & auctoritate amplificatum, cum ſtatim labi turpiter, decipi, & errare pateretur, idque ſolemni quodammodo, per tota Iſraelitarum caſtra, per quæ poſt tres dies traiectionem promulgarunt cap. 1. præcones. Obijcit ſanctus pater, ipſum tamen Moyſen diſpoſitione diuina erraſſe, cum ſolus populi totius negotia perferret Exodi 18. Sed longè alia ratio eſt. Nulla ibi falſitas, nul-
F lus propriè dictus error erat: ſed tantummodo erat alterum, quod ei ſuaſit ſocer; lenius, meliuſque. Neque inde Moyſi dedecus; ſed maxima potius laus & gloria erat, quòd pro populi commodis tantoperè, ſuprà ſuas etiam vires laborare conaretur. Hic verò ſecus omnia. Concludendum igitur, *ad Iordanem veniſſe Iſraelitas die nono menſis primi.* qui *dies* erat primus illius *tridui, cap. 1. indicti vltimus*: & toto eius diei reſiduo, totaque illa, quæ diem iſtum conſecuta eſt, nocte

ibidem

Digitized by Google

ibidem conſtitiſſe. Atque hinc, quæ ſuprà quæſtione 1. & cap. 1. part. 2. quæſt. 4. & capite 2. part. 1. q. 5. quærebantur, dilucescunt magis. A

QVÆSTIO III.

Quæ ad proximè inſtantem Iordanis tranſitum poſterior præparatio?

PRÆPARATIONEM hanc poſteriorem narrant, hoc loco, præcones, Ioſue, Dominus. *Præcones* duo dicunt. Primò, quãdo abeundum, verſu 3. deinde quomodo eundum, verſ. B 3. & 4. *Ioſue* verò varia proponit, ſed dupliciter. Nam vel populum totum affatur, vel ſolos ſacerdotes, & populum quidem bis ſcilicet verſ. 5. & 9. vſque ad 13. DEVS verò ſolùm Ioſue, v. 7. & 8. Antequam verò de ſingulis agatur, duo de omnibus generatim quærenda. *Quando* nimirum, & *An, quo ſcribuntur, eodem omnia hæc ordine facta ſint?* Caietanus vult præconium verſ. 2. & 3. factum poſtridie aduentus ad Iordanem, die menſis primi decimo. at ſanctificationis in dictionem verſ. 5. factam die 9. ipſo ſcilicet C aduentus die. Idem ex Maſio, licet obſcurior ſit, colligitur, dum verſiculum 5. non ad hunc decimum diem menſis Niſan, quo ſcilicet pertinent cætera, pertinere docet. S. Auguſtinus quæſtione 3. videtur non tam exiſtimare, quam aliis exiſtimandi occaſionem dare, præconum iſtam denunciationem factam in *Setim*. Nam illincad Iordanem veniendum cum fuit, quemnam Iſraelitę itineris ducem habuerunt? Non nubem, vt olim. Nam ea Moyſe mortuo euanuit. Arcam igitur ſecuti ſunt. At hoc nuſquam, D vt faciant præcipitur, niſi hic verſ. 3. & 4. ſponte autem feciſſe, quis credat. cum eam Num. cap. 10. in tribuum tam proficiſcentium, quam ſtantium medio eſſe, iuſſiſſet Dominus. Hinc iam effici videtur, quod ſecundo loco quærebatur, ſecundum hanc è Diuo Auguſtino coniecturam, deſcribi eodem ordine omnia, quo facta. *Primò* ſcilicet quæ in *Setim* v. 2. 3. 4. *Deinde.* quæ *ad Iordanem*, pridie traiectionis v. 5. *Tertio*, quæ ipſo tranſitus die verſ. 7. & ſequentibus. E At ſecundum Caietanum & Maſium non ſunt eodem hæc ordine facta, quo deſcribuntur. Sed ita, vt inter eos adhuc diſſenſio ſit. Nam Caietanus ſolùm verſum quintũ loco non ſuo poſitum cenſet: Maſius verò, pœnè omnes. Eius verba ſunt. *Narrationis ordo admodum perturbatus, meo certè iudicio, eſt hoc loco. Nam eſt vero ſimillimum. quæ à v. 7. ad 14. vſque narrantur, ea omnia eſſe acta prius quam iſta edicta, quæ tertius verſiculus & quartus continent, promulgarentur. Dico credibile eſſe, Ioſuam primum à* DEO *certiorem eſſe factum de* F *tranſmittendi fluminis ratione: id quod v. 7. & 8. explicatur. deinde vero ipſum, quam à* DEO *acceperat traiectus rationem, eam populo pateſeciſſe: vt memorare videntur verſiculi nonus, 10. 11. 12. & 13. ac tum demum eſſe populo edictum, vt ſimul atque viderent præferri ſibi arcam, ſequerentur: vt habet tertius & quartus verſiculus. Moxque iuſſos eſſe ſacerdotes, ſublata arca, præire populo, quod ſextus verſiculus narrat. Atque deinceps eam ſuccedere narrationem, quæ verſu 14. inchoatur.* Ita igitur textus, ex eius mente, conſtituendus. Statim poſt verſum primum.

Ioſue.

A

Eſt verſus
5.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
2.
3.
B
4.
6.
14.

Ego de duabus hiſce quæſtiunculis *duo* hæc ſtatuo. *Vnum*, quæ à verſ. 2. narrantur hic omnia, contigiſſe poſt diſceſſum è *Setim*, & prioris præparationis triduo iam elapſo. Nam in Hebræo eſt, vti quæſt. 2. expoſitum; *à fine triũ dierum & tranſierunt præcones.* In Latino etiam eſt. *Quibus* (ſcilicet tribus diebus) *euolutis tranſierunt præcones.* In 70. κατὰ τρεῖς ἡμέρας διῆλθον οἱ γραμματεῖς, id eſt, *poſt tres dies tranſierunt ſcribæ.* C Deinde cum verſ. 5, dicatur, *Cras faciet Dominus inter vos mirabilia*, & nulla in textu particula ſit, vnde hęc alio, quam ſuperiora, die dicta eſſe coniici poſſit; in eũdem tranſitus pridianum coniicienda è principio capitis omnia, vſque ad v. 7. Inde omnia die aduentus altero, ſiue decimo menſis primi accediſſe, teſtis illa particula v. 7. *Hodie.* Tantummodo hic obſeruandum, dici euolutos illos tres dies, quia eorum iam finis erat, licet exigua ſupereſſet particula, qua poſt duas, treſue meridianas horas pronunciatas fuêre hæc. D ideoque vertere illud Hebræum liceret, *ſub finem dierum trium. Alterum*, quod ſtatuo, eſt eundem hic factorum ordinem, qui narrationis eſt; fuiſſe. Primò. quia, quando ratio nulla vrget, à textu nihil diuertendum. in narratione præſertim hiſtorica. Secundò, quia cohærent optime omnia. Nam de modo incedendi, qui deinceps ex iſta ripa in promiſſionis terram, & in illa ſeruari deberet, primo populus verſ. 3. & 4. deinde E ſacerdotes verſ. 6. inſtructi.

De modo autem, quo ad ripam iſtam venerunt, ſic ſentio. Primò ex illo textu probari nõ poſſe, nubem tum iam deſtitiſſe. Secundò. Vero tamen videri ſimilius, deſtitiſſe. vt in Ioſue principatu nulla eſſet amplius nubes, nulla, quæ populum duceret; caligo, propter maiorẽ rerum, quæ figurabantur, ſignificationem. Tertiò. In hoc ad ripam itinere, alium, præter Iſraelitarum aliquos, ducem nullum fuiſſe. Cùm enim in *Setim* tamdiu hæſiſſent caſtra, quis dubitet F quam plurimos ad Iordanem vſque, cum perexiguum eſſet interuallũ, excurriſſe, ſicq; viam totam exploratiſſimam habuiſſe? Sed obiicies, ſi à textus ordine nihil omnino recedatur, oportere, vt ante decimum menſis diem, & poſt ripenſem iſtum acceſſum, iter aliquod factum ſit, in quo nouus iſte incedendi modus eſſet adhibitus, quia v. 6. dicuntur ſacerdotes iuſſa compleſſe, populo præiiſſe, Deique arcam prætuliſſe. Reſpondeo hic narrari; quod ſuo deinceps tempore, & loco factum eſt. Quia enim id poſtea narrandum non erat, ideo (aliam licet cau-

Digitized by Google

ſam afferat quæſt. 12. Abulenſis) hic oportunè & breuiter narratum eſt, huic inceſſus ordini fuiſſe diligenter obtēperatum. Alioqui potuiſſet hoc narrari. v. 14. c. 4. v. 18. vel 19. Neque tamen vlla ordinis perturbatio eſt, ſi dum præceptum refertur, breuiter addatur id poſtea ſeruatum. Cætera porrò quæ die 10. facta ſunt, incipiunt à v. 7. & nouas quaſdam non de toto, qui in promiſſa terra futurus erat; inceſſu, ſed de eo ſolo; qui in Iordanis alueo futurus erat, modificationes aliquas præſcribunt, de quibus poſtea. Sequitur enim vt de ſingulis iã agamus.

QVÆSTIO IV.

Qui præcones, & quid de progreſſus tempore ipſi?

PRæcones hic Hebraicè & Græcè, iiſdem nominibus ſunt, quæ c. 1. verſ. 10. *principes populi* à Latino noſtro Interprete vertebantur. de quibus multa ſatis ibi q. 3. *Progreſſionis* verò *tempus*, eſt arcæ Domini per ſacerdotes ſublatio, & deportatio v. 3. *Quando videritis arcam fœderis Domini Dei veſtri & ſacerdotes ſtirpis Leuiticæ portantes eam, vos quoque conſurgite.* Qualis autem fuerit arca hæc, quibus ex partibus, & quomodo conſtructa, curque *fœderis Domini arca* vocetur, expoſitum ſatis in Exodo, vbi tabernaculi conſtructio ante oculos poſita. *Tria* igitur tantummodo nunc dicenda.

Primũ eſt. *Cur per ſacerdotes ferri arca iam deberet?* Id enim alioqui Leuitarũ, eorumque non omnium, ſed Caathitarum munus erat, vti traditur Num. 4. Reſpondi alias in libello de Ioſuanis ſacerdotibus cap. 3. num. 35. his verbis. *Portant ſacerdotes Arcam omnium, quæ teſtamentum vetus habuit vaſorum ſanctiſsimum, in qua tunc vrna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabula teſtamenti ceu decalogi, ad quas etiam Deuteronomij liber, eadem in arca locatus; referendus. Fuit in ſolitudine hactenus hoc ab inferioribus Leuitis onus baiulatum, ſed cum proximè beata illa tellus ſubeunda; id ſacerdotibus imponitur, partim, vt quo maiora Dei beneficia in dies extabant, eo ipſi, à piis gratiſque animis, veneratio maior tribueretur: partim, vt ſignificaretur, in Euangelica, & vltima, quæ proximè ad cœleſtem terram fert; lege, ſacerdotalis muneris potiſſimum eſſe, ſacra tractare: diuinam Euchariſtiam, qua ſuauiſſimum plurimorum & myſteriorum & vtilitatum manna continetur, arcam attingere: ſacerdotalis ſuæ poteſtatis virgam ceu ſymbolum & characterem gerere: diuinas leges & libros ſemper euoluere, ad aliorumque animos, docendo & explanando perferre.* Huiuſmodi vero extra ordinem, per ſacerdotes, arcæ baiulationem ter contigiſſe notant in *Suta* Thalmudici. Sed eos quater dicere oportebat vti & Radak faſſus eſt. Nam primo id factum hic: deinde infrà cap. 6. in Hierichuntina circumluſtratione. Tertio cum eadem arca in Dauidis domũ è Gethæi Obededonis domo afferretur. 1. Paralipomen. 15. Demum cum è Dauidis Abſaloni cedentis fuga Hieroſolymam referretur 2. Reg. 15.

Alterum. *An ſoli tunc arcam tulerint ſacerdotes?* Videntur negare Septuaginta, & Chaldæus Paraphraſtes, quia in citatis iam textus verbis con-
A iunctiuam interponunt particulam ſic. *Quando videritis Sacerdotes & Leuitas portantes eã.* idemque refert lib. 5. cap. 1. Ioſephus. Et confirmari poteſt, quia cum dicitur, *Sacerdotes, Leuiticæ ſtirpis*, ſignificari videtur eſſe alios alius ſtirpis ſacerdotes, à quibus hi eo modo diſtinguendi ſint. Dicendum tamen. 1. ſolos hoc tempore arcam tuliſſe ſacerdotes, quia coniunctionem Hebræus nullam poſuit. Sed tantum dixit, *Sacerdotes Leuitas.* & quia iis in verbis appoſitio quædam eſt, eam textus noſter expoſuit, ver-
B tendo, *Leuiticæ ſtirpis.* 2. vel vna cum ſacerdotibus ferrent Leuitæ, vel iis ſuccederent. Non prius, quia paucis admodum, vt infrà dicetur, ad arcam illam ferendam hominibus erat opus; & hominum ordine ac dignitate imparium, minus apta fuiſſet coniugatio. Neque enim ineptè veterum quidam.

Non bene inæquales veniunt ad aratra iuuenci.

Poſterius vero etiam, non. quia textus dixiſſet, vel vt arcæ portationem inchoarent Sacerdotes, & feſſis ſuccederent Leuitæ, vel con-
C trà, inchoarent Leuitæ, feſſos alleuarent ipſi Sacerdotes: vel certè generatim, vt arca ferrent vtrique alternis. Deinde non erant tam longa tunc facienda itinera, neque molis ac ponderis tanti arca erat, vt ſuos multum baiulos fatigaret. Atque vt fatigaret, nonne in DEI honorem, ferendum laboris aliquid? Et alibi etiam, cum de ſolis agitur ſacerdotibus, iis *Leuitarum* adhuc nomen adiungi ſolet, ita vt in ſcripturis id quinquies & quadragies notarint in *Bereſ. hith Rabba*, Rabbini. Adiungitur autem,
D neque vt à ſacerdotibus aliis hi diſtinguantur, neque vt Hebræum *ſacerdotum* nomen hic *pro Principibus* non accipi monſtretur, vt 2. Reg. 8. quemadmodum hic Abulenſi viſum; ſed vt Dei erga Leuiticam familiam ſingulare beneficium identidem memoraretur, ipſiſque ſacerdotibus inculcaretur, & eorum cum Leuitis aliis neceſſitudo, eademque origo, ne ſe his nimium anteferrent, hos deſpicerent, ſed eos magis & magis, veluti cognatos, amarent. Quod ſi diſtin-
E ctionis causâ id factum omnino velit quiſpiam, ſit ita ſane. ſed vt diſtinguerentur à ſacerdotibus aliis, non qui tum in Hebræorum populo erant, ſed qui olim fuerant, & apud alios adhuc populos, ſi qui DEVM verum colerent, adhuc erant, primogeniti ſcilicet.

Tertium. *Cur profectionis iam ſignum eſſe voluit Dominus, ſacerdotalem hãc arcæ lationẽ?* Quia, quæ itinerũ monitrix & Dux antea eſſe ſolebat, nubem nunc ademptã voluit. & voluit. quia illa in habitatis cultiſque terris, in quibus non tam
F deinceps peregrinandum, quam habitandum, neque neceſſaria, neque, vt in ſolitudine, admodum erat idonea: cum viæ hic eſſent tritæ, modicâque curâ cuilibet notæ faciliter: & profectionis tempus ex rerum occaſionibus, hoſtiliumque conſiliorum articulis à Ioſue ipſo prudenter obſeruandum, ſacerdotibus deinde vt arcam tollere poſſent, indicẽdum eſſet. Queat, ſi libet, videri Abulenſis quæſt. 6. & 7. & in libello *de Ioſuanis ſacerdotibus* antea citatum cap. 3. num. 38.

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO V.

De progreſſus modo ecquid iidem præcones?

DE progreſſus modo tradunt præcones *tria. Primò.* vt ferentibus arcam ſacerdotibus prægrediatur nemo, ſed prægredientes illos ſubſequatur omnis multitudo. *Sequimini*, ait textus, *præcedentes*. Scriptum fortaſſis ab Interprete noſtro fuit; *Sequimini præcedentem.* Nam in Hebræo, Chaldæo, & Græco exemplari eſt, *Ite poſt eam*: ſcilicet arcam. Nulla tamen ſententiæ variatio eſt, vtrouis modo legamus. Si enim eos, qui rem aliquam, verbi cauſa, vexillum geſtant, ſequamur, non hos modo, ſed rē etiam illam, ſequemur. *Alterum*, vt inter præeuntes illos, & ſubſequentes hos interuallum eſſet *cubitorum bis mille.* Atque hinc factum aiunt Rabbini, vt, die ſabbathi, quo alioqui opus, & iter omne prohibitum Exod. 16. conceſſa tamen ſit bis mille cubitorum ambulatio, vti docet in hunc & illum Exodi locum Raſchi, Chaldæus Paraphraſtes Ruth 1. v. 16. Elias Thisbi verbo תחום, & in Thalmud quam plurimi tractatu *heruuim* capitibus pluribus. Si enim die ſabbathi voluiſſet quis ad arcam, ſiue tabernaculum, ſacrificij cauſâ venire, non potuit accedere, niſi, minimùm duo iſta cubitorum millia, quibus ab illa diſtabat, conficeret. licet ſi in poſteriore caſtrorum parte, vel alibi fuiſſet, plus fortaſſis aliquid ire oportuiſſet. Vt ergo certa quæpiam eſſet ſpacij, quod ſabbathis perambulare fas foret, menſura, duo hæc millia decreuerunt, veteres Iudæorum ſacerdotes, & è Sanedrim, ſapientes, prout explicat pluribus tom. 1. tract. de ſabbatho cap. 17. Rambam. Et hæc Actor. 1. vocatur *iter ſabbathi*, vt aiunt ibi Oecumenius, Theophylactus, Clem. lib. 5. Stromatum, & ex eo Suidas. hiſque clarè aſſentitur lib. 20. cap. 6. Ioſephus, dum Hieroſolymis oliueti montem deſtitiſſe ait, *ſtadia* non *ſex*, vti legit tomo 1. fol. 245. Baronius, ſed *quinque*. Nam, è communi ſententia, vni cubito tribuitur ſeſquipes Græcus, & è Plinio l. 2. cap. 23. vni ſtadio ſunt Græci pedes 600. ideoque cubita 400. Vnde fit vt quinque ſtadia habeant, cubitos 2000. Græcos verò pedes 3000. De cubitorū tamen magnitudine dixi amplius Geneſ. 6. & de ſabbathi itinere Actor. 1. vbi octo, vel 9. ſententias attuli, aut quid conſentirent, aut diſcentirent expoſui. poteſtque videri in 1. ſphæræ caput de hiſce menſuris Clauius, lib. de ponderibus & menſuris c. 18. & ſequentibus Io. Marianæ. centuria 3. epiſt. 59. Lipſius. Huius vero ſecundi ſui præconij addunt ipſi præcones cauſam, *vt procul videre poſſitis, & noſſe per quam viam ingrediamini, quia prius non ambulaſtis per eam.* pro illo *prius* Hebraicè & Græcè eſt *heri & nudiuſtertius*, vt infrà c. 4. v. 18. ſed iſtorū vim expreſſit noſter, quemadmodum Ioſephus l. 2 antiq. in fine. & Iliad. 2. in illis χθιζά τε καὶ πρωΐζα. Raſchi autem, eumque ſequutus Vatablus ita cauſam iſtam explicant, vt eſſet Iſraelitis in ſabbatho ad arcam, orationis cauſâ, iter apertum, nulliſque tentoriis impeditum. ſed refellit q. 21. Abulenſis. *Tertium. Cauete ne appropinquetis ad arcam.* Quemadmodū

A enim cum certos populo legem accepturo limites fixerat Dominus, & dixerat Exod. 19. v. 12. *Cauete ne aſcendatis in montem, nec tangatis fines illius. Omnis qui tetigerit montem, morte morietur.* Ita hic poſteaquam inter arcam & populum iuſſerat eſſe bis mille cubitorum intercapedinem, grauiter nunc ſancit, ne audeat accedere quiſquam propius: ne ſatis eſſe putet ſi mille ab arca diſtet cubitis, ſi mille & quingentis, aut ſimili alio ſpacio, ſed quæ præſtituta diſtantia, ea omnino tenenda.

B
QVÆSTIO VI.

An præfinita inter populum & arcam diſtantia Geometricè, an Ethicè accipienda ſit?

GEometricè accipi cenſebitur, ſiue cubitus quidem vnus, vel pes, vel granum, aut omnino quidquam præfinito duorum millium numero deſit, aut ſuperſit. *Ethicè* verò, ſi exiguum quid abſit, aut redundet, modo ad oculum, &, cum bona quadam ratione, duo millia videantur.
C *Poſteriorem* iſtum modum ſuadet *Primo* difficultas accuratè illius geometricæ dimenſionis obſeruandæ. Nam vel accuratiſſimè omnia viarum interſtitia, dimenſa & notata eſſe deberent, ſemperque vnus & idem tam præeuntiū quam ſequentium paſſus eſſe deberet, vel ab arca certi ad conſequentem multitudinem extenti funes, & pœnè ante omniū pedes linea quædam, aut pertica, quæ ab arcā geſtantibus tracta, gradus promouēdi eſſet index, & nimium fortè feſtinantibus, æquoque propius pedem proferentibus remora & ſeptum eos coercens.
D At quis tam operoſum progreſſum, tam putidam in pedum omnium promotu diligentiam, à DEO exactam credat? *Secundo.* In actionibus humanis ſolent temporum, itinerum, & ſimilium rerum numeri non accurata Mathematicorum ratione, ſed morali quadam prudentia & more ſumi. verſ. c. cum dicitur *Octauo die puer circumcidendus*, neceſſe non eſt, vt ab hora, qua naſcitur incipiant horæ numerari 24. quibus dies vnus expleatur, & ſic aliæ 24. ſepties, donec ad-
E nimirū hora 200. à qua clauditur dies octauus, vel 177. à qua incipit. cum dicitur *die* 10. *menſis primi, tollendus agnus*, & *die* 14. *paſcha celebrandum*: non eſt neceſſarium vt Mathematico planè calculo iſta expediantur, ſed moraliter, prout adhuc hodie in paſchate noſtro fit, & fieri oportere probat contra Lutheranum Mœſtlinū noſter Clauius. *Tertio.* In Hebræo & Chaldæo iubet Dominus, non præcisè numerari bis mille cubitos, ſed voculam præponit, qua ſignificatur *circiter*, aut, *veluti duo millia cubitorum.* Ideoque
F Maſius, *Probabile*, inquit, *eſt, non tam definitè ſpacium illud præſcribi potuiſſe: quod oculorum modo coniectura, non cubitis erat metiendum. Quarto.* Anxij nimiū fuiſſent in via Iſraelitæ, nimiūque occupati in tam accurata cubitorū, pedum, ac digitorum omnium obſeruatione. Ad *priorem* verò impellere videtur. 1. Textus Latinus, qui ſimpliciter abſque particula vlla imminuente ait, *ſit inter vos & arcam ſpacium cubitorum duorum millium.* 2. Eſto appoſita ſit particula illa, quæ in Hebræo eſt, *circiter*, aut *quaſi*, conſtat eam tamen non ſemper rem aut numerū, cui apponitur, im-

Digitized by Google

minuere aut debilitare, ſed ipſam potius accuratam veritatem interdū ſignificare. ideoque & eam Hebræi vocant, *Caph amithuth*, id eſt, *Caph veritatem ſignificans*. 3. in Hebræo additur, *in menſura*. quod interpretantur Iunius & Tremellius, *debuiſſe cubitos iſtos eſſe menſuræ communis, & apud omnes receptæ*. Vatablus verò *cubitos regios* & *ſacros* exponit. Sed vbi, & quomodo id verba iſta ſignificant? Eſto. ſint cubiti aliqui communes alij ſacri, aut regij. Cur cum *in menſura* dicitur, illos potius quam iſtos accipiam? Nonne omnibus menſuræ ratio conuenit? Et nonne conſtat, cum de communium arcarum, vel terrarum dimenſionibus, non autem de ſacris ædificiis agitur, communes ſemper adhiberi cubitos, prout iidem fatentur ad Num. cap. 35. *In menſura* igitur hic valet, menſuratè, ad menſuram, ſiue adhibendo menſuram, quemadmodū ſi Hebraicè dicam, *faciendum aliquid in ſapientia*, valebit, *ſapienter*, ſiue *adhibitâ ſapientiâ*. Et confirmatur. quia idcirco verba hæc, in menſura, omiſerunt noſter & Græcus textus, quia ſimpliciter iam remotâ illa particulâ, *quaſi* aut *veluti*, quæ ambigua videri poterat; dixerūt duo cubitorum millia hic numeranda. Parum alioqui rectè ab iis præterita hæc verba fuiſſent. Nunc verò in iis eadem, quæ in Hebræo, ſententia eſt. *Quartò*, ſi moralis tantum diſtantia hæc eſſet, opus nihil fuiſſet, cubitorum exprimere numerum, ſed tantummodo, inter vos & arcā interuallum longum ſit. Hæc igitur animo dum expendo, reor equidē, vtramq; hic dimenſionem accipiendam, vt nimirum ſit *Geometrica moralis*, id eſt, moralis quidem ſit, ſed tanta dimetiendi cura & ſtudio adhibito, quantum illo tempore ac loco, ab illis fieri potuit, vt vel omnino Geometrica eſſet, vel quam proximè accederet. Siue Geometrica quidem ſit, ſed ita, vt ſi paulum quid aut deſit, aut redundet, id pro nihilo ducatur. Vt ſi, verbi cauſa, inſiſterent aliquantulum ſacerdotes, aut paulo pergerēt tardiùs, poſteriores interim, tres quatuorue gradus inſcienter grādirent. Et ſic etiam circumciſio, Paſcha, & ſimilia certo *numero* effici debebāt, *Mathematico morali*. Placet Deo ſumma hominum in ſacris diligentia. ideoque & *ſcrupuloſâ curâ, paruula quoque momēta religionis examinabat* olim *Vrbs* Valerio teſte Maximo cap. 1. num. 8. Funes autem in longioribus ſpaciis menſorij peruſitati fuerunt Ezech. 40. & in Pſalm. 77. & 104. vt in terræ diſtributione dicetur infrà q. 12. ad cap. 14.

QVÆSTIO VII.

An in Hebræo ſit, interuallum eſſe debere inter populum & arcas plures?

SI hodiernam punctorum rationē ſpectemus, videtur legendum verſ. 4. *benau* hoc ſenſu, *ſit inter vos & illas* (ſcilicet arcas) ſpacium cubitorum 2000. & ita legit & explicat Raſchi. dicens, reuera *plures tunc arcas fuiſſe; vnam* quidem *fœderis* Domini: alteram in qua *Ioſephi* oſſa deportarentur, vt infrà cap. 24. v. 32. dicitur. Sed 1. dicendum litteras Hebraicas poſſe ita legi, vt ſi non *benau*; ſed *beno*, id eſt, *inter vos & illam*. Et ſic legit noſter & 70. Puncta verò quibus hodie compuncta Biblia ſunt, Rabbinorum ſunt, prout in Bibliacis prolegomenis, & in *Rabbino priori* c. 12. oſtendi. 2. legamus *benau*, adhuc inſtitutū ſuum non conficiet ille Rabbinus. 1. quia in quibuſdam Bibliis, vt apud Pagninum, huic voci ſuperponitur circulus, qui ſignificare ſolet in Hebræis aliter aliquid legendum, vel corrigendum. 2. quia vertere liceret, *inter vos & illos*, ſcilicet ſacerdotes, qui arcā ferrent, vt *benau*, ſit pro *benehem*, vel *benā* vel *inter vos & illorū*, ſcilicet *arcā*. Etſi enim in iſtis deſit aliquid è communibus Hebræorum regulis, non plus tamen quam in illo Solomonico *benau* interpretamento. 3. poſſumus referre iſtud *benau*, ad arcam illorum, non ſacerdotum tantummodo ferentium, ſed ipſius etiam Dei. Nam vbi verſ. 3. habemus *arcam Domini Dei veſtri*, legitur Hebraicè in plurali, *elohecem*. ideoq; rectè iam plurale relatiuū illuc referri poſſet. cum & Iſa. 44. verſ. 2. cap. 54. verſ. 5. Oſeæ 12. v. vltimo. *rector Dominuſque noſter* plurali numero nominetur. 3. dicunt alij Rabbini *benau* hic pro *beno* ſcriptum & accipiendum eſſe, vt Radak & Maſoretæ, qui ſemel in eadem voce id adhuc alibi factum notant. 4. Ridiculum foret dicere, *inter vos & illas*, cum neque antea, neque poſtea fiat plurium arcarum vlla mentio. 5. Cur duæ tātum & non plures arcæ ſtatuantur? Nam non ſolum Ioſephi, ſed aliorum etiam Patriarcharum oſſa ex Ægypto reportata oſtendit. S. Stephanus Act. 7. verſ. 16. & D. Hieronymus in Epitaphio Paulæ. ſed de hoc infrà c. vltimo. 6. Alias affert contra Salomonem iſtum rationes Abulenſis. Sed tam de iis, quam de pluribus aliis rebus, ad oſſa iſta ſpectantibus *dicetur* eodem capite vltimo. Sufficit has, quas attuli, ex hoc ipſo textu prōptas eſſe rationes. Adiungā tamen de Maſio admonitiunculam. Exiſtimatis, duabus iſtis arcis *duos* quos in tractatu *Sucah* c. 5. tradunt Thalmudici, & ex iis refert Galatinus lib. 4. cap. 2. *Meſſias* ſiue *Chriſtos* ſignificatos. Nam vnū Dauidis filium aiunt, eumque victorioſiſſimum & potentiſſimum, alterum Ioſephi filium humilem & infirmum, qui ab hoſtibus occidendus ſit. At in Chriſti D. noſtri, qui Ioſephi fuit filius, contumeliam; hoc iſtos commentos arbitror. Ideoque illud potius noto, è Salomonis illius & Rabbinorum eius opinioni aſſentientiū ſententiâ, poſſe ſanctorum reliquias, & cineres in honore aliquō haberi. Si enim arida Ioſephi oſſa in arca, ſolenni quodā modo, deferri, & quidem à ſacerdotibus, & tanto à populi turba interuallo, & pari cum Domini arca loco, cur Chriſtianis vertant vitio, cœlitum ab iis reliquias tanti fieri?

QVÆSTIO VIII.

Quænam, vt expoſitus in progrediendo modus præfiniretur, cauſæ?

AVDIVI, cùm diceret quiſpiam. ideo interuallum inter arcam, & multitudinem, tantum præfiniri, quia id ſpaciū ſit, quod cōmodè Pater aliquis familias, etiā ſenior poſſit vna cum vxore ac liberis conficere, eundo die ſabbathi ad Domini tabernaculum, & in ſuum

Digitized by Google

ſuum ipſius vel tabernaculum, vel domum re- A
deundo. Accipiebat enim hic, id quod ſuprà,
quæſt. 5. dictum eſt, aliquam in præcepto iſto
habitam itineris, quod ſabbatho facere fas eſſet
rationem. Sed aliæ plures cauſæ ſunt, quas quia
in citatum antea de Ioſuanis ſacerdotibus libel-
lum conieci olim, neque iis comminiſci melio-
res queo, non importunum iam fuerit, totidem
pœnè verbis illinc accipere. Ita enim ſcribe-
bam cap. 1. Num. 39. *Sed bis mille cubita inter*
præcedentes illos, & ſubſequentes laicos interiici cur
iuſsit Dominus? vt procul videre, aiunt, poſsitis, & B
noſſe per quam viam ingrediamini. At in quantum-
uis numeroſo exercitu, ſi omnium primos, alij & alij
proximè, paſſuque vti dicitur pari, conſequuntur, eo-
dem perueniant omnes neceſſum eſt. Quid poſt ſacer-
dotes ergo gradi primè vetabat? cur à prægredientibus
interuallo tanto, abſtandum? Cauſa profectò neque
nulla, neque vna. Prima. *Quantum à Chriſti Do-*
mini perfectione atque præſtantia nos homuli & pec-
catores abſimus, ſignificare voluit ipſe Dominus. Al-
tera, *quantæ dignitatis officium ſit ſacerdotale. Cum*
ea ſacerdotes ipſi ferant, & tractent, à quibus tàm lõ- C
gè cæteros omnes, quantumuis luſtratos iam & ſancti-
ficatos, diſcludi oportet, meritò vt dicant. Quid opor-
tet nos facere à vulgo longè lateque remotos? Tertia,
ne ſe ſacerdotalibus functionibus vllo modo Laici vn-
quam ingerant, ſed in qua quiſque vocatus eſt, voca-
tione perſiſtat. Cauete ô principes, & populi quilibet
ne appropinquatis ad arcam. Qvarta, *vt honos ipſi*
arcæ, ſacerdotibuſque ipſius baiulis à populo vniuerſo
maior eſſet: hac enim de cauſa pœne à Sinæo monte om-
nes olim ſemouebantur. vti à Vatablo hic monitum
non paulo verius, quam quod addit, diſtantiam hanc D
fuiſſe, vt in ſabbatho, ante arcam, ad rationem eſſet
iter apertum, tentoriiſque minime impeditum.
Qvinta & vltima, *vt procul viam, qua ingredien-*
dũ eſſet, nõ ſimpliciter viderent, ſed viderẽt cũ admira-
tione, animorũ exultatione, diuinæ maieſtatis deprædi-
catione. Cum enim ad Iordanẽ eſſẽt, arca bis mille cubi-
torum ſpatio, per illum ita progreſſa eſt, vt ingenti mi-
raculo, viderent omnes, quemadmodum à ſacerdotali-
bus pedibus aquæ diffugerent, exareſceret alueus, me-
dias per vndas via ſterneretur. Et Num. 41. *Atque*
hæ cauſæ, cur cubitis adeo multis, præcurrerint multi- E
tudini ſacerdotes. At cur definito iſto duum millium
cubitorum numero, aut ferè, id fieri Dominus voluerit,
duas in cauſas confert vetuſtus Gazæorum ſcriptor
Procopius. Vna *eſt, vt earum duarum, quæ in iis, qui*
baptiſmo tinguntur, fiunt periodorum ſignificatio eſſet
præeuntis videlicet catecheſeos, & conſequentis chri-
ſeos ceu vnctionis, qua inquit (& contra Nouatores
notandum) contra omnem vim aduerſam vnguntur,
vadoſaque illis aqua efficitur. Altera, *vt bis mille*
annorum qui à typico ad verum Ioſuam erant, ſignifi-
catio item foret. hic enim veri Iordanis baptiſmo popu- F
lum ſaluaturus, & in promiſſas cælorum ſedes, vbi
ſempiterna quies & hæreditas, deducturus erat. Ad-
ijci etiam queat alia: duobus annorum millibus tempus
illud circumſcribendum, quo ſacer Iordanis huius bap-
tiſmus cæteraque ſacramenta vigeant, quo non niſi de-
procul arcam, & quæ in ea cõduntur myſteria, in ænig-
mate inquam, & quaſi per ſpeculum, ſacroſanctam
Christi *Domini humanitatem, quæ mille ad-*
hinc quingentis & nonaginta quinque annis iam præ-
ceſsit, latentemque in ipſa diuinitatem videamus: non
quod Thalmudici Eliæ de Hexachiliaſtica mundi hu-
ius duratione commento, quod à ſectariis noſtris tan-
ti fit, mouear, ſed quòd magnos ſententiæ huius aucto-
res laudare liceat, ſi ea tamen non definitiſsimo, minu-
tiſsimoque annorum calculo accipiatur. De ſummo e-
nim futuri iudicij die, vel hora, nemo ſcit, neque An-
geli in cælo, neque Filius, (naturali ſcientia ſcilicet)
niſi Pater. Poſſetque huc inferri quod de parti-
cula, *circiter* aut *quaſi* dictum q. 6. præſertim, ſi
per ambigendi modum appoſita cenſeretur.

QVÆSTIO IX.

Quid ad populum Dux Ioſue?

Sanctificationem indicit verſ. 5. *Sanctifica-*
mini. Cras enim faciet Domin⁹ inter vos mirabilia.
Chaldæus Paraphraſtes, & ex eo Rabbini, eoſ-
que ſecuti e noſtris aliqui, Lyranus, Abulenſis,
Hebræum *ſanctificandi* verbum interpretantur,
præparamini. Sed quia varia præparationum ge-
nera ſunt, rurſum quæritur, quanam præpara-
tione præparari nunc deberent Iſraelitæ? Di-
cunt hanc aliqui, vt ſua conuaſerant omnia,
colligerent ſarcinas: ad tranſeundum Iordanem
ſuccincti & expediti omnino eſſent. Sed quo-
tidiana hæc in deſerto erit præparatio, quando-
cũque ſeſe viarũ index mouebat nubes. Deinde
iſta iam monitione opus quid fuiſſet? Ante tri-
duum publica præconum voce moniti erant,
fore, vt craſtino iſto die tranſirent, cibariaque
præpararent. An viatoribus id, vt collectas ha-
beant ſarcinas; non ſatis? Tertio denique huc
ad Iordanis ripam è *Setim* iamiam venerant. Sua
ergo iam vaſa collegerant: Neque in procinctu
cum eſſent, craſtinumque tranſitum exſpecta-
rent, ea valdè aut diſſoluerunt, aut diſsiparunt.
Auſim dicere, in ſcripturæ locis omnibus, quæ,
vt Hebræo verbo *præparationis* ſignificationem
tribuãt, Rabbini colligunt, ſemper ineſſe, prout
verſum ipſum propriè ſignificat, quandam *ſan-*
ctitatis rationem. Verbi cauſa. Numer. 11. ver.
18. *Sanctificamini cras*, ſiue vt Hebraicè & Græ-
cè apertius eſt, *in craſtinum*. Voluit enim Domi-
nus murmurantem populum reſipiſcere, ſeque
ipſum expiare. Futurum enim, vt eorum obſe-
queretur cupiditati, carneſque iis daret. Iſaiæ 13.
verſu 3. de Medis & Perſis ait Dominus. *Ego*
mandaui ſanctificatis meis, & vocaui fõtes in ira mea.
id eſt, mandaui iis, quos mihi ita præparaui, vt
quaſi mihi eſſent ſanctificati, meoque penitus
obſequio deuoti & conſecrati, ſic iræ meæ con-
tra Babylonem ſeruient, eam punient, & perua-
ſtabunt. Hieremi. 6. verſ. 4. *Sanctificate ſuper eam*
bellum, id eſt, contra Hieruſalem bellum, quod
planè iuſtum, & ſanctum erit, gerite, ſiue præpa-
rate ita contra eam bellum, vt iuſtitia in eo mea,
& ſanctitas appareat, vlciſcens impietatem &
ſcelera populi mei. Ioëlis 1. *Sanctificate ieiunium*,
id eſt, ieiunium agite, quod ſanctum ſit, quo sã-
cti efficiamini, ſanctitatem recuperetis, Deum
ipſum ſanctificetis, & ita in aliis. Certè hoc lo-
co non præparatio tantùm indicitur, ſed eius e-
tiam ſpecies indicatur, vt nimirum religioſa ſit
& ſancta. Primò enim, ſi vaſa tantùm colligen-
da eſſent, dixiſſe ſatis fuiſſet: *Cras enim pergetis.*
cras vobis iter faciendum. Nunc verò, nullâ
itineris, vel minima mentione facta, ſanctifica-

Digitized by Google

tionis alia cauſa ſubditur, ipſa ſcilicet rerum diuinitus gerendarum magnitudo & admirabilitas, prout acutè perſpexit Maſius. A Deinde verterunt ſeptuaginta *ἁγνίσθητε*, id eſt, *puri & caſti efficiamini*, aut *expiamini*. Et ſi Hebrææ coniugationis, quæ *hithpael* dicitur, vim ſpectemus, vertere licebit. *Sanctificate vos*: ipſi ſanctos & mundos vos efficite. Verum qua id ratione? Dubiũ non eſt, quin fide idipſum fieret ac ſpe rerum, quas à Domino promittebat Ioſue, admirabiliũ, quæcun que tandem illæ futuræ eſſent, ſimulque interueniebat ſancta quædam diuinæ potentiæ, & B erga populum ſuum beneuolentiæ cogitatio: prçteritorum etiam beneficiorum, & miraculorum memoria, præſertim, quomodo ex hoſtium manibus & terris per mare rubrum mirabiliter euaſerint, ideoque ſine dubio futurum iam, vt in hoſtium terras & poſſeſſiones per Iordanem mirabiliter item veniant. His enim aliisque ſimilibus eorum erecta mens in Deum ferebatur, vt ſancto eius amore incenderentur, ab eo peccatorum omnium veniam precarentur, ipſum laudarent, omnique ſacro cultu proſequerentur. C Adiuuabat hæc eorum religionis ſtudia ipſa temporis ratio. Craſtinus enim de quo hic agitur, dies erat ille, quo paſchalis agnus familiatim tollendus erat, dicente Domino Exod.12.ver.3. *Decimo die menſis huius* (primi) *tollat vnuſquiſque agnum per familias & domus ſuas*. Placet verò illa etiam *ſanctificatio*, quam apud Lyranum & Abulenſem tradunt vetuſtiores & ex iis Maſius, vt *veſtes* ab omnibus *lauandæ* fuerint, & ab iis, qui coniuges erant, *ſecubitus tenendus*. D Hunc enim ſanctificationis modum videmus, cum in Sinæo monte promulgata lex fuit, à Domino præſcriptum Exod.19. verſu.10. & 15. & cum ad res quaſpiam magnas, & inuſitatas ſanctificatio indiceretur, quem alium potius exteriorem modum, quam, quem ſibi gratum eſſe, ſignificarat illis Deus, adhiberent Iſraelitæ? Nam aliæ, per expiationis aquas, in certis tantummodo inquinationibus adhibebãtur: certũque dierum pluriũ ſæpènumerũ requirebãt. Nunc autẽ neque inquinamenta illa erant, E neque inſtans tranſitionis dies, longioris temporis luſtrationes ferebat. Et verò etiam ante latam legem huius etiam modi viſitatio apud priſcos patres fuit commendata Geneſ.35. verſ. 2. Sed S. Bernardi verbis hanc diſputationem claudamus. *Viſitatum in ſcripturis*, ait ſermone 22. in Cantic. *ſanctificationem pro continentia ſeu munditia poni. Denique quid illæ apud Moyſen tam crebræ ſanctificationes aliud erant, quam quædam purificationes hominum temperantium ſe cibo, à potu, à concubitu, hiſque ſimilibus? Sed audi ipſum præcipuè Apoſtolum, quam familiare habeat vel vti, vel vſur-* F *pari ſanctificationem in hoc ſenſu: Hæc eſt*, inquit 1. Theſ. 4. *voluntas Dei, ſanctificatio veſtra, vt ſciat vnuſquiſque veſtrum ſuum vas poſſidere in ſanctificatione, & non in paſsione deſiderij*. Item. *Non enim vocauit nos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem. Liquet, quod ſanctificationem pro temperantia ponit.*

QVÆSTIO X.

Quæ ſanctificationis à Ioſue indictę cauſa?

EAM ipſemet adiunxit. *Cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia.* Sunt autem mirabilium duo genera. Quædam enim verè mirabilia ſunt, quædam falsô. Illa ſunt, quæ reuera in ſeipſis magna ſunt & excellentia, vt Deus ipſe, & quæ ab eo præter, & ſupra communem rerum ordinem fiunt. Falsò mirabilia ſunt, quæ in ſeipſis parua & viliora ſunt, ſed vel ob hominum imperitiam & ſtultitiam, vel ob illorum raritatem & nouitatem admiratione digna exiſtimantur. Cuiuſmodi ſunt quædam dæmonum præſtigia, de quibus 2. Theſſ.2.v.9. S. Paulus: & lib.4. de Eccleſia cap.14. ad 1. Bellarminus & fluxæ caducæque huius mundi opes, dignitates, pompæ, ludi, & ſimilia. de quibus li. 1. Epiſt. 6. Horatius.

Nil admirari prope res eſt vna Numici
Solaque quæ poſſit facere & ſeruare beatum.
——quid cenſes munera terræ?
Quid maris extremos Arabas ditantis & Indos
Ludicra quid? plauſus, & amici dona Quiritis?
Quo ſpectanda modo, quo ſenſu credis & ore?
Iunne, argentum & marmor vetus, æraque & artes
Suſpice cum gemmis, Tyrios mirare colores.

Vnde & libro de audiendis Poëtis dicebat Plutarchus, è Philoſophiæ ſtudiis hoc imprimis præclarum & vtile comparari, *μηδὲν θαυμάζειν*, & S. Auguſtinus lib.13. ciuit. cap.21. *Ignorantia mater admirationis.* At prioris generis res, quo magis cognoſcuntur, mente agitantur, penituſque pentrantur, hoc ſemper mirabiliores, & huiuſmodi poſtero die pollicebatut Ioſue. Nam enim ait. *Cras mirabilia videbitis*, aut, *cras erunt mirabilia*, vt eorum genus, magnitudinem & præſtãtiam indicet, eorum patefacit auctorem. *Faciet Dominus mirabilia*, & quidem non à vobis procul in cœlo vel terra: ſed *inter vos*; ideoque & propter vos. Cur enim hoc additum eſſet, niſi vt quodammodo mirabilium iſtorũ finis aduerteretur, populi ſcilicet huius ſalus, in fide cõfirmatio, ad Dei cultum & amorem excitatio? Voluit verò Deus mirabilia hæc & dicere & facere, quia talium, ſiue futurorum exſpectatio, ſiue præteritorum recordatio permouet vehementiùs, hæretque in hominum animis & ſermonibus diutius, apud ſeros etiãnum nepotes. Varium verò eadem verba vſum habere poſſũt. Nam primò, ſi profeſtus dies, ſit, verbi cauſa, Natiuitatis Dominicæ vigilia, quàm apte vel nos ipſos, vel alios iiſdem verbis excitemus? *Sãctificamini* per veram peccatorum exomologeſin & deteſtationem, per firmum peccata illa, eorumque occaſiones omnes defugiendi propoſitum, per piam diuinarum rerum, & præſertim illius, quod in Eccleſia recolitur, myſterij meditationem, per calidas denique preces, eleemoſynas, aliaſque ſanctas id genus exercitationes. *Cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia.* verbi cauſa, naſcendo, circumciſionem accipiendo, acerbiſſimam mortem ferendo, reuiuiſcendo, in cœlos aſcendendo, Spiritum ſanctum dimittendo. Deinde ſi ſupremus vitæ dies

dies aduenerit,cumque vel ex virium ipſarum imbecillitate, vel medicorũ indicio, vel aliunde præſentiſcas,an non eadem exhortatio peroportuna? Nam verè,quæ non ita multo poſt,in altero ſæculo faciet Dominus, admirabilia sũt. Iudicabit omnes iuſtiſſimè,ſontes puniet ſeueriſſimè,inſontes & ſanctos beabit prolixiſſimè. O quam mirabilia tum vel ſupplicia, vel præmia? inferorum ignes & luctus, cœlorum voluptates & gaudia? teterrimorum dęmonum horror?beatiſſimorum Angelorũ conſorcium! Sed tertio,cum vita hæc noſtra, totumque hoc ſæculum ab Apoſtolo Heb.3.verſ.13. & c. 4. v. 7. *Hodie* vocetur, quid nobis iam ſemper faciẽdum,quam vt veri noſtri Ioſuæ vocem hanc audiamus,*Sanctificamini. Cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia.* Quid enim aliud iſta? Lucæ 21.verſ.34. *Attendite vobis,ne forte grauentur corda veſtra in crapula,& ebrietate,& curis huius vitæ: & superueniat in vos repentina dies illa. Tanquam laqueus enim ſuperueniet in omnes, qui ſedent ſuper faciem omnis terræ. Vigilate itaque, omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere iſta omnia, quæ futura ſunt,& ſtare ante Filium hominis.* Æquum ſanè, omninoque neceſſarium,vt veſtes noſtras lauemus,& à voluptatum illecebris omnibus ſecubemus. Significat veſtium lotio,eorum, quæ circa nos ſunt.omnium correctionem, vt ſi adſit quod ab Apoſtolo vocatur Heb. 12. verſu.1. *Circumſtans nos peccatum,* ſi conſuetudines prauæ ſint, ſi peccandi occaſiones domeſticæ, ſi ſodales mali.Clamabat olim vatum quiſpiam:

Caſta placent ſuperis:pura cum veſte venite.

& ex iiſdem gentilibus clamat lib.1. epiſt. 1. Tibullus.

Vos quoque abeſſe procul iubeo, diſcedat ab aris.
Cui tulit heſterna gaudia nocte Venus.

Apud Liuium decad.4. lib.9.vt initietur Bacchicis quiſpiam, re quirebatur *dierum* 10. *caſtimonia.*

Et dicit alius.

Ah nimirum faciles,ſi triſtia crimina cadis.
Fluminea tolli poſſe putatis aqua.

Non ſanè manibus,vt ait de legibus Cicero, nõ vel Oceano toto animi ſordes poſſunt elui:ſed ſolo illo precioſiſſimo latice, quem indicauit Angelus,cum candidatam piorum gentem laudans,diceret Apoc.7. v.14. *Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna,& lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine agni.* Alludit enim adveteres iſtas Hebræorum, & Gentilium lotiones, & has per verum CHRISTI ſanguinem, à quo & pœnitentia & lacrymæ,& preces, & quæ facimus omnia,vim habent,fieri admonet oportere.Secubitum verò conſuadet 1. Cor. 7. verſ. 29. Apoſtolus.*Hoc* itaque *dico,fratres:Tempus breue eſt:reliquum eſt,vt & qui habent vxores: tanquam non habentes ſint:& qui flent,tanquam non flentes: & qui gaudent,tanquam non gaudentes: & qui emunt, tanquam non poſſidentes: & qui vtuntur hoc mundo, tanquã non vtantur:Præterit enim figura huius mũdi.* Et agnoſcit ibi Beza vtilem & ad preces, & ab Apoſtolo laudatum ſecubitum. Pulchra verò lib.de virginit.S.Chryſoſtomus cap.30. quod pœnè totum hunc transferendum,& 31.D.Hieronymus in Ezechielem 46. *Moſes tribus diebus ab omni immunditia,& ab vxorum complexu vult po-*

A *pulum ſanctificari, vt accedat ad montem Sina,& ſãctificatus ſancta ſuſcipiat. Si autem acceſſuri ad audiẽda & ſuſcipienda verba Dei,ſanctificari iubentur ab vxoribus, manifeſtum eſt in lege illud Apoſtolicum contineri: Nolite fraudare inuicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, vt vacetis orationi, & ex conſenſu abſtinendum ab vxoribus, vt vacemus orationi.*

QVÆSTIO XI.

Quid ad ſacerdotes Ioſue? & an ipſis imperare potuerit?

B PRIVS in textu ipſo proponitur verſ. 6. *Tollite arcam fœderis,& præcedite populum:* eſtque ſatis expoſitum hactenus quæſt. 4. & ſecutis, poſterius verò propter ea,quæ contra Abulenſis quæſtionem hoc loco duodecimã & 16.diſputata ſunt lib.1.cap.9. quæ.32. & 33. videatur expeditius. Nam ipſius erat, ſacerdotibus, & præſertim maximo parere, non imperare. Rectè,inquies,in ſacris, non in politicis negotiis.
C Quod verò nunc imperatur, nonne politicum? Nõne Imperatoris eſt,cum in hoſtilem terram eundum, eundi tempus, modum, & ordinem præſcribere? Ita quidem expediretur facile tota quæſtio,niſi ſacra quædam & diuina,in quæ politico principi ius nullum; interueniſſent. Diximus enim antea, ſolorum Leuitarum partes fuiſſe,arcam ferre, non ſacerdotum: ordinem etiam iſtorum à Deo conſtitutũ fuiſſe, vt in caſtrorum vel ſtantium vel incedentium medio cum arca eſſent. Duo igitur hæc immutare, an
D politicum? an non ſacræ potius legi contrarium Reſpondi olim in Ioſuano libello cap.3. Num. 42.hiſce verbis.*Cæterum fortè miretur quiſpiam,cur iſtum incedendi longeque procedendi ordinem politicus Princeps imperet.Extra officij ſui chorũ an ſaltat? An in ſacerdotes ipſos ipſi ius & imperium? illud de modeſtiſſimo & religioſiſſimo Imperatore nullus ſenſerit: de hoc in politicis aſſentiuntur omnes.Sed aliud quiddam erat,quod & illum imperare, & imperanti hos parere faciebat,prophetiæ ſcilicet: in Ioſue ſpiritus. Et enim Deus,vt ſupra etiam tactum,non per Vrim tantum &*
E *Thummim ceu per ſacerdotes ipſos loquebatur,ſed interdum etiam* ἀμέσως *mortalium nemine internuncio. Vnde illud,Dixit Dominus ad eum,præcipe ſacerdotibus,idque ex ipſa iuſſorum natura,quæ ſupra humanæ prudentiæ modũ erant,patet.Cuius enim conſilij fuiſſet,tam longe,totius gentis ſacra, nullo militarium hominum præſidio circumſepta,in hoſtico iam, mediiſque periculis,ab exercitu reliquo diuellere? Quæ ratio ſuaſiſſet, vt longè lateque ſtagnantibus fluuijs,vbi neque pons, neque rates,aut vadum vllum occurreret, medias ſeſe in aquas ipſi ſacrorum antiſtites iniicerent.*
F *Sedè ſublimiore, vt dixi mente manabant hæc.* Nobis porrò.qui ſacerdotes ſumus, à magno noſtro propheta, veroque Ioſue & Domino, etiam hodie dicitur. *Tollite arcam fœderis, & præcedite populum*,quod licet à quæſt.8.& ex iis,quæ infrà cap.4.& 5.dicentur,facile intelligatur, breuiter tamen,& quaſi ἐν παρόδῳ notandum,nihil eſſe cur ferant ægre maiores,ſi cum Dei honos, & gloria requirit,oneris aliquid,quod alias ferre non ſolebant.imo, quod aliis & quidem inferioribus erat impoſitum? ſubeundum ſit,rurſus dãdam ſacerdotibus omnibus operam, vt populo

Digitized by Google

ſemper exemplo bono, arcæque fœderis geſtatione præeant.

QVÆSTIO XII.

Quid ad Ioſue, Dominus?

DVo ei dicit Dominus. Vnum, quod ad ipſum, alterum, quod ad ſacerdotes pertinet. Illud promiſſio quædam eſt, iſtud præceptio. Promiſſio eſt hæc. *Hodie incipiam te exaltare coram omni Iſrael, vt ſciant, quod ſicut cum Moyſe fui, ita & tecum ſim.* Exaltatio in Latino & Græco vertitur, quæ ſenſu eodem, Hebraicè dicitur *magnificatio*. At verò iam pridem ipſum Ioſue magnificarat Dominus pœne à puero, maxime tamen, cum è Moyſis famulo, populi totius principem fecit, eumque tot & tantis ſapientiæ ac prophetiæ ornamentis honeſtauit, vt priore libro vidimus. Quomodo igitur ſe illius magnificationem incepturum nunc, ait Dominus? Alia nimirum hęc, ac multo magnificẽtior ac mirabilior. Fuerat enim, quoad ſeipſum, virtute, gratia, variiſque chariſmatibus ornatus & magnificatus: fuerat etiam quoad alios, cum horum cauſâ, eum ſuſpicerent & venenarentur omnes, cum eum tam ſolenni cæremonia principem renunciauit Moyſes, ſuâque gratiâ impertiit. Sed ipſius gratiâ (quemadmodum olim Moyſis cauſâ, tam multa) nihil dum, quod ſupra naturæ ordinem admodum videretur, quod inauditum & inuſitatum prorſus eſſet, omniumque animos ingenti admiratione defixos teneret, Deus adhuc fecerat. Hoc igitur magnificationis genus erga ipſum, (quod cap. 4. verſ. 14. perfectum) auſpiciari ſe modo velle promittit Dominus, & cauſam addit; in qua, ſi bene aduertãtur, *cauſæ* continentur pluſculæ. *Vna* eſt, vt ſciãt Iſraelitæ omnes, quo apud Deum loco ſit Ioſuæ quam eum ille diligat, quo fauore, ſtudio & ope perſequatur: Hinc naſcitur *altera*, vt ſumma apud omnes Ioſuæ auctoritas & veneratio extiterit. Inde *tertia* eſt, vt ei libentes, prompti, & alacres ſubeſſent & obtemperarent omnes. Atque hinc rurſum *quarta*, vt populus Iſraelitarum totus haberet optime; hoſtes etiamſi feritate eſſent horribiles, multitudine innumerabiles, domaret, promiſſam terram feliciſſimè iniret ac poſſideret, quodque caput eſt; Deum ritè coleret, eiuſque præceptis & cæremoniis egregie morem gereret. Eſt & *quinta* cauſa, vt omnium iſtorum tot & tantorum bonorum auctor & parens haberetur Deus, vt ab omnibus laudaretur, gratiiſque aſſiduè agendis gratiſſimo animo coleretur. Cum enim ſciret populus Deũ eſſe cum Ioſue, ſicuti cum Moyſe fuerat, eius auxilio & numine tanta iſta, quæ Ioſue Duce fiebant, fieri, clariſſimè intelligebant. O felicem Ioſue, cum quo, tam excellẽti modo, eſſe dignatus eſt Dominus! O felices Iſraelitas, quibus virum talem, ſibi tam dilectum & charum dare voluit Dominus. Sed ad verum Ioſue reflectamus parumper oculos. Cum eo, multo, excellentiore modo, quam cum Moyſe, quam cum hoc myſtico noſtro Ioſue, fuit Dominus. Etenim per gratiam, chariſmata omnia, & auxiliũ infinitis quaſi partibus maius & præſtantius; &

A quod omnia iſta ſuperat, vel potius, quod iſtorum omnium fons & origo eſt: per vnionem hypoſtaticam, idque à primo ſtatim conceptionis momento. Eum tamen poſtea varie coram omni Iſrael, imo & coram mũdo toto, per prodigia magnitudine numeroque infinita illuſtrare, & magnificare cœpit; & verò etiam per cœleſtes voces, primò cum in Iordane baptiſma ſuſciperet. Quidquid enim reſiſtat Abulenſis q. 15. rectè in myſtico, de quo iam; ſenſu dixit ho. 4. Origenes. *exaltationem Chriſti D. non omnem, ſed*
B *eam, quæ in conſpectu populi vniuerſi palam fieret, ab eius baptiſmo initium cœpiſſe.* idẽque aſſerunt Procopius, & q. 2. Theod. Tunc igitur Lucæ 3. v. 21. *Ieſu baptizato & orante apertum eſt cœlum, & deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie, ſicuti columba in ipſum, & vox de cœlo facta eſt: Tu es filius meus dilectus: in te cõplacuit mihi*: deinde cum in mõte Thabor, mira metamorphoſi transfiguraretur, Mat. 17. v. 5. *Ecce nubes lucida obumbrauit eos: & ecce vox de nube, dicens, hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit, ipſum audite.* Tertio in Hiero-
C ſolymorum frequenti corona Ioan. 12. verſ. 29. *venit vox de cœlo. Et clarificaui, & iterum clarificabo.* Clarificatio verò hæc iterata eſt illa, quam per crucem & mortem, per reſurrectionem, & ad cœlos aſcenſionem, per ſpiritus ſancti deſcenſionem, & euangelii prædicationem incepit cœleſtis Pater. Sed, ô terque quaterque felices Chriſtianos, quorum, hæc omnia facta ſunt gratia! Iterum, iterumque felices, ſi ſuo huic Ioſuæ dicto audientes ſint, eum colãt, obſeruent, reuereantur. Ab iis profecto tartarei hoſtes ſternen-
D tur omnes: ſicco veſtigio pertranſibitur mundi huius flumen: terra cœlorum promiſſa feliciſſimè inibitur, & in omnem æternitatem ſecuriſſimè poſſidebitur. At ego, Domine, nolo in hoc ſeculo exaltari, nolo magnificari iſta, quę famã, & auctoritatem magnam colligit, magnificatione, quia neque mihi ſubdito, & in exiguis verſanti rebus neceſſaria, neque vtilis, quin pericula potius eſt, aut ſi quando me, prout quid mihi, vel aliis expediat, melius noſti, magnificare velles. Te oro & quæſo vt me ſemper intel-
E ligere facias, id aliorum, tuique cauſa fieri, vt illis ſcilicet proſim, & tu omnis boni principium, largitor & donator ab omnibus prędicere: ideoque laborem, vt mihi nihil indulgeam, ſed pro virili, ad aliorum vtilitatem laborẽ, in me non quieſcam; ſed omnem gloriam & honorem in te, in quem verè debeo, quia ideo tibi placuit, parum & vilem magnificare transferam. Omnino autem, Domine, illud deprecor, ne me alius præter te magnificet: neque niſi à te magnificatum propter te magnifaciat. Quid enim
F mihi eſt, ſi ab hominibus magnus habear & dicar, coram te interim paruus & nullus ſim? Iam mihi, Domine in hac vita gratiam tantùm da, & tum ſi voles, in hora mei ad te tranſitus, incipe exaltare me, non equidem coram omni mundi huius Iſraele, (id enim ad magnos ſanctos tuos, quorum & preces & vitæ imitatio viuis prodeſſe poteſt; ſpectat.) ſed coram ſanctis Angelis, cœlorumque ciuibus. Ego verò ex hac hora, ex hoc ipſo momento incipiam exaltare nomen tuum, & magnificare, coram omnibus populis, vt ſciant, quia *tu es Deus meus, & ego ſeruus tuus*,

Digitized by Google

tuus, filius ancillæ tuæ. Amen.

QVÆSTIO XIII.

Quid ad eundem Ioſue, de ſacerdotibus Dominus?

HOc ipſo diei decimi matutino tempore, quem hactenus generalibus tantum verbis indicauit, tranſitus Iordanis modum totum apertè ipſi Ioſuæ patefecit Dominus. Licet.n. hoc ita diſertè non referatur, ex omnibus tamē, quæ deinceps traduntur, colligere poſſumus. Nam quid ſacerdotibus agendum ſit, nunc præſcribit Domin', paulo poſt, quid populus, quid duodeni viri, & ſimilia. Sacerdotibus ergo non omnibus, ſed iis tantùm, qui arcam ferrent, hoc præcepti datur. *Cum ingreſſi fueritis partem Iordanis, ſtate in ea.* & forte fuit ab interprete ſcriptum *ſtate in eo.* quia Iordanis in hebræo reperitur hoc modo. *Cum veneritis ad partem aquarum Iordanis in Iordane ſtabitis.* Nihil tamen in ſententia varietatis eſt, ſiue ipſos ſtare in Iordanis parte, ſiue in Iordane ipſo dicamus. Sed quæſtio eſt, *quænam* illa *Iordanis pars, in qua inſiſtere ipſos oportuerit?* Tres *ſententiæ* ſunt. *Prima* ipſius Maſii, fuiſſe partem Iordanis extremam in altera Iordanis ripa verſus promiſſam terram. *Altera* eſt Lyrani, & Abulenſis quæ. 18. conſtitiſſe ſacerdotes in Iordanis medio. *Tertia*, hebræorum quorundam apud Lyranum, in ripa eoſdem citeriore, vbi caſtra iam erant; collocat. Mediam in Ioſuano libello Num. 45. ſecutus ſum, & etiamnū ſequor. Sed paulo eſt explicanda, & probanda meliùs, Duplicem enim textus indicat ſacerdotum in Iordane inſtitutionem. *Vnam* in eius extremitate: *alteram* in medio. *Prior* in hoc ipſo verſu 8. & 15. ab Hebræo nomine קצה ſignificatur. Nam in ſcriptura paſſim *extrema*, & *fines* rei alicuius vertunt illud noſter, & Grçci interpretes, hic vertunt *partem aquæ*, & intelligunt *partem extremam*. Sed quia *extrema* dici poteſt tam illa, quæ in vlteriore ripa eſt, quam quæ in citeriore iſta, illam vult Maſius, nos iſtā, & probamus è textu non obſcurè, quia verſu 15. dicitur, Iordanem diuiſum, cum in eius extremitate tincti aquis fuerant ſacerdotum pedes. At priuſquam ipſi ripam tangerent, alteram, diuiſus fuit Iordanis. Alioqui per medias vndas eos progredi, vel alio quodam miraculo eas tranſuolare oportuiſſet. Deinde ſuæ huius opinationis rationem hic affert nullam, ſed ex iis, quæ antea folio 57. docuerat, hanc tantummodo poſſe videor colligere. Debebat arca duorum millium cubitorum ſpacio præcedere populum: & tanta eſſe ſolet redundātis Iordanis latitudo. Ideoque niſi in aduerſa huius ripa gradum fixiſſent, præſcriptum illud interuallum ſeruatum non fuiſſet, quinverò hāc poſtea f. 64. clare rationem ponit. Verum etſi generatim hoc ita præſcriptum erat, iam tamen modificatur, vt in Iordane non ita fiat, ſed poſt huius tranſitum. Et hoc fateri etiam habet Maſius. Nam in aduerſa ripa tandiu inſtitiſſe arcam ait, quoad vniuerſus tranſiſſet populus. ideoque tum non præcedebat, ſed prope ipſos tranſeuntes ſtabat. Faciunt verò contra eandem, quæ de Iordanis medio iam dicentur. Eſt enim A in eo ipſo altera inſtitutio, quæ cap. 3. verſu 17. cap. 4. verſu 3. 5. 8. 9. 10. 18. monſtratur clariſſime, vbi Hebraicè ſemper eſt תוך & in Septuaginta τὸ μέσον, in noſtro *medium*. Et mirabile eſt ita præſumptæ opinionis tenacem fuiſſe Maſium, vt quidlibet potius quam iſto modo vertere voluerit. Nam ipſum tantummodo *alueum* vertit cap. 4. verſu 3. *intro* verſu 5. *Iordanem* verſu 8. & 18. *intra* verſu 9. *intus* verſu 10. ne ſemel quidem *medium*, cum ea tamen prima & vſitatiſſima Hebræi nominis notio ſit, neque ſit, B quod ab ea nos abducat quidquam; ad eam verò Græcorum Latinorumque deducat interpretatio, patrum cōſenſus, & vna quædam peropportuna ratio. Si enim non in aluei medio, ſed in ripæ alterutrius extremo tantùm manſiſſent ſacerdotes, viſi populo imperitiori fuiſſent locum ſibi tutum delegiſſe, ſi forte non diu curſum cohiberet Iordanis, ſed more ſuo alueum rurſus oppleret. Qui verò è populo interim per medium perrexiſſent, in magno ſe ſemper diſcrimine putaſſent, ne defluentium molibus C aquarum obruerentur. Nunc verò cum *in ipſo medio alueo* ſacerdotes, Dominique arcam firmè conſtanterque manentem vident, quidni animos gererent maiores, & fidei fiduciæque pleniores? Ideoque dixit Sulpitius, illos non in aduerſa ripa, ſed *in aduerſo flumine* ſuam habuiſſe ſtationem, quaſi ſtantium aquarum murum aſpicerent, eique, ne ſeſe iam commoueret, prohiberent. Rectè igitur media & tertia ſimul iungitur ſententia, vt initio quidem in aquarum parte, quæ primò eos excepit, conſtiterint arci- D feri, deinde, vbi ceſſiſſent aquæ in alueum medium perrexerint, inibique ſtatu immoto, hæſerint. Sed in extrema illa parte non diutius, quam dum ſeſe diuideret Iordanis, ac ſiccam tranſituris viam daret. Eſt autem vero ſimile id perexiguo admodum tempore factum fuiſſe, vti paulo poſt v. 13. dicetur. In medio autem alueo fuit eorum diuturnior ſtatio, quoad ſcilicet vniuerſus tranſiiſſet populus, c. 4. v. 10. Ideoque de ea vna ſtatione ſermo potiſſimum eſt, cum vti ſteterint ſacerdotes, quæritur, & de ea ſola E reſpondebam olim, loco citato. hic tamen, cum Caietano, libuit reſpondere diſtinctiùs. Benè tamen monet Maſius, videri hic 70. legiſſe non *atha*, vt in Hebræo legitur, id eſt, *tu*, ſed *hatha*, id eſt, *nunc*. vertunt enim ille v. 8. καὶ νῦν ἔντειλαι. *Et nunc præcipe.* Noſter, *Tu autem præcipe.*

QVÆSTIO XIV.

Ad populum quidnam iterum Ioſue?

F VIDIMVS q. 9. eum ad populum verba facere. iterat hoc ipſum v. 9. ſed multo vberius. Quem. n. vt ſuperiore 13. quæſtione dictum eſt, à Deo iam intellexerat, tranſeundi Iordanis modum, iis aperit. & primo quidem attentionem comparat, deinde verſu. 10. rem ipſam perſequitur. In illa notandum primò eius vocem non potuiſſe adeo intendi, vt quemadmodum in ſchola quapiam à diſcipulis

Digitized by Google

doctor, in foro à circumſtante populo vocalis
præco aliquis, poſſet ab vniuerſis Iſraelitarum
caſtris exaudiri. Quis tanta laterum firmitate
tam ingenti pulmone Stentor ſit, vt pluſquam
Sexcentorum millium aures feriat? Dicendum
igitur, eum allocutum proximos, & tot, quot
eius audire vocem poterant: alios verò ab iſtis,
quæ ille dixerat accepiſſe. Nam fuerunt *vocati*
non Magiſtratus tantum, vti putat Lyranus, ſed
omnes. Ex omnibus tamen quidam, ad quos
eius peruenire vox potuit, eum audierunt, cæ-
teri auribus ſtiterunt quidem attentiſſimis,
ſilentioque maximo, ſed vt dici ab eo aliquid
ſcirent, idque poſtmodum ab aliis intelligerent.
Secundo. Cum dicit, *Accedite huc*: locum, v-
tique intelligit, vbi tunc erat. Videtur autem
fuiſſe in caſtrorum medio ad ipſum tabernacu-
lum. Ibi enim diuinam de tranſitus modo re-
uelationem iamiam acceperat, & alias ibidem
haberi ſolebant populi conciones, pręſertim
cum diuini quippiam ei annunciandum. Ait ve-
rò q. 19. Abulenſis, Rabbi, Salomonem hunc ip-
ſum locum multò magis definiiſſe & anguſtaſſe
vt ſcilic. illud tãtummodo ſpacium eſſet, quod
inter duos arcæ vectes erat. Si verò vectes iſtos
arcæ lateribus latitudinis applicaremus, & inter
eos illius longitudo interciperetur, prout Abu-
lenſi eidem viſum, & à me in Exodo reiectum
eſt; eſſet illud ſpacium duorum tantummodo
cubitorum & ſeſqui. At intra iam exiguum
ſpaciolum tot hominum myriades capi potuiſ-
ſent? Non profectò, niſi *ſucceſſiuè*, quamquam
ne hoc quidem tum potuit, quia vnus ille dies
totus vix ſuffeciſſet ſingulis in illud ſpaciolum
cogendis, dum illinc exire deberent alij, vt in-
trarent alij. Multo minus *ſimul*, quia vel cor-
porum penetratio, vel certè tot millium ad per-
exiguam quantitatem redactio fieri debuiſſet.
Hoc abſurdum tota illa quæſtione 19. 20. 21. 22.
ex intimis Phyſicorum penetralibus colligit &
improbat idem ſcriptor, laborum ſanè toleran-
tiſſimus, vbi etiam vix opus foret. Quis enim
vel eam illius Raſchi mentem fuiſſe, vel ſi, fuit,
non ilico ſtultam & ridiculam eſſe cenſeat?
Noui qui myſticam neſcio, quam ſententiam
huiuſmodi Rabbinorum fabulis ſubiici aſſerãt,
& tum faceret Abulenſis, quod contra Plato-
nem, Parmenidem, Hippodamum, & alios non-
nullos feciſſe Ariſtotelem aiunt quidam, vt eo-
rum verba, ne in errorem iis abriperentur impe-
ritiores, exagitaret. 3. cum petit vt audiant *ver-
ba* non ſua, ſed *Dei*, & Dei, qui ipſorum veluti
propriùs maximam vtique, & quidem meritiſ-
ſimò commouet attentionem. Quid enim aut
libenter aut attentè audiamus, ſi non Dei verba?
& Dei tam nobis immerentibus & indignis be-
neuoli ac propitij, valeat hic ſanè illud.

Non mihi, ſed magno poſcitur ille Deo.

Rem porrò ipſe perſequitur Ioſue tripliciter.
Primò enim ſignum à Deo promittit, ſignique
cauſam & explicationem. Nam verſu 11. *ſignum*,
eſt, vt arca per Iordanem ipſos pręcedat, ipſo ve-
rò eam per eundem Iordanem ſequantur. Ma-
gnum profectò ſignum, magnum miraculum,
ſed cur faciendum? Reſpondet verſu 10. vt *in eo*,
ſeu, per illud ſciant illi duo hæc. *Primò. Deum eſſe*

A *in ſui medio*, id eſt, ipſis intimè & iunctiſſimè a-
deſſe, vt eos regat, iuuet, confirmet, creſcere fa-
ciat. Quemadmodum enim à centro, quod in
circuli medio eſt, ad ſingula peripheriæ puncta
lineæ ducuntur: & à corde, quod hominis me-
dium obtinet; in totum corpus vis & vita fundi-
tur: ita à Deo, qui in Iſraelitarum medio ſe ait
eſſe; vita, & robur exſpectanda, &, hoc benefi-
centiæ modo, inter eos eſt, qui alioqui *per eſſen-
tiam, ſcientiam, & potentiam* vbique eſt. *Secundo*
quod e priore manat; fore, vt idem Dominus iiſ-
B dem Iſraelitis, vbi Iordanem tranſierint, *cedere
faciat ſeptem eius terræ gentes*, eaſque, vt Hebræus
habet: *expellendo expellat*. ſiue vt rectè noſter,
diſperdat. Geminatio enim illa Hebræa magnã
innuit expulſionem, quæ fit cum diſperditur &
exterminatur quidpiam. Sed in iſtis *quæſtiuncu-
culæ* ſunt *quinque*.

1. *Cur hic vocetur Deus viuens*? Apte reſpondet
Maſius. *Vita*, vt ait Ariſtoteles, *actio eſt, atque ex
motu potiſſimum cognoſcitur. Et quorum nulla actio
motuſque apparet, ea mortua, aut certè languida tor-
C pentiaque eſſe cenſentur. Deus igitur cum ſua effi-
cientia gubernet modereturque omnia: & imprimis
ſuorum cultorum ſolicitudini ſubueniat, rectiſſimè,*
חי, *viuus, agilis, vegetus appellatur, quod diuinus vates
ſignificabat, cum caneret: Non permittet, vt pes tuus la-
baſcat, non dormitabit, qui cuſtodit te, ecce non dor-
mitabit neque dormiet, qui cuſtodit Iſraelem. Nam etſi
ideo quoque viuus, immò vita ipſa rectè nominetur,
quia per ipſum omnia viuunt, & mouentur, & exiſtunt
vt ait Paulus, tamen ea, quam dixi, notatio præſenti lo-
co ſeruit. Multa diſputata ſunt etiam ab Hebræorum
D philoſophis, quos Cabbaliſtas, quaſi qui à maioribus tra-
ditam per manus doctrinam acceperint, appellant, de
iſtis Dei nominibus* אל חי *El, Hai, cum multis in lo-
cis aliis, tum in eo etiam libro, quem portam lucis in-
ſcripſerunt. Hic enim ſcribunt* יהוה, *Iehouam, quem
nos Deum patrem dicimus, inuocatum, appellatumque
hoc nomine* אל חי *El, Hai, largiri per Adonai, hoc eſt
per Dominum, quem nos appellamus filium, benigniſſi-
mè cum cętera, quæ opus ſunt, tum vitam incolumem,
& ab hoſtibus tutam adduntque ideo Imperatorem Io-
ſuam, hoc loco illud* אל חי *vſurpaſſe, vt ſuorum ani-
E mos eius commemoratione redderet de ferociſſimis ho-
ſtibus, quos adibant, ſecuros.*

2. *Quænam ſint iſtæ gentes ſeptem, & præſertim He-
uæi?* Dictum de ſingulis Gen. 15. ſed qui ibi vo-
cantur *Rephaim*, eos hic *Heuæos* vocari putat idẽ
Maſius. Nomina enim gentium mutantur non
rarò. Vide Act. 13. v. 19.

3. *Cur hic tantum enumerantur ſeptem*, vt Actor.
13. Deuteronom. 7. cum Gen. 15. enumeratæ ſint
decem. Reſponſum fuit ibidem. Sed è Maſio iam
breuiter dico Ioſuam *de iis agere poſſeſſionibus,
F quas ipſe eſſet Iſraelitis diſtributurus: hoc eſt, quæ vl-
tra* לבא חמת *Labo Hæmath, non iacebant. At in illis
liberalioribus promiſſis loca omnia eſſe, ad Euphratem
vſque, de qua re memoria repetat lector, quæ ſunt à no-
bis prolixè diſputata ad verſiculum quartum capitis
primi. Præterea ſeptem iſtæ gentes aliquando pluribus,
aliquando paucioribus nominibus ſignificantur, vt ſuis
locis monebimus. Nam in populoſiſſima regione fami-
lias habitaſſe diuerſas plurimas, eſt credibile.* Videa-
tur & in Geneſin tomo 3. Pererius fol. 293.

4. *Quomodo dicuntur tam diſperdendi Amorrhæi,
cum,*

Digitized by Google

cum, Og, & Seon eorum Regibus occiſis, *diſperditi iam pridem ſiat, eorumque occupata terra?* Reſpondet Abulenſis q. 9. Amorrhæam eſſe duplicem. Vnam ad Iordanis latus Orientale, & ea iam erat occupata: alteram ad eiuſdem Iordanis latus occidentale, & de hac nunc ſermo eſt.

5. *An arca hic appelletur Dominus vniuerſæ terræ?* Ita videtur Maſio, & quia in Hebræo eſt hoc loco, diſtinctionis accẽtus regius *Zakeph*, & quia etiam alibi *Dei* nomine afficitur eadem Nume. 20. 35. & 36. Pſal. 24. Sed primo noſter textus arcam non *Dominum*, ſed *Domini* vocauit, & ipſi etiam Septuaginta, Græcique alij, Symmachus & Aquila *deinde* ipſius rationes nihil vrgent. Nã accentus & puncta iſta ſunt à recentioribus Rabbinis textui adiuncta, quemadmodum in Bibliacis Prolegomenis & ſupra quæſt. 7. oſtẽdit & fatetur ipſemet Maſius. In aliis verò citatis locis, non arca, ſed is, qui ſuper arca ſedere intelligebatur, prout in Exodo tractatum, à Moyſe, & Dauide appellatur: quemadmodum ſi in curru aut equo ſederet Rex, eum ita ſedentem alloqueremur, & *Regem* vocaremus, non autem currum aut equum. Recte tamen è Rabbinorũ, qui accentuum illorum affixores, & ſynagogarũ iam omnium, quæ illos ſequuntur, ſententia, rectè inquam à Maſio dicitur *arca Dominus*, eſtque non contemnendum cõtra Iconomachos præiudicium, prout li. 1. c. 3. q. 23. notabam. Paulò tamen videtur idem Maſius facere audaciùs, dũ non in commentario, quo ad doctrinæ copiam licet, ſed in ipſa textus verſione, Latinis Græciſque poſthabitis, hoc ipſum ponere voluerit, dicens: *En arca fœderis, Dominus vniuerſæ terræ præit.* Duo alia, quæ ſigno huic, eiuſque ſignificationi addit Ioſue, in ſequentem differendã quæſtionẽ ſi monuero, quam magna & ingens coram Deo res ſit, agnitio ipſius erga nos amoris, & beneficentiæ. Cum enim ſignum tantum, & tam admirabile ſit, quanta & quam admirabilis habẽda, quæ illo ſignificatur, res? Hæc tamen cognitio eſſe debet non nuda & ſterilis, ſed grato mẽtium noſtrarum officio conueſtita, & inſignem erga illum in nobis amorem, ac religionẽ procreans. Hoc enim, vt ſuprà etiam dictum, in ſuis portentis ac prodigiis ſpectat Dominus, in quo noſtra ſumma ſita vtilitas.

QVÆSTIO XV.

De duodecim viris, & Iordanis diuiſione, quid porro Ioſue?

IN Ioſuæ ad populum oratione duo adhuc exponenda reſtabant. Vnum de XII. viris tributim legendis eſt. v. 12. alterum clarè Iordanis tranſeundi modum explanat, verſ. 13. In priore quæſtio eſt, *an* iſti 12. *viri ſint iidem illi, de quibus initio ſequentis capitis? Primo.* Eoſdem non eſſe vnus, quantum quidem legendo aſſequi potui; tradit *Caietanus. Secundo.* Alii agminatim omnes, vt Lyranus, Abulenſis, Maſius, etiam Rabbini eoſdem eſſe docent. Sed noua iis tum, oboritur quæſtio, quomodo hic ii iubeãtur deligi, & rurſum ſequentis capitis initio? An à populo iam obtemperatum Ioſue non fuit? Nemo dixerit, eo die, cum tanta eſſet tot & tantorum porten- **A** torum exſpectatio, cum populi totius tanta eſſet expiatio & ſanctificatio, cum tot & tantis cohortationibus in omnium animis erga Ducẽ amor, erga Ducem obſeruantia & obediendi ardor excitatus ferueret, in re tam facili & prompta inobedientiam vllam fuiſſe. *Alii* ergo ſequenti capite *recapitulationem* factam intelligunt, vt Lyranus, *alii* in hoc tertio *anticipationem*, vt quæſt. 1. cap. ſeq. Abulenſis. *Alii* verò *bis* eoſdem *electos* aiunt. *Primò* quidem ad hoc vt eſſẽt parati ad faciendum, quod iis imperare vellet **B** Ioſue, ipſiuſque nutum obſeruarent, quando eorum vti opera liberet. *deinde* verò poſt Iordanem iam tranſitum eoſdem vocaſſe Ioſue, & quid tum ab iis fieri vellet, mandaſſe. Ita Maſius. Sed omnium quid vera videatur ſimillimum, in eiuſdem ſecuturi capitis principio ſtatuetur. Caietanus autem hos, qui ab illis diuerſi ſint, eam ad rem nunc delectos putat, vt, XII. tribuum nomine, præeuntem arcam comitentur. At, cuius quæſo rei cauſa, iſte comitatus? An defenſionis, ſi qui fortè hoſtium irruerent, an hono- **C** ris potius cauſa? Non defenſionis, quia idcirco volebat Dominus ſolam cũ ſacerdotibus baiulantibus arcam populo prægredi, vt oſtenderet ſe ipſis adeſſe, ipſos tutari, ipſo Duce nihil vſquam eſſe periculi, nihil formidinis. Non honor etiam ſpectatus, quia voluiſſet Dominus Leuitas potius, qui cætero populo erant ſanctiores, diuinoque cultui deuotiores, baiulis illis ſacerdotibus adeſſe, quam è tribubus aliis ſingulos. Deinde, quomodo arcam comitabantur? an præibant, an ſequebantur, an eius **D** latera claudebant, vel partim hoc, partim illa? Præire non potuerunt, quia in Iordanem intrare, & egregiè ipſos madefieri, pœnè ridiculè, oportuiſſet. Nam, niſi pedem in aquis inferentibus ſacerdotibus, illi non diſceſſerunt. Sequi etiam non potuerunt, quia ſi defenſio quæreretur in fronte ipſos eſſe oportebat: ſi honor, etiam tunc præire magis decuiſſet, tum ob illius ſæculi gentiſque morem, tum ob aliquam ſaltem defenſionis ſpeciem. Ad latera cur eſſent nullam etiam cauſam video, neque cur ad hæc, **E** & ante, ac poſt. Hoſce tamen comites penitus exterminat quæ ſuprà lata fuit lex verſu 4. & 5. *Cauete ne appropinquetis ad eam.* Exceptus tũc nemo eſt, neque in iſto textu verſ. 12. exceptio iam vlla innuitur. Quomodo igitur tam facilè comites iſtos commentus ille eſt? Iidem ergo & hi XII. & illi ſunto. De tranſitus modo eſſet aliquid etiam dicendum: ſed fuerit oportunius, cum de ipſo tranſitu paulo poſt agetur. Inter noſtrum autem & Hebræum Græcumuè textum hæc notanda. 1. vbi noſter ait, *parate*, in **F** Hebræo eſt, *Et nunc accipite vobis.* in Græco ſimiliter, καὶ νῦν προχειρίσασθε ὑμῖν. 2. vbi noſter habet. *Et cum poſuerint veſtigia pedum*, habet Hebræus. *Et erit, cum quieuerint plantæ pedum.* Græcus, καὶ ἔσται ὡς ἂν καταπαύσωσιν οἱ πόδες τῶν ἱερέων. 3. vbi legit noſter, *aquæ, quæ inferiores ſunt, decurrent*, Hebræus & Græcus nullam inferiorum aquarum facere videntur mentionem. Sed ille quidem ſic *aquæ Iordanis diſcindentur* vel *exſcindentur*, (vtraque enim Hebræo verbo, vt infrà tangetur, notio eſt) *deſcendentes è ſuperiore parte, & ſtabũt quaſi* (hæc enim ſimilitudinis particula, vti ſæpè alibi,

Digitized by Google

non male ſuppletur) *acervus vnus*. Grecus verò, τὸ ὕδωρ τοῦ ἰορδάνου ἐκλείψει. τὸ δὲ ὕδωρ καταβαῖνον ἄνωθεν στήσεται εἰς σωρός. id eſt, *Aqua Iordanis deficiet. Aqua verò deſcendens è ſuperiore loco ſtabit acervus vnus.* Omnino tamen aquæ iſtæ inferiores, non verbo, ſed reipſa ſunt in vtroque iſto textu, ſed paulo abſcuriùs, & in græco quidem dicitur; *Aqua Iordanis deficiet.* Nam propriè aqua ſuperior nõ defecit; ſed in aceruo vno conſtitit: & idcirco cum de ſuperiore hac loquuturus eſt, particulã apponit aduerſatiuam δὲ ſeu *verò*. In Hebræo autem, dum dicitur; *Atque Iordanis diſcindentur* vel *exſcindentur*. Nam ſi Hebræum verbum velimus hic *diſciſſionem* ſignificare, ſententia erit, aquas inferiores à ſuperioribus diſcendendas, & dum additur, *ſuperiores conſtituras*, datur de in- A ferioribus intelligi, fore vt eæ non conſiſtant. ſed porro decurrant Si autem idem verbum velimus *exſciſsionem* ſignificare, cum ſuperiores exſciſſe, ſeu è ſuo alueo ſublatæ non ſint, patet de inferioribus hoc intelligendum. Hanc autem verbi notionem huic loco magis eſſe propriam docent 70. dum per ἐκλείψειν illud vertunt, & Paraphraſtes Chaldæus. Coniunctionis verò particulam, &, ante *ſtabũt*, dicit Rabbi Iſaias ſupervacaneam: alii, quibus aſſentior, coniungere ſuperiores aquas iſtas ſtantes, cum aliis exciſis, aut deficientibus, ita vt clariùs quidem illa præponeretur ante deſcendentes, vel ſola, vel cum ipſo, cui nunc annectitur, verbo, vt infrà verſ. 16. Eo tamen, vbi eſt loco, ſenſum iam expoſitum non immutat.

ALTERA CAPITIS PARS.

In qua ipſe Iordanis tranſitus. à verſu 14.

QVÆSTIO I.

Quot, & qui ſacerdotes arcam portarint?

SACERDOTES in hoc Iordanis tranſitu arcam portaſſe, populoque reliquo præiuiſſe dictum antea eſt quæſt. 4. 5. & ſequẽtibus. Quonam vero, qui eam portarint, fuerint, nuſquam inueni. Sed vt coniectura id aliquo modo aſſequamur, primo ſtatuendum eſt Sacerdotes vniuerſos tunc, quam XXIV. non multo plures fuiſſe. Id in Ioſuano libello cap. 3. Num. 31. & 32. ita colligebam. *Fuerunt Sacerdotes* minores non tot, Ioſue temporibus, quot non ita multo poſt.

Cum enim prima Aaronicorum Sacerdotum conſecratio, ante annos vndequadraginta in Sinæo monte facta fuit, infra ipſum Aaronem qui Pontificalem omnium primus dignitatem accepit, quatuor tantum ſacerdotes fuerunt, eius filij quatuor, Nadab, Abiu, Eleazar, Ithamar. Et horum quidem priores, octauo à conſecrationis die, infelici quodam, ſed ipſorum ob noxam, iuſto incendio hauſti ſunt, cum nullos omnino liberos reliquiſſent. Duos verò ſuperſtites, cum natu eſſent minores, quis prolem iam tum habuiſſe cenſeat? Et tamen niſi ex horum ſtirpe ad ſacerdotium aſpirare nemo poterat. horum verò, quos iſti etiam procreaſſent, nẽmo niſi annos quinque & viginti natus vel 30. vt noſter & Hebræus. Vnde confici videtur, non niſi duos iſtos, eorumque filios, nullos verò nepotes in terræ ipſius ingreſſu, ſacerdotio initiatos. Quantus verò iſtorum numerus fuerit, calculo nullo inuenitur. Sed etiamſi ab duodequadrageſimo anno, ſingulis annis filiũ illorum vtrique natum fingeremus, amborum tamen filij Sacerdotes, triceni tum vix fuiſſent. At quis credat ſingulos iis annos adeo fœcundos, vt vel ſemper gignerent, vel ſaltem ſemper filios? Ego igitur præter Eleazarum Pontificem, cum Ioſue fuiſſe ſuſpicor Ithamarem, eius fratrem, vtriuſque natos minimum ſeptenos vel octonos, vti cap. 6. ſignificatur. Si plures, forte duodenos, aut non multo amplius. Ex hoc ſi quis numero Ithamarem detrahendum putet, quod ex B *ſexcentis Iſraelitarum virorum millibus AEgypto egreſſis, ne Moyſes quidem & Aaron Iordanem tranſmiſerint, ſed duo tantum pij quõdam exploratores, Ioſue & Caleb. ſciendum, tantam iſtam aliorum cladem in eos tantum graſſatam, qui ab anno ætatis viceſimo in militares matriculas relati fuiſſent, niſi ſi vel communi murmuratorum aliorũ culpæ affines, vel ſuo quopiam delicto, cui hæc diuinitus pœna infligeretur, vti de ſummis illis viris Moyſe & Aarõ accepimus, obligati fuiſſent. At noſtro huic Ithamari, Leuitici generis cum eſſet, quid cum militiæ matriculis? Cum à ſcriptura nuſquam accuſetur, mortis eum cur damnemus? Eleazarum fratrem aſpice. Cum reliquis ex AEgypto, exierat & tamen beatam ipſe terram tetigit. Imo verò communis Hebræorum ſententia eſt, quam è noſtris etiam vetuſtioribus probat hom. 27. in Numeros Origenes, ad Sacerdotes & Leuitas, quæ in ſolitudine illatæ ſunt, mortes haud pertinuiſſe.* Ex his verò tam paucis, duos tantummodo arcam geſtaſſe putant C pœnè omnes, adeo, vt picturis omnibus idipsũ ſignificetur. Apud vnicum ſolummodo ſcriptorem, cuius mihi tamen è memoria nomen excidit, legi, duobus plures fuiſſe baiulos: & citabat ille Theodoretum in li. 2. Reg. q. 20. ſed vbi hoc Theodoreti opus? Affert etiam ille auctor huius eiuſdem rationem. Cuius tamen ſequenti quæſtione apparebit infirmitas, ideoque à communi ſententia diſcedere cur velim, nihil eſt. Et accedere poteſt ratio, quòd neque oneris grauitas, neque vacillatio & cadendi periculum plures poſtularet, imo ferendi modus, de quo ſequenti quæſtione, non admitteret. Iſtos porro duos, exiſtimo equidem alios non eſſe, quã duos Aaronis ſuperſtites filios, *Eleazarum* & *Ithamarem*, vel certè illum, eiuſque filium *Phineẽ*. Quia enim maioris erga Deum venerationis, maioris in populo alacritatis & conſolationis ergô, hæc à Leuitis & ad Sacerdotes, vt ſuprà dictum eſt, baiulatio tranſlata nunc fuit, videntur è Sacerdotum iſtorũ numero adhibiti optimi, & præſtantiſſimi. Sic & infrà cap. 6. q. 4.

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO II.

Quomodo eandem iidem ſacerdotes arcam portarint?

DVplex in arca iſta portanda *modus* ſpectari poteſt. *Primus.* Cũ certũ ſit vectib' eã portatã quæri poteſt, an in longitudinis, an latitudinis, potius laterib' ij fuerint? ſed q. 14. iam contra Abulenſem ſuprà reſpõſum eſt, fuiſſe in longitudinis lateribus. Modus *alter*, an ita iſti arcam geſtarint, vt præierit vnus, ſecutus alter ſit; an verò ſiue duo, ſiue plures ij eſſent, ad arcæ latera fuerint? hoc poſterius aſſerere dicitur loco ſuperiore quæſtione, citato Theodoretus, vt in ipſorum ſcilicet medio penderet arca, non autem ante illam eſſet vllus, & pone alius. idque ne auerſum quis tergum & nates arcæ obuerteret. Sed *primo* arcam tũ humeris non geſtaſſent contra vſitatiſſimum morem, ſcripturis Num. 7. verſ. 5. 1. Paralipom. 15. v. 15. picturiſque omnibus teſtatiſſimum. niſi fingamus eoſdem ſacerdotes, quaſi *Cherubim* ad arcam ſtantes, ſeſe mutuo aſpexiſſe, & perrexiſſe, non quo facies aſpiceret, ſed quo latera. vnius quidem læuum, alterius verò dextrum. & vnum ſemper pedem læuum priùs promouiſſe, alterũ verò dextrum atque ita non hominum, ſed rotarũ modo iter feciſſe. *Secundò*, non etiam vectibus, ſi quidem recta & quo tenderet facies, pergerent, vſi fuiſſent, ſed funibus. Alioquin arca inter eos non perpendiſſet. *Tertio.* iſta honoris ratio, & vrbanitas, ne dorſum maiori cuipiam vertatur, eſt quidem hodie apud Turcas ſolennis, & apud pauculos quoſdã noſtrates aulicos, cum à principum ſermone abeunt, incipit: ſed olim apud Iſraelitas fuiſſe. argumento quidnam eſt? Et ne apud illos quidem ambitioſiſſimos & ſuperſtitioſiſſimos, in omnibus locis & temporib', obſeruatur: ſed neque poteſt. Qui enim Turcarum Tyrannum ſatellites, equites, Ianizari antecedunt, nonne tergis eũ ſuis aſpiciunt? *Quarto.* Tot Domini, qui vexillarios, lecticarios, anteambulones, tantumq; præ ſe olim famulitium, vt ſuprà etiam dicebam q. 15. egerunt, an illorum terga non ſequebantur? nonne & in Peruana gente non ita pridem, eius Reges? *Quinto.* ſolita eſt in Iſraelitarum medio alias arca ferri. Num iniuria ei erat, quod obuerſis tergis eam aliqui præcederent? *Sextò.* de iſta ſanè tam curioſa vrbanitate nihil cogitauit, cum ante arcam eandem lineo ephod accinctus totis virib. ſaltaret, varioſque ſeſe in orbes verſaret Dauid 2. Reg. 6. v. 14. & ſequentibus. *Septimo.* Poſſumus etiam eodẽ modo Deum ipſum qui ſuper arcam ſedere ſe teſtabatur, quadantenus calumniari. Nam ſi illic ſedebat, vel verſus Chananæam, in quam ibatur, vel ipſos Iſraelitas, qui arcam ſequebantur, reſpiciebat. Si priùs tergum ipſe Iſraelitis obuertebat. ſi poſterius; retrorſum ibat, & cancrorum quaſi more. *Octauò.* Licet verò quamcunque prudenter poſſumus, reuerentiam ac venerationem Deo debeamus; & modicè, honeſteque ad altaria etiam caueant ſacerdotes, ne ſacroſanctæ Euchariſtiæ tergum dent: non eſt tamen tam Deus vel faſtidioſus,

Ioſue.

vel ambitioſus, vt quam condidit naturam, honeſto
A præſertim, decoroq; apud homines modo tectam & velatam, penitus aſpernetur, vel honorem eum, qui actionibus humanis, & à natura præſcripto incedendi modo prorſus efficiat, à nobis flagitet. *Nonò.* ſi tamen tunc flagitaſſet, cur id memoriæ nuſquam proditum? non verbulo vno vſpiam inſinuatum? Ex arcæ igitur baiulis ante ipſam vnus, poſt ipſam iuerit, humeroſque Sacro illi oneri ſuppoſuerit alter. Facile tamen adducor, vt, maioris reuerentiæ ac religionis cauſâ, nudis pedibus iidem fuerint.
B Audiemus enim paulo poſt, eorum in aquam merſos pedes fuiſſe, neque de calceis quicquam additur. quos ſi tum habuiſſent, non maduiſſent modo, ſed aquæ etiam plurimũ habuiſſent, ſicque vel alueo exſiccato, ſe ipſos ibi excalceare illi debuiſſent, aquamque illam effundere, vel cum ſtrepitu & moleſtia deinceps admodum perrexiſſent, ibidemque in madidis calceis conſtitiſſent, vel ſicuti Iordanis defluxerant aquæ inferiores, ex iiſdem eorum calceis aquam illam miraculo nouo aboleri oportuiſſet. Ineſſe
C autem nudipedalibus religionis aliquid, monſtraui Exod. 3. verſ. 5. & monſtrabo iterum infrà cap. 5. v. 15.

QVÆSTIO III.

De Iordane. Vnde ducatur?

VNDE ducatur *Iordanis* poteſt bifariam inquiri, quoad rem nimirum, & quo ad vocem. *Quo ad rem*, duplex eius origo eſt. Vna *ge-*
D *neralis*, è mari. de qua in Meteoris olim, & poſt forſan in Eccl. 1. ſi Deo viſum. Altera *ſpecialis.* è quo ſcilicet loco primum ſcaturire, ac hominibus apparere incipiat. *Iordanis*, ait Plinius lib. 5. c. 15. *amnis oritur è fonte Paneade, qui cognomen dedit Cæſareæ.* Et addit, *de qua diximus.* Vbi verò? Capite opinor 13. ſed ibi deſcripſit non hanc *Cæſaream*, quæ à Ptolomæo *Paneæ*, vſitatiùs *Philippi*, ob cauſam in *Herodo* c. 20. traditam dicta eſt; ſed eam, quæ *Stratonis* eſt. Ideoq; cum *Delchampio* corrigendum, *dicemus.* Nam infrà cap. 17. in
E Decapoli iſtam nominat. Eundem tamen Plinium, vel certè quos iſte auctores ſecutus eſt, in hoc etiam Iordanis ortu, corrigere videtur Ioſephus lib. 3. captiuitatis cap. 35. ſiue in Latino, 18. dum ſcribit. *Et videtur quidem Iordanis fons eſſe Paneum, fertur vero in hoc, ſub terrã conditus ex Phiala.* Eſt autem hæc ſtagnum, quod ibidem rotunda figura *Phiala* vocatur, & verſus Trachonitidem à Cæſarea dextrorſum diſtat 120. ſtadiis, apud Burchardum lib. de terra Sancta vocatur *Medon*, id eſt, aquæ Dan, *Magedan*, ac *Dalmanu-*
F *tha*, diſtantiamque à Cæſarea ponit 125. ſtadiorum. *Interim dum ignoraretur Iordanis hinc principium ſumere, id per Philippum cum Thraconitarum tetrarcham ageret, demonſtratum eſt. Cum enim in Phialam illim paleas iecisset, eas in paneum, è quo veteres Iordanem fluuium gigni putabãt, delatas inuenit.* Eſt autem *Paneum* tam *fons*, quam *mons*, è quo & *antrum*, in quo ille ſcaturit: habetq; inſignem à natura ipſa pulchritudinem, ſed quam opere, ſumptuque regio valde adauxit Agrippa Rex. vt ibidem narrat Ioſephus, qui, quia ibidẽ ſub-

dit, è fonte iſto manifeſtam primò fieri Iordanis fluxionem, duplicem ei ſpecialem *ortum tribuemus*, vnum quidem *occultum*, & latentem è phiala; *conſpicuum* & patentem alterum è paneo. Verum lib. de terra ſancta Burchardus non vnum tantummodo, ſed duos ibi fontes, è quibus manet Iordanis conſtituit, hiſce verbis. *Non longe ſupra hanc ciuitatem* (Cæſaream ſcilicet, aut, vt ipſe vocat *Bellenam*; Beniamin in itinerario fol. 51. videtur vocare *Baliuus*) *oriuntur duo fontes, nempe Ior, & Dan qui in pede montis Libani, ante portam ciuitatis conuenientes, Iordanem fluuium efficiunt*. Ex alia einſdem ſanctæ terræ deſcriptione ſimilia citat etiam Abulenſis quæſt. 37. niſi quod ſub *Gelboæ* montibus Iordanem è fontibus illis effici vult. Ante hos tamen montes illum confici, verius aſſerit Burchardus, inter quem tamen & Plinium ac Ioſephum, cum *fontem* tantummodo nominant, diſcriminis nihil puto. Solent enim auctores interdum *fontem* alicuius *fluminis* vocare id, vnde oritur, ſiue vnus tantùm propriè fons & ſcatebra ſit, ſiue plures. vt cum *Danubii*, de quo S. Ambroſius lib. 2. hexaemeri c. 3. *fontem* eſſe dicimus *Doneſchingæ* in Generoſorum & Catholicorum Comitũ *Simmerenſium* ditione, quem olim locum ſibi meritò viſendũ putauit Tiberius, vbi plures tamen ſcaturigines. Illuſtriſſimus Dux Olikenſis, D. Radiziuilius epiſt. 2. *Eſt pons, quem ipſimet Turcæ Iacob patriarchæ vocant. Eſt ſatis latus, & ſolidè compactus, ac Iordanis ſuperimpoſitus; qui fluuius ad dexteram duos habet alueos, quorum vnus Ior, alter Dan, appellatur: ſimul ſuprà pontem, ſatis tamen longo interuallo, coniuncti, velut vnum efficiunt amnem, ita nomen vnum retinent: & vocatur Iordanis, qui non procul inde ex montibus oritur.* Sed idem Dominus legatur in eadem epiſtola fol. 103. & 104. *Iordanis*, ait, *fluuius in mare hoc exoneratur, ea parte, quæ ex monaſterio S. Sabæ venientibus occurrit. Inde ad vnum & medium milliare, per altas & ſteriles arenas, ad locum Chriſti baptiſmatis peruenitur. Ad dextram fluminis, quod valdè ſinuoſis flexibus ſe videndum ſæpius exhibet, eo ipſo in loco, vbi à Ioanne Chriſtus eſt baptizatus, lucus eſt vmbroſus, ad dimidium milliare in longitudinem, & ad iactum ſagitæ in latitudinem, propè fluuij ripas, ſe extendens. Habet arbores, quarum folia ſalices imitantur, non tamen eius ſunt generis, prout ex virgis, quas mecum attuli, videre licet. Atque hoc illud deſertum eſt, cuius Euangeliſtæ Matth. 3. & Marc. 1. meminerunt, in quo Ioannes baptizabat, & pœnitentiam prædicabat. Ea porrò, quibus præcurſor ſanctus victitabat, nempe locuſtæ & mel ſylueſtre in locis hiſce iam non reperiuntur. Sed veriſimile eſt, fluuium, qui non limoſum, ſed arenoſum etiam fundum habet, & inter rupes labitur, conchylia quædam abſque decoctione comeſtibilia (quorum nonnullas ſpecies mare etiam producere alicubi ſolet) in ripas eieciſſe. Hæc vel horum ſimilia num Sanctus comederit, incertum. Mel ſylueſtre etiam lucus hic olim producere potuit, quo atteſtante ſcriptura veſceretur. Nunc nihil tale hic inuenitur, cùm ſit ſolitudo, nullam culturam admittens. Aquam valdè turbidam Iordanis habet, ſed ſalubrem, quæ in vaſa aſſeruata, nunquam corrumpitur: prout in ea, quam adduxi mecum, indubitanter ſum expertus. Aliqui ex noſtris ibidem corpus abluebant, cum in ripa refectionem ſumeremus. Vix in latitudinem triginta cubitis excreſcit, niſi vbi in mare mortuum influit: quo loco latiùs etiam diffunditur. Videntur hic ruinæ pontis in vlteriore ripa, quem lapideum Diua Helena olim conſtruxerat. Vltrà flumen ad dextram verſus lacum Aſphaltidem, incipit iam Arabia, quæ eſt, & vocatur meritò deſerta. Nihil enim præter rupes & arenam producit, prout ex primo ipſo aſpectu manifeſtè videre eſt. Superius, ad dimidium miliaris procedendo, locus eſt, vbi Hebræi Iordanem ſicco veſtigio tranſierunt. Ioſuæ tertio.* Ab eodem Iordane totam circumdari terram Iſraelis, mediam eius partem eſſe ſupra terram, & mediam intra, ipſumque influere in eos Leuiathan, qui in magnum Iuſtorum epulum à Deo creatus eſt, Rabbinice, id eſt, nugaciter docet R. Eleazer c. 11.

Quoad vocem verò iam ſatis patet Burchardum, & alios è duobus illis fontibus Iordanis nomen componere. At Hebræis hodie vocatur & in Bibliis paſſim ſcribitur *Iarden*. & dici volunt à *Iarad*, id eſt, deſcendere, quaſi ſit deſcendens ex *Dan*. Sic enim *Cæſarea* illa paſſim nominatur in ſcriptura, vt ſuo infrà loco videbimus. & ad iſtam *deſcendendi* notionem aſpicit S. Ambroſius præfat. in Pſalm. 37. vbi pro *Salim* quod ab eo vertitur *aſcendens*, legendum *Halim*, aut *Salit*. Olim verò non *Iarden*, lectum, ſed *Iordan*, vt è vetuſtiſſimis 70. & è Syriaco teſtamento colligitur. & ad hoc nominis reſpexiſſe lib. 1. Herodotum, cum *Heraclidarum* parentem *Iardanem* ſcripſit, notaui lib. 1. Machab. c. 12. ſicuti in eadem regione fuit *Saronicus* ſinus, quia cum in ſacris libris apud Hebræos toties occurrat *Saron*, eo nomine antiqua Græcia *quercum* appellabat, vti ait lib. 4. cap. 5. Plinius. In Syriaco autem Euangeliorum textu ſanè ita Syriacis litteris & punctis ſcribitur, vt legi poſſit *Iourdanan*, licet Boderianus Latinè ſcribat *Iourdenon*. verbi cauſa Matth 3. verſ. 5. & 6. Tremellius vero *Iourdanan*, quemadmodum ſcilicet ibidem v. 3. & alibi ſemper *Sanctus Ioannes* vocatur *Iouchanon*. Paneum vero, ſiue *Dan* ad Libani, vel vt magis propriè dicatur, Antilibani radicem eſt. vt dicetur infrà quæſt. 5. contra Strabonem. Narrat porro Euſebius lib. 7. hiſtor. c. 17. in Græco, diaboli ludibrium quoddam in hiſce Panei, Iordaniſque fontibus à Sãcto Aſtyrio exterminatum, & cap. 18. de miraculorum effectrice CHRISTI Domini ac Hæmorrhouſæ ſtatua. An vero, & quomodo in amne hoc fuerit ambra, diſputat ex libro *Miſnaioth* Dauid Pomarius libro *Tſameach*, verbo *Kiphah*.

QVÆSTIO IIII.

Quam longe fluat Iordanis, & vbi deſinat?

IORDANIS ortum vidimus: finem ſi viderimus, ex eo quam longe fluat, intelligetur facile. Eſt autem communis veterum omnium & eorum, qui è recentioribus, regiones illas luſtrarunt, ſententia, ferri eum in Aſphaltiten lacum, ſiue mare mortuum, ibique & fluxum & nomen perdere. Plinius loco citato. *Iordanis amnis amœnus, & quatenus locorum ſitus patitur, ambitioſus, accoliſque ſe præbẽs, velut inuitus Aſphaltiten lacum, dirum natura, petit, à quo poſtremo ebibitur, aquaſque laudatas perdit peſtilentibus mixtas.*

Similia

Tacitus lib. hiſtoriæ. *Libanus*, ait, *amnē Iordanem alit, funditque. Nec Iordanes pelago accipitur, ſed vnū atque integrum lacum integer perfluit, tertio retinetur.* qui Aſphaltites. Caſſianus coll. 6. *Mare mortuum ingreſſa deficiunt fluenta Iordanis, & cineres Sodomorum ibi ampliſſima extenſione porrecti.* Inter hunc verò finem & Panei principium, ſiue Libanum, centum circiter millia paſſuum interiecta dicit P. Pererius tom. 2. in Gen. c. 13. diſp. 2. ſed numeros è quibus illa colligātur, iſtos ponit. *Ab ipſo Libano vſque ad Samechonitidē lacum ſiue aquas Merom* 135. *ſtad.* ſiue 15. *millia paſſuū.* Ipſe Merom

aquarum lacus eſt longit.	60. ſtad.
Ab iis vſque ad lacum Genneſariten.	102. ſtad.
Iſte longitudinis eſt.	100. ſtad.
Ab eo ad Aſphaltiten.	230. ſtad.
	645

Quod ſi vt moris eſt; ſingulis milliaribus demus ſtadia 8. exurgent miliaria 80. & 5. ſtadia, ſiue 80. miliaria ;¦ Ideoque adiecit idem in calculo ſuo ſcriptor particulam, *circiter*. Verum vel alio vti Plinium calculo, vel pauciora vni miliari dare ſtadia hinc apparet, quod lib. 5. cap. 15. eidem Geneſaritæ lacui paſſuum millia in latitudine det 6. & in longitudinem 16. cum tamen ſecundum Ioſephum loco citato, id eſt, libro captiuitatis 3. cap. 35. latitudinis ſtadia ſint tantùm 40. longitudinis 100. quorum illa dant miliaria tantùm 5. hæc verò tantum 12. ¦ Quod ſi verò à Libano, ſiue Paneo, altius verſus phialam, vnde occulto meatu oriri Iordanem ſuperiore quæſtione dixi, aſcendamus, adiicienda erunt ſecundum eundem Ioſephum ſtadia 102. id eſt. 13. millia paſſuum. & ſic à phiala vſque ad Aſphaltiten erunt millia 39. ;¦ cui ſummæ magis adhuc conuenit illud, *circiter*. Burcardus, *ſciendum*, ait, *quod ab ortu Iordanis ſub monte Libano vſque ad deſertum pharan, per centum ferè miliaria, Iordanis ipſe in vtraque ripa campos habet latos, & amœnos atque prata virentia poſitis hinc inde altiſſimis montibus, in quos hæc arua deſinunt, qui & vſque ad mare mortuum iuxta Iordanis riuum protenduntur.*

Cæterum cum in Aſphaltite condatur *Iordanis*, quæſtio eſt, *quo deueniat?* Putant aliqui certos in ipſo lacu eſſe meatus, per quos aut in rubrum, aut in ſubterraneum mare ſubterlabatur. idque confirmari poteſt. 1. quia id de fluuiis omnibus, quorum apertè curſus in mare non eſt, doceri iam ſolet in Meteorologicis, prout de eorumdē fluuiūm origine quæſt. 3. dicebam. 2. cum tantum aſſidue aquarū in illud pelagus fluuius hic deuoluat, quomodo non aliquando ſuperflueret, niſi abditis quibuſdam aut voraginib. aut meatibus alio illæ deriuarentur? Dicit quidem Burcardus id ex montanarum niuium liquatu excreſcere, non tamen inundare, ſed cur non? 3. quia fontem, qui *Capharnaum* vocatus fuit, putarunt apud Ioſephum loco dicto nonnulli eſſe Nili venam. quaſi ſubterranea iſtarum aquarum eſſent commeacula, 4. Cum ex phiala in Paneum decurrit, latens eius iſte ſub terra decurſus eſt Ergo & in Aſphaltite poteſt ſimiliter in ſubterraneos ſeſe tubos aliquos inuergere. Vnde in illa quæſtione, qua quæritur, antequam è Sodomorum deflagratione mortuum

A fieret mare, vt Geneſ. 19. aiebam; quomodo ſe Iordanis habuerit, an ſuper terra defluens præcipitarit in pelagus aliquod, an non? putat quidem loco citato noſter Pererius ſuper terra defluxiſſe: & in ſulphureæ regionis illius excidio, terram ingenti aliquo hiatu deſediſſe: atque illic abſorptum Iordanem, inuento ſubterraneo itinere, curſum ad mare vel rubrum, vel mediterraneum direxiſſe. At exiſtimo ipſum quidem Iordanem eodē ſemper loco hauſtum, & tandē occultatum fuiſſe: neque vlterius perfluxiſſe.
B ſed in Sodomorum incēdio mortuum illud mare tantum extitiſſe: & ad Iordanis quaſi effluxum vltimum acceſſiſſe: eundemque & omni ſua diritate infeciſſe: & infectum conſueta in loca ſubterranea demiſiſſe. Sic enim cum idonea ratio aut coniectura, quæ miraculum nouum ſtatuat, afferri non poſſit, à priſtino naturæ ſtatu minus diſceditur. & ſane dum animo mecum reputo, Sodomiticam illam vallem totam, fuiſſe, ante ſupplicium illud, à Iordane irrigatam, *paradiſi & Ægypti inſtar*, prout ſcriptum
C eſt Geneſ. 13. verſ. 20. auſim de Iordane tum ſuſpicari, quod de nobiliſſimo Damaſcenorum fluuio Chryſorrhoa tradit Strabo lib. 16. eum multam & profundam terræ glebā irrigando varios in riuos, quaſi in Euripos, conſumi. *Dixerunt mihi*, ait Burcardus, *Saraceni, Iordanem ingredi mare mortuum. & rurſum egredi: ſed poſt exiguum interuallum à terra abſorberi.*

QVÆSTIO V.

D *Quam latus, & profundus Iordanis?*

ID, vt in fluuiis aliis; ſpectare poſſumus, vel *ordinariè*, vel *extraordinariè*. Qui priore modo latitudinem, aut profunditatem tradiderit; mihi lectus nemo præter illuſtriſſ. Ducem Olikenſem. qui epiſtola 2. fo. 104. Iordanem deſcribit, & ait. *Vix in latitudinem triginta cubitis excreſcit, niſi vbi in mare mortuū influit. quo loco etiam latius diffunditur.* Magnam tamen fuiſſe latitudinem, ex eo colligitur, quòd eum cum regio-
E nis illius fluuiis conferens Strabo lib. 16. *omniū* ait eſſe *maximum*. Sed plura hic apud Strabonem menda. *Primum.* quod in *Cæleſyria* inter Libanum & Antilibanum collocet Iordanem. *Secundum.* quòd ei *Lycum* adiungat, qui à Ptolomæo in Aſſyria ponitur, & in Euphratem ſeſe exonerare traditur. *Tertium.* quod tam *Lycum*, quam *Iordanem* ab Aradiis ait onerariis nauib. compleri. Sed inter Aradum & Iordanem quantum interiectum telluris? ſuprà Tripolim & Libanum eſt Aradus inſula, Septemtrionem verſus, & ex
F Antilibano, Auſtrum verſus, fluit Iordanis. Accedit, quod ordinariè, niſi per certa quædam vada pertranſiri non poſſet. *Extraordinariè* verò dilatari valdè aliquando ſolitum, vt extra ripas longè lateque diffluerct, indicat hoc loco v. 15. dum ait. *Iordanis autem ripas aluei ſui tempore meſſis impleuerat.* ſunt verò de hoc quæſtiunculæ aliquot.

1 *Quanta hæc extraordinaria eſſet latitudo?* Radak, & aliquoties Maſius duo circiter cubitorum millia ei tribuunt, quod conuenit 12.

milliaribus. quæ eo loco, vbi tranſierunt Iſraelitæ. ait Syrochald. p. 117. vt in Actor. cap. 1. oſtendo. Incertam tamen hanc latitudinem opinor, pro magnitudine ac varietate cauſę, vnde illa. de qua paulo poſt.

2. *An extraordinaria hæc fuerit tantùm hoc tempore, cum tranſituri eſſent Iſraelitæ, an etiam alias?* Abulenſis ante quæſt. 35. eam Lyrano ſententiam tribuit, quaſi tunc temporis tantũ factam putarit. quia quod in Latino noſtro eſt, *tempore meſſis*, vertit ex Hebræo, *omnibus diebus meſſis*. Mihi tamen primo non videtur Lyranus negare, id aliis etiam annis fieri, ſed tantum eum horum verborum ſenſum eſſe, quem tradidit. Secundo. ſi tamen negaret quiſpiam, facilè poteſt è locis aliis probari eam Iordanis inundationẽ eſſe anniuerſariam. vt 1. Paralipo. 12. v. 15. *Iſti ſunt, qui tranſierunt Iordanem menſe primo, quando inundare conſueuit ſuper ripas ſuas.* Eccleſ. 24. verſ. 36. *Qui multiplicat, quaſi Iordanis in tempore meſſis.* Tertio. Melius ex iſtis aliis ſcripturis exponitur iſte locus, vt *omnibus meſſis diebus*, id eſt, *quolibet meſſis tempore*, ſiue *anno quolibet* dum agitur meſſis, inundare ſolcat Iordanis, quam quod *toto duorum menſium tempore* inundet Hoc enim neque probari poteſt, neque etiam fieri apparebit poſtea, cum de inundationis huius cauſa, dicetur. Et tamen idipſum Caietano etiam videtur placere.

Tertia quæſtiuncula. *Quænam iſta meſſis?* Eſt in ſcriptura *meſſis ſpiritualis* & *corporea*. & hæc vel *tritici* eſt, Geneſ. 30. Iud. 15. verſ. 1. 1. Reg. 12. v. 17. vel *hordei* Ruth. 1. verſ. 22. 2. Reg. 21. verſ. 9. vel *myrrhæ*. Cant. 5. verſ. 1. Abulenſis Iud. 6. q. 24. videtur *hordaceam tantum meſſim* accipere. Caietanus verò putat hic & *hordeaceam*, & *triticeam* ſimul ſignificari. Sed triticea tantùm videtur accipienda. Primò. Cum aliud vllum nomen vel circumſtantia meſſi non adiicitur, de maximè propria, præcipuaque meſſe ſumi ſolet, quæ triticea eſt. Secundo. diſertè in 70. ponuntur *dies meſſis frumentorum*, ſiue, vt habet S. Auguſtinus q. 3. *dies meſſis tritici*. Tertio. Menſis primus non *Niſan* tantùm. Sed *Abib* etiam vocatur. Exodi 13. v. 4. & Deut. 16. id eſt, *nouarum frugum menſis* aut *culmi*, *ſpicaque nouæ*. Neque valet, quod vrgent quidam, in Pentecoſte Deo è noua tritici meſſe primitiuos panes offerri, Exod. 34. 22. Leuit. 23. 15. Num. 28. verſ. 26. Id enim non ſignificat, eam tunc meſſem fieri, ſed factam eſſe. Nam ſpicarum ipſarum primitiæ offerebantur die xv. menſis primi. Leuit. 23. v. 8. & exinde triticum metere licuit. poſt ſeptem verò hebdomadas, quæ meſſi huic peragendæ dabantur; non ſpicæ, ſed è nouo tritico panes offerebantur.

Quarta quæſtiuncula. *In quod anni tempus triticea iſta meſſis cadebat?* Apud nos in *Iulium* & *Auguſtum* ſolet incidere. Sed in Iudæa *Maium* eſſe ait in Ioannis 4. Maldonatus noſter: D. Auguſtinus quæſtione citata, *veris initium*. Nimirum ſi meſſis principiũ cogitemus, eſt veris initium, quod *Martio* noſtro reſpondet. ſi finẽ, eſt *Maius*. & inter vtrumque eſt meſſis progredientis tempus, *Aprilis*. S. Auguſtini verba ſunt. *Iordanis plenus erat, per totam crepidinem ſuam, ſicut in diebus meſſis tritici. Hoc incredibile videtur regionibus noſtris. Ibi autem ſicut perhibent, qui nouerunt, in initio veris eſt meſſis tritici: Tunc autem ille fluuius repletur amplius quam per hyemem.* Plinius lib. 18. cap. 18. *Paulo ante Calendas Aprilis meſſem in Ægypto inchoari, & Maio peragi ſine abſolui* tradit. Et apud Caſſianum collat. 15. cap. 4. Abbas *Abraham*, metendi gratiâ ad Ægyptum de eremo, *diebus quinquageſimæ* (inter paſcha ſcilicet & pentecoſten) pergebat. Ioannes autem Leo lib. 8. de Ægyptiorum agens moribus, *Sub Aprilis*, ait, *initium ſegetes ſuccidunt, ſucciſas confeſtim triturant: neque ſpicam ad viceſimum Maij ſecandam relinquunt.* Comicus certè *in Auibus* Ariſtophanes *verpos*, id eſt, *Iudæos*, *Phœnices*, & *Ægyptios*, ad meſſem ait procedere, cum canere incipit cuculus. Sic enim ipſe κόκκυ ψωλοὶ πεδίονδε. vbi eius Scholiaſtes dictum hoc ait παρὰ τὴν παροιμίαν, quoniam videlicet ἐπὶ τῶν Αἰγυπτίων ἤγουν ψωλοὶ πολλοί, vt ſenſus ſit, ὅταν ὁ κόκκυξ εἴπῃ κόκκυ, τότε οἱ ψωλοὶ ἤρχοντο εἰς τὸ πεδίον. ſeu, τοῦ κόκκυγος κράζοντος, ἐθέριζον, *quum culculus cantat, tunc recutiti apellæ in agros exibant, & ſegetes demetebant.* Intelligit autem ψωλῶν nomine *Phœnices* & *Ægyptios*, qui circumcidi ſolebant. ideoque paulo ante dixerat, Αἰγύπτου δ' αὖ καὶ Φοινίκης πάσης κόκκυξ βασιλεὺς ἦν. κὠπόθ' ὁ κόκκυξ εἴποι κόκκυ, τότ' οἱ Φοίνικες ἅπαντες τοὺς πυροὺς ἂν καὶ τὰς κριθὰς ἐν τοῖς πεδίοις ἐθέριζον. Vide infrà cap. 5. q. 31. quæſt. 4. ad quintam obiectionem.

Quinta quæſtiuncula. *Quænam, cur illo tempore illic maturæ ſint ſegetes, cauſa?* Miratur Oleaſter in Leuit. 23. Sed reſpondet hic Abulenſis quæſt. 35. eſſe maiorem ad æquinoctialem circulum vicinitatem, ideoque & maiorem calorem, quam qui in Hiſpania ſit, & multo magis, quam qui in noſtra iſta Germania. ſed iſto modo Ægypti ſegetes adhuc citius quam Iudeæ matureſcerent, quia æquinoctiali circulo propior eſt. At ex dictis apparet, eandem eſſe rationem. Imò in Africa tota ocyor eſſe deberet, quam in Iudæa meſſis. At non eſſe indicauit ſuprà S. Auguſtinus. Putarim igitur non vnã hanc tantum cauſam conſiderandam, ſed cum ea illam etiam copulandam, aëris, ſolique bonitatẽ. Nam τὴν εὐκαιρίαν, ſiue τὸ τῶν ἀέρων εὔκρατον recenſet Ioſephus libro 3. c. 35. Vnde & Radakeam terram ait Iſaiæ 13. v. 19. appellari צבי, tſebi quòd vt ceruus & caprea, quæ eodem Hebræo nomine vocatur Deut. 14. v. 5. cæteris animantibus velocior eſt: ita terra Iſrael ad fructus ſuos maturandum & excoquẽdum prę terris aliis aptior & celerior ſit, vt infrà cap. 13. quæſt. 3. rurſum dicetur.

Sexta quæſtiuncula. *Cur eodem meſſis tempore inundet Iordanis?* Cum id non anno toto, ſed eo anni tempore fiat, cauſam eſſe neceſſe eſt, non perennem, ſed quæ tunc exiſtat. Ea verò videatur primo *imbrium* eo anni tempore decidentium *copia*. Negat quæſt. 36. Abulenſis. 1. quia non quotannis eodem tempore illi redirent. 2. quia ſcriptura indicat eſſe miraculum, tunc ea regione eſſe pluuias. 1. Reg. 12. & addi poteſt illud Prouerb. 26. verſu 1. *Quomodo nix in æſtate, & pluuiæ in meſſe: ſic indecens eſt ſtulto gloria.* In verni tamen temporis menſibus pluuiam Iudææ non vſitatam modo, ſed optatam etiam

Digitized by Google

etiam, videtur probari ex pluuia, quæ *malkos*,
Latinè *ſerotina* vocatur, aut etiam *verna*, vt in
Hebræorum Calendario ait Genebrardus, vbi
de die 26. menſis primi, eam precibus à Deo pe-
ti notat, quòd mox futurę meſſi commodiſſima
ſit. quēadmodū alterū pluuię gen⁹, quod vel ter-
rā ad ſemē concipiendū mollit, vel iactā irrigat
ſementē, & *Hioreh*, à noſtro Interprete Ier. 5. *tem-
poranea* vocatur; die 25. *Kisleu* ſiue *Nouembris* pe-
tebatur. Et in Amos 4. Ribera *ſerotinam* illam
incipere ait *ſub extremum Aprilis*. huiuſque ſen-
tentiæ auctorem laudat S. Hieronymum in
eundem locum. Sed his verbis plura viden-
tur ineſſe vel menda, vel obſcura. Nam primò
dicit, *agris Paleſtinæ, aruiſque ſitientibus, ſerotinam
pluuiam vel maximè neceſſariam eſſe, vt quando her-
ba turgeret in meſſem, & triticum parturiret, nimia
ariditate areſceret*. Sed non eſt ea pluuia neceſſa-
ria, vt areſcat terra, ſed *ne areſcat*, vel, *vt ne areſ-
cat*. ideoque & alterutro modo emendandus
locus. 2. Cum dicit apud ipſum Amos Prophe-
tam Dominus. *Prohibui à vobis imbrem, cum ad-
huc tres menſes ſupereſſent vſque ad meſſem*. ita com-
mentatur idem S. Hieronymus: *Significat ver-
num tempus extremi menſis Aprilis*. Et hoc non
mendoſè. ſed ſequitur. *à quo* (ſcilicet menſis
Aprilis extremo) *vſque ad meſſem frumenti, tres
menſes ſuperſunt, Maius, Iunius, Iulius*. At ea ſunt
non ipſius Hieronymi, ſed alterius alicuius ver-
ba. Nam paulo poſt, eam expoſitionem refel-
lit, dicens. *Quod ſi recipimus, omnino iuxta orientis
omnes regiones & inſolitum & impoſſibile eſt. Nun-
quam enim in fine menſis Iunij, ſiue in menſe Iulio, in
his prouinciis, maximèque in Iudæa pluuias vidimus*.
Et poſtquam citatus eſſet 1. Reg. 12. locus per-
git. *Superfluum erat nunc comminari menſis Iulij ſic-
citatem, in quo nunquam pluuias dederat, ipſe Domi-
nus*. Eſt igitur inter D. Hieronymi ſententiam,
& hanc, quam confutat, hoc diſcriminis. quòd
finem trium menſium illorum, adeoque illam
meſſem ad Aprilis extremum pertinere velit,
illa verò expoſitio idem Aprilis extremum fa-
ciat eorundem trium menſium principium, fi-
nem verò in Iulio collocet. 3. Ante iſtam refu-
tationem ponitur quædam circa 70. notatio,
quod *pro meſſe vindemiam*, more ſuo, tranſtule-
rint. Sed videtur ea notatio ipſi refutationi ſub-
iungenda. niſi, quod veri reor ſimilius, illa il-
lius expoſitionis refutatio è D. Hieronymi tex-
tu prorſus exturbanda ſit, & tum eadem Diui
Hieronymi refutatio erit contra ipſos 70. quod
vindemiam vertant, quæ in eadem Iudæa fieri
ſolet *Iulio*, vt oſtendit etiam Borcardus, cum
ait *triplices à Iudaica vite botros ferri*, & ſubdit:
*Primo bitri in Auguſto ad maturitatem perducti ſuam
vindemiam requirunt: Secundi in Septembri raceman-
tur, & Tertij in Octobri. Hinc etiam eſt, vt in terra
ſancta botros venales inuenias à die Ioannis Baptiſtæ,
vſque in diem Diui Martini*. Videtur enim quiſ-
piam, cum à D. Hieronymo in iſta refutatione
fieri videret mentionem *Iunij* & *Iulij*, putaſſe
hoc ad tritici meſſem referendū. & vt hoc, quod
non dicebatur, clarius dici videretur, poſuiſſe
illam in margine gloſſam, quæ in ipſius Sancti
contextum irrepſit poſtea. Sed hiſce in D. Hie-
ronymo breuiter aut correctis, aut expoſitis,
concludamus id, cuius causâ, huc deductus ſum:

A *in Aprili eſſe in Iudæa pluuias* ex ipſius quidem S.
Hieronymi ſententia, qui eas ipſe regiones in-
coluit, & illa cum ſcriberet; incolebat, vt ex
ſequentibus perſpicuum. *Ergone in meſſe illic plu-
uia?* Reſpondeo & paulo ante meſſem ordina-
riè ſemper, & in temporis, quo fieri ſoleret, pri-
mis diebus interdum eſſe. Quod verò dixit Sa-
muel 1. Reg. 12. verſu 17. *Nunquid non meſſis triti-
ci eſt hodie?* poteſt explicari vel de adulta iam
meſſe, vel de die, qui meſſi gratus & accom-
modatus erat: q. d. Nunquid ſudum iam & ſe-
B renum eſt? Nunquid dies talis, qualem in meſ-
ſe optatis? Sic & Salomon tantummodo inquit,
meſſi non congruere pluuiam, quemadmodum
dixit Poëta:

Triſte lupus ſtabulis, maturis frugibus imber.

Licet enim in æſtate nunquam decidat nix,
niſi forte miraculo aliquo, vt in hiſtoria de *B.
Maria ad niues*; poteſt tamen in meſſe pluuia eſ-
ſe crebrior: ideoque aliqua, cur eo tempore in-
tumeat, extraque alueum ſuum latius feratur
Iordanis, cauſa in ſerotinarum id genus pluuia-
C rum caſu hærere poteſt. Eſt & *altera* quòd *niues*,
quibus abundare Libanum, dixi cap. 1. quæſt. 7.
tam in eo, quam in alijs montibus *liqueſcere tum
ſoleant*. Nam vt ait Naſo:

——— zephyris, & ſolibus ictæ,
Soluuntur teneræ vere tepente niues.

Rurſumque:

Et pereunt victæ ſole tepente niues.

Sic enim eodem etiam tempore noſtrum, &
Mœnum & Rhenum, eandem ob cauſam creſ-
cere videmus. Sic Euphratem & Tigridem au-
D geſcere ait Maſius, ex Eccleſiaſtici 24. 35. Et
cum inter flumina duo. *Sicorim* & *Cingam*, caſtra
olim poſuiſſet Cæſar, magnum magnæ calami-
tatis periculum adijt, quòd, quemadmodum
ſcribit lib. primo de bello ciuili, *tum ex omnibus
montibus nix proflueret, ſummaſque fluminum ripas
ſuperaret, ponteſque omnes, vno die, interrumperet*.
Cum *Nicæam*, *Cicum*, *Apanæam*, & *Praſen*, in-
curſionibus vexaſſent Scythæ, *Cyzicum*, ait in
Valeriano Zoſimas, *petiere. Verum, quod Rhia-
dacus fluuius ex imbribus auctus, ingentem aquarum
E vim volueret, retroceſſerunt*. Borcardus. *Excreſcit
mare mortuum ex reſolutione niuium de Libano, &
pluuiis cadentibus in Galilæa, in monte Galaad, in
terra Moab, Ammon & Seir, quæ aquæ omnes in Ior-
dane confluunt*. Scribit hic conſentanea Bello-
nius lib. 2. obſc. cap. 86. Sanè miratur lib. 4.
Herodotus, cur, cum pluuias & niues tot ac-
cipiat Danubius, ſibi tamen æqualis ſemper
maneat? ſcilicet eum non viderat, cum & in-
fletur non raò & ſuas ſupergreſſus ripas in ipſis
pœnè principijs exundet. Quando autem D.
F Radziuilius epiſt. 2. fol. 29. dicit, *nunquam li-
queſieri niues Libani, etſi calores ſint ibi longe vehe-
mentiores, quam in Italia*; intelligit non integre
liqueſieri, & ex omnibus omnino locis, quorum
quædam vel abditiſſima vel vmbroſiſſima per-
petuas alunt niues.

Septima quæſtiuncula, & vltima. *Vnde in
iſta tam calida regione niues?* Reſpondendum ait
Abulenſis quæſtione 37. in regionis huius terra
plana raò niues euenire: in altiſſimis tamen
montibus propter frigoris magnitudinem par-
uam ſolarium radiorum repercuſſionem, &

Digitized by Google

magnas nemorum vmbras, manere niues. *Mirum dictum*, ait lib. 5. hiſt. Tacitus, *Libanus, tantos inter ardores, opacus, fidusque nimbus.* Verum & in planis etiam locis ſuo tempore, hyberno ſcilicet, eſſe niues, fit è 1. Machabæor. 13. verſu 22. 2. Regum. 23. verſu 20. 1. Paralip. 11. verſu 22. manifeſtum; & colligi poteſt è Prouerb. 31. verſu 21. Tres tamen, quas affert Abulenſis, cauſæ, ad hoc valent, vt copioſior, denſior, & diuturnior in montibus nix, quam in planioribus locis inueniatur. Ex his verò illud etiam habetur, hoc tempore, propter aquarum abundantiam, rapido admodum impetu decurriſſe Iordanem. In eiuſmodi enim fluuijs trudit aquam aqua. Et hoc modo putatur à quibuſdam Iordanis dici *ethan* Pſal. 72. id eſt, *fortis & robuſtus*, vt ibidem notat Genebrardus.

QVÆSTIO VI.

Quomodo diuiſus Iordanis?

INGRESSIS Iordanem ſacerdotibus, qui arcam baiulabant, *& pedibus eorum in parte aquæ tinctis*, ait textus illum diuiſum, eſtque communis, quam ſæpe tangit Abulenſis, maximè poſt quæſtionem 32. opinio ad primam ſacerdotum in fluuium ingreſſionem, dum primis eius aquis, primò illorum pedes tincti & madefacti ſunt, ilico in ijſdem totis aquis, toto alueo, à ripa vna ad alteram, diuiſionem amnis totius extitiſſe, vt, ante ſacerdotum oculos & pedes, via tam aperta & ſolida confeſtim, vt grandi commode poſſent; fuerit. Maſius verò diſſentit, & exiſtimat, non ita ſubitò amnem totum diuiſum, ſed pedetentim, ad ſingulos aquæ obuiæ contactus, dum ſingulos illi paſſus facerent, & in aquis ante faciem ſtantibus pedes mergerent. Hoc enim volunt hæc eius verba: *Simul atque pedes mergere in aquas cœpere ſacerdotes, quatenus procedebant, eatenus illæ, quæ ſupra erant, quaſi aggere cohibitæ, ſiſtebantur.* Et paulo poſt. *Paullatim euadentes ſacerdotes, propè ad oppoſitam ripam vſque, ſenſim ſuperiorum aquarum ſiſtebant curſum, & de labentibus inferioribus vada paullatim exſiccabant. Ac tum denique illi, quàm latè patebat alueus, vada pedetentim progreſſi denudarunt.* Similia iterum poſtea fol. 65. 67. 68. ſed nimium lenta hæc miraculi ratio, quam reſpuit primò textus ipſe. Cum enim dicitur *ingreſſis eis Iordanem, & pedibus eorum in parte aquæ tinctis*, nonne ſignificatur, ſtatim atque Iordanem ingreſſi, eorumque pedes tincti ſunt; illud, de quo agitur, factum? quemadmodum ſumma etiam celeritas ſignificaretur, ſi dicerem, ingreſſo me in Maſij librum, & coniectis in locum iſtum oculis, veniſſe, qui nunciaret Ratiſponenſem nuper inſtitutam diſputationem à Francofurtenſibus Lutheranis iactari, quaſi à ſe ſtaret victoria. Sic & Hebræus. *Cum perueniſſent baiuli arcæ vſque ad Iordanem, & pedes ſacerdotum baiulorum arcæ intincti ſunt in parte*, ſeu vt vertit ipſe Maſius; *in extremitate aquarum.* Secundò. Cum in ſingulis noſtris paſſibus non multò longius, quam caput, pedes promoueantur, ferè fieret, vt in aquam, quæ coram ſtaret, caput impingeret ac madefieret. Tertiò, minimum, quibus arca ferebatur, ve-
A ctes in aquam illam aſſiduè intingerentur. Ho-
rum enim pars, ante humeros, aliqua extabat.
Quartò, ſi non, niſi dum pedibus tangeretur,
aqua cedebat, non viderent ſacerdotes, vbi in
profundo illo fluuij gurgite, pedem figerent.
Nam, verbi cauſa, faciamus ante me ſtare aë-
rem obſcuriſſimum & caliginoſiſſimum, qui,
me accedente, cedat, ita vt pars, vbi pedem
iam pono, non niſi poſtquam pedem poſuero,
abeat, certe cum pedem primò ponam, vbi po-
nam non videbo. Quid ſi, vt in quibuſdam
B aliquando fluuijs, aliqua alta ibi fouea & vora-
go? Quintò. Neceſſe præterea foret, vt alia
plura ſimul concurrerent miracula. Nam ſu-
periores aquæ deberenr pedatim, & quaſi linea-
tim ſiſti, ſimiliter etiam inferiores decurrere:
cæteris interim ſolitum ſuum curſum tenenti-
bus. Nam dum pedem ante ſe poſuiſſet ſacer-
dos, aquæ ſuperiores omnes pedi huic ſecun-
dum lineam rectam vtrimque reſpondentes,
conſiſterent: inferiores ita decurrerent, vt tan-
tulum inane ſpacium relinquerent, ideoque ſu-
C periores pedatim extumeſcerent: & quomodo
in alias ſibi continentes aquas ad latus non in-
ciderent? Cum verò inferiores etiam pedatim
deſinerent, quomodo in earum locum non re-
ciderent his vicinæ & continentes aquæ? Quod
ſi ſuperiores lineatim tumefactæ ſtent, neque
in vicinas recidant, magnum erit in liquido
elemento miraculum: itemque ſi ex inferiori-
bus illæ, in earum quæ defluxerunt, ſpacium
non illabantur, ad quas nondum peruenit pes.
Sextò, demum ex iſta tanta diuiſi totius flumi-
D nis velocitate magis perſpicitur Dei vis & po-
tentia, quæ Iudæorum animos mirè confirma-
maret ac erigeret. Subitò igitur, & breuiſſimo
temporis quaſi puncto diruptæ ab aquis aquæ
ſunt: idque affirmat etiam lib. 2. Mirabilium
ſacræ Scripturæ cap. 1. auctor. *Cum*, ait, *arcæ te-*
ſtamenti onere decorati, reliquam plebem præcedentes
ſacerdotes primas vndas ingrederentur, ab illo loco
vbi ſteterunt, vſque ad mare omnis fluminis alueus
aquis ſuis confeſtim nudatus, ſuperiorque aquarum
moles, quæ de fontibus augebatur, ſurſum in aera mon-
E *tabat, quouſque omnis Iſrael ſiccis pedibus alueum flu-*
minis tranſierat. Sed cum arcam duo ferrent ſa-
cerdotes, & vnus ante, alrer poſt illam eſſet, an
eadem diruptio facta, cum prior ille pedem in
aquam merſit? pluraliter omnia dicit Textus,
& pedes & ſacerdotes baiulos, ita vt non cum teti-
git prior aquas, aliæ ab alijs diſceſſerint. Sed
cum poſterior etiam: vt cum ambos vterque
pedes in aquam poſuit.

QVÆSTIO VII.

F

A qua efficiente cauſa diuiſus Iordanis?

SATIS conſtat miraculorum, & omnium, quæ ſupra naturam fiunt, efficientem cauſam eſſe Deum: ſed primariam & principalem, quæ interim cauſis quibuſdam ſecundis & inſtrumentis ad iſtiuſmodi effecta vtatur. Certè D. Auguſtinus lib. 21. de ciuit. 6. & 8. notat ex Æneid. 4. putatum ab Ethnicis poſſe *carminibus* Magos. *Siſtere aquam fluuiis, & vertere ſidera retro.* Quænam ergo ſecundaria, & qua tanquam inſtrumento

Digitized by Google

inſtrumento, in amne iſto diffindendo & coercendo, vti Dominus dignatus ſit, inquiritur. Quidam putant ipſos *ſacerdotum pedes* hanc efficientem cauſam eſſe, quibus eam vim dederit Deus, vt ſuo contactu aquas hincinde propellerent, & alias inſiſtere, alias profluere facerent. Ita videtur ſentire qui S. *Brigittæ* vitam vt appellat, abbreuiatam ſcripſit. Deſcribens enim, quomodo ſancta eiuſdem ſanctæ filia *Catharina* inundentem aliquando Tiberim Romæ compeſcuerit; ita loquitur. *Mira res, antiquum innouatur miraculum. Ioſue tempore Iordanis conuerſus eſt retrorſum: & ad ingreſſum virginis ſanctæ in aquam, virtus de illa exibat, & vim virtutis aquarum reſtringens, inundantem fluuium, cum omni velocitate in alueum ſuum redire coegit.* Quemadmodum enim cum ſacerdotibus flumen ingreſſis S. Catharinam confert: ita ex illis virtutem exijſſe ſignificat quemadmodum ex iſta exijt. Virtus autem hæc quænam præter efficientiam, alia? Eſt enim ad illud de Christo Domino alluſio Luc. 6. verſu 19. *Virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.* Et confirmatur. 1. Quemadmodum enim vim ad quiſpiam naturalem dedit Deus qui rei voluit, ita & ſupernaturalem dare poteſt. 2. Aliqua fuit hepatis fumo ad expellendum dæmonem efficientia, vti probatum Tobiæ cap. 8. quæſtione 2. & 3. Ergo & ſacerdotum pedibus fuit ad Iordanem ſiſtendum aliqua. Verum auctoribus alijs videtur cauſa efficiens, *Angelus*, vt Abulenſi q. 19. & 33. Caietano in Exod. 14. Pererio ferè ibidem, diſp. 1. fol. 832. Etſi enim de maris rubri diuiſione poſteriores iſti agunt, par tamen de diuiſo Iordane ratio eſt, præſertim cum idem Pererius diſput. 5. vtriuſque miraculi ſtudioſè diſcrimina colligat, neque vllum in cauſa iſta efficiente conſtituat. Mihi autem Primo videtur obſeruanda efficientis cauſæ duplicis diſtinctio. Nam vna *phyſicè* agit: altera *moraliter*, ea ſcilicet, quæ vim in effectum aliquem phyſicum non exerit: ſed eſt tantummodo morale veluti ſignum, quo poſito alia quædam cauſa phyſice illum effectum efficit, prout in diſputatione de Sacramentorum efficientia faciunt Scoti aſſeclæ manifeſtum. Deinde ſacerdotum pedes, dum aquam contingerunt, cenſeo efficientem cauſam fuiſſe, non phyſicam, ſed moralem. Quin enim aliquid ad miraculum iſtud effecerint, ambigi vix poteſt, tum tam diſertè ipſos ante illud requirat Dominus, dicens verſu 13. *Et cum poſuerint veſtigia pedum ſuorum Sacerdotes in aquis Iordanis, aquæ quæ inferiores ſunt decurrent, atque deficient*, &c. Neque iſte contactus mera fuit aquarum diſpoſitio, neque puraputa *cauſa, ſine qua non* effici miraculum poſſet: & ſi eſſet, adhuc ad moralis efficientis cauſæ rationem reuocari poſſet. Non fuiſſe tamen phyſicam cauſam inde colligitur. 1. quòd nullam iſtiuſmodi efficientiam textus inſinuet. 2. Virgâ ſuâ tetigit Moyſes mare rubrum: & ipſi tamen illi virgæ nemo, quod quidem ſciam, tribuit efficientiam phyſicam, ergo neque ſacerdotalibus pedibus, etiam ſi quidpiam ſentiat illa ſtatim tribuenda. 3. Quia vel *naturalis* vis eſſet, vel *ſupernaturalis*, vel *mixta*. Non *naturalis*. Quæ enim pedum illorum contra tantam aquarum molem vis? Etſi ſupernaturaliter non concurriſſet Deus, non ſacerdotum pedes tantùm, ſed & ipſi toti, omneſque Iſraelitæ in fluuio iſto ſubmerſi fuiſſent, ſi quidem eum pedibus pertranſire voluiſſent. Non *ſupernaturalis*. Hæc enim quamuis diuinitus illis indi potuiſſet, factum tamen non eſſe inde colligimus, quod maxima & nobiliſſima ſit iſta efficiendi ratio: & nulli facile attribuenda, niſi vel textus nobis auctor ſit, vel inſignis aliqua ratio. Non *mixta*, eandem ob cauſam. Ideoque *moralis tantum efficientia hiſce ſacerdotum veſtigiis aſcribenda*. Et de hac intelligenda mea illa in Ioſuano libello num. 43. exclamatio. *O miram ſacerdotalium pedum vim! ô ſacri contactus efficientiam.* Tertio demum exiſtimo, vnum vel plures Angelos Iordanem medium diſſecuiſſe, ſuperioreſque aquas quodam veluti fręno inhibuiſſe. Nam huiuſmodi quidpiam poteſt ſolâ naturali Angelorum tam bonorum quam malorum vi fieri. Deus autem ad huiuſcemodi effectus, vti conſueuit, prout ſuprà etiam dictum, cauſis ſecundis. Malorum autem hic ſpirituum nulla eſſe debet cogitatio. Bona enim & mirabilia id genus opera bonorum miniſterio miniſtrorum peragit Dominus. Neque enim potens quiſpiam, ſi quid quibuſdā vtile, gratum, ſplendidum, & mirabile donare velit, miniſtriſque eam ad rem vti poſſet honeſtis & ſplendidis, citra vllam ſuam, aut miniſtrorum ipſorum moleſtiam & incommodum, adhibebit fugitiuos potius, & ſordidos ſeruulos, mille catenis, milleque crucibus, ob ſcelera & nequitiā, onuſtos. Et mare rubrum ab Angelis olim diuiſum fuiſſe, recepta ſententia eſt, quam his etiam verbis ante ſæcula tot, expoſuit Lactantius. *In eductione* (Iſraelitarum ex Ægypto) *oſtendit virtutem ſuæ maieſtatis Deus. Traiecit enim populum medio mari rubro, præcedente Angelo, & ſcindente aquam, vt populus per ſiccū gradi poſſet.* Angelum vnicum dicit. & ſanè ad Iordanem frænandum multo magis vnus ſatis fuit. Et fortè fuit is *S. Michael*, de quo infrà ca. 5. cum de eo pulcherrima etiā referatur à Metaphraſte & Surio die 29. Sept. hiſtoria, quemadmodum duos fluuios in S. *Archippum*, ipſiuſque S. Michaelis templum ab infidelibus deriuatos, iāque repagulis emotis emiſſos compreſſerit, in terręq; hiatū condi deinceps iuſſerit.

Ad ea verò quibus prior firmabatur ſententia, perfacilis reſponſio. Nam ad *primum* conceditur, Deum poſſe hanc efficientiam ſacerdotalibus dare pedibus. Sed an dederit, quæſtio eſt. idque negatur, quia rem tantam aſſeuerandi nulla ratio. Ad *ſecundum*. Textus in *Tobia* efficientiam hepati illi clarè aliquam dat, & quodammodo naturalem, vt illic oſtenſum. Hic verò ita textus loquitur, vt iſtiuſmodi efficientiam nullam aſtruat; ſed tantummodo, quoddam veluti ſignum, quo perſpecto, curſum ſtatim ſuum ſiſteret Iordanis. Nihil enim plus efficiunt verba iſta, verſu 13. *Cum poſuerint veſtigia pedum ſuorum ſacerdotes*; & verſu 15. *Ingreſſis eis Iordanem, & pedibus eorum in parte aquæ tinctis.* Cæterum & illud ex his colligendum, cum miraculorum gradus varij ſint, non eſſe in ſummo gradu iſtud. quia non totum naturalium virium ordinem ſuperat; ſed naturalium tantum-

Digitized by Google

modo virium, quæ in corpotato iſto mundo ſunt, corporatiſque rebus inſunt, ordinem. Mirabilium ſacræ Scripturæ auctor lib. 2. cap. 1. Cum à Cyro Gyndem Babylonum fluuium aliò deriuatum dixiſſet, alioſque ab alijs alibi, vt infrà cap 4. pag. 3. quæſt. 4. notabitur. *Quod*, ait, *homines velut terrem, de terrena craſſa materia frequenter faciunt, quomodo Angeli tunc, quorum officiis hæc omnia mirabilia peraguntur, per aerem facere non potuerunt? Cum ſit naturale aeris opus & proprium officium aquas retinere in nubibus, & vt docti indoctique pariter norunt, quotidiana adminiſtratione retinet. Ita tunc Deo iubente fluminis curſum prohibuit, vt per illius fluenta arca Dei, & ſacerdotes tranſirent.*

QVÆSTIO VIII.

Ab iſta cauſa efficiente quidnam extitit, quo Iordanis diuideretur?

VARIA intelligi poſſunt, quę ad Iordanem diuidendum ac ſiſtendum ab Angelo extiterint. *Primum*. Solum eius imperium & iuſſus. Tale quid enim Poëta tribuit Nymphæ neſcio cui, cum Ariſtæum Penei fluminis filium *ſubtus humentia regna* deduceret lib. 4. Georg.

——ſimul alta iubet diſcedere latè
Flumina, qua iuuenis greſſus inferret. At illum
Curuati in montis faciem circumſtetit vnda.

Prout hunc etiam verſum, ex Homero alioquin Iliad. 11. traductum, citauit loco quæſtione ſuperiore citato Lactantius. *Secundum*. Si diuinum concurſum, non vtique Deo nolente, ſed volente impediret, vt ad eum vſque locum, vbi tranſenndum erat, fluere poſſent, non vlterius, niſi poſt ſectionis ſpacium forent. *Tertium*. Poſſentque etiam refluere fontem verſus, & extumeſcere, ſi aſſerunt aut lapidum, aut ſimilis cuiuſcunque materiæ moles quędam ruentibus aquis ab eodem Angelo tanta obijceretur, vt ijs neceſſariò refluendum ac intumeſcendum eſſet. *Quartum*. Si vim ipſis aquis aliquam verſus eam partem, vbi fluere vlterius deſinerent, inderet, qua illæ veluti conglaciarent, in chryſtallum concreſcerent, aut alio quoquo modo ſolideſcerent, aut circumſtans aër eodem modo ſolideſcens, vtris aut vitri inſtar ſe habens illas coërceret. *Quintum*. Si tanta ventorum vis delabeſcentibus aquis è contrario ſeſe opponeret, vt retrò ſublapſæ referri cogerentur. *Sextum*. Si cœleſtes quidam aut radij aut influxus in aquas immitterentur, ijſque illæ retinerentur ac regurgitarent, quemadmodum in maris fluxu ac refluxu videmus, & quemadmodum ab Iſraelitis mare rubrum tranſitum cenſuerunt, falsò quidem, ſed conſuerunt tamen apud Diodorum Tarſenſęm, & Euſebium lib. 9. de Præparatione Euangel. capite vltimo. Memphitæ. *Septimum*. Si vel in lapidibus, vel in animalibus, vel alijs vllis naturalibus rebus, etſi nobis ignota, cœleſtibus tamen Spiritibus nota, vis quæpiam eſſet, qua impediri retroque agi poſſet aquarum curſus. Si enim eſt aliquid, vt ſanè eſt, quo ferrum trahatur, quo ignis arceatur, quo incitatæ naues figantur, quo ſanguis fluens ſiſtatur, nonne poſſet aliquid à Deo con-
A ditum inueniri, quo diſcinderentur, & ſuo à flexu tardarentur amnes?

Sed *primò*. Angeli iuſſus, niſi ei aliud quiddam iungatur, in creatura inanima efficere nihil poteſt. Nam iuſſus & imperiũ aliud non eſt, quam efficacis voluntatis certa quædam propoſitio. Hæc autem apud eam rem, quæ propoſitionem illam non percipit, quidnam efficiat? Ideoque cum iuſſu iſto alia quædam efficientia concurrat, neceſſe eſt, prout etiam factum quando *mari & ventis imperauit* Dominus Matth. 8. v. 26. *Secundò*.
B Diuino autem impediendo aut ſubducendo concurſui nullus aut neceſſarius, aut idoneus Angelus. Pendet enim ille à ſolo Deo, ideoque dum tantũmodo vult Deus non concurrere, iam deſinit ille cõcurſus; neque ad illum ſimpliciter tollendum creatura vlla requiritur. *Tertiò*. Moles porrò nulla hic obiecta fuit. Nam fuiſſet inter ſtantes aquas, & tranſeuntes Iſraelitae corpus aliquod ſolidum & craſſum interiectum. Sicque illorum oculos, etiamſi ipſum non videretur, impedijſſet, quia radij, qui *viſuales*
C vocantur, ſiue à vidente ad rem viſam cum Platonicis, ſiue à re viſa ad videntem, cum Ariſtotelicis accipiantur, interrupti fuiſſent. Deinde materia hæc oppoſita ſiue ſub aſpectum cecidiſſet, ſiue Vulcaniorum vinculorum inſtar, latuiſſet, aliquo, vt opinor, verbulo in textu ſubindicata fuiſſet. *Quartò*. Venti hic nulli, & ſi aliqui fuiſſent, moleſtiam vtique ipſis tranſeuntibus magnam attuliſſent. Toto enim, quo tranſierunt illi tempore, perflare, contraque irruentes aquas aſſiduo & vehementi ſpiratu obniti debuiſſent. *Quintò*.
D Cum nulla eiuſmodi res nobis nota ſit, quæ fluminum curſus vel tardare, vel omnino comprimere poſſit, non decet, vt huiuſmodi quid adhibitum fingamus. *Sextò*. Ideoque vim quandam perfrigidam, gelidamque prorſus in aquis iſtis excitatam, vel aliam quamcunque ſiue cœleſtes adfuerint influentiæ, ſiue non, ab Angelo infuſam cenſeo, qua pars aquarum ea, quæ vbi amnem diuidi volebat Deus, tum inuenta eſt, & primò deinceps affluxit; in duritiam &
E cryſtallinam veluti ſoliditatem coiret, vt murus, aqueus quidem & illuſtris, ſolidus tamen ad affluentes alias coercendas & ſiſtęndas fieret. Nam quod de vno aquarum latere hic aſſero, aſſertum olim fuit de diuiſi maris latere vtroque Exod. 14. verſu 22. *Et ingreſſi ſunt filij Iſrael per medium ſicci maris. Erat enim aqua quaſi murus, à dextra eorum & læua.* Et in lib. 1. recognitionum Clementis legimus, vndas illas *tanquam gelu* conſtrictas ſtetiſſe. Quin & hoc loco verſu 16. Græcus vertit, πῆγμα id eſt, vt vertit Ma-
F ſius, *concretum*, eo ſcilicet modo, quo denſatur & concreſcit glacies, & colligitur ex c. 15. Exodi verſ. 8. vbi dicitur ὕδωρ ἐπάγη, & mare glaciale vocat Dionyſius in Periege ſi πόντον πεπηγότα. Vnde Maſius fol. 66. *Steti*ſſe ait *aquas tanquam gelu concretas & coactas* D. Ambroſius lib. 2. hexaemeri cap. 3 *Non ſolet hoc eſſe naturæ, vt aqua ſe diſcernat ab aqua, & in profundo interfuſiones terræ medio ſeparentur. Gelauerunt, inquit, fluctus, & firmamenti ſpecie, cu ſum ſuum inſolito fine frænauerunt.*

QVÆ-

QVÆSTIO IX.

Iordane diuiſo, quonam modo ſeſe habuerit aquarum pars, quæ fontem, & Septentrionem verſus?

PARS iſta quomodo ſeſe habuerit reſpectu partis, & quaſi lineæ, vbi diuiſio facta eſt, dixi ſatis q.7. nunc verò cum ex ipſo Iordanis fonte interea, dum tranſiret populus, aſſiduè plures & plures aquę affluxerint, duo de ijs potiſſimum ſpectanda. *Vnum* reſpectu longitudinis. i. quomodo ſe habuerint iuxta rectam qua venerant; lineam. *Alteram* reſpectu latitudinis. i. an ad latera fluuij, verſus vtramque, aut alteram certè ripam, ſeſe in campos aut vicinas terras effuderint. *Prius* illud in textu ita deſcribitur v.16. *Steterunt aquę deſcendentes in loco vno, & ad inſtar montis intumeſcentes apparebant procul ab vrbe, quæ vocatur Adom, vſq; ad locum Sarthan.* Verum iis in verbis tam quoad rem ſignificatam, quam quoad eorum conuerſionem plura quærenda.

Primum eſto. *Quænam hic aquæ deſcendetes?* Sunt eæ, quæ ex ipſo Iordanis capite ad traiectionis vſque locum deſcendebant: ideoque in Hebręo & Græco, dicuntur *aquæ deſcendentes è loco ſuperiore.* Vnde ſcilicet defluit fluuius, vti Tobiæ ca. 1. fol. 10. notaui.

Secundum. Quidnam hic Adom? Lutherus in Germanica ſua verſione vult eſſe *homines*, qui ſint non nominatæ vrbis cuiuſdam, quæ ipſi tamen *Sarthan* vicina ſit; incolæ. **Da ſtundt**, ait, **das Waſſer, das von oben hernider kam, auffgericht vber einen hauffen, ſehr ferne von den Leuten der Statt, die zur ſeiten Zarthan ligt.** Sed *Adō* eſſe hic propriū vrbis nomen docet non noſter modo Latinus textus, ſed Græcus etiam. & verò etiā Hebræus. hic enim aut legitur abſque punctis, & tum vrbem eſſe intelligimus è veteribus interpretibus, Græcis, Latinis, & Chaldæis: vel cum punctis & quæ ſuppoſita ſunt duo *cametzim* monſtrāt non eſſe nomen commune quod regat *vrbis* vocem, quæ ſubditur; ſed eſſe abſolutum & proprium. Deinde aſſentiuntur Expoſitores omnes Chriſtiani & Iudæi, veteres & noui.

3. Quomodo eadem vrbs variè vocetur? In exemplaribus quibuſdam ſcribitur hic *Edem*: in alijs *Adam*, prout hodie in Hebræo: in correctis Romanis *Adom.* Sed qui nouit affinitatē ipſius *cametz*, cum *ō* nullam hic repugnātiam vel mendum videt. In Græcis quibuſdam dicitur ἀδαμί, prout etiam in Latino infrà cap. 19. v. 33. ſiue ſit vrbs eadem, ſiue non: in Romanis tamen Septuaginta prorſus omittitur.

4. Vbi ergo vrbs ea ſita? Collocat eam Adrichomius in tribu Ruben non procul ab orientali Iordanis ripa, paululū vltra torrentis *Carith* Auſtraliorem in Iordanem influxum. Maſius verò Tiberiadi ſtagno vicinam vult. Sed de hac re infrà c. 19. q. 9. fortaſſis aliquid.

5. *Qualis vrbs?* Obſcurior fuiſſe videtur, cum per alterius viciniam ac reſpectū vrbis, quæ tamen nō etiā nobiliſſima; Hebraicè deſcribatur.

6. *Quæ deſcriptio?* Vrbs, *quæ à latere Tſarthan.* Hoc verò ſignificat ab eodem Iordanis latere ipſam fuiſſe, à quo eſt *Tſarthan*, orientali ſcilicet, vel ab ipſius Tſarthanis latere. Verū cum vrbs

A aut rotunda eſſe, aut latera habere plura ſoleat, à quonam eſſet latere? Difficile dictu eſt: niſi dicamus, latus vrbis vocari, reſpectu eorum, qui Iordanem tranſibant. Ab horum enim latere dextro fuit *Sarthan*, & ab huius latere item dextro, Adō, vel ita vt inter Iordanē & Sarthanē, fuerit *Adom.* & ſic in Chaldæo dicitur *iuxta Sarthanem.*

7. *Quæ Tſarthan?* Adrichomius inter Adom vrbem iam dictam, & inter *Bethabaram*, ipſam ponit. Sed Maſius & alij lōge ſuperi⁹, verſus Aquilonem. D quidem Hier. de locis Hebraicis, *Sar-*
B *than*, ait, *eſt ad radicē Iezrael.* Maſius verò, *erat Sarthan in vltimis finibus agri Bethſantici aut Scythopolitani, qui fines ad Tyberiadem pertinebāt.* idq; rectè probatur ex 3. Reg. 4. v. 12. & c. 7, v. 46. eademq; Iud. 7. v. 22. *Tſerera* dici videtur, & per litterę vni⁹ mutationē *Tſereda*, 3. Reg. 11. v. 26. Et Adrichomius quidem poſteriorem iſtam *Sarthanem* non negat; ſed alteram iſtam ſtatuit etiam. Verum abſq; fundamento vllo. Illud verò nondum aſſequor, pro Sarthane iſta cur poſuerint Septuaginta καριαθιαρίμ. Nam vt cap. 9. infrà dicetur ab
C Iordane Occidentem verſus longè abeſt: niſi duobus illa forte nominibus appellata ſit; duplexque *Cariathiarim* fuerit.

8. Iam nunc, *quomodo ſeſe habuiſſe aquas iſtas ait textus?* Tria reſpondet textus noſter; *Stetiſſe* videlicet, intumuiſſe, apparuiſſe: duo Hebræus, *Stetiſſe & ſurrexiſſe*: vnicum Gręcus, *ſtetiſſe.* Nam bis dicit ἔστη. Sed vnum ſignificationem habet duorum quæ in Hebræo. Significat enim ἱστάναι, *Stare quieſcendo*, neque vltra progrediendo: itemque. *Stare ſeſe erigendo ac ſurrigendo.* & prior ille
D quietis ſtatus ſignificatur Hebræo עמד. Poſterior verò ſurrectionis ac intumeſcentiæ, altero Hebræo קום. Latinus verò adiecit, maioris claritatis causâ, verbum tertium, quod è ſecundo iſto ſua quaſi ſponte oritur, *apparuiſſe* videlicet *aquas.* Nam quæ exurgunt, & eminent, ea apparent longius. quamquam idem Latinus textus non tā verba tria poſuiſſe, quam Hebręorū duorum poſteri⁹ explicaſſe vno & participio & verbo dicendus, cum ait, *intumeſcentes apparebant.*

E 9. *Quomodo ſteterunt* eędē *aquæ in vno loco?* Iſtud, *in vno loco*, abeſt ab Hebræo, & Græcis: & à Latino tantummodo appoſitum, vt oſtēderet, ſtetiſſe ipſas quieſcendo, non autem ad aliū & aliū locum fluendo vlterius, prout feciſſent, niſi diuina vi deuinctæ & cohibitæ fuiſſent, licet modicè fontē verſus ab ea, quæ iā ſtabant, aquarum parte ipſas refluxiſſe videatur probabile, *Iordanis*, ait S. Ambr. l. 2. hexameri ca. 3. *reflexo amne, in ſuum fontem reuertitur. Hærere aquam, cum labitur, inuſitatū: rurſumq; redire in ſuperiora ſine vllo repagu-*
F *lo impoſſibile habetur. Sed quid impoſſibile ei, qui dedit poſſe, quib⁹ voluit? Dedit poſſe infirmitatib⁹, vt infirm⁹ dicat: Omnia poſſū in eo, qui me cōfortat.* Phil. 4.

10. *Quomodo ad inſtar montis intumuerunt?* Hoc *montis* nomē ægrè fert Maſius, & fatetur tamen eſſe in textu Syriaco, imo etiam *eſſe* ait *in 70.* Sed *nullo*, inquit, *ſenſu.* Verum primò in Editionis Romanæ 70. non legitur. Deinde, vbicunque legitur, neque nullo ſenſu, neque vti ſubiungit; *mendo aliquo legitur.* Nam primò cum è ſupero maximam aquarum vim inundans aduceret fluuius, & illæ quaſi repercuſſæ ilico conſiſterent, & ſe ſurſum attollerent, neceſſium fuit,

montis inſtar eas fuiſſe. Secundò, idipſum etiam diſertè in Hebræo aſſeritur. Dicuntur enim *ſurrexiſſe* aquæ *nec echad*. כד אחד. Interpretatur autem vox iſta *ned* bifariam. Symmacho eſt *vter*, ipſis etiam 70. in Pſalmo 32. verſu 7. Pſalmo 77. verſu 13. Iiſdem verò 70. Exod. 15. verſu 8. eſt *murus*, Radako, Pagnino, & Maſio hic, *aceruus*. Chaldæum nomen *roukeba* vtramque, ſicuti & Hebræum, notionem habet. Vtramlibet verò interpretationem ſequamur, nonne ſemper aquarum elatio & intumefactio, *montis inſtar*, ſignificatur? De priore, ita quæſtione 1. Theodoretus. *Retentus impetus aquarum, inſtar vtris tumeſcebat, & in faſtigium attollebatur. quia terminus ab opifice poſitus quouis adamantino muro fortius, ipſum retinebat*. De poſteriore ſatis perſpicuum. Cum enim, ob ingem vberrimæ aquæ affluxum, ingens eſſet aceruus, nonne monti rectè comparatur? De maiore illo ficto Troiano equo dixit Poëta:

Inſtar montis equum diuina Palladis arte
Ædificant.

& maximæ aquarum moles ineptè *montis inſtar* vocentur? At eidem Poëtæ ſuppar alius Triſt. 1. eleg. 2. *Quanti, ait, montes voluuntur aquarum?*
Iamiam tacturos ſydera ſumma putes.

Apud Maximum Tyrium orat. 38. *Stant etiam, ad Atlantem montem, aquæ, murorum inſtar*. Et mirabilium ſacræ Scripturæ Auctor, parum quidem vſitato, ad hanc ipſam tamen rem non inepto verbo bis ait *montaſſe aquas*. Sub Domini annum 1205. contigiſſe narrat Thomas Cantipratenſis lib. 2. cap. 53. vt in medio maris æſtu viri nonem S. Catharinæ reliquiis & precibus conſeruati ſint cum ſpumans intumeſceret mare, *& patulo de ſuper cœlo effunderet ad cubitos quadraginta*. Ideoque vana prorſus & ridicula eſt Maſij eiuſdem ſuſpicio, quam in hæc verba prodidit. *Equidem opinor olim ab homine non minus temerario, quam imperito in margine montem ſcriptum, qui putabat priorem ſyllabam verbi* הרחק *montem ſignificare, ta idem librariorum errore in ordinem ſacrorum verborum eſſe relatum*. At ſane magna mihi temeritas videtur, tantopere Syros, Græcos, Latinos omnes abſque ratione, mendi, & deprauationis accuſare, cum tam e re ipſa, quam ex ipſis Hebræis vrbis optimè, vti iam oſtenſum, iſta montis ſimilitudo expreſſa ſit. Tantummodo notandum ſæpiſſimè apud Hebræos omitti quidem, ſed ſubaudiri ſimilitudinis particulam, vt licet in Hebræo ſit. *Surrexerunt aquæ aceruus vnus*, intelligendum ſit, *ſicut aceruus vnus*, aut molis, montiſq; alicuius inſtar.

11. *Vbi ſic intumuerunt & apparuerunt aquæ?* Varia expoſitio eſt. Quidam, intumuiſſe aiunt, apud Abulenſem, vt quæſtione 37. *inter Adom & Sarthan*, ita vt duo tumoris termini ſint iſtæ duæ vrbes. Abulenſis loco citato, *apud Sarthanem* tantum, ſed ita vt ab Adom viſus earum tumor ſit. Rabbini, *iuxta traiectionis locum* illas intumuiſſe, procul ab ipſa vrbe Adom, vicina ipſi Sarthani. Nam huiuſmodi alioquin oppidum obruiſſent vndæ. Caietanus & Maſius *inter traiectionis locum, & Adom*. ita vt in longum productus fuerit idem tumor à traiectu ipſo vſque ad Adom; ſiue, quod idem valet, ab Adom vſque ad traiectus locum. Nam

A in Hebræo poſſumus *harchek* accipere velut gerundium in *hiphil*, ſic *ſurrexerunt aquæ tanquam aceruus vnus, ſeſe elongando valdè in Adom*, vel *ab Adom*, ita vt aquæ in longum intumuerint à traiiciendi loco vſque ad Adom.

12. *De tranſlatione porrò quid?* Plura iam dicta. Superſunt tamen hæc 1. in Hebræo vel eſt vt dixi, *elongando valdè*: vel eſt, *procul valdè*. & hoc intenſionis aduerbium in Latino omiſſum, in Græcis omnibus appoſitum μακρὰν σφόδρα: & quidem in Romanis bis μακρὰν σφόδρα σφόδρα. 2. B *ab vrbe, quæ vocatur, Adom*; in Hebræo eſt vel באדם vel מאדם *in Adam* vel *ab Adam vrbe*. 3. *vſque ad locum Sarthan*. In Hebræo *quæ à latere Sarthan*. In Græco ἕως μέρους vel Καριαθιαρείμ, vel vt dixi καριαθιαρίμ id eſt, *vſque ad partem*. Et putat Maſius pro עד legiſſe 70. עד. ſed potius iſtud ſuum ἕως accommodarunt ei, quod in Hebræo eſt, *à latere*.

Alterum verò *de latitudine* obſcurum non eſt. Nam in neutram ſeſe ripam diffudiſſe aquas monſtrat tantus earum, quantum iam dixi, tu-C mor. Ideoque ad vtrumque latitudinis latus, eadem, quæ in longitudinis latere, iuxta traiectum aquas ipſas coercuit; vis conſtituenda eſt.

QVÆSTIO X.

Quomodo aquarum altera verſus Auſtrum pars ſeſe habuit?

PERGIT narrare textus. *Quæ autem inferiores erant, in mare ſolitudinis, quod nunc vocatur mortuum deſcenderunt, vſquequo omnino deficerent*. Eadem quidem in Hebræo ſententia eſt, ſed aliter D propoſita ſic. *Et deſcendentes* (aquæ) *in mare haſcherabah, mare ſalis; defecerunt, exciſæ ſunt*. Et Latinus quidem modum, quo defecerant, explicat, *deſcendendo* ſcilicet *in mare illud*. Hebræus autem, iſtum modum non reſpuit, & alium tamen poteſt etiam admittere. Verbi cauſa; ſi quę in mare deſcendere ſolebãt, aut vento iam conſumptæ, aut terræ hiatu abſorptæ, aut alio aliquo modo hauſtæ fuiſſet. Quia tamen ſi horum aliquid poſteriorũ accidiſſet, memoratu dignũ E fuiſſet, prior ille tantũ modus retinẽdus, vt deſcendendo defecerint aquæ, prout expoſuit Latinus, & 70. τὸ κατὰ βαῖνον ἰδ ὡς κατέβη εἰς τὴν θάλασσαν. aſſentientibus præſertim Expoſitorib^{9}, & Rabbinis omnibus. Defecerũt igitur, & breuiſſimo tempore, dum rapido in mare illud curſu, partim ſolito, partim etiam, ob maiorum inundantium aquarum copiam, inſolito & rapidiore, feruntur: è terra ipſa, è ſuoque alueo toto, à traiectus loco vſque ad mare ipſum, funditus exciſæ ac ſublatæ ſunt: ita vt ab eo loco, vbi ſuperiores aquæ cœperunt intumeſcere, paulo poſt in in-F feriore iſto Iordanis toto alueo, vix guttulã vnã inuenire fuerit. Nam *excidendi* verbũ & ablationis celeritatem, vt Iob 6. v. 17. Heb. & integritatem ac perfectionẽ importat. præſertim cum ei adhuc in Hebręo verbum alterũ adiunctum ſit, quo finitio & perfectio ſignificatur. Ideo dixit Latinus *omnino defeciſſe* aquas: & 70. ἕως εἰς τὸ τέλος ἐξέλιπεν. id eſt, *vſque ad finem*, ſiue *ad ipſam perfectionem*, aut *perfectè ac integrè*.

Supereſt vt de mari hoc pauca dicantur. Et *primo* ſciendum pro *mari ſolitudinis* in Hebræo eſſe vocem ſuperpoſitam, quam ſibi retinendam putarunt 70. vocantes τὴν θάλασσαν ἀραβά,

Digitized by Google

Secundò. Hanc aut ſignificare *Arabiam*, aut *planitiem*, aut *ſolitudinem*. Hic tamen à nemine, quem viderim, vertitur *mare Arabiæ*, cum tamen ad Arabiæ *ζoara*, quæ D. Hieronymo lib. de locis monente, *Segor* eſt; pertingat, vt oſtendit lib. 4. capt. cap. 27. Ioſephus. & Borcardus clarè hoc à Iudæa diſparari Arabiam doceat. Sed à Chaldæo & Maſio, *mare planitiei*, quia ſcilicet ea in planitie ſitum, quæ ſtantibus olim Sodomis erat amœniſſima Geneſ. 13. verſ. 10. à Symmacho ἡ θάλασσα τῆς ἀοικήτου, id eſt, *mare terræ inhabitabilis*, & à noſtro hunc ſecuto, *mare ſolitudinis*. quia iuxta deſertum *Sin* erat. Num. 34. vt
B
vult Abulenſis, vel quia per ſulphureos Sodomorum ignes, quæ paradiſus quidam fuerat; planities, & terra tota iam ſteriliſſima, graueolentiſſima, viroriſſima, ideoque deſerta & ſolitaria prorſus erat. videriq; poteſt in *Araba* D. Hieronymus de locis. *Tertiò. Mare ſalis cur* etiam appellatur? Nonne maria omnia ſalſa ſunt apud Ariſtotelem. 2. Meteororum cap. 2. adeo vt idcirco *ſalum*, imo etiam *ſel* vocentur? Ideo enim de Æneadis Poëta lib. 1.

Vela dabant læti & ſpumas ſalis ære ruebant.
C

Et lib. 10.

——— *campos ſalis ære ſecabant.*

Et lib. 5.

Tum rauca aſſiduo longe ſale ſaxa ſonabant;

Sic apud Græcos etiam ἅλς, vnde nobis per aſperi ſpiritus in *S.* mutationem, *ſal*, & *ſalum*, inque ſalo *inſula*. Eſt ita ſane. Sed quia, præ marium aliorum omnium naturâ, hoc ſalſum eſt, idcirco præ cæteris etiam à ſale nomen accipit, & ἁλμυρώδης πικρὰ, ἡ ἄγονος λίμνη, eſt apud Ioſephum loco citato. Num. 34. *mare ſalſiſſimum.*
E
Huius verò cauſa eſt eadem ipſa, quæ mare hoc ibidem excitauit, diuina in Sodomitas vindicta. Neque enim ſulphuris tantum, ſed ſalis etiam imber fuit, quo ſceleratæ terræ conflagrarunt, vti oſtendit Moyſes Deuter. 29. verſu 25. Et hinc etiam *ſalis fodinæ*, de quibus Sophoniæ 2. verſu 9. *vallis ſalſa*, de qua hæreſi 19. in *Oſſenis* S. Epiphanius, quin & ipſa *vxoris Loth ſalaria ſtatua* de qua, ſicuti & de tota iſta calamitate dixi, è ſacris & prophanis, complura Geneſ. 19. Hanc tamen ſalis appellationem hic in aliam, quæ etiam vſitatiſſima, mutauit Interpres, & adiecit, ſuo tempore communiter vocatum, *mare mortuum*. Cuius cauſa, non ſolum quòd eius aqua veluti torpeat, nec fluat: ſed potius, quod vt ex Ioſepho ſuprà dictum eſt, non piſces, non animalia vlla proferat, imo ſi qui etiam è Iordane aduarint piſces; ſi quæ aliqua è terra fortuito aduolarint aues, eas vti *de Auerno* traditum; ſulphurea quadam peſtilitate, inſignique graueolentia ſuâ enecat. *Impietas*, ait libro de pallio cap. 2. Tertulianus, *ignium meruit imbres. Hactenus & Sodoma & nulla Gomorrha, & cinis omnia: & propinquitas maris, iuxtà, cum ſolo, mortem bibit* Ariſtoteles lib. 2. de plantis cap. 2. *In mari*, ait, *mortuo naturaliter neque mergitur, neque gignitur animal, quia in eo eſt ſiccitas* Imo ne poma quidem & fructus, quibus vitæ ac humani vſus inſit aliquid, illis in locis naſcuntur. vti eodem loco narrat Ioſephus, & ex eo venerabilis Beda in 2. Petri cap. 2. Diuus Auguſtinus libro 21. ciuitat. capite 5. Caſſianus collat. 16. capite 1. Philo libro 2. de vita Moyſis, Tertullianus in carmine de Iona, & alij ad Geneſ. cap. 19. allati. Abs re non fuerit Borcardum hic audire. *Scribit patriarcha*, inquit, *Hieroſolymitanus, qui ſæpe locum illum inuiſit, mare illud ſemper fumum reddere, & nebulam in modum camini infernalis; vnde tota illa vallis, quæ aliquando ob ſui fœcunditatem & amœnitatem illuſtris dicta fuit ad ſpatium dimidiæ diætæ ſterilis & inutilis reddita eſt, ita vt nec vllum germen proferat ferè per ſpatium quinque leucarum, niſi iuxta ciuitatem Iericho, vbi horti irrigantur à fonte Eliſei. A dextris & ſiniſtris huius maris, montes ſteriles & aridi cernuntur. Nam quocunque vapor à mari illo aſcendens impellitur, ibi terræ naſcentia non ſecus, quam ſi à pruina fuiſſent tacta, emoriuntur. In quo diſtrictum Dei iudicium nobis ob oculos ponitur, qui tam ſeuere grandia illa Sodomorum peccata vſque in hodiernum diem non deſinit punire. Nec niſi viſa hic ſcribo.* Glaciale mare vocatur etiam apud Dionyſium in Periegeſi, *mortuum*: ſed alia lònge cauſâ. videlicet, ἄλλοι δ' αὖ καὶ νεκρὸν ἐφήμισαν ſcilicet πόντον &c. οὕνεκ' ἀφαυρῷ

Ἠελίῳ, βράδιον γὰρ ὃ πῦρ ἄλεα τῷδ' ἀφαίνει

Αἰεὶ δὲ σκιερῇσι παχύνεται ἐν νεφέλῃσιν

Quæ ita vertit Priſcianus.

Mortuus eſt aliis (pontus iſte) *minimo quòd lumine ſolis*
Perfruitur. Tardè radios nam ſuſcipit orti:
Nubibus & craſſis premitur, nimbiſque grauatur.

Sed noſtrum, de quo hæc diſputatio; mare paſſim vocatur etiam *Aſphaltites lacus*, id eſt, *bituminoſus*. & cauſam dat loco ſæpius indicato Ioſephus, quòd ei ingentes bituminis concretæ nigræque glebæ innatare ſoleant, quæ menſtruo mulierum ſanguine, vt earum eſſe vſus quæat, diſſoluendæ ſint. Cæterum abeſt Hieroſolymis ſtadiis 300. vt ait Ioſephus lib. 15. cap. 9. id eſt, Germanicis miliaribus 9. & 12. ſtadiis. Eius longitudo ſtadiorum eſt 580. latitudo 150. lib. 4. belli cap. 27. idem Ioſephus. Borcardo longitudo eſt diætarum 5. latitudo leucarum 5. Vnus ad extremum audiatur Tacitus lib. 5. hiſtoriæ: *Lacus*, ait, *immenſo ambitu, ſpecie maris, ſapore corruptior, grauitate odoris accolis peſtifer, neque vento impellitur, neque piſces, aut ſuetas aquis volucres patitur. Incertæ vndæ ſuperiacta, vt ſolido, feruntur: periti, imperitique nandi perinde attolluntur. Certo anni, bitumen egerit: cuius legendi vſum, vt cæteras artes experientia docuit. Alter ſuapte natura liquor, & ſparſo aceto concretus, innatat. Hunc manu captum, quibus ea cura in ſumma nauis trahunt. Inde nullo iuuante influit, oneratque donec abſcindas. Nec abſcindere ære ferroue poſſis. Fugit cruorem, veſtemque infectam ſanguine, quo fœminæ per menſes exſoluuntur. Sic veteres auctores. Sed gnari locorum tradunt, vndantes bitumine moles pelli, manuque trahi ad litus. Mox, vbi vapore terræ, vi ſolis inaruerint, ſecuribus, cuneiſque, vt trabes aut ſaxa diſcindi. Haud procul inde campi, quos ferunt olim vberes, magniſque vrbibus habitatos, fulminum ictu arſiſſe: & manere veſtigia, terramque ſpecie torridam, vim frugiferam perdidiſſe. Nam cuncta ſponte edita, aut manu ſata, ſiue herba tenus aut flore, ſeu ſolitã in ſpeciem adoleuere, atra & inania velut in cinerẽ vaneſcunt.* Ergo ſicut Iudaicæ

expoſitum. ſed pro *incedebat populus*, in Hebræo eſt, *tranſierunt populus*, in Græco ἑστάθη ὁ λαός. A *ſtetit populus*. Sed repugnare hoc videtur ipſi trãſitioni. ſi enim tranſibant & incedebant, quomodo ſtabant? Reſpondet duo Maſius. 1. forte ipſos in Hebræo legiſſe עמדו pro עברו. Nam pro ב aliquando מ & contra patet ex 1. Regum. 14. verſ. 4. vbi pro *Boſes*, legitur in Græcis *Moſes*. & ſuprà quæſt. 9. 12. pro *meadam* legitur in Hebtæis hodiernis *beadam*. Crebrum vero, vt ד pro ר & contrà lectum ſit prout notat S. Hieronymus in Iſaiæ cap. 8. 38. & 44. vbi, *litterarum iſtarum ſi-* B *militudo*. ait, *paruo apice diſtinguitur, ac per hoc ſæpè confunditur*. 2. voluiſſe 70. hoc verbo ſignificare intentam meditationem ad tranſeundum, præſertim, quia ſequentibus proximè verbis iterum Iſraelitas tranſiiſſe dicatur.

Hoc autem loco, vbi tranſitus eſt; fuiſſe *Bethabaram*, quaſi dicas, domum tranſitus, docent nõnulli. ſed de ea quæritur *Primo*. fuerit ne vrbs, vel aliud quidpiam? Maſius, ipſammet Iordanis partem iſtam ita vocatam cenſet. Alij apud Toletum Ioan. 1. ann. 66. aiunt, vrbẽ eſſe, vt Chry- C ſoſt. hom. 16. in Ioan. Diuus Hieronymus de locis heb. *Secundo*. an ſit ea in Ioannis. 1. verſ. 28. legenda? Reſpondet tomo ſecundo Origenes in antiquis exemplaribus omnibus eſſe non *Bethabaram*, ſed *Bethaniam*: & ita legunt Latini libri omnes, & Syriaci, & è Græcis aliqui, etiam Vaticanus Codex, & Cyrillus. Bethabaram tamen vult Diuus Chryſoſtomus loco citato, Epiphanius hæreſi 15. Theophyl. Oecum. & confirmari poteſt. *Primo*. quia *Bethania* procul à Iordane aberat: tantùm ſcilicet 15. ſtadiis diſtans Hiero- D ſolymis. Ioan. 11. *Secundo*. locus de quo ſanctus Ioannes cap. 1. erat vltra Iordanem, vt expreſsè ibi aſſeritur. At *Bethania* citra, vti iam dictum *Bethabara* verò vltra. Sic enim lib. de locis Diuus. Hieronymus; *Bethabara* (ſic legendum potius, quam Bethbarã) *trans Iordanem, vbi Ioannes in pœnitentiam baptizabat. Vnde & vſque hodie plurimi de fratribus, hoc eſt, de numero credentium, ibi renaſci cupientes, vitali gurgite baptizantur*. Recentiores hodie alij textum Latinum corrigunt, & *Bethabaram* reponunt, alij *Bethaniam* retinent, & dicũt, E eſſe non quidem nomine, ſed re, aliam ab altera illa diuerſam; vel eſſe regionem, quæ à Ioſepho lib. 17. cap. 10. *Batanea* vocatur: alij alterutram lectionem probant, quia vel eadem ad Iordanem vrbs & *Bethania* & *Bethabara* vocetur, vel certè inter Bethabaram & Iordanem proxima quædam domus, vbi ad traiiciendum erant naues, *Bethania ſit*: ſed ita, vt licet in Latino & Græco eadem videatur *Bethania*, ſit tamẽ & re & nomine ipſo ab altera illa in primogenio ſuo idiomate, Hebræo ſcilicet, diuerſa. Nam illa quæ F Lazari & Marthæ caſtellum Ioan. 11. vocatur, in medio per ע ſcribitur, quaſi *Bethhaniah*; hæc verò altera per א *Bethaniah*: & illius originatio & interpretatio eſt, *domus afflictionis* aut *humilitatis*: huius vero domus nauis. Nam אֳנִיָּה & אני *nauis* eſt. 1. Regum 10. verſu 10. Prouerb. 36. 19. Iſaiæ 33. Hoc autem diſcrimen molliores Græcorum & Latinorum litteræ ſatis exprimere non potuerunt. Eſt ſanè ingenioſa hæc, & Toleto, in quo eam, vno annotatore indicata, reperi, digniſſima. Sed ex eo pœne tota euertitur, quod in Syriaco textu, qui eoſdem cum Hebræa lingua litterarũ ſonos habet, hæc etiam noſtra *Bethaniah* per ע ſcribatur, itemque in Arabico ideoque ad *Bethaniam* duplicem redeundum. *Tertium*. An Bethabara ſit vltra vel citra Iordanem? Maldonatus noſter Ioan. 1. ponit citra, in ipſa Chananæa: D. Ioannes vltra. Reſpondet verò in ſcripturis aliquando poni, pro *iuxta*, vt etiam dixi Iſa. 9. Sed qui propriè locutus eſt, & ibi morabatur D. Hieronymus, eam dixi vltrà Iordanem eſſe, prout paulo ante audimus. *Quartum*. An ſit eadem cum *Bethbera* de qua Iudicum 7. verſ. 24. Affirmat Scaliger lib. 5. emendat. f. 518. Diſtinguit in lib. de locis S. Hieronymus. Sed vitioſe ibi legitur *Bethara* pro *Bethbera* vel *Bethbara*. *Quintum*. An *Bethabara* de qua infrà Ioſuæ 18. v. 22. ſit eadẽ cum iſta *Bethbera*. Videtur Maldonato loco cit. non autem Diuo Hieronymo in *locis*, vbi tria hæc loca diſtinguit. Sed de hoc infrà cap. 18. Borcardus, *A Iericho*, ait, *per duas leucas verſus Iordanem eſt Sacellum exſtructum in honorem ſancti Ioannis Baptiſtæ, vbi putatur Dominus ab eo baptizatus*. Alij vero id factum putant in *Salim*. V. Beda lib. de locis ſacris c. 13. crucem ibi olim erectam fuiſſe. Turonenſis verò lib. 1. de gloria hiſt. cap. 17. ſolitos ibidem mundari leproſos teſtatur. Amborum verba recitat lib. 2. de cruce cap. 32. Gretſerus noſter.

QVÆSTIO XII.

Quantum in eodem Iordane tranſeundo conſumpſerunt temporis Iſraelitæ?

TEMPORIS huius indicium aliquod in Hebræo textu eſt, in quo ſic. *Et omnis Iſrael tranſeuntes per aridam, quouſque finem feciſſent omnis gens tranſeundi*. Similiter in Græco. *Et omnes filij Iſrael progrediebantur per aridam, vſque dum conſummaſſet omnis populus, qui Iordanem tranſibat*. Vbi Iſraelitæ cum alia quadam gente ac populo etiam tranſeunte conferuntur; dicendo, tamdiu illos tranſiiſſe, quoad iſte ſimul tranſiiſſet. Ideoq; *duplex hic quæſtiuncula*. *Prior*. Quæ alia iſta gens? Reſpondeo eſſe illos, qui vna cum Iſraelitis ex Ægypto aſcenderunt, eorumq; filios, qui ad hoc vſque tempus in ſolitudine iiſdem Iſraelitis adhęſerant. Eorum autem maximus fuit numerus, & hic *goi* Exod. cap. 12. verſu 38. dicitur *promiſcuum vulgus*, ſicuti & Nehemiæ cap. 13. à 70. verò ἐπίμικτος, id eſt, *mixta & varia hominum multitudo*; cuius facit Philo tria genera. Primum eorum, qui patres quidem Hebræos, matres tamen Ægyptias habebant. Secundum qui veram Dei religionem & cultum ſponte iam antea, ex ipſa ſcilicet Iudæorum conſuetudine amplexi fuiſſent. Tertium qui Ægyptiorum plagis conterriti, tantiſque miraculis ad Deum & meliorem vitæ frugem excitati fuiſſent, cum tam ſplendidè tamq; magnificè de tot Ægyptiorum diis Deum Iſraelem triumphare viderent. Hoc enim erat, quod eodem illo c. 12. v. 12. dixerat Dominus. *In cunctis Diis Ægypti faciã iudicia*, id eſt *in idolis*, ait Chaldæus. quæ triſti quaſi ſententia,

grauique pœna, dedecore & infamia tunc affecit Dominus. Et fortè non ex Ægypto erant illi omnes, ſed è vicinis etiam populis & terris, ad quas tantarum fama rerum peruenerat; erant proſelyti aliqui. Quoad igitur iſti omnes traiciſſent, traiecerunt Iſraelitæ. neque ex iſtorum numero relictus aut excluſus quiſquã fuit. Ideoque Latinus iſtos cum Iſraelitis iunxit, & de iis ita ſimul iunctis dixit, *omnis populus per arentem alueum tranſibat. Secunda quæſtiuncula.* Quantum definitè tempus, quo tam Iſraelitæ, quam proſelyti iſti, tranſierunt? Nuſquã definitum: ſed horas fuiſſe aliquot, poteſt exiſtimari primo ex multitudine: 2. ex ſpacij, quod tranſibant latitudine: 3. ex ipſo incedendi modo. De *primo* cenſet in Ioſue cap. 1. quæſt. 67. Abulenſis, fuiſſe hominum pluſquam tricies centena millia. Et licet è tribubus, quibus cap. 1. trans Iordaninam terram datam dixi, non niſi quadraginta nunc millia Iordanem tranſierint, vt ſequenti capite dicetur, de ſumma tamen iam dicta vix paululum qui deduci poteſt. De *ſecundo*, cum è Ierichuntis regione ſpacium hoc fuerit, non patuit, vt opinor, vltra mille paſſus, ſi tamen tantum adhuc patuit. De *tertio* ſtatuo, non cucurriſſe, neque celeritates maiores adhibuiſſe, quam requireret grauis inſtructæ aciei, ſubque ſignis pergentis inceſſus: quam ferrent etiam fœminarum & paruulorũ tot millia, tot etiam greges, & armenta, tot tantæ multitudinis impedimenta. prout quotidiana docet experientia, & iam olim Iacob, cum Eſau fratri ſuo ſibi

A tardius incedendum exponeret Geneſ. 33. v. 13.
& 14. Neque tamen etiam putandum, ferculorum inſtar, lente admodum ac tarde inceſſiſſe:
quin potius alacritatem ſummã: & in illa, quam dixi, grauitate, celeritatem tantam, quantã qui
lætiſſimi & promptiſſimi, reique alicuius appetentiſſimi ſunt, commodè poſſunt, adhibuiſſe. Hoc enim c. ſeq. verſu 10. *feſtinauitque populus, & tranſiit.* Ideoque ante meridiem matuti-
B na hora, forte poſt ortum ſolem prima vel ſecunda, id eſt, noſtra matutina 7. vel 8. tranſire
cum cœpiſſent, tranſierunt poſt meridiem circa 1. vel 2. etiam horam, vt colligi poteſt ex ca.
ſeq. verſ. 3. vbi dicitur: *In loco caſtrorum, vbi fixeritis hac nocte tentoria.* Clara vero luce tranſitus
hic fieri debuit, vt clare perſpicuéque ab omnibus mirabiles aquarum ceſſiones ac moles viderentur. Abulenſis c. 4. 23. *In tranſeundo*, ait,
C *Iordanem, Iſraelitæ ſatis morati ſunt: cum omnes expectarent, quouſque totus populus plene tranſiuiſſet
alueum, deinde ſteterunt in ripa quouſque lapides 12. in Iordane erecti ſunt: & alij fuerunt educti, vt ponerentur in Galgalis. in hoc tranſiuit aliqua pars diei:*
& in c. 8. Maſius, f. 151. *Magnam*, inquit *diei partem tranſitione fluminis abſumptam eſſe quis dubitet? præſertim cum maxima fuerit hominum multitudo; & lapides bis duodeni, alij excipiendi, alij ſtatuendi in fluminis alueo.* De ſacerdotum in Iordanis medio ſtatione dicitur hic v. 17. ſed iam ſuprà
D p. 1. q. 13. de iis actum, & agetur c. ſequenti, vbi quomodo hic dicantur *accincti*, quod ab Hebræo abeſſe videtur; q. 2. exponam.

CAPVT IV.

QVIBVS tranſgreſſis, dixit Dominus ad Ioſue: 2. Elige duodecim viros ſingulos per ſingulas tribus: Et præcipe eis vt tollant de medio Iordanis alueo, vbi ſteterunt pedes ſacerdotum, duodecim duriſſimos lapides, quos ponetis in loco caſtrorũ, vbi fixeritis hac nocte tentoria. 4. Vocauitque Ioſue duodecim viros, quos elegerat de filiis Iſrael, ſingulos de ſingulis tribubus. 5. & ait ad eos: Ite ante arcã Domini Dei veſtri ad Iordanis medium, & portate inde ſinguli ſingulos lapides in humeris veſtris, iuxta numerum filiorum Iſrael. 6. Vt ſit ſignum inter vos: & quando interrogauerint vos filij veſtri cras, dicentes: Quid ſibi volunt iſti lapides? 7. Reſpondebitis eis: Defecerunt aquæ Iordanis ante arcam fœderis Domini, cùm tranſiret eum: idcirco poſiti ſunt lapides iſti in monumentum filiorum Iſrael vſque in æternum. 8. Fecerunt ergo filij Iſrael ſicut præcepit eis Ioſue, portantes de medio Iordanis alueo duodecim lapides, vt Dominus ei imperarat, iuxta numerum filiorum Iſrael, vſque ad locum, in quo caſtrametati ſunt, ibique poſuerunt eos: 9. Alios quoque duodecim lapides poſuit Ioſue in medio Iordanis alueo, vbi ſteterunt ſacerdotes, qui portabant arcam fœderis: & ſunt ibi vſque in præſentem diem. 10. Sacerdotes autem, qui portabant arcam, ſtabant in Iordanis medio, donec omnia complerentur, quæ Ioſue, vt loqueretur ad populum, præceperat Dominus, & dixerat ei Moyſes. Feſtinauitque populus, & tranſiit. 11. Cumque tranſiiſſent omnes, tranſiuit & arca Domini, ſacerdoteſque pergebant ante populum. 12. Filij quoque Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manaſſe, armati præcedebant filios Iſrael, ſicut eis præceperat Moyſes: 13. Et quadraginta pugnatorum millia per turmas, & cuneos, incedebant per plana atque campeſtria vrbis Ierico. 14. In die illo magnificauit Dominus Ioſue coram omni Iſrael, vt timerent eum, ſicut timuerant Moyſen, dum aduiueret. 15. Dixitque ad eum: Præcipe ſacerdotibus, qui portant arcam fœderis, vt aſcendant de Iordane. 17. Qui præcepit eis, dicens: Aſcendite de Iordane. 18. Cumque aſcendiſſent portantes arcam fœderis Domini, & ſiccam humum calcare cœpiſſent, reuerſæ ſunt aquæ in alueum

ſuum

Digitized by Google

ſuum, & fluebant ſicut ante conſueuerant. 19. Populus autem aſcendit de Iordane,
decimo die menſis primi, & caſtrametati ſunt in Galgalis contra Orientalem plagam
vrbis Iericho. 20. Duodecim quoque lapides, quos de Iordanis alueo ſumpſerãt, po-
ſuit Ioſue in Galgalis. 21. & dixit ad filios Iſrael: Quando interrogauerint filij veſtri
cras patres ſuos, & dixerint eis: quid ſibi volunt lapides iſti? 22. Docebitis eos, atque
dicetis: per arentem alueum tranſiuit Iſrael Iordanem iſtum. 23. Siccante Domino
Deo veſtro aquas eius in conſpectu veſtro, donec tranſiretis: 24. Sicut fecerat prius
in mari rubro, quod ſiccauit donec tranſiremus: 25. vt diſcant omnes terrarum po-
puli fortiſſimam Domini manum, vt & vos timeatis Dominum Deum veſtrum om-
ni tempore.

COMMENTARIVS.

TRia complectitur caput hoc. 1. quæ Iordane diuiſo adhuc & patẽte facta ſunt. 2. quomodo clauſus, & in ſolitum curſum laxatus ipſe. 3. quæ, clauſo & relaxato, facta. In prima ſunt quatuor. 1. quædam de quibuſdam ex Iordane elatis lapidibus, aliiſque in eo ſtatutis vſque ad v. 10. tum de ſacerdotibus, v. 10. 11. 3. de populo, vel toto, vel eius v. 12. parte. 4. demum de ipſo Ioſue v. 14. 15. 16. 17. ſed hæc poſteriora patent ex c. 1. De aliis quærenda quædam.

QVÆSTIO I.

De 12. viris lapides 12. è Iordane tollentibus, an nunc primo electi? & è quibus tribubus?

SVPERIORIS cap. p. 1. q. 15. dictum, interpretes nonnullos in illo capite de his anticipationem conſtituere, alios in huius principio recapitulationem: aliud alios. Nunc breuiter dico, & rem antea in illo capite narratam ordine ſuo fuiſſe: iterumque hic narrari. Tunc enim, iuſſu Domini, delecti ſunt 12. & quidem ad hoc ipſum opus. Niſi enim quam ad rem deligendi eſſent, cognouiſſent, idoneos deligere quinam potuiſſent? Vel enim viribus imbeciliores, vel aliquo alio modo ad ferenda onera ineptos nominaſſent. Interim tamen quando, & vnde hi lapides tollendi, nondum conſtabat. Nunc hoc ipſum additur: & quia breuiter antea narratũ hoc mãdatum, repetitur paulò fuſius. ideoque quaſi iam fuiſſent antea electi, non dicuntur hic *electi*, ſed à Ioſue *vocati* verſ. 4. Sunt autem electi è 12. tribubus, eas ita ſumendo, vt locum in iis ſuum teneret Leuitica, & vnam ſimul tribuum, quæ *Ioſeph* diceretur; efficeret *Ephraim*, & *Manaſſes*. Nam hoc tranſitus Iordanis beneficium non minus Leuitis quam Iſraelitis aliis datum erat: ideoque & eius etiam rei monumentum à tribu iſta ſtatui aliquod oportuit. Cum vero 12. ita tribus numerarentur, vt Leuitica numerum efficeret, duas illas, quæ aliàs diſiungi ſolebant; moris erat in vnam coniungere, ne 13. tribus forent: vti factum in Onychinis lapidibus Exod. 28. & oſtendit hoc loco quæſt. 3. Abulenſis: dicens *ex iis duabus vel ſorte vnũ quempiam delectum, vel potius ex Ephraim, acceptum, quia is multitudine ac dignitate Manaſſen ſuperabat* Geneſ. 48. Hos vero dicit Ioſephus lib. 5. fuiſſe phylarchos ipſos, qui lapides humeris extulerunt. Hinc autẽ apparet impropriè loqui S. Ephrem tom. 3. ſerm. de 40. Martyribus dicentem, *à Leuitis hoſce lapides importatos.*

QVÆSTIO II.

Quanti, & quales 12. illi lapides?

IN Iudæorum *Thalmud*, tractatu *ſuta* c. 7. prodigioſam lapidum iſtorum magnitudinem legere eſt. Suorum enim Rabbinorum quoſdam dimenſos eſſe tradunt illi. Sed quia ſingulos è duodecim iſtis viris, in humeros tollere, ac è Iordane in caſtrorum locum ferre potuerunt. *illud*, ait Maſius, *certum eſt, non maiores eos fuiſſe, quam quos viri ſinguli aſportare inde ad Galgala vſque poſſent.* eademque Abulenſis ſententia eſt hic q. 11. Verum enim vero poſſet fortè ſuſpicari aliquis, ingens quoddam robur iſtis, vt vel ingentia ſaxa ferre potuerint, diuinitus datum fuiſſe. Sic enim Gazæ vrbis portas humeris in montem extuliſſe *Samſonem* legimus. & apud Caſſianum de Inſt. l. 4. c. 26. *Iohannem* quendã obedientia præſtantiſſimum, ſaxũ ingens ei, à quo iubebatur; aduoluiſſe. aut certè naturalib. viribus tantum iſtos præpolluiſſe, vt longe maiora; quam hominum cæteri ſuſtinere poſſent onera ideoque & multo maiora, quam poſſint noſtri modo æui homines etiam valentiſſimi. Neque enim hominibus vires iam tantæ, quantæ illis temporibus. Sic enim vt Goliath, giganteſque alios nihil, memorem; Ioſephus lib. 3. belli c. 16. Eleazarum ſuſtuliſſe, & è muro in hoſtes ieciſſe ait πέτραν ὑπερμεγέθη, id eſt, *petram ingentem.* ſic de Aiacis Saxo Agathias lib. 1. Anthologiæ & Iuuenalis Satyra. 15. ——— *Et iam*

Saxa inclinatis per humum quæſita lacertis
Incipiunt torquere, domeſtica ſeditione,
Tela, nec hunc lapidem, quali ſe Turnus & Aiax
Et quo Tydides percuſſit pondere coxam
Æneæ, ſed quem valeant emittere dextræ
Illis diſſimiles, & noſtro tempore natæ
Nam genus hoc viuo iam decreſcebat Homero
Terra malos homines, nunc educat atque puſillos.

Sic ipſe Homerus Iliados ε, η, & φ. & qui eum imitatus eſt Virgilius lib. 12. de Turno.

——— *Saxum circumſpicit ingens*
Saxum antiquum, ingens, campo qui forte iacebat
Limes agro poſitus, litem vt diſcerneret aruis.
Vix illud lecti bis ſex ceruice ſubirent
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

Poſſent quidem iſta dici, præſertim cum probabile ſatis videatur, quod aſſerit S. Auguſt. lib. 15. ciuit. c. 9. S. Cyprianus aduerſus Demetrianum, Vriel Angelus lib. 4. Eſdræ c. 5. Plinius l. 7. c. 16. & plurib. lib. 4. probat Magius, noſtrique Connimbricenſes lib. 8. Phyſ. c. 2. q. 3. li.

Digitized by Google

3. de genére c. 3. eſſe nunc hominum & breuiora & imbeciliora corpora, quia tamen neq; miraculum, neque eminentes & prodigioſas vires illas textus innuit, neſcio an tam multa fabulantibus Iudæis fides hic adhiberi tuto poſſit. Et tamen ſi lapides parui eſſent, quos alius quilibet tollere aut commouere poſſet, quomodo infirmum & ſtabile monimentum ſtatui poſſent? niſi forte in moles quaſdam elati & ſubſtructi fuerint. de qua poſtea. Quales verò fuerint hi lapides, dixit Interpres noſter verſu 3. *duriſſimos* ſcilicet. At in Hebræo vox illa non eſt. ſed *bacin*, de qua inter ſe, qui Hebræas ſcire dicuntur litteras, digladiantur hic & ſuperiori c. v. 17. vbi noſter *accinctos* ſacerdotes poſuit. Maſius enim putat verbum eſſe, quod actiuè accipiendum ſit, ideoque vertit ſuprà. *Sacerdotes ſtabant parando*, ſcilicet populo traiectionem, vt in cōmentario explicat. hic autem, *ex ſtatione ſacerdotum parantium*, ſcilicet eandem traiectionem. Munſterus autem & Tremellius paſſiuè ſumendum aiunt; vt *parati, fixique, firmatique*, iidem ſacerdotes intelligantur ſtetiſſe. Dico *primo* iſtud Hebræum verbum eſſe infinitiui modi *Secundo* in Hebrça lingua ſumi quandoque id genus infinitiuos pro aduerbiis, vel adiectiuis. Et ſic ſuperiori capite v. 16. harchek meod verterunt 70. vti vidimus ὀρθὰ ὀρθῶς: Iſtud *bacen* vel *bacin* Aquilas & Symmachus ibidem v. 17. ἑτοίμως, hic autem verſ. 3. cū 70. ἑτοίμους. Et hanc approbant expoſitionē etiam Rabbini, Paraphraſtes Chaldæus, & R. Iſaias. eamq; ſecutus noſter Interpres poſuit id, quod ad promptitudinem vel parationem iſtam conſequi videtur. Si enim erant *prompti* & *parati* ſacerdotes ſuperiori capite, erant etiam *accincti*. Si 12. iſti lapides, vt facti huius memoriam poſteris temporibus in æternum vti dicitur v. 6. conſeruarent, *parati* erant, eſſe *duriſſimos* oportuit.

QVÆSTIO III.

Vnde, quo auctore, à quibus, & cur 12. iſti lapides ſublati, & vbi hodie ſint?

QVinque hic quæruntur. *Primo. vnde ſublati 12. iſti lapides*? Textus v. 3. duo loca vnde ſublati ſint; commonſtrat. vnum *communiorem*, ipſum ſcilicet Iordanis medium. de quo ſuprà hic q. 1. & c. 3. pag. 1. q. 15. alterum *definitiorem*: vbi nimirum ſtetiſſent ſacerdotum arcam portantium pedes. non præcisè ipſum veſtigiorum locum accipiendo, ſed latius paulo, eum locum, qui proximus erat, & iſtiuſmodi lapides habebat. Nam Hebræum *matſab* ſtationem ſignificat, è qua tollendi lapides. Statio autem alicuius, non ita ſumi anguſtè ſolet, vt ſolis eius circumſcribatur veſtigiis. & quomodo ſub duorum ſacerdotum pedibus ſaxa 12. fuiſſent? niſi profundiſſimè ſub illis, vt alij aliis incumbentes effoderentur lapides, foſſum fuiſſet. At ſic fuiſſent illi quidem lapides mirabiliter à Domino præparati, pœne vt ille in piſcis ventre ſtaret Matt. 17. verum ſuo cedere loco ſacerdotes oportuiſſet. quod negari videtur. v. 10. Illud etiam v. 5. *ante arcam Domini* ſignificat fuiſſe ſatis, vt è propinquo arcæ loco, qui in eius veluti conſpectu eſſet: illi acciperentur. *Secundo.* eſt *auctor*. Is autem fuit ipſis 12. tribubus, & 12. viris ipſemet *Ioſue*, v. 4. & 5. Sed ne nominis ſui famæ ac gloriæ, iſtorum poſitu lapidum, à quoquā nimium putaretur tantus Dux conſulere, traditur v. 1. 2. & 3. quemadmodum ei auctor fuerit ipſe Dominus. *Tertio. A quibus ſublati ſint lapides.* Iam conſtat 12. viros fuiſſe: ſed illud v. 8. *fecerunt ergo filij Iſrael, ſicut præcepit eis Ioſue*: ſignificat per iſtorum operā à 12. tribubus ſublatos eoſdem eſſe. Quia enim hi à populo toto delecti fuerūt, vt ſuprà dictum eſt, horum humeri & manus, totius veluti multitudinis humeri & manus fuerunt. *Quarto. cur ſublati?* Dicitur v. 6. Sed iterum poſtea v. 21. vbi cauſa explicabitur vberius. *Quinto.* Illuſtriſſimus & religioſiſſimus Olikæ ac Neſueſij Dux. *D. Nicolaus Radziuilius*, cum loca iſta ſacra, pietatis ergo, luſtraret anno D. 1583. ſcripſit de iis epiſtolas quatuor: in quarum altera ſic ait fol. 104. *Lapides, quos de alueo Iordanis tranſlatos in Galgalis ſtatuerunt Iſraelitæ, nulli apparent.*

QVÆSTIO IV.

Vbi nam alij 12. lapides in Iordane ſtatuti ſunt, & an ex alterutra ripa in illum illati?

IN altera verſus hierichuntem ripa ſtatutos vult Maſius. Sed *in medio Iordani alueo fuerunt.* quia in medio ſacerdotum pedes ſtetiſſe ſuprà probatum. hi autem in horum ſtatione, ſubque ipſorum pedibus poſiti fuerunt. Ex altera vero ripa eo huc illatos aſſerunt apud Abulenſem q. 1:. quidem: ſed non aſſerit textus. cum tamen ſicuti terminos à quo & ad quem in 12. prioribus indicat, in iſtis etiam indicaturus fuiſſe videatur, ſi aliunde eſſent illati. Deinde cum in Iordane lapidū affatim eſſet, cur inferre oportuiſſet? Reprehendit vero citata quæſt. Abulenſis textum propter verbū. *Poſuit.* cum in Hebræo ſit *erexit*, in Græco ſimiliter ἔστησε: acceditque ratio, quia *poſitio* ſignificat aliquo rem loco; vbi antea non fuit, collocari: *erectio* vero ſignificat in eodē iam loco fuiſſe. Sed aliter: antea quidem depreſſam aut iacentem, nūc autem ſublatam & ſtantem. Facile tamen reprehenſioni huic occurritur, ſi dicamus, *poni* etiā illud alicubi, quod antea ibidem iam erat, ſed modo ſituque alio; & rurſum *erigi* aliquid alicubi, quod ibidem etiam antea non fuit. Vt dum *Dei nomen* in Hieruſalem *ponitur* 4. Reg. 2.4.2. Paralip. 33. 7. dum *ponitur terra deſerta*. Iſaiæ 5. v. 6. dum *vrbs* alicubi quæpiam *erigitur, fornix, titulus, columna* 1. Reg. 15. v. 12. 2. Reg. 18. 18. 3. Reg. 7. v. 21. Quanquā dici etiam poteſt, iſtos lapides, alio poſitos loco qua erant. Licet enim in Iordane hactenus fuiſſent, nō tamen in eo Iordanis loco, vbi ſtabant ſacerdotes. ſunt iſta probabilia. illud tamen, vt opinor, probabilius, quod tradit auctor mirabilium ſacræ ſcripturæ l. 2. c. 1. ipſemet Auguſtinus de tempore ſermone 60. & in Ioſuano libello num. 46. dicebam; ex Hierichuntina ripa, & Galgalçis campis hos tranſlatos.

QVÆSTIO V.

Quomodo iidem in Iordane 12. lapides erecti?

POSSVNT & inter ſe lapides iſti conferri, & cum Iordane ipſo. & priore modo quæ-

ritur, *an ſinguli erecti ſint, an ſimul in vno veluti aceruo* aut mole omnes: *ſingulos* ait q. 11. Abulenſis & Maſius; *coniunctè & aceruatim* Caietanus. *Prius* videtur *probabilius*. *Primò*. quia Hebræus & Græcus, vti ſuperiore q. dictum, aiunt erexiſſe, aut ſtare feciſſe 12. Lapides. Is verò numerandi modus indicat ſingulorum diſiectionun. Alioqui dixiſſet aut aram, aut titulum, aut è 12. lapidibus molem aliquam. *Secundò*. quia ita ſinguli lapides excitati etiam fuerunt Exo. 24. &, vt infrà dicam, in Galgalis. *Tertiò*. quia ſic magis apparebat 12. tribuum numerus, beneficii huius in illas omnes memoria, poſteriore autem modo quæritur; *an iſti lapides in aluei tantum profundo defoſſi ſint, an verò ſupra ipſas etiam aquas eminuerint?* In profundo tantùm illos ferè collocant Rabbini: eminuiſſe verò mauult Lyranus, non tamen ſemper, ſed quando aqua parua erat, & ibidem Abulenſis & q. 13. Cum his Rupertus cap. 14. cum illis ſentire videtur S. Auguſtinus ſerm. 106. de tempore. Lapides hos *ſepultos* dicens, & confirmatur. 1. quia vaſti admodum & magni eſſe debuiſſent, vt è tam profundo extarent fluuio. 2. quia vel è Iordane iam antea olim eminuerant, vel non: ſi eminuerant, nihil noui iam videretur, aut certè non tam illuſtre foret miraculum cum eorum ordo tãtùm aliquis acceſſiſſet, ſi non eminuerant, ergo vel è profundo effoſſi fuiſſent, vt nunc in ipſius aluei ſuperficie poſiti extarent, vel alij iis lapides ſubiecti eſſe deberent, ſuper quos tandem foris apparerẽt. Effoſſos vix crediderim: ſed obuios potius, & in ſiccato alueo apparentes lapides acceptos. Quanto enim opus tempore fuiſſet, vt idoneæ magnitudinis quærerentur, & inuenti eruerentur? Et forte plures eruere neceſſarium fuiſſet, vt ex iis apti haberi poſſent. Alios iis etiam ſubiectos non facile putarim, quia aduerſus aquarũ moles aut cœmento, aut ferramentis eos inter ſe lapides compingere ac firmare oportuiſſet. Denique ſi eminuiſſent, quomodo non aliquo eorum, in aliqua ſacra vel prophana hiſtoria, mentio? Sed obiiciunt Abulenſis & Maſius; fuiſſe hoſce lapides in tranſitus huius monumẽtum erectos. Quem enim admoneat monimentum, quod appareat nunquam? Quomodo ſignum ſit, quod in aſpectum nunquam veniat? Reſpondent Rabbini, ſignum ac monimentum fuiſſe, quia etſi non in oculos, in aures tamen incurrebant, cum fama eſſet quam celeberrima eos inibi depactos, teſtes traiectionis huius perpetuos. Inſtat Maſius, ſi ſola hos fama indicabat, quid iis opus fuit? Nam eadem abſque iis fama traiectionem ipſam celebrare potuit. Potuit quidem, ſed magnam ad memoriam & teſtimonium ſempiternum vim habet, ſi fixum & certum aliquod alicubi ſignum certò conſtet, licet hoc ipſum non videatur: Sed ſi res & neceſſitas poſtularet, inquiri, viderique poſſet. Verbi cauſa, ſi priuilegii, donationis, aut contractus alicuius aliquæ in arcaniſſimo tabulario aliquo ſyngraphæ, aut diplomata, etiam latentiſſima ſint. Accedit, quod ſi eſſet Iordanis aut minor aut limpidior, videri poſſet: & in imo maris rubri fundo iſtiuſmodi ſigna quædam ab Oſorio traduntur lib. 1. cap. 10. *Extant*, ait, *etiam nunc certiſſima horum monimenta geſtorum. Nã tractus curruum, rotarumque orbitæ non ſolum in litore, ſed etiam in profundo, quouſque viſus admittitur, peruidentur. Etſi fortè ad tempus vel caſu, vel curioſitate turbantur, continuo diuinitus in priſtinam faciem ventis fluctibuſque reparantur, vt quiſquis non docetur timorem Dei propalatæ religionis ſtudio, iræ eius tranſactæ vltionis terreatur exemplo*. Alium tamen modum, quo etſi aquis obruti obtectique eſſent, videri potuerint, indicat Rupertus c. 14. non *in ſe* ſcilicet, ſed *in effectu*, id eſt, in ſtrepitu, aquarumque alliſu ac fremitu perpetuo. Sic enim ille. *Nec verò hi qui in medio Iordanis alueo minus quam hi qui ſuper aridam poſiti ſunt duriſſimi lapides, vt pote ſub aquis nutriti, earumque veteri vſu attriti, tanti memoriam facti ſeruare vel indicare potuerunt. Nam etſi interdum creſcentibus aquis ſubtecti latere potuerunt, ſemper tamen eorum offenſione gurgites irritati (quod aquis profluentibus naturale eſt) fortius atque animoſius inibi currendo ſcandalum ſuum nunquam occultum eſſe ſinuerunt.*

QVÆSTIO VI.

A quibus hi alii 12. lapides erecti, & quamdiu ita manſerunt.

AD priorem quæſtionis partem ita reſpondet textus, vt de ſolo *Ioſue* loquatur. Sed adiungunt interpretes alia duo. Vnum Maſius; feciſſe hoc Ioſue, Dei ſimiliter auctoritate ac iuſſu. *Quin à Deo*, inquit, *mandatum iſtud habuerit Imperator, equidem dubitare neminem debere arbitror, cum in rebus omnibus ob ore Eleazaris Pontificis, tanquam interpretis & adminiſtri Dei totus pendere ſemel iuſſus fuerit*. Alterum Abulenſis & Caietanus: erexiſſe iſtos lapides ipſum Ioſue, non per ſe, ſed per alios quibus id mandati dedit, quemadmodum 3. Reg. 6. dicitur, Salomonem Domini domum ædificaſſe, duaſq; addit rationes 1. quia ſolus eos erigere nõ potuiſſet 2. quia populi Principem non decebat manuariis huiuſmodi operibus manus admouere. At prior vim tantum habet, ſi hoſce lapides fuiſſe prægrandes concedatur aut roboris noui nihil Ioſuæ diuinitus conceſſum fuiſſe. Poſterior verò vera eſt, de ordinariis manuum operibus. Aliquando tamẽ & alicubi vel ad Dei cultum & gloriam, vel ad aliquod aliis exemplum dandum, vel ob neceſſitatem, aliumue iſtiuſmodi bonum aliquem finem, principes ad iſta ſeſe opera demittere, præclariſſimum, & non omnino inuſitatum. De *Conſtantino magno* die 18. Nouembris, cum vaticanam ille dedicaret, iſta legit Eccleſia. *Conſtantinus M. Imperator octauo die poſt baptiſmum ſuſceptum venit, depoſitoque diademate, & humi iacens, vim lachrymarum profundit. mox ſumpto ligone ac bidente, terram eruit: indeque duodecim terræ cophinis honoris cauſa 12. Apoſtolorum ablatis ac, loco Baſilicæ principis Apoſtolorum deſignato, Eccleſiam ædificauit.* Vter verò potentia & imperio maior *Conſtantinus* an *Ioſue*? & vtrum vilius, xII. aduoluere ac defigere lapides, an ligonem ſumere, terram fodere, humeris cophinos imponere ac geſtare? Atque alios vt taceam, in munienda Oſtiẽſi vrbe ipſummet Pontificem maximum *Leonem* laboraſſe, ſuiſque manibus opus feciſſe docet tomo 9. Baronius. Potuit igitur, & fortaſſe voluit

per arcam conſidere ſoliti aſpectus tranſeuntes omnes tuebatur, animabat, recreabat. Sicca verò illos retinuiſſe veſtigia refert in Paulæ matris epithaphio S. Hieronymus viſce verbis. *In medio amnis alueo ſicca ſacerdotes poſuerunt veſtigia.* Sed è c. part. vltim. q. 11. id iam patet.

QVÆSTIO IX.

Quandiu in eodem Iordane iidem ſteterunt ſacerdotes?

TEMPVS, quo in Iordane iidem ſteterunt ſacerdotes quadrifariam definit contextus. *Primò.* Superiore capite verſ. 17. in Hebræo, *donec omnis gens tranſeundi finem feciſſet.* Id autem horarum plurium tempus fuiſſe dictum eiuſdem capitis part. 2. quæſt. 13. *Secundò.* iſto capite verſu 10. *donec omnia compleretur, quæ Ioſuæ, vt loqueretur ad populum, præceperat Dominus, & dixerat ei Moyſes.* Illud ſignificat tam eas, quam ipſius tranſitus tempore ad populum orationes habuerat Ioſue, quam ea, quæ orationibus ſuprà c. 3. habitis prædicta erant, finita fuiſſe, priuſquam abirent è Iordanina ſua ſtatione ſacerdotes. Iſtud verò de iis, quæ præceperat Moyſes, omittunt 70. referunt verò cap. 7. in citata *ſuta* Thalmudici ad lapides, quos ad *hebal* montem ſtatuere iuſſerat Moyſes Deut. 27. Sed dupliciter. Nam eorum *aliqui* verè volunt eos, hoc ipſo trāſitus die, ſtatutos fuiſſe neque prius, quam ſtatuti eſſent, ſuam in Iordane ſtationem ſacerdotes deſeruiſſe. Sed quomodo hodie illum ad locum veniſſent Iſraelitæ? & commenta iſta clare profligabit infrà capitis octaui narratio. *Alij* verò, vt Radak, non intelligunt, reuera ſtatutos illos hodie lapides, ſed de iis ſtatuendis verba à Ioſue facta: ſicque quoad iſtorum ſententiam, finis eſſet, è loco ſuo non exceſſiſſe ſacerdotes. At nulla hic vel minima lapidum iſtorum mentio, & quod in priore verborum, quę iam expono, parte eſt, *col dabar* de reb. omnibus, vt dixi, vel iſto cap. dictis, vel ſuperiore capite prędictis intelligitur, tam quoad populi tranſitum, quam lapides efferendos & inferendos. Abulenſis ergo quæ. 14. putat intelligi ea, A quæ de in Chananæam terram inductione per Ioſue facienda dixerat Moyſes Num. 17. Deut. 3. & 31. Maſius generatim omnia, quæ de obedientia Dei mandatis accuratè præſtanda, ipſum Ioſue docuerat, eique præceperat Moyſes. & confirmari poteſt ex Hebræo, in quo ad verbum ſic eſt. *Et ſacerdotes arcæ geſtatores ſtantes erant in medio Iordanis, vſque ad conſummari omne verbum, quod præceperat Dominus Ioſuæ, ſecundum omnia, quæ præceperat Moyſes ipſi Ioſuæ.* Vbi iſtud, *ſecundum*, videtur modificare, non quod pręceperat Dominus, ſed conſummationem illam omnis verbi. id eſt, donec omnia, quæ præcepiſſet Ioſue Dominus, eo modo, eaque obedientia B & alacritate ab ipſo Ioſue adminiſtrarentur & ad exitum deducerentur, quam ſemper ei Moyſes præceperat & commendarat. *Tertiò Tempus* quo in Iordane ſteterunt ſacerdotes definitur hic v. 11. *Cumque tranſiuiſſent omnes, tranſiuit & arca Domini: ſacerdotes quoque pergebant ante Dominũ.* Tranſiuit inquam arca è Iordane, ſcilicet medio ſiue, cœptam vſque ad mediam tranſitionem, porro iam ad alteram vſque ripam perfecit. non autem vti loco citato nugantur Thalmudici, & apud Lyranum, & Abulenſẽ q. 20. R. Salomon: rediit ad priorem ripam, & per medias iterum fluentes aquas tranauit, ſuoſque ſecum baiulos aſportauit, *Ante populum perrexerunt ſacerdotes*, id eſt, ſpectante populo: vel potius vt ordinẽ progrediendi aliàs præſcriptum, iam tenerent, cum C vltimi ex alueo egrederentur, per medium exſpectantem in ripa populum perrexerunt, vt in progrediendo primas deinceps tenerent, eſſentque inter populum & arcam bis mille cubiti. *Quartò tempus* idem traditur verſ. 16. & 17. quoad ſcilicet egredi, ex ipſoque Iordanis aſcendere alueo iuberentur à Ioſue. Quod maximæ in ſacerdotibus iſtis patientiæ, conſtantiæ, obedientiæque fuiſſe, agnoſcet, quiſquis conſiderarit eorum etiam ſummam terræ, tamdiu quæſitæ, tandem aliquando videndę & calcandę cupiditatem, moram in alueo tam diuturnam, immotam tot horarum quietem, interiectam tot lapidum lationem & illationem: tanti temporis in humeris arcæ baiulationem, aliaque id genus.

ALTERA CAPITIS PARS.

De Iordanis in priſtinum fluxum reditu.

Eſt pars iſta, quædam veluti appendix ſuperioris, & continetur verſ. 18. & 19.

QVÆSTIO I.

Quomodo ſuum in alueum priſtinum refuſus Iordanis?

EXPLICATVR verſ. 18. in quo rem & ſententiam optimè tanſtulit Interpres noſter. Abs re tamen non fuerit, quod in Hebræo eſt, pœnè verbotenus audire. *Et fuit*, ait textus, *cum aſcenderent ipſi ſacerdotes, latores arcæ fœderis Domini, è medio Iordanis, tranſlatæ ſunt plantæ pedum ſacerdotum in ſiccam: & reuerſæ ſunt aquæ Iordanis, in locum ſuum: & iuerunt ſicuti heri & nudiuſtertius ſuper omnes ripas ſuas*, In quibus verbis notanda hæc. *Primò.* Ex iſto ſacerdotum aſcenſu, ad arcæ ſacerdotumque *volatum*, de quo ſuperiore quæſtione, comprobandum petit apud Lyranũ & Abulenſem citata quæſt. 20. argumentum Raſchi. quaſi qui è profundo amnis alicuius, in

quo aliquamdiu conſtitit, alueo ad ripam peruenit, non aſcendat. *Secundò.* Alioquin & vniuerſus volare debuiſſet populus, quia is etiam ſeq. verſ. 19. aſcendiſſe ſcribitur. Verbum porrò, quod tranſlatos ſacerdotum pedes notat, verti etiam poſſet, vt *extractos euulſoſque* illos diceret. non quod in profundiore luto vllo infixi fuerint, prout ex ſuperioris cap. p. 2. q. 11. intelligi potuit: ſed quòd ob diuturnam eodē in loco ſtationem, immotumque omnino gradum, arborum, inſtar, inibi viſi fuiſſent defixi. *Tertiò.* Sicca hic vocatur terra, quæ non ad aliquot iam horas exſiccata, ſed ſimpliciter ſicca erat: nullo ſcilicet operta fluuio, nullis aquis madida niſi forte pluuiis, aut fontanis. ideoque verterunt iſta duo 70. ἔθηκαν τὰ πόδας ἐπὶ τῆς γῆς. *Quartò.* Reuerſæ dicuntur aquæ, non illæ, quæ in mortuum mare iam effluxerant, ſed illæ quæ, montium inſtar, exaggeratæ, collectæque ſteterant. Et licet in alueum inferiorem nunquam adhuc antea deſcendiſſent, reuerſæ tamen dicuntur, quia ſecundum naturæ ſuæ deſiderium, vſitatumque curſum, iam quodammodo deſcenderant, ſoluſque nouus & inuſitatus antea obex eas retinuit. aut potius *aquæ Iordanis*, eſt ipſe Iordanis, qui rectè reuerſus dicitur, quia ibi antea fuerat. Remouit enim iſtum, quem flumini obdiderat, obicem Angelus, de quo ſuperiori c. p. 2. q. 8. & 12. & priſtino more, alueo toto refundi ac refluere illud cœpit. Neque tamen totum ſimul abſtulit. (Alioqui ſuo impetu adobruiſſet vicina omnia vndarum tanta congeries) ſed ſenſim & ſapienter, prout vidit, ſine vllo vrbis, loci aut hominis cuiuſquam detrimento poſſe fluuij exinanitum alueum iterum repleri: Tuncq; *iuerunt aquæ, ſicut heri & nudiuſtertius*, id eſt, ſicut antea ſemper, vt alibi ſuprà expoſitum. Quia tamen hiſce meſſis diebus exūdabat Iordanis, vti ſupra etiam traditum, is, ab Angelo poſtquam relaxatus, vltra ripas etiam diffluxit, prout antequam repagula ei Angelica obiicerentur, diffluebat. ideoque dicit Hebræus textus, *illas aquas iiſſe ſuper omnes ripas ſuas.* & licet Hebræum על vertant 70. *per* idem tamen ſignificant, dum per totam crepidinem δι' ὅλης τῆς κρηπῖδος profectas illas aiunt.

QVÆSTIO II.

Quo anno, menſe, die, mirabilis hic Iſraelitarum, per Iordanem tranſitus accidit?

PRimvm hic tacetur, veluti è Moſaicorum librorum narrationibus perſpicuum: duo autem poſteriora v. 19. ita explicantur. *Populus autem aſcendit de Iordane, decima die menſis primi.* Quæ fuerint apud Hebræos menſium nomina, dixi in Geneſi, & 1. Machab. c. 1. fol. 568. Meritò autem *menſem primum* tranſitui huic attribuit Dominus, tum quia feſſis tot annorum errore, Iſraelitis tantoque deſiderio promiſſam terram diſcupientibus, is apprimè, illa in regione, congruebat. Arua enim, vt è ſuperioris cap. p. 2. q. 5. patuit, ariſtis fluebant, gemmabant vites vuis pomis arbores curueſcebant, terra tota floribus graminibus, herbiſq; conueſtita veluti ridebat. Quàm omnium animos recreabat tam iucundum ſpectaculum? Solet autem rerum omnium opportunitates, omniumque temporum articulos ita benigniſſimus Dominus diſpēſare, vt infirmitatis noſtræ plurimā ſemper habeat rationem, eamque adminiculis omnibus ſuſtentet, adiuuet, erigat. Accedebat, quod ſi anni eiuſdem alium quemlibet menſem cœpiſſet, fuiſſet hæc populi vel peregrinatio, vel exilium annis 40. longius, contra quā comminatus erat Num. 14.

A

Huius verò primi menſis *diem* delegit idem Dominus *decimum*, quia is erat, quo immolandū agnum, vt paſcha peragеretur, deligebat, domique ad diem vſque 14. tenebat quilibet. licet Abulenſis q. 21. neget. Cum igitur, ob cauſas infrà c. ſeq. tangendas, primum hoc paſchatis feſtum Iſraelitas in promiſſa terra vellet agere Dominus, aptiſſimè hoc eius initio, & prima veluti præparatione Iordanem eos tranſmittere, primiſque ibi caſtris poſitis ſeipſos ad illud præparare, agnoſque ſuis è gregibus quā optimos ſegregare voluit.

B

De primo autem illo, *de anno* inquam duplex inſtitui poteſt quæſtio. Vna eſt, *quiſnam hic ab Ægyptiaco exitu annus fuerit?* opinio duplex. Quibuſdam enim annus *quadrageſimus ſecundus* videtur. quia nimirum, cum anno eiuſdē Ægyptiaci exitus altero reuerſi eſſent è Chananæa exploratores, iiſque auditis commurmuraſſet populus, dixerat Dominus Num. 14. v. 33. *Filij veſtri erunt vagi in deſerto annis 40. dierum, quibus conſideraſtis terram, annus pro die imputabitur.* His ergo annis quadraginta, ſi qui ab exitu effluebāt anni duo adiiciantur, erit iſte 42. Atque id aſſerit diſertè S. Auguſtinus hoc loco q. 6. & vt quidem ei à Maſio infrà c. 11. v. 18. tribuitur; Ioſeph. l. 5. c. 2. poteſtque confirmari ex ipſis 70. ca. ſeq. 5. v. 6. vbi aiunt τεσσαράκοντα γὰρ καὶ δύο ἔτη ἀνεστράφη Ἰσραήλ, id eſt, *duos & 40. annos retro actus eſt Iſrael.* Communis tamen, vt in veritate multò fundatior *ſententia* eſt *altera*, hunc annum eſſe ab exitu illo *quadrageſimum*. Nam Deut. 1. v. 3. diſertis verbis proditum legimus, anno quadrageſimo, die prima menſis vndecimi, feciſſe ad populum verba Moyſen, idque non multo antequā moreretur, in campis ſcilicet Moabiticis poſt *Seon* & *Og* Reges deuictos. Iſtos verò annos quadraginta ab ipſo Ægyptiaco exitu, non à murmuratione illa eſſe arceſſendos perſpicuè iis in verbis elucet, quibus Aaronis mors Num. 33. v. 38. conſignata. Cum enim eodē ille quo Moyſes anno, ſed aliquot menſibus citiùs è vita exceſſerit, ita ibi ſcriptum eſt. *Aſcendit Aaron in montem Hor iubente Domino & ibi mortuus eſt anno quadrageſimo egreſſionis filiorum Iſrael ex Ægypto menſe 5o. prima die menſis.* Sicuti verò ab Ægypto relicta maior iſte annorum 40. numerus his in ſcripturis mōſtratur, ita à murmurationis illius loco *Cadesbarne* minor ille annorum 38. numerus ſignatè traditur Deut. 2. v. 13. *Surgentes*, ait, *vt trāſiremus torrentem Zared, venimus ad eum. Tempus autem, quo ambulauimus de Cadesbarne vſque ad trāſitum torrentis Zared, triginta & octo annorum fuit.* Ecce igitur, quemadmodum dum terminus, à quo iter cœptum; ſtatuitur Ægyptus, annos 40. enumerat ſcriptura, dum à murmurationis exploratorum loco, tantùm 38. vt iſta de re dubitatio eſſe nulla debeat. Iam verò & clariſſimum illud

C

D

E

F

Digitized by Google

illud argumētum eſt,quo in Amos 5. vtitur Ribera. Annus quo locutus eſt Pharaoni Moyſes, fuit ætatis eius annus 80. Aaronis verò annus 83. Exod.cap.7.Sed cum mortem obiit Moyſes erat annorum 120. Deut. vltimo. & cum paulò ante ipſum è viuis abiit Aaron.erat 123. annorū. Ergo ab illo cum Pharaone colloquio vſque ad iſtorum mortem,anni neque plures,neque pauciores ſunt,quam 40. Sed horum mortis annus eſt idem cū ingreſſus in terrā anno:& ille colloquij Pharaonici annus idem cum Ægyptiaci egreſſus anno. Ergo ab egreſſu Ægyptiaco vſque ad Chananææ ingreſſum anni tantum ſunt 40. *Ad* eorum verò quæ obiiciebantur; *primum* reſpondeo,ſententiam illius loci Num.14.eſſe hāc fore vt in annum quadrageſimū terræ promiſſæ differatur ingreſſio, intereaque temporis, paſtorum, inſtar,qui vt paſcua inueniant, huc illuc incertis in ſolitudine ſedibus vagantur, vagentur etiam ipſi. Sed illorum 40.exordium idē eſt,quod & vitæ ad eandem terram. Si dicas explorationis diebus 40. reſponſuros annos 40. comminatum Dominum, non abnuo: ſed tantum dico,40.iſtorum annorum vnum iam ſolidum, & anni alterius partem iam maiorem fuiſſe tunc præteritam. Quæ tamen in annorum 40. ſummam venire voluit Dominus,vt accommodata foret inter dies & annos ſimilitudo: ſiue reuera ab initio explorationis illius peccatū fuerit, vti c.2.fol.35.vult Maſius, ſiue in extremo tantùm,vti diſputat Num.14.q.70.&75. Abulenſis. Vrgebis;quomodo, quod iam præteritum eſt,in eius quod poſtea fit, pœnam infligi poteſt? Reſpondeo fieri hoc poſſe,quoties rei alicuius dilatio,magis adhuc differtur. Nam præteritum dilationis tempus,auget poſterioris dilationis tempus. Verbi cauſa. ſi quid cuipiam, quod valdè optaret,dari hoc anno poſſet:neque tamen ob certam cauſam daretur: ſi quidpiam eum in anni huius exitu delinquere cōtingeret, differreturque in pœnā donatio in alios annos tres, rectè diceretur ille quatuor annorum exſpectatione, reique optatiſſimæ deſiderio cru-

A ciatus. *Spes enim quæ differtur*, Salomone teſte Prouerb.13. v.12 affligit animam. *Ad ſecundum.* Secutus eſt S. Auguſtinus 70.textum, de quo paulo poſt. *Ad tertium.* Ioſephus eum 42.annorum numerum aſtruxit nunquam:ſed alterum. & quidem eo ipſo,qui obiicitur,loco,dicens ab initio mannæ Iſraelitis datæ, vſque ad eius in promiſſa terra deſitionem,quæ vt c.5.videbim⁹ pauculis poſt ingreſſum diebus accidit, fuiſſe annos 40.quod ipſum etiam diſertè affirmat Exodus c.16.v.35. Priore autem li. 4. à murmuratione illa tantum 38.annos putat,& clarè ſubiūgit, *Mariam anno poſtquam ex Ægypto egreſſa fuerat, quadrageſimo, fuiſſe mortuam.* Erat verò is an-
B nus peregrinationis vltimus, & idem prorſus, qui eius fratribus *Aaroni & Moyſi* vitæ finem attulit Num.20. v.1.& 28. Nunc *ad* 4.de 70. dico eorum hic, vt aliis etiam in locis non raro, deprauatum eſſe nūmerum.idq; intelligitur nō ex Heb. tantùm,Chaldęo,Latinoque textu, ſed ex Theodoreto etiam, qui diligenter admonet,in Græcis exemplaribus aliis, eſſe annos non 42. ſed 40.& citatur in annotatione 70. Romanę editionis. idque Biblia etiam Regia ſecuta ſunt, in quorum Græcis *anni* 40. Incidit verò S. Auguſtinus,de quo ſupra, in exemplar non emendatum. Concludo igitur ab egreſſu Ægyptiaco, ad hunc Iordanis tranſitum, annos 40. ſolidos
C effluxiſſe,diebus 10.additis,ſi *menſis*,quo olim egreſſi ſunt,ratio habeatur; demptis autem diebus 5. ſi *diei*,quo itidem egreſſi. Is enim fuit dies 15.menſis primi. At iam egrediuntur menſis eiuſdem die decimo. Sicque illud etiam accipiendum Pſal.94. *Quadraginta annis proximus fui generationi huic.* & Amos 2. verſ.10. *Ego ſum*, ait Dominus, *qui aſcendere vos feci de terra Ægypti, & duxi vos in deſerto 40. annis, vt poſſideretis terram Amorrhæi.* Altera porro quæſtio eſt, *quiſnam à condito mundo hic annus fuerit?* Pendet hoc è perpetua ſuperiorum librorum chronologia, quæ variis varia. Mihi autem eſt hic annus mundi 2490. qui ſecundum chronologiam meam,erat ante Chriſtum Dominum 1705.

TERTIA PARS CAPITIS.

EXPLICAT iſta cap.4.pars vltima tria. *Primò*, vbi caſtra prima Iſraelitæ fixerint. *Secundò*, quomodo 12.illos lapides, de quibus ſupra,inibi poſuerit ipſe Dux Ioſue. *Tertiò*, quomodo eoſdem expoſuerit. Sed pertinent iam omnia hęc ad alteram libri huius partem. ideoque antequam de iis incipiam,paululùm ad vtilia morum,Chriſtianæque pietatis noſtræ myſteriorum vel documenta,vel interpretamenta ex iis,quæ de tranſitu iſto dicta ſunt, colligenda,tranſeundum.

QVÆSTIO I.

Quid per Iordanem tranſitus ſignificat?

PRINCIPIO rectè ſignificat, fidelium omnium qui verum Ioſue Chriſtum Dominum ac Saluatorem fide,ac obedientia ſequuntur, tranſitum in vitam æternam. Nam vita hæc noſtra quid aliud eſt,quam iugis per varias mundi huius ſolitudines peregrinatio? Atque hanc vbi tandem Dei gratia & auxilio confecimus, deuenimus ad Iordanis ripas,ad extremū vitæ tempus, ad mortem ipſā.quę ipſa nōne trāſitus quidam eſt? Certè ita Gallis vocatur, apud quos mori eſt *treſpaſſer*,& mortuus *treſpaſſé*. Sed tranſitus omnium maximus, prout ſuperlatiua eorum particula *tres* indicat. Et in ſcripturis noſtris? *Sciens IESVS, quia venit hora eius, vt tranſiret ex hoc mundo ad Patrem.* Ioan.13. v.1. clariſſimeque,&ad rēde qua agitur, aptiſſimè ipſemet IESVS dixit. *Amen amen dico vobis, quia qui verbū meū audit, & credit ei, qui miſit me, habet vitā æternā, & in iudiciū nō venit: ſed tranſiet à morte in vitā.*

Digitized by Google

& Ioan. 13. *Cum tranſiret ex hoc mundo.* &c. Ipſa verò promiſſa terra promiſſorum nobis cœlorum, æternæque illius hæreditatis & quietis figuram geſſit, prout docet Propheta Dauid Pſal. 94. & eum exponens Apoſtolus Hebr. 3. & 4. Oſtendit enim adhuc eſſe nobis introeundum *in requiem*, quæ vtique illa non eſt, quæ, ante huius ſcriptorem Dauidem, prætererat, ſiue, ſit illa, qua in prima rerum omnium conditione quieuit Deus Geneſ. 2. verſ. 2. ſiue in quam in Iſraelitis vetus ille Iesvs induxit, ſed alia, quæ hiſce quietibus præmonſtrata erat. D Hieronymus in Epheſ. cap. 6. *Quærenda eſt terra quam Dominus repromittit, & tribuit his qui ſpiritualem Ægyptum reliquerint: & cum omni patientia, magna & terribilia vitæ iſtius deſerta tranſierint, & vicerint reges magnos, quos percutit Dominus, & tranſierint in Iudæam, quæ lacte & melle fluit: Et ſub* Iesv *Duce, Hiericho corruente, atque vaſtata Hai, quæ interpretatur abruptum, Hieruſalem venerint, & ædificetur eis templum ſub Salomone Rege pacifico, & poſſideant terram quæ manſuetis eſt præparata. Beati quippe mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram, quæ verè eſt terra viuentium, Pſalmiſta quoque dicente: Credo videre bona Domini in regione viuentium.*

Sed in hoc ipſo mortis tranſitu exundat Iordanis, tranſire qui poterimus? Ecce ingentes à Satana tentationum fluctus, qui huic vltimo vitæ tempori omnium maximè inſidiatur. Ecce à natura ipſa, quæ corporis animique diſſolutionem horret, quæ ægritudinis vi, dolorumque carnem noſtram peruellentium acerbitate impeditur, vehementiſſiméque perturbatur; magnæ vndarum moles. Et has veluti naturales augent, illæ tot & tantæ aduentitiæ, quæ è colliquefactis Libani, aliorumque montium niuibus oriuntur. *Niues* verò iſtæ ſunt mundi huius voluptates, honores, opes, quę ſtulta hominum admiratione candidæ apparẽt, & frigidæ, fluxæque ſunt. Vna quæpiam fortunæ aura tepidior. Vnus febriculæ Zephyrus, verna vna, æſtuantioris ſolis irraditio cuncta hæc diſſoluit. Exinde autem cum moriendum, varii vaſtique curarum, & mœſtitiarum gurgites. Moleſtiæ verò terroriſque plurimum afferunt ij, qui tranſeuntibus dextri ſunt, & à ſupera parte ſtant. Nam ferè fit, vt mors illis difficilior, & repugnantior ſit, quibus dextra & proſpeça hæc omnia. *O mors* ait Eccleſiaſticus cap. 41. verſ. 1. *quam amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis: viro quieto, & cuius viæ directæ ſunt in omnibus. & adhuc volenti accipere cibum.* Aquæ verò inferiores & ſiniſtræ, ſponte quaſi ſua, cedunt, faciuntque, vt homo neque illibẽter, neque admodum difficulter ad cœleſtia hinc emigret. Ideoque ibidem ſequitur. *O mors bonum eſt iudicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus, defecto ætate.* Per has tamen vtraſque aquas tranſeundum, & neque medicorum, neque naturalium aut medicinarum, aut conſolationum vadum aut pons vllus, quid agendum? IESVS oportet noſter viam nobis aperiat. per fluctus medios ſicco nos veſtigio, ſi voluerimus, deducet: aquarum omnium illapſus ſuſtinebit. idque ſacerdotum & Angelorum ſuorum operâ. Illis diuinorum librorum, cœleſtiſque mannæ, id eſt,
A ſacramentorum omnium, quibus animorum infirmitas, tanquam cibis optimis, fulcitur ac reficitur, arcam commiſit: his verò mandauit de nobis, vt non offendamus ad lapidem pedem noſtrum. Hi tanta ſibi conceſſa poteſtate ac gratia, incitatos tentationum periculorumque omnium impetus compeſcent: hi vt feliciter abſque vllo ſcelerum madore, vllo prauitatum veterum humore in beatam illam regionem excedamus, efficient. *Videte fratres*, ait Apoſtolus Heb. 3. verſ. 12. *ne fortè ſit in aliquo veſtrum cor*
B *malum incredulitatis, diſcedendi à Deo viuo: ſed adhortamini voſmetipſos per ſingulos dies, donec hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. participes enim Chriſti effecti ſumus: ſi tamen initium ſubſtantiæ eius vſque ad finem firmum retineamus. Dum dicitur, hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, quemadmodum in illa exacerbatione. Quidam enim audientes exacerbauerunt. Sed non vniuerſi qui profecti ſunt ex Ægypto per Moyſen. Quibus autem infenſus eſt quadraginta annis? Nonne illis qui peccauerunt, quorum ca-*
C *dauera proſtrata ſunt in deſerto? Quibus autem iurauit non introire in requiem ipſius: niſi illis qui increduli fuerunt? Et videmus, quia non potuerunt introire propter incredulitatem.* Et poſtea cap. 4. verſ. 11. *Feſtinemus ergo ingredi in illam requiem: vt ne in idipſum quis incidat incredulitatis exemplum.*

Imo verò non ſolos nos tranſire oportet: ſed Ægyptiorum etiam, aliorumque populorum magnam nobiſcum ducere multitudinẽ, prout fecerunt Iſraelitæ. hortando ſcilicet alios, inſtruendo, monendo verbis, factiſque. *In omni-*
D *bus*, ait idem Apoſtolus 2. Corinth. 6. *exhibeamus noſmetipſos, ſicut Dei miniſtros in multa patientia*, &c. *per arma iuſtitiæ à dextris & à ſiniſtris: per gloriam & ignobilitatem: per infamiam & bonam famam.*

Sed ad tantum, tantique momenti, periculi, & difficultatis tranſitum præparatione bona opus eſt. *Viuere*, ait Seneca libro de breuitate vitæ cap. 7. *tota vita diſcendum eſt.* imò tota vita diſcendum eſt mori. Sanctificemus nos, cibaria comparemus, arcam Domini ſequamur, ſa-
E cerdotum veſtigia premamus, & intrepidi, fide animoque magno Iordanis huius alueum ſubeamus. Aderit Dei virtus, & Angelorum manus. Et verò punctum temporis eſt, quo trãſeundum. Subito enim aquę iſtę diffinduntur, & feſtinanter traiiciuntur. Quantulum eſt hoc, ſpiritum bis, terue efflare? Quantula mora inter hanc, & alteram ripam, inter *Vigilat* & *dormit*, inter *Viuit* & vixit? Sed primi menſis die 10. tranſeundum. Quemadmodum ſe ad annum totum habent pauculi dies hi decem: ſic ad æternitatẽ
F tota noſtra hęc vita. Illi ſunt initium tantummodo: ſed initium tamen, in quo ſimpliciſſima numerorum omniũ ſeries: è quibus inter ſe copulatis & aggeſtis ſummę innumerabiles ac infinitæ ſtruuntur. Huic porrò tranſitui poſſunt è ſuperioribus applicari alia cõplura. Sed in pauculis hoc iam ſpecimẽ ſatis. quod Origenis tamẽ verba illuſtrarint, non parum. *Poſt labores*, ait ho. 4. *& tentationes, quas in huius mundi eremo pertulerimus, poſt tranſitũ rubri maris, poſt fluenta Iordanis, ſi digni fuerimus terrã promiſſionis intrare, cũ lætitia & exultatione perueniem⁹, ſequẽtes ſacerdotes D. Chriſti*

& Saluatoris

Saluatoris noſtri, cui eſt gloria & poteſtas in ſæcula ſæculorum. Amen.

QVÆSTIO II.

Quid amplius idem ſignificat tranſitus?

PLERIQVE omnes ſacrum *baptiſma*, quod, IESV noſtro auctore, ac Duce inimus; iſto Iordanis tranſitu ſignificari monent. *De iis*, ait homiliæ 5. principio Origenes, *qui mare rubrum tranſierunt, Apoſtolus dicit, quia omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari. De iis verò qui Iordanem tranſeunt, poſſumus etiam nos ſimili modo pronunciare, quia omnes in* IESV *baptizati ſunt in Iordane: ita vt ea quæ in Iordane geſta referuntur, formam teneant ſacramenti, quod per baptiſmum celebratur.* Et homilia 4. *Si ad myſticum baptiſmi veneris fontem, & conſiſtente Sacerdotali & Leuitico ordine initiatus fueris venerandis illis magnificiſque ſacramentis, quæ norunt illi quibus noſſe fas eſt, tunc etiam ſacerdotum miniſteriis Iordane digreſſo terram repromiſſionis intrabis, in qua te poſt Moyſen ſuſcepit* IESVS, *& ipſe tibi efficitur noui itineris Dux.* Quemadmodum enim eſt per Iordanem in terram deuentum, optatam illam quidem, boniſque omnibus affluentem, ſed in qua tamen contra varios forteſque hoſtes depugnãdum: ita per baptiſmum in hæreditatis æternæ poſſeſſionem inducimur, ſed eam tamen, quæ variis adhuc præliis & certaminibus contra carnem, mundum, & diabolum, aduerſarios minimè lentos & imbelles, expoſita eſt, prout in ſequentibus apparebit. donec ſcilicet illis omnibus domitis atque ſubactis, pace nunquam interrumpenda perfruamur.

Et quemadmodũ aquæ illæ non ſuoptè motu ac lenitate tam mirabiliter conſtiterunt, ſed altiore quadam diuina vi. Sic & baptiſmatis aquæ animos noſtros eluunt, perpurgant, candefaciũt an ea latici vlli à natura inſita efficacitas? Quid in non corpus per ſe agat corpus? Vnde tantas, quantas animus tribuit, ſtupidum fluxũque habeat opes elementum? At verus hanc iis vim indidit IESVS. Iſte ſacerdotibus ſuis præcepit Matth. vltimo verſ. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia, quæcunque mandaui vobis.* An hoc non eſt, vt populo iſti prægrediantur, & teſtimonij arcam præferant? Apud S. Marcum verò capite vltimo ver. 15. cum eadem noſter præcepiſſet Ioſue, miræ ſtatim huius ſacræ tinctionis efficientia ſubditur verſu. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Atque vt non præcepto tantum, ſed exemplo etiam nobis idem præiret ſalutis noſtræ Dux, voluit ipſemet Iordanem intrare, in eoque baptizari. Nam Matth. 3. verſu 13. *Venit* IESVS *à Galilæa in Iordanem, vt baptizaretur ab eo. Vbi Iordanis*, ait homilia 4. Origenes, *tranſitur, ibi dicitur ad* IESVM: *In hac die incipio exaltare te in conſpectu populi. Neque enim ante myſterium baptiſmi exaltatus* IESVS, *ſed exaltatio eius, & exaltatio in conſpectu populi, inde ſumit exordium. Si enim omnes qui baptizantur, in morte ipſius baptizantur, mors autem* IESV *in crucis exaltatione completur, merito vnicuique fidelium tunc* A *primum* IESVS *exaltatur, cum ad myſterium baptiſmi peruenerit, quia ſic & ſcriptum eſt, quod exaltauit illum Deus, & donauit ei nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine* IESV *omne genu flectatur, cæleſtium, & terreſtrium, & infernorum.* Ad huiuſmodi tranſitum, iis qui ſuis ipſi pedibus & voluntate tranſituri ſunt, id eſt, adultioribus, præſcriptæ iam olim à patribus certorum dierum præparationes, vt ſe ſcilicet per abſtinentiam à carnium eſu, vini potu, coniugij viſu ſanctificarent, precipibus vacarent, ieiuniis, pœnitentiæque operibus B aliis operam darent, prout apud *Cyrillum Hieroſolymitanum* Catecheſi prima legere eſt, apud *Nazianzenum* oratione in ſancta lumina. Diuum *Auguſtinum* libro de fide capite 6. *Carthaginienſe quartum Concilium* Cano. 85. Auctoremque vitæ S. Gregorii Armeni tomo 6. Lipomani.

Ad eundem tranſitum feſtinatio etiam adhibenda. Reprehendunt enim priſci patres illam illorum tarditatem, qui vt corpori obſequerentur licentiùs, & ab omnium ſimul peccatorum ſordibus eluerentur, baptiſmum ſibi procra- C ſtinandum ducebant. Quam verò eos vehementius reprehendiſſent, qui vt, hodierni ſæculi Anabaptiſtæ, factu id neceſſarium iudicaſſent?

Neque abſque myſterij ratione, ait idem loco citato Origenes, *arbitror ſcriptum, quod pars aquarum Iordanis mergatur in mare, atque in amaritudinem profluat, pars verò in dulcedine perſeueret. Si enim omnes qui baptizãtur acceptæ cæleſtis gratiæ dulcedinem cuſtodirent, & nullus in peccatorum amaritudinem verteretur, non vtique eſſet ſcriptum, quia pars fluminis ſalſi maris gurgitibus fuiſſet immerſa. Et ideo mihi* D *videtur in his verbis baptizatorum varietas deſignari, quam quidem nos (quod cum dolore commemoro) ſæpe videmus accidere, vt hi qui ſecundum baptiſma conſequuntur, cum ſe rurſum ad negotia ſæculi, & illecebras libidinis tradunt, & cum auaritiæ ſalſum poculum bibunt, in ea aquarum parte firmentur, quę in mare profluit, atque in ſalſis fluctibus deſinit: pars verò illa quę cum ſtabilitate permanet, & dulcedinem ſuam ſeruat, deſignet eos, qui acceptum* DEI *munus indeclinabiliter tenent. Et rectè vna pars eſt eorum qui ſaluantur, quia & panis vnus eſt, qui de cælo deſcendit, & dat huic* E *mundo vitam, & fides vna eſt, & vnum baptiſma, & vnus Spiritus quo omnes potantur in baptiſmo, & vnus* DEVS *Pater omnium.* Fortè tamen per duplices iſtas aquas duplicem rectè baptiſmum accipiamus, vt inferiores quidem *Ioannis*, ſuperiores verò CHRISTI DOMINI baptiſmum notent. Illæ ſupra naturam egerunt nihil; ſolito ſuo more in mortuam paludem decurrerunt: alueum tantummodo, vt libera & patens eſſet tranſituris via, præpararunt. ita & S. *Ioannis* baptiſmus. Vim ex ſe habebat nullam; nullas animorum eluebat F maculas: nullas diuinæ gratiæ opes infundebat. Sed ad pœnitentiam inuitabat; ad veramque in cœleſtis terræ poſſeſſionem tranſitum præparabat. longè aliter *Ioſuæ* noſtri baptiſmus. quemadmodum accuratè docet lib. de bap. à cap. 14. vſque ad 23. Bellarm. & lib. 1. de pœnitent. c. 14. De noſtro autem IESV dicebat Ioannis 3. v. 30. ipſe *Baptiſta, illum oportet creſcere: me autem minui. Qui deſurſum venit, ſuper omnes eſt. Qui eſt de terra, de terra eſt, & de terra loquitur.*

Digitized by Google

Qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt. Et S. Ambroſius A ſermone 18. in Epiphania. *Ideo baptizatur Chriſtus, non vt ſanctificetur ab aquis, ſed vt ipſe aquas ſanctificet, & purificatione ſui purificet fluenta illa, quæ tangit. Conſecratio enim Chriſti, conſecratio maior eſt elementi. Cum enim Saluator abluitur, iam tunc in noſtrum baptiſmum tota aqua mundatur, & purificatur fons, vt ſecuturis poſtmodum populis lauacri gratia miniſtretur. Præcedit ergo Chriſtus per baptiſmum, vt Chriſtiani poſt eum confidenter populi ſubſequãtur. Intellige ergo myſterium. Ita enim & columna ignis præceſsit per mare rubrum, vt intrepidum inter Iſrael filij* B *ſubſequerentur, & ipſa prius per aquas greſſa eſt, vt venientibus poſt ſe viandi ſemitam præpararet. Quod factum, ſicut Apoſtolus dicit, myſterium baptiſmi fuit, Baptiſmum planè quodammodo fuit, vbi homines nubes operiebat, vnda portabat. Sed hæc omnia operatus eſt Chriſtus Dominus idem & qui modo, qui ſicut tunc per mare filios Iſrael in ignis columna præceſsit, ita nũc per baptiſmum Chriſtianos populos in corporis ſui columna præcedit. Ipſa, inquam, eſt columna quæ tunc ſequentium oculis præſtitit, modo lucem credentium cordibus ſubminiſtrat. Tunc influentis vndarum ſoli-* C *dauit ſemitam, modo in lauacra fidei veſtigia corroborat: per quam fidem, ſicut filij Iſrael, qui intrepidus ambulauerit, perſecutorem AEgyptium non timebit.*

Sed intelligere hic prætereapoſſumus, lachrymarum & pœnitentiæ baptiſmum, nõ eo modo, quem fingunt Nouatores noſtri, contra quos eodem poſteriore loco idem Bellarminus: ſed quem ſancta mater proponit Eccleſia. de quo etiam Originem accipio homil 4. cum *ſecundum baptiſma* dicit, licet in margine pro *felici ac proſpero* accipiat Genebrardus. Cum verò peccatorũ D genera duo ſint, duæ item iis aquæ reſpondent. Nam peccatis munitioribus aquæ debentur inferiores, quæ à naturæ ſuæ ſtatu nihil diſcedentes, facillimè procurrunt. Maioribus verò celſi ſuperiorum aquarum montes incumbãt oportet. quos maior quædam diuina vis excitat. *Laboraui*, ait Pſ. 6. Propheta Dauid, *in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum: Lachrymis meis ſtratum meum rigabo.* De ſeipſo S. Auguſt. li. 8. cõfeſſionis c. 12. *Dimiſi habenas lachrymis, & prorupe-* E *runt flumina oculorum meorum, acceptabile ſacrificiũ tuum.* S. Cyp. ſermone de lapſis extrem. *Orare oportet impenſiùs, & rogare, diem luctu tranſigere: vigiliis noctes ac fletibus ducere: tempus omne lachrymis, & lamentationibus occupare.* D. Am. præfatione in Pſal. 37. & li. 1. de pœnitentia c. 2. *Qui culpa exaggerauit, exaggeret etiam pœnam. Maiora enim crimina maioribus abluuntur fletibus.*

Confeſſionis etiam peccatorum imago eſſe poteſt ipſa per medias patenteſque vndas progreſſio. E variis ſiquidem errorum ambagibus ſeſe in beatam terram recipit, qui præteritæ vi- F tæ maculas lachrymis eluit, & coram ſacerdotibus Domini arcam auctoritatemque gerẽtibus tranſit, & quidem ita, vt omnes omnium gradus & paſſus iſti videant, & expendant: iis Deũ reddunt propitium, vt è fluuij profundo, in beatitatis ripam feliciter aſcendant. Ad iſtum etiam confeſſionis pœnitentiæque tranſitum perutilis eſt dierum aliquot *præparatio*, & nõnulla *feſtinatio*. In illa, ſibi ſumit homo ſpacium conſcientiam ſuam examinandi: & cogitandi omnes annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ. In iſta, mos

A geritur ſapienter monenti Eccleſiaſt. 5. v. 8. *Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subito enim venit ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.* Quia verò connectit huic tranſitui Origenes hom. 5. omnium quæ præſcripſit nobis Dominus, expletionem, eum audiamus. *Illud*, ait, *quod ſcriptum eſt, Et feſtinauit populus & tranſiit Iordanem, & factum eſt cum pertranſiſſet omnis populus, tranſiit & arca teſtamenti Domini: non mihi otioſe additum videtur à Spiritu ſancto, quod dixit, quia feſtinauit populus tranſire. Vnde & ego arbi-* B *tror, quia nobis quoque venientibus ad baptiſmum ſalutare, & ſuſcipientibus ſacramenta verbi Dei, non otioſe, nec ſigniter res gerenda eſt, ſed feſtinandum eſt, & perurgendum, vſquequo omnia tranſeamus. Tranſire enim omnia, implere eſt omnia quæ mãdantur. Feſtinemus ergo tranſire, id eſt, adimplere primo quod ſcriptum eſt, Beati pauperes ſpiritu: vt depoſita omni arrogantia, & Chriſti humilitate ſuſcepta peruenire ad repromiſſam beatitudinem mereamur. Sed & cum hæc impleuerimus, non nobis ſtandum eſt, neque ceſſandum, ſed tranſeunda ſunt, & cætera quæ ſequuntur, vt eſu-* C *riamus & ſitiamus iuſtitiam. Tranſeundum nobis eſt & quod ſequitur, vt in hoc mundo lugeamus. Cito etiã reliqua tranſeunda ſunt, vt manſueti efficiamur, & vt pacifici maneamus, vt per hoc filij Dei vocari poſsimus. Feſtinandum quoque nobis eſt, vt perſecutionum põdus virtute patientiæ tranſeamus. Cumque hæc ſingula, quæ ad virtutis gloriam ſpectant, non ſegniter, nec remiſſè, ſed cum omni inſtantia & celeritate conquirimus. Hoc mihi videtur eſſe cum feſtinatione tranſire Iordanem.*

QVÆSTIO III.

D *Quæ in eodem tranſitu alia notanda?*

DEI conſtantiſſima in promiſſis *fides*, in magnis arduiſque rebus *potentia*, ſumma erga populum *beneuolentia*, & in ipſum Ioſue *fauor* ac ſtudium, ſatis è dictis perſpecta. Nobis verò etiã monſtratur. quanto difficillimis & rebus & tẽporibus, animo eſſe debeamus. Per medios amnes ſicca virtuti veſtigia ſunt. Irridet pœnè ipſa pericula, qui Deo plenus, canit. *Quid eſt tibi mare* E *quod fugiſti, & tu Iordanis, quia conuerſus es retrorſũ.* Pſal. 123. *Peccatori*, ait homilia 4. Origenes, *omnis creatura hoſtis eſt, ſicut de AEgyptiis ſcriptum eſt: Terra eos impugnabat, aer ipſe impugnabat. Iuſto verò etiam quæ inacceſsibilia videntur, plana efficiuntur & procliuia. Mare rubrum iuſtus tanquam per aridam tranſit: AEgyptius verò ſi tranſire voluerit, ſubmergetur, nec fiet ei aqua murus dextra, læuaque. Iuſtus etiam ſi eremum horribilem ingrediatur & vaſtam, cibus ei miniſtratur è cœlis. Ita ergo & in Iordanem arca teſtamenti duxerat populum Dei. Conſiſtit ordo Sacer-* F *dotalis & Leuiticus, & aquæ velut reuerentiam quandam, Dei myſteriis referentes, curſum ſuum refrenant, & coaceruantur in cumulum, iter Dei populo innoxiũ concedentes.* Hic verò Ioſue noſter exaltatus: Hic Deo quàm carus & dilectus eſſet apparuit. hic quàm ei nos inſtruenti, regenti, ducenti ac monenti obſecundare præclarum ac vtile ſit, cognoſcitur. Imo verò non per aquas tantum nos & tutos & ſiccos ducet, ſed per aëra etiam ſublimes in cœlum rapiet, per medias flammas ſaluos & incolumes in beatorum regionẽ trãsferet, prout eodem loco annotat Origenes.

Ne

Digitized by Google

Ne mireris, ait, *cum hæc geſta tibi erga priorem populum referuntur, tibi Christiane, qui per baptiſmi Sacramentũ Iordanis fluenta digreſſus es, diuinus ſermo maiora multo & celſiora promittit, iter tibi per aëra ipſum & tranſitum pollicetur. Audi etenim Paulũ dicentem de iuſtis: rapiemur, inquit, obuiam Chriſto in aëra, & ita ſemper cum Domino erimus. Nihil omnino eſt quod metuat iuſtus, omnis ei creatura famulatur.*

Iuxta litteram ait Rupertus c. 13. *Si forte quærebas, quid intendens dixiſſet Dominus ſicut fui cũ Moyſe, ita ero tecum. Itemq;: Hodie incipiam exaltare te coram omni Iſrael, vt ſciant quia ſicut cum Moyſe fui, ita* B *& tecum ſim. Ecce habes, quia ſicut fuit cum Moyſe, vt eleuante illo virgam ſuam ſuper mare, auferret illud Dominus, flante vento vehementi, & vrente tota nocte, & verteret in ſiccum, ad diuideretur aqua, ingreſſiſq; filiis Iſrael per medium ſicci maris, eſſet aqua, quaſi murus ad dexteram eorum & leuam: ita & nunc eodẽ elemento diuina potentia ſuum ad miniſterium vtens, ad ingreſſum Ioſue diuidit Iordanem populo incedente, & ſacerdotibus qui portabant arcam fœderis Domini ſtantibus ſuper ſiccam humum. Porrò iuxta ſpiritum, ecce pluſquam Moyſes hic, ecce cum Ioſue Dominus pluſquã* C *cum Moyſe fuit.* In quo? *Videlicet in eo, quia ſteterunt aquæ deſcendentes in vno loco, quæ autẽ inferiores erãt (inquit) in mare ſolitudinis, quod nunc vocatur mortuum, deſcenderũt, vſquequo omnino deficerent. Aquæ inferiores veteris teſtamẽti fuere iuſtificationes, de quibus Apoſtolus cum dixiſſet: Quod autem antiquatur & ſeneſcit prope interitum eſt, continuo ſubiunxit, habuit quidem & prius iuſtificationes culturæ, & ſanctũ ſæculare. Tabernaculum enim factum eſt primum, &c. Aquæ vero deſcendentes & ſequentes, Euangelica fides eſt, Dei iuſtitia eſt. Deſcenderunt aquæ inferiores in* D *mare ſolitudinis, in mare mortuum, & omnino defecerunt, quia videlicet iuſtificationes carnis, iuſtificationes Iudæorum, cunctæ carnales cerimoniæ illorum, quæ nihil ad perfectum adduxerunt, tanquam aqua decurrens ad nihilum deuenerunt, imò & pro detrimento habendæ, & vt ſtercora arbitrandæ ſunt. Ita in mare mortuũ deſcenderunt. Quæ autem ſequuntur, deſcendentes & venientes de ſurſum, aquæ viuæ, aquæ ſupernæ gratiæ. Deſcendentes inquam deſurſum à patre luminum, ecce in vno loco conſiſtentes, inſtar montis intumuerunt, procul apparentes ab vrbe, quæ vocatur Adom, vſq; ad lo-* E *cum Sarthan: Adom rubra, Sarthan tribulatio eorũ interpretatur. Adom ergo, id eſt rubra. ipſa eſt Hieruſalem terrena, vnde iuxta Prophetam, tinctis veſtibus venit formoſus iſte verus Ioſue. Sarthan autem, id eſt tribulatio eorum, Romanũ eſt imperium, à quo illa Hieruſalem per miſerandum, imo per meritum tribulata, & verſa eſt excidiũ. Ab illa Hieruſalem vſque ad Romanum imperium, aquæ Iordanis deſcendentes, & inſtar montis intumeſcentes apparuerunt. Incipiẽtes enim ab Hieruſalem vſque in ſinum Romanæ vrbis deuenerunt dona domini. ſcilicet, pœnitẽtia & remiſſio peccatorum.* F *Igitur (vt prædictum eſt) plus cum iſto Ioſue Deus eſt, quam cum Moyſe fuit, altiuſque hunc quam illum coram omni Iſrael Principem & Saluatorem exaltauit.*

Sed pulcherrima ſacerdotum exempla ſunt. Ii primi ad Ioſuæ monitum, in exundantes adhuc aquas intrant: neque timent, ne vel illarum vorticibus abripiantur, aut ſubmergantur: aut ne, ſi forte ipſis non ceſſiſſent aquæ, cætero ſeipſos populo ridentes propinarent. Magna eorum fides, dum diffluente vltra ripas amne, non dubitant, quin Ioſue prudẽter ipſos prægredi iubeat:

Ioſue.

A certoque futurum ſperant, vt abſcedant aquæ, meatumq; vniuerſæ multitudini cõcedant. Vbi verò illas viderunt abſceſſiſſe, non fortitudinis magnæ tantummodo fuit, eos in alueo medio, cum eorũ impenderent minaciſſimæ vndę capitibus; manere: ſed magnę etiã patientiæ, tot horas immotos vno eodẽque veſtigio inſiſtere: neque vel arridentis iam optatę telluris cupiditate, in illã procurrere, neq; à cœpta ſtatione vllis allabentium, tumultuantiumque aquarũ molibus abſterreri. Tranſierat denique tãtus populus, & B ſe extremos, qui primi fuerant, in profundo deſeri ægrè nihil ferunt. Quis dabit, vt horum hodie ſacerdotũ virtutẽ Clerici, Sacerdotes, & Epiſcopi omnes imitentur? Diuinæ legis ferenda arca eſt: Euangeliũ promulgandum, Dei præcepta & teſtimonia explicanda. Sed ita vt non verbis tantum, ſed & multò magis, agatur exemplis. Si quæ inſtant pericula, difficultates, labores; verorũ Antiſtitum eſt primas in iis occupare, omnium extremos ab iis recedere. Sicque de omnibus, in quibus Dei honor, *Ioſuæque* noſtri gloria C & exaltatio agitur intelligendum. Sunt qui lingua interdum arcam portant, operũ manus non admouent, aut manus quidẽ admouent, ſed ita vt à terra eam vix efferant, dum ipſorũ vita, præ Laicis: altum & ſublime nihil habet. At ponderi tam ſacro & nobili, humeros ſubiici æquiſſimum, quo & altius & conſtantius feratur. Tanto enim Deo plus honoris, quãto eius miniſtrorum vita ſublimior, & ab omni terrena contagione, ſeiunctior. Tanto ipſis plus vtilitatis, quanto minus ſua iſta in baiulatione interquieſcunt, humique arcam deponunt.

D Quemadmodum verò veterum quidẽ ob præſtantem rerũ cognitionem, variamque librorũ variorum lectionem, vel *Muſea*, vel *Bibliothecæ* dicti ſunt: Sic apud nos, ob diuinarũ rerũ ſcientiam, ſacrorumque librorũ aſſiduam peruolutationem, nonnulli, *arcæ teſtamenti.* Hos, ſacrorum vt ſtudiorum ardor ſit, qui opibus & dignitate pollent ſacerdotes, omni beneficentia proſequi, colere, ſuiſque quaſi humeris ſuſtẽtare deberẽt. Portant ante vniuerſum populũ, vt omnibus in E terram lacte & melle fluentem contendẽtibus, aditum faciãt, doctrina, exẽplo, & myſteriorum ſacrorum diſpenſatione duces ſint. *Per ſacerdotes deducitur,* inquit Origenes, *populus: & iter agit ad terram promiſſionis, magiſterio ſacerdotum, id eſt, ſacerdotalis ordo eſt, & Leuiticus, qui iter oſtendit populo Dei, qui exiit de Ægypto. Ipſi enim ſunt qui edocent populum exire de Ægypto, de erroribus ſcilicet mundi, & tranſire per Eremum vaſtã, id eſt, tentationum genera diuerſa tranſcurrere, neque noceri à ſerpentibus dæmonum, qui ſunt morſus dæmonum, & malarũ ſuggeſtionum venena vitare.* Quod ſi fortaſſe aliquis F percuſſus fuerit in Eremo à ſerpente, vt oſtendant ei æneum ſerpentem in cruce ſuſpenſum, quem qui viderit, id eſt, qui crediderit in eum, cuius figuram ſerpens ille mõſtrabat, diabolica per hoc venena *diffugiet. Sacerdotalis & Leuiticus ordo eſt, qui aſſiſtit arcæ teſtamenti Domini. in qua lex Dei portatur ſine dubio; & ipſi illuminant populum de mandatis Dei, ſicut Propheta dicit: Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine, & lumen ſemitis meis. Hoc lumen per ſacerdotes accenditur & Leuitas.* Et paulò poſt: *Iter agit Iſrael, non ſuaptè, ſed adminiculis &*

Digitized by Google

prouidentia ſacerdotum. Et Iſidorus. *Quod*, ait, *ſacerdotalis ordo, & Leuiticus iter oſtendit populo Dei, magiſterium ſacerdotale monſtratur*. Si quis ait Procopius. *Iordanem pertranſire volet, ne temere progrediatur, ſed expectet ſacerdotum præparationem, qui ipſius arcæ ſtatu, aquas ſanctificant, &, ipſo tranſitu, ſecuritatem præbent. quam ignorabant*, ceu *non ſentiebant, qui hanc ipſam viam euntes*, τοὺς ἐκκλησίας τοὺς νόμους *Eccleſiæ leges ignorant, eaſque prius diſcere debent*. Et poſtea. *Demonſtrat ſcriptura, quod ſacerdotum operâ, qui volunt, Iordanem pertranſeunt, & quemadmodum myſtagogiæ tunc tempus*. Theodoretus verò; *Sacerdotes*, ait, *qui portabant arcam fœderis Domini, repræſentant Ioannem Baptiſtam. Erat enim ille ſacerdos & pontificis filius*. Sicut *ergo ſacerdotibus arcam reſtantibus, Iordanē primum ingreſsis cum* IESV *duce & propheta populus omnis tranſijt: ita planè vbi Ioannes cœpit baptizare, &* IESVS *Saluator, ſanctificauit naturam aquarum, populus pius per ſacroſanctum baptiſma regnum cœlorum introiit. Senior populus*, inquit S. Auguſt. *tranſito mari rubro, ſepelitur in eremo: iunior verò ad hoc tranſijt Iordanem fluuium, vt acciperet regnū. Nemo beatitudinem regni cœleſtis accipiet, niſi prius per baptiſmi Sacramenta tranſeat*. Conſimilia etiam Iſidorus. Quod patri ſuo in Troiæ flammis dicebat *Æneas*, Æneid. 2. hoc patri nos cœleſti, non vt in ſe ipſe, ſed vt in verbo, nomineque ſuo à nobis, hoc præſertim triſtiſſimo ardentis Eccleſiæ, ſæculo portetur, dicamus:

Ergo age, chare pater ceruici imponere noſtræ,
Ipſe ſubibo humeris, nec me labor iſte grauabit.

QVÆSTIO IV.

Iordanis hæc diuiſio qui cum Gynde, Euphrate, Pamphilio, rubroque mari, cum aliis etiam Iordanis eiuſdem diuiſionibus comparetur?

MIRABILIVM ſcripturæ auctor lib. 2. c. 1. *Freculphus* Lexouienſis, & ante hos omnes *Herodotus* lib. 1. narrant, quomodo per ſiccatum Gynden duxerit copias Perſarum Rex *Cyrus*. ſed omnium optimè & Latiniſſimè Seneca lib. 3. de ira c. 21. *Iratus*, ait, *fuit Cyrus fluminis. Nam cū Babylonem oppugnaturus feſtinaret ad bellum, cuius maxima momenta in occaſionibus ſunt, Gynden latè fuſum amnem vado tranſire tētauit: quod vix tutum eſt etiam cum ſenſit æſtatem, & ad minimum deductus eſt. Ibi vnus ex his equis, qui trahere regium currum albi ſolebant, abreptus, vehementer commouit Regem. Iurauit itaque amnem illum regis equis meatum auferententem, eo ſe redacturū, vt tranſiri calcarique etiam à fœminis poſſet. Huc deinde omnem tranſtulit belli apparatum, & tamdiu aſſedit operi, donec C. & LXXX. cuniculis diuiſum alueum in CCC. & LX. riuos diſpergeret, & ſiccū relinqueret in diuerſum fluentibus aquis*. Iulius vero Frontinus lib. 3. cap. 7. *Alexander*, inquit, *apud Babylonem, quæ media flumine Euphrate diuidebatur, foſſam pariter & aggerem inſtituit, vt in vſum eius exiſtimarent hoſtes egeri terram, atque ita ſubito flumine auerſo, per alueum veterem (qui ſiccatus ingreſſum præbebat) vrbē intrauit. Semiramis, aduerſus eoſdem Babylonios eodem Euphrate auerſo, idem feciſſe dicitur*. De eodem Alexandro ſub ſecundi antiquitatū finem Ioſephus ait, eius ductu, Macedonibus ceſſiſſe *Pamphylium* pelagus, & aliam viam non habentibus illac iter aperuiſſe, cum

A Deus eius operâ, ad deſtruendum Perſarum imperium vti decreuiſſet. Atque hoc quidem vltimum falſum credit lib. 17. de honeſta diſciplina cap. 13. Petrus Crinitus. Et ſanè eſt, ſi Ioſephum dicere cenſeamus, maris aquas ſponte, miraculo aliquo, viam Alexandri copiis dediſſe. Nihil enim iſtiuſmodi factum. Sed eum opinor velle tantummodo, feciſſe Deum, vt magno ingentique auſu, refuſos in littore pelagi illius fluctus medios, tranſeundo, ſuperaret, eo modo, quem lib. 5. Curtius, & clariùs lib. 14. Strabo narrarunt. Sunt autem huius hæc verba. B *Eſt mons nomine Climax, Pamphylio incumbens mari, & propter littus arctum relinquens tranſitum: qui tranquillo mari nudatur, & à viatorib. perambulari poteſt: mari exundante, fluctibus admodum obtegitur. Alexander autem hybernam incidit in tempeſtatem, cumque fortunæ maximū euentus partem crederet, antequam deſluerent vnde profectus eſt: itaque contigit, vt totum diem milites per aquam iter facerent vſque ad vmbilicū in eam demerſi*. Ideoque vel aptius, vel certè nihilo ineptius potuiſſet Ioſephus *Scipionem* commemoraſſe, C qui, vti refert lib. cit. c. 9. Frontinus, *apud Carthaginem, ſub diſceſſum æſtus maritimi, ſecutus Deum (vt dicebat) Ducem, ad muros vrbis acceſſit: & cedente ſtagno, quia non expectabatur; irrupit.*

Sed omnia hæc aquarum vel diuortia, vel abſceſſiones multis magniſque hominum operis & molitionibus, longo etiam tempore ac foſſione contigerunt, aut vero quotidiana & vſitata naturalium cauſarum impulſione, ipſarumque diligenti & accurata obſeruatione. In Iordane autem diuidendo, ac horas plures retētando D nulla vel minima cuiuſque molitio, foſſio, & deriuatio fuit: nullus aquarum vſitatus æſtus ac reciprocatio: nulla eiuſdem obſeruata & captata occaſio. Sed ſubitò, præter omnem omnium retro lapſorum annorum morem, præter omnium tam Iſraelitarum quam Chananæorum opinionem, amnis totus diuina vi, angelicaque manu diſciſſus & patefactus fuit. Subitò ac de repente ipſius fundum exaruit: inferior pars defluxit: ſuperior, montis inſtar, cōſtitit. neque, licet vndam vnda è capite affluens protruderet, E vel vnam duntaxat guttulam, vltra præſtitutum limitem, aut fudit aut ſparſit. B. Gregor. Thaumaturgus ſuis ſtagnum precibus exſiccauit, ſic vt ibi poſtea Syluę, agri, prataq; ſemper fuerint. idque miraculum cum Ioſuano iſto confert in illius vita B. Gregorius Nyſſenus. Et illud quidem magnum: ſed hoc ſanè tanto maius, quanto mirabilius, ignem per tecta graſſantem omniaque perhelluantem ſubito ſiſti, &, coaceruatis in ſublimi flammis, quaſi territum & obſtupefactum ne tantulum quidem obuiam ædem F allambere, quam omnino extingui & obrui.

Maris vero *rubri* diuiſio fuit, & ipſa quidem ſupernaturalis: ſed inter hāc & illam diſcrimina ſunt. *Primò* illic mare fuit, hic flumen, id eſt, aqua ibi ſtupida, iners, in quodam veluti ſtagno & lacu reſes, niſi forte à ventis concitaretur: hic vero aqua viua, irrequieta, ſemper fluens: vt fieri diuiſio non potuerit, quin ſimul quæ è ſupero veniebant aquæ aut obſtruerentur, aut ne porrò fluerent, prohiberentur. *Secundò*. Illic ex Ægypto in ſolitudinem proximè tranſitum eſt: hic è ſolitudine in terram cultiſſimam, & deſideratiſſimam.

Digitized by Google

deratiſſimam. *Tertiò.* illic à tergo iuſtabant Iſraelitis hoſtes Ægyptij, hic à frōte Chananæi. *Quartò.* Illic, virgæ percuſſu, diductæ aquæ: hic ſacerdotalis carnis contactu, pedumque immiſſu, diſruptæ. *Quintò.* Illic vtrinq; ſolidi quaſi aquarum muri extiterunt Iudith. 5. hic à læuo latere aqua omnis euanuit: à dextro autem, non muri tantum altiſſimi, ſed, montis inſtar, conſtitit. *Sextò.* Illic antequam tranſiretur, tota nocte, diuiſum hianſque mare patuit: hic eodem, quo tranſeundum fuit, & quo à ſacerdotibus iam tranſire cœptum, momento diuiſus & apertus eſt fluuius. *Septimò.* Illic nocturno vento exſiccatus maris limus: hic ſimul & diuiſus & areſactus amnis. *Octauo.* Illic omnium primus tranſiit *Moyſes*, vt ait hom. 23. in 1. Corint. S. Chryſoſtomus: hic verò partim *ſacerdotes*, ad mediū vſque ſcilicet: partim ipſemet *Ioſue* ad ripam vſque ad alteram. *Nono.* Illic in exſiccato fundo nullus inſtitit: ſed ad littus alterum contenderunt omnes: hic inſtiterunt ſacerdotes arcam baiulantes: omnium qui tranſibant, ſpectatores & quaſi hortatores. *Decimo.* Illic à fluctibus hauſti & ſubmerſi Ægyptij: hic nemo vnus periit; ſed ſalui & incolumes, quotquot fluuium intrarunt. *Vndecimo.* Illic menſis primi die quintodecimo: hic vero citius, die ſcilicet Decimo tranſitum eſt. *Duodecimo.* Illic ante tranſitum pauor, &, ob hoſtium propinquitatem, horror: hic ſumma ſecuritas, & per varia ſanctitatis ſtudia neque ſegnis, neque trepida præparatio. *Decimotertio.* Illic poſt tranſitum, inſignis diuinæ bonitatis ode cantata: hic ad perpetuam tanti à Deo conceſſi beneficij memoriam, lapides erecti, firmeque conſtituti. *Decimoquarto.* Denique illic Moyſes Dux: hic Ioſue: illic ille glorificatus: hic iſte exaltatus. Vtribi autem miraculum maius fuerit, vix eſt, vt dicam. In vno eminent aliqua in altero præſtant alia. Maior ſanè in mari aquarum moles diuiſa eſt: maius conſtratum iter: maius ab hoſtibus periculum: magiſque inauditum miraculi genus. maior ex eo illis clades & aliis terror: maior Iſraelitis celebritas: & peruagatior apud omnes fama, Deoque ipſi tantæ rei auctori gloria, vt è capite ſecundo ſuprà patuit, & è *Iudith* citato capite 5. Hic tamen in Iordane maior diuiſionis celeritas: maior in aquas ſeſe penetrantium ſacerdotum animus: maior eorum haſce contingentium efficacitas: maior arcæ Dominicæ maieſtas: maior & illuſtrior in aquis è fonte ipſo aſſiduè manantibus continendis, vnoque veluti ſepto tardantis, Dei poteſtas. Solent enim magna flumina, quæ placidè alioquin fluunt, cum offenduntur & retinentur; inſanire, moraſque ſuas omnes abrūpere. non aliter quam illæ poëtæ.

——— *Pontem indignatus Araxes.*

Nam, vt lib. quæſtionum naturalium ſexto capite 17. ait Seneca; *quamdiu illi facilis & liber eſt alueus, primas quaſque aquas explicat. Omnis illa*

A *vnda, quæ à tergo ſuperuenit, & in ſe creſcit, cum onus ſuum ſuſtinere non potuit, vim ruina parat, & prona cum his, quæ iacebant, fugit.* At nulla hic rei vllius ruina, nulla eorum, quæ vndas morabantur, ſacerdotum, ſacræque arcæ abruptio, & ſubmerſio. Quin verò maxima etiam in eo Dei vis eluxit, quod cùm tranſiiſſent omnes, & qua data iam aquis via, ruere ipſis liceret, id tamen ita placidè moderatéque fecerint, vt neque vicinas vrbes & villas obruerint, neque vllo cum cuiuſque detrimento detumuerint. Refert B ex Epiphanio Villalpandus noſter præf. ad Lect. Cobaris fluminis veſtigio ſicco tranſmittendi auctorem Iſraelitis *Ezechielem* fuiſſe. Rabbini Iudæorum apud ſanctum Hieronymum Zach. 10. *Percutiet*, inquiunt, *Dominus, vadens ante populum ſuum, transfluctus, & confundentur omnia profunda fluuiorum, vt olim factum eſt Iordane ſiccato, & mare rubrum transgreſſus eſt populus in deſerto.* Verum ſubdit S. Hieronymus, *fabularum ſimilia eſſe hæc.*

Sed iam ſecum ipſe *Iordanis* conferatur. Nam C diuidetur olim atque ſiccabitur Apoc. 16. v. 12. & iam poſt Ioſuanam iſtam diuiſionem, bis eum magno iterum miraculo diuidi, & ſiccum tranſituris iter præbere contigit lib. 4. Reg. cap. 2. Semel quidem *Elia* ipſo auctore verſ. 8. & ſemel *Eliſæo* propheta v. 14. D. Auguſtinus lib. 21. de ciuit. cap. 8. *flumium, ait, ſtetiſſe ſuperius, inferiuſque fluxiſſe, cum populus Dei, auctore Ieſu Naue, viam carperet, & Elia Propheta tranſeunte, ac poſtea diſcipulo eius Eliſæo, id eſſe, in ſacris litteris legimus.* Hic verò immenſa hominum multitudo tranſiit: il- D lic, ſemel quidem duo tantum, *Elias*, & *Eliſæus*: ſemel idem *Eliſæus* ſolus. hic ſacerdotalium pedum impreſſu, diffugerunt aquæ: illic aut ſola Eliani palij alliſu, aut adiuncto etiā Eliſæi comprecatu. Hic ab vno tantum latere ſteterunt aquæ, illic ab vtroq;, vt in *Paulæ matris epitaphio* notat *ſanctus Hieronymus.* Hic inſigni gloria *Ioſue* Dux à Deo affectus: illic, vbi tranſiiſſent, in cœlum igneo curru ſublatus Elias v. 11. & à prophetis venerabundè adoratus *Eliſæus* v. 15. vt appareat, omnibus, qui Deo adiutore fluxum mun- E di huius Iordanem piè tranſierint, magnam ab illo ipſo gloriam & honorem præparatum. *Gloria*, inquit Rom. 2. verſ. 10. Apoſtolus, *& honor, & pax omni operanti bonum.* Duc, Domine IESV, duc me per Iordanem iſtum: præeat mihi ſacratiſſima verbi tui, imò & virginalis vteri tui arca: præant mihi tot & tanti Sacerdotes tui, Patres & Doctores mei: me gradientem aſpiciant, examinent, corrigant, hortentur. & futurum ſpero, vt è periculoſiſſimo tentationum mundi huius alueo euadam, promiſſumque cœleſtis F fœlicitatis ſolium obtineam: eâ gloriâ, quam ſequentibus & diligentibus te, apparaſti, circumfluens. Da *Domine* IESV, Dux, & Saluator meus. Amen.

Digitized by Google

LIBER TERTIVS.

ALTERA LIBRI PARS.

DE IIS, QVÆ POST IORDANIS TRANSITVM ACCIDERVNT.

QVÆ, poſteaquam Iordanem tranſierunt Iſraelitæ, geſta ſunt; tradit deinceps liber hic incipiendo à cœpti capitisquarti verſu 19. prout ſuprà iam monui. Tria enim illic erant reſidua quæ parti huic libri ſecundæ initium dant: caſtrorum ſcilicet metatio, ſublatorum è Iordane lapidum conſtitutio, huiuſque cauſa. Quæ verò poſt hæc geſta; ſunt vel *ante bella* in Galgalis cap. 5. vel *bella ipſa* à cap. 6. vel *poſt bella* à cap.. 13. Notat verò in apparatus Tomo 1. noſter Poſſeuinus, ſcripſiſſe Antonium Triumphum de introitu terræ promiſſionis. Sed eius operis videndi nulla mihi adhuc fuit poteſtas.

QVÆSTIO I.

Cur in Chananæa Iordanis ripa hoſtes nulli fuerint?

VERISSIMVM eſt, quòd lib. 3. cap. 7. ait Vegetius; *Inſtantes aduerſarij ad tranſitus fluminum, inſidias vel ſuperuentus facere conſueuerunt.* Exemplorum plenus Cæſar, Liuius, Ammianus, hiſtorici alij. Minimum verò fieri hoc ab hoſtibus vſitatum. Occurrunt ad fluuios armati: ſuas, quanto poſſunt, milite ripas protendunt: atque, vt Poëta morē hunc expreſſit:

Bella ſcient, primaque vetant conſiſtere terra.

Cauſæ igitur quidnam dicamus, quòd tam pacata fuerit Iordanis ripa, nulli eam Ammorhæi & Chananæi tutati ſint: nulli tranſeuntibus Iſraelitis negotij quidquam exhibuerint? Duæ nimirum res, eæque admodum diſſimiles à defenſione iſtos prohibuerunt: nimia ſecuritas, & ingens pauor. Quia enim tot iam dies in Moabiticis campis hæſiſſe Iſraelitas videbant, ſibi ſummo in metu aliquantum applaudebant, perſuadebantque interdum nolle ipſos vltrà progredi; imò nec poſſe. quia eos impediret Iordanis, hoc præſertim meſſis tempore, quo exundare ille aſſolet. Deinde vero, quemadmodum cap. 2. verſu 9. narrabat Raab. *elanguerant omnes habitatores terræ*, neque ad Iſraelitarum introitum remanſerat in illis ſpiritus, nulla prudentia, nullum conſilium, & magis magiſque fiebat, quod Deuteronom. 2. verſu 25. dixerat Dominus. *Hodie incipiam mittere terrorem, atque formidinem tuam*

A *in populos, qui habitant ſub omni cœlo, vt audito nomine tuo paueant, & in morem parturientium contremiſcant, & dolore teneantur.* Voluit præterea Iſraelitis ipſis conſultum Dominus. Quemadmo-
B dum enim in peregrinationis profectioniſque huius principio Exod. 13. verſu 17. canit Dominus, ne ſe illis proficiſcentibus armati obiicerent Philiſthæi, ita & nunc in illius fine, primoque in quæſitam terram ingreſſu: ne ſuis ripam armis infeſtam haberent Chananæi. Atque hoc totum faciebat Dominus, quia Iudæis ipſis bono erat. Nam ita clariùs DEI erga ſe prouidentiam, eorumque omnium, quæ de futuro gentium terrore prædixerat Dominus, deque præ-
C ſenti hiſce iam diebus indicarat Raab, & retulerant exploratores, veritatem perſpiciebant illi. Animo enim tranquilliore ac intentiore præſens diuulſi ac retentati Iordanis miraculum contemplari, ſecumque admirandam ipſius arcæ vim, inauditam ſacerdotum progreſſionem ac ſtationem in corde verſare, ac cogitare poterant.

QVÆSTIO II.

An poſt Iordanis tranſitum, in eius ripa inſtiterint, terramque ſalutarint Iſraelitæ?

D FIERI potuiſſet, vt qui amnem permeaſſent primi, ij vltrà ſtatim, abſque vlla in ripa cũctatione ac mora, progrederentur, ad eum ſcilicet locum, qui caſtris ea nocte præfinitus fuiſſet.

Attamen

Digitized by Google

Attamen cum ſecus, vt rectè ait quæſt. 25. Abulenſis. Nam in ripa ipſa expectarunt poſtremos primi, tumque, dato poſtea ſigno, ſimul omnes progreſſi ſunt. Id ex eo colligitur, quod ſeruari iam oportuit, quod cap. 3. verſu 4. præceperat Dominus, vt præiret arca, ſequerentur Iſraelitæ: & quidem bis mille cubitûm interuallo. Arca verò ex alueo non niſi, poſt omnium tranſeuntium vltimos, egreſſa eſt, ita vt eam itineris ducem, populi propugnatricem, hoſtium territatricem operiri ac expectare omnes debuerint. Eſt autem vetus mos, vt qui vrbem, regionemue aliquam, aut locum magnis aut itineribus aut periculis & difficultatibus perquiſierint, aut ad eum longo interuallo redierint, eum vbi tandem aliquando tetigerint, gaudio & lætitia toti efferantur, ipſamque etiam terram ſalutent. Tendebant in Latium Æneadæ, multiſque terræ pelagique erroribus acti, mane quodam cœperant, obſcuro veluti intuitu, Italiam videre. tum verò, Æneid. 3.

——Italiam primus conclamat Achates.
Italiam læto ſocij clamore ſalutant.

Cum autem Tyberim fluuium claſſe iniiſſent, & excendiſſent, Æneid. 7. Æneas ipſe

Continuò; ſalue fatis mihi debita tellus:
Voſque, ait, ô fidi Troiæ ſaluete penates.
Hic domus, hæc patria eſt.

Et 1. Faſtorum Ouidius.

Diique petitorum dixit ſaluete locorum
Tuque nouos cælo terra datura Deos.
Fluminaque & fontes, quibus vtitur hoſpita tellus,
Et nemorum Nymphæ, Naiadumque chori.

Alibi. *Cadmus agit grates, peregrinæque oſcula terræ*
Figit, & ignotos monteſque, agroſque ſalutat.

Plautinus in Bacchidibus ſeruus.

Herilis patria ſalue, quam ego biennio
Poſtquam in Epheſum abij, conſpicio libens.

Et in Sticho.

Saluete Athenæ, quæ nutrices Græciæ.

Catullus.

Salue ô venuſta Sirmio.

Seneca in Agamemnone.

Tandem reuertor ſoſpes ad patrios lares
O chara ſalue terra.

Claudianus de raptu Proſerpinæ

——Salue gratiſſima tellus

E Stobæo affert lib. 5. c. 20. P. Victorius Menandri hæc.

χαῖρ' ὦ φίλη γῆ διὰ χρόνου πολλοῦ σ' ἰδὼν
ἀσπάζομαι.

De Alexandro M. Curtius lib. 3. *Ipſe in iugum editi montis aſcendit, multiſque collucentibus facibus patrio more, ſacrificium Diis præſidibus loci fecit.* Viderique poteſt initium lib. 2. *Cyropæd.* apud Xenophontem. & Pontani noſtri *Summaria* To. 3. dial. par. 1. Nam maximè patria, & ex interuallo viſa ſalutabatur. An non ergo & Chananæam, tot antè ſęculis promiſſam, tot & tam ardentibus votis optatam, tot iam annis, tantis erroribus, moleſtiis, & ambagibus quæſitam, nunc verò tandem inuentam, & aditam Iſraelitæ ſalutarunt? Sanè verò dixerit aliquis, hoc inſcitiæ, Gentibuſque erroris eſſe. Quorſum enim inanimæ rei, nihil intelligenti, prorſuſque ſtupidę ſalus dicatur? Si tamen conſideremus iſtud potius naturalis cuiuſdam, qui omni vacare culpa poſſit; affectus eſſe, horumque ipſi parumper mentem ac perſonam ſuſpiciamus; vero abſimile nihil videbitur, nouam ſedem ſi non clamore, ſummiſſa tamen cuiuſque voce ac ſenſu conſalutatam. Nam malum cur id cenſeatur? Muta quidem, ſenſus, & rationis expers terra eſt, eiuſmodi tamen eius compellatio, intimos hominis ſenſus, affectus, & vota oſtendit. neque in ſcripturis eorum exempla deſunt, qui eandem, & cœlos, & id genus alia complura ſapienter affati ſunt. Iſaiæ 1. verſu 1. 2. Regum. 13. verſu 2. Daniel. 3. Pſalm. 147. & alibi. Deinde *ſalutare* eſt ſalutem, ſiue felicitatem, bonorumque aliquorum affluentiam alicui optare, ſiue nondum eam habeat, ſiue habeat. Si enim non habet, quis dubitet optari poſſe? Si habet, quis neget, approbari, noſtroque veluti ſuffragio ac voto eam ei perpetuam deſiderari, aut certè, cum eiuſmodi ſit; prædicari, ſermoneque noſtro celebrari poſſe? Terræ verò, vrbi, domuique alicui fauſtitatem precari nos poſſe, certum: maximè cum ea ipſa in homines tota redundet. Nonne Dominus & Magiſter noſter clariſſimè Matth. 10. verſu 12. *Intrantes in domum, ſalutate eam, dicentes, Pax huic domui?* Licet enim poſtrema hæc in hodiernis Græcis & Syris ibi non ſint, eſſe tamen debere, patet ex verſu 13. & eum locum exponentibus Sancto Hilario, Diuo Hieronymo, Sancto Chryſoſtomo, Theophilacto, & aliis. Sed è Sancto Luca maximè, apud quem etiam in Græcis & Syris ea verba ſunt cap. 10. verſu 5. Sancti Hieronymi præceptor, vti ab eo lib. 1. aduerſus Iouinianum vocatur, *Nazianzenus*, oratione ad CL. Patres; ſuæ ipſius Pontificali ſedi, & parietibus, cum Conſtantinopoli excederet, *Vale* dicit. Ipſe verò Sanctus Hieronymus de S. Paula in eius Epitaphio, *Mixtis*, ait, gaudio, *lacrymis*, *loquebatur*, *Salue Bethlehem domus panis, in qua natus eſt ille panis, qui de cælo deſcendit, Salue Ephratha regio vberrima, atque* καρποφόρε, *cuius fertilitas, Deus eſt.* Atque iſto modo in Eccleſia ſalutatur etiam ſanctum *Chriſma*, ſubſannante fruſtra Caluino 4. Inſt. cap. 19. § 21. & fortaſſis ipſa *crux*, cum dicitur, *O crux aue ſpes vnica*, licet, quod tradit verò videatur propius, ipſum tunc Dominum, qui cruci, causâ noſtrâ, ſuffixus fuit; ſalutari, vt impiè ſcripſerit Montpelgartenſis colloqui compilator, eam oratiunculam eſſe *idololatricam*. An idololatra S. Andræas, qui, vt inquiunt in ſua ad vniuerſ. Eccleſ. epiſtola ipſius diſcipuli; *cum perueniſſet ad locum, vbi crux parata erat, videns eam à longè, exclamauit voce magna dicens. Salue Crux, quæ in corpore* CHRISTI *dedicata es, & ex membrorum eius margaritis ornata.* Lutherus verò non *Romam* tantum, vt eſt in eius Sympoſiacis cap. 77. ſalutauit, ſed ſuum etiam *Iſlebium. VVittenbergam*. Et in Enſelianis Animaduerſionibus pag. 66. Scaliger: *Salue veneranda Olympias, cuſtos temporum, vindex veritatis hiſtoriæ.* Si quid autem iſtiuſmodi rerum ſenſu rationeque carentium ſalutationibus à Gentilitate admixtum eſt, id verò penitus abſtergendum & omittendum, vt ſequenti quæ-

Digitized by Google

ſtione dicetur.

QVÆSTIO III.

An Deum ipſum ſalutarint?

FVIT & hoc priſci moris, vt non terram modò, ſed & loci alicuius Numina, deoſque omnes ſalutarent, & ijs ſacrificarent. *Eſt* autem, vt in Phormionem expoſuit Donatus; *deos ſalutare, ipſos precibus adorare.* Vnde & Æneid. 7. Æneas in Italiam cum primò veniſſet.

——Frondenti tempora ramo
Implicat, & Geniumque loci, primamque Deorum
Tellurem, Nymphaſque & adhuc ignota precatur
Flumina tum noctem, noctiſque orientia ſigna
Idæumque Iouem, Phrygiamque ex ordine matrem
Inuocat, & duplices cœloque Ereboque parentes.

Et patet idem ritus ex Ouidio antea citato, & alijs, quos formularum lib. 1. congerit Briſſonius. Quin verò terram etiam ipſam ideo ſalutaſſe cæci iſti Gentiles videntur, quod Deam putarent, vti clarè iam clamauit ipſe Virgilius. & ille apud citatum Menandrum neſcio quis, eam ob cauſam, ſuum ſe ait ruſculum ſalutare, quod pro Deo duceret, quidquid alimoniam ſibi ſuppeditaret.

τὸ γὰρ τρέφον με, τοῦτ' ἐγὼ κρίνω θεόν.

Abſit verò terram, flumina, ſidera & ſimilia iſto modo ſalutarit piorum vllus; abſit vllos loci Genios & lares Iſraelitæ venerati ſint. Etſi enim erant fortè in tanta multitudine adhuc nonnulli, quibus Ægyptiaci luti ac tenebrarum adhærebat aliquid, vt alibi dicetur; quando tamen vniuersè de ijs loquendum, paucorum iſtiuſmodi & obſcurorum nulla ducenda ratio. Ad hunc tamen morem, aut natura ipſa duce, aut maiorum, ipſiuſque Ioſuæ monitu & inſtituto; DEVM Opt. Max. eos tum ſalutaſſe, ſiue adoraſſe, gratiiſque quadantenus agendis celebraſſe autumo. Quis enim adeò rerum omnium ignarus & cœleſtium immemor, adeò ſtupidus & caudex, vt cum poſt tot tandem annos, rem, quàm ardentiſſimè cupiiſſet, ſtudioſiſſimè quæſiiſſet, maximis laboribus & moleſtiis inueniſſet ac obtinuiſſet: non gaudio exultans, cum Geometra illo clamaret εὕρηκα εὕρηκα, DEO que grates diceret (præſertim verò ſi tam illuſtre, tamque recens diuinæ erga ipſum bonitatis argumentum, eiuſdemque poteſtatis miraculum adeſſet, quod ab omni obliuione animum auocaret, imò ipſa ſui admirabilitate, gratiſſimaque nouitate inuitaret ac exſuſcitaret? Ipſum equidem *Ioſue* nihil dubitem vel in genua procidentem, vel ſtantem, ad cœlum oculos & manus ſuſtuliſſe, ad fœderis arcam, diuinæ præſentiæ teſtem ac ſedem ſeſe venerabundum conuertiſſe, ſanctiſſimoque Numini, toto animo, geſtu religioſiſſimo, caſtiſſimiſque vocibus gratulatum.

Canticum tamen, vt in rubri maris tranſitu factum, hic illum ceciniſſe ſuprà, & quidem vt reor non malè, negaui. Si enim ode hic vlla fuiſſet, cur, vt illic, vel non memoriæ mandata, vel aliquo ſaltem verbo indicata? Illic

A præterea initium hymno dedit Spiritu ſancto afflata *Prophetis*, & vt patrum quidam tradunt; *Virgo* Moyſis ſoror *Maria*: hic mortem ea iam obierat: neque iiſdem donis diuinitus ornata, vel eodem certe inſtinctu concitata illa nunc aderat. Et hymni totius ferè materies & argumentum fuit, non tam maris diuiſio (quanquam & ea celebratur) quàm Pharaonis, eiuſque tot equitum, & curruum ſubmerſio. Hic verò nulli Iordanicis aquis hoſtes obruti: nulli vel minimo iam detrimento affecti. Neque hic ſta-
B tiua erant Iſraelitæ habituri: ſed paulò poſt longius perrecturi, & ad iter tantummodo accincti & expediti tantiſper expectabant. Ideoque *canticum nouum* aiunt Thalmudici vocari Pſalm. 95. quod in captiuitatis Babylonicæ liberatione cantatum & oppoſitum veteri, quod in Ægyptiaca liberatione fuit. Licet verò *Geniorum* nomen prophanè ſatis ac nouè pro *Angelis* à Nouatoribus quibuſdam ſumatur, quos magnus alioqui Nouator, reprehendit etiam Beza ſub ſuarum in Timotheicam priorem an-
C notationum finem; potuerunt tamē eiuſmodi terræ huius genij ab Iſraelitis ſalutari: non tanquam Deos adorando (Nefas) ſed tanquam DEI veri adminiſtros, quos ille terræ huius præſidio ac ſaluti deſtinaſſet; cultu quodam, quem *duliæ* Theologi appellant; venerando & inuocando. An verò id fecerint, affirmare non habeo, quamuis & illius apparitione Angeli, de quo cap. 5. & vetere conſuetudine ad ita opinandum inuiter. Nam Gentilium ſuperſtitiones pleræque omnes è ſanctiſſimis ve-
D terum DEI cultorum, Patrumque religionibus fluxerunt, ſed vario Satanici limi acceſſu turbatæ ac inquinatæ, vt oſtendit iam olim *Iulius Firmicus.*

QVÆSTIO IV.

Quomodo ex ipſa facti iam tranſitus ripa diſceſſerunt, & vbi caſtra metati Iſraelitæ?

E EODEM, vt dictum eſt ex verſu 19. *menſis primi die decimo* è ripa illa, vbi pauliſper alios alij expectarant; diſceſſerant Hierichûtem verſus, hoc ordine prout dictum cap. 1. quæſtione 2. præparationis ſecundæ, & cap. 3. par. 1. quæſt. 7. *Primo* prorſus *loco* ibat arca Domini. *Secundo* qui eam proximi comitabātur ſacerdotes reſidui & Leuitæ, vti monet lib. 5. Ioſephus. *Tertiò* Rubenitæ, Gaditæ & Semimanaſſæi hic verſu 12. *Quarto* loco progrediebantur ordine ſolito tribus aliæ, vt explicat Abu-
F lenſis. Rectà verò hinc in *Garizim* & *Hebal* profectos, & illinc in *Galgala* rediiſſe nugantur Rabbini. Sed vide Lyranum in fine cap. 4. Abulenſ. quæſt. 22. & ſequent. Maſium initio c. 8. fol. 151.

Illo tandem veſperè metati caſtra ſunt in loco, qui inter Hierichuntem & Iordanem erat: ſiue à parte Hierichuntis Orientali verſu 19. Quia verò cap. 2. par. 1. quæſtione 4. oſtenſum eſt, abeſſe ab fluuio Iordano Hierichuntem ſtadiis 60. caſtrorum locus fuit, in ſtadio quinquageſimo

quageſimo ab fluuio & in decimo ab vrbe, prout ibidem ait Ioſephus. ita vt poſt tranſitum Iordanem, confecerint adhuc Iſraelitæ ſtadia 50. id eſt, miliare Germanicum, & vnius ferè partem tertiam. Sunt autem huic loco nomina, vel communia, vel proprium. Ex illis ſunt hic verſu 13. cap. 5. verſu 10. Hebraica *barboth*, id eſt, *plana & campeſtria Iericho*. id eſt campi plani & æqui, vt ſignificetur in montibus, qui circum Hierichuntem erant, prout eadem illa quæſtione cap. 2. dictum; caſtrorum nihil fuiſſe: ſed in ipſo tantummodo camporum æquore. Sed hic verſu 13. indicarunt 70. tantum vbi eſſet iſte locus, non qualis eſſet, dum verterunt πρὸς τὴν ἱερχὼ πόλιν. capite tamen ſequenti verſu 10. ipſam etiam qualitatem monſtrarunt vertendo πεδίον. Priore autem loco imitati ſunt Hebræum ipſum textum eodem cap. 5. verſu 13. vbi dicit fuiſſe ipſum Ioſue *in Hiericho*, pro *in campo*, ſiue, vt rem ipſam expreſſit noſter Latinus, *in agro vrbis Hiericho*. Nam. intra ipſam vrbem tum non erat adhuc Ioſue. Vocatur etiam idem locus cap. 4. verſu 3. *malon*, id eſt, *diuerſorium* aut *manſio* potius in qua diuerſarentur Iſraelitæ, pro quo ςρατοπεδείαν dixerunt 70. & cap. 5. verſu 8. ſimpliciter caſtra τὴν παρεμβολήν. *Proprium nomen* fuit, quod hic verſu 19. ponitur, *Galgala*. Sed de eo aptiùs cap. 5. verſu 9. Hunc autem caſtris locum delegit Ioſue non caſu, quia eo die vlterius progredi non liceret, vti cenſet Abulenſis quæſt. 21. Sed vel diuino monitu, vel arte, prudentiaque militari. Nam primo vltra Hiericho vrbem tendere non expediebat. Fuiſſent enim tum & à tergo, & à fronte, lateribuſque omnibus hoſtes. *Qui verò aliorum limites perrumpunt*, ait Vegetij lib. 3. cap. 8. enarrator, *qui cum exercitu in expeditionem proficiſcuntur, ſi prudentes ſunt, id ſemper cauent, ne à tergo hoſtem relinquant.* Eoque pertinet Varronis illud lib. 3. de vita populi Romani. *Cæſar reuerſionem fecit, ne poſt occipitium, in Hiſpania exercitus, qui erant, relinqueret, quo ſe conjiceret Pompeius, & ancipiti bello vrgeretur.* Ideoque & loco indicato Vegetius. *Difficile hoſtis ad ea loca audet accedere, in quibus & à fronte, & à tergo nouit aduerſarios cõmorari.* Atq; id à Turcis valde traditur caueri. Deinde ad vrbẽ ipſam proximè caſtra ponere, neque moris eſt, neque conſilij. Nam extra telorum iactum, & à prælijs remotiore loco eſſe illa debent, cum in iis non viri, qui pugnant tantum, ſed iumenta etiam ſint, ſarcinæ, vectores, & tunc quidem etiam fœminæ, pueri, aliaque longæ profectionis impedimenta. Tertio erant hi campi, vti cap. 2. monſtratum; fertiles, ſalubres, ſyluis, aquiſque propinqui, vt facillima eſſe poſſet frumentatio, lignatio, & aquatio, pecorumque paſtio. Denique pro ratione regionis erant hic omnia, quæ ad caſtrenſem manſionem requirunt bellicæ rei magiſtri. verbi cauſa ille ipſe à me iam nominatus Vegetius loco citato. Debuerant autem hæc omnia tanto diligentius conſiderari, quia hoſtium vis & multitudo magna erat: & quia caſtra erant futura non in vnius noctis tranſitum, ſed in æſtates & hyemes plures, ſtatiua, vt infrà patebit. Cum verò caſtra eſſe ſoleant, vel quadrata, vel

A rotunda, vel trigona, vel oblonga, quæ horum fuerit figura, non inueni. Sed prima olim locis ſuis, intra caſtra, ponebantur ſigna, quia *nihil*, ait idem Vegetius, *eſt venerabilius eorum maieſtate militibus.* Hic igitur omnium primo arcæ, quia nihil Iſraelitis omnibus erat venerabilius; locus conſtitutus. *Caſtrametari* autem eſſe vnum, vel duo vocabula, quos niſi Grammaticæ admodum rudes, docet hoc in loco Abulenſis?

B

QVÆSTIO V.

Quæ ad practicum ſpiritualis vitæ vſum ex his colligi poßint?

E Multis paucula breuiter notabo. & *primo* è prima quæſtione, videmus, quod 1. Corinth. 1. docet Apoſtolus, *facere* DEVM *cum tentatione prouentum.* Fit non rarò, vt vbi maximæ carnis, mundi, dæmoniſque copiæ, periculoſiſſimæ omnigenarum tentationum acies in nos C inſtructæ armatæque putabantur, ibi, diuinâ prouidentiâ, hoſtium nihil ſit: nullæ vel paruæ paucæque tentationes exiſtant: ſicque præter opinionem, facili negotio, diuinaque ope, quæ admodum videbantur ardua & inacceſſa obtineamus & penetremus. Verbi cauſa in hora mortis quàm multos à grauioribus moleſtioribuſque dæmonum appetitionibus conſeruat Dominus? in Religione quàm multis omnem quaſi hoſtium aſpectum, omnemque difficultatum omnium ſenſum adimit, vt læti ſemper D & tranquilli etiam ab adoleſcentia, Domini iugum perferant? Quam multis ad barbaras gentes, vt CHRISTVM iis annuncient, contendentibus, ad hæreticos & peccatores, vt reſipiſcentiam iis perſuadeant, accedentibus, omnia impedimenta, periculaque remouet, aufert, & diſſipat? Ita & in alijs, vt perſuaſiſſimum meritò illud nobis eſſe debeat Matth. 10. verſu 16. *Cum tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora, quod loquamini. Non enim vos eſtis, quis loquimini, ſed Spiritus* E *Patris veſtri; qui loquitur in vobis.* Soliloquiorum liber, qui in Diui Auguſtini tom. cap. 15. *Scio*, ait, *Domine, & confiteor, docente te, quoniam illi ſoli qui cognoſcunt ſe pauperes, & confitentur tibi paupertatem ſuam, ditabuntur à te: quoniam qui ſe diuites exiſtimant cum ſint pauperes, à tuis diuitiis inuenientur excluſi. Ego igitur confiteor tibi Domine Deus meus paupertatem meam: & ſit tibi gloria tota, quoniam tuum eſt omne bonum per me geſtum. Domine confiteor, vt docuiſti me, nihil aliud ſum quam vniuerſa vanitas, & vmbra mortis, & abyſſus quæ-* F *dam tenebroſa, & terra inanis & vacua, quæ ſine tua benedictione non germinat, fructum quoque non facit, niſi confuſionem, peccatum & mortem. Si quid boni vnquam habui, à te recepi: quicquid boni habeo, tuum eſt, vel à te habeo. Si quando ſteti, per te ſteti: Si quando cecidi, per me cecidi: & ſemper in luto iacuiſſem, niſi tu me erexiſſes, ſemper cæcus fuiſſem, niſi tu me illuminaſſes. Quando cecidi, nunquam ſurrexiſſem, niſi tu mihi manum porrexiſſes. Poſtquam me etiam erexiſti, ſemper cecidiſſem, niſi tu me ſuſtinuiſſes: ſæpius periiſſem, niſi me gubernaſſes. Sic ſemper Domine, ſic ſemper gratia tua & miſericordia tua*

Digitized by Google

præuenit me, liberans me ab omnibus malis, ſaluans à præteritis, ſuſcitans à præſentibus, & muniens à futuris, præcidens etiam ante me laqueos peccatorum, tollens occaſiones & cauſas: quia niſi tu & hoc mihi feciſſes, ego omnia peccata mundi feciſſem: quoniam ſcio Domine, quod nullum peccatum eſt, quod nunquam fecerit homo, quod non poſſit facere alter homo, ſi creator deſit à quo factus eſt homo. Sed quod non facerem, tu feciſti: quod abſtinerem tu iuſſiſti, & quod tibi crederem, gratiam tu infudiſti. Tu namque Domine regebas me tibi, ſeruabas me tibi: & mihi, vt adulterium, & omne aliud peccatum non committerem, gratiam & lumen donaſti. Tentator defuit, & vt deeſſet, tu feciſti, locus & tempus defuit, & vt hæc deeſſent, tu feciſti. Affuit tentator, non defuit locus, non defuit tempus: ſed vt non conſentirem, tu me tenuiſti. Venit tentator tenebroſus vt eſt, & vt eum deſpicerem, tu me confortaſti. Venit tentator armatus & fortis: & vt me non vinceret, tu eum refrænaſti, & me roboraſti. Venit tentator transfiguratus in angelum lucis: & vt me non deciperet, tu eum increpaſti, & vt eum cognoſcerem, tu me illuminaſti.

2. è ſecunda quæſtione, cum ad cœleſtem patriam ventum eſt quantæ, & quam iucundæ beatiſſimi illius ſoli ſalutationes? qui amplexus, quæ oſcula? Quid enim ibi exiſtimandum, ſi in huius vitæ ripa adhuc, tanto affectu, à Soliloquiorum citato auctore cap. 35. hæc dicantur? *O patria noſtra, patria ſecura, à longè te videmus. Ab hoc mari te ſalutamus, ab hac valle ad te ſuſpiramus, & nitimur cum lacrymis ſi quo modo ad te perueniamus. Spes humani generis Chriſte Deus de Deo, refugium noſtrum, & virtus, cuius lumen à longè inter caliginoſas nebulas ſuper maris procellas, quaſi ſtellæ maris radius oculos noſtros irradiat, vt dirigamur ad te portum. Guberna Domine nauem noſtram tua dextra, clauo crucis tuæ, ne pereamus in fluctibus, ne nos demergat tempeſtas aquæ, ne obſorbeat nos profundum: ſed virtute crucis tuæ trahe nos ab hoc pelago ad te ſolamen vnicum noſtrum, quem à longè quaſi ſtellam matutinam, & ſolem iuſtitiæ vix lacrymantibus oculis in littore cœleſtis patriæ nos expectantem videmus. En ad te clamamus redempti tui, ſed & nunc exules tui, quos pretioſo ſanguine redemiſti. Exaudi nos* DEVS *ſalutaris noſter, ſpes omnium finium terræ, & in mari longè. In mari turbulento verſamur, tu in littore ſtans aſpicis pericula noſtra: Saluos fac nos propter nomen tuum. Da nobis Domine inter Scyllam & Charybdim ita tenere medium, vt vtroque periculo euitato ſalua naue, & mercibus ſecuri perueniamus ad portum.* Sic & poſtquam per baptiſmum, aut pœnitentiæ lacrymas ad Eccleſiam, ad religioſum vitæ ſtatum, ad animi ſolidam, optatamque tranquillitatem venimus, licet gaudio quondam ſancto compleri, & variis ad varia exclamationibus nos ipſos excitare.

Sed 3. è tertia quæſtione illud maximè ac neceſſariò faciendum, vt DEO ipſi, cuius nos transduxit gratia & benignitas à ſalutem, grateſque aſſiduas dicamus, vt qui Apocalypſis 5. verſu 13. dicebant. *Sedenti in throno & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & pietas in ſæcula ſæculorum, Amen.*

4. è quarta. Poſt baptiſmum & pœnitentiæ amnem, non ocioſè in ripa ſtandum, ſed pergendum porrò, & progrediendum in via mandatorum DEI. extendendo nos ad anteriora & poſteriorum obliuiſcendo.

5. In iſto autem itinere dux nobis, quam ſequamur eſſe debet arca Domini, lex eius & voluntas, ipſius etiam ſacerdotes ac miniſtri. quinque contra dæmonum inſidias & impreſſiones primis Eccleſiæ temporibus armatiſſimi fuerunt ſancti Patres, Martyres, Confeſſores; ipſaque in primis Beatiſſima Virgo, quæ *fœderis arca* vocari ſolet, à B. Iuſtiniano Veneto ſerm. de Natiuit. B. Virginis. & ab aliis.

6. Et ab hoſtibus tutiores vt ſimus, in Eccleſiæ Catholicæ caſtris commorandum nobis. quæ quidem in humilitatis Chriſtianæ plano ſunt, non in editis celſiſque ſuperbiæ, ac vanæ gloriæ montibus, & è regione ipſius Hiericho, vrbis vt cap. 2. dictum, voluptariæ ac lunaticæ. ad Orientalem plagam. quò citius cœleſtis Solis radios accipiat. proximum habens Iordanem, vt homini ſordium quidquid acciderit, ſemper & citò elui poſſit. De iſtis tamen caſtris iterum alibi poſtea.

7. Inceſſus Iſraelitarum nonne inſignis proceſſio videtur? Quemadmodum illic præiuit arca, & totus illius temporis clerus, ſic in noſtris hodie Proceſſionibus Crux præfertur, ſacra Euchariſtiæ thæca, ſacrarumque reliquiarum arcæ. Vide meum *de proceſſionibus* lib. 1. ca. 3. & ſequentibus.

8. In bellicis etiam caſtris curandum, vt Chriſtianis ſacris & primus & honeſtiſſimus locus ſit.

9. Cauendum poſtremò, ne in hoſtico temerè quis incedat, ne ſe in medias peccandi occaſiones imprudens & audax coniiciat. Si quis enim prioribus vitiis non expugnatis, eas vel dignitates vel functiones, quibus variorum variæ inſunt peccatorum illecebræ, appetat, nonne contra omnem militiæ prudentiam, contra & præter Ioſuæ noſtri exemplum, videtur à tergo aduerſarios relinquere, alioſque à fronte accerſere? Magnas quotidie iſta temeritas in Eccleſia ſtrages dat. Nondum ſuperbiæ Hierichuntem expugnaui, & tamen eo prouchi volo, vbi ſumma & quotidiana ſuperbiendi occaſio. Arcem libidinis ſacrâ Spiritus ſancti flammâ nondum exuſſi, & tamen cum fœminis & aliis, qui pudicitiæ periculum poſſunt ſtruere, volo agere. Iracundiæ propugnaculum ante me ſtat firmum & integrum. Vbi tamen litium, irarum, & odiorum perpetua materia eſt, commorari cupio. Non hoc eſt vltra Hierichuntem in medios Chananæos temerè ac inſcienter proruere?

QVÆSTIO VI.

Quando, vbi, & quomodo, qui elati è Iordane fuerant lapides; collocati ſint?

EODEM, quo permeatus amnis, quoque caſtra in Hierichuntina planitie poſita ſunt die, lapides quoque iſti collocati ſunt. Id enim non obſcurè textus indicat verſu 20. cum & ipſi caſtrorum metationi lapidum collocationem

nem ilico adiungat, & ea quæ eodem die fa-
cta non ſunt, ſed ſecutis tantum diebus, dili-
genter annotet capite ſequent. vt circumci-
ſionem, Paſcha, mannæ ceſſationem, & ſimi-
lia. Quin & ipſi etiam Rabbini, licet variis
ambagibus hoſce lapides primò in *Hebal* & *Ga-
rizim* montes deportent, eòsdem tamen in hunc
ipſum caſtrorum locum reportant, in eoque
conſtituunt. Et quorſum aliis in rebus omni-
bus tam impiger ac ſedulus Ioſue, in vna hac
pigraretur, moraſque necteret? Si in ipſo Iorda-
nis medio tam ſubitò potuerunt alij XII. ſtatui
lapides, quidni & iſti reſiduis adhuc diei, veſpe-
ræque horis ſtatuti? Neque falletur iudicio, qui
ad hoc ſignificãdum tam ſignatè cenſuerit no-
ctem illam in hiſce verbis poni v. 3. *Quos* (lapi-
des) *ponetis in loco caſtrorum, vbi fixeritis hac nocte
tentoria*. Rabbini porrò eos primò in dictis mõ-
tibus collocatos aiunt, deinde cõfeſtim reuul-
ſos, & eodem, prout paulò ante narrabam; die
in caſtris poſitos, prout c. 11. *Seder Holam* refert.
At illud exploſum iam ſuperius: iſtud verò ve-
rum eſt. Nam eodem v. 3 ita præcepetat Domi-
nus. *Ponetis eos in loco Caſtrorum*. & hoc v. 20. *lapi-
des poſuit Ioſue in Galgalis*. Sed in qua caſtrorum
parte? *Deprehendo duodecim*, ait lib. 4. aduerſus
Marcionem c. 13. Tertullianus; *lapides ab Ieſu de
Iordane electos, & in arcam teſtamenti conditos*. At
tot & tanti lapides, quos non manibus, ſed hu-
meris ferre debuerant valentes robuſtique viri,
quomodo arca non magna, rebuſque iam plu-
ribus, mannæ videlicet vrceo, Deuter. l. & for-
taſſe quod in Exod. & Hebrææ 9. diſputatum
eſt: alijs completa cepiſſet? cur lapides, quibus
neque ab æſtu, neque à frigore, aliauè vlla tem-
peſtate, aëriſque iniuria periculum; in arcam
conderentur? Et verò verbum, POSVIT, v. 20. in
Hebræo, & Græco, alium longè, quam vt in
capſa iacere illos oportuerit; ſitum importat,
prout paulò pòſt erit dicendum. Ne tamen in
Tertulliano mendum quis ſuſpicetur, lectio-
nem illam è verbis conſequentibus firmat do-
ctiſſimus illius explanator Pomelius Numer.
161. vbi & hanc opinionem illi periculiarem aſ-
ſerit. quam noſtro tamen ſeculo amplectitur in
iſtud caput Lorichius Hadamarius. Rabbi ve-
rò Leui filius Gerſonis, qui & breuitatis cauſa,
Ralbag à Iudęis nominatur, in huius loci Com-
mentario *iuxta arcam* depoſitos fuiſſe vult. An
verò intra ipſum ſacrarium, an extra, non ex-
primit quidem diſertè: ſed inſinuat, extra fuiſſe.
Idque mihi etiam videtur. Cum enim loco il-
luſtri, & ad miraculi tanti renouandam memo-
riam, & ad aliquẽ erga DEVM pietatis excitan-
dum ſenſum ponerentur, vt ſequenti quæſtio-
ne magis explicabitur, quis locus aptior alius,
quàm iuxta tabernaculum & ſub dio? vt om-
nium ad preces, vel arcam venientium oculos
primo quaſi aſpectu ferirent, ſacrâ eorum ani-
mos religione perfunderent, ad diuinæ bonita-
tis laudes exſuſcitarent? Sed in eodem *Ralbag*
aliud quiddam eſt, quod non queo non impro-
bare. Ait enim *apud arcam* iſtos perpetuò aſſer-
uatos, vt cum ex more, de quo Tobiæ 1. dixi; ad
illam ter quotannis venirent Iſraelitæ, illos vi-
derent, prætcritique miraculi religioſi comme-
miniſſent. Sed primò cùm aliò tranſlata fuiſſet

Ioſue.

A arca, ſiue Siluntem ſiue Hieroſolymam, ſaxa
quoque hæc ſimul transferri oportuiſſet. Vnde
verò tranſlata vnquam fuiſſe, vel minimo indi-
cio, colligitur? Quod eorum aut in Siluntina,
aut in Hieroſolymitana arcæ ſtatione vllũ vn-
quam veſtigium? Nonne diuini huius operis
memoria cõſeruabatur aptius, ſi à Iordane non
procul, in ipſis primis, quæ quidem in terra
iſta, metati eſſent Iſraelitæ; caſtris remane-
rent? Nonne alij, qui, alias ob cauſas, alibi erecti
etiam ſunt lapides, ſuis in locis relecti ſemper
B ſunt? Imò eos in illo ipſo caſtrorum loco, ad-
huc multis pòſt ſeculis, hæſiſſe traditur quòd
de S. Paula in eius epitaphio ita ſcribat Hiero-
nymus. *Intuita eſt caſtra Galgalæ & aceruum præpu-
tiorum, & ſecundæ circumciſionis myſterium, & duo-
decim lapides, qui de Iordanis illuc trãslati alueo duo-
decim Apoſtolorũ fũdamẽta firmauerãt*. Sed an ocu-
lis hæc omnia corporis, an mẽtis intuita sãcta il-
la ſit, affirmari vix poteſt. Nã modò de illis, mo-
do de iſtis in peregrinationis illius deſcriptione
loquitur D. Hier. De corporeo tamẽ aſpectu lo-
C qui credat non ineptè, qui expenderit, cum de
ſpiritali loquitur, ab eo ferè aliquid adiici, vnde
hoc ipſum aduertatur, vt cũ ait. *Poſtrata ante cru-
cem, quaſi pendentem Dominum cerneret, adorabat.
Iurabat ſe cernere oculis fidei, infantem pannis inuo-
lutum*. In Caſtrenſi ergo manſione hac prope ta-
bernaculum collocata fuerunt ſaxa hæc: & illo
poſtmodum remoto, permanſerunt ibidem ni-
hilominꝰ. Cur verò ad mare rubrũ collocati nul
li fuerint, cauſa videtur, vel quòd iis in locis cõ-
moraturi deinceps Iſraelitæ non fuerint, vel
D quod in maris fundo alia impreſſiſſet ſigna Do-
minus, vt in Exodo attuli.

Ioſephus porrò loco citato, *ex hiſce lapidibus*
à Ioſue ait *exſtructum altare*. in ipſiuſque con-
cedit ſententiam Moncæius lib. 2. de vitulo
cap. 4. Sed non aſſerit hoc contextus. Sed
tantummodo lapides iſtum erexiſſe, vel ſta-
tuiſſe. Verbum enim Hebræum, cum in *hi-
phil* ſit; valet facere ſtare, ſiue *ſtatuere*. Et in
Græco dicitur ἔστησε. quod in iis etiam lapidi-
bus poſitum eſt, verſu 9. qui in Iordanis me-
E dio defixi ſunt. At ex iis excitatum altare non
fuit. Ideoque videntur iſti omnes ſinguli ſeor-
ſum depacti & conſtituti, non in arcæ vnius
conſtructionem compacti & coagmentati. Sic
etiam factum Exod. 24. verſu 4. & ſic diſtin-
ctior Iſraelitarum tribuum omnium memo-
ria, & penitior verborum proprietas conſer-
uatur. etiam in [illegible]a poſteritatis admiratione v.
7. & 21. *Quid ſibi volunt iſti lapides?* Nuſquam ve-
rò, *Quid ſibi arca hæc?* aut *quid ſibi lapidum coag-
mentatio hæc?* Et mirum foret, ſi ſubſeruiſſent iſti
F lapides altari, neque huius vlla vnquam fieret
in ſcriptura mentio. Ioſephum igitur meritò
quæſtione 29. & 30. coarguit Abulenſis. Nam
ſępenumero vir ille non quid factum, ſed quod
veroſimiliter fieri potuiſſe, ipſiſque Gentilibus
magis placiturum putabat, contra vel præter
ſcripturam, litteris mandauit.

An verò fuerint iidem *lapides* omnino *rudes*,
an politi, rurſumque, an tribuum nominibus
aut notis aliis inſcripti, an non, & nũ lapidibus
aliis ſubiectis, vt collumellarum, vel pyrami-
dum inſtar, extarent, ſuperpoſiti fuerint, dicat,

X

Digitized by Google

quod ſibi videbitur, quilibet. Nihil enim eorum eſt, quod fieri non potuerit. *Vbi autem eos,* ait loco citato Seder, *compegiſſet calce, ſuper nè inſcripſerunt legem ſeptem linguis.* Quibuſnam quæſo illis, & quam ob rem?

QVÆSTIO VII.

Ad quid iidem ſtatui lapides?

QVÆSTIO hæc cuilibet lapides iſtos videnti venire in mentem ſtatim potuit, prout indicat Ioſue verſu 6. & 20. dum certò futurum ait, vt Iſraelitarum poſteri, & paruuli etiam fortaſſis nati, hoc ipſum interrogaturi eſſent. Cum enim non temerè, ſed conſilio, certoque ordine præter morem, res etiam viles, & cæteroquin obuias, alicubi poſitas intuemur, ſubit ſtatim animum cupido, cognoſcendi cur ita illud factum. *Cum*, ait, *interrogauerint vos filij veſtri cras.* id eſt, poſthac. in poſterum. Neque curioſam & vanam eſſe quæſtionem, ſed per vtilem, dignamque, cui reſponſum bonum & accuratum detur, ex eo monſtrat idem Ioſue, quòd ei reſpondendi modum hoc ipſo tempore, tam alioquin occupato, tantiſque tranſitus fluuij, progreſſus in hoſticum, caſtrorumque metationis cogitationibus impedito, bis doceat verſu ſcilicet 7. & 21. & duplicis generis cauſas affert: Alias quidem, quę ad cognitionem ac hominis mentem, alias, quæ ad affectum ac voluntatem ſpectant: turſumque alias reſpectu Iſraelitarum, alias reſpectu gentium aliarum omnium. Quæ *ad mentem* ſpectant, tripliciter traduntur. 1. vt *ſit ſignum inter vos* verſu 6. Verbotenus in Hebræo; *vt ſit hæc res ſignum in medio veſtri.* vt ſcilicet omnes & aſſiduè moneat. Ideoque vertunt 70. ἵνα ὑπάρχωσιν ὑμῖν οὗτοι εἰς σημεῖον κείμενον διαπαντός. id eſt, *vt ſint vobis hi lapides in ſignum, poſitum ſeu permanens omni tempore.* Signum autem cum rei ſignatæ ſignum ſit, ea hic exprimitur, & antequam fieret verſu 7. *per præteritum* tamen, Prophetarum more. quia certò futura erat: & poſteaquam facta eſt verſu 22. 23. ſed bifariam. Nam primò ſimpliciter geſtum miraculum proponitur, de quo hactenus, deinde illud cum maris rubri tranſitu confertur, prout factum ſuprà prioris libri partis quæſtione vltima. In hac tamen collatione obſeruanda duo. Primum, in Hebræo ſic haberi. *Quod ſiccauit à facie noſtra donec tranſiremus*, & in Græco etiam eſt ἐξήρανεν, quod tamen in Latino facilè intelligitur ex ipſa ſimilitudine. Secundum. Cum fuiſſent in deſerto mortui, qui mare illud tranſierant, vt verſ. 4. ſequentis capitis dicetur; quomodo ait textus *à facie noſtra, & donec tranſiremus?* Illic reſpondebitur.

Iam ſecundò dicitur verſu 7. *Poſiti ſunt lapides iſti in monumentum filiorum Iſrael vſque in ęternum.* Monumentum filiorum Iſrael, ab Interprete hic dicitur, non quod de ipſis eſt, ſed quod ipſis eſt, vt apertè habent Hebręus & Gręcus, quodque ipſos monet, aut eorum memoriam excitat. Ab hac enim ducuntur, quæ per monumentum vertit noſter, nomina, Hebræum זכרון *zitcàron*, & Græcũ μνημόσυνον. & idcirco apud S. Aug. quæſt. 4. è vetuſtiore ipſorum 70. Interprete legitur.
A *Erunt vobis lapides iſti memoriale filiis Iſrael vſque in æternum.* Sed quid *vſque in æternum?* An, quæ de id genus monumentorum vanitate l. 1. Machab. c. 13. attuli, vana & falſa ſunt? An Oratoriè magis, quam verè & ſapienter dixit pro Marcello ſuo Tullius? *Nihil eſt opere, aut manu factum, quod aliquando non conficiat, & conſumat vetuſtas.* An Poëtam magis quàm Philoſophum egit Auſonius, cum cecinit,

Mors etiam ſaxis, nominibuſque venit?

An quotidiana id experientia comprobat.
B Vbi priſcorum ſeculorum tot & tam ſplendida Mauſolea, numi ſtatuæ, arcus, columnæ? Vbi & hi ipſi, de quibus agimus, lapides? Vbi ſunt?

Tabida conſumit ferrum, lapidemque vetuſtas.
Tempus edax rerum tuque inuidioſa vetuſtas
Omnia conficitis.

Quid ſtabile, firmum, ac æternum ſub cœlo ſit, cum ipſum etiam cœlum, & terra tranſeant? Duas igitur loco citato adhibet reſponſiones S. Auguſtinus. *Vnam*; lapides *quoad ſeipſos* haud æternos eſſe: ſed, *quoad ſignificationem*. Ab iis
C enim ſignificari ęternum aliquid. *Alteram*; ęternitatem iſtam non eſſe preſsè dictam æternitatem, ſed vulgari modo, vt ſit *longum aliquod tempus*, quod à Latinis ſæculum quandoque appellatur. Sic enim & apud Hebræos atque Gręcos crebrò accipitur nomen hic poſitum ὁ αἰών, עולם. Atque poſterior hæc videri poteſt aptior, quia & in ſcripturis crebrior eſt, & quia ſatis aptè dici non poteſt, quodnam illud æternum ſit, quod ſignificatur? Nam tranſitus Iordanis, & quę cum eo diuinitus coniuncta fuerant mi-
E rabilia, illo ipſo die deſierant: aut ſi æterna ducenda, quia quod factum ſemel, infectum eſſe non poteſt, quod non modò ſacrum, ſed prophanum etiam rei, quæ prætierit, ſignũ æternum non erit? Nam *hedera*, quæ vinum in cauponis heſterno die ſignificauit vænale, quia id ita fuit, & aliter iam eſſe non poteſt, *æterna* iſto modo fuerit. Si verò rem futuram, quæ æterna ſit, ab iiſdem lapidibus ſignificatur, enimuero ſacramenta omnia, quæ CHRISTI Domini gratiam, gloriamque notant, æterna erunt dicen-
E da. Imò picturæ ac voces, quæ aut æternam felicitatem, aut CHRISTVM ipſum Dominum ac Seruatorem noſtrum noſtris vel oculis, vel auribus ſubiiciunt, ęternare cenſebuntur. Vellem præterea expoſuiſſet ipſe Sanctus Pater, quodnam illud æternum, cuius hi iſti lapides, notæ, ac ſymbola. *Tertiò*, demum ſub capitis finem, quæ *ad mentem* etiam, & ad Gentes alias pertinet, cauſa hæc ponitur, *vt diſcant omnes terrarum populi fortiſſimam Domini manum.* In Hebræo ad verbum; *vt ſciant omnes populi terræ*
F *manum Domini, quòd valida ipſa.* Manus autem metaphora, quæ & alibi ſæpe occurrit, expoſuerunt 70 δύναμιν. id eſt, potentiam, ac robur, vultque Dominus à Gentibus robur hoc cognoſci, non quoquo modo, ſed *quia fortè ac validum* eſt, quod ſcilicet poſſit, quod voluerit: poſſit populum ſuum, qua libuerit ratione, ipſis etiam elementis, rerumque naturis obſequentibus iuuare ac propugnare: ipſius verò aduerſarios conterere ac diſſipare. Cognoſcendi autem hoc hoc per lapides

des iſtos modus erat, quod cum vel in haſce oras veniſſent, vel ad eorum aures oſtentorum iſtorum perueniret fama, inquirerent ipſi veritatem, huiuſque teſtes hoſce lapides haberent, qui edita veluti voce iis dicerent. Quæ de Iſraelitarum per ſiccatum vicinum hunc amnem tranſitu ô Gentes, audiſtis, veriſſima ſunt. DEVS illorum fecit hæc omnia. Is fluuio imperauit, & confeſtim, tametſi tunc exundaret; obſecundauit fluuius. Nos in medio ipſo flumine, in profundo iacebamus: & ecce duodenum virûm manibus illinc accepti, eorundemque humeris elati huc ſumus. DEVS iſte magnus & potens eſt: DEVS cœli, terræ, aquarum, & quæ in iis continentur, omnium. Vnus ſolus & verus DEVS. Si homines taceant, id nos lapides multi clamamus, & teſtificamur. Quæ verò *affectum* & voluntatem *attingit cauſa*, hæc ibidem eſt. *Vt & vos timeatis Dominum* DEVM *veſtrum omni tempore.* Timor Domini ſapientiæ initium dicitur, & complectitur in ſcriptura non rarò, DEI amorem, & cultum omnem. Ideoque pro *timere* poſuerunt hic Septuaginta σέβεσθαι, à quo ἡ θεοσέβεια, καὶ ἡ εὐσέβεια eſt. id eſt, *pietas* & *religio*, vt explicat libro 10. Ciuitatis capite 1. libro 1. Enchiridij capite 2. S. Auguſtinus. Hic ergo ſaxorum iſtorum ſcopus, hic finis, vt ſancto DEI timore Iſraelitarum voluntates afficiantur: eius numen reuereantur: & præcepta ſeruent, eique ſeſe totos demoueant, eum hymnis, victimis, omnique cæremoniarum ſacrarum, quas à Moyſe didicerant, ſanctitate venerentur & colant: neque id vno aliquo exiguo tempore, aut hoc in terram illam ingreſſus principio tantum; ſed omni tempore. ſiue, vt in Hebræo eſt, omnibus diebus, vitæ ſcilicet cuiuſque, ac mundi totius. In Græcis quibuſdam, vt Romanis eſt, ἐν παντὶ ἔργῳ, id eſt, *in omni opere.* Sed alij omnes, vti etiam Romana docet notatio, legunt ἐν παντὶ χρόνῳ eſtque ea lectio Hebræis proprior. licet eadem ſententia ſit. Qui enim DEVM ſemper collit, is in omni opere colit. & contrà. Vnde & Apoſtolus dicebat 1. Corinth. 17. verſu 31. *Siue manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facietis, omnia in gloriam* DEI *facite.* Et ſanè ad hanc vnam cauſam referuntur aliæ ſuperiores omnes. Ideo enim ſigna mirabilium iſtorum dantur, memoria excitatur, cognitio Gentibus omnibus ingeritur, vt, licet abſque ratione *Caluino* hic ſecus videatur: omnes omnino & Iudæi & Græci, viri & fœminæ, iuuenes & ſenes, parui & magni laudent Dominum. Amen.

QVÆSTIO VIII.

An licuerit Ioſuæ iſtos lapides erigere?

VETITVM id videtur Leuitici 26. verſu 1. *Non facietis vobis idolum, & ſculptile, nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra.* At iſti lapides tituli erant. Hos enim *titulorum* nomine ſolet Interpres vocare Gen. 28. v. 18. & 22. Gen 31. v. 45. Gen. 35. v. 14. & 20. Ex. 24. Num. 33. v. 52. 2. Reg. 18. 18. 4. Reg. 23. 17. Iſa.

A 19. 19. Ezech. 39. 15. 1. Machab. 14. 27. quos Hebræi *maſeboth*, Græci autem aut λίθους vt Ex. 24. aut στήλας nominant, quæ etiam apud Herodotum l. 2. in *Seſoſtri*, & apud Strabonem l. 17. Auctore ſiquidem Feſto *tituli* ſunt, *quaſi tituli*, quòd rei alicuius memoriam tueâtur. idque nomen, vt in Græco etiam retineret, placuit S. Ioanni Euangeliſtę c. 19. v. 19. & 20. τὸν τίτλον appellans. Et *ſtelam* aut *titulum* eiuſmodi ſignificabat, qui apud Lucanum lib 8. dixit:

Interea paruo ſignemus littora ſaxo

B vt nota ſint buſta Pompeij ſcilicet. Quod ſi verò in hiſce lapidibus cælaturam & ſcripturam aliquam ponamus, poterunt etiam dici *lapides inſignes*, ſiue *inſigniti* & *politi.* Quomodo igitur eos excitare Ioſuę licuit? *Duplex reſponſio* eſt. *Vna* Abulenſis q. 12. ſimpliciter quidem, ob prçceptum iſtud, non licuiſſe: *ob diuinam* tamen *diſpenſationem*, priuilegium, & iuſſum, licuiſſe. *Altera*, ex ſe *licuiſſe*, neque id vlli diuinam illam legem prohibuiſſe. quia tantum ij tituli, & inſigniti lapides lege illa prohibebantur, qui adorarentur. ſiue ne fierent, vt quidam veluti Dij

C adorarentur. Nam Gentium idola interdum rudia, etiam informia, & planè talia, qualis à Naſone deſcriptus Terminus li. 2. faſtorum, & apud Poëtam *Capitoli immobile ſaxum.* Iſta verò legis explicatio ſumitur ex eo ipſo Leuitici loco. Nam verbis citatis, additur: *vt adores eum.* Si dicas Hebraicę haberi, *ad adorandum*, ſiue *vt adores ſuper eo*, ſciendum particulam עַל non ſemper ſignificare *ſuper*: ſed alia etiam, & quidem interdum, *coram*. vt prohibitum hic ſit, ne ſe co-

D ram lapidibus quis incuruet, quod eſt eos adorare. Confirmatur non ex Latina tantum noſtra verſione, ſed ex Græca etiam ipſorum 70. qui clare aiunt προσκυνῆσαι αὐτῷ. Quin & ipſi etiam ſacrarum imaginum hoſtes ita hunc locum verterunt. Nam apud Caluinum eſt; *Statuam non erigetis vobis, nec lapidem politum ponetis in terra veſtra, vt incuruetis vos coram eo.* Iunius verò, *Sculptile*, ait, *aut ſtatuam ne erigitote vobis, neque lapidem figuratum ponitote in terra veſtra, vt in-*

E *curuetis vos ante eum.* Accedit, quòd omnis cuiuſcunque altaris ſuper quo ſacrificium etiam DEO fieret, excitatio prohiberetur. Vide Tertullianum l. 2. contra Marcionem c. 21. Nonne præterea huiuſmodi, qui non adorarentur, ſed geſtam aliquam ab obliuione rem vindicarent, erexit olim Iacob ter, Gen 28. & 35.? Nonne ipſemet legiſlator Moyſes, Exod. 24? Reſpondet quidem Abulenſis, ante legem hic datam, hoc iſtos feciſſe: ſed, etſi de Moyſe, dubij aliquid eſt, eo tamen conceſſo, ecce poſt legem non

F Ioſue noſter modò iſtiuſmodi erexit lapides, ſed ſecundum ipſummet Abulenſem 2. Reg. c. 8. ipſe etiam Dauid: eius filius Abſolom. 2. Reg. 18. 18. ij qui ſancti Prophetæ ſepulchrum curarunt 4. Reg. 23. verſu 17. ipſi Machabæi 1. Machab. 14. 27. Neque tamen iſtorum quiſquam à ſcriptura iſto quidem nomine reprehenditur. At Ioſuæ, Dauidi, & Machabæis priuilegium à DEO datum, quia in iis, ne lapides adorarēt, aut adorare putarētur periculi nihil erat. Ita quidē Abulenſis. neq; tamē ſe adhuc expedit. Nā vbi lapides illi excitati ſemel fuiſſēt, potuiſſet in aliis

eſſe periculum, ne adorarent. Sicque priuilegium, quod aliis tantopere noceret, dandum non fuiſſet. Cum receptiore igitur, & celebratiore concludendum ſententia, fuiſſe omni modo Ioſuæ fas, etiamſi non præcepiſſet Dominus, ſaxa iſta, quæ non adorationem haberent, ſed perpetuam facti tanti memoriam cuſtodirent, Deique apud omnes gloriam deprædicarent, figere ac excitare. Hinc verò colligit rectè Maſius duo. *Vnum*: admirandam meritò & aſſiduè collaudandam eſſe DEI bonitatem, quòd non modò ſummis nos aſſiduè beneficijs proſequatur, ſed vltro etiam eorum recordandorum adminicula ſuggerat, & præſcribat. *Alterum*; vtiliter in Eccleſia Catholica imagines, feſtos dies, aliaque pietatis inſtrumenta viſitari. Eius verba lectu digna. *Ab eadem*, ait fol. 70. *cauſa eſſe profecta exiſtimandum eſt, quæ ſacroſancta, atque amabiliſſima noſtra mater Eccleſia nobis propoſuit, ſiue in anniuerſariis feſtis, ſiue in imaginibus, & ſtatuis, atque ſimulachris* IESV CHRISTI, *& reliquorum ſanctiſſimorum hominum monumentis. Nempe vt quæ ille ſalutis noſtræ gratia & fecit, & paſſus eſt, eo aſſiduo & grato animo recolentes, ipſius amore inflammemur magis magiſque, & tanquam vnicum ſalutis noſtræ auctorem adoremus. Quæ verò diuorum quiſque per virtutem, & in* CHRISTVM *fidem patrauit obſeruantes, ad eorum exemplum vitam noſtram inſtituamus componamuſque. Quapropter in nefario crimine ponendum ego certè exiſtimo, quod quidam iſta ſacrarum rerum monumenta, non religioſè, ſed rabioſè, non piè ſanctèque, ſed petulanter & proteruè è ſacris ædibus non remouent modò, ſed cum contumelia & ludibrio eiiciunt. Quod facinus quanta in moribus licentia, in* DEVM *impietas, aduerſus Magiſtratum rebellio; &, vt ſemel dicam; in omni genere deformatio Reip. conſequatur, non ſolum ipſa experientia acerbum & triſte, ſed cogitatione etiam luctuoſum eſt piis, & antiquæ probitatis hominibus.* Et ſunt contra noſtros Iconomachos tanto hæc veriora, quanto pluribus antè iam annis idem olim monuerunt S. Patres in Niceno 2. act. 4. & quanto verius ipſimet, vt ſuprà vidimus, Nouatores concedunt, lapidum huiuſcemodi erectionem, cælaturam & picturam eatenus vitari, ne adorentur. De iſta re dictum in Exodo: & verò etiam nuper in quadam libris *de adoratione* à noſtro Vaſquez editis, & Moguntiæ hic recuſis præfixa præfatione. Vnde pauca huc, & quia inſtituto idonea, & quia mendoſius illic edita, corrigi poterunt; tranſcribam. *Nullo modo contra legis verba vel ſententiam eſt, ſtatuas & imagines habere, iiſque eum, quem Catholica Eccleſia docet, cultum deferre. Id vt appareat, reticemus legem ipſam: & quidem iis ipſis verbis, quibus eam in librum inſtitutionum ſuarum c. 8. §. 17. retulit Caluinus. Non facies tibi ſculptile, neque ſimilitudinem vllam eorum, quæ in cælo ſunt ſurſum, vel in terra deorſum, vel in aquis, quæ ſub terra ſunt. Non adorabis, neque coles. Duas verò hic partes idem Caluinus conſtituit. Vnam, quæ ſculptile, ſimilitudinemue vllam fieri, alteram, quæ coli vetet. Aſſentimur & nos. Sed in priore aut nihil omnino peccamus, aut peccãt ipſi etiam Caluiniani. Nam, vt de naturalibus imaginibus, ad quas faciendas quemlibet diuino quaſi præcepto; Creſcite & multiplicamini, obligatum volunt illi, ſileam, an eorum, quæ in cælo, terra & aqua ſunt, ſimilitudines*

A *plurimas ipſimet non faciunt? Non Solem, Lunam, Venerem, aliaque in cælorum orbibus ſidera expingunt? non, quæ quibuſdam aliquando Gentibus numina; montes, arbores, flumina, boues, canes, aues, piſceſque omnis generis? Textus ait, nullam eorum, quæ in cælis, terris, aquis extant, ſimilitudinem faciendam. Omnia verò quæ iam dixi, aliqua eorum ſimilitudo ſunt. An non & diſertis igitur ipſius præcepti verbis contraueniunt? Sic & in ſuis ipſi Bibliis chorographicas tabellas, ipſaſque Pontificum & Cherubinorum imagines proponunt, in domeſticis laribus & libris Ouidianas interdum Metamorphoſes, vel Gentiles certè Scipiones, aut Alexandros. Quid? Aureos argenteoſque an non vndecumque nummos corradunt, libentiſſimèque amplectuntur, & alicubi cudunt, in quibus tamen & illud* CHRISTI *Domini locum habeat, cuius eſt imago hæc & ſuperſcriptio? Ipſi eorum libri omnes nonne imago quædam ſunt? Nam, Philoſopho auctore, notionum animi voces, vocum ſcriptura ipſæ σύμβολα ſunt* [illegible]. *Sed omnium maximè, quæ tantoperè venditant, ſuiſque in fanis legunt, & vulgo legenda proponunt, Biblia Germanica, Gallica, Scotica & Anglica, imò & Latina, ex ipſorum quidem ſententia, non Biblia ſunt, ſed Bibliorum tantummodo ſimulachrum & imago. Docet enim libro contra Bellarminum, Caluinianus Witakerus, id tantummodo eſſe verbum* DEI, *quod ea lingua ſcriptum eſt, qua idipſum primo dixit aut dictauit* DEVS. *Contigit verò paucis abhinc menſibus, vt in Nouatorum iſtorum quendam, cuius apud non paucos, ob linguarum quarundam peritiam, non parua erat opinio, inciderem. Is apud Chriſtianos vnam aiebat eſſe ſacram imaginem, Euchariſtiæ ſcilicet Sacramentum, eo prorſus modo, quo apud Synodum Nycænam ſecundam veteres Iconomachi. Liberalior Caluinus, qui lib. 1. Inſt. c. 11. §. 10. duas dat: Indignum, ait, mihi videtur templorum ſanctitate, vt alias recipiant imagines, quam viuas illas & iconicas, quas verbo ſuo* DEVS *conſecrauit, Baptiſmum intelligo, & cænam Domini. Idem tamen, ſui, ſigillum, & icunculam à ſuis ex ipſo etiam collo geſtari libens videbat. Quin & eius diſcipulum Bezam ſui etiam tam immortalitate digni vultus & barbæ imagines quibuſdam dediſſe, certò audiui. Huc iam certè rediit, vt qui* CHRISTI *Domini. B. Virg. cælitum aliorum imagines extruſere, ſuas ij certatim obtrudere conentur. De Lutheranis in quorum templis quibuſdam Lutherus & Melanchthon modo pingitur; taceo. nonne in Caluinianis delubris, non principum modò, ſed viliorum etiam hominum ſtatuæ viſuntur? Nonne ſi quis paulo iam vel doctior, vel audacior & turbulentior Prædicans, Profeſſor, litterio eſt, eius ilico imagines fingi, ſundique videmus? Nonne Nouatorum inter ſeipſos etiam valde diſſentientium in Francofordienſi & aliis mercatibus venum exponuntur effigies? Nonne & typis libriſque mandatæ, magnis cum encomiis circumferuntur, è quibus vnum etiam ipſemet ſcripſit Beza.*

QVÆSTIO IX.

Quid iidem ſignificarint lapides?

QVID ad litteram ſignificent, dictum q. 7. quid ad mores, tactum ſuperiore 8. q. aliquid. Nunc *allegoricè* quidnam ſignent, exponendum. Thodoretus igitur q. 1. *Duodecim, ait, viri ac totidem numero lapides deſignabant Chorum Apoſtolorum.*

Digitized by Google

Apoſtolorum. Iidem erant opifices & fundamenta. D.
Hieronymum iam ſuprà quæſt. 6. dicentem au-
diimus, duodecim iſtos lapides, duodecim Apo-
ſtolorum fundamenta firmaſſe. Sed in Amos
Prophetæ caput 4. *Quomodo*, ait, *ſol iſte, quem cer-
nimus, annuum curſum, donec ad priſtinam metam
redeat, duodecim explet menſibus, qui ſinguli tricenis
voluuntur diebus, & luna quæ Hebraicè* ירח *Græcè
μὴν dicitur, iuxta vtramque linguam ex ſuo nomine
menſibus nomen dedit, & ſolis illuſtratur radiis ab ea
partè qua ei vicina eſt, vel plus, vel minus pro varietate
temporum lumen accipiens. Sic & Eccleſia veri ſolis
ſplendore decorata, duodecim implet Apoſtolorum nu-
merum. Vnde & duodecim in Iſrael appellantur tribus,
& in teſtimonium æternæ memoriæ de Iordanis alueo
duodecim lapides auferuntur, vt ponantur in loco ſe-
cundæ circumciſionis* Tertullianus vero cùm, vt
eadem quæſtione 6. oſtenſum; duodecim iſtos
lapides in arcam conditos dixiſſet, ſubiunxit.
*Totidem enim Apoſtoli portendebantur. & Proinde
vt & lapides, ſolidi fide, quos de lauacro Iordanis*
IESVS *verus elegit, & in ſacrarium teſtamenti ſui re-
cepit.* Atque hunc ipſum iam olim typum no-
taui libro de Apoſtolis Num. 10. Sed obſeruan-
dum, ſanctos Apoſtolos & per XII. viros, qui
eos lapides videri ſignificatos, diuerſa tamen
ratione. *Primo* enim verè *viri* fuerunt, animi
virtute, ac robore valentiſſimi. Ad eos enim
maximè ſpectat illud Roman. 8. verſu 35. *Qui
nos ſeparabit à charitate* CHRISTI? *tribulatio? an
angeſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an per-
ſecutio? an gladius? (ſicut ſcriptum eſt: Quia propter
te mortificamur tota die: æſtimati ſumus ſicut oues oc-
ciſionis!) Sed in his omnibus ſuperamus propter eum,
qui dilexit nos. Certus enim ſum, quia neque mors, ne-
que vita, neque Angeli, neque principatus, neque vir-
tutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitu-
do, neque altitudo, neque profundum, neque creatura
alia poterit nos ſeparare à charitate* DEI, *quæ eſt in*
CHRISTO IESV *Domino noſtro.* Deinde. Sunt
è toto tribuum Iſraelis numero delecti, & à Io-
ſue huic operi admoti. Et Apoſtoli nonne ſimi-
liter electi, & à vero Ioſue lapidibus è Iordane
tollendis, & alibi defigendis operam nauare
iuſſi ſunt? *Tertio.* Lapides quos tollere illi de-
buerant, quid aliud ſunt, quàm omne morta-
lium genus, qui non rarò duodecim tribuum
nomine ac figura notantur, vt Matthæi 19. Nam
ſanè hi fluxis mundi huius aquis tegebantur, &
in imo ſub gurgitibus alueo aut nullos cœleſtis
ſolis radios excipiebant, aut non niſi refrigera-
tos, madidos, &, vt opticorum loqui ſolet ſen-
tentia; refractos, ſi ipſam ſcilicet naturæ, aut
Moyſis legem ſeruarent. Coërcet Dominus
aquas. aſpicit ſol iſtos lapides. iis manus admo-
uent Apoſtoli. eos apprehendunt, humeris im-
ponunt, & in aridam deferunt. Quin & homi-
nes ſæpe ſaxei ſunt? morum feritate ac barbarie,
ipſaque in pectoris contumaciâ duriſſimi: ſcele-
rum multitudine ac magnitudine grauiſſimi.
Quarto. Et eos quònam deferunt? Illuc, vbi Do-
mini caſtra ſunt: vbi CHRISTI IESV Eccleſia:
vbi ſacramenta peragũtur, ſacrificia offeruntur,
feſti dies agitantur: vbi contra hoſtes omnes
tutiſſima manſio, arcæ Dominicæ præſentia &
vicinia, populi DEI commodiſſima, tantiſper

A hæreditatem adeat, ſtatio. *Quinto.* Qua verò ra-
tione deferunt? humeris & longo ſatis ſpacio.
Labor fuit & ſudor. Sed imitari Dominum
oportuit, qui amiſſam ouem quærens & inue-
niens humeris in ouile refert: neque laborem
amori æqualem putat. Quid? Tulerit humeris
libens cæcus neſcio quis in Græcorum *Antholo-
gia* oculis vigentem claudum, & Apoſtolus cæ-
cum & claudum, oculis pedibusque valens, ei
vt proſit, felicemque terram det, non libenter
ferat? Apud Poëtam ait Anchiſæ ſuo, vt è Troiæ
B ipſum flammis eriperet, Æneas, prout ſupe-
riore capitis huius parte quæſtione 3. dictum.

Ergo age chare Pater, ceruici imponere noſtræ.
Ipſe ſubibo humeris, nec me labor iſte grauabit.

& Apoſtolum vllus grauet labor, dum ex infer-
ni flammis rapiendi mortales, aut è Iordane, id
eſt, è rapidiſſimi iudicij torrente ſuſtollendi? Sci-
mus enim Domini ſententiam Ioan. 3. verſ. 18.
Qui non credit iam iudicatus eſt. Iaponiæ, Indiæ-
que, ſęculo noſtro, Apoſtolus Beatus Pater *Xa-
uerius*, antequam in partes illas tenderet, imò
C vt tenderet, diuino commonitus viſo eſt, dum
in humeros Indum hominem ſibi attollere viſus
eſt, prægrauem quidem illum & permoleſtum,
ſed cui ad æternam felicitatem ea neceſſaria ge-
ſtatio. vt eſt in Beati Patris Ignatij vita libro 2.
capite 16. apud Ribadeneiram. *Sexto.* Cum in
omnibus igitur mundi partibus Eccleſias Apo-
ſtoli conſtituerunt, tum ſaxa ipſi locarunt, quæ
illuſtriſſima diuinorum erga nos beneficiorum
monumenta forent: quę verũ Ioſue, verum per
Iordanem tranſitum, verum in veram promiſ-
D ſionis terram ingreſſum in omniũ gentium aſ-
pectu ponerẽt, veroſque Iſraelitas ad timorem,
cultum, & laudationem excitarent. *Septimo.* Et
licet ſaxorum ſeu Eccleſiarum iſtarum proſtra-
uerit aliquas, & tempus & hominum nequitia,
ſtat Romana tamen, quam è Gentilitatis Ior-
dane, S. Petri & Pauli ſubiecta colla, in Ieri-
chuntinam illam planiciem, id eſt, in eam, quæ
totius orbis vera Iericho tunc erat, terram, in
totius orbis nobiliſſimam, opulentiſſimã, amœ-
nitatum, deliciarumque omnium feraciſſimam
E vrbem depoſuerunt: & ne qua vnquam tempo-
ris longinquitate, hominum ſcelere aut tempe-
ſtate diſturbaretur, altiſſimè fundarunt, ſapien-
tiſſimè fixerunt, firmiſſimè conſtabilierunt &
communierunt. Hac vero ſtante, ſtant in ea, &
per eam quodammodo aliæ: memoriæ certe
numquam intercidit. Meritò in Apoſtolorum
honorem duodecim terræ cophinos dum Va-
ticanam S. Petri honori baſilicam excitat Con-
ſtantinus Magnus ſuis ipſe humeris aufert, vt in
die Nouembris 18. legimus, cum vrbem ſanctus
F ille Apoſtolus, adeoque Imperij Romani tot ac
tantas gentes, ingens veluti ſaxum, labore ma-
ximo, proprioque tandem profuſo ſanguine,
tam procul è Gentilium ſuperſtitionum ac vi-
tiorum luto, in Elyſios cœleſtis beatæque tel-
luris campos pertuliſſet. Sed de hoc ſatis. Alij
quidem, vt Hadamarius per XII. ſaxa, quæ tu-
lerunt hi duodecim, accipiunt duodecim ſym-
boli, quod iidem condiderunt, articulos. Nec
repugno. Sed de eo ad libelli de Apoſtolis nu-
merũ 57. ablego: & pergo porrò dicere, quem-

Digitized by Google

A admodum iidem Apoſtoli hæc XII. ſaxa fuerint.

Primò. Eccleſiæ Chriſtianæ, quæ DEI *domus eſt, & columna veritatis*. 1. Timotheum 3. fundamenta ſunt Epheſ. 2. & Apocal. 21. verſu 19. *Deinde*, aduerſus omnes voluptatum illecebras, omnes ferientis fortunæ ictus, omnes ſæuientium tyrannorum impetus duriſſimi ſunt. *Tertio*. Nullo tentationum vento, nulla cuiuſquam improbitate aut vi conuelli, aut deiici vnquam poſſunt. *Quartò*. In Iordane ipſo fuerunt. quia in mundo erant, & eorum etiam præcipui piſcatores. *Quinto*. Omnium CHRISTI erga nos meritorum, & eorum, quæ geſſit miraculorum teſtes ſunt in toto terrarum orbe, apud omnes Gentes, omniſque generis & ordinis homines. *Sexto*. In promiſſæ felicitatis hæreditate, omniũ primi ipſi à vero defixi depactique ſunt Ioſue. *Septimo*. Circa ſacrum tabernaculum, Dominique arcam proximi fuerunt, circa CHRISTVM inquam Dominum, qui diuinitatis tabernaculum arca fuit longe omnium ſanctiſſima. *Octauò*. Eorum aſpectu & admonitione in diuinæ in nos beneficentiæ, miſericordiæ ac benignitatis recordationem quis non veniat? *Nono*. Eorum caput & princeps *Petra* eſt, ſiue quod idem valet *Petrus*. *Decimo*. Imo & illorum, & illius ipſius capitis ac Petri caput ſummum & Dominus, petra eſt ſpiritualis 1. Corinth. 10. lapis viuus, ſummus, angularis, electus, precioſus 1. Petri 2. verſu 4. & 6. CHRISTVS IESVS. Nos autem huic, & cum illis, *tanquam lapides viuos ſuperædificari* oportet: imò & illos in eo imitari, vt lapides feramus: alios ſcilicet ad Eccleſiam, etiam
B rudos, craſſos, viles, ad virtutem aſperos & duros, in vitiis contumaces & præfractos pertrahendo, noſque ipſos honeſtis quibuſdam laboribus, & pietatis operibus exercendo, crucemque noſtram patienter ac fortiter baiulando. Qui ſacroſanctis humeris tuis tuam CHRISTE IESV baiulaſti, omniũ primus Iordanem hunc tranſiiſti, lapidemque acerbiſſimarum & grauiſſimarum perpeſſionum immenſum pertuliſti, meam, quæſo, adiuua infirmitatem. Ita, Domine IESV, adiuua.

ALTERA

Digitized by Google

ALTERA LIBRI PARS, DE IIS, QVÆ POST IORDANIS TRANSITVM CONTIGERVNT.

QVæ *poſt Iordanis tranſitum* contigerunt, poſſunt cenſeri triplicia. Primò, προπολεμικά, id eſt, quæ *ante bella* euenerunt. Deinde τὰ πολεμικά, idest, ipſa *bella.* Tertiò, τὰ μετὰ πολεμικά, ideſt, res, quæ bella ſubſequutæ.

I. Deus, quæ *ante bella.*

CAPVT V.

1. POSTQVAM ergo audierunt omnes reges Amorrhæorum, qui habitabāt trans
Iordanem ad Occidentalem plagam, & cuncti reges Chanaam, qui propinqua
poſſidebant magni maris loca, quòd ſiccaſſet Dominus fluenta Iordanis coram filiis
Iſrael, donec tranſirent, diſſolutum eſt cor eorum, & non remanſit in eis ſpiritus, ti-
mentium introitum filiorum Iſrael. 2. Eo tempore ait Dominus ad Ioſue: Fac tibi cul-
tros lapideos, & circumcide ſecūdò filios Iſrael. 3. Fecit quod iuſſerat Dominus, & cir-
cumcidit filios Iſrael in colle præputiorum. 4. Hæc autem cauſa eſt ſecundæ circum-
ciſionis: Omnis populus, qui egreſſus eſt de Ægyto generis maſculini, vniuerſi
bellatores viri, mortui ſunt in deſerto per longiſſimos viæ circuitus, 5. qui omnes cir-
cumciſi erant. Populus autem qui natus eſt in deſerto, 6. per quadraginta annos iti-
neris latiſſimæ ſolitudinis circumciſus fuit: donec conſumerentur qui non audierant
vocem Domini, & quibus ante iurauerat, vt non oſtenderet eis terram lacte & melle
manantem. 7. Horum filij in locum ſucceſſerunt patrum, & circumciſi ſunt à Ioſue:
quia ſicut nati fuerant, in præputio erant, nec eos in via aliquis circumciderat. 8. Poſt-
quam autem omnes circumciſi ſunt, manſerunt in eodem caſtrorum loco, donec ſa-
narentur. 9. Dixitque Dominus ad Ioſue. Hodie abſtuli opprobrium Ægypti à
vobis. Vocatumque eſt nomen loci illius Galgala, vſque in præſentem diem. 10.
Manſeruntque filij Iſrael in Galgalis, & fecerunt Phaſe, quartadecima die menſis ad
veſperum in campeſtribus Iericho: 11. & comederunt de frugibus Terræ, die altero,
azymos panes, & polentam eiuſdem anni. 12. Defecit manna poſtquām comederunt
de frugibus Terræ; nec vſi ſunt vltrà cibo illo filij Iſrael, ſed comederunt de frugibus
præſentis anni Terræ Chanaam. 13. Cum autem eſſet Ioſue in agro vrbis Iericho, le-
uauit oculos, & vidit virum ſtantem contra ſe, euaginatum tenentem gladium, per-
rexitque ad eum, & ait: Noſter es, an aduerſariorum? 14. Qui reſpondit: Nequaquam:
ſed ſum princeps exercitus Domini, & nunc venio. 15. Cecidit Ioſue pronus in terram.
Et adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad ſeruum ſuum? 16. Solue, inquit, cal-
ceamentum tuum de pedibus tuis: locus enim, in quo ſtas, ſanctus eſt. Fecitque Io-
ſue vt ſibi fuerat imperatum.

Digitized by Google

COMMENTARIVS.

TRaduntur in iſto capite, quæ ante bella contigerunt, potiſſimum quinque, hoſtium ſcilicet pauor: Iſraelitarum circumciſio: Paſchatis & Azymorum celebratio, mannæque ceſſatio: & facta ipſi Ioſuæ apparitio. Sunt autem inprimo illo hæc obſeruanda. Primum. Ideo pauorem illum hoſtilem proponi, vt intelligamus, quonam modo potuerint, quæ deinceps iſto capite narrantur, peragi: præſertim circumciſio. Si enim Geneſis 34. verſu 25. homines duo Simeon & Leui ciuitatem Sichemitarum integram, cùm circumciſionis doloribus preſſa iaceret, gladiis obtruncare potuerunt, quid contra circumciſos Iſraelitas, tot & tanti Amorrhæorum & Chananæorum Reges non potuiſſent? Secundum. Pauorem illum penitus à DEO immiſſum fuiſſe, vt aſſiduam illius de ſuis curam & prouidentiam conſideremus. Tertium. Hoſtes omnes duobus hic nominibus, cum ſeptem alibi, vel decem poni ſoleant; contineri Amorrhæorum & Chananæorum. Quartò. Amorrhæos hic indicari, omnes quidem ad Iordanis ripas conſidere: Sed alios eſſe verſus Orientalem ripam, alios verſus Occidentalem. Et illi quidem vſitatiùs & præciſiùs Amorrhæi vocantur, quorum fuerat Rex Seon ab Iſraelitis, Moyſe adhuc ſuperſtite, ſublatus. Hi verò Chananæorum quandoque vocabulo includuntur. Sed eorum hic deſcriptio eſt, vt ſint trans ſiue potius, iuxta Iordanem; & vt ab aliis illis diſtinguantur, additur in Hebræo, verſus mare, Mediterraneum ſcilicet, vti ſuprà expoſitum capite 1. part. 1. quæſt. 7. Ideoque rem ipſam expoſuit Interpres clariſſimè, dicens, ad Occidentalem plagam. Omiſerunt verò id 70. quia cum agatur de iis populis, in quos iam tendebant Iſraelitæ, cùm dicerentur Amorrhæi trans Iordanem, ſatis putarunt intelligi eos eſſe Amorrhæos non Orientales, è quorum iam regione diſcedebant, ſed Occidentales, in quorum ſeſe terram nunc inferebant. Et hoc vno Amorrhæorum nomine videntur etiam omnes terræ huius incolæ comprehendi, Amos 2. verſu 9. & 10. Quinto. Chananæi dicuntur poſſidere propinqua magni maris loca. Hebraicè eſſe ſuper mare. ſiue vt vertũt Septuaginta παρὰ τὴν θάλασσαν, id eſt, ad, vel iuxta mare. quod lucis maioris cauſâ, noſter expreſſit Interpres magnum, ob cauſam eadem illa quæſtione 7. expoſitam. Sexto. Ii vero à Septuaginta hic vertuntur φοίνικες, ita vt hoc nomen multo latiùs pateat, quàm interdum apud ſcriptores ſumitur, vt non illam tantum, quæ apud hos Phœnice vocatur, ſed Iudæam etiam, Galilæam, & Palæſtinam complectatur. Vnde qui paſſim vocantur Phœnices, etiam apud Homerum in Odyſſea ξ, iidem Chananæi ſunt. & Cadmus Phœnix, Phœniſſa Dido, Phœniciæ litteræ, id eſt, Chananæus, Chananæa, Chananææ ſunt. & contrà quæ à S. Matthæo Chananæa vocatur, eadem à S. Marco capite 7. Syrophœniſſa dicitur, & à Dionyſio, itemque Pauſania, in Phœnicia collocatur Gaza, quæ Palæſtinæ alioquin eſt, vti notat Stephanus. Vnde vero Phœnices dicti ſint, varia, vt iſtis in rebus abſoletis fieri ſolet, opinio. Quidam à neſcio quo Agenoris, Neptuni & Libyæ filio, de quo Stephanus, eorum ducunt originem: Alii à mari rubro, apud Strabonem libro 1. Alii à colore ruſſo, quo præditi palmarum fructus. Nam vt iis abundant, ſic iis concolores ſunt. vt ait in Iliad. ψ. Euſtathius, vbi & ipſos eandem ob cauſam Erythræos appellat. In Scriptore autem antiquo apud Euſebium, Sanchoniathone cauſa legitur quod χνᾶ vel χνᾶς, id eſt, Chanaan ſiue Chnaan μετωνομάσθη φοίνιξ. Et de eorum ad mare propinquitate quod hic & Numeror. 13. verſu 30. dicitur, idem à Dionyſio ita expreſſum. οἱ δ' ἁλὸς ἐγγὺς ἐόντες ... φοίνικες: De ipſorum vero Regibus infrà locis aliis dicetur. Septimo. Pauor autem iſtorum ita in textu depingitur. Diſſolutum eſt cor eorum, & non remanſit in eis ſpiritus, timentium introitum filiorum Iſrael. In quorum verborum poſtremis notandum, illud, timentium, referri ad prius, cor ſcilicet eorum. Alioqui dicendum fuiſſet, timentibus introitũ filiorum Iſrael. Sed in Græco & in Hebræo breuius tantùm dicitur. propter quid, & vnde illa cordis liquefactio aut diſſolutio, ſpirituſque defectio extiterit; à facie ſcilicet filiorum Iſrael. Octauo. Cordis autem & ſpiritus nomine quid hic ſignificetur, docent Septuaginta, dum illud τὰς διανοίας vertunt, hunc τὴν φρόνησιν. id eſt, mentem & prudentiam, & cogitationes vel ratiocinationes omnes, & conſilia, vel omnem bene prudenterque tali tempore ac periculo agendi rationem illis diuinitus ademptam fuiſſe. Atque hic metus eſſe ſolet maximus, exanimans, & quandam velut amentiam & ſtuporem afferens. Monet autem epiſtola 13. Lucilium ſuum Seneca, ne malorum, quæ an vmquam futura ſint, incertum eſt; metu eiuſcemodi, quem lympaticum appellat ipſe, nimium ille ſeſe angat & diſcruciet. Diſpice, ait, an certa argumenta ſint venturi mali. Plerumque enim ſuſpicionibus laboramus, & illudit nobis illa, quæ conficere bellum ſolet, fama: multo autem magis ſingulos conficit. Ita eſt, mi Lucili, cito accedimus opinioni: nõ coarguimus illa, quæ nos in metum adducunt: nec excutimus, ſed trepidamus: & ſic vertimus terga: quemadmodum illi, quos pulueris motus fuga pecorum, exuit caſtris, aut quos aliqua fabula ſine auctore ſparſa conterruit. Neſcio quomodo magis vana perturbant. vera enim modum ſuum habẽt. quicquid ex incerto venit, coniecturæ & licentiæ pauentis animi traditur. Nulli itaque tam pernicioſi, tam irreuocabiles, quàm lymphatici metus ſunt. Cæteri enim ſine ratione, hi ſine mente ſunt. At ſi de morte, iudicio, inferorum pœnis, quæ certò malè agentibus & citò venturæ ſint; agatur, an non merito pertimeſcendum? Bene tamen agentibus, DEVMque timentibus ſperandum & confidendum merito fore, vt vel animorum noſtrorum hoſtes metu exanimet, atque coerceat Dominus, prout hic factum, vel glorioſam aduerſus eos victoriam largiatur, prout in ſequentibus videbimus. Vide partis huius quæſt. 1. capite ſuperiore. Altera capitis pars de circumciſione tria proponit. Primum. quomodo à DEO imperata, & à populo ſuſcepta ſit. Secundum. Quænam cauſa. Tertium. quid, quoad eam, factum poſtea. Sed quæſtiones flagitant omnia.

QVÆST.

QVÆSTIO I.

Quænam hic ſecunda circumciſio *vocetur?*

OPINIONES admodum variæ. ſed quæ ad ſumma duo capita videātur reuocari poſſe. Aliæ ſiquidem circumciſionem ſecundam vocari aiunt *reſpectu prioris* in eodem homine. Suntque iſti triplices. *Prima* eſt veterum Anabaptiſtarum, qui apud Sanctum Auguſtinum quæſt. 6. dixerunt eundem hominem verè ac ſimpliciter bis circumciſum fuiſſe. Ideoque bis etiam baptizari poſſe. *Altera* eſt veterum Apoſtatarum, Iudaicæque religionis deſertorum. Hi eo modo, quo 1. Machabæor. 1. docui, priorem circumciſionem noua præputij extenſione obruebant. & extenſio hæc vocabatur ἀντιπεριτομή, id eſt, vt ait libro de ponderibus & menſuris Sāctus Epiphanius; δευτέρα περιτομή *ſecunda circumciſio*. *Tertia* eſt Rabbi Eliezeris c. 29. & Rabbi Salomonis, aliorumque Rabbinorum, qui ex iis quæ in circumciſione ſua hodie faciunt, ſecundam iſtam circumciſionem explicant. Faciunt autem potiſſimum tria. *Primò* circumcidunt præputium. *Deinde* pelliculam diſtendunt, & reflectunt. eaque actio iis dicitur פריעה. *Tertiò* ſanguinem è plaga ipſa exſugunt. & ea exuctio dicitur מציצה. Aiunt igitur, Iſraelitas omnes, quoad actionem primam, in ſolitudine circumciſos ſemper fuiſſe: ſed non quoad alteram. Eam verò nunc peractam fuiſſe, ac *ſecundam* idcirco *circumciſionem appellari*. Sed expoſitiones iſtas conuellit omnes textus ipſemet. Diuerſos enim ait fuiſſe, qui antea circumciſi fuiſſent, & qui nunc. maximè verſu 6. & 7. Deinde harum *prima* quàm ridicula? Quomodo vnus & idem, qui præputium pridem amiſit, neque vlla artis vllius ope aliud accepit, rurſum circūcidi poſſet? *Altera* verò non propriè dictā, ſed catachreſticam circumciſionem ſtatuit. Nā præputij extenſio illa noua, non circumciſio, ſed circumciſionis deletio & ablatio eſt. ideoque & ἐπισπασμὸς appellatur, & qui eam adhibuerunt dicti ἐπισπασμένοι, Hebraicè משוכים, & à quibuſdam & Perſii explanatoribus, eoſque ſecuto Baronio tom 1. *recutiti*, quaſi cute iterum tecti. Sed poſtremum hoc *recutitorum* nomen circumciſis omnibus potiùs ab illis ipſis Poëtis tribui videtur. Nam ait ille Prior lib. 7. in Cæliam:

Ne recutitorum fugis inguina Iudæorum.

Poſterior Satyra 5.

Labra moues tacitus, recutitaque ſabbata palles.

Eodemque modo Sidonius.

Fert recutitorum primordia Iudæorum.

Neque enim particula, *re*, ſemper iterationem importat, ſed interdum etiam negationem eius, quod ſimpliciori vocabulo affirmatur. Nam verbi cauſa *reſignare*, ac *retegere*, quidpiam, non eſt iterum ſignare ac tegere, ſed quod ſignatum ac tectum erat, eiuſmodi eſſe non ſinere. & in ſacro Bibliorum interprete, *reprobus* non iterum probus, ſed improbus eſt. & apud omnes *reprobare* eſt probum non cenſere, ideoque & reiicere. Sic igitur & *recutitus*, non eſt, qui præputii cutem rurſum accepit, ſed qui quam habebat, amiſit. vt qui præputium habet, cuteque integra

A eſt, *cutitus* dicatur. & è contrario, *recutitus*. Idque ex ipſo etiam illo Martiale lib. 9. diſcere Interpres ille potuiſſent, vbi de exulcerata, cutemque ruptam habente mula dixit.

Nec rupta recutita colla mulæ.

Sed ad rem redeundo; dixerit fortè aliquis nō ipſam reſecti præputii attractionem vocari ſecundam circumciſionem, ſed eiuſdem iam attracti & renouati nouā præſectionem. Sanè verò ita fieri poſſe negat quidem Soarez tom. 3. diſput. 30. ſect. 1. fol. 366. oſtendit tamen res ipſa

B & exempla Symmachi, & eorum quos *Barcuzibas* ſecundò circumcidit apud Thalmudicos ca. 5. *Gatin*, & Epiphanium loco citato. & tum non malè ſecunda diceretur circumciſio: ea tamen Iſraelitas è Ioſue circumciſos fuiſſe, dici non poteſt. quia attractio illa ſummo Iſraelitas omnes iſtos ſcelere obſtrinxiſſet, ob quod non minùs quàm eorum Patres terra indigni promiſſa, & præſentiſſimo digni exitio fuiſſent. Fiebat enim vt loco cit. loquitur Epiphan. πρὸς ἀπαρνησίαν, καὶ ἀφανισμὸν τοῦ τῶν πατέρων χαρακτῆρος, id eſt, *ad ipſius*

C *Dei negationem, & Patrum characteris abolitionem.* Quam faciebat nemo, niſi à vera religione trāſfuga, planeque impius & conſceleratus, vt ſunt, qui à Gallis & Italis (infandùm) hodie vocantur *Renegati*. At quomodo tantum, tamque horrendum & execrabile facinus tot in ſolitudine annos inultum tuliſſet Dominus? Quomodò contra id neque Moyſes, neque Ioſue hactenus quidquam egiſſent, mutiiſſent? *Tertia* porrò *ſententia*, circumciſionem etiam admodum impropriè accipit. Nam *periah* illa non circumciſio,

D ſed eam ſubſequens actio eſt. Sicque poſſet etiā *tertia* poni circumciſio, ipſa ſcilicet *metſiah*, imò quamcumque acceſſoriam actionem aliam poſſet quis circumciſionem appellare v. c. illam, etiam, quam eos aliquando adhibere vidi; vini in iam circumciſi infantuli os infuſionem, & delationem ante *Thorah* in Synagoga, & precationē, aliaque ſimilia. vt ſic *quarta* & *quinta* etiam circumciſio fieret. Sed verbo vt agam; hiſce Iſraelitis vel iam antea in eremo abciſum erat præputium, vel non. Si erat, ergo cultris, & quidē

E tam acutis opus iam non fuiſſet. Pellicula enim tantum diducenda & replicanda fuiſſet. Nam & hodie vnguibus illam faciunt circumciſores. quibus pollicum idcirco vidi vngues longiores. Si non; ergo vera iam circumciſio adhibita fuit. & nondum enodatus nodus, cur ſecūda nuncupetur. Eſt in hac etiam ſententia id difficultatis, quod explicari deberet, cur ſine *periah* fuiſſet antea facta circumciſio. præſertim cùm dicant ipſi Iudæi eam huic non neceſſariò quidem connexam eſſe: connecti tamen, vt decentiùs & saniùs

F pelliculæ extremitas maneat, prout q. 12. loquitur Abulenſis. Dicit quidem Thalmud tract. *Iebamoth* cap. 8. & in Eleazari capitulis, Abrahamo non fuiſſe traditum perfectum circumcidendi modum: ſed nunc ipſi Ioſue. At licet, quoad allegoriam id à vetuſtiorib. Rabbinis veriſſimè, vt infrà dicetur; aſſeueratum ſit, à recentioribus tamē quoad verba non rectè accipitur. Quis enim magno illi gentis Iſraelitarum patriarchæ, ſummo Dei amico, primo & circumciſo & circumcidendi veram corporeæ huius circumciſionis

Digitized by Google

rationem diuinitus traditam neget? Quis Iſaaco & Iacobo? Quis Moyſi & Aaroni? concludendum igitur nullo modo eoſdem ſingulos homines bis circumciſos dicendum fuiſſe.

Caput opinionum alterum eſt, vt *reſpectu* non ſingulorum, ſed *populi totius* circumciſio ſit ſecunda. Verùm populus iſte, vel conſideratus alius & alius, vel vnus & idem. *Alius* quidem cùm aiunt nonnulli, ea nocte, qua ex Ægypto emigratum; Ægyptiorumque quàm plurimos ſimul circumciſos fuiſſe. Sicque circumciſionem Iſraelitarum, quæ à Ioſue adornata, vocari ſecundam, quia per eam ſimul etiam Ægyptiorum quã plurimi circumciſi. Sed quomodo nox illa tot & tam variis negotiis & curis occupata potuit in tam multorum circumciſione conſumi? Cur in ipſo itineris, & itineris celerrimè conficiendi articulo tam multi vulnerabantur? Quomodo progredi poſtea potuiſſent? *Vnum* alii & ſolum Iſraeliticum populum ſpectant, dicuntque ipſorum quidam *primo* eadem illa emigrationis nocte Iſraelitas, quàm plurimos circumciſos fuiſſe. at eodem, quo qui tãtùm Ægyptios circumcidebant, modo refelluntur & hoc inſuper argumento, quòd afferẽda cauſa eſſet, cur in vltimam illam noctem tam multorum tam neceſſaria diuinæ legis teſſera, gentiſque character dilatus? An vetuerat Pharao? Nuſquam dicitur. An Iſraelitarum ipſorum incuria, vel diuini præcepti contemptus fuerat? Neque hæc circumciſionis cauſa vſquam inſinuatur. *Secundò.* Aliter D. Auguſtin. q. 6. in Iſraelitico ſcilic. populo alios circumciſos fuiſſe, alios non, & hos quidem. vel in ſolitudine natos, vel ex Ægypto egreſſos fuiſſe. poſteriores tamen iſtos & contemptæ circumciſionis, & peccatorũ aliorũ pœnas triſti exitio luiſſe: illos verò iſtorum natos Ioſue iam auctore circumſectos. ſicque ſecundam dici circumciſionem, quòd idem populus reſpectu quorundam eſſet circumciſus, aliorum reſpectu iam circumcideretur. *Vnus, ait, & idem populus erat in quibuſdam circumciſus, in quibuſdam non circumciſus. Ideo dictum eſt, Iterum, vt circumciſus iterum circumcideretur, non homo, ſed populus.* Et paulò eſt. *Nullus bis, numero vnus, homo, eſt circumciſus, ſed populus, qui iam fuerat in quibuſdam circumciſus, in quibuſdã verò adhuc incircumciſus erat.* Subtilior eſt expoſitio. neque tamen ſatis fortaſſe conſentanea. In eodem. n. populo erant alij ætate iam adulti, alij minores, ſed qui adoleuerunt poſtea, nunquid rectè dicitur idem populus iterum adoleuiſſe, Et ſi dicitur, nonne centies deinceps dici poſſet adoleſcere, itemque circumcidi? Semper. n. magno in populo eſt rerum ſucceſſio & perpetuatio iſtiuſmodi. Quin eodem die, eademque hora dici poſſet ſecundò tertiò quartò & quintò, vel ſæpius idem populus edere ac bibere. quia in eo quidã iam edunt, alii nondum: ſed alii & alii poſt alios. *Tertio* facilius, & veritati ſimilius eſt, quod attulit Lyranus & ferè approbat Maſius, circumciſionem hanc dici ſecundam *ſolennem* ſcilic. ac multorum ſimul capitum publicã. eam verò primam fuiſſe, quam ſe, ſuaque domo tota circumcidenda olim adhibuerat Abraham Geneſ. 17. At non ſecunda, ſed tertia foret circumciſio hæc. Nam Gen. 34. nonne ſolemnis &

A multorum & publica ea fuit, qua Sichem vrbis ciues omnes, eorumque filij circumciſi fuerunt? Nonne in Dei populum Abrahæque ſacra palã illi tranſibant? Et multo magis tertia vel quarta potius dicenda foret; ſi verum eſſet, quod è Iudæis Ralbag, è noſtris libro contra illos Tertullian. docet; magnam Iudæorum multitudinem in Ægypto cæremoniam iſtam omiſiſſe: Sed Moyſen in via ſuo periculo edoctum, omnes illos ſimul circumcidiſſe. *Quarto.* Radakius verò non præteritam aliquam circumciſionem reſpicit, B ſed in hac ipſa iteratos circũcidendi actus. Alii enim poſt alios circumcidebantur. At iſto modo, quoties quodam temporis ordine circũciderentur plures, toties ſecunda eſſet circumciſio. Sed quid ni tertia, quinta, ſexta, & ita deinceps, prout plures aut pauciores ſuccederent? Et in Abrahami ac Sichemitarum circũſectione fuiſſet etiam pari modo ſecunda.

Dicendum igitur in textu noſtro Latino vocari ſecundam, non ita tamen numeri habita ratione, vt alia eſſe poſſit tertia, quarta, & deinceps: C ſed ratione iterationis tantùm & repetitionis, poſteaquam iſte circumciſionis ritus aliquanto temporis interuallo penitus intermiſſus fuiſſet. ita vt *ſecunda circumciſio*, ſit idẽ, quod *iterata, repetita*, longoque interuallo reuocata & renouata. Probatur primo ex cauſa ſubiuncta verſu. 5. 6. 7. dum ait, olim, & quidem in ipſo Ægyptiaco exceſſu, fuiſſe circumciſos Iſraelitas, ſed diſtitiſſe hunc in ſolitudine ritum. neque tamen penitus omittendum: ſed repetendum iam & conſueto more vſitandum. Secundo. Hoc D ſignificat etiam verſio 70. in qua eſt, ἐκ δευτέρου, quod apud Auguſtinum loco citato ſemper vertitur, *iterum*. Tertiò. phraſis Hebræa meram iterationem ſignificat verſu. 2. *Reuertere, circumcide filios Iſrael ſecundò.* Nam illud, *reuertere, circumcide*, idem valet, atque *repete circumciſionem*, illam in vſum reuoca *reuertere in priſtinum illum circumcidendi ritum*. Pro שוב tamen id eſt, reuertere, videntur 70. legiſſe שב *ſede*. Quia verſu 2. aiunt καθίσας περίτεμε. & quod additur, *ſecundò*, idem eſt ac *rurſum*, vel *iterato*. Nam שנה valet *iterare*. E Ideoque iteratio hæc requirit vſum priorem, qui poſtea interruptus ſit, & rurſum inchoetur, ſiue inchoetur propriè ſecundò, ſiue tertiò aut quartò, & deinceps. Etiamſi enim eſſet iteratio centeſima, eſſet tamen iterata, & modo iam explicato, ſecunda. de eaque dici poſſent eadem verba, quæ Ioſue hic à Domino dicta ſunt verſ. 2. Non firmat quidem argumentis, ipſa tamen re affirmat hoc Abulenſis q. 15. & 43.

QVÆSTIO II.

F *An totos quadraginta in ſolitudine annos, intermiſſa fuerit circumciſio?*

TRes potiſſimæ *opiniones*. *Prima* eſt Abulenſis quæſt. 23. fuiſſe totos illos quadraginta annos intermiſſam circumciſionem. Secunda R. Iſmaëlis apud R. Eliezerem cap. 29. fuiſſe quidem circumciſos, ſed abſque peritia, ſeu præputii retectione. Sed hæc ſuperiore iam quæſtione iam eiicta retectio *Poſtrema* ſeu tertia Maſii eſt. *Neque vero*, ait fol. 80 *dubitans dixerim*, in

Digitized by Google

in ſtatiuis illis ad montem Sinæum, in quibus cum ob A
legem diuinitus accipiendam, tum ob conſtruendum
ſacrarium Dei & tabernaculum fuit morandum, vt
Paſchata de more agitarunt Iſraelitæ, ita & circumci-
diſſe quoque ſuos liberos, quotquot vel illis 47. diebus
quibus ex Ægypto illuc peruenerant, vel interea
dum inibi hærerent, fuerant editi in lucem. Quibus
in verbis non ipſa tantùm eius opinio negans
apparet, ſed eiuſdem etiam duplex confirma-
tio. Nam *primò* cùm ad Sinaï montem non pau-
cis aliquot diebus aut hebdomadibus, ſed anno
ſi 12. vel 13. dies excipias, toto hæſerint, cauſæ B
eſſe quidnam potuiſſet, vt tam neceſſariam,
tantoque tempore iam inde ab Abrahamo in
mediis etiam Ægyptiorum odiis & furoribus
cuſtoditam cæremoniam nunc omitterent? An
initum cum Abrahamo fœdus iam in Sinæa iſta
ſtatione non renouabatur, imò ſtatuebatur, &
variis legibus, interpoſitoque ſanguine firma-
batur & ſanciebatur? Quo igitur tempore da-
tum Abrahamo diuinitus præſcriptumque ri-
tum diligentiùs & religioſiùs obſeruare debue-
runt? *Secundò.* Alium non ita pridem in ipſo C
Ægyptiaco exitu inſtitutum ritum, Paſcha ſci-
licet, ab iis non omitti, ſed magna religione a-
gitari voluit Dominus Num. 9. verſu 1. quomo-
do circumciſionem, quæ longo iam vſu omni-
bus neceſſaria ſciebatur, præteriri paſſus fuiſſet?
Nam & idcirco de ea, ſicuti de recentiore Paſ-
chatis cæremonia, nihil videtur fuiſſe neceſſariũ,
vt moneret Dominus, quòd priſtinum illa cur-
ſum teneret. Adiicit verò idem ſcriptor *tertiam*
vel vltimam *rationem*. Dicit enim hoc ipſo cap. tex-
tus verſu 5. non fuiſſe circumciſos Iſraelitas *in*
itinere in egrediendo, ſiue dum egrederẽtur ex Æ- D
gypto. Quod verò in ſtatiuis eſt actum, neque
iter proficiſcendum, neque in itinere actum cẽ-
ſeri debet.

Equidem valdè iſta dici probabiliter, negare
non poſſim, vt tamen, ne tum quidem circum-
ciſos vllos arbitremur, videtur potius ipſe tex-
tus hortari. Nam *primo* ſignificat verſu 6. & 7.
totos quadraginta annos, quibus in deſerto huc
illuc itum & hæſum eſt, neminem circumciſum
fuiſſe. at anni tantùm forent XXXIX. Neque e- E
nim hic, vt à poſiti numeri proprio vſu vel tan-
tillum recedamus, cauſa vlla cogit, prout ſuprà
cap. 4. par. 2. quæſt. 2. fiebat *Deinde* verſu 5. & 7.
duo quaſi circumciſionis factæ termini ſtatuun-
tur. Vnus *in Ægypto*. Nam qui illinc egreſſi,
poſuerant omnes præputium. Alter iam *in Cha-*
nanæa: quando factum ſimiliter. Interiectis igi-
tur annis circumciſus nemo. *Tertio* clarè verſu
5. ait Hebræus. *Omnis populus eos, qui nati ſunt in*
deſerto, in via, in egrediendo ex Ægypto non cir-
cumciderunt. id eſt, Nemo quemquam in deſerto F
circumcidit. Neque obſtat, quod argutiùs no-
tabat Maſius, eos, qui *in ſtatiuis* eſſent, non dici
in via, neque *in egreſſu*. Nam ſanè totum & loco-
rum & temporum ſpacium, quod inter Ægyp-
tum & Chananæam fuit, ſolet iſto modo paſſim
deſcribi. Quia enim etiam, dum alicubi ſta-
tionem habebant, aliò tendebant, neque ibi
quæſita ſedes erat, *in itinere & profectione* dice-
bantur. Quemadmodum qui aliam in vrbem
proficiſcitur, etiamſi in diuerſorio aliquo ci-
bum capiat, pernoctet, aliquo etiam morbo vel
cauſa quapiam alia impeditus paulò commore-
tur diutiùs, eum tamen *in via* eſſe, alioque profi-
ciſci nemo inficias ierit. Neque verò ab iſta
ſententia nos abducunt, alia quæ indicauit Ma-
ſius. Nam de *cauſa*, ob quam tanto tempore fue-
rit cæremoniæ huius intermiſſio, dicetur quæ-
ſtione ſequenti. *Paſchatis* verò agitatio illa ideo
facta, & ipſo quidem DEI iuſſu, vt, quia, vti di-
ctum; recentiſſimus erat ille ritus, neque, niſi
ſemel, antea vmquam obitus, ipſa nunc itera-
tione magis inculcaretur, doceretur, & in mo-
res induceretur. Secus de circumciſione. Quia
enim antiqua iam, longoque vſu roborata &
conſtabilita erat, periculi nihil erat, ne, aliquot
licet annos interrumperetur; concideret, aut
dediſceretur, præſertim cum & circumciſi ſem-
per eſſent ſuperſtites complures, nõnulli etiam
circumciſores, de quibus infrà q. 7. Imò ex eo
quòd Paſcha tum præceperit Dominus, de cir-
cumciſione tacuerit, poſſet non improbabiliter
colligi, eam ne adhibitam quidem tunc fuiſſe,
præſertim cùm fateatur Maſius, illius curſum,
iam ab Ægypto adusque Sinæa ſtatiua hæc in-
terciſum.

Quod ſi verò ab accurato annorum 40. nu-
mero diſcedendum eſſet, poſſet è textu verſu 6.
& 7. dicere alius, tum primò circumciſionem
deſtitiſſe, poſteaquam in Cadesbarne peccarunt
in exploratorum reditu Iſraelitæ. Tunc. n. pri-
mò iis horribilia illa funera & ſtrages, quarum
hic mentio, interminatus eſt Dominus Num.
14. verſu 30. & ſeq. ideoque, & tum primò pro-
priè in peremptorum Patrum locũ filios, prout
hic dicitur, ſuffecit & excitauit. Quid autem di-
co *poſſe hoc alium dicere*? Imò iam dixit *Caluinus*
fol. 20. qui tamen primo & ſecundo contra ſe-
cundam opinionem argumento ſatis refellitur.
Diſertè verò ſub finem lib. 1. Comment. in Ga-
laticam S. Hieronymus; *Per quadraginta*, inquit,
annos in eremo nullus eſt circumciſus.

QVÆSTIO III.

Ecquæ intermiſſionis eiuſdem cauſa?

MVLTIPLEX afferri ſolet cauſa. & *prima* qui-
dem à Radakio, & ante ipſum à Thalmu-
dicis Rabbinis tractatu *Iebamoth* ca. 8. intermiſ-
ſam ab Iſraelitis circumciſionem, quod totos
40. in deſerto annos nunquam flarit ventus Bo-
reas. Cum enim ſoleat is collectas diſſipare nu-
bes, periculum que fuiſſet, ne & illam, quæ Iſ-
raelitarum caſtrorum Dux & tectrix erat, vnà
difflaret, ideo ne flaret vetuiſſe Dominum. Eſt
autem ventus iſte quàm nubibus inimicus, tam
vulneribus & plagis amicus, vt eius aura facilè
poſſint illę curari & coaleſcere. obeamque cau-
ſam eum à circumciſuris Iudæis obſeruari, vt
oportunam circumciſæ peni medicam vim af-
ferat. Fabulæ ſunt. An, quam tuebatur & gu-
bernabat Angelus, à Borea diſſici poſſet illa nu-
bes? An non ſunt alii eo vehementiores venti,
in illa præſertim ſolitudine? An ſi natis infanti-
bus octauus adſit dies, neque flet Boreas, diffe-
renda circumciſio? Et quid illis in locis fieret, ad
quæ non peruenit, Ariſtotele teſte, Boreas? Do-
cent quidem eſſe ventorum alios aliis magis aut

Digitized by Google

Vbi, ait, liberati ſunt ipſi ab Ægyptiorum ſeruitute, & degerunt vitam in deſerto, non poſtulauit vt hæc lex ſeruaretur, neque pœnas transgreſſionis exegit: quoniam apud ſe viuebant, non permixti nationibus alienis: non egebant ſignaculo circumciſionis. At vero poſtea cùm introduxit illos in terram promiſſam, circumcidi præcepit, ne per conuerſationem cū extraneis pietas labefactaretur. Si enim contigerat quempiam decipi, facile erat perſpecta nota in gregem recipi: ſicut oues aliquo ſigno notatæ ſi errent, reperiuntur. Et Damaſcenus lib. 4. de fide cap. 26. *Circumciſio,* ait, *ante legem poſt benedictiones, ac pollicitationem data eſt, tanquam ſignum, quod eum liberoſque ipſius ac vernas à gentibus quibuſcum degebant, diſcerneret. Argumento eſt, quòd cùm Iſraelitæ* 40. *annis in deſerto ſecum ipſi ſeorſim verſarentur, nec cum vlla alia gente commercium haberent, ex iis, qui in deſerto nati ſunt, nullus omnino circumciſus eſt. At poſtquam Ioſue Iordanem eos traiecit, tum denique circumciſi ſunt, extititque lex ſecunda circumciſionis. Nam tempore Abrahæ lex circumciſionis data eſt. Deinde* 40. *annis in deſerto ceſſauit. Ac ſecundo rurſus DEVS circumciſionis legem poſt tranſmiſſum Iordanem Ioſuæ dedit. Etenim in libro Ioſuæ ita ſcriptum extat: Sub hoc autem tempus, dixit Dominus Ioſuæ. Fac tibi cultros lapideos ex petra acuta, & ſedens circumcide filios Iſrael ſecundò.* Et paucis interiectis. *Quadraginta annis & duobus verſatus eſt Iſrael in ſolitudine Battaritide: ob eámque cauſam incircumciſi erant ex ipſis filii multi bellatorum, qui egreſſi fuerant è terra AEgypti, qui DEI mandatis minimè paruerant: quibus etiam affirmauit eos haudquaquam viſuros terram illam bonam, ac lacte & melle fluentem, quam Dominus Patrib. eorum iureiurando ſeſe daturum receperat. In eorum autē locū filios eorum ſuffecit, quos quia per viam minimè circūciſi fuerant, Ioſue circumcidit. Ex quo perſpicuum eſt, circumciſionem ſignum extitiſſe, quod Iſraelē à Gentibus quibuſcum verſabatur, diſtingueret.* D. Hieron. ſub finem li. 1. Cōment. in Galat. c. 3. cùm vt ſuprà citaui q. 2. dixiſſet, neminem in eremo circumciſum; ſubdit: *Soli quippe ſine gentis alterius admixtione viuebant. Statim vt Iordanis ripam tranſgreſſus eſt populus, & in Palæſtinæ terrā, Iudæum ſe examē infudit, circumciſio neceſſaria, futuræ ex commixtione Gentium prouidit errori.* Verùm *Primò* cùm lex aliqua eſt, cui officia & fines plures propoſiti, non idcirco vim illa, vinculumque ſuum remittit, quia finium illorum ceſſat vnus aliquis. Ob alios enim, qui vigent adhuc & vrgent, ea lex ſeruanda. Iam verò non ſola Iſraelitarum à populis aliis diſtinctio circumciſionis legi propoſita eſt, ſed alia etiam plura, de quibus in Geneſ. 17. cùm illius finis explicaretur, dictum eſt; præſertim verò cultus diuinus, & originarii peccati expiatio. *Deinde* etiamſi vnum tantummodo finem haberet lex quando tamen is negatiuè tantùm, vti Theologi dicunt; ceſſat, illius obligatio non diſſoluitur. *Tertiò* ne in Iudæa quidem ſua, poſteaquam bellis compoſitis, hoſtibuſque omnibus ſubactis & exterminatis, eam tranquillam poſſediſſent. circūcidit eos oportuiſſet. Nulla enim tūc iis permixta gens; nulli, à quibus internoſci opus foret; adiuncti ad tempus ſaltem aliquod. Nam & Ioſephus lib. 1. contra Apionē, Iudæos eo ipſo deprædicat, quod in terra ſua puri ſint, & omnis aduenarū colluuionis expertes, idque quia *cum aliis gentibus nulla iis* ἐπιμιξία, id eſt, *permixtio ſit.* Et ſanè ſi circumciſio, non vt eſt diuini cultus & obedientiæ ſymbolum conſideraretur, parum apta Iudæos ab aliis diſtinguēdi nota videri poſſet: cùm alii eâdem inſigniri poſſent, neque ipſa poſtea inſigniti ſint complures, vt Ægyptij, Arabes, alij, de quibus Geneſ. 17. Deinde verò etiam, quia non in fronte, vultu, pectore, brachiis, aliaue parte honeſta, facileque conſpicua, ſed in ea, quam vel verbo retegere ac monſtrare inſitus à natura vetat pudor. Vide quæſt. 56. Abulenſem. Quod ſi verò fieret, vt Iudaiſmum gentes amplecterentur, nulla tum circumciſionis foret neceſſitas.

Septima igitur apud D. Thomam 3. par. quæſt. 70. a. 4. Abulenſem quæſt. 20. 57. 59. Maſium, Pererium, l. c. & alios, *cauſa* eſt. iuſtum fuiſſe, vt nulla in deſerto reſectione vexarentur infantes, quòd incertum ſemper eſſet profectionis tempus. Cùm enim ſeſe dux commoueret nubes, illicò de repente colligenda erant vaſa, & iter accipiendum. Id verò iis, qui circumciſi tum fuiſſent, vitæ periculum creaſſet maximum. Si enim Geneſ. 34. circumciſionis huius dolor tertio die viros valentes, ipſaque in ætate robuſtos ita fregit ac debilitauit, vt à duobus Iacobi filiis ciuitas integra deleri & contrucidari potuerit, quantus dolor, & quam præſens diſcrimen tenellis, quos itineris labor concuteret ac exagitaret, filiolis impendiſſet? Apud Iudæos, etiamnum hodie moris eſt, vt ſi, propter plagæ illius ægritudinem, vnus duoue alicui filii moriantur, poſſit in aliis, quos deinceps ſuſceperit, liberis firmiorem ad circumcidendum ætatem expectare, prout oſtendit Rambam tractatu *Millah* tomo ſecundo. aut verò quis octauo die videatur infirmior quàm, vt tutè circumcidi poſſit, vt Exod. 12. verſu 48. notat Lyranus, & ex eo Abulenſis ibidem quæſt. 57. Quid ergo mirum, ſi in continuo peregrinationis aut motu, aut metu per ſolitudinem non contempta, ſed dilata ſit? Sunt enim ex DEI leges, quas non in naturam ipſam ingenerauit, ſed aut per ſeipſum, aut per ſuos poſtea fert; ita ſuaues, & hominum infirmitati accommodatæ, vt, niſi hoc ipſæmet diſertè, aut certe neceſſarius quidem ipſarum finis pronunciet; nos cum vitæ diſcrimine nunquam obligent. At in circumciſionis lege, neque huiuſcemodi ſeueritas verbis deſertis explicatur, neque ex ipſius fine colligitur. Hic enim & ab infantibus & à natu maioribus obtineri aliter poteſt. Nam illi quidem per illud quod ante circumciſionis præceptum, infantibus adhibebatur, remedium, ab originali culpa liberari, & hi per ipſam etiam animi contritionem, venia donari poterant, quemadmodum ex citata ſæpius in Geneſ. 17 diſputatione, noſtroque Soarez tomo. 3. diſputat. 30. ſect. 1. perſpicuum eſt. Potuit igitur, abſque noxa vlla, tantiſper differri circumciſio, quod certa firmaque commorandi ſedes vel attributa, vel certè indicata eſſet. Arbitror enim ſi certò & exploratè cognouiſſent Iſraelitæ, ſe vel Sinaiticis, vel in aliis quibuſcunque ſtatiuis manſuros; neque nubis vocatu ad iter compellendos, tum de circumciſione cogitaturos

neceſſario fuiſſe. At enim cùm Sinai montis vertex Moyſen teneret, incerti ſemper profectionis erãt Iſraelitæ, prout quæſt.59. etiam docet Abulenſis. Si dicas: veriſimile videri, Moyſi, vt alia tot & tanta, diuinitus patefactum fuiſſe, fore, vt ad montem iſtum tamdiu hæreret, quoad tabernaculum ſuis cum vaſis & ornamentis perfectum; erectum, & conſecratum eſſet, reſpondeo primò fortaſſe nõ eſſe patefactum. Sæpe ſiquidem quibuſdam, à DEO magna quædam reuelantur, & minora celantur. Eodemque modo illud *Iunij* loco cit. ſolueretur, ſi verum eſſet, annos ab Iſraelitis vno in loco plurimos conſumptos, Deuteronom. 1. 46. cap. 2. 13. ſed de hoc alibi. Secundo ſit tamen patefactum, veriſimile tum ſimul ei ſignificatum, vt hoc ne efferret, ſed apud ſe contineret, quo in priſtina itineris cura & ſolicitudine retineretur popul⁹; neque vnquam de longiore vllo in loco ſtatione ſecurus vtramque in aurem dormiret. Atque iſto modo ſi quis intelligeret, DEVM in circũciſionis præcepto tunc diſpenſaſſe, repugnandum haud putarem. Cùm enim nubis motum ignotum incertumque vellet, ſimul etiam videbatur palam dicere, ſe ſuam circumciſionis legem iam non vrgere: facereque illius tamdiu differendæ poteſtatem, quoad eum in locum veniſſent, vbi abeſſet nubes, neque itineris ab illa claſſicum peterent. Si verò propter ſimilæ, thuris, vini, ſimiliumque rerum in deſerto illo penuriam à ſacrificiis, plurium annorum illorum tempore, fas fuit abſtinere, vti quæſt. 21. docet Abulenſis, quidni & propter certæ quietis atque commorationis inopiam, à circumciſione? His verò ritè perceptis & expenſis facile aut negantur aut explicantur, quæ contra iſtam expoſitionem obiicit *Caluinus* f. 26. de quo iterum infrà quæſt. 5. & 11.

Sed omittenda fortè non eſt cauſa quædam, quam tradit quæſt. 2. Theodoretus, ideo circũciſionem fuiſſe nunc omiſſam, vt conſideraremus veteres illos Patres circumciſione præditos periiſſe, horum autem filios circumciſionis expertes in promiſſam terram deductos. *Ita nos*, inquit, *qui ſumus filij, regnum cælorum accepimus; Iudæi verò, qui patrum locum tenebant, bonis æternis exciderunt, & à cognatione patriarcharum ſunt expulſi. Idcirco conueniebat Iudæos intelligere circumciſionem non eſſe rem neceſſariam. Siquidem Dominus* DEVS *prædicens Abrahæ tempus incolatus eius, iuſſit vt circumcideretur: vbi verò liberati ſunt ipſi ab Ægyptiorum ſeruitute, & degerunt vitam in deſerto. non poſtulauit vt hæc lex ſeruaretur, neque pœnas trãſgreſſionis exegit.*

QVÆSTIO IV.

Cur poſt Iordanis tranſitum, circumciſi ſtatim Iſraelitæ?

CAVSA, vt tranſmiſſo Iordane confeſtim circumcideretur Iſraelitæ, ſola illa magna ſatis videatur, quòd ita iuſſerit Dominus, verſu 2. Sed *primò* iuſſio hæc, veteris potiùs præcepti Geneſ. 17. dati renouatio, aut in memoriam re-

A uocatio erat. Iam.n. ceſſabat cauſa, ob quam ſuperioribus in deſerto annis, à ceremonia iſta excuſati fuerant. *Secundò.* Aberat nubes, inſperati, minimeque opinati diſceſſus monitrix & magiſtra: terra erat, in qua figendus pes: caſtra erant, eo loci tamdiu futura, quoad eorum iam duci Ioſuæ videretur. Obuincire igitur iterum Iſraelitas incipiebat vetus illa circumciſionis lex. Monebat etiam anni tempus, vt *paſcha* celebraretur. Celebrari autem & comedi à nemine debebat, niſi circumciſo Exod. 12. verſu 44. & 48. *Tertiò* poſt tam diuturnam peregrinationem vbi quies iam & poſſeſſio
B antiquitus à DEO promiſſa dari incipiebat, æquiſſimum fuit, vt ab Iſraelitis ipſis inciperet eius etiam lex, ritus & cæremoniæ omnes, quoad eius fieri poſſet; obſeruari, vti præcipitur Deuteronom. 12. verſu 8. 9. 10. 11. At omnium iſtorum princeps & initium eſt ipſa circumciſio. Hinc enim Diuus Paulus Galat. 5. verſu 3. *Teſtificor autem rurſus omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ.* In hac igitur promiſſionis terra, peregrinatione peni-
C tus iam abſoluta, Iordane traiecto, caſtris fixis & communitis, ſtatutiſque & firmiſſimè depactis tantarum rerum monumentis ſaxeis; meritò diuini cultus deinceps illic excitandi, perpetuandi, & propagandi auſpicium fit, & fundamentum veluti iacitur, circumciſio. *Quartò.* Ad diuinam gratiam & opem magis magiſque conciliandam quid eſſe potuit aptius, quàm vt omni ũ prima, difficillima & moleſtiſſima religionis cœremonia tãto interuallo, reuocaretur? primo quoque tempore inchoaretur? in om-
D nium, qui hactenus eam experti nunquam fuiſſent, corporibus imprimeretur, altiſſimeque incideretur? Quod, contra Chananæorum ſuperſtitiones, impuritates & Deos, ſignum tolli tunc potuit terribilius & efficacius? *Quintò.* accendebat etiam iſte DEI iuſſus Iſraelitarum animos, vt firmiſſimè confiderent, ſe hoſtium victores, terræque totius domitores & poſſeſſores futuros, cùm ſeſe vltrò ad diuinæ erga ipſum Abrahamum, totamque ipſius poſteritatem beneuolentiæ, adoptioniſque ſignũ
E repetendum à DEO ipſo exſuſcitari viderent. *Denique* non decebat, regionem, in qua omnis vigere deberet ſanctitas & religio, vel paucis aliquot diebus ab iis, qui primi illius quaſi ſatores & cultores eſſe debebant, per præputium pollui & inquinari. Si enim cum filiorum altero præputiato in Ægyptum deſcendere noluit Dominus pietatis Magiſtrum Moyſen, quomodo videret libenter primos cultus ſui hac in terra ſtabiliendi & propagandi auctores, cutitos reſidere diutius? Sed de illo dictum in Exodo. Et
F verò hanc ob cauſam quodammodo inſinuandã vocarunt hic 70. circumciſionem περικάθαρσιν ſiue ipſum circumcidere περικαθαίρειν, id eſt, vt apud S. Auguſtinũ q. 6. vertitur, *circumpurgare.* Hãc verò eandẽ quæſtionẽ aliter ita proponit fol. 88. Maſius. *Sed enim moueri hoc loco poteſt difficilis quæſtio. Cur non potius in campis Moabiticis, vel Iſraolitæ celebrandam à ſe eſſe hanc circumciſionis cæremoniam ipſi ſtatuerint: vel* DEVS *vt illic celebrarent, iuſſerit, vel deuictis duobus potentiſſimis Regibus*

Y Regibus

otium & ſecuritatem ſatis commodam nacti fuerant: præſertim cum religioni & ſancto fœderi congruere atque conuenire magis videretur, vt in ſacræ terræ poſſeſſionem, niſi antè circumciſi, pedem non ponerent. Deinde vbi ex iis, quas attuli, cauſis, primā poſuit, alias tres, quamuis earumdem ſecūda, mearum tertiam attingat, in hæc verba ſubiungit. *Quod verò ad Dei conſilium attinet, quod nulla humanæ mentis acies cõiectura ſatis certa conſequi, nedū explicare vnquam poteſt, præſtituerat ille annos 40. quibus ferrent filij pœnam defectionis parentum in ſolitudine, vt anni reſponderent dierum numero, quibus diebus impij ſpeculatores verſati per Chananæam fuerant: Solitudinē autem vocabat, vt videtur, loca quæuis, quæ inter Ægyptum & Chananæam iacebant: quippe in quibus, tanquam in alieno ſolo, viuendum ipſis eſſet. Tantiſper igitur dum expiata nundum eſſet illa defectionis culpa, circumciſio celebrari non debebat, quæ erat gratiæ diuinæ reconciliatio quædam. Ad hoc conſentaneum erat, vt, cùm iam de integro eſſet veluti inſtituenda circumciſio, id in Chananæa fieret, terra omnibus ſacris cæremoniis dicata, in qua & prima circumciſio fuerat diuinitus inſtituta celebrataque. Præterea ſic meliùs adumbratio cum perfectione congruebat, cum Ioſue in Chananæa, non Moſes in campis Moabitis ſecundam iſtam circumciſionem faceret. Verus enim Ioſue, qui fuit* Iesvs Christvs, *populum ſuum, cùm imperator & dux factus eſſet, initiare cœpit circumciſione nõ manu facta, intra Chananæam.* Sola cauſarum iſtarum prima contentus eſt Abulenſis q.60. D. Hieronymus ſub finē li.1. Comment. Galat. 3. *Quod à* Iesv *duce ſecundo ſcribatur populus circumciſus, ſignificat & in eremo ceſſaſſe circumciſionem, quæ in Ægypto rationabiliter exercebatur, & à Domino* Iesv Christo, *ſpirituali circumciſione credentes eſſe mundandos.*

QVÆSTIO V.

Quinam iteratā iſta circumciſione circumciſi?

Bifariam id in textu explicatur. *Primo negatè.* verſu 4. Nulli eorum, qui ex Ægypto egreſſi ſunt, maſculi, bellatores, iteratò circumciſi fuerunt. quia antequam traiiceretur Iordanis, morte omnes deleti ſunt. & verò quia circumcidi eos nihil neceſſe fuit, quia in Ægypto circumciſi iam omnes fuerant v.5. Notanda verò duo. *Vnum* eſt; hinc haberi nullos ex iis, qui eſſent infra annum 40. fuiſſe circumciſos. quia eiuſmodi omnes extra Ægyptum nati erant. Et iis etiam accenſendi, qui in Ægypto quidem nati, ſed ante diem ab natiuitate octauum elati sūt. *Alterum* per *maſculos* excludi totum fœminarum genus, ad quas vt Geneſ. 17. patuit, nihil ſpectabat circumciſio: per *bellatores* autem remoueri quidquid Leuiticæ ſtirpis eſſet, non quòd è Leuitis, qui in Ægypto nati fuiſſent, iteratò circumciſi vlli ſint: ſed ne comprehenſos eos putaremus ea, quæ adiungitur, mortis pœnâ. Terram enim promiſſionis ingreſſi ſunt Aaronis filii Eleazar, & Ithamar. vti de illo clarè infrà cap. vltim. traditur. & tamen annorū in ipſo ingreſſu erat pluſquam 60. vti ex eius conſecratione & præfectura, quæ in egreſſus anno ſecūdo ineunte facta eſt Exod. 29. & 40. Leuit. 8. Num. 3 colligitur. *Secundo affirmatè* verſu 5. & 8. Illic quidem ſic. *Omnes qui in deſerto nati ſunt, circumciſi fuerunt.* quia circumcidi debebant Geneſ. 17. & circumciſi tamen non erant. idque quia verſ. 6. per deſertum annis 40. ierunt filii Iſrael, videlicet vſque dum, iuxta Domini verbum Numer. 14. morte conſummaretur gens bellatorum, qui ex Ægypto exierant, omnis. Conſummabatur autem, quia non obtemperarant voci Domini, quid iis idcirco iurauit ſe facturū, ne viderent terram illam, de qua idem Dominus eorum Patribus iurarat, ſe ipſam daturum, terram ſcilicet lac & mel fundentem, iiſque affluentem. Horum ego filios verſu 7. pro ipſis excitauit Dominus eoſque circumcidit iam Ioſue, quia cutiti adhuc erant, quòd vt iam dictum; in via ipſos nemo circumciderat. In verſu autē octauo, dicitur *gens tota* circumciſa, vbi, vt ſuprà cap. 3. par. vltim. quæſt. 13. *goi* accipi pro Iudæis videtur, ſed vt ait fol. 83. Maſius, *quia adhuc barbarorum more præputiati fuere.* Ideoque non ſatis capio quid Latina Theodoreti verſio ſibi velit cùm ait quæſt. 3. *Cæterum hiſtoria nos docet, plures in Ægypto natos non fuiſſe circumciſos, metuentibus fortè parentibus infantium interitum, ſi circumcidiſſent illos. Omnes itaque (vt verbo dicam) incircumciſi permanſerunt exceptis paucis: qui nati ſunt in deſerto.* Sunt verò de quibus diſquiritur hic nõnulla.

1. *An illi omnes in diſerto, ipſoque Ægyptiaci exitus tempore nati, vſque ad circumciſionem iſtam iteratam incircumciſi fuerint?* Ridiculum id in quæſtionem vocare videretur, cùm diſertè affirmet textus, niſi Caluinus contra, non omnes incircumciſos manſiſſe affirmaret, ſed eos tantùm, qui poſt ſeditionem & pronunciatam illam à Domino mortis ſententiam Numer. 14. nati fuiſſent. Sed vtri credendum plus? textui an Caluino? Conatur is quidem in commentum ſuum clara textus verba detorquere. Sed, vt expoſita iam illorum ſententia & paraphraſi planum eſt; inuitā prorſus, vt dici ſolet, Minerua. *Hæc ait, cauſa notanda eſt, quòd filij Iſrael vagati ſunt per deſertum, donec tota illa gens aboleretur, quæ* Devm *ſequi abnuerat. Ex qua, meo iudicio, colligere licet, in ſignum maledictionis vel reiectionis ceſſaſſe toto illo tempore circumciſionis vſum.* Bene colligitur ceſſaſſe toto illo tempore circumciſionis vſum, ſed non in maledictionis ſignum ceſſaſſe. Ideoque neque tunc primo cœpiſſe hanc ceſſationem. Vide quæ ſuprà dicta q.3. & Abulenſem q. 48. vbi iam olim hoc Caluini argumentum incidit, & abiecit.

2. *An iidem omnes in deſerto nati hac ſecunda circumciſione circumciſi fuerint?*

Ambigit S. Thomas 4.d.2. quæſt. 2.a.3. quæſtiunc. 1. ad 3. quia incertum eſt, an ex iſtis nulli in eodem deſerto mortui ſint. Si qui mortui ſunt, vtique ad circumciſionem iſtam, quæ poſt Iordanis tranſitum contigit, non peruenerunt, neque aliam vllam prius acceperunt, vt ex dictis hac quæſt. propoſ. 2. & ſuprà quæſt. 1. 2. 3. perſpicuum. Si mortui non ſunt; diſertè omnes, qui nimirum ſuperſtites erant, circumciſos iam fuiſſe affirmat, vti vidimus, contextus.

Digitized by Google

Tota ergo in ea ſita difficultas eſt?

Sint ne ex iis, qui in deſerto nati, in eodem etiam mortui?

Non fuiſſe mortuos *primo* probatur à D. Thoma.l.c.ex Pſal. 104. *Non erat in tribubus eorum infirmus.* Si nulla inter illos fuit infirmitas, ergo neque mors. *Secundo* narrat hoc cap. verſu 6. Ioſue, quinam mortui ſint, & eos tãtum nominat, qui Domini verbo morem non geſſerũt: & in eorum locum ſuffectos à Domino ipſorũ filios aſſerit. Ex his verò filiis, ſi quos abſtuliſſet mors, quomodo in illorum locum eos excitaſſet? *Tertio.* Idem non improbabile cenſet Rupertus in Ioſue c.15.& confirmat ex Deut. c.29. & 32. Eius hæc verba ſunt.

An forte illud aſſirmare licebit, quod inter cætera mirabilia Dei *mirabiliter & hoc fieri potuerit, vt de filiis, qui in locum ſucceſſerunt patrum circunciſorum, nemo moreretur, per 40. annos latiſſimæ ſolitudinis? Dicit enim Moyſes bis: Adduxit vos Dominus 40. annos per deſertum, non ſunt attrita veſtimenta veſtra, nec calceamẽta pedum veſtrorum vetuſtate conſumpta ſunt. Si illud curare dignatus eſt, vt veſtimenta non attererentur, neque calceamenta pedum illorum vetuſtate conſumerentur, quanto magis illud curaſſe credendus eſt, vt nemo illorum immatura morte moreretur? Alioquin quomodo ſtabit quod idem in cantico dicit: Circũduxit eum, & docuit, & cuſtodiuit quaſi pupillam oculi ſui.* Veruntamen horum, quo minùs eorum aliquos, licet fortè pauciores, abſtulit mors nihil obſtat. Nam *primum* illud quod in Iſraeliticis tribubus infirmitatem vllam negat, intelligitur de ipſo Ægyptiaci exitus tempore. In eodem enim verſu antecedit. *Et eduxit eos cum argento & auro.* tum ſequitur. & non erat in tribubus eorum infirmus. In *ſecundo* narrantur quidẽ hic omnes mortui, qui Domino non obedierãt: ſed non ſoli. Deinde illorum mortis mentio fit, qui ob exploratorum murmur deinceps perierunt, non aliorum, qui alia de cauſa naturali, vel violenta interierunt. Et quis putet in aliis, quæ vel murmur illud anteceſſerunt, vel conſecutæ ſunt murmurationibus eorum nullum vnquam fuiſſe, qui in ſolitudine orti fuiſſent? Quis credat ex iis, qui annorum eſſent 20.30. vel plurium, nullius in Moabitidibus fœminis prolapſam libidinem? eorum neminem in illis 23. millibus eſſe, q.1. Corin.10.verſ. 8. cecidiſſe ait Apoſtolus? Neque licet natorum iſtorũ quoſdam abripuerit mors, inde colligitur in parentum locum non ſuffectam ſobolem. Nam ſanè & hoc quotidiè fit, vt parentibus ſuccedant liberi; & ex iſtis tamen emoriantur ſemper aliqui. *Tertium* à me totum ſtat. Nam Rupertus quidem tantùm dubitat & quærit. Prior verò Deuteronomij locus, cũ quæ, præter & ſupra communem rerum curſum, illis conceſſa ſunt, referat, neque tamen de hac iuniorum iſtorum immortalitate quidquam dicat, quis non potiùs eã nullam fuiſſe cenſeat? Si enim calceorum, veſtiumque conſtans integritas narrata, quomodo hominum ipſorum perpetua incolumitas omiſſa? Poſterior aſſiduam Dei de illis curam, eorumque cuſtodiam explicat, ſed non ita tamen, vt nullum attingeret mors. quemadmodum è ſimilibus alibi phraſibus perſpicuum eſt, Prouer.7.v.2.Pſal.16.8.Eccleſiaſt. 17.18. c.29. 16.Zachar.2.8. Cæterùm præter iſtam de quorumdam morte quæſtionem duæ adhuc aliæ sũt quæ an omnes, qui Iordanem tranſierunt, circumciſione affecti ſint, addubitare faciunt. Vna.

An impij tum nulli fuerint, qui vetus hoc ſacramentum contempſerint?

Si fuerunt in deſerto aliqui tam impij, vt idola etiam toto illo tempore coluerint, prout Amos 5.dici videtur, & ſupra etiam quæſtione 3. notabat Rupertus, quid mirum videatur, ſi vel ex Iſraelitis, vel ex ſimul aſcendentibus Ægyptiis in eam aliqui prolapſi ſint impietatem, vt poſt Iordanis tranſitum circumciſionem etiam contemnerent ac reſpuerent? Potiùs tamen nullos eiuſcemodi tum fuiſſe crediderim. Sed ſi qui tam ſcelerati fuiſſent, eos omnes variis cladibus & exitiis, in ſolitudine ipſa, conſumptos, penituſque ſublatos fuiſſe. Nam voluerat Dominus populum ſuum perpurgare, vt in promiſſam ſic terram, ac hæreditatem manu quaſi adduceret. Ideo enim & omnes, vt ſuprà dictũ, ſanctificari iuſſerat. Altera ergo ſupereſt quæſtio.

An ij ſaltem Leuitæ, qui in eremo, & itinere ipſo nati fuerant, ad hoc vſque ſecundæ circumciſionis tempus, circumciſi non fuerint?

Radak & Rabbinorum plerique credunt in eremo quotquot Leuitarum orti ſunt, inibi etiam circumciſos fuiſſe. quia ſcilicet Deut.33.v. 9. laudantur, quòd Domini eloquium, & pactũ ſeruarint. Sed *primò* aliæ tribus nihil omittenda circumciſione cõtra idem Domini eloquium, & pactum commiſerunt. *Secundò.* Quæ ratio effecit, vt à tribubus aliis tum omitteretur circumciſio, eadem prorſus & in Leuiticam cadit. *Tertiò.* Sibi iam Rabbini iſti repugnant. Antea enim q.3. audiebamus, quemadmodum niſi Aquilonaris ſpiraret ventus, circumcidendum neminem tradiderũt, rurſumque quemadmodum ille, totos 40. annos, in Æoli ſeſe antro continuiſſet, neque ſpiraſſet vnquam. Quomodo igitur Leuitas iam circumciſos nugantur? Illa verò, è Deuteronomio, Leuitarum laus ad illud ſpectat tempus, quo in eadem eremo adoratus vitulus, & moſcholatrarum magnus eorum manibus & gladiis numerus conciſus Exodi 33. Ideo enim in eodem Deuteronomii 33. capite, citatis verbis præeunt hæc verſu 8. *Qui* (Leui ſcilicet) *dixit patri ſuo & matri ſuæ: Neſcio vos, & fratribus ſuis: Ignoro illos.* prorſus vt poſt illam cædem Exodi 33. verſ.29. eos iam laudarat Moyſes. *Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino, vnuſquiſque in filio, & fratre ſuo, vt detur vobis benedictio.* idque idem aſſerit lib.2. de Monarchia Philo. Manet igitur, quod textus ait verſu 6. & 7. *omnes,* quibus lucem hanc dedit ſolitudo & peregrinatio, eſſe poſt Iordanis tranſitum, circũciſos. In textu autem Latino ſunt, explicationis cauſa, quædam paulo aliter quàm in Hebræo, vt, *per longiſſimæ viæ circuitus, latiſſima ſolitudo.*

QVÆST.

QVÆSTIO VI.

Quotnam circumciſi fuerint?

PAVLÒ ante hunc Iordanis tranſitum tertia facta fuit populi totius recenſio, eiuſque ſumma inuenta 601730. Num. 26. verſ. 51. Et in iſta ſumma nulli erant è bellatoribus, qui annorum eſſent 61. 62. & vltrà, præter vnum noſtrum *Ioſue*, & *Caleb*. Num. 14. nulli etiam Leuitæ Num. 26. verſ. 62. Ergo in ſumma eadem erant duplicis generis bellatores tantùm, ij ſcilicet, qui, dum ex Ægypto emigrarētur, annorum erant 20. 19. & infrà: & ij, qui conſecutis annis 40. in deſertis locis orti fuerant. Sed priores illi circumciſi iam non ſunt, verùm poſteriores tantummodo, vt ſuprà quæſt. 5. explicatum. Horū autem plurima erant millia, quæ quamuis certo præciſoque numero definiri non queant, poteſt tamen è bona perſpicuaque coniectura iniri numerus, qui aut parum, aut nihil à veritate aberret. Nam totam illam ſummam tres in partes quodammodo tribuere licet. quia vt ſeſe habent ad illam ſummam 20. anni, qui in Ægypto ante ipſum exitum, cum circumciſionis vſu, tranſacti ſunt, ita & ſequentes 20. qui in eremo, iterumque alij 20. ſecuti, id eſt, omnes in eremo 40. abſque eiuſdem circumciſionis vſu. Ergo è ſumma illa tertiam, vt dixi, partem eorum, qui in Ægypto circumciſi fuerunt, eximamus, nimirum, 200576. aut circiter. (Nam in tres præciſè partes diuidere non poſſumus) ſupererunt incircumciſi 41154. aut 41153. Adiiciamus vero ſimiliter Leuitarum, qui eodem Num. 26. verſ. 62. dicuntur 2300. duas tertias, id eſt, 1532. qui ſuperſunt, ſi tertiam inde partem, id eſt, 766. aut duos, qui ſemper ad ſummā totam requiruntur, his adiungendo, 768. ſubducamus; erunt omnes in eremo incircumciſi, & vltrà Iordanem circumciſi, tam ex aliis, quàm ex Leuitica tribu, 42686. hoc modo.

41154
1532.
42686

Adiice nunc etiam eos, qui ad bellatorum numerum nondum venerant, id eſt, qui 20. annorum & infrà erant. & hi eadem proportione 200576. qui ſuperioribus illi 4268. additi, ſummam circumciſorum efficiunt 45262.

QVÆSTIO VII.

A quo tam multi circumciſi?

TRADVNTVR v. 3. & 7. à *Ioſue* circumciſi. F
Sed primò, quomodo tam multis circumcidendis vnus eſſe ſatis potuit Ioſue? tam exiguo præſertim, vt infrà patebit, tempore? Secundò. Nonne circumciſores aut ſacerdotes, aut Leuitas eſſe oportuit? At è tribu Ephraim fuit Ioſue ſuprà lib. 1. q. 1. Reſponderet aliquis, ex diſpenſatione ipſum circumciſoris munus obiiſſe, quia diſertè iuſſiſſet Dominus. Sed diſpenſatione hic nulla opus. Neque enim ſoli Sacerdotes & Leuitæ hoc fungebantur munere, prout contra Caluinum, & nonnullos Pi-

Ioſue.

A ctores. dixi Geneſ. 17. Deinde ſiue adeſſet, ſiue abeſſet, vt ſanè abſuit; diſpenſatio, quomodo vnus Ioſue, quamuis plus, quàm centimanus fuiſſet; tam immanem hominū multitudinem, tam breui tempore, illo modo circumcidere potuit?

Dicendum igitur *primò*, hos omnes à Ioſue circūciſos, non quoad ipſius manum, ſed quoad imperium, monitionem, & exhortationem. Sic enim & ſuprà c. 4. v. 9. lapides poſuit idem Ioſue in medio Iordanis alueo: & v. 20. alios in
B Galgalis. Ideoque iſta Domini vox huic verſ. 2. *Circumcide ſecundò filios Iſrael*: valet; cura, vt circumcidantur, iube, mone, exhortare. Atque id ille fecit. v. 3. Dicēdum *ſecundò*, eum ſua etiam manu quoſdam, vt ſuos domeſticos, & aliquos tribuum fortè aliarum principes. Si enim Abraham circumciſionis præcepto diuinitus accepto, confeſtim *tulit Iſmael filium ſuum & omnes vernaculos domus ſuæ, vniuerſoſque quos emerat, cūctos mares ex omnibus viris domus ſuæ, & circumcidit carnem præputij eorum ſtatim in ipſa die, ſicut præ-*
C *ceperat ei* DEVS Geneſ. 7. v. 23. num in eadem religionis ceremonia ſegnior & cunctantior Ioſue putandus? Dicendum *tertio*, ſimiliter feciſſe *Caleb*. quoad ſuos itē domeſticos, & alios quoſcunque potuit. Et multo magis ipſum *Eleazarum* Pontificem. Dicendum *quarto* circumciſores fuiſſe omnes quotquot in Ægypto circūciſi olim, ſuperſtites adhuc erant, omnes videlicet qui vltrà 40. annum prouecti erant vſque ad 60. expletum, verbi cauſa, qui annorum 41. 42. 43. & deinceps. Horum verò numerum ſu-
D prà per analogiam quandam coniiciebamus è bellatoribus fuiſſe 200576. Ergo ſi eorum quilibet alios duos circumcideret bellatores, tota circumciſorum tunc bellatorum ſumma exiſteret 41154. Verum ex iis qui annum 20. nondum explerant, neque in recenſionis tabulas nomina adhuc dederant, circumcidat adhuc eorum quilibet vnum. & tam bellatores, quàm qui infrà bellatorum ætatem erant, omnes circumciſi fuerint. Et par in Leuitis ratio eſt. imò & in Ægyptiis, qui filios Iſrael aſſectabātur, vt Exod.
E 12. dictum eſt. Dicendum *quinto & vltimo*, fieri etiam potuiſſe, vt paruulos ſuos ipſæ fœminæ ac matres circumciderent. Quod enim fecit in via Moyſis vxor Sephora Exod. 4. verſ. 25. potuerint & hæ hic facere. Ac fortaſſe, vt aliqua facti illius ſimilitudo iam reuocaretur, facta *lapideorum cultrorum*, de quibus infrà, mentio. Talem enim illa olim Moyſis coniux adhibuerat, ibidem.

QVÆSTIO VIII.

Quo inſtrumento circumciſi?
An cultri nimirum lapideis?

SI Latinam verſionem noſtram tantummodo inſpiciamus, verbo reſponderi poteſt; *lapideos* fuiſſe *cultros*. Nam diſertè ita traditur v. 3. Sed ex Hebræo litem mouent aliqui, ita vt de circumciſionis inſtrumento *tres* iam ſint *opiniones*. PRIMA. Nunquam fuiſſe lapideū cultrum, ſed ferreum ſemper aut chalibeum. Ita Rabbinorum plurimi, & è noſtris Arias Montanus ita

Digitized by Google

hoc ipſum caput, ex hæreticis Chytræus, qui
cultros lapideos exponit cultros acutos cote la-
pide. Nam Caluinus quidem, ſtudio forſan, diſ-
ſimulauit. Et quæ illos mouet ratio eſt, quòd
hic & Exod. 4. putent Hebræis nominibus tan-
tùm ſignificari cultros acutos, ſiue vt verbote-
nus dicam, *cultros acierum*. Nam צור Pſalmo 88.
v. 43. *aciem* aiunt ij, & cum iis Genebrardus, ſi-
gnificare, vbi noſter: *Auertiſti adiutorium gladij
eius*. Altera opinio eſt eorum, qui ex hoc loco
& Exodi 4. putarunt proprium ad circumciſio-
nem cultrum eſſe ſaxeum oportuiſſe, idque vel
ſemper, vel certè iam inde ab Sephora, vel
Ioſue hoc noſtro vſque ad Dauidis tempus. Et
in *priore opinionis* huius *parte* ſunt Magiſter lib. 4.
diſtinct. 5. S. Bernardus ſermone 1. de circum-
ciſione. S. Auguſtinus ſermone 141. *In poſteriore*
quidem apud Scholaſticæ hiſtoriæ auctorē He-
bræi, de quibus ipſe ſic. *Fabulantur quidam Hebræi
vſque ad Dauid circumciſionem factam eſſe petra: ſed
quia in deiiciendo Goliatum ferrum loricæ & galeæ ceſ-
ſit lapidi iacta Dauidis funda, quaſi dans ei locum, de-
inceps ceßit lapis ferro in circumciſione*. Tertia de-
mum opinio vult, neque ferreū, aut chalibeum,
neque ſaxeum, aut petrinum eſſe neceſſarium,
aut olim ſemper habitum: ſed, modo quidem
circumciſio fieret; inſtrumentum fuiſſe nullum
præceptum ideoque aliâs quidem ferreum, aliâs
petrinum adhibitum, & hûc quidem in hac ip-
ſa Ioſuana circumciſione. Ita Iuſtinus Martyr
dialogo cum Tryphone, S. Ephrem orat. in 40.
Martyr tomo 3. S. Auguſtinus ſerm. 15. de ver-
bis Apoſtoli cap. 10. D. Thomas 3. part. quæſt.
70. ad ſecundum. Hugo de S. Victore lib. 1. de
ſacramētis, part. 12. Abulenſis Exod. 4. q. & q. 7.
& 8. Maſius fol. 83. Pererius Geneſ. 17. diſp. 6.
quos ego tot & tantos duces ſequor haud inui-
tus. Nam *primo*. cur neque ferrum ſemper,
neque petra ſemper neceſſaria, magnum ex eo
argumentum eſt, quòd in ipſa circumciſionis
lege neutrum ponatur: *Deinde* quòd ferro, anti-
quiſſimis etiam temporibus, vſos Hebræos
conſtet, ex ipſorum Magiſtris, & quibuſdā cir-
cumciſionis cultris, qui alicubi veterrimi ſunt:
rurſumque *ſaxo ſectionem* hanc *factam* planum ei
futurum ſit, qui ſecū animo hæc reputarit. *Pri-
mo*. Hebræum nomen צור cùm in ſcripturis fre-
quentiſſimum ſit, ſemper ſaxum ſeu petram ſi-
gnificat, ſiue propriè, ſiue metaphoricè, vt quā-
do pro Deo, vel *forti* ſumitur; accipiatur. Cur
hoc igitur loco eandē non habeat ſignificatio-
nem? Antecedens illud certum, & ab aduerſariis
etiam conceditur, præterquam in citato Pſalm.
88. Vbi tamē pro *acie* primariò & propriè vt in-
telligatur, nihil neceſſe eſt. Nam ſi vertamus:
Auertiſti petram gladij eius, metaphoricè intelli-
getur, vel id in quo gladij robur & firmitas eſt,
quod ſecundariò, primaria tamen petræ notio-
ne conſeruata, dicetur *acies*: vel id, in quo alicu-
ius robur & ſpes, verbi cauſa, *gladius*. Sicq; vertit
adiutorium gladij non Latinus modò noſter, ſed
& è quibus is accepit, Græcus & Chaldæus tex-
tus. *Secundo*. Iſtud idem Hebræum צור cùm de
circūciſione agitur, clarè vertit Onkelos טינארא
vel טינרא Exod. 4. At iſto ſignificari ſemper ſo-
let petra & ſaxum Exod. 33. Pſal. 77. Iob 28. Vbi
tamen in Syrochaldaico ſuo Boderianus fol. 83.

A monet, perperam in Venetis exemplaribus ſcri-
ptum טורי id eſt, montes. *Tertio*. Eadem voce
Bereſchith rabba dicit olim vſurpatas, *galuin de-
tinari*, id eſt, nouaculas ſaxeas. *Quarto*. Moreh
Nebuchim parte 1. cap. 16. Ioſuanam hanc cir-
cumciſionem duris peractam ſilicibus affirmat.
Quinto. Modus, quo rem iſtam præcepit Ioſuæ
Dominus, huc etiam pertinet. *Fac*, ait, *tibi cul-
tros tſurim*. Sed cur diceret, *fac tibi cultros*, & non
potiùs, *cultros acue*? Cur *cultros acierum*, & non
ſimpliciter *cultros*? Nam ſatis conſtabat, ad illud
B opus eſſe illos oportere non obtuſos. *Sexto*. Et
certè per antiqua eſt noſtra verſio, multo tamē
& ætatis & auctoritatis apud Iudæos maioris
ſunt ipſi, qui è medio ipſorum Synedrio ſcri-
ptutas ante Christvm Dominum, interpre-
tati, Septuaginta. Hi verò hic verſ. 2. ita red-
dunt. ποίησον σεαυτῷ μαχαίρας πετρίνας, & quaſi tergi-
uerſationis omnis remouēdæ causâ in Romanis
correctis additur ἐκ πέτρας ἀκροτόμου. Rurſumque
verſ. 3. καὶ ἐποίησεν ἑαυτῷ Ἰησοῦς μαχαίρας πετρίνας ἀκρο-
τόμους. *Septimo*. Iidem Exodi 4. צור vertunt ψῆφον,
C *calculum*, ſiue *ſilicem*. Quibus igitur fidem demus?
An recentioribus Rabbinis, an his antiquiſſi-
mis? Hos ſanè in epiſtola 143. ſecutus D. Hie-
ronymus de Sphora dixit. *Calculo, id eſt, lapide
duriſſimo, & omni duritate leniſſimo circumcidit*.
Rurſumque ibidē noſtro in textu verſ. 25. vni-
cum illud & monoſyllabum Hebræum nomen
interpretatus eſt, acutiſſimam petram. *Octauo*.
Quas Chaldæus Thargum hoc loco vocauit *no-
uaculas* חריפין poſſumus *acutas* vocare quidem,
ſed non ita, vt negentur lapideæ: quin potius,
D vt quia petræ ſolent acumina quædam habere,
ob earum ſimilitudinem, acutæ vocantur. *Nono*.
Interdum vero certi generis, materiæ, ac formę
cultros ad cæremonias exigi, mirum ei non erit,
qui eum, qui diuina imitari ſolet, diabolum no-
uerit in ſacrificiis ſuis voluiſſe victimarios non
quibuſcumq; cultris vti, ſed iis, quos *dolabellas*
aut *dolabras*, quarum apud Martianum configu-
ratio eſt, vocabant: itemque *ſeceſpitas*, quæ fer-
reæ erant, oblongæ, manubrio eburneo, rotun-
do, ſolido, vincto ad capulum argento, auro que
fixo, clauis æneis, ære Cyprio. Et apud Iudæos
E circumfertur libellus quidem *Secinach*, in quo
mire cultri, quo mactari diuidique debent pe-
cudes ratio tota & figura deſcribitur. Apud eoſ-
dem circumciſorius hodie culter cuſpidem non
habet, cætera cultris aliis ſimilis. *Decimo*. Poſſe
autem ſaxis & præputium reſcindi & cultros
fieri, & aliquando in Orientalibus illis locis fa-
ctos, teſtis primò ille Cybeles ſacerdos, qui
apud Catullum.

Deuoluit ipſe acuto ſibi pondera ſilice.

F Secundò. Iuuenalis Satyr. 6.

Mollia qui rupta ſecuit genitalia teſta.

Tertiò. Herodotus lib. 2. & 3. qui etiam lib.
7. narrat, in Xerxis exercitu Æthiopes fuiſſe ſa-
gittis inſtructos, quibus ἀντὶ σιδήρου ἐπῆν λίθος ὀξὺς πε-
ποιημένος, τῷ καὶ σφραγῖδας γλύφουσι. *Quarto*. Lucianus in
Syria Dea. Quinto. Plutarchus in *Nicia* dicens
fuiſſe, qui in XII. Deorū ara ſibi pudēda deſecue-
rit ſilice. Sexto. Tacit. l. 5. hiſt. Plin. l. 12. c. 26.
Inciditur, ait, *balſami frutex vitro, lapide, oſſeiſue
cutellis*. Septimò. Ioſephus libro 14. capite 7.
τὸ ὀποβάλσαμον μόνον ἀκρέμονος, ὃ τῶν ξύλων τεμνομένων
ὀξεῖ

ὀξῆ λίθῳ, ἀν αχιδῦς ὥσπερ ὅπλοις. Octauò. Quid ipſemet hoc loco Arias? Nonne apud nuper inuentos Occidentales populos cultellos è lapidibus confici teſtatur? Beretarius ſanè noſter in Anno 1594. & 1595. *Denique* tota hæc lapideorum cultrorum inficiatio mihi à Iudæis inuenta videtur, vt pulcherrimam de CHRISTO Domino, qui *vera* circumciſionis *petra* eſt, allegoriam, veterū Patrum explicatione percelebrem, quoquo modo, ſi poſſent, vel euerterent, vel obſcurarent. Sed de ipſa loco alio poſtea quæſtione 14. Nunc illud notandum, *cultros* Hebraico nomine appellari, quod alibi *gladios* & enſes ſignificat: Chaldæo autem, quod *nouaculas*, Græco, quod *machæras* & acinaces. Sed tamen, ex rei ipſius natura ſatis intelligitur, non longiores gladios, & bellicas machæras fuiſſe, ſed minutiores, quæ generatim *cultri* vocantur. interdum etiam *nouaculæ*, quatenus iis aliquid, chirurgicâ veluti manu, deciditur, & quaſi detondetur, præſertim cùm ad hoc opus, non raro tonſores à Iudæis ipſis adhibeantur. Legimus autem apud Ciceronem off. 2. *cultros tonſorios*, & rurſum pro quolibet cultro *nouaculam* apud Columellam libro vltimo capite. 45. cum ait: *Raporum quàm rotundiſſima ſumito, eaque ſi ſint lutoſa, detergito: & ſummam cutem nouacula decerpito*. Quæri adhuc tria poſſent. Primum. Vnde tot lapides, vel tanta, cultris tot, petra? Sed vel huiuſmodi petras in ſolitudine ad cultros aliquando faciendos collegerant, vel ille ipſe, in quo tum erant, ſuppeditauit locus. Theodoretus ſanè quæſtione 3. dicit admodum eſſe veriſimile, illos, qui tot in ſolitudine annos egiſſent, *paucos habuiſſe cultros ferreos, ſed potius petrinos*. Secundum. In Septuaginta quidnam ſunt ἀκρότομοι? Lactantius libro 4. capite 17. *nimis acuti*: ſeu valde acuti. Tertium. Cur Septuaginta non *petrinos* tantum dicant, ſed addant etiam ἀκροτόμους? Putarit fortè aliquis eſſe hic duas iunctas verſiones, quarū vna Hebraicum *petrarum* nomen, verterit *petrinos*, altera verò ἀκροτόμους.

QVÆSTIO IX.

Quando circumciſi?

DICTVM ſuprà quæſt. 4. cur poſt Iordanis traiectionem ilicò circumciſi fuerint Iſraelitæ: nunc dies inueſtigandus. Et primò quidem facta eſſe debuit ante menſis eiuſdem diem 14. quia, vt infrà dicetur; eo ipſo die veſperi paſcha egerunt. Agere autem non potuerunt, niſi circumciſi Exodi 12. Deinde fieri non potuit pridiano ipſius Paſchatis, neque propridiano, id eſt, neque 13. neque 12. die menſis eiuſdem. Quia circumciſionis dolor & quidem is, qui maxime cruciat & debilitat in ſuam paſchalem lætitiam incidiſſet, id eſt, dies à circumciſione tertius Geneſ. 34. Tertio. Non eſt facta ipſo die menſis eiuſdem 10. quia eo, vt ſuprà vidimus, venerunt in iſtam, vbi tum erant, ſtationem poſt meridiem, & quidem ſole iam præcipitante: feruntque tunc in caſtris ponēdis, tentoriis erigendis, aliiſque ſimilibus occupati: etiam in 12. lapidum, de quibus antea; conſtitutione. Quartò. *Facta eſt* igitur *circumciſio hæc die menſis* primi vndecimo. Si enim poſt Iordanis tranſitum, ante diem menſis 14. facta eſt, neque tamen die 10. 12. 13. Ergo 11. Sed eo die num expleta tota? Negat quæſt. 7. Abulenſis. *In vno*, ait, *die compleri non poterat, cùm tot millia Iſraelitarum circumcidendi forent*. Ex iis tamen, quæ quæſt. 6. & 7. dicta, non vno, eodemq; die tantum, ſed vna eademque pœne hora omnes circumcidi potuerunt. Quàm facilè ſiquidem, & quàm velociter vnus & idem tres, quatuor; aut ſex, viros præſertim & iuuenes ac adoleſcentes, qui ad teſſeram illam accipiendam ſemetipſos apparere, firmareque poterant; cædere potuit? Et hoc ſi eorum, qui circumciſi iam erant, faceret quilibet, expeditiſſima res tota fuit, vt planum ibidem factum eſt. Accidit, quod illi, qui non eodem die 11. ſed aliqua diei 12. parte circumciſi fuiſſent, verbi cauſa, horis ante meridianis, ilico die 14. ſub meridiem ſani ac valentes fuiſſent, quaſi præciſè ſtatim atque diei à circumciſione tertiæ hora vltima prçteriiſſet, omnis & dolor & infirmitas abiret. Si autem die 11. facta fuit circumciſio in omnibus, fuit iiſdem omnibus poſt tertium circumciſionis diem nox integra, & totus pœne ſecutus dies 14. quo ſe ad celebrandum paſcha, refocillarent, & languidas à dolore illo vires confirmarent, vt verſ. 8. dicitur. Si quid moræ fuit die 11. tota fuiſſet in cultris illis lapideis concinnandis. At neque in hoc mora fuit magna, cum & petrarum iis nihil deeſſet, & cultros illos non niſi ad neceſſarium vſum aptos eſſe oportuerit, non autem elegantes & politulos, talibuſque cultris potius quam ferreis eos abundaſſe ſuprà quæſt. 7. dixerit Theodoretus.

Sic igitur factum. Cum pro more ſurrexiſſet bene manè Ioſue, preceſque DEO ſuo ſanctè adhiberet, ab eo, vt petrinis cultris incircumciſos circumcideret, iuſſus eſt. Diuinam ilico voluntatem promulgauit omnibus, & ocyſſimè quæſiti cultri, & facti: ocyſſimè, magno cum pietatis ſenſu, & teſtificatione, circumciſi omnes. Et tunc caſus ſemiſiclus cum inſcriptione, *Circumciſionis tempus*. prout diſſerit Villalpandus lib. 2. Appar. de ponder. diſput. 4. cap. 27.

QVÆSTIO X.

Quo in loco circumciſi tum Iſraelitæ?

DVOBVS locus iſte nominibus appellatur. Nam ſuperiore cap. 4. verſ. 19. prout ibi notatum q. 4. & hic v. 9. locus, in quo caſtra iam collata, & circumciſio iſta facta, in Hebraico textu & apud Ioſephum lib. 5. c. 1. *Galgal*, & in Græco & Latino *Galgala* dicitur, interdum etiam apud 70. γολγόλ, Deuteron. c. 11. verſ. 30. & apud Euſeb. lib. de locis Hebraicis. Cur vero dicatur, hic etiam cauſa traditur, *quia opprobrium Ægypti abtuliſſet* ſeu deuoluiſſet *Dominus ab Iſraelitis*. Illud vero cuiuſmodi ſit, aperietur infrà. Sed venit *Galgal* à *galal*, quod valet *voluere*, aut *deuoluere*, ac *remouere*, prout eo etiam verbo in pudendorum ſectione Poëtarū quendam ſuprà q. 7. vti vidimus. ita vt *Galgal* ſit lo-

cus deuolutionis, ablationis, & remotionis. Lyrano autem *Galgal* rota eſt, vel circulatio, *quia pellicula*, inquit, *quæ per circumciſionem abſcinditur, habet figuram circularem*. Ridiculè. & eam, quam attuli, quamque Interpres noſter amplexus eſt, imo quam clare textus commonſtrat; confirmat illud Pſal. 118. *Auſer à me opprobrium & contemptum*. Nam & idem iis in verbis verbum *gal*. Ideoq; nec illa in Chytræo laudanda *Galgalæ nomen ortum, quòd Ioſue ex his caſtris, quaſi ſtatiuis, omnes gentes vicinas, per gyrum debellarit & vicerit, & quaſi circumrotando contriuerit*. At Ioſephus loco indicato σημαίνει, τοῦτο ἐλευθέριον ὄνομα, *ſignificat*, inquit, *hoc nomen, cum , qui liber eſt*. Quod Abulenſi q. 62. & Maſio penitus diſplicet, ita vt hãc iſte interpretationem à Ioſephi, & ſæculi eius in Hebraicis litteris ignorantia profectum autumet. *Neſcio*, ait, *quid Ioſepho in mentem venerit, vt Galgal libertatem ſignificare diceret. Sed ſunt eiuſmodi apud eum virum, cæteroque magnum & doctiſſimum ſexcenta, ex quibus intelligas, quanta fuerit illo ſæculo Hebraicæ linguæ inſcitia atque ignorantia*. Hæc Maſius cum quo & Caluinus ſic. *Quod Ioſephus libertatem interpretatur, vanum & ridiculum eſt. Vnde apparet non minus linguæ Hebraicæ fuiſſe ignarum, quàm ſcientiæ legalis*. Contra hos tamen de inſcitia litigare iam nolim: ſed Ioſephum tamen hic explicaſſe opinor, non propriam & proximã vocabuli huius notionem, ſed eam quã hic à Domino tradi opinatus eſt, dum dixit verſ. 9. *Hodie abſtuli opprobrium Ægypti à vobis*. Hoc enim *opprobrium* eſſe cenſuit *ſeruitutem* illam acerbiſſimam, & calamitatem, qua in Ægypto, & in exitu ex ipſa, per ſolitudinis vaſtitatem, conflictati fuerant. Quia igitur hanc abſtuliſſet Dominus, quiete ac libertate eos iucundiſſima donarat. Sicque idẽ pœne eſt, *à ſeruitutis ablatione* nomen huic loco eſſe impoſitũ, & *à libertate*. Idque etiam ex Theodoreto q. 3. qui Ioſephum ſequitur, colligo. Ideoque adiungit idem Ioſephus. διαβάντες γὰρ τὸν ποταμὸν, ἐλευθέρους αὑτοὺς, ἤδη ἀπὸ τε τῆς Αἰγυπτίων, καὶ τῆς ἐν τῇ ἐρήμῳ ταλαιπωρίας ἐγίνωσκον. Id eſt, *Cum flumen traieciſſent, ſe iam ab Ægyptiorum miſeria, & ea, quam in eremo perpeſſi erant, liberos cognouerunt*. Eodemque fere modo apud Pauſaniam lib. 2. mẽtio fit τῷ ἠλεῶ ἐλευθερίῳ. Quis verò nomen hoc huic loco indiderit, videtur in Hebræo & Græco dici idem, qui & Ioſuæ dixerat, *Abſtuli opprobrium*, id eſt DEVS. Poſſet tamen etiam is intelligi, cui loquebatur Dominus, id eſt, ipſe *Ioſue*. Imo poteſt intelligi, ipſa tota Iſraelitarum multitudo, eorumque vſus. Verbũ enim Hebræum ויקרא *& vocauit*; ſæpe, ait Maſius, *abſq; perſona, cui hæreat, poſitum eſt in ſacris litteris*. Et ideo forſan vertit noſter verſ. 9. quaſi indefinitè. *Vocatumq; eſt nomen loci illius Galgala*. Licet explicari etiam poſſet, *vocatum eſt nomen*, à DEO ſcilicet, aut Ioſue, quorũ erat prius mentio. Ad extremum, quando loci huius nomen hoc ſuprà poſitum fuit cap. 4. v. 19. & 20. ſciendum per prolepſin factum. Nam cùm circumciſio facta nondum eſſet, nondũ etiam iſta verba *Abſtuli opprobrium*, erant à Domino pronunciata, videlicet, quemadmodum dixit de Ænea ſuo Poëta lib. 1.

Italiam fato profugus, Lauinaque venit
Littora.

quæ tamen *Laurentis agri* nomen habebant, non
A autem illud, quod à *Lauinia* Regis Latini filia, de qua l. 7. quam poſtea duxit ille vxorem, tandẽ ſortita ſunt. Alterum vero loci eiuſdem nomen eſt verſ. 3. Hebraicè, *gibgnath hagneraloth*, apud 70. βουνὸς τῶν ἀκροβυστιῶν, id eſt, *collis præputiorum*, de quo in ערל ita Pagninus. *Turpiter ob linguæ Hebraicæ imperitiam hallucinatus eſt Calepinus Ioſuæ 5. verſ. 3. qui pro colle legit, in cole*. Huius autem appellationis rationem affert Rabbi Leui, quod è reſectorum præputiorũ multitudine collis excitatus quidam ſit. Alij vero collem iam antea
B fuiſſe aiunt, ſed quod reſecta præputia in eum coniecta, vel vt vult Abulenſis, condita fuerint, ſic appellatũ malunt. idque indicat etiam Chaldæus. De adiectiuncula illa, *vſque in hodiernum diem*, dictum in libri Prolegomeno ſecundo. D. Hieronymus libr. de locis Heb. cum Golgola deſcriberet: *Cecidit*, ait, *in ſortem tribus Iudæ: & oſtenditur vſque hodie locus deſertus in ſecundo Hiericus miliario, ab illius regionis mortalibus, miro cultu habitus*.

C

QVÆSTIO XI.

Quod Ægypti opprobrium, quod ab Iſraelitis nunc amouit Dominus?

IGnominia Ægypti traditur Iſaiæ 20. v. 4. hanc tamen huc pertinere negat illic Arias, neque aſſerit, quem quidem ſciam, vllus. Ideoque ſex potiſſimum ſunt opiniones. Nam dicunt *primo* quidem, eſſe ſeruitutem, qua vexarant Iſraelitas
D Ægyptij, quamque iis veluti probrũ obiectare conſueuerant. Ita Theodoretus q. 3. & Ioſephus ſuprà citatus q. 9. adiiciuntque apud Maſium nonnulli, ita ſeruitutem hanc ab illis amotam, vt nullo deinceps iure poſsẽt ab iiſdẽ Ægyptiis in eandẽ pertrahi. quaſi aliquot olim iis ius ſeruilis iugi huius imponendi fuiſſet. *Secundo*. Alij alia eorumdẽ Ægyptiorum probra & contumelias in eandem Iſraelitarũ gentem coniectas intelligunt, verbi cauſa, fuiſſe ipſos à DEO ſuo, vel Moyſe deceptos: ex Ægyto, non ad terræ alicu-
E ius poſſeſſionem, ſed ad vagam, inopemque vitam, eductos: variis viarũ erroribus & difficultatibus miſerrimè afflictatos, & in eremo confectos. Ita Ralbag. Huc enim ſpectaſſe videtur Exodi c. 32. v. 12. Moyſes cum Domino diceret: *Ne quæſo dicant Ægyptij, Callidè eduxit eos, vt interficeret in montibus, & deleret è terra*: vel circumciſionem eos tantopere ſolitos prædicare, cum tamen tanto iam tempore ipſam negligerent. *Turpe ſi quidem eſt, Doctorem cùm culpa redarguit ipſum*. *Tertiò*. Aliis ipſum præputium, ſiue in-
F circũciſio eſt hoc, de quo quæritur: opprobriũ. Quod, ſicuti Ægyptiis ſemper, ita Iſraelitis 40. iam in deſerto annos adeſerat. Nam 1. Geneſ. 34. v. 14. vbi noſtra verſio ait, *Non poſſumus dare ſororem noſtram homini incircumciſo, quod illicitum & nefarium eſt apud nos*: Hebraicus textus eodem prorſus, quod hic legimus, nomine dicit, *quia probrum hoc nobis eſt, & Græcus*, ἔστι γὰρ ὄνειδος ἡμῖν. Deinde magni contemptus loco nonne hoc ipſum de Philiſtæis dixit Ionathas 1. Regum 14. & opprobrauit Goliatho Dauid ibidẽ c. 17. Eſt hæc è tribus ipſius Ralbag expoſitionibus prima,

Digitized by Google

ma, quæ Abulenſi etiam arriſit quæſtione 65.
licet eam quæſtione 62. improbaſſet. niſi for-
te ipſum dicamus hoc tantum improbaſſe,
fuiſſe hoc in Agyptios ab Iſraelitis, cum in
Ægypto adhuc eſſent, factum conuicium. Non
enim Iſraelitis præduram tam ſeruitutem *ſer-
uientibus audaciæ*, oriſque tantum affuiſſe. ipſe
autem velut ex Iudæorum ſolum opinione ac
lege in circumciſionem probrũ fuiſſe, quod ta-
citi tamen continerent, neque in Ægypto ef-
ferre auderent. Sed quemadmodum in Do-
minos mancipia interdum muſſitant, illorum-
que aut familiam, aut gentem, maledictis in-
ter ſe præſertim & clam, figunt, ita Ægyptios
etiam in Ægypto quandoque potuerunt Iſrae-
litę incircumciſos appellare. Si Moyſes Ægyp-
tium interficere, cum clam futurum putaret,
auſus eſt Exod. 2. verſ. 12. quis nullum in Ægyp-
tios omnes conuicium ab Iſraelitarum vllo,
vbi occultum & impune futurum putaſſet; cõ-
tortum credat? Duo tamen alia huic ſenten-
tiæ obiicit Maſius. Primò, quod illum Ge-
neſeos locum ita interpretari liceret? *Ea res* ni-
mirum exteræ gentis homini incircumciſio
dediſſe in vxorem ſororem noſtram, *probro no-
bis foret*. Secundò. *Cur Ægypti opprobrium* voca-
retur, cum nulla gens, præter Hebræos, præ-
putia circumcidere ſoleat? Sanè ita Geneſis
locum exponere liceat, ideoque fortaſſis eo
Abulenſis vſus non eſt: alia tamen è Regum
libro firma ſunt. Poſteriorem verò hanc ob-
iectionem vidit tam Abulenſis, quàm Ralbag.
Et ille quidem reſpondet, incircumciſionem
eſſe opprobrium omnium gentium, vocaſſe
tamen hic DEVM *Ægypti opprobrium*, quia cum
inter Ægyptios ſolos commorati fuiſſent Iſrae-
litæ, ſolos quoque incircumciſos maximè no-
uerant. Sed Ralbag habitam vult rationem in-
temperantiæ ac libidinis, ad quam præ cæte-
ris gentibus proni & ſalaces erant Ægyptij.
Nam & Dominus Numeri 18. leges connu-
biorum inſtiturus præfatur; non eſſe Iſraelitis
ſic agendum, vt Ægyptius ſoleret agere. Ve-
rum Maſius; *aliud*, ait, *eſt intemperantem eſſe,
aliud ſanguinis atque affinitatis rationem in connu-
biis non habere, id quod illic Chananæis ſimiliter at-
que Ægyptiis à* DEO *in crimine ponitur, nimirum
quia Iſraelitæ, quibus leges ille dabat, nuper Ægyp-
tum relinquerunt, atque ad Chananæos ibant.* Poſſet
fortaſſe contra ſententiam iſtam obiici argu-
menti ſuperioris contrarium, non poſſe ſcili-
cet præputium vocari *Ægypti opprobrium*, quia
illud circumciderunt Ægyptij Ierem. 9. & qui-
dem Herodoto, libro 2. teſte, ante Iudæos ip-
ſos. Equidem poſterioribus temporibus vſita-
tam Ægyptiis circumciſionem fuiſſe docui
Geneſ. 17. Sed neque antequam Iudæis in vſu
foret, neque illo etiam tempore, cum ex illo-
rum finibus hi egreſſi; apud illos hic adhuc ri-
tus. Num quæ ante Abrahamum vſquam cir-
cumciſio? Quæ huius, niſi per illum, illiuſque
poſteros, propagatio? Et ſi iam proles ſuas mu-
tilaſſent Ægyptij, quomodo ſecundum Theo-
doretum Moyſes ex Hebræorum ſobole fuiſ-
ſet in aquis agnitus Exodo 2. Contrarium er-
go fuit Herodoto ſcribendum, ab Phœnicibus,

A vel Iudæis accepiſſe circumciſionem Ægyp-
tios, non ab his illos: ſed ei vel eius, quod au-
dierat; obrepſit obliuio, vel fucus ab Ægyp-
tiis factus. quibus eadem de re fidem etiam ad-
iungere maluit Epicureus Celſus, quàm Moy-
ſi, vti notat lib. 1. contra ipſum Origenes. *Quar-
tò*, Probrum hoc aliis eſt ipſa Ægyptiorum re-
ligio vel ſuperſtitio potius. Sed explicatur va-
riè. Tradit primò Iudæorum liber, qui *Exodus
magna* dicitur; & ex eo Ralbag, per circumci-
ſionem præparatos à Domino Iudæos ad Paſ-
B cha; cuius religione ac ritu proterebantur ina-
nes Ægyptiorum ſuperſtitiones: cum illi *Arie-
tem* colerent, eumque igne armatum crederent:
è contrario autem Iſraelitæ arietes mactarent,
ignique aſſarent, ac deuorarent. Quæ enim Dei
huius cultui ſecuris impingi potuit acutior?
Secundò. Alij *arietem*, quem eo anni tempo-
re ſol peragrat; ex Ægyptiorum ſententia ma-
ximam in cœlo vim obtinere dixerunt: huic ve-
rò ſententiæ, iugulum quaſi abſcindi, dum iuſ-
ſu DEI ab Iſraelitis in Paſchate iugulatur aries,
C percoquitur, & eſu conſumitur. Tertiò. Qui-
dam, vt in *Leuitico magno* R. Haddarſan, & ex eo
Raſchi, obnuntiaſſe Pharaonem abituris Iu-
dæis dira omnia, & imprimis funeſtiſſimam
perniencioſiſſimamque ſanguinis effuſionem,
quam minaretur aſtrum, cui nomen רעה id eſt,
malum, & in quo exirent, prout à Moyſe ag-
noſcitur Exodi 32. verſu 12. Nunc verò cum
fuſus in circumciſione ſanguis ſit, & ad ea, quæ
promiſſa maioribus, & ipſi maximè Abraha-
mo, bona ad ſummum gaudium & felicitatem
D adeundam, reſeratum iam limen, quomodo
non tollitur probroſa illa Pharaonis, Ægypti-
que totius obnuntiatio? Placuit hoc Lyrano.
quem idcirco quæſtione 63. flagellat Abulen-
ſis. Attamen in probro iſto explicando me-
minit Theodoretus quæſtione 3. *religionis*; ſed
alia longè mente. quòd videlicet omnis Ægyp-
tiacæ impietatis vel contagio vel ſimilitudo
potius amputata & circumciſa iam videatur.
Atque huc etiam fortè reſpiciunt duæ adhuc
aliæ, quæ ſuperſunt expoſitiones. è quibus al-
E tera eſt numero *quinta*, & à Maſio ipſo prodi-
ta, fuiſſe hactenus in Ægypto, & exitu toto Iſ-
raelitas, quaſi Ægyptios, ipſo ſcilicet vitæ vſu,
& circumciſionis imitatione. Hoc totum nũc,
tanquam probrum quoddam eiici. *Sexta*. Iunijs
eſſe probrum hoc, ipſam circumciſionis omiſ-
ſionem, quæ Ægypti dicatur, quia eam ob cau-
ſam omiſſio iſta contingit, quòd in Ægyptum
redire improbro, inſanoque deſiderio percu-
piiſſent Hebræi. cumque reipſa redire non po-
tuiſſent, animo tamen id ſemper ſpiraſſe, præ-
F que ſumma & non Iſraelitis, ſed Ægyptiis po-
tius dignâ peruicaciâ deſtitiſſe à circumciſio-
nis officio. Sed ſuprà quæſtione 3. refutatum
hoc.

Ego primò puto animaduertendum, *probri*
vocem hanc in ſcriptura inueniri dupliciter,
primum actiuè. vt Nehemiæ cap. 5. verſu 9. in
Hebræo. *An non in itinere* DEI *noſtri ambula-
bitis propter opprobrium gentium, quæ hoſtes nobis
ſunt?* id eſt, propter opprobrium, quod nobis
ſolent, aut certè poſſent gentes & inimici no-

tionem hinc ſtatim abierint, è verbis ipſis, & è particularum iſtarum *donec* & *vſque* vi confici non poteſt. Sed aliundè ipſos non ſtatim abiiſſe ſcimus. Sicque ad exempla, quibus ille S. Matthæi locus explicari ſolet; poterit & hoc non ineptè aggregari, de quo loco etiam alibi. Quod verò manſionis huius mentionem tam perſpicuam textus, & quidem vſque ad recuperatam ſanitatem, iniiciat, mihi magnoperè videtur inſinuari cauſa, cur in itinere alibi non fuerint circumciſi. quia ſcilicet de huiuſmodi, quoad curatum vulnus foret; manſione, certi nuſquam erant, prout quæſtione 3. ediſſertum vberius.

QVÆSTIO XIII.

In quoto circumciſionis die, doloris plus perſentiſcant circumciſi? & cur?

PERVVLGATA omnium opinio eſt, die circumciſionis tertio intentiſſimum eſſe dolorem. Nam disertè poſt inflictam Sichemitis circumciſionem, ita ſcriptum Geneſ. 34. verſu 25. *Et ecce die tertio, quando grauiſſimus vulnerum dolor eſt*, &c. Sed primò excipiat fortaſſe quis contra noſtrum Interpretem, & quia Hebraicè abſque maioris aut minoris doloris comparatione dicitur, *die tertio, quando dolentes*: & quia Grecè ſimiliter, eadem omiſſa comparatione, ἦσαν ἐν τῷ πόνῳ, id eſt, *erant in labore*, ſeu *dolore*. Deinde verò quærat alius, ecquæ huiuſmodi doloris die illo cauſa? cur non prioribus diebus? non poſterioribus? At ſanè locum illum Geneſis optimè percepit & reddidit Interpres. Cum enim Hebraicè dicitur, *die tertio, quando dolentes*; vtique intelligitur, *ſunt*, aut *erant*. Sed nunquid & primo die, cum reſcinderetur cultro cutis, non doluerunt? Nunquid & altero die ipſos dolor etiam aliquis interdum non pupugit? Quomodo igitur *die tertio* dicuntur dolentes fuiſſe? Videlicet, quia *excellenter* doluerunt, ſiue, quam aliis prioribus diebus *magis*: Atque hoc idem in Græco intelligitur. Præterea idipſum ex Hippocrate, libello de fractura, commentario ſecundum Galeni diuiſionem tertio, clarè confirmatur. Ait enim. *Tertio & quarto die vulnera omnia minimè ſunt exagitanda, & vt in ſumma dicam, ſpecilli quoque omnes admotiones vitandæ his diebus ſunt, omniaque alia quibus vulnera irritantur: in totum enim tertius & quartus dies impleriſque vulneribus exacerbationes parit, & quæ inflammationes & ſordes incitantur, & quæcunque in febres tendunt. Vnde magni admodum momenti, ſi quod aliud, documentum hoc eſt. Nam quæ ſunt in medendi arte grauiſſima, quibus id non ſit commune? Non enim pertinet ad vlcera tantum, ſed ad alios quoque morbos complures. Vt prorſus ex iſta medicorum peritia videatur vim textus expreſſiſſe Interpres penitius, cum dixit, quando grauiſſimus, non vulneris è circumciſione accepti tantum, ſed vniuersè, vulnerum dolor eſt.* Quænam doloris illius cauſa ſit; præſtanti doctrina Medicus indagat & exponit Franciſcus Valleſius libro de ſacra Philophia capite 12. *Hippocrates ſatis apertè docet, non in his aut illis, ſed omnibus etiam vlceribus, ſolere dolores*

A *tertia & quarta die fieri grauiores. Nam de vlceribus, quæ cum fracturis fiunt agens, ad omnia vlcera, quin etiam ad omnes morbos ſermonem tranſtulit: ſignificans, vlcera omnia magna & notatu digna (exigua enim vlcera nullas ſolent afferre exacerbationes) ſolere diebus, tertio & quarto, fieri grauiora. Cauſam verò huius rei proximam ipſe inſinuauit, dicens, Et quæ in inflammationem, & ſordes incitantur, & quæcunque in febres tendunt. nimirum, quia inflammationes, & fluxiones, & febres, diebus, tertio & quarto ſolent vulneratis partibus ſuperuenire. Prima enim* B *die, qua quis vulneratus eſt, dolor tantum eſſe ſolet ex ipſa carnis diuiſione, dum vulneratur, aut particula tractatur chirurgi manibus, à curatione verò citò conquieſcit, ceſſante ſcilicet dolendi cauſa. quia dolor non ſit cum ſecta iam pars eſt, ſed cum ſecatur. Cum enim dolor ſit ſenſus rei corrumpentis, moueat verò ſenſum non facta iam, ſed quæ ſit paſſio, mox ac ceſſat externa cauſa, manet pars ſine dolore, atque (niſi in paucis quibuſdam, quos contigit eſſe paratiſſimos) ſine febre, vſque dum noua alia cauſa dolendi, aut febricitandi accedat: vſque dum ſcilicet, conuo-* C *cata ad partam malè affectam fluxione, ſuccreſcat inflammatio, aut ſordes multæ, atque ob hæc nonnunquam etiam febris. proxima itaque dicti euentus cauſa hæc eſt. Cur autem non ante tertium ſuperueniat fluxio, aut non diutius protrahatur (quæ prima propoſitæ dubitationis pars eſt) nondum diximus: neque verò Hippocrates dixit, neque Galenus in commentatione appoſuit. niſi forte eam Hippocrates inſinuauit, dicens. Non enim pertinet ad vlcera ſolum, ſed alios quoque morbos complures. Nimirum eadem eſſe videtur in vlceribus, & in aliis omnibus morbis* D *pendentibus ex materia, & habentibus exacerbationes (cum vlcera non ob ipſam propriam eſſentiam, ſed ob fluxiones exacerbentur) ea eſt, natura humorum, qui commoti, & exagitati, morbos faciunt, & augent. Fiunt enim morborum circuitus, ſiue quotidiani, ſiue tertiani, ſiue quartani, cum ſunt in corpore partes quædam paratæ recipere, quædam mittere. apparatus recipientium eſt, dolor, aut debilitas: mittentium, multitudo ſuccorum, aut vitioſa qualitas. Vlcerata ergo particula parata eſt recipere, debilis enim eſt neceſſario, neq; ſine dolore. niſi ergo corpus re-* E *liquum vacuatiſſimum & puriſſimum eſſe contigerit (ita enim fortaſſe nunquam redibunt magni dolores) nihil deeſt ad humorum influxus: ipſis verò ſeruantibus ſuas naturas, influet dei ſecundo pituita, ſuccus mitis, moderatus, minimeque irritans; tertia die bilis flaua, ſuccus acer, mordax, & impensè calidus, cum quo ob dolorem quem infert & calorem neceſſario accurrit ſanguis, paritque phlegmones & febres, quæ cum miteſcere intra diem non poſſunt, ſed cum mitiſſimè intra vingenti quatuor horas, vt quæ à cauſis externis ortum habent, neceſſariò incidunt in diem* F *ſequentem, qui eſt quartus ab acepto vulnere.*

Hæc itaque eſt cauſa, qua vulnerum dolores ſolent die tertia exacerbari. Atque eadem cauſa chirurgi, vt Hippocrates monet, poſt primam, ſeu admotionem labiorum, ſeu conſutionem (vt res exiget) non debent vſque ad diem quartum vlcera irritare, neque aliter tangere, quàm leuiter, quæ inflammationem arceant admouendo. Ea tamen cauſa quàm certa ſit, viderint Medici alij. Nam primò quid cauſæ eſt, cur poſt ſanguinis effuſionem, die altero potius ſeſe commoueat pituita, quàm bilis, & die tertio potius bilis, quàm pituita, vel melancholia?

Digitized by Google

Chriſtum, & baptizati, prima circumciſione ſumus circumciſi, teſtãte Apoſt. cum dicit: In Chriſto circumciſi eſtis circumciſione nõ manu facta, in expoliatione corporis carnis, in circumciſione Chriſti, conſepulti in Baptiſmo, in quo & reſurrexiſtis per fidẽ operationis Dei, qui ſuſcitauit illum à mortuis. Quod & ipſum in Euangelio Chriſti non ſine legis & prophetarum teſtimonio dixit. Nam lex dicit. Circũcidit Dominus Deus cor tuum, & cor ſeminis tui, vt diligas Dominũ Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua: vt poſſes viuere. Et propheta dicit. Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium veſtrorum, viri Iudæ, & habitatores Hieruſalem. Prima itaque circumciſione circumciſi ſumus, & prima reſurrectione reſurrexerimus, conſepulti Chriſto in Baptiſmo, & expoliati in operibus carnis, in quo & reſurrexiſtis (inquit) per fidem Dei. Talis igitur (vt prædictum eſt) nobis ſecundę circumciſionis cauſa eſt. Nos omnes populus acquiſitionis, qui ſub gratia Christi *nati, imò renati ſumus, per hoc omne tempus itineris latiſſimæ ſolitudinis, id eſt, vitæ præſentis ſeculi, prima quidem circumciſione (de qua iam dictum eſt) circumciſi, ſed ſecunda circumciſione necdum circumciſi ſumus, quia videl. ſpiritu mentis noſtræ renouati quidem ſumus, ſed corpore, vel carne vetuſti adhuc ſumus, & quotidiè veteraſcimus. i. Corruptibiles & mortales adhuc ſumus, & viuendo quotidie magis ac magis ad mortem proficiſcimur. Vnde idem Apoſt. Corpus quidem, inquit, mortuum eſt propter peccatum, ſpiritus verò viuit propter iuſtificationem. Ait igitur Dominus ad Ioſue: ait, inquam, Dominus Deus Pater ad Saluatorem noſtrum in illa (de qua dictum eſt) eiuſdem reſurrectione. Fac tibi cultros lapideos, & circumcide ſecundo filios Iſrael. Faciet Saluator quod iuſſum eſt, & circumcidet filios Iſrael in colle præputiorum. i. in reſurrectione mortuorum. Canente, namque tuba mortui reſurgent incorrupti, & nos, inquit Apoſt. immutabimur. Et Omnes. n. inquit, reſurgemus, ſed non omnes immutabimur. Et exponens quid ſit immutari, oportet enim, inquit, corruptibile hoc, induere incorruptionem, & mortale hoc, induere immortalitatem. Hac vtique immutatione non omnes immutabimur, ſoli namque Electi ad impaſſibilitatem reſurgemus.* Tertullianus li. aduerſus Iudæos in probatione natiuitatis Christi: *Introductio in vitæ æternæ poſſeſſionem, qua nihil dulcius, non per Moyſen. i. non per legis diſciplinam, ſed per* Iesvm*. i. per nouæ legis gratiam prouenire habebat circumciſis nobis petrina acie, id eſt,* Christi *præceptis. Petra enim* Christvs *multis modis, & figuris prædicatus eſt.* Quod & alia de cauſa citatum antea l. 1. c. 1. q. 6. Lactantius li. 4. c. 17. *de Circumciſione ſecunda ſoluenda: Eſaias ita prophetauit. Hæc dicit Dominus viris Iudæ, qui habitant in Hieruſalẽ, Renouate inter vos nouitatẽ, & ne ſeminaueritis in ſpinis. Circũcidite vos Domino Deo veſtro & circũcidite, præputiũ cordis veſtri, ne exeat ira mea ſicut ignis, & non ſit qui extinguat. Itẽ Moyſes ipſe. In nouiſſimis dieb⁹ circumcidet Domin⁹ cor tuum ad Dominũ Deũ tuũ amandũ. Itẽ* Iesvs *Naue ſucceſſor eius. Et dixit Domin⁹ ad* Iesvm*. Fac tibi cultellos petrinos nimis acutos, & ſede, & circumcide ſecundo filios Iſrael, ſecundum circumciſionem futuram eſſe dixit non carnis, ſicut fuit prima, qua etiam nunc Iudæi vtuntur, ſed cordis ac ſpiritus, quam tradidit Chriſtus, qui fuit verus* Iesvs*. Non enim Propheta ſic ait. Et dixit Ieſus ad me, ſed ad* Iesvm*, vt oſtenderet, quod non de eo loqueretur, ſed de* Christo*, ad quem tunc Deus Ioſue. loquebatur. Chriſti enim figuram gerebat ille* Iesvs. Et paucis, quæ ſuperiori lib. cap. 2. quæſt. cap. memorata ſunt, interiectis. *Nam illa,* inquit, *carnis circumciſio caret vtique ratione, quia ſi Deus id vellet, ſic à principio formaſſet hominem, vt præputium non haberet, ſed huius ſecundæ circumciſionis figura erat, ſignificans nudãdum eſſe pectus, id eſt aperto, & ſimplici corde oportere nos viuere, quoniam pars illa corporis, quæ circumciditur, habet quandam ſimilitudinem cordis, & eſt pudenda. Et ob hanc cauſam Deus nudari eam iuſſit, vt hoc argumento nos admoneret, ne inuolutum pectus haberemus, id eſt, ne quod pudendum facinus intra conſcientiæ ſecreta velimus. Hæc eſt cordis circumciſio, de qua Prophetæ loquuntur, quam Deus à carne mortali ad animam tranſtulit, quæ ſola manſura eſt. Volens enim vitæ, ac ſaluti noſtræ pro æterna ſua pietate conſulere, pœnitentiam nobis in illa circumciſione propoſuit, vt ſi cor nudauerimus, id eſt, ſi peccata confeſſi ſatis Deo fecerimus, veniam conſequamur, quæ contumacibus, & admiſſa ſua celantibus denegatur ab eo, qui non faciem ſicut homo, ſed intima, & arcana pectoris intuetur.* D. Hiero. li. 1. contra Iouin. *Ieſus filius Naue antè dictus eſt Auſe: ſiue vt rectius habetur in Hebræo, Oſeæ. i. Saluator. Ipſe enim ſecũdum epiſtolam Iudæ, ſaluauit & eduxit populum Iſrael ex Ægypto, & in terram repromiſſionis induxit. Hic Ieſus ſtatim vt venit ad Iordanẽ, aquæ nuptiarũ quæ ſemper in lege fluxerant, areſactæ ſunt, & ſteterunt, & ſiccis pedibus ac nudis populus omnis pertranſiit, & venit in Galgala: ibique ſecũdo eſt circumciſus. Quod ſi iuxta literam accipimus, penitus ſtare nõ poteſt. Si enim duplex haberemus præputium, vel exciſa pellicula iterum naſceretur, rectè ſecunda circumciſio haberet locum. Nũc autem hoc ſignificatur, quod Ieſus, cultello euangelij, populum, qui per deſertum venerat, circumcidit, & circumcidit cultello petrino; vt quod in Moyſi filio præfigurabatur ante in paucis, id ſub Ieſu duce impleretur in cunctis. Sed & ipſa præputia in vnum cumulũ coaceruata, & ſepulta, & terrâ obruta, & ablatum opprobrium Ægypti, & nomen loci Galgala, quod interpretatur reuelatio, oſtendunt, dum in præputio ambularet populus per deſertum, oculos eius fuiſſe cæcatos.*

QVÆSTIO XV.

Quæ ad iteratam circũciſionem myſticè ſpectant alia?

QVIA in circumciſionis huius ſpiritalis interruptione, quod omnino excuſare nos poſſit, nihil eſt, potius videndũ. An in certa hinc emigrandi hora, incerta cœleſtis nubis agitatio, & ad iter inuitatio nos non potius accuſet. *Vigilãte,* ait Mar. 13. v. 35. Dominus, *neſcitis. n. quando Dominus domus veniet. Sero, an media nocte, an Galli cantu, aut mane. ne cum venerit repente, inueniat vos dormientes.* Et Luc 12. v. 45. *Si dixerit ſeruus ille in corde ſuo, moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere ſeruos, & ancillas, & edere & bibere, & inebriari: Veniet Dominus ſerui illius in die qua non ſperat, & hora qua neſcit, & diuidet eum, partemque eius cum infidelib. ponet.* Iterumque cap. 21. verſu 34. *Attendite autem vobis, ne forte grauentur corda veſtra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ: & ſuperueniat in vos repentina dies illa. tanquam laqueus enim ſuperueniet in omnes, qui ſedent ſuper faciem omnis terræ.* Nam ve-

ita viſum fuiſſe ait in Quinquagenariæ cap. 34. Nebriſſenſis: exemplique cauſâ, Lactantium, & Ambroſium nominat. De iſto tamen, qui libri de Cain caput 8. melius expenderit, non facile, vti quidem reor; aſſentiatur, prout paulo poſt dicam. Ille vero lib. 4. cap. 26. tantum ait: *Immolatio pecudis ab iis ipſis, qui faciunt paſcha nominatur, quia paſsionis figura eſt.* Quorum verò cumque fuerit, inepta opinio eſt. Quomodo enim pura puta Hebræa vox originem Græcam habeat? ſunt Græcæ profecto non paucæ quæ ab Hebræis extiterunt, ſed quæ à Græcis aut Latinis Hebræa, ne vna quidem. His enim lingua illa multo eſt antiquior, adeoque *linguarum omnium matrix*, vt ait Sanctus Hieronymus in Sophoniæ tertium & Iſaiæ ſextum. & epiſtola 142. Eſt igitur paſcha ductum ab Hebræo *peſach*, quod propriè ac primario tranſitum ſignificat, & ſubſultationem. Nam פסח eſt *ſaltare, ſubſilire*, & *quaſi ſaltando præterire*, ac *tranſire*, vt intelligitur ex cap. 12. Exodi verſu 13. 23. & 27. Iſaiæ 3. verſu 5. 3. Regum. 18. 26. Hinc enim & qui claudicat, paulò præſertim vehementiùs; quia ob vehementiorem & proniorem è latere in latus motum, ſubſilire videtur פסח *piſſeach* appellatur. Leuit. 21. 18. 2. Reg. 5. 7. 9. Malach. 1. 23. Iſaiæ 33. verſu 23. & verbum illud etiam *claudicare* ſignificat 3. Reg. 18. 20. paſſiuè ſumptum eſt, *fieri claudum* 2. Reg. 4. 6. Et verò ſignificare *tranſitum* docet lib. 2. cap. 5. Ioſephus, oratione citata Nazianzenus, Collectanea Cyrilli aut Maximi cap. 21. S. Bernardus ſermone 1. Paſchatis S. item Hieronymus loco citato, & Iſaiæ 31. & Michææ 7. S. Auguſtinus in Pſal. citatum 120. Epiſtola 119. lib. 2. de Trin. cap. 17. lib. 16. Ciuitat. 34. tractatu 55. in Ioan. D. Ambroſ. ſermone 55. lib. 1. de Cain cap. 8. *Paſcha* inquit, *tranſitus eſt à paſsionibus ad exercitio virtutis.* & clarius lib. 1. Hexaemeron cap. 8. *Paſcha Domini quotannis celebratur, hoc eſt animarum tranſitus à vitiis ad virtutem, à paſsionibus carnis ad gratiam ſobrietatemque mentis, à malitiæ, nequitiæque fermento, ad veritatem & ſynceritatem regenerationis.* Nam *paſsionum* licet mentionem faciat, diſertè tamen *tranſitum* eſſe ait. Si tamen è citatis locis, ſcripturæ vſum intueamur diligentius, comperiemus non quemcunque tranſitum eo nomine ſignificari, ſed eum tantummodo, quo è pluribus quædam prætereuntur, & ea non attingendo tranſiliuntur, prout Germanicè dicitur vberhupffen; Græcè à Ioſepho loco cit. ὑπερβασία, & à Symmacho ὑπέρβασις, ſed propter aliquam ſimilitudinem, amplificatur vocis huius apud Græcos & Latinos partim citatos, partim alios, ſignificatio, vt *tranſitum* quemlibet complectatur, & ſic à Philone lib. de Cain, & Abelis ſacrificiis διάβασις dicitur, & l. 3. de vita Moyſis διαβατήρια.

Cæterum à quo potiſſimum tranſitu cœperit adeo vſitari vox *Paſchatis*, facit Nebriſſenſis loco citato, vt non tam quærendum, quam explicandum ſit. Innuit enim, Eccleſiæ, ſententiam eſſe à maris rubri, tranſitu nomen hoc factum, quia nimirum canit illa. *Poſt tranſitum maris rubri, Chriſto canamus Principi.* Eandem & S. Auguſtino tract. 55. in Ioannem tribuit Ribe-

Ioſue.

A ra libro 5. de templo capite 3. Sed ſanè neutrius ea mens. Nam Eccleſia illic, *tranſitum maris rubri* vocat Baptiſmum ex S. Paulo 1. Corinth. cap. 10. verſu 2. Ideoque & poſtea *verum*, à quo vox iſta, *tranſitum* indicat, dicens.

Protecti Paſchæ veſpere
A deuaſtante Angelo, & cætera.
Iam Paſcha noſtrum Chriſtus eſt
Qui immolatus agnus eſt.

Sanctus verò Hieronymus ait quidem, *In Hebræa lingua Paſcha tranſitus dicitur, propterea, quia*
B *tunc primum paſcha celebrauit populus Dei, quando ex Ægypto fugientes rubrum mare tranſierunt:* ſed hiſce verbis tempus tantummodo nominis huius, non cauſam oſtendit. quam hiſce ſubiunctis monſtrat potius. *Nunc figura illa prophetica in veritate completa eſt, cum ſicut ouis ad immolandum ducitur* CHRISTVS, *cuius ſanguine illitis poſtibus noſtris, id eſt, cuius ſigno crucis, ſignatis frontibus noſtris à perditione huius ſæculi, tanquam à captiuitate, vel interemptione Ægyptica liberamur, & agimus ſaluberrimum tranſitum, cum à Diabolo tranſimus ad*
C CHRISTVM. Nazianzenus orat. citata, & vt videtur Ioſephus lib. 17. tranſitum ex Ægyptiaca ſeruitute in libertatem, *paſcha* dicunt, ſed ſecundaria quadam notione, vt ex Ioſepho patet lib. 2. Antiquit. ca. 5. Vera igitur cauſa eſt, quia funeſtiſſimam Ægyptiorum cladem primogenitis illaturus Dominus, domos Iſraelitarum omnes, quarum cæſi agni ſanguine oblitæ fuiſſent ianuę, incommodo nullo affecit; ſed, ad eas ventum cum eſſet, vlterius quaſi ſaltauit, eaſq; cædis omnis expertes reliquit, pertranſiitque
D vti clarè aſſeritur Exo. 12. v. 13, 23. & 27. Hæc igitur propria & primaria vocis huius notio eſt: Ex ea verò ſecundaria, minuſque propriæ tres extiterunt.

1. Prima, vt ipſa, quæ ex Dei præſcripto Exod. 12. Leu. 23. v. 5. immolabatur *victima*, vocatur paſcha, ibid. v. 27. ſecũdum 70. 2. Paral. 30. v. 17. *immolarent Leuitæ Phaſe*: ſiue vt in Hebræo eſt, *Leuitæ ſemper mactione happeſachim*, & v. 18. *Magna pars populi de Ephraim, & Manaſſe, & Iſachar, & Zabulon, quæ sãctificata non fuerat, comedit phaſe* הפסח
E את. c. 35. v. 8. quo de loco infrà. Matt. 27. *Vbi vis paremus tibi comedere paſcha.* Lu. 22. *Venit dies azymorum in qua neceſſe erat occidi paſcha.* Ioſephus l. 3. Antiquit. ca. 10. Et iſta notione, *duplex paſcha* eſt, vnum *vetus*, & Moſaicum. Alterum *nouum* & Chriſtianum, quod eſt ipſemet CHRISTVS, qui paſchali tẽpore pro nobis occiſus. Sic enim D. Paul. 1. Cor. 5. 7. *Paſcha noſtrum immolatus eſt* CHRISTVS. Vbi etiam verti poſſet ex Gręco. *Paſcha noſtrum pro nobis ſacrificatum eſt* CHRISTVS. Qui idcirco ab Eccleſia *victima Paſchalis* dici-
F tur, vti dum ait. *Victimæ paſchali laudes immolent Chriſtiani.*

2. Secunda notio eſt *anniuerſarius* immolationis huius *dies*, Lu. 22. *Appropinquabat dies feſtus azymorum qui dicitur paſcha.* Et ad hanc, vel ſuperiorẽ notionẽ pertinent illa Exod. 12. v. 43. *Hæc eſt religio Phaſe*, ſiue, *hoc eſt ſtatutum, & cæremonia ipſius peſach.* & c. 34. v. 25. *Non reſidebit mane de victima ſolemnitatis phaſe ſiue ipſius peſach.* Tertia eſt tota ei per ſeptem dies adiuncta *azimorũ ſolemnitas*, quę eodẽ nomine afficitur Act. 12. v. 4. Cum enim ipſis azymorũ dieb⁹, ſecũdo forſã, aut ter-

Digitized by Google

tio (nam diebus aliquot pro S. Pet. facta fuit ab Eccleſia ſine intermiſſione oratio, verſu 5.) in carcerem conieciſſet Petrum Herodes, *volebat poſt paſcha producere eum populo.*

Aliæ duæ notiones à quibuſdam adduntur. Prior à Bellarmino lib. 4. de ſacramento Euchariſtiæ. Toleto Ioannis 13. annot. 3. & 5. Soarez tom. 1. diſp. 4. ſ. 2. tom. 3. diſp. 41. S. 1. Ribera lib. 5. cap. 3. dum aiunt *victimas, quæ ſeptem azymorum diebus immolabantur*, etiam vocari Paſcha Deuter. 61. verſu 2. & 2. Paral 35. verſu 8. & confirmari hoc putat locis indicatis Soarez ex Auguſtino quæſt. 24. in Deuteron. Sed non queo annuere. Nam Deuter. 16. verſ. 2. in Hebræo ſic legimus. *Immolabis peſach Domino Deo tuo, oues & pecora.* Vbi præceptum geminum eſt. Vnum de immolando *peſach*, ſiue *agno*, alterum de ouibus & bobus immolandis, videlicet quos Num 28. verſu 19. & 21. iuſſerat Dominus & Soarez quidem Tom. 3. diſp. 41. ſect. 1. dicit, omnino concedendum illic agi de agno paſchali, ſed in illis verbis, verſu 1. *obſerua menſam, vt facias phaſe.* Verum iam ſatis clarè oſtendi etiam verſ. 2. *phaſe* ſumi pro agno. In Paralipomenis verò verſ. 8. in Hebræo item ſic legimus. *Principes domus Dei ſacerdotibus dederunt Lappeſachin*, id eſt, vt paſchata fierent, *bis mille & ſexcentos* (agnos ſcilicet, ac hœdos, prout ibidem verſiculo antecedenti nominati ſunt) & ab interprete noſtro *pecora* vertuntur, *& boues trecentos.* Vbi munus duplex videmus *bis mille ſexcentos agnos & hœdos.* Deinde *trecentos boues.* ſed priores illi tantum, non iſti vocantur *paſchata*: Et accuratè diſtinguuntur infrà verſu 13. vbi rurſum illi vocantur *paſchata*, hi *kodaſchim*, id eſt, *ſancta*, ſiue, vt noſter vertit, *pacificæ hoſtiæ.* Auguſtinus verò q. citata tantum dicit, boues adiici propter ſacrificia diebus azymorum immolanda, non autem dicit vocari *paſchata.* Poſterior ab Alcuino apud S. Thomam in Matth. 26. ipſos *azymos panes* appellari etiam *paſcha.* ſed expendetur infrà quæſt. 31. quæſt. 7.

Noſter verò interpres ferè in veteri teſtamento Hebræum *peſach* vertit *phaſe*, præterquam Ezechielis 45. Eſdr. 1. 6. Et ſi ex apocryphis addere liber 3. Eſdr. cap. 1. Græci verò, in nouo quidem teſtamento ſemper πάσχα, in veteri etiam, vt hic Ioſuæ 5. verſu 10. Exod. 12. alibi: Theodotio apud Theodoretum in Exo. 12 quæſt. 24. φασέκ, & apud 70. in 2. Paral. cap. 30. ſæpius. Hinc ad extremum quæritur. *Quonam modo ex Hebræo illo peſach fictum ſit tam phaſe quam paſcha?* Nebriſſenſis loco citato, cum alium audire ſe malle dixiſſet, rem tandem totam non ineptè ſic ediſſerit, *& de phaſe in primis. P. exile in aſpiratum verti frequens eſt apud* F *eos, qui de Hebræo ſermone transferunt in Græcum, aut Latinum, vt pro eo, quod Hebræi dicunt* פרעה *Paro,* פסגה *Piſga,* פשחור *Paſchur, per p. exile, Græci primum, deinde Latini transtulerunt Pharaon, Phaſga. Phaſur per ph. aſpiratum, & millia alia. Seba verò apex qui ſubiicitur p. litteræ cum ab aliis prope ſemper per e vocalem proferatur, Græci & Latini plerumque vertunt in a, vt pro eo quod illi dicunt per ſeba* שמואל *Semuel* זבלון *zebulon* רפאים *rephaim, nos per a proferimus. Quod illi præterea* זרח *zerab,* גבר *Geber* עקרון *Ecron, per ſegol, nos zara, Gader,*

A *Acaron pronunciamus per a, vocalem.* ס *Sama quoque in S. vertendum eſſe non eſt dubium, quæ littera quanquam non multum diſtet in prolatione à zeta, S. noſtro, & ſigma Græco reſpondet, cum* ש *ſin &* צ *tſade violenter in illas transferantur, quemadmodum in libello de poteſtate litterarum, auctoritateque Hieronymi demonſtrauimus. Illud mirabile quid placuerit Interpretibus Græcis & Latinis, litteram, quam Hieronymus duplicem aſpirationem vocat, ſubiecto patha ſiue cames vertere ſemper in e litteram, vt* נח *Noah Noe,* תרח *Therah Thare,* קרח *Corah Core,* יפתח *Iphtah Iephte,*

B *atque eadem ratione* פסח *Peſah Phaſe. p. ſubtili in aſpiratum: e. in a: ſama in S. heth ſubiecto Patha, in e. Atqui Græci litteris inuerſis in πάσχα verterunt. Nam heth litteram in χ ſuum plerumque mutant. Latini quia talem vocem non agnoſcunt, niſi tantum in dictionibus Græcis, illam prope ſemper expungunt, aut in ſimplicem aſpirationem, vertunt, vt pro eo quod Hebræi per heth dicunt* חרן *Charan,* חרי *Chori,* חרב *Choreb,* חברון *Cebron, Græci per ſuum χ χαῤῥὰν χωῤῥὶ χωρὴβ. χεβρὼν dicunt, at latini expuncta* ח *littera, Aron, Ori, ſiue horri, Ebron, ſiue Hebron proferunt.*

C I. Addo quatuor. *Primum*, ſcribi quandoque in ſcriptura *paſach*. Num. 9. v. ſecundo in Hebræo. 2. Paralipom. 35. v. 6.

II. *Secundum*, eſſe Chaldaicam prorſus vocem. ſolent enim iſti Hebræis addere *a*, vt perſpicuum in *Abba, Golgotha, Cheſda*, idque verius, quam quod ait Nebriſſenſis, litteras à Græcis inuerſas, cum non tam litteræ, quam punctum vnum tranſpoſitum foret. Chaldaicam verò dicit etiam Philo lib. 3 de vita Moyſis; ſed à D. Hieronymo in Daniel. cap. 2. reprehenſus eſt,

E quòd cum Hebræa, Chaldaicam linguam confundat. Et verò lib. de decalogo, *patriâ Hebræorum linguâ* dici ait *paſcha*. In legatione ad Caium, *Chaldaicâ linguâ* dicit *Iſrael* eſſe *videntem Deum.* Et hinc factum, vt apud Græcos prorſus indeclinabile ſit. Nam τὸ πάσχα legimus Lu. 2. v. 14. Ioan. 11. 55. c. 12. 1. c. 19. 14. ἐν τῷ πάσχα Ioan. 2. 23. c. 18. v. 39.

III. *Tertium* Philonem ſcribere lib. 2. de vita Moyſis πάσχα, l. de decal. πάσχα: Ioſephum verò l. 2. c. 5. ſcribere πάσχα, li. 5. c. 1 φάσκα. Vtroque ſi-

E quidem modo poteſt legi Hebræum, vt in *Pharaone*, & aliis dictum. melius tamen in principio per p ſimplex & lene, quemadmodum & li. 6. captiuit. c. 45. pro φαρὰν ſcriptũ eſt φαρᾶν. Vnde legendum φαρὰν putarunt nonnulli, vt l. 7. capt. Ruffinus cap. 17. dum vertit *contubernium* quod laudat lib. 6. de emendat. Scaliger. *Notandum* ait S. Hieronymus in fine commentarij Danielis 11. *quod P litteram Hebræus ſermo non habeat, ſed pro ipſa vtatur* פ, *cuius vim Græcum* φ *ſonat.* Et verò ſimiliter videtur l. 3. Originum c. 10. in

F Ioſepho legendum κατὰ φατρίας. præſertim cum illic Ruffinus c. 13. non iam *contubernia*, ſed *tribus* vertat, & l. 2. c. 5. cum in exitu Ægypti populum Moyſes legitur διατάξας εἰς φατρίας, vbi Ruffinus c. 13. vertit *conſtituiſſe per tribus.*

IV. Ad extremum, Syri, vt in toto nouo teſtamento intueri eſt, Chaldaicam terminationem retinet, ſed Hebræum *Samech* mutant in *tſade*, dicuntque *petſcha*, פצחא

QVÆST.

QVÆSTIO XVII.

Quidnam facere phaſe, *ſeu* paſcha?

DIXERIT ſtatim aliquis, *facere paſcha* eſſe nil aliud, quam paſchatis feſtum diem agere. Sed propriè ac primario *eſt paſchalem agnum ſacrificare ac edere*. Nam vt iam non attingam quæſtionem, fueritne dies lunæ 14. feſtus, cum de tempore agitur, tam Latini quàm Græci potius dicunt *agere* ἄγειν, quam *facere* ποιεῖν, vt apud Plutarch. in Iſide, & in Romanis capitibus, niſi forte raro vt 3. Regum. 8. verſu. 55. in Heb. Gr. & Lib. 2. Paralipom. 35. verſu. 15. Et tamen poſteriora hæc ſunt hoc Ioſuæ capite, & Matth. 26. 18. Hebr. 11. 28. Deinde diſcipuli Matth. 26. 19. Mar. 14. 16. Luc. 22. 8. & 13. *paſcha* ipſum *pararunt*. At non pararunt ipſum diem, ſed agnum, ideoque & paſcha, quod pararunt illi, dicitur ediiſſe cum illis Dominus, in iiſdem capitibus. Tertio dicitur. Nam 9. bis, non ſimpliciter *facere paſcha*, ſed *facere Domino*, & 2. Paralipom. 30. verſu 5. cap. 35. verſu 1. Quarto, eodem cap. v. 6. & 11. pro *facere* ponitur *mactandi* verbum שחט itemque cap. 30. in verſu 15. & 17. ſicuti Exod. 12. verſu 6. Deuteronom. 16. verſu 1. facere ſed verſu 2. 6. זבח. Quinto, peruſitatū eſt apud Latinos, Græcos, & Hebræos, vt *faciendi* verbum, *ſacrificare* valeat. Cicero pro Muræna, *Iuno*, inquit, *hoſpita, cui omnes hoſpites facere neceſſe eſt.* Ad Atticum. lib. 1. *qua pro populo fieret*, vetus Poëta, *Plus voueo, ſi inquam redierit, factum bidente, verre.* Iuuenalis ſatyra 9. *pro populo faciens.* Virgilius *cùm faciam vitulā, pro frugibus, ipſe venito*, prout legit Macrobius Saturn. lib. 3. cap. 2. aut vt Nonius *cum faciam vitulam.* ſicuti etiam Plautus Auſularia. *O fides, mulſi congialem plenam faciam tibi fideliam.* Et huc non ineptè illud Varronianum illud lib. 2. de re ruſtica quidam etiam reuocant. *Dij facientes adiuuant.* Et illud Luc. 2. 27. *vt facerent ſecundum conſuetudinem legis pro eo*, id eſt, offerent ſeu ſacrificarent, inquit Soarez. diſput. 83. ſect. 2. tom. 3. licet de hoc minus aſſentiar, cum videatur tantum ſignificari, feciſſe illos id, quod fieri volebat legis conſuetudo, prout ſæpe alibi in legibus & præceptis aliis vbi ſacrificiorum mentio nulla, dicitur

Sic ῥέζειν Illiade β. ἄλλος δ' ἄλλῳ ἔρεζε θεῶν αἰειγενετάων
εὐχόμενος θάνατόν τε φυγεῖν καὶ μῶλον Ἄρηος.

Et cum accuſatiuo, prout ſuprà citati quidā ait idē Poëta Iliade α. φοίβῳ θ' ἱερὴν ἑκατόμβην ῥέξαι ὑπὲρ Δαναῶν.

Et in Antologia ῥέξαντες χιμαίρῃ δίμηνον.

Similiter etiam aliud *faciendi* verbum δρᾶν ἀντὶ τοῦ θύειν vſurpatum fuit, vt auctor eſt libr. 14. ex Clitodemo Athenæus, & ex vtroque in commentariis doctiſſimus Budæus fol. 342. De verbo ποιεῖν. exempla itidem vna cum Hebræo afferuntur. Nam Leuit. 15. v. 11. cum præſcriberet Moyſes ad ſeminiflui purgationem, duos aut turtures aut columbas ſacrificandas, ait verbotenus Hebraicè. *Et faciet iſta Sacerdos; vnam peccatum, alteram holocauſtum*, id eſt, immolabit vnam pro peccato. Alteram in holocauſtum. Græcè καὶ ποιήσει αὐτὰ ὁ ἱερεὺς, μίαν περὶ ἁμαρτίας, καὶ μίαν εἰς ὁλοκαύτωμα Eodemque modo cum de Nazarei ſa-

crificio agitur Num. 6. verſu 11. tam Hebraicè quàm Græcè. Et 3. Regum. 8. verſ. 64. eodem lib. cap. 18. verſu 23. vbi Elias contra inanium Deorum ſacri ficulos decertans duos boues, quos abſque igne ſacrificent, depoſcit. Et ego, ait אעשה *faciam bouem vnum*, ἐγὼ ποιήσω τὸν βοῦν τὸν ἄλλον. Oſeæ verſu 10. *Argentum multiplicaui ipſi, & aurum* (quæ) עשו *fecerunt ipſi Baal*, ἀργύριον καὶ χρυσία ἐποίησαν τῇ βάαλ. Plura id genus inuenire eſt, ſed hæc ſatis, e quibus tamen intelligitur, quam indoctè ſcripſerit in Pariſienſium articulorum Antidodo Caluinus, *faciendi* verbum etiam ſi Latinè pro ſacrificare ſumatur, non tamen Hebraicè, aut Syriacè. Vide Bellar. lib. de Miſſa c. 12. Paſcha vero iſtud fuiſſe ſacrificium, patet Exod. 23. v. 18. Deut. 16. Num. 9. v. 7. & 13. vbi ſemper קרבן vocatur. & Num. 32. cum dicitur. *Non immolabis ſuper fermento.* Ioſephus lib. 3. cap. 11. θύει τὴν πάσχα λεγομένην ſcilicet τὴν θυσίαν πάσχα λεγομένην *ſacrificat*, ſeu *mactat ſacrificium dictum paſcha.* Ideoque in Hebræorū libello *Tſeror hammor* ſcriptum eſt fol. 70. *aſſari debere paſcha vt ſacrificium ſit.* Et Ioſephus libr. 3. Antiq. cap. 10. θυσίαν πάσχα λεγομένην, ait quotannis ſacrificandum eſſe. Et docet Abulenſis Exo. 23. 27. Bellar. lib. de Miſſa cap. 7. additis locis, ex Marci cap. 14. 1. Corinth. 5. faceturque Caluinus 1. Cor. 5. & Iunius annotationibus in Num. 9. nota 3. dicens: Paſchalem agnum, *Euchariſticum eſſe ſacrificium, ſiue pacificorum.* idemque fere Scaliger lib. 6. de emend. f. 535. Quia vero ad quandam ſacrificij perfectionem & integritatē ſpectat eiuſdem conſumptio, idcirco interdū qui *edit paſcha*, illud etiam facere dicitur Num. 9. v. 13. vt ex verſ. 12. intelligitur. Vide infrà quæſt. 21. & 24.

QVÆSTIO XVIII.

Quem ob finem paſcha inſtitutum?

FINIS *primarius* paſchalis fuit, ad perpetuam illius Domini tranſitus conſeruādam memoriam, quo dum ipſe primogenitorum funerib. Ægyptios diſcruciaret, omnes Iſraelitarū domos tranſiliit, vt ſuprà q. 15. expoſitum. Ita. n. perſpicuè traditur Exod. 12. v. 25. 26. 27. *Cùm dixerint vobis filij veſtri, quæ eſt iſta religio, dicetis eis, victima tranſitus Domini eſt, quando tranſiuit ſuper domos filiorum Iſrael in Ægypto percutiens Ægyptios, & domos noſtras liberans. Secundarius finis* etiam fuit, vt ſimul illius tam illuſtris & admirandæ liberationis, quæ tranſitum illum ſtatim conſecuta; perpetuum eſſet monimentum, vt ex Ioſ. lib. 17. & Nazianzeno dictum q. 15. Alioquin ad liberationis huius renouandam aſſiduè memoriam fuit primario inſtituta cæremonia, de qua non multo poſt, azymorum. ſed quia totum ipſum paſcha CHRISTI IESV, immolationem, & quam nobis peperit liberationem ſignificabat, fuit vtique finis huius vtriuſque ſcopus, alius perfectior, & principalior, de quo infrà. Nunc vero recenſet fines alios Rabbini quidā. Nam Exodi rabbæ auctor, & ex eo Ralbag, Lyranus, & Burgenſis in Exod. 12. paſcha volunt à Deo ſtatutum, vt Ægyptiorum ſuperſtitionem illam delerent, qua Deum Arietem

Digitized by Google

colebant, vt ſuprà etiam q. 10. tractatum eſt. A
Cum enim paſchata immolari iuſſiſſet, igneque aſſari, ac ſolida deuorari iubebat Dominus, nonne palam vanitatem illam irridebat, ſuiſque ipſius armis inanem illum Deum conficiebat? Rabbi vero Moyſes Gerundenſis etiam à Paulo Burgenſi in Exod. 12. addit 2. citatus, & Nehmanus Domino id ſpectatum volunt, ne Iſraelitica iſta incolumitas, & ſeruitutis depulſio Arieti ſyderi, quod iſto anni tempore inibat ſol, aſcriberetur, cum Arietes mactando, ac deuorando, ſummo aſtro illi viderentur intulliſſe iniuriam. Et placent iſta Lyrano in Exod. 12. & B
Burgenſi citato loco. Ego verò Rabbinicam puto fabulam, quia cum de Ægyptiorum diis & ſuperſtitionibus tam multa tam multi tradiderint, Herodotus lib. 2. Diodorus lib. 1. c. 4. Plutarchus in Iſide. Strabo lib. 17. Philoſtratus lib. 6. cap. 9. de Arietibus præcipui nihil video, ſed generatim tantum oues ab iis in deorum numero habitas, itemque capras, & Hircos, iidem docent, prout etiam notaui Geneſ. 46. Exod. 8. verſu 26. Et Iuuenalis. C

——— *Lanatis animalibus abſtinet omnis*
Menſa: nefas illic fœtum iugulare capellæ, &c.

Neque vero Hebræi Arietes, vt infra quæſt. 18. exponetur, ſed agnos cædebant & comedebant paſchales. Iuppiter verò Hammonius cornua quidē habebat arietina, (vnde & apud Gellium lib. 3. cap. 3. *arietinum reſponſum*) ſed neq aries erat, neque in Ægypto. Et cur contra tot alios Ægyptiorū Deos aquatiles, volatiles, quadrupedes, maximè vero contra taurū Apim non bellum potius alio ritu geſſiſſet Dominus? D
Vnde & refellitur, quam in Iudæos iacit libro 5. hiſtoriæ Tacitus contumeliam, (quanquam ſi verum foret, quid mali eſſet?) dum ait: *Moſes, quo ſibi in poſterum gentem firmaret, nouos ritus, contrarioſque ceteris mortalibus indidit. profana illic omnia, quæ apud nos ſacra.* Rurſum *conceſſa apud illos, quæ nobis inceſta. Effigiem animalis, quo monſtrante errorem, ſitimque depulerant, penetrali ſacrauere: cæſo Ariete, velut in contumeliam Hammonis. Bos quoque immolatur, quem Ægyptij Apin colunt. Sue abſtinent, memoria cladis, quod ipſos ſcabies quondam turpauerat, cui id animal obnoxium.* E
Putarit vero quiſpiam fortaſſe, aliam Ægyptiorum ſuperſtitionem, de qua loco citato Plutarchus; voluiſſe Dominum profligare. Nam primi menſis die nono feſtum agitabant illi maximum: quo eorum quilibet πρὸ τῆς αὐλείας θύρας, piſcem aſſum edebat, præter ſacerdotes, qui ne guſtabant quidem, ſed ante ianuas, piſces comburebant. At nihil huc ritus iſte pertinet. Nam Ægyptiis primus mēſis non eſt idem qui Iſraelitis, *Niſan* ſcilicet, ſiue *Abib* à verno F
æquinoctio: ſed ab ortu caniculæ dum Leonem ingreditur ſol, iſteque menſis primus, ab iis vocatur *Thoht*, ille verò qui Iſraelitico reſpondet vel *Phamenoth*, vel *Pharmuthi*, vt apud Ioſephum eſt lib. primo Antiquitat. cap. 4. lib. 2. cap. 5. Illud vero ad Paſchatis hoc inſtitutum ſpectat, quod libro primo hæreſi 19. notatum ab ſancto Epiphanio, ſolitos in æquinoctio verno Ægyptios vngere oues, arbores, ficus, & ad euertendum ſcilicet incendium, quo mundum, eo die olim deflragaſſe hallucinantur, cum potius plagarum, quibus tum affecti, meminiſſe poſſent ſapientius. Sed ad primarium & ſecundarium illum finem, cur agnum delegerit Dominus, quærit quæſt. 8. Abulenſis, ſed poſt in diſputatione de materia, melius intelligetur.

QVÆSTIO XIX.

Quæ Paſchatis materia, ſiue quod immolatum animal?

PRIMO quidem debuit illud animal eſſe, vt in Hebræo dicitur *ſeh*. vertunt 70. Exod. 12. & Geneſ. 30. πρόβατον, quod ſæpe *ouem* ſignificat, interdum tamen etiam generatim *pecudum*, aut, vt in ſancto Auguſtino quæſt. 42. in Exod. *pecus*. Nam apud Euſtathium & Suidam πρόβατα, πάντα τὰ τετράποδα, & exempla ſunt in Hippocrate libro de ſacro morbo, & libro de articulis, prout monet Galenus. Et Deuteronomij 14. verſu 4. partim ἀμνὸν partim χίμαρον verterunt 70. ponendo ſcilicet ſpeciem accommodatam pro genere, ſicuti & Latinus noſter Exod. 12. verſu 3. & 4. *agnum* vocauit, pro quo alij *pecudem*, aut *pecus* vbique aut reponunt: aut certè, quod & verius & modeſtius eſt; exponunt. Latiùs enim, quam ouem, vel agnum, patere vocem Hebræam illam, docet locus Deuteronomij citatus, Radak, Pagninus, Oleaſter, alii. Ex hoc autem *pecudis* genere dixerunt aliqui, tres ſpecies *poſſe paſcha* eſſe, *Agnos*, *hædos*, *vitulos*: alii duas, *agnos*, & *hædos*; alii vnam tantum. Sed horum apud Abulenſem quæſt. 9. Exod. 12. & Lipomanum in catena, quidem *hædos* tantum, alii *agnos* tantum, vt in eundem Exo. locum Paulus Burgenſis additione 2. & iam olim ſanctus Auguſtinus citata 42. quæſtione, vbi licet concedat πρόβατον ex ſe verti poſſe *pecus*, hic tamen ita verti non vult, *quia*, inquit, *etiam aliud intelligeretur* (quam agnus) *nec ſeruaretur ſacramentum*. Vnus auctor quæſtionum XXI. in tomo 4. Auguſtini quæſt. 2. pecudem ex oue ac hœdo conflatam. velut Chimæram ſcilicet ac monſtrum.

Dicendum primo *duas pecudes fuiſſe ad paſcha inſtitutas, agnos nimirum & hædos*. Probatur ex cap. 12. Exod. verſu 5. vbi cum antea poſuiſſet *agnum*, ſubdit Dominus, *Iuxta quem ritum tolletis & hædum*. Sed *iſta verſio non conſonat*, inquit citatus Burgenſis, *Hebraicæ veritati, quæ ſic habet, ex arietibus & capris accipietis eum*. Conſonare tamen quoad ſententiam ipſam, intelliget, qui animaduertit, in Hebræo non eſſe *ex Arietibus*, ſed ex *agnis*. Magnum vero inter hos & illos eſſe diſcrimen, docet in radicibus Radak, ſicut inter pueros & viros. Nam agni tenelli ſunt, tenelliſque cordibus; Arietes vero iam robuſtiores, & robuſtioribus cornibus. Vnde & אילים *à fortitudine* vocantur. Cum igitur antea dixiſſet Interpres agnum immolandum, & addat iam ſcriptura è capris adhiberi poſſe pecudem, nonne rectè dixit Interpres, *iuxta quem ritum tolletis & hædum*? Hœdus enim eſt tenellus caper, & in genere caprarum idem, quod in ouium genere agnus.

Conatur

Digitized by Google

Conatur deinde textum Hebræum exponere A
Burgenſis, vt ſententia ſit; *Accipietis agnum de
grege aliquo, in quo ſunt arietes & capræ, prout com-
muniter ſolent aſſociari.* Quaſi vero gregis no-
men Hebræis deeſſet, vt exprimi non potuerit,
ſi hoc Moyſi ſententia fuiſſet. Deinde vſita-
tum loquendi genus eſt, vt materia ſignifice-
tur, dum dicimus: *Accipies ex his vel illis herbis,
nummis, pecoribus*, &c. id eſt, tales quaſ-
dam herbas, nummos & pecora; &c. Tertio,
ex huius quidem ſententia, non eſſet immola-
tioni paſchali agnus idoneus, qui ex grege, in B
quo non eſſent ouibus aſſociatæ capræ, ſume-
retur. Quarto, ſi cui, vt 2. Reg. 12. verſ. 3. non
niſi vnus & alter agnus eſſet, neque in grege is,
ſed domi, ac in agello paſceretur, non poſſet
is paſcha eſſe. Manet igitur & verſio, & expo-
ſitio bona, ſumi poſſe agnum & hœdum.
Confirmatur 2. ex 70. qui de *pecude*, ſeu, vt
cum Plinio, prout in 2. Mach. cap. 14. f. 1. 705.
dixi, Græcum retineam; *de probato* ſuo aiunt
ἀπὸ τῶν ἀρνῶν καὶ τῶν ἐρίφων λήψεσθε. 3. docent idem
cum iſtis, Patres Theodoretus in Exod. qu. 4. C
Procopius Gazæus in Exod. 12. Cyrilli colle-
ctanea. cap. 21. Petrus Bleſenſis epiſtola 3. De-
nique Chaldaica Paraphraſis, & cum ea Rab-
bini omnes, vti iam olim indicauit ſanctus Au-
guſtinus in Exod. quæſt. 42. *Conantur*, ait, *Iudæi
etiam hœdum intelligere accipiendum ad celebrandum
Paſcha, & hoc etiam dictum eſſe putant ab agnis &
hœdis accipi, tanquam diceret, , vel ab agnis agnum,
vel hœdis hœdum. ſi illud deſit, ſumi oportere.* In tra-
ctatu *Corban paſchalis* cap. 10. e paſchalibus 16.
præceptis explicans. ipſe Rambam; Non *ma-* D
ctando, inquit, *paſcha niſi de ouino aut caprino ge-
nere tantum*. Accedit 4. inanitas rationum eiuſ-
dem Burgenſis. *Vna* eſt quod contra Ægyptio-
rum Deum, Arietem, iſtud à Domino præſcri-
ptum ſit, ſed negatum. quæſt. 17. *Altera* quam
ex ſancto Auguſtino q. citata, vbi *ſacramentum
& præceptum figurans* dicit, videtur mutuatus,
quod victima hæc CHRISTI Domini figura
ſit. Is verò *agnus* dicitur Ioan. Iſa. 53. nunquam
hœdus. Nam & per hœdos improbi ſignifican-
tur Matt. 25. v. 33. Sed hoc perinde eſt, ac ſi E
quis ex eo, quod diabolus, vocatur *Leo* 1. Pet.
5. 8. conficeret CHRISTVM Dominum non
eſſe Leonem Apoc. 5. v. 5. Eſt verò & in ſcri-
pturis, & apud prophanos ſcriptores multò
fœdior, vilior, *hircus*, quam *hœdus*: & tamen
hirci typo notatur ipſe idem Dominus noſter
Leuit. 16. Neque verum, quod ab eodem Bur-
genſi dicitur; In paſchate figurari CHRISTVM
ſub ratione manſuetudinis, & innocentiæ, tan-
tum ſcilicet, non autem quatenus ſimilitudi-
nem carnis peccati habuit, nam certè quatenus F
mortẽ pro nobis tolerabat, eatenus *carnis pec-
cati ſimilitudinem* habebat. Et tamen de eo cru-
cifixo ex iſta paſchali figura dicitur Ioan. 19. 36.
*facta ſunt hæc, vt ſcriptura impleretur. Os non com-
minuetis ex eo.* Dicendum ſecundo, *non vtramque
pecudem in eadem domo, & ab eodem patreſamilias in
paſcha ſumendam fuiſſe: ſed alteram tantum.* Eſt. n.
communis opinio Chriſtianorũ & Iudæorum
omniũ, horumq́; perpetua olim praxis. 2. quia
ſcriptura quoties de paſchatis eſu & cæremo-
nia loquitur, ſemper quaſi de vno tantum
in qualibet domo victima loquitur. Exod. 12.

v. 6. & ſeq. Deut. 23. Num. 28. 3. quia Patres di-
cunt agnũ maxime ſumendũ fuiſſe: ſed ſi abeſ-
ſet, potuiſſet ſumi hœdulũ. Augu. q. 42. Theo-
doretus q. 34. Hugo de S. Victore in Exod. 4.
quia inuſitatum non eſt, vt particula. *Et* in He-
bræo, Chaldęo, & Græco poſita, à Latino etiam
indicata, pro *vel* accipiatur, vti oſtendit Pagni-
nus lib. 1. Inſtit. c. 21. & ſeq. & apud Græcos in
definitione naturæ l. 2. Phyſ. c. 1. itemq; apud
Syros, 1. Cor. 11. v. 27. vti ex Græco ibi, Latino-
q́ue perſpicitur: niſi tamen, quod mihi videtur;
in Syriaca illic euenerit, quod in linguis aliis
eueniſſe conſtat, vt quia in fine præcedẽtis di-
ctionis erat *olaph*, id inſequentis principio fue-
rit omiſſum, quod ſi adderetur eſſet non *Et*, ſed
Vel. ſicque fortaſſis infrà c. 10. verſ. 24. in He-
bræo eſt א poſt verbi tertiam pluralem.

Dicendum tertio *non hœdi ſoli paſcha erant*. Pa-
tet ex prima concluſione. Secundo, ex inani
auctorum huius opinionis expoſitione. Putant
enim die menſis decimo agnum edendum fuiſ-
ſe? die 14. hœdum. ſed nonne clarè v. cap. c. 12.
Exod. idem animal quod 10. die ſumptum fue-
rat, iubetur in 14. diem aſſeruari, & tunc im-
molari? Tertiò. Ex patribus antea citaris, non
niſi, cùm agnus haberi non poſſet, immolan-
dus erat hœdus.

Dicendum quartò. *Vltra hœdos & agnos, pe-
cus nulla eſſe paſcha potuit.* quia Exod. 12. v. 5. duæ
tantùm illæ ſpecies numerantur, & alibi alia
nulla numeratur. Qui autem *boues* adiiciunt,
afferunt caput Deut. 1. v. 2. ſed ſuprà q. 15. lo-
cus is explicatus. Ratione tamen pugnant hi,
ſed ſine ratione. *Poſſet.* inquiunt, *adeo ampla eſſe
familia, vt ei vel agnus, vel hœdus haud ſufficeret. Bo-
uem igitur immolare oportuiſſet.* Sanè verò, ſi paſ-
chatis eſu ex ſatiari debuiſſet familia, ne vnus
quidem fortè bos interdũ ſatis fuiſſet. At pro
familiæ magnitudine plus aut minus è paſchali
hoſtia edebant, qui in familia erant. ſi pauci,
plus, ſi multi, minus: Et ſatis erat, vel exiguam
inde buccellam accipere, prout reſpondet lib.
5. de de templo c. 3. Ribera. Videmus autem in
Gallicanis Eccleſiis, diebus dominicis, quantæ
hominũ multitudini *benedictus panis* vnus (quẽ
quia Euchariſtiæ quaſi loco ſolent ſumere, vo-
cant Græci ἀντίδωρον) fruſtillatim diuidatur, ac
ſufficiat. Erat autem moris, quemadmodũ in-
frà dicã, vt, poſt comeſſum paſcha, cibos alios,
quibus ſaturarentur, caperent. Et de his eſt XVI.
paſchale apud Rambã, loco cit. præceptũ; *Ne
quid ex paſchatis XIV. diei carne bouilla reſiduũ ſit,
vſq; ad diem tertiũ.* Solus igitur, vel *agnus*, vel *hœ-
dus* paſcha fuit. A crebriore autem & celebrio-
re vſu, *agnus* tantum communiter dicitur.

QVÆSTIO XX.

*Qualiter affectum eſſe debuit paſchale animal?
ſiue agnus?*

MATERIÆ ſiue pecudis, quæ paſcha eſſe
potuit; *conditiones tres* prę́ſcripſit Domi-
nus Exod. 12. verſ. 5.

Prima. Vt eſſet *abſque macula.* Maculam au-
tem vocat Interpres omne corporis vitium,
quod ne ritè immolari poſſet, ineptam efficie-
bat pecudem. Verbi cauſa, ſi eſſet mutila, ægra,
ſcabioſa, & ſi quid ſimile. Ideo in Hebræo dici-

Digitized by Google

tur, vt ſit *pecus integrum* ſeu *perfectum* in Græcis τὸ τέλειον, pro quo Græci alij ἄμωμον vertunt, id eſt, *quod reprehendi ac reiici non poßit*, quod omnis maculæ, ac vitij expers ſit. Satis enim probabile Græcum hoc, quemadmodum alia complura; ductum ab Hebræo מום *mum*, quod eſt *macula* Leuit. 21. 18. & alibi. Quæ verò maculæ ſeu vitia pecudem à ſacrificio arceant, explicat Leuit. 22. Moyſes *Homo qui obtulerit victimã pacificorum Domino, vel vota ſoluens, vel ſponte offerens tam de bobus quam de ouibus, immaculatum offerret, vt acceptabile ſit. Omnis macula non erit in eo. Si cæcum fuerit, ſi fractum, ſi cicatricem habens, ſi papulas, aut ſcabiem, aut impetiginem, non offerretis ea Domino, & in terra veſtra, hoc omnino non faciatis.*

Secunda conditio, vt ſit *maſculum animal*. Sed quærit quæſtione 42. in Exodum S. Auguſtinus, cum agnus non poſſit non eſſe maſculus, itemque hœdus, cur conditio hæc præſcribatur? Et quia, vt ſuprà quæſtione 18. dicebam, hic τὸ πρόβατον verti non vult pecus, cenſet idcirco *maſculum* addi, quia Græcum illud verti deberet *ouis*. At cum dici non poſſit *ouis maſcula*, vel *maſculus*, dictum *agnum maſculum*. Videlicet quia in Græco & Hebræo eſt *maſculi* vox, quæ ſane ideo in vtroque textu additur, quia tam Hebræum, quam Græcum nomen vtrumque ſexum ſignificat. Et niſi addita fuiſſet, oportuiſſet tantum ex ouium, & capratum genere anniculum animal accipere, ſiue *maſculus* ſiue *fœmella* fuiſſet. Nunc vero *maſculum* duntaxat, licet. Sed cur, infrà non prætcribitur.

Tertia conditio, vt ſit idem *animal anniculum*, ſeu Hebraicè & Chaldaicè *filius anni*. Hoc ita omnes accipiunt, vt neque annum ætate ſuperet. neque infrà octauum ab ortu ſuo diem ſit. Nam Exodi 22. & Leuit. 22. omnino vult Dominus, vt ſeptem dies cum matribus agant nati fœtus, antequam immolari poſſint. At plures hiſce tribus dixeris requiri conditiones. Primò. quia in quibuſdam Græcis, vt Regiis, vnâ cum hiſce tribus, additur quaſi diuerſa & quarta τὸ ἄμωμον. Secundo. quia Lactantius lib. 4. cap. 26. dicit agnum hunc fuiſſe *candidum*. Reſpondeo ad primum plures, in illis Græcis, verſiones coniungi, cum, vt, ſuprà dixi, prorſus idem hic valeant τὸ τέλειον καὶ τὸ ἄμωμον. Ad ſecundum. *Candidus* in Lactantio eodem modo ſumitur pro integro, minimeque vitioſo, & ad ſacrificium inhabili. Ideoque, quaſi expoſitionis causâ, ſemel & iterum addit *ſine macula*. *Præceperat*, inquit, *Deus Hebræis, vt agnum candidum ſine macula, immolarent. Nam agnus candidus ſine macula fuit, id eſt innocens, & iuſtus, & ſanctus.* Ita ille.

QVÆSTIO XII.

Cur eiuſmodi animal eſſe voluit paſcha Dominus?

QVÆSITVM quæſt. 17. cur inſtitutum paſcha: Nunc vero, cur eius materia inſtituta ſit *agnus* vel *hœdus*, curque talibus, quales quæſtione ſuperiore dixi, conditionibus affectus; quæritur. Et ſane cauſa veriſſima eſt, quod ita ei, qui inſtituit, ſummo ſcilicet Imperatori Deo placuit, verum, etſi veriſſimum hoc, genetalius tamen eſt: &, cum diuinarum cæremoniarum & præceptorũ cauſa quæritur, iam de ipſius DEI voluntate cõſtat; ideoque an voluntatis huius conſentanea quæpiam ratio ſpecialis afferri poſſit, inueſtigatur. Optima vero eſt ipſius Abulẽſis, in huiuſcemodi priſcæ legis ritibus regula quæſt. 8. in Exodo, vt ſcilicet attendatur primo ad eum, qui tunc erat, Iſraelici populi ſtatum: Deinde ad eum, qui eo ſtatu, quadã veluti figurâ, ſignificabatur, id ad Meſſiæ aduentum, eiuſque populi ſtatũ. Vel enim cæremoniæ, præceptaque diuina quiddã, quod illis temporibus vtile fuit, ſpectare potuerunt, vel quod aptè Chriſtianas res futuras, indicauit, vel certè vtrumque. *Omnia enim in figura iis contigerunt*. 1. Corinth. 10. Quoad igitur illud priſcum tempus, negat loco citato Abulenſis, cauſam eſſe, cur *agnus*, potius aut *hœdus*, quam *ouis*, *capra*, *bos*, vel aliud quodcumque animal præſcriptum ſit. Cum enim tranſitus tantum Dominici memoriæ ad poſteritatem propagandæ ſeruiret cæremonia hæc, quid intererat, oue, an capra, boue, an columba fieret? Totam igitur cauſam è figura petendam cenſet. Cum enim ſignificãdus eo ritu eſſet is, qui ſuo ſanguine aſperſos & notatos, à vaſtatoris Angeli carnificina eriperet, huncque iſtos illæſos prorſus ac immunes pertranſire faceret; quod eſſe animal potuit aptius, quam tener, mundus, ac innocens, vel agnus, vel hœdulus? Nam ſæpe agnus ille vocatus. Iſa. 53. *Tanquam agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum* Ioan. 1. v. 29. *Ecce agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi*. Et 16. *Ecce agnus Dei*. At cur mũda etiam ſimplex, candidula columba, eodem modo diligi non potuiſſet? cur non integer, mundus, & forticulus bos, ſeu vitulus? Nam & ab his multæ, quæ in Chriſtum cadunt aptiſſimè, duci potuiſſent ſimilitudines.

Mihi ergo videtur, illius etiam temporis, ac opportunitatis habitam rationem aliquã. Colebant, vt ſuprà quæſt. 17. dictum eſt; Ægyptij oues, præſertim Suitæ, & Thebaitæ; hircos alij, abſtinebantque eorum eſu, vti ſunt auctores Diodorus libro 1. Ariſtoteles 5. ethicorum 7. Strabo lib. 7. S. Epiphan. in Anchorato. Vt ergo iam Ægyptiorum Deos, ritus, terramque ipſam contemnendam oſtenderet Dominus, rectè Iudæis omnibus vniuersè, ac vno, eodemque tempore ſimul pręcepit iſtorum mactationem, eſumque. Deinde *ouium Paſtores* ex eadem cauſa contẽnebant iidem Ægyptij. Geneſ. 46. adeo vt per contẽptum crebrò Iudæos vocarit Apion *hicſos*, id eſt, *Paſtores*, apud Ioſephũ lib. 1. contra ipſum f. 922. 923. Voluit igitur Dominus agninâ, hædinaque paſtos, & quaſi cruentatos, admirabiles ipſis Ægyptiis facere. Tertiò. Per ouium nomen, & curam, impetrarunt Iſraelitæ Geneſ. 47. optimum, in Ægypti terra, commorandi locũ. Ouium igitur immolatione ipſos Deo gratias agere, melioreſque eodem auſpice, terras petere, fuit æquiſſimum. Quartò. potuit facilè familiis omnibus, & in illo exitu, & deinceps quotannis, agnus eſſe in promptu. bos non item. Quinto, cum ſingulas Iſraelitarum domos tranſiiſſet Ægyptiorum cædis auctor Angelus, conſentaneum fuit,

ad bene-

ad beneficii eius memoriam, eiuſmodi cædi animal, cuius eſus, vni; vt plurimum familiæ ſatis foret: neque parum nimis foret, neque admodum redundaret. Sextò, in aliud animal nullum cōueniſſent adeò idoneè ritus omnes, quos partim ob figuram, partim ob alias cauſas in paſchate ſancitos volebat Dominus.

Cur vero *primam* in agno vel hædo *conditionem* quæ *integritatis* ac ſanitatis erat, requiſierit Dominus, obſcurum eſſe non poteſt. quia ei, quem toto corde, totiſque viribus colere oportet, qui omnium nobis bonorum auctor, & erga nos beneficentiſſimus, ac optimus eſt, vt mutila, morboſa, vitiiſque aliis deformata offerantur, vetat ratio. Vnde & Gentiles videas ex armentis & gregibus, ad ſacrificia optimas & egregias quaſque pecudes magno ſtudio & cura legere, ac vt Græci decunt, ἐκκρίνειν, imo, vt apud Apollonium eſt; εὐκρίνειν, quod non ſimpliciter *ſecernere*, ac deligere, ſed *bene ſecernere*, ac deligere ſignificat. Nam immolaturus Iaſon, bubulcis ſuis præcepit Δεῦρο βόας ἀγέλ ηφιν ἐκκρίναντας ἐλάσαι. & apud Homerũ Odiſſ. ξ. alius τῶν ἄριστον ἐκκρίνας ἀποπέμπω. *Sacerdos*, inquit Seneca, *non integri corporis, quaſi mali ominis res vitanda eſt. Hoc in victimis notatur, quanto magis in ſacerdotibus.*

Altera conditio ſexus fuit. *Cur* igitur *voluit maſculum Dominus*? Apud Ciceronem lib. de natura Deorum, aliis, Diis maribus: aliis, fœmellis ſacrificabatur, victimis. ſed hæc abſit ratio. Nō eſt in Deo qui ſpiritus eſt; mas, aut fœmina. Solent autem quæ maſcula ſunt perfectiora eſſe, ſicque ζῶν ἄρσενα. Iliad. α & β immolat Agamemnon, adeo vt hæc etiam ad arbores fructus, & herbas perfectiores trāſlata ſit appellatio. Nam *palmæ, viteſque maſculæ* apud Plinium, *thus maſculum* apud Apuleium apolog. 1. Auguſt. q. 42. in Exodum: *Verbaſcum maſculum* apud Apuleium lib. de virtutibus herbarum cap. 71. *Nicotiana maſcula.* Licet igitur Deus, quia non ſemper à nobis perfectiſſima exigere vult, quandoque oues vacas, aliaſque fœminas in ſacrificium admittat, quando tamen perfectiores vult victimas, præſcribit maſculos. Hic verò perfectiorem cur voluerit, neque fuerit fœmina contentus, fecit figura. Maſculus enim fuit non ſexu modo, ſed & multo magis robore, ac potentia contra tartareos hoſtes, Chriſtus Dominus, Apocal. 12. etiam cum in matris vtero adhuc lateret Ieremiæ 31. *Mares*, inquit Plinus lib. 11. ca. 49. *in omni genere fortiores, præterquam in pantheris, & vrſis.*

Tertia erat conditio, ætatis. Solent *anniculæ pecudes* in omni pene animalium genere eſſe aſpectu, eſuque gratiores, caſtiores, innocētiores. Ideoque etiam Mineruæ hoſtiam deſcribit Homerus ἦνιν. id eſt, ἕνος μόνον ἔτους inquit Euſtathius. Quid vero Deo Patri Chriſto Ieſu gratius, caſtius, innocentius? Et huc adduci poſſent quæ ſuprà quæſtione 19. tractata ſunt, Lactantii verba: Sed conditiones iſtas omnes ſimul ita in illum Dei agnum clarè tranſtulit Rupertus in Exod. c. 8. *Macula peccatum eſt, at ille peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Erit ergo inquit, abſque macula, id eſt, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, in quo nulla eſt iniquitas. Sed parum haberet gloriæ ſola innocentia, ſi non*

A *adeſſet fortitudo quoque ad agenda perfectæ iuſtitiæ opera. Erit ergo inquit & Maſculus. Maſculus enim, hoc eſt, fortis, quia nihil fæmineum, hoc eſt molle, vel fluxum, admittit. Vnde & in Apocal. dicitur de muliere magna, quia peperit filium maſculum, qui recturus erat gentes in virga & ferrea. Additur adhuc quia erit anniculus, Anniculus, id eſt, perfectus, perfectionem enim ab illo conſequimur, quemadmodum & ipſe in Propheta teſtatur: Spiritus Domini ſuper me eo quod vnxerit me, ad annunciandum manſuetis miſit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis*
B *indulgentiam & clauſis apertionem, vt prædicarem annum placabilem Domini, & diem vltionis Deo noſtro. Annum inquit, placabilem pro his, quos ad gloriam præparauit, & diem vltionis in his, quos ad iram deſtinauit. Annum quippe placabilem, ſiue acceptabilem, plenam acceptionem dicit, quam & Apoſtolus prædicat his verbis: Ecce nunc tempus acceptabile. Ecce nunc dies ſalutis, &c. De huius anni illius, imo de noſtri plenitudine, dicitur ei per os Pſalmiſtæ: Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, ſubauditur, cum venerit ad te omnis caro remuneranda, in illa dierum æ-*
C *ternorum longitudine.*

QVÆSTIO XXII.

Ecquæ paſchatis eiuſdem cauſa formalis, & efficiens?

IN paſchate ſpectari poteſt, *immolatio* & *conſumptio*, ſeu *comeſtio*. Et vtraque eſt ipſa eius *cauſa formalis* ad quam reuocari poteſt *modus ad eſum illud præparandi*, & *edendi*. ſed de eo commodius poſtea. *Efficiens* vero *cauſa* eſt is, qui ho-
D ſtiam iſtam vel immolat, vel edit. Et de vtroque quiſnam ſit, manu conſeritur. *Immolatorem* ſubindicant. Nouatorum aliqui apud Bellarminum lib. 2. de Miſſa cap. 7. ex Iſraelitarum multitudine *quemlibet*. Ita enim Chemnicius parte 2. Exa. fol. 765. Francof. edit. *Nec à ſacerdotibus, ſed à multitudine immolabatur agnus paſchalis.* Et Tridentinum quidem ſeſ. 22. cap. 1. dicit à *multitudine immolatum*: ſed eo ſenſu, qui infrà docetur. Neque enim, vti nouator iſte præpoſuit, *Non à ſacerdoti-*
E *bus.* Alii *certos* quoſdam è tota multitudine, hoſque cenſet Lyranus lib. 2. Paralip. cap. 30. Et idē ibidem Bellarminus, eumque ſecutus Soärez tom. 2. q. 50. a. 6. diſp. 40. ſect. 2. ante vtrumque Dionyſius Carthuſ. 2. Par. 30. cum ipſis Marcellus lib. de tempore horarum canonicarum cap. 71. num. 11. fuiſſe *Patres familias*. Quidam verò ipſos *Leuitas*. Sed omnibus fuiſſe ius agnũ iſtum cædendi ac immolandi, quis credat? Quæ Reſpublica, quæue gens vnquam fuit, quæ ſi aliqua Numini alicui ſacrificia faceret, eorum verum
F propriumque adminiſtrum, & Sacerdotem è vulgo quemlibet ſtatueret? Obiici tamē è Scriptura poſſet Exod. verſu 47. *Omnis cœtus filiorum Iſrael faciet illud.* aut vt verbotenus ex Hebræo dicamus, *facient illud*, quod ſignificare videtur, è cœtu, ſeu ex Eccleſia Iſraelitarum, ſingulos paſcha faciendi ius habere, itidemque, ſi modo fuerit circumciſus, peregrinorum quemlibet. Nam ſequente verſu 48. ſubditur, *& tunc ritè celebrabit illud.* ſcilicet paſcha. ſiue vt in Hebræo, *& tunc accedat ad faciendum illud.* Poſſet addi, & Philo: ſed de eo poſtea.

Digitized by Google

Nunc tantum dico, ex illo Exodi loco, non confici, potuiſſe quemlibet aut Iſraelitarum aut circumciſum proſelytum immolatione hac defungi. Nam primò *facere* hoc loco *agnum*, poſſemus accipere pro *edere*, vt ſuprà quæſt. 16. notatum eſt. Hoc enim & immolationis ipſius conſummatio quædam eſt, & vero iam inde à verſu 43. de hoc ipſo eſu ſemper ibi actum. *Omnis alienigena non comedet ex eo. Emptitius circũcidetur, & ſic comedet. Aduena & mercenarius non edẽt ex eo. In vna domo comedetur.* Et hoc ipſum dicitur *facere paſcha*. Nam verſu 48. poſtea rurſum additur. *Si quis circumciſus non fuerit, non veſcetur ex eo.* Sed ſecundò. *Facere paſcha* hoc loco ſignificat propriè *ipſam immolationem*. Eam ſinguli dici poſſunt facere non per ſe, ſed per eos, quibus publicum hoc munus & cura. Sic enim etiam apud nos; ſacerdos quidem proprie ſacrificat: per eum tamen etiam populus. Non ignota iuris regula, *Quod per alium facimus, per nos facere, cẽſemur*, & vulgatiſſima phraſis. Ille Pater familias hodie mactauit bouem, aut porcum; & tamen lanii, operâ id fecit, vti ex aduerſariis agnoſcit, qui infrà citabitur Lauaterus. Alioqui ſi ſola mordicus verba teneamus, videbuntur propriè omnes agnum poſſe iugulare, qui & poſſunt edere. Sed poſſunt circumciſi ſerui, exteri, pueri, fœminæ, ac puellæ, & ſic in Iudæorum præceptis affirmatiuis eſt hoc L V. *Mas & fœmina ritè paſcha facito.*

Altera opinio veritati videtur aſſimilior. Primò, quia cum fuit inſtitutum paſcha, nulli dum erant à cæteris tribubus ſecreti Sacerdotes & Leuitæ, ideoque vſitati tum ſacrificiorum miniſtri videntur primum paſcha feciſſe, id eſt, *primogeniti*, qui familiarum prima capita, & patres erant. Quæ autem in primo illo paſchate miniſtrorum fuerit, ratio eadem deinceps, ad clariorem ſcilicet totius rei memoriam, non male cẽſeatur haud immutata. Secundò. Ipſe Philo partim priori, partim huic ſententiæ magnum auctoritatis pondus addere videtur. Nam lib. 3. de vita Moyſis. *Paſchali, ait, tempore non vt alias, Plebei homines victimas adducunt ad altare mactandas à ſacerdotibus, ſed iubente lege, tota gens ſacrificat dum per ſe mactat quiſque hoſtiã ſuis manibus.* Ecce *ſuis manibus* victimã mactat quilibet, ne q; ad Sacerdotes eã deducit, neq; ab his illa mactatur: ſed ab ipſiſmet plebeiis. Et ſubdit: *tũc vniuerſo populo cõcelebrãte lætas epulas, quiſque ſe gerit pro Sacerdote.* ἑορτὴ τὸ καλδαϊστὶ λεγόμενον πάσχα ἐν ᾗ οὐχ οἱ μὲν ἰδιῶται προσάγουσι τῷ βωμῷ τὰ ἱερεῖα, θύουσι δ' οἱ ἱερεῖς, ἀλλὰ νόμου προστάξει σύμπαν τὸ ἔθνος ἱερᾶται τῶν κατὰ μέρος ἑκάστου τὰς ὑπὲρ αὐτοῦ θυσίας ἀνάγοντος τότε καὶ χειρουργοῦντος. Et libro de decalogo penè ſub finem. *In paſchate, quando populariter* SINGVLI, *ſacrificant, non expectatis ſacerdotibus, ipſi, permiſſu Legis, fungentes ſacerdotio quot annis per vnum Diem, huic negocio deſtinatum.* Viden, id priuilegio, ſeu legis permiſſu, eos, qui Sacerdotes alioquin, & Leuitæ non erant, ſemel duntaxat anno quolibet, ſacrificaſſe; ſicque ſacerdotes, quaſi ἱερωμένοι fuiſſe. ita vt quemadmodum Romanus quidam vno tantùm die cõſul fuit, ſic & iſti, niſi quod ille in omni vita ſemel, iſti quot annis Ἑβραῖοι πατρίῳ γλώττῃ πάσχα προσαγορεύουσιν, ἐν ᾗ θύουσι πανδημεὶ αὐτῶν ἕκαστος, τοὺς ἱερεῖς αὐτῶν οὐκ ἀναμένοντες ἱερωσύνην τοῦ νόμου χαρισαμένου τῷ ἔθνει

A πάντι μίαν ἡμέραν ἐξαίρετον ἀνὰ πᾶν ἔτος εἰς αὐτουργίας θυσιῶν. Citat etiam loco citato Soarez Ioſephum lib. 2. Ant. cap. 6. vel 10. Ego tamen in Philone, *ſingulorum* nomine, non niſi *ſingulos patres familias* intelligendos exiſtimo. Alioqui vel tot hoſtiæ ac agni, vel hædi eſſe deberent, quot erant Iſraelitæ, iuuenes, & ſenes, pueri, & adoleſcentes: vel vni eidemque mactando pecori admouere manum, cultrumque omnes oporteret. A ſecunda igitur ſententia ſtat Philo. Et eum agni ſacrificandi modum ignoraſſe quis putet, cum ante Hieroſolymitanum excidium vixerit, & vtique, pro ſolemni more, ad diem illum feſtum non ſemel aſcenderit?

B Tertia tamen opinio, ex eo ſtabiliri videtur, quòd in ea ſit Claudius Sainctes repetit. 1. Euch. capite 7. & Rabbinorum non poſtremi, vt Rãbam in *Corban*, cuius de ipſo paſchatis Korban verba ſunt: *Idem hic cenſebuntur, & qui mactauit, & qui aſperſit ſanguinem, & qui adoleuit inteſtina. Si fuerit penes vnum ex iis, aut penes vnum ex ſociis comeſurorum paſcha hoc, fermenti quantum olei bacca, tempore oblationis, ecce ille vapulat, & paſcha probum.*

C Secundò. quod cauſa nulla videatur alia, cur Hieroſolymæ tantùm, ſiue in eo tantùm loco, vbi templum, aut tabernaculum erat, voluerit Dominus paſcha comedi. Deuteronomii 16. vt habet Exodi 12. Abulenſis quæſt. 44. Tertiò. Perſpicuè lib. 2. Paral. capite 30. verſu 17. *Leuitæ* inquit Hebraicus textus, *erant ſuper mactatione happeſachim*, id eſt, occupata in mactandis paſchatibus, omni non puro, ad ſanctificandum Domino. Quartò clarè itidem eodem lib. 2. Paral. 35. verſu 6. & 11. dicuntur *Leuitæ paſcha immolaſſe, iiſque pelles detraxiſſe*, eſtque totum in He-

D bræo clarius. Nam certè non in holocauſtis tãtum, & pacificis paſchalibus hoc illis munus datur, ſed in ipſiſmet paſchatibus: Neque in iis tantùm, quæ ipſi cum ſuis edunt, vt, dubitabundè tamen, ait ibi Lauaterus folio 208. 8. ſed ſimpliciter, prout idem faſſus erat priore pagina dicens. *Pater familias dicuntur agnos immolaſſe: ſed ex hoc capite, & XXX huius libri, videtur colligi quod Leuitarum fuerit officium*, &c. Quintò. Abulenſis

E Deuteronom. 16. dicens, paſcha eſſe ſacrificium, *Ipſi, ait, ſacerdotes immolant, quæ populus afferebat.* Et præterea, *non erat, ait, neceſſe, quod fieret comeſtio agni intra templum, ſed in tota ciuitate fieri poterat.* quaſi diceret aliam eſſe immolationis rationem. Rurſumque, *Sanguis intingebatur.* Sextò. Ioſephus lib. 6. cap. 45. ſcribit, Ceſtium cum Neroni Iudaicæ gentis multitudinem contemnenti vellet, quo robore, ac flore polleret Hie-

F roſolymitana vrbs, indicare, petiiſſe à Sacerdotum principibus, vt fieri ſi poſſet, populi numerum inirent. Illi vero fecerunt: ſed quomodo? Inſtabat paſcha: & ex victimarum numero populi multitudinem collegerunt. Quomodo verò ſi victimas ipſi, cæterique eorum claſſiarii nõ cæderent, ex iis numerare potuiſſent? Quomodo non tam facile, aut vrbis domos, aut capita, quam victimas ipſas numeraſſent? Et quid opus ita Ioſephum diſputare, fuiſſet? *Numerarunt Sacerdotes victimas 255600. & cuilibet edendæ victimæ minimum adſuerant puri & ſancti conuiuæ decem.* Ergo conuiuarum iſtorum fuerunt minimum 2556000? Sanè tot calculis & ambagibus parci

Digitized by Google

parci potuit, niſi adducta fuiſſent ad ſacerdotes paſchata omnia, è quibus illi facillimè omnium qui ediſſent numerum, qui eſſe poſſit minimus ratiocinarentur. Septimò. *Fecerunt* 1. Eſdræ 6. *filij Iſrael tranſmigrationis, paſcha decima quarta die menſis primi. Purificati enim fuerant ſacerdotes & Leuitæ quaſi vnus. Omnes mundi ad immolandum paſcha vniuerſis filiis tranſmigrationis,* &c. *Et comederunt filij Iſrael, qui reuerſi fuerant de tranſmigratione:* Nam paſchalem agnum tunc immolatum docet ipſe populi eſus verbis illis ſignificatus: *Et comederunt,* & poſita inibi diſtinctio azymorum à paſchate. Octauò. Fuiſſent Iſraelitæ omnes verè ſacerdotes. quia vera iis ſacrificandi poteſtas fuiſſet. Dices, ſemel in anno tantùm fuiſſe. At nihil hoc ſacerdotii rationem impedit. Nam ſemel tantùm corpus & ſanguinem ſuum cruentè, vel incruentè ſacrificauit Dominus. Et differentia hæc tantùm efficeret, alios fuiſſe aliquanto magis ſacerdotes, non eſſentia, ſed frequentia & multitudine actionum ſacerdotaliũ; quemadmodum hodie, qui ſacris operantur rariùs ab iis qui ſæpius factitant, accidentaliter modò differunt. Nonò. Paral. lib. 2. cap. 30. ver. 1. *Miſit Ezechias, vt venirent in Domum Domini in Ieruſalem, & facerent phaſe Domino.* Cur præpoſuit, *ad domum Domini?* Annon ſatis fuiſſet *in Ieruſalem?* Accedit, 5. Bachiarium epiſtola de pœnitentia, exinde Aaronem *ſacerdotem* dicere, quòd paſchalem agnum immolarit. Etſi enim tunc ſacerdotio initiatus nondum fuit; tamen quia ſacerdotum erat immolare agnum, & hoc is, quia primogenitus erat, quaſi per anticipationẽ vocat *ſacerdotem.* Atque iſto modo, non eſſet vllo pacto quæ de ſacerdotibus poſtea lata fuit; ſoluenda lex, vti à ſecunda & prima opinione fit: neque quoad miniſtrum, aliud hic quam in ſacrificiis aliis teneretur inſtitutum. Nam & alii illa olim, antequam promulgata lex eſſet, offerebant ex omni tribu homines. ſed poſtea non niſi è Leuitica. Idemque perſuaſum è Nouatoribus præter Lauaterum antea citatum, videtur ipſi Bezæ, dum, vt infrà q. 24. repetendum; ſcribit in Matthæi cap. 26. p. 122. agni huius immolationem in templo factam. Sequitur de agni comeſoribus. ſed ne longa nimium iſta ſit quæſtio, in ſequentem iſti quæſtionem, nouam veluti menſam, mittendi.

QVÆSTIO XXIII.

Paſcha qui ederunt?

EX eodem Exod. cap. 12. duæ quibus paſchatis edendi ius aut negetur, aut concedatur; promi poſſunt propoſitiones. Prior è verſu 48. & 43. 44. 45. *Paſchate veſci incircumciſus nullus poteſt.* Et perſpicua eſt ratio, eaque duplex. Prima, quia è præcipuis Moſaicæ legis ſacramentis erat agnus paſchalis. ideoque neminem, niſi primis eiuſdem legis initiis initiatum, illius participem fieri decebat. Prima verò initia erant circumciſio. Secũda. *Soli circumciſi à tranſeunte Angelo ſalui & incolumes præteriti ſunt.* Hos ergo ſolos, eo, quod ſaluti huic perpetuò memorandæ ſacrum fuit; vti ſymbolo æquum fuit. Sed quæri duo poſſunt. Vnum, *An qui ad Sinai montem paſcha ederunt, circumciſi fuerint?* Reſponſum iam A ſuprà quæſt. 5. *Etiam.* Alterum, *An fœminis paſcha etiam edere fas fuerit?* Nam & loco citato Ioſephus, victimæ cuilibet exedundæ, ait debuiſſe viros adeſſe minimùm decem, licet quandoque adeſſent plures. Et ex ea re virorum fuiſſe numerum putatum. Quod ſi viris x. affuiſſent vxores x. ipſorumque filii & filiæ, ſerui & ancillæ, vix ſuffeciſſet agnus. Quid ſi viri xx. fuiſſent? Nolo hic ea, quæ de circumciſione Geneſ. 17. dixi, repetere: tanquam certum tantummodo iam accipio, circumciſas non fuiſſe mulieres, B ſimulque Reſpondeo, *fas illis fuiſſe paſcha edere,* quia circumciſio, quæ ab edundo paſchate arcebat, viros tantùm obſtringebat. Sic enim & in aliis omnibus cæremoniis, ſacramentis adeoque in ipſa legis obſeruatione, cuius profeſſio à D. Paulo Galat. 5. v. 3. circumciſio ſtatuitur; factum fuit. Quod autem ex Ioſepho affertur; explicatum ſuprà quæſt. 18. Et verò cum poſtea menſtruatas à paſchatis eſu ſubmouet, clarè docet, fœminis aliis quæ intaminatæ eſſent, vſitatum fuiſſe illum agni eſum. Et Iudæorum, C vt ſuprà quæ. 12. dicebam, præceptum LV. eſt, vt *mas & fœmina paſcha ritè faciant.* Poſterior propoſitio è verſu 44. 48. *Quiſquis circumciſus erat, paſcha edere poterat, imò,* vt Numerorum 9. v. 13. additur, *debebat.* Ita enim ibi ſcriptum eſt. *Si quis & mundus eſt, & in itinere non fuit, & tamen nõ fecit phaſe, exterminabitur anima illa de populis ſuis quia ſacrificium non obtulit Domino tempore ſuo. Peccatum ſuum ipſe portabit.* Quæruntur verò hic aliqua.

Primum. *An infantuli edere debebant, & ægri,* D qui cibum vel omnem, vel certe illum faſtidiebant? Reſpõdetur, neminem eo præcepto fuiſſe obligatum, niſi in quo edendi eſſet facultas naturalis. Si ergo eſſet infantulus, qui lacte tantùm & pulte, non ſolidiore cibo veſci poſſet: ſi æger, cui ciborum vel omnium, vel carnis & azymorum ac amarorum guſtationem ademiſſet morbi vis, eum paſcha eſſe haud erat neceſſarium. Si enim excuſabantur viatorum quidam, vti monſtrat contextus, quidni & iſti.

Alterum. *An qui natu maior erat, inuitus erat cir-* E *cumcidendus, vt comeſſe paſcha poſſet?* De Iſraelitarum ſeruis ita ſentiunt Abulenſis Exod. 12. q. 56. & Caietanus ibidem: diuerſo tamẽ modo. Nam ille ſeruos, cum toti ſint in Dominorum poteſtate, ac peculio, inuitos circumcidi, & vt legem cæteram totam obſeruẽt, cogi poſſe arbitratur: hic verò circumcidi tantùm poſſe inuitos, non autem ad Legis profeſſionem adigi. Vtraque tamen opinio, Geneſ. 17. ex Ioſepho in vita ſua Soto 4. d. 1. Abulenſi 4. part. quæſt. 72. imminuta eſt. ideoque non niſi libere circumciſus, ſi- F quidem adultior ſit, paſchalem inire menſam debuit.

Tertium. *Quæ ad faciendum paſcha mundities requirebatur?* Numerorum cap. 9. vnum tantummodo legalis immunditiei genus, quod à paſchatis eſu prohibebat; refertur, *mortuorum* ſcilicet *contactus.* Sed eadem fuit ratio in cæteris immunditiei legalis generibus omnibus, prout & res ipſa oſtendit, & Ioſephus libro 6. captiuitatis cap. 45. *Neque enim leproſis,* ait, *& ſemenifluis, neque menſes deiicientibus fœminis; neque aliis alii*

Digitized by Google

vllo modo contaminatis licebat huius ipſius ſacrificij participes fieri: ſed neque alienigenis, qui religionis cauſa præſto fuiſſent. Contrariam tamen in poſterioribus ſententiam reddit Ruffinus ſic. *Sed nec alienigenis quidem, niſi qui, religionis cauſa, veniſſent.* At parum peritè. Nam Græcus ait, ἀλλ' οὐδὲ τοῖς ἀλλοφύλοις ὅσοι κατὰ θρησκείαν παρῆσαν. Vult enim orationem, & cæremoniæ huius ſanctitatem, ac præſtantiam augere Ioſephus. Ideoque cum dixiſſet, ab ea Iſraelitas omnes, quos labes inquinaſſet vlla, omnino abſtineri, ſubiunxit, ſed *ne alienigenis quidem, etiamſi puri alioquin & mundi forent, imo etiamſi, religionis cauſa, Hieroſolimam veniſſent, fas non eſſe ad victimæ huius epulum admitti,* quia ſcilicet circumciſi nō eſſent. Talium enim qui ad Hieroſolymitanum templum piè accederent, magna erat Gentilium multitudo, vt ex Salomone 3. Regum 8. verſu 4. ex S. Ioanne manifeſtum cap. 12. verſu 21. ex Leontio in S. Ioannem. Ad quod etiam faciunt, quæ de ſacris Gentilium iſtorum donis notaui 2. Machab. ca. 3. & de extimo templi atrio 3. Regum cap. 6. ex ipſo Ioſepho, & aliis.

Quartum. *An iſtiuſmodi mundities requirebatur tam in paſcha edente, quam immolante?* Lyranus libro 2. Paralip. cap. 30. videtur in ſolis immolantibus puritatem requirere, non in edentibus. Quia enim Patres familias quidam puri non eſſent, pro eis, ait puros Leuitas, paſcha immolaſſe: immolati tamen paſchatis eſum illis concedit. E contrario Burgenſis ibidem, additione prima, in ipſis qui agnum mactarent, puritatem haud poſtulat, ſed in edentibus. Quin tamen in vtriſque puritas illa neceſſaria fuerit, nihil equidem reor ambigendum. Nam generatim puritas in paſcha facientibus requiritur. Nume. 9. At non ſoli agnum mactantes, ſed & epulantes: neque hi ſoli, & ſed & mactantes, & quidem multo magis, agnum faciebant vt ſuprà quæſt. 16. probatum. Deinde, quomodo in ſacrificiorum aliorum immolatoribus & comedonibus puritas eſſe debuiſſet; in hoc autem vno tam ſancto, tam celebri, & venerando, alterutri eſſe poſſent impuri, & contaminati? Tertio, 2. Paralip. 30. verſu 16. ſacerdotum quidam dicuntur ideo non immolaſſe agnum, ſed è Leuitarum tantummodo manibus, ſanguinem accepiſſe ac effudiſſe, *quia ſanctificati non erant.* In ipſis ergo immolatoribus eſſe debebat puritas. Rurſum verſu 18. cum è populo agnum ediſſent multi non ſanctificati, eo ipſo peccaſſe oſtenduntur. Sic enim ibi, *Magna etiam pars populi de Ephraim & Manaſſe, & Iſſachar & Zabulon, quæ ſanctificata non fuerat, comedit phaſe non iuxta quod ſcriptum eſt.* Et poſtea verſu 19. *Orauit pro iis Ezechias, ne ipſis imputaret Dominus, quod minus ſanctificati fuiſſent. Quem exaudiuit Dominus, & placatus eſt populo.* Oportuit ergo & comeſores caſtos ac puros fuiſſe. Sic ſanè & capite 35. de immolantibus. ver. 6.

Quintum. *An quia menſe anni ſecundo paſcha facere licebat iis, qui menſe primo polluti fuiſſent, aut in longinquius iter feciſſent,* vt infrà quæſtione 27. patebit, *licuerit etiam tertio, ſi ſecundo, rurſum eos aut pollui aut peregrinari contigiſſet?* Non opinor. quia cum menſis primus ſolemnitati huic à Deo deſtinatus fuiſſet, ne de ſecundo quidem menſe

A auſus fuit aut ſtatuere, aut reſpondere Moyſes Numer. 9. niſi Dominum conſuluiſſet, iſtamque menſis vnius ampliationem accepiſſet. Vltra igitur ampliare quomodo nos audeamus? Apud Diuum Hieronymum, Traditiones in Paralipomena, *In tertio, aiunt, menſe, illicitum erat, paſcha peragere.*

Sextum. *Quæ pœna erat Iſraelitæ ac circumciſo Paſcha ſuo tempore prætermittenti?* Capitalis erat. Dicitur enim capite Numerorum citato. *Exterminabitur anima illa de populis ſuis. Et peccatum*

B *ſuum portabit.* Sunt autem hæ in capitalibus pœnis formulæ. Sed à quo pœna hæc inferebatur? Traditiones illæ ibidem, à Deo inflictam tradūt ſic: *Aiunt neminem pollutum potuiſſe phaſe comedere, quin ſtatim moreretur, & in eo placatum Dominum cognouerunt, quia comedentes extincti non ſunt.* Credibilius tamen à Legum cuſtode ac vindice *magiſtratu* ſupplicii hoc impoſitum. Cur enim hic potius, quam in aliarum omnium Legum violatione, ipſemet pœnam Domins repeteret? Cur, quod eſſe poterat ordinarium delictum,

C ordinario per homines modo puniendi, non puniiſſet? Quibus igitur paſcha edendi ius fuerit, aut non fuerit, hactenus dictum eſt.

QVÆSTIO XXIV.

Quis edendi paſchatis modus?

D MODVS conſiderari poteſt *duplex.* Vnus, quoad ipſam edendam pecudem: alter quoad edentes. Et quoad illam, rurſum duplex. Vel enim illius ad eſum præparatio, vel integritas ſpectatur. *Præparatio* in iſtis poſita eſt.

Primus. Agnus diei menſis primi decimo deligebatur, iſque ad diem XIV. veſperum domi alebatur, & ad cædem præparatus cuſtodiebatur. Exod. 12. verſ. 3. & 6. Sed enim cæremoniam iſtam illo tantùm Ægyptiaci exitus tempore, non autem quotannis poſtea, obſeruandam tradidit

E ibidem poſt quæſtionem 4. & Ioſue cap. 4. q. 21. Abulenſis eumque ſecuti alii, vt Ribera lib. 5. cap. 3. de templo. Nam *primò* hic cap. 23. infrà, cap. 16. Deut. alibi, quoties de paſchate agitur, nulla vnquam præceptionis huius repetitio. *Deinde* cauſæ, cur prima illa vice fieri hoc debuerit, afferuntur quatuor. *Prima*, ne propter varias exitus curas & occupationes, agni huius obliuiſcerentur Iſraelitæ. *Secunda*, vt ocii plus foret ad explorandum, eſſétne talis agnus, qualem eſſe oportere ſuprà q. 19. dictum eſt. *Tertia*, vt aſ-

F ſiduo agni illius aſpectu balatuque monerentur iidem Iſraelitæ de inſtante liberatione. *Quarta*, vt conſiderent certò, Deum opem ferre, cum ſe in ipſis Ægyptiorum oculis, impunè iam viderent eas, quæ auguſta illis numina eſſent, animantes ac mactationem capere, & colligere. Exod. 8. Hæ verò rationes in conſequentia tēpora non congruunt. At iſtis haud multum equidem moueor. Nam *primò* ſunt aliæ hic etiam cęremoniæ, conſecutis retētæ temporibus, quæ tamen hic tantùm memorantur. verbi cauſa,

cum

cum capite, pedibus, ac inteſtinis vorandum, cum renum accinctu, pedum calceatu, baculi geſtatu. Satis eſt vniuerſe poſtea dici, paſchales ritus omnes ſeruandos, Num. 9. v. 3. 12. 14. *Deinde* cauſæ illæ, vel minus aptè ſunt, vel in conſequentia etiam tempora cōgruunt. Prima ſanè minus apta videtur. Quomodo enim agni, è cuius ſanguine vita, omniumque ſalus pendebat, obliuiſci potuiſſent? Quomodo non in primis & antiquiſſimis eius immolationem curis habere? Debuiſſent pari modo, quidquid obliuioni tunc datum nollent, duobus, tribus, aut quatuor diebus anticipare. Secunda & tertia cauſæ, ſunt illæ quidē idoneæ, ſed in annum quemlibet cadunt optimè. Nam & igni, qui ad ſacrificium tantùm adhibendus foret, bonitatem ac puritatem quatriduo explorare poſteros item decuit, & crebro tenelli agniculi, occurſu, aſpectu, ac balatu de præterita olim ex Ægypto liberatione cōmoneri. Quarta inepta eſt, cum illud, quo deſignatus hic ad immolationem agnus domi habebatur, triduum, denſiſſimę oppreſſerint tenebræ, vt quid à Iudæis fieret, videre nihil poſſēt Ægyptii, prout in Ægyptiacis dictum plagis. Exod. 11 Eſto tamen non fuerint tum tenebræ: nonne in Iſraelitarum ædibus fiebant hæc omnia? An intima illorum penetralia ſuis illi ſemper oculis rimabantur? Et quomodo magis iam offenderentur, quæ quoties alias, agnos & hædos, quotidiani cibi cauſa, iugulabant? Nam quod de hiſce diis ſuprà dictum eſt q. 20. ad Hebræos ipſos pertinuit. Solent, vt infrà dicetur hodie Iudæi, totam penè ante paſchalem hebdomadem in farinæ ad azymos præparatione, in domus & ſuppellectilis purgatione, in ſimilibus aliis ponere: quidni & olim quotānis agnos præpararint? cur vt ad primi paſchatis ſimilitudinem accederent, propitius veterēq; memoriam renouarēt magis agno illi è grege deligendo, domi alēdō, & probando, quatriduum, cum ſua in terra iam liceret non libentiſſimi darēt? Et ſanè perpetuum fuiſſe ritum hunc tradunt Rupert. l. 10. in Io. ſuper c. 10. & 11. l. 2. Exod. c. 6. l. 5. de diuinis offi. c. 7. S. Chryſoſtomus in D. Thomæ catena Io. 12. V. Beda homilia dominicæ palmarū, & in 2. Matthęi, S. Anſelmus, Lyranus Sagneius in Ioan. ca. 12. docentes, quemadmodum idcircò voluerit Dominus verum ſcil. Paſcha, & verus agnus, Hieroſolymam inire, totaque à ciuitate quaſi excipi quinis ante paſſionem ſuam, diebus. Ambigunt verò nonnulli; cur l. 2. Antiq. ſub finem Ioſephus dixerit, agnū hunc oportuiſſe die XIII. præpari. At non dicit. Nam in Græco tantum ait cap. 5. ipſos Iſraelitas die XII. in XIV. eſſe debere ad emigrandum paratos, & expeditos. In Ruffini autem verſione c. 14. ſic; *Iuſſit Dominus Moſen præcipere populo, vt ſacrificium paratum haberet: eſſentque perſtructi die 10. menſis Xanthici, & egreſſuros, Hebræos, omniaque portaturos aſſeruit.*

Secundò. Iugulabatur agnus; eiuſque ſanguis excipiebatur: & primo quidem Paſchate, ſuper vtroque ianuæ poſte, ipſoque ſuperliminari domus in qua edendus ille fuit, ponebatur Exod. 12 v. 7. An verò in omnes poſtmodū annos ea propagata fuerit cæremonia, reſpondet Abulenſis q. 10. non fuiſſe. *Primo,* ob rationem, qua etiam ſuperius vtebatur, quod in ſola Exod. c. 12. cæ-
A remonia iſta narratur. *Secundò.* quia ea fiebat, vt ſanguinem videns percuſſor Angelus domos eo ſāguine notatas cladis immunes ſineret. *Tertiò.* adiicit rationem Exod. 25. q. 27. debebat calidus ſanguis domorum foribus aſpergi. At quia in templo poſtea immolatio paſchatum fiebat, nō poſſet calidus ſanguis domum afferri. Sic & *ſingulare hoc mandatum eſſe* aſſerunt Iunius & Tremellius. Sed *primæ* ratio iam labefactata: *ſecunda* non efficit, quo minus in eius, quæ tum facta eſt immunitatis, ſalutiſque memoriam eadem re-
B peteretur cæremonia. Nam & azymi verè tunc ob præſentem neceſſitatem, aliuſque panis penuriam eſitati ſunt: eorum tamen memoratio ſimili deinceps eſitatione in poſteritatem omnē traducta eſt. *Tertia* ratio ſumit aliquid, quod probandum eſſet, ſanguinem ſcilicet oportuiſſe ſēper, foribus aſpergi calidum. Et tamen ſi cōcalfacta prius vaſa fuiſſent, potuiſſet adhuc induſtria quadam fieri vt calidus è templo ſanguis domū afferretur. Lactāt. l. 4. c. 26. cum præſignificatum agni huius ſanguine diceret, futurum,
C vt ſignum crucis maximum atque ſublime frōtib. ſuis mundus exciperet, adiungit, *Cuius rei figuram Iudæi iam nūc exhibēt, cum limina ſua de cruore agni notant.* Et licet hoc aut Hieroſolymitani, ſi qui erunt, Iudæi tantùm poſt exciſum templū facerent, aut omnes quidem, ſed aliqua tantùm veri paſchatis imitatione: intelligitur tamē cum verum paſcha facere adhuc licuit, iſtum adhuc ritum adhiberi ſolitum fuiſſe, vel ſaltem id cenſuiſſe Lactantium. Legimus tamen, paſchatum ſanguinem ab immolatorib. Leuitis accepiſſe
D & ſparſiſſe ſacerdotes 2. Paral. 30. v. 16. & cap. 36. v. 11. vt ſcil. contingerent altaris cornua Exod. 23. & notat Abulenſis Deuteronom. 16. & tunc probatur quo ſuprà dicebā de immolatione in templo q. 21. Sic enim ca. 1. *corban paſchatis*, ait Rambam, *Sanguis paſchatis debebat effundi iuxta baſin altaris.* Ruſumque monet, ordinariè poſt effuſum iugis ſacrificii ſanguinem, debuiſſe paſchatum ſanguinem effundi, ſiue ante hoc ſacrificium, à meridie tamen, mactatum fuiſſet paſcha, ſiue non. Hic porro ſanguis Exod. 12. v. 22.
E dicitur eſſe in limine, & in eum intingendus hyſſopi faſciculus, quorum vtrumque difficultatem habet. Nam 1. pro *limine* vertunt quadam *in pelui* videlicet quia Hebræum *Saph* & *vas* & *limen* ſignificat, Chaldæaque Paraphraſis pro *vaſe* accepit. Sed noſter ipſos 70. ſequitur, qui παρὰ τὴν θύραν bis verterunt. Deinde pro *hyſſopo* ex Rabbinorum ſententia voluerunt iidem *origanum*, ſiue id quod Arabes *Tzatar* vocant. Sed ſciendum 1. Hebræum *ezob* & Arabicum *tzatar* primò & per ſe latæ eſſe ſignificationis. Nam
F & hyſſopum, & omnia origani genera, & thymbram, & thymum, & ſatureiam complectitur vtrumque, velut affinitate iuncta. 2. rectè verti hic & fere ſemper alibi *hyſſopum* 1. quia ita S. Paulus Heb. 9. v. 19. vertit 2. quia hic & Nū. 19. Pſal. 50. & alibi 70. 3. Ipſum etymon indicat valere *ezob* ad fluxus, tuſſim, duritias, collectiones, & manantia vlcera. Ideoque quod horum efficiendorum vim habet maximum, meritò præ cæteris *hyſſopus* vocatur. *Tzator* verò propriè, vt etimo etiam indicatur; id quod in

eodem genere minimum eſt, ſature iam nimirũ ſignificat: ideoque & ipſa fere intelligitur 3. Reg 4.32. Adipem verò nocte tota vſque ad poſteri diei auroram adolere fas fuit: vlterius differre, nefas: vt ibidem docet Rambam.

Tertiò. Excoriabatur iugulatus agnus, diffindebatur, perpurgabatur, & eluebatur. Omnia tamen, hæc victimarum vſus, & neceſſitas docebat. Sed q. 11. Abulenſis extracta putat inteſtina & lota, Caietanus verò ſolum euulſum fel, & viſcera quæ ſordes continent, eiecta. Nulla fiebat alioqui patrium vllarum reſectio, non crurum, non capitis: nulla etiam in partes eſt fruſtra diſſectio: ſed integra prorſus relinquebãtur omnia. Exod. 12. v. 46. Num. 9. 12. Ioan. 20. 30. Breuiter verò loco antea citato Rambam. *Poſteaquã*, inquit, *effuderunt ſanguinem Paſchatis excoriant, & ſcindunt ventrem, & extrahunt inteſtina: & edolent adipem, cuiuſque ſacrificij ſeorſim, & Dominus ſacrificij, tollit paſcha ſuum cum eius cute; & defert domũ, Ieroſolymæ.*

Quarto. Idem perpurgatus & elutus agnus aſſabatur. Exod. 12. v. 9. *Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, ſed aſſum tantum igni.* vbi obſeruandum, *primò, crudum* hic vocari, non quod *planè crudum* & incoctum eſſet, ſed quod minus benè coctum aut ſemicoctũ etiam. Nam primò adeo barbari ac feri non erant Iſraelitæ, vt niſi prohiberetur, carne cruda veſci aut poſſent aut vellent. E contrario in cicuribus etiam humaniſque populis inueniuntur non rarò nõnulli edaces, guloſi, & omnis in apparando cibo moræ impatientes, vt ſemicrudas & pœne adhuc ſanguinolentas carnes rapiant ac vorent. *Secundò*. Sunt apud Ariſtotelem l. 4. meteorol c. 2. & 3. artificioſæ ac eius, quæ extrinſecùs duntaxat fit, coctionis duæ ſpecies, *elixatio* & *aſſatio*: & his duæ aliæ opponuntur *cruditatis* ſeu imperfectæ coctionis *ſpecies*, illi quidem μώλυνσις, huic στάτευσις. Deus igitur agnũ coqui vult non priore coctionis ſpecie, ſed poſteriore, & hac non imperfecta & στατευτικῇ, ſed perfecta: ita vt duo hic, quæ aſſationi repugnant, vetet Dominus, elixationem omnẽ, & στατεύειν. Et duas quidem illas concoctionis ſpecies deſcribit hoc loco ſcriptura per ignem & aquam, tanquam per cauſas efficientes, dicens in Hebræo, *Non comedetis ex eo* (agno) *nā & coctionem coctam in aqua: ſed aſſum igni*; non quòd illa in aqua coctio abſque igni fiat, & ſed quid per ignem tantùm, tãquam cauſam remotiorem fiat, & per aquam tanquam propiorẽ cauſam. Aſſatio verò habet interdum ignem etiam remotiorem, & aërem proximum, ſed ignea ſemper ſiccitas eſt, qua coctio iſta fit: in elixatione autem humor agit calidus. Vnde & apud Athenæum li. 14. aſſæ carnes à veterum quodam vocantur φλογίδες. Et lib. 2. Paralip. c. 35. *aſſatio* quidem vocatur etiam *coctio in igni*: ſed *elixatio* per inſtrumenta ſeu vaſa, quibus humor ille continetur, deſcripta eſt, dum dicitur; *Pacificas hoſtias, ſiue, & ſancta coxerunt in lebetibus, & cacabis & ollis*, ſicuti & 1. Reg. c. 2. v. 14. *Tertiò*. Pro *crudo* in Hebræo eſt *na*. quæ vocula cum alibi ſignificet *nunc*, aut *quæſo*, miratur Oleaſter, quomodo hoc vno duntaxat loco pro *crudo* accipiatur. *Mihi*, ait, *ſemper ſuſpecta fuit hæc ſignificatio. Et*

A *puto radicem eius nominis eſſe* ברא *quod eſt frangere vel diſſecare, vt his ſit ſenſus. Non comedetis ex eo fractum vel diſſectum. ita vt nolit in fruſtra diuidi ad coquendum cum in aqua, ſed integrum aſſari & comedi.* Sed magna mihi videtur temeritas, verborum ſignificantias alias fingere, quam quas antiquiſſimi Hebræorũ Rabbini, Septuaginta dico Interpretes, vel alij Græci, & Latini tradiderunt. At in illis omnibus vox iſta vertitur ὠμόν: in his verò crudum. Si eam Oleaſtro *fractum* vel *diſſectum* interpretaremur, nonne poſſet eam interB pretationem pari ratione ſuſpectã habere alius, quòd hoc ſcilicet in loco, ea tãtùm inueniatur? Accedit, nihil hac in re à Chriſtianis Græcis, & Latinis recentiores etiam Iudæorum Rabbinos diſſentire. Quin verò Raſchi *vocem*, ait, *Arabicam, quæ ſignet aliquid minus*, quam adeſum neceſſe eſt; *bene coctum*. Eſt inde fortaſſis Germanicũ noſtrum *rho*, ſiue *rhaw* crudum, vt à גן Hebræo videtur Germanicus *gart*. Latinus *hortus*. *Gallicus* iardin. Nam & Græcis & Latinis vſitata mutatio *n* in *r*.

C Cæterum cur hunc aſſari quam elixari agnum maluerit Dominus cauſæ ſunt. *Prima*. Vt emigrationis ex Ægypto ſignificaretur celeritas & præparatio. Celerius enim aſſatur caro quam elixatur, vt propterea Geneſ. 18. v. 7. dum tribus hoſpitibus ad ſe diuertẽtibus approperaret hoſpitaliſſimum Abraham prandium, vituli aſſationem famulo mandaſſe intelligatur, dum dicitur. *Ipſe ad armentum cucurrit & tulit inde vitulũ tenerrimũ, & optimũ: deditque puero qui feſtinauit & coxit illũ.* Sic enim & apud Homerũ Odiſſ. 3. aduenienti Vlyſſi Eumæus, celeritate maxima parcelD los duos occidit καὶ ἀμφ' ὀβελοῖσιν ἔπειρε χέας. Vbi Euſtathius, *Obſerua*, inquit, *Eumæum carnes aſſatas Domino ſuo apponere ob adhibitam feſtinationem.* Sũt tamen hodie coci, quibus ſi non maior, par certè in elixando velocitas. *Secunda cauſa*, vt eſſet ſacrificium, inquit *Tſeror Hammor*. Licet enim, vt ſuprà dictum eſt, quædam etiam in ahenis & ollis elixarentur victimæ, ferè tamen, vel victimæ illæ totæ, vel ea earũ pars, quæ Dei propria magis erat; aſſabatur, tandemque comburebatur. E Et apud Athenienſes, vt ait apud Athenæum li. 14. Philocorus, ſolis Horis ſeu tempeſtatibus elixa offerebãtur ſacrificia. *Tertia cauſa*, quia ſimpliciſſimus carnes coquendi & condiendi modus eſt aſſatio. Inde ſiquidem & à Latinis *aſſum* vocari putant quidam. Cum enim *aſſum* veteres dicerent, quod ſolum eſt, (vnde & *aſſa vox*, quæ ore, abſque vlla muſicorum inſtrumentorum admixtione funditur) aſſa caro dicta eſt, quæ ſola, id eſt, ſine vllo alieni ſaporis pigmento in opſoniis inferebatur. *Quarta cauſa*, quia idem etiam F modus, omnium apud mortales antiquiſſimus eſt, vti docet Varro, & fabulis etiam ſuis Homerus, dum heroibus elixas nunquam, ſed aſſas, tantùm ſemper carnes, & piſces apponi, vti lib. 1. notauit Athenæus, Euſth. Iliad. μ. & in Aeneid 1. Seruius. *Heroicis*, ait, *temporibus carne non veſcebantur elixa.* quod tamen non niſi de primis omnino diuerſarum regionum temporibus verum eſſe, docent, quæ de elixatione apud veteres etiam ſparſa ſunt. Nam 1. Metamorph. Ouidius:

Atque

Atque ita ſemineces partim feruentibus artus
Mollit, aquis partim, ſubiectiio torruit igni
Idemque de Itylo.
Pars inde cauis exultat ahenis,
Pars verubus ſtridet.
Lib. 8. Val. Flaccus.
Pars verubus, pars vndanti deſpumat aheno.
Seneca Thyeſte.
Hæc verubus hærent viſcera: & lentis data
Stillant caminis: illa flammatus latex
Querente aheno iactat.
Iuuen. Satyra 15.
Nec ardenti decoxit aheno
Nec verubus.
Claudianus in Eutrop.
Quas figet verubus partes: quæ fruſtra calenti,
Mandet aquæ.

Et quid multis? Videmus in hoc Exodi capite, & aliis ſuprà cit. loc. diſertè nominari *coctionē in aqua* vel *ahenis & ollis*, antequam heroica ferè tempora hæc fuiſſent. Videbis, ſi te ſcitamenta hæc oblectent, Ioſephum Caſtalionem in variis lectionibus, & Corradum. *Quinta cauſa.* hominibus ocioſis, vel mentis agitatione occupationibus ſunt elixę quidem vtiliores & ſalubriores vti Odiſſ. 3. oſtendit citatus Euſtathius, in Meteora Albertus, l. 14.; Athenæ aſſæ tamē robuſtioribus, & corpore laborantibus, cōducibiliores. At Iſraelitis iter iam pedibus erat ineundū. *Sexta cauſa* eſt CHRISTI Domini, agni veri figura, prout contra Tryphonem tradit S. Iuſtinus. Sed de ea loco ſuo poſtea.

Quod ſi verò extracta fuerant ex agno viſcera, ea vt aſſarentur; ſuum in locum recondebantur, iterumque infarciebantur. Aſſatio hæc in fornacibus fieri ſolebat, vt indicat Rambam, & ex eo Scaliger lib. 2. de emendatione temporum pag. 102.

V. Aſſatus agnus comedebatur. eodem Exodi cap. verſu 8. vbi quia eſt, *Edent carnes*, putarunt Iudæorum nōnulli apud Abulenſem quæ. 10. neque neruos, neque cartilagines edendas fuiſſe. At enim cum de carnium eſu agitur, tam anguſtè id nominis capi nunquam ſolet. Deinde apparet, hic ideo carnium tātummodo mentionem factam, vt oſſibus, quæ, ne in eſu quæreretur medulla: frangi vetita ſunt, opponerentur. Iam verò in cæremonia, in qua feſtinationis perpetua quaſi ſymbola ſunt; operoſam neruorum & cartilaginum à carnibus & oſſibus diſparationem, quæ non niſi le[illegible]è fieri poterat; præſcriptam quis credat? Cum *cartilagines* præterea vel oſſi alicui iunctæ, vel ſolitariæ ſint; nullasne vel aliquas tantùm eſſe licuit? Si nullas, ergo neque laryngem, neque epiglottidem, neque auriculas, neque alias tam multas, quæ coſtarum adulterinarum præſertim & oſſium extrema cingunt & communiunt, edere potuit. Quomodo igitur verſu 9. *caput cum pedibus & inteſtinis vorari* iuſſum eſt? Si aliquas verò edere licuit, quasnam illas, & cur eas potius quam alias? Par de *neruis* poſſet eſſe quæſtio, cum ij aliquando pro ligamentis & tendinibus, muſculorumque parte altera ſumantur, vt oſtendit Fernelius Anatomiæ cap. 5. & 10. Veſalius lib. 2. & 4. aliquandò pro longis & teretibus vaſis per quæ à cerebro ſpiritus, qui animales vocantur, deferuntur.
A Et quia hoc ad edendæ pecudis integritatem ſpectat, ſubiungenda, quæ eodem ſpectant verſu 9. & 10. *Caput cum pedibus eius, & inteſtinis vorabitis. Nec remanebit ex eo quidquam vſque mane. Si quid reſiduum fuerit, igne comburetis.* Vbi *vorandi* verbum pro *edendi* verbo poſuit interpres, vt celeritatem magis exprimeret. Alioquin Hebræus *comedendi* verbum, & quidem in periodi principio tantùm ſemel adhibet: *Pedeſque* ſumi debent paulò latius, vt crura etiam ſignificentur. Hæc enim in Hebræo ſunt. & ita quidem, vt ex ea voce videan-
B tur Latinis *crura* nata. Ne autem ſupereſſe quidquam poſſet, prouiderat Dominus verſu 4. tantum concedendo conuiuarum numerum, quantus agno toti edendo ſatis foret. ſed *quatuor* hic *quæſtiunculæ*.

Prima, *cur vſque ad matutinum tempus ex agno ſupereſſe nihil voluerit Dominus?* Generalis reſponſio eſt, eum ea, quæ ſibi ſacrificata eſſent, noluiſſe in prophanum, multo minus abiectum & ſordidum vſum venire. Potuiſſe
C autem id accidere, ſi plures in dies illorum delatus fuiſſet eſus. Nam potuiſſent ablatæ Deo carnes, quaſi aliæ quælibet prophanæ, in quotidianam menſam modicè à quolibet patrefamilias inferri, ſicque familia ſuſtentari: potuiſſent etiam calore aut humore nimio corrumpi, fœtere ac putreſcere, ſicque canibus aut felibus eſca fieri. At ſacrificii dignitate alienum vtrumque. Ea propter cauit hoc in omni ſacrificiorum genere Dominus Leuit. 7. Sed ita, vt vnum duntaxat quandoque diem,
D quandoque duos abſumendis hoſtiis concederet, nunquam tertium. ibidem verſu. 15. 19. & in Ioſepho 3. Antiq. cap. 10. Græcè. Quia igitur ſacrificium erat agnus, ideo certum ei edendo tempus præſcripſit. Sed cur vnicum tantummodo diem, imo noctem dedit? vt celeritatis in agno primo edendo ſuſcepta magis vigeret perpetua memoria. Cum enim ante poſterum diem diſcedendum fuerit, ſi ſemeſos agnos reliquiſſent, ii poſtridie vel noua diſcedentibus ſarcina, vel Ægyptiis, hoſtibus ſputatilicum ludibrium
E fuiſſent,

Altera: *Cur pedem, & inteſtinorum tam diſertè facta mentio?* Primò quia ſuſpicari quis potuiſſet, hæc omittenda, quod omnis in agno reſpueretur elixatio. Hæc verò aſſari non ſolent. Nam pedes, cum & ſicci & neruoſi admodum facilè comburerentur: inteſtina propter viſcoſum, tenacemque humorem difficulter aſſarentur: aut propter fibrarum teneritudinem ac mollitiem, facilè vel adurerentur, vel cōtraherentur. Deinde, quòd vel illos vel iſta quarundam gen-
F tium conſuetudo non edit, aut certè vix.

Tertia, *quidnam intelligatur per verba illa, ſi quid reſiduum fuerit?* oſſa quidam intelligunt. Sed particula, *ſi*, opus non fuiſſet. Nam remanere iſta conſtaret. Tremelius in annotationibus pellem etiam includit. Sed neque *ſi* dicēdum fuiſſet. Agni enim lanam & cutem num gentes vllæ adeo feræ ac immanes vt deuorent? Ne in holocauſtis quidem cremabantur animalium pelles; ſed ſacrificanti ſacerdoti in poſſeſſionem cedebant, Leuit. 7. verſu 8. Et quæ occupatio, quis

Digitized by Google

fœtor vrbe tota fuiſſet, ſi pelles, & oſſa tot, eadē pæne hora, in tot ædibus comburi debuiſſent? De ſolis agitur iis agni reliquiis agi puto, quæ in cibum venire potuiſſent, quaſque ſupra vno carnium vocabulo comprehenſas eſſe dictum eſt. Nam *agni adeps* Domino debebatur, in eiuſque ara cremebatur eodem die. Exod. 12. ſicuti & victimarum aliarum omnium Leuit. 1. & 3. & 4. & 5.

Quarta. *Igni reſiduum comburi cur idem voluit Dominus?* Id in aliis etiam ſacrificiis ſanxit Dominus Leuit. 7. verſu 17. 19. idque quia ignis eſt inter impura hæc elementa puriſſimus, ad agēdum efficaciſſimus, ad conſumendum ocyſſimus, & verò, quia iugulatæ iam victimæ ſolet ignis ſacrificalem quandam perfectionem adiungere, dum illam vel aſſat, vel in ollis coquit, vel in aris vorat, vel in hominum denique ventriculis & hepatibus conficit. Æquum igitur, vt ſi quid aliquando & hominum eſu reliquum ſit, hoc ignis totum habeat & depaſcatur. Quod & hodierno tempore fit, ſi quando accidat Euchariſtiæ ſpecies vetuſtate nimia, vel cauſa quacumque alia vermiculare, putreſcere, aceſcere, corrumpi. Ad eandem verò integritatem & modum videtur ſpectare quod verſu 46. traditur, ne vlla ipſius agni particula extra domum, in qua epulum eſt, efferatur, & ne quis egrediatur verſu 22. Sed de hoc poſtea. nunc de modo quoad ea, quæ vna edi debent.

VI. Cum agno comedi debebant *azymi panes & lactuca agreſtes*. verſu 8. & Numer. 9. verſu 11. Sed obſeruandum primo illic in Hebræo dici quidem *edendos panes*, ſed in alio orationis membro, & poſtea ſubiungitur; *cum amaris comedent eum* ſcilicet *agnum*. In numerorum loco eſt, *cum azymis & amaris comedent eum*. Et de azymis quidem alio infrà loco: *amara* verò, quæ ipſa pænè voce cum Hebræa *merorim* conueniunt, in Chaldeo Paraphraſte, Thalmudicis, Lyrano, Pagnino, Tremellio, Scaligero, exponuntur Græcè ἀγριολάχανα id eſt, *herbæ qualibet amaræ*. Noſter verò interpres illarum certam ſpeciem poſuit. Et quidem rectè. Nam primò idem etiam fecerunt 70. dum ἐπὶ πικρίδων vertunt. Hoc verò Græcum nomen, etſi retinet Sanctus Cyprianus, ſignificat tamen non quamcunque herbam amaram, ſed vnum quoddam genus apud Ariſtotelem, lib. 9. de hiſtoria animalium cap. 6. vbi Gaza textui noſtro conuenienter ſic: *Draco cū per eſum pomorū nauſea infeſtatur ſuccum ſylueſtris lactucæ exſorbet.* Alibi verò *amaraginē* vocat. 2. Ipſe Iudæorū expoſitor nominatiſſimus Raſchi *lactucas* ſimiliter *agreſtes* interpretatur. 3. Cum Hebræum nomen vniuersè *amarum* quidlibet denotet, vti Threnorum 3. Iob. 9. vnde habent illi Interpretes, *herbas* potius, quam res alias amaras accipiendas? Multa enim amari ſaporis in fructibus & ſuccis, & rebus aliis, præter herbas, inueniuntur, & nonne etiam nunc hodie Iudæi aquam Salſam, acetumque in menſam iſtam inferunt? Cur verò non contendat quis, præcipi, agnum ita integrè comedendum, vt ne fel quidem reiiciendum ſit? Reſpondebunt, ex ipſo Iudæorum vſu cognoſci amaras herbas ſignificari, dum has illic adhibent.

A At ego ſimiliter dico, 70. vidiſſe adhiberi πικρίδας, noſtrum interpretem agreſtes lactucas; ideoque pro genere ſpeciem quæ nota quidem & vſitata eſſet, & hunc & illos expreſſiſſe. Eſſe verò lactucarum quaſdam amariores docent li. 2. Athenæus, & Plin, li. 19. c. 8. vbi cum lactucas enumeraſſet purpureas, criſpas, Cappadocas, Græcas alias, ad Græcum Latinumque noſtrum textum accommodate ſubdidit: *peſſimum autem genus, cum exprobatione amaritudinis, appellauere picrida.* In Germania vtuntur hoc tempore in ſuo Paſchate Iudæi raphanis maioribus, quos
B Meerrettich quaſi marmos, vel amaros vocant. quorum his in regionibus magnus apud omnes cum elixis gallinis aliiſue carnib. vſus. Si quis ergo amara illa horum nominibus exprimeret, ſeu verteret, *cum raphinis maioribus, marinis* aut amaris. ab vſu ipſo verbum non male duceret.

Sic in *helacoth ſeder* libri *peſach* f. CXVIII. variæ ſpecies referuntur. Quinto. In Thalmud. cap. de Paſchalib. veſperis iubetur, apponi *azymus*, & *charoſeth*. Quid verò iſtud? In ſyrorum peculio f. 19. dicit Moſes Mardenus, *charuſa* eſſe ſaporem
C acrem. Nam & S. Ephrem. in libello de hominis compoſitione coniungit τὰ *chamuſo* hoc eſt acetoſo. Et in eodem libello aliquoties vtitur vocabulo *charuſo* pro illis aſperitatibus, quæ ſunt in aſpera arteria, vt vocant, & pro villis ventriculi. Ideoque *charoſeth* videtur eſſe quodlibet, vel edulium, vel embāma ſaporis amari & quaſi acetoſi. Cuiuſmodi è nigrioribus lactucis, & intybis, raphanis, aliiſque ſimilibus triſtioris ſucci oleribus fieri poteſt: fitque à Iudæis hodie, ad eam ſpiſſitudinem, qua *ſynapi* apud nos, in try-
D bliis, menſæ apponi ſolet: Italis quaſi *muſtacea*, Gallis *moſtarda*. vti notat l. 5. de emend. fol. 536. Scaliger. Poteſt ergo generatim duci, agnum Paſchalem cum amaris quibuſdam edendum, vel ſi ſpeciatim, loqui libeat, poteſt ex amaris genus illud exprimi, quod Iudæorum, & regionis vſus fert. Verum *duo* quæri adhuc poſſunt.

Vnum, *An amarorum eſitatio hæc fieri debuerit cū agno, vt ſimul dum huius carnes edebantur, ederentur & illa: An verò ſeparatim, & quidem poſt illas?* Sca-
E liger loco cit. pag. 535. aſſerit, *poſt*. Et ratio ei duplex. *Prior*, quòd Iudæorum ſolemnia maxima, vt Paſcha, Pentecoſte, Scenopegia, florentibus illorum opibus, ac templo ſtante, ſemper duarum cænarum comeſtione tranſigebantur. In priore hoſtiis immolatis veſcebantur: in altera quædam canebātur ἱλαϛικὰ καὶ εὐχαριϛικὰ. eæque ſecundæ menſæ variis bellariis inſtruebantur, præterquam in Paſchali, in qua in bellariorum locum afferebatur in tryblio acetarium ex intibis, & lactucis agreſtibus. quorum quia ſuccus
F triſtis & amarus, propterea ex aceto ac aliis neſcio quibus ambamma conficiebatur, in quod azyma & amara illa olera intingebant. In eorum enim ritualibus canon eſt, quo vetantur, *poſt paſchatis eſum adhibere ephicomen*. Sic enim ſemigræcè appellant τὸ ἐπικώμιον, id eſt, bellaria illa, quæ patrio nomine *kinnuah* vocabantur. *Poſterior* eſt ratio è canone alio, qui iubet *lotionem alterā cum amaris ſumēda ſunt.* Αἱ δεύτεραι [illegible] ἐπὶ τῶν ἀγριολαχάνων. Sed ſi textum conſulamus, ex eo difficultater morem iſtum exſculpamus.

Nam

Nam eodem modo ac tempore in cæna iſta Paſchali iubentur & *amara*, & *azimi* comedi. At iſti nonne cum ipſis agni carnibus edebantur? An hæ, quod in pueris caſtigari ſolet, abſq; panis admiſtu vllo, prorſuſque ſolę ſumebantur? Ergo cum iis amara iſta comedere oportebat. & tanto quidē oportunius, quanto cernimus vſitatius, vt aſſis carnibus embammata, id genus quædam adiungantur, adeo vt ſi deſint alia, e prima etiam recentique ſegete, oxali, aliiſque ſuccoſis & intritis fiant. Deinde Hebræa particula *bal*, quam hactenus, *cum*, vertimus: B indicat potius cōnexionem eiuſmodi, vt ſuprà hæc amara comedatur agnus. Hoc autem nullo modo ſignificat poſt agnum, ſed vel *in* & *cum amaris*, vel certè *poſt amara*, ita. vt ſi ſolitariè agnus, & ſolitariè amara edi oporteret, hæc ante illum præſumenda forent potius. Putarim igitur, vtroque modo ac tempore, amara ſumpta fuiſſe: ſed vna cum ipſis agni carnibus ex prima inſtitutione & textu. Nam Deut. 16. v. 3. eâdem particula vetatur comedi agnus *ſuper fermento* ſeptem diebus, ſed iubetur *ſuper azimis* C comedi, id eſt, non *cum fermento*, ſed *cum azimis*. Poſt eas vero comeſas carnes è quadam conſuetudine ac diſciplina, à qua etiam cœnarum plurium, & lotionum, & ſimilium præſcriptio; comedebantur adhuc amariora hæc.

Poſterius verò quod quæri poteſt; eſt, *Quænam amarorum iſtorum cauſa Domino fuerit?* Reſpondent omnes, id factū, vt acerbitatis, quam in Ægyptiaca ſeruitute perpeſſi fuerunt Iſraelitæ, memoriā anniuerſario iſto amarore conſeruarent. Fortaſſe vero fuit etiam ſuperſtitio- D nis, apud Ægyptios aliquid in lactucarum, quas noſter poſuit Interpres: eſu. Nam loco citato Plinius, cum à Muſâ medico, lactucā ſanatum narrat Auguſtum, addit, *non id auſos fuiſſe priores, quòd religione prohiberentur*. Et Athenæus lib. 2. multos fuiſſe, qui lactucas deteſtarentur, oſtendit, vel quod in iis latuiſſe fingeretur Adonis, vel quod carnis libidinem hebetarent & coërcerent. Hinc enim à quibuſdam ἀστυλὴ vel ἄστυτις. ab aliis εὐνοῦχος, vel εὐνοῦχον, à quodam E etiam *mortuorum edulium* vocatur, fuit hoc olerum genus, iiſdem teſtibus, & Rhodigino lib. 27. c. vltimo. Sed, ô inſanos, qui vt licentius venenum haurire poſſent, antidota deteſtabantur?

VII. Quo ad ipſos verò agnum edentes attinet, quadruplex in iis modus requitirur v. 11. Primo. vt ſint *renibus accincti*. Secundo. vt *calceati*. Tertio. vt *baculum manibus geſtantes*. Quarto. vt *feſtinantes*. Ac *primum* quidem è veterum Orientalium præſertim, apud quos etiam nunc F hic mos; conſuetudine petitum, qui ferè togis, ac poderibus vtūtur. Ideoque cum iter faciendum, veſtem colligunt, ſeque ſuccingunt 4. Reg. 4. huc 1. Tob. 5 v. 5. Vnde & illa, *eſſe in procinctu, itineri ſe accingere*, & ſimilia. Videatur hom. 23. S. Chryſoſt. ad Epheſ. & 24. Clemens Alexandrinus lib. 2. Pedag. c. 10. vbi de talaribus veſtibus. *Alterum* ab illo etiam veterū more acceſſunt nonnulli, quod in lectis diſcūbentes epulabātur, & idcirco, ne puluerοſis pedibus ſtrata inquinarent; ſoleas prius deponebāt,

Ioſue.

A pedeſque lauabant. In *Perſa* Plautus. *Locus hic tuus eſt, hic accumbe, ferte aquam pedibus. preben' tu puere?* Videatur in Vitruuium Philander, & in vltimā Horatij Satyram Lambinus. Sed incertum, an iam tunc diſcumbendi mos fuerit. imò ex Geneſ. 43. c. videtur probabilius, ſedere ad menſam ſolitos tam Ægyptios quā Hebræos. Ideoque illius potius moris habitam duxerim rationem, quod calceatis maximè pedibus eſſe veteres ſolebant dum in iter aliquod ſeſe dabant, aut in aſperis, ſentoſis, nimirū calidis aut frigidis hærebant. Vide Epheſ. 9. D. Hieron. B D. Ambroſ. 2. de penit. cap. 3. lib. 7. in Luc. Sed videtur lib. 1. de Cain cap. 8. ſignificare, ipſos exuiſſe calceos, quod tamen textui repugnat. *Tertium* totum eſt illius temporis viatorū. Non enim haſtas & enſes, ſed baculos tantùm geſtare ſoliti ſunt. Hinc enim non niſi ſacrificij cauſâ geſtat non ad latus, aut ſuper humerum, ſed in manibus gladium Abrahamus Geneſ. 22. v. 6. tranſit in baculo ſuo Iordanem Iacob, Gen. 23. 10. vadit in Thamnas cum baculo in manu C Iudas, Geneſ. 38. verſ. 18. & 25. Clamat in itinere Balaam, Numer. 22. verſ. 29 aſinæ ſuæ iratus. *Vtinam haberem gladium, vt te percuterē:* Vadit ad nuptias ſuas Thamnatham in terrā Philiſthæorum Samſon, & nihil habuit in manu armorum, cum occurreret Leo, Iudic. 14. v. 6. Venit in Nobe Dauid. & quia Regis ſermonem vrſiſſe aiebat, more non Aulici, vel militaris hominis, ſed communis viatoris, gladium ſecum nullum accepit. 1. Reg. 21. verſ. 8. Et D. Chryſoſtomus hom. 13. ad Epheſ. idem hoc, D in ſchemate τῶν ἀδιαφόρων annumerat. Erat & hoc, quemadmodum hodie, opilionibus familiare. Huiuſmodi autem ſe profitebantur omnes Iſraelitæ Geneſ. 46. n. 34. Hinc enim & *Moyſis virga*. Exod. 4. Et illud Poëtæ.

Paſtor vt incubuit baculo, ſaxoque reſedit.

Quartum ideo mandatum, quia inſtabat profectio. ideoque nihil in menſa erat deſidendum, quod *tuburcinari* dicebant veteres. *Duæ* porro hic *quæſtiones*.

Vna, *debuerint ne ſtantes edere?* Altera, *Eſ-* E *ſent ne iſti ritus perpetui & anniuerſarij, an verò in primo tantùm paſchate vſurpandi?* *Ad priorem* quæſtionem reſpondet Philo. libr. de ſacrificio Abel & Cain, *etiam*. Idque amplectitur lib. 6. Scaliger fol. 534. & paſſim Pictores. At in textu nuſquam id præceptum eſt: & contrarium tam hodie quam olim ſeruatum. Nam veſte ſtragula quàm poſſunt ditiſſima & pretioſiſſima lectulos adornant, in iiſque recumbunt. & in Thalmud capite *Kidouſch happeſach*; *In aliis noctibus nos, dum edimus aut bi-* F *bimus: partim ſedemus, partim diſcumbimus. In hoc autem Paſchali culanu meſubim*, id eſt; *omnes nos diſcumbimus.* Et CHRISTVS Dominus nonne in *triclinio magno ſtrato cum Apoſtolis diſcubuit, paſchaque comedit?* Luc. 22. 12. Matth. 26. 19. & 20. Licet vero non ſit ſtatus hic disertè poſitus, ego tamen ſatis indicatum puto. Qui enim lumbis præcincti, & ad iter expediti, qui calceis inſtructi, & baculis innixi eſſe debebant, an in lecto iacere poterant? Et mihi video Maldonatum

Digitized by Google

noſtrum Matth. 26. aſtipulari verſu 20. Quæ de poſterioribus temporibus obiiciuntur, ex *altera* iam poſita *quæſtione* intelligentur. Ad eam igitur reſpondent Scaliger libro citato fol. 134. Tremellius & Iunius, in primo tantum illo paſchate ritus iſtos adhibendos fuiſſe.

Nam quorſum alias? *Procinctus*, ait Scaliger *ſignificabat neceſſitatem properandi, & imminentis hoſtis periculum. At deinceps, nullo hoſte imminente ſecuri erant. ideoque non ſtantes ſed ſedentes, vel recumbentes potius paſcha comederunt.* Deinde alibi nuſquam repetuntur iidem ritus. Hoc tamen iam ſublatum ſuprà. & in poſteriorum temporum Paſchatibus non vlla neceſſitas, quæ tunc eſſet, ſed eius tantum quæ olim fuiſſet, memoratio eos poſtulare ritus potuit. Et planè capite illo Exodi 12. non vnius tantum diei cæremoniam, ſed conſecutorum temporum omnium ſanciri ſatis è capitis initio & verſu 24. ac 15. apparet. Sanctus ſanè Chryſoſtomus homilia illa 23. ritus iſtos expoſiturus allegoricè, de hiſtoria primo agit, & ait: *Obliuioſi erant* DEI *beneficiorum Iudæi. Non igitur ſua ipſius beneficia tempori tantum alligauit* DEVS, *ſed etiã comedentium ſchemati ſiue habitui. Propterea enim nunc præcincti & calceati veſcuntur, vt rogati dicant, quoniam ad iter faciendum eramus parati, & quoniam ex Ægypto iam in terram promiſſionis egredi parati eramus. Hoc quidem vult typus. Veritas verò ipſa eſt, qua & nos paſcha comedimus,* CHRISTVM. *Paſcha enim noſtrum, inquit,* CHRISTVS *eſt. Quid igitur? Et nos calceati, & nos præcincti comedere debemus. Quamobrem? vt & nos ad egreſſum, & ad peregrinandum ex hoc ſeculo parati ſimus.* Thalmudicos vero, ceteroſque Iudæorum Rabbinos, quæ, poſteaquam deſierunt Hieroſolymam incolere, verumque ſacrificium offerre, ſancita ſunt, deſcribere video. Tunc enim, vt priſtinæ cæremoniæ maieſtatem viderentur quandam tueri, varia inſtituerunt, quæ antea non erant, & immutarunt, quæ erant: ipſo ſcilicet paſchate, ſeu victimâ immolatâ iam & ſublatâ: ita vt illud NVNC ſancti Chryſoſtomi, referatur non ad tempus quo loquebatur: ſed quo fuit, poſt Domini præceptionem illam primam, agnus comeſtus. Euangeliſtarum tantum verba illa ἀνακεῖσθαι in ἀνακλινῶ, itemque τὸ ἀνώγεον, ἐστρωμένον, huic officere videntur expoſitioni. Nam planè quibuſdam videtur, CHRISTI Domini tempore vſitatos fuiſſe diſcubitus, & cibaria ſtrata hæc, vt Ciacono, Baronio, Lipſio. Et tum, quid dicitur, niſi non in agno, ſed in Euchariſtia Dominum diſcubuiſſe, vt Euthymio viſum eſt; vel certè ritus iſtos præſcriptos quidem, & deinceps longo tempore ſeruatos fuiſſe: ipſo tamen paulatim epularum vſu nouo inualeſcente obrutos penitus, & citra boni cuiuſque culpam, omiſſos fuiſſe. At illud refellit eodem loco Maldonatus, iſtud vix tueamur. Nam hominum leges, hominum aut legibus aliis, aut conſuetudinibus antiquari poſſunt: Dei autem legibus quid contraueniat? quid earum auctoritatem humanum la-

A beſaciat? An igitur catachriſticῶς verba ea vſurpantur? Nam & hodie, cum omnis deſtiterit epularium lectulorum vſus, *menſæ* tamen *accumbere* pro *ſedere*, & *triclinium* pro *cibi loco* dicimus. Ita nondum iſtum ſoluit loco citato Maldonatus.

VII. Ponam aliquot adhuc *quæſtiunculas*.

Prima, *num per contubernia edi debebat agnus?* Aſſerit Scaliger loco citato dicens à Ioſepho φρατρίας, dici, quæ apud ſanctum Marcum cap. 6. συμπόσια ſunt, & πρασιαί. Sed id ſuprà tactum quæſt. 15.

B Secunda. *Quotnam ad edendum agnum epulari ſimul poterant?* In ſcriptura non definitur numerus, ſed Exod. 12. verſu 4. tantus præcipitur, quantus illi penitus exedundo ſatis ſit. Et poteſt is quidem eſſe quamlibet magnus, ſed non quamlibet paruus. Ideoque dicit Ioſephus libro 6. Belli cap. 45. viros minimùm decem adeſſe oportere prout quæſt. 21. notatum. Et parte 2. cap. 13. Rambam diſputans quotnam in vrbe aut vico aliquo eſſe Iudæos C oporteat, vt Synagogam habeant, eandem numerandi rationem tenet. *Vbicumque*, ait, *ſunt decem filij Iſrael, neceſſe habent bethſeneſeth*, id eſt, *domum cœtus*, ſiue *Synagogam*. idque ſe colligere aiunt Iudæi ex Numer. 14. verſ. *Vſquequo*, vbi per Hebraicum עדה ſignificati ſunt exploratores decem: ſicque עדה ſeu Eccleſiam eſſe non poſſe, niſi decem conueniant.

Tertia. *De potu in eodem paſchali epulo an præceptum aliquid?* In ſcriptura nihil omnino. vt vel eo modo iam tunc appareret, non flagi- D tandum tantopere à Laicis calicem. vt infrà fortè dicetur. Sed apud Rabbinos de eo bene multa in quibus tria hæc maximè. *Primum.* vt quilibet vini calices minimùm ebibat quatuor. Sic enim præceptorum liber magnus in *helacoth ſedez lili peſach*, fol. 118. colũna prima præcipit.; *Omnis homo, ſiue viri ſint, ſiue fœminæ tenentur hac nocte quatuor vini pocula bibere: neque de his quidquam detrahere.* Et de his eſt helacoth *harbath peſachim.* de qua extat ſingularis commentarius R. Eliæ Mizrachi. *Secundum.* E vt hoc vinum ſit rubrum. Nam ibidem additur. *Et vinum adoum*, id eſt, *rubrum præceptum eſt.* Vnde & de hodiernis Iudæorum cæremoniis narrat Pfefferkornius hoc: *cœnantium, & diſcumbentium quiſque vir vel fœmina ſuum habet poculum, in quod infunditur vinum rubrum cuiuis. In ea quippe cœna alius coloris vinum non bibunt. Tertium.* vt certæ preces aut benedictiones ſingulis quatuor calicibus adiungantur. Vnde & quartus dicitur *cos hillel.* id eſt, calix hymni, ſiue laudis. De his verò iterum F infrà quæſt. 34. & 39.

QVÆSTIO XXV.

Quis Paſchatis locus?

PRIMVS Paſchatis locus fuit *Ægyptus*, Exod. 12. ſecundus, *ſolitudo Sinaitica*, Numer. 9. Tertius, *terra promiſſionis.* Sed non quilibet in ea locus. verum qui præcepto ſtatutus duplici. Vnum eſt Deuteronom. 16. verſ.

5. Non

5. *Non poteris immolare phaſe in qualibet vrbiũ tuarum, quas Dominus Deus tuus, daturus eſt tibi, ſed in loco quẽ elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomẽ eius ibi.* Alterũ. Exod. 12. v. 46. *In vna domo comedetur: nec efferatis de carnibus eius foras.* In priori autem notabis primo locum, quem philoſophi communem vocant, præſcribi, & è contrario in poſteriore proprium. Secundò. *Vrbem* vertit Latinus noſter & 70. quam Hebræus vocat *portam*. Per hanc nimirum illa ſignificata eſt. Etſi enim pagi vicique quidam portas interdum habent, rariùs tamen, & quadantenus ad vrbium accedendo naturam propius, idipſum fit. Tertio. *Locus quem elegit Dominus, vt ibi nomen eius habitet*; ibi tabernaculum eſt. prout indicat primò cognatio Hebraici verbi, quo *habitare* illud exprimitur, & nominis, quòd *tabernacula* ſignificat. Secundò. Deſcriptio ipſorum 70. Cùm enim ter capite illo citato locus, *in quo Dei nomen habitet*, nominetur, vertunt ipſi *locum, in quo* DEI *nomen inuocetur*. At, inquies, vbique inuocari poteſt 1. Timoth. 2. verſu 8. Præſertim tamen in Synagogis, quæ non vnius vrbis ambitu continebantur, ſed in omnibus Iſraelitarum locis, vbi decem duntaxat Patresfamilias habitant, inueniebãtur vti dictum ſuperiore quæſtione, & patet Luc. 4. Actorum. 13. & deinceps: itemque ex iis quæ de proſeuchis dixi ſub finem cap. 4. Iudith. Dicendum tamen in tabernacũlo, eximiâ quadam, & præſtanti ratione *nomen Dei habitare*, vti multis explicat Salomon 3. Regum. 8. verſ. 16. 29. 30. & ſequentibus. Nã vult Dominus illic ſe palam, publicè, ab omnibus, legitimè, ordinarieque inuocari, & quidem per ipſa ſumma inuocandi genera, quæ ſunt ſacrificia: ibidemque vult idem Dominus & preces & vota omnium libentius & facilius exaudire, vti partim ex effectis colligitur, partim ex eo, quod non ſit cauſa, cur in terra iſta potius ibi, quam alibi habitare dici poſſit, qui cœlum & terram implet. Partim denique e manifeſto ipſius Domini reſponſo, & teſtificatione 3. Regum. 9. verſ. 3. & ſequentibus. Dixi *legitimè ac ordinariè* primò, quia quibuſdam interdum probatæ ſanctitatis & auctoritatis hominibus conceſſum fuit alicubi ſacrificare. Secũdò, quia excelſa quædam, vbi Deo ſacrificaretur, tolerata fuerunt ad Ioſiæ vſque tempora 4. Reg. 23. verſu 8. alia vero quæ dæmonibus dicata, ſemper improbata, de quibus eodem cap. verſ. 13. & 19. Tertiò. quia fuit interdum à tabernaculo arca diuulſa, pluresq; annos ſeiuncta 1. Reg. 6. & 7. 2. Reg. 6. 3. Paralip. 1. & tum coram arca fieri ſacrificia poterant. 2. Reg. 6. ſemper tamen & multo magis vbi tabernaculũ, etiam arca vacuum. Nam illic erant atria, holocauſtorum altare, ſacerdotes, ſacrificalia vaſa, & inſtrumenta omnia, prout pluribus explicat Abulenſis Exod. 20. quæſt. 43. Concludo igitur, terra promiſſionis occupata, locum, in quem paſchatis cauſa conuenire vndique deberent Iſraelitæ, fuiſſe ſemper eum, vbi ſuum Dominus tabernaculum figere dignatus eſſet: eiuſmodi fuerant primò *Galgala*, Ioſuæ capite iſto 5. deinde *Silo* Ioſ. 18. Tertio. *Nobe*, 1. Regum. 21. Quarto. *Gabaon* 2. Paralipo. 1. & vltimo *Hieruſalem*, ædificato

A ſcilicet templo tam primo quam ſecũdo. Hoc enim loco viatorium antea vagumque tabernaculum, fixum deinde ac firmum fuit. Cur autem in eiuſcemodi loco duntaxat voluerit paſcha fieri Dominus, in promptu cauſa eſt, quia ſacrificium erat, & ſi quidem ſolemne admodum, & publicum, ſuprà quæſt. 16. Atque hæc cauſa, cur tam ſæpe, cùm in Euangelio, tum alibi, paſchali tẽpore tam multi Hieroſolymam aſcenderent 2. Paralip. 30. verſ. 1. Luc. 2. hæc etiam cauſa, cur verè paſcha non

B faciant miſeri, toto terrarum orbe proiecti, diſperſique Iudæi, quia nullum iis templum, tabernaculum, altare. Sed quæri poteſt. *An in tota illa vrbe vbi religionis ſedes fuiſſet, agnum iſtum mactare licuerit?* Exiſtimant aliqui, vt Maſius hoc cap. 5. fol. 91. Soarez tom. 2. q. 50. diſput. 40. ſectione 2. tomo 3. quæſt. 73. diſput. 41. ſectione prima. quia neque definitum eiuſmodi locum habebant ſacrificia legis naturæ, ad quæ quadantenus accedit paſcha, cum ante ſacerdotum inſtitutionem præceptum fuerit: neque ipſa CHRISTI mors, cuius erat typus qui-

C dam paſcha, in tẽplo facta eſt. Nam, vt ait S. Leo ſerm. 8. de paſſione, *Crux Chriſti non templi futura erat ara, ſed mundi.* Alij negant: ſed dupliciter.

Quidam enim per locum, in quo ſuum collocaſſet nomen Dominus, tabernaculum dumtaxat, & templum intelligunt. Sed refelluntur ex eodem cap. 16. Deut. verſ. 7. Nam in illo etiam loco præcipitur agni coctio & eſus. At tam iſte quam illa fiebat totâ vrbe. Hæc igitur illic intelligitur: neque de templo illinc colli-

D gi poteſt. Alij ergo immolationis locum eſſe ſolummodo templum aiunt: Sed aliâ & ſanè firmâ ratione. Quia & verum ſacrificium erat, & à ſolis ſacerdotibus & Leuitis immolabatur, vt ſuprà quæſt. 21. dictum. Sicque cenſent ibidem citati auctores, & S. Iuſtinus cum Tryp. Abulenſis Exod. 23. quæſt. 27. Claudius Sainctesius Repetit. Euch. cap. 7. è Nouatoribus Beza in Matth. 26. è Iudæis R. Sadias Gaon longè apud ſuos clariſſimus. Rabbinique alij, inter quos Maimonis filius in Paſchatis *Corban*

E cap. 1. *Non licet*, ait, *Paſcha mactare, niſi in atrio templi, vti & reliqua ſancta. adeo vt cum libera eſſent bamoth* (id eſt, cum in excelſis locisque aliis plura permitterentur altaria) *ad priuatum tamen altare non licebat Paſcha mactare.* Neq; quidquam officiunt Bellarmini rationes: quia hoc ſacrificium fuit poſtea ſacerdotibus demandatum, vt ibidem probatum: neque ſigni & rei ſignificatæ prorſus idem locus eſſe debuit, vt in aliis tam multis perſpicuum. In poſteriori autem præcepto, *domus* accipitur non pro fami-

F lia, ſed propriè pro domicilio, vti declarat adiuncta cautio, *nequid ex ea foras efferatur*, & rurſum Exod. 12. v. 22. *ne ex ea quis egrediatur.* Non exiſtimo tamen neceſſarium fuiſſe, vt omnis, in qua edebatur Paſcha, domus è ſolida materiæ haberet fundamenta, & parietes & tecta, ſed quod vel hæc haberet, vel horum aliquam ſimilitudinem, vti tentorium vel tuguriũ quomodocumq; conſtructũ. Cum. n. tot hominũ myriades Hieroſolymã, imò in multo minora loca, Silunẽ, Noben, Gabaonẽ ad Paſcha confluerent, an ſat multæ domus fuiſſent? an, quod

Digitized by Google

in Bethleem beatæ Virgini accidiſſe legimus Lucæ 2. quibuſdam aliquando locus in diuerſorio non defuiſſet? Rurſum tamen, non ita, opinor, *vna domus* dicitur, vt in eodem ædificio, & ſub eodem tecto plura non poſſent diſcriminari loca, in quibus à diuerſis Paſcha ederetur: ſed ita vt quodlibet triclinium huic epulo delectum *vna domus* vocetur, etiamſi eſſent in eodem vno ædificio plura id genus triclinia, & conclauia. Sic enim factum videmus Lucæ 22. cum paterfamilias ſibi ac familiæ ſuæ Paſcha paraſſet, locumque ſuo huic epulo deſtinaſſet, miſit CHRISTVS Dominus è diſcipulis ſuis duos: & in alia domus eiuſdem parte locum accepit, vbi ſuum ipſe paſcha cum ſuis diſcipulis manducauit. Et locus ille vocatur ibidem verſ. 11. κατάλυμα verſu 12. ἀνώγεον μέγα ἐστρωμένον. idemque apud ſanctum Marcum cap. 14. verſu 14. & 15. Locus igitur epuli paſchalis proprius ac definitus, erat *vna domus* vel ſolida, vel è ramis, ſtipulis, aliiſque ſimilibus, vt in Tabernaculorum feſto; excitata: rurſumque vel tota, vel integra, vel eius aliqua pars, ab aliis tamen aptè diſparata, diſcluſaque partibus, ita vt ſi ſub eodem tecto plura ederentur paſchata, in propriis ſingula conclauibus, quaſi in aliis & aliis ædibus, ederentur. Sed in vna eiuſcemodi domo, an immolabatur etiam & aſſabatur Paſcha? Reſponſum eſt paulo ante, & ſuprà quæſt. 21. vero videri ſimilius, *in templo paſcha immolatum fuiſſe*: in ſingulas poſtea domos illatum, ibique aſſatum, & comeſtum fuiſſe. Atque id cum, ipſius etiam Abulenſis approbatu, dictum ſit, parum conſentaneè ſcripſit idem ipſe Exodi cap. 12. ante quæſt. 57. *In vna domo comedetur, id eſt, in domo, in qua fuerit immolatus, comedetur totus.*

Et hanc ob cauſam cum Dominus domum quæreret, diuerſoriumque Paſchale ab illo patrefamilias peteret, *non iugulationis*, quia eam ſcilicet in templo fieri extra cõtrouerſiam omnem erat: *ſed eſus* mentionem ſemper facit, Mar. 14. verſ. 14. *Vbi eſt refectio mea* (τὸ κατάλυμα de quo ſuprà) *vbi Paſcha cum diſcipulis meis manducem?* Et idem dixerunt diſcipuli verſu 12. *Quo vis vt eamus, & paremus tibi, vt manduces paſcha?* Apud ſanctum Lucam verſu 8. *Miſit Petrum & Ioannem dicens; Euntes parate nobis paſcha vt manducemus.* & verſu 11. *vbi eſt diuerſorium, vbi paſcha cum diſcipulis meis manducem?* Matth. 26. verſu 17. *Vbi vis paremus tibi comedere paſcha?* Et ſubiungitur quidem ibidem verſu 19. *Apud te facio paſcha cum diſcipulis meis.* Sed è duobus aliis Euangeliſtis intelligitur, hic *facere* ad manducationem reſtringi, prout ſuprà, quæſt. 16. & 21. indicatum. Docet autem Claudius loco citato ſolitos Hieroſolymitanos, à die menſis primi decimo parare pro aduẽturis aliis Iudæis & agnos & cænacula varia. idque confirmat ex Ioſepho lib. 5. belli capite 45. *Sed ille liber*, ait Soarez loco citato ſect. 3. *ſolis* 14. *capitibus concluditur, in quibus nulla iſtius hiſtoriæ mentio fit: non nihil verò indicat lib. 7. capite 17. & per ſeſe eſt illa hiſtoria veriſimilis & iis quæ in Euangelio narrantur, conſentanea.* Ita ille. Sed *cur* ſic *in vna domo agnum totum comedi voluit Dominus?* Reſpondet

A Lyranus, id factum ad ſignificandam primam immolationẽ in Ægypto, in qua tanta eſſet ſolicitudo parationis ad iter, vt de domo in domum diſcurrere neq; encænia mittere vacaret. Diſplicet Abulenſis, neque abſque cauſa. Nam primo cũ alio iam præcepto v. 22. vetitũ eſſet, ne domũ ea nocte Iudæus egrederetur, etiamſi ſolitudo nulla eſſet, egredi non licebat; ideoque neque huc illuc ferre xenia, vel mittere, cum ſeruos ethnicos ipſi ſeruitute tunc oppreſſi nullos haberent. 2. Tam ſtudioſè de nu-

B mero, qui ad agnum abſumendum ſatis eſſet cauerat Dominus, vt exinde ſatis intelligeretur, ne ſi ſumma quidem pax, ac ſecuritas fuiſſet, potuiſſe cum aliis quidquam communicari 3. Similiter & de reliquiis tam ſerio mandarat, igni vt traderentur. At ſi ad hos, illos apophoreta mittere licuiſſet, quando reliquatum quidquam fuiſſet? Aliam igitur rationem dat idem auctor: & ante ipſum Rupertus libro 2. in Exodum. Hæc enim huius verba ſunt cap. 22. *Hæc iuſſio* (de vna domo)

C *ſecundum litteram illud neceſſario fieri cogit, quod ſuperius dictum eſt: Si autem minor eſt numerus, vt ſufficere non poßit ad veſcendum agnum, aſſumet vicinum ſuum qui coniunctus eſt domui ſuæ, & cætera. Porro ſecundum ſpiritum vnitas ſanctæ Eccleſiæ commendatur attentius, ſcilicet, vt manducaturi menſam dominicam ſimus domus vna, id eſt, idipſum dicamus omnes, & non ſint hæreſes in nobis & ſchiſmata. Tunc enim non vna in domo comeditur agnus, ſed foras carnes eius efferuntur, quando indiſcretè tribuitur ſcindentibus vnitatem fidei, cùm*

D *in ſciſſura mentium Deus non ſit. Ergo cum præſenti teſtimonio ſcripturæ licet confidenter dicere, quia non eſt verum ſacrificium, quod ſit extra vnitatem Eccleſiæ.* At illud verſu 22. *Nullus veſtrum egrediatur oſtium domus ſuæ vſque mane, perpetuone ſeruandum fuit, an illa tantum nocte in Ægypto?* Dubitandum non eſt, quin, vt perpetuo, in illius primi temporis memoriam ſeruaretur, præcipi potuerit: de illa tamen vna nocte vltima Dominum præcepiſſe, videtur innuere, quæ ſtatim præcepti huius cauſa ſubditur verſu 23.

E *Tranſibit enim Dominus percutiens Ægyptios.* Nam Hebraicum *vau* & Græcum καὶ ſæpe ſumi pro cauſalibus monſtratum eſt Geneſ. 4. verſu 18. idque hic etiam contra ſuam aliorumque nouatorum illius loci verſionem fatentur Tremellius & Iunius, qui ſic vertunt. *Vos autem ne exitote vllus è porta domus ſuæ ad matutinum vſque. Procedens enim Iehoua ad percutiendum Ægyptum, tranſibit.* Et in annotationibus; *Hoc ſingulare etiam eſt mandatum, vt verſu 11. & innuit ætiologia ſequentis verſus.*

F

QVÆSTIO XXVI.

De Paſchatis tempore, & primum, quis eius annus?

QVADRVPLEX conſiderari poteſt Paſchatis tempus: annus ſcilicet, menſis, dies, & hora. Et annus quidem, quo vel primum inſtitutum fuit, vel in Sina iteratum, vel hic in Galgalis tertiò

celebratum

Digitized by Google

celebratum, patet ex dictis in Exodo, & ſuprà cap.4. parte 2. quæſt. 2. At verò; ab hoc ipſo Galgaleo Paſchate deinceps perpetuò quotannis celebrandum erat. quia iuſſerat ita fieri Dominus, cum Iſraelitis in promiſſa terra ſedem rerumque ſuarum domicilium collocare datum eſſet. At ex hoc ipſo tempore datum eſt. Ita enim ſcriptum legimus, Exo.12.verſu 24. & 25. *Cuſtodi verbum iſtud legitimum tibi & filiis tuis vſque in æternum. Cumque introieris terram, quam Dominus daturus eſt vobis, vt pollicitus eſt, obſeruabitis cæremonias iſtas.* Leuitici 23. vbi ſtatuuntur quæ perpetuo temporum decurſu obſeruandæ forent ſolemnitates; dicitur verſu 5. *Menſe primo quarta decima die menſis ad veſperum, phaſe Domini eſt.* Clariſſimè Deuteronom. 16. verſu 1. Obſerua menſem nouarum frugum, & verni primum temporis, vt facias phaſe Domino Deo tuo. Cauſa verò ſuprà tradita eſt quæſt. 17. Atque id ſeruatum quoad euerſum templum eſt, primo à Nabuchdonoſore: deinde contaminatum ab Antiocho, tandem verò funditus exciſum & ſublatum à Tito. licet Ezechiæ temporibus, 2. Paral. 30. & Ioſiæ ibidem cap. 35. è tribubus Iſrael ad illud ſolito pauciores ventitarent, quoad piorum Regum iſtorum litteris & nunciis excitarentur, & paſcha ex more Hieroſolymis agerent.

QVÆSTIO XXVII.

Quis Paſchati agendo menſis?

IN nudo capitis 12. Exodi textu nunquam clarè dicitur, quiſnam menſis fuerit, quo agendum Paſcha eſſet. Sed cum alloqueretur Dominus Iſraelitas, qui ſciebant, quem tunc menſem agerent; ſemper illum ipſum menſem demonſtrat, dicens, *menſis iſte.* Clariſſime tamen & ex perpetua conſuetudine ac vſu, conſenſuque omnium, è ſecundo azymorum die, quo manipulus offerendus, è pentecoſtes feſto, aliiſque ſimilibus colligitur is fuiſſe, qui noſtro ferè *Martio, & Aprili*, reſpondet. De eo autem duo in eodem cap. ſignificantur. *Vnum,* non fuiſſe olim primum in annuorum menſium ordine. quia, vti Geneſ. 3. docui, primus is tunc habebatur, quo creatus mundus fuerit, qui Autumnali noſtro Septembri reſpondebat, poſteaque dictum eſt *Tiſri.* Vnde & Exodi 23. & 24. Tabernaculorum feſtum agi iubetur in anni exitu, ſeu anno redeunte. *Alterum*; deinceps eum menſem in annuo curſu primum habendum. Menſis iſte, ait, vobis principium menſium, primus erit in menſibus anni. Solet magni momenti ea res haberi, cui annorum dantur principia. ideoque hac ipſa lege voluit Dominus, nulla vnquam temporum diuturnitate, beneficij huius memoriam intercidere. Hoc tamen menſium initium ita fuit, vt alterum à mundi ductum primordiis non exturbaretur: ſed vtrumque ſeruaretur, *duplexque* apud Iudæos *annus* foret. Vnus *ſacer*, quoad feſtorum ſcilicet ſolemnitates. Et huius principium eſt iſte, de quo agimus, menſis: *politicus & prophanus* alter, quoad politicos, hu-

A manoſque contractus & vſus. & huic priſtinum eſt exordium in Autumno. niſi quod Iudæorum Rabbini rectè notant; ad hunc etiam annum pertinere *annorum Sabbathum, & annorum Sabbathicorum ſabbathum.* id eſt annum quemlibet *Septimum*, qui ab ipſis dicitur *ſchemitah*, & annum *quinquageſimum*, qui *Iobilæus.* Cum enim tali anno neque ſerendum, neque metendum quidquam ſit, eum ſi à Martio incepiſſent, neque prioris anni meſſem colligere, neque ad ſequentis anni meſſem potuiſſent
B ſementem vllam facere. Sicque duorum annorum meſſis euanuiſſet. Si verò ab autumnali æquinoctio annus is inchoetur, vna tantum meſſis, è prioris ſcilicet anni ſemente, relinquitur: Sed anno eo iam elapſo, ſemen ilico ſpargitur, è quo ſtatim anno ſequenti meſſis. Vnicus verò eſt, quem quidem ſciam; Thomas Lydyat Anglus, qui tractatu de annis cap. 2. par. 15. doceat, ſemper à mundi principio menſem hunc paſchalem fuiſſe primum: ſed ita, vt idcirco contra omnes omnium verſio-
C nes ac expoſitionem locum Exodi 12. verti velit: *Menſis iſte vobis principium menſium eſt: primus ipſe vobis menſium anni eſt.* non *erit*, aut *eſto.* Sed merum hoc nouitatis ſtudium, ob quod mirè à Nouatore alio vapulat, Scaligero ſcilicet prolegom. in Iſagogen.

Quemadmodum porro Grammaticorum caſus duplici nuncupantur nomine verbi cauſa, *caſus tertius & datiuus*: ſic habent Iudæorum menſes nomina duplicia. Vnum quidem ab ordine, quem in anni ſerie obtinent; & ſic
D iſte noſter vocatur *primus*: alter ab aliquo effectu & nota. & ſic iſte dicitur menſis *Abib.* Exodi 34. verſu 17. in Hebræo. id eſt *menſis ſpicæ* aut *ſpicarum*, quia tunc, vt ſuprà dictum, in Palæſthina: iam in ſpicas adoleuerunt ſegetes, meſſiſque proxima eſt. vel vti vertunt 70. & eos ſequutus noſter interpres, *Menſis nouarum frugum.* In eodem tamen Latino noſtro noua adhuc additur, maioris explicationis gratiâ, deſcriptio *verni primus temporis.* De eo autem poſ-
E ſunt cæteris menſibus communes *tres* inſtitui *quæſtiones.*

Prima. *Vnde menſis huius initium capiebatur? An è calculo quodam qui vel ſcripto quod* חשבון *cheſbon dicitur vel peritiorum memoria cuſtodito, an è Lunæ ipſius obſeruatione.*

Secunda. *Si ab hac, an ab eius cum ſole coniunctione, an ab apparitione ſeu phaſi, primaque viſione.*

Tertia. *Si à coniunctione, an à vera vel à media?*

Ad *primum*, dicunt in Thalmud cap. *roſch haſcanach* Rabbini, è Lunæ obſeruatione menſibus data initia. ſimulque *ad ſecundum* reſpondent,
F fuiſſe à Magiſtratu, quem *Iudicij domo* ſignificant, miſſos vitæ integros, ſceleriſque puros, qui è certis montium iugis naſcentem Lunam obſeruarent, & porro renuntiarent. Id ab iis vbi factum fuiſſet, ſucclamatum à Iudicibus ilicò *Mekudaſch Mokudaſch*, id eſt, *Sanctificatus, Sanctificatus eſt*, menſis nimirum, vt additur initio libri *Meldoth & Tekuphoth*: & indictam tubæ clangore *Neomeniam.* Atque antiquus ille vſus poſſet aliquo modo probari ex hodiernorum Iudæorum aſſeueratione quoties

Digitized by Google

eorum, quæ oblata eſt Domino, peribit de populis ſuis. Nam ad hoc ſacrificij genus *agnum* referri ex eo apparet, quod in accepti beneficij memoriam fuerit, vt ſuprà oſtenſum quæſt.17. Verum, quia poterat tempus incidere, vt non eſſet quis immundus, celebrare tamen Paſcha non poſſet, vt ſi, verbi gratia, in remota quapiam regione peregrinaretur quis, ideo & his, licet de prioribus tantum excitata eſſet dubitatio, cautum voluit Dominus. Sed quod Interpres noſter ait, *ſiue in via procul in gente veſtra,* duo habet in Hebræo & Græco mēbra, Hebr. *In via remota à vobis, aut generationibus veſtris,* Græc. ἐν ὁδῷ μακρὰν ὑμῶν, ἢ ἐν ταῖς γενεαῖς ὑμῶν putaret, ideo aliquod aliquis diſcrimen. Nam poſſet Latinum intelligere, quaſi via eſſe deberet procul, ſed tamen *in gente Iudaica,* non *in Gentilium ditionibus.* At in Iudaicarum tribuum regione, quæ via tam procul, vt ab Hieroſolymitano aſcenſu, ordinariaque paſchatis agitatione vllum vnquam excuſarit? Dicendum ergo, Latinum, vno commate ſignificaſſe, quod Hebræus & Græcus duobus ſignificant; *viam* intelligendam *quæ procul eſſet,* non his vel illis Iudæis, hoc vel illo tempore; ſed omnibus, & ſemper, tam apud præſentes, quam poſteros. Et hoc idem etiam expreſſit Tremellius, ſed quod in Hebræo & Græco cum longitudinis vocabulo connexum eſt, reuocando ad Iudęos ipſos, hoc modo. *Si vllus è vobis erit immundus propter cadauer, aut vllus è vobis, aut ex generationibus veſtris in via remota fuerit, tamen celebrauit Ioſuæ paſcha menſe ſecundo.* Hæ igitur duæ alium in menſem differendi Paſchatis cauſæ à Domino ipſo traditæ ſunt. Poſſet autem prꝫterea *ſeptem* rogare quiſpiam.

1. Cum hæ in certos tantum homines cadant cauſæ, *Fierine poſſet, vt aliquibus etiam de cauſis, in alterum ſimiliter menſem paſcha ſuum proferret totus populus?* verbi cauſa, ſi templum eſſet prophanatum, & inter ea expiaretur, & renouaretur: ſi Hieroſolymitanam ciuitatē totā bellū & obſidio; vel peſtis certè aut morbus contagioſus alius occuparet. 2. *An,* quemadmodū mortui contagio pollutus in menſem alterum procraſtinandi paſchatis ius iam expoſitum habuit, *habuerit* etiam alius *aliā quauis immunditiā immundus?* verſ. c. ſi leproſus, Leuit. 13. Deut. 23. verſu 10. ſi ſeminifluus Leuit. 15. ſi menſibus inquinata mulier ibidem: ſi vetitorum animalium cadauera tetigiſſet Deutero. 14. Leuit. 11. 3. *An, ſi inter Gentiles quiſpiam moraretur?* 4. *Si quis primo menſe grauius ægrotaret, ante ſecundum tamen, aut ſub huius initia, vt Hieroſolymam adire iam poſſet, conualeſceret?* 5. Denique *an aliæ vllæ cauſæ ſint, ob quas eadem dilatio, vel ſtatuti menſis immutatio proba foret?* 6. *An* ſi, & ſecundo menſe habuiſſet quis differendi cauſam, *potuiſſet in tertium etiam menſem vel quartum differre?* 7. *An,* qui differebant iſto modo paſcha, *eodem* etiam *iure ac modo differebant Pentecoſten, an hanc à communi Paſchatis feſto erat ordiri neceſſarium?*

Prima illa quæſtio reapſe anno primo Ezechiæ Regis extitit, 2. Paralipom. 30. cum eius parens Rex impius Achaz omnes Dei religiones deleſſet, omnem templi ſanctitatē nefariè contaminaſſet. Retulit verò quæſtionem hanc pius Rex Ezechias ad principum ſuorum, A Eccleſiæque totius conſilium, ipſum, vti quidem reor Sanedrin concilium: & affirmatè decretum, dilationem illam iuſtam videri. Primò, quia ſat multi ſacerdotes conſecrati nondum eſſent. Nam quod in Hebræo illic eſt *lemaddai* verſu 3. *ad ſufficientiam* ſignificat, vti & 70. & noſter, ipſique Rabbini monſtrant, aliter ſcilicet quam Iudicum 3. verſu 16. Secundò. quia ex omnibus Iſraelis tribubus, nondum populus, qui quidem Aſſyriacis cladibus ſupererat; Hieroſolymam congregatus erat. Nam B primo ſtatim anni illius Ezechiani primi menſe non potuit, vti alioqui debuiſſet; Regis & ciuitatis renaſcens erga Deum pietas, agundo paſchati vacare, quod cum primo primi iam nominati menſis die à ſacerdotibus & Leuitis cœptum eſſet, Domini templum purgari & expiari, ad exitum tamen ante menſis eiuſdem diem XVI. venire non potuerint. 2. Paral. 29. At tum quidem iam præſcripta paſchatis dies, de qua infrà, prætereierat; neque ante menſem alterum, aut ſat multorum ſacerdotum conſecratio, aut populi vndique aduenturi con- C uocatio fieri commodè poterat. Par videtur de peſte, bello, & ſimilibus ratio: etſi primo alia omnia conari ſuadeat religio, legumque ipſarum reuerentia, vti cum Antiocho Pio fecit Hyrcanus in ſcenopegiæ feſto apud Ioſephum lib. 13. cap. 16. quia tamen in poſitis legibus, cum, certam ob cauſam, ſolutio earum aliqua, ſeu *diſpenſatio* fit, hanc ad ſimiles caſus transferre non licet: cum earum *explicatio* fit, licet quærendum, *ſit ne hic diſpenſatio, an explicatio* E *adhibita?* Et mihi quidem fere videtur diſpenſatio potius. quia ſi explicatio fuiſſet, licuiſſet, non in hunc vel illum menſem & diem definitum paſcha differre, ſed in quemcumque, vbi primum ceſſaſſent, quæ à primo legitimoque menſe ac die impedierant cauſæ. Nunc autem & duas tantum dilationis paſchalis cauſas tradidit Dominus, & certum poſtea tempus, quo prætermiſſa compenſaretur religio, definiit: idque idem ſequutus eſt poſtea Ezechianus, de quo hac ipſa quæſtione antea, Senatus. E Atque hinc *ad primam & ſecundam* quæſtionem negatè reſpondetur.

Ad tertiam verò dictur, poſſe ita inter Gentiles morari quempiam, vt ſe Hieroſolymitano itineri, cum tamen rectè poſſet; non det: aut verò det quidem rectè, ſed ita, vt tempori, ob obliquam, quæ forte interuenit; remotam, adeſſe non poſſit. Priorem nihil attingit Domini diſpenſatio, ſed poſteriorem.

Ad quartam. Non auſim auctoritate priuatā, quod quibuſdam à Deo beneficij datum eſt, id F omnibus, etiamſi eos videatur tardaſſe cauſa non abſimilis, peruulgare. Quod ad certas reſtrinxit cauſas Dominus, ad alias aut rapere aut transferre num licet? At hæ illis ſimiles ſunt. Eſto non illæ ipſæ tamen ſunt.

Ad quintam. Reſpondent in *Sanedrin* tractatu Thalmudici, vetuſtiſſimis etiam ſanctuarij, ſeu templi prioris temporibus, ſolitos maiores ſuos menſem aliquando vnum ante ipſum *Niſan* interponere, ita vt qui eſſet futurus *Niſan*: vocaretur nomine alio, *Adar ſecundus*: &

eamque biduanam, adhibitam apud Ioſephum lib.13.c.16.cenſuerim libentius, procraſtinationem in ea omnem excluſam. Vnde & apparet: quanta *Sebuæorum* fuerit audacia, & quam impudens hæreſis, qui contra diſertum legis præceptum feſtorum apud Iudæos celeberrimorum paſchatis, Pentecoſtes, & ſcenopegiæ tempora fuerunt immutare auſi. Nam vti ſanctus refert Epiphanius libro 1.hæreſ. 11. Paſcha celebrarunt in *Tiſri* ſeu *Septembri*, Pentecoſten in *Autumno*, ſcenopegiam in verno menſe *Niſan*. licet alia, & his adhuc abſurdiora de iis abſurdè tradiderit in *Elencho contra Serarium* Ioſephus Scaliger, prout monſtraui lib 3. *Minerualis* cap. 6.& ipſemet poſtea tacitè faſſus eſt, dum ſuam illam ſententiam deſeruit lib. 3. Iſagoges pag. 218.aliamque nouam commentus eſt, quemadmodũ indicaui ſcrupulo 22. *Rabbini* poſterioris.

QVÆSTIO. XXIX.

Paſchali agendo dies quis?

QVEMADMODVM *Paſchalis menſis* duplex fuit, *ordinarius* nimirum, *Niſan* menſis, & *extraordinarius* vel *Iiar*, vel *Adar*, vt ſuperiore quæſtione oſtenſum, ita & de paſchali die inquirendum: ac primum *de ordinario, quiſnam fuerit*? Duæ opiniones. *Vna* communis & antiqua, fuiſſe diem menſis *Niſan* decimum quartum, diem prout hodie numeramus, ab ortu ſolis accipiendo. *Altera* recens, & perpaucorum, fuiſſe XIII. diem, eodem modo noſtro, intelligendo. Hoc enim docere nuper in Hiſpania cœpit Aloyſius Legionenſis, libro de agni typici ac veri immolationis legitimo tempore, ipſique ſeſe quadantenus adiunxit Petrus Lopez Montoyanus, ſuarum in ſacrum miſſæ canonem annotationum libro: extra Hiſpaniam verò in Hollandia Scaliger li. 5. de emendatione temporum fol. 351. Monui autem, diem, quoad noſtrum numerandi modum ſumi, quia, aiunt quidem iſti auctores, Luna 14. ſiue die menſis 14. edendum paſcha fuiſſe, ſed Iudaico more diem accipiunt. Sciendum enim ex Leuit.23.v.32. dies feſtos habuiſſe apud Iudæos duas veſperas, vnã priorem, à qua dies illi incipiebantur, & alteram poſteriorem, in qua deſinebant. Illa verò prior, erat veſpera. quæ noctem & matutinum diei feſti tempus, antecedit, id eſt, veſpera quæ finis diei prioris. Apud nos, quod in eiuſmodi veſpera fit, dicitur die illo priore fieri: apud Iudæos verò die poſteriore ſiue ipſo feſto, cuius initium & pars quædam eſt iſta veſpera. Hinc igitur ſuum iſti *primum* exſtruunt *argumentum*. Quod in ſcriptura iubetur fieri ad veſperam diei feſti, id intelligitur more noſtro fieri pridie veſperi. At in ſcriptura paſcha iubetur fieri pridie diei 14. menſis primi, qui dies feſtus. Ergo more noſtro debuit fieri die 13. veſperi. Aſſumptio haberi videtur Leuitici 23.v.5. ſic: *Menſe primo, quartadecima die menſis ad veſperam, phaſe Domini eſt*. Similiaque ſunt Exodi 12. verſu 6. Numer. 9.v.2. *Alterum* eorũdem *argumentum* eſt. Quo menſis primi die omnium primum paſcha celebratum fuit, eodem deinceps, ordinariè paſchata omnia, vt ex cæremoniæ huius fine ſuprà expoſito, & è ſcripturis patet Exod. 12. Sed menſis primi die 13. primum illud celebratum eſt. Nam primò Ioſephus l.2.c.5.in Græco ait ἐνσάντος τῆς τεσσαρεσκαὶ δεκάτης πάντες πρὸς ἔξοδον ἔχοντες, ἔθυον, id eſt, vt vertit ille Aloyſius, *Appetente decima quarta die, omnes ad iter accincti, ſacrificabant*. eandemq; ſententiam innuit vetus interpres Ruffinus in Latino c.13. *Cum*, ait, *inſtares quarta decima dies, omnes ad egreſſionem tendentes & immolantes ſanguinem, domos proprias hyſſopi frondibus emundabant*. Si tantum appetebat ſiue inſtabat dies XIV. & tamen ad veſperam comeſus agnus, Ergo pridie paſcha fuit, id eſt, die XIII. Secundò. Iudæi ex Ægypto egreſſi ſunt noctu, ſole occidente, in fine diei XIV. & ineunte die XV. Ergo pridie, id eſt, die XIII. ad veſperum paſcha ederant. Antecedens quoad ſingulas partes probatur. Prima, egreſſos fuiſſe noctu. Exod.12.v.37.cum 42. Secunda, ſole occidente. Deut.16.v.6. Tertiò, illam noctem fuiſſe finem diei XIV. & principium XV. Num.33. v.3. Conſequentia verò illa patere videtur, quia ederunt Iſraelitæ paſcha ad veſperam, quæ non potuit eſſe hæc ipſa diei XIV. qua egreſſi ſunt. *Primò*, quia comeſtionis illius nocte, vetitum ipſis erat ſuis è domibus egredi, Exod.12.v.22. *Secundò*, quia Num.33.v.3. dies egreſſionis, dicitur *altera dies*, ab agni comeſtione. Veſpera igitur, qua iſte comeſtus fuit, non erat ipſemet dies egreſſionis, ſiue illius principium, & pars. *Tertiò*, quia poſt comeſum agnũ, & ante ipſum ex Ægypto exitum, adeo Iſraelitis multa curanda & facienda erant, vt etiãſi voluiſſent, non potuiſſent, eadem paſcha ederunt, nocte iter capeſſere. Nam ex omnibus vicis tum primum congregari debuerunt, cum poſt primogenitorũ cladẽ eos ad exitum perpellerent Ægyptij: debuerunt & aurea, argentaque vaſa ab Ægyptiis poſcere. ita vt naturalis facilè dies interueniſſe videatur: ideoque omnino ederint agnũ die XIII. ad veſperam, quæ diei XIV. principium erat, ſecuta nocte tota domi quiſq; ſuæ ſeſe continuerint: die XIV. ſecuto, petere ab Ægyptiis vaſa illa, vnumq; in locũ turmatim confluere cœperint: tandemque ad eiuſdem diei veſperum, qui XV. principium erat, ſole iam occaſo, feliciter exierint. id eſt die XVI. ſecundum hodiernum noſtrum dierũ calculum; ſed die XV. ſecundum Iudæorum, vt ſuprà expoſui. *Tertium & vltimum argumentũ*. CHRISTVS D. legitimo tempore, paſcha celebrauit. Neque n. diuinam legem violare vmquam voluit. At paſcha ſuum vltimum, quando Euchariſtiam inſtituit, celebrauit non die XIV. ſed XIII. Nam paſchatis hui⁹ poſtridie ſtatim, vt ex paſſionis apud Euangeliſtas ſerie perſpicuũ eſt; crucifixus eſt. At non potuit iſte poſtridianus, eſſe dies XV. ſed tantum XIV. quia menſis 1. dies XV. feſtus erat & ſolemnis, Num. 28.v. 6. & 7. in quo iudicia tractare, multo minus crucẽ apparare, baiulandam imponere, defigere ac ſtatuere: in eã clauis quẽquam ſuffigere, nũquam auſi fuiſſent, qui ne atria quidem prætorium, puritatis causã, inire uſi ſunt, Ioan.19. Et verò quomodo Ioſephus, & cætera piorum turba eum in feſto ſepelire voluiſſet? Accedit, quòd melius figuræ reſpondeat veritas, ſi eodẽ omninò die XIV. dicatur & typicus & verus agnus occiſus, licet in illius diei principio, id eſt, in veſpera, quæ diem XIII. claudebat; typicus agnus immolaretur, & verus in meridie immolatus ſit.

Nequaquam tamen à priſca, & conſentiente

Digitized by Google

aliorum omnium ſententia nos abſtrahere hæc A
debent. Sed cum diei alicuius duplex poſsit conſiderari veſpera, vna, quæ ipſius clauſula eſt, & ſoli, qui diei pater eſt, huiuſque diei lucem ortu ſuo attulit, occidēti reſpondet; altera, quę diem ipſum antecedit & prioris diei clauſula eſt; intelligendum eſt, *propriè* ac ſimpliciter diei veſperam priore modo appellari, quæ ipſum ſcilicet claudit & terminat: *impropriè* verò ac ex Iudæorum tantum vſu, aliquando & alicubi veſperam poſteriore modo accipi. Nam conſentaneum gentes omnes iudicarunt, & ipſe in mun- B
di primordiis docuit Dominus Gen.1. vt quemadmodum ſol ſpatio temporis certo vnam terræ partem allucet, idque tempus vocatur *dies*, ſic eius prima pars, *mane*, poſtrema *veſper* vocaretur. Quando tamen ſanxit Iudæis Dominus Leuit.23.v.32. *A veſpera vſque ad veſperam celebrabitis ſabbatha veſtra*, non ſuſtulit communem & vſitatiſſimum illum de dierum omnium veſpera ſentiendi, loquendique modum, ſed in ſabbathis, quorum nomine omnia, quę ſabbathorum inſtar erant, feſta ſignificantur; voluit præceda- C
neam veſperam eſſe initium, & ſabbathorum ipſorum particulam. Ideoque cum diei alicuius in ſcriptura mentio fit, debet ſemper è communi ſenſu ac ſermone accipi veſpera, quæ diei terminus & finis eſt, niſi feſti ratio, & loci circumſtantiæ aliud commonſtrent. Ideoque dico, *paſcha fuiſſe agendum die XIV. menſis primi*, de moris noſtri die ſemper loquendo, quia veſpera illa, in qua edendus agnus; erat illius diei non principium, ſed extremum; non quæ clauderet diem XIII. ſed hunc ipſum XIV. ſiue vt alij loquuntur, D
quæ nō eſſet prior veſpera, ſed poſterior. Quod ſi tamen Iudæorum more loqui libeat, dicendum erit, *Paſcha die XV. Niſan agendum fuiſſe*, & ſic in ſcriptura cum dicitur à pridiano paſchæ numerandas VII. hebdomadas ad pentecoſten. ſic Hebræi quando in Kalendariis ſuis aiunt, pentecoſten ſemper incidere in feriā ſecundam paſchatis: ita ſcilicet, vt ſi *Niſan* fuerit feria III. pentecoſte ſit feria IV. Nam primò dies XIV. feſtus non erat, ſed tantum XV. Ergo illius veſpera non eſt in XIII. die occupanda: ſed in ipſomet E
duntaxat XIV. ita vt eiuſdem exitus ſit, & XV. diei qui feſtus erat: exordium. Secundò. Simul & incipiunt azymorum dies ſeptem, & paſcha editur quia cum illis hoc edi oportuit, & non ante, vt ſuprà dictum, & iterum dicetur inferius. At illi incipiunt die XIV. ad veſperam: ſiue in illa veſpera, quæ diei XV. feſti & azymorum primi pars prima eſt. Nam Leuitici 23. Exodi 12. debebant azymorum dies ita eſſe ſeptem, vt in diei XXI. veſpera, quæ quidem iſtum terminaret; deſinerent. Aliter enim non ſeptem, ſed octo dies F
forent. Verbi cauſa.

{ die XIV.
{ 1. veſp.
{ 2.15. ad veſperū excluſiue } dies 1. azymorū.
{ d. 15. veſpera
{ 16. ad veſp. exclu. } d. 2.
{ 16. veſp.
{ 17. ad veſp. exclu. } d. 3.
{ 17. veſp.
{ 18. ad veſp. exclu. } d. 4.
{ 18. veſp.
{ 19. ad veſp. exclu } d. 5.
{ 19. veſp.
{ 20. ad veſp. eclu. } d. 6.
{ 20. veſp
{ 21. ad veſp. exclu. } d. 7.

Incipe à veſpera diei XV. vel deſine in veſperam diei XXII. habebis vltra quam præſcriptum; dies VIII. Dices, Ioſephum lib. 2. ant. cap. 5. dies azymorum octo ſtatuere. Reſpondebitur poſtea. nunc dico, eundem Ioſephum l. 3. c. 10. clariſſimè docere, die XIV. paſcha immolari ac edi, dum ait. *Dies decimus quintus excipit ipſum paſchæ diem ei ſuccedens*. Hoc enim eſt, διαδέχεται. & ibid. facit *dies VII. azymorum*. Has verò rationes, etſi firmiſſimas; propono breuius, partim, quia ex dictis vel dicendis pēdent, partim quia dilatatius iam à R. noſtro Patre Ribera lib. 5. de templo capite 3. num. 7. & ſequentibus, Soarez Tomo 3. diſputat. 40. & 41. propoſitæ ſunt. Tertiò. Probatur ex omnium auctoritate veterum & recentiorum, Latinorum, Græcorum, & Hebræorum, adeo vt, quemadmodum infrà manifeſtum fiet; hodie non niſi die XIV. adimant omne ſuis ex ædibus fermentū Iudæi. Quartò. Probatur è ſolutione contrariorū argumentorum.

Ad primum, negatur Aſſumptio. In Ioſepho autem ἡμέρα ἐνστῶσα, eſt dies, quæ iam pręſens facta eſt, quæ iam fuit, non autem quę appropinquat. Nam etiam ſi foret ἐνστησομένη. vocari tamen poſſet, *dies præſens*, non autem quæ nondum eſt, ſed iamiam erit, cum bellum, quod iam geritur, apud Demoſthenem vocetur ὁ ἐνεστηκὼς, vel ὁ ἐνεστηκὼς πόλεμος, vti monet in Commentariis Budæus; apud Apoſtolum noſtrum, *præſentia & futura* ἐνεστῶτα καὶ μέλλοντα. Rom. 8. verſ. 38. 1. Cor. 3. 22. & *præſens neceſſitas* 1. Cor. 7. verſ. 26. *præſens ſeculum nequam* Galat. 1. verſ. 4. *præſens tempus* καιρὸς ὁ ἐνεστηκὼς. Heb. 9. 9. & *dies* CHRISTI ἐνέστηκεν *acceſſit, præſens factus eſt*. 2. Theſſ. 2. 2. Quin & ipſe Ioſephus li. 13. c. 16. ἐνέστη ἡ πεντηκοστή, id eſt, *Aderat*, ſeu *interuenerat Pentecoſte*. & lib. 6. belli cap. 45. ἐνστάσης ἑορτῆς Ruffini autem verſio ſcatet id genus mendis. prout in hac ipſa ſententia, dicendum non erat *immolantes ſanguinem*, ſed *immolabant*, *& ſanguine domus proprias, cum hyſſopi comas acceperant, expiabant*. Poſſet tamen apud eum ſumi, *cum inſtaret*. pro, *cum præſens eſſet*. Sic enim apud Philoſophos frequentiſſimè, ſed & apud Ciceronem in Tuſcul. 4. & lib. de fato, pro præſenti *inſtans dicitur*.

Ad ſecundum, negatur antecedens. *Primò*, quoad ſecundam partem. Non enim *ſole occidente* ſunt egreſſi die 14. Sed *poſtquam occidiſſet*, imo poſteaquam pluſquam noctis dimidium, & tota ferè pręteriiſſet, iamiamque matutinum, die XV. appeteret. ita vt die XV. idcirco dicantur egreſſi. Cum verò ait Dominus Deuter. 16. v. 6. *Immolabis phaſe veſpere ad ſolis occaſum, quando egreſſus es de Ægypto*; illud *quando* non præcisè horā ſignificat eandem, ſed tempus acceptū generatim. Ideoq; in Hebręo eſt, *ſecundum ſolis occaſum, tempus egreſſus tui ex Ægypto*. Et ſic noſtri loquuntur omnes: Diei natalis tui matutinis horis in ſacro Deum diligenter precare, quando tibi, vt noſceteris dedit.

Digitized by Google

dedit: Et tamen illius diei hora pomeridiana 6. vel 7. natus es. Negatur *ſecundo* antecedens quoad tertiam partem; ſi noctis nomine veſpertinum tempus accipiatur. At ſi tota nox, vti debet, intelligatur, conceditur ea pars antecedentis tertia. Nam verè noctu, ſub crepuſculum matutinum, ex Ægypto excellerunt Iſraelitæ, vt in Exodo dictum fuit. ſicque verè dies xv. ipſorum exceſſui tribuitur Numer. 33. v. 3. At vrget Zonaræ verba quædam Aloyſius dicentis, egreſſos Iſraelitas πεμπτῃ καὶ δεκάτῃ κατὰ σελήνην, id eſt, vt ipſe quidem interpretatur xv. *die, oriente luna*. Sed cum plenilunium tunc eſſet, hæc oriebatur veſperi, dum ſcilicet ei è diametro ſol obiectus occideret. Verum primò; pro Zonara, cuius non niſi proletaria fere auctoritas; citare potuiſſet ipſum, è quo verba illa ille mutuatus eſt; Ioſephum (male in Scaligero pa. 350. lib. 5. de emend. citatum lib. 3. cap. 5.) lib. 2. cap. 6. in principio. Secundò. Illud κατὰ σελήνην non valet, *oriente luna*. Sed *ſecundum lunam*. quia ſecundum Lunę curſum, ab ipſius cum ſole coitu, erat menſis dies xv. prout ſupra quæſt. 27. expoſitum. Sic enim & libro. 1. Laertius refert præſcripſiſſe Athenienſibus Solonem τὰς ἡμέρας κατὰ σελήνην ἄγειν, prout rectè inibi vidit interpres, cum vertit, *dies ſecundum Lunæ curſum agere*. Quod ſi quis exponere vellet κατὰ σελήνην, id eſt, *ſecundum Lunam*, fulgentem ſcilicet, à Ioſephi, opinor, mente abiret à veritate tamen nihil. Nam in plenilunio totam noctem, quoad poſtero die oriatur ſol, poteſt colluſtrare Luna gratiſſimumque nocturnis, & antelucanis viatoribus, cuiuſmodi fuiſſe Iſraelitas dixi; lumen præbere. *Conſequentia* verò illa ex antecedente, aut ita negato aut expoſito facile etiam negatur. *Ad primam* eius *probationem* dico, ipſis è domibus ea nocte fuiſſe vetitum egredi, quoad nimirum pertranſiiſſet Angelus, & Ægypti primogenitos ſuſtuliſſet. *Ad ſecũdum*. Quia egreſſi ſunt poſt noctis medium, ſub crepuſculum diei xv. rectè dicitur profectionis dies, fuiſſe *decimus quintus*, itemque paſchatis poſtridianus, ſiue vt Hebræum verbotenus verterunt illic 70. ἡ ἐπαύριον τοῦ πάσχα, loquendo ſecundum communem, de qua ſuprà, & vſitatam dierum numerationem, prout rectè ſignificat etiam Ioſephus lib. 3. cap. 10. in Græco.

Ad tertium. Quomodo facta ſint hæc omnia, partim ante primogenitorum cædem, partim ilico poſtea, dixi Exod. 12. & videri poteſt tom. 3. Soarez loco citato; & Ribera loco citato ad finem argumenti ſecundi.

Ad tertium porro *argumentum* negatur antecedens. Ad priorem probationem, annuo prorſus fuiſſe diem xv. feſtum & ſolemnem; ſed illud abnuo, nihil hic feciſſe Iudæos contra legem. Qui enim furore amentes in CHRISTVM Dominum conſceleratiſſimas manus iniicere, mendaciſſimas linguas exercere, cœptum in animo virus ac odium funeſtiſſimum tanto impetu ac ſæuitiâ expromere auſi ſunt, cur aliqua cenſeantur ſolennitatis religione tacti, ne, quod maxime optabant, eum interimerent? Sed eſto: tacti fuerint religione, non ipſi tamen, ſed Gentiles fuerunt, qui CHRISTI crucem fabricati ſunt, baiulandam impoſuerunt, ſtatuerunt, defixerunt, in eamque Deum egerunt Nulla verò ipſis religio eſt, diebus feſtis alienâ vti operâ, eorumque quos *goim* vocant, dum tamen eorum ſerui non ſint, labore quidquam exequi: Nam & vidi, cum acceptas quaſdam, dei tabernaculorum, litteras accepiſſent, ipſos, præ ſuperſtitione, non auſos apetire, ſed à Chriſtiano, vt aperiret; petiiſſe. Tertiò. Quin verò magnum ſe Deo cultum adhibere ſibi perſuadebant, quòd etiam die feſto eum plecterent, alieniſque manibus, mactarent, quem blaſphemum, legiſque hoſtem, & diuinitatis appetitorem ac Perſpſeudoprophetam videri volebant. Sic enim Numer. 15. cum inuentus eſſet quidam ligna colligens, eum ſuis ipſi manibus ceperunt, colligarunt, in carcerem coniecerunt. Et Ioſephus, vt infrà quæſtio quędam docebit; narrat quemadmodum primo azymorum die, qui feſtus erat, armati quidam circum Hierichuntis mœnia ierint, dieque ſeptimo qui itidem feſtus, eam ceperint, cędemque maximam virorum, fœminarum, puerorum, ſeruorum & ægrotorum; imo iumentorum etiam ediderint lib. 5. cap. 1. Alij verò Iudæi dicunt quidem, vt etiam infrà ſuo loco dicetur; poſt azymorum dies captam Hierichuntē, attamen die Sabbathi, vt in *Seder holam* eſt c. 11. *De ſupultura* verò negotium facilius. Nam primò ex alterius legis vi neceſſariò faciendum id erat, Deut. 21. Secundò, factum id, vt apparet, ea diei hora, qua quodlibet ſeruile opus licuiſſet, niſi ſequentis ſabbathi veſpera impediiſſet. Quemadmodum enim cœperat primus azymorum dies iſte xv. à veſpera ſuperioris diei xiv. ita finē habebat, cũ ipſius veſpera incipiebat. Tertiò. Dico, ipſis licuiſſe, diebus etiam feſtis, & ſabbathis ſepelire, prout notat in Leuit. 23. Caietanus; & ſatis apparet in Tobia c. 12. Nam cum è platea, intermiſſo conuiuio, mortuũ labore magno tolleret, domique ſuæ occultaret, dies pentecoſtes erat. vt in eum locũ, è Græco, Hebræoque textu, notaui. Et eodem illo Tabernaculorum die de quo ſuprà, vidi Wormatiæ ſepelientes mortuum quendam ſuum Iudæos. Quid ſi verò diceret aliquis, nuſquam iis vetitum, maleficos die feſto ac ſabbatho capere, accuſare, plectere? Certè Rambam li. 14. c. 3. Iudices, qui Synedrij magni erant, alias alibi iudicare dixit à mane vſque ad tempus, quod inter veſperas eſt, de quo infrà: ſed diebus ſabbathi, & bonis, ſiue feſtis, ſediſſe in domo ſanctuarij, quæ in monte domus. Quia tamen ſecus viris magnis videtur ex illo Ioan. 18. *Nobis non licet interficere quenquam*; non valde obluctor. Vide Bellarminum libro 4. de ſacrific. capite 8. *Ad poſteriorem probationem* dico *primò*, neceſſarium haud eſſe, vt in eundem prorſus diem incidat, & typus & veritas. Nihilominus tamen addo *ſecundò*, hic incidiſſe. Nam vt poſtea dicetur, agnus typus fuit non Dominicæ tantum paſſionis, ſed ſacramēti etiam Euchariſtici. quod xiv. die à Domino ſancitum fuit. Manifeſtum igitur, *menſis primi die XIV*. prout nunc quidem dies vulgò nominamus; *ſiue vltima illius diei parte*, quæ eadem Iudaico quodam calculo, feſti diei ſequentis prima erat; *paſcha fuiſſe agendum*.

QVÆSTIO XXX.

Fuerit ne in alium quandoque diem traductum paſcha?

Qvemadmodvm extraordinariè à menſe primo in ſecundum, certas ob cauſas, paſcha traducere: ita & à menſis primi die xiv. in ſecundi eundem xiv. diem traducere licuit, vti patet ex dictis q. 27. Neque in eo diſſenſio vel difficultas vlla: ſed in duplici quorundam ſententia. quorum alij dicunt, licuiſſe interdum ante menſis primi diem ordinariè præfinitum, paſchales agnos litare, alij poſt eundem præfinitum, qui ſecundum pauculos, de quibus ſuperiore quæſtione, fuit xiii. ſecundum omnes alios xiv. vt intellectum eadem quæſtione ſuperiore. Sed quia xiii. ordinarium nunquam fuiſſe probatum eſt, ideo hic quærendum, an idem per anticipationem ſaltem poſſit extraordinarius eſſe paſchalis dies, vel alius quicunque dies eo prior, verbi cauſa, xii. xi. x. & ſi quis alius? Rurſumque an eodem ordinario xiv. poſterior aliquis. Verbi cauſa, xv. xvi. xvii. & deinceps alius, poſſit extraordinarius eſſe dies paſchatis? Ac in prioris quidem quæſtionis affirmatione plurimi ſunt. ſed ita, vt ſemel duntaxat, & ab vno factum id contendant. Hi ſunt qui Christvm Dominum legitimam diem præuertiſſe aiunt, & quod fuiſſet edendum die xiv. paſcha, ediſſe die xiii. Græci nimirum recentiores, qui ab anno cIↃL. vixerunt, vti ad Michaelem Epiſcopum Conſtantinopolitanum Pontifex Leo nonus capite 5. notauit: & in his Nicephorus libro 1. hiſtor. capite 28. Euthymius in 26. Matthæi, nuper Hieremias Conſtantinopolitanus Patriarcha, in refutatione confeſſionis Auguſtanæ capite 10. Poſteriori verò quæſtioni reſpondetur bifariam. Primò. Si naturale Moſaicum Lunæ curriculum intueamur, factum aliquando eſſe, vt die xiv. poſterior aliquis agendo paſchati præſcriberetur, xv. ſcilicet, vel xvi. ſi tamen idem curriculum ex arte ac methodo, quam in Iudaicis faſtis Rabbini certi condiderunt, æſtimemus, dicetur paſchati ſemper obuenire dies xiv. quoad nomen, non quoad rem, quia ſic annum iſti temperant & deſcribunt. Primò, vt maximoperè caueant, ne primi eius menſis primum diem incipiant ab hebdomadis feria; ii. iv. & vi. quod quæ feria ei menſi dat initium, eadem etiam diem iv. ſiue diem paſchate poſteriorem, qui azymorum primus infrà vocabitur; obtineat: Sicque fiet, vt qui eſſe debebat xiv fiat xiii. & qui xv. fiat xiv. ſicque in aliis. Et de hoc regulas duas habent, quæ dicunt. *Nunquam incipit Tiſri ab Adu.* &, *Numquam Peſach in Badu*: huicque poſteriori acommodant illud Exod. 12. verſu 16. *hulebaddo*. Secundò. *Si nouilunium in diei* (alioquin anno inchoando idonei, neque per ſuperiorem regulam improbati, & ob occaſu cœpti) *haram XVIII.* (multo magis in poſteriorem) *incidat, tum menſis à ſequenti die aliquo incipiendus*, propter regulam, *Iach eſt in diebus ba Ghoz*. Tertio. Si etiam nouilunium in eiuſdem diei probati horam aliquam infra xviii. incidat, ſed ita, vt ſequentis anni nouilunium incidere debeat, vel in die alicuius horam xviii. eaue poſteriorem, quoad horam totam, vel eius particulam (quod ſemper Paulus Burgenſis requirit in Matth. 26.) vel in feriam aliquam prima illa regula improbatã, tum transferri etiam debet prioris anni nouilunium. Id autem fit dupliciter. Primò, in anno communi, quando nouilunium eſſet dierum 3. & horarum 9. minutorum 204. cuiuſmodi in hora ponunt ipſi Iudæi 1080. Ita enim iubet regula *Gatrad bappeſutim*. idque propter aliam regulam, quæ dicitur *chacaſch gadah*. Secundò, in anno, qui embolimæum proximè ſequitur, quando eius nouilunium incideret in feriam ſecundam, horam 15. minuta 589. aut ſupra. Tranſlationem enim tunc etiam præſcribit regula *batu takphat achar hibbur*. idque propter aliam illam citatam regulam *chacaſch gadah*. Explicantur iſta quæ delibo hic breuiter, latius in Thalmud *roſch haſchanah* & illic in Hebræorum Computo, vbi de *bakebioth*, ſiue terminis ac feriis, in quibus anni principium figendum; agitur. Nunc id ſatis eſt intelligere paſchatis diem xiv. per artificioſas iſtas tranſlationes referri poſſe in xv. & xvi. quæ tranſlationes ab Hebræis dicuntur *dechioth*. & fiunt ob allatas cauſas vel ſingulas, vel coniunctas plures. Fieri enim poteſt, vt qui dies tranferendus eſt propter *Adu*, ſit etiam transferendus propter *iach*, & dicitur iuncta vel mixta tranſlatio: rurſumque vt cum propter vnam cauſam transferri debeat nouilunium in ſequentem diem, propter aliam debeat hic etiam ſequens dies præteriri, & illud transferri in perendinum. Verbi cauſa, ſi hoc incideret in feriam tertiam, in horam 21. minutum 542. deberet propter *gatrad* transferri in feriam quartam. Sed hanc reſpuit *Adu*. Ergò è feria tertia in feriam quintam deberet tranſlatio fiert. & dicitur *duplex* aut *duplicata translatio*. Solent etiam hæ tranſlationes diuidi, & aliæ dicuntur *politicæ*; aliæ *Phyſicæ*, vel *Aſtronomicæ*. Politicæ ſunt illæ, de quibus primo loco dixi, & per *Adu* ac *Badu* ſignificantur, quia ſcilicet politicum quoddam commodum, de quo infrà, ſpectent: Cæteræ habentur aſtronomicæ, quia magis è Solis ac Lunæ motu accerſuntur. Cum igitur ex iſto Rabbinorum artificiali calculo fiat, vt qui ſecundum communem curſum futurus erat dies paſchatis xiv. reipſa. is per iſtam rationem fiat nomine xii. vel xiii. & qui reuera erat xv. fiat nomine xiii. vel xiv, *tria* quæri poſſunt.

Primò. *Quando artificioſæ id genus paſchatis dilationes, ſiue Nouiluniorum translationes cœptæ ſint?* Secundò. *An abſque Moſaicæ legis violatione fieri potuerint?* Tertiò. *An*, quando factæ & ſtatutæ fuerunt, *iis omnes tenerentur, ita vt ex earum præſcripto & paſcha, & cætera feſta omnia peragi deberent, non aut citius aut ſerius?*

In prima quæſtione *duplex opinio. Prior*, Pauli Burgenſis additione in 26. Matthæi, Scaligeri in vtraque ſua Temporum emendatione: in priore quidem libro 2. folio 88. & ſequentibus, libro 6. folio 265. in poſteriore libro item

2. folio

2. folio 103. & ſequentibus, libro 7. folio 604. *eſſe vetuſtiſſimam iſtam Neomeniæ primæ, ceterorumque dierum comperendinationem.* & ad Scaligerum ex hæretica Marpurgenſi ſchola ſeſe aggregauit Profeſſor quidam in *diſputatione de azymo contra Bellarminum* numer. 54. Poteſt hæc probari ſententia *primò* Scaligeri argumentis, quæ in emendatione priore tria ſunt, in huius verò emendationis emendatione quatuor aut quinque. Quod autem in prima editione primum erat, ab eodem auctore ſublatum eſt; ſed in ſecunda editione primum eſt. Ipſo Dominicæ paſſionis anno Neomenia *Niſan* fuit in ſabbatho, cum tamen alioqui feriâ VI. eſſe debuiſſet. Ergo propter *BAdu* facta fuit tranſlatio. *Secundò.* Anno Domini 70. Neomenia *Tiſri* eſſe debuit feria IV. & tamen non fuit propter *Adu. Tertiò.* Quod in editione prima ſecundum eſt, ſic: Anno Domini 65. debuit Nouilunium *Niſan* eſſe feria VI. & tamen propter *Badu* reiectum fuit in Sabbatum. In poſteriore ſic: Anno 65. embolimæo debuit Neomenia Niſan eſſe feria II. & tamen fuit feria III. *Quartò.* Fuit à Pompeio Hieroſolyma capta die ſabbati propriè dicti, quod erat dies XVII. Thamuz. Ergo in Tiſri tranſlationem factam eſſe oportuit. *Quintò.* Quod in editione prima tertium eſt, ſic: Anno 178. Antiocheno poſt Sabbaticum annum, vt ex Ioſepho colligitur libro 13. cap 16. incidit Nouilunium Tiſri in feriam 2. horam 18. minutum 555. Ergo propter Iach transferri debuit in feriam III. tuncque Neomenia Niſan incidebat in feriam ſextam horam 11. minut. 706. ergo propter *Badu* transferanda fuit in ſabbatum. In ſecunda editione ſic Anno illo, qui erat embolimæus communis, menſe Siuan, feria 6. fuit Pentecoſtes, feria 5. fuit ſabbatum. Ergo eius Neomenia feria 3. Ergo in Niſan & Tiſri facta tranſlatio. Accedat ſextum argumentum ex auctoritate Rabbinorum complurium, qui dicũt templo ſecundo abſoluto hunc annorum, dierumque conditum epilogiſmum: & quidem ab Eliezere, Dei optimi iuſſu & auctoritate, vt habent eorum verba, de quibus fortè infrà.

Opinio tamen *altera* eſt, vigere quidem apud Iudæos hodie iſtam dierum tranſlationem, eam tamen neque ante CHRISTVM Dominum fuiſſe, neque ipſius tempore, neque poſt eum, niſi annorum centuriis aliquod elapſis, poſteaquam Babylonios ſcilicet Thalmudi finis erat impoſitus, id eſt, poſt annum Domini 505. vt in Rabbino priore dixi capite 8. Probatur. I. ex multorum & magnorum auctoritate. Primò *Iudæorum.* Nam Rabbi Abnezra in Leuitici 23. clariſſimè docet, fabulam eſſe, iam inde à ſecũdo templo, cœpiſſe hanc traditionem, imò ne tum quidem fuiſſe, cũ Thalmud fieret. quia & in ipſo, & in ea, quæ ipſo antiquior eſt, Miſna inueniuntur paſchata, quæ feria ſecunda, quarta, & ſexta celebrata ſint. Ergo nulla tum adhuc *Badu* lex erat, quę id vetaret. Nec diffitetur poſterioris emendationis libro 2. Scaliger folio 103. eſſe Rabbinos, qui poſt Thalmudis editionem excogitata hæc dicant. Secundò *Chriſtianorum.* Sic enim cenſent in Ioannis caput 13. Toletus, libro 5. de templo capite 3.

A Ribera, tomo 2. quæſtione 50. diſputat. 40. libro 3. & 4. tomo 3. quæſtione 73. diſputat. 41. ſectione 1. Soarez, ad Diuum Thomam 3. part. quæſt. 73. Sebaſtianus Epiſcopus Oxomenſis, Bellarminus libro 4. de Euchariſtia capite 8. Et fatetur Scaliger editione poſterior. libro 7. folio 604. ita viros doctos ſentire. Tertio *Quorumdam è Nouatoribus.* Nam in Hebraici Calendarij epiſtola nuncupatoria Munſterus ait, Iudæos friuolis rationibus hanc conari fucare feſtorum mutationem, & excuſare diuinæ legis B tranſgreſſionem. Et poſtea tractatu de Neomeniis folio 132. *Hinc, ait, patet, Iudæos duplicem habere paſchæ rationem, vnam legitimam, qua iuxta legem Moſaïcam præcipitur paſcha celebrari XV. die menſis Niſan: Aliam à legiſperitis propter ineptas cauſas, contra legem Dei, confictam, qua Neomeniam anni, & calendas menſiũ aliquando transferunt ad vnum vel duos dies.* II. Primo, ſecundo, & tertio, CHRISTI Domini ſæculo celebrarunt cum Iudæis Quartadecimani paſcha, in quamcumq; incidiſſet feriam ſiue C I. ſiue II. ſiue III. ſiue IV. & alias. Nondum ergo apud Iudæos vſitatæ dierum illæ hypertheſes, & certarum feriarum declinationes per *Adu* & *Badu* regulas. Conſecutio perſpicua eſt: antecedens vero traditur ab ipſo Nicæno Concilio apud Theodoretum hiſtor. libro 1. capite 9. ab Conſtantino Magno in epiſtola ex eodem Concilio miſſa apud Euſebium libro 3. de Vita eiuſdem Conſtantini capite 17. à Polycrate apud eundem Euſebium lib. 5. cap. 22. & 23. à Tertulliano libro de præſcriptione ab S. D Athanaſio in epiſtola de Synodis Arimini & Seleuciæ. S. Epiphanio, hæreſ. 50. & 70. Diuo Auguſtino libro de hæreſibus capite 29. Philaſtrio in hæreſi de feſto Paſchæ. III. Tradunt veteres hoc inter Chriſtianum & Iudaicũ Paſcha diſcriminis, quod illud noſtrũ nunquam fiat Luna XIV. ſiue hæc Dominica ſit, ſiue non (ſi enim ſit Dominica, transfertur in ſequentem: ſi non ſit, expectatur.) Iudæorum vero fiat ſemper Luna XIV. etiamſi incidat in Dominicam. Age igitur faciamus diem XIV. Lu- E næ eſſe XIV. Niſan. Ergo feria ſecunda erit primus azymorum contra regulam *Badu* & *Adu.* Ergo illis temporibus, iſtæ regulæ adhuc inauditæ. Antecedens verò eſt apud Epiphanium hæreſi 70. Theophilum in epiſtola ad Theodoſium, quam libro *de ratione temporum*, capite 57. refert V. Beda ipſum Bedam ibidem cap. 59. S. Ambroſium epiſtola 83. VI. Idem S. Epiphanius hæreſi 31. Ebionitarum, & 51. Alogorum loquens de primo azymorum die prout tempore CHRISTI Domini à Iudæis ſeruabatur F (explicat enim quid ſit Lucæ 6. ſabbatum ſecundo primum) dicit in qualibet hebdomadi feriam, etiam II. IV. & VI. potuiſſe azymorum dierum primum incidere. Vbi ergo Baduanæ tum tranſlationes? V. Cum tot & tanti Patres Græci & Latini veteres de Paſchatis die tam in veteri, quam in nouo teſtamento tractarint, contra Iudæos diſputarint, eorum aliquando aliquos de vrbis aut rebus Hebraicis interrogarint, quomodo eorum nullus, vel auditione ſaltem aliqua, ſibi de comperendinationibus iſtis cognitum ſignificaſſet? Quomodo qui ſe-

Digitized by Google

ſti huius toties meminerunt Ioſephus, & Philo, nullam vel minimam alicubi ſuſpiciunculam aſperſiſſent? VI. Ex modo, quo iſtam rem narrant, ſummamque ei canitiem conciliare volunt Rabbini, cuilibet non obeſæ naris homini fabula ſubolet. Sic enim recitant: *In domo ſanctuarij ſecunda, cum ædificata & abſoluta eſſet, tunc viſum eſt ignis ſolium abſolutum, & ſuper eo Rex mundi ſeipſum ſublimem tollens, & ſtans inter templi veſtibulum, acceperunt* (ſcilicet Rabbini antiqui) *coronam, & apprehenderunt ſigillum occultatum, & numerarunt, & ſtatuerunt ſtatutum ſiue ordinem ſæculi: & traditum eſt in manum. R. Eliezer, qui magnus in omnibus: & ſtatuit, non Bedaz Pur, ſiue feſtum ſortium, & non Badu Peſach, non Gebaz Pentecoſte, & non Adu anni principium, & non Agu dies propitiationis in æternum.* Quod ſi tantus, tantoque diuino prodigio, & auctoritate tempora digeſſit & cōſtituit Eliezer, quomodo, in hac quidem re ipſi repugnare auderet Rabbinorum vllus? At de Abenezra, qui ſummæ apud Iudæos auctoritatis, & de aliis ſuprà iam dixi: num addo in temporum omnium principio, in ipſius ſcilicet mundi creati menſe bellum illi à R. Ioſue, ipſiuſque aſſeclis indici, dum ille Tiſri menſem, hic vero Niſan vult. Quod verò tam ſerio & primo quidem loco *de ſortium feſto* ſciſſet iſte Rabbinus, nonne vt narrationis huius falſitatem ſubodorari liceat, magna datur occaſio? Cum enim feſtū hoc ab Eſthere ac Mardochæo initium duxerit, vel horum hiſtoria fuit ante templum ſecundum, vel poſt. Si ante, falsò aſſerunt Rabbini, cum abſolutum eſſet illud templum, hos ab Eliezere illo factos canones: ſi poſt; vel ſtatim poſt templum fuit, & non poteſt oſtendi, tempus hoc cum templi abſolutione, quando igneam illam cathedram apparuiſſe, ipſoſque canones conditos volunt; congruere vel diu poſt, vt ego in Eſtheris cap. 1. quæſt. 3. verè monſtraui fuiſſe, & tum multo minus potuit ab Eliezere feſtum, quod nondum erat, deſcribi. VII. Ipſe Scaliger hac in ſua ſententia parum etiam videtur firmus, ſibique conſentiens. Præterquam enim quod è ſua editione prima primum ſuum deſeuit argumentum, vti ſuprà factum eſt; tranſlationes iſtas dicit in eadem prima editione fol. 89. Iudæis iam ab vltima antiquitate in vſu fuiſſe; *vt etiam antiquiores Babylonio exilio auſim*, ait, affirmare. At in editione altera fol. 102. ſatis habet temporū iſtorum epochas à Seleucidarum Regum, qui Babylonis exilio poſteriores multo fuerunt; repetere. In eadem editione lib. 7. fol. 604. ante Seleucidarum tempora rurſum affirmat. Deinde totam pœnè, quam de his in editione priore inſtituerat diſputationem, in ſecunda vel immutauit, vel imminuit. Quid quod in eadem ſecunda editione, quæ prius lib. 2. fol. 104. vehementer aſſeuerauit, eadem lib. 5. fol. 422. & 423. vehementius pernegat? Sed iſtuc, in hac eadem quæſtione, cum de illius argumento quarto dicetur, fortaſſe in manus iterum veniet. VIII. Sed iam opere fuerit precium, politicarum iſtarum tranſpoſitionum, quas cauſas quæue firmamēta proferant ipſi Iudæorum Rabbini, & ex iis Burgenſis loco citato, & Scaliger lib. 7. f. 604. expendere. Vna eſt, ne ſabbatha duo continuentur. At ſi Nouilunium Tiſri in feriis prima, IV. & VI. quas canon *Adu* repudiat, eſſe ſinaretur; tamen dies menſis 10. qui propitiationis eſt, inciderent in feriam VI. ſiquidem primus Tiſri eiuſdem dies, foret feria VI. in feriam primam, ſi menſis dies primus eſſet feria VI. At ſi dies propitiationis ſit feria ſexta, ſequetur Sabbathum: ſi ſit feria prima, præibit Sabbathum, ſicque duo continuabuntur Sabbatha: Verum ſcilicet Sabbatham, & feſtum, quod Sabbathi inſtar obſeruandum. Aliter iſta dicit Burgenſis: ſed eū vel feſellit memoria, vel calculus. Duo vero iſtiuſmodi Sabbatha continuari dicunt, abſurdum. duas ob cauſas. *Vna* eſt משום ירקיא ומשום מתיא id eſt, *ob olera*, ſiue cibos coctos, *& ob mortuos*, quod hæc contra corruptionis pudoriſque periculum, non poſſint ſolido biduo aſſeruari, & cauſa dicitur, בחדי תרי שבתי. *Altera* cauſa eſt. ne in Sabbatho fiat operis aliquid, quod fieri non debet, verbi cauſa. Si Tiſri dies primus eſſet feria prima, tum dies feſtus, qui *hoſchaena magna* dicitur, incurreret in ipſum diem Sabbathi. & tunc ratione feſti, geſtari deberent *hoſchaenoth* ſiue palmæ, deberet proceſſio quædam fieri, ſiue circuitio circa ipſum altare olim, nunc verò circum *maemar*, ſiue locum illum, quem in Synagogis habens editiorem & medium.

At, ratione Sabbathi, hæc fieri non debent. Verum *prior* illa de Sabbatis duobus continuis *cauſa*, neque olim apud Iudæos, ipſis etiam Seleucidarum temporibus ſeruata eſt, neque hodie ſeruatur, neque ſeruari neceſſe eſt.

Primum oſtendo illo veteri exemplo, quod ipſe Scaliger aliam in rem lib. 2. f. 104. *illuſtre, & quod ſine piaculo præteriri non poſſit*, appellat. Eſt autem ex Nicolao Damaſceno apud Ioſephum 13. c. 16. ibi dum Hyrcanus Antiochum Sileten & Pium contra Parthos eūtem ſequeretur, eum in itinere obſecrauit, biduum vt ſubſiſtere vellet, quia fortè feſtum inciderat patrium, & exponit Ioſephus fuiſſe tunc *Pentecoſten poſt Sabbathum*. En Sabbatha, ſiue feriati dies, quibus ab opere abſtinetur, continui duo ἡ πεντηκοστὴ μετὰ τὸ σάββατον vt loquitur Ioſephus, cui ſi qua tunc de *Adu* vel *Badu* vel minima fuiſſet auditio, hic non indicare non potuiſſet. quin & Hircanus vnum facilius à Rege quietis diem, quam dies impetraſſet: prudentiùs etiā & moderatius fuiſſet. Sed aduertit Scaliger ſuā de tranſlationum vetuſtate opinionem iſto admodum exemplo premi, ideoq; illud nūquam quidem apertè, ſed occultè, & aliud quaſi agēs auertere conatus eſt: ſuo tamen more inconſtanter. Nam in emendatione lib. 2. f. 90. dixit Sabbathorum continuationem vitatā præterquam in Pentecoſte. At hanc exceptionē quia ſenſit à ſe, ſine cauſa & fundamento, factā, aliter in Emendationis Emendatione reſpondet lib. 7. fol. 604. *Cum hoc*, ait, *inſtituerunt veteres Iudæi, vnius Tiſri rationem habuerunt, qui ferè totus ſolennitatibus exceptus eſt*: & ſtatim ſubiungit duas illas ciborum & cadauerū cauſas, *quia hæc biduum continuum*, ait, *aſſeruare tempore autumni feruentiſſimo in regionibus, periculoſum erat*. Sed & hanc prorſus è cerebro ſuo exceptionem comminiſcitur.

Digitized by Google

miniſcitur. Cum enim in Thalmud de *roſch haſ-chanah*, id eſt, *de anni capite*, in commentariis de *mazaloth*, *hekuphoth*, *mehuberoth & hakebiboth*, tam multa Iudæorũ Rabbini ſcripſerint, quomodo hæc à nullo vnquam ſcripta vel inſinuata exceptio? Et quomodo autumni tempus ait ille *feruentiſsimum*? Quomodo in menſe *Siuan*, dum in regionibus illis peragebatur meſſis, & Pẽtecoſte celebrabatur cibi & cadauera biduũ ſeruari poterant, in menſe Tiſri non poterant? Et olerum quando plus editur, quam in vernis, æſtiuiſque menſibus? ſed neque in Tiſri Sabbathorũ continuationem è Rabbinorum de tranſlatione canonibus ſemper amotã eſſe docent hæ ipſorum voces הָוִי נוּהֲגִים רֹאשׁ הַשָּׁנָה יוֹמַיִם שֶׁל רֹאשׁ הַשָּׁנָה קְדוּשָּׁה אַחַת לְעוֹלָם id eſt, *in æternum agunt Iudæi roſch haſchanah*, ſiue *anni principium, duobus diebus, & quidem vnâ eademque ſanctitate.*

Alterum erat; hodie iſtas de cibis, & mortuorum corporibus cauſas non ſeruari. Etenim videmus feſta fere omnia conduplicare, vti tabernaculorum diem primum & vltimum Paſchatis, & ſimilium. Interrogati vero, cur, cum id præceptum non ſit, imò, cùm aliquid iis quæ præcepta ſunt, adere vetitum ſit; ita faciãt, reſpondent, ſe id à Rabbinis accepiſſe, ſibi Neomenias exploratè cognitas haud eſſe: ideoque ſi in vno forſan die erraretur, altero errorem illum die compenſare. Accedit, quod de Baduano etiam canone poſſint duò cõtinua eſſe Sabbatha. Sit enim, verbi cauſa, Neomenia Niſan in feria prima. certè XIV. eiuſdem menſis, dies erit Sabbathum & 15. erit ſolennis primus azymorum. Rurſum ſit eadem menſis eiuſdẽ Neomenia in Sabbatho erit neceſſario poſt Sabbathum Pentecoſte, vt fuit Hyrcani tempore, prout ſuprà expoſitum: & fuit ante annos iam pauculos.

Tertium erat, eaſdem de ciborum coctione & mortuorũ ſepultura cauſas neceſſarias non eſſe. Mortuos enim feſtis diebus efferri humarique potuiſſe, confirmatũ ſub quæſtionis ſuperioris finem eſt. Olera verò Sabbathi come-

A di quis præcipit? quæ tanta vrget neceſſitas? an
eſcarum aliarum nihil eſt? Et nonne ita iſtæ
condi, condiri, coquique poſſunt, vt biduanũ
in cella & penu ſolem ferãt? Deinde in azymo-
rum feſtis, & ſimilibus diuina lege ciborũ co-
ctio, paratuſque quilibet concedebatur Exod.
12. verſu 16.

Pergo ad cauſam igitur alteram de palmarũ
in Sabbatho geſtatione, & altaris vel ambonis
B circuitu. Nam quæro, à quibus & quando iſta
cœperint. Nam dum dum ſibi obiiciũt, cur ob
haſchana fiat dierum tranſmigratio, non ob tu-
barum clangorem, fatentur *illa ſuis à Rabbinis
inſtituta & inchoata fuiſſe.* ſed illud quæro, cur
ſabbato hæc non licet facere? nonne ad DEI
cultum pertinent? nonne in tẽplo, vti voluut,
fiebant? Et vt CHRISTI Domini Matth. 12.
v. 5. argumentum ſumam, *non legiſtis in lege, quia
Sabbathis ſacerdotes in templo Sabbathum violant, &
C ſine crimine ſunt?* Sane verò maioris, difficilioris,
& abiectioris operæ ac laboris eſt, agnos & bo-
ues feſtis diebus, ad aram adducere, mactare, de-
coriare, purgare ac eluere, membratim diſcin-
dere, altarique imponere ac vrere, &, verbo vt
dicam, opilionum, lanionum, coquorumque
munus obire, quam manibus palmas geſtare,
Deumque religioſo circuitu venerari. Nonne
D 2. Eſdræ 12. v. 27. in dedicatione muri Ieruſa-
lem, pia muralis habita fuit circuitiò? Nonne
in Hierichuntino excidio, pia item Sabbathino
die amburbalis? Et, velint nolint Rabbini, cum
ſeptimo tantum tabernaculorum die, ſed pri-
mo etiam & ſequentibus, eoſdem ambitus pal-
marumque cæremonias obeant, fateri debent,
vel id non repugnare Sabbathi religioni, vel ſe
primo etiam tabernàculorum die religionem
eandẽ violare, licet minus ſæpe. Nam primo die
E & ſequentibus, ſemel duntaxat; die autem ſe-
ptimo ſepties, vt alibi rurſum memorabitur:
palmati circumeunt. Quia vero in iſtius rei
narratiuncula iterum erat Burgenſis, & ad Le-
ctoris tamen ſe putationem reuocat, ponam
hic neceſſariam menſis Tiſri tabellam.

Dies			Sit feria.						
	1	Neomenia.		1	☉	4	☿	6	♀
	2			2	☽	5		7	
	3			3	♂	6		1	
	4			4	☿	7		2	
	5			5	♃	1		3	
	6			6	♀	2		4	
	7			7	♄	3		5	
	8			1	☉	4		6	
	9			2	☽	5		7	
	10	dies propitiationis.		3	♂	6		1	
	11			4	☿	7		2	
	12			5	♃	1		3	
	13			6	♀	2		4	
	14			7	♄	3		5	
	15	dies primus tabernaculorum.		1	☉	4		6	
	16			2	☽	5		7	
	17			3	♂	6		1	
	18			4	♀	7		2	
	19			5	♃	1		3	
	20			6	♀	2		4	
	21	dies poſtremus tabernaculorum.		7	♄	3		5	

Nuſquam hinc Sabbatha duo cõtinua

Duo Sabbatha continua,

Duo Sabbatha continua

Iam verò cum poſt Chriſti Domini tempora has dierum tranſpoſitiones commenti Rabbini ſint, eorum non eſt à vero aliena coniectura, qui ab iis factum id aiunt, vt dominicæ paſſionis memoriam & auctoritatem aboleant, quod feria v i. eſſe Paſcha nunquam ſcilicet poſſit.

IX. Conſtat à R. Samuele Iarchinaah Thekuphas ab anno Iuliano petitas. At vbi Seleucidarum tempore hic annus? neque ſatis eſt, quod has fateantur acceſſiſſe, non tranſlationes. Nam de iſtarum, quam de illarum vetuſtate nihilo plus afferunt. Supereſt primo vt ad Scaligeri argumenta dicatur aliquid.

Ad 1. 2. 3. negatur antecedens. quia & aliter Domini annos & plura eiuſdem Paſchata, quã veritas habeat; putare ſolet, ſuoque propria vti Chronarithmeticè. *Ad* 4. reſpondet ipſemet lib. 5. emendationis poſterioris fol. 422. hiſce verbis; *Ioſephum fugit ratio, & me quoque, qui lib. 2. fruſtra conatus ſum demonſtrare 17. Tamuz illius anni, quem aſſignet Ioſephus, fuiſſe Sabbatum.* Et poſtea fol. 423. *Libro ſecundo quærebamus, quod non erat, & planè cum Ioſepho hallucinati ſumus: planè eſt* ἀνωμοψία *in circulo ſolis. Corrigatur igitur & noſter, & Dionis, & Ioſephi error.* Ipſomet igitur non annuente modo & plaudente, ſed iubente etiam, & rogante, negatur itidem antecedens. *Ad* 5. quia hoc dupliciter proponitur, *reſpondeo primo*, quoad editionem priorem, negari primam conſequentiam, non non enim propter *Iach* fit tranſlatio, quando præcisè eſt *Iach*, id eſt hora 18. vt volunt aliqui contra Burgenſem: vel certè, quando aliquid ſuprà horam 18. eſt, vti omnium annuit ſententia. Ad hic ait ipſemet Scaliger ſuprà horam 18. eſſe minuta 555. Quo igitur fieri debeat tranſlatio? Tranſlationis vero nullam eſſe neceſſitatem ſi præciſa ſit hora 18. neque abſit, neque ſuperſit quidpiam docent hæc Rabbinorum verba capite de *mehuberoth & hakibeoth* ſuprà citato fol. 142. גיזנ דבל חמולד ביח"שעות אר מיח "ולמעלה אכ" אינויכל לחיראות באותו יום אפילו הלוחלק אחד:ואי קבעינג ליה ולא מתחזי הוא יטלולא : וזהו שנקראמולד זקנ : אבל אים היה נראה אפילו רגעאחד קודם קצת נידחהאינו בי מקצת היום לוכב id eſt; *Quando molad ſiue Nouilunium cadit in horam 18.* (Nota bene) *vel poſt horam 18. & ſuprà, certè tunc non videri illo die, nec particula ſiue momento vno, & ſi Nouilunium ipſum figeremus, & non viderent homines, luſio & illuſio foret.*

Et hoc eſt, quod vocatur molad ſiue Nouilunium vetus. Sin autem videri poſſet etiam momento vno ante diei medium, non fit tranſlatio, cùm pars diei ſit quaſi dies integer. Reſpondeo. quoad 2. editionem, negari poſtremam cõſequentiam. Nam in *Iiar* qui eſt menſis 29. dierum; Neomenia fuit feria 4. in *Niſan* verò feria quinta, propter quã nulla tranſlatio eſt. Ergo in Tiſri Neomenia fuit in Sabatho. Nam canon eſt, *roſch haſchanah* ſiue *Neomeniam Tiſri eſſe diem tertium ipſius Peſach.* At Sabbathum dies non eſt, qui פסול dicitur ſiue *ad Neomeniam ineptus*. Ergo. Quia verè menſium intercalatio ab hiſce dierum tranſlationibus non pendet, ideoque potuit iam antiquitus illa vitari, hæc non item, quidquid hallucinetur Narpurgicus Num. 59. Azymorum diſputator.

A Ad *alteram* porro quæſtionem, *An abſque Moſaicæ legis violatione, iſtiuſmodi tranſlationes & intercalationes fieri potuerint?* Reſpondet Paulus Burgenſis loco citato, & Bellar. lib. 4. de Euchar. cap. 7. potuiſſe, quia quando hunc vel illum menſem, aut diem præſcripſit lex, eum non accuratiſſimo Aſtronomorum calculo accipi voluit, ſed quem communiter omnes tenerent, quique publicè eſſet omnibus propoſitus. Neque enim veros ſolis, & Lunæ motus difficilimos perſequi neceſſe eſt, ſed mediis B contentis eſſe licet per legem diuinam, prout apud nos in Eccleſia Chriſtiana etiam fit, tam quoad Eccleſiaſtica, quam Politica. Verum adhibenda videtur diſtinctio. Enimuero ſi trãſlationis & intercalationis cauſa ſit, à Solis & Lunę motu, vel etiam à neceſſariis aliis quibuſdam rebus: verè iſta dicuntur, ſed ſi à cauſis aliis non neceſſariis, ſoloque priuatorũ hominum arbitrio effictis, videtur equidẽ diuina lex torqueri. Eiuſmodi vero ſunt. *Aduana & Baduana* omnia.

C Ad *tertiam quæſtionem* reſpondet eodem libro, ſed capite ſequenti Bellarminus hiſce verbis: *Si facta eſſet* (talis dierum) *mutatio debuiſſent omnes etiam optimi viri illam mutationem ſequi. Nam, vt ſuprà oſtendi, non erat contra legem Dei, ſed erat accommodatio quædam Calendarij prudenter facta. Vnde meritò, vt ſchiſmatici, & inobedientes Synagogæ puniri potuiſſent, qui ſecus feciſſent.* Nimirum, quia talis mutatio à Magiſtratu & ſapientibus iuſſa eſſet, quos nonniſi veras neceſſariaſque in Synedrio cauſas approbaſſe, fuiſſet merito exi- D ſtimandum. Bellarminum tamen dupliciter allatrat antea citatus Marpurgenſis hæreticus libello *de azymis* Num. 49. & 5. Primò. ſolitos pios multos priſcum, Moſaicumque paſchatis dierum ſeruare, non illum, quem comperendinaſſet Synagoga: *fuerunt enim*, ait, *in diebus illis, qui legem Oretenus traditam prorſus negarunt*, vel, vt Tisbidites Eliæ (in verbo ſcilicet *Tſadok*) *dicit, Kapheru baththorah ſchel behal peh, lo heeminu rah mah ſchecatub baththorah ſchel biclab, non crediderunt, niſi quod in lege ſcriptum erat, atque inde dicti* E *fuerunt Karaim, id eſt Biblici vel textuales. Vnde cum R. Eliezer filius R. Simeonis filij Iochai, plangeretur, inter cæteras eius laudes dictum fuit, eum fuiſſe Kara, id eſt, Biblicum.* Secundo. *ab his, etſi forſan parum bonæ gratiæ à ſacerdotibus & ſcribis retulerunt, nihil peccatum fuiſſe contra Politicam tranquillitatem. Paſchatis enim celebratio in priuatis edibus, peracta fuit, quæ publicum Calendarij vſum minime turbauit.*

Sed in *priore* ſuo *latratu* non probat id, quod ſumit hæreticus, *multos pios tum viros* anteuetti- F ſe diem à Synagoga præſcriptũ. Nam eſto fuerint *Karaim*, an nullam ij à Magiſtratibus latam legem ſeruarunt? An ſi quid Eccleſiaſticè vel Politicè faciendum eſſet, nunquam obtemperabant? Deinde *Karaim* iſtos, quomodo *viros pios* appellat? Nonne quem citat auctorẽ, Elias Thesbites, eos loco citato vocat כופרים id eſt, *Apoſtatas* vel *hæreticos*? Nonne ibidem *Sadduceos* eſſe, & à Latinis ita vocari teſtatur? Sed quia diſputator tanti Scaligerum facit, vt eius vnius auctoritate dierum trãſlationi canitiẽ aliquam conciliati putarit Num. 54. age de *Karaim* quid ab eodem

Digitized by Google

ab eodem ſcriptum ſit, li.2.edit.poſter.fol.144. accipiat. *Pauci*, ait, ſcilicet *Karaim proportione Rabbanitum, qui per totam Europam diffuſi ſunt. Iſti quamuis meri Iudæi ſunt, tamen inexpiabilia odia inter ſe exercent: neque ab alterutris exprimas, vt alteros ſaltem alloquãtur. Et sũt iſti Karaim de reliquiis veterum Sadducæorum.* quorum hæc in ſcripturis encomia; eos dicere *non eſſe reſurrectionem* Matth.22.verſ.23. neque Angelum, neque Spiritum Actorum 23. verſu 8. Quid verò de his mutarit poſtea Scaliger & quam rectè, lectu eſt facilimum in *Mineruali* lib.3.cap.10.& 11. De Eliezeri autem Rabbino reſpondet in verbo *Kara*, qui hanc retulit hiſtoriolam, Elias Thisbites. Ait enim interdum *Kara* vocari eum, qui in diuino codice, quem à legendo *Mikra* vocant diligens, aſſiduus & defixus eſt, quique aliter, dicitur *baal paſuk*; licet è Sadducæorum hæreſi non ſit. eoque modo *Karai* nominatum, hunc Eliezerem. Sed eſto; fuerit ex ea hæreſi, & eo nomine laudatus, quid refert? Quid enim ille? & à quibus ſic laudatus? A ſuis ſcilicet; *à filiis*, ait Elias, *generationis ipſius*, qui ſunt בני דורו quêadmodum ſi qui ex Illirici, Lutheri, Caluini, Schvvenckfeldii, aſſeclis eos, vti fecerunt aliqui, laudaret. Quem enim iſti ſuorum funebri non beant mendacio? In *poſteriore* porro *latratu* accipit veluti certum, Magiſtratuum legibus, non obligari conſcientiam; & tunc, ſi clam & priuatim contra eas quid fiat, peccati nihil eſſe. At refragatur Apoſtolus Roman.13. verſ.5. *Neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiã propter conſcientiam.* Deinde falſum eſt, ita in priuatis ædibus paſcha peragi à quoquam potuiſſe vt non conſtaret publice. In multorum hic inſedit error animis: ſed ex dictis q.21.& 24. reuellendus. Debebant enim à ſacerdotibus, & Leuitis omnes omnium agni paſchales immolari, & quidem in templo, vbi quæ gerebantur, & quidem per publicos religionum ſacrarum miniſtros, non poterant non eſſe publica, palamque omnibus. Atque hinc luce fit qualibet illuſtrius, neque CHRISTVM Dominum, neque alium quempiã voluiſſe, aut cũmodè potuiſſe ordinarium, & à Synedrio Hieroſolimitano præſtitutum immolationis paſchatis diem vel anticipare, vel transgredi. Sunt quædam, quod ad CHRISTVM Dominum attinet, difficultates: à Ribera, Soarez, ſed Toleto, aliis iam expoſitæ alteriuſque forſan loci magis propriæ. Et verò depoſita quæſtione iam plus ſatis. Cuius etiam iniecta fuerat mentio lib. 1. cap.4.q.12.

QVÆSTIO XXXI.

Quæ immolandi, edendique Paſchatis hora?

DE Paſchatis anno, menſe, ac die actum hactenus: *hora* reſtat, quæ in veteri teſtamento variè proponitur. Nam Exod.12.verſ. 5. dicitur *ad veſperam* Græcè & Latinè? ſed Hebraicè, *inter duas veſperas*. Ibidem verſ.18. Latine, Græce, & Hebraicè bis *ad veſperam*. Leuit.23. verſ.5. Latinè *ad veſperam*. Hebraicè *inter duas veſperas*. Græcèque ſimiliter ἀναμέσον τῶν ἑσπερινῶν. Deuteronom.16.verſ.4. *veſpere*, ſicque Græce & Hebraice. At verſ.6. *veſpere ad ſolis occaſum*, Hebraicè, *in veſpera*, *dum occidit ſol*: Græcè ἑσπέρας πρὸς δυσμὰς ἡλίου Chaldæus verò, vbi ſimpliciter in Hebræo eſt, *in veſpera*; ponit בקמסא vbi *inter duas veſperas*: בינשמשיא alibi, *ſecundum occidere ſolem*. In hoc autem Ioſuæ cap. 5. Latinè, Græcè, & Hebraicè, vt Deu.16.v.4. *veſpere*. Ex his autem apparet, *veſpera* nomen dupliciter in ſcriptura ſumi. 1. generatim pro parte diei poſteriore. Deinde ſpeciatim pro certis poſterioris huius partis partibus. Nam quod alicubi generatim dicitur *ad veſperam*, hoc alibi diſtinctius effertur, *inter duas veſperas*, ita vt perſpicuum ſit primò *duas eſſe veſperas*. Secundò inter has interiici tempus aliquot. tertiò tam tempus hoc interiectum, quam eius terminos, *duas* ſcil. *veſperas*, generatim vocari *veſperam*. Quærendum hic igitur, *quidnam ſit interiectum*, illud *tempus, quique eius termini*. Occurrunt autem ſtatim *opiniones ſex*.

Prima eſſe illud tempus inter veſperam præcedentis noctis & alteram ſequentis noctis veſperam, interiectum ſpatium, noctem ſcilicet, vnam & diem: ſiue τὸ νυχθήμερον. Ita apud Maldonatum in Matth.26. quidam. *Secunda* eſſe totam inter XIV. diei veſperam, & inter matutinum diei XV. tempus, noctem interpoſitam. Nam terminus vnus eſt *veſpera* illa XIV. alter *mane* ſequens, quod videtur etiam interdum *veſperæ* nomine appellari Matt.28. *Veſpere Sabbati, quæ luceſcit in prima Sabbati*. Atque huc propendet Lipomanus in Exodi catena. *Tertia* eſſe totum pomeridianum tempus à meridie, vſque ad ſolis occaſum. Nam quia hora diei ſexta incipit ilico inclinare ſol, veſpera rectè videtur appellari: ſicuti & de ſolis occaſu dubij nihil eſt. Ita R. Nathan in Mechita. R. Simeon Beniohai in Zohar, Radak, & è noſtris Lyranus in Exodi cap.12. Abulenſis ibidem, Ianſenius concord.cap.129. *Quarta* eſſe pomeridianum tempus non totum, ſed eius partem ab hora ſcilicet nona vſque ad horam vndecimam. Atque huius ſententiæ auctor eſt Ioſephus lib. 6. belli cap.4. ei que ſubſcribunt libentiſſimè Caietanus Exodi 12. Maſius in hunc Ioſuæ locum, Ribera lib.5. cap.3. Marcellus Francolinus libro de tempore horarum Canonicarum cap. 20. Ianſenius concord.cap.43. Scaliger lib. 6. fol. 532.& 533. *Quinta* eſſe lucis illud tempus, quod poſt ſolis occaſum in horizonte tantiſper manet, quoad tenebræ occupent omnia. & vocari ſolet *veſpertinum crepuſculum*. Nam ſolis occaſus: ſiue vt ab huius oppoſitionis principe nominatur, ביאת השמש veſpera quædam eſt, itemque lucis obſcuratio, tenebrarũque ſucceſſio. Ita R. Abenezra comment. Exodi 12. ibidemque Oleaſter, & Iacobus Stapulenſis in Ioã. 18. Hieronymus Vielmus de opere ſex dierum lectione 11. Maldonatus in 26. Matth. verſu 2. q. 2.& verſu 20. *Sexta* eſſe tempus inter ſolem horizonti occiduo inſidentem (quod vocari dicunt נטיית השמש & ſolis à conſpectu noſtro abſentiam, quod ipſis dicitur שקיעת השמש. Ita hodierni apud Scaligerum lib.6.fol.532. Iudæi & qui ab hinc annis 400. ſcripſerunt.

Sciendum primo vetuſtiſſimis Moyſi temporibus, & deinceps diu ſatis, non fuiſſe diei horas, quemadmodum poſtea fuerunt; & hodie

Digitized by Google

ſunt. Dies enim, quem efficit lux, tres fere in A
partes diuiſus fuit, mane, meridiem, & veſperũ vt Pſal. 54. verſu 18. quæ apud Homerum vocantur, ἠὼς ἢ δείλη ἢ μέσον ἦμαρ, vt in Ruth cap. 2. quæſt. 24. rurſum tangitur. Et *hora* tum ſignificabat oportunum rei cuiuſque tempus, ſiue, vt Latini etiam appellabant, *tempeſtatem*, prout & in ſcripturis Rom. 13. 11. Luc 14. 17. Apocalip. 14. 7. & 15. Ioan. 2. 4. Sic enim *hora tibi* dicebatur, & in legum Tabulis, *ſuprema tempeſtas*. At verò Christi Domini tempore iam erat horarum prout hodie, vſus. Nam *hora vna* eſt Matt. 20. 12. B
Mar. 14. 37. Apoc. 18. 10. 17. 19. *tertia* Matth. 20. 3. Mar. 15. 25. Act. 2. 15. cap. 23. 23. Ioan. 23. 23. & *horæ tres* Act. 5. verſ 7. *Sexta* Matth. 20. 5. cap. 27. 45. Mar. 15. 33. Luc. 23. 44. Ioan. 4. 6. cap. 19. verſ. 14. Act. 9. *Septima* Ioan. 4. 52. *Nona* Matth. 20. 5. cap. 27. 45. 46. Mar. 15. 33. 34. Luc. 23. 44. Act. 3. 1. cap. 10. & 30. *Decima* Ioan. 13. *Vndecima* Matth. 20. 19. *vltima hora* 1. Ioan. 2. 18. *duodecim horæ* diei Ioan. 19. Quando igitur paſchatis hora quæritur, ſatis eſt reſpondere, antiquitus fuiſſe veſperam: ſed poſterioribus temporibus oportet etiam minutiùs horam illam oſtendere, & quæ C
illius veſperæ partibus hora reſponderet, monſtrare. Nam & S. Lucas de vltimo Chriſti Domini Paſchate dixit cap. 22. 14. ὅτε ἐγένετο ἡ ὥρα ἀνέπεσεν, quod generaliùs dixerant S. Matthæus 26. 20. & Sanctus Marcus 14. 17. ὀψίας γενομένης ἀνέκειτο. Sciendum præterea. diſcriminandas duas iſtas in agno Paſchali actiones, *immolationem* & *comeſtionem*. Denique mihi ſic videri.

Primò, *immolationis horam quoad initium, fuiſſe horam diei nonam, quæ nobis pomeridiana hodie tertia* D
eſt. primò, quia ita deſertè tradit Ioſephus, & poſt eum tot non contemnẽdi ſcriptores, prout in opinione quarta viſum eſt. Secundò. ea ordinaria erat hora veſpertini ſacrificii, quod *Mincha* etiam hodie à Iudæis vocatur. Et licet preces, quas pro eo ſupponunt, ab eoque nominant, ſeriùs noſtrates iſti Iudæi dicere ſoleant Conſtantinopoli, tamen & in Oriente alibi, citiùs, & ſub horam tertiam. Tertiò. quia Deuteronom. 16. verſu 6. non dicitur *in occaſu ſolis*, quem *biath baſſchemeſch* vocant Rabbini, ſed E
circa occaſum ſolis cebiath baſſchemeſch ſcilicet vt πρὸς τῷ ἡλίῳ δύνοντι ſiue, vt ſuprà nobis vertebant 70. πρὸς δυσμὰς ἡλίου. *Quartam* loco citato Scaliger addit rationem, quòd paraſceue incipiat propriè ab hora nona. Sed reieci quæſt. 10. in Iudith cap. 8. Nunc *duo*, in quibus eandem iſtam rationem dilatans, idem labitur Scaliger, indico. *Vnum* eſt, quod Ioſephi locum vnum falsò citat, omninoque peruertat. Nam eum ita loquentem facit fol. 532. ἀφορίζοντες τῷ λαῷ πρὸς τὴν τῶν ἀζύμων ἑορτὴν, ἐγγυὸν δὲ ἦν ἐξαιτοῦντες κατὰ ἡμέρας ἐνάτην F
ὥραν. At vbi hæc vnquam ſcripſit Ioſephus? nuſquam certè niſi lib. 6. captiuitatis cap. 31. vbi tamen audaci nimium manu *noctem* in *diem* cõuertit ille. Non enim κατὰ ἡμέρας ἐνάτην, ſed κατὰ νυκτὸς ἐνάτην legitur, prout eodem libro 6. cap. 12. Neque poteſt vllo Critices artificio Scaliger dicere, ita quidem legi: ſed pro *nocte diem* legendum. Nam narrat Ioſeph. oſtentum, quod nocte contigit. ſcilicet altare, templumque Hieroſolymitanum luce tanta circumfuſum, circa horam noctis nonam fuiſſe, vt clara dies

videretur. ὡς, ait Ioſephus, δοκεῖν ἡμέραν εἶναι λαμπράν. Et miror, eum non ſaltem Ioſephi elegantiæ paulò conuenientiùs ſuam iſtam deprauationem concinnaſſe, vt ſcriberet καθ' ἡμέραν ἐνάτην. *Alterum* eſt, quod ſibi ſatis non eſſet non conſtet. Vult enim poſt horam diei nonam, cæſum agnum, exutum, exenteratum, concinnatum, aſſatum, & paratum, rurſumque *poſt nonam parata* inquit *& cocta edulia, quæ à Iudæis vocantur mezon ſchetthe ſchbudoth*, & tamen in eo poſtea totus eſt, vt ex Rabbinorum canone, quem ſub finem quæſt. 9. in Iudith 8. attuli, quemque poſt *belacoth*. *Chol hammoed* repetit & tractat *Sepher gadol mitſuoth* fol. 59. probet pridie Sabbatorum ac feſtorum ab hora nona opus facere non licuiſſe. Vel igitur canon ille iam tunc erat, & agnum eò tempore aſſare ac parare non licuiſſet: vel iſtud licuit, & canon ille ratus nondum erat.

II. *Immolationis agni finem indicat eodem loco Ioſephus, fuiſſe horam vndecimam*. Verum ſunt, qui accipiunt horam iſtam *inchoatam*; Scaliger fol. 532. *exactam & conſummatam*.

Cui ego potius aſſentior primò, quia iſtæ horarum nominationes propriè in earũ iam præteritarum terminos conſeruntur: ſecundò. quia ſolida tantùm hora vna immolationi daretur ab hora ſcilicet nona vſque ad finem decimæ. Nã hora 9. exacta, incepit hora 10. & hac elapſa, tunc ſtatim ſubit vndecima. Fallit verò Lectorem Beza, dum in Matthæi c. 26. *horam* à Ioſepho *duodecimam* nominari ſcribit. Ex vtriuſque verbis apparebit veritas. Sic ergo Beza: *Poſtrema pars diei XIV. ab Hebræis ſpatium inter duas veſperas nominatur, incipiens, teſte Ioſepho libro belli Iudaici ſexto, à 9. hora ad 12. ad eſt, ad ſolis occaſum, qui ſequentem diem incipiebat*. Ioſephus verò, θύουσιν μὲν ἀπὸ ἐνάτης ὥρας μέχρις ἑνδεκάτης; Audin' μέχρις ἑνδεκάτης; *vſque ad vndecimã*. Sic in antiqua etiam Ruffini verſione eſt. Similis in eadem pagina paulo poſt in eodem citando Ioſepho & lib. cap. 20. eiuſdem Bezæ prolapſio eſt. Sed ad azymorum dies ſpectat, de quibus infrà.

III. *Comeſtionis agni hora* ſtatuitur quidem à Scaligero duodecima diei hora; ſed veriùs *erat prima poſt ſolis occaſum*. Illius illa ſententia ex his eius verbis accipitur lib. 6. fol. 532. *Duplex eſt* ὀψία *ſiue* ἑσπέρα: *altera nempe* ὀψία *eſt tempus oblationis veſpertinæ: altera occaſus ſolis, principium ſcilicet diei ciuilis ſequentis. Hoc interuallum Moyſi ben habarbaiim*, ὀνομάζει δείλη πρωΐα τῇ πρώτῃ ὀψίᾳ, *intra quod tempus mactandus & comedendus erat agnus Paſchalis*. Et poſtea iterum. *Comedere agnum poſt ſolem occaſum, eſt legem ignorare*. E contrario tamen in eum regerendum; *Comedere agnum ante ſolem occaſum, eſt & legem & alia plura ignorare*. Legem quidem, quia ea tantùm præcipit locis initio citatis, vt veſpere immolatio fiat, prout iam expoſitum, & deinde, Exodi. 12. verſu 18. azyma iubẽtur eadem die 14. ad veſperam comedi, cum verò ſimul cum paſchatis agni eſu inciperet azymorum eſus, prout ex eodem cap. verſu 8. Deuteronom. 16. verſ. 3. quod de horum veſpera dicitur, de agni etiam comedendi veſpera intelligendum. Sed illorum veſpera poſt occaſum ſolem d e x i v. incipiebat, vt infra docebitur.

Ergo,

Digitized by Google

Ergo, Rurſum Exodi 12. verſu 8. legimus. *Et edent carnes nocte illa aſſas igni.* Sed ante ſolem occaſum eſtne nox? *Alia* verò *plura* ſunt hæc 1. *Chriſtus* Dominus poſteaquam occidiſſet ſol, agnum comedit. Ea ergo hora legitima, prout de die alibi ſuprà iam argumẽtatus ſum. Antecedens verò probatur, quia & S. Matthæus ca. 26. verſ. 20. & S. Marcus cap. 14. verſ. 17. dicunt ὀψίας γενομένης eũ accubuiſſe. Hoc autem τῆς ὀψίας nomine communiter ſignificant Euangeliſtæ tempus veſpertinum poſt ſolis occaſum. Nam quod S. Matthæus cap. 8. verſ. 16. dixerat ſimpliciter de *veſpera*, expoſuit cap. 1. verſ. 32. S. Marcus, *cum occubuiſſet ſol.* Clariſſimè Matthæi 20. verſ. 8. Poſteaquam hora diei vndecima vocati fuiſſent in vineam operarii adhuc aliqui, vnamque duntaxat in illa horam laboraſſent, vt eſſet hora diei 12. ſolque occubuiſſet, dicitur, ὀψίας γενομένης reddidiſſe operariis mercedem paterfamilias. Sic Matthæi 16. verſ. 2. cum è cœli colorib. de futuri diei ſerenitate præſagitur, ὀψία eſt; & tamen vel obeunte iam ſole, vel, & quidem maximè poſt, eæ præſagitiones fiunt. Matth. 27. verſ. 57. non niſi poſt occaſum ſolis, *petiit à Pilato Ioſeph ab Arimathea corpus Ieſu*, & tamen ὀψία erat. Sic expendere liceat Marc. 4. verſ. 35. cap. 6. 47. cap. 15. 42. Ioan. 20. 19. Semel, vel forte iterum *diei ſeram*, quod ante ſolis occaſum eſt, ſignificat; ſed ita vt clare ipſemet indicarit Euangeliſta S. Matthæus cap. 14. verſ. 15 dum confertur cum ſubiuncto ver. 23. Eodemque ſpectant Mar. 11. verſu 11. Iohan. 6. verſ. 16. 2. Hodie adhuc Iudæi non niſi veſperi, poſt occaſum ſolem, paſchali cœnæ initium dant, quam variis deinde precibus, pſalmis, ritibus, & nugis in mediam penè noctem producunt, vt infrà dicetur. 3. Quando poſt occaſum ſolem agitur paſcha, eſt quidem tunc diei XIV. veſpera ſed iam multo magis ad XV. diẽ Hebraico calculo, dici poteſt cœna illa ſpectare. Sicque die XV. eſt primus dies azymorum vt infrà dicitur. 4. Qui poterat fieri, vt hora, quæ ante ſolis occaſum vna ſola ſupereſſet, ab vndecima ſcilicet ad 12. & coqui & comedi agnus poſſet? Ego verò exiſtimo toto iugulationis tempore, iis, quorum à Sacerdotibus iugulati eſſent agni, licuiſſe eorum coctionem agere; hãc tamen horam diei vltimam, huic rei deſtinatam propriè, pro pter eos, quorũ vltima parte horæ VI. cæſi agni fuiſſet, vt & hi, ſole occidente, ad eſum parati eſſent. Nam ſi ad horã XII. eſſet iugulatio, non deeſſent tardiores aliqui, quorum crudus ad huc & imparatus eſſet agnus ſuprema tempeſtate. 5. Dum vetat ſcriptura ne in matutinũ tempus ex agno reſidui quidquam ſit, tacitè videtur concedere qualibet antecedente noctis hora edere fas eſſe. 6. Quod Chaldæus, ait *inter duos ſoles*, ex ponunt quidem aliqui, *inter ſolem orientem & occidentem*: ſed tunc non noctu, ſed interdiu agnus immolandus & edendus foret. Ideoque potius inter *ſolem iam inclinantem*, *ſolemque iam omnino ſua cum luce abſconditam* licet Thargum intelligere. Et eodem fere modo dicunt alii Rabbini cap. 5. *Pirke anoth* in ænigmatica quadam ſententia. *Decem res creatæ ſunt behereb ſchabbath benhaſſchemaſchoth.* Denique citatus antea in Matth. 26. hæreticus Beza cui non

A illibenter lingua animoque fauet Scaliger in hæretico iam ſolo, neſcio an hanc ei adimere opinionem non poſſit. *Vltima diei* XVI. *hora in Azymorum feſto*, ait, *agni aſſationi, & reliquo apparatus cœnæ illius dabatur, quæ cœna ex Dei mandato occaſum, id eſt finem decimi quarti excipiebat, ac proinde à crepuſculo incipiebat diem* XV. Audin' *ex Dei mandato*? Aut Bezam igitur, aut ſeipſum contemnat. aut verò potius vtrumque ipſamque complectatur veritatem.

Sed vt ſint, quæ dicta ſunt omnia, tanto firmiora, quinas alias initio poſitas opiniones operæ
B fuerit precium infirmare. Ac *prima* quidem ſuapte ſtatim ſponte concidit, dum aduertimus nullam agni particulam ad matutinum vſque ſemper reliquari oportuiſſe, prout ſuprà dictum quæſt. 23. Quomodo igitur immolando edendoque agno ſolidus naturalis dies dari queat? Deinde prior veſpera vel in diem XIII. incideret, ſicque die XIII. ad veſperam agnus immolaretur, quod reiectum ſuprà quæſt. 28. vel in diem XIV. vt verè cadit, & ſic die XV. poſſet adhuc agnus mactari & comedi.
C *Secunda opinio* vel eo nomine reſpuenda, quòd *mane* vocet *veſperam*, id eſt, primum *vltimum*, initium *finem*. Nam *veſpera Sabbati*, eſt exitus feriæ ſextæ & illa veſpera iam in poſterioris Sabbati lucem ducitur, eique per Iudaicum, de quo ſuprà, calculum aſcribitur. *Tertia* ſatis quidem videtur probabilis: minus tamen, quam vt omnino aſciſcenda ſit, quia quemadmodum non rectè diei finem vocemus *principium*; ita neque medium rectè *finem* appellemus. At *meridies*, diei eſt dimidium, vti Latinum, Græcum
D Germanicum nomẽ clamat: Veſpera verò diei eiuſdem terminus eſt. Meridies item, ſummam, clariſſimamque, prouerbiis etiam celebratam lucem habet, à qua & Hebraicè *tſahoraiim.* Veſpera verò lucem importat iam inclinatiorem, obſcuriorem, & vt ita dicere liceat moribundam. Vis ergo aliqua videtur, ſi de agno *ad veſperam* immolando ac edendo legem ipſi preciſè meridiei tribuamus. Aliud eſt, dũ vna vel altera iam hora poſt deferbuit, ac præ-
E cipitauit ſol. *Quinta* dupliciter abſurda eſt. *Primò*. quòd exiguum nimis tempus dat tot actionibus in tot tantiſque hominum myriadibus. Nam quomodo ad templum adducantur agni, iugulentur, excorientur, purgentur, lauentur, domum referantur, aſſentur, & comedantur eâ lucis particulâ, quæ ab occaſu ſolis ad tenebras vſque eſt. Nam etiamſi duarũ vel trium horarum ea eſſet lux, vix in tanto populo fieri hæc poſſent omnia. At verò in Æquinoctio, verno, in vrbe; cuius poli altitudo eſt 32. graduum, nunquam vel horarum duarum eſſe po-
F teſt tempus illud. Ipſe Abenezras *ſeſquihoram* fuiſſe tradit. ſed quantulum hoc tantis occupationibus? *Secundò* quòd in ſeſquihora iſta Rabbinus iſte fallatur, prout ex Clauii noſtri Gnomonices lib. 1. propoſitione 35. ipſoque Petri Salacienſis libello *de crepuſculis* facilè intelligitur, niſi forte paulo ſit locutus vulgariùs. Quod in animum non difficulter induxerim. *Sexta* verò ridicula eſt. Nam inter ſolis in horizonte noſtro inſeſſionem, & eius à conſpectu noſtro ſubductionem, ſi accurate loquamur, tempo-

Digitized by Google

ris, quo actionum illarum vllam agere, liceat, nihil prorſus eſt, potiuſque temporis punctum, quam tempus appellandum. Sin verò pinguiore modo *ſchekibah* profundiorem ſolis deſcenſum eſſe Rabbini velint, à ſuperiore ſententia nihil abibunt: ideoque & cum eadem dimiſſi faceſſent.

QVÆSTIO XXXII.

Quotum hoc, quod à Ioſue ac Iudæis celebratum, paſcha cenſendum?

OPINIONES *duæ* ſunt. *Vna* Caluini in hũc Ioſuæ locum pag. 21. eſſe Paſcha quadrageſimum primum. Exiſtimat. n. à primo Paſchate, quod in Ægypto, nocte ipſius egreſſionis vltima, religioſè actum fuit; fuiſſe deinceps totos XL. annos in deſertô quotannis repetitum, & ad hanc vſque promiſſæ terræ ingreſſionem perpetuatum. Vna eius ratio eſt. quia iuſſerat Dominus Exodi 12. verſ. 48. cæremoniam hanc eſſe perpetuam. *Atqui*, ait, *probabile non eſt, quod Deus perpetuum eſſe nuper iuſſerat, repente fuiſſe abfectum. Dictum enim illis fuerat. Nox obſeruabilis erit apud filios Iſrael in cũctas generationes ſuas. Quomodo conueniet, biennio pòſt obſoleuiſſe, quod ſæculis omnibus inuiolabile eſſe debuit? Cuius deinde ſocordiæ fuiſſet, tam exiguo tempore ſepelire beneficÿ recentis memoriam?* Altera opinio eſt Abulenſis in Numerorum cap. 9. quæſt. 4. 5. & 6. Riberæ in Amos cap. 5. Maſij hoc loco, adeoque omnium communis, hoc quod ſub primum in promiſſam terrã ingreſſum egit Ioſuæ, Iudæuſque populus, fuiſſe tertium. Primum enim, vt iam dictum eſt, in Ægypto fuit Exodi cap. 12. Secundum in deſerto Sinaï, anno exitus ex Ægypto ſecundo, Numerorum cap. 9. verſu 2. & ſequentibus.

Secutis verò XXXIX. peregrinationis annis omne intermiſſum fuit Paſcha. Probatur. 1. Nulli prorſus, ne aduenæ quidem & peregrino fas erat Paſchalem edere victimam, niſi eſſet is circumciſus, Exodi 12. 48. & 49. At, vt ſupra monſtratum capite iſto 5. q. 2. totos XL. annos intermiſſa fuit circumciſio. ergo & paſcha. niſi quod extraordinario DEI iuſſu, id anno Ægyptiaci egreſſus altero ſemel actum legamus Nũ. 9. Nã ſanè & pueri, qui carne iã ac ſolido participes cibo per ætatulã veſci poterãt, paſchatis fiebant, ſuprà quæſt. 22. Facti verò non fuiſſent, quia præputiati deinceps ad circumciſionem vſque hic in Galgalis factam permanſerũt omnes. 2. Diſertè ſignificat Dominus, ordinariam & iugem cæremoniarum, quas populo illi præſcripſerat; obſeruationem neceſſariam haud fuiſſe, niſi dum promiſſam adiiſſet Chananæi ſoli hæreditatem. Deuteronomii cap. 12. verſu 1. & ſigillatim de paſchate ipſo id notatum Exodi 12. 25. *Cum introieritis terram, quam Dominus daturus eſt vobis, vt pollicitus eſt, obſeruabitis cæremonias iſtas*, Paſchatis nimirum & Azymorum. 3. Non præcepiſſet Dominus Numer. 9. Paſcha ſecundo illo Ægyptiaci exitus anno celebrari, ſi ordinario iam præcepto ad eius celebrationem obſtricti fuiſſent Iſraelitæ. Voluit vero tum celebrari, quia recentiſſima erat taberna-

culi erectio ac dedicatio Exodi vltimo, Nume.
A 1. & 7. Sacerdorum ac Leuitarum conſecratio. ibidem. Et quia in Sinæo deſerto, propter Madianicæ terræ viciniam, è qua Moyſis ſocer Iethro venerat Exod. 18. poterant ad ſacrificiorũ, paſchatiſque cæremoniam habere omnia commodiùs, quam in ſolitudinibus, locisque peregrinationis aliis. 4. In Amos cap. 5. verſu 25. clarè ſatis videtur ſignificari ordinaria nulla in deſerto fuiſſe ſacrificia. Paſcha verò ſacrificium eſt. ſupra quæſt. 18. & ſequentibus. *Nunquid*, ait apud citatum Prophetam Dominus, *hoſtias & ſacrificium obtuliſtis mihi in deſerto quadraginta an-*
B *nis domus Iſrael?* Recitatque idem Sanctus Stephanus Actorum 7. 42. & ſic eum locum intelligunt Diuus Hieronymus, Theodoretus, & Rupertus in Amos: Beda in Actus 5. Probatur denique ex reſponſione ad vnam Caluini rationem. Nam primò, Paſcha eſſe perpetuũ oportebat. Sed nimirum, cum ad promiſſas Chananææ ſedes ventum eſſet, non in ipſo itinere, vt in ſecunda ratione probatum paulo ante. Deinde an magis erat imperatum Paſcha, quam
C circumciſio? An hæc minus quam illud perpetua? Nonne & Abrahamo dictum fuit à Domino Geneſ. 17. v. 18. *Dabo tibi, & ſemini tuo terram peregrinationis tuæ*, &c. *Et tu ergo cuſtodies pactum meum, & ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis. Hoc eſt pactum meum quod obſeruabitis inter me & vos, & ſemen tuum poſt te.* Et v. 12. *Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne maſculinum in generationibus veſtris.* Et verſu 14. *Maſculus cuius præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo.* Nihilominus tamen, cum tam
D ſeriò tamque firmè quaſique perpetuò præcepta eſſet, interrupta fuit, & quidem rectè, vt q. 3. patuit; toto itineris tempore ac loco. Cur & Paſcha igitur non ſimiliter interruptum? Cur magis perpetuatum? Et quemadmodum intermiſſa circumciſio nullam in Iſraelitis culpam ponebat, ſic neque intermiſſum Paſcha. Non enim id ſocordia, vel diuinorum beneficiorum obliuione aut cõtemptu fiebat, ſed itineris, incertique ſemper motus ratione ex ipſius etiam Dei voluntate Moſiſque interpretatione. Ter-
E tiũm igitur in Galgalæis ſtatiuis actum Paſcha, Non omnino tamen inanis, quam abſque vllo vllius nomine attingit pag. 88. Maſius videtur ſuſpicio, ideo Caluinum velle abſque circumciſione à Iudæis celebratum paſcha, vt innuat poſſe à Chriſtianis Euchariſtiam abſque baptiſmo adiri. cum hic ad ſalutem, ex illius quidem ſententia & impietate, ad ſalutem neceſſarius non ſit: ſed ſola ſit ſatis prædeſtinatio, & ſacro è ſemine proſatio.

F

QVÆSTIO XXXIII.

An poſt tertiũ hoc Paſcha & fuerit, & ſemper futura ſit celebritatis eius perpetuatio?

EXODI cap. 12. verſ. 14. *Celebrabitis*, ait Dominus, *eam ſolemnitatem Domino in generationibus veſtris cultu ſempiterno.* Et verſu. 17. *Cuſtodietis diem iſtum in generationes veſtras ritu perpetuo.* Rurſumque v. 24. *Cuſtodi verbum iſtud legitimum tibi, & filiis tuis vſque in æternum.* Dico.

1. Poſt

Digitized by Google

I. Poſt hoc tertium in Galgalis paſcha vſque ad CHRISTI Domini tempora bis per annos aliquot intermiſſum fuiſſe conſtat. Cum enim captiuitatis Babylonicæ tempore dirutum & inflammatum eſſet templum, poſtea verò ab Antiocho Epiphane occupatum, & idolorum ſordibus impuratum ac prophanatum nullus in eo à Sacerdotibus immolatus fuit paſchalis agnus. Ideoque Iob 1. Macha. c. 1. v. 41. *Sanctificatio eius deſolata eſt ſicut ſolitudo: Dies feſti eius conuerſi ſunt in luctum: Sabbatha eius in opprobrium.* Dictum enim ſuprà q. 21. & 24. in templo fieri debuiſſe paſchatis immolationem.

II. Deſiit Iudaicum hoc paſcha penitus poſt Christi Domini aduentum, quando à Tito euerſum eſt templum. Et cauſa ex dictis patet. hucque refert Rupertus in Amos, illud, quod apud eum Prophetā c. 28. dicit Dominus. *Venit finis ſuper populum meum Iſrael. Non adiiciam vltra, vt pertranſeam eum. Etenim,* ait ille, *ex quo fuſus eſt à Iudæis ſanguis agni Dei, ſanguis Chriſti filij Dei, iam non recipitur apud Deum ſanguis agni illorum bruti pecoris. ſed quia ſignatæ ſunt ſigno ſanguinis Chriſti, ſignaculo crucis filij Dei, illæ ſunt domus Iſrael. Ille autem populus, qui prius dicebatur Iſraël, inter Aegyptios reputatur, quia non habet hoc ſignum: & propterea, Non adiiciam, inquit, vt pertranſeam eum: & ſubaudiendum eſt, ſed percutiam ſicut olim terram Aegypti, ita & nunc omnem animam hominis increduli, & malum operantis, tam Iudæi quàm Græci, imò priùs & duriùs Iudæi quam Græci.* Et verò eodem illo Hieroſolymorum excidio funditus exciſæ Iudæorum ſacra, cæremoniæ, religioneſque omnes. ſic vt eas poſtea obeuntibus noxiæ eſſēt ac mortiferæ.

III. Verum Paſcha fuit Chriſtus Dominus. cuius *immolatio incruenta* quidem fuit eo ipſe die quo vetus illud paſcha edit, & Euchariſtiæ ſacramentum, nouum Paſcha inſtituit, vt ex S. Paulo 1. Corinth. 5. probat l. 1. de Miſſa c. 7. Bellarminus. Ait. n. de epulo, quod immolationem ſequi ſolet: Apoſtolus *Paſcha noſtrū immolatus eſt Chriſtus. Itaque epulemur in azymis ſynceritatis & veritatis.* idemque teſtantur Tertullian. lib. 4. in Marcionem, Cyprianus li. de vnitate Eccleſiæ, D. Amb. in c. 1. Lucæ, Greg. Nazian. orat. 2. de Paſcha, Gaudentius tract. 2. in Exod. D. Hier. in c. 26. Matth. Chryſ. homil. de proditione Iudæ & hom. 83. in Matth. D. Aug. l. 2. cōtra Petil. c. 37. S. Leo ſer. 7. de Paſſione, Iſichius l. 2. in Leuit B. Gregorius hom. 22. in Euāg. V. Beda in Luc. 22. B. Anſel. in Matth. 26. Rupertus l. 2. in Exod. c. 6. Et hac de re pluſculū infrà q. 38. *Cruēta* verò eiuſdē *immolatio* fuit in ara crucis. de qua S. Ioānes cap. 19. verſ. 36. facta ſunt hæc, vt ſcriptura impleretur, Os non comminuetis ex eo. Quod n. de figurante typicoque agno dictū erat Exod. 12. 46. hoc in figurato veroque paſchali agno Chriſto domino contemptum eſt. Auctor quæ. xx1. in D. Auguſt. Tom. 4. q. 2. vult nullum vnquam ab Iſraelitis celebratum paſchā, quale primò & ad litteram præſcri bebat lex. Putat. n. præſcriptum fuiſſe agnum, qui ſimul & ouis & hædus foret. At huiuſmodi nullus vnquam inuentus. *Diſcordat. n.* ait, *horum animaliū ad coniunctionē cōmunis fœtus ipſa natura.* Talis verò agnus fuit Chriſtus. *Ex ouib.* enim fuit, quia ex iuſtis: *& ex hædis,* quia ex peccatoribus ſecundum carnem natus eſt. Vnde & ſubdit ille: *Hic eſt ſolus agnus ille, qui quæritur: quique dum non amplius quod ſemel occiditur, non amplius ſecundum veritatem quod ſemel celebratum perfectum illud paſcha monſtratur.* At falſam hanc eſſe de agno ex ouilla hœdinaque naturis conſtāte interpretationem liquet ex dictis q. 19. & 21. & de ſola cruenta immolatione ipſi ſermo.

IV. Verum hoc paſcha, quoad immolationē incruentam, quotidianum in Eccleſia Chriſtiana eſt, & erit vſque ad ſuprema mundi tempora quia Chriſtus Dominus eſt *ſacerdos in æternum,* per miniſtros ſuos ſacerdotes, *ſecundum ordinem Melchiſedech.* Pſ. 109. & Hebr. 5. v. 6. Bellarm. l. 1. de Miſſa c. 6. nec *iuge* hoc *ſacrificium*, antequam ſæuiat Antichriſtus, auferetur, Danielis. 12. Bellarmin. lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 7.

V. Paſchatis cruenti memoria eſt per incruentum hoc paſcha in Eccleſia Chriſtiana perpes ac quotidiana, per ſacrum verò Paraſceues & Reſurrectionis Dominicæ diē anniuerſaria. *ſuitque ab Eccleſiæ* ipſius *initiò ſemper,* & *vſque ad conſummationem erit ſemper. Prius* illud vnus è Nouatatoribus Anglis vel negare, vel in dubiū vocare auſus eſt Thomas Lydiat Tractatu *de annorum formis* c. 19. p. 266. vultque primo poſt Hieroſolymitanum euerſum templum ab Aſianis Chriſtianis ad Iudæorum imitationē cœptum celebrari Paſcha. Sed refellitur primo ex Apoſtolorū canone 8. deinde ex eo, quod veluti de re, quæ à Chriſto Domino profecta & ab Apoſtolis propagata eſſet; de Paſchate ſanxit Cōcilū Nicænū apud Euſeb. l. 5. hiſt. c. 25. & l. 3. de vita Conſtantini. D. Athanaſ. epiſtola de Synodis Arimini & Seleuciæ. D. Epiphaniū hæreſi 70. & 75. *Poſterius.* patet quia id ad Chriſtiani cultus integritatem ac perfectionem ſpectat. qui non niſi hoc deſinente mundo deſinet. Vide Bellar. l. 3. de cultu ſanctorum c. 11.

VI. Iudaicum Paſcha videtur à Iudæis aliquo modo renouandum ſub mundi finē, Antichriſti tempore. quia ipſorum templum tunc reædificabitur 2. Theſſal. 2. & indicant Irinæus li. 5. Hippolytus orat de conſumm. S. Martin. apud Sulpitium l. 2. Cyrill. Hieroſ. Catech. 15. D. Hilarius in 25. Matth. D. Amb. in 21. Lucæ. Damaſ. l. 4. ca. 28. D. Chryſ. Sodalius, & alii plures in 2. Theſſ. Bellar. l. 3. de Rom. Pontif. cap. 13.

VII. Agitant quidem hodie Iudæi Paſcha, ſed ſine Paſchate, ſeu ſine ſacrificali agno. inane prorſus ac falſum. cum præſens iam agnus ſit, cuius futuri erat illud figura. Et erit hoc infrà quæſt. 39. liquidius.

VIII. Cultus ac ritus Paſchatis perpetuus dupliciter à D. Auguſtino in Exod. q. 18. in Gen. 41 & libro contra Priſcilianiſtas expoſitus eſt *1. ratione rei ſignificatæ,* quæ eſt CHRISTVS, æternū veſtrum Iſraelitarum paſcha & gaudiū 2. *ratione temporis.* quod ſi aliquo modo, longum ſit ac diuturnum, ſolet in ſcriptura vocari Hebraicè *holam,* Græcè αἰών, Latinè *ſæculum,* aut *perpetuum.* Sic enim & Deut. 15. dicitur quiſpiam eſſe alicuius *ſeruus in ſæculum,* Exod. 21. *in ſempiternum:* Et poſterior hæc expoſitio verior & accom-

modatior eſt, vt in Exodi cap. 12. q. 18. diſſerit Abulenſis.

A

QVÆSTIO XXXIV.

Qui azymi panes, de quibus textus v. 11?

Cvm Græcè ζύμη ſit *fermentum*, dicitur *panis azymus*, qui fermento caret, ſicuti contra *enzymus* aut *zymites*, qui fermentatus eſt. *Panis* ait libro 5. hiſtoriæ Tacitus, *Iudaicus nullo fermento detinetur*: talemque panem Colophonius Nicander in Gloſſis, *Paratum* vocabat, vti Athenæus teſtis lib. 3. alii *apopyrian*, vt ait l. 6. Pollux. De hoc autem varia quæruntur.

B

1. *An azymus verè ſit panis?*

Negarunt Græcorũ nonnulli, vt *Michael* Conſtantinopolitanus Epiſ. & *Nicetas*, quorũ verba verboſiſſimè à Centuriatorib. relata Cẽturia 11. c. 8. & apud Baron. t. 11. *Euthymius* in 26. Matth. *alij* apud S. Anſelmum lib. de azymo, & nuper *Hieremias* Cõſtãtinopolitanus Patriarcha in confeſſionis Lutheranæ cẽſura c. 10. Eorum ratio eſt, quia *panis* Græcè ἄρτος dicitur à verbo αἴρω, quod eſt *attollo*, Non autem attollitur farina ſiue maſſa, niſi per fermentum. Sed verè panem eſſe docet primò materia & forma, è quibus conſtat. Secundò. Intra ſeptem azymorum dies venit Iesvs Christvs cum duobus diſcipulis Emauntem, ibidemque, vt ait S. Lucas c. vlt. *Accepit panem, benedixit & fregit*: poſteàque *ipſum cognouerunt in fractione panis*. At illis diebus nullus apud Iudæos zymites erat, azymus ergo ex ſcripturæ vſu verè *panis* eſt. Et Deut. 16. v. 3. Hebraicè, Græcè, & Latinè citra obſcuritatem vllam azyma vocantur *panis*. Secundò. Prophani etiam auctores, cum panis generare cenſent, *azymum* in illis ponunt. Nam apud Athenæum loco citato Tryphon Alexandrinus in ſuis *Phyticis*, id eſt, *de plantis*, panem ſtatim alium dicit *zymitem*, alium *azymum*, rurſuſque alios *ſemidalitem*, *chondriten* & *ſyncomiſton*. Tertiò. Cur panis non eſſet? Quia fermento, inquiunt, non attollitur. At apud Hebræos non ab attollendo dictus eſt panis, ſed ab edendo. & forte apud Græcos, non quòd fermento attollatur, ſed quòd in menſam tanquam neceſſarium maximè alimẽtum attollatur, vel quòd eius vi attollatur & ſuſtentetur, qui eum edit. Et quamuis *ab fermenti ſublatione* Græcum nomẽ ductum eſſet, nõ ideo tamen ſi quis panis non attolleretur, ideo panis non eſſet. Ab eo enim quòd vſitatiſſimè fit, etymologia petita eſſet, non ab eo, quod ſemper & neceſſario. quemadmodũ apud Latinos ideo videtur *lapis* dictus, *quòd lædat pedem*, an ſi quis non lædat, lapis non erit? Et Meſſapiorum Rex cui nomen ἄρτος; de quo l. 7. Thucydides Demetrius Comicus in fabula *ſicilia*, Athenæus l. cit. nunquid à fermento ſic vocatus? Quarto fermentum non ad aliud quam exigua eiuſdẽ frumentaceæ materiæ pars amarior, quæ idcirco Hebr. dicitur שאר *ſeor*, maximè cum paulo poſt vetuſtior eſt, & ex eo Germanicè **ſauber**, vnde & **Sauwerteig** fermentata maſſa. At huiuſmodi exigua quædam admiſtio non facit, vt rerum ſpecies immutentur. Alioquin ſalſi cibi ab inſulſis, & quibus acoris aliquid, ſiue aceto, ſiue alio quipiam condimento, admixtum foret, à dulcioribus & inſipidioribus ſpecie differrent. Quintò. Theodoretus in Danielis c. 10. cũ Græcus ſit, eos, qui *azymum* eſſe panem negãt, ridet. Denique apud eos, qui panis genera colligunt, Athenæum ſcilicet l. cit. Pli. l. 18. c. 11. Rhodiginum Cælium, l. 9. c. 16. & alios, inſtituitur differentia vel *ratione materiæ*, vt triticeus, hordaceus olirites, fabaceus, etnites: vel *ratione loci*, vnde vel ipſe panis, vel frumentum petitur, vt apud veteres, Ereſius, Thebanus, Cilicius, Cappadocius, apud nos in Frãconia Tettelbacenſis, Gemũdanus. Tertiò. *Ratione modi coquendi*, vt apopyrias, ipnites, eſcharites, epanthiacis, encryphias, clibanites, & cribanites. Quartò. *Ratione admiſtionis*, vt naſtus, ſtreptitius, ſtaitites, encris, aleiphatites, tracta, tyrũ, laganũ. Quintò. *Ratione quantitatis*, vt Cilicius, colabus. Sextò. *Ratione qualitatis*. v. c. *coloris*, alibus, ater: *ſaporis*, vt Cyprius, cibarius: *formæ*, vt collix, collabus, boletinus, thronus. Septimò. *Ratione temporis*, vt Thargelos, & Thaliſius, qui poſt meſſem è nouis frugibus primus conficitur. Hæc verò, & alia complura diſcrimina, præterquã, ſi è materiis, quæ ſpecie differunt, ſint, nõ eſſentialia, ſed accidentaria ſunt. Maximè tamen iſtud, vt *fermentatus* vel *infermentatus* ſit. Dices, *Modicũ fermẽtum totam maſſam corrumpit*, 1. Cor. 5. v. 6. & Gal. 5. v. 9. Reſpõdeo 1. pro *corrumpit*, Græcè eſt ζυμοῖ, id eſt, *fermentat*. Quia tamen *corruptionem* noſter vocauit Interpres, dico eſſe corruptionem accidentalem. Neque verò malè ita vocauit interpres, cum & Plut. eodem ſenſu lib. probl. Roman. dicat τὸ φύραμα φθείρει.

C

D

2. *An ſalubris azymus panis?*

Vnum aliquando memini audire medicum, qui verno tempore, & iter faciẽtibus vtilem diceret panẽ azymum, quod ſoleant tunc obeſſe acria, prodeſſe dulcia. Nam, vt ait Plin. lib. 22. c. 24. *in laſſitudine & ſiti promiores ſũt homines ad iracundiam. Ergo & hac animi aſperitas, ſeu potius animæ, dulciore ſucco mitigatur*. Sed alii omnes noxiũ & inſalubrem aſſerunt. *Sunt*, ait, Exodi 12. quæſt. 11. Abulenſis *azymi panes valde nociui ſtomacho & graues, fermentum namque ex ſua acutie ſubtiliat, & digerit ponderoſitatem & humiditatem commixtæ farinæ cum aqua. Cum autem non commiſcetur fermentum, valde ponderoſus eſt, & malè digeſtibilis*. Et Deut. 16. *Magnus labor eſt in comedendo azymum panem & in digerendo. Eſt enim guſtui inſipidus, & ſtomacho ponderoſiſſimus, quia miſcetur cum aqua frigidiſſima farina ad conficiendos illos panes ſine ſale & ſine fermento. Iſta enim ſubtiliant & digerunt. Quare panes iſti cæteris panibus ponderoſiores ſunt, & magis repugnant ſanitati*. Confirmatur primò. quia idcirco vocatur *panis afflictionis*, Deuteronom. 16. verſu 3. ἄρτος κακώσεως. Nam ſi dicas ita vocari, quòd hi panes ſigna ſint afflictionis, quam in Ægyptiaco exitu perpeſſi ſunt; fateor id quidem. (Nam & ſubiuncta ratio indicat.) ſed ſigna fuerunt ei rei ſignificandæ accommodata, quæ, ſua ſcilicet inſita vi, afflictionem iſtã quodammodo renouarent, & comedentibus moleſtiam afferrent. & in Syriaco textu 1. Corinth. 5. v. 8. vbi *nequitia fermentum* habet noſtra verſio, legitur *fermẽtum demariruthà*, id eſt, *amaroris* vel *abſynthij*. Secundò. Iudæi etiã ſic appellãt & ex-

E

F

Digitized by Google

& explicant. Dum enim azymis paſchali nocte vtuntur panes familias; & dum azymorum fruſtula domeſticis diſtribuunt, hæc formula eſt הא לחמא עניא *halachma dehaniiah.* ὅδε ὁ ἄρτος ταλαιπωρίας. *Hic eſt panis afflictionis* ſiue *miſeriæ, quem comederunt patres noſtri in terra Ægypti.* Tertiò. Ratione; Nam in azymum conueniunt, quæ de encryphia dicit apud Athæneum libro 3. Diphilus, Siphnius, *Ventriculum,* ſcilicet *grauat, ægrè vincitur ac digeritur.* Iam verò in ſecunda primi ſunt hæc Auicennæ verba, quæ *Racemationibus* ſuis digna cenſuit Rhodiginus lib. 9. c. 17. Panis impedimentum, vbi non percoquat venter, maximum cenſeri debet: carnis verò non ita. *Ex hoc,* inquit Interpres, *id paſſim inaudimus: Diſſertionem vtique omnem eſſe incommodam, verum quæ ex pane fiat, peſſimam: in ſtomacho quippe reſidet diu, onere imprimis moleſto: quod ſi non concoctus ſatis, demique dilapſus fuerit, hepar præfarcit ac meſeraicas. Caro autem maiorem ducit cum humano corpore ſimilitudinem, proinde ex ea minus prouenit nocumenti, & hepatis, aut meſeraicarum præfartio lenior, ac curationi minus minuſque obſiſtēs, imbibentibus membris longè procliuius ob cognationē quandam carnis ſuccum, quam panis.* Denique, ſi quæ in mactride remanſerit farinæ maſſa conglobata, dura, & grauis, hanc per contemptum quòd inſipida & noxia ſit; vocant hodie noſtrates piſtores Mak vel Makkuchen. Sic enim ab iis azyma Iudaica vocantur, ab Hebræo ſcilicet, quod à Iudæis acceperunt, nomine מצות & ſingulariter Num. 6. v. 19. מצה. Vnde & fortaſſis apud Græcos μάζα, niſi forte ab eo, quod eſt Geneſ. 45. מזון *mazon.* Atque huc valde faciunt, quæ de maza tam crebro tradiderunt Hippocrates & Galenus. Ille quidem lib. 2. de diæta. n. 6. 7. & 60. li. de victus ratione in morbis acutis. n. 18. Galenus verò in hunc de victus ratione librum comment. 2. In 6. de morbis vulgaribus comm. 3. lib. de ſalub. diæt. (*Minus ſiccare & calſacere,* lib. 1. de aliment. facult. quid μάζα πεπτὴ, cuius facultatis & quomodo fiat. Plinius ſanè lib. 18. cap. 11. *Validiora ſunt corpora, quæ fermentato pane aluntur.* & lib. 22. cap. 25. cum dixiſſet: *Panis ipſe, quo viuitur, innumeras penè continet medicinas,* ſubiunxit; *Ad omnia hæc fermentatus, qui vocatur autopyros, vtilior.* Indicat idem l. 7. de ratione medendi, Galenus.

3 *Cur idem panis à Deo præſcriptus?*

Hiſtoriæ quinto citato libro Tacitus, *Raptarum,* ait, *frugum argumentum panis Iudaicus nullo fermento detinetur.* Si raptas diceret, quòd pinſendi, ſubigendi ac fermentandi ocium nō fuerit, verè diceret. Sin raptas vult, vi, rapinaque demeſſas, & veris dominis ablatas, fallitur. & tamen hoc potius, vt apparet, vult. Nam totus illic in falſis Iudæorum criminationibus eſt. Sciendum igitur duplicem Iudæis ex Ægypto egreſſuris datam de azymis legem. *Vnam,* vt iis, cum paſchali agno, veſcerentur Exod. 12. verſ. 8 *Alteram,* vt totis deinceps ſeptē diebus: ibidem v. 15. & 18. Exod. 13. v. 6. & 7. Prioris cauſam dat Abulenſis Exod. 12. ante q. 12. vt ſumma in eſu illo adhiberi poſſet celeritas. Nam certiſſime apparātur azymi panes Geneſ. 18. & 19. inſtabat ex Ægypto abitus: At accepit iſta ratio quaſi certum, panes alios Iſraelitis præſtò haud fuiſſe. Nam ſi erant, non modo non accelerabatur

A eſus agni, ſed tardabatur etiam nouis panibus, quantauis celeritate pinſendis & coquendis. Fuiſſe verò vel omnibus, vel quamplurimis ſaltem panes alios, quis nō putet? Expectabant in dies, peneque in horas ſingulas abitū & commeatus, paniſque nihil omnino paraſſent? Nihil è ſuperiorum dierum annona reſiduū prorſus erat? omnia, minima etiam fruſtula, comeſa conſumptaq; ? Nā ſi quid ſupererat, cur id agno edendo adhiberi vetuit Dominus? cur azymum ſolum præcipit? Sic autē opinor. *Primò.* Iſraelitas

B ſuperioribus quidem diebus fermētatos panes coxiſſe, ſed ea quantitate ac menſura, quæ & ad veſperā iſtius diei XIV. ſatis eſſet, neque vltra tamen tenderet. *Secundo.* Deinde pro veſpera iſta ſola infermētatos panes celeriter pinſuiſſe atq; coxiſſe. *Tertiò.* In animo habuiſſe, viaticos ea nocte panes fermentatos in iter, quod inſtabat; pinſere ac apparare: ſed ab Ægyptiis primogenitorum ſuorum clade perculſis coactos egredi citiùs, vt farinam aqua tantummodo conſpergere, & commiſcere, non autem fermētare potuerint,

C aut etiam cum fermenteſcendi defuturū tempus præſentiſcerent; noluerint. *Quartò.* Sic factū, vt cum abirēt, farinaceā hanc aqua ſola conſperſā maſsā ſecum aſportarent, indeque poſtea in *Socoth* magna feſtinatione, quā afferebat eſurientis populi fames, omniūque neceſſitas, azymos panes feciſſe, neque fermento illam (quod tamē vix, aut certè non niſi pertinaciſſimo, peneque inani labore fieri poteſt) inſtruere conatos: fortaſſis etiā quia fermēti nihil extulerāt neque noui cōficiēdi aut modos, quos l. 18.

D c. 11. tradidit Pli. quibusq; modo plures vel lupulū feces, & ſimilia poſterorū adinuenit ſolertia, tenerēt aut ocio carerēt. Hæc autē confirmātur omnia partī ex ipſius Moyſis narratione Exod. 12. v. 39. partim ex circumſtantiarū omniū conſideratione, aliqua etiā Ioſephi atteſtatione l. 2. c. 5. Abulēſis q. 12. Exod. 12. Hinc verò poſterioris de ſeptē diebus azymorū legis ratio facile intelligitur. Nā eam expoſuit ipſemet Dominus Exod. 12. v. 17. c. 13. v. 8. & 9. Deut. 16. v. 3. vt ſcilicet, feſtinationis, maximæque huius in Ægyp-

E tiaco egreſſu penuriæ ſempiterna in Iſraelitarū animis figeretur memoria, quædamque eius apud omnes poſteros in æternum eſſet experiētia. *Duo* autem reſtant, quæri quæ poſſint.

Alterum, *an lex de 7. iſtis diebus fuerit ex occaſione præparationis, & egeſtatis illius à Domino poſt modum lata,* an verò iam antea? Reſpōdeo. Fuit iam antea, ſed ex occaſione iſta à Domino ipſo præuiſa. Nam Exod. 12. v. 15. antequam egrederentur, iam præceptum hoc à Domino datur. Nec dicere hic licet, poſt exitum quidem hæc à Do-

F mino dicta, ſed per anticipationem à Moyſe narrata. Nam v. 17. vertit Latinus noſter. *Et obſeruabitis azyma. In eadem enim ipſa die educam exercitum veſtrum de terra Ægypti.* Neque diffiteor in Hebræo non *futurum,* ſed *præteritum* eſſe. Sed hoc pro illo ſæpe accipi non ignorant qui, vel primoribus, vt aiunt, labris linguam eam guſtarunt, & ita hic accipiendum auctores optimi ſunt ipſi 70. Interpretes; dum vertunt ἐν τῇ ἡμέρᾳ ταύτῃ ἐξάξω τὴν δύναμιν ὑμῶν. Quin & è Nouatoribus Tre-

mellius ac Iunius ſic. *Obſeruabitis diem ipſum azymorum, quum eadem ipſo die eduxere exercitus veſtros è terra AEgypti.*

Alterum verò eſt, *cum valetudini obſint azyma,* vti patefactum ſuprà, *cur eorum populo ſuo eſum diebus tot indicere voluit Dominus?* Tres in promptu cauſæ. *Prima*, vt ipſo illo panum adeo inſipidorum, ſtomacho, valetudinique infeſtorum eſu magis renouaretur apud poſteros, altiuſq; animo reponeretur præterita maiorũ afflictatio & miſeria, qui per nimiam itineris feſtinationem, cibiq; omnis inopiã, eo ſeſe noxio triſtiq; farinæ aggeſtu ſuſtẽtare debuiſſent. Viuacior enim & efficacior multò ea memoria eſt, quæ ſenſu & experimento ipſo efficitur, prout in piis Catholicis quotidie videmus, dum ieiunando, corpus affligendo, & flagellando, Saluatoris noſtri IESV quadragintadiale ieiunium, atroces noſtri cauſâ ſuſceptos cruciatus & mortem, tanto pietatis ſenſu, recolunt: & è contrario noſtris hæreticis, dũ veteres imitantur Manichæos, de quibus libro cõtra epiſtolam fundamenti c. 8. D. Aug. ſic; *Paſcha Domini nulla, interdum à paucis tepidiſſima celebritate frequentatur, nullis vigiliis, nullo prolixiore* (imo prorſus nullo) *ieiunio indicto auditoribus veſtris, nullo denique feſtiuiore apparatu. Secunda.* Vt intelligeremus religioni, cæteriſque virtutibus, quibus Deo ſeruitur, cedere debere non delicias modo, & ſuperuacuum aut cibum, aut aliam corporis curam, ſed valetudinem etiam ipſam, & quandam huius vel augendæ, vel tuendæ & conſeruãdæ neceſſitatem. Nam vt Iſraelitarũ gratus in Deum eſſet animus, vt ad eius amorem magis excitaretur, vt pietate ipſum flagrantiore coleret, voluit Dominus totos ſeptem dies pane ipſos vti qui deſiperet, quodque infermẽtato pane ſanis nõnuũquam fit, nauſeam afferret, ſtomachum grauaret, digeri vix poſſet, corporis meatus oppleret, ſuccum ſanguinemque minus bonũ gigneret, totam corporis valetudinem, robur, ac pulchritudinem læderet. Quod obſeruare habent, qui contra Eccleſiaſtica ieiunia, quadrageſimales cibos, Carthuſianos piſces vehementiùs interdum clamitant. Sed legant moroſi iſti quiritatores, Franciſci Victoriæ *de homicidio* Relectionem. Agnoſcit etiam hæreticus Beza 1. Cor. 5. v. 8. à priſtina viuendi conſuetudine, ſicuti nos in quadrageſima, Iudæos diſcedere oportuiſſe. *A fermento, nouo quodam,* ait, *vitæ genere totas ſeptem dies abſtinebant, qui numerus perfectionem notet. Tertia* demum cauſa eſt figura rerum, quas per azyma ſignificari voluit Dominus. Quemadmodum enim herbæ amariores, quæ cum agno iungendæ fuerunt, pœnitentiæ habuerunt ſignificationem, ſic & nauſeoſi panes azymi. Et quemadmodum azymus panis, licet ad ſanitatem ac vires minus faciat, ſimplicior tamen eſt, nulla ne accidentali quidem corruptione corruptus, depreſſus ſemper, & humilis eſt, nullo fermento intumeſcens, ſeſeque efferens, ſapore dulcis, faciléque parabilis eſt: ita ii, quos S. Paulus 1. Cor. 5. eſſe *azymos* vult, licet corporis commoda minus augeant, quin ea etiam imminuant, & extenuent, eſſe tamen debent ſimplices, ſynceri, demiſſi, ſuaues, faciléque tractabiles.

4. *Quod azymorum dies? & ex iis quinam feſti?*

Primò. *Dies*, quibus azymis omnium primò vſi ſunt in Ægyptiaco exitu, Iſraelitæ, dicuntur à Ioſepho lib. 2. cap. 5. fuiſſe *triginta.* poteſtque aliquo modo colligi ex cap. 56. Exodi v. 1. Nam cum iam exiiſſent illi, cœperunt azyma in *Socoth* coquere Exod. 12. v. 39. neque alio deinceps pane vſi leguntur, aut verò vti potuerunt, vſque dum manna daretur. quia vt verò eſt ſimilius, fermentum ſecum neque abſtulerant, neque nouum pararant, vti ſuperiùs q. 3. dicebam. At exierunt menſis primi die 15. & menſis ſecundi die 15. venerũt in *Elim*, vbi manna iis confeſtim datum. Rectè igitur ait Ioſephus τοῖς ἀζύμοις ἐπὶ τριάκοντ' ἡμέρας ἐχρήσαντο. Et ſic etiam lib. 3. c. 1.

Secundò Ad horum recordationem inſtituit anniuerſarios azymorum dies duntaxat ſeptem Dominus, Exod. 12. veſ. 15. & 19. cap. 13. verſ. 6. Leuit. 23. verſ. 7. Num. 28. verſ. 17. & 18. Deuter. 16. verſ. 3. Et *horum primus* fuit menſis primi dies xv. Leuit. 23. v. 6. Num. 28. v. 17. *vltimus* menſis eiuſdem dies xxi. Exod. 12. v. 18. Rurſumque *primus* & *vltimus feſti* fuerunt, vt in iis, nihil agere liceret operis Exod. 12. verſ. 16. *Dies prima erit ſancta atque ſolennis: & dies* VII. *eadem feſtiuitate venerabilis,* cap. 13. verſ. 6. Leuit. 23. verſ. 7. & 8. Num. 28. verſ. 18. & 25. Deuteronom. 16. verſ. 8. *præter eduliorum apparatum,* Exod. 12. verſu. 16. Sed *obiectionibus* his aliquot reſpondendum.

Prima. Videntur eſſe azymorum dies pauciores quam ſeptem, quia Deuteronom. 16. verſ. 8. dicitur, *Sex diebus comedes azyma, & in die* VII. *quæ collecta eſt Domini, non facies opus.* Reſpondeo dictum erat paulo ante verſ. 3. & 4. *azyma edenda ſeptem diebus.* Ergo quod de ſex diebus iam additur, duorum iſtorum modorum alterutro exponendum eſt. vt vel ſermo ſit de ſex diebus qui ſequuntur primum, quia de hoc ſermo iam fuerat verſu 4. & 7. vel potius, qui antecedunt ſeptimũ primũ, quia de hoc noui quidpiam ſeorſim tradere volebat Dominus: eſſe ſcilicet *diem collectæ.* cum in eo alioquin ex citato v. 3. & 4. ſatis iam conſtaret, azymis veſcendum.

Secundò. Primus azymorum dies videtur eſſe menſis primi dies XIV. non XV. quia incipiebant illa cum agni eſu, qui vt ſuprà clarum fuit; die XIV. edebatur. Deinde Exod. 12. verſu 18. dicitur, *Primo menſe quarta decima die menſis, ad veſperam comedetis azyma.* Hiſce argumentis duobus fuit Ruperti lib. 2. cap. 15. impulſus calamus ad ſcribendum, primum azymorum fuiſſe menſis primi diem XIV. Reſpondeo extremam illam diei XIV. particulam, ſiue veſperam, qua agnus & immolabatur & edebatur, prout ſuperioribus explicatum quæſtionibus, pertinuiſſe non hodiernâ noſtrâ, ſed Iudaica numerandi ratione, ad diem XV. quia XV. vt dixi, feſtus erat. Idque confirmatur primò, quia dies XIV. non erat, vt ſupra dictum, feſtus. Azymorum verò primus erat feſtus. Secundò. Primus azymorum erat ille ipſe dies, quo ex Ægypto emigrarant Iſraelitæ Exodi 12. verſu. 17. Deuteronom. 16. verſu 3. At Num. 33. verſu 3. *Profecti ſunt de Rameſſe menſe primo,* XV. *die menſis, altera die phaſe.* id eſt: poſtquam fecerant phaſe ſecundum noſtrum, & naturalem dierum

rum morem die xiv. Tertio. Scripſit hoc diſertè Innocentius 3. lib. 4. de altaris myſterio cap. 4. & docent omnes alij Chriſtiani Doctores, imo & Iudaici. Ioſephus lib. 18. cap. 3. Græcè *feſtum diem azymorum* ait eſſe *Paſcha*. Quoquo autem modo loqui libeat, indoctè ſcripſit in *Theſauro ſuo* Henricus Stephanus, *azymorum feſtum paſcha præcedere*.

Tertio videntur eſſe dies plures quam octo. Primò, quia xiv. vti dictum eſt; edebantur ad veſperam cum agno azymi. & edendi finis erat menſis eiuſdem die xxi. vt probatum eſt. Nunc mitte in digitos diem xiv. xv. xvi. xvii. xviii. xix. xx. xxi. Nonne octo? Deinde verò Ioſephus lib, 2. cap. 5. ἑορτὴν ἄγομεν ἐφ' ἡμέρας ὀκτὼ τὴν τῶν ἀζύμων λεγομένην. Scribit & hoc Rupertus loco citato. Accedit hodierna Iudæorum conſuetudo. Totos enim dies octo ſeſe fermento abſtinent, & tota azymorum hebdomas vocatur à Ioſepho libro 2. cap. 10. ἑορτὴ. Et clarè Leuit. 23. v. 6. *Reſpondeo* veſperam diei xiv. Iſraeliticè annumerandam, vt ſæpe dictum eſt, diei xv. & ſic in digitos mitti non debet dies xiv. ſed incipiendum à xvi. Ioſephus tamen, quia naturalem vulgaremque dierum numerum aſpexit, incluſit diem xiv. & libro eodem capite 10. dum dicit, *Diem paſchatis excipit feſtiuitas* azymorum, quia vii. dierum eſt, eodemque modo dies xv. dicitur dies primus azymorum Matth. 26. cap. verſ. 7. & *ante diem paſchæ*, Ioan. 13. verſu 1. ſicque ſuprà quæſt. 29. De Ruperto dictum ad ſecundam obiectionem. De hodierna Iudæorum conſuetudine haud laborandum, ſuperſtitione ſiquidē, cuius cauſam afferri ſolidam, non queunt: ſuprà præſcriptos à Deo ſeptem dies vnum adiiciunt. Cum autem, cur ſic agant, interrogantur, ſæpe reſpōdentes audij, neſcire ſe quando verè paſchalis Neomenia incipiat, ideoque neque quam verus paſchalis dies ſit. Ne autem aberrent, duos paſchales ſeſe dies obſeruare, vt ſi vnus forte non ſit, alter ſaltem ſit. Sed è ſuis *Cheſbonim*, & è noſtris tam facilè, tamque certò ſcire hoc poſſunt, quam dies omnes alios. Et verò hac ratione deberent è ſeptem illis azymorum diebus dies quatuor feſtos agere. Nam demus paſchali diei feſto dies duos, ergo & diei ſeptimo, qui itidem feſtus eſt, duas dare luces oportebit. Sit enim verbi cauſa, ſecundum ipſorum *Badu*, feria menſis ſecunda primi menſis dies xv. azymorū feſtus. Sed quia dubitant, ſitne is verus paſchalis, agunt etiam feſtam feriam tertiam. Ergo agere ipſos poſtea oportebit feſtas ſecuturæ hebdomadis feriam primam & ſecundam. Hæ ſiquidem ſunt ſeptimæ ad hebdomadis prioris ſecundā & tertiam feriam. Ad poſtremū, vocatur tota illa hebdomas ἑορτὴ ab eius principio & fine, id eſt, à primo & ſeptimo die.

Quarta. Non videtur dies primus & ſeptimus eſſe feſtus, vel pari certè ſolennitate. Nam Deuter. 6. verſ. 8. fit mentio feſti diei vii. nulla autem ſolennitas diei primi. Et Leuit. 23. verſ. 7. dicitur *primus dies celeberrimus ſanctuſque*. Sed v. 8. *dies ſeptimus erit celebrior & ſanctior*. Num. 28. verſ. 18. dies prima dicitur *venerabilis & ſancta*. ſed v. 25. dies vii. *celeberrimus & ſanctus erit vobis*. Ad primum dico alibi ſatis expreſſum de die primo feſto: illic autem in Deuteronomio ma-

A gis fieri diei vii. mentionē, quia non feſtus tantum erat, ſed hoc etiam præcipui habebat, quod eſſet *collecta*. Hæc quid ſit, dicam alibi. *Ad ſecundum*, nulla in Græco & Hebræo cōparatiua ſunt, aut ſuperlatiua: ſed eadem phraſi, qua dies primus dicitur *venerabilis & ſanctus*, eadem prorſus dicitur & ſeptimus tam in Leuitico quā Numeris, prorſus vt Exod. 12. verſ. 16. vbi nullis vel comparatiuis vſus Interpres eſt, ſed vertit, *diem vii. eadem feſtiuitate venerabilem eſſe, qua & primus eſt*. In hanc ergo ſententiam, quæ alibi poſuit B comparatiua & ſuperlatiua ſumere oportet, non vt plus diei vii. tribuant, ſed vt Græcorum, Latinorumque auctorum more, pro poſitiuis cenſeantur illa poſita. Phraſis verò, quam vbique in Exodo, Leuitico, & Numeris adhibuit Moyſes, eſt Hebraice, מקרא קדש. Hanc, vti apparuit, admodū variè vertit noſter Interpres, apud quem putarunt aliqui *diem ſanctum* vocari, quod Deo conſecratus eſſet; *ſolennem* verò, quod in eo præcipuè ac ſpecialiter in cultum Dei quædam fierent, quæ in aliis diebus non fierēt. Aiunt enim C dies quoſdam eſſe *ſanctos*, ſed *non ſolennes*, verbi cauſa, ſabbatha: quoſdam autem *& ſanctos, & ſolennes*, vt azymorum primum & vltimum. Sed primo nonne ſabbathis peculiaria etiam ſacrificia offerebantur, quæ non diebus aliis Num. 28. verſ. 9. & 10.? Et quis alius dies ſanctus, qui præter quotidiana, non etiam propria quædam habeat ſacrificia? Omnis ergo dies ſanctus, etiam ſolennis eſt. Secundo, cur ab illis non ſtatuuntur dies etiā quidam *ſolennes & non ſancti*? Nam certe in tertium, iv. v. & vi. azy- D morum diem ſacrificia erant decreta peculiaria Num. 28. v. 24. & ij tamen feſti non erant, ideoque vt iſti hos deſcribunt, nec ſancti. Tertio, ſabbathum, ſiue dies vii. diſertè dicitur eadem Hebræa phraſi *mikra kodeſch* Leuit. 23. v. 3. qua primus & vltimus Azymorum dies. Ergo poteſt non modo ſanctus, ſed ſolennis etiam pariter appellari. Quarto, omnes ſimiliter alij feſti dies eadem illic phraſi ornantur v. 2. & 4. & deinceps. Quid igitur ea ſibi vult Hebræa phraſis? Pagninus, & alij vertunt ſemper *conuocationem* E *ſanctam*. Et Tremeliana in cap. 12. Exodi annotatio ſic exponit. *id eſt, populus à reliquis huius vitæ negotiis vacans conueniet, vt ſacris incumbat*. Et Leuit. 23. verſ. 2. vertunt Iunius & Tremellius. *Alloquere filios Iſraelis, vt indicas eis ſolennitatem Iehouæ, quibus cōuocaturi eſtis eos, conuocationes ſanctas vel ſanctitatis*. Et in annotat: *Conuocaturi eſtis; nimirum vos ſacerdotes ex lege* Num. 10. At multo magis placet, quod nos 70. docent, phraſi ſcilicet illa nihil ſignificari aliud, quam diem *vocatione ſanctum* eſſe, vel qui *vocatione ſanctita-* F *tis afficiendus ſit*, & ſi plures ſint *vocatione ſanctos* eos eſſe, vel appellationes ſanctitatis, id eſt, qui *ſancti* appellandi ſint. Sic enim Exodi 12. ἡ ἡμέρα ἡ πρώτη, κληθήσεται ἁγία, καὶ ἡ ἡμέρα ἡ ἑβδόμη κλητὴ ἁγία ἔσται ὑμῖν. Leuit. 23. αἱ ἑορταὶ κυρίου ἃς καλέσετε αὐτὰς κλητὰς ἁγίας. Et paulò poſt. σάββατα ἀνάπαυσις κλητὴ ἁγία τῷ κυρίῳ. Rurſumque αὗται αἱ ἑορταὶ τῷ κυρίῳ κληταὶ ἁγίαι. Et de primo azymorum. ἡ πρώτη κλητὴ ἁγία ἔσται ὑμῖν. de vii. ἡ ἑβδόμη κλητὴ ἁγία ἔσται ὑμῖν. Quid cætera perſequar? Ex his abundè perſpicuum, non ideo phraſin hanc à Moyſe adhiberi, quòd ſacerdotes conuocent

populum, ſed quod & ſacerdotes & populus totus, dies tales vocarent *ſanctos*. idque ſine dubio, quia *ſancti* erant. Neque enim vocari vellet Deus *ſanctos*, niſi eſſent. Atque hoc, quia Nouatores noſtri oderunt, & omnem ſuum Dei cultum in meris calationibus, concionibuſque ponunt, ideo noua hæc interpretamenta cõminiſcuntur. Et ſanè illa eadem phraſis eſt, qua S. Paulus Rom. 1. κλητοὺς ἁγίους Chriſtianos vocat, prout ibi à me dictum pluribus.

Quinto. Videtur etiam dies menſis eiuſdem XVI. ſiue ſecundus azymorum eſſe feſtus, quia tum Leuit. 23. verſ. 11. primitiuus meſſis manipulus offerebatur, & cum eo certa ſacrificia. *Reſpondeo*, fieri quidem eo die hæc debuiſſe non idcirco tamen *feſtum* fuiſſe. & velit nolit Nouator Lydyat, de quo libro 1. capit. 4. quæſt. 9. vocari ſolet *craſtina poſt paſcha*, ſeu *poſtridiana paſchatis* aut *ſabbathi*, id eſt, feſti paſchalis, eodem Leuit. 23. verſ. 15. rurſumque *iom habómer*, id eſt, *dies manipuli* quem eo ſcilicet die offerebant è ſua ſegete, qui Hieroſolymis aut morabantur, aut vicini erant. Mihi verò arridere haud poſſunt, qui manipulum iſtum non *frumenti*, ſed *hordei* fuiſſe: rurſumque non è vicinis Hieroſolymæ agris, ſed è tribu *Nephtalim* allatũ aiunt. Nam & eo menſe prout ſuprà dictum, ea in regione matureſcebant ſegeres, ſicque aliquæ tum ſpicæ poterant præ aliis eſſe maturiores, quæ meterentur ac offerrentur. Videmus enim & apud nos ante meſſem ſeptimã & octauam quandoque hebdomadibus, quaſdam alicubi ſpicas maturas, licet nondum omnes. *Tunc*, ait; lib. 3. de vita Moyſis Philo, *matureſcunt ſegetes ad victum neceſſariæ, arborum verò fœtus pubeſcunt recens editi*. Et lib. de Decalogo. *Offertur manipulus gratiarum actionis pro vbertate camporum & frugum abundantia*. Clarumque huic rei teſtimonium eſt ex hoc Ioſuæ cap. 15. & ex Ioſepho lib. 5. cap. 1. vbi die XV. triticeam meſſem eſitare cœperunt Iſraelitæ, prout inferius dicetur q. 8. & Leuit. 23. verſ. 14. vti obſeruat Maſius fol. 92. eſtque communis hæc Rabbinorum ſententia in Thalmud tract. de omni principio. *Triticeas* tamen *ſpicas* videatur alicubi fortaſſis negare Ioſephus, quia lib. 2. cap. 10. dicit Iſraelitas *hordei primitias* Deo tunc offerre. At *hordeaceas* quidem primitias affirmat ille, *triticeas* non negat. Verum quia hæ tantum erant quoad ſpicas, ante meſſem: illas potius hordaceas, quæ demeſſæ iam erant, & quarum grana edere vulgò incipere volebant, deſcribit. Et cur è *Nepthalitica tribu* hæ ſpicæ? Quaſi non Auſtralior & calidior eſſet Iudæa: & quaſi tam multis opus foret ſpicis, vt aliundè oporteret afferre. In pentecoſte vero *triticeæ* rurſum erant primitiæ, ſed *non in ſpicis* ante meſſem: *verum in panibus* poſt meſſem. Sed vide quæ ſuprà cap. 3. p. 2. q. 5.

Sextò. *Cur ſeptimus azymorum dies vocatur collecta?* Variæ opiniones. *Prima*. Quòd eo die colligerentur, quæ ad diuini cultus expenſas neceſſaria erant. D. Thomas 1. 2. quæſt. 102. a. 4. *Secunda*. Quod pro pauperum ſuſtentatione colligeretur tum pecunia. Quidam apud Lyranum in Leuit. 23. *Tertia*. Quod conuocaretur tum populus ad laudes Dei celebrãdas, beneficij alicuius cauſa. Oleaſter Leuit. 23. *Quarta*. Quod terræ fruges tum demetere, colligereque inci-

A perent. Sigonius lib. 3. de Rep. Heb. cap. 9. *Quinta*. Quod ſeſe tum homines colligant, manus nimirum à ſeruilibus operibus abſtinendo, & in terra templi ſepta ſeſe coercendo. ita vt aliud fere nihil ſit, quam *feſtus dies*. Et probatur primo, quia quod Deut. 16. verſ. 8. dicitur *collecta*, alibi deſcribitur *feſtus dies*. Num. 28. v. 25. Leuit. 23. verſ. 8. Exod. 12. verſ. 16. & clarè quod 2. Paral. 7. v. 9. *collecta eſt*, id 3. Reg. 8. v. 65. *dies feſtus* eſt. Secundo, quia Hebraicum nomen eſt עצרת quod à continendo, coercendo, B & circumſcribendo ducitur. At eadem Græci nominis ἑορτὴ notatio eſt, ab εἵργειν videlicet, quod valet *ſeptis coercere* ac *circumſcribere*. Tertio, quia idcirco videtur hoc vnum nomen duobus iſtis *cœtus* atque *collectæ*, noſter Interpres vertiſſe Leuit. 23. verſ. 36. Quarto, quia veriſimile non eſt Salomonem, qui magnificentia opulentiaque tanta templum exædificarat, hecatombas tot & tantas obtulerat, populoque dederat, voluiſſe tunc ſtatim ſtipem à populo exigere, cauponiſque inſtar, ilico dari epuli preciũ poſcere. Quin- C to, docent Iudæorum veteres commentarij pecunias in templi vſus, aliaſque id genus publicas neceſſitates colligi ſolitas die primo menſis 12. Sexto. Quia ferè ſemper, vbi *betſereth* iſta præcipitur, adiungitur, quædam veluti expoſitio, *vt ab operibus ceſſetur*. Septimo. Quia ita Rabbini & è noſtris bonus auctor docet Paulus Burgenſis in Leuit. 23. & alij. Neque obſtat, quod contra hunc obiicit Replicator; dici *collectam Domini*, non *populi*. Eſt enim *Domini*, quia in Dei honorem, cui certi id genus dies ſacrãtur; illa fit. Vn- D de & Hebraicum verti poſſet, *collecta Domino*, ſeu *feſtus, qui Domino eſt in gloriam*. Aliud obiici fortè queat, quod eam vocem vertant ſemper 70. ἐξόδιον. Sed hoc non tam obiectio, quã quæſtio eſt, quæ in opinionum ſuperiorum qualibet locum habet. Significat enim Græca illa vox vel *egreſſum*, vel egreſſiunculam. & quid ea vel ad templi, vel ad egentium pecunias? quid vel ad terræ fruges, vel ad diuinarum laudum celebrationem, feſtique diei agitationem? Enim- E vero dicunt aliqui, ad feſtum ſpectat, quia feſti alicuius, quod diebus pluribus agitatum, exitus & veluti coercitio atque clauſula eſt. Sed 2. Paralip. 7. non fuit Salomoniæ illius celeberrimæ dedicationis exitus, ſed vel medium, vel poſterioris certè hebdomadis encæniſticæ principium. Deinde cum alibi ἐξόδιον tantum dicatur, ei additur Deuteronom. 16. ἑορτὴ, non vt ſit ἐξόδιον τῆς ἑορτῆς, *egreſſus* ſeu *clauſula feſti*, ſed *egreſſus & clauſula feſta*. Nihil dum tamen melius video, niſi forſan hic ἑορτὴν adiectam dicamus, per epexegeſin, vt aut ipſemet 70. aut alij quidam in verſio- F ne alia, vel margine, vnde in textum poſtea illata ſit; explicare voluerint quid tam Hebræo עצרת quam Græco ἐξόδιον ſignificetur, aliud ſcilicet nihil quam ἡ ἑορτὴ, ſiue feſtus dies. Hoc tamen, quod feſtorum omnium generale nomen eſſe poteſt, in aliquibus hæret propriè. Nam paſſim hodie per *collectæ* diem à noſtris intelligitur octauus Tabernaculorum dies. Sed à Rabbinis hodie ipſi etiam feſto pentecoſtes tribuitur, vt cum in temporum canonibus aiũt. Ne in æternum gahatz עצרת, id eſt, dies pentecoſtes nunquam ſit feria tertia, quinta, ſeptima, quia ſcilicet ex alio ipſorum canone, ſem-

per

Digitized by Google

per feria paſchatis altera, quæ menſis primi eſt dies XVII. eſt eadem feria quæ pentecoſtes. Eademque appellatione hunc ipſum pentecoſtes diem à veteribus affectum perſpicuè monſtrat libro 3. cap. 10. Ioſephus. dum ſcribit τῇ πεντηκοστῇ ἣν ἑβραῖοι ἄσαρθα καλοῦσι. Repete, quod lib 1. cap. 4. in extrema quæſt. XI. contra Lydyat notatū.

Septima. *Cur ſeptem azymorum dies, non plures aut pauciores à Domino inſtituti?* Quemadmodum in 40. annorum, quibus in tabernaculis vixerant Iſraelitæ, memoriam inſtituit Dominus dierum ſeptē ſcenopegiā: ita & iam ad totius temporis, quo ex Ægypto excedentes azyma ederant, recordationem; dierum iſtorum hebdomadem voluit. Eſt in iſto numero myſterij figuræque aliquid, de quo S. Paulus Heb. 4. Nazianzenus orat. 44. de pentecoſte, & orat. de 7. Machab. D. Bernardus ſerm. 15. in Cantica. V. Beda in cap. 6. Actuum, Philo lib. de vita contemplat. Tacitus libro 5. hiſt. Cenſorinus c. 5. alij plures à me citati, q. 7. in Tob. 12. Et fatetur etiam 1. Cor. 5. verſ. 8. Beza ſuprà citatus q. 3.

5. *An ſatis eſſet azymorū diebus zymiten non edere?*

Duo ſunt, quæ in quæſtionem hic vocari poſſunt. Vnum, *an azymorum præcepto ſatisfaceret, qui zymiten iis diebus quidem non ederet, ſed neque azymum: verum ab vtroque panis genere abſtineret?* E Rabbinis reſpondet Raſchi tria. *Primum*, ſemper à fermentato abſtinendum. *Secundum*, neceſſario cum paſchali agno edendum azymū. *Tertium*, aliis diebus omnibus, ſi quis alios tantum cibos ſumere velit, fas eſſe: neque neceſſario azymum iungendum. Sunt autem ex hiſce tribus priora duo certiſſima: ſed tertium negat Exod. quæſt. 2. Abulenſis. & merito. Quemadmodum enim Exod. 12. verſ. 8. & 18. dicitur, *Et edent carnes nocte illa* (diei ſcilicet 14. vel 15.) *& azymos panes*: ita etiā dictum eſt. v. 15. *ſeptem diebus azyma comedetis*. Num. 28. verſ. 17. *ſeptem diebus veſcetur azymis*. Deut. 16. v. 8. *ſex* (cur hic non *ſeptem*, expoſitum antea q. 4. obie. 1.) *diebus comedes azyma*. Et ratio ſumi poteſt ex azymorum inſtitutorum cauſis antea quæſt. 3. Alterum eſt; *An iiſdem ſeptem diebus, in domibus fermentum, fermentatumue panem tolerare, vel aſpicere non liceret?* Sane vero hæc ſcripturæ verba ſunt. Exod. 12. verſ. 15. *In die primo non erit fermentum in domibus veſtris*: Hebraicè, *ceſſare facietis fermentum de domibus veſtris*. Et verſ. 19. *Septem diebus fermentum non inuenietur in domibus veſtris*. c. 13. verſ. 7. *Non apparebit apud te aliquid fermentatum, nec in cunctis finibus tuis*: Hebraicè verbotenus: *Non videbitur tibi fermentum, & non videbitur tibi vetus fermentum in omni termino tuo*. Deutero. 16. verſ. 4. ſimiliter. *Non apparebit fermentum in omnibus terminis tuis ſeptem diebus.* Tam accuratè ſcilicet tamque ſerio voluit Dominus præteritæ maiorum acerbitatis memoriam perpetuo innouari, & reapſe ſentiri. Et hoc hodie adeo adhuc ſuperſtitioſè ſeruant Iudæi, vt menſis primi die XIV. antequam mactationis agni hora inſtiterit, diligentiſſime totam domū ſuam obeat quilibet Paterfamilias, accenſaque etiam candelā, curioſiſſimè luſtret, rimeturque angulos & penetralia omnia, ne quid vſpiam ſordiū, aut fermenti latitet: pœne vt in fatuæ Deæ ſacris amentes olim Romanorum mulieres, dum, vt

A ab illis maſculum omnem arcerent, maſculorum etiam brutorum imagines tegebant, & ne ſeſe aliquis forte aliquo in foramine illatebraſſet maſculus, ſtudioſiſſime caua ſcrutabantur omnia, prout auctores ſunt in quæſtionibus Romanis Plutarchus, Seneca in epiſt. Lactantius, Gyraldus.

6. *Quæ in iiſdem diebus eſſe debeant ſacrificia?*

Deſcripta ſunt clare ſatis Numer. 28. v. 19. 20. 21. 22. 23. 24. Nam ſingulis diebus erant.

B

- 1 — 1 Sacrificia quotidiana, *matutinus & veſpertinus agnus.*
- 2 — 2 *vituli duo*, in holocauſtum.
  - 3 *aries vnus.*
  - 4 *agni ſeptem.*
  - 5 *ſimila oleo conſperſa.*
  - 6 *decimæ tres, per vitulos ſingulos.*
  - 7 *decimæ duæ per arietem.*
  - 8 *decima decimæ per agnos ſingulos.*
- 3 — 9 *hircus vnus pro peccato.*

7. *An, qui azyma edebant, puri & incontaminati eſſe debebant?*

Duplex opinio. VNA quidem negat, quam in
C Matth. 26. amplexus eſt Maldonatus: affirmat. ALTERA, quam in Catena D. Thomas, & apud eū Alcuinus tradiderunt. & ſane, vt opinor, probabiliùs. Nam 1. Iudæi *noluerunt* Pilati *prætorium ingredi* Ioan. 18. v. 28. *vt non contaminarentur, ſed vt manducarent paſcha.* Quod? non agnum. quia erat pridie manducatus. vt ſuprà q. 29. probatum. Ergo alios quoſdam cibos non vſitatos & quotidianos, vt patet, quia ſic alioqui nunquā non mundi eſſe debuiſſent. Hi autem cibi vel erant paſchales victimæ, de quibus ſuperiore
E 6. q. aries videlicet & agni 7. cum hirco, qui ex lege Leuit. 6. verſ. 26. in ſacerdotum vſum totus pene cedebat, vel azyma. Et ſane tā facile, tamque apte potuit illis hoc paſchatis nomen accommodari quam azymorū diebus, qui omnes, vti dictū q. 15. *Paſcha* vocantur Actor. 12. & forſan Ioan. 18. v. 39. Nam ſi iſti Paſcha, quia eorū initium ab agni eſu eſt, vel quia ii ad eiuſdē rei aliquam commemorationem ſpectant, cur non & hoſtiæ illæ? Sed quia vnde certò probari
E poſſit, eas ita vocari, locus nondum comparet, ſatius fuerit per illam paſchatis māducationem intelligere *azymorum eſum*. Et confirmatur è textu Syriaco, in quo ad verbum eſt. *Ipſi non aſcenderunt in prætorium* (lapretorin) *vt non pollurentur ad comedere ipſos petſcha.* id eſt, *dum comederent paſcha, ſiue quandiu comederent paſcha.* 2. *Crederem*, ait Maldonatus, *ſi vllo exemplo, aut auctoritate probaretur.* Exemplum igitur do, formulam ſolennem, qua quilibet Iudæus Paterfamilias ad azymorum eſum domeſticos ſuos quotannis inuitat & hortatur. In ea, perſpicue *paſchatiſmus* vo-
F catur azymorū eſus, ideoque & azyma paſcha ſunt. Ea vero formula eſt apud Ram bā to. 1. l. 3. *helacah* 1. & in magno præceptorū l. in helacoth *haſchebathoth chamets* & ſeq. f. 118. 119. è quibus mēda, quæ in Scaligeriana formula l. 6. f. 536. poſſūt corrigi: iidēq; Iudæi quatuor illa vini pocula, quæ in paſchali cœna exhauriūt, vocant etiam *paſchata*, vt oſtenſū ſuprà q. 24. ſub finem. Atque hinc, ſi Chriſtiani doctores quęſtionis initio laudati non ſatis idonei putātur; Rabbinorū (quæ quoad Hebræi verbi vſū, in re præſertim, quæ ad

Digitized by Google

Chriſtiani Euangelij explicationem contra ipſos valet, contemni non debet (auctoritas habetur, ſicque quoad vtrumque, quod requirebatur, ſatis opinor Maldonato factum. 3. Addi tamen & Nouatorum, non auctoritatem, ſed qualemcumque ſententiam, ob alios præſertim Nouatores, qui contra etiam pugnant. Iunius & Tremellius in Ioan. 18. *Azymos panes Deus,* aiunt, *per dies 7. in ſanctimonia edi præceperat.* idemque in Ioannis loco illo antea citato ſynecdochen conſtituunt, vt ſcilicet azyma vocētur *paſcha, quia cœnæ paſchalis pars quædam ſunt.* 4. cum dicit Apoſtolus. 1. Cor. 5. verſ. 8. *Itaque epulemur non in f. v. neque in f. m. & n. ſed in azymis ſynceritatis & veritatis;* nonne videtur ſignificare, azymos in ſanctitate panes edendos fuiſſe? Loquitur enim de tēpore, quod poſt agni paſchalis immolationem ſtatim eſt. Ideo enim cum dixiſſet, *paſcha noſtrum immolatus eſt* CHRISTVS, per modum concluſionis ſubiecit. *Itaque:* &, pro *epulemur,* in Græco eſt, ἑορτάζωμεν: & in Syriaco, *feſtū diem azymus.* fermento autem malitiæ, quod eſt חמץ רעה opponit *azyma ſynceritatis,* & fermento nequitiæ, *azyma veritatis,* ſeu vt in Syriaco eſt, *azyma ſanctimoniæ.* & oppoſitionis ratio ita *veritatem* ſumi oſtendit. vbi obiter notandum in Bibliis Regiis inſigne mendum. Nam in Hebraico textus Syriaci charactere poſitū, ella babachemira *ſed in fermento* pro eo, quod rectè in Syriaco ipſo legitur, *ella bapathira,* id eſt *ſed in azymis.* 5. denique confirmatur ex eorum ſolutione, quæ magnum illum virum vinxerunt. *Nec Lex,* ait, *de ea re quidquam ſtatuit, nec id vlla Iudæorum traditione introductum* credendum eſt. *De lege,* prout nudè in textu legitur, equidem do, nihil propriè de hac azymorum ſanctitate præceptū: prout tamen *lex* rectè intelligitur, videtur generatim præceptum. Nam azymo erant ſacrum quidpiam, ſacram ſignificationē habētia, erantque veluti quædam paſchalis agni, cæterorumque paſchalium ſacrificiorum appendix. Cur ab eorum igitur vſu non arcerentur maculæ, ſordeſque omnes? Et ſanè hoc adhuc hodie præ ſe fert tanta illa Iudæorum cura, quantam in azymis ſuis puriſſimè pinſendis, coquendis, & conſeruandis adhibent. Nam 1. etiā egentiſſimi quique puriſſimū triticū ſtudioſiſſimè conquirunt: *deinde* in ſacculis mundè admodū recēterque lotis id aſſeruant. 3. lapidem molarem, quo illud molendū, diligentiſſimè perpurgant, imo, cum licet, eius inciſionem nouam recentemque faciunt. 4. Farinam inde ſacram vocant, & in mūdiſſimos ſacculos recondunt. Ad eam pinſendam biduo ante paſcha, poſt ſolis occaſum, quilibet Paterfamilias aquā è fluente, ſi poteſt haurit, vaſiſque mundiſſimis cuſtodit. 6. Qui alium ſibi panem à Chriſtianis piſtoribus pinſi aliâs patiuntur, hunc vnum ipſimet volunt pinſere. ne prophanis, vti miſerè opinantur, manibus contigatur. 7. Cum Chriſtianorum furnis vtūtur, illum ad hos afferunt mundiſſimis linteolis obtectum. 8. Semper aſtant, quoad in furnum inferatur, quandiuque illic manet atque coquitur: ſedulamque operā dant, ne quis aut Piſtor, aut alius ſtudio aut caſu, panes eos vel leuiter attingat, 9. E furno receptos ruſum mundiſſimis pannis obtectos domum referunt, ſicque quam poſſunt mundiſſime in hebdomadis totius eſum recundunt. Hæc autem cum in lege nuſquam ſint, è traditione apud ipſos vigere, dubitari cur poſſit, nihil eſt, *Sed fuiſſet,* ait idem auctor, *Iudæis intolerabile, ſi non niſi mundi azyma edere potuiſſent, cum tam multis, tam leuibus, tam paſſim occurrentibus rebus contaminarentur, vt vix ſe diem vnum mundos ſeruare poſſent: dies autem azymorum ſeptem eſſent. Quo tempore quiſquis fermentato vteretur pane, mortis reus erat Exod. 12. 15. Quod ſi contaminati, azymo veſci non poterant, cum tam frequenter tamque multis contaminarentur rebus, quod quæſo homines quotidiè, etiam feſtis diebus damnandi fuiſſent?* Reſpondeo *primò* de ingreſſu in Prętorium, aut in Gentilis domum Act. 11. non eſſe ſimiliter diſertè in præceptis diuinis vetitum, ſed traditionem dumtaxat Iudæis fuiſſe. *Secundò.* Si in Ioannis loco illo *paſcha* eſſet ipſe agnus paſchalis, potuiſſent tūc adhuc eum edere, quia illud mane, vt ibidem notatur; factum fuiſſet: Agnum verò ad veſperum, & nocte ineunte fas erat comedere, vti ſuprà declaratum quæſt. 31. Contaminatio autem, quæ ex Prætorij aditu extitiſſet, ad veſperum tantummodo fuiſſet, ita vt ante hanc vel in ipſa expiari poſſet Numer. 19. Aliud fuiſſet de his contaminationibus, quæ ſeptemdiali egebant luſtratione, prout expoſitum quæſt. 28. *Tertiò.* Veriſimile eſt, eos, illis ſeptem diebus cautionis, ſtudiique plus adhibuiſſe, ne vlla re pollui contingeret. *Quartò.* Si qua tamen, etiam cauentibus & nolentibus obtigiſſet pollutio, varij erant, quibus mundarentur, modi, vt luſtrationis aqua Numer. 19. & tot tamque crebræ manuū elutiones, quæ adhibitæ poſt modum ſunt Marc. 7. verſu 3. 4. *Quintò.* Iuris regula eſt, *pœnas eſſe reſtringendas.* Mortis autem pœna iis imponitur, qui fermento vterentur, iis autem nunquam, qui azymo, ſed puri, caſtique minus, vterentur. Non eſt ergo è difficili contaminationis fuga, colligendum, plurimos quotidie mortis damnandos fuiſſe. *Sextò.* Et vero mortis rei licet fuiſſent, non ea tamen neceſſario feſtis diebus afficiendi fuerunt. Potuiſſent enim iis azymorum diebus plecti, qui feſti non erant, ſuprà quæſt. 4. vel certè vſque ad azyma elapſa eorum differri ſupplicium, vt in *S. Petro* ab Herode Agrippa fiebat Actor. 12. verſu 4. Imo de iis, qui Dei cæremonias & cultum violare viderentur, nulla ducebantur religione, ſi vel feſtis diebus ſupplicium ſumerent. prout in CHRISTO Domino fecerunt. ſuprà quæſt. 29. ad 3. Nam in Iudæis CHRISTO Domino necem machinantibus tanta nulla fuit religio, quantam in Socrate nequando Athenienſibus fuiſſe narrat apud Platonem Phædo. Interroganti ſiquidem Phliaſio Echecrati, cur mortis in illum ſententiam tuliſſent, & non niſi longo tamen tempore poſt ei mortem intulliſſent; reſpondit, cum votiuam quotannis ad Apollinem Athenienſes nauim Delum mittunt, vrbem eos interea luſtrare, neminemque toto illo tempore, quo it, reditque nauis, publicè interimere: ſicet ob vētorum inconſtantiam, illud quandoque valdè longum eſſet. Ad ſummam; requiri ad azymos ſanctitatem

ſanctitatem non fuit intolerabilius, quam alia, quæ Moſaica lex iubebat, de quibus Auctor. 15.

8. *Quonam tempore, in terra promiſſionis, duce Ioſue, azymos & polentam edere cœperunt Iſraelitæ? quidque polenta?*

Fecit Ioſuanum Paſcha, vt ad totam Paſchatis naturam & diſputationem hactenus tranſierim, nunc ad eundem Ioſue redeo propius, & quæro, quidnam ſit, quod cap. 5. verſu 11. ſcribitur *Comederunt de frugibus terræ die altero azymos panes*, Quis *alter* iſte *dies*? Hoc in 70. correctis omiſſum: licet in Græcis exemplaribus quibuſdam legatur. Si textus, tum noſtrum, tum Hebræum conſulamus, ilico videre videbimur. Ederant Iſraelitæ paſcha die XIV. menſis primi ad veſperum, & die altero comederunt azymos. Nonne igitur ipſo die XV. Clarior etiam Hebræus, diſertè dicens, *poſtridie paſchatis, quod die XIV. ad veſperum mactatum comeſtumque fuerat.* Nihilominus tamen, eſſe potius XVI. ſuadere videntur aliqua. *Primò*, XVI. dies vocari ſolet poſtridianus Paſchatis ea ipſa phraſi, vt ſuprà dictum quæſtione 4. ad obiectionem quintam. *Secundò*, quia ante diem eundem XVI. veſci nouis frugibus, nefas, quòd earum primitiæ in manipulo tunc offerentur, vt ibidem dictum. Vel enim vetuſtis ad azymos iſtos frugibus vſi ſunt Iſraelitæ, vel nouis. Si vetuſtis, eas vnde habebant? ſi nouis, contra legem de primitiis commiſiſſent. *Quatuor* itaque hac de re ſunt *opiniones*. *Prima* eſſe diem XIV. primi menſis. Ita in Calandario ſuo Samaritæ, vt quidem refert Scaliger libro 3. Iſagog. pag. 219. *Altera* opinio eſt, eſſe diem XV. Ita è noſtris Abulenſis capite iſto 5. poſt quæſt. 67. & Arias Montanus, è Rabbinis, Radak, & alij plures, atque vetuſtiores in Thalmud Hieroſolymitano *Sedera* 1. Meſachthta 9. cap. 2. folio 38. *Tertia* eſſe diem XVI. Ita è noſtris videtur ſentire Lyranus, dum polentam, quæ azymis panibus hic additur, è nouis granis eſſe vult *quorum fieret ſolemnitate*, vt ait, *paſchali oblatio*, die ſcilicet XVI. Sed è Rabbinis ita clarè ſentiunt Ralbag, & alij plurimi, ipſeque Babylonius Thalmud in Maſſechet, *Roſch haſſchanach* ca. 1. & hos ſecutus Caluinus in hunc locum fol. 21. Scaliger Iſagog. lib. 3. pag. 219. *Quarta* demum *opinio* Maſij eſt aſſenſionem ac ſententiam ſuſtinentis, *Vtra*, inquit, *ſententia verior ſit*, *incertum mihi eſſe fateor: & proinde rem in medio relinquo.* Et verò eandem ideo in præteritis reliquiſſe Patres S. Auguſtinum, Theodoretum, Origenum, Rupertum, ipſum etiam Ioſephum ſuſpicetur forſan aliquis. Ego tamen ſilentij eorum cauſam potius exiſtimarim, ipſorum 70. ſilentium, de quo paulò ante. Cur verò ſiluerint iſti nihil habeo affirmare. Fortaſſis enim hoc in Hebræo non legerunt: fortaſſis legerunt, ſed vel ſilendi cauſam aliquam habuerunt: vel non ſiluerunt quidem, ſed quòd verius duco; ex eorum excidit conuerſione. Sed in *tribus illis opinionibus*, *mediam accipio*. vt hic geſtarum rerum ordo fuerit. Die XV. ad veſperum ederant Iſraelitæ agnum, & cum eo azymos, quos vel ex manna, cui fermenti nihil erat, vel è vetuſtis frugibus, quas ex transiordanina ſecum aliquas attulerant; conſecerunt. Et quia vt ſuprà dictum eſt; cœna hæc paſchalis ad diem XV. Iudaicè ſumptum ſpectabat, in reliquo cibo, qui eadem veſpera ſequi agnum poterat; & qui toto die XV. ab iis ſumptus eſt, azymos eoſdem, vt vſitatam mannam ſuam adhibuerunt. Die XVI. deſcendit, conſueto more manna: & hornarum frugum primitiæ Deo Optimo Maximo ſolenniter oblatæ: ſtatimque iniectis in maturam meſſem falcibus, quarum iis, è deuictis paulo ante vltra Iordanem regionibus, copia non deerat: cœperunt ex iiſdem hornis frugibus azymos panes, polentamque apparare. Rectè autem ac ordine dici hæc omnia oſtendo, quia hanc azymorum polentæque comeſtionem tamquam quid nouum, & è nouis frugibus, proponit ſcriptura. Cum enim ſuprà capite 3. verſu 15. *meſſem eſſe* dixiſſet, iamque dicat comediſſe *de frugibus* non ſimpliciter *terræ*, ſed vt in Hebræo indicat præfixum *he*, & in Græco articulus; *terræ illius*, ſatis indicat has fuiſſe nouas, & non è transiordanina delatas, ſed illic natas, & collectas fruges. Deinde vt omnis dubitandi recidatur anſa, ipſi 70. pro *polenta* poſuerunt νέα, id eſt, nouas fruges. ἔφαγον ἀπὸ σίτου τῆς γῆς ἄζυμα καὶ νέα, id eſt, *Comederunt è terræ huius tritico azyma & noua*. Neque quidquam contra efficit ingenioſa Radakij etymologia, עבור vocem (qua voce fruges iſtas notat verſu 11. & ſemel verſu 12. Hebræus textus) ſignificare *anni præteriti frumenta*, cum עבר ſit *tranſire* ac præterire. Nam ſignificat generatim vox iſta omne frumenti genus, ſiue antiquum, ſiue nouum ſit, prout primò ex Thargum intelligitur Iſaiæ 28. & 4. Regum 18. vbi pro *degan* ponitur *hibura*. Secundò, ex 70. qui hic σῖτον conuertunt, & ex iis Ioſephus libro 5. cap 1. Tertiò, ex Ioſepho in Chaldaicam linguam conuerſo, in quo *hibura* pro fruge omni ſemper eſt. Quartò, ex Rabbinorum aliorum ſententia, qui contra ipſum Radak generatim hanc ei nomini notionem tribuunt. Quintò, ſi etymologiis, de quibus ſuprà quæſtione prima, argumento tertio; agendum; poſſumus alias non minus probabiles afferre. Nam dici poteſt illo nomine frumentum, vel à tranſeundo quòd ſcilicet terræ ab hominibus mandatum per illam veluti tranſeat, & ad eoſdem multiplicato fœnore homines iterum redeat: vel ab impregnando & grauidando. Nam & hæc illius Hebræi verbi ſignificatio tritiſſima eſt, vt in *Thisbi* explicat Elias: adeo vt infans quamdiu in matris viſceribus eſt, vocetur *hober*, & mulier grauida *mehubereth*, imo *ſcanah*, ſiue annus embolimæus, quaſi, vt ait libro ſeptimo, folio 298. Scaliger intercalatitium menſem in ſe geſtet, tanquam mulier prægnans fœtum in vtero: & ipſe emboliſmus *bibbur* ab eoque, tanquam à præcipua parte, totus Hebræorum computus. Iam verò nonne ſecundo de legibus extremo ait Tullius *terram ferre fruges, & vti matrem, cibos ſuppeditare*? Ruſumque lib. 2. de natura deorum; *Terra*, inquit, *grauidata ſeminibus omnia parit & fundit ex ſeſe*. Quia igitur inter omnium, quæ ſic ex ſeſe parit, funditque grauidata tellus, præſtantiſſimum, maximèque neceſſarium habetur frumentum, ideo vniuer-

Digitized by Google

ſè nomen illud Hebraicum accipit. Et fortaſſis ab eo ipſo Hebræo, abiecta, vt fieri ſolet, grauiore difficilioreque prima littera, factum Græcum βρῶσις & βρόω, itemque Germanicum Brod. licet à *barah* quod eſt edere, & à *baruth*, quod eſt cibus; mallem. Præter hæc verò, ne legitimum primitiarum tempus edendo præuertiſſe putem, multum ne mouet ipſius Ioſuæ auctoritas, recentiſſima in promiſſam terram ingreſſio, eaque tam mirifica & fœlix, recentiſſima circumciſio, & paſchatis agitatio: nullaque vſquam vel minima ſubindicata reprehenſio. Nam primitiarum lege negligenda in Deum peccaſſent illi: & publicum iſtiuſmodi facinus non, ne admitteretur, auertiſſet Ioſue? non, admiſſum, acriter caſtigaſſet, ſeuerèque puniſſet? Denique ab hac ſententia ſtat Chaldaica Paraphraſis, dicens, facta hæc *poſt diem paſchatis bonum* ſiue *feſtum*.

Polenta verò quid ſit, dixi Iudith 10. quæſt. 3. ſed nota in vetuſtioribus Lyrani editionibus, verbi, cauſa, Argentinenſi anno 1501. vocari hic *granatam* quòd è granis recens excuſſis fiat: in poſterioribus verò, verbi cauſa, Lugdunenſi anno 1548. illud omitti, & eius loco ſubſtitui, *toſtum far*. Nam ex ſpicis, ſiue ipſarum granis igne toſtis fit: & quidem multo adhuc maiore celeritate, quam fiant azymi. Videri poteſt lib. 18. cap. 7. & 8. Plinius, Seneca epiſtola 18. lib. 2. & in Ruth. cap. 2. quæſt. 25.

Terra verò *Chanaan* dicitur hic à 70. γῆ τῶν φοινίκων, Exod. 16. verſu 35. γῆς φοινίκης. Vnde in Origene hom. 46. & aliis vertunt quidam interpretes, *regionem palmarũ*. nec malè, ex ipſius quidem Origenis mente, qui allegoriam inde texit. Sed vide cap. 2. quæſt. 4. cap. 1. quæſt. 5. & ſequentibus.

QVÆSTIO XXXV.

Quando ceſſauit manna?

COMPLVRES de manna quæſtiones expoſitæ ſunt Exod. 16. ſed hæc loci huius propria eſt, ad quam ſi annus ſpectetur; patet ex dictis hactenus, præſertim cap. 3. par. 3. quæſt. 2. quidnam dicendum ſit: ſin menſis & annus; ita reſpondet verſu 12 textus. *Defecitque manna poſtquam comederunt ac frugibus terræ*. Verum duplex cogitari poteſt mannæ ceſſatio. Vna, vt cœlitus deſinat cadere: altera, vt in rerum natura eſſe deſinat. Fuerunt ergo Rabbini in Thalmudicę *futa thoſaphta*, & in *Mechilta*, qui moriente Moyſe, mannam priore modo aiunt ceſſaſſe: Iſraelitas tamen ita illius congeſtu vaſa ſua compleſſe, vt ad hoc vſque tempus iis ſuſtentandis fuerit abunde ſatis: ſicque non tandem poſteriore etiam modo illam ceſſaſſe, cum Chananæum panem edere cœperunt. Operæ fuerit pretium audire Iudaicum Seder holam cap. 10. *Tres*, ait, *præſtantes paſtores & nutritij aſtiterunt Iſraelitis nempe Moſes, Aaron & Maria. Tria inſignia dona illorum interuentu conceſſa ſunt, Puteus, columna nubis, & Manna. Manna quidem Moſis columna nubis Aaronis, Puteus Mariæ meritis* (Vnde) *mortua Maria, ſublatus eſt Puteus, recuperatus tamen poſtea meritis Aaronis, & Moſis. Mortuo Aarone, diſparuit nubis columna, etſi poſtea ſit illius Moſis merito reddita. Mortuo Moſe, perierunt tria hæc, nec recuperata. Nam ſcriptum, & Excidit tres paſtores menſe vno. Et ſi enim menſe vno eodemque denique tres hi minime ex hac vita migrauerint, ſed eodem potius anno* (*Maria quippe fatis conceſſit decimo die Niſan, Aaron primo Ab, Moſes, ſeptimo Adar*) *tamen quoniam, quo die mortem ſubiit Moſes, tria iſta interciderunt, vt non amplius apparuerint, tres paſtores, vno dicuntur menſe exciſi. Qui intereà collegerant Manna ſeptimo die Adar, eo vſi ſunt vſque ad decimum ſextum Niſan. Legitur enim, defecitque Manna poſtquam comederunt de frugibus terræ, nec fuit vltra filiis Iſrael Manna, ſed comederunt de frugibus præſentis anni terræ Chanaan: Atque hinc exponi poteſt quod commemoratum fuerat in Exodo, filij autem Iſrael comederunt Man, quadraginta annis donec venirent in terram habitabilem, id eſt, vſque ad diem mortis Moſis. Illo enim die deſiit Manna de cœlo deſidere. Hoc autem cibo paſti ſunt, quo vſque tangerent fines terræ Chanaan, id eſt, vſque ad illum diem, quo in ipſorum manibus conſumptum eſt Manna.* Sed perinepta hæc opinio eſt. Primũ. quia vltra diem vnum, niſi ſi Sabbatum ſequeretur conſeruari Manna non poterat, Exod. 16. verſu 20. & 29. aut verò niſi exiguum quid, ad miraculi tanti demonſtrationem, ſeponi Deus iuſſiſſet, magnoque deinceps miraculo ab omni putredine cuſtodiiſſet. eodem cap. verſu 33. 34. Secundò. quia verbum Hebraicum, quod hic noſter vertit, *defecit*, non poſteriorem ceſſationem, qua quidpiam omnino eſſe deſinit, ſed eam, qua facere deſiſtit potius ſignificat, prout contra illos hic Ralbag annotat. Eſt enim שבת à quo *Sabbathum*. Tertiò ſtudioſè videtur huius libri auctor explanare voluiſſe id, quod in Exodi capite 16. verſu 35. ſcriptum eſt. Nam cùm illic prius dixiſſet Moyſes, Mannam ſolitam ſingulis diebus pluere, neque vltra diem poſſe conſeruari eo ipſo quòd additum ſtatim eſt, *Iſraelitas comediſſe, vſque ad fines terræ Chanaan*, ab affectu ſatis monſtrata eſt cauſa, ſiue à poſteriori prius, ab eſu inquam, pluuia illa cœleſtis. Quartò ſi moriente Moyſe finem hoc habuiſſet, quomodo, nuſquam, dum illius mors, laudeſque in ſcriptura recenſentur, mentio vlla facta? Nam ſi non in Deuteronomio, certè in huius libri principio, & alibi ſæpius, ſi non explicari, attamen inſinuari aliquid potuiſſet, cum longe maius foret delapſum illum mannæ, quam eiuſdem eſum conquieſcere. Statuendum igitur, quod & Chriſtiani, & Rabbini alij omnes e textu iſto rectè intelligunt, nunc omnium primò vtrumque illud ſimul deſiiſſe, delapſum inquam & eſum mannæ. Sed cum, ait textus Græcus, μετὰ τὸ ἐκβρωθῆναι, & noſter *defeciſſe poſtquam comederunt terræ huius fruges* quanto tempore, *poſtquam comederunt*? Ipſe loquendi modus indicat, ſtatim atque alios iſtos cibos vniuersè guſtarunt factum à Deo finem alterius illius angelici. Diſertè tamen in Hebræo tempus annotatum eſt ſic. *Et ceſſauit man poſtridie, in edere ipſos de frugibus terræ huius*. Sed iſtud, *poſtridie*, cuiuſnam diei poſtridie eſt? *Duæ* opiniones. *Prior* Maſij, eſſe poſtridianum ipſius Paſchatis. *Quia de eodem*, ait, *die loquatur hic verſiculus, de quo*

præcedens

præcedens, ſiue eum fuiſſe 15. ſtatuamus, ſiue 16. mihi nulla eſt dubitatio. Eademque Abulenſi ſententia eſt in huius libri capite 1. quæſt. 68. & cap. 2. quæſt. 58 & 61. vbi conſtanter aſſerit, menſis primi die 15. ceſſaſſe manna, licet inquirendo per deſiunctionem dicat quæſt. 58. *die* 15. & 13. vbi tamen reponendum 15. pro 13. ſicuti & q. 57. pro 18. *Poſterior* eſt Vatabli & Rabbinorum eorum, qui rectè, non vnâ cum Moyſe docent mannæ imbrem interiiſſe. Hi poſtridianum aſſerunt dici, quo primitiarum manipulus oblatus: ita vt menſis die 17. mannæ ceſſatio fuerit. hiſque aſſentiri me ſubindicauit ſuperior quæſtio 31. Nam non prius ceſſauit manna, quam è terræ illius frumento edi cœptum. Non autem prius cœptum, quam eius ſpicæ primæ Deo datæ. Non autem datæ *ante* conſuetam ſacrificij quotidiani horam: id eſt, ante diem paulo adultiorem. Sed manna noctu delabebatur, & oriente ſole colligebatur, vti quæſt. 5. in Exodi 16. expoſitum. Ergo die 16. adhuc deſcenderat, & collectum fuerat manna. Poſt primitias verò illas libatas, è ſegete deinceps eſitatum: ſicque non niſi huius 16. poſtridie potuit mannæ finis eſſe. Et confirmatur primo. quia in Hebræo non dicitur, vt antea, *poſtridie paſchatis*; ſed *poſtridie*, quod ſine dubio intelligendum, reſpectu illius dici, de quo immediatè ſermo fuerat, vt alibi ſemper. verbi cauſa Iud. 9. verſu 42. Sed fuerat de poſtridiano paſchatis. Ergo poſtridiani huius poſtridie defecit manna. Secundò. idipſum etiam ſatis in eodem Hebræo textu exprimitur, dum dicitur, *poſtridie in edere ipſos*, aut verò, quia ſic, minus commode cernitur *præteritum*, quo in modo infinitiuo carent Hebræi; *in ediſſe ipſos*, id eſt, vt noſter, & 70. ſuprà citati ſignificarunt; poſteaquam ediſſent. Atque hic intelligitur *primò*, quomodo intelligendus ſit verſus 35. cap. 16. Exodi. *filij Iſrael comederunt Man 40. annis, donec venirent in terram habitabilem*: hoc cibo aliti ſunt, vſquequo tangerent fines terræ Chanaan. vbi in Hebræo pro *donec*, & *vſquequo*, vnica eſt particula *had*, ſic, *vſque ad venire ipſos in terram habitatam comederunt man: vſque ad venire ipſos ad extremitatem terræ Chanaan.* id eſt, eandem ob cauſam, quam in Hebræis infinitiuis paulò ante dixi; *quoad veniſſent*: non vt primo ſtatim momento, vel die dum terram illi vt & eius extremitatem attingerent, confeſtim mannam edere deſinerent: ſed quod tum deſinerent, cum primò per frugum terræ copiam, Deique per leges & annutum liceret. Intelligitur *ſecundò*, quomodo accipiendum ſit, quod aiunt Sanctus Auguſtinus quæſtione 63. in Exodum, & Origenes homil. prima in Ioſue, mannæ cibum Iſraelitis ademptum, ſtatim atque Iordanem tranſierunt. Breue ſiquidem tempus ſignificatur, cuiuſmodi vna eſt hebdomadas, ſi præſertim ad annos 40. quibus alimonia illa vſi ſint: comparatio quædam inſtituatur.

QVÆSTIO XXXVI.

Cur tum ceſſauit manna?

TRES cauſæ afferuntur. *Prima.* hic à textu. *quia comederunt Iſraelitæ de terra frugibus.* vbi
ſuſpicabitur forte quiſpiam, comedendo pec-
A caſſe illos, ideoque hanc iis tam nobilem eſcam
ſubductam. At non ita eſt. Nam rectè rationi
conuenienter, & de ipſius, vt exiſtimare eſt;
Ioſuæ conſilio ac voluntate, ad eos, quos terra
ipſis præberet cibos, ſeſe contulerunt, prout
intelligetur ex ſequente cauſa, itemque ex eo,
quòd à ſcriptura nuſquam hoc nomine accu-
ſentur. etſi forte quorumdam fuerit appeten-
tia vehementior, gulaque effrænatior, cum
eorum parentibus videamus cœleſtem cibum
B præ viliſſimis ſordidiſſimiſque cepis, porris, &
aliis faſtidio fuiſſe Numer. 11. verſu 5. & 6. *Se-
cunda* igitur cauſa eſt; panis, quem natura hu-
manaque induſtria largiretur, præſens iam co-
pia. Cum enim ob diuturnas in vaſtiſſimis ſo-
litudinibus oberrationes, extrema illius penu-
ria eos preſſiſſet, miraculo eos paſcere digna-
tus eſt Dominus; Exod. 16. idque in tranſior-
danihis etiam regionibus continuare, vel quia
tanta non ſuppetebat copia, quanta tantæ mul-
titudini ſatis eſſe poſſet, vel certè quia iis in iti-
C nere adhuc poſitis de cibo curam leuiorem fa-
cilioremque eſſe voluit. Nunc verò cum ad
itineris metas peruentum, frumentoque agri
eſſent omnes onuſtiſſimi, æquum fuit, vt ſu-
pernaturale deſineret ſubſidium, vbi naturale
tantum adeſſet; vide quæſt. 59. Abul cap. 2. &
60. *Tertia* eſt quædam ſignificatio, quam ho-
mil. 6. perſequitur Origenes, & clarius Roper-
tus lib. 1. cap. 17. in hæc verba. *Manna, quo in
deſerto præſentis ſæculi paſcimur, donec ad beatam
perueniamus patriam, vbi in conſpectu vel præſentia
D Dei epulabimur, & exultabimus, atque in lætitia de-
lectabimur, verbum Dei eſt, ſcriptura ſancta eſt.
Quod breuiter innuens Moyſes, cum dixiſſet: afflixit
te dominus penuria, & dedit tibi cibum manna, quem
ignorabas tu & patres tui, continuo ſubiunxit: vt
oſtenderet tibi quod non in ſolo pane viuat homo, ſed
in omni verbo quod progreditur de Ore Dei. Hoc man-
na hunc panem Angelorum, vt manducaret homo,
ſemel quidem Deus portas cœli apperuit, vt in terram
noſtram illud carnem factum mitteret, & ſolis angelis
hactenus vſitatum, nobis quoque paruulis, ac penè eden-
E tulis, manducabilem faceret. vnde & dicit: ego ſum
panis viuus, qui de cœlo deſcendi, &c. Cæterum &
quotiens Apoſtolorum, & Prophetarum ſiue etiam
doctorum Spiritus Sanctus ora aperit, ad prædican-
dum ſalutis verbum, ad reuelanda myſteria ſcriptu-
rarum, portas cœli aperit Dominus, & pluit nobis
manna ad manducandum. Quamdiu per hoc deſertum
huius ſæculi incedimus, quamdiu per fidem & non
per ſpeciem ambulamus, nimirum iſtis alimentis in-
digemus. Paſcimur mente legendo, vel audiendo ver-
bum Dei, paſcimur & ore manducando de menſa do-
F mini panem vitæ æternæ, & bibendo calicem ſalutis
perpetuæ. At vbi venerimus ad illam terram viuen-
tium, in illam beatam Syon, vbi in ſua ſpecie videbitur
Deus Deorum, neque verbo doctrinæ indigebimus; ne-
que in iſtis ſpeciebus panis & vini, ſed in propria ſub-
ſtantia videndo panē angelorum manducabimus. Igi-
tur poſtquam comederunt fruges terræ, defecit manna;
quia videlicet poſtquam venerit quod perfectum eſt;
euacuabitur quod ex parte eſt.*

Digitized by Google

mas 3. p. quæſt. 60. & notat Soarez tomo 3. diſput. 1. ſectione prima & diſput. 74. ſectione ſecunda. Cum verò duplex Chriſti Domini ſacrificium Sancta Catholica profiteatur Eccleſia, *cruentum* ſcilicet in cruce, & *incruentum* in Euchariſtia : ſimiliter etiam paſchalis agnus CHRISTI, quâ duplici iſto modo ſacrificium eſt; figura & typus exiſtimandus, ſicque tripliciter Chriſtum Dominum agnus ſignificauerit. *Primo*. quâ fuit Chriſtus Dominus ſacrificium cruentum. *Secundo*. quâ incruentum. *Tertio*. quâ cibus & Sacramentum Euchariſtiæ.

Et *de primo* quidē, id eſt cruēto ſacrificio, aſſentiuntur hodierni noſtri hæretici: & ſi negarent, poſſent vel ex vno illo citato Ioannis loco cap. 19. reuinci. Sed ad Iudæos CHRISTO ipſi lucrifaciendos valere poteſt ac debet plurimum, quod ſuper Exodi ca. 12. Eugubinus & ex Thalmudico Tractatu *Roſch haſchanah* refert hoc loco Maſius hiſce verbis pag. 92. *Hoc vnum addam memorabile ſanè. quod in Thalmude ſcriptum reperi, vbi de anni principio diſputatur: Celebrem fuiſſe, & veterem opinionem apud priſcos Iudæos, qui dies vertentis anni Iſraelitis fuiſſet libertatis Ægyptiacæ initium: eundem olim ipſi fore initium quoque libertatis quam eſſent à Meſſia recepturi. Quam id autem pulchrè cum noſtræ religionis conſentiat doctrina, nemo non videt. Adepti ſunt enim illi in Ægypto libertatem menſe primo medio; hoc eſt: cum luna ex aduerſo oppoſita ſoli toto ſuo luceret orbe. Chriſtus quoque eodem illo menſe, lunaque ſimiliter affecta, nobis ex cruce, libertatem ſua morte dedit.*

De *ſecundo*, id eſt, de incruento ſacrificio litigant hæretici. De *tertio*, id eſt, de cibo & Euchariſtiæ ſacramento fere iidem annuunt, etiam Sacramentarij, vt Caluinus aliquo modo in hoc ipſum Ioſuæ 5. fol. 20. & perſpicuè Lauaterus in 2. Paralipom. cap. 30. fol. 184. Et, ſi negarent; poſſent ex Patribus quamuis copioſè probari ex Tertulliano lib. 4. in Marcionem, ex Chryſoſtomo hora de proditione Iudæ, & in 2. Corinth. homil. 11. Iſichio in cap. 23. Leuit. Hier. in 26. Matt. Cypri. lib. de vnitate Eccleſiæ, Auguſtino lib. 2. contra literas Petiliani cap. 37. S. Leone ſerm. 7. de paſſione domini. S. Gregor. hom. 22. in Euang.

Illud verò *ſecundum* ideo negant, quia ſcilicet verum in Eccleſia ſacrificium incruentum putant nullum. Nam ſi putarent, quid eſſet aptius, quam vt quamplurimis modis, & quam perfectiſſimè figura veritatem, agnus ille vetus Chriſtum Dominum, & quâ verus animarum cibus eſt, & quâ vera cœleſti Patri victima cruenta & incruenta eſt, ſignificaret? At verò non putare, ſed credere ipſos oporteret huiuſmodi veram, abſque ſanguinis effuſione, quæ quidem tunc fiat; victimam. *Celebrato*, ait Tridentina ſynodus ſeſſ. 22. ca. 1. *veteri Paſcha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Iſrael immolabat, nouum inſtituit Chriſtus Dominus Paſcha, ſeipſum ab Eccleſia per ſacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum in memoriam tranſitus ſui ex hoc mundo ad patrem, quando per ſui ſanguinis effuſionem nos redemit, eripuitque de poteſtate tenebrarum, & in regnum ſuum tranſtulit.* Similia cap. 2. Sed quia Synodum iſtam pervicaces & degene-

A res filij reſpuunt, audiant cui ſe ſubſcribere profitentur; Epheſinam in declaratione Annathematiſmi 11. pag. 510. edit. Rom. contra Neſtorium. τὴν ἁγίαν ζωοποιὸν. καὶ ἀναίμακτον ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τελοῦμεν θυσίαν, οὐχ ὡς ἀνδρὸς τῶν καθ' ἡμᾶς καὶ ἀνθρώπου κοινοῦ σῶμα πιστεύοντες εἶναι τὸ προκείμενον, &c. id eſt. *Nos in Eccleſiis facimus ſacrificium ſanctum, & viuificum, & incruentum, non vnius eorum, qui nobis ſimiles ſunt, neque hominis communis corpus propoſitum eſſe credentes, ſimiliterque ſanguinem, ſed accipientes quaſi proprium corpus & ſanguinem Verbi omnia viuificantis.*

B vt interim iam omittam Sanctum Ignatium apud Theodoretum dialogo 3. Irenæum lib. 4. cap. 32. Tertullianum de oratione cap. 14. Cyprianum epiſt. 63. ad Cæcilium, Euſebium in vita Conſtantini lib. 4. Cyrillum Hieroſolymit. Catecheſi myſt. Sanct. Gregor. Nyſſen. orat. 1. de reſurrect. Domini S. Ambroſium epiſt. 33. in Pſalm. 38. de ſacr. cap. 6. Optatum Mileuit. l. 6. Epiphan. Epiſt. ad Ioannem Hieroſol. quæ inter Sancti Hieronymi epiſt. eſt 60. Sanctum Hieronymum aduerſus

C Vigil. & lib. 2. contra Pelag. S. Auguſtinum lib. 3. de anima & eius origine li. 9. Confeſſ. cap. vltim. lib. de hæreſ. in Aërio, lib. 20. contra Fauſtum cap. 21. lib. 10. ciuit. cap. 20. lib. 22. cap. 8. & ſerm. 32. de verbis Apoſtoli. Quin verò, ſi attentorum modeſtiorumque hominum perſonam pauliſper ſuſciperent, poſſent ex hoc ipſo immolati agni in Euchariſtici ſacrificij cognitionem ac fidem venire. *Primo* enim conſtat, ſi figuræ cibus ſacer ſit, multo magis veritatis cibum ſacrum eſſe, & quidem

D ſanctitate maiore, aut minimum certè pari. At veteris agni cibus ſacer erat, quia erat poſt illius immolationem, victima, ſiue caro immolatitia. Ergo & Euchariſticus noui verique agni cibus eſſe debet immolatius. Alioqui figuræ eſſet veritate ſacratior. Neque maior ſanctificandi ratio, quam cum per ſacrificium Deo res quæpiam offertur. Iam verò in vltima cœna, quando, antequam ſe in cruce Patri offerret, verum iſtum Paſchalem cibum manducauit Dominus, Apoſtoliſque manducandum porrexit,

E eratne cibus ſacer, an non? Sacer inquies. Qua inquam ſanctitate? Benedictionis, & precationis Chriſti Domini ſanctitate? At, ex ſuo genere, benedictio & precatio minor eſt ſacrificio, ideoque & ſanctitate minore fuiſſet ſanctus hic cibus, quam priſcus ille, qui ſanctificatus. Ne hoc igitur, quod abſurdiſſimū; dicere cogamur, credendum potius paſcha hoc noſtrum verum, in vltima cœna, quando ante cruentam ipſius Chriſti Domini immolationem, comeſtum eſt, verè immolatum iam & ſanctificatum fuiſſe. At

F cruentè non erat. Incruentè igitur. *Deinde* Chriſtus Dominus ideo paſchali agno veteri ſubiunxit ilico agnum Euchariſticum. Cur? An alio & tempore & loco feciſſe id non potuiſſet? Nemo dixerit. ſed eo nimirum & tempore, & loco id fecit, vt agnum agno, immolationem immolationi, cibum cibo reſpondere monſtraret: veteremque vmbram ipſa rei veritate aboleret. Confirmatur & hoc *tertio*. quia cum paſchalem hunc nouum cibum dedit Dominus, vel ſacerdotis officio functus eſt, vel non. Si ſacerdotis. ergo

cum tunc immolauit. Simon. ergo ratione officij ac efficientiæ (Non enim CHRISTI Domini perſonam cum priſcis illis ſacerdotibus confero) præſtantior fuiſſet cibus antiquus, vt patet ex dictis quæſtione 21. *Quarto* expendamus & circumſtantias. Die XIV. menſis primi ad veſperam vetus Agnus immolabatur & comedebatur. Eodem etiam die ad veſperam comeſus fuit nouus. nonne ergo & immolatus? Intra Hieroſolymitanam vrbem immolabatur & comedebatur vetus agnus. Intra eandem comeſus fuit nouus. Nonne igitur & immolatus? Et in templo quidem ille immolabatur: ſed quia dirui, ſuiſque cum ſacrificiis exſcindi, nouaque vbique templa excitari debuerant, primum ſacrificij Chriſtiani templum præſentia & ſacrificio ſuo conſecrauit Dominus, eam nimirum in qua tum recubuit, domum. Vetus agnus prima vice immolatus & comeſus fuit in tranſitus, futuri ſignificationem, iam illius, quo eos pertranſiret percuſſor Angelus, quam quo ipſi ex Ægypto in promiſſionis terram tranſirent. Altera verò vice ac deinceps poſtea ſemper, in præteriti vtriuſque tranſitus memoriam idem ritus ſeruatus. Sic & nouus. Nam in cœna vltima in futuri tranſitus, quo Dominus ex hoc mundo tranſiret ad Patrem, quoque nos omnes è diaboli ſeruitute in veram libertatem tranſiremus inſtitutus fuit: Poſtea verò in vtriuſq; tranſitus præteriti memoriam in Eccleſia perpetuò celebratus: Denique agnus vetus manducari poterat ac debebat à cuiuſcumque generis, ſexus, & conditionis hominibus, modo tamen & circumciſi eſſent, & mundi ac ſancti. cauſaque fuit, quia ſancta è ſancto ſacrificio eſca erat. Nouus verò agnus ab omnis etiam generis, ſexus, & conditionis hominibus edi poteſt, prius tamen eſſe debent baptizati, à peccatorum ſordibus mundi, & ſancti 1. Corinth. 11. nimirum quia ſanctiſſimi ſacrificij victima veſcuntur. Nam ſi de ſola cruenta CHRISTI victima loquamur, poteſt eam aliquis ante baptiſmum & ante peccatorum expiationem & condonationem fide manducare. Fides enim & baptiſmum & iuſtificationem, cuius pars & inchoatio eſt peccatorum expiatio & condonatio, antecedit. Manifeſtum igitur ex veteris agni accurata conſideratione intelligi veram veri agni in ſacra Euchariſtia immolationem ac ſacrificium. quod etiam ſancti nobis Patres tradiderunt. *Quando*, inquit Lucæ primo Sanctus Ambroſius, *ſacrificamus*, CHRISTVS *adeſt*, CHRISTVS *immolatur. Etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*. Gaudentius tract. 2. in Exod. Idem (ſcilicet agnus vnus CHRISTVS) *per ſingulas Eccleſiarum domos in myſterio panis & vini reficit immolatus, viuificat creditus: conſecrantes ſanctificat conſecratus. Hæc agni caro, hic ſanguis.* Rupertus libro 2. in Exod cap. 6. *Tandem*, ait, *quarta decima die, ad veſperam vbi illum paſchæ veteris agnum comedit cum diſcipulis ſuis, tunc ipſe noui ſacrificij agnus continuò capiendus & ducendus ad immolandum, iam in anguſtia paſſionis agonizans, prius propriis manibus Deo patri ſemetipſum immolauit, accipiens panem & vinum, &* A *mira atque ineffabili ſanctificationis potentia transferens corporis & ſanguinis ſui ſacramentum*. Sed pulcherrimè grauiſſimeque Sanctus Apoſtolus Andreas, prout in *Apoſtolis* citaui. Repetere licet ſuperiorem q. 33. vel potius ipſum, qui ibi citatus, adire Bellarminum.

QVÆSTIO XXXIX.

Quomodo paſcha ſuum hodie actitant Iudæi.

B QVIA Hieroſolyma vrbe, temploque carent miſeri Iudęi, Agnum, cui, vt ſuprà expoſitum quęſtione 25. locus ille debebatur, non ſacrificant, neque aut quaſi ſacrificatum, vetere more, aut etiam totum, nocte vna comedunt, iuxta regulam, quam in Exod. 12. quæſt. 44. notauit Abulenſis, ſed quę loco nulli alligata ſunt, partim vetera, partim noua, & à Rabbinis excogitata obſeruant. Hos ipſorum ritus breuiter in vnam veluti tabellam coniiciam.

C 1. Ante paſcha, diebus 8. vel 10. ſibi Paterfamilias quilibet triticum mundiſſimum ad azyma præparat, idque in ſaccis egregiè lotis ponit: lapide molari recens inciſo & perpurgato moli curat. *Iudæa gens*, ait in Pſalm. 39. Sanctus Auguſtinus, *hodie iuri Romano ſubdita, adhuc eſt cum ſigno circumciſionis & azymorum, vt Cain.*

2. Hebdomade ante paſcha, ſuppellectilem totam mundant: licet non totâ ſed propriis, eique diei quaſi dicatis, in paſchate, vaſis vtantur.

D 3. Quidquid argentearum, ſtannearumque lancium, capedunculorum & ſcutellarum habent, ſi quidem tuſum & fractum non ſit, operam dant, vt niteat: id ad ſuum Rabbi deferunt, vt videat, ſatin munda & integra ſint ad paſchales epulas omnia. Ea is attentè circumſpicit, voluit, & reuoluit: ſique ſatis munda & integra iudicat: in maculoſum rete, velut piſcatoriū componit, ſicque in ahenum igni ſuperpoſitum cōiicit & ilico extrahit, frigidamque ſuperfun- E dit, dicens ter, *Iuſtum, iuſtum, iuſtum*. Neq; tamen iſta tanta contenti cenſurâ: ſed ad aquam, ſi quę perfluens vicina ſit; illa ferunt, in eamque ter immergunt.

4. Biduo ante Paſcha occaſum ſolem, quilibet Paterfamilias aquam fluentem, ſi quidem per ſeipſum poteſt, haurit, domumque fert, & munde conſeruat.

5. Domos ſtudio, curaq; verrunt maximâ, adeo vt accendat Paterfamilias candelam, omneſque domus angulos curioſè perluſtret, ne quid F vſquam reſideat ſordium. Si quas forte inueniat, colligit, & Vulcano, vt in cinerem redigantur, mandat.

6. Pridie Paſchatis è farina illa munda de qua numero 1. dixi, & ex aqua de qua Num. 4. fiunt azymi panes: & quidem à Patre quolibet familias tot, quot in ſolidam hebdomaden toti ſuæ familię cenſet neceſſarios. Ex eadem etiam azymorum maſſa, tria parantur *liba*, quæ ab ipſis *ſacra* vocantur.

7. Eodem die ad veſperum incipit Paſcha: dubiaque adhuc luce: veſtibus, quas quiſque habet;

Digitized by Google

bet; optimis ornati, ſynagogam ſuam adeunt, Euchariſticum carmen Deo lætè concinunt: quòd præ ceteris populis à Deo electi ſint, quòd ad lætum hoc feſtum, quo liberationis ex Ægypto anniuerſaria memoria eſt, peruenire dederit. &c.

8. E Synagoga domum reuerſi, albis ſeſe induunt: triclineum ineunt, quod pro cuiuſque facultatibus vario tapete ſtratum & circumquaque ornatum eſt: ſicuti & ſerico menſa, iuxta quam lecti ſericis pariter, auroque intertextis laudicibus obtecti. Hos appellant *Meſibboth*. Lampadibus pluribus collucent omnia. Tum in menſam tria illa de quibus Num. 6. azyma liba inferuntur, itemque agni pars aſſa, herbæ amaræ cum aqua ſalſa. Sedent primò viri, deinde fœminæ: cuilibet poculum ſuum eſt, idque ſi per facultates liceat, aureum, vel argenteum. Vinumque duntaxat rubrum, vt ſuprà dixi quæſt. 24. præſto eſt.

9. Iterant illud, quod in ſynagoga cantatum fuit carmen Euchariſticum; poſt cuius finem, ſeſe in lectulos illos ſtratos reclinant omnes: magnaque cum reuerentia, quilibet poculum ſuum ebibit.

10. Paterfamilias manus lauat: medium è tribus antea poſitis libum frangit in duas partes. quarum vnam in menſæ medium reponit: alteram ſub lecti ſui ceruical occulit. herbarum amararum accipit aliquid, & in aquam ſalſam intingit. Tum comedit ipſe primus magna cum reuerentia & attentione: deinde porrigit omnibus, vt comedant. Qui ex illis plus ederit, ſanctior ab iis habetur. Duo liba reliqua, quorum vnum alteri ſuperpoſitum; tollunt in altum omnes & voce magna ac ſonora clamant. *Hic eſt miſer ille panis, quem in Ægypto ederunt patres noſtri. Qui eſuriunt vt illi tum, veniant & comedant. Qui eo opus habet, veniat ad hoc feſtum. Venit, & iam adeſt annus ſalutaris in terra Iſrael. Olim ſerui fuimus: nunc autem liberi.* Alia quædam ſimilia pergunt dicere, tandemque liba illa leniter in menſæ medium demittunt.

11. Omnes poſtea iuuenes & ſenes lauant manus. Duplicem enim lotionem requirit hoc epulum iuxta eorum canonem, לטבול שני במרור id eſt, *Adhibendus duplex baptiſmus in amaritudine*, ſiue, dum amaræ herbæ eduntur.

12. E duobus libis adhuc integris accipit Paterfamilias illud, quod alteri ſuperpoſitum eſt; idque frangit, Deo cum familia gratias agens, quòd hoc eis edendum concedere dignatus ſit: huius fracti iam libi partem cum patula medij libi antea fracti parte coniungit: ex iis ita coniunctis tantum, quantum poteſt, demordet. faciunt idem poſt eum omnes.

13. Tertium tandem libum, quod integrum ſupererat, accipit, frangitque, vti ex alia. & ex eo cum herbis amaris comedit: deinde in lecti puluinum, magno cum gaudio, ſeſe reclinat. Similiter & omnes faciunt.

14. Aliis deinde communibus cibis, quos eam ad cœnam pararunt; veſcuntur: ſed vna cum azymo pane ſemper, ſicuti & toto iſto ſeptiduo.

15. Sub cœnæ finem, Paterfamilias occultatam ſub ceruicali medii libi partem expromit, eiuſque fruſtulum omnibus edendum dat. Qui verò fruſtum maius edere voluerit, maiorē putatur ab iis in paradiſo accepturus mercedem. Nam poſt azymi buccellam hanc, nihil bibere fas: vt triſtis ac inſipidus ille azymi ſicci ſapor in ore maneat. Canon verò paſchatis apud Rabbinos ſtatuebat, אסור לאכל כלום אחר כוס הלל, id eſt, *interdicitur comedere aliquid poſt populum laudationis*, ſiue *hymni*, quod erat vltimum, de quo quæſtione 24. & 34.

16. Sumit quilibet in manus pſalmorum & orationum librum: & interea cœnaculi foras pandi iubet Paterfamilias: ante quas viſitur perſonato neſcio cui aſino inſidens quidam, cui hoc impoſitum muneris. Nam Meſſiam ex Zachar. 9. in aſino ſeſſurum credunt, idque ritu iſto ſignificabant: tumque clara voce contra nos Chriſtianos vociferantur è Pſalmo 78. *Effunde iram tuam ſuper gentes, quæ te non nouerunt.* Recitant poſtea Pſal. 113. *In exitu Iſrael*, & deinceps Pſalmos ſequentes vſque ad Pſal. 117. qui incipit, *Confitemini Domino, quoniam bonus*; verſum illum, *Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Ad hunc enim cum peruentum, aſſurgunt omnes, voceque ipſum elatiore concinunt: multa ſuper Hieruſalem, templi reædificatione, aliiſque ſimilibus, Deum precantes.

17. Hæc tam multa dum geruntur nox ferè abit media: tumque ſe in ſtrata ſua conferunt: in iiſque plurimâ tum libidine laſciuiunt. quod quiſque ſibi perſuadeat, poſſe illa nocte à ſe progenerari tamdiu fruſtrà exſpectatum Meſſiam. Etenim cæca & infelix natio, cum à ſuis, qui iam inde à Moyſe vſque ad CHRISTI Domini tempora fuerunt, maioribus oraculum illud, de quo quæſt. 38. dictum eſt; accepiſſet; ipſo ſcilicet die paſchali veram à Meſſia libertatem dandam, neque velit, quæ eo die facta eſt, veri Meſſiæ paſſionem, noſtramque per illum à diaboli tyrannide liberationem agnoſcere, ad aſininam ſuprà Numer. 16. commemoratam laruam, ad impuras, inſanaſque noctis huius clinopalas miſerrimè ſtultiſſiméque prolapſa eſt.

18. Eadem ferè omnia inſtaurant luce poſtera, ne quid aliqua vel negligentiâ, vel ignorantiâ prætermiſſum ſit. & præſcriptis ſeptem diebus azymorum adiiciunt octauum contra Deuteronom. 4. verſu 2. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* Atque hæc in Thalmud Rambam, libro magno præceptorum ferè omnia videre eſt. vnde & libauit nonnulla 16. de emendat. tempor. pag. 534. & ſequentibus Scaliger. Sed de paſchate, azymiſque hactenus. Omnia verò hæc explicat, & ſacroſancti ſacramenti, vt piè vtiliterque ſumatur, myſterio accommodat *Ioan. Pfefferkornius*, olim Iudæus in libello, qui Coloniæ impreſſus anno 1509. Quod ipſe religioſus, Chriſtinianuſque ſi ſumpſiſſet, exitum ſortitus fuiſſet meliorem, quàm *Hallæ* ſortitus eſt, annno Domini 1514. Septembri menſe.

De apparitione ipſi Ioſuæ facta.

Digitized by Google

QVÆSTIO XL.

Qui Ioſuæ apparuit, quiſnam fuit?

TRIPLEX opinio eſt. *Prima.* Ipſius Ioſuæ, quem, in viſionis principio, hominem eſſe quempiam putaſſe, oſtendit ipſa eius ad illum prima vox: *Noſter es an aduerſariorum?* id eſt, Iudæus es, an Chananæus? Iſraelites, an Hierichuntinus. Eſt & eadem opinio rudioris alicuius nudum nudè crudéque textum nunc intelligentis; apparuiſſe hominem. quia iſte vocatur *vir*, & ei dantur *manus*, in harumque altera *diſtrictus gladius*. Sed vnde tam repente homo is adfuiſſet? quomodo diceret ſe *Domini exercitus principem*? Si enim exercitus hic in terra erat, quis præter Iſraeliticum alius? & Iſraelitici huius exercitus, quis, præter Ioſue, Princeps tunc alius? Si exercitus in cœlo, quomodo cœleſtium copiarum eſſe potuiſſet princeps homo? Denique cur, homine conſpecto, adoraſſet Ioſue? Verum, vt dixi; eſt rudioris hæc opinatio. & vſitatum in ſcripturis eſt, ſpiritus cœleſtes virorum formâ conſpici, virorumque tunc membris & viribus ornari, nominibuſque aſſici. Gen. 18. 19. 32. Iud. 12. Tobiæ 5. & alibi, prout ait S. Auguſtinus cap. 26. l. 3. contra Maxim. *Altera* opinio eſt, fuiſſe Angelum, cuius etiam auctores laudabuntur poſtea. *Tertia*, Deum, idque vel *à perſonis abſtrahendo*, & ſic loquitur S. Baſilius homil. de ingreſſu in terram fol. 254. Philippus Preſbyter in cap. 20. Iob. vel *certam diuinitatis perſonam indicando, ſecundam* nimirum ſeu CHRISTVM Dominum. & ita Clemens Rom. li. 5. Apoſt. Conſtit. c. 21. Origenes hom. 6. Procopius hoc loco; Philaſtrius hæreſi 84. parte 3. Irenæus lib. 5. c. 15. Tertull. l. 2. contra Marc. cap. 27. contra Prax. 16. & de carne CHRISTI, Chriſ. hom. 8. ad populum & in c. 7. ad Hebr. D. Aug. ep. 99. 111. & 112. Leo epiſt. 17. Ambr. l. 1. de his qui init. c. 3. & 4. de fide contra Aria. Comment. qui huic adſcribitur, ſupra Coloſſ. 1. Auctor operis imperfecti hom. 4. Euſeb. lib. 1. demonſtr. cap. 5. & lib. 5. toto, Niceph. li. 1. c. 2. & 3. Concil. Sirmienſ. c. 13. Iuſtinus cũ Trypho: Hilarius, l. 4. & 12. de Trinit. Maſius copioſè pag. 95. è Nouatorib. Caluinus hoc loco, & in Gen. vltimum. Petrus Martyr. Iudic. 6. f. 85. 86. alij. de quibus quæſt. 42. Confirmatur. *Primo.* Vocat ſe qui apparet, principem exercitus Dei. At quis CHRISTO Domino princeps verior? *Quis*, ait loco citato Origenes, *alius eſt princeps militiæ virtutum Domini, niſi Dominus noſter* IESVS CHRISTVS? *Omnis namque cœli militia, ſiue Angeli, ſiue Archangeli, ſiue virtutes, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates, omnia per hunc ipſum facta ſunt: ſub ipſo principe militant, qui eſt principum princeps, & qui largitur principibus principatum. Iſte eſt enim qui dicit in Euangelio, Eſto tu poteſtatem habens ſupra decem ciuitates. Et alij. Eſto tu poteſtatem habens ſupra quinque ciuitates. Hic eſt, qui accepto regno regreſſus eſt. Secundo.* Hunc adorauit Ioſue. Non igitur erat homo vel Angelus Apoc. 18. & 20. *Non*, ait idem Origenes, *adoraſſet niſi cognouiſſet Deum. Tertio.* Idem videtur Ioſuæ modo apparuiſſe, qui Moyſi olim apparuerat. Nam Exo. 23. v. 20. non tantum dicit Dominus, *Ecce, ego mitto Angelum ante faciem tuam: vt ſeruet te per viam*: ſed addit; *& perducat te ad locum, quem paraui.* Cum enim, quoad ſe, in promiſſam trans Iordanem terram non peruenerit Moyſes, cenſendus tamen perueniſſe in ſuo ſucceſſore Ioſue, ideoque & huic idem præiuiſſe Angelus. At is fuit CHRISTVS Dominus. Ipſe quidem eſt *facies Domini*, de qua Exod. 33. verſu 15. *facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi.* Rurſus Iſaiæ 9. vocatur *magni conſilij Angelus*, & Malach. 3. *teſtamenti Angelus. Quarto.* Ex patribus partim iam citatis, partim aliis, qui apud Moſen. Barcephan lib. de Paradiſo pag. 1. cap. vlt. & à me Gen. vlt. & Exod. 3. afferuntur. *Quinto.* Accedit & veterum Rabbinorum ſententia, quorum verba pulcherrima è R. Tanchuma & R. Gerundenſi refert Maſius p. 95. *Dicebat inquit ille Deus Moſi, Ecce ego mitto ante faciem tuam Angelum. At Moſes reſpondebat, ego angelum nolo; ſed teipſum volo. Porrò Ioſua filius* Nun *cum primum videret Angelum, dicebat:* Noſter *ne es, an aduerſariorum noſtrorum? Tum ad eum angelus; Ego inquiebat, ſum princeps exercitus Domini, iam veni: ac ſi diceret; Ego iam ſecundò adſum, vt Iſraelitas in poſſeſſionem ſuæ hæreditatis ducam. Veneram enim etiam cum Imperator eſſet Moſes magiſter tuus: Sed ille, cum me videret, nolebat me ſecum ire, ſed à ſe repulit. Hæc autem ſimul atque audiſſet Ioſua, procumbebat in faciem; adoranſque dicebat, quid Dominus meus loquitur ad ſeruum ſuum? Hæc priſci Iudæi quo dixi libro, & his ſimilia plura: quæ mihi certè viſa ſunt, alludere ad Iudaici populi Eccleſiam, quæ de Moſe magiſtro ſe iactabat, & ad eam quæ nunc à Ieſua, hoc eſt, Ieſu Chriſto regitur. Illa enim allegatum ad ſe angelum Chriſtum, vt ipſi ad cœleſtem hæreditatem patefaceret aditum, repudiauit, atque vrbe etiam eiectum cruci affixit. Hæc verò ſimul atque cum ex doctrina, tum ex miraculis intellexiſſet, eum à ſe, non ab aduerſario Beelzebub ſtare, adorauit, eiuſque iuſſa ſubmiſsè & obedienter amplexata eſt. Iſte*, inquit, Rabbi Moſes Gerundenſis, *Angelus, ſi rem ipſam dicamus; eſt angelus redemptor; de quo ſcriptum eſt. Quoniam nomen meum in ipſo eſt ille, inquam, angelus qui ad Iacob dicebat: Ego Deus Bethel. Ille de quo dictum eſt: & vocabat Moſen Deus de rubo. vocatur autem angelus, quia mundum gubernat. Scriptum eſt enim: eduxit nos Iehoua (hoc eſt Dominus Deus) ex Ægypto. & alibi, Miſit angelum ſuum, & eduxit nos ex Ægypto. Præterea ſcriptum eſt, Et angelus faciei eius ſaluos fecit ipſos. Nimirum ille angelus, qui eſt Dei facies; de quo dictum eſt: Facies mea præibit, & efficiam vt quieſcas. Denique ille angelus eſt, de quo vates: Et ſubito veniet ad templum ſuum Dominus, quem vos quæritis; & angelus fœderis quem vos cupitis. Et rurſus alio loco, vbi illum verſiculum exponit, facies mea præibit, & efficiam vt quieſcas, ſic ſcriptum reliquit, vt in pauca conferam. Animaduerte, inquit, attentè, quid iſta ſibi velint. Moſes enim, & Iſraelitæ ſemper optauerunt angelum primum: cæterum quis ille eſſet, verè intelligere non potuerunt. Neque enim ab aliis percipiebant; neque prophetica notione*

Digitized by Google

tione ſatis aſſequebantur. Atqui facies Dei, ipſum ſignificat Deum; quod apud omnes Interpretes eſt in confeſſo. Verùm ne per ſomnium quidem iſta intelligere quiſquam poſſit, niſi ſit in myſteriis legis eruditus. Et poſt pauca. Facies mea præcedet, hoc eſt, angelus fœderis, quem vos cupitis: in quo videbitur facies mea: de quo dictum eſt. Tempore accepto exaudiam te. Nomen enim meum in eo eſt. Faciamque vt quieſcas. ſiue, efficiam vt ipſe tibi ſit lenis & benignus. Neque te ducat per ius rigidum, ſed placidè & clementer. Videatur & Rabbath fol. 150. b. Col. 3. *Sexto.* vocatur iſte qui iam apparet *Iehouah* c. 6. v. 2.

Nihilominus tamē in media prorſus acquieſco ſententia, fuiſſe ſcilicet *Angelum*: Pono tamen lucis maioris causâ diſtinctionem hanc. Dum quæritur, quis, cum homo non eſſet, in hominis tamen figura huic aut illi apparuit? vel quæritur de eo, qui repræſentabatur, ſiue ſignificabatur apparere, loqui, aliaque id genus agere: vel de eo, qui repræſentabat, loquebatur, cæteraque id genus agebat. Inter hęc enim diſcrimen eſt. Nam verbi cauſa, in Comœdia vel Tragœdia quapiam, qui repræſentatur & ſignificatur loqui ac agere Amphitruo eſt, Oreſtes, Hercules: qui autem repræſentat, loquitur ac agit Roſcius eſt. In legatione, qui refertur & ſignificatur hoc & illa dicere, ac paciſci eſt Princeps, qui Legatum miſit: qui hunc refert & illa dicit ac paciſcitur, legatus eſt. Dico igitur vniuersè quoties in hominis figura & forma non homo apparet, ſed bonus quidem ſpiritus, tunc quoad repræſentationem & ſignificationem, quandoque Deum eſſe, quandoque Angelum vel hominem, quoad perſonam verò repræſentantem & ſignificantem, nunquam eſſe Deum, ſed ſemper Angelum. *Et prior* quidem illa pars facile ab omnibus conceditur. Nam *primò*. Illæ hominum formæ, quæ Geneſ. 18. apparuerunt, S. Trinitatem ſignificarunt, vt ibidem monſtraui. ille qui cum Iacob luctatus eſt Geneſ. 32. Deum repræſentabat: itemque quiſquis decalogum dedit, dixit: *Ego ſum Dominus Deus tuus*, Exod. 20. *Secundo*. Ille qui Dauidi apparuit 2. Reg. 24. Angelum dumtaxat ſignificauit & qui Matt. 28. & Act. 1. *Tertio*. Ille, qui Tobiæ apparuit cap. 5. & deinceps, hominem & viatorem tantummodo referebat. *Poſterior* verò, quæ ſola in controuerſiam venit: probatur. *Primò*. Si Deus ipſe in hominis figura verè vnquam apparuiſſet, vel corpus humanum ſibi adiunxiſſet per incarnationem, vel per aſſumptionem. Non *primum* quia non ſemel tantum, ſed ſæpius: neque Auguſti tantum temporibus, ſed iam multo ante fuiſſet incarnatus Deus, D. Hieronim. in Epheſ. c. 4. *Quod ait Apoſtolus, vnum corpus, & vnus ſpiritus, vel ſimpliciter vnum corpus* C H R I S T I *intelligitur quæ eſt Eccleſia: vel certè quod ex Virgine dignatus eſt aſſumere, ne illum quidem putent toties corporatum, quoties in veteri apparuit teſtamento.* Non *ſecundum*. quia vel *ſecundum diuinitatis ſuæ naturam* ſibi corpus tale copularet Deus, vel *ſecundum perſonas*. Si *prius*, vel mera diuinitatis natura intelligeretur, & tunc nihil ageret in tali corpore Deus. quia actio eſt ſuppoſitorum: vel diuinitatis natura cum communi, quod boni agnoſcunt

Iosue.

A Theologi, ſuppoſita intelligeretur, & tunc ſicuti commune perſonis omnibus foret ſuppoſitum, ita & aſſumptio illa. Si *poſterius*; ergò vel omnes perſonæ vnum idemque corpus aſſumerent, vel earum vna vnum. Si *omnes*, tunc in eodem corpore ſimul eſſet ac appareret Pater Filius, & Spiritus ſanctus. Si *vna*, poſſet aliquid perſonarum vna facere in creaturis, ſiue vt Theologi loquuntur, aliquid ad extra, quod non aliæ. Nam aſſumeret vna ſola perſõna diuina corpus, quod aliæ non aſſumerent. *Secundò* B Dionyſij Areopagitæ regula eſt, quam & amplectitur S. Auguſtinus lib. 3. de Trinit. c. 4. & 5. D. Thomas 1. q. 63. a. 7. & alibi ſæpius. infima Deum per media ſolitum adminiſtrare. idque videmus in toto rerum curſu. Nam ipſe Deus, cum cauſa prima ſit, agit per ſecundas: & inter has, quæ vniuerſaliores & præſtantiores per alias minus latè patentes, minuſque præſtantes. Quomodo igitur non idem ſentiamus, dum corporata quædam ſpecies obiicienda, & per eā illis aliquid ſignificandum? neque enim C vſitatus agendi ordo immutari cur debeat, cauſa comparet vlla. *Tertio*. Deus in toto hoc vniuerſo, ſinguliſque huius partibus & particulis intimè totus eſt ſecundum ſuam eſſentiam, efficientiam, & ſcientiam. quod vulgato in ſcholis dicitur, *Enter, cauſanter, Deus eſt, & vbique ſcienter*. Si ergo corpus aſſumeret, nouâ quadam per ſemetipſum efficientiâ immediatè deberet illud ipſum corpus conformare ac figurare, ſuſtentare, motu ciere, voces in eo, geſtuſque omnes fingere. Sed pari ratione dici poſſet, D cum ſic omnia in omnibus rebus agere: Neq; vllam fuiſſe vnquam veri alicuius Angeli apparitionem, neque cauſas vllas ſecundas eſſe, aut agere: ſed per ſemetipſum immediatè omnia Dominum. Quemadmodum enim corpora in quibus apparere dicitur, facit & mouet: ſic & alia omnia. cum fruſtrà per plura ſententiæ alterius auctoribus videantur fieri, quæ per pauciora ſimiliter poſſunt fieri. *Quarto*. Decere non videtur diuinam maiſtatem, vt immediatè per ſemetipſum actiones illas agat, quarum agen- E darum vim & poteſtatem creaturis indidit. Quorſum namque indidit, ſi ocioſam illam voluit, ſeque vnum non *primum* duntaxat, ſed *ſolum* omnium effectorem & motorem? At efficiendorum id genus corporum & mouendorum vim & poteſtatem indidit Angelis. Ergo. Deinde fiunt iſtiuſmodi corpora tantummodo ad aliquid ſignificandum & nunciandum. An alios, quam ſemetipſum; nuncios & Interpretes adhibere Deus aut non vult, aut non poteſt? Sunt præterea id genus corpora euanida, quæ F vbi hoc ipſum cuius cauſa ſuſcepta erant, abſolutum eſt, ilico diſſipantur, & in aërem reſoluuntur, ita vt interdum vix dimidiatam horam exiſtant. An Deum in illa ſeſe inducere corpora, cum hoc eius Angeli poſſint, deceat? *Quinto*. Sūt *omnes Angeli adminiſtratorij ſpiritus*. Hebræ. 1. At ſi per ſemetipſum corpora in apparitionibus aſſumit Deus, illi quomodo adminiſtri ſunt? An in maioribus & præſtantioribus duntaxat muniis ij miniſtrant, in corporum verò mortalium ſubitoque diſſipabilium & euaneſ-

Digitized by Google

centium coagmentatione, motu, & progreſſu, ocioſi ceſſatores ac ſpectatores erunt? Præclarè S. Hieronym. in Epheſ. cap. 1. *Nos homuli cito in cinerem & puluerem diſſoluendi, ſi conſenſu hominum leuemur in Reges, tantas habemus miniſtrorum diuerſitates, & multitudines, quantas faciliùs poſſumus ſentire quam dicere. Verbi causâ, quod præfectus in parte ciuili Iudices, prouincias, & ordinem ſuum habeat: rurſum milita in tot Comites, Duces, Tribunos, & multiplicem ſcindatur exercitũ. & putamus Deum, Dominum dominorum, & Regem regnantium, ſimplici tantum miniſterio eſſe contentum?* *Sextò.* Apparitiones quæ omnium maximè per Deum immediatè videntur factæ, ab ipſa tamẽ ſcriptura per Angelos factæ traduntur. Ergo multo magis aliæ omnes per eoſdẽ factæ. Antecedens probatur *primò* Geneſ. 18. verſ. *Apparuit Dominus Abrahæ*: & apparitionis modus ſubditur, v. 2. *apparuerunt ei tres viri.* hi ergo tres viri, cũ reuera viri non fuerint, quoad Significationẽ, erant, vt ſuprà dixi; tres Sacroſanctæ Trinitatis perſonæ, ſed quoad rem & veram corporũ aſſumptionem, quid erant? Angeli, an Deus, ſiue diuinæ tres perſonæ? Textus illius capitis ſæpe fuiſſe *Deũ* narrat v. 1. 13. 15. 17. 19. 23. 26. & deinceps vſque ad capitis finẽ. Sane vero quoad ſignificationem tantũ *Dominus* erat, treſque diuinę hypoſtaſes: quoad rem vero erant *Angeli*, vt explicat initium cap. 9. *veneruntque duo angeli Sodomã* & deinceps in his duobus *deſcendit Dominus & vidit Sodomam*, vti dixerat c. 18. & prout exponit D. Auguſtin. lib. 3. contra Maxim. c. 26. Itemque S. Paulus Hebr. 13. verſ. 2. *Hoſpitalitatem nolite obliuiſci. Per hanc enim latuerunt quidã, Angelis hoſpitio receptis.* Secundò. Exod. c. 3. apparet in Rubo Moyſi Dominus & dicit. *Ego ſum, qui ſum.* Videtur hic negari non poſſe, *Dominum*, qui loqueretur, fuiſſe ſcilicet mediatè, aut per repræſentationẽ. Quoad rem vero fuit Angelus Dei perſonam ſuſtinens, vti expoſuit S. Stephanus Act. 7. v. 30. *Apparuit*, inquit, *Moyſi in deſerto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi*, & tamen ſubditur ad illũ vox Domini. *Ego ſum Deus patrũ tuorum.* Tertiò. Exo. 20. qui legẽ fert, ſemper dicitur *Dominus*, & ait v. 2. *Ego ſum Dominus Deus tuus.* Nimirum erat *Dominus* repræſentatione: ſed reuera *verus Angelus* interprete ſancto eodẽ Stephano ibid. v. 38. *Hic & Moyſes qui fuit in Eccleſia in ſolitudine cũ Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina.* & poſtea v. 53. *Accepiſtis legẽ in diſpoſitione Angelorũ*, ſiue vt Græce eſt, *in diſpoſitionibus Angelorũ.* εἰς διαταγὰς τῶν ἀγγέλων. Eodemque modo S. Paulus Gal. 3. verſ. 19. *lex ordinata* ſiue *diſpoſita per Angelos.* ὁ νόμος διαταγεὶς δι᾽ ἀγγέλων. Vbi vides *Angelum* Actor. 7. v. 38. non eſſe CHRISTVM, cum pluraliter poſtea dicantur *Angeli*, nec tamen plures Chriſti IESV ſint, ſed vnus. Itemque Apoſtolus epiſt. ad Heb. cap. 2. *Si qui per Angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus.* &c. vt explicat etiam D. Auguſtinus tract. de verbis: *Ego ſum qui ſum.* Tomo. 6. p. 366. & S. Cyrillus Alexandrinus infrà citandus. Quin vero tam fuit in Iudæorum ſcholis, omniumque animis & ſermonibus contritum & certũ, Angelos fuiſſe, qui legem tulerint Deumq; legiſlatorẽ retulerint, vt ipſe etiã apud Ioſephum lib. 15. cap. 8. in Græco, Herodes in ſua quadã populi cõcione palam id affirmarit. *Nos*, ait *omnium pulcherrima & ſanctiſſima dogmata, quæ in lege ſunt, per Angelos didicimus.* Quartò. Gen[...] c. 32. is, qui cum luctatus eſt Iacob, dicitur *vir* verſ. 24. *Ecce vir luctabatur cum eo*: poſtea vero *Dominus* v. 27. *contra Deum fortis fuiſti.* & v. 30. *Vidi Dominum facie ad faciem.* Ergo ne verus in eo, quod apparebat, humano corpore Dominus, non pro eo alius? Imo Angelus erat, prout ibidem ait Chaldæa Paraphraſis: & multo firmius Oſea Propheta cap. 12. v. 3. *In vtero ſupplantauit fratrem ſuum: & in fortitudine ſua directus eſt cum Angelo: & inualuit ad Angelum & confortatus eſt*: ſeu, vt citato loco legit S. Auguſtinus, *& confortatus eſt cum Angelo, & potuit.* Quintò. In eodem etiam capite abſque vllo cuiuſquam interpretatione, qui apparet, vocatur & *Angelus Domini* & *Dominus.* At eodẽ modo vtrumque ſimul eſſe non poteſt. ideoque reapſe *Angelus* erat: ſignificatione autem *Dominus.* Sic enim ſcriptum eſt Geneſ. 31. v. 11. *Dixitque Angelus Dei ad me in ſomnis*: & v. 12. 13. *Vidi omnia quæ feci tibi Laban. Ego ſum Deus Bethel.* Nec video contra tam euidentes ſcripturas dici quid poſſit, niſi fortè retorquendo ſic. Hæ apparitiones quæ ab *Angelis* & per *Angelos* alicubi factæ dicuntur, alibi traduntur à *Deo* & *per Deum* factæ. Ergo in illis locis Angelorum nomine accipiendus erit Deus. At *primò* plures Dij forent, quia interdum plures, vt dixi, Angeli nominantur. Si dicas non plures dij, ſed plures diuinæ perſonæ pluraliter Angeli vocãtur, tum fatendum erit, Patrem ab aliquo etiã mitti, quia & ipſe *Angelus* vocaretur, id eſt, miſſus, nuncius. *Secundo*, cur *Angeli* potius nomen poſuiſſent S. Stephanus, Paulus, Moyſes, qua *Dei?* cur ſine cauſa vlla tantas ſcripturis alibi claris tenebras offudiſſent? vt quod tam manifeſtè, tamque magnificè de Deo prædicatum erat, ambiguo & ignobiliori Angelorum nomine narrare voluiſſent? *Septimo.* Neque vero ſententiæ huic deſunt Patres. Nam S. Areopagita Dionyſius c. 4. cœleſtis Hierarchiæ. *Idcirco*, inquit, *cœleſtes ſemper ac vbique Angelorum præcipuè nomine appellantur, propterea quod primum in eis inſit diuina illuſtratio, ac per eas ad nos perueniant ea, quæ naturam noſtram ſuperant, patefactiones. Sic enim lex, vt diuina ſcripta teſtantur, per Angelos nobis data eſt. Atque etiam claros illos, qui legem anteceſſerunt, eamque ſecuti ſunt, Patres noſtros Angeli ad diuinitatis notitiam perduxerunt, cum vel id, quod agendum erat, inducerent, vel ab errore eos, vitaque ſcelesta, ad rectam veritatis vitam traducerent, vel ſacros eis ordines, vel myſteriorum diuinorum occultas viſiones, aut diuinas quaſdam prædictiones interpretando enunciarent & aperirent. Quod ſi quis illinc etiam per ſe, ſine vllo medio, nonnullis ſanctis Deum viſum eſſe contendat: is diſcat hoc etiam apertè ex ſacris litteris, id quod in Deo occultum ſit, vidiſſe aut viſurum eſſe neminem: Deum vero ſanctis viſum ac oſtenſum eſſe illum quidem, ſed enunciationibus, quæ Deo digna ſint, per quaſdam ſacras & eorum, quibus oſtenduntur, captui accommodatas viſiones. Theologia autem ſapientiſſima, viſionem illam, quæ in ſe deſcriptam diuinitatem, quaſi ſpecie, & habitu eorum, quæ nulla formâ depingi poſſunt, prodidit, rectè ex eo quod ad diuinitatem eos, quibus oſtenditur*

ditur, erigat, Dei viſionẽ nũcupat, propterea quod ea in A
mentibus eorum, qui vident, quemdam diuini luminis
radium infundat, & aliqua rerum diuinarum doctri-
na eos erudiat. Has autem diuinas viſiones clariſſimi
illi patres noſtri cæleſtium virtutum opera didicerunt.
D. Hieronymus in c. 3. Galat. *Quod ait Paulus:*
Lex ordinata per Angelos: hoc vult intelligi, quod in
omni veteri teſtamento, vbi Angelus primum viſus
refertur, & poſtea quaſi Deus loquens inducitur: an-
gelus quidem verè ex miniſtris pluribus quicumque ſit
viſus: ſed in illo mediator loquatur qui dicat: Ego ſum
Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob. Nec mi- B
rum ſi Deus loquatur in Angelis, cum etiam per an-
gelos qui in hominibus ſunt, loquatur Deus in Prophe-
tis: dicente Aggæo: Et ait Angelus qui loquebatur
in me: ac deinceps inferente. Hæc dicit Dominus om-
nipotens. Neque enim angelus qui eſſe dictus fuerat
in Propheta ex ſua perſona audebat loqui: Hæc dicit
Dominus omnipotens. D. Auguſtinus loco citato
contra Maximinum. *Ex iſta,* inquit, *actione* (Ge-
neſ. 32.) *vnicum Dei Filium antequam veniſſet, in*
carne viſibiliter apparuiſſe conaris oſtendere: vbi &
ſi non abſurdè Chriſtus intelligitur figuratus, propter C
prophetiam futura nunciantem, quia futurum erat, vt
Iacob in filiis ſuis, qui crucifixerunt Chriſtum præua-
luiſſe Chriſto videretur: & in filiis ſuis videret Chri-
ſtum facie ad faciem, & ſalua fieret anima Iſraelita-
rum, qui fideliter hoc viderunt: tamen hunc homi-
nem, qui luctatus eſt cum Iacob, Oſee Propheta eui-
denter angelum dicit. Sic enim apud eum ſcriptum eſt
de Iacob: In vtero ſupplantauit fratrem ſuum, &
in labore præualuit Deo, & confortatus eſt cum an-
gelo, & potuit. Sicut ergo in Geneſi ille, qui luctatus
eſt cum Iacob, & homo & Deus dicitur: ita vt ab D
hoc Propheta & Deus & angelus: ac per hoc ita qui
erat angelus, dictus eſt homo, quomodo illi dicti ſunt
viri, qui apparuerunt Abrahæ, quando neſcientes &
ipſe & Loth hoſpitio receperunt angelos. Deus ergo erat
in angelo, ſicut eſt Deus in homine, maxime quando
per hominem loquitur. Ita vero per hunc angelum fi-
guratus eſt Chriſtus, ſicut per hunc hominem. Nam &
Iſaac filius Abrahæ, quid erat in figura niſi Chriſtus,
quando ſicut ouis ad immolandum ductus eſt, &
quando ſicut dominus crucem ſuam, ita & ipſe ſi-
bi, quibus fuerat imponendus, ligna portabat? Po- E
ſtremo quid miramur per angelum figuratum eſſe
IESVM, *ſi non ſolum per hominem, verum etiam*
per pecudem figuratus eſt? Nam quis alius erat ille
aries, qui cornibus tenebatur in vepre, niſi Chriſtus
crucifixus; vel ſpinis coronatus? Hunc autem arie-
tem pro filio, cui parcere iuſſus eſt, immolauit Abra-
ham. Ita enim homini parci Deus iuſſit; vt tamen ex
pecude propter paſſionem Chriſti quæ illo modo præ-
nunciabatur, myſterium ſacri ſanguinis implere-
tur. Si autem putas proprietate, non figura Chriſtum
fuiſſe angelum, qui luctatus eſt cum Iacob: potes di- F
cere proprietate, non figura Chriſtum fuiſſe arietem,
quem Patriarcha immolauit Abraham. Potes poſtre-
mo dicere proprietate, non figura Chriſtum fuiſſe pe-
tram, quæ percuſſa ligno, ſitienti populo potum lar-
giſſimum fudit. Sic enim dicit Apoſtolus: Bibebant
enim de ſpirituali conſequente eos petra, petra autem
erat Chriſtus. Figuræ iſtæ, non res ipſæ fuerunt, qui-
bus figuris præcedentibus res ſignificabantur eſſe ven-
turæ: quæ figuræ per ſubiectam Deo creaturam, &
maximè per Angelorum miniſteriũ mortalium exhi-
bebantur aſpectibus: Dei quidem agente potentia, ſed
tamen latente natura, ſiue Patris, ſiue Filij, ſiue Spi-
ritus ſancti. Et ſimilia lib. 11. Ciuit. cap. 13. & 15.
cap. 7. lib. 2. Trinit. cap. 13. S. Fulgentius
lib. 2. ad Monimum cap. 3. hæreticos ait vel-
le Chriſtũ in corporalibus formis ſemper ap-
paruiſſe, idque ab ipſo repudiatur. S. Epipha-
nius hæreſ. 30. ait Ebionitas dixiſſe, Chriſtum
olim corpus induiſſe, ſicque Patriarchis appa-
ruiſſe. Cyrill. lib. 8. theſ. c. 2. multis oſtendit
legem per Angelos, qui Chriſto Domino na-
turâ ſunt multo inferiores, latam, citatque il-
lud ad Hebræos 2. v. 2. *Si enim qui per Angelos*
dictus eſt ſermo, factus eſt firmus, &c. Apud Iu-
ſtinum quæſt. 142. ſimilia. D. Thomas 1. p. q.
51. a. 2. Theodoretus quæſt. 4. qui ſeq. quæſt.
audietur: Lyranus hic & Abulenſis, itemque
cap. 6. quæſt. 2. hiſque Patribus addatur Chal-
dæus Thargum dum hic verſum 14. ita vertit,
Ego ſum Angelus miſſus, è conſpectu Dei. Addatur
& è Nouatoribus Io. Druſius lib. 2. de tribus
ſectis, dum contra Saadiam Gaonem, qui hu-
manam naturam angelica digniorem putauit;
hoc modo loquitur p. 71. *Inter homines honora-*
tiſſimi & excellentiſſimi ſunt ipſi Prophetæ, qui ta-
men Angelos adorant, vt Ioſue, Zacharias, Daniel,
& alij. Octauo. Confirmatur denique ſententia
eadem, reſpondendo iis, quæ obiecta ſunt.

Ad primum, poſtea dicetur. Nunc tantum di-
co ſi diceret iſte qui apparet, ſe *principem eſſe*
principum, qui nulli ſubiectus foret, tum rectè
Deum acciperemus. Sed ſanè multi ſunt exer-
cituum Domini principes in terris, & in cœlis
Epheſ. 2. & 3. Origenes vero loquitur, vti ſo-
let, allegoricè, de eo ſcilicet qui per iſtum prin-
cipem ſignificatur.

Ad ſecundum dicetur & de hac adoratione
poſtea quæſt. 49. Nunc autem dico cum S. Au-
guſtino lib. 3. contra Maximinum cap. vlt. *Loth*
adorauit vel Angelum vel hominem. Si Angelum,
vides, ait ille, *à iuſto viro Angelos adoratos. Si ho-*
minem; vides homines inferiores Angelis à iuſtis
hominibus adorari.

Ad tertium. Concedo eundem eſſe, qui Moy-
ſi & Ioſuæ apparuit. Sed ille fuit perſonaliter
verus Angelus: repræſentatiuè Deus, vel Chri-
ſtum.

Idemque reſpondetur *ad quartum*, Patrũ ple-
roſque aliud vix velle quã Chriſtum apparuiſſe,
non tamen in propria perſona, ſed in Angelo:
vel certè alteram opinionẽ ſecutos, quod inde
videretur incarnationis myſteriũ confirmari, ſi
iam olim apparuiſſet quãdoque in corpore ali-
quo Dei filiꝰ. Sed ad hoc probandũ, vel ſatis eſt,
Angelos potuiſſe aſſumere corpora. Ergo &
Deum poſſe ſibi humanitatem vnire: vel non
omnino ſatis eſt: Dei Filius potuit corpus ali-
quod aſſumere, id eſt vnione quadam efficien-
tiæ ſibi quoquo modo copulare. Ergo etiam
potuit vnione hypoſtatica. Neque enim ſi mi-
nus potuit, ſtatim poteſt maius: cum è contra-
rio, ſi minores eo Angeli poſſint minus, admo-
num credibile ſit ipſum, qui infinitè illis maior
eſt, poſſe maius, corporis videlicet humani v-
nionẽ hypoſtaticã. *Figuræ*, inquit contra Ma-
ximinũ loco indicato. S. Auguſt. *per ſubiectam*
Deo creaturam: & maximè per Angelorum miniſte-
rium, mortalium exhibebãtur aſpectibus. Addo, ſim-
pliciter CHRISTVM nunquam vocari *An-*
gelum, ſed cum adiunctione aliqua, vt *conſilij;*

teſtamenti: deinde ne hanc quidem adiunctionem CHRISTO conuenire, niſi ratione incarnationis, per quam ad nos miſſus eſt, ad quam rerum diuinarum interpres, Angeluſque fuit. Origenes homilia 6. in diuerſos, docet in ſcriptura nunquam Apoſtolos vocatos ſimpliciter *homines*, quod hoc nomen minus quam illud honorificum ſit. *Nuſquam*, ait, *inuenimus præter honorem dictos diſcipulos, ſed ſemper aut* APOSTOLI *aut* DISCIPVLI *nominantur*. Quanto minus debuit CHRISTVS Dominus ſimpliciter ac præciſè vocari *Angelus*?

Ad quintum. In eandem ſententiam facilè accipiuntur illi Rabbini, vt figurâ, non proprietate fuerit illis Redemptor CHRISTVS IESVS.

Ad ſextum. Poteſt c. 6. verſ. 2. propriè accipi *Iehouah* pro Deo ipſo. Nihil enim abſurdi eſt, ſi quæ ibi dicuntur, cenſeatur ipſo Ioſuæ loquutus Dominus. Si tamen vocaretur Angelus *Iehouah*, id eſſet, quia eius, vt iam ſæpè dixi, nomine loquebatur, eiuſdemque perſonam ſuſtinebat, vt Exod. 3. & 20. In *Moreh Nebuchim* lib. 1. cap. 2. nomen *Meſchutaph* vocatur, quod vel æquiuocum eſt, vel pluribus communicatur. Et in huius libri caput 6. teſte Syrochaldaico fol. 192. ait R. Symeon filius Lakis אלהים משתח שמו על כל. מלאכיו id eſt, *Deus communicat nomen ſuum omnibus Angelis ſuis*. & citat idem fol. 396. colum. 1. Commentarius *Ilmedenu* ſeu *Tãchuma* in cap. 23. Exod. hoc modo שמו של חק״כה משתפ עם כל מלאכ id eſt, *Nomen Dei ſancti benedicti communicatur omni Angelo*.

QVÆSTIO XLI.

Quiſnam, qui Ioſuæ apparuit Angelus? Michael an Gabriel?

DEBERET ex eorum, de quibus ſuperiore quæſtione dictum eſt, ſententia, diſtingui Angelus in creatorem & creaturam. vel in propriè dictum, & impropriè. Et propriè quidem Angelus, eſt creatura ſpiritalis: impropriè creator ipſe, CHRISTVS IESVS, quem iſti hoc loco apparuiſſe dicunt. Sed quia ſatis iam refutati ſunt, tantum hic diſquiretur, è propriè dictis Angelis, quiſnã fuiſſe videatur? *Gabrielem* fuiſſe autumant Abulenſis quæſt. 71. Vatablus, & Raſchi: *Michaelem* vero Theodoretus quæſt. 4. his verbis: *Aiunt quidam viſum fuiſſe verbum diuinum: ego autem arbitror eſſe Michaelem Archangelum: vbi enim deliquiſſent, dixit Deus vniuerſorum*: Non *aſcendam tecum, quia populus ſit duræ ceruicis: ſed mittam Angelum meum ante faciem tuam, qui præcedet te. Hunc puto modo conſpectum fuiſſe ab Ieſu, bono animo illum eſſe iubentem, & certiorem facientem de ſuppetiis*. Pantaleon Diaconus & Chartophylax Conſtantinopolitanus oratione in S. Michaelem, Lyranus hoc loco, & apud eum Rabbini, Caietanus, Blaſius Viegas in Apol. cap. 12. Villalpandus in Ezech. capite 40. cap. 7. pag. 264. Georg. Schererus con. 2. in feſto ſancti Michaelis. Atque his omnino aſſentio, non ſolum quia plures & grauiores, ſed etiam quia è priorum paucitate, iſtis penè itidem ſuffragatur eodem loco Abulenſis. maximè quia ab iiſdem ſtat ſcriptura penitus. Nã, qui hic apparet, dicit verſ. 14. *ſe principem exercitus Domini*. At ea deſcriptio, & quædam propria veluti teſſera Michaeli tribuitur apud Danielem, & quidem ter cap. 10. verſ. 13. *Ecce Michael vnus de principibus primis*. verſ. 21. *Michael princeps veſter*, Iſraelitarum ſcilicet cap. 12. v. 1. *Michael princeps magnus, qui ſtat pro filiis populi tui*, Iſraelitici ſcilicet. vel vt 70. vertunt *Μιχαὴλ ὁ ἄρχων ὁ μέγας, ὁ ἑστηκὼς ἐπὶ τοὺς υἱοὺς τοῦ λαοῦ σου. qui ſtat ſuper filiis populi tui*, ſiue, qui iis præpoſitus eſt. Et in cap. 9. verſ. 11. dicit Abenezra, eum eodem modo vocari, quo hic vocatur, videlicet *Princeps exercitus Domini*. Dices, etiam iiſdem præpoſitus erat Gabriel, qui eorum curam gerebat, cauſamque agebat Dan. 8. verſ. 7. cap. 9. verſ. 21. cap. 10. verſ. 5. & ſequen. Reſpondeo præpoſitum quidem fuiſſe; ſed ita, vt ſub Michaele eſſet, ab eoque penderet, opemque acciperet, prout ipſemet confitetur cap. 10. v. 13. & 21. cap. 9. verſ. 16. Qui autem inferior eſt præfectus, ſi quiſnam ſit, interrogetur, & ſapiens modeſtuſque ſit, non abſolutè ſtatim principis titulũ ſibi vendicat. Quis enim eius arrogantiam non reprehẽderet, qui Centurio cum ſit, Tribunum ſe vocat? cum Tribunus Imperatorem? cum Satrapa Principem? cum Princeps Regem? At verò qui ſe conſpiciẽdum dedit Ioſue, interrogatus quiſnam foret, abſolutiſſimè reſpondet, *Sum princeps exercitus Domini*. De quibus verbis iterum poſtea.

QVÆSTIO XLII.

Quis, qui Ioſuæ apparuit Michael? An ipſemet Chriſtus Dominus?

AFRICA ſemper aliquid noui: ſed multo magis hæretica licentia. Nam hodiernis Nouatoribus Lutheranis, pleriſque & Caluinianis *Michael* eſt verè ac propriè CHRISTVS *Dominus*. In hunc ipſum locum Chytræus; *Magnus*, ait, *dux Michael, æquali potentia, maieſtate & gloria cum Deo Patre æterno, qui Ioſuæ ſitum regionis ſpeculanti apparet*. Gaſpar Huberinus Vvitebergæ editus anno 1557. Michaelem, qui hic Ioſuæ apparuit, & alibi Geneſ. 28. ac 31. Danielis 10. & 12. in epiſt. Iudæ atque Apocal. 12. ait in S. Michaelis feſto, eſſe Chriſtum & Angelum increatum. Simon etiam Pauli in Poſtilla feſti S. Michaelis. Caluinus hoc loco fol. 22. eundem hic eſſe ait, qui Moyſi dux fuit: Ducẽ verò fuiſſe CHRISTVM ipſum mediatorẽ. *Itaque*, ait, *promiſcuè vocatur Angelus, & inſignitur elogio Dei æterni. Cuius rei Paulus nobis idoneus eſt teſtis, qui disertè teſtatur fuiſſe* CHRISTVM. *Et Moſes ipſe in perſona Mediatoris, Deum præſentem amplexus eſt. Nam vbi poſt vitulum fabrefactum pronunciat Deus, ſe non fore amplius populi ducem, ſimul ſe vnum ex Angelis daturum promittit, ſed quaſi ex turba: quod Moſes vehementer deprecatur. Nempe quia remoto Mediatore, ſperare non poterat Deum fore propitium. Rarum itaque fauoris Dei pignus fuit, præſto adeſſe principem & caput Eccleſiæ, cui Moſes aſſueuerat. Et certè non aliter rata potuit eſſe Dei adoptio quam per manũ Mediatoris*. & f. 23. *Quòd ſe aliũ à Deo facit, in eo notatur perſonalis diſtinctio, non autem ſcinditur vnitas eſſentiæ. Diximus apud Moſen ſæpe nomen Iehouæ adſcribi Angelo præſidi: qui haud dubiè vnigenitus erat Dei filius. Nẽpè quia & verus eſt Deus:*

Digitized by Google

Deus: & tamen in perſona Mediatoris per diſpenſationem, Deo inferior. Beza in epiſtola Iudæ verſ.9. A ſubtimidè, *Hæc*, ait, *eadem ſcripta ſunt Zachariæ 3. 2. ſed in viſione quadam in qua non Michael, ſed Iehoua ipſe ita loquitur: niſi forte Michael idem ille eſt, qui & Dei Patris imago, & ἀπαύγασμα, & à Zacharia Angelus Iehouæ, qui & ipſe Iehoua eſt, vocatur.* Audaciſſimè verò Hugo Brugthonus in Danielis cap.8.verſ.16.pag.29. de Gabriele, *Hic*, ait, *ſolus creatus Angelus, qui ſcriptura nomen proprium tribuit.* Et in cap.10. pag.34. *Quod ex legatione huius Gabrielis obſcruetur, nullus alius creatus ſpiritus inter Angelos nomen proprium ſortitus eſt. Michael enim eſt* B *CHRISTVS ſecundum Chriſtianorum doctiſſimos, & Iehoua, & Angelus Iehoua, ſecundum Zobar, & Hebræorum doctores plurimos.* Rurſum pag. 58. *Hoc admiſtum ſignificat, quiſnam ſit iſte Michael, non creatus Angelus, ſed ſolus Archangelus dux exercituum Iehouæ, Filius Dei, qui non duxit rapinam parem eſſe cum Deo.* Et in cōcentu Latino p. 152. *Chriſtus oſtendit ſe eſſe vnum cum Patre. Stat enim pro populo ſuo.* Tremellius & Iunius in Dan. 8.v.13. dicūt eum, qui interrogatur ab Angelo, & qui v.16. præcipit Gabrieli eſſe CHRISTVM C cap.10.verſ.13. *Chriſtus appellatus Michael voce cōpoſita, quaſi dicas, qui par eſt, aut æqualis ipſi Deo forti, quemadmodum loquitur Apoſtolus ſcribens ad Philippenſes capite ſecundo.* Et verſu 21. cum dicit Propheta *ſolum Michaelem ſtare à populo Dei*, ſic illi exponunt. *Solus Chriſtus ſtat ab Eccleſia ſua & dicitur Princeps veſter vt alibi, Seruator corporis ſui, & caput Eccleſiæ, & ſuprà anteceſſor populi.* 9.25.& 26. Iidem in huius libri caput 6. ſemper aiunt Chriſtum eſſe, qui hic apparuit, & rurſum in Eccleſiaſtici cap.46.not.1. Idem Iu- D nius controuerſ.2.lib.1.cap.5.n. 4.pag. 21. cum dixiſſet Bellarminus ex S. Iudæ epiſtola, contentionem de Moyſi corpore cum Diabolo factam eſſe ab Angelo, ſuam hanc appinxit Ariſtarchus nouus cenſuram; *nempe vt vulgò obtinet loci illius interpretatio. Alioqui de eadem increpatione commodè poteſt accipi, ſi Ieſum Chriſtum intelligas Michaelis Archangeli appellatione. Sonat enim Michael Archangelus, ſi latinè interpreteris, qui par eſt, vel æqualis Deo, principem Angelorum.* Et cum E dixiſſet Bellarminus libro 1. de Chriſto cap. 5. *Angelum nunquam vocari Iehouah, niſi forte quatenus Dominum repreſentat*, negauit hoc ipſum eodem, loco Num. 5. idem Iunius dicens, *nec auctoritate, nec ratione vlla probabili: nec exemplo confirmari poſſe.* Sed apertis, vt aiunt, tibiis controu. 3. lib. 1. cap. 9. Num. 11. *Princeps*, ait, *copiarum Domini ſiue Angelorum eſt ipſe Dominus Ieſus Chriſtus, qui etiam Iehouah in hiſtoria Ioſuæ appellatur. Michael ergo, vt etiam nominis etymon oſtendit, eſt Dominus Ieſus Chriſtus. Prius probatur Ioſuæ. 5. & 6. poſterius* F *verò Danielis 12. Iudæ, & Apoc.12.* Et num. 13. *S. Michael paradiſi præpoſitus, & princeps cæleſtis militiæ dicitur quidem in Eccleſia Romana: ſed de Angelo rectè negamus dici. Negamus Paradiſi præpoſitum eſſe Angelum quemquam, Principem Iehouæ ſiue in cælo ſiue in terra, non alium quam qui Iehouah ſit, Chriſtum Dominum agnoſcimus Ioſuæ 6.2. Hæc de alio quocumque dici propriè, alienum à pietate.* Medium tenere voluit Lutheranus Gorlicenſis *primarius*, vt ſe quidem ipſe indigetat, *Miniſter* ſeu Prædicans Mart. Mollerus. Nam poſtillarum ſuarum parte 4. concione in feſto S. Michaelis pag.527. ſæpius fatetur Michaelem tantummodo Angelum eſſe: adiungit tamen in ſcripturæ locis quibuſdam eſſe Chriſtum. Danielis nimirum c. 10. & 12. itemque Apo.12.

Nouitati huic ianuam aperuit ipſe Nouatorum parens Lutherus dum tomo.4. Germanico edit. VVitten. anno 1551. f. 5376. in ſermone anno 1544. habito ſuper epiſtola Miſſæ in feſto S. Michaelis ex Apocalypſis cap. 12. dixit; *Princeps belli huius quem* (in Apocalypſi Ioannes) *Michaelem vocat, alius eſſe non poteſt quem Dominus noſter Ieſus Chriſtus Filius Dei. Licet enim alioqui Michael ſit etiam Angeli vnius nomen Dan. 10. vbi eum* (Propheta) *vocat præcipuorum Principum vnū hic tamen non eſt eiuſmodi perſonale nomen (ſicuti homo quilibet ab alio per proprium ſuum nomen diſtinguitur) neque eſt creaturale nomen, ſed nomen ipſiuſmet Domini & Creatoris, qui ſolus hoc nomen gerit. Nam vocatur etiam propriè, & ſi rectè eſſet interpretandum, nihil aliud eſt, quam Deo æqualis. Hoc nomen eſt, quod nulli præterquam Maieſtati conuenit, quemadmodum ſæpe ait ſcriptura: Quis ſicut Dominus? quis ſimilis Domino inter filios Dei? Et tamen vnius perſonæ talis nomen eſt, quæ vocatur, Deo æqualis, non ſicuti Angeli & homines etiam vocantur filij Dei, ſed, Quidam ſicut Deus, Sic propriè ſonat Hebraicum Michael, vnus ſingularis, qui Deo æqualis vel perfectus vt Deus, quemadmodum eum etiam ſcriptura vocat vnicam diuinam imaginem*, Coloſſ. 1. *Qui eſt imago Dei inuiſibilis, id eſt, Deo Patri omnino æqualis: & nobis tamen inuiſibilis, &c.* Subdidit poſtea de Ario, *hunc principem Michaelem negauit dicens, eum non eſſe Filium Dei naturalem, vel non eiuſdem eſſe ſtaminatis aut eſſentiæ, cuius Pater eſt.*

Imo ante Lutherum fuit hereticorum Bogomilorum error apud Euthymium, Panopliæ, p. 2.tit.23.n.8. *Verbum patris eſſe Michaelem, & carnem factum.* Sed adeo ridiculè ac fabuloſè narrarunt iſta, vt eorum ſuppudeat. *Dicunt*, ait ille, *cum homines acerbo dæmonum Dominatu premerentur, crudeliterque perderentur, vix paucos ex parte Patris extitiſſe, & in angelorum ordinem aſcendiſſe, eos nimirum, qui in genealogiis: Euangelii ſecundum Matthæum, & ſecundum Lucam recenſentur. Tandem autem aliquando patrem ſe decipi, atque iniuria affici animaduertiſſe, qui cum præſtantiorem hominis partem tribuiſſet, in eoque perficiendo, quæ præcipuæ ſunt partes, abſoluiſſet, maiore tamen generis hominum numero priuaretur, animamque commiſeratus, quam ipſe inſufflaſſet, quæ tam miſera ſeruitute affligeretur, ad eius vltionem anno quinquies milleſimo quingenteſimo ex corde ſuo verbum eructaſſe, id eſt, Filium & Deum. Scriptum eſt enim, Eructauit cor meum verbum bonum. Hoc autem verbum & filium Michaelem Archangelum eſſe contendunt. vocabitur enim, inquit, nomen eius magni conſilij Angelus, Archangelum vocari, quod Angelis omnibus antecellat, Ieſum autem, quod omnem morbum, omnemque dolorem curet, Chriſtum verò, quod vnctus ſit carne, deſcēdiſſe de cælis, & per aurem virginis dexteram influxiſſe, carnem induiſſe, quæ aſpectu quidem videatur ex materia conſtare, & humani corporis eſſe ſimilis, cùm tamen re vera materiæ ſit expers, ac diuina. Rurſum autem egreſſum eſſe per il-*

Digitized by Google

lam partem, per quam introierat, virgine nec introitum ipſius, nec exitum ſentiente. Simpliciter enim eum in ſpelunca iacentem, & pannis inuolutum reperiſſe. Ac diſpenſationem quidē in carne peregiſſe feciſſeque, & docuiſſe ea quæ in Euāgeliis cōtinentur, ſpecie tamē & opinione duntaxat fuiſſe humanis affectionib⁹ obnoxiū, & cum videretur crucifigi & mori, & reſurgere, ſcenam ſoluiſſe, & fabulam pateſeciſſe, depoſitaque perſona confudiſſe deſertorem: & craſſa, grauique cathena vinctum in Tartaro incluſiſſe, ademiſſeque illius nominis ſyllabam, El, quæ eſt angelica, permiſiſſeque vt non Satanael, ſed Satana nominaretur. Expleto autem miniſterio, propter quod venerat, ad patrem reuertiſſe, & ad illius dexteram aſſidere in ſolio, ex quo Satanael fuerat eiectus. Deinde illuc introiſſe, vnde exierat, & in patrem iterum fuiſſe reſolutum, in quo quidem patre initio erat vtero ipſius concluſus.

Libet verò nouam hanc vanitatem vel iis ipſis, quæ ab iſtis indicari vidimus, vel aliis quibuſcumque argumentorum præſtigiis fucare & confirmare. *Principio* igitur; *Michael* ſignificat, *Quis ſicut Deus*; aut interpretatur Pantaleo *Dux exercitus* Dei: aut vti paulo ante dicentem Lutherum audiuimus; *Quidam ſicut Deus*. Ergò eſt Filius Dei, Chriſtus Dominus. *II.* Eidem Chriſto Domino maximè congruunt, quæ ſuperiore quæſtione poſitæ ſunt deſcriptiones, eſſe ſcilicet *Principem exercituum Domini, Principem Iſraelitarum vnū* (& ex crebro nominis אחד ſcripturæ vſu probari poteſt) *è primis principib⁹*. Et confirmatur tripliciter. 1. illa ipſa ratione, quæ ſuperiorem quæſtionem claudebat. Cum Deus ſit princeps Iſraelitici populi, quomodo Angelorum vnus hunc ſibi titulum arrogare auderet, præter illum vnum, qui dicebat Iſaiæ 14. verſu 13. *In cœlum conſcendam: ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſimilis ero altiſsimo.* 2. Cum qui Ioſuæ apparet, dicit ſe exercituum Domini principem, poteſt intelligi Princeps militiæ cœleſtis, id eſt, Angelorum omnium Luc 2. & quis eiuſmodi, præter Chriſtum princeps? 3. apud Danielem cap. 10. verſ. 13. poſſumus cum Tremellio & Bruchthono vertere, pro *vno, primum* è primis principibus. Nam vti notat etiam Fonſeca l. 5. Metaphiſ. cap. 14. quæſt. 2. ita ſæpe *vnum* ſumitur. Geneſ. 1. verſ. 5. *factum eſt veſpere & mane dies vnus*. id eſt, *primus*. Statim ſiquidem ſubiicitur verſu 8. *dies ſecundus* verſ. 13. *tertius*, &c. *vna Sabbathi* 2. Cor. 16. verſu. 2. id eſt *prima*, vt Matth. 28. v. 1. vertit Interpres noſter cum Græcè ſit εἰς μίαν σαββάτων. *III.* D. Auguſtinus hom. 9. in Apocalypſin explicans illa cap. 12. verba, *Michael, & Angeli eius pugnabant cum Dracone, Michaelem*, ait, Chriſtum *intellige, & Angelos eius, ſanctos homines.* Et ſic iſto Ioſuæ loco Procopius, *Deum*, ait, *habitu armis inſtructi cōparuiſſe*. Addatur Commētarius Ambroſianus. 1. Theſſ. 4. & ibidem S. Thomas. imo & ipſe, vt videtur S. Ambroſius, dum lib. 5. de fide ca. 4. vt probet Ioſue Chriſto rectè credidiſſe, locū hūc affert. *IV.* Sæpe in Zohar vocatur Michael *cohena rabba*, id eſt, *Sacerdos magnus*, vt ſuper Geneſ. lect. 1. fol. 19. colom. 74. verſu. 30. & fol. 31. colum. 102. lect לך לך, fol. 51. colum. 228. Quis verò præter Chriſtum Dominum ſacerdos ille magnus? Et fol. 34. colum. 133. verſu 44. dicitur אהשקיב. Cum verò אהם ſit *magnus*, vt ex Daniele 3. & lib. Eſther colligitur, & קאס ſit *conſeruare, ſtabilire, vitam dare, paciſci, vocare, præcipere*, quis alius præter Chriſtum Dominum, qui magnus conſeruator, vitæ dator, pactorum, votorum ac præceptorum ſtatutor dici poſſit? Reſpōdebo, hiſce argumentulis, primò, deinde opinationis eiuſdem falſitatem oſtendam.

QVÆSTIO XLIII.

Quomodo rationibus, quæ Michaelem Chriſtum ſolum probant, reſpondeatur, rationibuſque rationes opponantur?

QVATVOR potiſſimum vt ſolus Chriſtus Dominus credatur Michael, non autem creatorum Angelorum vllus; propoſitas audiuimus quæſtione iſta ſuperiore ratiunculas. Iis, propter nouitatis τὸ παράδοξον, paulo reſpondendum accuratiùs.

Ad primam ergo negatur conſequentia. Nam *primò* in ea interrogatione, quis ſicut Deus? clarè intelligitur, *Nemo*, vt explicat homil. 34. S. Gregorius. An Chriſtus Dominus *nemo* eſt, Homeri οὖτις? Sic enim accipimus illa etiam, Pſal. 88. *Quis ſicut tu fortis Deus*? & Pſal. 112. *Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat*? Exod. 15. *Quis ſimilis tui in fortibus Domine? Secūdò*. Si ob interrogationem iſtam Chriſtus Dominus eſſet *Michael*, tum pari ratione forent propria ipſi⁹ nomina aliæ omnes interrogationes allatæ ſiue accipiamus totas ipſas orationes, ſiue ex iis aliquo modo nomen vnum texamus. Nam prius illud fieri poſſet, vt Iſaiæ 8. verſu 3. *Voca nomen eius, Accelera ſpolia detrahere prædari.* Poſterius per inchoantes vocabula litteras, aut ſyllabas apud Iudæos vſitatum, vt ſi ex Pſalmi illius 88. interrogatione foret nomen, *Matth.* ex Pſal. 112. *Micaelbalas* ex 15. Exodi *Machabi*. de quo dixi proloquio primo in Machabæos. At Chriſtum ita vocari, quis vel per ſomnium effutiit vnquam? *Tertiò*. Longè veriùs dicitur, Angelum ita quendam appellari, quia ſeipſo, ſuiſque vocibus & factis omnibus immenſam Dei naturā, ſapientiā, bonitatem & poteſtatem aſſiduè nūciet, ita vt omnia ipſius vnū hoc veluti clamēt, *Quis ſicut Deus?* Ideo enim & idololatriæ adeo infeſtus à quibuſdā dicitur, vt idcirco de Moyſis corpore cum Satana litigarit Iudæ epiſt. verſu 9. Sic ſanè & homo ſanctus dicit Pſal. 34. *Omnia oſsa mea dicent: Domine quis ſimilis tibi?* vbi Diuus Auguſtinus enarratione prima pulcherrima. Si enim Ægyptiorum Regum quidam, *Doſo* dictus eſt, quia petentibus aliquid ſæpe δώσω reſpondebat, neque quidquā dabat, & apud Tacitum 1. annalium Lucillius Centurio vocatus, *Cedo alteram*, quòd cum vite caſtigaret milites, hoc identidem vſurparet; quidni poſſit Angelorum quiſpiam *Michael* vocari, quia diuinam vim ac immenſitatem hiſce quaſi vocibus perpetuò deprædicat? Sic & qui non ita pridem Romæ vocatus eſt *Deo gratias*, quemadmodum forte olim eodem, & ſimilibus nominibus affecti. Pantaleonis autem & Lutheri, qui interrogationem ſuſtulerunt, interpretatio, ab aliorum omnium iudicio recedit, & ab Hebræorum vſu, apud quos hæc מי *mi* particulæ

Digitized by Google

particula, interrogatiua eſt, niſi forte relatiuum ſequatur, vt verti poſſit, *is qui.* Vnde quia ſubaudiunt iidem Hebræi quandoque relatiuum, verti iam potius deberet, *Is , qui eſt ſicut Deus,* prout in Danielis cap. 10. verſu 13. Tremellius & Iunius aiunt, & tum firmari magis videtur, verè Chriſtum Dominum eſſe Michaelem. Nam ipſe imago Dei eſt 2. Cor. 4. 4. Coloſſ. 1. 15 Heb. 13. ipſe Deo æqualis Phi. 2. v. 6. At nō ſanè hinc neceſſario id infertur. Nam & vir quilibet *imago & gloria Dei* eſt. 1. Cor. 11. 7. & particula, *ſicut*, non neceſſariò omnimodam identitatem, ſed aliquam duntaxat ſimilitudinem expoſcit, vt Matth. 5. verſ. 48. *Eſtote vos perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Luc 6. verſ. 36. *Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter miſericors eſt.* Vide Damaſcenum lib. 3. cap. 26. D. Thomam 3. quæſt. 2. a. 6. ad 1. Mihi autem videtur Pantaleo Hebræolum aliquem de vocabulo iſto conſuluiſſe, illumque huic interpretationem illam venditaſſe. quia Hebraicè *nachab* eſt *ducere.* Sed in Hebræo textu nunquam per ח ſed per כ ſemper ſcribitur. *Quintò.* Alia etiam Angelorum nomina , *Raphael* , *Gabriel* Chriſto Domino accommodari poſſunt. quia ipſe eſt *ſanans Deus*, & *vir Deus*, ſiue *virtus Dei*; ſiue vt in Danielem citatus vult hæreticus cap. 8. fol. 30. *vir potentis Dei* : quæ iſtorum nominum notio eſt, prout oſtendi Tob. 3. q. 12. & quidem tanto melius Chriſtum ſignificare poſſunt, quanto interrogatiuæ formæ minus habent, Quis tamen Chriſtum Dominum , vt de Raphaele iam taceam , *Gabrielem* eſſe contendit? Rectè hom. 1. ſuper *miſſus eſt*, S. Bernardus, cum cur Gabriel incarnationi nunciandæ præpoſitus fuerit explicat. *Nec diſcordat*, inquit, *nomen à nuncio. Dei quippe virtutem Chriſtum quem melius nunciare decebat, quam hunc, quem ſimile nomen honorat? Nam quid eſt aliud fortitudo , quam virtus? Nam autem decedens aut in congruum videatur Dominum & nuncium communi cenſeri vocabulo : cum ſimilis in vtroque appellationis, non ſit tamen vtriuſque ſimilis cauſa. Aliter quippe Chriſtus fortitudo, vel virtus Dei dicitur, aliter angelus. Angelus enim tantū nūcupatiuè, Chriſtus autem etiam ſubſtantiuè. Chriſtus Dei virtus & dicitur & eſt, quæ forti armato qui ſuum atrium in pace cuſtodire ſolebat, fortior ſuperueniens, ipſum ſuo brachio debellauit : & ſic ei vaſa captiuitatis potenter eripuit. Angelus verò fortitudo Dei appellatus eſt, vel quod huiuſcemodi meruerit prærogatiuam officij, quo eiuſdem nunciaret aduentum virtutis, vel quia virginem natura pauidam, ſimplicem, verecundam , de miraculi nouitate ne expaueſceret, confortare deberet.* Malim tamen per interrogationem id nominis *Michael* nimirum explicare, quia, vt dixi magis hoc Hebrææ conſuetudini conſentaneum : & quia ita veteres omnes, & in his S. Hieronymus in Dan. 8. Ex ipſo igitur Michaelis nomine, ſiue id per interrogationem, cum Chriſtianis, & Iudæis omnibus , ſiue abſque interrogatione , prout hactenus monſtratum, interpretemur , confici nullo modo poteſt, eum verè Chriſtum eſſe.

Ad ſecundum, duobus dico modis aliquem eſſe *Principem vnus* eſt, vt abſolutiſſimè ſit talis , à nullo prorſus neque in terra, neque in cœlo dependens. *Aliter*; vt ſit quidem Princeps , ſed ab

A alio dependens. Priore modo, ſolus quidē Deus eſt Princeps, Rex & Dominus ; ſed non idcirco nullus alius eſt Princeps, Rex & Dominus, neque quoties horum aliquid in ſcripturis occurrit, ſtatim ſolus Deus intelligendus. Quin ſane poſteriore modo ſunt plures , iique graduū variorum. Nam à ſolo Deo pendent aliqui, ab aliis etiam creaturis alij. Quocirca Origines hom. 11. in Numeros vult Chriſtum vocari Regē Regum, Dominum dominantium, quia *Angeli Reges & Domini ſunt eorum, quos regunt.* Sed

B nihil ago, niſi tribus adiunctis cōfirmationib⁹, vt plane corruant? reſponſum do. *Ad primum* dico textum monſtrare iſtum, qui apparet, eſſe Principem quidem, ſed infrà Deū, & poſteriore qui ſupra indicatus eſt modo , quia non dicit, quod ſi Deus fuiſſet; dicere vtique potuiſſet; *Ego ſum Rex totius mūdi, Ego ſum Princeps cæli & terræ, Ego ſum Princeps gentium omnium.* vel abſolutè *Ego ſum Princeps populi mei*: ſed cum indicio ſuperioris, cui ipſe ſubeſſet, Domini ait, *Ego ſū Princeps exercitus Domini*, id eſt, illius, populi, illiuſq́,

C multitudinis & exercitus, quem ſibi Dominus è toto terrarum orbe delegit, cui me præficere dignatus eſt. Et cōfirmatur 1. ex Chaldeo Thargum, qui cum inferiorem principatum hunc in Hebræo perſpicuè ſignificatum videret, expoſuit. *Ego ſum Angelus à Dei facie miſſus*, vti dictū ſuprà q. 40. Confirmatur 2. qui aliter quā v. 14. in 70. v. 15. vocatur ἀρχιστράτηγος κυρίου, id eſt, *archiſtrategus* ſeu *imperator Domini*, nō quod Domino imperet (abſit) ſed quòd ſub eo ſit, ab eo miſſus ſit, eius exercitum populumque dirigat & tuea-

D tur. Sed ante incarnationem, quomodo ſub ſūmo Imperatore Deo eſſe potuit ſecunda Trinitatis perſona? Qua in re minor fuit Patre filius? Confirmatur 3. quia clarè Dan. c. 10. v. 13. indicat fuiſſe primos principes complures. Ergo principum iſtorum nomine non intelligēdus Deus, qui Princeps & Rex vnus, prout etiam ex Homero aſſeruit Metaphyſ. 12. Philoſophus οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω. *Non bona res multi Reges: Rex vnicus eſto.* Et ex hiſce principibus vnus dicitur S. Michael: non ex alio aliquo Principū

E genere. *Ad ſecundam confir.* Per *exercitum Domini* fateor intelligi poſſe militiam cœleſtem: ſed nō ſolam quin verò etiam Dei hoc in mundo populum Exod. 7. v. 4. c. 12. v. 41. *Eadem die egreſſus eſt omnis exercitus Domini de terra Aegypti.* Et ipſemet in Dan. c. 8. Brougthon⁹ fol. 30. *Iudæi*, ait, *exercitus cœli, ſidera & exercitus, & ſanctus populus nominātur*, in ipſo ſcilicet Daniele. Sed eſto; militiam cœleſtē accipiamus, an male illius Principem, modo ad ſecundum argumētum expoſito, Michaelem putemus? Nonne ab antiquis

F & nouis nouitia Nouatorum noſtrorum commenta ignorantibus & deteſtātibus, crebrò vocatur *Angelicarum copiarum Dux* ? ab S. Baſilio hom. de Angelis, Pantaleone loco citato , Sophronio in Encomio, Menologio Græcorū, die 6. Septēb. Laurentio Iuſtiniano ſerm. de S. Michaele, & alijs. Nonne conſonat Apoc. c. 12. vbi eius Angeli cum draconis Angelis præliari traduntur ? Nonne ita ſeipſum appellat ipſe Michael apud Nicephorum l. 8. c. 4? Nonne & Eccleſia ipſum ita nominat in eius feſto hymno *Tibi Chriſte ſplendor* &c. Puto tamen de ter-

Digitized by Google

rena Dei militia & exercitu eum hic ſe *Principem exercitus Domini* affirmare. *Primò*, quia terrenum eiuſdem exercitus Ducem totumque adeo exercitum cõſolari, ac in primo Chananæorum bellorum aditu confirmare ac erigere volebat. oſtendens ſe affore: ſibique totum illum populum cordi ac curæ eſſe. *Secundò*, quia idve terũ pluribus viſum. *Tertiò*, quia hoc etiam nomine commendatur Danielis 10. dum de ipſo è Daniele dicitur *Princeps veſter*, vt clarè appareat ipſius principatum celebrari, quatenus hominibus, non autem cœlitibus præſidet. *Quartò*, quia ſynagogæ ipſum veteris principem docet Dionyſius Areopagita libro cœleſtis Hierarchiæ cap. nono, Auctor operis imperfecti hom. 48. D. Hierony. in Dan. c. 10. S. Gregorius lib. 17. Mor. c. 8. Theod. in Coloſſ. 1. Haymo Epheſ. 6. D. Thomas in Iſ. 10. & 4. ſententi. diſt. 43. q. 4. a. 3. ad. 2. & 1. Theſſ. 4. Pantaleo de S. Michaele conc. 1. & maximè orat. 2. Pachymeres in Dionyſij caput illud 9. fol. 68. datum ait à Deo Michaelẽ τῷ ἡγεμόνα τοῦ τοιούτου λαοῦ: & Maximus ibidẽ fo. 46. τὸν δὲ τῶν ἰδικῶν ἀγγέλων ἔχειν τὸν Μιχαήλ: Rabanus l. 1. de cruce p. 7. & in declaratione p. 2. l. 2. fig. 3. Cæſarius libro octauo c. 45. *Ad tertiam, confir.* duo itidem dico. *Primò*. Non rectè colligi. *Vnus* aliquando *primum* ſignificat ergo hic. Nõ enim ſemper, vt in titulo Pſalmi primi ait D. Auguſt. *Secundò*. Eſto ſignificet *primum*. S. Michael erit *primus*, nam ſimpliciter, quẽadmodum ille qui Apoc. 1. v. 8. ait, *Ego ſum α. & ω. principium & finis* v. 17. *Ego sũ primus & nouiſſimus*; Sed *primus è primus principibus*. At nõ sũt plures primi Principes in diuinitate, ſed vnus tãtum πρωτεύοντος. In Angelis verò ſunt multi, vt ex Eph. 1. & Col. 1. perſpicuũ. Et qui primus aliquorũ eſt, debet eiuſdem cum iis eſſe generis. Non eſt è primis Leonibus primus hominum vllus, non è primis hominibus, primus Angelorum vllus, ſed è primis hominibus primus aliquis eſt, è primis Angelis primus Angelorum aliquis, ſanctus ſcilicet Michael. Atque hoc poſterius magno ſuffragatur opere illi opinioni de qua poſtea, *S. Michaelem* ſcilicet eſſe beatorum Angelorum primum & ſupremum omnium.

Ad tertium argum. Primò conſtat illius in Apocalypſin commentarii auctorem non eſſe S. Auguſt. Secundò. Michael eſt Chriſtus repræſentatione, non perſonâ & reapſe, vt ſuprà q. 4. ſicque l. 5. de fide c. 4. accipiendus. Ideoque S. Aug. rerum Index, dum locum iſtum indicat, *Michael*, ait, *& Angeli eius Chriſtũ & ſanctos homines ſignificant*. Idque Rupertus in Ioſue c. 18. ſub finem tradit, & *Zohar*, dum ait, *Quoties occurrit Michael, Dei Maieſtatem ſignificari*, f. 12. colum. 46. in imo. Commentarius Ambroſianus etiam pſeudepigraphus eſt, cuius poſuit tantum opinionem 1. Th. 4. D. Thomas & alteram ſtatim ſubiunxit.

Ad quartum. Primò. Quia ſacerdotum maxima quondam fuit auctoritas, inde factum, vt Principes aliqui vocati ſint *ſacerdotes* vt 2. Reg. 8. v. 18. *filij Dauid, ſacerdotes erant*. Manifeſtum eſt enim quòd *in tribu Iuda*, ex qua orti erant illi filii, *nihil de ſacerdotio Moyſes locutus eſt*. Heb. 7. v. 14. Ideoque Michael eſt *ſacerdos magnus*, id eſt, Princeps magnus, prout ſuprà dixit Daniel. Secundò. Eſto ſacerdotem ſignificet Chaldæa illa

A vox *Cohena*. Sed ſacerdos duplex eſt. Vnus propriè dictus; alter metaphoricè, quemadmodum Chriſtiani omnes dicuntur ſacerdotes & offerre hoſtias, preces nimirum & alia bona varii generis opera. 1. Pet. 2. v. 9. Apoc. 16. c. 5. 10. c. 20. 6. Rom. 12. 1. c. 15. 16. *Qui*, ait Origenes hom. 5. in Num. *aſſiſtit altari, ſacerdotis fungitur officio. Sacerdotis officium eſt, pro populi orare peccatis.* Vide eundem hom. xi. ibidem. & Tob. 3. q. 9. Atque ſic verè S. Michael Sacerdos magnus eſt, qui pro nobis preces offert aſſiduè. Origenes hom.

B 14. in Numeros: *Satage*, inquit, *quomodo aſſumaris in ſocietatem Michaelis Archangeli, qui orationes ſanctorum ſemper offert DEO. Quod*, ait citatus antea *Zohar*, *facit in terris Aaron, hoc in cælis facit Michael.* Et huiuſmodi Angelorum preces vniuerſè oſtendi Tobiæ 3. q. 4. & ſequentibus, patetque Apocal. 8. v. 3. & 4. Quid, quod vera veterum ſacerdotum munia interdũ obiiſſe Angelos legimus? Nam *primò* ſuum ipſe templum in Gargano conſecrauit S. Michael. Vnde ſuis in faſtis Baptiſta.

C *——Michael celeberrimus inter*
Cælituum turmas, templum ſibi fecit in alto
Vertice Gargani, factumque dicauit.

Secundo. S. Amphilochium, in quamplurimorum ſpectantium oculis, Epiſcopum inaugurarunt & vnxerunt S. Angeli, apud Nicephor. li. 11. c. 20. *Tertio*. Euchariſtiam ſacrã iidem quandoque piisquibuſdam porrexerũt, prout in Sophronii Prato, Cæſario, Marulo l. 4. c. vlt. & aliis videre eſt: etiam in Scoto l. 4. d. 5. q. 1. vbi tãtum *extraordinarios ſacrorum miniſtros* eos eſſe vult,

D prout contra Caietanum notat Dominicus Soto ibidem. Magnus verò ſimiliter conſeruator eſt, vitæ dator, pactorum, votorum ac præceptorum ſtatutor, quia princeps & ſacerdos magnus eſt: ſed, vt ſemper dixi, à Deo dependens. Et verò Iudices nonne. *Saluatores* in libro Iudicum ſæpe vocantur? *Alterum*, quod ſub finem quæſtionis 42. propoſitum erat, in ſequentem libet differre quæſtionem.

QVÆSTIO XLIV.

E *An & aliis rationibus probari poſſit, S. Michaelem non eſſe Chriſtum Dominum?*

PRIMVM meritò locum aduerſus hæreticos iſtos, qui veram S. Michaelis apotheoſin effingere cœperunt, teneat ſcriptura, quæ Deũ eſſe ipſum non modo nunquam teſtatur, ſed potius eſſe Deo creatori ſubditam creaturam, vt ſuperiùs q. 43. vidimus. II. Tamen argumentum ſit, Eccleſiæ totius, antiquæ & hodiernæ,

F Orientalis, & Occidẽtalis, Auſtralis & Aquilonaris perpetuũ, conſtãs, & cõſentiens iudicium. quod partim ex dicẽdis, partim ex aduerſariorũ ſentẽtia perſpicuũ, dum præceptas hactenus de S. Michaele, omniũque animis inſculptas ſententias euellere ſibi ſtudio eſſe profitentur. III. In Conciliis, extra diuinam ſtationem, ſemper in Angelorum propriè dictorum loco, numero & nominibus reponitur S. Michael: ſemperque à Chriſto Domino vocibus, & auctoritate, ac ſitu valdè diſtinguitur. Vide Moguntinum Concilium

Digitized by Google

Concilium à me citatum Tob.12. quæſt.12. & A
eadem de re Zachariæ Pontificis epiſt.9. quæ in
S.Bonifacii epiſtolis eſt 144. cui iungenda, quæ
in eodem libro eſt 135. I v. Patres omnes, quot-
quot vel Angelorum naturam, vel ordines li-
bris aut ſermonibus expoſuerunt, aut certè no-
minarunt, nominatimque Michaelem nomi-
narunt, eum iſtis ſemper tanquam ex iis vnum
aggregarunt. quotquot item in Danielem &
Apocalypſin ſcripſerunt, quotquot in Magi-
ſtrum ſententiarum doctores vnquam com-
mentati, ſic ſenſerunt: ſic tradiderunt, Diony- B
ſius Areopagita in cœleſti Hierarchia, S. Gre-
gorius hom.3.45. Baſilius hom. de Angelis, So-
phronius in Archangelum, Chryſoſtomus,
Damaſcenus, Rabanus l.1. de cruce f.7. vbi de
S. Michaele ſic. *At Michael princeps habitantum
dux & in alto, Te memorat virtute Dei ſimul æthera
cuncta, Et regere & tegere.* Diuus Hieronymus,
& cæteri. Quis enim omnes enumeret? v.
Chriſto Ieſu tanquam Deo vero ſacrificium ab
Eccleſia fit. S. Michaeli autem miſſam nemo
vnquam obtulit. & in ipſius honorē cum Deo C
ipſi miſſa offertur, ipſius tantùm preces & ſuf-
fragia petūtur, vt in eius feſto apud Latinos, &
in quotidiana apud Æthiopas Liturgia, ſancti-
que Baſilij Arabica, quæ Latinè nunc extant.
xi. In litaniis Chriſto Domino, Beatæque Vir-
gini ſemper poſtponitur S. Michael: & cum il-
li dicatur *Miſerere nobis*, huic dicitur *ora pro nobis*.
Inter quos precandi modos quantum interſit,
demonſtrat S. Cyrillus lib. 8. Theſauri cap.2.
Orig. hom.14. in Num. Vnde & ſummus ac
profuſiſſimus eiuſdem S. Michaelis Encomia- D
ſtes Pantaleon orat. de miraculis, *Te*, ait, (ô Mi-
chael) *omnis cœtus Chriſtianorum poſt Deum &
intemeratam eius matrem, Patronum habemus maxi-
mum & ſalutis defenſorem.* Atque hanc tamen an-
gelicorum nominum recitationem etiam mi-
raculo apud Turonenſem lib. de gloria Confeſſ.
c.1. confirmauit Deus. Et in ſecūdis S. Michae-
lis veſperis antiphona quæ Marianam oden à
fronte ac tergo excipit, eadem dicit Eccleſia:
*Princeps glorioſiſſime, Michael Archangele, eſto me-
mor noſtri, hic & vbique ſemper precare pro nobis Fi-* E
lium Dei. vii. In officio Angelorum toto Matu-
tino, veſperis hymnis, reſponſoriis, aliiſque id
genus eadem ratio eſt, etiam in eo quod *Cōfiteor*,
vocam⁹, & in precib. pro morituris & pro mor-
tuis. viii. Templum verò iuxta S. Aug. doctrinā
l.1. cōtra Maximum c.11. & l.2. c.11. l.3. c.3. & 21.
S. Michaeli qui vnquā eſtruxit, quis dedicauit?
Niſi fortè, prout aliquando quidam locuti ſūt?
intelligas Deo quidem exſtructum & dedicatū,
ſed ob illius honorem & memoriam. vt lib. 20.
contra Fauſtum c.21. approbat S. Auguſt. Sic n. F
plurima & nobiliſſima cùm ſanctorum aliorū,
tum verò S. Michaelis antiqua & recentia, in
Oriente & Occidente, templa ſunt. & in his ne-
que à principio, neque nunc, neque in ſtatis vel
cæremoniis vel precib. aliter vnquam S. Michael,
quam Dei Chriſtiq; ſeruus & angelus à Catho-
licis cultus & inuocatus fuit. Talia fuere tem-
pla duo à Conſtantino M. exſtructa, prope Cō-
ſtantinopolim vbi vetus illud Argonautarum
Soſthenium, de quib. Somozenus l.2. c.2. Nicep.
l.7. c.50. & lib.8. c.4. Cedrenus in Baſilio. Tale

Ieſue.

Conenſe, ſiue Coloſſenſe, de quo Imperator Em-
manuel in conſtit. de feriis apud Balſomonem
in Nomocanone Photii tit. 7. Menologium
Græcorum 8. idus Septembris, Nicetas Conia-
tes l.3. hiſt. pap. 208. Lipomanus tom.6. Tale
ἀχειροποίητον de quo in Cātacuzenis c.93. Ponta-
nus. Tale, quod exſtruxit S. Theod. Archiman-
drita Siceonius apud Surium to.2. p.740. ex e-
ius diſcipulo Georgio. Tale Bithynium, de quo
in S. Entonomi geſtis apud Surium tom.5. Ta-
lia & *Romana* tria, in ſummitate ſcil. molis A-
driani, in foro Piſcario, & apud Vaticanum: de
quibus Maii die 8. in Martyrologio Baronius.
Talia S. Michaelis templa, quæ *in Ethnici Martis*
locū ſubſtituta, colligit D. Braunius tom.5. Vr-
bium benè multa. Talia *ſex* etiam illa, quæ Im-
perator exædificauit Iuſtinianus, vti narrat in l.
de huius ædificiis Procopius li.1. Et meminit
Lex, quoniā Codice de SS. Eccleſiis. Talia apud
S. Gregor. complura l.2. epiſt.1. l.7. epiſt.15. l.8.
ep.12. & alibi. Talia & hodie in Italia *Garganium
Bononienſe*, & *Ticinenſe* apud Sigonium lib.15. de
Occidentali Imperio, & M. Velſerum l.4. Boi-
corum: in Germania, Luneburgenſe, Bonnenſe
Eiſſlianum, Monachienſe, Vienuenſe, Bamber-
genſe, apud Baronium tom.6. & in l.15. Othonis
Bambergenſis Epiſ. c.9. l.4. c. vlt. Gudingſper-
genſe, apud Cæſarium l.8. cap.46. & aliud apud
eundem .5. c.13. itemq́, Fuldenſe, & alia quæ S.
Bonifacius Amæneburgi, & Ordorffii ædifica-
uit, vt in eius vita eſt l.1. Moguntiacorum p.351.
& 477. in Belgio Louanienſe apud Molanum
Brucellenſe à S. Gundula exſtructum: in Gallia
Sambriocanenſe: in Ægypto Alexandrinum de
quo Io. Comi apud Baronium tom.8. in appē-
dice: in Polonia illud, vbi obtruncatus *S. Staniſ-
laus*, & alibi alia ſexcenta. ix. Par de quam pluri-
mis altaribus, & ſacellis in aliis vrbibus, templis
& arcibus. Ratio. x. Par de cœnobiis, Collegiis,
quibuslibet domibus, & locis, ratio, qualia cū
dictis iam templis complura, verbi cauſa, Ban-
bergenſe, Ordorffenſe, Moguntinum, Car-
thuſianum monaſterium, & apud Paulum Me-
liſſum in Palatinis originib. c.8. pag.59. S. *Mons*
der heilig Berg. alia que ſimilia. xi. Par & de feſtis
ratio quibus nunquā ſibi quis perſuaſit S. Mi-
chaelem tanquam Deum & Chriſtum coli: ſed
tanquam huius dūtaxat ſanctiſſimorum mini-
ſtrorum, amicorum, & principum vnum. Sic
ſingulis fieri menſibus apud Æthiopas, refert
Damianus à Goes: ſic in eius Apparitione die 8.
Maii: in dedicatione tēpli eius die 5. apud Græ-
cos, die 29. apud Latinos, Septembris, de quo &
Regum Francorum capitula li.2. c.35. Mogun-
tinum Concilium cap.36. & Honorius Augu-
ſtodunenſis in lib. qui Gemma animæ inſcribi-
tur. Vnde & Drepanius Florus.

Clarent Angelici ſublimia feſta diei,
Allatura piæ dona beata animæ.
Hunc & enim Michael aulæ cœleſtis alumnus
Conſpicuo nobis conſecrat ore diem.

Et Atrebatenſe concilium anno 1584.
*Gratitudinis ergò monemus omnes, & ſingulos no-
bis ſubditos, vt deuotione quadam ſpeciali vene-
rentur Angelos, & eorum feſta piis operationibus,
orationibus, & aliis exercitiis religionis, colant,
videlicet prima Martii, qua feſtum celebratur,*

Angelorum cuſtodum *animarum noſtrarum*, & *eiuſdem Martij decima octaua, qua* Gabrielis *noſtræ redemptionis Paranymphi memoria colitur*, & *octaua Maij, qua apparitio S. Michaelis ſolemniſatur*, & Sancti Michaelis *dedicatio*, *quæ celebratur Septembris penultima. Atque eum ipſum S. Michaelis diem menſis Septembris ita obſeruent, vt ab omni opere ſeruili, tanquam in ſummo feſto Natalis, omnium ſanctorum, abſtineant: vt ſic ſibi beneuolentiam ipſius Sancti Michaelis, & reliquorum omnium Spirituum Sanctorum concilient, & ſub eorum tutela ſalutem ſuam melius operari poſſint, & valeant ad honorem maieſtatis diuinæ cui perpetuò adſtare creduntur.* Certè cum Romam pergeret Otho Imperator cum ob S. Michaelis feſtum agendum diem ſubſtitiſſe aliquantiſper Auguſtæ narrat in operis ſui extremo Rhegino. XII. Quin eorum, qui tam multi, tamque religioſè ad Michaelis vel in Italia vel in Gallia peregrinati ſunt hactenus? an alia iis mens: alia de S. Michaele ſententia? Et in his magnus ille Imperator Otho, qui vt, in S. Romualdi vita Petrus Damianus teſtis, eſt, illuc nudis proceſſit pedibus, vbi, prout cecinit lib. 5. Lucanus; *ſubdita Sipus montibus* & vbi *Apulus Hadriacas exit Garganus in vndas*. XIII. Tot hactenus, & tam celebres ac manifeſtæ S. Michaelis apparitiones fuerunt, & tamen iis Chriſtum ſe eſſe numquam indicio vel minimo ille ſignificauit, ſed eius potius nuncium & famulum: ſibique non latricum illum ſummum, qui domino debetur, ſed minorem illum, qui Domini ſeruis debetur, ac idcirco δουλικῶς vocatur; cultum popoſcit. Sic enim fecit circa Domini annum 536. vel potius 493. vti & in Martyrologio, & in Annalibus tomo 6. notat Baronius? in *apparatione Gargania:* circa annum 709. apud Sigiſbertum, Guaguinum libro 3. cap. 4. Benedictum ad C. *Raynutius* in verbo *adiectæ impubere*: in *Abrincana* ſiue Sambriocanenſi circa Conſtantini Magni tempora, de qua Molanus in Martyrologio die 16. Septembris: in *Byzantina*, & iterum alia, tēpore Michaelis Imperatoris, & Theodoræ matris eius apud Pantaleonem orat. de miraculis S. Michaelis: circa Domini ſæculum alterum apud Metaphr. die 5. Septembris, Nicetam Coniaten in Coloſſenſi, & in ea, quæ Conſtantino Magno, & poſtea Probiano Medico de crucis vi & efficacitate, magno cum ſalutis periculo dubitanti, apud Nicephorum lib. 7. c. 50. quæ S. VVilfrido grauiter ægrotanti & à patria peregrinanti apud V. Bedam lib. 5. teſt. cap. 20. anno Domini 750. ſanitatem & patriam non vanè promiſit: & quæ ſancto noſtro Bonifacio lib. 1. vitæ cap. 29. in lib. 3. Mogunt. ad Oraham fluuium Ordoffii contigit: quæ S. Cononi apud Græcos, & ex iis apud Raderum in Viridario pag. 145. quæ S. Gudualdo die 6. Iunii: quæ Carolo 7. Francorum Regi Aureliam aduerſus Anglos defendenti. ſic vt inde S. Michaelis ordo ſit, de quo infra. quæ Alachin quondam ferociſſimum petterruit, vti narrat Boicorum lib. 4. laudatus antea M. Verſerus & olim Paulus Diaconus lib. 5. cap. 41. Neque verò hic moroſam Nouatorum frontem moror; Centuriatorum ſcilicet Centur. 4. cap. 13. & Chemnicii in Examine ſuo, dum iſta parui faciunt. Quid enim magnum magni facerent homines nihil? An eorum maior negando, quam tot auctorum, tot, ſæculis illis viuentium, hominum, & tam grauium, tot deinceps ſecutorum ſæculorum in affirmando auctoritas? Apud S. Ephrem. orat. de 40. Martyribus. tomo 3. fol. 255. *Ne conturbaret Martyres Chriſti inimicus, Angeli ſpatium ſtagni cuſtodiebāt? hinc quidem Gabriel, illinc verò Michael: & ab alto, Chriſtus vniuerſorum inſpector.* XIV. Extat in S. Procopii, qui olim *Nicias* dicebatur; hiſtoria inſigne miraculum, quod ille ad Chriſtianam religionem valdè accenſus. Dum enim Scythopoli auream fieri crucem Dux ampliſſimus curaret, in ea diuinitus abſque aurifabri operâ & ſcitu, tria incisa ſunt nomina *Emmanuel, Michael, Gabriel*, ſed ita vt locum ſummum teneret *Emmanuel*, inferiorem quem in trāſuerſaria expenſorum brachiorum pars habet, *Michael* & *Gabriel*. An nū eo ipſo Chriſtus Dominus à duobus iſtis clarè diſparabatur, & quidem vti ſupremus ab inferioribus? Vide Surium & lib. 2. de cruce cap. 13. Gretſerum noſtrum. XV. Ipſum *Angeli* vel *Archangeli* nomen, quod preciſè S. Michaeli datur; eum propriè Angelum, & non Deum eſſe ſignificat? Cum enim Angelus propriè nuncium & tabellarium ſignificet, an Deo rectè tribuatur? an Chriſto Domino, niſi ratione humanitatis? & quidem niſi iis appoſitis circumſtantiis, vnde, colligatur de illo ſecundum inferiorem naturam iſtam agi? Et licet Deus creaturarum omnium ſit Dominus ac Princeps, ipſa tamen, dum in compoſitionem venit τῆς ἀρχῆς, id eſt, *Principatus* vox, eum fere tantummodo, qui aliorum generis eiuſdem princeps eſt, tam in bonis, quam in malis denotat, vt *Architectus*, *archiatrus*, *archimandrites*, *architypographus Archileſtes*, *archipirata*. Chriſtus verò neque quâ Deus, neque quâ homo eiuſdem cum Angelorum natura generis eſt. XVI. Quin & ipſum Michaelis nomen tantam excellentiam, tantumque dignitatis pondus abnuit. Si enim Dei aut Chriſtus foret appellatio, eam vel nemo, vel perpauci certè ſumerent, prout de Ieſu dictum eſt lib. 1. cap. 2. quæ. 18. Sed & in veteri, & in nouo Teſtamento, quam plurimi locorum vbique *Michaeles* ſunt. Numer. 13. verſu 13. 1. Paralip. 5. 13. & 14. cap. 6. 40. cap. 73. cap. 8. 16. & 34. cap. 8. 16. & 34. cap. 12. verſu 20. cap. 27. 18. 2. Paralipom. 21. 2. Exod. 8. 8. Apud Orientales quàm multi hoc nomine Imperatores, Patriarchæ, alii? Apud nos quàm multi omnium ordinum homines, etiam Nouatores; Imo verò tam eſt hoc vulgare nomen. vt iam, quod non laudo; per contemptum de illiterato Latinæque linguæ indocto à quibuſdam dicatur, **er iſt ein Deutſcher Michel**, aut **ein einfeltiger Michel**. Omnino igitur nouum & inauditum de Michaelis diuinitate commentum. XVII. Sancti Michaelis imagines & ſtatuæ, quæ paſſim ſunt, Chriſtum an oſtendunt? an non potius Angelum, qui Chriſto Domino ſubditus, qui ab eo, eiuſque cruce, proterendi dæmonis vim accipiat? qui animarum promerita tanquam ſummi ducis libripens, expendat? Et ex hiſce tamen imaginibus non defuit

deſuit,quæ miraculo,magno, ad morborum omnium curationem oleum ex ſeſe funderet, prout oratione de Sancti Michaelis miraculis narrat citatus Pantaleum. Rurſum. Extant Imperatoriæ adhuc imagines,in quib. longè infrà CHRISTVM Dominum Angelicis tantummodo mentibus accenſetur Michael.vt eſt Henriciana illa tabula,de qua dixi Tobiæ 12.q.14. & illa nobiliſſima Traiectēſis crux Græcis & characteribus & imaginibus ornata de qua Gretſerus noſter Tomo 3.de cruce l.4. pag.540.XVIII. Declarant & nomiſmata quædam excellētem Michaelis præſtantiam.ſed ita vt ei diuinitatis nihil omnino tribuant. Vocantur ii *Angelici*, vulgo *Angelotti*,de quib⁹ vt de Lacedæmoniorum teſtudinibus,quas infrà c.vlt.q.16.tangam olim Græci ſolēt in Iudices,qui auro corrumpi ſe ſinant;iculariter Angli dicere: *VVeſtmonaſtery*,vbi curia & tribunal eſt; *Angelos miracula facere*. Videntur autem iſtiuſmodi vetuſtioribus etiam ſæculis fuiſſe,qui in Chronico Caſſinenſi vocentur *Michalati* l.3.c.57.li.4.c.17.licet à Michaele Imperatore Conſtantinopolitano ſiue is Theophili ac Theodoræ filius, ſiue alius quiſpiam fuerit,dicti etiam quidam ſint *Michaelitæ*, vti notat l.11.c.11. VVilhelmus Tyrius. qui & eorum poſtea iterum meminit l.c.15.citatuſque paulo ante Gretſerus tomo 3. de cruce l.1. c.27. Atque ad hoc,vel ad ſuperius argumētum ſpectat illud etiam Imperatorium flammeolum, ſeu vexillum,quod ab S.Michaelis imagine nūcupatur apud Curopalatam p.93. Archiſtrategus,prout idem Gretſerus in ſecundi Tomi notis notat p.610.XIX. Quid, qui in S. Michaelis honorem totos 40. dies ieiunare ſolitus fuit. *Sanctus Franciſcus* eum forte CHRISTVM arbitratus eſt? Nihilominus.Sed pro Angelo duntaxat illum habuit,vti videre eſt apud ſacrorum, quæ anno Domini 1224. in ieiunio iſto accepit ſtigmatum ſcriptores D.Bonauenturam cap.13. D.Antoninum parte 3.Chron. tit.24.cap.7.XX. Qui Galliarum florentiſſimum regnum in S. Michaelis tutela credunt,nunquid non eo modo intelligunt,quo Daniel,cap.10.Perſarum & Græcorum regna in certorum angelorum præſidio ſtatuit?quo vrbes,loca, homines in cœlitum patrocinio Catholici ponunt?Ita prorſus, vt apud Io.Stephanum Durantum licet legere lib. 2.de Eccleſiæ Ritibus cap. 31.XXI. Eſt in Gallia militaris *S.Michaelis ordo*, quem Ludouicus inſtituit vndecimus, vti eodem loco memorat Durantus, Guaguinus libro 10. Genebrardus in anno Domini 1496. & Azor noſter Tom.1.Inſtitutionum Moralium libro 13. cap. 6.Extremo. Num igitur ordinis huius eques vllus S. Michaelem CHRISTVM putauit; Omnium nemo prorſus.XXII.Eadem non Theologorum omnium ſolummodo,ſed & Iuris conſultorum eſt,apud Iuſtinianum Nouella octaua tit.3.vbi,qui iurat,primo quidem *per Deum, & Ieſum Chriſtum,ſanctum ſpiritum* iurat? deinde *per B.Virginem*:tertiò & poſtremò *per S.Archangelos Michaelem & Gabrielem*. Vnde & qui reuerendiſſimi Archangeli vocentur in canone 1. *Quoniam* Cod. *de ſacroſanctis Eccleſiis* intelligitur, & apud Balſamonem in 9. Canone tit.7. XXIII. Eadem etiam, quidquid, vt ſuperiore quæſtione viſum eſt; comminiſcatur Broughtonus, Iudæorum omnium ſententia eſt, & quidem in illo ipſo, quem nouitatis huius ſuffragatorem laudauit, libro *Zohar*. Nam ſæpe quaſi purus putus Angelus, & quaſi eiuſdem conſors naturæ ac ſocius *Gabrieli & Raphaeli*, ipſi etiam quandoque *Vrieli* coniungitur, vt f. 12.colum.46. vbi de particula את in primo Geneſeos verſa diſputatur, & currus myſtici conſtituuntur. fol.30.colum.120. fol.31. & alibi. Vide ſi libet,quæ in Cabala de 4.aut rotis aut gēmis. traduntur., & quæ ab iiſdem ex Cantic.3. verſu 9.de *argeman* colliguntur. Nam iis eſt א *Vriel*, ר *Raphael*, ג *Gabriel*, מ *Michael*, נ *Nuriel*. Cum verò ſummæ apud Iudæos omnes auctoritatis ſit *Thargum*, nonne in hoc ipſe clariſſimè infrà Deum ponitur *Michael*,& in Angelorum aliorum gente ac tribu collocatur Cantic. 8. verſu 9.? Nam & ibi *ſe cum illis* ait *velle Iſraelem tueri,& pro eo dominam implorare miſericordiam*.XXIV. Quid Saracenorum princeps & Phylarchus? Is apud Theodorum Lectorem Coll.lib. 2. & Nicephorum lib.14. cap. 35. Chriſtianam fidem & baptiſmum cum amplecti decreuiſſet, ab Seuero Monophyſita hæretico ſolicitabatur, vt Chriſtum Dominum vnius tantùm naturæ diuinæ crederet,ab eiuſque factionis hominibus baptiſmo initiaretur. At ille, ſolerti commento, ſibi de S. Michaelis Archangeli morte literas allatas dixit. Iſti vero illius legati fieri non poſſe dixerunt,vt moreretur Angelus. Ille verò à S. Michaele inferiore ad ſuperiorem Chriſtum,& Deum præclariſſimè ratiocinans, magnumque inter ipſos diſcrimen ſtatuens. *Quomodo*, inquit, *ſi duas naturas Chriſtus non habet, nudam crucem Deus pertulit, cum ne Angelus quidem pati quidquam, aut mori queat?* XXV. Eadem noſtri temporis hæreticorum aliorum omnium ſententia eſt. vt in eorum Poſtillis videre eſt, præſertim verò in nuperâ Martini Molleri Praxi Euangeliorum parte 4. pag.527. & ſequente.licet ineptè concedat Michaelem, non Angelum modo eſſe,ſed vt ſuprà dicebam quæ. 42. certis in locis ipſummet Chriſtum, vnde licet Danielis 10. & 12. Apocalyp.12. Eſt & eorum omnium, qui angelorum feſtum retinent, vt in Conuentu Torgenſi, & in Brunſvvicenſi Agenda Lutherani, de quibus Lindanus Apologia parte 2. cap. 59. Eſt etiam Lutheri in citato de Sācto Michaele ſermone. Eſt veterum quoque aliorum hæreticorum, adeo vt eorum quidam in aliud inſaniæ barathrum prouecti, Sanctum Michaelem gehennæ ſuppliciis addicendum nugati ſint, *Lollardi* nimirum de quibus in Hirſaugienſi Chronico Trithemius, anno 1315. pap. 211. XXVI. Eadem denique apud Turcas etiamnum permanet qui, libro apud ipſos magnæ auctoritatis, *Doctrina Machumet*, inſcripto legunt fol. 190. *Michael, Gabriel, Saraphiel*, id eſt, *Sar*, ſiue *princeps Raphael Archangeli, Secretarij Deitatis*. Cum igitur ipſi etiam Turcæ: hæretici veteres,& noui: Catechumeni & Chriſtiani omnes, Patres: & Eccleſia Orientalis & Occidentalis vniuerſa,ipſaque ſcriptura non modo non annuat, ſed abnuat etiam ac reclamet, faceſſat nouitia de S. Michael. diuinitate vaniſſima delitatio,

Digitized by Google

Amen. XXVII. *De Moyſis corpore eum diabolo*, vt in S. Iudæ legimus epiſtola; *altercatus eſt Michael Archangelus, neque hunc auſus eſt iudicium inferre blaſphemiæ: ſed dixit, Imperet tibi Dominus.* Iudæ v. 9. Si S. Michael erat ipſemet Dominus, cur non auſus eſt Satanæ *iudicium blaſphemiæ inferre*, ſiue maledicti notam impingere? cur ad Dominum, vt ab eo increpetur, eum ablegat? Longe ſcilicet aliter quam Zachariæ ca. 3. vbi vocatur ipſemet *Dominus* & *Iehouah*, qui, vt diuinarum indicaret perſonarum multitudinem, dixit Diabolo. *Increpet te Domin⁹ Iehouah, Satan.* vti oſtēdit l. 1. de Chriſto c. 5. Bellar. aut certè ſi etiam Angelus apud Zachariam, hoc dixit, dixit tāquam Domini perſonam ſuſtinēs, vt vult in eum locū Arias Montanus, & non negat citato loco Bellarminus. XXVIII. Quæ contra Bogomilos diſputat loco ſit. Euthymius, eadem quatenus Michaelem eſſe Chriſtum dicunt, valent contra Nouatores noſtros. *Quod*, ait, *Michaelem Archangelum natura dicunt eſſe filium Dei & Dominum qui homo factus ſalutem humanam executus eſt, incredibilem ipſorum impudentiam admiror. Si enim Michael Archangelus creatus eſt, & ſeruus, vt reliquæ item omnes cæleſtes poteſtates, quomodo natura filius, & eiuſdem eſſentiæ cum patre? Niſi forte patrem quoque creatum, & ſui ipſius ſeruum eſſe dicāt. quod quidem abſurdum eſt, ſibique repugnans. Appellatur autem magni conſilij angelus ipſe filius naturalis, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus, quoniam quemadmodum hominis verbum, quod ore profertur, mentis vnde profectum eſt, motus enunciat: ſic & verbum Dei diſcipulis ſuis magnum patris conſilium, ſiue humanitatis à ſe ſuſceptæ, & euangelica præcepta, & ſalutem credentium ex ipſis proficiſcentem enunciauit. Quamobrem dicebat, à me ipſo nihil loquor, ſed quæcunque audiui à patre meo, ea vobis nuncio. Cum igitur Michael Archang. ſeruus ſit: Dominus autē is, qui natura filius eſt, & humanitatem ſumpſit, inanes eſſe conſtat appellationes, quas Archangelo tribuunt Michaeli, cū illū vel Ieſum, vel Chriſtū vocant. Itaque ſilentio prætereatur. Quod autem dicunt, eius carnem materiæ expertem induiſſe, & quæ vera eſt ex virgine tollunt generationem, ex Manichæorum inſania deprompta ſūt, & ex illis hæreſibus, quæ ante ipſam extiterunt. In eo igitur Titulo, qui aduerſus Armenios ſcriptus eſt, lege ſeptimum caput, & ad ea progredere, ad quæ inde reieceris & ſtrenuas inuenies confutationes. Iam illud ridiculum & abſurdum eſt, quod ex nomine Satanael ſyllabam,* el, *ademptam dicunt. Etenim etiam antequam tyrannidem eius euertiſſet, Videbam, inquit, Deus homo factus, Satanam tanquam fulgur è cœlo cadentem, cum nondum,* el, *ſyllaba fuiſſet ſublata. Superuacaneum eſt etiam oſtēdere, cum poſt aſcenſionem ſuam in ſolio Satanaelis ad dexteram patris cōcediſſe. Satanel enim, vt demonſtrauimus, neque natura filius fuit, neque primogenitus, nec ſoliū habuit, nec ad dexteram patris vnquam aſſedit.* Quia verò Braunii l. VIII. argumento citatus non ita omnibus in prōptu eſt, eius huc verba non grauabor tranſcribere. *Quemadmodum*, ait, *olim extra vrbes, in portis, & editioribus locis: Martem vt vrbis, & communitatis protectorē, infideles colebāt, qui in præliis, & bellatorū expeditionibus ipſis opitularetur. Ita maiores noſtri, primi Chriſtiani, impium Martis cultum deteſtantes, eius aras Deo vero ac viuo conſecrantes, Diui Michaelis memoriæ & tutelæ attribuerunt. Qui,*

A *vt olim à Deo Danieli aſſignatus eſt Hebræorum Eccleſiæ defenſor, ita militantis Chriſtianorum Eccleſiæ aciem, & fluctuantem exercitum, vt archiſtrategus, dux, & præfectus, per gratiam Dei tueretur, atque defenderet. Multarum vrbium Chriſtiana ac pia conſuetudine ita obſeruatum, confirmari poteſt.*

De Martis delubro in ducatu Sleſvvicenſi, *Luneburgi, & Iulini diximus, vbique, S. Michaelis eſt ſubſtituta Eccleſia.* Antuerpiæ, *templum Martis in S. Michaelis honorem conuerſum, prima paſtoribus populis ſedes fuit. Nunc, magnifica eſt S. Michaelis ordinis* B *præmonſtratenſium Abbatia. Martis etiam delubrum in monte fuit extra* Leodium, *vbi nūc eſt S. Ægidij Canonicorum Regularium Abbatia D. Michaelis memoria, & Eccleſia celebris. Nota eſt* S. Michaelis *hiſtoria in monte Gargano.* Bononiæ *memoria S. Michaelis in Boſco;* In pedamonte, *eiuſdem Archangeli phanum excelſo in monte Abbatia nobili illuſtre. In Dalmatia, ad famoſum* Cliſſæ *propugnaculum arcemque inuictam, in altiſſima rupe S. Michaelis Archangeli celebre oratorium exiſtit. In noſtra Colonienſi vicina,* Monaſterii *Eiſſliæ in altiſſimo mōte, olim Mar-* C *ti ſacro, nunc D. Michaeli ſacellum perantiquum conſpicitur. Quin &* Bonnæ. *vbi Mars Militaris tēplum antiquitus habuit. Quod Aurelius Sintus præfectus, Anno ab vrbe condita, 1047. à Chriſto nato, 295. impenſis ſuis reſtaurauit, ibi nunc Monaſterium, & ſacrum nobilium Virginum Collegium extat, D. Michaelem, & in apice Eccleſiæ, & in aditu templi, vt tutelarem Diuum & protectorem loci effigiatum exhibens, à quo* vallis Angelorum *nuncupatur.*

Sed ipſam Agrippinam Coloniam, patriam nobis lōgè chariſſimam, ingrediamur, vbi, quod ſupra portam D *Rhenanam Marti conſecratam commemor auerimus phanum, in oratorium D. Michaelis auorum pietate, mutatum fuit. Quod nunc, neceſſitate ita poſtulante, Magiſtratus auctoritate eſt amotum, & ad antiquitatis conſeruandam memoriam, duæ conſtitutæ ſunt ſtatuæ, quarum altera Martem, altera S. Michaelem Archangelum repræſentat, cum tali inſcriptione.*

Ædibus his phano Martis celeberrima porta
Aſtitit, hanc vrbis ſtruxit Agrippa parens.
Addidit illuſtres aras, vbi iura ferebant
Bellorum, & ſtabant fixa trophea Diis,
E *Hic gladius magni fuerat ſuſpenſus Iuli,*
Sylnius & quo ſe foderat Enſis Otho.
Porta Michaelis Chriſto regnante, dicatur
Sanguinei Martis cum ſimulachra labant,
Aſt obſcura fuit moles, & inutilis vrbi:
Tranſlatis igitur, ſit via plana ſacris.
Vt iam Mauortis *ſunt diruta mœnia, porta*
Dextera ſic vrbem ſeruet ab hoſte Dei.

Hanc tutelarem D. Michaelis *memoriam Colonienſibus in primis gratam fuiſſe, hinc facilè conſtat, quia in diuerſis editioribus locis, inſignata tanti patroni no-* F *mine oratoria, auorum pietas inſtituit. Vt in altera vrbis antiquæ porta, verſus meridiem ad S. Cecilia Monaſterium, vbi editiore in loco, D. Michaelis celebre oratorium, & cœnobium exiſtit, prout etiam in alia in aliarum noſtrarū Eccleſiarum turribus, portis, & teſtudinibus. Quin & primi ſummæ & Metropolitanæ ædis fundatores tātæ molis faſtigium S. Michaelis Sacello, tanquam Colophono claudere, & vtramque campanariam turrim in apice, tanti condeprecatoris oratorio coniungere ſtatuerunt.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO XLV.

Cùm S. Michael non ſit Chriſtus, poſſit ne ſaltem Angelorum omnium ſupremus exiſtimari?

OMISSIS & exploſis, qui S. Michaelem Chriſtum faciunt, Nouatoribus; *tres* de ipſo ſunt apud Catholicos *opiniones*. *Prima* eſt, eſſe Angelum, ſecundo ſcilicet Hierarchiæ primæ ordine. Inſinuat Diuus Thomas 1. quæſt. 112. a. 3. & Gabriele videtur adhuc inferiorem B facere Iulius Cæſar Scaliger in Diuis ſuis edit. Colon. fol. 61. *Secunda*. Eſſe principem è tertio ac ſummo eiuſdem hierarchiæ primæ ordine. Ibidem Diuus Thomas: & apertius in Magiſtrum ſentent. 2. d. 10. vt citaui cap. 3. Tobiæ quæſt. 2. cæterique fere ibidem Scolaſtici. *Tertia*. è ſumma hierarchia, ſummoque ipſius ordine ipſum & primum & ſummum eſſe docet in Hebrçæ cap. 1. Catharinus, Bellarminus libro primo de Pontifice cap. 9. & qui hiſce diebus prodiit, P. Blaſius Viegas in Apocalip. 12. C ſect. 18. Vt diſtinctè reſpondeam;

Dico primò. *Angelorum omnium ſummus & præſtantiſſimus fuit: is, qui, omnium primus in Deum peccauit, aliiſque peccandi auctor extitit*. Negat hoc quidem Damaſcenus libro ſecundo de fide capite quarto, & dubitat S. Auguſtinus libro 3. de Gen. ad litteram cap. 10. lib. 11. cap. 9. alij tamen Theologi, conſentiente ſatis voce affirmant, Tertullianus lib. 2. adu. Marcionem c. 10. cui hoc adfingi falsò ſanè ac impudenter mentitur Iunius contro. 3. lib. 1. Num. 9. Sed D enumeratio iam cœpta pergat. Origenes lib. 1. περὶ ἀρχῶν cap. 8. & tract. 9. in Matth. D. Chryſoſt. homilia de Adam & Eua, & homilia de lapſu hominis. Lactantius lib. 2. cap. 9. etiam ſi multa, quæ animaduerſatione indigent, ibi admiſceat. D. Hieronym. vel quiſquis in eius Tomis auctor eſt; in Iob 40. Cyrillus Catech. ſecũda. Diuus Greg. l. 4. Moral. c. 12. l. 9. c. 2. lib. 32. c. 24. & 25. homilia 34. in Euam. Auctor operis de mirabilibus ſacræ ſcripturæ lib. primo cap. 2. Iſid. libro primo de ſummo bono c. E 12. Pantaleon orat. 2. de S. Michaele, D. Bernard. ſerm. 1. de aduentu, & tract. de gradibus humilitatis, grad. 1. Gloſſa in Iſaiam cap. 14. & Pſalm. 103. Magiſter ſententiarum 2. diſt. 6. D. Bonauen. Durandus, cæterique illum in locum diſputatores penè omnes, & Alexander Alenſis 2. p. q. 109. membro. 1. ar. 1. & 2. Albertus Magnus 2. p. q. 20. & lib. de 4. coæuis q. 10. a. 1. D. Thomas 1. p. q. 63. a. 7. lib. 3. contra Gentes c. 109. Et ad hoc afferunt ſcripturas ex F Iſaia c. 14. Iob. 4. Ezech. 28. quæ vel primo ac proprio ſenſu, vel certè ſecundario & allegorico id ſignificent. *Rationes* etiam afferuntur. potiſſimum *duæ*. *Prior* eſt. Eum, qui libero arbitrio præditus eſt, tria tantum ſunt, quæ ad peccatum illicere ac excitare poſſunt, inſita ſcilicet quædam ad malum *propenſio*: *cauſa* quædam *exterior* peccatum, peccatiue illecebram proponens: & *obiectum* aliquod *vetitum* allubeſcens. At *primum* habet quidem in hominibus locum Gen, 6. non in Angelis, quibus nulla corpora, ideoque nullæ quæ ab illis ſunt, cupiditates. *Secundum* nos etiam vexat, demum ſcilicet, aut

A hominum quiſpiam flagitioſus. At vero antè Angelorum lapſum, dæmon nullus erat, & ante primum, qui ex iis lapſus eſt, nullus, qui ad peccandum alios impelleret, vſquam erat. Supereſt igitur vt conſideretur *tertium*, & quidem in omnium qui lapſi ſunt, primò, maximè. de quo ſic.

Videtur ille prolapſorum Angelorum omnium primus peccaſſe, cui maximum fuit obiectum, quod vetitum quidẽ eſſet, ei allubeſceret tamen. Eiuſmodi autem erat Angelorum omnium ſupremus. Cum B enim *ſuperbiam* peccatorum omnium primum fuiſſe conſtet. Eccleſ. 10. v. 14. & 15. D. Thomas p. 1. q. 63. a. 2. huius verò materia ſit excellentia, magis ad peccandum præ aliis prolectatus, in quo ea maior. Erat verò in omnium ſupremo maior. Ipſe igitur, qui omniũ primus peccarit, fuiſſe videtur. *Altera*. Ex omnibus Angelorum ordinibus corruerunt aliqui: & in ſcriptura videmus ſuperiorum ordinum nomina demonib. tribui, *principatum* ſcilicet ac *poteſtatẽ*, Epheſ. 6. vt omittam D. Thom. q. 63. a. 9. ad C 3. D. Bonau. l. c. q. 2. a. 1. Alenſem. q. 110. m. 3. quòd ex iis nimirum fuerint, vt ait Hugo de S. Victore l. 1. de ſacram. p. 5. cap. 30. Et *Cherub* vocatur ſimiliter dæmon Ezech. 28. At nuſquam, inquies, *Seraph* dicitur dæmonum aliquis. Reſpondet p. 1. quæſtione citata. Diuus Thomas, ab ardore Charitatis *Seraphin* vocari, quam amittendo, amiſerunt & nomen, qui eo ex ordine ruerunt. Addi tamen poteſt, eos adhuc *Seraphin* eſſe modo illo, quo igniti ſerpentes vocati ſunt in Hebræo *Seraphin* D Num. 21. verſ. 7. & 9. idque quia ij facto, req; ipſa dæmonum figura & ſimulachrum erãt veriſſimum. Deinde cum ignibus ardeant ipſis ſempiternis, iiſdẽque ſceleratos homines perpetuo exurant & crucient, quidni & *Seruphim*, & *Sorephim*, *Seraphimque* appellentur? Deinde Apoſtolus eodem ad Epheſios cap. 6. ipſos vocat κοσμοκράτορας: eadem ſcilicèt de cauſa, quia è ſummo τῶν κοσμοκρατόρων apice deiecti ſunt. cumque antea eſſent lucis & gloriæ κοσμοκράτορες, iam ſunt κοσμοκράτορες: id eſt *mundi rectores tenebrarum* E *harum*, ſiue vt in Græco eadem ſententia eſt; *tenebrarum huius ſæculi*. Et Angeli quidem omnes poſſunt aliquo modo id ſortiri nominis, prout oſtendit 1. part. quæſt. 110. a. 1. D. Thomas; maximè tamen illi, quibus præcipua quædam excellentia tributa, vt idcirco magni principes & Deo velut interiores ac familiariores à ſcriptura deſcribantur Daniells 10. Tob. 12. Apocalip. 1. Eos vero nonne vel omnes, vel aliquos è ſupremo Angelorum ordine prudenter exiſtimemus? Si igitur è ſupremo etiam ordine F præcipitarunt aliqui, nonne & in his, qui ſupremus? Non peruincũt quidem iſtæ rationes; me tamen in iſta opinione attinent tot & tanti antea laudati auctores: & in rationibus, magis *poſterior*, quã prior. Nam *primò* ſuperbiæ materia non ſimpliciter excellentia eſt, ſed nimia & vetita. Quando vero ſumitur? *In quo maior fuit excellentia, eum ad peccatum magis prolectatum*; conceditur, ſi excellentia illa maior nimia & vetita fuiſſet, tumque talis in Angelorum vllo ante peccatum ipſum negatur. Sin verò ſimpliciter dicitur: *In quo maior excellentia, etiam moderata, perſonaque ac ſtatui conueniens*; non vi-

teſtamenti: deinde ne hanc quidem adiunctionem CHRISTO conuenire, niſi ratione incarnationis, per quam ad nos miſſus eſt, ad quam rerum diuinarum interpres, Angeluſque fuit. Origenes homilia 6. in diuerſos, docet in ſcriptura nunquam Apoſtolos vocatos ſimpliciter *homines*, quod hoc nomen minus quam illud honorificum ſit. *Nuſquam*, ait, *inuenimus præter honorem dictos diſcipulos, ſed ſemper aut* APOSTOLI *aut* DISCIPVLI *nominantur*. Quanto minus debuit CHRISTVS Dominus ſimpliciter ac præciſè vocari *Angelus*?

Ad quintum. In eandem ſententiam facilè accipiuntur illi Rabbini, vt figurâ, non proprietate fuerit illis Redemptor CHRISTVS IESVS.

Ad ſextum. Poteſt c. 6. verſ. 2. propriè accipi *Iehouah* pro Deo ipſo. Nihil enim abſurdi eſt, ſi quæ ibi dicuntur, cenſeatur ipſo Ioſuæ loquutus Dominus. Si tamen vocaretur Angelus *Iehouah*, id eſſet, quia eius, vt iam ſæpè dixi, nomine loquebatur, eiuſdemque perſonam ſuſtinebat, vt Exod. 3. & 20. In *Morch Nebuchim* lib. 1. cap. 2. nomen *Meſchutaph* vocatur, quod vel æquiuocum eſt, vel pluribus communicatur. Et in huius libri caput 6. teſte Syrochaldaico fol. 192. ait R. Symeon filius Lakis אלחים משתח שמו על כל.מלאכיו id eſt, *Deus communicat nomen ſuum omnibus Angelis ſuis*. & citat idem fol. 396. colum. 1. Commentarius *Ilmedenu* ſeu *Tãchuma* in cap. 23. Exod. hoc modo שמו של חק״כח משותפ עם כל מלאב id eſt, *Nomen Dei ſancti benedicti communicatur omni Angelo*.

QVÆSTIO XLI.

Quiſnam, qui Ioſuæ apparuit Angelus? Michael an Gabriel?

DEBERET ex eorum, de quibus ſuperiore quæſtione dictum eſt, ſententia, diſtingui Angelus in creatorem & creaturam. vel in propriè dictum, & impropriè. Et propriè quidem Angelus, eſt creatura ſpiritalis: impropriè creator ipſe, CHRISTVS IESVS, quem iſti hoc loco apparuiſſe dicunt. Sed quia ſatis iam refutati ſunt, tantum hic diſquiretur, è propriè dictis Angelis, quiſnã fuiſſe videatur? *Gabrielem* fuiſſe autumant Abulenſis quæſt. 71. Vatablus, & Raſchi: *Michaelem* vero Theodoretus quæſt. 4. his verbis: *Aiunt quidam viſum fuiſſe verbum diuinum: ego autem arbitror eſſe Michaelem Archangelum: vbi enim deliquiſſent, dixit Deus vniuerſorum*: Non *aſcendam tecum, quia populus ſit duræ ceruicis: ſed mittam Angelum meum ante faciem tuam, qui præcedet te. Hunc puto modo conſpectum fuiſſe ab Ieſu, bono animo illum eſſe iubentem, & certiorem facientem de ſuppetiis*. Pantaleon Diaconus & Chartophylax Conſtantinopolitanus oratione in S. Michaelem, Lyranus hoc loco, & apud eum Rabbini, Caietanus, Blaſius Viegas in Apol. cap. 12. Villalpandus in Ezech. capite 40. cap. 7. pag. 264. Georg. Schererus con. 2. in feſto ſancti Michaelis. Atque his omnino aſſentio, non ſolum quia plures & grauiores, ſed etiam quia è priorum paucitate, iſtis penè itidem ſuffragatur eodem loco Abulenſis. maximè quia ab iiſdem ſtat ſcriptura penitus. Nã, qui hic apparet, dicit verſ. 14. *ſe principem exercitus Domini*. At ea deſcriptio, & quædam propria veluti teſſera Michaeli tribuitur apud Danielem, & quidem ter cap. 10. verſ. 13. *Ecce Michael vnus de principibus primis*. verſ. 21. *Michael princeps veſter*, Iſraelitarum ſcilicet cap. 12. v. 1. *Michael princeps magnus, qui ſtat pro filiis populi tui*, Iſraelitici ſcilicet. vel vt 70. vertunt μιχαὴλ ὁ ἄρχων ὁ μέγας, ὁ ἑστηκὼς ἐπὶ τοὺς υἱοὺς τοῦ λαοῦ σου. *qui ſtat ſuper filios populi tui*, ſiue, qui iis præpoſitus eſt. Et in cap. 9. verſ. 11. dicit Abenezra, eum eodem modo vocari, quo hic vocatur, videlicet *Princeps exercitus Domini*. Dices, etiam iiſdem præpoſitus erat Gabriel, qui eorum curam gerebat, cauſamque agebat Dan. 8. verſ. 7. cap. 9. verſ. 21. cap. 10. verſ. 5. & ſequen. Reſpondeo præpoſitum quidem fuiſſe; ſed ita, vt ſub Michaele eſſet, ab eoque penderet, opemque acciperet, prout ipſemet confitetur cap. 10. v. 13. & 21. cap. 9. verſ. 16. Qui autem inferior eſt præfectus, ſi quiſnam ſit, interrogetur, & ſapiens modeſtuſque ſit, non abſolutè ſtatim principis titulũ ſibi vendicat. Quis enim eius arrogantiam non reprehẽderet, qui Centurio cum ſit, Tribunum ſe vocat? cum Tribunus Imperatorem? cum Satrapa Principem? cum Princeps Regem? At verò qui ſe conſpiciẽdum dedit Ioſue, interrogatus quiſnam foret, abſolutiſſimè reſpondet, *Sum princeps exercitus Domini*. De quibus verbis iterum poſtea.

QVÆSTIO XLII.

Quis, qui Ioſuæ apparuit Michael? An ipſemet Chriſtus Dominus?

AFRICA ſemper aliquid noui: ſed multo magis hæretica licentia. Nam hodiernis Nouatoribus Lutheranis, pleriſque & Caluinianis *Michael* eſt verè ac propriè CHRISTVS *Dominus*. In hunc ipſum locum Chytræus; *Magnus*, ait, *dux Michael, æquali potentia, maieſtate & gloria cum Deo Patre æterno, qui Ioſuæ ſitum regionis ſpeculanti apparet*. Gaſpar Huberinus Vvitebergæ editus anno 1557. Michaelem, qui hic Ioſuæ apparuit, & alibi Geneſ. 28. ac 31. Danielis 10. & 12. in epiſt. Iudæ atque Apocal. 12. ait in S. Michaelis feſto, eſſe Chriſtum & Angelum increatum. Simon etiam Pauli in Poſtilla feſti S. Michaelis. Caluinus hoc loco fol. 22. eundem hic eſſe ait, qui Moyſi dux fuit: Ducẽ verò fuiſſe CHRISTVM ipſum mediatorẽ. *Itaque*, ait, *promiſcuè vocatur Angelus, & inſignitur elogio Dei æterni. Cuius rei Paulus nobis idoneus eſt teſtis, qui diſertè teſtatur fuiſſe* CHRISTVM. *Et Moſes ipſe in perſona Mediatoris, Deum præſentem amplexus eſt. Nam vbi poſt vitulum fabrefactum pronunciat Deus, ſe non fore amplius populi ducem, ſimul ſe vnum ex Angelis daturum promittit, ſed quaſi ex turba: quod Moſes vehementer deprecatur. Nempe quia remoto Mediatore, ſperare non poterat Deum fore propitium. Rarum itaque fauoris Dei pignus fuit, præſto adeſſe principem & caput Eccleſiæ, cui Moſes aſſueuerat. Et certè non aliter rata potuit eſſe Dei adoptio quam per manũ Mediatoris*. & f. 23. *Quòd ſe aliũ à Deo facit, in eo notatur perſonalis diſtinctio, non autem ſcinditur vnitas eſſentiæ. Diximus apud Moſen ſæpe nomen Iehouæ adſcribi Angelo præſidi: qui haud dubiè vnigenitus erat Dei filius. Nẽpe quia & verus eſt*

Deus:

Digitized by Google

Deus: & tamen in perſona Mediatoris per diſpenſationem, Deo inferior. Beza in epiſtola Iudæ verſ.9. A ſubtimidè, *Hæc*, ait, *eadem ſcripta ſunt Zachariæ 3. 2. ſed in viſione quadam in qua non Michael, ſed Iehoua ipſe ita loquitur: niſi forte Michael idem ille eſt, qui & Dei Patris imago, & ἀπαύγασμα, & à Zacharia Angelus Iehouæ, qui & ipſe Iehoua eſt, vocatur.* Audaciſſimè verò Hugo Brugthonus in Danielis cap.8.verſ.16.pag.29. de Gabriele, *Hic*, ait, *ſolus creatus Angelus, qui ſcriptura nomen proprium tribuit.* Et in cap.10. pag.34. *Quod ex legatione huius Gabrielis obſeruetur, nullus alius creatus ſpiritus inter Angelos nomen proprium ſortitus eſt. Michael e-* B *nim eſt* CHRISTVS *ſecundum Chriſtianorum doctiſſimos, & Iehoua, & Angelus Iehoua, ſecundum Zohar, & Hebræorum doctores plurimos.* Rurſum pag. 58. *Hoc admiſſum ſignificat, quiſnam ſit iſte Michael, non creatus Angelus, ſed ſolus Archangelus dux exercituum Iehouæ, Filius Dei, qui non duxit rapinam parem eſſe cum Deo.* Et in cõcentu Latino p. 152. *Chriſtus oſtendit ſe eſſe vnum cum Patre. Stat enim pro populo ſuo.* Tremellius & Iunius in Dan. 8.v.13. dicũt eum, qui interrogatur ab Angelo, & qui v.16. præcipit Gabrieli eſſe CHRISTVM C cap.10.verſ.13. *Chriſtus appellatus Michael voce compoſita, quaſi dicas, qui par eſt, aut æqualis ipſi Deo fortis, quemadmodum loquitur Apoſtolus ſcribens ad Philippenſes capite ſecundo.* Et verſu 21. cum dicit Propheta *ſolum Michaelem ſtare à populo Dei*, ſic illi exponunt. *Solus Chriſtus ſtat ab Eccleſia ſua & dicitur Princeps veſter vt alibi, Seruator corporis ſui, & caput Eccleſiæ, & ſuprà anteceſſor populi.* 9.25.& 26. Iidem in huius libri caput 6. ſemper aiunt Chriſtum eſſe, qui hic apparuit, & rurſum in Eccleſiaſtici cap.46.not.1. Idem Iu- D nius controuerſ.2.lib.1.cap.5.n.4.pag.21. cum dixiſſet Bellarminus ex S. Iudæ epiſtola, contentionem de Moyſi corpore cum Diabolo factam eſſe ab Angelo, ſuam hanc appinxit Ariſtarchus nouus cenſuram: *nempe vt vulgò obtinet loci illius interpretatio. Alioqui de eadem increpatione commodè poteſt accipi, ſi Ieſum Chriſtum intelligas Michaelis Archangeli appellatione. Sonat enim Michael Archangelus, ſi latinè interpreteris, qui par eſt, vel æqualis Deo, principem Angelorum.* Et cum E dixiſſet Bellarminus libro 1. de Chriſto cap. 5. *Angelum nunquam vocari Iehouah, niſi forte quatenus Dominum repreſentat*, negauit hoc ipſum eodem, loco Num. 5. idem Iunius dicens, *nec auctoritate, nec ratione vlla probabili: nec exemplo confirmari poſſe.* Sed apertis, vt aiunt, tibiis controu. 3. lib. 1. cap. 9. Num. 11. *Princeps*, ait, *copiarum Domini ſiue Angelorum eſt ipſe Dominus Ieſus Chriſtus, qui etiam Iehouah in hiſtoria Ioſuæ appellatur. Michael ergo, vt etiam nominis etymon oſtendit, eſt Dominus Ieſus Chriſtus. Prius probatur Ioſuæ. 5. & 6. poſterius* F *verò Danielis 12. Iudæ, & Apoc. 12.* Et num. 13. *S. Michael paradiſi præpoſitus, & princeps cæleſtis militiæ dicitur quidem in Eccleſia Romana: ſed de Angelo rectè negamus dici. Negamus Paradiſi præpoſitum eſſe Angelum quemquam, Principem Iehouæ ſiue in cælo ſiue in terra, non alium quam qui Iehouah ſit, Chriſtum Dominum agnoſcimus Ioſuæ 6.2. Hæc de alio quocumque dici propriè, alienum à pietate.* Medium tenere voluit Lutheranus Gorlicenſis *primarius*, vt ſe quidem ipſe indigetat, *Miniſter* ſeu Prædicans Mart. Mollerus. Nam poſtillarum ſuarum parte 4. concione in feſto S. Michaelis pag.527. ſæpius fatetur Michaelem tantummodo Angelum eſſe: adiungit tamen in ſcripturæ locis quibuſdam eſſe Chriſtum. Danielis nimirum c. 10. & 12. itemque Apo.12.

Nouitati huic ianuam aperuit ipſe Nonatorum parens Lutherus dum tomo.4. Germanico edit. VVitten. anno 1551. f. 5376. in ſermone anno 1544. habito ſuper epiſtola Miſſæ in feſto S. Michaelis ex Apocalypſis cap. 12. dixit; *Princeps belli huius quem* (in Apocalypſi Ioannes) *Michaelem vocat, alius eſſe non poteſt quem Dominus noſter Ieſus Chriſtus Filius Dei. Licet enim alioqui Michael ſit etiam Angeli vnius nomen Dan. 10. vbi eum* (Propheta) *vocat præcipuorum Principum vnũ hic tamen non eſt eiuſmodi perſonale nomen (ſicuti homo quilibet ab alio per proprium ſuum nomen diſtinguitur) neque eſt creaturale nomen, ſed nomen ipſiuſmet Domini & Creatoris, qui ſolus hoc nomen gerit. Nam vocatur etiam propriè, & ſi rectè eſſet interpretandum, nihil aliud eſt, quam Deo æqualis. Hoc nomen eſt, quod nulli præterquam Maieſtati conuenit, quemadmodum ſæpe ait ſcriptura: Quis ſicut Dominus? quis ſimilis Domino inter filios Dei? Et tamen vnius perſonæ talis nomen eſt, quæ vocatur, Deo æqualis, non ſicuti Angeli & homines etiam vocantur filij Dei, ſed, Quidam ſicut Deus. Sic propriè ſonat Hebraicum Michael, vnus ſingularis, qui Deo æqualis vel perfectus vt Deus, quemadmodum eum etiam ſcriptura vocat vnicam diuinam imaginem,* Coloſſ. 1. *Qui eſt imago Dei inuiſibilis, id eſt, Deo Patri omnino æqualis: & nobis tamen inuiſibilis, &c.* Subdidit poſtea de Ario, *hunc principem Michaelem negauit dicens, eum non eſſe Filium Dei naturalem, vel non eiuſdem eſſe ſtaminatis aut eſſentiæ, cuius Pater eſt.*

Imo ante Lutherum fuit hęreticorum Bogomilorum error apud Euthymium, Panopliæ, p. 2. tit. 23. n. 8. *Verbum patris eſſe Michaelem, & carnem factum.* Sed adeo ridiculè ac fabuloſè narrarunt iſta, vt eorum ſuppudeat. *Dicunt*, ait ille, *cum homines acerbo dæmonum Dominatu premerentur, crudeliterque perderentur, vix paucos ex parte Patris extitiſſe, & in angelorum ordinem aſcendiſſe, eos nimirum, qui in genealogiis: Euangelii ſecundum Matthæum, & ſecundum Lucam recenſentur. Tandem autem aliquando patrem ſe decipi, atque iniuria affici animaduertiſſe, qui cum præſtantiorem hominis partem tribuiſſet, in eoque perficiendo, quæ pricipuæ ſunt partes, abſoluiſſet, maiore tamen generis hominum numero priuaretur, animamque commiſeratus, quam ipſe inſufflaſſet, quæ tam miſera ſeruitute affligeretur, ad eius vltionem anno quinquies milleſimo quingenteſimo ex corde ſuo verbum eructaſſe, id eſt, Filium & Deum. Scriptum eſt enim, Eructauit cor meum verbum bonum. Hoc autem verbum & filium Michaelem Archangelum eſſe contendunt. vocabitur enim, inquit, nomen eius magni conſilij Angelus, Archangelum vocari, quod Angelis omnibus antecellat, Ieſum autem, quod omnem morbum, omnemque dolorem curet, Chriſtum verò, quod vnctus ſit carne, deſcẽdiſſe de cælis, & per aurem virginis dexteram influxiſſe, carnem induiſſe, quæ aſpectu quidem videatur ex materia conſtare, & humani corporis eſſe ſimilis, cùm tamen re vera materiæ ſit expers, ac diuina. Rurſum autem egreſſum eſſe per ei-*

Digitized by Google

lam partem, per quam introierat, virgine nec introitum ipſius, nec exitum ſentiente. Simpliciter enim eum in ſpelunca iacentem, & pannis inuolutum reperiſſe. Ac diſpenſationem quidẽ in carne peregiſſe feciſſeque, & docuiſſe ea quæ in Euãgeliis cõtinentur, ſpecie tamẽ & opinione duntaxat fuiſſe humanis affectionib⁹ obnoxiũ, & cum videretur crucifigi & mori, & reſurgere, ſcenam ſoluiſſe, & fabulam pateſeciſſe, depoſitaque perſona confudiſſe deſertorem: & craſſa, grauique cathena vinctum in Tartaro incluſiſſe, ademiſſeque illius nominis ſyllabam, El, quæ eſt angelica, permiſiſſeque vt non Satanael, ſed Satana nominaretur. Expleto B *autem miniſterio, propter quod venerat, ad patrem reuertiſſe, & ad illius dexteram aſſidere in ſolio, ex quo Satanael fuerat eiectus. Deinde illuc introiſſe, vnde exierat, & in patrem iterum fuiſſe reſolutum, in quo quidem patre initio erat vtero ipſius concluſus.*

Libet verò nouam hanc vanitatem vel iis ipſis, quæ ab iſtis indicari vidimus, vel aliis quibuſcumque argumentorum præſtigiis fucare & confirmare. *Principio igitur; Michael* ſignificat, *Quis ſicut Deus*; aut interpretatur Pantaleo *Dux exercitus* Dei: aut vti paulo ante dicentem C Lutherum audiuimus: *Quidam ſicut Deus.* Ergò eſt Filius Dei, Chriſtus Dominus. *II.* Eidem Chriſto Domino maximè congruunt, quæ ſuperiore quæſtione poſitæ ſunt deſcriptiones, eſſe ſcilicet *Principem exercituum Domini, Principem Iſraelitarum vnũ* (& ex crebro nominis אחד ſcripturæ vſu probari poteſt) *è primis principib⁹.* Et confirmatur tripliciter. 1. illa ipſa ratione, quæ ſuperiorem quæſtionem claudebat. Cum Deus ſit princeps Iſraelitici populi, quomodo Angelorum vnus hunc ſibi titulum arrogare D auderet, præter illum vnum, qui dicebat Iſaiæ 14. verſu 13. *In cœlum conſcendam: ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſimilis ero altiſſimo.* 2. Cum qui Ioſuæ apparet, dicit ſe exercituum Domini principem, poteſt intelligi Princeps militiæ cœleſtis, id eſt, Angelorum omnium Luc 2. & quis eiuſmodi, præter Chriſtum princeps? 3. apud Danielem cap. 10. verſ. 13. poſſumus cum Tremellio & Bruchthono vertere, pro *vno*, *primum* è primis principibus. Nam vti notat etiam E Fonſeca l. 5. Metaphiſ. cap. 14. quæſt. 2. ita ſæpe *vnum* ſumitur. Geneſ. 1. verſ. 5. *factum eſt veſpere & mane dies vnus.* id eſt, *primus.* Statim ſiquidem ſubiicitur verſu 8. *dies ſecundus* verſ. 13. *tertius*, &c. *vna Sabbathi* 2. Cor. 16. verſu. 2. id eſt *prima*, vt Matth. 28. v. 1. vertit Interpres noſter cum Græcè ſit εἰς μίαν σαββάτων. *III.* D. Auguſtinus hom. 9. in Apocalypſin explicans illa cap. 12. verba, *Michael, & Angeli eius pugnabant cum Dracone, Michaelem*, ait, Chriſtum *intellige, & Angelos eius, ſanctos homines.* Et ſic iſto Ioſuæ loco Procopius, *Deum*, ait, *habitu armis inſtructi cõparuiſſe.* Addatur Commẽtarius Ambroſianus. F 1. Theſſ. 4. & ibidem S. Thomas. imo & ipſe, vt videtur S. Ambroſius, dum lib. 5. de fide ca. 4. vt probet Ioſue Chriſto rectè credidiſſe, locũ hũc affert. *IV.* Sæpe in Zohar vocatur Michael *cohena rabba*, id eſt, *Sacerdos magnus*, vt ſuper Geneſ. lect. 1. fol. 19. colom. 74. verſu. 30. & fol. 31. colum. 102. lect. לך לך, fol. 51. colum. 228. Quis verò præter Chriſtum Dominum ſacerdos ille magnus? Et fol. 34. colum. 133. verſu 44. dicitur אחשקיה. Cum verò אחם ſit *magnus*, vt ex

A Daniele 3. & lib. Eſther colligitur, & קום ſit *conſeruare, ſtabilire, vitam dare, paciſci, vocare, præcipere*, quis alius præter Chriſtum Dominum, qui magnus conſeruator, vitæ dator, pactorum, votorum ac præceptorum ſtatutor dici poſſit? Reſpõdebo, hiſce argumentulis, primò, deinde opinationis eiuſdem falſitatem oſtendam.

QVÆSTIO XLIII.

Quomodo rationibus, quæ Michaelem Chriſtum ſolum probant, reſpondeatur, rationibuſque rationes opponantur?

QVATVOR potiſſimum vt ſolus Chriſtus Dominus credatur Michael, non autem creatorum Angelorum vllus; propoſitas audiuimus quæſtione iſta ſuperiore ratiunculas. Iis, propter nouitatis τὸ παράδοξον, paulo reſpondendum accuratiùs.

Ad primam ergo negatur conſequentia. Nam *primò* in ea interrogatione, quis ſicut Deus? clarè intelligitur, *Nemo*, vt explicat homil. 34. S. Gregorius. An Chriſtus Dominus *nemo* eſt, Homeri cus οὔτις? Sic enim accipimus illa etiam, Pſal. 88. *Quis ſicut tu fortis Deus*: & Pſal. 112. *Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat?* Exod. 15. *Quis ſimilis tui in fortibus Domine? Secũdò.* Si ob interrogationem iſtam Chriſtus Dominus eſſet *Michael*, tum pari ratione forent propria ipſi⁹ nomina aliæ omnes interrogationes allatæ, ſiue accipiamus totas ipſas orationes, ſiue ex iis aliquo modo nomen vnum texamus. Nam prius illud fieri poſſet, vt Iſaiæ 8. verſu 3. *Vaca nomen eius, Accelera ſpolia detrahere prædari.* Poſterius per inchoantes vocabula litteras, aut ſyllabas apud Iudæos vſitatum, vt ſi ex Pſalmi illius 88. interrogatione foret nomen, *Matth.* ex Pſal. 112. *Micaelbalas* ex 15. Exodi *Machabi.* de quo dixi proloquio primo in Machabæos. At Chriſtum ita vocari, quis vel per ſomnium effutiit vnquam? *Tertiò.* Longè veriùs dicitur, Angelum ita quendam appellari, quia ſeipſo, ſuiſque vocibus & factis omnibus immenſam Dei naturã, ſapientiã, bonitatem & poteſtatem aſſiduè nũciet, ita vt omnia ipſius vnũ hoc veluti clamẽt, *Quis ſicut Deus?* Ideo enim & idololatriæ adeo infeſtus à quibuſdã dicitur, vt idcirco de Moyſis corpore cum Satana litigarit Iudæ epiſt. verſu 9. Sic ſanè & homo ſanctus dicit Pſal. 34. *Omnia oſſa mea dicent: Domine quis ſimilis tibi?* vbi Diuus Auguſtinus enarratione prima pulcherrima. Si enim Ægyptiorum Regum quidam, *Doſo* dictus eſt, quia petentibus aliquid ſæpe δώσω reſpondebat, neque quidquã dabat, & apud Tacitum 1. annalium Lucillius Centurio vocatus, *Cedo alteram*, quòd cum vite caſtigaret milites, hoc identidem vſurparet: quidni poſſit Angelorum quiſpiam *Michael* vocari, quia diuinam vim ac immenſitatem hiſce quaſi vocibus perpetuò deprædicat? Sic & qui non ita pridem Romæ vocatus eſt *Deo gratias*, quemadmodum forte olim eodem, & ſimilibus nominibus affecti. Pantaleonis autem & Lutheri, qui interrogationem ſuſtulerunt, interpretatio, ab aliorum omnium iudicio recedit, & ab Hebræorum vſu, apud quos hæc מי *mi* particula

particula, interrogatiua eſt, niſi forte relatiuum ſequatur, vt verti poſſit, *is qui*. Vnde quia ſubaudiunt iidem Hebræi quandoque relatiuum, verti iam potius deberet, *Is , qui eſt ſicut Deus*, prout in Danielis cap. 10. verſu 13. Tremellius & Iunius aiunt, & tum firmari magis videtur, verè Chriſtum Dominum eſſe Michaelem. Nam ipſe imago Dei eſt 2. Cor. 4. 4. Coloſſ. 1. 15 Heb. 13. ipſe Deo æqualis Phi. 2. v. 6. At nõ ſanè hinc neceſſario id infertur. Nam & vir quilibet *imago & gloria Dei* eſt. 1. Cor. 11. 7. & particula, *ſicut*, non neceſſariò omnimodam identitatem, ſed aliquam duntaxat ſimilitudinem expoſcit, vt Matth. 5. verſ. 48. *Eſtote vos perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Luc 6. verſ. 36. *Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter miſericors eſt.* Vide Damaſcenum lib. 3. cap. 26. D. Thomam 3. quæſt. 2. a. 6. ad 1. Mihi autem videtur Pantaleo Hebræolum aliquem de vocabulo iſto conſuluiſſe, illumque huic interpretationem illam venditaſſe. quia Hebraicè *nachab* eſt *ducere*. Sed in Hebræo textu nunquam per ח ſed per כ ſemper ſcribitur. *Quintò*. Alia etiam Angelorum nomina, *Raphael*, *Gabriel* Chriſto Domino accommodari poſſunt. quia ipſe eſt *ſanans Deus*, & *vir Deus*, ſiue *virtus Dei*; ſiue vt in Danielem citatus vult hæreticus cap. 8. fol. 30. *vir potentis Dei*: quæ iſtorum nominum notio eſt, prout oſtendi Tob. 3. q. 12. & quidem tanto melius Chriſtum ſignificare poſſunt, quanto interrogatiuæ formæ minus habent, Quis tamen Chriſtum Dominum, vt de Raphaele iam taceam, *Gabrielem* eſſe contendit? Rectè hom. 1. ſuper *miſſus eſt*, S. Bernardus, cum cur Gabriel incarnationi nunciandæ præpoſitus fuerit explicat. *Nec diſcordat*, inquit, *nomen à nuncio. Dei quippe virtutem Chriſtum quem melius nunciare decebat, quam hunc, quem ſimile nomen honorat? Nam quid eſt aliud fortitudo, quam virtus? Nam autem decedens aut in congruum videatur Dominum & nuncium communi cenſeri vocabulo: cum ſimilis in vtroque appellationis, non ſit tamen vtriuſque ſimilis cauſa. Aliter quippe Chriſtus fortitudo, vel virtus Dei dicitur, aliter angelus. Angelus enim tantũ nũcupatiuè, Chriſtus autem etiam ſubſtantiuè. Chriſtus Dei virtus & dicitur & eſt, quæ forti armato qui ſuum atrium in pace cuſtodire ſolebat, fortior ſuperueniens, ipſum ſuo brachio debellauit: & ſic ei vaſa captiuitatis potenter eripuit. Angelus verò fortitudo Dei appellatus eſt, vel quod huiuſcemodi meruerit prærogatiuam officij, quo eiuſdem nunciaret aduentum virtutis, vel quia virginem natura pauidam, ſimplicem, verecundam, de miraculi nouitate ne expaueſceret, conſortare deberet.* Malim tamen per interrogationem id nominis *Michael* nimirum explicare, quia, vt dixi magis hoc Hebrææ conſuetudini conſentaneum: & quia ita veteres omnes, & in his S. Hieronymus in Dan. 8. Ex ipſo igitur Michaelis nomine, ſiue id per interrogationem, cum Chriſtianis, & Iudæis omnibus, ſiue abſque interrogatione, prout hactenus monſtratum, interpretemur, confici nullo modo poteſt, eum verè Chriſtum eſſe.

Ad ſecundum, duobus dico modis aliquem eſſe *Principem vnus* eſt, vt abſolutiſſimè ſit talis, à nullo prorſus neque in terra, neque in cœlo dependens. *Aliter*; vt ſit quidem Princeps, ſed ab alio dependens. Priore modo, ſolus quidẽ Deus eſt Princeps, Rex & Dominus; ſed non idcirco nullus alius eſt Princeps, Rex & Dominus, neque quoties horum aliquid in ſcripturis occurrit, ſtatim ſolus Deus intelligendus. Quin ſane poſteriore modo ſunt plures, iique graduũ variorum. Nam à ſolo Deo pendent aliqui, ab aliis etiam creaturis alij. Quocirca Origines homil. 11. in Numeros vult Chriſtum vocari Regẽ Regum, Dominum dominantium, quia *Angeli Reges & Domini ſunt eorum, quos regunt.* Sed nihil ago, niſi tribus adiunctis cõfirmationibus, vt plane corruant? reſponſum do. *Ad primum* dico textum monſtrare iſtum, qui apparet, eſſe Principem quidem, ſed infrà Deũ, & poſteriore qui ſupra indicatus eſt modo, quia non dicit, quod ſi Deus fuiſſet; dicere vtique potuiſſet; *Ego ſum Rex totius mũdi, Ego ſum Princeps cæli & terræ, Ego ſum Princeps gentium omnium.* vel abſolutè *Ego ſum Princeps populi mei*: ſed cum indicio ſuperioris, cui ipſe ſubeſſet, Domini ait, *Ego ſũ Princeps exercitus Domini*, id eſt, illius, populi, illiuſq́, multitudinis & exercitus, quem ſibi Dominus è toto terrarum orbe delegit, cui me præficere dignatus eſt. Et cõfirmatur 1. ex Chaldeo Thargum, qui cum inferiorem principatum hunc in Hebræo perſpicuè ſignificatum videret, expoſuit. *Ego ſum Angelus à Dei facie miſſus*, vti dictũ ſuprà q. 40. Confirmatur 2. qui aliter quã v. 14. in 70. v. 15. vocatur ἀρχιστράτηγος κυρίου, id eſt, *archiſtrategus* ſeu *imperator Domini*, nõ quod Domino imperet (abſit) ſed quòd ſub eo ſit, ab eo miſſus ſit, eius exercitum populumque dirigat & tueatur. Sed ante incarnationem, quomodo ſub ſũmo Imperatore Deo eſſe potuit ſecunda Trinitatis perſona? Qua in re minor fuit Patre filius? Confirmatur 3. quia clarè Dan. c. 10. v. 13. indicat fuiſſe primos principes complures. Ergo principum iſtorum nomine non intelligẽdus Deus, qui Princeps & Rex vnus, prout etiam ex Homero aſſeruit Metaphyſ. 12. Philoſophus οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω. *Non bona res multi Reges: Rex vnicus eſto.* Et ex hiſce principibus vnus dicitur S. Michael: non ex alio aliquo Principũ genere. *Ad ſecundam confir.* Per *exercitum Domini* fateor intelligi poſſe militiam cœleſtem: ſed nõ ſolam quin verò etiam Dei hoc in mundo populum Exod. 7. v. 4. c. 12. v. 41. *Eadem die egreſſus eſt omnis exercitus Domini de terra AEgypti.* Et ipſemet in Dan. c. 8. Brougthon[*] fol. 30. *Iudæi*, ait, *exercitus cœli, ſidera & exercitus, & ſanctus populus nominãtur*, in ipſo ſcilicet Daniele. Sed eſto; militiam cœleſtẽ accipiamus, an male illius Principem, modo ad ſecundum argumẽtum expoſito, Michaelem putemus? Nonne ab antiquis & nouis nouitia Nouatorum noſtrorum commenta ignorantibus & deteſtãtibus, crebrò vocatur *Angelicarum copiarum Dux*? ab S. Baſilio hom. de Angelis, Pantaleone loco citato, Sophronio in Encomio, Menologio Græcorũ, die 6. Septẽb. Laurentio Iuſtiniano ſerm. de S. Michaele, & alijs. Nonne conſonat Apoc. c. 12. vbi eius Angeli cum draconis Angelis præliari traduntur? Nonne ita ſeipſum appellat ipſe Michael apud Nicephorum l. 8. c. 4? Nonne & Eccleſia ipſum ita nominat in eius feſto hymno *Tibi Chriſte ſplendor* &c. Puto tamen de ter-

Digitized by Google

rena Dei militia & exercitu eum hic ſe *Principem exercitus Domini* affirmare. *Primò*, quia terrenum eiuſdem exercitus Ducem totumque adeo exercitum cōſolari, ac in primo Chananæorum bellorum aditu confirmare ac erigere volebat. oſtendens ſe affore: ſibique totum illum populum cordi ac curæ eſſe. *Secundò*, quia idve terū plutibus viſum. *Tertiò*, quia hoc etiam nomine commendatur Danielis 10. dum de ipſo è Daniele dicitur *Princeps veſter*, vt clarè appareat ipſius principatum celebrari, quatenus hominibus, non autem cœlitibus præſidet. *Quartò*, quia ſynagogæ ipſum veteris principem docēt Dionyſius Areopagita libro cœleſtis Hierarchiæ cap. nono, Auctor operis imperfecti hom. 48. D. Hierony. in Dan. c. 10. S. Gregorius lib. 17. Mor. c. 8. Theod. in Coloſſ. 1. Haymo Epheſ. 6. D. Thomas in Iſ. 10. & 4. ſentent. diſt. 43. q. 4. a. 3. ad. 2. & 1. Theſſ. 4. Pantaleo de S. Michaele conc. 1. & maximè orat. 2. Pachymeres in Dionyſij caput illud 9. fol. 68. datum ait à Deo Michaelē ἐφ' ἡγεμόνα τοῦ τοιούτου λαοῦ: & Maximus ibidē fo. 46. Ἰουδαῖοι ἰδικὸν ἄγγελον εἶχον τὸν Μιχαήλ: Rabanus l. 1. de cruce p. 7. & in declaratione p. 2. l. 2. fig. 3. Cæſarius libro octauo c. 45. *Ad tertiam, confir.* duo itidem dico. *Primò*. Non rectè colligi. *Vnus* aliquando *primum* ſignificat ergo hic. Nō enim ſemper, vt in titulo Pſalmi primi ait D. Auguſt. *Secundò*. Eſto ſignificet *primum*. S. Michael erit *primus*, nam ſimpliciter, quēadmodum ille qui Apoc. 1. v. 8. ait, *Ego ſum α. & ω. principium & finis* v. 17. *Ego ſū primus & nouiſſimus*; Sed *primus è primis principibus*. At nō ſūt plures primi Principes in diuinitate, ſed vnus tātum πρωτοτόκος. In Angelis verò ſunt multi, vt ex Eph. 1. & Col. 1. perſpicuū. Et qui primus aliquorū eſt, debet eiuſdem cum iis eſſe generis. Non eſt è primis Leonibus primus hominum vllus, non è primis hominibus, primus Angelorum vllus, ſed è primis hominibus primus aliquis eſt, è primis Angelis primus Angelorum aliquis, ſanctus ſcilicet Michael. Atque hoc poſterius magno ſuffragatur opere illi opinioni de qua poſtea, *S. Michaelem* ſcilicet eſſe beatorum Angelorum primum & ſupremum omnium.

Ad tertium argum. Primò conſtat illius in Apocalypſin commentarii auctorem non eſſe S. Auguſt. Secundò. Michael eſt Chriſtus repræſentatione, non perſonâ & reapſe, vt ſuprà q. 4. ſicque l. 5. de fide c. 4. accipiendus. Ideoque S. Aug. rerum Index, dum locum iſtum indicat, *Michael*, ait, *& Angeli eius Chriſtū & ſanctos homines ſignificant*. Idque Rupertus in Ioſue c. 18. ſub finem tradit, & *Zohar*, dum ait, *Quoties occurrit Michael, Dei Maieſtatem ſignificari*, f. 12. colum. 46. in imo. Commentarius Ambroſianus etiam pſeudepigraphus eſt, cuius poſuit tantum opinionem 1. Th. 4. D. Thomas & alteram ſtatim ſubiunxit.

Ad quartum. Primò. Quia ſacerdotum maxima quondam fuit auctoritas, inde factum, vt Principes aliqui vocati ſint *ſacerdotes* vt 2. Reg. 8. v. 18. *filij David, ſacerdotes erant*. Manifeſtum eſt enim quòd *in tribu Iuda*, ex qua orti erant illi filij, *nihil de ſacerdotio Moyſes locutus eſt*. Heb. 7. v. 14. Ideoque Michael eſt *ſacerdos magnus*, id eſt, Princeps magnus, prout ſuprà dixit Daniel. Secundò. Eſto ſacerdotem ſignificet Chaldæa illa vox *Cohena*. Sed ſacerdos duplex eſt. Vnus propriè dictus: alter metaphoricè, quemadmodum Chriſtiani omnes dicuntur ſacerdotes & offerre hoſtias, preces nimirum & alia bona varii generis opera. 1. Pet. 2. v. 9. Apoc. 16. c. 5. 10. c. 20. 6. Rom. 12. 1. c. 15. 16. *Qui*, ait Origenes hom. 5. in Num. *aſſiſtit altari, ſacerdotis fungitur officio. Sacerdotis officium eſt, pro populi orare peccatis.* Vide eundem hom. XI. ibidem. & Tob. 3. q. 9. Atque ſic verè S. Michael Sacerdos magnus eſt, qui pro nobis preces offert aſſiduè. Origenes hom. 14. in Numeros: *Satage*, inquit, *quomodo aſſumaris in ſocietatem Michaelis Archangeli, qui orationes ſanctorum ſemper offert DEO. Quod*, ait citatus antea *Zohar*, *facit in terris Aaron, hoc in cælis facit Michael*. Et huiuſmodi Angelorum preces vniuersè oſtendi Tobiæ 3. q. 4. & ſequentibus, patetque Apocal. 8. v. 3. & 4. Quid, quod vera veterum ſacerdotum munia interdū obiiſſe Angelos legimus? Nam *primò* ſuum ipſe templum in Gargano conſecrauit S. Michael. Vnde ſuis in faſtis Baptiſta.

——Michael celeberrimus inter
Cælituum turmas, templum ſibi fecit in alto
Vertice Gargani, factumque dicauit.

Secundo. S. Amphilochium, in quamplurimorum ſpectantium oculis, Epiſcopum inaugurarunt & vnxerunt S. Angeli, apud Nicephor. li. 11. c. 20. *Tertio*. Euchariſtiam ſacrā iidem quandoque piisquibuſdam porrexerūt, prout in Sophronii Prato, Cæſario, Marulo l. 4. c. vlt. & aliis videre eſt: etiam in Scoto l. 4. d. 5. q. 1. vbi tātum *extraordinarios ſacrorum miniſtros* eos eſſe vult, prout contra Caietanum notat Dominicus Soto ibidem. Magnus verò ſimiliter conſeruator eſt, vitæ dator, pactorum, votorum ac præceptorum ſtatutor, quia princeps & ſacerdos magnus eſt: ſed, vt ſemper dixi, à Deo dependens. Et verò Iudices nonne *Saluatores* in libro Iudicum ſæpe vocantur? *Alterum*, quod ſub finem quæſtionis 42. propoſitum erat, in ſequentem libet differre quæſtionem.

QVÆSTIO XLIV.

An & aliis rationibus probari poſſit, S. Michaelem non eſſe Chriſtum Dominum?

PRIMVM meritò locum aduerſus hæreticos iſtos, qui veram S. Michaelis apotheoſin effingere cœperunt, teneat ſcriptura, quæ Deū eſſe ipſum non modo nunquam teſtatur, ſed potius eſſe Deo creatori ſubditam creaturam, vt ſuperiùs q. 43. vidimus. II. Tamen argumentum ſit, Eccleſiæ totius, antiquæ & hodiernæ, Orientalis, & Occidētalis, Auſtralis & Aquilonaris perpetuū, conſtās, & cōſentiens iudicium. quod partim ex dicēdis, partim ex aduerſariorū ſentētia perſpicuū, dum præceptas hactenus de S. Michaele, omniūque animis inſculptas ſententias euellere ſibi ſtudio eſſe profitentur. III. In Conciliis, extra diuinam ſtationem, ſemper in Angelorum propriè dictorum loco, numero & nominibus reponitur S. Michael: ſemperque à Chriſto Domino vocibus, & auctoritate, ac ſitu valdè diſtinguitur. Vide Moguntinum Concilium

Digitized by Google

Concilium à me citatum Tob.12. quæſt.12. & eadem de re Zachariæ Pontificis epiſt.9.quæ in S.Bonifacii epiſtolis eſt 144.cui iungenda,quæ in eodem libro eſt 135. I v.Patres omnes,quotquot vel Angelorum naturam, vel ordines libris aut ſermonibus expoſuerunt,aut certè nominarunt, nominatimque Michaelem nominarunt,eum iſtis ſemper tanquam ex iis vnum aggregarunt. quotquot item in Danielem & Apocalypſin ſcripſerunt, quotquot in Magiſtrum ſententiarum doctores vnquam commentati,ſic ſenſerunt:ſic tradiderunt, Dionyſius Areopagita in cœleſti Hierarchia, S. Gregorius hom.3.45. Baſilius hom.de Angelis, Sophronius in Archangelum, Chryſoſtomus, Damaſcenus,Rabanus l.1.de cruce f.7. vbi de S.Michaele ſic. *At Michael princeps habitantum dux & in alto,Te memorat virtute Dei ſimul æthera cuncta, Et regere & tegere.* Diuus Hieronymus, & cæteri. Quis enim omnes enumeret? v. Chriſto Ieſu tanquam Deo vero ſacrificium ab Eccleſia fit. S. Michaeli autem miſſam nemo vnquam obtulit. & in ipſius honorē cum Deo ipſi miſſa offertur, ipſius tantùm preces & ſuffragia petūtur,vt in eius feſto apud Latinos, & in quotidiana apud Æthiopas Liturgia, ſanctique Baſilij Arabica, quæ Latinè nunc extant. xi. In litaniis Chriſto Domino, Beatæque Virgini ſemper poſtponitur S. Michael:& cum illi dicatur *Miſere nobis*, huic dicitur *ora pro nobis*. Inter quos precandi modos quantum interſit, demonſtrat S. Cyrillus lib. 8. Theſauri cap.2. Orig.hom.14.in Num. Vnde & ſummus ac profuſiſſimus eiuſdem S. Michaelis Encomiaſtes Pantaleon orat.de miraculis,*Te*,ait,(ô Michael) *omnis cœtus Chriſtianorum poſt Deum & intemeratam eius matrem,Patronum habemus maximum & ſalutis defenſorem.* Atque hanc tamen angelicorum nominum recitationem etiam miraculo apud Turonenſem lib.de gloria Confeſ. c.1.confirmauit Deus. Et in ſecūdis S.Michaelis veſperis antiphona quæ Marianam oden à fronte ac tergo excipit, eadem dicit Eccleſia: *Princeps glorioſiſſime,Michael Archangele, eſto memor noſtri,hic & vbique ſemper precare pro nobis Filium Dei.* vii. In officio Angelorum toto Matutino, veſperis hymnis, reſponſoriis, aliiſque id genus eadem ratio eſt,etiam in eo quod *Cōfiteor*, vocam⁹,& in precib.pro morituris & pro mortuis. viii. Templum verò iuxta S.Aug. doctrinā l.1.cōtra Maximum c.11.& l.2.c.11.l.3.c.3. &21. S.Michaeli qui vnquā eſtruxit, quis dedicauit? Niſi fortè,prout aliquando quidam locuti ſūt? intelligas Deo quidem exſtructum & dedicatū, ſed ob illius honorem & memoriam. vt lib.20. contra Fauſtum c.21.approbat S.Auguſt. Sic.n. plurima & nobiliſſima cùm ſanctorum aliorū, tum verò S.Michaelis antiqua & recentia, in Oriente & Occidente,templa ſunt.&in his neque à principio,neque nunc,neque in ſtatis vel *cæremoniis* vel precib.aliter vnquam S. Michael, quam Dei Chriſtiq; ſeruus & angelus à Catholicis cultus & inuocatus fuit. Talia fuere templa duo à Conſtantino M.exſtructa,prope Cōſtantinopolim vbi vetus illud Argonautarum *Soſthenium*,de quib. Somozenus l.2.c.2. Nicep. l.7.c.50.& lib.8.c.4. Cedrenus in Baſilio. Tale

A *Conenſe*,ſiue Coloſſenſe,de quo Imperator Emmanuel in conſtit.de feriis apud Balſomonem in Nomocanone Photii tit. 7. Menologium Græcorum 8.idus Septembris,Nicetas Coniates l.3.hiſt. pap. 208. Lipomanus tom.6. Tale ἀχιροποίητον de quo in Cātacuzenis c.93. Pontanus. Tale, quod exſtruxit S.Theod. Archimandrita Siceonius apud Surium to.2.p.740. ex eius diſcipulo Georgio. Tale Bithynium,de quo in S.Entonomi geſtis apud Surium tom.5. Talia & *Romana* tria, in ſummitate ſcil. molis A-
B driani,in foro Piſcario,& apud Vaticanum: de quibus Maii die 8. in Martyrologio Baronius. Talia S.Michaelis templa,quæ *in Ethnici Martis* locū ſubſtituta,colligit D. Brannius tom.5. Vrbium benè multa. Talia *ſex* etiam illa,quæ Imperator exædiſicauit Iuſtinianus, vti narrat in l. de huius ædificiis Procopius li.1. Et meminit *Lex,quoniā* Codice de SS.Eccleſiis. Talia apud S.Gregor.complura l.2.epiſt.1.l.7.epiſt.13.l.8. ep.12.& alibi. Talia & hodie in Italia *Garganium Bononienſe*,& *Ticinenſe* apud Sigonium lib.15.de
C Occidentali Imperio,& M.Velſerum l.4.Boicorum:in Germania, Luneburgenſe, Bonnenſe Eifflianum, Monachienſe, Viennenſe, Bambergenſe,apud Baronium tom.6.&in l.15.Othonis Bambergenſis Epiſ.c.9.l.4.c.vlt. Gudingſpergenſe,apud Cæſarium l.8.cap.46.& aliud apud eundem .5.c.13.itemq; Fuldenſe,& alia quæ S. Bonifacius Amæneburgi, & Ordorffii ædificauit,vt in eius vita eſt l.3.Moguntiacorum p.351. & 477.in Belgio Louanienſe apud Molanum Brucellenſe à S.Gundula exſtructum: in Gallia
D Sambriocanenſe:in Ægypto Alexandrinum de quo Io.Comi apud Baronium tom.8. in appēdice:in Polonia illud,vbi obtruncatus *S.Stanislaus*,& alibi alia ſexcenta. ix. Par de quam plurimis altaribus,& ſacellis in aliis vrbibus,templis & arcibus. Ratio. x. Par de cœnobiis, Collegiis, quibuslibet domibus,& locis, ratio, qualia cū dictis iam templis complura, verbi cauſa, Bambergenſe, Ordorffenſe, Moguntinum, Carthuſianum monaſterium,& apud Paulum Meliſſum in Palatinis originib.c.8.pag.59.S. *Mons*
E **der heilig Berg**.aliaque ſimilia. xi. Par& de feſtis ratio quibus nunquā ſibi quis perſuaſit S. Michaelem tanquam Deum & Chriſtum coli: ſed tanquam huius dūtaxat ſanctiſſimorum miniſtrorum,amicorum, & principum vnum. Sic ſingulis fieri menſibus apud Æthiopas, refert Damianus à Goes: ſic in eius Apparitione die 8. Maii:in dedicatione tēpli eius die 5. apud Græcos,die 29.epud Latinos,Septembris,de quo & Regum Francorum capitula li.2.c.35. Moguntinum Concilium cap.36. & Honorius Augu-
F ſtodunenſis in lib.qui Gemma animæ inſcribitur. Vnde & Drepanius Florus.

Clarent Angelici ſublimia feſta diei,
Allatura piæ dona beata animæ.
Hunc & enim Michael aulæ cæleſtis alumnus
Conſpicuo nobis conſecrat ore diem.

Et Atrebatenſe concilium anno 1584. *Gratitudinis ergò monemus omnes, & ſingulos nobis ſubditos, vt deuotione quadam ſpeciali venerentur Angelos, & eorum feſta piis operationibus, orationibus, & aliis exercitiis religionis colant, videlicet prima Martii, qua feſtum celebratur,*

Angelorum custodum *animarum noſtrarum*, *&* *eiuſdem Martij decima octaua, qua* Gabrielis *noſtræ redemptionis Paranymphi memoria colitur*, *& octaua Maij, qua apparitio S. Michaelis ſolemniſatur*, *&* Sancti Michaelis *dedicatio*, *quæ celebratur Septembris penultima. Atque eum ipſum S. Michaelis diem menſis Septembris ita obſeruent, vt ab omni opere ſeruili, tanquam in ſummo feſto Natalis, omnium ſanctorum, abſtineant: vt ſic ſibi beneuolentiam ipſius Sancti Michaelis, & reliquorum omnium Spiritum Sanctorum concilient, & ſub eorum tutela ſalutem ſuam melius operari poſſint, & valeant ad honorem maieſtatis diuinæ cui perpetuò adſtare creduntur.* Certè cum Romam pergeret Otho Imperator cum ob S. Michaelis feſtum agendum diem ſubſtitiſſe aliquantiſper Auguſtæ narrat in operis ſui extremo Rhegino. XII. Quin eorum, qui tam multi, tamque religioſè ad Michaelis vel in Italia vel in Gallia peregrinati ſunt hactenus? an alia iis mens: alia de S. Michaele ſententia? Et in his magnus ille Imperator Otho, qui vt in S. Romualdi vita Petrus Damianus teſtis, eſt, illuc nudis proceſſit pedibus, vbi, prout cecinit lib. 5. Lucanus; *ſubdita Sipus montibus* & vbi *Apulus Hadriacas exit Garganus in vndas*. XIII. Tot hactenus, & tam celebres ac manifeſtæ S. Michaelis apparitiones fuerunt, & tamen iis Chriſtum ſe eſſe numquam indicio vel minimo ille ſignificauit, ſed eius potius nuncium & famulum: ſibique non latricum illum ſummum, qui domino debetur, ſed minorem illum, qui Domini ſeruis debetur, ac idcirco δουλεία vocatur; cultum popoſcit. Sic enim fecit circa Domini annum 536. vel potius 493. vti & in Martyrologio, & in Annalibus tomo 6. notat Baronius? in *apparatione Gargania:* circa annum 709. apud Sigiſbertum, Guaguinum libro 3. cap. 4. Benedictum ad C. *Raynutius* in verbo *adiecta impubere*: in *Abrincana* ſiue Sambriocanenſi circa Conſtantini Magni tempora, de qua Molanus in Martyrologio die 16. Septembris: in *Byzantina*, & iterum alia, tēpore Michaelis Imperatoris, & Theodoræ matris eius apud Pantaleonem orat. de miraculis S. Michaelis: circa Domini ſæculum alterum apud Metaphr. die 5. Septembris, Nicetam Coniaten in Coloſſenſi, & in ea, quæ Conſtantino Magno, & poſtea Probiano Medico de crucis vi & efficacitate, magno cum ſalutis periculo dubitanti, apud Nicephorum lib. 7. c. 50. quæ S. VVilfrido grauiter ægrotanti & à patria peregrinanti apud V. Bedam lib. 5. teſt. cap. 20. anno Domini 750. ſanitatem & patriam non vanè promiſit: & quæ ſancto noſtro Bonifacio lib. 1. vitæ cap. 29. in lib. 3. Mogunt. ad Oraham fluuium Ordoffii contigit: quæ S. Cononi apud Græcos, & ex iis apud Raderum in Viridario pag. 145. quæ S. Gudualdo die 6. Iunii: quæ Carolo 7. Francorum Regi Aureliam aduerſus Anglos defendenti. ſic vt inde S. Michaelis ordo ſit, de quo infra. quæ Alachin quondam ferociſſimum perterruit, vti narrat Boicorum lib. 4. laudatus antea M. Verſerus & olim Paulus Diaconus lib. 5. cap. 41. Neque verò hic moroſam Nouatorum frontem moror; Centuriatorum ſcilicet Centur. 4. cap. 13. & Chemnicii in Examine ſuo, dum iſta

parui faciunt. Quid enim magnum magni
A
facerent homines nihil? An eorum maior negando, quam tot auctorum, tot, ſæculis illis viuentium, hominum, & tam grauium, tot deinceps ſecutorum ſæculorum in affirmando auctoritas? Apud S. Ephrem. orat. de 40. Martyribus. tomo 3. fol. 255. *Ne conturbaret Martyres Christi inimicus, Angeli ſpatium ſtagni cuſtodiebāt: hinc quidem Gabriel, illinc verò Michael: & ab alto, Chriſtus vniuerſorum inſpector.* XIV. Extat in S. Procopii, qui olim *Nicias* dicebatur; hiſtoria inſigne miraculum, quod ille ad Chriſtianam
B
religionem valdè accenſus. Dum enim Scythopoli auream fieri crucem Dux ampliſſimus curaret, in ea diuinitus abſque aurifabri operâ & ſcitu, tria incisa ſunt nomina *Emmanuel*, *Michael*, *Gabriel*, ſed ita vt locum ſummum teneret *Emmanuel*, inferiorem quem in trāſuerſaria expenſorum brachiorum pars habet, *Michael* & *Gabriel*. An nū eo ipſo Chriſtus Dominus à duobus iſtis clarè diſparabatur, & quidem vti ſupremus ab inferioribus? Vide Surium & lib. 2. de cruce cap. 13. Gretſerum noſtrum. XV. Ipſum
C
Angeli vel *Archangeli* nomen, quod preciſè S. Michaeli datur; eum propriè Angelum, & non Deum eſſe ſignificat? Cum enim Angelus propriè nuncium & tabellarium ſignificet, an Deo rectè tribuatur? an Chriſto Domino, niſi ratione humanitatis? & quidem niſi iis appoſitis circumſtantiis, vnde, colligatur de illo ſecundum inferiorem naturam iſtam agi? Et licet Deus creaturarum omnium ſit Dominus ac Princeps, ipſa tamen, dum in compoſitionem venit τὴν ἀρχὴν, id eſt, *Principatus* vox, eum fe-
D
re tantummodo, qui aliorum generis eiuſdem princeps eſt, tam in bonis, quam in malis denotat, vt *Architectus*, *archiatrus*, *archimandrites*, *architypographus* *Archileſtes*, *archipirata*. Chriſtus verò neque quâ Deus, neque quâ homo eiuſdem cum Angelorum natura generis eſt. XVI. Quin & ipſum Michaelis nomen tantam excellentiam, tantumque dignitatis pondus abnuit. Si enim Dei aut Chriſtus foret appellatio, eam vel nemo, vel perpauci certè ſumerent, prout de Ieſu dictum eſt lib.
E
1. cap. 2. quæ. 18. Sed & in veteri, & in nouo Teſtamento, quam plurimi locorum vbique *Michaeles* ſunt. Numer. 13. verſu 13. 1. Paralip. 5. 13. & 14. cap. 6. 40. cap. 73. cap. 8. 16. & 34. cap. 8. 16. & 34. cap. 12. verſu 20. cap. 27. 18. 2. Paralipom. 21. 2. Exod. 8. 8. Apud Orientales quàm multi hoc nomine Imperatores, Patriarchæ, alii? Apud nos quàm multi omnium ordinum homines, etiam Nouatores; Imo verò tam eſt hoc vulgare nomen. vt iam, quod non laudo; per contemptum de illiterato
F
Latinæque linguæ indocto à quibuſdam dicatur, **er iſt ein Deutſcher Michel**, aut **ein einfeltiger Michel**. Omnino igitur nouum & inauditum de Michaelis diuinitate commentum. XVII. Sancti Michaelis imagines & ſtatuæ, quæ paſſim ſunt, Chriſtum an oſtendunt? an non potius Angelum, qui Chriſto Domino ſubditus, qui ab eo, eiuſque cruce, proterendi dæmonis vim accipiat? qui animarum promerita tanquam ſummi ducis libripens, expendat? Et ex hiſce tamen imaginibus non defuit

Digitized by Google

defuit, quæ miraculo, magno, ad morborum omnium curationem oleum ex ſeſe funderet, prout oratione de Sancti Michaelis miraculis narrat citatus Pantaleum. Rurſum. Extant Imperatoriæ adhuc imagines, in quib. longè infrà CHRISTVM Dominum Angelicis tantummodo mentibus accenſetur Michael. vt eſt Henriciana illa tabula, de qua dixi Tobiæ 12. q. 14. & illa nobiliſſima Traiectẽſis crux Græcis & characteribus & imaginibus ornata de qua Gretſerus noſter Tomo 3. de cruce l. 4. pag. 540. XVIII. Declarant & nomiſmata quædam excellẽtem Michaelis præſtantiam. ſed ita vt ei diuinitatis nihil omnino tribuant. Vocantur ii *Angelici*, vulgo *Angelotti*, de quib⁹ vt de Lacedæmoniorum teſtudinibus, quas infrà c. vlt. q. 16. tangam olim Græci ſolẽt in Iudices, qui auro corrumpi ſe ſinant; iocularitèr Angli dicere: *VVeſtmonaſtery*, vbi curia & tribunal eſt; *Angelos miracula facere*. Videntur autem iſtiuſmodi vetuſtioribus etiam ſæculis fuiſſe, qui in Chronico Caſſinenſi vocentur *Michalati* l. 3. c. 57. li. 4. c. 17. licet à Michaele Imperatore Conſtantinopolitano ſiue is Theophili ac Theodoræ filius, ſiue alius quiſpiam fuerit, dicti etiam quidam ſint *Michaelitæ*, vti notat l. 11. c. 11. VVilhelmus Tyrius. qui & eorum poſtea iterum meminit l. c. 15. citatuſque paulo ante Gretſerus tomo 3. de cruce l. 1. c. 27. Atque ad hoc, vel ad ſuperius argumẽtum ſpectat illud etiam Imperatorium flammeolum, ſeu vexillum, quod ab S. Michaelis imagine nũcupatur apud Curopalatam p. 93. Archiſtrategus, prout idem Gretſerus in ſecundi Tomi notis notat p. 610. XIX. Quid, qui in S. Michaelis honorem totos 40. dies ieiunare ſolitus fuit. *Sanctus Franciſcus* eum forte CHRISTVM arbitratus eſt? Nihilominus. Sed pro Angelo duntaxat illum habuit, vti videre eſt apud ſacrorum, quæ anno Domini 1224. in ieiunio iſto accepit ſtigmatum ſcriptores D. Bonauenturam cap. 13. D. Antoninum parte 3. Chron. tit. 24. cap. 7. XX. Qui Galliarum florentiſſimum regnum in S. Michaelis tutela credunt, nunquid non eo modo intelligunt, quo Daniel, cap. 10. Perſarum & Græcorum regna in certorum angelorum præſidio ſtatuit? quo vrbes, loca, homines in cœlitum patrocinio Catholici ponunt? Ita prorſus, vt apud Io. Stephanum Durantum licet legere lib. 1. de Eccleſiæ Ritibus cap. 31. XXI. Eſt in Gallia militaris *S. Michaelis ordo*, quem Ludouicus inſtituit vndecimus, vti eodem loco memorat Durantus, Guaguinus libro 10. Genebrardus in anno Domini 1496. & Azor noſter Tom. 1. Inſtitutionum Moralium libro 13. cap. 6. Extremo. Num igitur ordinis huius eques vllus S. Michaelem CHRISTVM putauit; Omnium nemo prorſus. XXII. Eadem non Theologorum omnium ſolummodo, ſed & Iuris conſultorum eſt, apud Iuſtinianum Nouella octaua tit. 3. vbi, qui iurat, primo quidem *per Deum, & Ieſum Chriſtum, ſanctum ſpiritum* iurat? deinde *per B. Virginem*: tertiò & poſtremò *per S. Archangelos Michaelem & Gabrielem*. Vnde & qui reuerendiſſimi Archangeli vocentur in canone 1. *Quoniam* Cod. *de ſacroſanctis Eccleſiis* intelligitur, & apud Balſamonem in 9. Canone tit. 7. XXIII. Eadem etiam, quidquid, vt ſuperiore

A quæſtione viſum eſt; comminiſcatur Broughtonus, Iudæorum omnium ſententia eſt, & quidem in illo ipſo, quem nouitatis huius ſuffragatorem laudauit, libro *Zohar*. Nam ſæpe quaſi purus putus Angelus, & quaſi eiuſdem conſors naturæ ac ſocius *Gabrieli & Raphaeli*, ipſi etiam quandoque *Vrieli* coniungitur, vt f. 12. colum. 46. vbi de particula את in primo Geneſeos verſa diſputatur, & currus myſtici conſtituuntur. fol. 30. colum. 120. fol. 31. & alibi. Vide ſi libet, quæ in Cabala de 4. aut rotis aut gẽmis. traduntur, & quæ ab iiſdem ex Cantic. 3.
B verſu 9. de *argeman* colliguntur. Nam iis eſt א *Vriel*, ר *Raphael*, ג *Gabriel*, מ *Michael*, נ *Nuriel*. Cum verò ſummæ apud Iudæos omnes auctoritatis ſit *Thargum*, nonne in hoc ipſe clariſſimè infrà Deum ponitur *Michael*, & in Angelorum aliorum gente ac tribu collocatur Cantic. 8. verſu 9.? Nam & ibi *ſe cum illis* ait *velle Iſraelem tueri, & pro eo diuinam implorare miſericordiam*. XXIV. Quid Saracenorum princeps & Phylarchus? Is apud Theodorum Lectorem Coll. lib. 2. & Nicephorum lib. 14. cap. 35. Chriſtianam fidem &
C baptiſmum cum amplecti decreuiſſet, ab Seuero Monophyſita hæretico ſolicitabatur, vt Chriſtum Dominum vnius tantùm naturæ diuinæ crederet, ab eiuſque factionis hominibus baptiſmo initiaretur. At ille, ſolerti commento, ſibi de S. Michaelis Archangeli morte literas allatas dixit. Iſti vero illius legati fieri non poſſe dixerunt, vt moreretur Angelus. Ille verò à S. Michaele inferiore ad ſuperiorem Chriſtum, & Deum præclariſſimè ratiocinans, magnumque inter ipſos diſcrimen ſtatuens.
D *Quomodo*, inquit, *ſi duas naturas Chriſtus non habet, nudam crucem Deus pertulit, cum ne Angelus quidem pati quidquam, aut mori queat?* XXV. Eadem noſtri temporis hæreticorum aliorum omnium ſententia eſt. vt in eorum Poſtillis videre eſt, præſertim verò in nuperâ Martini Molleri Praxi Euangeliorum parte 4. pag. 527. & ſequente. licet ineptè concedat Michaelem, non Angelum modo eſſe, ſed vt ſuprà dicebam quæ. 42. certis in locis ipſummet Chriſtum,
E vnde licet Danielis 10. & 12. Apocalyp. 12. Eſt & eorum omnium, qui angelorum feſtum retinent, vt in Conuentu Torgenſi, & in Brunſvvicenſi Agenda Lutherani, de quibus Lindanus Apologia parte 2. cap. 59. Eſt etiam Lutheri in citato de Sãcto Michaele ſermone. Eſt veterum quoque aliorum hæreticorum, adeo vt eorum quidam in aliud inſaniæ barathrum prouecti, Sanctum Michaelem gehennæ ſuppliciis addicendum nugati ſint, *Lollardi* nimirum de quibus in Hirſaugienſi Chronico Trithemius, anno 1315. pap. 211. XXVI. Eadem de-
F nique apud Turcas etiamnum permanet qui, libro apud ipſos magnæ auctoritatis, *Doctrina Machumet*, inſcripto legunt fol. 190. *Michael, Gabriel, Saraphiel*, id eſt, *Sar*, ſiue *princeps Raphael Archangeli, Secretarij Deitatis*. Cum igitur ipſi etiam Turcæ: hæretici veteres, & noui: Catechumeni & Chriſtiani omnes, Patres: & Eccleſia Oriẽtalis & Occidentalis vniuerſa, ipſaque ſcriptura non modo non annuat, ſed abnuat etiam ac reclamet, faceſſat nouitia de S. Michael. diuinitate vaniſſima delitatio,

Digitized by Google

QVÆSTIO XLV.

Cùm S. Michael non ſit Chriſtus, poſſit ne ſaltem Angelorum omnium ſupremus exiſtimari?

OMISSIS & exploſis, qui S. Michaelem Chriſtum faciunt, Nouatoribus; *tres* de ipſo ſunt apud Catholicos *opiniones*. *Prima* eſt, eſſe Angelum, ſecundo ſcilicet Hierarchiæ primæ ordine. Inſinuat Diuus Thomas 1. quæſt. 112. a. 3. & Gabriele videtur adhuc inferiorem facere Iulius Cæſar Scaliger in Diuis ſuis edit. Colon. fol. 61. *Secunda*. Eſſe principem è tertio ac ſummo eiuſdem hierarchiæ primæ ordine. Ibidem Diuus Thomas: & apertius in Magiſtrum ſentent. 2. d. 10. vt citaui cap. 3. Tobiæ quæſt. 2. cæterique fere ibidem Scolaſtici. *Tertia*. è ſumma hierarchia, ſummoque ipſius ordine ipſum & primum & ſummum eſſe docet in Hebræ cap. 1. Catharinus, Bellarminus libro primo de Pontifice cap. 9. & qui hiſce diebus prodiit, P. Blaſius Viegas in Apocalip. 12. ſect. 18. Vt diſtinctè reſpondeam;

Dico primò. *Angelorum omnium ſummus & præſtantiſſimus fuit: is, qui, omnium primus in Deum peccauit, aliiſque peccandi auctor extitit*. Negat hoc quidem Damaſcenus libro ſecundo de fide capite quarto, & dubitat S. Auguſtinus libro 3. de Gen. ad litteram cap. 10. lib. 11. cap. 9. alij tamen Theologi, conſentiente ſatis voce affirmant, Tertullianus lib. 2. adu. Marcionem c. 10. cui hoc adfingi falsò ſanè ac impudenter mentitur Iunius contro. 3. lib. 1. Num. 9. Sed enumeratio iam cœpta pergat. Origenes lib. 1. περὶ ἀρχῶν cap. 8. & tract. 9. in Matth. D. Chryſoſt. homilia de Adam & Eua, & homilia de lapſu hominis. Lactantius lib. 2. cap. 9. etiam ſi multa, quæ animaduerſatione indigent, ibi admiſceat. D. Hieronym. vel quiſquis in eius Tomis auctor eſt, in Iob 40. Cyrillus Catech. ſecũda. Diuus Greg. l. 4. Moral. c. 12. l. 9. c. 2. lib. 32. c. 24. & 25. homilia 34. in Euam. Auctor operis de mirabilibus ſacræ ſcripturæ lib. primo cap. 2. Iſid. libro primo de ſummo bono c. 12. Pantaleon orat. 2. de S. Michaele, D. Bernard. ſerm. 1. de aduentu, & tract. de gradibus humilitatis, grad. 1. Gloſſa in Iſaiam cap. 14. & Pſalm. 103. Magiſter ſententiarum 2. diſt. 6. D. Bonauen. Durandus, cæterique illum in locum diſputatores penè omnes, & Alexander Alenſis 2. p. q. 109. membro. 1. ar. 1. & 2. Albertus Magnus 2. p. q. 20. & lib. de 4. coæuis q. 10. a. 1. D. Thomas 1. p. q. 63. a. 7. lib. 3. contra Gentes c. 109. Et ad hoc afferunt ſcripturas ex Iſaia c. 14. Iob. 4. Ezech. 28. quæ vel primo ac proprio ſenſu, vel certè ſecundario & allegorico id ſignificent. *Rationes* etiam afferuntur. potiſſimum *duæ*. *Prior* eſt. Eum, qui libero arbitrio præditus eſt, tria tantum ſunt, quæ ad peccatum illicere ac excitare poſſunt, inſita ſcilicet quædam ad malum *propenſio: cauſa* quædam *exterior* peccatum, peccatiue illecebram proponens: & *obiectum* aliquod *vetitum* allubeſcens. At *primum* habet quidem in hominibus locum Gen. 6. non in Angelis, quibus nulla corpora, ideoque nullæ quæ ab illis ſunt, cupiditates. *Secundum* nos etiam vexat, demum ſcilicet, aut

Ioſue:

A hominum quiſpiam flagitioſus. At vero antè Angelorum lapſum, dæmon nullus erat, & ante primum, qui ex iis lapſus eſt, nullus, qui ad peccandum alios impelleret, vſquam erat. Supereſt igitur vt conſideretur *tertium*, & quidem in omnium qui lapſi ſunt, primò, maximè. de quo ſic.

Videtur ille prolapſorum Angelorum omnium primus peccaſſe, cui maximum fuit obiectum, quod vetitum quidẽ eſſet, ei allubeſceret tamen. Eiuſmodi autem erat Angelorum omnium ſupremus. Cum
B enim *ſuperbiam* peccatorum omnium primum fuiſſe conſtet. Eccleſ. 10. v. 14. & 15. D. Thomas p. 1. q. 63. a. 2. huius verò materia ſit excellentia, magis ad peccandum præ aliis prolectatus, in quo ea maior. Erat verò in omnium ſupremo maior. Ipſe igitur, qui omniũ primus peccarit, fuiſſe videtur. *Altera*. Ex omnibus Angelorum ordinibus corruerunt aliqui: & in ſcriptura videmus ſuperiorum ordinum nomina demonib. tribui, *principatum* ſcilicet ac *poteſtatẽ*, Epheſ. 6. vt omittam D. Thom. q. 63. a. 9. ad
C 3. D. Bonau. l. c. q. 2. a. 1. Alenſem. q. 110. m. 3. quòd ex iis nimirum fuerint, vt ait Hugo de S. Victore l. 1. de ſacram. p. 5. cap. 30. Et *Cherub* vocatur ſimiliter dæmon Ezech. 28. At nuſquam, inquies, *Seraph* dicitur dæmonum aliquis. Reſpondet p. 1. quæſtione citata. Diuus Thomas, ab ardore Charitatis *Seraphin* vocari, quam amittendo, amiſerunt & nomen, qui eo ex ordine ruerunt. Addi tamen poteſt, eos adhuc *Seraphin* eſſe modo illo, quo igniti ſerpentes vocati ſunt in Hebræo *Seraphin*
D Num. 21. verſ. 7. & 9. idque quia ij facto, req; ipſa dæmonum figura & ſimulachrum erãt veriſſimum. Deinde cum ignibus ardeant ipſis ſempiternis, iiſdẽque ſceleratos homines perpetuo exurant & crucient, quidni & *Seruphim*, & *Sorephim*, *Seraphimque* appellentur? Deinde Apoſtolus eodem ad Epheſios cap. 6. ipſos vocat κοσμοκράτορας: eadem ſcilicèt de cauſa, quia è ſummo τῶν κοσμοκρατόρων apice deiecti ſunt. cumque antea eſſent lucis & gloriæ κοσμοκράτορες, iam ſunt κοσμοκράτορες: id eſt *mundi rectores tenebrarum*
E *harum*, ſiue vt in Græco eadem ſententia eſt, *tenebrarum huius ſæculi*. Et Angeli quidem omnes poſſunt aliquo modo id ſortiri nominis, prout oſtendit 1. part. quæſt. 110. a. 1. D. Thomas; maximè tamen illi, quibus præcipua quædam excellentia tributa, vt idcirco magni principes & Deo velut interiores ac familiariores à ſcriptura deſcribantur Daniells 10. Tob. 12. Apocalip. 1. Eos vero nonne vel omnes, vel aliquos è ſupremo Angelorum ordine prudenter exiſtimemus? Si igitur è ſupremo etiam ordine
F præcipitarunt aliqui, nonne & in his, qui ſupremus? Non peruincũt quidem iſtæ rationes; me tamen in iſta opinione attinent tot & tanti antea laudati auctores: & in rationibus, magis *poſterior*, quã prior. Nam *primò* ſuperbiæ materia non ſimpliciter excellentia eſt, ſed nimia & vetita. Quando vero ſumitur? *In quo maior fuit excellentia, eum ad peccatum magis prolectatum*; conceditur, ſi excellentia illa maior nimia & vetita fuiſſet, tumque talis in Angelorum vllo ante peccatum ipſum negatur. Sin verò ſimpliciter dicitur: *In quo maior excellentia, etiam moderata, perſonæque ac ſtatui conueniens*; non vi-

deatur id aut certum, aut generale. Nam quæ A moderata ſunt, nos extra modũ non rapiunt: & quæ ſtatui ac perſonæ cõueniunt, ad aliena non vocant. *Deinde* gradatim deſcendere oportet, ſi quæ maxima fuit excellentia, præcipitẽ egit Angelorum ſupremum: Ergo quæ illi proxima fuit excellentia, præcipitem egit illi proximum, id eſt, ſecundum dignitate ac præſtantia: ſicque tertia inferior excellentia, tertium inferiorem Angelum: & ita deinceps. ita vt è ſupremis tantum ordinibus eſſet omnis infelicium è cœlo deturbatorum demonum turba. *Accedit*, B , quòd excellentia nimia & vetita, quæ ipſos perdidit, exterior potius fuit: excellentiæ ſcilicet gloriæque maioris, quam quæ cuilibet ineſſet, cupiditas. Hæc autem potuit Angelo cuilibet eſſe communis. Nihilominus tamen ex hoc ipſo aliqua eidem primæ rationi adiungi poteſt probabilitas. Quę enim veriſimilius eſt, non quamlibet excellentiam maiorem, ſed diuinã concupiuiſſe, quam qui in cæteris omnibus omni iam gloria & dignitate præſtabat, ideoque & ſummus erat? C Hãc tamen qui concupiſceret, fuiſſe aliquem concors omniũ penè ſententia. Hinc enim illud Iſaiæ 14. *Ero ſimilis altiſſimo*, &c. Attamen ad iſtam ſolam rationem eum attenderet D. Thomas quæſt. 63. a. 7. ſubiunxit. *Non eſt inde alij opinioni præiudicãdum, quia etiam in principe inferiorum* (non ſuperiorum) *Angelorum potuit eſſe aliquod motiuũ ad peccandum*. Sed ſi ei ratio iungatur altera, & tam varia locupleſque auctoritas, merito ſanè debet altera cedere opinio: & omnium maximè Caluinianus Iunius, dum controu. 3. l. 1. cap. 9. D num. 11. ſcribit: *Diabolum fuiſſe vniuerſitatis Angelorum principem incertum eſt, priuſquam laberetur*. Neque enim, quia fidei certitudine certum & definitum non eſt, ideo protinus incertum. *Duo* autem hic *inquiri poſſunt*.

Vnum, *Quâ præſtantia cæteris omnibus præſtabat ſupremus iſte Angelus?* Duæ opiniones. quarum *prior* eſt D. Thomæ quæſt. 50. præſtitiſſe ipſum eſſentiali præſtantia, & accidentali. Putat enim loco illo ſanctus ille, Angelos omnes ſpecie differre. E *Poſterior*, præſtitiſſe tantùm accidentali præſtantia, quia omnium vna ſit Angelorum natura & ſpecies, vti aſſerunt quamplurimi & grauiſſimi. Dionyſius Areopagita cœleſtis Hierarchiæ cap. 11. Didymus de Spiritu ſancto, & lib. 3. de Trinitate, Baſilius de S. Sancto lib. 3. Auctor quæſt. ad Antiochum q. 4. D. Auguſtinus lib. 12. Ciuit. c. 1. Iſidorus lib. 1. de ſummo bono cap. 12. Paſchaſius diaconus lib. 2. de Spiritu ſancto cap. 3. S. Anſelmus lib. cur Deus Homo cap. 21. Pantaleo orat. 2. de S. Michaele, Michael Glycas parte 1. fol. 148. F & ſequent. vbi, *vna*, inquit, *eademque omnium natura, ex eorum ſententia, qui rectam Eccleſiæ fidem amplectuntur*.

Alterum, *qui vocetur ſupremus iſte Angelus? & archidæmon?* Primò. Communiter vocari ſolet *Lucifer*. Sed ecce quemadmodum ex Angelorum numero S. Michaelem exemerunt, & CHRISTVM fecerunt, Nouatores ante citati q. 42. ita *Luciferum* dæmonem eſſe negat Beza in Matth. 25. v. 41. *Luciferi, ait, nomen, quũ ex falſiſſima & ineptiſſima Eſaiæ loci* ex cap. 14. verſ. 12. *interpretatione ſit ortum, mirari ſatis non poſſum, à nonnullis illud craſſum delirium intelligentibus retineri*. Suos nimirum vel Caluinianos vel hæreticos alios, qui derilium intelligant, & diabolum tamen *Luciferum* adhuc nominent, pungit & caſtigat hiſce verbis Beza. Sunt tamen ea quidem in re ipſa & modeſtiores & ſapientiores multo. Nam quæ illa tam falſa, tam inepta Iſaiæ expoſitio? *De Rege*, inquit, *Babylonio illic agitur*. Eſto ſanè. Sed ſimul fieri nonne poteſt, vt de diabolorum omniũ Rege ſermo ſit? Omnino fieri poteſt, & tribus quidem modis. *Primus* eſt, vt ſub Pharaonis Ægyptij perſona deſcribatur Archidæmon. & modum iſtum tradit Orig. lib. 6 contra Celſum, lib. 1. de princ. c. 5. l. 3. c. 2. homil. 1. in Ioſue & hom. 9. 10. 11. & in Numeros, l. in Roman. l. 8. Athanaſ. de paſſione Domini. *Alter*. contrà, vt, per comparationem & analogiam quandam, ſub Archidæmonis perſona deſcribatur Pharao. quod quemadmodum è cœlo ille cecidit, ſic è ſolio iſte ac è vita ipſa. *Tertius*. vt per apoſtrophen illa verſu 12. dicantur. *Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer?* fit enim quandoque admodum vtiliter, vt cum vitium aliquod in aliquibus reprehenditur, ſubita quædam ad alios iiſdem vitiis, vitiorumque pœnis inſignes fiat orationis conuerſio. Verbi cauſa, ſi libidinis inſtituta ſit in aliqua reprehẽſio, ego præter omnem opinionem interſeram. *Quomodo conflagraſti Sodoma? Quomodo inſaniſti Salomon?* Cum igitur Ægyptiorũ Regis perſtringeretur illic ſuperbia, rectè ad ſuperbiæ principem Archidiabolum elegantiſſima & vehementiſſima ſeſe conuertit Prophetæ oratio. Ideoque ingens Bezæ cum ſuperbia, tum impudentia, qui expoſitionẽ iſtam, à tot, tantiſque, Græcis & Latinis clariſſimis Patribus traditam adeo temere ac ſine argumento, vllo exibilat, Luciferi contra illos cauſam agit, & Franc. Iunius capite citato Numer. 10. Et verò etiamſi ea illius loci non eſſet interpretatio, non potuiſſet tamen, tot, tantorumque virorum auctoritas, totuſq; adeo Chriſtianus orbis nomen hoc *Luciferi* cudere, dæmonumque primo imponere, vel ex eo ipſo Iſaiæ loco propter ſimilitudinem, accipere, vſuque conterere? An *Phalaris* & *Nero* crudelis quiſpiam rectè dicatur, & ob ſuperbiam non poſſet, qui omnium ſuperbiſſimus eſt, *Lucifer* appellari? Sancti Petri Succeſſor, CHRISTI Domini Vicarius, Pontifex maximus, ab Luciferianis iſtis tenebrionibus aſſiduè vocatur *Antichriſtus*, & vt in Ratisbonẽſi nuper colloquio clamabat Hunnius, *ita debet vocari*, quia ſcilicet ita iſtis placet; & à nobis tenebrarum mundi huius princeps non potuit appellari Lucifer? maximè cum hactenus eum ita vocarint Chriſtiani omnes, vt è patribus ij, qui citati ſunt, docent. Videatur & Nazianzenus orat. de Natiuitate Domini. S. Brigitta lib. 6. c. 115. Cæſarius lib. 5. cap. 13. *Qui*, ait Nazianzenus, & loco citato Anaſtaſius Nicenus, *erat Lucifer propter ſplendorem, deiectus & factus tenebræ propter elationem*. Sed quemadmodum in *Satanaële* ſuo nugabantur apud Euthymium. parte 2. tit. 23. *Bogomili*, & quemadmodum *Satanam* apud Originem l. 6. ridebat Epicureus Celſus, ita de *Lucifero* nugas iſtas agit

Digitized by Google

agit Beza, Lucifero quam CHRISTO & Eccle-
ſiæ amicior. Quod etiam patet ex eo, quod de
Bezanis Iconomachis refert in libello de ido-
lis fugiendis c. 13. p. 109. Lindanus, eos S. Mi-
chael. in Londinenſi D. Pauli templo ſtatuam
contriuiſſe, ſed ipſum qui ſub illius pedibus cō-
terebatur, draconem ſaluum & integrum reli-
quiſſe: itemq; Antuerpiæ, crucifixo ſecures in-
flixiſſe, non dæmoni, qui malo aderat latroni.
Secundò vocatur *Satan* Luc. 10. v. 18. Tertio à
quibuſdam *Beelzebub* etiam ex Matth. 12. v. 24.
& 27. videturque Iudæorum ſententia ibidem,
& Matth. 9. verſ. 34. & Machometis in Alko-
rano, azoara 17. vbi Angelorum peccatum &
lapſum narrat: & loco citato, Bezæ, cum qua-
dam tamen dubitatione. At in Nicodemi Euā-
gelio fol. 655. deſcribitur Beelzebub, *Princeps
perditionis, dux exterminationis, deriſio Angelorum
Dei, ſpuricitia iuſtorum, princeps inferorum, ſub quo
Satan.* quod poſtremum non audio. *Quartum.* à
quibuſdam vocatut *zabulus.* S. Hilario ſæpe S.
Paulino epiſt. 2. & alibi, Caſſiano collat. l. & 2.
Cypriano ſæpe, Auctore libri de aleatoribus
apud eundem S. Cyprianum, & aliis, imò ab
ipſa etiam Eccleſia dum in hymno ait.

Collaudamus venerantes
Omnes cœli milites
Sed præcipue primatem
Cœleſtis exercitus
Michaelem in virtute
Conterentem Zabulum.

Huius vero nominis varias à variis afferri vi-
deo notationes. Nam primo Biliander in illud
Alcorani caput *zabulos,* inquit, *id eſt malorū con-
ſiliorum ſuggeſtor.* Sed cum βουλὴ conſilium gene-
ratim ſignificet, vnde ea particulæ *za* vis, vt
prauum efficiat conſilium, cum alias intenden-
di vim habere ſoleat, vt in ζάθεος, & ſimilibus.
Secundò. pro voce *diabolus*, hanc effictam putat
Lindanus epiſtola de Aquilone fol. 167. Et ſic
etiam Eraſmus annotat in nouum Teſtamentū
cap. 4. & Morellius in S. Cypriani contra De-
metrium epiſtolā, quia Doricè *za* pro διὰ vſur-
patur. Io. Scaliger in animaduerſ. Euſeb. pag.
209. *Adiabenicus & Azabenicus idem eſt*, inquit.
*& diata zeta, Diabolus zabolus. Nam zabolos eſt vi-
tium in* παραλλα στροφῆ *vulgi ita loquentis, & zetán
pro diata vſurpantis. Tertiò.* P. Salmeronis in pro-
leg. 9. cant. 41. eſt, *vel Hebraica vox, quæ fluentē
ſignificet: vel Syriaca, quæ ſtercus. Sic enim ait in 6.
Epheſ. Diuus Hieronymus zabulon* κατωῤῥέων *id eſt,
deorſum fluens dici poteſt*, quod ſcilicet paulatim
de virtute ad vitium fluxerit, & de cœleſtibus
ad terrena corruerit. Nihilominus tamen ſu-
periori Lindani ſententiæ videtur ſanctus hic
fauere. quia cum dixiſſet, *Diabolus Græcum no-
nomen eſt, quod interpretatur criminator.* ſubiun-
xit; *Iuxta Hebræi vero ſermonis proprietatem, quia
& tribus zabulon, quandam ſimilitudinem huius vo-
cabuli habet*, & vt ſuprà. *Quarto.* ſuſpicor eſſe
poſteriorem partem nominis *Beelzebub.* Nam
hoc in Græco eſt βεελζεβούλ, ſicuti & apud Theo-
philactum Actuum. cap. 2. Sanctū Athanaſium
orat. 4. contra Arianos, cæteroſque Græcos,
mutata ſcilicet vltimo β in λ ſicuti contra in
alio nomine mutant quidem Græci λ in ρ. pro
Belial dicentes βελίαρ in ſcripturis, & apud Mi-
chaelē Syngelū oratione de S. Dionyſio Areo-
pagita fol. 350. Breuitatis igitur cauſa, vt in aliis
pluribus fit; pro *Beelzebul*, manſit *zebul* & *za-
bul*, ſiue *zabulus.* Et Lindano quidem non *za-
bulum* duntaxat, ſed Germanicū etiam Teuffel
dat diabolus quod primò dictus ſit *diabel*, vti
Galicè *diable*, poſtea *dibel*, & *diſel*, vt à Saxoni-
bus & VVeſtphalis adhuc pronunciatur, tan-
dem à ſuperioribus Germanis Teuffel. Atque
hoc probabilius, quam quod eum in à Tebelo,
Deo neſcio quo, apud Auſonium ducit Scali-
ger, de quo Iudic. cap. 2. alij ab odio baptiſmi,
qui Tauff; per antiphraſin vt *bellum* & *Eumeni-
des*, vel ab Hebræo אפל id eſt, *tenebræ* in quas
vt ſuprà dictum è Lucifero mutatus. Cum ta-
men è Syriaco & Chaldæo Germanica plura
ſint, poſſet eius fortaſſe nominis origo acceſ-
ſiri à דיוא *daiua* quaſi Daiſa quod Syris eſt *dæmon.*
Matth. 9. & 12. ſicuti & ab eo, quod huic no-
mini proximum eſt דיותא eſt Germanicū atra-
mentum Dinthe. Sed nimis iam multa de atra &
lucifugaci, vt Arnobius loquitur; natione, ideo-
que & mitto quæ de *Sebaoth* & aliis finxerunt
hæretici veteres apud Theodor. lib. 2. Fab. E-
piph. lib. 2. Irin. lib. 1. cap. 24. & alios.

Dico ſecundo. *Poſt luciferi lapſum, beatorum
Angelorum omnium ſummus & præſtantiſſimus eſt
ſanctus Michael.* Nam *primo* Angelorum prin-
cipes, non quilibet, ſed *primi*, Danielis 10. ver-
ſu 13. merito putantur Angelorum omnium
ſummi & prę̈ſtantiſſimi. Cur enim iis hoc ad-
deretur *primorum* elogium, niſi prærogatiuam,
principatum, & eminentiam omnium primam
obtinerent? Frigidè admodum Iunius & Tre-
mellius in Daniel. 10. Numer. 29. Angelos
omnes ibi volūt vocari *principes* reſpectu prin-
cipum terrenorum. Nam *primò* quàm minutu-
la CHRISTI laus, quem per Michaelem intel-
ligunt; ſi tantum vocetur *vnus ex Angelis*, ſiue
primus Angelorum? *Secundo.* Ne hunc quidem
bona comparatio admittit loquendi modum.
Tertio. Eodem modo aiunt Angelos Epheſ. 5.
10. vocari *imperia & poteſtates.* Nam ſimiliter
deberent vocari *prima imperia & primæ poteſtates.*
In quolibet certè regno ita eſt, vt primi prin-
cipes, ſint à rege ipſo ſummi, omnibuſque præ-
ſtent ac emineant, prout in ſeptem Perſarum
ſapientibus, & aliis dixi Eſther cap. 1. pag. 1.
partic. 3. quæſt. 5. & Tob. 12. quæſt. 8. Et eiuſ-
modi vel ſimpliciter ἀρχάγγελοι vel πρωταρχάγγελοι
vocari poſſunt. Sed in hiſce primis principibus
numeratur, eodem illo Danielis loco, S. Mi-
chael, & quidem ita, vt eorū ipſorum primus
ſit. Nam vel expoſitionem amplectimur illam,
de qua ſuprà dictum quæſt. 42. Vt *vnus è pri-
mis principibus* ſit idem quod *primus*, & confecta
res eſt: vel non amplectimur: & aliūde *primum*
eſſe probatur, è capite ſcilicet eiuſdem Danie-
lis 12. verſ. 1. vbi vocatur *princeps magnus.* Cum
enim antea cap. 10. dictus eſſet *è primis princi-
pibus vnus*, videtur eorumdem reſpectu, vocari
magnus. Qui autem Princeps cum primis aliis
principibus omnibus collatus, *magnus* dicitur,
nonne illorum *primus* ſignificatur? Si Reue-
rendiſſimus noſter Moguntinus diceretur
vnus è ſeptem Electoribus, & poſtea *magnus E-
lector* nominaretur, nonne in Electoribus

Digitized by Google

cantem, triſtitiâ, mœroreque afflictum con-
ſolatus eſt Luc. 22. verſu 43. qui ei alias tam ſę-
pe apparuit & locutus eſt. Hinc Pantaleo ſer-
mone citato: *Per hos*, ait, *duos Michaelem & Ga-*
brielem, deſcendit omnis datio bona, & omne donum
perfectum, quod deſuper mittitur in terram à Deo
omnipotente. Hæ enim duæ ſunt maximæ, & paris
momenti lucernæ diuinitatis, quæ eſt vna & trina.
III. Si Regi magno magnum & graue contra
Regem alium, vel certè Regni ſui apoſtatam
& deſertorem gerundum bellum ſit, vel ipſe-
met ei præeſſe, vel certè Principum ſuorum,
contra illum, mittit maximum & potentiſſi-
mum. At CHRISTO Domino Regi omnium
maximo maximum & grauiſſimum contra cœ-
leſtis regni Apoſtatam Luciferum bellum: id-
que non ipſemet per ſeipſum, ſed per S. Mi-
chaelem gerere, penituſque conficere vult.
Hunc ergo in CHRISTI Ducibus & Princi-
pibus maximum & potentiſſimum quis non
cenſeat? Bellum verò illud eiuſmodi eſſe, ip-
ſique S. Michaelem præponi, docet S. Ioannes
Apoc. 12. ſiue bellum illud accipiatur iam præ-
teritum, vel in mundi primordiis, dum corruit
Lucifer, vel mundi redemptione, dum patien-
te Chriſto Domino Princeps huius mundi vi-
ctus eſt; vti apud Andream Cæſarienſem puta-
runt, & Bartholomæus Sibilla cap. 2. quæſtio-
ne 9. ſiue, quod videtur rectius; bellum illud
futurum adhuc ſit, dum vel erepſerit, vel eru-
perit nequiſſimorum bipedum omnium ne-
quiſſimus Antichriſtus, prout explicant ipſe il-
le Andreas, Aretas, & hom. 34. D. Gregorius
IV. Poſt caſum diaboli, ait lib. de Pontifice cap.
9. Bellarminus, *S. Michaelem principem eſſe om-*
nium Angelorum, colligitur ex capite 12. Apocalyp-
ſis, vbi dicitur: Michael & Angeli eius. Quid enim
eſt, Michael & Angeli eius, niſi Michael & exercitus
eius? Vt enim, cum ibidem dicitur, Diabolus & An-
geli eius, intelligimus omnes Angelos malos Diabolo
eſſe ſubiectos, vt milites imperatori: ita cum dicitur
Michael & Angeli eius, intelligere debemus, omnes
Angelos bonos Michaelem principem ſuum agnoſcere.
V. Si maximis in rebus cum Rege vel popu-
lo aliquo, pacta & fœdera Regi alicui facienda
ſint, nonne Regem ipſum, vel per ſeipſum, vel
id ſi certis de cauſis nolit; per eum, quia ab ip-
ſo ſecundus ſit Princeps, facere hæc omnia
oporteat? At voluit Dominus cum hominum
genere loqui, & certis de rebus, maximis ta-
men & grauiſſimis paciſci, Exod. 3. c. 20. Act.
7. neque vt per ſeipſum hæc faceret, conſenta-
neum exiſtimauit vt alibi proditum. Ei ergo,
quem inter ſibi ſubditos habuit maximum, &
aptiſſimum, ſuam hanc perſonam impoſuit.
fuit autem is S. Michael, vti tradit non ignobi-
lis ante citatus Pantaleo. *VI.* Si populos, regna-
que plura Rex habeat aliquis horum vnum
quodpiam ſit maximum & Regi ipſi chariſſi-
mum, cui è Principibus ſuis præficere aliquem
velit: quem quæſo præficeret, niſi maximum,
& optimum? At Eccleſia, quæ in terris eſt, po-
pulus & regnum iſtud maximum, Deoque cha-
riſſimum eſt, eique & olim & nunc à Deo S
Michaelem pręfectum eſſe, ſuprà oſtendi quęſt.
42. Angelorum igitur omnium maximus & po-

A tentiſſimus eſt. *VII.* Si me in Regis alicuius ma-
gni aulam quis introducat, iubeatque omnes,
qui circa Regem ſunt; principes ac ſummates
intueri, ac dicere, quis horum omnium vide-
retur Princeps, vnoque Rege inferior, ego mo-
ræ aliquid rogarem, colluſtrarem diligenter
oculis omnia: tumque demum Principē illum
dignitate arbitrarer, cui præ aliis omnibus, ma-
iorem ferret Rex ipſe honorem: quemque ab
omnibus coli magis atque obſeruari vellet. In
hanc enim opinionem & quotidianus palatio-
B rum vſus, vt priſca illa in *Eſther* lib. *Amanis &*
Mardochæi ſpecies me duceret At verò quem
cœleſtium ſpiritum hactenus in Moſaica &
Chriſtiana Eccleſia maiore proſecutus eſt Deus
honore quam S. Michaelem? cui nobiliora &
excellentiora in ſcripturis elogia tribuit? cui
maiora & ſplendidiora poſuit munia? quem
pluribus & mirabilioribus miraculis ornauit? in
cuius venerationem plus à mortalibus templo-
rum, & ſacellorum, plus imaginum & ſtatua-
rum, plus feſtorum & publicarum, priuata-
C rumque precum, fieri voluit? Repete quæ
quæſtione 43. paucis quidem, ſed verè facta
ſunt. *VIII.* Fuit etiam hæc magnis & olim &
nunc viris ſententia. *Tibi*, ait S. Baſilius hom.
de Angelis, *ô Michael duci ſupremorum ſpirituum,*
qui dignitate & honoribus, cæteris omnibus prælatus
& ſupremis ſpiritibus, Tibi, inquam ſupplico. Pri-
mum, inquit ſæpe citatus Pantaleo, *locum obti-*
net Michael inter ille millia, & decies mille myriadas
Angelorum: & proxime ac citra ſtuporem (quorum
vtrumque ſummæ dignitatis & cuiuſdam vt ita di-
D *cam, cum Deo ipſo familiaritatis indicium eſt) canit*
ter ſanctum & admirabilem hymnum: eſtque maxi-
ma & clariſſima ſtella Angelici ordinis. Rurſus apud
Surium fol. 407. *Summe benedictum, & vndique*
exaudiendum, & ex omni parte venerandum militiæ
Principem Michaelem, meliorum & diuinitus inſpi-
ratorum & fideliſſimorum hominum eſſe præſidem, &
eorum ſalutis curam gerere voluit. Et pag. 408. *Mi-*
chael eſt verus & ſyncerus Dei aſſeſſor, & ducis or-
dines virtutum cæleſtium: & eſt ſapiens gubernator
eorum, qui in Deum crediderunt. Et, *Michael om-*
E *nium ſuprema, ignemque ferens lampas diuinitatis,*
quæ eſt principium lucis, vnicaque & trina, & ſub-
tilis naturæ conſtitutio: qui terræ fines obit celeriter,
& piè iis, quibus vult Deus, mutata figura apparet.
Et infrà. *Cum hunc ergò ſuſpiciendū & maximum pa-*
tronum, potentemque defenſorem, & liberè confiden-
ter, loquentem interceſſorem apud omnium Regem
Deum, diuinum militiæ principem habeamus Michae-
lem, ô chari patres, fratres, & à Deo collecte cœtus,
piè ipſum ſemper omnes, vt reuerapuriſſimum, in mun-
dis cordibus ſemper magnificè extollamus, verbiſque
F *lætitiæ & ſpiritalis exultationis, vt decet Archange-*
lum, honorificis verbis & laudibus hodiè proſequa-
mur, amoreque & deſiderio ei offeramus, & venere-
mur, quia ardenter concurrimus ad ſacrum eius fe-
ſtum, in venerandum eius templum, quod eſt pij no-
minis, vt affatim colligamus perennes eius & ſaluta-
res gratias & deffenſiones interceſſionis. Eſt enim li-
beralis ac munificus Dei magnus ille Dux exercitus,
cum diuiniſſimo & coarchangelo ſuo Gabriele, bene-
dicens, corroborans, gratia implens, lætificans & or-
nans ac decorans corda fidelium, vt qui ſit ſanctis om-

Digitized by Google

Primò, quia non deceret aliter. *Secundò*, è varijs viſionibus, in quibus tetras animas tetri excipiunt ſpiritus. *Tertiò*, quia animas quas à S. Michaele repræſentari in ſanctam lucem petit Eccleſia, dicit eſſe *fidelium defunctorum.*

II. *Non deducit piorum animas è corpore ad iudicium particulare S. Michael.* quia deductio ad particulare iudicium è corpore nulla eſt *propriè.* Nam eodem in loco, vbi corpus eſt, hoc iudicium fit: & eodem ipſo, quo corpus anima deſerit, momento, vti, more ſuo doctiſſimè monſtrat Soarez noſter tom. 2. diſput. 52. ſect. 2. Dixi propriè, quia vbi neque loci, neque temporis quidquam interiectum, non poteſt aliunde aliquo vllus deduci: niſi deductor diceretur is qui tantummodo aſtaret. Quod improprium eſt. Et tamen ne ſic quidem omnes per ſeipſum deducit, vt infrà patebit.

III. *A iudicio particulari ſuſcipit omnes animas, quæ rectà & ſtatim è corpore in cœlum euolant, vel è purgatorio iam expiatæ: ipſaſque illo deducit.* Probatur *primò*, quia hoc ipſum videtur Eccleſia dicere, cum in Defunctorum miſſa orat, vt *ſignifer S. Michael repræſentet fidelium defunctorum animas in lucem ſanctam.* Quid iſta lux ſancta, niſi ſempiternæ lucis locus, cœlumque empyrium? *Secundò*, quia in ea ipſa prece, de mortuis loquitur, quaſi de morientibus, vti explicatum lib. 2. de purgatorio cap. 5. à Bellarmino: & *inferni propriè dicti* phraſibus purgatorij pœnas, vt earum magnitudo, & cur ijs liberari meritò petatur, cauſa quodammodo monſtretur; intelligit, vocans *pœnas inferi*, *profundum lacum*, *os leonis*, & *obſcurum* quid. Deinde verò iſtis quaſi omnibus opponit; *ſed ſignifer S. Michael repræſentet eas in lucem ſanctam.* Ergo rogat Eccleſia, vt fidelium animæ, vel abſque purgatorio confeſtim lucis æternæ domicilium, S. Michaelis operâ, ineant, vel certè ſi ad purgationem ijs eundum fuerit, ne ibi commorentur diutius, ſed eiuſdem ſancti manu veluti educantur, & collucentiſſimas cœlorum domos capeſſant. Præterea in lectionis 4. reſponſorio, in illius feſto, legitur *Archangelus Michael, præpoſitus Paradiſi, quem honorificant Angelorum ciues: cuius honor præſtat beneficia populorum & oratio* (non negatur alius modus) *perducit ad regna cœlorum.* Et in reſponſorio 5. *Venit Michael Archangelus cum multis Angelis, cui tradidit Dominus animas ſanctorum, vt perducat eas in Paradiſum exultationis.* In reſpon. lect. 7. de S. Martino, *quem Michael aſſumpſit cum Angelis*, quos ſcilicet viderat S. Seuerinus.

Suſcipit pias iſtas animas, & in lucem perfert S. Michael non per ſeipſum omnes; ſed per adminiſtros Angelos varios. Fieri enim poſſet, vt eodem momento complures in diuerſiſſimis regionibus morerentur ac iudicarentur pij, quibus per ſeipſum commodè non queat adeſſe. 2. Hoc ipſum ſatis eſt, vt animarum iſtarum ſuſceptioni præeſſe dicatur, 3. Satis rationi conſentaneum eſt, vt varij variorum meritorum & ſtatuum homines à varijs etiam Angelis deducantur. 4. Id apparet ex Euangelio de Lazaro Lucæ 16. verſu 22. de mendico alio apud Nicephorum lib. 14. cap. 52. de alio apud S. Chryſoſt. lib. 6. de ſacerdotio: de alijs apud R: Dauid in Zachariæ cap. 3. Ex his igitur hoc ſtruo Argumentum: Cui Angelorum à Deo muneris hoc tributum, vt piorum omnium animas è corpore, vel purgatorio excedentes, per ſe vel per eos, quos conſtituerit; ſuſcipiat, in cœleſtiſque lucis aulam deducat, is Angelorum omnium primus & præſtantiſſimus meritò cenſeatur. 1. quia eſt hoc munus & dignitas ampliſſima. 2. quia ſolent Reges, quos plurimi faciunt, quoſque maximè diligunt & amant excipiendis præficere, obuiamque mittere Principum ſuorum maximum. 3. quia è pijs, quibus ad cœlum id eſt, multi ſupremos etiam Angelorum choros adeunt, in iiſque perpetuò habitant. His igitur excipiendis non niſi ſupremos item Angelos præpoſitos fatendum. At & his, & omnibus ſimpliciter excipiendis præpoſitus eſt S. Michael. Ergo. Et huc pertinent quæ ex Sophronio infrà mutuabor. Neque eſt, quod hæretici Iunij latratum illum controuerſ. 3. lib. 1. cap. 9. morentur dicentis. *Hæc omnia non ſatis piè.* Nam vel S. Michael eſt CHRISTVS, vt ipſe vult; & cur *hæc non ſatis piè?* An elogia hæc multo maiore ac poſteriore modo CHRISTO Domino non congruunt? vel non eſt CHRISTVS, vti dicimus, & quid in iſtis impium? *XI.* Notiſſima omnibus ea pictura, qui in Sancti Michaelis læua libram collocat: in cuius vna lance animula: in altera huius animulæ opera ſunt. Et hanc quidem picturam Molanus libro de picturis capite 16. inter eas numerat, quæ periculoſi erroris occaſionem rudibus præbere poſſint, quòd colligere hinc poſſent, ſaluandos eos, qui etſi opera mala habeant, bona tamen habeant plura, quæ illis præponderent: & à contrario damnandos, in quibus mala bonis præponderant. *Quale quid*, ait, *habere videtur apud Auguſtinum imperiti cuiuſdam hominis ſermo, qui eſt primus in Vigilia Pentecoſtes, in Appendice 59. omninò ſub finem*, vbi etiam in Louanienſis correctionis margine notatur, *Cautè legendum.* Sed & dura nimium hæc Molani cenſura eſt, & aliundè ſuam habet pictura originem. Annumerabo prius ſermonis illius verba. *Certum eſt*, ait, *qui fert ſecum illuc plura opera bona, & plura opera mala, in ipſis pœnis habebit aliquid refrigerij: qui autem bonorum operum nihil habet, malorum autem ſecum multam copiam refert, quid eum maneat, non opus eſt dicere. Erit enim ibi ſine dubiò compenſatio bonorum malorumque, & velut in ſtatera poſita vtraque pars. Quæ demerſerit, illa ſibi eorum quo momentum vergitur operarium vendicabit. Si ergo malorum multitudo ſuperauerit, operarium ſuum pertrahit ad gehennam. Si verò maiora fuerint opera bonorum, ſumma vi obſiſtent, & repugnabunt malis, atque operatorem ſuum ad regionem viuorum ex ipſo etiam gehennæ confinio reuocabunt.* Quid in iſtis verbis periculoſum? *Qui*, ait, *moriuntur vel nulla opera ſecum mala ferunt, vel omnia mala, vel aliqua, & hæc autem plura bonis, pauciora. Si nulla mala, certum eſt ſaluari: ſi omnia mala, certum eſt damnari. Si aliqua mala, ſed plura bonis, damnabuntur iſti etiam, ſed ita vt in ipſis pœnis aliquid habeant refrigerij. quia nimirum vel tam intenſa, vel ratione non temporis, ſed cruciatuum tam extenſa eorum pœna non erit, quam ſi bonorum nihil vnquam egiſſent. Si aliqua mala, ſed bonis pauciora, ſaluabuntur; dum*

A *ſcilicet mala illa pœnitentiæ aquis diluerint, aut purgatoriis ignibus excoxerint.* Quis verò rudis aliud hinc eruditius colligat? Ideoque in ſymbolicis hæc repõenda potius picturis, quæ aliquid nimirum non hiſtoricum, ſed dogmaticum ſignificant vti cap. 18. ſubdit idem Molanus dicens: *Michaelis libra ſiue ſtatera ſignificat, quod debeamus depoſuiſſe omne pondus & circumſtans nos peccatum Heb. 12. vt S. Michael repræſentet nos in lucem ſanctam.* Et hoc quidem ille ſignificat, ſed aliquanto etiam plus: nimirum opera hominum diligenter poſt mortem diſcuti, examinari, & ex- B pendi: ita vt ſi nimia peccatorum grauitas lancem deprimat, pereundum ſit: ſi ſecus ad æternam vitam aſcendatur. Nam & tale quid per ſymbolicas notas ſignificat apud Ciceronem Critolai libra; & illa, quam in ſydera, quæ Zodiacum duodena cingunt, ſuſtulerunt Aſtrologi: multo autem magis illa quam nobis clariſsimè depinxit Daniel, cum Babylonio Regi dixit cap. 5. v. 27. *Thecel. Appenſus es in ſtatera: & inuentus eſt minus habens.* Vnde apud Sanctum C Dameſcenum oratio de fidelibus defũctis: *Narrant*, ait, *viri quidam diuinitus illuſtrati, hominum actiones in extremo vitæ ſpiritu, non ſecus atque in trutina perpendi. Atque ſi lanx dextera alterum ſuperexcedat, manifeſtum quod is cuius opera examinantur, in dextris refocillabitur. Sin vtraque æqualiter pendeat, vincet tamen omnino diuina miſericordia: quin etiam vt Theologi referunt, ſi ſiniſtra parum vergat, miſericordia Dei totum adimplebit. Ecce tria diuina Domini iudicia, primum iuſtum, ſecundum verò miſericors, tertium denique plus quam miſericors. Ad-* D *dere licet ad hæc quartum, quando mala opera multum præponderant. Heu mihi fratres, quia & hoc modis omnibus iuſtiſſimum, & iuſtè aduerſus reos pronunciet.* Fuit vti cernitur in S. Ioannis Eleemoſinarij vitæ libro, Publicanus quidam Petrus, qui cum ita percitus in mendicantis cujuſdam faciem panem proieciſſet; extra ſe poſtea raptus eſt, viditque opera ſua omnia in bilance trutinari, illumque ipſum panem in dextera lance poſitum. *Atque hac viſione*, ait eadem illa oratio, *commotus ad ingentem pietatis magnitudinem beatus* E *hic vir euaſiſſe fertur.* Hæc igitur libræ illius ſignificatio eſt, & origo, vti opinior; ex illo ipſo Danielis loco. Quis enim Dan. 1. cap. 5. v. 5. ſymbolica illa horrifica in Balthaſaris pariete, deſcripſit? Cuius eidem Regi apparuerunt in parietis ſuperficie digiti? Nonne fecit hæc Angelus omnia? Nonne in ſtatera Regem illum appenderat Angelus? Nam dixit quidem Daniel. *Numerauit Dominus regnum tuum*: ſed non, *appendit te Deus in ſtatera*: verum, *appenſus eſt*, quia ſcilicet hoc Angelis delegatum munus, quemadmo- F dum à Rege vel domino aliquo potente ſolet expendendi auri ac monetę officiũ famulis cõmendari. Sed *cur Sancto Michaeli, præ Angelis aliis, eadem à Pictoribus appicta libra? Michael creditur*, ait loco citato P. Viegas, *animarum è corpore diſcedentium particulare iudicium exercere: indeque eſt, quod cum gladio & ſtatera depingitur, vt ſumma eius poteſtas, iuſtitiæque æqualitas declaretur, in noſtris ſiue meritis, ſiue demeritis ponderandis.* Sed vnde hoc, & à quibus *creditur*? Video ab ipſo de S. Michaele animabus ſuſcipiendis, præpoſito, eoſque in lucem ſanctam repræſentante, teſtimonium afferri: ſed ex eo particularis iudicij poteſtas quomodo monſtratur? Nam abſque hac optime illarum cum ſuſceptio tum repræſentatio, vti ſupra dictum eſt; fieri poteſt: & aliud eſt, *præpoſitum eſſe animabus ſuſcipiendis*, aliud *iudicandis*: & *eas in lucem ſanctam repræſentare*, præſupponit eas iam eſſe iudicatas, & ſanctæ luci adiudicatas. Malim hoc ita colligere. Particulare iudicium ſi per Deum primò, eiuſdemque vi & auctoritate fit, videtur tamen conuenienter per Dei miniſtros potius quam per Deum ipſum immediatè fieri. *Primo*, quia iudicij huius, ſicuti & aliorum, duæ ſunt ex parte Iudicis actiones: *diſcuſſio factorum*, & *iuſta pœnæ aut præmij pronunciatio*, ex parte verò eorum, qui iudicantur, duæ item: vt in diſcuſſione ſcilicet illa verè agnoſcant ita ſe rem habere: in pœnæ aut præmij pronunciatione cognoſcunt verè ac certò iſtud ſibi, quod decretum eſt, futurum. *Diſcuſſio* autem, non quæ teſtes & tempus, vt in foris noſtris, requirat, ſed ſpiritalis & ſubita tum fieri dicitur, quando ei qui iudicatur, ita omnia quę fecit, monſtrantur, & quaſi prælegũtur, vt aſſentiri cogatur omnibus. At iſtud nonne modis his fit, ſi eas ſpecies ac notitias animo indat Angelus, eique ſic loquatur, vt agnoſcat, & fateatur iudicatus omnia, quam ſi ipſemet Deus immediatè animę cuilibet loqueretur, immediatè per ſeipſum id genus ſpecies infunderet, ſeu mentem ipſius ſupernaturaliter extolleret. Senrentia item ipſa, ſiue pœnæ, ſiue præmij decretio, nonne per Angelos melius ei qui iudicatur, patefit, quam ſi promiſcuè bonos malos per ſeipsũ immediatè alloqueretur Dominus? *Secundo*, parua & obſcura iudicia ſolent libentius magni Principes ſuorũ aliquibus cõmittere. *Tertio* conuenit, vt generale iudicium per Deum ipſum publicè coram toto mundo fiat: ergò vt particulare coram vno quolibet, ab ipſis miniſtris. *Quarto*, in extremo iudicio generali, erit approbatio publica iudiciorũ omnium particularium: ergo poterunt hæc ab inferiori exerceri. *Quinto*. Cætera fere quæ ad homines pertinent, fecit Deus per Angelos, quamdiu rerum ſtatus hic durat: ergo & particulare iudicium. *Sexto*. Generale iudiciũ per Deum, Christique humanitatem, tanquam creaturarũ omnium caput exercebitur. Ergo particularia iam per Dei, eiuſdemque humanitatis miniſtros Angelos exerceri poſſunt. *Septimo*. Antequã Christvs Dominus incarnaretur; fiebant iudicia particularia: & nunc fatentur omnes, ea non immediatè per Deum exerceri, quia de ſe ſecundum humanitatem ait Christvs Dominus Matth. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.* Ergo & ante incarnationem non exercebantur immediatè per Deum. Debẽt enim particularia eodem modo exerceri: ſicuti & omnium vnicum erit generale iudicium. Ergo ante incarnationem per Angelos exercebantur. Ergo & iam: ſed hoc tamen diſcrimine, quòd iam exercentur etiã vi & auctoritate Chriſti Domini humanitatis exiſtentis: olim non item. Hiſce porro S. Michaelem particularibus iudicijs pręſidere, nõne colligat facilè, qui & hoc quod iam probatum eſt; pro certo habeat, *Angelis tanquam inferioribus Iudicibus, particularia hæc à Chriſto Domino mandata*, & illud, quod ſuprà iam ante conſtitutum

Digitized by Google

ſtitutum eſt, coniungat, *S. Michaelem eſſe ac fuiſſe ſemper Eccleſiæ totius præſidem.* Si enim ſub ſummo Iudice ſunt Angeli particulares Iudices, quis aptior, & vt omnibus præſit, magis idoneus, quam qui Eccleſiæ vniuerſæ vniuerſalem quandam curam ac patrocinium gerit? Atque hinc tandem illud, propter quod mihi hæc dicta omnia, exiſtit argumentum. Angelorum omnium ſummus ac primus meritò is habeatur, qui hominibus omnibus ſingulatim iudicandis præſidendi poteſtatem à Deo accepit. ita vt vel per ſeipſum, Iudicem agat, vel Angelos alios ſubdeleget. Neque enim quemquam par eſt iudicari ab inferiore. Multi autem hominum ad ſupremos Angelorum ordines euehuntur. ita vt ſola B. Virgo, quæ Seraphim omnibus ſuperior eſt, vti oſtendit in ſermone de Natiuit. B. Virginis. D. Bernardus & S. Chryſoſt. in lectione diei 12. Septembris, à CHRISTO Domino immediatè iudicata, videatur: & libra tantæ S. Michaelis poteſtatis & iuſtitiæ index ac inſigne ſit. *XII.* Eſt quædam oratio in litanijs de Angelis fol. 79. editionis Bruxellenſis hæc: *Deus qui Beato Michaeli Principi aſtanti, & ſummo cæleſtium copiarum, prælianti, ſub auxilio ſalutiferæ crucis ab æterno præuiſæ, glorioſum de ſuperbiſſimo Dæmoniarcha triumphum dediſti: te quæſumus, vt nobis armantibus frontem noſtram ſigno ſalutari, nomenque prædicti Michaelis triumphatoris inuocantibus, fortitudinem ac victoriam contra viſibiles & inuiſibiles hoſtes concedas, vt nos liberi ab eorum impedimento, ſecundum tua diuina mandata vt iam noſtram deducere valeamus.* Eſt & hiſtoria, quæ non quidem præcisè ſummam, ſed è ſummo tamen ſummorum ordine S. Michaelem eſſe monſtrat dummodo contra Maximum & Pachymerem, illud, quoad à Dionyſio Areopagita cap. 7. cœleſtis Hierarchiæ, D. Gregorio homil. 34. in Euangelia, Theologis hoſce deinceps ſecutis traditum eſt, teneatur; *ordinem eſſe ſummum Seraphim.* Nam anno Domini 1224. in Septembri, cum, ſolito more in Aluerniæ montibus, in S. Michaelis honorem, præter illam Chriſtianis omnibus communem; alteram quadrageſimam, quam ab ipſo Aſſumptionis Beatæ Virginis ad ipſum Archangeli noſtri feſtum producebat; ieiunaret S. Franciſcus, ecce tibi ipſo Exaltationis S. Crucis die, vel certè circa eum diem è cœlorum culmine ad illum deuolans Seraphim vnus, luce fulgens mirabili, & in crucifixi conformatus ſpeciem, ſacrorum CHRISTI Domini vulnerum ſtigmata ſancti illius lateri, pedibus & manibus inſculpſit. Quis verò iſte Seraphim? Quis qui ſeipſum in æſtuantiſſimæ charitatis ara poſitum repræſentandi, ſacraſq; ſuas plagas in ſancti membris conformandi vim & auctoritatem imponere dignatus eſt Dominus noſter IESVS CHRISTVS? Quis, niſi S. Michael, quem è cœleſtibus mentibus præcipuè venerari ſolebat ipſe ſanctus, quem eo ipſo, quod ſibi tunc indixerat, & ieiunio & ſolitudine, & diurnis, nocturniſque precibus colebat? Scio quid in caput 6. Galaticæ contra hanc hiſtoriam allatret Lutherus, quid Beza. Sed nunquid hi priſcarum rerum ſcientiores, quam qui illis ipſis temporibus vixerunt, ipſaque ſtigmata viderunt, & manibus ipſi ſuis tractarunt? Nunquid veritatis ipſi amantiores; vel fide digniores quam innumerabiles, qui teſtificanti ſunt? quam S. Bonauentura & S. Antonius, qui litteris mandarunt? quam Deus ipſe, qui tot & tantis miraculis confirmauit? Sed egi hoc ipſum pluribus in illum illius epiſtolæ locum. Videri etiam poteſt cap. 13. contra Boquinum noſter Turrianus. *XIII.* Huc etiam faciunt illa Rabbinorum encomia, quæ quæſtione 41. poſita ſunt. *XIV.*

A

Supereſt vt quæ contra obijci poſſunt; ſoluantur. 1. *Archangelus* vocatur. At iam dixi nomen hoc latè admodum patere, vt generatim omnes, qui Angelis inferioribus præſtant, vocentur *Archangeli*: interdum tamen accipiatur pro certo ſuperiorum illorum genere dupliciter. 1. vt nomen quaſi generis, vni ſpeciei, cui aliud nondum inuentum nomen, relinquatur. & ſic dicitur in Hierarchia infima ordo ſecundus eſſe *Archangelorum.* prout apud Philoſophos id genus nomina etiam vſurpantur, verſu cap. *diſpoſitio* in prima qualitatis ſpecie. 2. κατ' ἐξοχὴν, & ſic, ſoli omnium ſummi, ſunt *Archangeli*: & in his, omnium maximè S. Michael, quemadmodum apud nos *Orator* Cicero, *Poëta* Virgilius, *Apoſtolus* D. Paulus. de quo loquendi modo etiam Iuris Inſtit lib. 1. t. 2. *II.* Qui è ſuperioribus Hierarchijs ſunt, mitti non ſolent Angel. Negatur ex Hebræ c. 1. & cauſas, vti opinor, minimè futiles, negationis ibi attuli, ſimulque nihil eo ipſo D. Areopagitę auctoritati detrahi oſtenſum eſt. Et video plurib. eam nunc probari ſententiam, vt P. Riberæ in c. 1. illius epiſtolæ, P. Blaſio Viegas in c. 12. Apoc. *III.* Mitti ſaltem non ſolent ad tales & toties, ad quales & quoties miſſus legitur S. Michael. Reſpondeo, ideo ad tales ac toties mitti S. Michaelē. quia præcipua ei à Chriſto D. demandata Eccleſiæ totius, ac ſingulorum eius membrorum cura. *IV.* Multi & boni auctores, in infima Hierarchia inter Archangelos inferiores S. Michaelem collocarunt. Non id neſcio, quemadmodum in quæſtionis principio notaui. Sed in re, quæ nullo fidei dogmate ſancita eſt: in hanc vel illam partem ire, fas: quo ſcil. cumque nos argumentorum probitas, pietas, & veritatis amor duxerit. Et verò iſta, quam de S. Michaelis dignitate hactenus expoſui, ſententia, vel eo mihi nomine gratiſſima eſt, quòd inter extremas media ſit. Sanctum .n. Michaelem æquo magis deprimunt: qui inferiora ei loca dant Catholici: æquo magis extollunt; qui Deum, vtrumque Chriſtum Ieſum faciunt hæretici.

B C D E

Dico tertiò, *Angelorum nunc omnium ſimpliciter eſſe præcipuum, primumque & ſummum S. Michaelem.* Nam & bonorum Angelorum principatum tenet, vti hactenus monſtratum: & omnium damnatorum. Etſi.n. eo fuit olim prior Lucifer: tamen ſiue naturæ ſpecie diuerſæ, ſiue, vt ſuprà dictum eſt: eiuſdem ſit, multo inferior eſt, omnib. gratiæ ornamentis ſpoliatus: in naturalibus etiam dotibus impeditus, & ijs ne, arbitrio ſuo, vti vel abuti potius poſſit: conſtrictus: è cœleſti aula exturbatus: in tenebras & ſordes coniectus: æternis flammis mancipatus: à Sanctis omnibus victus & calcatus: à pueris, vt ait Michael

F

Digitized by Google

Syngelus in oratione de S. Areopagita, & ante ipſum, & S. Athanaſius oratione prima contra Arianos, paſſerculi inſtar, contemptus & irriſus: mundi totius ludibrium, vomica, & propudium. Libet verò quæſtionis huius riuulum pulcherrima & vtiliſſima Sophronij loco citato precatiuncula claudere. *Tu verò*, ait, *ter ſanctiſſime ſacræ militiæ Princeps, & adminiſter Michael, Angelorum coryphæe, omni cultu, omnique laude & celebratione digniſſime, internos meos ſenſus illuſtra: cor meum vitæ huius fluctibus agitatum confirma: mentem meā ad terrena inclinatam ſurſum ad cæleſtem prudētiam ſubleua: emortuos pedes, ne ſemitam, quæ ad cælos ducit, deſeram, corrobora: actiones meas, quæ graueolentiam exhalunt, planeque computreſcunt, ſana: cæteras tandem miſeriarum mearum, & laborum moleſtias cura. Iterum, re, & nomine, Te, Michael, oro, & quanto poſſum ſenſu, obteſtor, vt è vita huius curriculo exituro, lætus pacatuſque appareas: meque ſub honorato alarum tuarum velamine abſcondas: atque ex anguſtiis, obſcuriſque inferorum locis ereptum, in loco tabernaculi admirabilis conſtituas.* AMEN.

QVÆSTIO XLVI.

Quando, & quomodo, quaue formâ Ioſuæ apparuit S. Michael?

DE apparitionis huius *tempore*, quoad diem, & diei portionem, ex ijs, quæ capite ſequenti in Hierichuntis excidio afferentur, fiet iudicium: & alioqui tempus hoc expendit in Tractatu Sanedrin ca. 6. fol. 44. R. Iuchanan.

De apparitionis autem *modo* res ſic habet. Si velit Angelorum vllus homini apparere, figuram aliquam corporatam aſciſcat, neceſſe eſt. *Quatuor*, ait in Cantica, ſerm. 5. D. Bernardus, *ſpirituum genera nota ſunt nobis, pecoris, noſter, Angelicus, & qui condidit iſtos. Non eſt ex omnibus cui ſiue propter ſe, ſiue propter alium, ſiue propter vtrumque, neceſſarium corpus non ſit, corporiſue ſimilitudo, excepto duntaxat illo, cui omnis tam corporalis, quam ſpiritualis creatura merito confitetur, & dicit, Deus meus es tu; quoniam bonorum meorum non eges.* Et poſtea. *Iam quod ſuper cæleſtes ſpiritus opus corporibus habeant; illa maxime certos nos facit vera, & verè diuina ſententia. Nonne omnes, ait, adminiſtratorij ſpiritus ſunt, miſſi in miniſterium propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis? quonam ergo modo implent miniſterium ſuum abſque corpore? Denique non eſt diſcurrere, neque de loco ad locum tranſire niſi corporum, quod frequenter Angelos facere tam indubiata quam nota probat auctoritas. Hinc eſt quod & viſi ſunt Patribus, & ad eos intrauerunt, & manducauerunt, & pedes lauerunt. Ita inferior, ſuperiorque ſpiritus propriis corporibus egent, ſed tamen quibus iuuent, non etiam iuuentur.*

Quam verò *figuram* ſibi ſanctus aſciuerit Michael, declaratur in textu v. 13. tripliciter. Nam *primò* dicitur. *Vir* in quo agnoſcitur ſpecies humana, virilis ſexus, ætas, robur, habitus. Nam alioqui potuiſſet, vt cæteri Angeli; apparere *in volucris* alicuius, v.c. columbæ, *ſpecie*: in *fæmineo ſexu*, vt in apparitionibus forte multis factum, cum ſeſe B. Virgo, vel è cœleſtibus aliæ videri voluerunt. (Alioqui nugas certò ſcio meras, quæ neſcio quibus tribuit Mahometus de Angelorum quorundam fœmineo ſexu, azoara 53. & 63.) *in ætate puerili* aut *iuuenili*, vt in Tobia c. 12. q. 18. *in corpore imbecilliore*, vt ſi ſenis, aut decrepiti perſonam induiſſet: *in habitu alio*, qui alteri aut ſexui, aut ætati congruiſſet Michael, ait orat. 1. Pantaleo, terræ fines obit celeriter, & piè ijs, quibus vult Deus, mutatâ figurâ apparet, qui ad Gedeonem ſolaris inſtar radij venit. Quod ſi quę eidem Archangelo ab eodem Pantaleone tribuuntur apparitiones, eas ipſe per ſeipſum obiiſſet omnes, clariſſimè apparet, quā varijs & modis & formis hominum ſeſe aſpectui poſſit obijcere. Quod ſi non ſint omnes ipſius apparitiones, vti probabile ſatis eſt; nihilominus eadem adhuc varietas, ei conuenire poſſe, intelligitur. Quid enim alij poſſint Angeli, quod ipſe non poſſit? *Secundò*. dicitur *ſtans contra Ioſue*, id eſt, è regione, ſeu à fronte Ioſuæ. Non igitur aut volās apparuit, aut ſedens, alioue corporis ſitu, quam qui virum coram viro, fortem, & magnum coram forti & magno decebat. Et ſtabat non in aëre ſublimis, vt ille 1. Paralip. 21. v. 16. aut ad latus, ſed in terra & à fronte, non tamen proximè. Nam vt penitius eum intueri, & pernoſcere, affarique poſſet Ioſue, paſſibus aliquot pergendum fuit v. 13. *Tertio*, dicitur *euaginatum tenens gladium*. Et poſſet in Latino addi, *ſuum*. Nam Hebræus ait, *& erat gladius eius extentus in manu eius*. Græcus καὶ ἡ ῥομφαία ἐσπασμένη ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ ideoq; ſimiliter ex Hebræo addi poſſet ἡ ῥομφαία αὐτοῦ, quod licet ſatis videtur intelligi (neque enim alienum gladium habebat) habet tamen illa pronominis reciprocatio, energiæ neſcio quid ad ſignificādum; eum gladio accinctum fuiſſe: & è vagina, quæ ad latus inanis tum penderet, eductum habuiſſe gladium illum. Si enim tantum dicimus. Nudum geſtauit ille manu gladium, videtur is aut ab alio acceptum ità geſtare, aut è domo ad pompam aliquam: vt ſi Iudici vel Domino alicui præferendus ſit, aut in comœdijs, ipſi Iuſtitiæ. At ſi dicatur: ſuum ille manu gladium tenebat, apparet è vagina eum ſua eduxiſſe, hocque antea præcinctum fuiſſe. Idemq; prorſus loquendi modus, & in Angelo, qui Dauidi apparuit 1. Paral. 21. v. 16. vbi 70. illud αὐτοῦ non omiſerunt, ſed Num. 22. bis eadem Hebraica phraſis ab ijſdem, vt hoc loco, verſa. Atque hinc intelligitur, non ſimplicem Angeli huius apparentis habitum, qui viro quoquo modo congrueret, fuiſſe: ſed militarem: & pugnā propemodum iam ciētem. Iam enim ferrum ſtrinxerat: iam vibrabat: & manu, oculiſq; in quem illud defigeret, quærere videbatur. Ex hoc autē pugnaci habitu, & ex archiſtrategi, quæ poſtea indicatur, perſona, cum auguſtam eius, qui videbatur, ſpeciem, tum cæterā, vti quidem reor, panopliam colligere eſt, in cap. ſcilicet galeam, in thorace loricam, in cinctu baltheum, in cruribus zoſmata, & ocreas, vel caligas militares, vt eum prorſus referat bellatorem, quem depinxit Apoſtolus Epheſ. 6. Sed ita ſeſe hæc habebant omnia, vt nullum appareret ſignum, è quo, huiuſne an illius partis miles foret; perſpiceretur. Alioquin opus haud fuiſſet Ioſuæ hac interrogatione. *Noſter es, an aduerſariorum?* Hoc igitur Martiali ſchemate viſus S. Ioſuæ. S. Michael.

QVÆ-

QVÆSTIO XLVII.

Cur adeo armatus, & Martius Ioſuæ apparuit S. Michael?

TOTA, cum ſe ſub hominum oculos dant, Angelorum *ſpecies*, *ætas*, & *veſtis*, ijs rebus, quas nunciatum, factumque veniunt, accommodata eſſe ſolet, vti cap. 12. Tobiæ quæſt. 18. monui. Adeo igitur armatus nunc & Martius apparet S. Michael. *Primò*, quia à Deo ad Ioſue mittebatur inchoandi cum Chananæis belli nuncius. Iam in promiſſam terram poſuerant Iſraelitæ pedem: ſed erat vlterius pergendum: occupanda erant omnia: ab iniuſtis poſſeſſoribus vindicanda hæreditas, non iure, ac lege, ſed ferro ac manu. *Moyſi*, ait, Rupertus in Ioſue capite 18. *apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi: huic autem tanquam vir præliator ſtans & euaginatum gladium tenens vnicuique iuxta rerum ſequentium proprietatem figuras vel formas competentes præoſtendens, illi videlicet ſplendida facturo miracula ignis apparuit, vt iam dictum eſt. Vidi inquiens afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui, & deſcendi liberare eum, huic mox cruenta bella facturo, euaginatum gladium tenens apparet.* Ne tamen trepidarent animis veri hæredes, quod hoſtium ingens eſſet multitudo, ferocia maxima, bellicæ machinæ, omniſque generis apparatus, & nerui plurimi hoc agit. *Secundò.* S. Michael, vt oſtendat eum à quo Legatus aderat, Dominum opem ipſis laturum, ſe bello affuturum, imo & præfuturum: ſe Duce perterrendos, fugandos, cædendoſque hoſtes. Magno igitur, erectoque eſſent omnes animo. Nam diſtrictus in manu gladius extremam hoſtibus minatur perniciem: Iſraelitis verò certiſſimam pollicetur ſalutem. Nam huic fini alios etiam in ſcripturis diſtrictos gladios legimus Geneſ. 3. v. 24. ad Paradiſum contra inuaſores tuendum. Num. 22. v. 23. & 31. ad Balaam in via praua conterendum. 1. Paralip. 21. v. 16. ad Hieroſolyma, ob Dauidis noxam, percutienda. 2. Mach. vlt. ad Nicanoris proſternendam impietatem, & Iudam Machabæum, comiteſq; omnes bene animandos. Pſal. 149. *ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.* D. Hieron. lib. 1. aduerſus Iouin. *Egreditur Ieſus, occurrit ei princeps militiæ gladium tenens, id eſt, vel pro circumciſo populo pugnare ſe monſtrans, vel diſſecans glutinum nuptiarum. Similiterque vt Moyſi præceptum fuerat; & huic præcipitur: Solue calceamentum tuū. Locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt.* III. Vt Ioſuæ virtus & imperterrita mens probaretur, palamque omnibus fieret. Cum enim, vt melius poſtea dicetur; ſolus eſſet Ioſue, ſoliq; tam improuiſò, tam ad prælium paratus, tantus ſeſe obijceret bellator, non exalbuit metu, non exclamauit, nō pedem retulit; ſed intrepido ad illum vultu, graduque acceſſit. Sic à Domino tentatus, & probatus Abraham, Moyſes alij. *Qui tentatus non eſt, quid ſcit?* Eccleſ. 34. v. 9. & 11. Rectè Maſius: *Viſum*, ait, *quod hic Ioſuæ obiicitur prope geminum eſſe ei, quod Moyſi in rubo apparuerat, poteſt exiſtimari. Par enim vtriuſque ratio, & idem in vtroque Dei conſilium eſſe videtur: vt vtriuſque Imperatoris animus, in ipſo*

Ioſue.

A *rerum gerendarum initio, ſimul & certa fiducia firmetur, & ab inſolente arrogantia prohibeatur; cum intelligant illi imperia ardua, & difficilia quæ ſuſcipiunt, Dei conſilio, nutu, potentia, non ſuis viribus, ſuaq; prudentia eſſe gerenda. vt autem diſſimiles ipſis afferentur ſpecies, diſſimilium rerum agēdarum ratio poſtulabat. Ioſuę enim, cui perpetuo inter medios hoſtes verſandum foret, nudato gladio armatum virum fortiſſimum ſibi opportunè adeſſe præſto vidit. At Moyſes, cui non tam cum armatis hoſtibus, quam cum ſæuo populi Domino; atque etiam cum ipſis naturæ elementis, in Ægypto in* B *mari, in vaſta ſolitudine pugnandum luctandumque tota vita eſſet, vidit rubum populum. Videlicet, cuius ipſe eſſet futurus Imperator, è media calamitatum, atq; ærumnarum flamma incolumem ſupereſſe: ſed præſente Deo, rubumque in ipſo incendio conſeruante. Sic enim R. Simeon F. Iohai, ſcriptor apud Iudæos cum primis vetus, & arcanorum indagator ſubtiliſſimus in libro Zohar; & eum opinor ſecutus R. Leui F. Gerſonis illud Moyſis viſum ſunt interpretati.* IV. Rurſum f. 94. *Vt Ioſuæ animus aduerſus arrogantiam in futuro curſu rerum proſperrimo pręmuniatur. Quo vitio vix aliud* C *deteſtabilius, inuiſiuſq; Deo concipere homines queant. Nam ſi pro maximo ſcelere habetur falſorum Deorum cultus; vt eſt, ſanè maximum; non video, cur pecces grauius, turpiuſq; ſi vano cuipiam ſimulacro accepta referas, quæ à Deo profecta ſunt, quā ſi tibimet ipſi.* V. Oſtendebat Archangelus quomodo Eccleſiam, non illam modo veterem, cui Ioſue Dux, ſed nouā etiā, cui IESVS caput, defendere, ac protegere vellet. Pulchrè auctor operis imperfecti, hom. 48. in Matt. *Dicunt Euangeliſtæ, hæreſes gentes eſſe: quoniam ſicut tunc cum omnes homines eſſent* D *vna gens, & lingua, diuiſi ſunt per plurimas gentes: ita & modo cum eſſet totus populus Chriſtianus vna Eccleſia, & vna fides, diuiſi ſunt per multas hæreſes. Et ſic tunc omnes gentes factæ ſub principatu principum malignorum, vna autem gens ſub principatu Michaelis: ſic & modo omnes hæreſes factæ ſunt ſub dæmonum principatu, vna autē ſub principatu* CHRISTI *remanſit, de qua dicit propter Eccleſiam: Vna eſt columba mea, perfecta mea.* Et Pantaleo orat. 1. *Eſt liberalis ac munificus Dei magnus ille Dux exercitus, cum diuiniſſimo, & Coarchangelo ſuo Gabriele, benedicens, cor-* E *roborans gratia implens, lætificans, & ornans, ac decorans, corda fidelium, vt qui ſit ſanctis omnibus potentior. Vniuerſam enim, quæ eſt ſub ſole, creatam naturam ad lucem deducit. Omnes autem eius laudatores eximiè à variis eripit neceſſitatibus: & eos, qui in omni loco piè eum inuocarunt, à periculis tam quæ videntur, quam quæ cadunt ſub intelligentiam, liberat. Fidelium & orthodoxorum populorum Eccleſias exhilarat, Romanorum cuſtodit Rempublicam, Chriſti amantem Imperatorem armat aduerſus Barbaros, Chriſtianos reddit victores, hoſtes inimicos perſequitur, ab homi-* F *num calumniis ſuos ſeruos conſeruat: ab eorum qui perſequuntur, moleſtiis pios liberat: ab ingentibus maris fluctibus eos, qui ipſam inuocant, eripit: fertilitates fructuum terræ ſuppeditat: eos qui in tenebris verſantur, ducit: eos defendit, quibus fit iniuria: conſolatur eos, qui ſunt puſillanimi: ægrotos viſitat: fideiubet pro peccatoribus, dæmonum impetus propulſat, vitiorum flammam reſtinguit: vt ſanctitatem faciamus, nos inducit: & omnes, qui ſanctum & venerandū eius feſtum fide & deſiderio alacriter celebrant, ex omni difficultate, & noxio occurſu, liberat, & dat ſalutarem gratiam,*

Princeps Dei militiæ ad petitionem ſemper vtilem deducit, & ad viam pœnitentiæ, & eis peccatorum procurat remiſſionem, & in iuſtorum ſtationem connumerat in regno cœlorum gratia CHRISTI *Dei clementiſſimi.*

Gladius verò, quem tenet, eſt, interprete Apoſtolo Epheſ. 6. *verbum Dei.* Sed gladius nudus eſt, non veteris amplius legis vagina conditus, non humanis commentis & erroribus obtectus: è manu numquam abiectus, numquam elabens: aſſidua contra hæreſeon, omniumque vitiorum phalanges explanatione, ac vſu fulgidus, quidquid ineptiſſimè vani noſtri effutiãt Nouatores, iacuiſſe hactenus ſub ſcamno Euangelium: ſed illud in manibus, & oculis nunc geſtare. quaſi S. Michael gladium ſuum in manu tenere diutius, aut præ fatigatione ac imbecillitate non potuerit, aut præ ignauia & improbitate noluerit. Quomodo igitur *Verbum Dei manet in æternum?* 1. Petri 1. verſu 25. *VI.* Valet etiam apparitio hęc ad oſtendendum, quemadmodum non vniuerſam modo Eccleſiam, ſed ſingulos etiam nos tueri, paratus ſit Sanctus Michael. Nobis hac in vita hoſtes ſunt Chananæi, caro, mundus, & dæmon. Nudo ſtat ille gladio, vt impreſſionem in illos nobis facientibus opituletur: illorum appetitiones omnes auertat: ipſoſque concidat penitus, ac profliget. Eum modo Ducem, eiuſque Angelos expedite ſequamur. In ipſo autem mortis agone, in alterius vitæ initio, quàm ille illius gladius nobis opus? Dixi Tobiæ capite 8. quæſtione 5. quibuſdam viſum, enſes dæmonibus horrori eſſe. idque etiamnum hodie ſuperſtitioſiſſimi credere videntur Iudæi, apud quos, vti quidem in flagello ſuo fol. 80. refert. Iudæus olim, nunc Chriſtianus Erneſtus; puerperarum lectos accedit quotidie anus, quæ vbi certis cubiculum carminibus luſtrauit, omnes eius angulos enſe diuerberat, quaſi dæmones ita omnes pelleret, aut confoderet. At verus, quo tremefiunt dæmones, gladius, quo in hoc & altero ſæculo arcentur, abiguntur, &, vt ita dicam, mactantur, & iugulantur, eſt iſte Sancti Michaelis gladius, quo iam olim è cœlo abacti, & in teterrimas latebras compulſi: quo è Chananæa eiecti & profligati: quo è plurimorum animis, nonnullorum etiam corporibus ſępe olim, & nunc exterminati, grauiterque conuulnerati ſunt. Vnde ſecundo CHRISTI Domini aduentui applicans hæc Rupertus loco citato: *Secundò, ait, filiis Iſrael circumciſis adeſt, euaginatum tenens gladium, princeps exercitus Domini, quia videlicet nobis ſecundâ, id eſt, corporum reſurrectione immutatis, iudicium arripiet manus Domini, Iudex, (inquam) viuorum & mortuorum apparebit* CHRISTVS *Filius Dei. Qui & in cantico Deuteronom. de hoc ipſo gladio dicit: ſi acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea, reddam vltionem hoſtibus meis. Nec verò ſolus ipſe princeps exercitus Domini, ſed & ipſi, cum quibus ad iudicium veniet, ſeniores populi ſui iudiciarios habebunt gladios in manibus ſuis. Vnde & Pſalmiſta canit: Exultationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum. Nationes ipſæ in quibus vindicta facienda eſt, vel populi in quibus facienda ſunt increpationes per vrbem Hiericho figuratur, de qua & protinus ſubditur. VII.* Pugnandi de-

A mum nobis hæc S. Michaelis apparitio modum & rationem quandam proponit. Nam *primò viros eſſe nos oportet. A viro,* inquit Tullius, *eſt virtus.* Hæc in animis noſtris ſit: hæc in cogitationib. dictis, factiſque omnibus vigeat. Non ſimus aut delitijs, aut inertia & lãguore effœminati: ne vetera in nos probra recidant de quib. in l. 1. de officijs idem Cicero: *Vos etenim iuuenes animos geritis muliebres.* Monet Origen. à ſanctis viris filios potius quam filias genitas hom. 11. in Numer. 2. *ſtare* itidem oportet, quòd maximè bo- B norum militum proprium indicat militare *ſtationis* vocabulum. De quo ſerm. 25. S. Ambroſius, & ſæpe Tertullian. maximè in extremo de Oratione libro, vbi hiſce verbis concludit: *Si ſtatio de militari exemplo nomen accipit (nam & militia Dei ſumus) vtique nulla lætitia, ſiue triſtitia obueniens caſtris, ſtationes militum reſcindit. Nam lætitia libentius, triſtitia ſollicitius adminiſtrabit diſciplinam. Primum,* inquit S. Chryſo. in Eph. hom. 23. *eorum qui in aci ſũt ordinata, eſt, vt rectè ſtare ſciant, & ex eo multa euenerint. Propterea multa dicit de eo* C *quod eſt ſtare. alibi etiam dicens, State, Vigilate. Et rurſus, ſic ſtate in Domino. Et rurſus, qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat. Et rurſus, vt poſitis omnibus confectis ſtare. Non ergo abſolutè aliquam dicit ſtationem, ſed eam quæ eſt rectè ordinata. Et qui rei militaris ſunt periti, ſciunt quantum ſit ſcire ſtare. Nam ſi in pugilibus, & iis qui luctantur, hoc ante alia præcipit, nempe ſtare: multo magis in bellis, & in rebus militaribus. Qui ſtat rectus, ſtat non profligatus, & diſſolutus, neque ad aliquid inclinatus. Accurata & exacta rectitudo cernitur in ſtatione. Quare qui* D *ſunt re vera recti, ſtant. Qui autem non ſtant, non fuerint recti, ſed diſſoluti & profligati. Non ſtat, qui degit in delitiis, qui eſt laſciuus & libidinoſus, qui eſt auarus & pecuniæ cupidus, ſed eſt inclinatus. Qui ſcit ſtare ex eadem ſtatione, tanquam ex quodam fundamento, quæcunque ad luctum pertinent, habebit facilia & expedita.* Hinc Apoſtolus Epheſ. 6. verſu 14. *ſtate,* inquit, & verſu 11. *Induite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias Diaboli.* Qui ſic iam ſteterit, ſtationem in cœlis conſequetur ſempiternam Pſalm. 23. verſu 3. E Et cum ſtaturi non ſint impij in iudicio, neque peccatores in conſilio iuſtorum, Pſalm. 1. verſu 5. ſtabit ipſe ſemper, nullo angore oppreſſus, nulla ſolicitudine afflictus. 3. *Gladius* etiam nobis neceſſarius eſt, iſque & *noſter,* & *vagina eductus,* & *in noſtris manibus.* Gladius, vt ſuprà nos docuit Apoſtolus, eſt *verbum Dei,* quod noſtrum fit, cum per fidem, veramque vitæ noſtræ obedientiam, id nobis applicamus. E vagina educitur, cum eius cognitionem, ac ſcientiam clauſam & occultam non tenemus, non F ſolis nobis, noſtriſque cubiculis & libris reſeruamus, ſed ad Dei gloriam, proximique vtilitatem proferimus, vt Chananæa Hæreſeon, vitiorumque agmina pauore, ac metu exanimentur, in fugam agantur, occidione occidantur: è contrario verus Iſrael deffendatur, vera & Catholica fides vincat, ſancta vbiq; morũ diſciplina, caſtitas, pietas, charitas, innocẽtia triumphet. Verũ enimuerò non linguâ tantũ & verbo educi foras debet ſalutaris hic gladiꝰ: ſed multo magis manu ac opere teneri, prout egregiè docet S. Chryſoſt. hom. 3. & 5. in 1. Cor. Caſſianus

ſub

Digitized by Google

ſub finem vltimæ collationis, S. Brigitta li. 6.c. 15. Maximus Tyrius orat.15. Seneca epiſt.20. quę eſt prima lib.3. vbi ſic; *facere docet Philoſophia, non dicere, & hoc exigit, vt ad legem ſuam quiſque viuat, ne orationi vita diſſentiat, vt ipſa inter ſe vita vnius. ſine omnium actionum diſſenſione, coloris ſit.* Eſt hoc quidem ſemper, ſed hiſce tot graſſantium errorum, ſcelerumque temporib. maximè neceſſarium. Cum gladio adſit vniuerſa, quam præcipit Epheſ.6.v.11. & ſequentibus Apoſtolus; panoplia. *Induite vos ar. naturam Dei, vt poßitis ſtare aduerſus inſidias Diaboli; quoniã non nobis eſt colluctatio aduerſus carnem & ſanguinẽ: ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. propterea accipite armaturam Dei: vt poſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare. ſtate ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induite loricam iuſtitiæ, & calceati pedes in præparationem Euangelij pacis: in omnib. ſumentes ſcutum fidei, in quo poſitis omnia tela nequiſsimi ignea, extinguere. Et galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus (quod eſt verbum Dei.)* Ad extremum, ſi quis diceret Angelicam hanc apparitionem, imaginem illius Angeli adumbratam putaret, qui CHRISTO Domino extremum cum morte agonem ingtedienti apparuit Luc. 22. verſu 43. falleretur.

QVÆSTIO XLVII.

Vbi tunc erat Ioſue?

VBI tunc fuerit Ioſue, monſtrant verſu 13. Hebræus, Chaldæus, & Gręcus textus. Aiunt enim omnes, fuiſſe *in Iericho*. Sed quonam modo illic eſſe potuit, cum eſſet hoſtium vrbs prima, muris, portiſque clauſa vndique, vti ſequenti capite traditur v.1. An, prout ſuprà ca. 2. exploratores; eam clanculum introierat? At de tali, tamque mirabili, & inuſitata ipſiuſmet Imperatoris exploratione non tacuiſſet ſcriptura, quæ priorem per homines ab ipſo miſſos factam diligenter adeo expoſuit. Deinde vbi tam ſolus, in hoſtili, & tot hominibus, oculiſqueiam plena vrbe apparentem videre Angelum potuiſſet? Quo modo, vbi vidiſſet, dubitare ac percunctari, hoſtiſne eſſet an non? Finxit forte aliquis, illuc ab Angelo aliquo translatum eum, prout fuit Babylonem translatus Abacuc. Sed neque miraculum tantum taceretur; neque vti iam dictum eſt, ibi aut Angelum ſolitarius commode intueri & alloqui potuiſſet. aut non ſuſpicari ſe deprehenſum. Ideóque & enſe ab hoſtium aliquo peti ſe. *Duæ* igitur aliæ *reſponſiones. Vna* Ralbagi, & Ariæ Montani, fuiſſe *in Iericho* Ioſue non corpore, ſed animo & cogitatione, illo ſcilicet modó, quem apud Horatium monſtrat, qui dicit.

Neſcio quid meditans nugarum, totus in illis:
Et ——— *Omnis in hoc ſum:*

Prout & hodie dicimus, aliquem totum ſemper eſſe in patria, in libris, in patinis, quod apud Comicum clarè profitetur, qui ait, *Iam dudum eſt animus in patinis.* At iſto, vt opinor, modo, cum vltra Iordanem adhuc eſſet, dum exploratores Hierichuntem mitteret; Hierichunte iam fuiſſet: Iordanemque iam tranſgreſſus, in promiſſa

A terra tota, non in Hiericho tantum. At deſcribunt idem textus, quaſi nouum quid, & ab Ioſue nunc veluti primò factum. *Cum eſſet*, inquiũt, *in Hiericho, ſuſtulit oculos & vidit virum.* Deſcribunt eum etiam quaſi ſolum in ſolis locis, vbi vnus vni appareret, ſemotis alijs quibuſcunq; vt ab vno ille videretur, cum vno hic loqueretur. *Altera* igitur eſt *reſponſio*, eaque verior, *in Hiericho* Ioſue tum fuiſſe, id eſt, in agro Hierichuntino, in loco Hierichunti vicino, &, cum veterib. vt dicam; ad Hierichuntem vrbem. Nam *primò* fit nonnunquam vt eodem nomine vrbs aliqua, B eiuſque territorium appelletur, vt *Granata*, & ſimilia. *Secundò.* Toti territorio, & ſuburbanis agris vrbis ipſum nomen tribuitur, licet ff. *de verborum ſignificatione*, lege 2. & 239. anguſtius iſtos definire videantur Paulus, & Vlpianus. *Tertiò.* Cicero 7. epiſt ad Atticum epiſt.3. indicat vrbium nominibus, cum præponitur, *In*, ſignificari, non vrbem, vel oppidum, ſed Locum. *Quartò.* Particula Hebræa *be*, ſæpe pro *apud*, & *iuxta* ſumitur, vt infrà c.10.v.10. *in Gabaone*, pro, *iuxta Gabaonem*. C Et Iudith.c.16.v. 28. vt illic tradidi q.6. *Quintò.* Beatus Auguſtinus in hunc locum q. 7. *Erat*, inquit, *Ieſus in Hiericho, non vtique in ipſa ciuitate, cuius muri nondum ceciderant, quod mox futurum erat, vt in eam poſſent intrare: ſed in agro ad eam pertinente. Nam interpretatio, quæ eſt in Hebræo, ſic habet.* noſtra videlicet, quam ſæpe ita hac periphraſi, ab ea quæ è 70. vulgata tunc erat, diſtinguit: ſed pro *in Hebræo*, commodius legeris *ex Hebręo*. D. Auguſtino ſubſcribunt omnes, etiam Nouatores. Nam Caluinus *apud Hiericho* vertit; D *ad Hierichuntem* Tremellius & Iunius. Neque tamen neceſſe eſt, quod Radak vult; iam è Galgalis ad Hierichuntem caſtra eſſe promota, vt infrà dicetur.

QVÆSTIO XLVIII.

Quid ibi tunc agebat Ioſue?

OMNIVM ſententia eſt, vel *vrbis inſpiciendæ*, vel *orationis faciendæ cauſâ*, eum à caſtris, ho- E minumque frequentia tantiſper ſeceſſiſſe. Et vtrumque probabile. Nam *quoad prius*; magni quandoque Duces, dum aliud agunt alij; hoſtium vel caſtra, vel vrbes taciti propius adeunt, vt qua parte facilior, tutiorque ſit oppugnatio inſtituenda, diſpiciant. Rebus enim omnibus ita prudenter diligenterque prouiſis, minus, ad rem cum ventum, trepidationis ac perturbationis eſt; ſanguinis, militumque minor iactura fit. Contrà verò, habent ſæpe cladis & luctus non parum temerariæ impreſſiones. *Quoad poſterius*, F fuit non infrequens magnis olim viris ad orationem, diuinarumque rerum meditationem, à turbâ ſecedere, locaque ſola, vti agros & montes, petere. Si enim vti Poëta ait quidam.

Carmina ſeceſſum, ſcribentis & ocia quærunt.

Multò ſanè magis diuinarum rerum meditationes, ſacræq; cum Deo ſermocinationes. *Nulla res*, inquit, lib. de breuitate vitæ Seneca, *bene exerceretur ab occupato. Occupatorum animi velut ſub iugo ſunt.* Et epiſt.19. lib. 2. *ſi potes*, ait, vt iam dictum eſt l. 1. cap. 4. q. 16. *ſubduc te iſtis occupationibus: ſi minus, eripe.* & epiſt. 25. *Tunc præcipuè in*

te ipſum ſecede, cum eſſe cogeris in turba. Atque hæc poſterior cauſa in Ioſue mihi magis placet. 1. quia vix tam prudentem & circumſpectum Ducem, attentis iam hoſtium omnium animis & armis, putarim ſolum voluiſſe vrbem propius accedere, ipſamque luſtrare. Se ſiquidem, ideoque & exercitum totum in maximum coniecisſet diſcrimen, & vti quidem videtur; abſq; idonea cauſa. Poterat enim ille quidem luſtrare: ſed aliquot cum comitibus, & ſolicita cautione. 2. Qui eo animo caſtra exit, vrbemque aliquam accedit, oculis in illam erectis, & nuſquam euariantibus ſemper eſt. At Ioſue defixis humi oculis conſtitiſſe, videtur textus aſſerere, prout infrà tangetur. 3. Etſi varijs varia facientibus apparuiſſe legimus Angelos, libentius tamen & crebriùs iis, qui orant, ſacrificant, aut diuina quæpiam animo pertractant, vt Dan. ca. 9. B. Virgini Luc. 1. Zachariæ, ibidem Cornelio Act. 10. S. Paulo Act. 16. & 27. 4. Sic Iſaac *ad meditandum* legitur in agrum egreſſus Gen. 24. v. 63. ſeu vt thargum interpretatur, ad orandum, neque huic obeſt interpretationi verſio 70. dum ἀδολεσχεῖν poſuerunt. Solent enim eo verbo in bonam vti partem, pro aſſiduè meditari, & precari vt Pſalm. 54. verſu. 2. *Contriſtatus ſum in exercitatione mea.* ἐν ἀδολεσχίᾳ μου, id eſt, inoratione, muſſitatione, & contemplatione mea, prout ibi notat Euthymius, & Pſalm. 118. v. 15. *in mandatis tuis exercebor*, ἀδολεσχήσω: *& conſiderabo vias tuas*: Vide ſi placet, pulcherrimam Perpiniani noſtri orationem *de philoſophia*. Sic Moyſes in Sinai montem cum Ioſue aſcendit noſtro, vti libro primo dictum eſt 1. cap. 4. & à caſtrorum ſtrepitu ad orationem tabernaculum tetendit, in quo aſſiduus erat noſter Ioſue ibidem cap. 6. vt mirum non ſit, eum priſtinæ ſanctæ illius ſolitudinis occaſionem & fructum in maximis iam occupationib. quæritare. 5. Nonne & hic typus quidem perilluſtris eſt ſolitudinis ac ſeceſſus, quem precum & contemplationum gratiâ, non ſemel IESVS noſter, captaſſe legitur Matt. 4. & 14. v. 23. c. 17. v. 1. Lucæ 6. verſu 12. cap. 9. verſu 28. Ioan. 6. verſu 3. & 15. 6. de Sancto Antonio ſanè ita in S. Hilarione Diuus Hieronymus, *In ſublimi montis vertice, quaſi per cochleam aſcendentibus arduo valde niſu, duæ cellulæ viſebantur, in quibus venientium frequentiam, & diſcipulorum ſuorum contuberniumfugiens, moratus eſt.*

QVÆSTIO LXIX.

Quid apparente Angelo, fecit, dixit Ioſue?

QVÆ, poſteaquam apparuit Angelus, fecerit & dixerit Ioſue, memorantur in capite hoc ſeptimo.

I. Leuauit oculos, & vidit virum, ſiue, vt Hebręo, *ecce vir ſtabat coram ipſo.* Vnde colligit hom. 6. Origenes, videri Ioſue prius non reſpexiſſe? Quid igitur? Clauſis oculis, an demiſſis, humique potius defixis erat? iſtud videtur, quia ſi clauſiſſet oculos, aperuiſſe ipſos potius, quam ſuſtuliſſe, diceretur. Eſt autem oculorum demiſſio, aut defixio hæc hominis attenti, aliaq; animo ſecum ſeriò agitantis: vel certè magnam in ſtatu, & inceſſu modeſtiam adhibentis. Sic &

A CHRISTVS Dominus Luc. 6. v. 20. Io. 6. v. 5. c. 11. v. 41. c. 17. v. 1. *Abraham* Gen. 18. v. 2. cap. 22. v. 4. *Iſaac* Gen. 24. v. 63. *Iacob* c. 31. 12. c. 33. 1. alibi alibi.

II. Perrexit ad eum, quem videbat. Magni, pręſentiſque hoc animi fuit. Territus tam inopinato viſo fuiſſet alius, tali loco, tali tempore: hæſiſſet, ſubtitiſſet pedem fortaſſis retuliſſet, in ſua caſtra feſtinus, pauidus, & anhelus, recepiſſet. At Magni, interritique animi heros Ioſue ad ipſum à quo terror, ſtatim acceſſit.

III. Interrogauit eundem, *noſter es, an aduerſariorum?* Origenes l. cit. putat, Ioſue ſtatim atq; B virum iſtum vidit, cognouiſſe, non hominem eſſe: ſed homine maiorem quandam, & ſublimiorem virtutem: neſciiſſe tamen, eſſetne cœleſtis, an tartarea, bona an mala: & de hoc iam interrogaſſe. ſed vnde hominem non eſſe agnouiſſet? Virili erat Angelus formâ, ætate, habitu, & armis: In terra cõſiſtebat: & à Ioſue aliquantulum aberat. Vnde Angelum potius, quam hominem quempiam egregiũ, ore, vultu, viribuſque admodum præſtantem, & conſpicuum colligere poterat? Et ad creaturam hominẽ maio- C rem, ſiue bonam, ſiue malam, quomodo tam audacter acceſſiſſet? tam ſimplici eum interrogatione rogaſſet? Imo, vt poſtea dicetur, ipſum Angeli reſponſum ſignificat ab ipſo interrogatum homo ne eſſet amicus, vel inimicus. Chaldæus tamen idem videtur ſenſiſſe, cum vertit, *Num, vt nobis opem ferres, veniſti? an vt hoſtibus noſtris?* Noſter tamen, & Græci Interpretes Hebræam interrogationem rectè verterunt: *Noſter es, an aduerſariorum?* quod alioqui verbotenus foret. *An nobis tu, an aduerſariis noſtris?* ſiue, *an no- D ſtrum tu, an aduerſariorum?* Præclarè verò admonet Origen. hom. 6. documentum hic nobis dari, ne omni ſtatim ſpiritui credamus, ſed prudẽter, ſoliciteque inquiramus, & examinemus, an ex Deo ſit 1. Io. 4. v. 1. Nouimus. n. Apoſtolo indice, Satanam ſeſe in Angelum lucis transformaſſe 2. Cor. 11. Venit ad te Lutherus & Caluinus aliquis? Interroga, num Eccleſiæ Catholicæ ſit, an aduerſariorum? Venit cogitatio, & motus neſcio quis ad quidpiam agendum. Eandem & E huic quæſtionem pone. Venit in manus tuas liber quiſpiam? ſimili eum modo excute, ac vide, noſterne ſit, an aduerſariorum. Nam, vt initio libri contra aduerſarium legis & prophetarum, ait, S. Aug. *hæreticorum libri periculoſa curioſitate, & delectatione leguntur.* Non, ait, hoc loco Procopius *diſceptationem quamcunq; priuſquam vnde profecta ſit cognouerimus, recipiamus.* Vide D. Ærodium li. 4. c. 17. B. Petr. Damian. l. 2. epiſt. 7. dum ait: *ſolet ſæpius & in viſionib. interuenire tentatio dum nonnunquam ſpiritus iniquitatis transfigurat ſe in Angelum lucis. Et ideo ſubtiliter eſt agendum, vt diſcernan- F tur genera viſionum ſicut & Ieſu naue, cum Angelum cerneret, & tẽtationes huiuſmodi viſionibus ineſſe nullatenus dubitaret, protinus ab eo, qui apparebat, requiſiuit dicens: Noſter es, an aduerſariorum? Nam & per Apoſtolum diſcretio ſpirituum inter dona Spiritus ſancti enumeratur.* 1. Cor. 12.

Quid verò ad interrogationem iſtam reſponderet Angelus, non eodem modo explicatur. Noſter enim Interpres v. 14. reſpondiſſe, ait: *Nequaquam, ſed ſum princeps exercitus Domini, & nunc venio.* Græcus verò tantum; *Ego ſum Archangelus*

exer-

exercitus Domini nunc adueni. Et prior illa explicatio, ſimplicius cũ Hebræo, Chaldæoq; textu congruit, in quo eſt, *Non, quia*, vel, *ſed ego ſum princeps exercitus Domini.* Poſterior tamen poſſet congruere, ſed Hebraicum לא pro לו acciperemus, quod in ſcripturis factum quindecies, notarunt Maſoretæ. Nam in Græco non ſimpliciter vertitur, *reſpondit*, aut *dixit*, ſed additur αὐτῷ. ſic tamen adhuc diſſimulatur, & prçteritur particula כי tanquam ſcilicet affirmatiua *verè* aut *certè*, non neceſſaria quam, ſicuti & negationem, diſſimulat etiam commentarius *Tanchuma* fol. 39. b. in Exod. 23. verſ. 10. Priorem igitur noſtram illam verſionem retinendo, quæritur.

Primo. Quid ſibi velit illud, *Non*, & *Nequaquam.* Videtur. n. Angelus, cum de ſe plura interrogaretur, non ſatis peritè, clareque reſpondere, vtrũ è duobus ſit, quemadmodũ, ſi quenpiam interrogarem, Gallus es, an Germanus? & ille diceret, Non. Quemadmodũ vero docet Elenchorum c. 4. Ariſtoteles, ad Sophiſticam interrogationũ plurium captionem attendendum eſſe: ita ſanè ad interrogationes plures vnica ſuſpecta eſſe poteſt reſponſio. Dicit igitur *primo* Arias Montanus, iſtud *Non*, referri non ad factam verbis interrogationem, ſed ad ipſam Ioſuæ meditationem. quaſi diceret, Tu meditaris ſic & ſic bellum hoc tibi gerendum falleris. Non ſic gerendum eſt: ſed ea, quam iam iam tibi indicabo ratione. Verum meritò dicat hoc quiſpiã ridiculum. Nam & ad interrogata ſolet adhiberi reſponſio: & qui interrogat, idipſum quod interrogat, meditatur. *Alÿ* vt Ioan. Ferus, ad poſteriorem tantùm interrogationis partem iſtud, *non*, pertinere volunt: quaſi dicat, Non ſum aduerſariorum. Et hoc valdè veriſimile. Nam poſterioris reſpõſi pars ilico ad priorem interrogationis partem referretur, ſic: Non ſũ aduerſariorũ: ſed noſter, quia ſum princeps exercitus Domini: *Tertio* tamen rectè dicitur, negationem hanc vtrique interrogationis parti reſpondere q. d. Non ſum veſter, nec ſum aduerſarius, non ſum Iudæus, non ſum Chananæus, ſiue, Neutrum ſum. Sic enim abſurda, quæ afferebam, vitantur omnia: & ad quæſtionem antepoſitam, Gallus es, an Germanus; rectè reſponderet, Neutrum, qui eſſet Italus. Et verè neutrum erat Angelus. quia de homine homo interrogabat; *Eſne homo Iudæus, an Chananæus*? Atque ſic etiã reiicitur Chaldææ paraphraſis, de interrogatione iſta, opinio, quam ſuprà vidimus. Eſt in Benſira prouerbium; *Vidiſti aſinum nigrum? Neque nigrum neque album:* eoque prouerbio aiunt Rabbini doceri, vt ſi quis interrogetur. Num aliquid viderit ſic aut ſic affectum? non reſpõdeat accuratè, ſe hoc quidem modo affectum vidiſſe; non autem illo alio, ſed præciſè neget, ſe quidquam omnino vidiſſe. At mendacium tunc interuenire poteſt, vt in exemplo, quod ipſius Benſiræ affert Scholiaſtes; planum. Qui enim aſinum totum aribus exceptis, album viderat; an à mendacio abfuit, qui interrogatus reſpondit, ſe neq; nigrum, neque albũ vidiſſe. Ideoq; nec illud placet, quod eiuſdẽ Benſiræ præcepit filius Vriel: *Si noris inuertere verba, bene eſt: loquitor: Si neſcis, taceto.* Noſter vero hic Angelus neq; verba in-
A uertit, neque falſi quidquã dixit: ſed cum, quod interrogabatur, eſſet ne homo Iſraelites, an Chananæus? negaſſet, ſubiunxit quod erat; Angelum ſe eſſe & quidem exercitus Domini principem. Magnam humanæ ſocietati, cuius coagulum ſermo eſt; affert perniciem verborum inuerſio, & ad alia, quam quæ ſimpliciter & clarè interrogantur, reſpondendi modus ambiguus, fallax, Apolline Loxia, quam veraci & candido homine dignior.

Sed quæritur *ſecundò*. Quid illud, *nunc venio*?
B Iudæorum *quidã* apud Abul. q. 74. dicunt, nunc veniſſe Angelũ ad Iſraelitas increpandũ, vel ob legẽ generatim non obſeruatam, vel ſpeciatim, ob legẽ ſacrificij matutini, & veſpertini, quod vel ipſo paſchatis die ſeruaturi non erant. Sed nulla imperationis huius poſt Iordanis tranſitũ, & ſuſceptam recentiſſimè circumciſionem coniectura vſquam eſt. E Rabbinis *alÿ*, vt Raſchi, & Tanchuma dicunt, nunc venire ad Ioſue Angelũ: qui olim iam quidã veniſſet ad ipſius Magiſtrũ Moyſen, Exod. 23. v. 20. ſed ab
C eo reiectus, ac repudiatus fuiſſet Exod. 33. v. 15. Sed minimè reiectũ, repudiatumque fuiſſe illic dixi. Et ſanè eum quẽ illo capite, verſ. illo 15. petiit & impetrauit v. 17. vel accipimus *Deum*, vel CHRISTVM, vel propriè dictũ *Angelum*. Si *Deum*, vel CHRISTVM, an iſte à Moyſe vnquam abfuerat? An Iſraelitas ipſos deſeruerat? An, eo præſente, iam Iordanem, magno cũ miraculo, non tranſierant? ſi propriè dictũ *Angelũ*, adhuc manet difficultas, quomodo, quaſi magnũ quid, ſe iam venire is aiat. Nam plus videtur, ipſũ An-
D gelorum Dominũ adeſſe: ideoque & Angelũ à Moyſe reiectũ tradunt, ipſum vero Dominum expetitum. Hoc. n. ſanè diceret iſte Angelus. Moyſes me Angelũ noluit: ſed Deũ: pro ſeruo elegit Dominum: ſed è contrario me Angelum & ſeruũ habebis. Quid in oratione iſta præclari? quid quod Ioſuæ animum non deprimeret potius, quã erigeret? Eſt Radaki *reſponſio tertia: Nunc venio*, id eſt ſubito, & derepentè prout ſolent venire ſpiritus, vt etiã habere corpus videat, è tam ſubito tamen, tamque repen-
E tino meo aduentu facilè colligas, me hominẽ non eſſe. Sed *primo* non aduolentẽ vel ſubito aduenientẽ vidit Ioſue Angelum: ſed ſtantẽ. Qui ſcire igitur poterat, quo illud modo, motuque veniſſet, aut quandiu ſtetiſſet? *Secundo* ipſi Danieli, cui conſtabat Angelum, qui ad eũ ventitabat, non eſſe hominẽ eodẽ modo, dicit idem Angelus, ſe ad eum venire, Dan. 9. v. 22. c. 10. v. 1. & 14. Dicendum igitur, Angelũ dicere, ſe iam venire, ac adeſſe. ſcilicet vt nouo, & ſingulari modo Iſraelitas adiuuet, qui eos hactenus
F per ſolitudinẽ, & in Iordanis tranſitu variè adiuuiſſet. Singularem. n. & eximiam quandam opem, ac rem hic loquendi modus importat, prout rectè ait Maſius, & loco citato Abulenſis. O vtinam, ſic venire ſemper nobis reſpondeant, qui mentem noſtram pulſant ſpiritus; qui ad nos veniunt doctores, quæ nobis oboriuntur cogitationes, qui in manus noſtras veniunt codices, vt nulla nobis vnquam cum Belial ſocietas & cõmunicatio ſit 2. Cor. 6. v. 14. 15.

IV. *Cecidit Ioſue in terram.* Caſus iſtiuſmodi cauſa, vel terror, vel reuerentia eſt, prout etiam in Iudæorum fundamento 7. notatur. Terror in

te ipſum ſecede, cum eſſe cogeris in turba. Atque hæc poſterior cauſa in Ioſue mihi magis placet. 1. quia vix tam prudentem & circumſpectum Ducem, attentis iam hoſtium omnium animis & armis, putarim ſolum voluiſſe vrbem propius accedere, ipſamque luſtrare. Se ſiquidem, ideoque & exercitum totum in maximum coniecisſet diſcrimen, & vti quidem videtur; abſq; idonea cauſa. Poterat enim ille quidem luſtrare: ſed aliquot cum comitibus, & ſolicita cautione. 2. Qui eo animo caſtra exit, vrbemque aliquam accedit, oculis in illam erectis, & nuſquam euariantibus ſemper eſt. At Ioſue defixis humi oculis conſtitiſſe, videtur textus aſſerere, prout infrà tangetur. 3. Etſi varijs varia facientibus apparuiſſe legimus Angelos, libentius tamen & crebriùs iis, qui orant, ſacrificant, aut diuina quæpiam animo pertractant, vt Dan. ca. 9. B. Virgini Luc. 1. Zachariæ, ibidem Cornelio Act. 10. S. Paulo Act. 16. & 27. 4. Sic Iſaac *ad meditandum* legitur in agrum egreſſus Gen. 24. v. 63. ſeu vt thargum interpretatur, ad orandum, neque huic obeſt interpretationi verſio 70. dum ἀδολεσχῆσαι poſuerunt. Solent enim eo verbo in bonam vti partem, pro aſſiduè meditari, & precari vt Pſalm. 54. verſu. 2. *Contriſtatus ſum in exercitatione mea. ἐν ἀδολεσχίᾳ μου*, id eſt, inoratione, muſſitatione, & contemplatione mea, prout ibi notat Euthymius, & Pſalm. 118. v. 15. *in mandatis tuis exercebor, ἀδολεσχήσω: & conſiderabo vias tuas*: Vide ſi placet, pulcherrimam Perpiniani noſtri orationem *de philoſophia*. Sic Moyſes in Sinai montem cum Ioſue aſcendit noſtro, vti libro primo dictum eſt 1. cap. 4. & à caſtrorum ſtrepitu ad orationem tabernaculum tetendit, in quo aſſiduus erat noſter Ioſue ibidem cap. 6. vt mirum non ſit, eum priſtinæ ſanctæ illius ſolitudinis occaſionem & fructum in maximis iam occupationib. quæritare. 5. Nonne & hic typus quidem perilluſtris eſt ſolitudinis ac ſeceſſus, quem precum & contemplationum gratiâ, non ſemel IESVS noſter, captaſſe legitur Matt. 4. & 14. v. 23. c. 17. v. 1. Lucæ 6. verſu 12. cap. 9. verſu 28. Ioan. 6. verſu 3. & 15. 6. de Sancto Antonio ſanè ita in S. Hilarione Diuus Hieronymus, *In ſublimi montis vertice, quaſi per cochleam aſcendentibus arduo valde niſu, duæ cellulæ viſebantur, in quibus venientium frequentiam, & diſcipulorum ſuorum contubernium fugiens, moratus eſt.*

QVÆSTIO LXIX.

Quid apparente Angelo, fecit, dixit Ioſue?

QVÆ, poſteaquam apparuit Angelus, fecerit & dixerit Ioſue, memorantur in capite hoc ſeptimo.

I. Leuauit oculos, & vidit virum, ſiue, vt Hebręo, *ecce vir ſtabat coram ipſo.* Vnde colligit hom. 6. Origenes, videri Ioſue prius non reſpexiſſe? Quid igitur? Clauſis oculis, an demiſſis, humique potius defixis erat? iſtud videtur, quia ſi clauſiſſet oculos, aperuiſſe ipſos potius, quam ſuſtuliſſe, diceretur. Eſt autem oculorum demiſſio, aut defixio hæc hominis attenti, aliaq; animo ſecum feriò agitantis: vel certè magnam in ſtatu, & inceſſu modeſtiam adhibentis. Sic &

A CHRISTVS Dominus Luc. 6. v. 20. Io. 6. v. 5. c. 11. v. 41. c. 17. v. 1. *Abraham* Gen. 18. v. 2. cap. 22. v. 4. *Iſaac* Gen. 24. v. 63. *Iacob* c. 31. 12. c. 33. 1. alibi alibi.

II. Perrexit ad eum, quem videbat. Magni, pręſentiſque hoc animi fuit. Territus tam inopinato viſo fuiſſet alius, tali loco, tali tempore: hæſiſſet, ſubtitiſſet pedem fortaſſis retuliſſet, in ſua caſtra feſtinus, pauidus, & anhelus, recepiſſet. At Magni, interritique animi heros Ioſue ad ipſum à quo terror, ſtatim acceſſit.

III. Interrogauit eundem, *noſter es, an aduerſariorum?* Origenes l. cit. putat, Ioſue ſtatim atq; B virum iſtum vidit, cognouiſſe, non hominem eſſe: ſed homine maiorem quandam, & ſubliomiorem virtutem: neſciiſſe tamen, eſſetne cœleſtis, an tartarea, bona an mala: & de hoc iam interrogaſſe. ſed vnde hominem non eſſe agnouiſſet? Virili erat Angelus formâ, ætate, habitu, & armis: In terra cōſiſtebat: & à Ioſue aliquantulum aberat. Vnde Angelum potius, quam hominem quempiam egregiū, ore, vultu, viribuſque admodum præſtantem, & conſpicuum colligere poterat? Et ad creaturam hominē maio- C rem, ſiue bonam, ſiue malam, quomodo tam audacter acceſſiſſet? tam ſimplici eum interrogatione rogaſſet? Imo, vt poſtea dicetur, ipſum Angeli reſponſum ſignificat ab ipſo interrogatum homone eſſet amicus, vel inimicus. Chaldæus tamen idem videtur ſenſiſſe, cum vertit, *Num, vt nobis opem ferres, veniſti? an vt hoſtibus noſtris?* Noſter tamen, & Græci Interpretes Hebræam interrogationem rectè verterunt: *Noſter es, an aduerſariorum?* quod alioqui verbotenus foret. *An nobis tu, an aduerſariis noſtris?* ſiue, *an no-* D *ſtrum tu, an aduerſariorum?* Præclarè verò admonet Origen. hom. 6. documentum hic nobis dari, ne omni ſtatim ſpiritui credamus, ſed prudēter, ſoliciteque inquiramus, & examinemus, an ex Deo ſit 1. Io. 4. v. 1. Nouimus. n. Apoſtolo indice, Satanam ſeſe in Angelum lucis transformaſſe 2. Cor. 11. Venit ad te Lutherus & Caluinus aliquis? Interroga, num Eccleſiæ Catholicæ ſit, an aduerſariorum? Venit cogitatio, & motus neſcio quis ad quidpiam agendum. Eandem & E huic quæſtionem pone. Venit in manus tuas liber quiſpiam? ſimili eum modo excute, ac vide, noſterne ſit, an aduerſariorum. Nam, vt initio libri contra aduerſarium legis & prophetarum, ait, S. Aug. *hæreticorum libri periculoſa curioſitate, & delectatione leguntur.* Non, ait, hoc loco Procopius *diſceptationem quamcunq; priuſquam vnde profecta ſit cognouerimus, recipiamus.* Vide D. Ærodium li. 1. c. 17. B. Petr. Damian. l. 2. epiſt. 7. dum ait: *ſolet ſæpius & in viſionib. interuenire tentatio dum nonnunquam ſpiritus iniquitatis transfigurat ſe in Ange-* F *lum lucis. Et ideo ſubtiliter eſt agendum, vt diſcernantur genera viſionum ſicut & Ieſu naue, cum Angelum cerneret, & tētationes huiuſmodi viſionibus ineſſe nullatenus dubitaret, protinus ab eo, qui apparebat, requiſiuit dicens: Noſter es, an aduerſariorum? Nam & per Apoſtolum diſcretio ſpirituum inter dona Spiritus ſancti enumeratur.* 1. Cor. 12.

Quid verò ad interrogationem iſtam reſponderet, Angelus, non eodem modo explicatur. Noſter enim Interpres v. 14. reſpondiſſe, ait: *Nequaquam, ſed ſum princeps exercitus Domini, & nunc venio.* Græcus vero tantum, *Ego ſum Archangelus*

exer-

exercitus Domini nunc adueni. Et prior illa expli-
catio,ſimplicius cũ Hebræo, Chaldæoq; tex-
tu congruit, in quo eſt, *Non*, *quia*, vel, *ſed ego
ſum princeps exercitus Domini.* Poſterior tamen
poſſet congruere, ſed Hebraicum לא pro לו ac-
ciperemus, quod in ſcripturis factum quindec-
cies, notarunt Maſoretæ. Nam in Græco non
ſimpliciter vertitur, *reſpondit*, aut *dixit*, ſed ad-
ditur ἀυτῷ. ſic tamen adhuc diſſimulatur,& prę-
teritur particula כי tanquam ſcilicet affirmati-
ua *verè* aut *certè*, non neceſſaria quam, ſicuti &
negationem, diſſimulat etiam commentarius
Tanchuma fol. 39. b. in Exod. 23. verſ. 10. Prio-
rem igitur noſtram illam verſionem retinen-
do, quæritur.

Primo. Quid ſibi velit illud, *Non*, & *Nequa-
quam*. Videtur. n. Angelus, cum de ſe plura in-
terrogaretur,non ſatis peritè,clareque reſpon-
dere, vtrũ è duobus ſit,quemadmodũ, ſi quen-
piam interrogarem, Gallus es, an Germanus?
& ille diceret, Non. Quemadmodũ vero do-
cet Elenchorum c. 4. Ariſtoteles, ad Sophiſti-
cam interrogationũ plurium captionem atten-
dendum eſſe: ita ſanè ad interrogationes plures
vnica ſuſpecta eſſe poteſt reſponſio. Dicit igi-
tur *primo* Arias Montanus, iſtud *Non*, referri
non ad factam verbis interrogationem, ſed ad
ipſam Ioſuæ meditationem. quaſi diceret, Tu
meditaris ſic & ſic bellum hoc tibi gerendum
falleris. Non ſic gerendum eſt: ſed ea, quam
iam iam tibi indicabo ratione. Verum meritò
dicat hoc quiſpiã ridiculum. Nam & ad inter-
rogata ſolet adhiberi reſponſio; & qui interro-
gat, idipſum quod interrogat, meditatur. *Alij*
vt Ioan. Ferus, ad poſteriorem tantùm inter-
rogationis partem iſtud, *non*, pertinere volunt:
quaſi dicat, Non ſum aduerſariorum. Et hoc
valdè veriſimile. Nam poſterioris reſpõſi pars
ilico ad priorem interrogationis partem refer-
retur,ſic: Non ſũ aduerſariorũ:ſed noſter,quia
ſum princeps exercitus Domini: *Tertio* tamen
rectè dicitur, negationem hanc vtrique inter-
rogationis parti reſpondere q. d. Non ſum ve-
ſter,nec ſum aduerſarius, non ſum Iudæus,non
ſum Chananæus, ſiue, Neutrum ſum. Sic enim
abſurda, quæ afferebam, vitantur omnia: & ad
quæſtionem antepoſitam, Gallus es, an Ger-
manus; rectè reſponderet, Neutrum, qui eſſet
Italus. Et verè neutrum erat Angelus. quia de
homine homo interrogabat; *Eſne homo Iudæus,
an Chananæus?* Atque ſic etiã reiicitur Chaldææ
paraphraſis, de interrogatione iſta, opinio,
quam ſuprà vidimus. Eſt in Benſira prouer-
bium; *Vidiſti aſinum nigrum? Neque nigrum neque
album:* eoque prouerbio aiunt Rabbini doceri,
vt ſi quis interrogetur. Num aliquid viderit ſic
aut ſic affectum? non reſpõdeat accuratè, ſe hoc
quidem modo affectum vidiſſe; non autem il-
lo alio, ſed præciſè neget, ſe quidquam omni-
no vidiſſe. At mendacium tunc interuenire po-
teſt, vt in exemplo, quod ipſius Benſiræ affert
Scholiaſtes; planum. Qui enim aſinum totum
aribus exceptis, album viderat; an à mendacio
abfuit, qui interrogatus reſpondit, ſe neq; ni-
grum, neque albũ vidiſſe. Ideoq; nec illud pla-
cet, quod eiuſdẽ Benſiræ præcepit filius Vriel:
*Si noris inuertere verba, bene eſt: loquitor: Si neſcis,
taceto.* Noſter vero hic Angelus neq; verba in-
A uertit, neque falſi quidquã dixit: ſed cum, quod
interrogabatur, eſſet ne homo Iſraelites, an
Chananæus? negaſſet, ſubiunxit quod erat;
Angelum ſe eſſe & quidem exercitus Domini
principem. Magnam humanæ ſocietati, cuius
coagulum ſermo eſt; affert perniciem verbo-
rum inuerſio, & ad alia, quam quæ ſimpliciter
& clarè interrogantur, reſpondendi modus
ambiguus, fallax, Apolline Loxia, quam vera-
ci & candido homine dignior.

Sed quæritur *ſecundò*. Quid illud, *nunc venio?*
B Iudæorum *quidã* apud Abul. q. 74. dicunt, nunc
veniſſe Angelũ ad Iſraelitas increpandũ, vel ob
legẽ generatim non obſeruatam, vel ſpeciatim,
ob legẽ ſacrificij matutini, & veſpertini, quod
vel ipſo paſchatis die ſeruaturi non erant. Sed
nulla imperationis huius poſt Iordanis tranſi-
tũ, & ſuſceptam recentiſſimè circumciſionem
coniectura vſquam eſt. E Rabbinis *alij*, vt Raſ-
chi, & Tanchuma dicunt, nunc venire ad Io-
ſue Angelũ: qui olim iam quidã veniſſet ad ip-
ſius Magiſtrũ Moyſen, Exod. 23. v. 20. ſed ab
C eo reiectus, ac repudiatus fuiſſet Exod. 33. v. 15.
Sed minimè reiectũ, repudiatumque fuiſſe illic
dixi. Et ſanè eum quẽ illo capite, verſ. illo 15. pe-
tiit & impetrauit v. 17. vel accipimus *Deum*, vel
CHRISTVM, vel propriè dictũ *Angelum*. Si *Deum*,
vel CHRISTVM, an iſte à Moyſe vnquam abfue-
rat? An Iſraelitas ipſos deſeruerat? An, eo præ-
ſente, iam Iordanem, magno cũ miraculo, non
tranſierant? ſi propriè dictũ *Angelũ*, adhuc ma-
net difficultas, quomodo, quaſi magnũ quid, ſe
iam venire is aiat. Nam plus videtur, ipſũ An-
D gelorum Dominũ adeſſe: ideoque & Angelũ à
Moyſe reiectũ tradunt, ipſum vero Dominum
expetitum. Hoc. n. ſanè diceret iſte Angelus.
Moyſes me Angelũ noluit: ſed Deũ: pro ſer-
uo elegit Dominum: ſed è contrario me An-
gelum & ſeruũ habebis. Quid in oratione iſta
præclari? quid quod Ioſuæ animum non depri-
meret potius, quã erigeret? Eſt Radaki *reſpon-
ſio tertia: Nunc venio*, id eſt ſubito, & de repentè
prout ſolent venire ſpiritus, vt etiã habere cor-
pus videat, è tam ſubito tamen, tamque repen-
E tino meo aduentu facilè colligas, me hominẽ
non eſſe. Sed *primo* non aduolentẽ vel ſubito ad-
uenientẽ vidit Ioſue Angelum: ſed ſtantẽ. Qui
ſcire igitur poterat, quo illud modo, motuque
veniſſet, aut quandiu ſtetiſſet? *Secundo* ipſi Da-
nieli, cui conſtabat Angelum, qui ad eũ venti-
tabat, non eſſe hominẽ eodẽ modo, dicit idem
Angelus, ſe ad eum venire, Dan. 9. v. 22. c. 10.
v. 1. & 14. Dicendum igitur, Angelũ dicere, ſe
iam venire, ac adeſſe. ſcilicet vt nouo, & ſingu-
lari modo Iſraelitas adiuuet, qui eos hactenus
F per ſolitudinẽ, & in Iordanis tranſitu variè ad-
iuuiſſet. Singularem. n. & eximiam quandam
opem, ac rem hic loquendi modus importat,
prout rectè ait Maſius, & loco citato Abulen-
ſis. O vtinam, ſic venire ſemper nobis reſpon-
deant, qui mentem noſtram pulſant ſpiritus;
qui ad nos veniunt doctores, quæ nobis obo-
riuntur cogitationes, qui in manus noſtras ve-
niunt codices, vt nulla nobis vnquam cum Be-
lial ſocietas & cõmunicatio ſit 2. Cor. 6. v. 14. 15.

IV. *Cecidit Ioſue in terram.* Caſus iſtiuſmodi cau-
ſa, vel terror, vel reuerentia eſt, prout etiam in
Iudæorum fundamento 7. notatur. Terror in

Digitized by Google

Daniele fuit cap. 8. v. 27. c. 10. v. 8. & 9. quia dixit colorem ſibi mutatum, ſe emarcuiſſe, viriumque nihil habuiſſe: ac ſubiunxit: *Et audiuit vocem ſermonum eius: & audiens iacebam conſternatus ſuper faciem meam: & vultus meus hærebat terræ.* In noſtro autẽ Ioſue fuit reuerẽtia, prout patet ex eo, quod ſtatim additur, *& adoraui*, vti acutius conſtantiuſque vidit Abulenſis q. 75. quam Maſius f. 90. Hæ ſiquidem duæ actiones ita connexæ mutuam ſibi lucem dant, vt *adoratio*, ſit ipſius in terram proſtrationis finis: & *proſtratio in terram* ipſius adorationis modus exterior, qui perantiquus eſt, apud ipſos etiam Gentiles, vti indicat τῦ προσκυνεῖν verbum apud Xenophont. l. 5. ac alios: Orientalibus etiam hodie vſitatus, vti crebrò ſe vidiſſe, refert idem Maſius. *Dimittunt*, ait, *ſeſe in terram, eamque vbi ore attigerunt rurſus ſe erigunt, & ſemel iterumque venerabundi, ſalutanteſque incuruant corpora.* Similia Illuſtriſſ. Olikenſis Dux in nupera peregrinatione ſua Hieroſolymitana epiſt. 2.

v. *Et adorauit* S. Auguſt. q. 7. quæri ait poſſe. *Angelumne adorarit Ioſue*, an à quo ille miſſus erat, Dominum? eique quæſtioni reſponſum nullum adhibet: duo tamen, eam ipſam proponendo, innuit, eum videlicet qui apparuit, fuiſſe Angelum, cuius Dominus eſſet Deus: & potuiſſe hunc ab Ioſue adorari. Origenes verò hom. 6. & Procopius *Deum*, aiunt adoraſſe, & quidem ita, vt niſi Deum eſſe cognouiſſet, adoraturus non fuerit. E cõtrario Abulenſis q. 76. Ge. Scheretus noſter ſerm. de S. Michaele, & è Nouatoribus Io. Druſius lib. 2. de ſectis pa. 7. dum ait, *Inter homines honoratiſſimi & excellentiſſimi ſunt Prophetæ, qui tamen Angelos adorant, vt Ioſue, Zacharias, Daniel & alij. Ex his, Ioſue non ſolum procidit ante Angelum: ſed etiam ſe vocat ſeruum eius.* Ita ille. & quidem cõtra gregales ſuos, de quibus infrà; oportunè admodum ac perſpicuè. *Angelum* adoraſſe. Diſtinctione poteſt hæc expediri quæſtio. *Duplex adoratio* eſt, *politica* & *religioſa*. Et hæc aut ſumma, & diuina, quæ *Latrica* dicitur, vel inferior, quæ *doulica*. Dico *primo* igitur Angelum nullum potuiſſe ab Ioſue, vel alio vllo adorari cultu latrico. Foret enim contra Decalogi præceptum primum. & ſic rectè Origen. & Procop. citati. *Secundo.* Potuiſſe dulico. Potuit. n. tanquam Dei ſeruus coli. & ſic Abulenſis, & citato loco D. Auguſt. cuius verba in Pſ. 34. & 96. egregiè priorẽ cultum, contra Gentilium ſapientes quoſdã, excludunt; & in eundẽ Pſal. 96 poſteriorem cultum retinent, dum toties dicit, *neque homines bonos, neque Angelos coli velle*, non ſimpliciter, ſed *tanquam Deos*, vel *pro Deo*. Et lib. 3. contra Maximinum c. 26. de Loth Geneſ. 19. *Vides nempe hic à iuſto viro Angelos adoratos, & tu non vis adorari Spiritũ Sanctum, quem vos quoque omnibus ſine ambiguitate præponitis? Sed dicturus es, homines eſſe credebat. Nam vt in hoſpitium tanquam homines inuitauit. Hoc magis eſt contra te, qui dicis non adorari Spiritum Sanctum omnib. Angelis præferendum: cum videas & homines inferiores Angelis à iuſtis hominibus adorari.* Dico *Tertiò* adoratum iam douliæ hac adoratione Angelũ ab Ioſue. Ipſum ſiquidem adorat, quem conſpiciebat, quo conſpectu in terram ſe abiecit, quem alloquitur, & iis, quæ hactenus anteceſſerunt, & iis quæ poſtea ſubiungentur. Clarè ſiquidem ſubdit Hebræus, Græcuſque textus. *Et dixit ei.* Cui, niſi ei, quẽ adorabat? Reſpice; ſi placet, quæ ſuprà q. 40. ad 2. At is non Deus, aut CHRISTVS eſt, vt ſuprà. q. 40. & 42 dictum eſt. Ergo. Verũ iſta de his breuiter. Alioqui contra Nouatores, & cum Catholicis nonnullis de adoratione diſputari poſſunt complura. Nam illi quidẽ negant, inter politicũ & diuinum cultũ interiici alium vllum quo Angelos & ſanctos afficere liceat. Mitto Centuriatores Cent. 1. l. 2. c. 4. Caluinũ lib. 1. inſtit. cap. 11. §. & c. 12. §. 1. & 2. ecce tibi Caluinianus neſcio quis Daniel Chamierus in ſuis epiſtolis, quas, vt eſſent vẽdibiliores, aliena honeſtiore Ieſuiticarum epiſtolarum hædera exornauit, aut verò potius, fucauit: *Quid enim?* ait f. 51. *An ego ſimpliciter negabam colendos, honorandos, adorandos Angelos? Abſit verò: ſed negabam eſſe colendos, honorandos, adorandos religioſè:* totuſque deinceps in eo eſt, vt ex D. Auguſtin. monſtret, cultum omnem vel *religioſum*, vel *officioſum* ſeu *ciuilem* duntaxat eſſe. Et rurſum f. 52. *Scripturæ*, ait, *locos 1. Paralip. 29. Geneſ. 19. Ioſ. 5. 1. Sam. 18. 1. Regum 15. Dan. 2. iam pridem videram & perpenderam. Ex iis & ſimilibus didiceram diſtinguendum adorare hominem in duo genera: vt vnum ſit religioſè, alterum officioſè.* Vide noſtrum Vaſquez lib. 1. de adoratione cap. 2. diſp. 5. & tota diſp. 6. E Catholicorum verò ſchola ſtatuunt quidem omnes adorationem, quæ Angelis, cæteriſque cœleſtibus adhibetur nullo modo latricam, & ſummã eſſe, ipſam tamen inter hanc & politicam interiici. Sed volunt quidem ab eadem: eam oriri virtute, à qua & adoratio latrica oritur: *religione* ſcilicet, ſiue *latria*. ſic 3. q. 8. a. 1. ad 3. Marſilius. Alij verò ab alia inferiore virtute ipſius acceſſunt Origenem, *dulia* ſcilicet, quam inter & religionẽ diſcriminis plurimum eſt. Ita D. Thomas 2. 2. q. 25. a. 1. ad 2. 81. a. 1. & 4. a. 3. ad 3. Albertus 3. d. 9. a. ad 3. D. Bonauent. ibid. a. 2. q. 4. Gabriel q. 1. a. 1. Almainus q. 1. Durandus q. 3. Richardus a. 3. q. 1. Palud. q. 2. a. 1. Vaſquez noſter l. 1. de adoratione diſp. 6. c. 1. Sed inter hos rurſum indagatio eſt alia. Nam eadem *duliæ* virtus à quibuſdam ad Angelos, & ſanctos, & quoſcunque ciuili aliqua dignitate præſtantes homines porrigitur, vt ab Alberto, Bonauentura, Gabriele: ab aliis verò propria quædam duliæ virtus, quæ ad Angelos & Sanctos tantum pertineat, traditur, & aut vocatur *hyperdulia*; vti placet Paludano loco citato, & D. Thomæ q. 103. ad 2. aut proprio nomine cum careat, cõmune illud *duliæ*, aut *obſeruantiæ* retinet: ita vt duplex *dulia*, & *obſeruantia* intelligatur: *vna* quæ ciuili dignitate pollentes colat, *altera* quæ ſanctitate, cœleſtique præſtantia excellentes, idque ſubindicat interdum q. 102. & q. 103. D. Thomas. De Omnibus, apud eos, quibus non ignota ſcholæ vocabula, breuiſſimè hæc & veritati, lucis; hæreſibus obicis aliquid, hoc loco, ſit, annoto.

1. *Adoratio* non *Latrica* tantum, ſed *alia* etiam quędam eſt, vt ex ſcripturis antea poſitis clarum eſt, & audiuimus idipſum confitentẽ Caluinianum Chamierum. Vide D. Auguſt. lib. 2. contra Maxim. cap. 9.

2. Vnde ſit adoratio, ſiue quid eam pariat, poteſt conſiderari dupliciter, *ratione* ſcilicet *obiecti*,

Digitized by Google

ecti, & ratione *principij*: id eſt, à quo fit, & in quod tendit.

3. Obiectum eſt duplex, *quod*, & *cuius*. Obiectum *quod*, eſt is, qui adoratur v. c. Deus, Angelus, Homo. Obiectum *cuius*, eſt id, cuius gratia hic vel ille adoratur: eſtque ſemper *excellentia* eiuſmodi, vt ei ſeſe ſubmittere, ſicque honorem facere conſentaneum ſit.

4. *Excellentia iſta* vel *increata eſt*, vel *creata*: & hæc, vel eiuſmodi, quæ *Angelos* aut *homines diuinæ conſortes naturæ*, *Deique filios* facit, aut *alia* quæcunque. *Prior* (vt de vnione hypoſtatica taceatur) eſt ipſius *Dei gratia*, & vera animorum ſanctimonia, eaq; vel *perpetua* iam & conſtans ac ſecura: vel *temporaria*, inconſtans, & periculis expoſita. *Poſterior* eſt quodcunque *ſpiritus chariſma* quod habentē non efficit ſanctum, Deique filium, vt eſt donum linguarum, miraculorum & alia de quibus 1. Corinth. 12. Apoſtolus.

5. A virtute aliqua bifariam oriri poſſunt actus, *elicitè* ac *imperatè*.

6. A religione oritur *elicitè* adoratio *Latrica*. Ab eadem etiam elicitè adorationē, quæ Angelis & ſanctis, ob ſupernaturalem ipſis à Deo datam gratiam, & ſanctitatem, tam perpetuam & ſecuram quam tranſitoriam & dubiam, fit; exiſtere, valdè videtur probabile. quia iſto modo tam homines quam Angeli boni ſunt ipſius Dei aliquid: eius ſcilicet *filij* Ioſ. 1. verſ. 12. *diuinæque conſortes naturæ* 2. Pet. 1. v. 4. Quemadmodum. n. probabilitatem magnam habet, eadem charitate, qua Deum diligimus, diligi etiā proximum, quatenus hic *aliquid Dei eſt*: ita & eadem religione cœleſtes ſpiritus homineſque ſanctos coli, quatenus hic *illius quiddam* ſunt, ſatis veriſimile.

7. Ab *alia* tamen eandem creaturarum adorationē *virtute* probabilius eſt elici. *Primò*. quia inter excellentiam increatam & creatam nimium quam intereſt. *Secundo*. quia non deſunt quibus duplex videatur charitas, qua Deus diligatur & proximus. *Tertio*. quia etſi vna eadem ſit erga Deum & proximū charitas, diſcrimen adhuc afferre conatur S. Thomas, cur vna, eademque religio circa Deum, & creaturas non verſetur 2. 2. q. 25. a. 1. ad 2. & q. 81. a. 4.

8. Hæc à religione diſtincta virtus, quâ creaturis Dei gratiâ æternâ & ſecurâ, vel temporariâ & incertâ nobilitatis cultus defertur, rectè vocari poteſt. Primò δουλεία. quia ſi conferantur cum vero, ſummoque Deo, eius *ſerui* ſunt: ſi cum Angelis vel hominibus aliis; ſunt quodammodo ipſorum *Domini*, & reſpectu eiuſdem veri ſummique Domini, *conſerui*. Secundò ὑπερδουλεία. quia ſunt ſerui & conſerui multo excellentiores iis omnibus, qui communi tantummodo, ratione ſcil. creationis, conſeruationis, & gubernationis, Dei ſerui ſūt. Quis. n. hominum, vel angelorū ab ſeruitute hac liber? Atq; hoc idem habet locū in iis, qui perpetuâ iam cōſtante, ſecuraq; gratiâ, imò & gloriâ præpollent, dū ad nos conferuntur, qui variis modis, gratiâ & gloriâ, (quod auertat eius Largitor Dominus) excidere adhuc poſſumus. Poteſt autem nominis huius cōpoſitio ex S. Paulo ad Philem. optimè colligi v. 16. Tertiò *obſeruantia*. quia, eandē ob cauſam, ſunt digniores & honoratiores. Quartò etiā *pietas*. qua ſpiritalis noſtræ ad Deū filiationis, parentes quodāmodo ſunt, vel quia precib. documētis, exēplis, doctriniſque ſuis nos in CHRISTO genuerūt, vti loquitur Apoſt. 1. Cor. 4. v. 15. & 17. Galat. 4. v. 19. Philem. v. 10. Quintò. Poſſet etiā. vt verborum iſtiuſmodi, quæ naturalib. & politicis dignitatib. tribuūtur, vitetur cōfuſio, appellari ἁγιοθρησκεία, ἁγιοδουλεία. Nam & ſub ſanctis cōplecteremur Angelos, & quodāmodo imitaremur Apoſtoli verbū in malam licet partem acceptū Coloſſ. 2. v. 13. ἐθελοθρησκεία, vel ſi placeat, poſſet propriè horū cultus vocari ἀγγελοθρησκεία ex v. 18. ibidē. Quid ſi & ὑπολατρεία diceretur? Quemadmodū. n. *hyperdulia* ſuprà ſeruos alios eminentiam quandam ſignificat: ita & *hypolatria*, inferius venerationis genus.

IX. Idem cultus & adoratio eſt ſuprà politicum. *Primo* quia cum ſpectat, ſupernaturalis excellentia, omnem aliam. quæ naturalis & politica eſt, ſuperat, longeque præſtantioris & eminentioris generis eſt. Vaſquez lib. 1. de adoratione diſput. 5. c. 2. *Deinde* CHRISTI Domini humanitas, debetne politico tantū cultu adorari? an alio potius auguſtiore, qui tamen non latricus? *Tertio*, Angelus cum ſe Apocaly. 18. & 22. adorari vetat, an de *latrico* vel *politico* intellexit? ſi de *latrico*, ſtolidus erat & idololatra S. Ioannes, qui maximè iam monitus, & poſtquā conſeruum eſſe Angelū audiuiſſet, adorare ſic voluit Apoc. 22. Si de *politico* vrbanitatē dedocebat Ioannem Angelus, neq; idoneā prohibitionis rationem afferebat. Nam ſæpe debet conſeruū conſeruus ciuiliter adorare ac venerari, maiorem minor, in eadem Regis aula, vel republica.

X. Idem cultus & adoratio non eſt politica, ſed ſacra. quia ſanctis, & quidem rei ſacræ cauſâ defertur, gratiæ nimirum & ſanctitatis: non autem naturalis, politicæque alicuius dignitatis gratiâ.

XI. Poteſt etiam dici religioſa: ſed variè. Nam vel à religione principiū elicitè habet per ſextā propoſitionē, & religioſam eſſe certò inde colligitur. Quem. n. actum elicit religio, niſi religioſum? Sicuti enim fortitudo fortē, prudentia prudentem, iuſtū iuſtitia, & temperantem temperantia: ita & religio actū extitit religioſum. Vel non è religione, ſed ab alia virtute per propoſitionē 7. & 8. elicitur: & tunc religioſa dicetur, *non propter actus exterioris, cum religioſo ſimilitudinem*. Sic enim etiam falſus, fictuſque cultus, v. c. dum per ludibrium flectebant coram CHRISTO Domino Iudæi genu, eumque ludebant, religioſus foret: *ſed quia à religione imperatur*. Dices, iſto omni modo poſſet politicus cultus eſſe religioſus. quia illum imperare hic poteſt. Non abnuo. Magis tamen iſte cultus, iſto etiam imperij modo, dici magis propriè religioſus poteſt, quam ciuilis. quia per propoſ. 9. ſuprà hunc ipſum eſt, & quidem ſacer.

XII. Multis hac in re modis peccat epiſtolagraphus de quo ſuprà. Caluinianus, Nam *primo*, malè negat inter cultum latricum & ciuilem eſſe medium ſacrum hunc per propoſ. 9. & 10. *Secundo* cum Catholici omnes eundem negent eſſe cultum ſummum & latricum, malè f. 45. conuitiatur: *Eſtis idololatræ, quotquot eſtis papiſtæ*:

Digitized by Google

Ad 2. S. Bernard. eo in ſermone, *Dominum* vocat, eum, qui & Dominus eſt, & ſe tãquam Dominum gerit. Angeli verò, licet naturâ & gratiâ noſtri ſint Domini, non tamen ita ſe gerunt: ſed nobis potiùs miniſtrant, ac famulantur. Nã de Domino noſtro Ieſu Chriſto ſtatim ſubiungit. *Et in hoc, vnigeniti formam imitantur, qui non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, qui ſtetit inter diſcipulos tanquam qui miniſtrat.* Alioqui ſermone ſequenti 12. ita de cuſtodibus Angelus admonet. *Fideles ſunt, prudentes ſunt, potentes ſunt, quid trepidamus? Tantum ſequamur eos, adhæreamus eis, & in protectione Dei cæli commoremur. Vide enim quam neceſſaria ſit iſta protectio, iſta cuſtodia in viis tuis. In manibus inquit, portabunt te, neque vnquam offendas ad lapidem pedem tuum. Parum tibi videtur, quod non ſit lapis offenſionis in via? Conſidera quæ ſequuntur ſuper aſpidem & baſiliſcũ ambulabis, & conculcabis Leonem & draconem. Quam neceſſarius pædagogus? Immo etiam baiulus, præſertim paruulo inter hæc gradienti? In manibus inquit, portabunt te. In tuis quidem viis cuſtodient te, & deducent paruulum qua poteſt paruulus ambulare. Cæterum non te patientur tentari ſupra quam ſuſtinere potes, ſed in manus tollent, vt pertranſeas offendiculum. Quam facile tranſit, qui illis portatur manibus, quam ſuauiter (iuxta vulgare prouerbium) natat, cuius alter ſuſtinet mentum. Quotiens ergo grauiſſima cernitur vrgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, inuoca cuſtodem tuum, ductorem tuum, adiutorem tuum, in opportunitatibus, in tribulatione. Inclama eum, & dic: Domine ſalua nos, perimus.* Et in feſtiuitate S. Michael. ſerm. 1. *Huius tanti miniſtri* (qui patri offerens animam ſuam nobis miniſtratuſque hodie carnem ſuam) *gratia, nihil mirum, ſi dignanter nobis imo & libenter Angeli ſancti miniſtrent. Ipſi. n. amant nos, quia nos Chriſtus amauit. Dicitur certè vulgari prouerbio: Qui me amat, amat & canem meum. Nos verò ô beati Angeli, catelli ſumus Domini illius, quem toto affectu diligitis, catelli, inquam cupiẽtes ſaturari de micis, quæ cadunt de menſe Dominorum noſtrorum, qui æſtis vos.* Ad 3. iam ſuprà reſpondi propoſ. 8. Si ad ſummum Dominum cõferantur & ipſi & nos; omnes eos illius eſſe *ſeruos*, noſtroſque in illius obſequio & domo, quæ eſt Eccleſia 1. Tim. 3. v. 13. *conſeruos*. Si verò non negaret quiſpiam, Angelos modo iam indicato, rectè noſtros eſſe ac vocari *Dominos*, eum fateor non male hic arbitrari poſſe, *Dominum* eſſe Deum ipſum. Vbi enim Ioſue Angelum agnouit, eum à Deo, tanquam nuncium ad ſe miſſum non dubitauit. Potuit igitur nuncio dicere: Quid per te Dominus meus à quo miſſus es, loquitur ad ſeruum ſuum? Sic enim 1. Reg. 1. v. 9. Eli præcepiſſe Samueli videtur, vbi pro, *Domine*, in Hebraico eſt *Iehouah*. Angelus enim alioqui fuit, qui voces illas, quibus excitabatur & vocabatur Samuel in eius phantaſia, vel auribus (neque enim iam intereſt) fabricabatur vt ex iis quæ quæſtio attulit quadrageſima perſpicuum. Quia tamen hic non eſt *Iehouah*, ſed *Adoni*, ſimplicius verius que fuerit, *Dominum* à Ioſue vocari eum ipſum, quem adorat, & alloquitur. Nam fieri hoc etiam videmus, vt ſi qui à Rege aut Principe ad nos mittitur, nũcius, ſit maioris quam nos dignitatis, verbi cauſa, Baro aut Comes, ei quamuis Domini ſuperioris vo-

A luntate, iuſſu & auctoritate loquatur dicamus, Quod Dominus loquitur, faciam. *Si*, ait, Caiet. *hominem principem, aut Regem ſic alloquimur, multo magis Ioſuæ licuit Angelum Domini ſic alloqui. Tertiò.* Paris humilitatis eſt, quod ait Ioſue, *ad ſeruum ſuum.* Cum enim ſimpliciter potuiſſet dicere; Quid Dominus meus ad me loquitur? maluit eo nomine vti, quo ſe ipſum magis deprimebat, & vir tantus, tantus Imperator, Angeli ſeruum profitebatur. Atque hæc modeſtiæ phraſis in ſcriptura perfamiliaris eſt, quã quòd

B in Latino, alioue idiomate quidam imitentur, irrideri, aut reprehendi cur debeant, non equidem video. Sanctus Bernardus ſermon. in Natiuitat. Beat. Virg. ſimiliter ait Beatam Virginem ſeſe Angelica ſalutatione reputaſſe indignam. *Quartò* ſeſe oſtendit Ioſue ad ea, quæ loqueretur Angelus, & auribus eſſe quàm erectiſſimum, & obſequendi voluntate quàm paratiſſimum. quaſi diceret: O Domine, dic tantum & facio: Iube, & obſecundo. Ea propter digniſſima hæc oratiuncula eſt, quam vſu creberri-

C mo teramus, & Deo noſtro Chriſto Ieſu, Angeloque cuſtodi, adiutori, pædagogo, imò, & baiulo noſtro, prout eum vocat Sanctus Bernardus ſerm. illo 12. in citatum Pſalmum, ſæpiſſimè dicamus, præſertim cum ad ſacram meditationem, concionem, exhortationem, diuinorum librorum lectionem accedimus: cum interiore aliqua inſpiratione ad bonum ſuſcitari nos ſentimus: cum de re aliqua maioris præſertim momenti: verbi gratia, cum de vitæ ſtatu deliberamus: cum nobis, ſi qui religioſæ

D vitæ ſtatum iam iniimus, imponere vellet aliquid ſuperior. Hanc eandem alacritatem, demiſſionem præſcripſit adoleſcentiori Samueli Sacerdos Heli, vtiliter ac fructuosè vſurpauit idem de Samuel 1. Reg. 3. verſ. 10. & poſtea Sanctus noſter in conuerſione ſua Paulus Actor. 9. verſu 9. *Domine quid me vis facere?* Reſtaret hoc loco vt quærerem, vnde, & quomodo cognouit Ioſue tam citò, tam certò Sanctum Angelum eſſe, non dæmonicum aliquod ſpectrum & ludibrium. Sed eadem in eo fuit ratio, quæ

E in Abraham, Iſaac, Iacob, aliiſue Patriarchis aut prophetis, quorum animis ea cum corporatis Dei vel Angelorum apparitionibus lux communicabatur, vt dubitatio in iis nulla reſideret, prout in Iſaiæ principio tradidi.

VII. Ipſe porro Angelus dixit. *Solue calceamentum tuum de pedibus tuis. Locus enim in quo ſtas ſanctus eſt;* fecitque Ioſue, vt ſibi fuerat imperatum. Summa ſtatim & velociſſima Ioſuæ obedientia monſtratur. Nam dictum factum. Calceamentis autem viros vti; cenſet decorum li.

F 2. pædagogi cap. 11. Clemens, quandoque etiã neceſſarium, ſi per aſpera, confragoſa, prææl gida, & præferuida eundum loca ſit. Feruor autem Hierichiuntinus ſatis notus, de quo etiã ſuprà cap. 2. Illuſtriſſimus ſane Dux Olikenſis epiſt. 2. fol. 106. *Habetur*, ait, *hic arbor ſpalati, quæ maximo precio æſtimatur, & calidiſſima aeris temperie opus habet, vt & roſæ Hierichuntinæ, quarum vſus mulieribus, ad faciliorem partum mirificè confert. fructus omnes & ſegetes duabus ante hebdomadibus quam Hieroſolymis citius proueniunt. Nec mirum ſunt enim hic adeo immenſi calores, vt hinc pe-*

Digitized by Google

tentibus Hieroſolimam cœlum longè frigidius videatur. Sed peruetus hic quæſtio, *cur excalceatio hæc Ioſuæ* fuerit *præcepta*. Et reſpōderi breuiter poſſet, ob eaſdem id factum cauſas, ob quas Moyſi præceptum expoſui exodi 30. verſu 5. Sed ne extrema capitis huius pars oportuna iſta indagatione, ſuo veluti calceopes ſpolietur; dicam paucis. Vna potiſſima in textu cauſa datur, ab aliis aliæ colliguntur. Illa eſt, *quia locus in quo, ſtas, ſanctus eſt*. Sic enim Hebraicè legitur, & in correctis 70. etiam apud Theodoretum hic. Sed legerunt olim Origines homilia 6. Sanctus Iuſtinus cōtra Tryphonem, Sanctus Hieronymus in Epheſ. 6. Sanctus Cyprianus libro 2. aduerſus Iudæos; *locus in quo ſtas, terra ſancta eſt*. Verum quia lectionis vtriuſque ſententia eadem, puto de verbis iſtos non laboraſſe, lectionemque ſuam hanc è cap. 3. Exod. verſu 5. ſumpſiſſe. Duæ tamen hic aliæ quæſtiunculæ. Vna *quomodo aut locus, aut terra*, hæc *ſancta* erat? Putauerit forte aliquis aliquam ei tanquam ſubiecto qualitatem datam, à qua ſancta ſit, & vocetur; ſicuti dum ferax, amœnus, & ſalubris locus dicitur. At non niſi in ſanctitatis ignarum poteſt hæc opinatio cadere. Spiritalis enim qualitas in corporea re nulla inhærere poteſt. Non igitur ſanctitate quapiam phyſica & inhærente locus vllus ſanctus dicitur; ſed *morali*, quæ triplex potiſſimum eſt. *Primò*: Si ſit in eo ſanctum quidpiam. *Secundò*. Si ſancta in eo effecta edantur. *Tertiò*. Si Deo ſancto dicatus ſit, & ad ſanctitatem ab prophanis aliis ſeparatus. Primo modo, ſunt qui dicunt, locum ſanctum fuiſſe, quia in eo erat ſanctus ille Archiſtrategus, de quo ſuprà. *Quomodo*, ait homilia 6. Origenes, *Hiericho terra ſancta eſt, quæ ab hoſtibus retinetur: Sed ne forte hoc ſit, quod indicatur, quia quocunque venerit Princeps militiæ virtutis Domini, ſanctificat locum, quia nec ipſa Hiericho locus erat ſanctus: ſed quia princeps militiæ Domini venit illuc, locus dicitur ſanctus. Ego etiam amplius quid audeo, & dico, quia etiam Moyſes vbi ſtabat, per ſeipſum non erat locus ſanctus, ſed quia Dominus ſtabat cum Moyſe, præſentia Domini ſanctificauerat locum. Et ideo dicitur ad eum: Solue corrigiam calceamenti, locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt*. Sed cum Chriſtum ſiue Deum Archiſtrategum hunc putarit Origenes vt ſupra quæſtione 40. dictum eſt, iſto modo totus mundus ſanctus eſt, omniſque cœli, aëris, maris, & terræ vel minima particulæ. Vbique ſiquidem eſt Deus omnia omnino naturæ ſuæ immenſitate peruadit, complet, continet. adeo vt idcirco à Iudæorum ſapientibus vocetur *Makom*: id eſt. *locus*. Verbi cauſâ, cum dicunt *Baruch hammakon*, id eſt, *benedictus Deus*, prout in Thiſbi, explicat Elias Leuites. Quod ſi verò Angelum fuiſſe Archiſtrategum dicamus, vti ſane dicendum; adhuc omnia in quibus vlli fuerunt homines, magni & parui, probi & improbi, Chriſtiani & Gentiles, aut Turcæ, loca ſancta fuerint, quia omnibus, ab ortu primo cuſtos aſtat Angelus, vti probatur alibi. Prorſus ita eſt. Communem quandam omnibus in locis, ex vna ipſius Dei præſentiſſima præſentia, ſanctitatem fateamur oportet; ob quam non ineptè *mundus* à quibuſdam (vt Origene libro 7. contra Celſum, Ciceronem in ſomnio Scipionis, Rhodigino libro 2. capite 1.) *Dei templum* vocitatus. Communis etiam iis in locis, vbi Angeli ſunt, ſanctitas eſt. ob quam Sanctus Bernardus ſermone 12. ſupra citato: *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Quantam tibi debet hoc verbum inferre reuerentiam, afferre deuotionem, conferre fiduciam? Reuerentiam pro præſentia, deuotionem, pro beneuolentia, fiduciam, pro cuſtodia. Cautè ambula, vt videlicet cui adſunt Angeli, ſicut mandatum eſt, in omnibus viis tuis. In quouis diuerſorio, in quouis angulo, Angelo tuo reuerentiam habe. Tune audeas illo præſente, quod vidente me non auderes?* Quemadmodum enim ex eo quòd res etiā ſpiritualis in loco eſt, oritur phyſica quædam ratio, quam non ita pridem *adſentiam*, tam apto ſcilicet nomine, quam *abſentiam* cœperunt vocare Philoſophi; Sic ex eo quòd res ſancta in loco eſt, moralis quædam eiuſdem loci ſanctitas & exiſtimatio exiſtit, quæ reuerentiam erga rem illam excitat, non quæ neceſſarium cibum potionem, ſomnum, aliaſque humanæ infirmitatis actiones penitus prohibeat (ſic enim nuſquam liceret viuere) ſed quæ peccata ſola, prout de Spiritus Sancti prophetico illapſu docuit præfatione Commentariorum in Philemonicam epiſtolam Diuus Hieronymus. Ex eodem præſentiæ modo, dicunt etiam aliqui locum iſtum ſanctum fuiſſe. quia in eo erat Ioſue, homo inſignitè Sanctus, & Propheta excellens, quemadmodum libro 1. cap. 9. quæſt. 12. 13. explicatum, quod cum Moyſi apparuit Dominus Exod. 3. negat de ipſo Theodoretus illic quæſtione 7. Sed vera ſint hæc omnia, textus indicat ſpecialem quendam locum huius ſanctitatis fuiſſe, cum ait: *Locus in quo ſtas*. Cur enim non omnis alius locus, in quo vſpiam fuit ſtetit iacuit, ſedit ambulauit? Cur non vbique calceos abiicere iubetur? Nam moralis, de qua dixi, ſanctitas vbique eſt, & omnia complectitur tempora, locum ſanctum efficiens, & nominans, quia in eo, vel eſt, vel fuit, vel erit ſancti quidpiam, etſi negari videtur quæſtione 77. Abulenſis. *Secundò*. Eſt verò *ſpecialis ſanctitas* è ſpecialibus quibuſdam effectis ſanctis petenda, quæ hic quidem alia non apparent, quam ipſa Angeli apparitio, eique connexum oraculum, & effectus illi, ob quos ſuprà quæſtione 47. dictum eſt, factam illam fuiſſe, iique omnes primariò à Deo tanquam bonorum omniū fonte manarunt. *Omne enim datum optimum* non niſi ab illo eſt, vt ex S. Iacobi capite 1. ait, in Angelorum oſtendendis erga nos beneficiis, Sanctus Bernardus ſermone citato. Poteſt ad hunc etiam ſecundum modum pertinere quod ſuprà quæſt. 49. non improbabiliter aſſertum precationi rerumque diuinarum contemplationi hoc in loco vocaſſe Ioſue. *Quoad tertium modum*, is qui omnium alioqui Sanctorum hoſtis eſt importuniſſimus; *Sicuti*, ait Caluinus folio 23. *Deus loca, in quibus apparet, ſanctificat ſua præſentia: ita mihi probabile eſt hoc elogio commendari præſtantiam terræ Chanaan; in qua ſibi domicilium elegerit Deus, vt purè hic coleretur. Vnde & paſſim vocatur, eius requies Pſal. 94. 11 Pſal.* 131. 14. Quomodo igitur alibi ſacris locis omnibus bellum indicis Caluine funeſtiſſimum? Quomodo diem die tempus tempore, non vis ſanctius, & locum loco

Digitized by Google

loco aſtruis ſanctiorem ? Quomodo loca, in quibus tot & tanta per ſe, ſuoſque ſanctos, edidit omnipotens miracula: & illud ipſum, in quo *Verbum caro factum eſt*, Lauretanum Sacellum: ſacras in quibus ad fidelium ſuorum, preces, & per ſacroſancti corporis ſui præſentiam ; ædes adeſt ipſe Dominus & Saluator noſter Ieſus-Chriſtus per te, tuoſque, tantis tamque Sycophanticis vocibus contemnis ? tam impiis manibus exſcindis? tam funeſtis facibus exuris? Ob iſtas verò cauſas *terra* illa, in qua idem Dominus ac Saluator noſter conceptus, natus, verſatus, ac mortuus eſt, etiamnum hodie *ſancta* vocatur & quidem ipſa etiam Hieroſolymitana vrbs ab ipſiſmet Turcis, prout mihi quidam ex iis ad Dominum conuerſus aliquando narrauit, & in ſuis litteris clariſſimè teſtatur Amurates Sultanus apud illuſtriſſimum Ducem Olikenſem epiſt. 3. fol. 147. qui Dux epiſtola 2. frequẽter oſtendit, quantam iidem Turcæ venerationem locis, in quibus à Chriſto Domino inſigne factum quidpiam eſt, habeant. Sic & in eodem Oriente, Thabor, *mons ſanctus* 2. Pet. 1. & in Occidente noſtro eſt *Roma, Treuirorum Auguſta*, & *Colonia Sancta*. In has enim Germaniæ noſtræ vrbes non ineptè transferri etiam poteſt, quod de prima illa apud P. Bertum p. 350. canit Eduertus Thomas Anglus:

Sancta eſt ſanctorum precioſo ſanguine Roma.

D. Bernardus ſermone ad Milites templi ca. 6. *Salue*, inquit, *ciuitas ſancta, quam ipſe ſanctificauit ſibi tabernaculum ſuum altiſſimus.* Diſtingunt paulo aliter Iuriſperiti res, locaque *ſacra religioſa, & ſancta*, prout Inſtitutionum lib. 2. primus ſtatim commonſtrat aditus: & Gregorius Toloſas Syntag. lib. 1. cap. 14. Sed ad Theologicam à me ſupra poſitam diuiſionem poſſunt facile reuocari penè omnia. Quædam enim ciuili tantummodo ſancta ſunt, vt *porta muri*, & ſi quæ ſimilia. Cæterum quæſtio altera eſt, Cur dicat Angelus: *Locus in quo ſtas?* Nam Ioſue in terram collapſum, & ad illius abiectum pedes, vt eum adoraret, fuiſſe, traditum eſt. Reſpondeo *primò ſtandi* verbum aliquando pro *eſſe* poni. *Secundò.* Cum hoc diceret Angelos, iam vel ſponte, vel Angeli annutu ac iuſſu, ſeipſum erexiſſe Ioſue.

Nunc ad excalceationis huius cauſas alias pergamus, quæ quia minus præcipuæ ſunt, perſtingentur ſingulæ paucioribus.

Primò. Vt in Ioſue maior excitaretur erga Deum eiuſque præſentem Legatum reuerẽtia. Sic Moyſes Exod. 3. excitatus. Quod ſi tanti tãque ſpiritales, ac diuini homines iſtiuſmodi cæremoniã excitandi fuerunt, cur ſacros Eccleſiæ Chriſtianæ ritus, qui honoris diuini teſtimonia ſunt; venerationis debitæ argumenta, pietatis ac religionis faces: torpentis ignauiæ ſtimuli: deuotionis pabula: defixarum humi mentium ad cœlos, gradus: animorum imbecillorum fulcra tantopere noſtri deteſtãtur Nouatores? Sed, ô magnam veritatis vim? Caluinus hoc loco folio 23. *Quod*, ait *iubetur ſanctus vir calceos ſibi detrahere, hac cæremonia Deus obſignat præſentiæ ſuæ fidem: & plus ponderis addit viſioni: non quod pedum nuditas per ſe cenſeatur in Dei cultu: ſed quia eiuſmodi ſubſidiis adiuuanda eſt hominum infirmitas, quo ſe meliùs ad venerationem excitent, & comparent.*

A

Secundò. Vt cum precibus vacandum, Domino colloquendum, myſteriis diuinis vacãdum, ſummam, quam licet corde & corpore pietatem ac demiſſionem præ nobis feramus. Ita loco indicato Theodoretus, & lib. 2. inſtitutionum capite 10. Caſſianus hiſce verbis: *Calceamenta vero velut interdicta Euangelico præcepto recuſantes, cum infirmitas corporis, vel matutinus hyemis rigior, ſeu meridiani æſtus feruor exegerit, tantummodo caligis ſuos muniunt pedes: hoc interpretantes* B *vſu earum, vel dominica permiſſione ſignari, vt ſi in hoc mundo conſtituti, cura & ſollicitudine carnis huius omnimodis exuti eſſe non poſſumus, nec ab ea penitus præualemus abſolui, ſaltem occupatione leui & implicatione tenui neceſſitatem corporis explicemus, ne vel animæ noſtræ pedes, qui expediti ad ſpiritalem curſum, & prædicandam Euangelij pacem ſemper eſſe debent parati, quibus poſt odorem vnguentorum Chriſti currimus, & de quibus Dauid, Cucurri in ſiti. Et Hieremias: Ego autem non laboraui te ſequens, morticinis huius ſeculis curis patiamur inuolui,* C *de his licet cogitantes quæ non ad ſupplendam neceſſitatem naturæ, ſed ad ſuperfluam, noxiamque pertinent voluptatem. Quod ita implebimus, ſi ſecundum Apoſtolum carnis curam non fecerimus, in deſideriis.* Vnde apud Goenſem Damianum, Æthiopiæ legatus Zabazago, *Nobis*, ait (Æthiopibus Chriſtianus) *non datur poteſtas adeundi templum, niſi nudis pedibus, neque nobis licet in ipſo ridere, loqui, obambulare, quia templa ſimilia ſunt monti Sinai, vbi Dominus Moyſi dixit, Solue calceamentum*, &c. Vide Sanctam Brigittam lib. 2. capite 10. Et hoc D ad omnes quidem, maximè tamen ad Sacerdotes pertinet, vt oſtendit epiſtola 6. Diuus Ambroſius. *Pythagoricum*, inquit, *mandatum in aliquorum ſcriptis prædicari inuenimus, quo ille diſcipulos ſuos communem atque vſitatam populo prohibuerit ingredi viam. Sed hoc vnde aſſumpſerit, non eſt incognitum. Nam cum ex populo Iudæorum, (vt plerique arbitrantur) genus duxerit; ex eius diſciplina deriuauit etiam magiſterij præcepta. Legerat itaque in Exodo, Moyſi diuino præceptum eſſe oraculo, Solue calceamentum pedum tuorum. Id etiam præcepto Ieſu* E *Naue videlicet, vt detrita & popularis viæ deponerẽt pulverem, qui viam Domini ambulare deſiderarent. Legerat præceptum eidem Moyſi, vt montem cum ſacerdotibus aſcenderet, populus autem deorſum ſtaret.* Exod. 19. & 24. *Separauit igitur ſacerdotes à populo: & poſtea ipſum Moyſen introire intra nubem præcepit Vides diuiſiones? Nihil in ſacerdotibus plebeium requiri, nihil populare, nihil commune cum ſtudio, atque vſu, & moribus inconditæ multitudinis? Sobriam à turbis grauitatẽ, ſeriam vitam, ſingulare pondus dignitas ſibi vindicat ſacerdotalis.* Notant hic de ſa- F cerdotibus ſimilia Theodoretus, Caietanus, & Rabbi Moyſes Gerundenſis. *Tertio.* Significant calcei noſtros illos inferiores affectus, quibus terram contingimus, terrena bona & voluptates nimium concupiſcimus. Hi nobis in rerum diuinarum procuratione, Dei, Angelorumque alloquiis exuendi. *Quarto.* Significant etiam ratiumcularum, & argumentulorum modulos & formulas, quibus è terra & luto iſto ſumptis, cœleſtia omnia, diuinaque calcare interdum volumus. Et hi nobis, dum de fide, myſteriiſque

Digitized by Google

omnibus cuiuſmodi terra illa eſſet : quemadmodum in ea purè, caſteque omnibus omnium vitioſitatum exuuiis abiectis, verſari ac tandem in beatiſſimo cœlorum ſolio, ſtabiles in æternitatem omnem pedes figere deberent.

Non eſt autem reticendum cacodæmonem, vt aliorum penè omnium, quæ ad honorem ſuum, animorumque noſtrorum ſalutem inſtituit Dominus, falſam quandam ſpeciem & imitationem adumbraſſe; ſic & ſacram iſtam cæremoniam varie ad impietatem, ac ſuperſtitionem tranſtuliſſe. Nam *primò Gentiles* cum Apollinis templum inibant *excalceabantur ſe*, vti refert folio 504. Nonius, Plautus in Pſeudolo, Solinus libro 15. *Deinde* apud Philaſtrium, & D. Auguſtinum hæreſi 68. *hæretici*, qui vt ibidem rectè admonet Auguſtinus, non ideo hæretici fuerunt, quòd iſta pedum nuditate corpus affligerent: ſed quod omnibus id factu neceſſarium docerent, ſicque diuina teſtimonia, & Moyſis, Ioſuæ, Iſaiæ commemorata iam exempla intelligerent. Poſtremo *Turci* omnes hodie, cum Moſcheas ſuas ingrediuntur, pedibus calceos deripiunt. Hieroſolimæ cum eſſet anno Domini 1583. die 3. Iulij, Illuſtriſſimus Dux Olikenſis ſacrum illud cœnaculum, in quo cœnam extremam peregiſſe traditur Dominus & quod maximè venerátur Turcæ, Chriſtianiſque inacceſſum volunt, occaſione quadam data ingreſſus eſt. *In ingreſſu*, ait ipſe epiſt. 2. folio 110. *ſtatim calceos abiicere coacti ſumus, qua etiam cæremonia Turcæ Moſcheas ingredientes vti conſuerunt. Admoniti quoque fuimus, ne in terram deſpueremus.* Nam *Turcæ locum hunc in maxima habent veneratione, aſſerentes* CHRISTVM *in hoc cœnaculo magnam quãdam cum Apoſtolis cæremoniam peregiſſe, qui poſtea ſingulari quodam miraculo linguas igneas ſuper capita accenſas portabant : creduntque ibidem Sanctum Spiritum in diſcipulos miſſum, vt Actor. 2.*

QVÆSTIO L.

Quid ipſi Ioſuæ dixit Angelus?

QVÆ dixit Ioſuæ Angelus *duplicia* ſunt. *Quædam* enim ſunt quæ certò tradit eum

A dixiſſe textus: *quædam* quæ probabiliter dixiſſe putatur. In priori genere ſunt *quatuor*, è quibus priora *duo* traduntur hoc quinto capite: iamque ſatis quæſtione ſuperiore tractata. Vnum eſt, quis & qualis ſit ipſe apparens: Alterum, vt nudis pedibus ſit Ioſue. *Duo* reliqua ſequenti capite verſ. 2. & deinceps proponuntur. Qui enim in rem totam inſpiciunt acriùs, vident vnam eſſe tantùm viſionem, vnamque continuatam Angeli cum Ioſue ſermocinationem hoc & ſequenti cap. à verſu 2. vſque ad 6. (nam alioquin nihil, nunciaſſet Angelus) primumque ſequentis capitis verſum, quaſi per parentheſin, viſionis huius narrationi à ſcriptore intertextum, vt tanto melius, quæ ſubiunguntur, verba in-
B telligantur, clàriuſque miraculi, quod iam prædicitur vis & magnitudo percipiatur. Ita Maſius, Caietanus. Abulenſis q. 78. & alii: eamque ob cauſam potuiſſet commodè ab apparitionis huius initio, id eſt, ab capitis quinti v. 13. inchoari caput ſextum: vel certè caput quintum porrigi ad capitis ſexti verſum ſextum. vt hoc foret ſexti capitis initium. *Vocauit ergo Ioſue*. Quia tamen nouam velut interſpirationem affert illa de Iericho, interpoſita narratiuncula, non malè ab ea etiam incipitur caput ſextum, modo illud, quod dixi, teneatur, vnius eiuſdemque viſionis, ac ſermonis eſſe cõtinuationem. Ideoque mihi videntur nimium ſupercilioſi Tremellius & Iunius, qui tam Ari-
C ſtarchicè ſcribunt, *capitis quinti extremum imperitè à ſexti principio diuulſum*. Illa verò duo quæ in eodem capite ſexto Angelum certò loqui, dixi, ſunt hæc, victoriæ certiſſimæ pollicitatio verſu 2. Et eius adipiſcẽdæ modus 3. 4. & 5. ſiue Hierichiuntiæ vrbis occupatio: & occupandæ modus. Eſſent porro ea ipſa modo explicanda: niſi cum executione adeo connecterentur, vt cum ea, & in ea meliùs ac vtiliùs explicari poſſe viderentur: Differantur ergo tantiſper, ſicuti & *alia*, quæ Angelum dixiſſe eundem non aſſeuerat contextus, ſed probabilis tantum coniectura exiſtimat, eodem capite ſexto verſu 10. 17. 18. 18. & 26.

NICOLAI SERARII
SOCIETATIS IESV

THEOLOGI, ET SACRARVM LITE-
RARVM IN MOGVNTINA ACADEMIA
Profeſſoris, commentariorum
in Librum Ioſue,

TOMVS POSTERIOR.

COMPLECTENS BELLA OMNIA AB
eo geſta, & ea quæ poſt bella, vſq; ad eiuſdem
Ducis mortem, ab eo ſunt acta.

Digitized by Google

LIBRI IOSVAE PARTIS SECVNDAE PARS ALTERA QVAE

τὰ πολεμικὰ complectitur.

DE BELLIS.

DE bellis agendum dupliciter. *Primò generatim* quærendo quot, & qualia fuerint, quidue ſignificarint; *poſtea de ſingulis.*

QVÆSTIO I.

Ioſuana contra Chananæos bella, quotnam fuerunt.

POſſet dici *vnicum* fuiſſe bellum, quod tamen variis obſidionibus, oppugnationibus, & præliis conſtiterit, diutiuſque geſtum fuerit. Sic enim hodie *Hungaricum & Belgicum* dicimus, quod tot iam annos, proh dolor, tótq; & tam funeſtis certaminibus, in tot, & tam diſiunctis locis durat: Maioris tamen diſtinctionis causâ, poſſunt earum vel vrbium vel hoſtium, contra quos pugnatum, reſpectu, bella numerari plura: eaque potiſſimum, *quinque Hierichuntinum, Haienſe, Gabaonicum, Adoniſedechianum, Iabinicum,* ſeu Aquilonare.

QVÆSTIO II.

Iuſtane fuerint bella hæc? & primò, An in Chananæos arma iuſtè mouerint Iſraëlitæ?

NOn vniuersè quæro. Iuſtáne bella ſint? Id enim & ab inſtituto hoc meo alienum: & à Diuo Bernardo cap. 3. ſermone ad Milites templi, & à Bellarmino controuerſ. 5. lib. 3. cap. 14. diſputatum ſatis: ſed *an bella hæc iuſta?* Bellorum verò iſtorum iuſtitia expendi poteſt *dupliciter. Primò* conſiderando *ipſius Ioſuæ* & *Iſraëlitarum* partem; An ipſi Chananæis bella hæc iuſtè intulerint. *Secundò ipſorum Chananæorum.* An ſeſe Chananæi iuſto bello defenderint? Et vtrumque poteſt rurſum diſputari *biſariam. Primò* quoad omnes modos, & circumſtantias, quæ bellorum iuſtitiam aut conſeruant, aut violant. *Secundo* quoad ipſam tantummodo inferendi, vel propulſandi belli cauſam, ſiue vti vocant quidam, titulum. Prior modus, & hunc poſteriorem, & alios plures continet, verbi cauſa, liceatne hoſtes omnes penitus occidere, imbecillas etiam fœminas, & innocentes paruulos? Iuſtumne ſit inſidiis hoſtem circumuenire? aliaque ſimilia, quæ in bellum, iuſto alioqui principio & causâ ſuſceptum, incurrere, vitiumque ipſi aliquod inferre poſſunt. Sed iſta in ſingulis bellis commodiùs. prout ſeſe obtulerint, explicabuntur: ideoque hoc iam duntaxat inquirendum, *An iuſtè Chananæis arma intulerint Iſraëlitæ?* ſiue, an his contra illos belligerandi ratio, & cauſa iuſta fuerit? Iniuſtum *primò* dixerunt *Chananæi* apud Procopium libro de bello Vvandalico, Euagrium lib. 4. cap. 18. prout infrà loco alio dicetur. Videlicet omnibus hoc vitium mortalibus, vt ſibi quidem iuſtam, hoſtibus iniuſtam cauſam tribuant. *Secundò Aegyptij* apud Origenem lib. 3. contra Celſum: & nominatim Alexandrinus Apion, vti lib. 1. contra ipſum narrat Ioſephus. Sed neque de his mirum, cum tantis Ægyptum cladibus excedentes affecerint Iſraëlitæ. *Tertiò. Gentiles* quidam ſcriptores Alexander Polyiſtor apud Suidam, Tacitus lib. 5. hiſtoriæ, Iuſtinus lib. 36. Strabo lib. 16. Et Epicureus Celſus apud Origenem loco citato. Hi enim vt in Exodo iam dixi; Iſraëlitas vel ex Ægypto propter immanem lepræ fœditatem ciectos, vel propter ſeditionem ſuapte ſponte profugos narrant latrocinium inſtituiſſe, ſibique ſedes nouas quæſiiſſe. Sed refutata horum mendacia iam pridem à Ioſepho & Origene locis iam citatis, Cyrillo etiam lib. 1. & 7. contra Iulianum, Oroſio libro primo capite 10. *Quarto. Hæretici* Manichæi apud Sanctum Epiphanium hæreſi *66.* Sanctum Hieronymum in Iſaiæ cap. 16. Diuum Auguſtinum lib. 22. contra Fauſtum ca. 12. & ſequentibus. Et licet hi argumentorum nil afferant, poſſunt tamen alicui hæc in mentem venire. *Primum.* Erant in patria ſua Chananei: terras, domoſque ſuas pacatè incolebant. Quod igitur Iſraëlitis ius, vt in eos inuadant, eorum vrbes & agros occupent, ipſos exterminent? *Secundum.* Quin verò Iſraëlitarum Satores, parenteſque primos, Abraham, Iſaac, Iacob in Chananæam, aliunde aduenientes, ignotos,

peregrinos,& hoſpites humanitate magnâ non A toleraruntmodo iidem Chananæi, ſed iis ſua etiam ſepulchra,connubia,& affinitates,fœdera & amicitias, in ipſa denique regionis viſcera, & cœli, ſolique optimi ſinum acceperunt. Ecqua igitur æquitas de aduenis tam bene meritos indigenas, hanc ab illorum poſteris referre gratiam, vt bello indigniſſimo laceſſantur, fortunis euertantur,è domibus, patria, & vita eiiciantur? *Tertium*.Si in Ægypto graui premebantur ſeruitutis iugo Iſraëlitæ, cur id ita inibi non excuſſerunt, vt in ea ipſa manerent? quid opus fuit tanto diſſitos interuallo innoxios,ni- B hilque tale opinantes Chananæos petere? An non feraciſſima Ægypti gleba? An non aura ſaluberrima? An quibus Ægyptios auro, argento,veſteque precioſa ſpoliandi,tanta, tot, tamque multiplicium acerbiſſimarum plagarum diritate vexandi, Regem ipſum cum tot millibus ſubmergendi.ius fuit, Ægypti occupandæ potuit cauſa deeſſe? Quòd ſi tamen infauſtas, in quibus ſeruitutem ſeruiuerant primò, deſerere terras libuit, An inter Chananæam & Ægyptum loci, quem iſte inſideret populus, parum fuit? Cur vaſtiſſimas, quibus 40.annos C ſeſe continuerant, ſolitudines colere,puteos in iis fodere, agros conſerere, vineas, & arbores plantare, vicos & vrbes excitare non cœperũt; non ſtuduerunt? Quod ſi verò culta iam & inhabitata allubeſcebat magis, cur oriẽtem verſus in Suſianam amœniſſimam, Meſſopotamiã fertiliſſimam, aliáſue partium illarum deliciis omnibus abundãtes prouincias non adierunt? cur in Arabiam ſeſe felicem non contulerunt? Quid per tot locorum auia, tanto itinere, tot flexus,& ambages ad Chananæam venire opus fuit? quæ ratio, quod fas,vt gens amica, certè D non inimica,in maiores olim adeo beneuolens ac benefica, tranquilla, domi ſuæ ſecura, ſuas res agens,nihil omnino cum Iſraëlitis aut diſſidij,aut negocij vllius habens, ab iis tam inopinato, tam graui, & inteſtino bello, peteretur, vaſtaretur,funditusque,quoad fieri potuit, deleretur?

Dicendum tamen eſt, *iuſtiſſima hæc bella fuiſſe*, iuſtiſsimè regionem hanc ab Iſraëlitis aditam, & poſſeſſam. Et ſunt quidem huius rei *cauſæ tres* datæ cap.1.quæſt.5.ſed de quibus,ordine tamen paululum mutato, adhuc aliquid dicen- E dum. *Prima* eſt Chananæorum ipſorum iniquitas,& impietas. Erant enim idololatria, variiſque peccatorum aliorum ſordibus inquinatiſſimi Geneſ.15.& Leuit.18.Hæc tamen cauſa, ſi ſola foret, iuſtè ſatis in illorum vaſtitatem, & internecionem Iſraëlitas armare non poſſet. Nam *Primò* non cuilibet in quemlibet ſceleratum,& morte alioqui digniſſimum irruere fas: ſed magiſtratuum,& eorum, quibus hoc ab illis demandatum negocium; cura eſt. Quæ enim alioqui humana ſocietas? quæ non vbique cædes, & funera? *Secundò*. Non ſoli tum Chananæi peccatores. Par aliarum plurima- F rum gentium crimen erat: par in Dei cultu,vitæque modo peruerſitas, & quidem earum gentium, quæ orientem verſus & meridiem tam commodè quam Chananæi adire potuiſſent.Cur aliis igitur Iſraëlitæ parcerent, vnoſque ad pœnam, & exitium depoſcerent Chananæos? *Tertiò*. Sed eſto,eſſent Chananæi præ aliis plectendi, num iſto modo? Potuit enim Dominus contagioſâ immiſſâ peſte, vel acri quadam fame, vel aliquo alio cruciatu in eos animaduertere. Quod ſi verò etiam adhibendum bellum fuiſſet, aliæ non deerant, nationes, à quibus hoc ipſum excitari, gerique potuiſſet. *Quartò*. Et ipſimet Iſraëlitæ à peccato immunes numerant? Nonne maiores natu omnes,ob ſcelera, noxaſque in Ægyptiaco exitu admiſſas, è medio ſublati ſunt: Nonne & & in ipſorum caſtris aliqua ſemper improbitas, &, vti pleriſque (de quo tamen alias) vna idololatria hæſit? ſola igitur Chananæorum nequitia, quæ Iſraëlitis iniuriam nullam inferebat, iuſtum in horum manus gladium haud tradebat. *Altera cauſa*, veteris poſſeſſionis, ac hæreditatis repetitio. Nam Semi poſteros, id-eſt, Iſraëlitarum maiores, ex hac ipſa regione vi eiecerant olim Chananæi, vti copioſè à S. Epiphanio hæreſi 66. contra Manichæos verus Teſtamentũ criminantes oſtenſum, & ſuprà iam dictum cap. 1.quæſt. 5.*in qua*, ait apud Caſſianum coll. 5. cap. 24. Serapion, *& Dei iudicium rectiſſimum comprobatur, qui & illos de locis alienis, quæ male occupauerant expulit, & iſtis antiquam patrum poſſeſſionem, quæ proſapiæ eorum in diuiſione orbis fuerat deputata, reſtituit.* Sed neque hæc ſatis idonea iuſti belli ratio forte videtur. *Primò*. quia minimùm ante annos 500. factum id fuiſſet, vti colligitur ex Geneſ.15.Exodi 12. & ex annis 40.qui in deſerto traducti ſunt. At regionem aliquam tanto tempore, abſque cuiuſquam interturbatione, in pace ac tranquillitate, poſſidere, nonne iuſtum poſſeſſionis titulum dat? ideoque aliis omnibus ereptionis & vindicationis iniuſtum? Nam hæc, pluſquam longiſſimi temporis præſcriptio eſt, prorſuſque immemorabilis. Huius verò ea in iure vis, vt veros rerum Dominos faciat, qui alioqui principio non erant. Licet enim qui primi alienam occuparint ditionem, fidei bonæ, quæ ad præſcriptionem requiritur, poſſeſſores non fuerint, verum etiam, iuſtumque ab iis titulum non acceperint eorũm libri, poſt tot tamen ſæcvla, horum poſteri bonam habere fidem cœperunt, bonumque & iuſtum ad poſteros titulum tranſmittere. *Secundò*. Si hæc præſcriptionis ratio tot annos continuata non efficeret Chananæos terræ iſtius iuſtos poſſeſſores, multa hodie iniuſta forent Chriſtianorum regna. Quo enim iure Germani Germaniam, Franci Franciam olim occuparunt? Quo Angliam Saxones? Quo reſiduæ aliquæ Gothorum ac Sueuorum familiæ nonnullam Hiſpaniarum partem? De hac tamen in bellis præſcriptione plura Iudicom 11. *Tertiò*. Multi alij erant in Oriente Semi poſteri. Ad eos igitur etiam eodem iure pertinuiſſet Chananæa. *Tertia* demum *cauſa* eſt, Dei auctoritas. quæ vna omnes iuſtitiæ numeros continet, ſolaque ſufficit. *primò*. quia flagitioſam Chananæorum impietatem hoc tempore, hoc modo, & per hos punire voluit. *Secundò*. quia ipſe non permiſit tantùm in Chananæos ab Iſraëlitis arma

arma verti, eorumque terras occupari, ſed iuſſit etiam & mandauit. *Tertiò.* quia ſuam ipſe voluntatem crebrò Iſraelitis patefecit, variiſque ſignis & portentis ante bellum, in ipſo, & poſt ipſum, aſſeuerauit. Quis verò dubitet Deũ tanquam ſummum Iudicem, iuſtiſſimè has illis, per iſtos, pœnas inflixiſſe? ſi iuſtè perduellionis, aliorúmue criminum reos iuſtè Rex aliquis poſſeſſionibus omnibus, & vita exturbat, illasque, cui libitum eſt, dat, quidni & Rex regum, Dominus dominantium? *Quartò.* Quin verò etiam ſi nulla in Chananæis culpa, nullum in gente illa delictum hæreret, iuſtiſſimè tamen poteſt, vitam, opes, poſſeſſiones, & regiones, quibus placet, eripere: quibuſque placet, donare. quia ſummus, & independens omnium Dominus eſt. Sic enim fecit, cum hominem ipſum effecit, eique paradiſum attribuit: cum deinceps Noæ filios in partes varias diſperſit, ſuosque ſingulis terminos circumſcripſit. Quia tamen diuinæ ſuæ volũtatis rationes ſemper habet optimas, quærit mortalium ignorantia, *cur voluit Chananæas exſcindi?* Et reſponderi poteſt, quia impij & ſcelerati erant. *Cur in eorum loca Iſraelitas immigrare?* Quia horum maioribus eæ olim ſedes: & ab illorum maioribus per iniuriam occupatæ, ſicque Serapionem antea citatum capio. *Cur verò Iſraelitarum maiores in ijs collocaret?* Quia erant optimæ, rebuſque circumfluebant omnibus. Sed cum vel eſſent alia eiuſdem, aut etiam maioris felicitatis loca, vel certè alia ipſe potuiſſet condere, *cur in illis eos, & non alios conſtituit?* Hic verò nos iubet Plato, vt dici ſolet: quieſcere. ſunt ſuæ Deo rationes, eæque optimæ: ſed abditæ nobis & incognitæ. *Tertia* igitur *cauſa,* Dei voluntas, eiuſque iuſſio ſola optima, iuſtiſſima, & perfectiſſima eſt, quæ Iſraelitas, in Chananæam, tanquam diuinæ ſuæ iuſtitiæ adminiſtros, ſuoſque beneficiarios, & Colonos miſit, & introduxit. Doctiſſimè, ſubtiliſſimeque hanc expoſuit Sanctus Auguſtinus libro 22. contra Fauſtum, capitibus pluribus iam inde à cap. 7. Sed ſatis hic fuerit, quæ ſunt in capite 75. *Intereſt,* ait, *quibus cauſis, quibuſque auctoribus homines gerenda bella ſuſcipiant: ordo tamen ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poſcit, vt ſuſcipiendi belli auctoritas, atque conſilium penes principem ſit, exequendi autem iuſſa bellica miniſterium milites debeant, paci, ſalutique communi. Bellum autem quod gerendum Deo auctore ſuſcipitur, rectè ſuſcipi, dubitare fas non eſt: vel ad terrendam, vel ad obterendam, vel ad ſubiugandam mortalium ſuperbiam, quando ne illud quidem, quod humana cupiditate geritur, non ſolum incorruptibili Deo, ſed nec ſanctis eius obeſſe aliquid poteſt: quibus potius ad exercendam patientiam, & ad humiliãdam animam, ferendamque paternam diſciplinam etiam prodeſſe inuenitur. Neque enim habet in eos quiſpiam vllam poteſtatem, niſi cui data fuerit deſuper. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo, ſiue iubẽte, ſiue ſinente. Cur ergo vir iuſtus, ſi forte ſub rege homine etiam ſacrilego militet, rectè poſſit illo iubẽte bellare ciuica pacis ordinem ſeruans cui quod iubetur, vel non eſſe contra Dei præceptum certum eſt, vel vtrum ſit, certum non eſt: ita vt fortaſſe reum regem faciat iniquitas imperandi,*

A *innocentem autem militem oſtendat ordo ſeruiendi: quanto magis in adminiſtratione bellorum innocentiſsime diuerſatur, qui Deo iubente belligerat, quem male aliquid iubere non poſſe, nemo, qui ei ſeruit, ignorat.* Et cap. 78. *Calumnioſa imperitia Moyſes* (itemque Ioſue) *reprehenditur, quod bella geſſerit, qui minus reprehendi debuit ſi ſua ſponte gereret, quam ſi Deo iubente non gereret: ipſum verò Deum quod talia iuſſerit, audere reprehendere: vel Deum iuſtum & bonum talia iubere potuiſſe, non credere hominis eſt, vt mitius loquar, cogitare non valentis diuinæ prouidentiæ per cuncta ſumma at-* B *que ima tendenti, nec nouum eſſe, quod oritur, nec perire quod moritur, ſed in ſuo ſingula quæque ordine ſiue naturarum, ſiue meritorum vel cedere, vel ſuccedere, vel manere: hominum autem rectam voluntatem, diuinæ legi coniungi, inordinatam vero cupiditatem diuinæ legis ordine coerceri: vt nec bonus aliud, quam præcipitur, velit: nec malus amplius, quam permittitur, poſſit: ita ſanè, vt non impunè poſſit, quod iniuſte voluerit: ac per hoc in omnibus, quæ humana infirmitas horret, aut timet, ſola iniquitas iure damnatur: cætera ſunt vel tributa naturarum, vel merita culparum.* Et paucis interiectis: *ſed quæ ſit* C *diſtributio iudicantis & miſerentis Dei. cur alius ſic, alius autem ſic, occultis fit cauſis, iuſtis tamen. Non tamen ideo neſcimus omnia iſta iudicio aut miſericordia Dei fieri, licet in abdito poſitis menſuris & numeris, & ponderibus, quibus omnia diſponuntur à Deo creatore omnium quæ naturaliter ſunt.: nec auctore, ſed tamen ordinatore etiam peccatorum: vt ea quæ peccata non eſſent, niſi contra naturam eſſent, ſic iudicentur & ordinentur, ne vniuerſitatis naturam turbare, vel turpare permittantur meritorum ſuorum locis & conditionibus deputata. Quæ cum ita ſint, & cum per hoc ſecretum iudiciorum Dei, motuſque humanarum voluntatum eiſdem proſperitatibus alij corrumpan-* D *tur, alij temperanter vtantur. & iiſdem aduerſitatibus alij deficiant, alij proficiant: cumq. ipſa humana, mortaliſque vita tentatio ſit ſuper terram: quis hominum nouit, cui proſit aut obſit in pace regnare, vel ſeruire, vel vacare, vel mori: in bello autem vel imperare, vel pugnare, vel vincere, vel occidi? cum hoc tamen conſtet, & cui prodeſt, non niſi per diuinum prodeſſe beneficium: & cui obeſt, non niſi per diuinum obeſſe iudicium? Quid ergo inſilimus in temerarias reprehenſiones, atque vtinam hominum & non Dei?* Et in hunc librum quæſt. 10. *Iuſta bella definiri ſolent, quæ vlciſcuntur iniurias, ſi qua gens, vel ciuitas,* E *quæ bello petenda eſt, vel vindicare neglexerit, quod à ſuis improbè factum eſt, vel reddere quod per iniurias ablatum eſt. Sed etiam hoc genus belli ſine dubitatione iuſtum eſt quod Deus imperat, apud quem non eſt iniquitas, & nouit quid cuique fieri debeat. In quo bello exercitus, vel ipſe populus, non tam auctor belli, quam miniſter iudicandus eſt.* Atque hinc hoc vno iure, tanquam omnium grauiſſimo, ac certiſſimo, libenter vſi ſemper ſunt Iſraelitæ Iud. 11. Iſa. 15. alibi. Et verò gentibus id omnibus à natura inſitum, vt F quam, numine auctore, ſuſciperent, eam iuſtiſſimam ducerent expeditionem. Sic apud Herodotum libro ſecundo, quæ oraculo imperaſſet arma Iupiter, ſtatim capiebant Æthiopes: apud Xenophontem libro quarto, Spartani: & ipſe apud Virgilium, qui ſe ſatis, Deũmque neſcio quorum monitis in

Digitized by Google

Latium tendere aiebat.
—Sedes vbi ſata quietas
Oſtendunt, illic ſas regna reſurgere Troiæ.
Vnde Auſoniana illa.
Gradiuus iubeat ſi capere arma Ducem
Fidere tam ſas eſt, quam dubitare neſas
— Mortalia quærunt
Conſilium. certus, iuſſa capeſſe Dei.

Adeo tamen Caluiniſtis noſtris cæca, inſa-
na, & amens mens eſt, vt hanc firmatiſſimam
à natura ipſa infirmam reantur concluſionem:
Iuſſit hoc Deus, ergo iuſtum eſt. quia ex eo-
rum placitis, iubet etiam ille peccata. O inſa-
niam? quam non Catholici modo ſemper exe-
crati ſunt: ſed & ex ea ipſa hæreſi, iam in Ae-
glia penè Academici omnes, vti mihi affirma-
uit ſæpius Anglus hæreticus, aut hæreſiarcha,
de quo alias. qui & eũ ſe Hanouienſem vicinũ
noſtrum Comem ſane, ſanioribuſque magiſtris
dignum, Comitẽ dedocuiſſe narrabat. Et com-
modum, venit hiſce diebus meas in manus ex
Anglia Itali Gentilis hæretici *de bello*, Hanouiæ
impreſſa diſputatio, in cuius lib. 1. c. 8. iuſta, ex
Dei iuſſu, Chananæa bella pronunciat. Ad ea
verò, quæ pro Chananæis contra bellicam Iu-
dæorum iuſtitiam diſſerta ſunt, non eſt è dictis
obſcura reſponſio. Vna enim Dei voluntas &
iuſſus, cauſarum, iuriũque omnium inſtar eſt.

QVÆSTIO III.

Contra iuſta Iſraelitarum arma, vtrum iuſtè arma
etiam expedierint Chananæi?

QVæſtionis huius diiudicatio, è generali-
bus quæſtionibus alijs apta & nexa eſt.
Vna eſt: *fieri ne poſsit, vt iuſtum vtrinque bellum ſit?*
Tetigit in 6. c. 1. Ph. 21. quæſtionem Piccolomi-
neus, ſed ita, vt quaſi haud liqueret: ni-
hil finierit. Negarunt verò olim non pauci,
quibus viſum, ſi bellum iuſtè quis inferat,
iniuſte ipſi alterum reſiſtere: etſi iuſte reſiſtat
quis, iniuſte alterum aggredi. Affirmant tamen
Abulenſis in libri huius c. 9. q. 15. c. 11. q. 11. &
12. Dominicus Soto 5. de iuſtitia q. 1. a. 7. Iu-
riſconſulti etiam Fulgoſius l. *Ex hoc iure*, ff. de
iuſt. Et Alciatus lib. 2. Paradox, cap. vltimo, &
l. 5. de iuſtificat. quia quod verè iuſtum eſt, id
aut vtrique parti perſpicuum, ac liquidum eſt
vel vtrique parti obſcurum & ignotum: vel al-
teri notum, ignotum alteri. Primo modo &
tertio, pars tantùm vna iuſte belligerat, quan-
do alteri parti conſtat, iuſtitiam à ſe oppugnari.
ſecundo autem modo vtrimque iuſtũ quęritur
ideoque vtrimque bellũ iuſtum. Quẽadmodũ
enim in forenſibus negociis, cũ latet quod iuſtũ
eſt, vtrimq; iuſtũ iurgium, iuſtaque apud Iudi-
cem diſceptatio eſt: ſic & armorum diſceptatio
non iniuſta, cũ pars vtraque à ſe cenſet ſtare iu-
ſtitiam. *Contingit vt duo homines*, inquit enarrat. 2.
in Pſ. 25. Diuus Aug. *habeant cauſam apud ſeruum*
Dei. Nemo niſi ſuam iuſtam dicit cauſam. Nam ſi ini-
quam putaret cauſam ſuam, iudicem non quæreret. Et
ille ſe putat iuſtam cauſam habere, & ille. Veniunt ad
iudicem antequam proferatur ſententia, ambo dicunt,
amplectimur iudicium tuum quidquid iudicaueris:
abſit vt reſpuamus. Quid & tu dicis? Iudica
A *quiduis, tantum iudica. Prorſus ſi in aliquo repu-*
gnauerimus, anathema ſumus. Ambo amant Iudicem
antequam iudicet. Sicque, cum Hungarorum le-
gati contra Imperatorem vehementius loque-
rentur, iis dixit Pius ſecundus in regni diſſen-
ſione atque controuerſia, neque Hungariæ
Regem, neque Imperatorem contra offi-
cium facere. vtrumque ſiquidem ſibi cauſam
iuſtam reri. Sic in oratione pro Marcello:
Erat, inquit, *obſcuritas quædam: erat certamen*
inter clariſsimos Duces: Multi dubitabant quid opti-
mum eſſet: multi quid deceret: nonnulli etiam
B *quid liceret.* Sic in Rhetoricorum 3. dixit Ari-
ſtoteles, in omnibus fere controuerſiarum
ſtatibus euenire, vt litigantium neutra pars
improba ſit, excepta quęſtione, *An factum ſit?*
factum inquam ab litigatorum altero. Nam
qui ſui ſibi facti conſcius eſt, non poteſt hoc
ignorãtię mantelo tegi. Bene igitur & ex Abu-
lenſis ante citati iudicio ac mente Couarruuias
in regulam, *Peccatum* p. 2. §. 10. num. vltimo:
Bellum reuera iuſtum, ab vna tantum parte eſſe poteſt
opinione autem iuſtum, vtrimque. Prior pars vel
hinc perſpicua eſt, quòd reapſe hic vel ille ve-
rum ſemper ius habeat, vterque nunquam. Cũ
C enim iuris fũdamẽtũ, & quaſi ſolũ ſit res, de qua
certatur: ea vel huic vel illi reuera debetur, in-
eſtq. in ea quędam contradictio, vt ſi reuera ſit
huius, reuera nõ ſit alterius. Poſterior autem ex
dictis etiam perſpicua pars, quia quod in re
ipſa verum ac iuſtum eſt, id litigantibus obſ-
curum: idque ſibi vterque vendicat non malè.
dummodo tamen vterque in veritatis indaga-
tione, quod decet, ſtudium adhibuerit. Neque
enim, vt quidpiam, etiam opinione, iuſtum ſit,
ſatis eſt, opinari iuſtum eſſe: ſed cum recta ra-
tione opinari, neceſſe eſt. Id autem erit nun-
quam, niſi quibus quiſque poteſt viis & ratio-
D nibus, veritatem explorarit. Alioqui iuſta in
ſanctos eorum eſſet ſęuitia, & crudelitas, qui vt
eſt Ioannis 16. verſ. 2. illos interficerent, ſeque
obſequium Deo præſtare arbitrarentur.

Altera quæſtio eſt, non quidem generatim, an
an vi vim repellere iuſtum ſit? (hoc enim in
Miloniana Tullius, & ratio doctis, & neceſſitas
barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa
præſcripſit, vt omnem ſemper vim quàcũque
ope poſſent, à corpore, à capite, à vita ſua pro-
pulſarent) ſed ſpeciatim, *An illatam iuſte vim, vi*
defendere iuſta quis poſsit? Sunt bona & vtilia, quæ
citatâ quęſt. 11. tradit Abulenſis: ſed ad inſtitu-
E tũ nimis forte multa, cùm præter obiectiones
& argumenta varia, in iis concluſiones 42. no-
tarit Alphonſus à Polo. Paucis igitur dico, *pri-*
mo, ſi quæ infertur vis, ad ſola fortunæ bona, &
opes auferendas pertineat nobiſque conſtet
vim iuſtam eſſe, ipſam vi arceri non poſſe. Ver-
bi cauſa, ſi Iudex per ſe, aut miniſtros ſuos,
ablatis pignoribus, aut alia quapiã rei familiaris
iacturâ, iuſte nos vellet coercere. Ratio eſt.
Qui auferre per vim bona iſta ſic tentat, opus
facit licitũ, bonum, & iuſtum: idque noſtra no-
bis dictat ratio. Eũ igitur impedire, ipsũq; vel-
le occidere aut vulnerare, neſas. *Secũdo.* Si iuſta
F vis itidẽ ad vitã vſque noſtrã, aut corporis ſau-
ciationem graſſetur, eãque iuſtam nouerimus,
quæ ipſi opponatur, vis nulla iuſta eſt. Ratio

Digitized by Google

eadem. *Tertiò.* Si quæ aut fortunis, aut vitæ in-
fertur vis, non cognoſcatur iuſta, licet alioqui
iuſta eſſet; eam vi propulſare iuſtum eo modo
eſt, qui ſuperiore iam quæſtiuncula expoſitus:
quoad opinionem ſcilicet minime temera-
riam, & imprudentem. Talis enim apud ſe ſta-
tuit vim ſibi per ſcelus ac iniuriam adhiberi,
quam ferro alio comprimere iuſtum ſit.

Quoad Chananæos autem, communis opi-
nio eſt, quam eodem loco edocuit Abulenſis,
contra iuſta Iſraëlitarum arma, iuſta eos arma
expediiſſe: idq; ob vnam iuſtam cauſam, quod
nimirum Iſraëliticæ cauſæ iuſtitiam ignora-
rent. Neſciebant enim Iſraëlitas à ſummo Iu-
dice ſcelerum vindices immitti: à ſummo Deo
donatam iis regionem totam: imperatum mo-
dum & rationem, qua, ob ſua ipſi crimina, pu-
niri, hi vero ipſorum fortunas opeſque omnes
occupare deberent. Mihi tamen videtur.

Primò. Chananæos vel ſciuiſſe, vel ſcire ſal-
tem potuiſſe ac debuiſſe à ſummo, veroq; Deo
in Chananæam ſuam adductos Iſraëlitas. Nam
longe ac late, certo ac conſtanter ad populos
iſtos peruenerat maximorum, quæ in Ægy-
pto in mari rubro, ac ſolitudine fecerat Deus,
fama miraculorum illuſtriſſima. Viderāt etiam
recens admirabilem eorundem Iſraëlitarum
per Iordanis vndas tranſitum. Nonne tot &
tanta prodigia ſatis eſſe debebant, vt verum,
ſummumque Deum agnoſcerent? cum Iſraëli-
tarum Ducem, adiutorem ac fautorem profite-
rentur? Repete animo, quam ſupra capite 2.
verſu 9. audiuimus Raabæ fidei profeſſio-
nem. *Noui*, ait, *quod Dominus tradiderit vobis ter-
ram: Etenim irruit in nos terror veſter, & elan-
guerunt omnes habitatores terræ. Audiuimus quod
ſiccauerit Dominus aquas maris rubri ad veſtrum
introitum, quando egreſſi eſtis ex Aegypto, & quæ
feceritis duobus Regibus Amorrhæorum, qui erant
trans Iordanem, Sehon & Og, quos interfeciſtis.
Et hoc audientes pertimuimus, & elanguit cor no-
ſtrum, nec remanſit in nobis ſpiritus ad introitum
veſtrum: Dominus enim Deus veſter eſt ipſe, Deus
in cælo ſurſum, & in terra deorſum.* Nonne
contra populares ſuos iſtam iſta pronuncia-
uit ſententiam? Nonne oſtendit debuiſſe, ac
ſi voluiſſent, potuiſſe, præpotentem Deum
vnum, qui cœlum & terram orbem totum,
& ipſos imprimis Iſraëlitas gubernaret, ac
tueretur, credere, ac venerari? Si metu, pa-
uore quæ concuti tanto potuerunt, cur non ad
aliquam paulo ſaniorem inflecti cogitatio-
nem? Quid eorum, quæ ad veram fidem mo-
nerent, Raabæ adfuit, quod Chananæis aliis
non adfuerit? Exteriora, quæ ad fidem in-
uitarent, omnibus eadem: & Dei gratia ne-
mini non præſto ſufficiens. Par pene infra cap.
9. Gabaonitarum occurret profeſſio. Si tene-
batur præfractus, credere Pharao, ſi qui ali-
qua CHRISTI Dei opera, vel viderunt, vel
certo ac indubie audierunt, Cur non & Cha-
nanæi? Quocirca parum placent hæc Abu-
lenſis verba in citata quæſt. 11. *Dato, quod con-
cederent Chananæi Iudæos eſſe à Deo ſuo miſſos ad
deletionem Chananæorum: tamen non cogebantur con-
fiteri eos eſſe iudices ſuos: quia dicerent quod Deus
Hebræorum non habuit poteſtatem aliquid tale dele-*
A *gandi Iudæis, cum ipſe etiam non haberet poteſtatem
ſuper Chananæos. Et erat iſta legitima excuſatio. Si
verò dicas, quod omnes obligabantur cognoſcere vnum
Deum, cuius cognitio naturaliter ineſt, vt patet ad Ro-
manos primo: Reſpondendum eſt, quod quanquam obli-
garentur ad cognoſcendum, & credendum vnicum eſſe
verum Deum: tamen non obligabantur credere, hunc
eſſe Deum Hebræorum: vel Sidoniorum, aut Chananæo-
rum: quia hoc non erat in natura rerum inſitum, vt
magis in populo illo eſſet Deus quam in aliis. Ideo ſicut
legitimè exiſtimare poterant Chananæi, Chamos Deum
Moabitarum: vel Aſtharthem Deam Sidoniorum non*
B *eſſe Deos habentes poteſtatem ſuper eos: ita exiſtimare
poterant de Deo Iudæorum, cum nil magis cauſaret ex
natura rerum: donec per miraculorum operationes ali-
quid notificaretur.* At profecto tot & tantæ mira-
culorum operationes præierant hactenus, vt de
Iudæorum Dei ſumma, præ aliis diis omnibus
præſtantia & veritate dubij eſſe nil deberet. Si
enim ante Iordanis tranſitum ita Raab locuta
eſt, quid poſt eum loqui omnes debuerunt?

Secundò. Ignorarunt Chananæi diuinam vo-
luntatem quoad multa, quæ, contra Iſraëlitas,
vim ac defenſionem ipſos parare nihil veta-
C bant. Nam *primò* neſciebant, an eos tam mi-
rifice per Iordanem tranſduxiſſet Dominus, vt
ad alias porro terras tenderent, Chananæam-
que tranſirent ſolum, an vt in ea ſedem fige-
rent, ſuſceptæque viæ finem facerent. Hoc
enim ab iis & fieri potuiſſet, & vero in aliis ali-
quot gentibus, quas pertranſierunt, factum
erat. *Secundò.* Eſto ſcirent Chananæi, velle in
Chananæa Iſraëlitas manere, non tamen ſcie-
bant, quomodo, quaue conditione. An vide-
licet regionem ipſis cedere totam deberent: &
in terras alias excedere: an cum iiſdem in illa
D ſimul manere, & commorari. Si excedere de-
berent; non ſatis perſpiciebant, an in patriæ,
quam desererent compenſationem, ditiones
alias daturus eſſet Dominus, & quænam eæ eſ-
ſent, vel vbi: an in loca varia diſpergi, ac diſsi-
pari deberent: & quo id modo: an in ea, quæ
arbitratu quiſq; ſuo deligeret, an quæ aſsigna-
rentur: Rurſumque an, coloniarum inſtar, pro-
ficiſci, an temere præcipiti ſeſe fuga proripere,
& quocunque tandem illatebrare oporteret.
Sin vero in eadem Chananæa cum Iſraëlitis
manendum & commorandum, non videbant,
E an æquo cum eis iure, vt liberi ſcilicet cum li-
beris permanerent, idque vel ipſis permixti,
vel in certas terræ partes collecti, & ab illis
adhuc diuiſi: an iure alio, vt iis nimirum aut ſer-
ui, aut tributarij fierent. Omnium vero maxi-
me ignorabant, ſibi iuſto Dei iudicio pereun-
dum funditus, ſeq. è patria & vita ſimul exuen-
dos. Nam neque diuina hæc iis promulgata
erat ſententia, neque quidquam erat, vnde cer-
to eam poſſent colligere. Quid enim ſi fortaſsis
peccaſſent Iſraëlitæ, & poſt tot & tanta Dei be-
neficia ingrati, Chananæorum ipſorum ferro
F plectendi eſſent? Quid ſi Deus permitteret
modo, non etiam iuberet, vt Chananæos illi
bello laceſſerent, & obtruncarent? Quid ſi
ſuam iſti, cum aliarum gentium impietate
conferrent prauitatem, neque ſe ſupplicio &
morte digniores eſſe comperirent? Quid ſi
pœnitentiam iidem agerent, idola ſua delerent,

Digitized by Google

ſceleratos mores corrigerent? Quid ſi ſe ſontes quidem,& morte non indignos crederent, ſed tamen ita, vt in campo & acie mori deberent, non autem ignauè abſque ſanguine, & ſudore ſpolia darent, vitámque ponerent? Enimuerò priuſquam liquidò Iudicis voluntas, & ſententia liqueat, multa id genus, præſertim cum de vita, qua hoc in mundo maius, cariuſque temporale bonum non habet quis, agitur; venire in mentem poſſunt, quæ fieri rectè poſſint ac interdum deberent. vt ex ignoratione, non priore illa, ſed poſteriore iſta Chananæos putem non iniuſtè contra Iſraëlitarum inuaſionem ſeſe armis vindicare ac tueri potuiſſe. Nemo enim facultates, vitámque ſuam proiicere ac prodigere, vel non defendere & conſeruare tenetur, niſi clarè illius, qui in noſtra, nóſque ipſos ius habet, voluntatem & iuſſum eſſe norit, vt ſic & iam rebus noſtris, ac vita ſpoliemur. Cum verò id clarè conſtat (claritate ſcilicet illa, quæ ad iudicium prudens moraliter ſufficit) tum vero iuſtiſſimum eſt patienter ac fortiter ſpoliationes, cruciatus, morteſque omnes perferre; prout tot ſancti confeſſores, & martyres, cum in fidei iuſtitiæque profeſsione diuinam è diuino præcepto voluntatem ſcirent, fecerunt: ille item in cruce latro, & deinceps innumerabiles, malefici alij, cum à ſuis Magiſtratibus eſſent è bonis deiecti, compedibus aſtricti, carceribus incluſi, exilio mulctati, ad laqueos, rotas, & flammas mactati. Sed ſupereſt adhuc quæſtio.

An non tantùm potuerint Chananæi inuadentibus repugnare Iſraëlis, prout dictum eſt, *ſed etiam debuerint?* Quoad *opes*, potuiſſe tantùm, quoad *vitam*, etiam debuiſſe affirmat Abulenſis. Nam illas, cum inferioris gradus bona ſint; non adeo retinere, ac tueri obligamur: ſecus verò vitam, cum, vt dictum eſt, in temporalium bonorum gradu ſummo ſit. Quando tamen non omnino manifeſtum foret, iniuſtè illam nobis eripi, & probabiles aliquæ rationes docerent, Deo volente ac iubente (quamuis reuera tantùm permitteret) nobis admoueri gladios, crediderim non equidem obſtringi nos ad non repugnandum: poſſe tamen non repugnare, illatámq; necem æquo, patientique animo perpeti. quia neque in percuſſorib. iniuſtitiam tunc vllam ſtatueremus, neq; vitam temerè obiiceremus: aut ignauè deſeremus: ſed de ſummo, quod nobis eſt, iure, aliquantulum, ob diuinæ voluntatis ac imperij, non certò quidem, probabiliter tamen cogniti ſeu exiſtimati reuerentiam, remitteremus. Quare cõcludo, potuiſſe Chananæos tam terras, quam vitam ſuam aduerſus iuſtè inuadentes Iſraëlitas non defendere: iuſtè tamen, ob cauſas antè poſitas, defendiſſe. Hinc porro apparet, quam deteſtabilis Lutherus fuerit, cũ articulo ſuo 4. ſcripſit, *Chriſtianis bellum aduerſus Turcas non gerendum.* Si enim aduerſus Iudæos iuſtè inuadentes, potuerunt ſe Chananæi rectè, iuſteque defendere, quidni aduerſus Turcas, iniuſtiſsimis bellis pugnantes, iuſtiſsimo bello repugnent Chriſtiani? Si aduerſus Dei populũ, eius præſidio ſeptum, miraculiſ inclytum, impiæ profanæque gentis arma eſſe iuſta potuerunt, quomodo Chriſtianorum contra Turcas,

A fidelium contra infideles, defenſorum contra inuaſores, canum contra lupos ſcelerata propugnatio ſit? Vide Bellarminum lib. de Laicis c.16. Bene tamen habet, quod in viſitatione Saxonica palinodiam cecinerit, niſi quod Catholicorum odio pluſquam Vatiniano amentes Caluiniſtæ Miniſtri quidã, priorem illam ſententiam non improbare videantur. Nam controuerſiæ 5. lib. 2. c. 16. Franciſcus Iunius eam ita κατά τι explicat, vt eaſdem non inſtituendi contra Turcas belli cauſas adhuc eſſe annuat. B Coclæum in hiſtoria tanquam Luthero infeſtum reiiciat: Schleidanum è contrario laudet: *Pontifices Turcis Turciores* criminetur: imò, & in publici conſilij, ad regni adminiſtrationem publicam pertinentis ordine, *Chriſtianos pleroſque* iiſdem *Turcis nequiores dicat*, hiſceque verbis exclamat: *Vtinam atque iterum vtinam hæc res non vſque adeo vera eſſet!* Vnde hoc etiamnum tempore, cum aduerſus eoſdem hoſtes non pauloque olim alacrius Lutheranorum plerique pecuniã, corporaque offerant, fieri videmus, vt ad Hollandicas perduelliones ac latrocinia ſeſe libentius Caluiniſtæ applicent. C Sed de pluribus, quæ huc faciunt: meq; quærantur *Antiturcica*. Ipſas lege, cenſe, mecumque ſi aliud nihil potes; geme, ac pro Germania noſtra DEVM ora Optimum Maximum. Quid enim nos priuati ac inopes faciamus vtilius?

QVÆSTIO IV.

Quid Iſraëlitarum hæc aduerſus Chananæos bella ſignificant?

D RESpondet Gratianus 23. quæſt. 1. cap. 2. ſignificare ſpiritalia, quibus contra ſpiritales hoſtes nobis pugnandum, bella. Sed perperam veriſsimi huius reſponſi auctorẽ edit Gregorium, cum non huius, ſed Origenis ex hom. 15. in hunc librum verba citet. *Niſi*, ait, *bella iſta carnalia figuram bellorum ſpiritualium gererent, nunquam, opinor, Iudaicarum hiſtoriarum libri diſcipulis Chriſti, qui venit pacem docere, legendi in Eccleſiis fuiſſent ab Apoſtolis traditi. Quo enim eis bellorum proficeret iſta deſcriptio, quib. dicitur ab Ieſu, Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis? Et quibus per Apo-* E *ſtolum iubetur & dicitur, non noſmetipſos vindicantes, & magis iniuriam accipite, & magis fraudem patimini. Vnde denique ſciens Apoſtolus, nulla nobis iam vltra bella eſſe carnaliter peragenda, ſed animæ certamina cõtra ſpiritales aduerſarios deſudanda, velut magiſter militiæ præceptum dat militib. Chriſti dicens. Induite vos arma Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus aſtutias Diaboli. Et vt horum ſpiritualium bellorum ex veterum geſtis habere poſſimus exempla, iſtas nobis rerum geſtarum narrationes in Eccleſia voluit recitari, vt nos ſi ſpiritales ſumus, audiẽtes quia lex ſpiritalis eſt, in iis quæ audiuimus* F *ſpiritualib. ſpiritualia comparemus & contemplemur ex iis gentibus, quæ carnalem Iſraël viſibiliter oppugnarũt, quantæ ſint gentes contrariarum virtutum, ex ſpiritualibus, quæ dicuntur ſpiritales nequitiæ in cæleſtibus, quæ aduerſus Eccleſiam Domini, quæ eſt verus Iſrael, ſuſcitent bella.* In his verò verbis notandum *primò*, videri per ea Chriſtianis iuſtam omnem bellandi cauſam adimi: & contra ſolos animæ hoſtes iis licere pugnam ſuſcipere. Verùm id ſupr. q. 1.

Digitized by Google

iam exploſum,& in ea ipſa cauſa 23. exploditur A
copioſè, etiam ex ipſa S.Gregorij mente q. 8. Vnde, vt hoc breuiter indicem, malè colligit, qui valde videri vult oculeus; Caluiniſta Gentilis *de bello* lib. 1.c.5. ſibi haud ſatis Patrem tantum conſtare. Nam errantem ſequutus Gratianum, verba, quæ audiuimus, Gregorio tribuit. *Secundò.* Videri per eadem verba, cur bella hæc legantur, vnicam eſſe cauſam, figuram ſcilicet interiorum bellorum. At ſane plures cauſæ ſunt. *Prima.* Vt hinc Dei erga populum ſuum beneuolentia ſumma in hoc ducendo & gubernando ſapientia, in protegendo & amplifi- B
cando potentia, id genuſque alia videantur. *Secunda.* Vt veteris Eccleſiæ progreſſus, & ſtatus omnis, à mundi primordio, per ſæculorum omnium euolutiones cognoſcatur. *Tertia.* Vt rei etiam bellicæ præcepta, & exempla inde ſumantur; præſertim verò ea, quæ etiamſi à naturali rationis lumine, prophaniſque ſcriptorib. interdum ſuggeruntur, minus tamen quam oporteret, efficaciter proponuntur, minoriſque in bello à militum vulgo, à ducum etiam nonnullis fiunt. cuiuſmodi ſunt, vt à Deo, & in Deo ſolo victoriæ, ac triumphi omnes seriò C
credantur eſſe: vt precibus idem ſæpe, ardenterque rogetur: vt eius honori, ac cultui è manubiis conſecretur aliquid: vt è caſtris omnis exulet impietas, abſint ſacrilegia, & quæcunque diuinam iram concitant peccata: vigeat in iis obedientia, innocentia: & ſi peccatum quidpiam ſit, pœnitentia; & expiatio. de quibus vtiliter legatur Ferrandus ad Reginum Ducem, & S. Bernardus ſermone ad milites templi. *Quartò.* Denique in militares iſtas narrationes conuenit etiam illud Apoſtoli 2. Timot. 3. verſ. 16. *Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad do-* D
cendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia: vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus, ad omne, inquam opus bonum, etiam bellicum, ſiue ad inuaſionem, ſiue ad defenſionem ſuſceptum bellum ſit. Vtrumque ſiquidem cum iuſtitiæ opus ſit, neceſſariò bonum eſt. Notandum *tertiò*, Apoſtolicam eſſe traditionem de libris his, vel illis in Eccleſia coram populo Legendis. *Quartò.* De cauſa, quam affert, modeſtè ipſum loqui Origenem, dum non affirmat, ſed tantummodo ait, *opinor.* *Quintò.* Cauſam illam, primam, quaſi ſolam, ab E
eo propoſitam, vel quòd *præcipuam* putarit, vel etiam *ſolam*, non ſimpliciter, ſed reſpectu communis Chriſtianorum vulgi, vt dum in Eccleſia recitari (recitationem enim iſtiuſmodi *Eccleſiaſticam* clarè nominat) audit plebs, in promptu ſtatim habeat, quod vtiliter quoad omnem vitæ ſtatum, locum & tempus omne, cogitet: videlicet, vt ſpiritualiter contra ſpiritalia nequitiæ præliari diſcat. Hæc enim prælia, & ab omnibus & vbique & ſemper, quoad viuitur, pręlianda ſunt. A tentatione diabolica noſtrum nemo immunis: Locus nullus adeo vel ſplen- F
didus, vel ſanctus, vbi vel palam non inuadent, vel inſidientur dęmon & caro: Nullus aut feſtus, aut operoſus dies, nulla vel adoleſcentia, vel ſenectus, nulla vel ſanitatis, vel morbi hora periculorum iſtorum ſecura eſt. Maxima igitur iſta, & quodammodo ſola ratio eſt, omni hominum generi, quantumuis rudi, ac ſimplici poteſt bellorum iſtorum hiſtoria eſſe quàm vtiliſſima. Ideoque & hęc paululùm iam explicanda.

Quatuor igitur generatim, quæ ad bellorum animi ſimilitudinem traducantur, *notanda* ſunt: quinam ſcilicet hoſtes, quibuſcum bellandum, quæ bellorum cauſa, quis Dux, quis modus.

Primò. Hoſtes complures ſunt: vniuersè tamen dicuntur *Chananæi.* Chanaan verò *primò* mercatorem ſignificat Hoſeæ 12. verſu 7. Zach. 14. 21. Prouerb. 31. 24. Iob 40. 24. Iſa. 23. 8. & ſecundum Thargum & Rabbi Dauid in Radicibus, Geneſ. 38. verſu 2. vbi noſter Hebræum retinet *Chananæum.* *Secundò.* Significare poteſt *affligentem & humiliantem.* Nam כנע eſt humiliare. Vnde verbum Germanicum *fnien* & Græcum γόνυ. *Tertiò.* Secundum quoſdam ab כנע ſignificare poteſt, *ſic*, id-eſt, aptè, *reſpondentem*, vel *affligentem.* Dæmon mercator eſt, qui ſibi, vnius pomi fruſtulo, humanum totum genus in paradiſo comparauit, hodieque blando quodam voluptatum, & eorum, quæ animo, vel immoderatâ libidine concupiſcenti, vel nimio metu ac trepidatione horreſcenti, vel atrociore irâ efferueſcēti allubeſcunt, precio coëmit. Hinc enim Chriſto Domino *emendi* ac *redimendi* verba in ſcripturis attributa toties. Poteſt dici *ſic*, id-eſt apte *reſpondere*, quando ad hominis arbitrium, conceſſa & bona ſua det omnia. Dicit hominis cupiditas. Licetne per fas & nefas opes coaceruare? Reſpondet ille, Licet. Vellem præ omnibus magni fieri, honore affici, laudibus affici, gloria illuſtrari. Et hoc præclarum. Vellem vetita veſci arbore, niſi moriendum eſſet. Ah veſcere, bono ſis animo. Nequaquam morieris. Optarem variarum rerum ſcietiâ eminere, ſicque omnibus eſſe admirabilis. Ego vero, mihi ſi auſcultas, faxo, vt ſis ſicut Deus, ſciens bonum & malum. Sic in prauis animorum vitioſitatibus aliis omnibus. *Sic* etiam, id eſt apte ac bene *affligit*, interdum quidem calamitatum immiſſu. Verbi cauſa paupertatis, inediæ, vilitatis, ægritudinis, & ſimilium, vt in Iob factum: interdum vero triſtitia, & mœrore animos conficiendo, anxiis cogitationibus aſſidue lancinando, & ad impatientiam, murmurationem extremamque deſperationē ſolicitando. Quod ſingulariter dixi, hoc ad carnis, mundi, dæmoniorumque omnium multitudinem transferendum. Hi enim ſunt Chananæi, quibuſcum perpetua nobis ἄσπονδα, & pluſquam internecina bella. hæ ſunt gentes, quæ hæreditatem à Deo nobis prouiſam quærentibus, omnium maxime & ſemper infeſtiſſimis armis & animis reluctantur, quæ in Chananæam iam olim per verum Noë, id-eſt, veræ quietis largitorem, execrationi datæ ac maledictæ Geneſ. 9. verſ. 25. Vocantur etiam quandoque hi populi *Amorrhæi*, vt Geneſ. 15. verſ. 16. ſed rariùs. Interim tamen, quid *Amorrhæorum* iſtorum nomen ſignificat, niſi aut, loquaces ab אמר aut à מרה *rebelles*, & *apoſtatas*? Quo nomine in eandem dæmonum nationem, quæ à Deo tam turpiter defecit perpetuam ei rebellionem, & apoſtaſiam in hominibus aſsidue molitur, loquacitate immenſa vbique perſtrepit, quid aptius?

Digitized by Google

Secundò. *Cauſa belli huius triplex* antea indicata eſt. *Prima.* Vt peccata, quæ iſti Chananæi & Amorrhæi admiſerunt, puniantur. Nulla verò iam à nobis pœna poteſt inferri *dæmonibus* acerbior, quam ſi eorum voluntati nunquam obſequamur, eos perpetuo confutemus, contemnamus, calcemus & conſpuamus. Sic & *mundo* huic eſſe nihil poteſt moleſtiùs, quam ſi vilipendatur ac deſeratur: Nihil ingratius *carni* & aſperius, quam ſi à recta ratione compedes ei, & vincula iniiciantur, frænetur eius libido, comprimatur petulantia, dometur feritas. *Secunda.* Vt maiorum recuperetur auita poſſeſſio. In paradiſo erãt illi loco fertiliſſimo, ſaluberrimo, amœniſſimo. Exinde ipſos vi ac iniuriâ expulerunt ac deturbarunt Chananæi. Nos eo redeamus, & quod amiſſum, vel ereptum eſt, vindicemus. *Hæc figura in nobis*, ait apud Caſſianum cap. 24. coll. 5. Serapion, *certiſſima ratione cognoſcitur. Nam voluntas Domini poſſeſſionem cordis noſtri non vitiis ſed virtutibus naturaliter deputauit. Quæ poſt præuaricationem Adæ inſoleſcentibus vitiis, id-eſt populis Chananæis, à propria regione depulſa, cum ei rurſum per Dei gratiam diligentia noſtra ac labore fuerint reſtitutæ, non tam alienas occupaſſe terras, quam proprias credendæ ſunt recepiſſe.* *Tertia* & maxima, cæterarumq; omnium princeps cauſa, quia iubet Deus. Percurre ſcriptores omnes, ad ſacrum iſtud bellum ſemper hortantur Iob 7. verſ. 1. 2. Timoth. 2. verſ. 3. 2. Pet. 5. verſ. 9. Claſſicum canit. 2. epiſt. 4. verſ. 2. magnus ille Tubicen S. Petrus. Armamentarium aperit, panopliamque tradit 2. Corinth. 10. verſ. 4. Epheſ. 6. verſ. 11. & 13. S. Paulus. *Mihi*, ait homilia citata Origenes, *videtur eſſe infinitus, quidam numerus contrariarum virtutum, pro eo quod per ſingulos penè homines ſunt ſpiritus aliqui diuerſa in iis peccatorum genera molientes. Verbi cauſa eſt aliquis fornicationis ſpiritus, eſt iræ ſpiritus alius: eſt auaritiæ ſpiritus, alius vero ſuperbiæ. Et ſi eueniat eſſe aliquem hominem, qui his omnibus malis, aut etiam pluribus agitetur, omnes hos, vel etiam plures in ſe habere inimicos putandus eſt ſpiritus. Vnde & per ſingulos plures eſſe credendi ſunt, quia non ſingula ſinguli homines habent vitia, ſed peccata committunt, ſed plura ab vnoquoque videntur admitti. Et iterum non eſt putandum quod vnus fornicationis ſpiritus ſeducat eum, qui (verbi gratia) in Britanniis fornicatur, & illum, qui in India, & in aliis locis, neque vnum eſſe iræ ſpiritum, qui diuerſis in locis diuerſos homines agitet: ſed puto magis principem quidem fornicationis ſpiritum vnum eſſe, innumeros verò eſſe, qui in hoc ei officio pareant, & per ſingulos quoſque homines diuerſi ſpiritus ſub eo principe militantes, ad huiuſcemodi eos peccata ſollicitent. Similiter & iracundiæ ſpiritum principem vnum eſſe arbitror, innumeros vero eſſe ſub ipſo agentes, qui per ſingulos quoſque homines vitij peccata ſuccendant. Similiter & auaritiæ vnum eſſe principem, ſic & ſuperbiæ, & cæterorum malorum. Et ideo non vnus principatus dicitur in contrariis virtutibus ab Apoſtolo, ſed plures, aduerſum quos pugnam ſibi eſſe, & nobis omnibus ſcribit. Tamen, reor, omnium principem velut eminentiorem quendam in nequitia, & in ſcelere celſiorem, qui totum mundum, quem iſti ad peccata ſinguli quique per peccatorum ſpecies pro parte ſollicitant, ſolus velut omnium principum Dux, & totius nefandæ militiæ magiſter, exagitet.* Multa etiam idem in hunc lib. homil. 12. & 14. Origenes, & Collat. 5. à cap. 16. Caſsianus, de quibus alibi.

Tertio. Dux & Imperator in omni bello neceſſarius maximè. *Militaris* enim, vt lib. 10. Curtius, & lib. 5. Quintilianus dixerunt, *Sine Duce, turba, quid niſi abſque ſpiritu corpus, abſque gubernatore vllo remiges?* Et ille quidem non quilibet eſſe debet, ſed vir præſtans, & bellicoſus, quia, vti cenſuit lib. 2. cap. 18. Florus; *tanti eſt exercitus quanti Imperator:* & ex magni bellatoris mente; *melior damarum exercitus Leone Duce, quam Leonum dama duce.* Vt ſit autem præſtans & bellicoſus, requirunt in eo bellicæ rei magiſtri *quin que* hęc. *Primum*, militiæ ipſius, quoad caſus omnes ambiguos & ſecundos, vſum ac peritiam. *Secundò.* Corporis animique virtutem, ſed huius magis, de ſe apud ſuos effari, vt poſsit illud è Liuij libro 7. *Facta, non dicta mea vos milites, ſequi volo, nec diſciplinam modo, ſed exemplum etiam à me petere. Dux*, ait regula ſecunda Ferrandus *eſt, quia ducit. ita vt in eo tanquam ſpeculo videant milites, quam ſequantur fidem, abſtinentiam, continentiam, probitatem, innocentiam, laborumque patientiam. Quanta*, inquit Maniliana Tullij, *innocentia debent eſſe Imperatores? quanta humilitate?* Falſa prorſus & Philoſopho indigna illa libro 4. de beneficiis capite 37. Senecæ vox: *Non poteſt quiſquam eodem tempore, & bonum virum, & bonum ducem agere. Tertiò.* Prouidentiam, vt nihil agat præpropere ac ferociter: in nullum neque ſe, neque ſuos periculum temerè, ac variè coniiciat. Nam verè apud Plutarchum, dixit, neſcio quis; *In bello non eſt bis peccare. Quartò.* Felicitatem, quæ conſilij ferè, ac rationis comes, ſed ita vt à Deo pendere certò ſtatuatur: ab eoque in omni vel aggreſſu, vel defenſu petatur. *Illam enim*, vt eodem ait loco Tullius, *præſtare à ſeipſo nemo poteſt. Quintò.* Auctoritatem. *Vehementer enim*, ait idem Orator, *pertinent ad bella adminiſtranda, quid hoſtes, quid ſocij de Imperatoribus exiſtiment.* Hæc autem omnia, in quo vnquam conglobatiùs, pleniùs, atq; perfectiùs fuerunt, quam in eo, quem Ioſue ſignificauit; Domino ac Saluatore noſtro IESV CHRISTO? Quis eo, rerum omnium, quæ ad ſuos milites, ad hoſtes, ad totum denique illum pertinent, ſcientior? Nonne & ipſe in caſtris à puero verſatus? in acie cum hoſtibus crebrò congreſſus? Nonne omnium virtutum in eo numeri, & citra hyperbolem vllam, abſolutiſsimè, abſolutiſsimi? Nonne ita caſuum omnium prouidus, & omnem ſemper temeritatem, audaciam, & quæ ad periculorum incerta, tumidas, ac temerarias mentes crebertimè impellit; vanæ gloriæ cupiditatem in ſe ac ſuis ſemper oderit, damnarit ac reſecuerit? In eius verò manu, nonne ipſa felicitas? Nonne victor ſemper, victus nunquam? Atque hinc veluti è fonte, tanta, quantam confitentur gentes, linguæque omnes, eius gloria & auctoritas. Ad eius nomen horrent & contremiſcunt hoſtes: eius verò eriguntur, & vigore neſcio quo afflantur milites, vti libro 1. capite 2. monſtratum. Hic igitur contra Chananæas ex imo Acheronte gentes omnes Dux Imperator noſter: in hunc nobis aſsiduè intuendum: hic impigrè, ac nauiter nobis ſemper ſequendus.

Quando manu ſua pila gerens præcedit anhelus. gerens, inquam, & baiulans ſuæ crucis ligna,

—! & monſtrat tolerare labores.

Non iubet. Sic infra capite 8. verſu 10. Ioſue. *Aſcendit eum ſenioribus, in fronte exercitus.* CHRISTO, ait ſanctus Petrus 1. Epiſtola c. 4. verſu 1. *paſſo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* Et Sanctus Paulus Hebrææ 12. verſu 1. *Deponentes omne pondus, & circunſtans nos peccatum, curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in auctorem fidei & conſummatorem* IESVM, *qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contempta.* De quo Sanctus Chryſoſtomus homilia 13. Philip. *Nihil*, ait, *æque diſſentaneum eſt, alienumque à Christiano, ac requietem, & otium quærere: Nihil æque à perfectione noſtra, & militia, cui nomen dedimus, alienum, ac præſenti vita defixum eſſe. Dominus tuus in crucem actus eſt, & tu requietem quæris? Dominus tuus clauis confixus eſt, & tu deliciaris? Haccine militis generoſi?* Et Sanctus Auguſtinus in Pſalm. 26. & 29. & Concione prima in Pſalm. 30. Origenes homilia in hunc librum duodecima. Vbi eorum, quæ de Duce noſtro, belli cauſis & hoſtibus dixi quædam veluti ſumma eſt. *Si*, ait, *ea quæ per Moyſen de tabernaculo, vel ſacrificiis, & omni illo cultu adumbrabantur, typus & vmbra dicuntur eſſe cæleſtium, ſine dubio & bella, quæ per Ieſum geruntur, & Regum, atque hoſtium ſtrages, cæleſtium vmbra & typus eſſe, dicenda ſunt, eorum duntaxat bellorum, quæ Dominus noſter Ieſus cum ſuo exercitu, & magiſtratibus, & credentium populis, atque co-*

A *rum ducibus contra diabolum, & eius angelos præliatur. Ipſe enim eſt, qui in Paulo, & in Epheſiis pugnat, aduerſus principatus & poteſtates, & rectores tenebrarum harum, aduerſus ſpiritalia nequitiæ in cæleſtibus. Et vide, ingrate hæretice, quomodo ex integro veteribus noua concordant. Promiſſum eſt veteribus regnum terræ ſanctæ, terræ fluentis lac & mel, quæ terra tunc à peccatoribus, & peſſimis incolis, ac regibus tenebatur. Venit in iſtam terram Ieſus cum exercitu Domini, & Iſraeliticis ducibus: expugnat omnes: interimit: obtinet: & ob victoriæ meritum, accipit eorum regna quos vicit. Tibi per*

B *Euangelia non promittuntur regna terræ, ſed promittuntur regna cælorum. Sed hæc regna non ſunt vacua, nec inania: habent habitatores ſuos peccatores, & nequam ſpiritus, Angelos refugas. Ibi habitant illi, aduerſum quos te Apoſtolica perſonans tuba Paulus cohortatur ad prælium. Et ſicut ibi dicebat Ieſus, quia bellum erit vobis aduerſum Amorrhæos, & Phereſæos, & Euæos, & Iebuſæos: ſimiliter tibi etiam hic Paulus denunciat dicens: Non erit nobis pugna aduerſus carnem & ſanguinem: id eſt, non ſic pugnabimus, ſicuti pugnauerunt Antiqui, nec in terris nobis aduerſus homines habenda ſunt prælia, ſed*

C *aduerſus principatus, & aduerſus poteſtates, aduerſus mundi huius rectores tenebrarum. Iam vtique intelligis in quibus locis, huiuſmodi ſint tibi mouenda certamina. Quartus modus* in variis bellis varius eſt. ideoque in ſingulis potius deinceps animaduertendus: ad quæ iam properat calamus.

2. DE IOSVANIS CONTRA CHANANÆOS BELLIS QVINQVE SINGILLATIM.

PRIMVM BELLVM HIERICHVNTINVM.

CAPVT VI.

1. IERICHO autem clauſa erat atque munita, timore filiorum Iſraël, &
nullus egredi audebat aut ingredi. 2. Dixitque Dominus ad Ioſue:
Ecce dedi in manu tua Iericho, & regem eius, omneſque fortes viros.
3. Circuite vrbem cuncti bellatores ſemel per diem: ſic facietis
ſex diebus. 4. Septimo autem die ſacerdotes tollant ſeptem buccinas, quarum vſus eſt in iubileo, & præcedant arcam fœderis: ſeptieſque circuibitis ciuitatem, & ſacerdotes clangent buccinis.
5. Cumque inſonuerit vox tubæ longior atque conciſior, & in auribus veſtris increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione maxima, & muri funditus corruent ciuitatis, ingredienturq. ſinguli per locum contra quem ſteterint.
6. Vocauit ergo Ioſue filius Nun ſacerdotes, & dixit ad eos: Tollite arcam fœderis: & ſeptem alij ſacerdotes tollant ſeptem iubileorũ buccinas, & incedant ante arcam Domini.
7. Ad populum quoque ait: Ite, & circuite ciuitatem, armati, præcedentes arcam Domini.
8. Cumque Ioſue verba finiſſet, &

ſeptem ſacerdotes ſeptem buccinis clangerent ante arcam fœderis Domini, 9. om-
niſque præcederet armatus exercitus, reliquum vulgus arcam ſequebatur, ac bucci-
nis omnia concrepabant. 10. Præceperat autem Ioſue populo, dicens: Non clama-
bitis, nec audietur vox veſtra, neque vllus ſermo ex ore veſtro egredietur: donec ve-
niat dies in quo dicã vobis, Clamate, & vociferamini. 11. Circuiuit ergo arca Domini
ciuitatem ſemel per diem, & reuerſa in caſtra, manſit ibi. 12. Igitur Ioſue de nocte
conſurgente, tulerunt ſacerdotes arcam Domini, 13. & ſeptem ex eis ſeptẽ buccinas,
quarum in iubileo vſus eſt: præcedebantq. arcam Domini ambulantes atq. clangentes:
& armatus populus ibat ante eos, vulgus autem reliquum ſequebatur arcam, & bucci-
nis perſonabat. 14. Circuieruntque ciuitatem ſecundo die ſemel, & reuerſi ſunt in
caſtra. Sic fecerunt ſex diebus. 15. Die autem ſeptimo, diluculo conſurgentes, cir-
cuierunt vrbem, ſicut diſpoſitum erat, ſepties. 16. Cumque ſeptimo circuitu clan-
gerent buccinis ſacerdotes, dixit Ioſue ad omnem Iſraël: Vociferamini, tradidit enim
vobis Dominus ciuitatem: 17. ſitque ciuitas hæc anathema: & omnia quæ in ea ſunt,
Domino. ſola Raab meretrix viuat cum vniuerſis, qui cum ea in domo ſunt: abſ-
condit enim nuncios quos direximus. 18. Vos autem cauete ne de his, quæ præce-
pta ſunt, quippiam contingatis, & ſitis præuaricationis rei, & omnia caſtra Iſraël ſub
peccato ſint atque turbentur. 19. Quidquid autem auri & argenti fuerit, & vaſo-
rum æneorum ac ferri, Domino conſecretur, repoſitum in theſauris eius. 20. Igitur
omni poulo vociferante, & clangentibus tubis, poſtquam in aures multitudinis vox
ſonituſque increpuit, muri illico corruerunt: & aſcendit vnuſquiſque per locum,
qui contra ſe erat: ceperuntque ciuitatem, 21. & interfecerunt omnia quæ erant
in ea, à viro vſque ad mulierem, ab infante vſque ad ſenem. Boues quoque & oues &
aſinos in ore gladij percuſſerunt. 22. Duobus autem viris, qui exploratores miſſi fue-
rant, dixit Ioſue: Ingredimini domum mulieris meretricis, & producite eam, & om-
nia quæ illius ſunt, ſicut illi iuramento firmaſtis. 23. Ingreſſique iuuenes, eduxerunt
Raab, & parentes eius, fratres quoque, & cunctam ſupellectilem ac cognationem il-
lius, & extra caſtra Iſraël manere fecerunt. 24. Vrbem autem, & omnia, quæ erant
in ea, ſuccenderunt; abſque auro & argento, & vaſis æneis, ac ferro, quæ in ærarium
Domini conſecrarunt. 25. Raab vero meretricem, & domum patris eius, & omnia
quæ habebat, fecit Ioſue viuere, & habitauerunt in medio Iſraël vſque in præſentem
diem, eo quod abſconderit nuncios, quos miſerat, vt explorarent Iericho. In tempo-
re illo, imprecatus eſt Ioſue, dicens: 26. Maledictus vir coram Domino, qui ſuſci-
tauerit & ædificauerit ciuitatem Iericho. In primogenito ſuo fundamenta illius iaciat,
& in nouiſſimo liberorum ponat portas eius. 27. Fuit ergo Dominus cum Ioſue, &
nomen eius vulgatum eſt in omni terra.

COMMENTARIVS.

PRimum *hoc* Hierichuntinum bellum *biſariam deſcribitur.* Primo *enim eius exitus & modus ab angelo, ipſi Ioſuæ prædicitur à verſu ſecundo vſque ad ſextum.* Deinde *ab eodem verſu ſexto primum hoc bellum geritur. Et quia in hoc capite, vt ſuperioris capitis quæſtione vltima dixi, prædictio illa tota cernitur clarius, cum hoc illam in explicatione coniungam. Sunt autem potiſſimum* quatuor *in eo conſideranda.* Primo. Vrbs, *quæ oppugnanda.* Secundo. *Ipſa* oppugnatio. Tertio. expugnatio, *vt victoria.* Quarto. caſus duo *huic aut coniuncti aut eam conſecuti. Et de primo quidem multa iam ſatis dicta cap. 2. quæſt. 4. vnam tamen hic traditur, vi, quod ad præſentem belli ſtatum ſpectat. à quo prima iam auſpicanda quæſtio.*

QVAESTIVNCVLA I.

Quis ad bellum, Hierichuntis ſtatus?

I*Ericho,* inquit textus, *clauſa erat atque munita, à metu filiorum Iſrael: & nullus egredi audebat, aut ingredi.* Quibus in verbis notanda tria. *Primum,* pro *clauſa & munita*, in Hebræo duo eſſe participia, quorum vnum actiuum, paſſiuum alterum, ſic: *Iericho erat claudens & clauſa.* Sed quid hoc? Aiunt quidam eſſe metonymiam hoc ſenſu. Hierichuntini ciues vrbem occlu-
B ſerant, & occluſam tenebant. Sed ſane poſterius à priori parum aut nihil potius, illo modo
A differret: fieretque vtrumque actiuum, & fruſtra tropus conſtituitur, vbi commode poteſt verborum ſeruari proprietas. Denique vt eſſet expoſitio probabilis, pro textu tamen ab Iunio & Tremellio Interpretibus venditari non debuit. Maſius vero interpretatur, eam ita ſuos ciues ac defenſores clauſiſſe, vt egredi omnino nullus poſſet: ita vero aduerſus hoſtes clauſam fuiſſe, vt ingredi nullus item poſſet. Conuenit expoſitio non inconcinne cum extremo textus membro, verborumq. Hebræorũ recte vim explicat. Putauit etiam non nemo, *claudentem* vocari quod ſeipſam portis, acribuſque vi-
B giliis & cuſtodiis ſepſiſſet: *clauſam* vero, quod ab Iſraëlitis obſeſſa eſſet. Nam vt ſupra dictum

eſt.

eſt, aberant ab ea decem tantum ſtadiis horum A caſtra: & qui obſeſſi ſunt, *clauſi* ſolent vocari, vt apud Vegetium lib. 4. c. 12. *Si à fidentibus*, ait, *ſiue militaribus viris repellatur prima congreſſio, ſtatim clauſis creſcit audacia.* Et in noſtro textu 4. Reg. 25. v. 2. *clauſa eſt ciuitas*, vbi Hebraice, *venit in obſidionem.* Sed ab Iſraëlitis proprie non erat concluſa vrbs, quia non circumſeſſa erat, & Ierichuntinis, ſi libuiſſet, patebat Occidẽtem verſus, & Meridiem, exitus: ſatiſque procul adhuc erant illorum caſtra. Ideoque potius, quid ipſa per ſe vrbs aduerſus hoſtes faceret, quoue mo- B do ſeſe haberet, deſcribi, videtur. ita vt primum participium, *claudens*, ſignificet, quid iam nunc illa faceret. Vidimus enim c. 2. eius ad veſperum vſque portas patuiſſe. Nunc verò eas ſemper, noctu & interdiu claudit. Deinde ipſa iam olim, & multo maxime nunc, *clauſa* erat, magna ſcilicet murorum firmitate, & propugnaculorum varietate, foſſarum altitudine, militum ac defenſorum multitudine ac robore, cum in ea ſe Rex contineret, totuſque vicini agri populus in eam ſeſe quaſi in arcem tutiſſimam recepiſſet. Atq; hanc firmiſſimam claudendi ratio- C nem indicat participium Hebræum, quod in *Piel* eſt coniugatione ſcilicet, quæ *fortis* appellatur. Ideóq; vertit noſter *munitam*, ſequutus ſcilicet 70. apud quos eſt Ἱεριχὼ συγκεκλεισμένη ἦν, καὶ ὠχυρωμένη. Nam vrbium munitiones & ὀχυρώματα ſunt muri, turres, foſſæ, aggeres, multi aut ſaltem ſtrenui defenſores. prout lib. citato à c. 1. perſequitur Vegetius. Thargum vero Chaldaicus, *Erat*, ait, *Hiericho forib. occluſa ferreis, & aheneis obſecrata vectibus.* Nec vero dubitandum, quin quæ ad cæteram defenſionem pertinent, adfuerint cumulatiſſime cætera omnia, frumentum, D aqua, ſal, acetum, pix, incendiarium oleum, armaq; omnis generis. In agro enim optimo ſita erat Iericho, vt expoſitum ca. 2. q. 4. & auro, ferroq; ipſam abundaſſe audiemus poſtea. Quid, quod regia etiam vrbs? Tam vero munitam tradiderunt nonnulli, vt ſeptemplici fuiſſe muro circumdatam crediderit S. Ephrem. Nam tom. 3. oratione de peccatrice muliere, *Adiuro te*, ait, *per virtutem ſanctam, quæ, in ictu oculi, ſeptem effregit muros ciuitatis Hiericho.* Sed nihil eiuſmodi tradit contextus, nihil Ioſephus, nihil alij, quos norim, vlli. Licet vero Ioſephus, & 70. v. 5. & E 20. ac noſter plurali *murorum* numero vtantur, non tamen ideo plures fuiſſe volunt, ſicuti ex vſitatiſſimo quotidiano ſermone patet, dum muris cinctas vrbes dicimus, quæ vnum tantummodo, eumq; quandoque non valde craſſum aut fortem habent. Et Hebræus ſingulare ſemper *muri* nomen hic poſuit. Legimus latiſſima, vaſtiſſimaque *Babylonis* mœnia apud Herodotum lib. 1. Diodorum lib. 2. Propertium lib. 3. duplices etiam *Sagunti* muros apud Liuium lib. 30. *Tyri* apud Diodorum lib. 17. *Hieroſolymæ* F 4. Reg. 25. v. 4. *Vrbium aliarum*, in quarum iam muro ruina & calamitas apud Vegetium lib. 4. c. 24. Septemplicẽ vero vrbis vel arcis alicuius murum quis audiuit? Cum vellet Æneid. 6. clauſiſſimum ſignificare Poëta ſtygium carcerem, nõ amplius tamen dixit, quam, *Mœnia lata videt triplici circumdata muro.* Mihi videtur ex eo tãtum ducta leuis coniectura, quod ſeptem diebus, & die ſeptimo ſepties circumiuerint Iſraëlitæ, vt poſtea dicitur: vel *ſeptem muros* dixiſſe pro firmiſſimis: eo modo, quo ſeptenarius numerus quandoque pro *multò* ſumitur in ſcripturis, vt 1. Reg. c. 2. noto.

Alterum notandum, timorem filiorum Iſraël, in 70. eſſe omiſſum: quia ſcilicet è textu excidit, vel quia è præſenti periculo facile intelligitur. Quæ etiam cauſa mouit Interpretem, vt ſic verteret, quod in Hebræo eſt, *à facie filiorum Iſrael.* quod etiam imitari Nouatores Iunius & Tremellius vertunt, *metu filiorum Iſraelis.*

Tertium, cum dicitur, *egredi vel ingredi nullum potuiſſe*, non id ſignificatur modo, vrbis portas clauſas fuiſſe: ſed acres etiam vbique cuſtodias & excubias collocatas, vt neque palam, neque clam, neque ad præliandum, neque ad fugiendum, aut colloquendum, & paciſcendum intrare vlli vel exire liceret. Vnde Chaldæus Thargum, *non erat qui exiret ex ea ad pugnandum, neque qui introiret ad paciſcendum de pace, ſiue ad rogandum pacem.* Quia vero propter filios Iſrael, fiebant hæc omnia, vſus eſt Interpres noſter *audendi* verbi, *Nullus egredi audebat aut ingredi.*

QVÆSTIO VII.

Quæ Hierichuntis oppugnandæ ratio?

INaudita prorſus fuit vrbis huius oppugnatio. Sed ab eo ipſo, per Angelum ſuum verſ. 2. 3. 4. & 5. præſcripta, qui facit mirabilia ſolus. *Primò.* è Galgalis non ſunt ad vrbem admota caſtra propius, licet putarint nonnulli ſecus: cum tamen promotionis huius nullum neque veſtigium, neque cauſa ſit. *Deinde.* fuit ſeptem diebus è caſtris quotidie ad vrbem proxime accedendum, eouſque ſcilicet, vbi à iaculis & miſſilib. quæ iaculari è muris potuiſſent hoſtes, tuti eſſent. *Tertiò.* iiſdem ſeptem diebus vrbem totam circumcirca obierunt Iſraëlitæ, & ſua in caſtra redierunt v. 11. *Quartò.* ſeruatus hic fuit ordo, vt primo loco armatorum agmen incederet: ſecundo ſeptem ſacerdotes tubis ſeptem clangẽtes: tertio arca ipſa ſacerdotum aliorum lata humeris: *Quartò.* multitudo reliqua verſ. 9. & 13. *Quinto.* modus hic adhibitus eſt. *Primò.* Vt ſex prioribus diebus ſemel tantum vrbem circumirent illi: die autem ſeptimo ſepties. *Deinde.* Iiſdem ſex diebus prioribus ſummum ab omnibus ſilentium ſeruaretur, præterquam à ſeptem illis ſacerdotibus, qui tubarum edere clangorem debebant v. 10. Idem & in ſeptimi diei circuitionibus omnibus tenendum fuit accuratiſſime: ſed iis perfectis, ſtatim & ab omnib. contentiſſime clamatum eſt v. 5. & 16. *Tertiò.* Status autem & clamor iſte non ſtatim cuiuſlibet arbitratu fieri debuit, ſed cum certũ ab Imperatore ſignum daretur v. 5. 10. 16. *Sextò.* circuitionũ omnium tempus fuit antemeridianum, ſeu matutinũ v. 12. Quis talẽ vnquam vrbis vllius, vel minimi etiam caſtelli oppugnationem vidit, legit, audiuit? *Hierichuntem*, ait S. Chryſoſtomus homil. 23. in Epheſiam, *Iſraëlitæ choreas agentium more potius quam bellantium, euerterunt:* Seu vt in Græco elegantius eſt, τῶν χορευόντων μᾶλλον, ἢ τῶν πολεμούντων τὸ σχῆμα ἔχοντες ἐπεσπάσαντο.

Digitized by Google

Sed horum quædam paululum adhuc diſcutienda.

QVÆSTIO III.

In primo Hierichuntem circumeuntium Ordine, qui?

E Iudæorum Rabbinis, Raſchi, & è noſtris, hunc ſequuti Lyranus, & Vatablus dicunt, in ordine primo è tribus tantum tribubus, *Ruben Gad & Manaſſe* illos fuiſſe bellatores, qui cum Ioſue Iordanem tranſierant, de quibus dictum c. 1. Sed vnde hoc extundat ille, in textu cōparet nihil. imo clare v. 3. Angelus: *circuite*, ait, *vrbem cuncti bellatores.* An in ſolis illis tribubus erant *bellatores*? nonne & quidem multo plures in aliis? Ex omnibus igitur tribubus omnes, qui ferendis armis eſſent idonei, affuiſſe, primumq; ordinis locum tenuiſſe arbitror. niſi ſi qui fortaſſe, caſtris & impedimentis tuendis, abeſſe deberent. Sic enim poſſent cuncti bellatores dici adfuiſſe, non quidem ſinguli, ſed ſingulorum genera, id-eſt, è tribubus omnibus aliqui: aut potius *omnes* & ſingulos è tribubus omnib. hic fuiſſe dicendum. *Primò.* quia non vſitato bellorum more vrbem hanc oppugnari volebat Dominus, ſed, vti iam audiuimus q. 2. mirabiliter, & pænè ludendo, bellicamq; artem omnem negligēdo: vt minus videri mirum debeat, ſi caſtra nuda & indefenſa relinqui iuſſa ſint, ex iiſque bellatores omnes ad amburbalia iſta cōfluxerint. *Secundò.* Potuit facile Deus facere, quod Exo. 34. v. 24. iiſdem Iſraëlitis promiſit, cum Hieroſolymam religionis ergo ſeſe quotannis ter conferrent. *Nullus*, ait, *inſidiabitur terræ tuæ, aſcendente te, & apparente in conſpectu Domini Dei tui ter in anno. Tertiò.* ſic verborum proprietas nihil omnino violatur, ſicq; Abulenſis etiam pronunciauit ante q. 3. Cæterum S. Ephrem. in 40. Martyrum oratione, mētionem 40. milium facit. Sed quid ea ſibi velint, quæretur poſtea. In his autem proximè ante ſeptem ſacerdotes tubis clangentes Ducem ipſum Ioſue colloco.

QVÆSTIO IV.

Septem ſacerdotum tubæ cuiuſmodi fuerint?

TVbarum genera varie diſtingui ſolent. *Primo. ratione formæ.* Sunt enim aut rectæ, aut incuruæ, inflexæque. Itaque, *lituus*, inquit Feſtus, *eſt genus buccinæ incuruæ, quo qui cecinerit, dicitur liticem.* Ouid. *Non tuba directi, non æris cornua flexi.* Et Iuuenalis: *Cornicini, ſiue hic recto cantauerat, ære. Secundò. ratione materiæ.* Vel enim ex cornu, vel ex metallo aliquo verbi cauſa argento, ære, vel ex vtroq;. Primi generis olim plurima fuerunt ſiue boum ea eſſent cornua, vt apud Diodorum κέρασι βοείοις ἐμβυκανῶν, ſiue arietum, vti Ioſeph l. 5. c. 8. Gedeonis milites habuiſſe ait in manibus κριῶν κέρας, ſiue aliorum animalium, vt ex Vegetio dicam paulo poſt. Et hæc ſæpiſſimè *cornua* ſimpliciter, à quibus & *cornicines*, dicta ſunt, & *buccinæ* à quibus *buccinare* & *buccinator. Cornua*, inquit Varro, *quæ nunc fiunt ex ære, tunc, fiebāt ex bubulo cornu. Nūc intra muros paſtoris buccina lenti cantat.* inquit Propertius. Et horum adhuc vſus non in pecore tantum calando, ſed in nocturnis etiam apud pleraſque Germaniæ vrbes, & arces excubiis, horiſque indicandis. *Ad ſecundum* genus ſpectant, quæ in ſcripturis vocantur *ductiles* Num. 10. v. 2. Pſ. 97. de quibus pulchra in eundem Pſalm. D. Auguſtin. & in Pſal. 32. Spectant eodem *æneatores* & *argenteæ buccinæ*, quas l. 3. c. 11. à Moyſe inuentas ait Ioſephus, & vocari ἀσώσρα Hebraice pro chathotſerah חצצרה Num. 10. vbi res eadem traditur verſ. 2. 6. 9. & ſequentibus. Sed quæ ex forma & materia iſtarum deſcriptio apud eundem Ioſephum ibidem legitur, ſic habet: Βυκάνη μῆκος μὲν ἔχει πηχυαῖον ὀλίγῳ λεῖπον. στενὴ δὲ σύριγξ αὐλοῦ βραχὺ παχυτέρα· παρέχουσα δὲ εὖρος ἀρκοῦν ἐπὶ τῷ στόματι, πρὸς ὑποδοχὴν πνεύματος εἰς κώδωνα ταῖς σάλπιγξι παραπλησίως τελεῦν. Ad 3. facit ille Propertij verſus. *Et ſtruxit querulas rauca per oſſa tubas.* Nam apud Artemidorum lib. 1. cap. 58. ex ære ac oſſe compoſita tuba eſt, & apud Vegetium l. 3. c. 5. cornu ex vris agreſtibus argento nectitur. *Tertio ratione vſus*: aliæ τῆς συλλογῆς ἢ ἀνακλήσεως ἢ παρακλήσεως, aliæ τῆς ἀφόσεως. id-eſt, aliæ *conuocantes* ſiue *claſſicum canentes*, aliæ *diſceſſum ſignificantes.* Nam *buccina cogebat priſcos ad verba Quirites*, apud Propertium: *& ſonuit reflexo claſſicum cornu*, apud Senecam Oedipo. & vtrumque vſum ſcriptum habes Numer. 10. & apud Ioſephum loco citato. Nam quando tubis duabus clangebatur, tota conuocabatur ad tabernaculi oſtium multitudo: quando vna tantum, ſoli principes. Et ſic ex Hebræo, & 70. itemque Ioſepho lib. 3. cap. 11. accipiendum, quod illic ait noſter Interpres verſu 3. *increpare tubis*, & verſu 4. *ſemel clangere.* Rurſum aliæ ſunt *bellicæ*, de quib. Numer. 10. verſu 9. 1. Corinth. 14. verſu 8. aliæ *funebres*, de quibus Hyginus fabula 274. Propertius, Perſius, Tertullianus de corona militis. aliæ *oſtent abundæ & hypocritæ*, de quibus CHRISTVS Dominus Matthæi 6. verſu 2. Iterumque aliæ *prophanæ*, aliæ *ſacræ* apud Gentiles, de quibus ita Varro: *Tubiluſtrum appellatum quod eo die, ſacrorum tubæ luſtrantur*: Feſtus. *Armiluſtrum, feſtum, quo res diuinas armati faciebant, ac dum ſacrificant, tubis canebant.* Calpurnius in Eclogis. *Inter ſacra tubas, non inter bella ſonare.* Sic & loco citato Artemidorus. Apud Iudæos verò dum offerrentur holocauſta & ſacrificia, præſertim Euchariſtica Num. 10. v. 10. vel *ordinarie*, vt in ſolemnitatibus Deuteronom. 16. verſu 11. & 14. in Neomeniis Nehemiæ 8. 10. Iſaiæ 66. 23. vel *extraordinarie* Pſalm. 47. 117. 1. Machab. 4. 59. in Salomonici templi dedicatione 2. Paralipom. 5. verſu 12. & 13. cap. 7. verſu 6. in Ezechiana diuini cultus reſtauratione, libro eodem cap. 29. verſu 27. in arcæ deductione, hoc ipſo Ioſuæ cap. 6. & 1. Paralip. 13. verſu 8. cap. 15. verſu 14. Imo *Neomenias*, tubarum clangore indici ſolitas docet lib. de decem verbis Philo ſic. Τὴν ἱερομηνίαν σάλπιγξιν ὑποσημαίνων.

Quod de primo etiam *Tiſri* menſis die, qui Leuit. 23. *memoriale vociferationis* in Hebræo, in 70. *memoriale*, ſeu *feſtum tubarum* vocatur, tradi ſolet, & de *Iobelæo* anno perſpicuum præceptū eſt Leuitici 25. verſu 9. vbi Hebraice ſemel dicitur, *Tranſire facietis tubam vociferationis in menſe*-

ſe ſeptimo: Iterumque. *In decimo menſis, in die bak-* A
kippurim ſiue *propitiationis tranſire facietis tubam in*
omni terra veſtra. *Quartò. ratione hominum, qui tubas*
ipſas inflant. & ſic aut ſunt *ſeruorum* aut *liberorum*,
apud Artemidorum loco citato & Dionem lib.
57. rurſumque vel *prophanorum*, vel *ſacrorum* ho-
minum, verbi cauſa ſacerdotum. & ſic à Suida
σάλπιγξ ἱερατικὸν ὄργανον vocatur. Sic ab Euſtathio
Iliad. 10. eorum, qui vel eas inuenerunt vel vſi-
tarunt, ratione, dicitur tuba Minerualis, Ægy-
ptia, Gallica, Paphlagonica, Medica, Tyrrheni-
ca: iiſque iſtiuſmodi genera poſſent adiungi: vt
Moſaica tuba, ſi Ioſepho fides l. 3. c. 11. vti ſupra vi- B
ſum: & Romana, Græcanica, Germanica, aliæ.
Quintò. ratione ſoni, qui aut *lætus*, aut *triſtis* eſt:
æquabilis, aut *varius*, *infractus*, & *conciſus*. & ille
apud Hebræos dicitur ſimpliciter *theka*, quaſi
diceres fixum minimeque variatum ſonum.
Nam תקע figere ſignificat. Iſte vero fractus ſo-
nus *therouah*, Oleaſtro in Leuit. 25. & Maſio f.
104. *fragor*. Nam תרע ſicuti voce, ita & ſignifica-
tione affinitatem quandam habet cum verbo
רעע quod eſt frangere, in Chaldaica lingua vſi-
tatiſſimum, vt Deuteron. 28. 33. quæ id ex He-
bræo רעא facit, dum more ſuo pro ע ponit א. C
Eundem varium confractumq; ſonum vocant
70. Numer. 10. *σημασίαν*: alterum vero conſtan-
tem *ἀσημασίαν*: Noſter vero interpres illum ver-
tit ibidem *prolixum* atque *conciſum* verſu 5. & *vlu-*
latum verſu 6. ſed poſteriorem verſu 1. *ſimplicem*
clangorem & non conciſe vlulantem. Dico igitur.

1. Haſce ſeptem ſacerdotum tubas fuiſſe *ex*
earum genere, quarum vſus erat in annorum iubilæorum
indictione, vt ſupra dictum eſt ex Leuit. 25. verſ. 9.
Nam hic in Hebraico v. 4. 5. c. 13. appellantur
tubæ haiobelim: & eodem v. 4. *cornu haiobel*. de
quo iterum poſtea q. 5.

2. Fuiſſe *ſacras* primo quia in re ſacra Iubilæo
ſcilicet anno & à ſacerdotib. inflabantur. dein-
de cum in iſto capite prætermittant aliquoties
70. iſtud de Iubileo, ſemel tamen verterant *σάλ-*
πιγγας ἱερὰς v. 8.

3. Clangorem earum ſingulis diebus, & cir-
cuitionibus diſertè non explicari: ſed poſt vl-
timam circuitionem, fuiſſe ſonum *longiorem* &
conciſiorem. Sic enim vertit noſter v. 5. quod in
Hebræo v. 4. eſt, *Et erit in protrahendo in cornu io-*
bel. Sed quænam erat iſta clangoris protractio
& longitudo? Quibuſdam videtur fuiſſe poſita E
in quadam modulorum tarditate. Sic enim ver-
tunt: *Cum tractim ſonabitur*. Aliis, vt Abulenſi poſt
q. 8. 10. 11. in temporis prolixitate, quod ſine in-
termiſſione ſcil. clangeretur. & tum in circui-
tionibus aliis intermiſſionem crebro factam
apparet, fereque vnum canonis modum obſer-
uatum, vt idem ait Abulẽſis. Alij apud Maſium
f. 104. medium & quaſi mixtum ex *thecouah* &
therouah, temperatum ſonum. Placet media opi-
nio præſertim cum dixerint 70. *εὐτόνως σημαίνειν*.
Sed de *tubarum earundem materia* controuerſiola
eſt. Iſidorus *æreas* fuiſſe cenſet: Abulenſis q. 7. & F
8. *argẽteas*: Maſius, Auguſtinus Steurhus in num.
vlt. Rubera l. 5. de templo c. 24. Caietan. *corneas*.
Sed *an ex arietino, an è bubulo cornu*? Bubulum vo-
lunt Maſius, Ribera, Rutilius, Benzonius l. 1. de
Iubilæo c. 4. Arietinũ citati alij, cum quib. idem
mihi ſenſus. *Primò*. quia expreſſe v. 4. Hebraiçe

eſt קרן היובל id-eſt *cornu iobelis*. *Secundò*. quia in
quibuſdam Græcis v. c. Symmacho, & in Regiis
tollunt ſacerdotes ſeptem *τὰς κερατίνας*. Satis au-
tem notum, ab Hebræo illo, & Græcũ *κέρας* &
Latinum, *cornu*, Gallicum hodiernum *corne*, &
priſcum apud Euſtathium loco cit. *carnix*, & Sy-
riacum *καρνὰ* 1. Theſſ. 4. Germanicum *horn* pro-
fectum. Ioſephus l. 3. c. 1. ſacerdotes ait arcę præ-
greſſos *ἐπὶ δὲ κερατ*[illegible] *τῶν σαλπίζοντας*. *Tertiò*. quia
tubas è cornu arietum hic. v. 6. vertit Chaldæus Pa-
raphraſtes. Nam ab Heb. דכר facit Exo. 29. Leu.
15. & hic nomen דכר & דכרא pro איל i. e. ariete.
Quartò. ſic ſentiunt Rabbini penè omnes 5. Eo-
dem modo Pſ. 97. *In voce tubæ corneæ*. *Sextò*. quia
duæ Abulenſis rationes imbecillę ſunt. 1. ſi è cor-
nu fuiſſent tubæ iſtæ, nõ eas è ſolitudine ſecum
aſportaſſent, quia precioſum in iis nihil fuiſſet,
potuiſſentq; vbiq; locorum fieri. 2. quia bellicæ
tubæ Num. 10. v. 9. ſunt argenteæ. At hæ etiam
bellicæ, quia Hierichũtina vrbs oppugnabatur.
Ad 1. potuerunt è ſolitudine aſportari, non quia
precioſæ, ſed quia ſacro vſui ſemel dicatæ, po-
tuerunt etiam non aſportari. ſed in Galgalis iam
ſubito parari. *Ad* 2. bellum quidẽ erat, ſed quod
pacis potius more gerebatur, vti ſupra q. 2. di-
ctum. *Septimò*. contra Maſium valet etiam arieti-
norum cornuum anniuerſaria conſuetudo in
Tiſri menſis principio, de quo dictum etiam
antea. Si enim vſurpari quotãnis poſſunt, quid-
ni & in Iobelęis? *Octauò*. cauſa nulla eſt, cur à ve-
terib. Iudæis non cenſeantur didiciſſe Thalmu-
dici, quonam modo, quibuſue tubis indici ſo-
lerẽt Iobelæi anni. *Nonò*. Accedit, quod eas cor-
nuum iſtorum cauſas tradunt iidem Thalmu-
dici tractatu de anni principio c. 11. & in Bereſ-
chith rabbah copioſius, quę pietatem roborant
& augẽt Chriſtianam. Nam *primò* cum per arie-
tem è præſentiſſima morte liberatus ſic Iſaac
Gen. 22. recte beneficij huius memoriam non
quotannis modo, ſed eo etiam maxime anno
repeti aiunt, quo ſeruitute vinctis nexiſq; ho-
minibus, agris & tectis libertas redditur, anno
inquam Iobelæo. *Secundò*. Per arietis cornua li-
bertatem Iſraëlitis olim dandam, eandemque
Iobelæis ſignificari docent. Quæ vero ſunt hæc
arietina cornua, niſi arietis eius qui *coram ton-*
dente ſe obmutuit? Iſa. 53. qui *peccatum mundi ſuſtulit*?
Io. 1. qui duob. crucis cornib. Satanam arietauit
& proſtrauit? *Decimò*. Videntur hac etiam vti ra-
tione Ribera & Benzonius, quod viliora eſſent
ea cornua, quam quæ in tanta Iobelæi ſolemni-
tate adhibenda eſſent. Sed in ſacris nõ materiæ,
ſed vſus præſtantia res commendat. vti etiam
lib. 2. de legibus notauit Tullius. *Denique* in Ma-
ſij argumento virium nihil eſt. *Arietina*, inquit,
cornua ſolida tota ſunt: *buccinam vero cauam eſſe opor-*
tet, vti inflari poſſit. Vera hæc ambo ſunt. Sed quæ
ſolida ſunt, fieri caua non poſſunt? imo, fiunt
quotidie, & facta Gedeonis tempore nobis nar-
rauit antea Ioſephus, & confirmauit feſtus tu-
barum dies. Maneat igitur tubas iſtas fuiſſe
corneas ex arietinis cornibus.

5. Atque hæc cauſa, cur *tubas* bis tantum in
iſto capite, *buccinas* quam ſæpiſſime appellet
Interpres noſter, licet enim *buccina* Græca *βυ-*
κάνη eſſe videatur, hæc verò, vt ſupra vidimus,
metallica etiã ſit, & *tubæ, litui, buccinæ*, cornuq. nõ

raro confundantur nomina, magis tamen pro- A
prie ſunt è cornu buccinæ, prout docet Sanctus Hieronymus in ca. 5. Hoſeæ, Lipſius lib. 4. de militia dialogo 10. & lib. 5. dial. 9.

QVÆSTIO V.

Quid Iobel.

PRimò quidem Septuagin[illegible], vt ſupra dixi, hanc *Iobel* vocem iſto in capite diſſimularunt: Sed Leuitic. 25. interpretantur ſæpius ἄφεσιν. iiſque Aquila & Abenezra ſubſcribunt, B
Græcique patres Theodoretus quæſt. 35. Leuitici, Nazianzenus orat. de Pentecoſte, Latinus etiam Rupertus in Ezech. lib. 2. ca. 11. in Leuit. lib. 2. cap. 41. *Atque iſta* inquit Benzonius loco citato, *videtur mihi vera deriuatio. Secundò.* Ioſephus lib. 3. cap. 10. *τὸ ἰωβῆλος ἐλευθερίαν σημαίνει τοὔνομα.* id-eſt, *libertatem ſignificat Iobelis nomen. Tertiò,* E Rabbinis Moſes Gerundenſis & Bahaia, *aditum* ſiue *acceſſum* exponunt. quia Iobelæo anno, ad libertatem, priſtinaſque poſſeſſiones patebat cuilibet reditus. *Quartò.* Paraphraſtes Chaldæus, vt eſt ſuperiore iam quęſtione notatum, C
arietem conuertit, ad eamque opinionem, tanquam ad Saxum, adhęreſcunt cæteri Iudęorum Rabbini, pręſertim Thalmudici loco eadem ſuperiore quęſtione indicato, vbi eandem vocis eiuſdem apud Arabas notionem etiam eſſe tradunt. *Quintò.* Abulenſis quęſt. 6. hic, *Iobel in Hebræo,* ait, *ſignat cornu vel tubam.* Leuit. 25. & in Ruth. quęſt. 10. ſicque in eundem Leuitici locum Raſchi, Lyranus & in Theſauro ſuo Pagninus, vbi ſic: *Iobel, id-eſt, Iubilans, & buccina è cornu arietino, eſtque Hebræis fœminini generis vt Leuit. 25. verſu 10. Iobel hæc erit vobis. Sextò.* Ma- D
ſius hoc loco, *priſcam,* ait, *vocem à primo muſicorum inuentore,* qui Geneſ. 4. verſu 21. *Iubal* vocatur, deductam: & ſignificare voces quaſque canoras illas quidem & grandes, ſed ruſticas, duras, & agreſtes, quaſique vlulantes. *Septimò,* V. Beda lib. de tabernaculo, eſſe *initium,* quod in anni principio ac limine inciperet libertas. *Octauò.* Idem Beda homilia de Pentecoſte, *Iubilans,* inquit, *mutatus appellari iuſſus eſt, quòd ſerui à captiuitate in libertatem mutarentur, &c.*

Nonò. Caietanus in Leuit. 25. *Iobel eſt terræ germen, & annus Iobel interpretatur annus germinis,* E
tanquam ferax libertatum hominum & agrorum. Decimò. Affert alias vel originationes vel ſignificantias loco citato Benzonius, ſed quę vel nimium in Hebraica lingua ineptę ſunt, vel non ſunt ex eorum, quos citat, auctorum mente. Quid enim magis ridiculum, quam quod in ſuis ad Iulium Pontificem libris tradidit Io. Baptiſta Paulianus, *Iobel* interpretari *magnum Deum*? Quid ab Euſebij in Chronicis mente alienius, quam *Iobel* ſignificare *quinquageſimum*? Quid Gregorio lib. 1. in Iob cap. 9. Bedę in homilia de Pentecoſte minus cogitatum, quam Iobelis voce ſignificari *quie-* F
tem? Dico igitur.

I. Apud Hebręos verbum eſt *iobal,* quod in ſola *hiphil* coniugatione legitur, & ſignificare aiunt Rabbini ducere, afferre, adducere: ab eoque ducunt iidem nomina quatuor. I. *Iebul,* id-eſt germen & fructus Iud. 6. verſu 4. Habac. 3. 16. Iob. 20. 28. Leuit. 26. 4. Ezech. 34. 27. Pſalm. 66. 6. Pſalm. 77. 45. Pſalm. 85. 13. Exod. 32. 22. II. *iubal,* id-eſt riuus. Iſaiæ 30. 25. ca. 44. 4. III. *Iabbeleth,* verruca, ſeu *papulæ* vti vertit noſter Leuitici 22. 22. IV. *Iobel,* propter quod omnis hæc iam ſuſcepta diſputatio. De his autem Oleaſter in Leuit. 25. ſic. *Nomina hæc à verbo illo deducta nullam conuenientiam habere videtur cum hac illius ſignificatione.* Et paulo poſt, *Nullā potui habere coniecturam ad venandū propriam ſignificationem.*

Secundò. Si tamē verbi huius in ſcripturis vſum conſideremus, videbimus, ſignificare, quidem, vti dictum eſt, *ducere, adducere,* ſed cum quadam gaudij ac lætitiæ quæ vel in eo qui ducit, vel in eo qui ducitur, vel in vtroq; ſit, emphaſi. Ier. 31. 9. vbi fauſtumq; lætumq; populo ſuo è captiuitate reditum pollicetur Dominus, cum dixiſſet. *Exultate in lætitia Iacob,* ſubiunxit, *in fletu* (qui pro gaudio ſcilicet, manare ſolet) *venient, & in miſericordia reducam eos, ſiue in deprecationibus.* Pſ. 44. v. 6. *Adducentur in lætitiis.* Pſ. 59. 11. cum dixiſſet, Dauid, *lætabor, & partibor Sichimam,* ſuiſque victorias caneret, *Quis,* ait, *deducet me* (læte ſcil. ac feliciter) *in ciuitatem munitam?* Pſ. 67. v. 29. *Tibi adducent Reges munera,* læto nimirum hilariq; animo, qui munera omnia multo facit maiora & gratiora 2. Cor. 9. v. 7. ex Græco cap. 22. Prou. Sic Pſ. 75. v. 12. Pſ. 107. v. 11. Sophoniæ 3. v. 10. Iſa. 18. 7. ſed c. 23. v. 7. *Ducent ipſi,* nimirum hoſtes victoria ſpoliiſque læti. *Tyrum* (non iam equis & curru vectum ſed) *ſuis ipſius pedibus incedentem longè ad peregrinandum.* Nam in ſimilibus intelligitur facile præpoſitio: *De* præſertim cum apud Hebræos *pedes* fœminini ſint, verbum verò *ducent* maſculinum. pro quo ſententia eadem noſter, *ducent eum pedes ſui longe ad peregrinandum.* c. 25. *Et in pace deducemini.* Oſeæ 10. v. 6. *Et ipſe ad Aſſur ducetur, vt ſit minchah* ſiue *munus Regi vltori.* ea ſcil. ducentium hilaritate, quæ paulo ante dicta eſt, & quæ in iis eſſe ſolet, qui magnam ſe aliquo munere à Rege gratiam inituros confidunt. Et hæc quidem clara ſatis omnia: ſed in quib. nullum lætitiæ vllius indicium putet aliquis, occurrunt quatuor. *I.* Iob. 10. v. 19. *Vtinam conſumptus eſſem, fuiſſem quaſi nō eſſem, de vtero translatus ad tumulum.* Hebraicè *ad ſepulchrum ducar. II.* Iob. 20. v. 30. & 32. *In diem perditionis ſeruatur malus, & ad diem furoris ducetur. Ipſe ad ſepulchra ducetur. III.* Iſaiæ 53. v. 7. *Sicut ouis ad occiſionem ducetur. IV.* Ierem. 11. v. 9. *Ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam:* Hebraicè, *qui ducetur.* Sed ſane ab iſtis non abeſt etiam lætitia. Nam *quoad I.* qui in magnis malis ſunt, mortem quaſi bonum & lætum quid exoptāt. *Multi,* ait in libri 7. procemio Plinius, *extitere, qui non naſci optimum cenſerent, aut quā ocyſsimè aboleri. Quoad II.* qui hos ad necem & carnificinam ducēt impios, magno id tripudio facient, ſiue ſint, qui ad infernum eos raptabūt, Dæmones, ſiue homines ipſorū, vel hoſtes, vel alij quicunq; ab iis oppreſſi & iniuria quapiam affecti. Tyrannorum ſiquidem ac improborum exitio ſolent exultare non pauci. *Quoad III.* CHRISTVS D. ad occiſionē non ſimpliciter ductus eſt, ſed immani cum Iudæorū lætitia, dum, quem odio tam acerbo proſequebātur, quemque ad mortem depoſcerant toties, iam cepiſſe

Digitized by Google

gaudebant, ipſiuſque à Pilato conceſſa cruce A triumphabant. Par *in IV.* ratio eſt. Nam etſi quæ iugulanda eſt ouis, dum ad macellum ducitur, videri poteſt non lætari, lætatur tamen; qui iugulaturus eſt Lanius. Apparet igitur, vna cum ductione, inſignis & pulchra hoc in verbo lætitiæ conſignificatio.

Tertiò. In ipſis autem, quæ ab eo verbo manant nominibus, poſſunt & eadem duo inueniri, *ductio* nimirum, & *adiuncta* quædam *lætitia*. Nam *primo* germina & fructus, è terra ipſa ducuntur, & homines, quæque hominum cauſa B ſunt, iumenta & pecudes lætificant. Vnde & quidam *lætas* olim *ſegetes* vocauit. *Secundò*. Riui ſimiliter è montibus, fontibus, ſcatebriſque ſuis ducuntur, & iiſdem non imparem afferant lætitiam, in Iudæa præſertim, terraque arida & ſiticuloſa. Vide quanto deſiderio & labore puteos quærat Iſaac Geneſ. 26. & quomodo vnius nomen vocet, *Latitudo*, dicens verſu 22. *Nunc dilatauit nos Dominus, & fecit creſcere ſuper terram.* Vide quid Iudic. 1. verſu 15. petat à Caleb Axa eius filia. *Tertiò*. In populis aut verrucis metaphora videtur, cuius inde ſimilitudo traducta C ſit, quod vt è terra germen, ſic, ex humano corpore ducuntur illæ, ita vt in extima emineant ſuperficie. quemadmodum & in Græco nomine alia ſpectata ſimilitudo dum achrocordones thymia, & myrmeciæ (Vnde in citato Leuitici loco apud 70. μυρμηκιῶντα) vocantur; de quibus lib. 4. cap. 15. Paulus Ægineta, Celſus lib. 5. cap. vlt. & fortaſſe initio pruritus aliquis eſt, qui iucundè quidem ſcabitur, ſed in verrucas exiſtit: vti de ſcabie Iudæorum prouerbium eſt; *lætè ac iucundè in leporem canes quinque immitti, qui ab illo tamen capto miſerè tractentur.* Hic enim *lepus* eſt D Scabiei pruritus: & *quinque* manus *digiti*, quibus ſeſe ſcabit quis, ſunt venatici illi *canes*. De *Iobel* ſequitur.

Quartò. Videtur *iobel* capi poſſe dupliciter. *Primò*, vt ſit participium verbi *iobal*, & tunc eſſet *ducens cum lætitia*. Nemo tamen id aſſerit. *Secundò*, vt ſit ſubſtantiuum, & hoc ore vno docent omnes: & ſignificare videtur *indicem lætitiæ vocem*, quæ ad lætos, vel ad læta ducit, vel è læto corde ducitur, ſiue aſſa ſit ea vox, ſiue organica. Nam in iſta ſignificatione ſeruatur, quæ hactenus expoſita eſt analogia. *Secundò*. hinc or- E tum videtur Latinorum *iubilum* de quo Silius Italicus. *Et lætis ſcopulis audiuit iubila cyclops:* etiam *iubilandi* verbum, quod Varro lib. 5. & Feſtus dicunt eſſe ruſticorum vocem: quemadmodum *quiritatus* eſt vrbanorum, quod *quiritare* ſit quirites vocare. Pulchrè Diuus Auguſtinus in Pſalm. 65. *Quid eſt, Iubilate? In vocem erumpite gaudiorum, ſi non poteſtis verborum. Non enim verbis iubilatur, ſed ſolus gaudentium ſonitus redditur: quaſi parturientis & parientis cordis lætitiam in vocem rei conceptæ, quæ verbis explicari non poſſit.* Et in Pſal. F 94. *Quid eſt iubilare? Gaudium verbis non poſſe explicari, & tamen voce teſtari, quod corde conceptum eſt, & verbis explicari non poteſt. Hoc eſt iubilare.* *Tertiò*. In Septuaginta Leuitic. 25. ſæpius eſt, σημασία ἀφέσεως vel τὸ ἔτος τῆς ἀφέσεως σημασίας. *Quartò* affinitas nominis cum *iobab*. & antitheſis cum obal אבל. *Quintò* recte iſta ſignificatio ſcripturas omnes explicat. Dupliciter enim *iobel* in illis legitur, vel ita ſcilicet, vt ab alio ſubſtantiuo aperte regatur: vel vt abſolute poſitum videatur. Priore modo dicitur. Leuit. 25. verſu 12. 13. & 28. 53. 54. *annus iobelis*, & iſto cap. 6. illa, quæ ſuperiore quæſtione citata ſunt; videlicet *tubæ iobelis* aut *iobelim*. Poſteriore modo hic verſu 10. & 11. eſt *iobel*. ibidem verſu 15. *poſt iobel* verſu 28. *egredietur in iobel*: itemque verſu 30. 31. 33. At illa quid ſignificant aliud, quam annum iubilationis? tubas iubili, aut iubilorum? Nam annus ille ad libertatem, poſſeſſionumque recuperationem ducebat, res ſane optatiſſimas & lætiſſimas: & læto buccinarum ſonitu in tota Iſraëlitarum terra indicebatur. Eadem & Hierichuntinarum buccinarum ratio, vt infra dicetur. Quando autem abſolute poni videtur, ſemper ſubintelligitur *annus*, vti ſatis apparere videtur, verſu 10. vbi repetendum, quod paulo ante poſitum erat *ſchanoth*. quod quia fœminini generis, hallucinatus eſt Pagninus in Iobelis genere, vt ſupra dictum. Apparet ex eo etiam quod *in iobel egredi* exprimitur verſu 54. *per egredi in anno iobel*, & quod ridiculum foret dicere aliquem egredi in cornu arietino, vel ſimili alia re, quam ſignificare dicitur *iobel*. Vel certe per metonymiam, ipſemet annus vocatur *iobel* aut *iubilum*, quia iubilantibus indicitur buccinis, quia lætis cum clangoribus ad ea, quæ dicta ſunt, bona deducit, eo ſcilicet modo, quo veteri Græcorum prouerbio dictum eſt, *annum fructificare, non aruum.* Et ſic loco citato ait Ioſephus. καλεῖται ὑπὸ ἑβραίων ὁ πεντηκοστὸς ἐνιαυτὸς ἰώβηλος. *Sextò*. Eo etiam nomine admitti poteſt dicta ſignificatio, quod curſum & quaſi modum indicet, quo per tropum aliquem celebriora pene omnia, quæ quæſtionis principio tot interpretationes dicebant, ſignificare poſſit *iobel*. Nam vt ſingulas breuiter percurram ἄφεσις ſiue *remiſſio* & *libertas* eſt ad quem læte annus hic ducit, quam tubarum iubilatio indicit. Quidni ergo & iſta dici poſſit *iobel* ſignificare?

Hinc etiam ſuam ἐλευθερίαν hauſiſſe videtur Ioſephus quia Leuit. 25. Hebraice *deror* ſcribitur verſu 10. & noſter interpres ait, *vocabis remiſſionem cunctis habitatoribus terræ tuæ*: ſicuti & 70. διαβοήσετε ἄφεσιν. Sic ipſe *ad libertatem* poſt liminio *reditus*, iubilum eſt. Sic *aries*, ratione veteris illius facti, quo Iſaacum liberauit Geneſ. 22. & ratione cornuum, quibus iubilatur, ipſamet *cornua* & tubæ. Nec male de vocis huius ſignificatu coniecturam fecit Maſius ex inſtrumentorum Muſicorum auctore *Iubal*. Cũ enim Caini proles in mũdi huius gaudia & voluptates effuſa tota eſſet, Gen. 5. verſu. 19. & cap. 6. verſu 2. læta, & quæ futuræ hilaritatis veluti auguria, ominaque forent, ſuis nomina liberis, libenter imponebat: has eorum voluntates ſuauiter, futuriſque interdum euentis conuenienter ordinante Domino. Cum igitur *iabal* eam, quæ dicta eſt, ſignificationem haberet, Lamech ſuorum ex Hadama vxore filiorũ vnum appellauit *Iabal*, ſiue vt noſter & 70. ſcribunt, *Iabel*: & is tabernaculorum, reique pecuariæ inuentor extitit: ideoque & ruſticanorum cantuum ac iubilorum, de quibus ex Varrone dictum antea: Alterum vero, qui ad hilaritatem & iubilationem, cithararum & organorum ma-

giſter primus fuit, nominauit idem ille *iubal*. Ita vt licet non ſit à *iubal iobel*, indicentur tamen omnia hæc è priſca verbi huius ſignificatione profecta nomina. Bedam omitto, & Caietanum laudo, quod & anni huius & terræ fructuum affinitatem viderit, licet cauſam vnde hæc eſſet in re ac verbo affinitas, minus expoſuerit. quæ, niſi me quid fallit, è dictis modo, ſatis perſpicua.

QVÆSTIO VI.

An à iobel rectè dicatur Iubilæus?

GRæcis & Barbaris, ſapientibus & inſipientibus, Philoſophis & Grãmaticis debitor eſt, qui ſuo bene officio fungitur, Theologus. Ideoque varia ſubinde, cum ipſius etiam labore ac moleſtia, ei tractanda? hoc præſertim tẽpore quo captant omnem hæretici anſam, aut priſcos patres, aut Eccleſiam carpendi & vellicandi: & Catholicorum quidam nimis facile Logodædalorum quorundam verbis aures dãt. Duo igitur ſunt, ob quæ putant nonnulli à *iobel* non rectè dici *iubilæum*. Nam *primo* ex *o* non rectè fit *u* in prima Syllaba: *Deinde* in ſecunda nõ rectè ex *e* fit *i* proptereaque dicendum potius *iobelæum*, aut vno ſaltem cum errato, *iobilæum*. Ita diſputant & ſcribunt Eugubinus in Leuitic. 25. & Numer. 37. Ioannes Baptiſta Paulianus lib. de Iobilæo, Sabellicus Ennead. 3. Polydorus lib 8. de Inuentione, Caietanus Leuitic. 25. Antonius Cordubenſis lib. 5. de Indulgent. quæſt. 11. Victorius in Hieronymiano Indice: demumque Nauarrus commẽtario de Iobilæo & ſuper Canonem *Siquis aliquando* §. *in Leuiticum*, de pœnit. diſt. prima. quãquam mirum eſt velle hanc Latinam vocem ab Hebræis arceſſere: rem verò ipſam nolle. Negat. n. Iubilæum annum noſtrum cũ Iſraëlitico commune quidquam habere. Dico breuiter, *primò à iobel rectè duci, dicique iubilæum*. 1. quia omnibus, qui vel primoribus Græcam Hebræamq; linguam labris guſtarunt, notiſſimum, duas, de quarum hic permutatione rixa eſt; vocales *e* & *i*, *u* & *o* creberrimè inter ſe commutari, & cum ad linguam aliam transferuntur, & in eadem etiam lingua. Exempla ſexcenta ſunt. ſed ne longe abeam, In citato ſuperiore quæſtione de Lamech loco Geneſ. 4. verſu 19. *Sella* eſt in noſtro textu & Græco: in Hebræo *Silla* verſu 22. huius filius in Hebræo & noſtro eſt Tubalcain in 70. Græce Θοβελ. Et quid hodie vſitatius apud ipſos, etiam in ipſa Græcia, Græcos, vt ex ipſis audiui ſæpiſſime, quam Græcorum *η* per *ι* efferre? vt hinc Ioſephi ἰώϐηλος pronuncietur *iobilos*? Quid in lingua Germanica? nonne à quamplurimis *e* pro *i* & contra, pro dialectorum varietate, profertur? In lege Ripuaria notat Comes Nuenarius l. de Francis, legi *fredum* pro pace, quæ hodie *frid*. vnde & *Frederici*. *Secundò*. quia ita maiores noſtri, à quibus hæc vox in Eccleſia cœpit vſitari, cenſuerunt. Nam apud auctorem libri de Sacramento in S. Cypriano & apud noſtrum interpretem ſemper *Iubilæus*: Vnde in D. Hieron. videtur è librariorum tantummodo arbitratu hodie legi iobilæum Galat. 1. & Epiſt. 125. ad Damaſum q. 1. & epiſt. 127. *Tertiò*. Sic expoſitores hactenus omnes & Pontifices, vt D. Gregor. l. 1. in Iob c. 6. & alij, vbicunque iubilæos annos aut nominant, aut indicunt. *Quartò*. Sic *iubilum*, vt ſupra dixi, Latini dixerũt. *Quintò*. Sic etiam ex recentioribus nonnulli, qui & nouorum amantiſſimi, & Latinæ linguæ, rectæq. pronunciationis ſtudioſiſſimi, vt Scaliger de emẽdatione temporum l. 7. f. 737. ſæpius. & tandem Reliqua, inquit, Iubilæa commentitia ſunt. Adderem & Bezam 2. Theſſ. 2. v. 4. niſi cum Sycophanticis calumniis addidiſſet, *anno illo iubilæi, quem vocant*. *Sextò*. approbant eandem vocem in vernaculis ſuis linguis Chriſtiani populi Germani, dum dicunt *iubeliar*, & *Galli iubilet*. *Secundò*. Dico, non videri tamen etiam reprehendendos qui aut *iobel*, aut *iobelæum*, aut *iobilæum* dicunt. quia ſic in vocis huius originem, ne intercidat, digitum intendere ipſis fortaſſe propoſitum. Et ſic interdum etiam facio. *Tertiò*. Commodius tamen Eccleſiæ vſum communem ſequimur, etymologiam interim haud negando aut aſpernando, prout in Oratore ſuo monet Cicero. & in Galat. Diuus Hieronymus. *Si*, ait, *qui diſertos ſæculi legere conſueuerunt, cæperint nobis de nouitate & vilitate ſermonis illudere: mittamus eos ad Ciceronis libros, qui de quæſtionibus Philoſophiæ prænotantur, & videant quanta ibi neceſſitate compulſus ſit, tanta verborum portenta proferre, quæ nunquam Latini hominis auris audiuit, & hoc, cum de Græco quæ lingua vicina eſt, transferret in noſtram: Quid patiuntur illi qui de Hebræis difficultatibus proprietates exprimere conantur? Et tamen multo pauciora ſunt in tantis voluminibus ſcripturarum quæ nouitatem ſonent, quàm ea, quæ ille in paruo opere congeſſit.*

QVÆSTIO VII.

An Hierichuntinæ obſidionis tempore cœpti iam eſſent Iubilæi anni?

QVia iubet hoc loco Dominus, vt *Iubilæorum buccinis* clangatur, exiſtimaret non immerito aliquis iubilæos annos in vſum more iam receptos. At non ita eſt, quia à lato de his præcepto anni nondum effluxerant XL. nedum L. vti ſupra patuit cap. 3. & 4. *Iubilæorum* ergo *tubæ* hic intelligendæ, non quarum in illorum indictione vſus iam vllus fuiſſet: ſed quarum eſſe deberet, vbi adueniſſet optatum eiuſcemodi tempus, ſiue aliquæ factæ iam eſſent, ſiue modo fierent: rurſumque ſiue eædem numero poſtea vſurparentur, ſiue non, ſed aliæ his conſimiles. Verum de tempore, quo primus cœperit Iubilæus, plura ſuo loco poſtea, vbi de terræ diuiſione actum generatim fuerit quæſt. 14. & 15.

QVÆSTIO VIII.

Cur in Hierichuntina obſidione iſtiuſmodi Iubilæorum buccinis clangi voluerit Dominus?

NOn ideo voluit Dominus *iubilæorũ buccinis* tum clangi, quod iubilæi eſſet anni principium. Sed *Primò*. vt oſtẽderet Hierichuntinũ

Digitized by Google

hoc bellũ Iſraelitis triſtitiæ nihil, gaudij verò & A lætitiæ allaturum plurimum. *Secundo*. vt in promiſſam olim hæreditatem, poſſeſſamque ab iniuſtis inuaſoribus terram ſe iamiam reſtituẽdos iidem intelligerent. *Tertio*. Quemadmodum in iubilæo anno quos fructus inarata edit tellus, ij omnibus communes ſunt, neque ex ijs plus ſibi diues quam pauper & mendicus decerpit: ita in Hierichuntina victoria non maiorem ſibi partem vendicat potens, robuſtus, & locuples, quam miſellus quiſpiam: imbecillus, & inops. Aſcribenda tota Deo victoria eſt. nullus hominum labor, nulla pugna, ſanguis & B ſudor nullus fuit. *Quarto*. Viles erant, ſi materiam ſpectemus, iubilęorum buccinę, *arietina* ſcil. vt ſuprà dictum q. 4. *cornua* in quibus quid aut ſplendidum, aut rarum? Has tamen præ argenteis, ſplendidiſque tubis omnibus elegit Deus: his perſonantibus in admirationem ac ſtuporem Hierichuntinos adduci voluit, ipſamque tandem vrbem totam concuti: expugnari & occupari non ſine magnis vtique myſteriis. *Videte*. *n*. ait Apoſtolus 1. Cor. 1. 26. *vocationem veſtram fratres, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multo potentes, non multi nobiles: ſed quæ* C *ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, vt confundat ſapientes & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, vt quæ ſunt deſtrueret: vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius.*

Qui totum terrarum orbem, vnam velut Hierichuntem, idolorum, voluptatum, ſcelerumque omnium pleniſſimam, voce, clangoreque ſuo prorſus obſtupefecerunt, perculerunt, & verterunt? Nonne homuli, neque gente, neque numero, neque veſtium, opum, & ſtemmatum laude vlla commendati? ſed in ſpeciem abiectiſſimi & contemptiſſimi, labo- D ribus, fame, ſiti, æſtu, frigore, ſummaque rerum omnium egeſtate confectiſſimi, & ærumnoſiſſimi? Cornua erant, & quidem arietina, quæ paruum profundit animal, vilis ſuppeditat opilio, humilis, cauat & perforat artifex. O Dei conſilia? ô potentiam? quæ per deſpicatiſſima ſeſe inſtrumenta exerit, & tam magna ac mirabilia operatur? ſed de myſtico turbarum iſtarum ſonitu alius iterum erit locus.

QVÆSTIO IX.

E

Quot, & qui ſacerdotes circum Hierichuntem arcam tulerint? & an eorum omni præſidio latera nuda fuerint?

DE *primo*, & *ſecundo* quod quæritur dicendum: *tot & eoſdem circum Hierichuntem, Domini arcam tuliſſe, quot & qui in Iordanis tranſmiſſione tulerant*. Neque. n. cauſa vlla pauciores, aut plures, aut etiam alios illius baiulos comminiſcendi occurrit. Dictum verò eſt c. 3. p. 2. q. 1. duos fuiſſe illos baiulos, Eleazarum & Ithmarem. Sunto igitur iam iidem. *De tertio* autem, F quod quæritur, Ioſephi ſententia eſt l. 5. c. 1. ſacerdotum iſtorum non omni præſidio nuda fuiſſe latera. Nam τὴν κιβωτὸν, inquit, οἱ ἱερεῖς φέροντες, περὶ αὐτὴν ἐν κύκλῳ μέρος τι τῶν ὁπλιτῶν φυλάσσον ἦν, id eſt: *ferebant ſacerdotes arcam: & circum hanc in orbem erat armatorum pars, quæ illam cuſtodiret*. Atque hoc quidem è militari diſciplina, & pia quadam religione fieri oportuiſſe videtur. tantus enim theſaurus, tantum Iſraelitici populi decus & ornamentum in hoſtium conſpectu intectum & incuſtoditum eſſe ne debuit Dei ſacerdotes, & ij quidem omnium præcipui: circum hoſtilem vrbem, ante inimicæ gẽtis oculos & tela, nulla circumſepti & obuallati cuſtodia eſſe debuerunt? Religioſa etiam erga ſacrum hoc arcæ feretrum pietas nonne, ſi non cuſtodiæ, honoris ſaltem ergo, quod illam ſtiparet, ſatellitium flagitabat? Videntur hæc Ioſephi teſtimonio non nullam conciliare probabilitatem: aut certè iſtiuſmodi eſſe, vt ei ita factum eſſe, perſuaſerint. Quia tamen textus bellatores arcæ tantùm prçeuntes, nullos ad eius latera gradientes tradit, non auſim facile Ioſepho aſtipulari, Nam verſu 7. *Circuite ciuitatem armati præcedentes arcam Domini*. & verſu 9. *Omnis* præceſſiſſe traditur *exercitus*, & verſu 13. *armatus ante ſacerdotes* iiſſe *populus*. licet enim non ſit in Hebræo & Grçco illud, *omnis*, ipſa tamen narrationis ſeries omnem armatum præiiſſe oſtendit: & 70. dicunt τοὺς μαχίμους προεκπορεύεσθε ἐναντίον τοῦ κυρίου, vel ἔμπροσθεν. Obiicies. In 70. ad verſ. 12. dici, καὶ μετὰ ταῦτα εἰσεπορεύοντο οἱ μάχιμοι. Reſpondeo primo hinc non colligi ad arcæ latus fuiſſe milites: ſed poſt eam potius. Secundo ne hoc quidem rectè colligi. Nam illud μετὰ ταῦτα valet hic *præterea, inſuper*. vt ſententia ſit: ſuſtulerunt arcam teſtamenti Domini ſacerdotes: & illi ſeptem ſacerdotes, qui ſeptẽ tubas ferebant, incedebant ante Dominum, & præterea ingrediebantur bellatores. Nam quod additur ὄπισθεν τῆς κιβωτοῦ, refertur ad populum, de quo poſtea. Ideoque videri Dominum, noluiſſe militari præſidio arcam ſtipari, vt aduerſum ſe nihil poſſe hoſtes monſtraret: aut certè illis ipſis, qui eam antecedebant, bellatoribus tectam ſatis & munitam fuiſſe, ſi quid forte ab hoſtibus irruptionis ac tumultus oriretur. Et magnus arcæ honor eo ipſo fiebat, quòd ad eam, ne ad latus quidem, accedere auderet è populo vllus: præſertim neceſſe cum non eſſet.

QVÆSTIO X.

An, bellatoribus exceptis, arcam cætera Iſraelitarum multitudo ſecuta fuerit?

AFfirmat, vti ſupra quæſt. 2. vidimus, textus noſter verſu 9. & 13. Sed *primo* intendunt Nouatorum quidam litem ex Hebræo *meaſſeph*. quod vertunt aliqui *congregantem*. Caluinus verò: *qui agmen cogebat*. *Ita*, inquit, *diſpoſiti fuerunt progreſſus, vt maior pars arcam præcederet, quæ per armatos intelligitur: ſequerentur autem, qui ſolebant impedimenta comitari*. *Nam eorum erat curare ne poſtremum agmen diſſiparetur*. Quia congregantis *nomen obſcurum erat, reddidi, quod erat, apud Latinos magis vſitatum*. Iunius & Tremellius *extremã* ſemper *aciem* conuertunt. *Secundo*, Chaldæus Paraphraſtes. verſu 9. & 13. Iudæorumque plerique, vt Rabbinus Salomo, per *meaſſeph* intel-

Digitized by Google

ligunt ſolos, cum Aſeritis & Nepthalitis, Danitas. quia eo ipſo nomine in Iſraeliticorum caſtrorum progreſſione appellantur Numer. 10. verſu.25. hiſque aſſentitur Lyranus, & Maſius fol. 106. Ioſephus libro 5. cap. 1. videtur tantum ἐπιμίκτων χειρωσίαν dicere. *Quarto.* ſi cętera intelligeretur ea voce multitudo, quærendum foret, an tota virorum omnium natu aut maiorum aut minorum, qui arma ferre poſſent omniumque fœminarum, puerorum, & puellarum intelligenda turba ſit. Ego cum Abulenſi q. 9. *bonam noſtri textus interpretationem cenſendã & retinendam iudico.* Nam *primo* ipſi etiam 70. interpretati ſunt ſimiliter bis, ὁ λοιπὸς ὄχλος quo loquendi modo in caſtris vſus etiam Dio lib. 47. *Secundo.* Hebręum *meaſſeph* cum in *piel* participium, ſignificat, *congregantem, adijcientem*, ſicque neceſſario videndum quid cui congreget, vel adijciat. Et ſane, ſi Iſraeliticorum caſtrorũ progreſſum bene conſideremus, non ſunt vel impedimenta, vel transfugę, deſertores, cunctatores. Nam ſua ſingulę tribus impedimenta ferebant, ducebantque, neque à transfugis aut deſertoribus, illo in itinere, periculum: ſi qui vero erant tardiores à ſuę tribus extremis vrgebantur, & in illa manere, cumque illa progredi cogebant. Nam infirmus erat nullus, Pſalmo 104. v. 37. Qui ergo *meaſſephim* vocantur, ij ſeipſos aliis adiiciebant & congregabant antecedentib. ſcilicet ſequentes, priorib. poſteriores. Ideoq. in illo Num. c. 10. nõ ſimpliciter dicitur *Dan meaſſeph*, ſed *meaſſeph lecol machenoth* id eſt, *adiiciens ad caſtra omnia.* ſiue, *aggregans caſtris omnibus:* quod vertũt 70. ἔσχατοι πασῶν τῶν παρεμβολῶν: id eſt *extremi caſtrorum omnium.* Sicque ibi caſtra Danitarum, cum tribuum aliarum caſtris comparantur. Hic vero abſolute *meaſſeph* poſitum eſt, vt ſignificet eos Iſraelitas, qui ſeipſos iis, quos pręgreſſos dictum eſt, aggregarent. Prægreſſi autem erant omnes omnium tribuum bellatores, per ſuperiorem quęſtionem 30. Prægreſſi erant ſacerdotes, partim buccinantes, partim arcam baiulantes. Quod igitur Iſraelitarum erat reſiduum, & ſeſe his poſt arcam adiungebat, vocatur hic *meaſſeph*; non autem ſola cum Aſeritis & Nephtalitis tribus Dan. imo ne harum quidem bellatores vlli per eandem quęſt. 3. ſed & ex his tribubus & ex omnibus alijs reſidua Iſraelitici exercitus multitudo quam Germanicè *den vbrigen hauffen* dicimus. Et confirmatur *Tertio.* quia in progreſſu ad Iordanem, per Iordanem, & poſt, vetus ille tribuum caſtrorumque procedendi ordo immutatus fuit. per capitis primi in certæ partis populi præparatione quęſtionem ſecundam.

Ad eam verò quę 4. loco ponebatur, quæſtionem non vniuſmodi reſponſio eſt. Abulenſis in quęſtione 9. & paulo ante, putat iſtius aut vulgi, aut multitudinis arcam ſequentis nomine intelligi eos, qui per ætatem & vires arma ferre quidem poſſent, iis tamen carerent. Maſius fol. 105. Danios, vti dictum eſt, Aſerios, & Nephtalicos milites: ſed ita vt, quoad reliquã plebem, cuiuſuis permitteretur voluntati vt vel arcam ſequeretur, vel in caſtris maneret. At omnes, qui in militię catalogos per ętatem relati eſſent, hic *expeditorum & bellatorum* nomi-

A ne ſignificatos, in ordine primo fuiſſe, dixi quæſt. 3. Ideoque in 4. ordine puto fuiſſe pueros & adoleſcentes, puellas, matres & ſocrus omniſque generis turbam, quæ in bellatoribus haud cenſebatur. ita tamen, vt, quod ait Maſius, liberum ex iſta turba cuilibet eſſet : circuitionibus adeſſe vel abeſſe. Nam de his nullum hic pręceptum eſt : ſed quod ab iis ſponte factum ſit, narratur verſu 9. & 13. Dices verſu 7. videri pręceptum: *Ite & circuite ciuitatem.* Et in Hebręo clarius : *Tranſite & circumdate vrbem: & expeditus quilibet tranſeat ante arcam Domini.* B Sed poteſt dici, verba hæc per ſequentia explicari vt ſignificat Latinus, dum addit, *armati præcedentes.*

QVÆSTIO XI.

An in poſtremo iſto arcam ſequentium agmine fuerint ſacerdotes, Leuitæ ac Ægyptij aliqui?

DIci *generatim* poteſt, iiſſe poſt arcam, ſacerdotum reliquos, Leuitas, & Ægyptios, C qui cum Iſraelitis ex Ægypto egreſſi erant, prout dictum Exo. 12. verſu 38. Neque enim, vt ſuperiore quęſtione iam expoſitum eſt, vel præceptum, vel pręfinitum, quinam in extremo eſſe deberent agmine: ſed in arbitrio cuiuſque poſitum. Quis autem dubitet ex omni hominum ordine, ſexu, & ætate, confluxiſſe vel quam plurimos? Noua enim, inaudita, & poſt cõditum orbem viſa numquam, res gerebatur. Eam ſuis ipſius oculis videre, ipſi pręſens intereſſe, quis adeo vel ſtupidus, vel ab humano cognoſcendi deſiderio remotus, qui noluiſſet? D Mira DEI potentia, mirus hoſtes, hoſtiumque vrbes delendi modus monſtrandus erat, merito quemlibet ad ſpectandum, & hoſtilia mœnia circumeũndum inuitabat DEI honor, propriaque cuiuſlibet vtilitas & voluptas. DEI quidem *honor*, dum ipſius opera coram ſpectãtur, ipſeque & iam, & in poſterum, ſemper, portenti tanti recordatione, laudaretur. *Propria vtilitas*, dum in DEI amorem & laudem inflammaretur animus, in ipſoque Chananæorum bellorum aditu, contra pericula, formidineſque omnes confirmaretur. *Voluptas* vero è tam admirabilis rei cognitione, iucundiſſi- E moque ſpectaculo naſcebatur ſuauiſſima: quã nutriret, mireque augeret crebra inter contribules, & amicos, coram liberis, & familiaribus ſemocinatio, ad ipſamque poſteritatem tranſmiſſio. *Speciatim* vero eſt *primo* aliqua de ſacerdotibus difficultas. 70. qui aiunt, καὶ οἱ ἱερεῖς οἱ οὐραγοῦντες ὀπίσω τῆς κιβωτοῦ τῆς διαθήκης κυρίου σαλπίζοντες. Quorum verborum vt precipiatur ſententia, ſciendum οὐραγεῖν vel ſignificare ὑστερίζειν, vt exponit Heſychius, id eſt *in poſtremis eſſe*, vel τὴν οὐρὰν ἄγειν vt è Xenophonte F Euſtathius & Suidas, id eſt *agmen extremum ductare.* Vnde qui ſic ductat οὐραγὸς dicitur: Latine à Lipſio l. 4. de militia can. 10. *Vragus*, lib. 5. c. 9. *Tergiductor.* Priore modo ſignificaretur à 70. ſacerdotes quoſdam in extremo agmine poſt arcam iiſſe, tubiſque clanxiſſe, quorum illud iam eſt eius, quod initio dixi, confirmatio:

Digitized by Google

iſtud de tubis, propriam habebit quæſtionem poſtea. Poſteriore modo duplex effici poteſt ſenſus. Vnus quidem, vt ſeptem ſacerdotes, qui ante arcam ibant, iidem eſſent veluti duces poſterioris agminis, cui præibant ſeptena ſua inflando cornua. & iſte ſenſus eſſet facillimus, abſque omni de tubis quæſtione: ſed intelligendũ eſſet, quaſi foret, *τοὺς ὀπίσω* vel vt alicubi alias fit: ex ipſo verbo foras educeretur, quod in eo velut includitur ſubſtantiuum, ſic: *ἐξαγοῦντες ἐσχάτην τὴν ὀπίσω* &c. id eſt, *ducentes eos qui poſt arcam*, ſiue *ducentes extremam caudam* vel *agmen*, quod ab arcæ tergo erat. Alter: ſacerdotes quidem erant in extrema circumeuntiũ parte, ſed ita, vt in ea eſſent aliorum omnium, quos eadem pars tenebat: ductores. & hic ſenſus verbis admodum videtur conſentaneus ideoque & cæteris anteponendus: ſed redit illa, quæ paulo ante indicata, & paulo poſt exponenda eſt, de ipſorum buccinatu difficultas. poſſit fortaſſis etiam poni poſt ſacerdotes diſtinctio, ſic, *& ſacerdotes*: ſcilicet ibant ante arcam. poſtea: *οἱ ἐξαγοῦντες* i. e. qui erant in vltimo agmine Iſraelitę erant tubiſclangentes. *Secundo. Leuitas* proxime hiſce ſacerdotibus ab ipſorum tergo, comitatos, non difficulter ex eo intelligitur, quod cum in priori agmine nõ eſſent, & in caſtrorum metatione, inter ipſos & arcam, ſemper eſſent ſacerdotes medij, iam non niſi ſacerdotum interiectu arcam cõſecuti ſint. *Tertio.* poſt iſtos ſequebantur Iſraelitę vel ſeniores, vel iuniores: tum fœminarum quidquid erat: ſiue grandiorum, ſiue adoleſcẽtiorum. *Quarto Aegyptios* non exiſtimo proprium & ſecretum à tribubus omnibus locum habuiſſe: ſed illis, certa quadam deſcriptione, à Moyſe iam pridem coniunctos: & quoad itinera, bellicaque officia & tentoria, confuſos fuiſſe ſicque ipſorum etiam pueros, puellas, & vxores Iſraelitarum pueris, puellis, & vxoribus, admixtas.

QVÆSTIO XII.

An in eodem poſtremo agmine, præter ſeptem ante arcam ſacerdotes, fuerint cornicines aliqui?

SI 70. conſulimus interpretes, ecce ſacerdotes *οἱ ἐξαγοῦντες ὀπίσω τῆς κιβωτοῦ σαλπίζοντες*: prout ſuperiore quęſtione ſemel ac iterum tetigi: Si noſtrum adimus Latinum, ecce v. 9. *Reliquum vulgus arcam ſequebatur, ac buccinis omnia concrepabant.* Et v. 13. *Vulgus reliquum ſequebatur arcam, & buccinis perſonabat.* Si Hebræum verò textum excutimus in vtroque citato verſu ad verbum, ſic eſt, vt cum dictum eſſet, primo loco ire armatos: ſecundo ſacerdotes ſeptem tubis clangere: tertio arcam ferre alios: quarto extremum ire agmen, addatur ſemper *eundo, & clangendo tubis.* An non igitur hæc turma vltima ita iiſſe videtur, vt tubis etiam clanxerit? *Duobus* videtur *modis* reſponderi poſſe. *Primo.* vt è vulgo, & poſtremo agmine tubicines quidam eſſent, ſed tubis alijs, quam quæ ſeptem ſacerdotibus erant imperatæ. Horum erant Iubilææ: populi autem tubæ qualeſcumque. Nam bis, terue ad ſacerdotum tubas additum *iobel*, patuit quæſt. 4. ad populares nunquam. *Deinde*, vt ſolis ſacerdotibus tubas concedamus: & tunc textus exponitur Hebræus bifariam. *Primo* à Chaldæo, & eum ſecutis ſic: Pergentibus ſacerdotibus, & clangẽtibus buccinis illis. *Secundo* à Maſio ſic. *Inter procedendum canebatur buccinis.* Et omnino placet iſte ſenſus. Nam *primo* in Hebræa lingua non infrequens iſta infinitiuorum quaſi gerundiorum Latinorum repetitio ad maiorem ſermonis energiam. *Secundo.* ſacerdotum fuiſſe proprium tubis canere, docent, complures Hebræi & Latini, Theodoretus etiam Græcus quæſt. 15. in Numeros. *Tertio.* ad eandem ſententiam poſſunt reuocari 70. & Latinus, ſacerdotes enim poſterioris agminis clangebant, & perſonabat vulgus non per ſe, ſed per antecedentes ſeptem ſacerdotes. Nam *quod per alios facimus, facere dicimur*: ait quædam Iuris regula: & exercitus totus lituos & tubas inflat, non per milites ſingulos, ſed per paucos liticines atque tubicines. Sicque rectè dixit Latinus, *buccinis concrepuiſſe omnia. Quarto.* populo imperatũ ſilentium verſu 10. vt ſacerdotales tubas, veluti miſſam à Deo vocem Numer. 10. verſu 9. exciperent.

QVÆSTIO XIII.

An iſtum circumeundæ Hierichuntis ordinem populo, per ſe ipſum, vel per ſacerdotes, præceperit Ioſue?

POpulo per ſeipſum præcepiſſe hunc ordinem Ioſue ait textus noſter verſu 7. cum enim ſacerdotibus de ordine officioque ipſorum locutus fuiſſet, ſubditur: *Ad populum quoque ait, Ite & circuite ciuitatem armati præcedentes arcam Domini.* At Græca 70. verſio iſtud non habet, ſed per ſacerdotes hoc idem, & opus & ordinem facit à Ioſue populo præcipi ſic verſ. 6. *Εἰσῆλθεν Ἰησοῦς ὁ τοῦ ναυῆ πρὸς τοὺς ἱερεῖς καὶ εἶπεν αὐτοῖς λέγων· παραγγείλατε τῷ λαῷ περιελθεῖν, καὶ κυκλῶσαι τὴν πόλιν καὶ οἱ μάχιμοι παραπορευέσθωσαν ἐνωπλισμένοι ἐναντίον κυρίου.* id eſt; *Ingreſſus eſt Ieſus filius naue ad ſacerdotes, & dixit ipſis, dicens: præcipite populo circuire & circumdare vrbem: & pugnatores incedant armati ante Dominum.* Dicendum.

Primo, textum Latinum eſſe textui Hebræo prout modo legitur, magis conſentaneum, in quo verſu 7. ſcribitur ויאמרו אל העם *vaiomer* id eſt, *& dixit* (Ioſue) *ad populum.* Nam *vau* quod Hebręo illi verbo additur, ſuperiùs annotatum habet circulum, quo ſignificatur alia quædam lectio & è Maſorethis annotatio, quę in margine ſcribit יתיר ו id eſt *redũdat* littera *vau* ſicuti è contrario deeſſe in eodem verbo ab iiſdem notatur 1. Regum. c. 13. verſu 19.

Secundo. Græcum 70. textum Hebręo textui, qui per Maſoretharum annotationem iam indicatus eſt in codicibus quibuſdam fuiſſe, magis congruere. Lectum enim alicubi fuit cum illo *vau*, ſic, *vaiomeru. Et dixerunt ad populum*, ſcilicet ſacerdotes, quibus verſu 6. locutus erat Ioſue.

Tertio. Græcum eundem, non verbotenus, ſed quaſi paraphraſtice locum hic vertiſſe, tranſ-

Digitized by Google

ponendo verſu 6. cap. 7. ſententiamque ipſam potius quam verba ſingula reddendo, dum ex eo, quod dicitur ſecundum alteram Hebræã lectionem, *ſacerdotes populo dixiſſe*, colligunt & exprimunt, id iis imperaſſe Ioſue.

Quarto. Reipſa eoſdem textus non diſcrepare: poſſeque ita conciliari, vt ſecundum Latinum dixerit illa populo Ioſue, ſed per ſacerdotes, ipſius ad populum internuncios in re, ob arcam, quaſi ſacra.

QVÆSTIO XIV.

Quomodo expugnata Hiericho?

A Prima Hierichuntis oppugnatione & circuitione ſeptima tandem *venit ſumma dies, & ineluctabile fatum* vere *fatum*, iudicium illud terribile, quod in ſceleratam Chananæorum gentem, Hierichuntinamque vrbem effatus erat dominus Geneſ. 15. & ſupra verſu 2. cumque, vt ſupra etiam quæſt. 2. dictum eſt. eo die ſeptimo ſeptima eius diei, omnium autem dierum decimatertia perageretur circuitio, triplicia dedit Ioſue præcepta. *Primo.* Vt *vociferaretur populus* verſu 16. *Secundo,* Vt ea *ciuitas eſſet anathema* verſu 17. *Tertio.* Vt iuxta pacta & conuenta ſupra cap. 2. *Raab* meretrix vna cum ſuis ſalua eſſet, ibidẽ, & v. 22. Cõfeſtim ſecuta eſt imperata vociferatio & clamor v. 20. Vrbis muri corruerunt; ipſaque capta eſt, ibidẽ: & quæ de anathemate imperata erant, executioni mandata verſu 21. 24. Raab ſaluata verſu 23. & 45. An verò præcepta illa hic data ſint, & quidem nunc primum? diſputabitur infra q. 13. & 14.

QVÆSTIO XV.

Quis populi clamor fuit?

FVit ingens clamor, & plane de quo poëta *Immenſus ſurgens ferit aurea ſidera clamor.* Nam ingens hominum erat multitudo, & in Hebręo Latinoque textu non ſimpliciter *clamor*, ſed iam epitheto *magnus* deſcribitur: in 70. vero ἀλαλαγμὸς μέγας καὶ ἰσχυρός. Ἀλαλαγμὸς, inquit homil 7. Origenes, *neque iubilum neque vlulatum proprie ſignificat, ſed illam magis oſtendit vocem, quo belli tempore, exercitus clamorem conſonum tollens, vnanimiter ſeſe cohortari ad præliũ ſolet.* videtur autem *alalagmus* hic initio, vox fuiſſe confuſa, nihil quidquã ſignificans, vnam crebro vel alteram Syllabam aliquam, potius quam verbum iterans: poſtea tamen alicubi articulatus & modulatus fuit. Ex *alal* enim videtur ἀλαλάζειν factum: quod Suidæ tenuius ſcribitur ἐλελεῦ pro grandiori ἀλαλεῦ, cum ait. οἱ προσιόντες εἰς πόλεμον τὸ ἐλελεῦ ἐφώνουν. *Qui ad bellũ ibant: illud Elelelu* ſiue potius *Alalau inclamabant*, fuitque is in præliorum initiis, primaque acierum congreſſione olim perfrequẽs: apud Perſas & Macedonas Curtio teſte lib. 3. apud Græcos Thucydide: apud Romanos teſte Polybio lib. 1. & 12. Liuio li. 1. & 9. Ioſepho lib. 3. belli c. 18. Dione lib. 47. Ammiano lib. 31. apud Germanos, quorum iſte pugnax clamor *barritus* dictus eſt, vti refert idem Ammianus lib. 21. & lib. 16. vbi de iis agẽs. *Geſtientes*, ait, *baritum ciere, vel maximum, qui clamor ipſo feruore certaminum, à tenui ſuſurro exoriens, paulatimque adoleſcens ritu extollitur fluctuum cantibus illiſorum.* idemque *barritus* à Feſto *barbaricum* vocatur dicente, *Barbaricum appellatur clamor exercitus quod eo genere barbari* vtantur. quaſi *barbaricum*, *quod ſoliti eſſent Germani clamare bar bar.* quod etiam quandoque in pugnis & cohortationibus vſurpant hodie, ſicuti & Hiberni ſuum illud *pharropharno. Sunt Germanis*, ait Tacitus libro de ipſorum moribus, *carmina quorum relatu, quem baritum vocant, accendunt animos..* Et à Germanis ad Romanos ætate ſua tranſlatum baritum hunc oſtendit lib. 3. cap. 18. Vegetius. Vnde autem id nomen ſit. ſubſcrutatur Lipſius lib. 4. de militia dial. 11. Apud Suidam huiuſcemodi clamor dicitur etiam λυκηθμὸς, id eſt *lupinus ſonus*, ſiue *vlulatus*, quo etiam vſos eſſe Gallos monſtrant hæc Liuij lib. 20. verba *Galli occurſant in ripam, cum varijs vlulatibus. cantuque moris ſui.* Apud Hiſpanos etiam hodie clamor interdum quidam eſt, ſed articulatus & ſignificans: Deum ſanctoſque, maxime S. Iacobum inuocans: ſed quam immanes & terribiles Turcarum vociferationes, norunt & referunt, qui anno ſuperiore 1601. recuperandæ Albæ regali, & hoc anno iterum (pro dolor) ammittendæ interfuerunt. Ad ſummam: Multis gentibus ante prælia clamores tollere moris fuit, & eſt. iſque vel confuſus vel articulatus: ſignificans rem aliquam aut nõ: vniuſmodi aut modulatus: in acierum coniunctione, vel antea: vt ex Homero de Troianis probat lib. 1. cap. 11. Gellius.

QVÆSTIO XVI.

Quem ad finem clamor hic?

DVos clamoris huius indicauit fines Cæſar lib. 3. ciuilis belli, *Neque*, ait, *fruſtra antiquitus inſtitutum eſt, vt ſigna vndique concinerent, clamoremque vniuerſi tollerent, quibus rebus & hoſtes terreri & ſuos incitari exiſtimauerunt.* Vnde lib. 1. c. 11. Gellius: *vt excitentur atque eubrentur animi, cornua & litui moliuntur.* Et Phyſica reddi poteſt cauſa ex iis, quæ de voce diſputat Philoſophus problematum ſect. 11. ſicuti, & cur è clamore iſto de prælij euentu coniecturam quandoque facerent periti duces, *clamor*, ait lib. 4. Liuius, *indicium primum fuit, quo res inclinatura eſſet: excitatior crebriorque ab hoſte* (Volſco) *ſublatus: ab Romanis diſſonus, impar, ſegnis ſæpe iteratus prodidit pauorem animorum.* Neque diſſimiliter in Craſſiana clade Plutarchus. Deum verò & Ioſue in Iſraelitarum clamore fines eoſdem habuiſſe, non ſolos tamen, videtur. *Primo* quia conterrẽdi, omnique penitus metu exanimandi erant hoſtes, vt ſic ne gladium quidem contra Iſraelitarum vllum ſtringerent, horumque ne vnus quidem, etiam læuiſſime læderetur. *Secundo,* Incitandus erat Iſraelitarum animus, vt in ruẽtem vrbem irruerent alacerrime: nihil omnino formidarent: ac darent, quidquid occurreret, internecioni. *Tertio.* Vociferatio iſta, erat veluti publica quædam ad Deum precatio, vt quod promittere dignatus eſſet: re iam ipſa expleret. *Quarto,* Erat ipſorum ſummæ, in Deum fidei, fiduciæque teſtificatio, dum ſe profiterentur

Digitized by Google

nihil ambigere de vrbis huius excidio, dum lęuia etiam hæc & facilia, quę iuſſiſſet ille, facerent. *Quinto.* Erat parati & exultantis index animi, quaſi victoria iam certiſſima potirentur: ſicque Deo grates, & pœna iam lætiſſimum canerent. *Sexto.* Erat Symbolum rerum aliarum de quibus infra.

QVÆSTIO XVII.

Quando, & quomodo idem clamor imperatus, ac profuſus.

QVando imperatus fuerit clamor hic, videtur, quoad primum oppugnationis, diem, ſatis manifeſtum è verſu 5. & 10. Sed, quoad poſtremum diem, ſignificat Ioſephus libro 5. cap. 1. fuiſſe imperatum in caſtris ipſis antequam ad circuitiones vltimas progrederentur: Maſius fol. 109. proxime ante ſeptimā circuitionem: Sed vero ſimilius, ſeptima circuitione vel omnino vel fere abſoluta, pręcepiſſe Ioſue, clamarent iam omnes. Hoc enim ſignificat verſu 16. textus, ratione pręſertim addita, quod ſublato clamore ſtatim ruerit vrbs: hac ruente, ſtatim irruerint Iſraelitæ: & ſeptē C nihilominus circuitiones explerint. Alioqui perfecta non fuiſſet ſeptima: ideo in aoriſto dixit Ioſephus *περιελθόντων ἑπτάκις*, id eſt, *cum circuiſſent ſepties.* Et Abulenſis quęſt. 3. *finito circuitu cū ſubſtituerunt, corruerunt muri.* Quomodo autem tantę multitudini, vt exaudiretur, præceptum hoc dare potuerit Ioſue, non male cum Hebræis dixit Lyranus, factum hoc, non Ioſuę perlata in omnium aures voce, ſed ſigno alio quopiam, cuiuſmodi triplex ponit Abulenſis q. 10. Maſius fol. citato, ipſum in ſeptimo circuitu ſacerdotum tubarum clangorem, non nouū aut inſolentem, ſed conſuetum ſigni fuiſſe inſtar vult. Sed veriſſimum & expeditiſſimum D eſt, vt qui Ioſue proximi erant, eius pręceptum audierint, clamoremque illico protollere cœperint: & his auditis, ſtatim omnes alij: vel etiā audita immutatione ſoliti tubarum clangoris, vt adiungitur verſu 5. 16. 20. vti paulo poſt rurſum tangetur. Quomodo autem idem profuſus clamor ſit, è duobus vel tribus intelligitur. Nam *primo* ſteterunt Iſraelitæ. quia circuitionum finis erat: & quia maior in quietis & ſtantibus quam in ambulantibus vocis contentio eſt. Et hoc etiam tetigit Ioſephus dicens *ὡς ὀλίγον ἠρεμηκότων.* *cum modice qui euiſſent.* *Secundo.* E facies verſus Hierichuntinos muros obuerterunt. hoc enim colligitur ex verſu 20. & 5. *Ingredientur ſinguli per locum contra quem ſteterint.* Cōſentaneum enim fuit, vt ſuis ipſi oculis viderent & ſtantes, & derepente corruentes hoſtilis vrbis muros. *Tertio.* Sacerdotales tubæ occanebant omnes contentiſſime, perpetim, abſque interruptione vlla. verſu 5. 16. 20 & ſupra quæſt. 4.

QVÆSTIO XVIII.

De vrbis anathematiſmo, & Raab conſeruatione quando à Ioſue præceptum?

VIdetur ſignificare textus verſu 17. & 18. & vrbis Hierichuntinæ anathema, & A Raab meretricis conſeruationem à Ioſue pręceptam tunc eſſe, cum vociferationem præcepiſſet. At cum iſtam, vti quæſtione ſuperiore traditum, præceperit, poſt aut certe ſub finem circuitionis ſeptimæ, & quidem ita, vt nō aliud inchoandi clamoris ſignum, quam vocum, qui prope Ioſuam ipſum erant, clamor, aut tubarum immutatus clangor: non potuerunt de anathemate & Raab mandata hæc paulo longiora tum dari. Duæ igitur opiniones ſunt. Prior Abulenſis quæſt. 12. data hæc mandata eſſe die ſeptimo ante omnes diei eiuſ- B dem ſeptimi circuitiones, vel certe primo ſtatim die ante dierum omnium circuitiones omnes. Poſterior eſt Maſii fol. 109. die ſeptimo ante ſeptimam circuitionem, *Ex illo*, ait, *verborum ambitu. Nam dedit Dominus vobis vrbem: atque ijs mandatis, quæ nunc primum proximis verſiculis exponuntur, bona coniectura capi poſſe videtur, Imperatorem adhuc ſpe quidem, ſed incerta, circumduxiſſe populum circum vrbem: neque ipſe quæ à principe illo exercitus DEI, certiſſima acceperat, niſi nunc demum peruulgaſſe.*

Quæ mihi videntur ſunt hæc. *I.* Anathema vrbis huius, & in eius reſtauratorem imprecatio, de qua poſtea: fuit ab Angelo vna cum victoriæ prædictione: ipſoque oppugnationis modo, præſcripta. Si enim quæ minoris momenti videntur, pręſcripſit Deus, de tubis, de circuitionibus, de clamore, quanto magis hæc omnium maxima, de Hierichuntinorum omnium cęde: de fœminarum, & infantium internecione? de aliiſque ſimilibus? *Deinde* quæ hic Ioſuę tribuitur imprecatio, eadem Deo auctori aſcribitur. 3. Reg. 16. *Tertio.* Eadem contra Thalmudicos nonnullos tract. de Sabbath. c. 1. Radaxlj ſententia eſt, & Maſij fol. 110. *II.* Raab conſeruatio ex promiſſione, fideque data cap. 2. oriebatur. de qua poſtea. *III.* primo die, ante circuitionum initia, fuerunt omnia hæc à Ioſue populo expoſita, ſed die ſeptimo in caſtris ante circuitionum vltimarum inchoationem, in memoriam reducta omnibus breuiter: fortaſſis etiam ante ſeptimam & omnium poſtremam circuitionem breuiſſime. Nam anathema iſtud, eiuſque tota ratio debebat omnibus & ſingulis accurate proponi, cum eius violatio tam graui vti poſtea dicetur, ſupplicio punienda eſſet. Quomodo autem potuit proponi accuratius, quam ſi primo ſtatim die proponeretur? quam ſi daretur iis præcepti huius repetendi, & crebris inter ſe ſermonibus vſurpandi ſpatium? & quidem totum hexameron? Cum autem de grauibus iſtiuſmodi rebus ante dies aliquot data pręcepta ſunt, ſolet ipſo die, ipſoque pæne articulo, cum perficiendæ illæ ſunt, rurſum ſignificari: vt ſint eorum, quæ præſcripta fuiſſent, omnes memores. *IV.* Eſt igitur narrationis ordo immutatus: & longiora iſta præcepta ideo dilata: vt ſimul eorum executio ſtatim proponeretur. *V.* In Ioſue nimium videtur contumelioſum, quod à Maſio traditur, eum ſpe incerta circumduxiſſe populum: neque quod à Deo accepiſſet, peruulgaſſe. F De magnis enim, diuiniſque viris abſque graui cauſa, magnoque teſtimonio, non eſt praui quidquam cogitandum, vel efferen-

dum. Vnde vero deſperationem in Ioſue tantam colligit Maſius? Quomodo recenti tot Dei beneficiorum, tam admirabilis Iordaninę tranſmiſſionis memoria, tot & tam præclaris eiuſdem Dei verbis & promiſſis inſtructus & confirmatus vir tantus tam pueriliter hæſitaret? tam ſtolide, toties populum circunduceret? & tam impie ijs, quę à Domino accepiſſet diffideret? Punitus eſt ob leuē quandam in aquis è rupe ducendis culpā Moyſes: quomodo tantām, tot dierum, tam pertinacem diffidentiam impune ferret Ioſue? vero igitur, quæ hic iam dicta: ſimiliora.

QVÆSTIO XIX.

Circuitiones, quot fuerunt?

SVmmatim fuiſſe omnes XIV. cenſet è Rabbinis Radakius. Nam die ſeptimo vnam ponit, quæ luce primā fuerit, deinde ſeptem alias, ita vt illo die fuerint circuitiones omnes octo. Eius ratio eſt, quia v. 15. in Hebræo ad verbum ſic eſt. *Et fuit in die ſeptimo, & mane ſurrexerunt cum aſcenderet aurora, & circumierunt vrbem iuxta iudicium hoc ſeptem vicibus.* Putat enim, dum dicitur, *iuxta iudicium hoc*, reſpici matutinam circuitionem, vt ſecundum illius morem, & quaſi exemplar, fierent aliæ ſeptem. Sed reſpicitur circumeundi mos & ratio, quæ prioribus ſex diebus in circuitionibus obſeruata fuerat. De his enim præcedente verſu 14. actum erat. quaſi diceret: eadem ratione ac modo circuierunt ſepties, aut vero, quod eodem reuoluitur, reſpicitur iudicium, ſiue mos, quem præſcripſerat Dominus, quique ad eum vſque diem ſeruatus fuerat. idque ſignificauit interpres noſter dum vertit, *circuierunt vrbem, ſicut diſpoſitum erat, ſepties.* & quia id ſatis clarū erat à 70. prętermiſſum videmus. Confirmatur *primo* quia ſubditur in Hebręo ſtatim, *Eo ſolum die circuierunt vrbem ſepties.* At dicere oportuiſſet, *Octies. Secundo.* ea Latinorum, Gręcorum, & Hebræorum aliorum omnium ſententia eſt. *Tertio.* etiamnum hodie, in Synagogis ſuis, Iudęi Scenopegiæ die ſeptimo in ſeptenę circuitionis huius memoriam, ſepties *memor*, id eſt, ambonem, quem in illarū medio habent: proceſſionis inſtar circumeunt, prout notatum à Paulo Burgenſi in additionibus Matthęi cap. 26. & interprete calendarii Hebræi Latino, itemque nuper ab Erneſto Ferdinando lib. 2. Flagelli Iudęorum cap. 8. Summatim igitur circuitiones XIII.

QVÆSTIO XX.

Hierichuntina mœnia in terræ ſuperficiem an corruerint?

AIt noſter contextus verſu 20. Sed alia Rabbinis hodiernis mens. Putant enim Hierichuntis muros non collapſos & diſſolutos: ſed integros & coagmentatos, dehiſcente terra, deſediſſe, ita vt eorum tota & latitudo, &

A altitudo ſub terram tantummodo condita ſit ſalua tamen & conſtans. Id ſumunt ipſi *primo.* ex Hebręa phraſi, quę verſu 4. eſt, *Et cadet murus vrbis ſub eo*, id eſt, *ſub ſe*: & verſu 20. *cecidit murus ſub eo*, id eſt, *ſub ſe. Secundo.* Chaldęus Thargum vertit verſu 4. *cadetque murus vrbis, & abſorbebitur ſub ipſo.* v. 19. *cecidit murus vrbis, & abſorptus eſt. Tertio.* Thalmudici tractatu *berracheth* capite nono, ſic aiunt. *Quiſquis viderit murum vrbis Iericho abſorptum, fauſta debet is precatione vti.* Et pergunt ijdem ſibi ipſis obiicientes: *Atqui non abſorptus, ſed collapſus eſſe ſcribitur*: Reſpon-B dentque illico: *ſcribitur id quidem, ſed quando latitudo & altitudo ipſius etiam tum ſibi cōſtitere, conficitur abſorptum, non collapſum fuiſſe.* Confirmatur *quarto.* quia poſt murorum mentionem ſubditur è veſtigio, *Et aſcendit vnuſquiſque per locum, qui contra ſe erat.* Aſcendere vero quomodo commode potuit quilibet, ſi diſiecti, poſtratique in terram muri erant? Per lapidum enim & cæmenti aceruos rudes & aſperos pergendum fuiſſet. *Quinto.* Tantis, tā ſubito deiectis & diſſipatis mœnibus: quātę pulueris excitatę nubes, quanta caligo, quanta omniū cęcitas fuiſſet? C *Sexto.* Ad hunc etiam ſenſum exponi facile poteſt Interpres Latinus. Nam tantummodo *corruiſſe muros* dicit. *Corruere* autem potuerunt bifariam. 1. Si diſiicerentur, & in lapidum calciſque aceruos ſtrati humi iacerent. 2. Si infra ſeipſos veluti defoderentur, & toti abſorberentur. Neutrū modū expreſſit Latinus, ſed generatim *corruiſſe* aſſeruit, hunc vel illum *corruendi* modum non definiens. *Septimo.* Tam facilis fuit hic Deo modus, quam vt procumberent mœnia, terręque occuparent ſuperficiem. *Octauo.* D vtram in partem procubuiſſe ipſos putemus? introrſum vel extrorſum? Si *introrſum*: vero eſt ſimile omnes, vel pęne omnes eorum ruina obrutos Hierichuntinos. Nam probabile admodum eſt, ſolitos ad mœnia ſingulis diebus, dum circuirent Iſraelitæ: concurrere, partim vt ea, ſi vis adhiberetur, defenderent, partim vt nouam inuſitatamque aduenarum & hoſtium circuitionem iſtam oculis ipſi ſuis vſurparent. Quanto magis die iſto ſeptimo, cum præter morem ſuos iſtos orbes repeterent Iſraelitæ toties? & accederet nouus tubarum clangor, nouus omnium clamor & intentiſſi-E ma vociferatio? Quod ſi vel omnes vel pene omnes ruina iſta oppreſſi fuiſſent, quinam illi tandem, quos gladio dicuntur Iſraelitę obtruncaſſe? Si *extorſum* inclinarunt & ceciderunt muri, eadem fere acciderunt: ſed illud præterea, vt Iſraelitis obicum plus & impedimentorum obijceret. At ſane *recepta* omnium aliorum *opinio eſt, in ipſam terræ ſuperficiem muros illos eecidiſſe*: idque probatur. 1. ex textu Hebræo, vbi diſerte, vt ſupra vidimus, aſſeritur & caſurus, & cecidiſſe murus. Quod autem cadit, non ſtat: & aliud eſt defodi, terræque faucibus integrum F abſorberi, & abſorptum conſeruari, aliud cadere. Conuenit cum Germanico verbo *fallen* Hebræum *naphal*, imò ab hoc illud progenitum eſt. Certe nemo Germanice dixerit. *vvo ervvas vnter ſich geſuneken vvere, das iſt geffallē.* Quod in eodem Heb. additur, *ſub ſe*, non eam vim habet, vt infra terram abſorptus murus intelligatur, ſed

eodem collapſus. Nam 1. Reg. 14. v. 9. dicitur A etiam Hebraice, *& ſtabimus ſub nobis*. Quomodo *ſub ſeipſo* ſtare quis poteſt? An ſe, armigerũtque ſuum ſtantes, à terra, cum ea diceret Ionathan, abſorbendos putabat, Ridiculum eſt: ſed ſenſus eſt, quem optime noſter ipſe expreſſit interpres: *ſtemus in loco noſtro*: ſiue, non progrediamur vlterius. Voluit igitur Hebræus aliud nihil ſignificare quam Hierichuntinos muros, non ita fuiſſe ablatos, vt vel alio neſcio quo deporrarentur, vel diſſilientibus hinc inde lapidib. procul reiicerentur, ſed in eodẽ, in quo ſtabant, loco procidiſſe. Quod tamẽ quia ex *ca-* B *dendi* verbo colligi ſatis poterat, eſt ab 70. & à Latino præterirum, imo & à D. Paulo Heb. 11. v. 30. Illi enim ſic: ἔπεσεν ἅπαν τὸ τεῖχος κύκλῳ: noſter, *muri illico corruerunt*. D. Paulus τὰ τείχη ἔπεσε: & Ioſephus l. 5. c. 1. κατέπεσε τὸ τεῖχος. 3. Poteſt idẽ confirmari, reſpondendo ad ea quæ obiiciebantur.

Et de *primo* quidem iam dictum eſt. *Ad ſecundum* vero dici poſſet, *abſorberi muros*, quando cadunt, & in quaſdam veluti foſſas cadunt, quas circum Hierichuntem fuiſſe putauit forſan Chaldæus Thargum. Vnde, (*quod tertium erat*) C intelligendi, qui eũ ſequuti ſunt veteres Thalmudici. *Ad Quartum*. Si in vrbis foſſas corruerunt mœnia, pontis inſtar, aut planæ potius viæ inſtar, Iſraelitis vrbem ſubituris fuerunt: ſin foſſæ fuerũt nullæ, quam delicatos ij nobis milites proponunt, qui per deiectos murorum aceruos in vrbem irruere aut non potuiſſe aut noluiſſe viderentur? Par ad puluerem, qui loco quinto noſtris obiicitur oculis, reſponſio. Hæ quotidianæ militibus epulæ. *Puluis, ſitis, ardor, arenæ dulcia virtuti*. De hoc tamen iterum ſeq. q. aliquid. *Ad ſextum*. melius vt in communem D ſenſum adducatur Chaldæus Ionathan & cum eo eius Thalmudici aſſeclæ, quam vt in alienũ & abſurdum noſter trahatur interpres. *Ad ſeptimum*. non quaſi Deo difficilis modus ille negatur, ſed quia eum non aſſerit ſcriptura, imo eum reiicit. *Ad octauum*. ſi circumdata foſſis erat Hiericho, putarim extroſum ad opplendas illas, mœnia, vt dictum eſt, proruiſſe. ſin ſecus, introrſum. Non omnes autem in mœnib. Hierichuntinos fuiſſe, vero eſt ſimilius: licet abſq. dubio fuerint quam plurimi: ſed in foro, in turribus vel ædibus vel aliis locis fuiſſe nõ paucos: E præſertim cum non tanta iã nouitas eſſet poſt alias aliquoties ſpectatas circuitiones. Sed vtrãlibet ſectemur opinionem, vna ſemper supereſt de domo *Rahab* difficultas. Cum enim c. 2. q. 21. eam in vrbis muro infixam & inædificatã doctum ſit, quomodo ruente illo, non ſimul iſta corruit? Reſpondetur hanc muri partem ruiſſe non videri: neque tamen idcirco male à 70. dici *totum circumquaque murum cecidiſſe*. Quãtulum enim hoc muri fruſtillum? Et notũ morale illud: *Modicũ pro nihilo computatur*. Poſſent huc reuocari quæ c. q. 2. q. citata ex Illuſtriſſimo Duce Olycenſi, nupero Hierichuntis oculato F teſte, allata ſunt.

QVÆSTIO XXI.

Eadem mœnia ſponte an corruerint?

GRæci 70. Interpretes circa verſum 5. id aſſeruerunt, dum vertunt, πεσεῖται αὐτόματα τὰ τείχη τῆς πόλεως. In reb. autẽ inanimis dicitur id αὐτομάτως & *ſponte* fieri quod ab illis, vi aut opera quadã extrinſecus adhibita nulla fit: ſicuti apud Demoſthenẽ αὐτόματος θάνατος, *mors naturalis*, quam non vis exterior, ſed interior humorum corruptio procrear. apud Heſiodũ in operib. *morbi*, αὐτόματοι φοιτῶσι: apud alios αὐτόμαται μηχαναὶ, *quæ per ſeipſos mouentur, machinæ*. Quomodo igitur ſine vi vlla, quæ quidem extrinſecus admota ſit: murorum iſtorum facta ſtrages? Num fundamentis imbecilli, vetuſtate caduci, materia vitioſi, ſtructura carioſi, pluuiarũ ac tempeſtarũ iniuria labefactati erãt? Nihil horum. Ideoque *dicendũ, ſponte ipſos corruiſſe*, ſi quidẽ vis, quæ ab hominib. allata ſit, quæque ſub aſpectũ ceciderit, conſideretur: ſin Angelica vis & impulſus, qui oculis perſpectus non eſt, ſpectetur, *ſponte haud corruiſſe*. Hi enim illorum vel fundamenta ſubruerunt, vel coagmentationem occulto quodam modo, efficacitate ſua efficaciſſima diſſoluerunt, totoſq. ſubuerterunt: Iſraelitarum vero in eoſdem muros arietes, catapultæ cuniculi ac impetus nulli prorſus fuerunt. Atque hoc non obſcure indicauit Ioſephus, cum ſcripſit loco ſæpius citato. κατέπεσε τὸ τεῖχος μήτε μηχανῆς μήτε ἄλλης βίας αὐτῷ προσενεχθείσης ὑπὸ τῶν Ἑβραίων. id eſt, *cecidit murus, neque machina, neque vi alia ipſi ab Hebræis illata*. Poſſet autem rurſum quæri, *è quonam genere, qui ruinam hanc ediderunt, fuerint Angeli? mali an boni?* Nam illi quidem tanquam Chananæorum ſceleribus adhibiti carnifices potuerunt mœnia hæc diſturbare, illoſque horum rum ruina vel opprimere, vel Iſraelitarum gladiis mactandos obiicere. Potius tamen crediderim, *à bonis* hoc totum *Angelis* factum, & quidẽ vel ab illo ipſo, qui Ioſuæ oppugnationẽ hanc induxit, victoriamq. prædixit, vel ab aliis quidẽ, ſed eius imperio ac iuſſu. Videtur enim victoriæ tantæ, tamq. admirabilis, cuius auctor, datorq. Dominus, adminiſtri boni potius quã mali Angeli fuiſſe: qui Iſraelitis, poſt tot, & tã pias, tamq. obedienter & demiſſe ſuſceptas circuitiones, arcæ ſacræ baiulationes, tubarũ ſonos, viã in vrbẽ ſtrauerint, impios pœna & clade pios victoria, & præmio affecerint. Nã & iidẽ ſancti Angeli Sodoma & Gomorrha cœleſtib. flãmis delerũt, pium Loth, ſaluum & incolumẽ eduxerunt: iidẽ, vti veriſimilior habet, quam in Exodo tradidi, ſentẽtia, vel omnib. Ægyptũ plagis percuſſerunt: mare rubrũ diſſiderũt: per illud Iſraelitas traduxerunt: in eo ſuis cũ curribus & equis Pharaonem ſubmerſerunt. Quidni vero Ioſuæ fælix in Iericho iter fælices panderent Angeli? Et hi puluerẽ, muraliumq. fragminum aſperitatem omnẽ auertere, ſi opus, fuit, facillime potuerunt. Certe cum *Robertus Francorũ Rex* Auallonem obſideret, intereaque temporis precib. vacaret, vnaque cum ſacerdotib. pſalleret: illius muri ſubito corruerũt, vti notat Eſpencæus tractatu de Euchariſtia, & Lipſius l. Exemplorum Politicorũ c. 2. Quia vero iidem Angeli Dei adminiſtri ſunt, debet in hunc referri princeps cauſa vti recte facit S. Macarius hom. 50. & Rupertus in Ioſuæ cap. 20. *Muri*, ait, *ſolo Dei nutu, & ſine manu hominis funditus corruerant*.

QVÆSTIO XXII.

An tubarum ſonor, populique clamor eadem ſucceſſerit mœnia, & proſtrauerit?

TVbarum ſonore, populique clamore ſuccuſſa & proſtrata Hierichuntis mœnia, videtur è Rabbinis docere Ralbag. *quia magna,* inquit, *vox magno impetu aerem impellit.* hic vero impulſus ſtantia impulit mœnia & deiecit. *Quod* inquit Maſius fol. 112. *ridiculum mihi certe videtur.* Sed è noſtris ecce tibi, quo vix grauior, ſubtilior, & in aſſerendo cautior vllus, D. Auguſtinus ſermone 106. de tempore. *Poſt hæc,* ait, *ad ciuitatem ventum eſt Hiericho, & muri eius ad clamorē populorum, & ſono tubarum, vſque ad fundamenta, deiecti ſunt.* Et poſtea clarius, *ſacerdotibus tubis, Hiericho muri, qui intra ſe continebant peccatorum populum, corruerunt. Non illos pulſauit aries, non expugnauit machina: ſed quod mirum eſt, ſacerdotalis ſonus, aut tubæ terror euertit. Muri qui aduerſus ferrum inexpugnabile extiterant, ſacra tubarum voce colliſi ſunt. Quis enim non ſtupeat in illo facto ſaxa ſono dirupta? fundamenta clangore eſſe quaſſata? & ita vniuerſa collapſa, vt cum victores nihil manu læderent, apud aduerſarios nihil ſtabile remaneret. Expugnabantur tamen forinſecus ſono iuſtorum, intrinſecus habitacula peccatorum. Sic enim æquo Dei iudicio, & iuſtis aperuerunt viam, & defenſionem perfidis negauerunt.* Et D. Hieronymus epiſt. ad Abigaum breuiter: *Corruerunt muri Hiericho ſacerdotalium tubarum ſubuerſi clangoribus.* Diuus Ambroſius lib. 3. off. cap. 10. *Muri Hiericho ſacro tubarum ſono icti: & vlulatu plebis arietati.* Et lib. 1. de fide ad Gratianum capite 1. *Ieſus filius Naue hoſtes, quos totius exercitus manu valide ſuperare non poterat, ſeptem tubarum ſacerdotalium ſono vicit, vti ducem cœleſtis militiæ agnouit.* Origenes hom. 6. *Circundatur Hiericho, expugnari eam neceſſe eſt. Quomodo ergo expugnatur Hiericho? gladius non educitur aduerſus eam: aries non dirigitur, nec tela vibrantur: tubæ ſolummodo ſacerdotales adhibentur, & his Hiericho muri ſubruuntur.* Et initio hom. 7. *Hiericho tubis ſubruitur ſacerdotum. Statim enim vt tubarum clangor increpuit, murorum deiectus eſt ambitus.* Deinde vim ad nonnulla commouendum & proſternendum in ſonis magnis ineſſe, oſtendi poteſt multiplici experientia. Dum etenim cāpanæ pulſantur maiores, dum bombardæ globos eiaculantur grandiores, quantus aëris, ædium, feneſtrarum, turriumque motus? Quid cum *intonuere poli, crebris micat ignibus æther?* Nōne, quod ait lib. 2. naturalium quæſtionum Seneca, *concidunt homines & exanimantur?* nonne viri quidam ſtupent, & in totum ſibi excidunt, quo vocamus *attonitos?* quorum mentes ſonus ille cœleſtis loco pepulit? Hinc apud Poetam Cyclops ille

Clamorem immenſum tollit, quo pontus & omnes
Intremuere vndæ.

Et alius.

Paſtorale canit ſignum, cornuque recuruo
Tartaream intendit vocem, qua protinus omne
Contremuit nemus, & ſyluæ intonuere profundæ.

Similia in Homero, & aliis. Sed ne velut poetica contemnantur hæc, diuini etiam libri ſonis ac vocibus magnas etiam moles concutiendi vim tribuunt. Pſalm. 45. verſ. 7. *Dedit* (Dominus) *vocem ſuam, mota eſt terra.* Et manifeſtius. Ezech. 36. verſu 10. *Inundatione equorum eius operiet te puluis eorum, à ſonitu equorum, & rotarum, & curruum mouebuntur muri tui.* Dico *Primo.* Nullus, quantumuis ingens, intentus, & multiplicatus hominum, tubarumque noſtrarum ſonus murum, molemue vllam vel modice firmatam, poteſt naturaliter ſolus deiicere, aut commouere. probatur *Primum.* Ad ſonum concurrunt tria hæc 1. corporum duorum aut ſolidorum, aut quaſi ſolidorum colliſio. *Secundo.* aeris vel ſimilis corporis inter duo illa intercepti confractio & contritio. *Tertio.* corporis huius confracti & contriti diffuſio, eiuſque veluti fuga & receſſio. Atque hoc eſt à quo moueri, & impelli poteſt quidpiam. Dum enim ſic fugit ac recedit, ſi quæ occurrant corpora, ea ferit, & ſi quo modo poteſt, propellit. Et quidem *vicinum,* primoque obuium aerem commouet ac propellit ſemper: quia corporum alioqui daretur penetratio: & aer ad motum recipiendum ſuapte veluti ſponte perfacilis eſt: *remotum* vero non ſemper. quia ſenſim fugientis illius debilitatur impetus, ſicque vltro progredi ac impellere deſinit. Sed in iſto eius progreſſu, alienorumque corporum impulſu conſiderandum, vt longe poſſit ac fortiter progredi ac impellere, neceſſarium eſſe *primo* vt magnæ vi fratrum, contritum, & extruſum ſit. *Secundo.* Vt non exile quid ac tenue ſit, ſed quantitatem habeat maiorem. Nam ſi deſit prius, à fuga illico ſiſtetur, neque, vel ipſo ſtatim initio, vehementer proximum aerem mouebit. Si deſit poſterius, à circumſtante, ac longe lateque diffuſo aere mox compeſcetur, neque vel progredi, vel pellere quidquam poterit.

Nunc mihi vide, cum noſtræ crepant tubæ, cum clamamus, quam exiguus à ſingulis profunditur ſpiritus, qui vel in tubis, vel in arteriis, faucibuſque noſtris confringatur, & extra tubam noſque ipſos extrudatur? Et vbi extruſus eſt, quam languidus, & ignauus vix ſeſe paululum volutat? quam in vaſtum, qui nos ambit, aerem, facile ſoluitur ac diſſipatur? adeo vt philoſophorum plerique ad aures paulo remotiores non verum rectumque ſonum, ſed eius tantummodo ſpecies ſeu ſimulachra peruenire, magno applauſu doceant. Quomodo igitur ſolita corpora, muros, & moles vllas modice firmatas labefaciat ſonus hic? Neque ad hoc in tubarum clangorumque ipſorum multitudine momenti quidquam eſt. Nam omnium illico ſpiritus in omnes vaſtiſſimi huius aerij ſpacij partes ſpargitur, & refrigeratus hebeſcit, atque conquieſcit. *Secundo.* Ambigit Ariſtoteles, an ſi conſonent conclamentq. plurimi, audiantur ij longius, quam ſi ſonarent, clamarentque ſinguli. Nam affirmat problem. Sect. 19. problem. 2. negat vero ſect. 11. problem. 52. Vehementior igitur, fortiorque aeris motus non eſt, etiamſi ſint quampluimi quāplurimorū ſonores. *Tertio.* Si poſſent id

Digitized by Google

genus intentiſſimi, numeroque maximo au-ctiſſimi hominum ſonores ſtantia deiicere ſolida corpora, primo vtique deiicerent, quæ proxima ſunt, & in quæ incurrunt citius: in caſtris nimirum, vicinas arbores, ſua ipſorum ſigna, lanceas, tentoria. imò qui clamarent & ſeipſos ſternerent: & alij alios. *Quarto.* Expedita, planeque lepida, & bella foret hæc exſcindendarum vrbium ratio. Deligendi enim ad obſidiones tantum forent Homerici Stentores, Herodotei ad hiſtiæum vocandum Ægyptij, alijque id genus clamoſi: iis deinde maxima cornicinum, liticinum, tubicinum & tympaniſtarum vis iungenda: pueri etiam fortaſſis ac puellæ cum nolis & crepitaculis quam plurimis aggregandæ. *Quinto.* Si è ſono motus ad rerum ſtrages adiuuaret tantopere, multo magis, ſi magni & integri exercitus circumcirca, impetu & celeritate currerent maxima, brachia iactarent, & alioue quouis vehementiore modo aerem agitarent.

Neque Ralbag, neque Sanctus Auguſtinus ſola naturali tubarum clamorumque vi auulſos Hierichuntinos muros aut dixerunt, aut putarunt. Nam & Rabbinus ille diuinam adiungit efficientiam, & ſanctus patet hic: Sed ille ſonos iſtos, velut aptum ad quatefacienda mœnia inſtrumentum, conſiderauit, quia per eos moueretur & impelleretur aer: per hanc mœnia. Quod tamen nihil eſt. Nam neque in ſupernaturalibus, naturali inſtrumentorum ipſorum facultate indiget Deus: neque ſi quando eiuſcemodi, ob congruam aliquam cauſam adhibeat: ea ratio in tubalibus humaniſque vocibus locum habet. Perexigua enim vel pæne nulla earum, ad ſolida & fixa mouendum vis, curſum potius & incurſum, corporum variam inſtitutionem & velocem rerum quarumque motum præcepiſſet potius.

III. Non eſt tamen diffitendum potuiſſe, ſi voluiſſet: Deum clangoribus, clamoribuſque iſtis tanquam inſtrumento, ad mœnia illa demolienda vti. Qualibet enim creatura quantumuis inepta, poteſt ille ad quos libuerit effectus vti: & ſunt, qui CHRISTI Domini Ioannis c. 5. Archangeliq. vocem 1. Theſſ. 4. & nouiſſimæ tubæ clangorem, 1. Cor. 15. Matt. 24. phyſice, inſtrumentali hoc modo, mortuorum reſurrectionem efficere annuant, vt Euthym. c. 7. in Ioannem, Toletus in eiuſdem S. Ioannis c. 5. Soarez tom. 2. diſp. 50. ſect. 4. Thyræus de glorioſa CHRISTI apparitione c. 4. num. 214. Voluiſſe autem Dominum hiſce, tanquam inſtrumento, vti ſonoribus vnde coniectura vlla fiat?

IV. Mœnia iſta iidem ſonores non phyſica vlla effectione naturali vel ſupernaturali, ſed morali ſola diruerunt, humique ſtrauerunt. Hoc enim quaſi ſigno dato, fecerunt Angeli, quod ſuperiore quæſtione dictũ eſt. *Prior* pars hactenus 1. & 3. propoſitione probata eſt: *Poſterior* colligitur primo ex textu, qui v. 5. & 20. indicat, ad murorum iſtorum ruinam aliquo concurriſſe modo concinentes tubas, & vociferantes Iſraelitas: ſed alius quam moralis modus eſſe non poteſt. Ergo. *Secundo.* De hoc mundo loquitur etiam S. Auguſtinus, S. Hieronymus,

A & forte Ralbag. *Tertio.* hunc eundẽ modũ vocis & tubæ mortuos è ſepulchris excitãdi tribuit S. Chryſoſt. 1. Theſſ. hom. 8. Scotus 4. d. 43. aliique complures, in quibus etiam Soarez loco citato. Ex his autem quid *ad obiectas experientias* dicendum ſit intelligitur. Nam ſonantibus campanis immugientibus bõbardis maioribus *primo* commouentur vicina tigna, & machinæ, ad quas alligantur: *Deinde*, aer etiam ipſe, paulo etiam remotior. quia qui diffringitur & fugit, vi quadam maiore diffringitur. *Tertio.* alia, quæ ſolida ſunt, & tenuiter ſtatuta ſtant, paululumque diſtant, nihil aut perparum mouentur.

B *Quarto.* ſi mouentur, non ita tamen vt concidant, mouentur, ſed intremunt aliquantulum, vt feneſtræ, Sic & in tonitu, ſed multo magis quia & multo vis in aeris è nube protuſi colliſu confractuque maior: & aer ipſe multo copioſior atque cõglobatior. *Poetarum* porro clamores hyperbolici ſunt, decore tamen, ita vt pontum & nemus tantum contremuiſſe aiunt, non in illo euerſas naues, in iſto euulſas arbores. *In ſcripturis* vero. 1. diuina vox eius imperium eſt. 2. quęcunque vox

C ipſius iuſſu, poteſt mouere tam moraliter quã Phyſice terram, vti dictum prop. 3. & 4. 3. *Terra*, vocatur etiam homines, qui clamoribus mouentur, eo modo, qui expoſitus quæſt. 12. Sicque accipiendus Ezechiel. vel dicendum, non raro in affectionum deſcriptionibus Poeticã, Oratoriamque grandiloquentiam à Prophetis vſurpari, vt Pſalm. 113. *montes exultauerunt vt arietes.*

D

QVÆSTIO XXIII.

Quomodo in vrbem introierint Iſraelitæ, quidue cum ea egerint?

AD omnia reſpondet contextus. Nam *primo aſcendit vnuſquiſque per locum, qui contra ſe erat.* verſu 20. Sermo eſt de bellatoribus, vt ex ſequentibus apparet. His enim ad occidendum erat gladius: & cur introire vellẽt alij, cauſæ nihil erat, in illo præſertim primo expugnationis furore. Nam Hierichuntinorum forte aliquis inermes eos læſiſſet: ac prædæ in

E proprium peculium accipi nihil à quoquã debeat. Quę vero accipienda Domino erant, ea bellatores accipere ac ſeruare ipſi potuerunt. Poſtea tamen omnib. iã occiſis fieri potuit, vt videndę tã nobilis vrbis cauſa, eã è toto Iſraelitarum exercitu ingrederentur, qui vellent, viri ac fœminæ, pueri ac ſenes: antequam depopularetur omnia vorax flamma. *Secundo ceperunt ciuitatem. Tertio interfecerunt omnia quæ erant in ea.* Rebus ipſis accommodatum ponit interpres noſter verbum, quod Hebræi effectum reddit. Id autem eſt, *iacherimum*, id eſt, *anathema*

F *fecerunt*, omnia quæ in vrbe fuerunt, eo ſcilicet præcepto, quod ſupra præceptum quæſt. 14. & 18. Ideoque & 70. vertunt ἀναθεμάτισαν. Iam ſubditur omnium illorum particularis quædam enumeratio verſu 21. *A viro vſque ad mulierem, ab infante vſque ad ſenem. Boues quoque & oues, & aſinos in ore gladij percuſſerunt.* Et verſu 24.

Digitized by Google

Vrbem, & omnia quæ fuerunt in ea, ſuccenderunt. fuit ab anathemate iſto bipartita exceptio. *Vna* quoad homines, Raabam ſcilicet, omneſque, qui ex ipſius cognatione, cum ipſa verſu 23. *Altera* quoad res duplices: alias ſcilicet ciuitatis totius communes: alias ipſius Raab proprias. Illæ fuerunt res metalicæ, aurum, argentum, vaſa, ærea, ferrea, verſu 24. Iſtæ verò, ipſa domus Raab, & quæ in ea omnia, ſed vide infra quæſt. 33. 35.

QVÆSTIO XXIV.

Quam ob rem arcæ circumgeſtatione bellum hoc geri voluerit Dominus?

P*Rimo* quidem & maxime, vt ſe populo ſuo adeſſe, victoriamque dare monſtraret Dominus. Arca enim præſentiæ diuinæ ſymbolum & à Domino eſt victoria Machab. 3. *II.* Vt populi eiuſdem fides ac obedientia exerceretur, dum ea, quæ ad bellum gerendum parum aut nihil idonea videbantur, fierent. Cui enim rei arca? cur non admouentur muris potius arietes cur ſaxifragæ non aduehuntur potius machinæ? Nimirum non armorum vi, ſed ſola Dei vi ac potentia vrbs hæc expugnanda erat. *III.* Vt Hierichuntina idola, ſceleſtique Dij noua veri viuẽtiſque Dei præſentia, nouis eius myſteriis, & hierothecis perterrerentur, ſeque in fugam conijcerent. Notum ex Macrobio lib. 3. Satur. c. 7. quemadmodũ Romani, cum vrbem aliquam obſiderent, huius tutelares Deos carmine certo euocarint, ijſque Romæ auguſtiora & templa & ſacra ſpopõderint. At nulla hic Dæmonum iſtorũ euocatio, nulla cultus melioris promiſſio: ſed illorum execratio, exterminatio, exanimatio. Quid enim illis animi, cum Deũ viderent, qui omnem ipſorũ cultũ vetaret: cũ eius arcam intuerentur, qui omnes ijs aras & ſimulachra eriperet? cum eius ſacerdotes aſpicerent, qui nullos ipſis flamines, flaminicaſue concederet? *IV.* Vt in toto terrarum orbe idololatriam, totamque ipſi adiunctam ſcelerum colluuiem à Dei arca, quæ eſt ſacroſancta Dei Eccleſia, ab ipſis ſanctiſſimis legibus & verbis, quorum in illa conditi libri: ab ipſius ſacerdotibus & miniſtris circumcingendam, & diruendam ſignificaretur. *V.* Vt ſacrarum, quæ in Eccleſia Catholica futuræ olim erant, proceſſionum figura & exemplum extaret. Neque enim ſi in Deorum inanium honorem amburbalia & ambarualia celebrarent Gentiles, ideo malum eſt Iſraelitas, ad veri Dei ſui gloriam, cum eius arca circuire. *VI.* Vt in hiſce proceſſionibus intelligeremus non abſone circumferri terque quaterque venerandum EVCHARISTIÆ ſacramentum, ſacra CHRISTI Domini vexilla, & cruces, ſanctorum reliquias, aliaque id genus, quę apud Chriſtianos diuini cultus inſtrumẽta ſũt. Quod enim fuit in Iudæorum Synagoga fœderis arca: hoc in Chriſtianorum Eccleſia, eſt ſacra, quam tetigi, ſupellex. Vnde præclarum illud contra Conſtantinopolitanos Arianos à Sancto Chryſoſtomo inſtitutum, vt per vrbis plateas, *cum crucibus argenteis, & lychnis compluribus* procederẽt Catholici, ſanctamque vna Trinitatem hymnis ac laudib. celebrarẽt, prout referunt l. 6. c. 8. Socrates, l. 8. 8. c. Sozomen. Cũ à noſtris Godefrido Lotharingo Duce, anno Domini 1099. Hieroſolyma obſiderentur, in ipſis Chriſtianorum caſtris *de publico decreto*, ait lib. 8. belli ſacri cap. 11. Vvilhelmus Tyrius, *indictæ ſunt vniuerſo populo litaniæ: & aſſumptis crucibus, & ſanctorum patrociniis, Epiſcopi & Clerus vniuerſus induti ſacerdotalibus & Leuiticis indumentis, nudis pedibus, & cum multa deuotione populum ſubſequentem vſque ad montem Oliueti præceſſerunt. Vbi vir nobilis Petrus eremita, & Arnolphus Nordmannorum Comitum familiaris, vir litteratus, exhortationis ſermonem habentes ad populum, in quantum poterant ad longanimitatem animabant.* Quis vero eiuſmodi proceſſionis exitus? Audi quæ eodem libro cap. 21. citato. *Vrbe iam capta & armis depoſitis, in ſpiritu humilitatis & in animo contrito, nudis veſtigiis, iunctis manibus, & ſumptis mundioribus indumentis cum gemitu & lachrymis loca venerabilia, quæ Saluator propria voluit illuſtrare, & ſanctificare præſentia, cœperunt iam omni deuotione circuire, & cum intimis deoſculari ſuſpiriis: ſpecialiter autem Dominicæ Paſsionis & reſurrectionis Eccleſiam, vbi Clerus & populus fidelium, qui per tot annos duræ nimis & indebitæ ſeruitutis iugum portauerant, de reſtituta libertate, Redemptori gratias exhibentes, cum crucibus & ſanctorum Patrociniis, Principibus occurrentes, eos in prædictam cum hymnis & canticis ſpiritualibus introduxerunt Eccleſiam. Intueri enim erat amœniſsimum, & ſpirituali plenum iucunditate, quanta deuotione, quanto pij feruore deſiderij, ad loca ſancta accederet populus, quãta mentis exultatione & ſpirituali gaudio Dominicæ diſpenſationis deoſculabantur memoriam. Vbique lachrymæ, vbique ſuſpiria, non qualia mæror & anxietas ſolet extorquere. ſed qualia feruens deuotio & interioris hominis conſummata lætitia, ſolet Dominicæ in holocauſtum incendere. Erat porro tam in Eccleſia, quam per vniuerſum orbem tantus populi, gratias Domino exhibentis, clamor, vt iam quaſi vſque ad ſidera tolli ſonus videretur, vt de ijs merito dictum crederetur.* Vox lætitiæ & exultationis in tabernaculis iuſtorum. *Feruebant ſane pio ſuccenſa deſiderio, per vrbem vniuerſam opera miſericordiæ. Hi Domino confitebantur deflenda quæ commiſerant, voto ſe obligantes ne de cætero deflenda committerent: illi in ſenes, valetudinarios & egentes profuſa liberalitate cunctam erogabant ſubſtantiam, pro ſummis & ſufficientibus reputantes diuitiis, quod hunc vidiſſe diem, ſibi fuerat conceſſum diuinitus: illi flexis nudiſque genibus, cum ſingultibus & præcordialibus ſuſpiriis loca circuibant venerabilia, lachrymarum cuncta replentes aſpergine: quorum vero ſermo dirigebatur ad Dominum, Exitus aquarum deduxerunt oculi mei. Quid plura? Difficile eſt, vt noſtro comprehendatur ſermone, quanta in plebe fideli ſanctæ deuotionis eſſet immenſitas. Certatim enim ſe mutuo vincere cupientes, in operibus pietatis vnanimiter deſudabant, cœleſtis memores beneficij, & gratiam præ oculis habentes diuinam, quæ tantos eorum labores remunerare dignata eſt? Quis enim tam ferrei pectoris, quis mentis adamantinæ? cuius interiora non liquefierent, cum liceret tantæ peregrinationis fructum capere digniſsimum, & exhibitæ militiæ numerare ſtipendia? Quis tamen mens erat altior, in arcam futuræ retributionis, qua ſanctos ſuos ſe remuneraturum promiſit Dominus, id muneris videbatur exhibitum, vt per collationem præſentium

minerum firma ſit expectatio futurorum, & per eam A *qui hic peregrinatur Hieruſalem, ad eam perueniatur, cuius participatio eſt in idipſum. Porro Epiſcopi & ſacerdotes in Eccleſiis conſummantes ſacrificia, orabant pro populo, pro collato beneficio gratias exhibentes.* Habent iſta cum Hierichuntino ſacræ arcæ geſtatu, partaque victoria non nullam ſimilitudinem. Omniaque hæc ad proceſſiones noſtras nuper accommodata libro primo, *de Proceſſion.* capite tertio. Vbi & expoſita ſextuplex Iudæorum anniuerſaria in huius memoriam circuitio p. 17. De arcæ vero geſtatione plura l. 1. Reg. c. 4. vbi & ex Iuſtini l. 7. afferetur geſtatus ad B prælium infantulus in cunis Rex. victoriæ non auctor ille quidem: magnus tamen adiutor & incitator. At maior in Domini arca quam in puerulo illo vis.

QVÆSTIO XXV.

Cur multitudine, ordineque ſupra expoſito circuitiones facta.

MVltitudinis cauſa non vna eſt. *I.* enim eũ ſponte meritiſſimo Dominicæ arcæ honorẽ haberi oportuit, vt quam frequentiſſimo C populi comitatu ea progrederetur: Si enim Regibus, Principibus & Dominis honor eſt, ſi eos aſſectentur & comitentur quam plurimi, deceatne diuina myſteria, Deumque ipſum incomitatum deſeri? *II.* quando publice quod ad religionem Deique cultum facit, geritur, æquum eſt omnis ordinis & ætatis homines concurrere: adeſſe viros & fœminas: ſacerdotes & Laicos: pueros & ſenes: milites & ciues: galeatos & togatos. *III.* Arca Dei erat quoddã veluti nomophylacium. Quia Dei ergo debent ab omnibus obſeruari leges, conſentaneum vt ſacrę arcæ comitentur, quoad eius fieri poſ- D ſit: omnes. *IV.* Hiericho vrbs opulentiſſima, venuſtiſſima, deliciarum, amœnitatumque omniũ feraciſſima, eſt hic mundus. Contra hũc omnium feruere debent ſtudia: Deũ ſequi, ſacris eius legibus ac myſteriis adhæreſcere: ſacramque inter ſeipſos ſocietatem coire, vt circa mũdi huius vana fluxaq. bona circũeant: oportet omnes. *V.* Si pauci aliquot vel bellatores, vel ſacerdotes, aliiue ipsã circuiſſent Hiericho, hoſtib. terroris minus, ſibi periculi plus creaſſent dum in eos prõptior oppidanorũ eruptio fuiſſet. Nunc vero dum tot & tãti ſunt, hoſtem in- E tra mœnia trepidãtem ſtupentemque continẽt: ipſi vero alij aliorum comitatu ſepti tectique omni vacant periculo, ſecuri pergunt, è caſtris veniunt, in caſtra redeunt. ſemper *vis vnita fortior: Et quæ non proſunt ſingula multa iuuant*, *VI.* Egent bellatores & Laici omnes ſacerdotum ope: ſacerdotes bellatorum & Laicorum auxilio. coniurant in hoc mundo & in ſancta Dei Eccleſia ordines omnes amice. Protegit armis ſacerdotes miles: militẽ arca Dei ſacrilq. tubis ſacerdos: i. e. myſteriorum verborũq. diuinorũ adminiſtratione. O Eccleſia ſanctę ſocietas? O ſanctorum ſancta communio? O membrorum F CHRISTI omnium ſancta compages, nexus, & charitas?

Ordinis porro *cauſa I.* eſt, oportunitas. Nam tutius inermes progrediuntur, quibus armatorum præit globus. *II.* Medius locus ſacerdotibus. ideo tributus, quia ab ijs in omne genus hominum, in primos & vlt. tamq. à corde in membra cætera ſpiritalis vita eſt: ij tanquam in extremorum medio virtus, debent prę cęteris omnibus ſanctitate ac iuſtitia excellere. *III.* figura hic quędam eſt omnium, qui ab orbe condito contra mundi huius flagitia depugnant. Bellatores, naturæ nobis ſtatum proponunt: ſacerdotes Moſaicę, legis cæremonias: ſecutum omnis generis inermium hominum agmen, Euangelij & pacem & omnimodam multitudinem. Nam in Eccleſia Catholica Iudæi & Ægyptij, Græci & Scythę, ſerui & liberi, viri & fœminę, pueri & diſcipuli, omnes denique cuiuſcunque regionis & nationis ſint, cuiuſcunque religionis & ſuperſtitionis fuerint, locum habere poſſunt. *IV.* Pro aris & ſacris, pro ſacerdotibus & ante ipſos, ſtare fortiterque depugnare Chriſtianas acies conuenit. Poſt eos, quæ alioqui cariſſima omnibus pignora ſunt: poſtponenda, vxores, liberi, ſeruitia, quidlibet aliud. Nihil Chriſtianis principibus tam ſeptum, & omni præſidio circumuallatum, quã religio eſſe debet. *maior vobis* (alloquitur Imperatorem Sanctus Symmachus) *fidei cauſa eſſe debet, quam regni: ampliuſque pro pace Eccleſiarum clementia veſtra debet eſſe ſollicita, quam pro omnium ſecuritate terrarum. V.* Proceſſionum noſtrarum quidam hic etiam typus: maxime vbi ab hoſtibus pericli aliquid eſt. Exemplum habes in Hieroſolymitanę obſidionis litania quæ ſupra quęſt. 24. indicata.

QVÆSTIO XXVI.

Cur diebus tubis, & circuitionibus pluribus vtendum hic cenſuit Dominus?

DIerum plurium *ratio prima* recte à ſumma Dei erga Hierichuntinos benignitate ducitur. Potuiſſet enim primo, ſi voluiſſet, die, imo prima hora & momento eorum diſiicere mœnia: ſed lõganimis eſt, miſericors Dominus. ad penitentiam nos ſemper expectat & inuitat: iram differt: exitium, quod peccatoribus mittendum, quoad poteſt, procraſtinat. Exemplũ eius veriſſimum qui à poetarum quodam laudatur. *Ad pœnam tardus princeps, ad præmia velox. II.* ab eiuſdem ſapientia & bonitate erga Iſraelitas eſt. Voluit eorum fidei ac obedientię diutius exercendę oportunitatem dari. *fide*, ait Apoſtolus Hebr. 11. verſu 30. *muri Iericho corruerunt, circuitu dierum ſeptem.* Fides iſta & Ioſuę ipſius & vniuerſi populi fuit dum ad eam in orbem obeũdam vrbem, toties, tot diebus, ventitabãt. Dicerent infideles & immorigeri aliqui: Quorſum dies, vrbiſque gyrationes tot? Non poteſt Deus noſter vno confeſtim die muros iſtos euertere? *III.* Vt Iſraelitarum accenderetur magis deſiderium, maior in precibus ardor excitaretur. Creſcunt enim quę aliquantulum differuntur deſideria. *IV.* Vt diſcerent iidem in iis, quę ad modum concupiſcerent, modum ſemper tenere. Dum nimio in cibos impetu feruntur famelici, ſuam non recreant, ſed obruunt naturã. Si cupiditatẽ frænaſſet Eſau, primogenita tam

Digitized by Google

pro nihilo non duxiſſet Geneſ. 25. verſu 32.34. In cupiditatibus hiſce omnibus *Differ, habent paruæ commoda magna moræ. V.* Vt, in Dei promiſſorum expectatione, mādatorumque ipſius obſeruatione, precum, religionumque omniū tractatione, conſtantia nobis & perſeuerantia commendetur, partim ipſo dies iſtos præſcribentis Dei decreto, partim ei obſequentium Iſraelitarum exemplo. *VI.* Vt clare fieret omnibus manifeſtum, non fortuita aliquo vel caſu vel cauſa, cuiuſmodi aliquando in terręmotibus accidit: ruinam hanc factam, ſed præfinito deſtinatoq; ſuperioris agentis cauſę conſilio ac voluntate, prout declarat plurib. Abulenſis q. 3.

Tubæ fuere *plures, primo.* Vt maior eſſet ſonus qui & ab Iſraelitis tam multis & ab Hierichūtinis omnibus exaudiri poſſet. Neque enim longius, ſi plurium clamor ſit: perferri ſonum cum Ariſtotele, de quo ſupra quęſt. 22. vllus ambigo. Sonus autem iſte Iſraelitas, vti dictum eſt: incitabat, & recreabat: Hierichuntinos vero ad pœnitentiā, ſi ſaperent, inuitabat, & conterrebat. *Secundo.* vt Euangelij pręconum ſignificaretur multitudo. *Tertio.* vt eorundem in mundana Hierichunte diruenda officium efficacitas, & vis demonſtraretur. Omnia hæc pulchre inclyti, priſcique tubicines ediſſeruerunt. S. Auguſtinus & Origenes. Ille quidem ſerm. 106. de tempore, hiſce verbis. *Hiericho fratres, typum habuit mundi huius. Sicut enim tunc canentibus tubis muri illi ceciderunt, ita & nunc oportet vt ciuitas mundi, id eſt ſuperbia cum ſuis turribus, auaritia ſcilicet, inuidia atque luxuria, ſimul cum populis, id eſt, omnibus concupiſcentijs malis, aſsidua ſacerdotum prædicatione deſtruatur atque diſpereat. Non ergo oportet, vt ſacerdotes in Eccleſia taceant, ſed audiant Dominum dicentem: clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum. Clamare ergo iubemur, & vehementer clamare. Ne parcas, inquit, id eſt, peccatoris iniquitati, ne tacendo pereat: & dum verecundiæ eius conſulis, non conſulis ſanitati, ne vulnera illius quæ clamando reſecare poteras, reticendo in peius enutrias. Clamare ergo iubemur, & ne quis ſe non audiſſe dicat, aut quenquam vox lateat ſacerdotis, vehementer clamare. Et ne forte hoc ipſum non ſufficeret, addit, dicens: Sicut tuba exalta vocem tuam. Scitis quod tuba non tam oblectationis eſſe ſoleat, quam terroris: non tam delectationem præferre, quam inferre formidinem. Tuba itaque peccatoribus neceſſaria eſt, quæ non ſolum aures eorum penetret, ſed & cor concutiat, nec delectet cantu, ſed caſtiget auditu, & ſtrenuos quoſque hortetur in bonis, & remiſſos terreat pro delictis. Nam ſicut in prælio tuba formidoloſi militis mentem deijcit, & animum fortis accendit: ita & ſacerdotalis tuba mentem peccatoris humiliat, animos viri ſancti corroborat. Nec parcit voci, vt parcit ſaluti: & vno eodemque ſono iſti adhortationem dat, quemadmodum ſit fortior ad vicendum: illi terrorem incutit, quemadmodum ſit tardior ad peccandum. Hæc enim conſuetudo tubæ eſt, vt delinquentium opera diſſipet, & ſanctorum facta confirmet. hæc omnia in figura facta eſſe, non dubium eſt. Nam ſacerdotales illius temporis tubas quid aliud præfiguraſſe credimus, quam huius temporis ſacerdotum prædicationes, per quas non ceſſant peccatoribus terribili ſono auſterum iudicium nunciare, triſtem gehennæ interitum prædicare, & quodam comminationis ſtrepitu aures delinquentium verberare? Sicut enim tunc tubarum clangor deſtructis prauis cogitationibus ad animæ nuda pertranſit. Et ſicut ſacræ vocis ſonus contumacē populum deſtruxit & captiuauit, ita & nūc ſacerdotalis prædicatio populū peccatorem ſubiugat.* Orig. hom. 7 *Hiericho formā ſæculi præſentis obtinet, cuius robur & munimenta ſacerdotalibus tubis videmus eſſe deſtructa. Firmitas namque & munimenta quibus velut muris mundus iſte nitebatur, idolorum cultus erat diuinationum fallacia arte Dæmonum miniſtrata, augurum atque aruſpicum magorumque commenta, quibus omnibus velit muris validiſsimis ambiebatur hic mundus: Inſuper etiam diuerſis philoſophorum dogmatibus, & eminentiſsimis aſſertionibus ac diſputationibus, velut proceris quibuſdam & robuſtis turribus firmabatur. Veniens vero dominus noſter IESVS Chriſtus, cuius ille prior filius Naue deſignabat aduentum, mittit ſacerdotes Apoſtolos ſuos portantes tubas ductiles, prædicationis magnificam cæleſtemque doctrinam Sacerdotali tuba primus in Euangelio ſuo Matthæus increpuit: Marcus quoque, Lucas, & Ioannes ſuis ſingulis tubis ſacerdotalibus cecinerunt. Petrus etiam duabus epiſtolarum ſuarum perſonat tubis Iacobus quoque & Iudas. Addit nihilominus adhuc & Ioannes tuba canere per epiſtolas ſuas & Apocalypſim, & Lucas Apoſtolorum geſta deſcribens. Nouiſsime autem ille veniens, qui dixit: Puto autem quod nos Deus nouiſsimos Apoſtolos oſtendit, & in quatuordecim epiſtolarum ſuarum fulminans tubis, muros Hiericho, & omnes idololatriæ machinas, & philoſophorū dogmata vſque ad fundamenta deiecit.* Atque hoc poſtremum de S. Paulo egregie, vti ſolet: reſonat aurea. S. Chryſoſtom. tuba hom. 25. in 2. Cor. *Quemadmodum,* ait, *ſimiles vnus, ab vniuerſo terrarum orbe bello impetitus, inter medios hoſtium cuneos verſetur, nec quicquam aduerſi patiatur, ſic etiam Paulus ſolus inter Barbaros, inter Gentiles, vbique terrarum, atque in omnibus maris partibus apparens inuictus manebat. Atque vt ſcintilla aliquid in ſtipulā ac fœnum incidens, in naturam ſuam vertit ea quæ vruntur: ad eundem hic quoque modum inuadens, omnes ad veritatem traducebat, torrentis inſtar omnia.* D. Ambroſ. prologo lib. 1. de fide ad Gratianū: *IESVS quoque filius Naue hoſtes, quos totius exercitus manu valida ſuperare non poterat, ſeptem tubarum ſacerdotalium ſono vicit, vbi ducem militiæ cæleſtis agnouit. Ergo & tu vincere paras, qui Chriſtū adoras, vincere paras, qui fidē vindicas.* Et in eod. opere l. 5. *Nō æratas acies in bella produxit* Ioſue, *nec ariete, cæteriſque tormētorum machinis, ſed tubarum ſeptem ſacerdotalium ſono, murorum hoſtilium ſepta depoſuit, Ita bellum immane confecit tubæ clangor, & infula ſacerdotis, Circuitionū* vero *plurium cauſæ*, quæ dierum eædem. Sed quia varias Catholicorum ritus & cæremonias fatuæ cuiuſdam inanitatis ac ſtultitiæ accuſant noſtri hæretici: abs re non fuerit hoc ipſum Dei, Ioſuæ, ac Iſraelitarum exemplum in memoriam ijs redigere: & quidem, quo apud eos auctoritatis plus habeat, ipſiuſmet magni apud eos rabbi verbis: Caluini ſcilicet, qui hoc in loco ita ſcribit. *Iubet Deus vno circuitu quotidie vrbem luſtrare vſque ad ſeptimum diem quo iubet ſepties eos circuire, clangere tubis & vociferari: quod totum nihil aliud fuit, quam pueriliter ludere. Verum hoc examine probari eorum fidem operæ precium fuit: vt in re ipſa nihil præter meram fruſtrationem cernentes, acquieſcerent nihilominus in DEI miraculo: quo etiam conſilio ſæpe virtutem ſuam ſub infirmitate ad tempus occultat,*

& inanibus nugis videtur ludere, vt eius debilitas tandem omni potentia fortior appareat, & ſtultitia ſupra omnem ſapientiam refulgeat. Sic dum ratione ſua faceſſere iuſſa, ab eius ore pendent Iſraëlitæ, ineptiendo longè plus proficiunt, quam ſi violento conatu irruptionem facerent: murosque quatefacerent validiſſimis & innumeris machinis. Tantum eos ad breue tempus ſtuleſcere oportuit, neque appetere nimium acumen anxie ac ſubtiliter de euentu ſciſcitando: quia id fuiſſet Dei potentiæ quodammodo viam obſtruere. Interea quanquam ludibrio eſſe potuit circulat. eorum ambulatio, tandem proſpero ſucceſſu cognitum fuit, Deum nihil fruſtra præcipere.

QVÆSTIO XXVII.

Cur, cùm tubarum clangore; modo ſilentium modò clamor populo indictus?

O*Mnia*, inquit Eccleſiaſtes cap. 3. verſ. 1: *tempus habent. Tempus tacendi, tempus loquendi* verſu 7. Vtrumque vero tempus, in communi omnium negocio, non cuiuſque arbitrio permittit Ioſue: ſed tanquam is, cui communis publicique boni cura eſſet, illud accurate diſpenſat, populoque indicit verſu 10. *Non clamabitis, nec audietur vox veſtra, neque vllus ſermo ex ore veſtro egredietur, donec veniat dies, in quo dicam vobis: clamate & vociferamini.* Dies vero ille fuit dies ſeptimus, & quidem tum, cum ſeptima fuiſſet abſoluta circuitio, vti ſupra q. 17. expoſitum. *Tacendi* vero *cauſæ* fuerunt non illæ, quas eſt Ralbag commentus, ne Hierichuntini ſcilicet Iſraëlitarum excitati clamoribus, ad ſua prouolarent mœnia, vrbem defenderent, telis, ſaxiſque circum ambulantes illos peterent. Quid? Adeone Hierichuntini ſurdi, vt tubarum crepitus & clangores non audirent? Adeone incurioſi & amentes, vt ne in editioribus quidem turribus ſpeculatorem vllum haberent, qui hoſtium conſilia, & acceſſus nunciaret? Hæ potius cauſæ. *Primò.* Ante prælium, & cum adhuc eminus hoſtis eſt, omni abſtinendum clamore cenſent militaris rei doctores. *Gradu*, ait lib. 1. cap. 11. Gellius, *clementi & ſilentio eſt opus, cum ad hoſtem itur in conſpectu longinquo procul diſtantem. Cum vero prope ad manus ventum eſt, tum iam è propinquo, hoſtis & impetu propulſandus, & clamore terrendus eſt.* Licet vero prælium hic nullum fuerit, prælij tamen ſpecies die ſeptimo fuit, cum in vrbem & cædem magno impetu Iſraëlitæ ferrentur: vtrumq. fuiſſet prælium, niſi & illius animos & mœnia vis perculiſſet altior. Diebus vero prioribus ad hoſtem propius non acceſſum. *II.* Tubarum clangor Dei præſentiam commonſtrabat: eademque ipſius Dei quædam veluti vox & cohortatio, vt habetur Num. 10. v. 9. Attentis igitur arrectiſque auribus & animis illum excipere venerabundo ſilentio audire, ne minima quidem ei vocula interſtrepere decebāt. *III.* Ore linguaque tacentibus, animo Dei bonitatem, beneficia, maieſtatem, pertractare: illi gratias agere; vota & preces, vt quæ promiſiſſet bona, largiri iam dignaretur, adhibere oportuit: ita vt ſilentium hoc, minime ſtupidum, ocioſumque eſſet, ſed magna cum mentis agitatione, religione, ac precatione coniunctum. Vituperat, vti ab Euſtathio notatum, poëta Iliad. Troianos quod apud prælium κλαγγῇ τ' ἐνοπῇ ἴσαν ὄρνιθες ὥς. E contrario autem diladat eũtes ad pugnam Achæos, non clamantes, loquitantes, perſtrepentes, ſed acri ſilentio, modeſtia conſpiratuque tacito meditabundos.

> *Οἱ δ' ἄρ' ἴσαν σιγῇ μένεα πνείοντες Ἀχαιοί,*
> *Ἐν θυμῷ μεμαῶτες ἀλεξέμεν ἀλλήλοισιν.*

IV. Indicatum generatim, quid in ſacris, quid in Chriſtianis proceſſionibus faciendum. Dicebant in ſacrificiis ſuis gentiles, *linguis animiſque fauete*, quanto magis hoc ipſum debemus Chriſtiani? Bellum hic erat, & plurimæ ſimul hominum myriades attamen ſummum fuit ſilentium. Quid in templis, ſacrificij illius, quo inter nos & Deum pax conſtituitur, tempore, quid in publicis precibus ac litaniis, quibus eundem Dominum veniam, pacem omnes poſcimus faciendum? Paucula quæ in *Ioſuanis* olim *ſacerdotibus* poſui, ſuper hac re apponam. *Proceſſiones, ſiue amburbales, ſiue ambaruales, ſiue alias quaſcunque, non ab Ethnicorum, vt neſcio quis obiicit, inſtitutis, ſed ab Hierichuntinis toties & tam ſerio repetitis pompis merito arceſſimus, vt non earum vetuſtiſſimam tantum originem, & optimum etiam modum & rationem diſcamus. Non eſt in iis, animi aut curioſitatis cauſa, deambulandum, non ineptis confabulationib. vacandum. Non audietur ait, vox veſtra, neque vllus ſermo ex ore veſtro egredietur, ſed grauiter, modeſte, religioſeque incedendum: pij aliquid meditandum, precandum, concinendum. Ideo enim & ſacra ſanctorum reliquiæ, crucis Dominicæ labara, ipſa ſacroſancti ſacramenti arca, quæ ſpecie quadam & operculo, eo tamen propitiatorio,* CHRISTVM *Dominum & ſaluatorem continet, defertur.* Vide ſi quidem placet, de *proceſſionibus* librum 1. c. 7. p. 75. Et expende quæſo, quàm grauiter, quàm ſerio ſilentium hoc imperet Ieſus noſter? Satis ei non fuit dicere, *non clamabitis*: ſed addidit, *nec audietur vox veſtra*: ſiue vt ad verbum in Hebræo eſt: *audiri non facietis vocem veſtram.* Neque hoc contentus, adhuc ſubiungit: *neque vllus ſermo ex ore veſtro egredietur.* Quid ſi noui quid & inſoliti accidiſſet? Non, quid rei hoc eſſet, interrogare; non interroganti reſpondere licuiſſet? Quid ſi aut ordinem ſuum non tueretur quis aut lentius progrederetur, aut vero citatius pergeret, nulla nemonendi eſſet facultas? Quid ſi in Iſraëlitarum contemptum; vt in obſidione Hieroſolymitana factum, quidpiam facerent Hierichuntini, non verbo fremere, alterique monſtrare fas? Quid & ex vrbe ſi erumperent iidem, non ad arma, ad arma clamandum? ſane, *nullus*, ait IESVS noſter, *ſermo ex ore veſtro egredietur*, quæ ſonum ſcilicet edat. Ergone tuſſis & ſcreatus etiam vetitus? Diſputat Rambam lib. 1. Helecah 3. cap. 4. ſi quis in domo *Midraſch* ſternutet, an ei *Rephuah* id-eſt ſalutem precari liceat. Et reſpondet *non eſſe neceſſarium, quia domus huius maior ſanctitas, quam domus Keniſiuth. f. 20. in fine capitis. Sermonem* porro vertit noſter, quia Hebræum *dabar* non rem tantum, ſed *verbum* notat, imo rem, quia verbo notari ſolet, & hoc totum membrum, prioribus duobus contenti, omiſerunt 70. quod eo noui nihil præcipiatur, licet, ſine dubio, ad priora magis inculcanda, in Hebræo & Latino

ſit. Quæ enim facta volumus omnium maxime, & accuratiſſime, ea ipſa itentidem iteramus. *V*. Dum diuini verbi tubæ perſonant, Euangelia prædicantur, conciones fiunt. digitis compeſcenda prorſus labia. *VI*. Timiditatis quidem ſignum videtur ſilentium, quin vero & formidinem idipſum afferre ſolet, vti in citatum Homeri locum Theſſalonicenſis notat Archiepiſcopus, & fortaſſis ita de Iſraëlitis Hierichuntini quidam ſuſpicati. Sed ſuſpiciones & ſermones iſtiuſmodi contempſerunt Iſraëlitæ: Ioſuæque ſilentes obſequi quam vel inconditis clamoribus, vel ſecurioribus verbis & confabulationibus inanem oſtentare audaciam & ſolutos omni metu animos. Poſt ſexiduanum ſilentium *imperatus* fuit *clamor. Primò.* quidem, propter ea, quæ ſupra quæſt. 16. dicta. *Secundò.* vt eorum, quæ à ſacerdotibus tubarum clangore hactenus monita fuerunt, approbatio foret. *Tertiò.* vt ſignificaretur, poſt ſacerdotales tubas, & adhortationes, nobis eſſe Deum laudandum, operique manum ilico admouendam. *Quartò.* in ſacris & proceſſionibus, cum partibus ſuis defuncti fuerint ſacerdotes, ſuas etiam obire partes Laicos oportere communicando, comprecando, concinendo. *Quintò.* non ſemper ſilendum, ſed, cum res vſuſque poſtulat, contra fidei hoſtes, flagitiorum ſatores, Hierichuntinę impietatis ac nequitiæ imitatores grauiſſime, intentiſſimeque clamandum. *Sextò.* Prius ſemper & diutius tacendum quam loquendum. Hic enim vno die, & ſemel clamatum. totos ſex dies, & in tredecim circuitionibus tacitum. *Septimò.* vt quę in Eccleſia Catholica eſt, inſignis populorum cum ſacerdotibus, & vtrorumque inter ſeipſos conſenſio atque conſonantia præmonſtraretur, atque commendaretur. Cum de conſona iſta populi cum ſacerdotum tubis cũclamatione diſſerit hom. 7. Origenes, miratur, cur in Pſalm. 89. verſu 16. dictum ſit. *Beatus populus, qui ſcit iubilationem me*, ait, *permonet dictum, quid iſtud tantum ſit operis quod beatum populum faciat. Non dixit quia beatus populus qui operatur iuſtitiam, vel beatus populus qui ſcit myſteria, vel qui ſcit cœli ac terræ & ſiderum rationem: ſed beatus* (*inquit*) *populus qui ſcit iubilationem. In aliis timor Dei beatum facit, ſed vnum tantummodo hominem facit beatum. Sic enim dicit, Beatus vir qui timet Dominum. Alibi etiam plures ſiunt beati, ſicut pauperes ſpiritu, vel manſueti, vel pacifici, vel mundi corde. Hic Beatitudo profuſa eſt, & tanta hic neſcio qua cauſa beatitudinis iudicatur, vt vniuerſum pariter populum faciat beatum qui tamen ſcierit iubilationem.* Tandem vero reſpondet idem Origenes. *Mihi videtur iubilatio indicare quendam concordiæ & vnanimitatis affectum. Qui ſi incidat in duos vel tres Chriſti diſcipulos, omnia quæcunque petierint in nomine ſaluatoris, præſtat eius pater cœleſtis. Si vero tanta fuerit beatitudo, vt vniuerſus populus concors & vnanimis maneat, vt eadem dicant omnes in eodem ſenſu atque in eadem ſententia permanentes, iſto tali populo vocem vnanimiter eleuante, fiet iſtud quod ſcriptum eſt in actibus Apoſtolorum, quia terræ motus factus eſt magnus, vbi tunc vnanimes orabant, Apoſtoli cum mulieribus, & Maria matre* Iesv, *& terræmotu facto deſtruentur, & cadent omnia quæ terrena ſunt, ac mundus ipſe ſubuertetur. Audi denique dominum & ſaluatorem noſtrum ad hoc ipſum ſuos milites cohortantem, quomodo dicit, confidite, ego vici mundum. Illo ergo duce iam nobis victus eſt mundus, & muri eius collapſi ſunt, quibus homines ſæculi nitebantur.* Duas porro cauſas alias adhuc affert auctor idem. Alteram, quæ mihi octaua, vt ſignificetur gaudium & exultatio, qua in Domini Natiuitate affecti ſunt Angeli, dum vna veluti voce conclamarunt, *Gloria in excelſis Deo.* Altera eſt, quæ mihi nona, vt ſignificaretur eorundem Angelorum & ſanctorum clangor clamorque in mundi exitio, ſiue Domini aduentu ſecundo. Priorem perſequitur homilia 7. ſic: *In aduentu* Iesv *muri Hiericho ſubuerſi ſunt, in aduentu mei domini* Iesv *mundus vincitur.* Quomodo tamen vincitur mundus, ſcire velim manifeſtius & lucidius intelligere quæ dicũtur. Volo ego ipſe qui doceo vobiſcum pariter diſcere. Paulum nobis communiter adhibeamus Magiſtrum. Ipſe eſt enim miniſter Chriſti, qui nobis poſſit indicare quomodo Chriſtus vicerit mundum. Audi ergo ipſum dicentem, quod erat contrarium nobis, tulit illud de medio, affigens illud cruci ſuæ, & exuens principatus & poteſtates transduxit, libere triumphans eos in ligno crucis. Ex his ergo verbis, illud intelligo, quod videntes pugnam Ieſu cœleſtes virtutes, principatus & poteſtates contrarias exutas poteſtatibus ſuis, alligatum fortem, & vaſa eius diripi, increpuerunt tubis ſuis cœleſtibus, quia alligato principe huius mundi victus eſt mundus, & vocem iubilationis in triumpho Chriſti cœleſtis exercitus dedit. Vere ergo beatus eſt populus gentium, qui nouit talem hanc iubilationẽ cœleſtis exercitus, & qui myſteria agnoſcit & credit. In ſexta vero homilia poſteriorem cauſam explicat ſic: *In figura mundi, poni Hiericho in ſcripturis frequenter inuenimus. Nam & in Euangelio quo dicitur homo de Hieruſalem in* Hiericho *deſcendiſſe, & in latrones incurriſſe, forma ſine dubio erat illius Adæ, qui de Paradiſo in huius mundi exilium truſus eſt. Sed & cæci qui erant in* Hiericho, *ad quos venit Ieſus, vt faceret eos videre, formam gerebant eorum qui in hoc mundo cæcitate ignorantiæ premebantur, ad quos venit filius Dei.* Hæc ergo Hiericho, *id-eſt mundus hic, caſurus eſt. Conſummatio etenim ſæculi iam dudum ſanctis voluminibus perulgata eſt. Quomodo ergo ea conſummatio dabitur? quibus organis? vocibus inquit tubarum. quarum tubarum? Paulus tibi ſecreti huius prodat arcanum. Audi ipſe quid dicit: canet, inquit tuba, & mortui qui in Chriſto ſunt reſurgent incorrupti, & ipſe Dominus in iuſſu, in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cœlo. Tunc ergo Dominus Ieſus noſter cum tubis vincet* Hiericho, *& proſternet eam.*

QVÆSTIO XXVIII.

Cur definitè ſeptem tubæ, ſeptem dies, & ſeptem, die ſeptimo, circuitiones adhibitæ?

Expedita & facilis eſt Abulenſis quæſt. 4. reſponſio, definitè hunc adhibitum fuiſſe numerum, quia ita Deo placuit. *Quod enim principi placuit, legis habet vigorem. ff. de conſtitut. princ. l. Quod principi.* Et quam expedite hoc facileque dicitur, tam etiam verum eſſe, negari non poteſt. Sed ea tamen cauſa in rebus omnibus generalis

Digitized by Google

eſt: & cum eam non ignoret animus, vera præſertim pietate imbutus, progreditur tamen, & inquirit adhuc, poſſitne conueniens aliqua ratio, cur id voluiſſe videatur Dominus, afferri. Reſpondent igitur alij, ſeptenarium numerum ſacrum eſſe, Deoque multis in rebus gratum. *Videte*, ait S. Bern. ſerm. 15. in Cantica ſub finem, *ſeptenarium. ſacer numerus eſt. non vacat.* D. Hieron. in Galaticæ c. 5. *fidei*, ait, *locum datum ſeptimum, & ſacratiorem.* Ruſumque, *ſeptimum*, ait, *locum habet contentio quaſi ſacrato & eminenti inter vitia numero.* V. Beda in act. cap. 6. *diaconos* ait fuiſſe *ſeptem non ſine ſeptenarij numeri myſterio.* Similia Sanctus Nazianzenus orat. 44. de Pentecoſte, & orat. de Machabæis, D. Auguſtinus lib. de ſpiritu & anima, c. 62. lib. 11. ciuit. c. 31. Philo de vita cōtempl. & è prophanis, Cicero in ſomnio, cum *rerum omnium nodum* appellat: poëtarum Græcorum veterrimus Linus, *rerum omnium originem*: Cenſorinus li. de die natali cap. 5. *Numerus*, ait, *ſeptimus apud Iudæos in dierum omnium numero eſt.* Aſpicit enim dies ſeptem hebdomadis, hebdomadas ſeptem pentecoſtes, terræ ſabbatiſmi annos ſeptem, Iubilæi hebdomadas annorum ſeptem: Tacitus l. 5. hiſtoriæ, *pleraque cæleſtium vim ſuam & curſum ſeptimos per numeros conficiunt.* Vide Geraſinum Nicomachum in Arithmetica, Rhodiginum l. 4. c. 24. l. 22. c. 12. Caſanæum de gloria mundi, Gerardum Voſſum in ſomnium Scipionis, Salmeronem noſtrum in Euangeliorum prol. 20. & alios complures, quos in Tob. c. 12. q. 7. citaui. Ac per iſta fit quidem propoſitæ quæſtioni ſatis: nondum tamen humanus conquieſcit animus, vrget, inſtat, cogitat, cur & vnde huic numero tanta vel ſanctitas, vel gratia, & auctoritas? Maſius in hunc ipſum locum f. 107. & ſeq. magno diligentique ſtudio & conniſu quæſtionem hanc abſoluere molitus eſt, *ſeptem* enim ait eſſe *rerum omnium genera*, è quibus totum hoc vniuerſum conſtet, & extra quæ nihil omnino vſquam aut ſit, aut eſſe poſſit. ideoque merito ſeptenarij tantum apud omnes eſſe nomen, myſterium, ac venerationem. *Primum.* rerum genus eſt, ſpiritalis creatura, ipſi ſcilicet Angeli. *Alterum*, corpora ſimplicia, cœli, & elementa. *Tertium.* corpora mixta inanima. *Quartum.* corpora mixta animata ea tantummodo anima, quæ vitam ſolam dat, vt arbores, plantæ. *Quintum.* animata anima illa, quæ cum vita largitur ſenſum, vt ſunt bruta. *Sextum.* animata anima, quæ cum vita & ſenſu intellectum præbet. vt homo. *Septimum.* quod & primum dici queat, eſt, horum omnium auctor & creator Deus: omnium principium & finis: à quo inceperunt, & in quem deſinunt omnia. Hinc ergo in rerum ipſarum creatione dierum hebdomas, cuius ſeni dies priores, ſenis conditarum rerum generibus reſpondent: ſabbatum vero, ſeptimo rerum generi, Deo conditori dicatum & conſecratum, adeo, vt dicant Cabaliſtæ, *qui ſabbatum non cuſtodit, eum neque de mundi creatione, neque de futura vita recte ſentire.* hinc deinceps in ſacris, variarumque ritibus & inſtitutis, ad perpetuam myſterij tanti memoriam & ſignificationem, ſeptenarius adhibitus, & in precio habitus numerus. Apte ſatis omnia. Poſſet tamen adhuc ſciſcitari quiſpiam, cur animatorum genera hic diuidantur minutius quam rerum aliarum? cur ſena iſta creaturarum genera non ſint ſenis diſtincte diebus creata, ſingula videlicet ſingulis? Nam, vt alia diſſimulem, quando creati Angeli ſint, adhuc ſub Iudice lis eſt. denique cur non plura vel pauciora rerum genera creata ſunt? nimirum in id genus diuini conſilij ac voluntatis rationibus, ad viuum reſecare omnia non poſſumus. Attamen reſponderi ad hæc omnia poteſt. Sed quia è variis, quæ in Philoſophorum ac Theologorum diatribis multiformes habent opiniones accerſenda foret reſponſio, erit iis, quæ hactenus allata, contentus Lector: Sed ita, vt proprias quæſtionis huius cauſas nonnullas indicem. Erunt autem eæ duplices. Nam primo quia ſeptenarius numerus non raro ſignificat indefinitam, ſed crebriorem rei alicuius iterationem, vti Reg. ca. 2. dicetur, generatim ſeptem hic ſacerdotes ideo fuiſſe poſſumus exiſtimare, vt omnis illa eorum vel Angelorum vel hominum ſignificaretur multitudo, qui ex officio, caritate, Deique afflatu aut præcepto, ſuis apud ipſum precibus, ſuiſque apud proximum vocibus & monitionib. tanquam buccinis quibuſdam, vtūtur, vt mundi huius vanitas & peruerſitas in omnium animis euertatur, mœnia & impedimenta omnia, quibus ad eorum corda ſanctis Iſraëlitarum pacem Euangelizantium pedibus obſtruitur aditus, exſcindantur. Horum enim cuilibet dicitur *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum.* Iſaiæ 5 8. verſ. 1. & ca. 40. v. 9. Eiuſmodi buccinatores fuerunt Prophetæ, Apoſtoli, Apoſtolicique viri omnes. ita vt in S. Bernardi vita ſcribatur, ad Petri Leonis ſchiſma, *quaſi ad Hiericho diruendam, ſacerdotalis euocatus tubicen.* l. 2. ca. 7. & alibi. Sic per *ſeptem* eorum *tubas*, accipimus omnia, quib. tanquam inſtrumentis ad expoſitum iam finem vtuntur illi, ſiue ſupernaturalia, ſiue naturalia ſint, vt eloquentia, eruditio, ſpiritus ſancti chariſmata. Per hæc omnia vox ad permouendos hominum animos clariſſima eorum, qui mundi huius voluptatibus ineſcati, cæleſtium cura, cogitatio neque nulla tanguntur, corda perrumpenda, fundi ſolet plane mirifica. Hæc omnia in ſe ſi ſpectentur, parua & momenti non magni ſunt, & vilia, quaſi arietū cornua: Quando tamen ad Dei nutum tractantur, eiuſq; voluntati ac laudi ſeruiunt, Iubilæorum buccinæ ſunt: veram pacem, veram libertatem, verumque iubilum & gaudium excitant: eis nulla mundi potentia, nulla impiorum hominum obſtacula, nullæ tartareorum hoſtium machinæ poſſunt reſiſtere. Per *ſeptem dies* totam ſæculorum omnium, quibus Hierichuntina mundi huius florere ac perennare videtur pulchritudo & amœnitas, intelligimus vniuerſitatem. Hæc enim ex aſſiduis voluentium reuoluentiumque dierum hebdomadibus conſtat: & longiſſima cum videatur, breuiſſima eſt, dierum ſeptem inſtar.

Per *ſeptem*, die ſeptimo, *circuitiones*, nonne piorum, verorumque Iſraëlitarum omnium denotatæ peregrinationes, curſus, labores omnes, quibus hoc in mundo fatigantur? Hierichuntem ſtantem ac florentem nunquam in-

Digitized by Google

grediuntur, ſed tantummodo circumeunt, id-eſt, voluptatibus & inanibus mundi huius gaudiis ſeſe totos nunquam dedunt: ſed circum ea tantum ſobrij, caſti, & ſancti gradiuntur, ea videntes ſed contemnentes & expugnata cupientes.

Secundo ſpeciatim, *ſeptenarius ſacerdotum numerus* non inepte ſeptem illos Angelorum principes deſignat, de quibus dixi complura Tobiæ 12. Quin & ſeptem Angelorum inferiores ordines ſignificare poteſt. quibus ſi, tanquam *Cherubim* & *Seraphim*, iungantur duo alij, qui ſuis arcam humeris geſtabant ſacerdotes, videbimus omnes Angelorũ choros variis officiis CHRISTI Domini humanitatem venerari, colere, ac deprædicare: Iſraëlitarum piorum multitudini adeſſe: ſuis eam iubilantibus tubis ad omnem pietatem, religionem, vitiorum odium & expugnationem excitare, conſolari, ac recreare ſceleratæ vero mundanorum metropoli perniciem & exitium denunciare, minari, tandemq; dum non reſipiſcunt, inferre, prout & in Apocalypſi ſeptem, cum ſeptem tubis, Angeli. Significantur etiam ſeptem Eccleſiæ ordines, ad quos accedunt baiulantes arcam, Epiſcopatus, & Pontificatus maximus. Significantur ſeptem ſpiritus ſancti donis inſigniti homines: ſeptem ſacramentorum præcones, & contra noſtri temporis hæreticam Hierichuntem tubicines: ſeptem capitalium vitiorum, tanquam validiſſimorum mœnium, expugnatores.

Septem tubæ ſunt ea ipſa, quæ iam dixi ſeptem ſpiritus ſancti dona, ſeptem ſacramenta, ſeptem etiam liberales artes, quarum, vti antea dixi, vi dextroque ac ſancto vſu Hierichuntina vitiorum, infidelitatis, hæreſeonque omnium mœnia quatefieri, funditus deiici, proſterniq; poſſunt.

Septem dies ſunt mundi huius, de quibus in Geneſi dixi, ætates ſex, vna cum adiuncta æternitate, quam per diem ſeptimum, ſiue ſabbatum ſignificatam docet Apoſtolus Hebr. ca. 4. Sunt etiam ſeptem hebdomadæ dies, quibus Deum aſſidue pij colũt. Vnde & exploſis Gentilibus, Solis, Lunæ, Martis, aliiſque ſimilibus nominibus, *feriæ* ab Eccleſia melius appellantur. Quid & in hominibus ſeptem ætatis gradus infantia, pueritia, adoleſcentia, iuuentus, conſtans ætas, ſenectus & decrepitum ſenium? ſed audiatur & Ruperti cap. 9. ſententia. *Quare*, ait, *ſex diebus circuire oportet ciuitatem ſemel per diem, ſeptimo autem die ſepties? Videlicet quia ciuitas diaboli & pro creatura mundi, vnde & creatorem cognoſcere potuit, & pro aduentu filij Dei, quem non recipit; iudicanda eſt. Circuitus ſex dierum, ſenariæ ſignificat creaturæ iudicium. Sex enim diebus cuncta hæc creata ſunt. Apoſtolus autem cum dixiſſet, quia quod notum Dei eſt, manifeſtum eſt in illis, Deus enim illis manifeſtat, continuo ſubiunxit: Inuiſibilia enim ipſius, à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur. Sempiterna quoque virtus eius & diuinitas, ita vt ſint inexcuſabiles, quia cum cognouiſſent Deum non ſicut Deum glorificauerunt aut gratias egerunt &c. Igitur ſex diebus ſemel per ſingulos dies ciuitas inimica circũeunda eſt, quia per intellecta creaturæ mundi impietas hominum, qui non probauerunt Deum habere in notitia, iudicanda eſt. Septuplo autem id-eſt, multo maxime, & per omnem modum amplius per aduentum filij Dei iudicandi ſunt, quia non receperunt eum. Nunquid enim non audierunt? & quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum, &c. Audierunt cælis enarrantibus & viderunt in ſole poſitum tabernaculum eius, nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius. Hoc tam mirabiliter quàm veraciter dictum, qui videlicet non magis eos latuit filij Dei aduentus, quam ſol iſte qui ab omnibus videtur. Pro hoc (inquam) amplius iudicandi ſunt, & per hoc multo maxime inexcuſabiles erunt. Igitur & hoc recte dictum vel factum eſt, vt cum ſingulis cæterorum dierum ſemel, ſeptimo die ciuitas circumiretur ſepties. Septimus namque dies, in quo requieuit Deus ab omni opere. Septem* in die ſeptimo *circuitiones*, ſunt ſeptem actiones, quibus in cœlo beati Deum clare vident, ſyncere adamant, aſſidue collaudant, eo liquide fruuntur, abſque interruptione vlla delectantur, ſuâ ipſorum beant corpora, iucundiſſimaque inter ſe omnes ſocietate geſtiunt. idque in omnem deinceps æternitatem, prout ſuggerunt factæ in orbem circuitiones. Quid enim in orbe primum, quid vltimum dixeris? Sed & in iſta vita, monent eædem ſeptem circuitiones, vt bene ſeptem Spiritus S. donis, bene ſeptem Eccleſiæ ſacramentis, bene ſeptem diſciplinis liberalib. bene ſeptem noſtris ætatulis, bene ſeptem diebus hebdomadis vtamur: iis contra Hiericho pugnemus, eius portas, valla, muroſque omnes expugnemus. Mihi etiam videtur ſignificari, quod impenſiore cura nos, cum vltimum vitæ tempus inſtat, moneant & inſtigant S. Angeli, ſalutiſque noſtræ amantes homines. Quod enim aliis temporibus quaſi ſemel, hoc tunc ſepties faciunt, ſicuti è contrario nos tũc etiam multo vehementius, callidius, & crebrius, ad lapſum ſolicitant dæmones. Datur demum intelligi, qui in eodem extremo vitæ noſtræ termino pietatis feruor, quæ in Dei obſequio cura, & aſſiduitas, quæ in diuinarum tubarum auditu, arcæ fœderis comitatu, Hierichuntiorum mœnium, id-eſt vitiorum omnium euulſu ac deturbatu diligentia, ſolicitudo, & conatus eſſe debeat.

QVÆSTIO XXIX.

Dierum iſtorum ſeptem primus & vltimus quis? An paſcha? ſabbatum? aliuſue dies?

DE ſeptem, quibus Hierichuntem circuierunt Iſraëlitæ, dierum primo duplex opinio eſt. *Vna* Ioſephi l. 5. c. 1. fuiſſe illum *paſchalem*, ſiue feſti azymorum primum qui, vt ſupra c. 5. q. 28. c. 31. expoſitum, erat ipſius menſis Niſan dies xv. *Altera*, Chronicorum Hebraicorum, quæ *ſeder holam Rabbah* vocantur, c. 11. fuiſſe *vltimi azymorum diei poſtriduum*, menſis eiuſdem diem XXII. De *vltimo* autem eorundem *ſeptem dierum*, vna & concors Rabbinorum omnium ſententia eſt, fuiſſe *ſabbatum*, prout aſſerunt R. Ioſes, & Radak hoc loco, ſeder holam cap. citato, Hieroſolymitanus Thalmud tractatu de ſabbato cap. 1. Eſt autem certum, quomodocunque & vndecunq; hoſce ſeptem dies numeremus, in iis vnum aliquem fuiſſe ſabbatum. Si enim primum diem velimus fuiſſe v. c. Dominicum, ſeptimus erat ſabbatũ, Si 1. diem

Lunæ, ſextus erat ſabbathum, & ita deinceps. Sed quoad *primum* diem, *poſterior magis amplectenda videtur opinio*, non ſolum, quia plurium contra vnum Ioſephum Rabbinorum eſt, ſed etiam, quia rationi magis conſentanea. Cum enim è circumciſione ſuſcepta reualuiſſent Hebræi, ſatis negotij habuerunt die Niſan xv. vt paſcha ſuum peragerent, poſtero die manna item colligerent manipulumque offerrent. Quomodo igitur iis dieb. mane ad Hierichuntem acceſſiſſent, eamq. cũ arca circumambulaſſent? Deinde hoc primum longo interuallo celebratum paſcha, hi primi azymorum dies, hoc primum in promiſſionis terra, Domini feſtum, & religioſa cæremonia quietem, & cuiuſlibet ſuo in tabernaculo minime occupatam remanſionem expoſciſſe videtur, vt Dei beneficia & magnalia recolerent omnes melius, eademque docerent liberos ipſi parentes aptius, præſertim cum noua noui negotij, quantumuis pij atque diuini occupatio à veterum Domini operum conſideratione auocaſſet animos, omnium ad ſe vnã & mentes & linguas traduxiſſet. Quid enim, per iſtos amburbales dies, aliud Iſraëlitæ aut loqui, aut cogitare potuerint quam quid noua hæc pugnandi ratio ſibi vellet? quorſum tot & tali modo ac ratione præſcriptæ periodi euaſuræ eſſent? Abſolutis igitur ſepteni azymorũ diebus vero eſt ſimilius, haſce inchoatas periodos.

Quoad vltimum vero earundem periodorum *diem*, an *ſabbathum* fuerit, dicit c.7.q.65. Abulenſis incertum: vocatque *diuinationem*. Sed cur ab omnibus diſſentire velim, cauſa nulla eſt. Cæterum ex iſta tanta Rabbinorum de ſabbato conſenſione diſcendum. *Primò*. generatim, recte hoc loco ſcribere Radachum *is, qui præcepit ſabbatum, præcepit etiam, vt prophanarent illud. Secundò*. ſpeciatim, plura. *Primò* in ſabbatho licere aliquod terræ ſpatium perambulare. Nam è caſtris, quæ Hierichunte aberant x. ſtadiis, vti oſtenſum c. 4.q.4. ad vrbem accedebant: & inſuper vrbem orbe circumdabant. Quo autem erat vrbs maior, & quo ab ea ipſi, extra telorum iactum, remotiores, eo erãt orbes maiores. In caſtra deinde ſpacio itineris eodem reuertebantur. *Secundò*. licere item in ſabbatho, ad Dei honorem, cęremonias quaſdam, tametſi operoſas ac laborioſas obire. Iſtæ ſiquidem ſeptenæ circuitiones, præter dierum ſuperiorum alias, & quotidianam è caſtris egreſſionem, operis laboriſque aliquid habuerunt. *Tertiò*. licere in ſabbato cum hoſtibus, bellũ gerere, illos inuadere, vaſtare, ac trucidare. facta enim hic omnia hæc. Vnde libro aduerſus Iudæos c. 4. Tertullianus. *Dicturi*, ait, *ſunt Iudæi ex quo hoc* (de ſabbato) *præceptum datum eſt per Moyſen, exinde obſeruandum fuiſſe. Manifeſtum eſt itaque non æternum nec ſpiritale, ſed temporale fuiſſe præceptum, quodque quandoque ceſſaret, denique adeo non in vacatione ſabbati, id-eſt, diei ſeptimi, hæc ſolennitas celebranda eſt, vt Ieſus Naue ſuo tempore, quo Hierichu ciuitatem debellabat, præceptum ſibi à Deo diceret, vti populo mandaret, vt ſacerdotes arcam teſtamenti Dei ſeptem diebus circumferrent in circuitu ciuitatis: atque ita ſeptimi diei circuitu peracto, ſponte ruerent muri ciuitatis. Quod ita factum eſt, & finito ſpatio diei ſeptimi, ſicut prædictum erat, ruerunt muri ciuitatis. Ex quo manifeſte oſtenditur in numero iſtorum*

A *dierum ſeptem incurriſſe diem ſabbati: ſeptem enim dies vndecunque initium acceperint, ſabbati diem ſecum concludant, neceſſe eſt, quo die non tantum ſacerdotes ſint operati, ſed in ore gladij præda facta ſit ciuitas ab omni populo Iſrael. Nec dubium eſt opus ſeruile eos operatos, cum prædas belli agerent ex Dei præcepto. Nam & temporibus Machabæorum ſabbatis pugnando fortiter fecerunt, & hoſtes Allophylos expugnauerunt, legemque paternam ad priſtinum vitæ ſtatum pugnando ſabbatis reuocarunt. Nec putem aliam legem eos defendiſſe, niſi in qua de die ſabbatorum meminerant eſſe præſcriptum. Vnde manifeſtum eſt ad tempus & præſentis cauſæ neceſſitatem conualuiſſe, vt non ad perpetui temporis obſer-* B *uationem huiuſcemodi legem eis Deus dediſſet.* Cum vero impius obiiceret Marcion, veteris teſtamenti Deum ſibiipſi repugnaſſe, qui ab operib. omnib. ceſſationem ſabbatis induxiſſet, idemq; hoc loco tamen arcæ circumlationem iuſſiſſet, ei reſpondet l.2. aduerſus eum c.21. *Sic & in cæteris contrarietates præceptorum ei exprobras, vt mobili & inſtabile, prohibentis ſabbatis operari & iubentis arcam circumferre per dies octo, id eſt etiam ſabbato, in expugnatione ciuitatis Hiericho. Nec ſabbatis enim inſpicis legem, opera humana non diuina prohibentem. Siquidem ſex inquit, diebus operare, & facies omnia opera tua. Se-* C *ptima autem die ſabbato domino Deo tuo, non facies in ea omne opus, quod vtique tuum. Conſequenter enim eſt, vt ea opera ſabbato auferret, quæ ſex diebus ſupra indixerat, tua ſcilicet, id-eſt, humana & quotidiana. Arcam vero circumferre, neque quotidianum opus videri poteſt, neque humanum, ſed & rarum & ſacroſanctum, & ex ipſo tunc Dei præcepto vtiq. diuinum. quod & ipſe quid ſignificaret, ediſſererem niſi longum eſſet figuras argumentorum omnium oratoris expandere, quas forſitan nec admittis. Sed plus eſt ſi de abſolutis reuincamini, ſimplicitate veritatis, non curioſitate: ſicut & nunc certa diſtinctio eſt ſabbati humana, non diuina opera prohibentis. Ideoque qui ſabbatis lignatum ierat, morti datus eſt.* D *Suum enim opus fecerat, lege interdictum. Qui vero arcam ſabbatis circumtulerant, impune geſſerunt, non ſuum enim opus, ſed Dei, ex præcepto ſcilicet ipſius adminiſtrauerant.* Et cum eadem impietatis audacia criminaretur idem hæreticus CHRISTVM Dominum contra veteris teſtamenti Dei præcepta, ſabbatum violaſſe, occurrit idem Tertullianus optime lib. 4.c.12. *Si ſabbatum* CHRISTVS *interuertit, ſecundum exemplum fecit creatoris. Siquidem in obſidione ciuitatis Hierichuntis circumlata per muros arca teſtamenti ſeptem diebus, etiam ſabbato, ex præcepto creatoris ſabbatum operatione, deſtruxit, vt putant qui hoc & de Chriſto exiſtimant, ignorantes neq.* E *Chriſtum ſabbatum deſtruxiſſe, neque creatorem, vt mox docebimus. Et tamen per Ieſum tunc quoque concuſſum eſt ſabbatum, vt ex hoc in Chriſtum renunciaretur, etiãſi odio inſecutus eſt ſolenniſſimum Iudæorum diem, vt Chriſtus non Iudæorum. De odio quoque ſabbati profeſſus creatorem, vt Chriſtus ipſius ſequebatur exclamãtem ore Eſaiæ. Neomenias ſabbata veſtra odit anima mea.* Iterum poſtea: *Etiamſi deſtruxiſſet* (CHRISTVS ſabbatum) *merito quia Dominus magis ille qui inſtituit, ſed non omnino deſtruxit qua dominus, vt hinc iam apparere poſſit, ne tum quidem in arcæ circumlatione apud Hierichuntem ſabbatum à creatore deſtructum. Nam & illud opus Dei erat, quod ipſe præceperat, & quod propter animas diſpoſuerat hominum ſuorum, in diſcrimine belli conſtitutas.* Diuus Epiphanius hæreſi 66. contra Manichæos, *Quando*, ait, *non ob bo-*

Digitized by Google

nam cauſam ſabbatum ſolutum eſt? Quando vero non A *ligatum* (ſeu prohibitum) *eſt à malitia non modo ſabbatum, ſed & omnis dies? Ieſus enim Naue ſucceſſor Moyſis, qui inter Prophetas numeratus, qui electus eſt à Deo, qui per orationem detinuit Solem & Lunam, vbi dixit, ſtet Sol iuxta Gabaon, & Luna iuxta conuallem Ialo, ſtatim reperitur ſabbatum ſoluere propter bonam actionem. Nam per ſeptem dies circundat muros Hierichuntis ipſe* I E S V S, *& non licebat ire in Sabbatis vltra menſuram ſex ſtadiorum definitorum. At menſura ambitus Hierichuntis ſtadia XX. excedit. Quum autem per ſeptem dies circumdederint ipſi ciuitatem, omnino* B *incidit ſabbatum in vnam ex his diebus. Erat autem hoc præceptum Dei, vt oſtenderet voluntatem ſua miraculorum editionis. Neque enim fraudes, neq. machinæ erant, non arietis, non inſtrumenta bellica ad vrbes euaſtandas: ſed vna vox tubæ corneæ, & oratio iuſti: & proſtrauerunt collapſos muros aduerſariorum. Oportebat enim ipſos plecti, quoniam impleta erant peccata Amorrhæorum. Iudex enim erat lex cõtra iniuſtitiam & vnicuique reddebat ſecundum ſua opera: & quoniam in peccatis erant Amorrhæi in tranſgreſſione conſtituti, & qui abnegaſſent iuſiurandum quod iurauerunt.* Et non C multo poſt: *In temporibus Naaſſon tribuni Iuda, & in temporibus Ieſu Naue acceperunt filij Sem propriam terram, nulla iniuria in medio exiſtente, ſed iuſto iudicio. Corruerunt igitur muri Hierichuntis ſuapte ſponte. Iuſtitia enim vlciſcitur iniuſtitiam. Per ſeptem dies circumdabant muros, & ſoluebatur ſabbatum, vt impleretur iuſtitia.* Sed ſi placet, vide quæ notaui libr. 1. Mach. c. 2. fol. 651. & ſequentibus. *Quartò.* licere in feſtis aliis eadem, licet ex Ioſephi ſententia colligere. Si enim azymorũ primus, fuit etiam circuituum primus fuerit etiam oportet azy- D morum vltimus, circuituum vltimus. At hi feſti erant, vt oſtenſum ca. 5. q. 31. Num. 4. *Quintò.* idem ſi aduertimus, licebit dicere de ſeptimo die menſis huius *Niſan.* Cum enim eo iuſſerit Ioſue præparari viaticum, quis eo die cœpiſſe omnes ambigat? ſupra cap. 2. q. 5. & infra hoc c. quæſt. 31.


QVÆSTIO XXX.

Qua ſeptimi diei hora Hiericho capta?

Videtur, quando Hierichuntis muri corruerunt, & patens ac peruia vrbs capta eſt, hora fuiſſe meridiana, non quidem ipſum accuratiſſime ſumendo, ſed vulgari modo, vt circa meridianum tempus intelligatur. Licet hoc autem ex his colligere. Aberat, vti ſuperiore quæſtione dictum eſt, Hiericho ab Iſraëlitarum caſtris, decem ſtadiis, & quando hinc ad illam hi accedebant, vt extra miſſilium omnium eſſent aleam, aberant aliquanto ſpacio. faciamus autem ſpacium hoc fuiſſe dimidiatum ſtadium. Quid enimminus accipi poteſt? Adiungatur nunc Geometrarum de diametri & peripheriæ collatione regula, quam hiſce verſibus expoſuit in 1. caput Sphæræ noſter Clauius.

Circuitus circi per ſeptem multiplicetur
Per duo viginti productum deinde ſecato
Hinc numerus, quotiens qui dicitur, eſt diametrus.
Per duo viginti ſi multiplices diametrum
Per ſeptemque ſeces numerum, qui prodiit inde
Circuitum circi quotiens numerus tibi reddit.

Hinc igitur ita ratiocinor. A peripheria, quam, circum Hierichuntem obeundo, deſcribunt Iſraëlitæ, dimidiatum ſtadium eſt, ad ipſam vſque vrbem. Ergo ab eiuſdem peripheriæ parte vna, vſque ad alteram oppoſitam eſt ſtadium, quaſi circuli diametrus. Ergo tota peripheria eſt amplius quam trium ſtadiorum. Ergo circum vrbem, quotidiana ſenorum dierum circuitio fuit trium ſtadiorum & amplius. Ergo ſeptem ſeptimi diei circuitiones fuerunt amplius quam 21. ſtadiorum. Atque hæc adhuc ita dicuntur, quaſi eſſet vrbs puncti inſtar, neque longitudinem aut latitudinem vllam haberet. Quod ſi aliquam ei demus, vti non minimam certe habuit, fiet hic etiam ſtadiis acceſſio non minima. imo diſerte Sanctus Epiphanius hęreſi 66. *Menſura*, inquit, *Hierichuntis ambitus ſtadia viginti excedit.* Cum vero in circuitionibus non curſus & properatio, ſed inceſſus, & grauitas adhiberetur, apparet à matutino tempore, quo è caſtris exitum eſt, ad circuitionem omnium finem horas plures interfluxiſſe, ad ipſumque meridiem, aut etiam vltra, circumambulatum fuiſſe. Vide.



QVÆSTIO XXXI.

An eodem die ſeptimo exuſta Hiericho?

INiecta Hiertichunti captæ flamma, non eodem tamen die. Quod enim illius à meridie ſuperfuit, totamque inſecutam noctem, & aliquam forte poſteri diei partem tribuerunt Iſraelitæ oppidanorum cædi gregum, armentorum, iumentorumque mactationi: deinde vero auri, argenti, aliorumque metallorum collectioni, & in caſtra exportationi. fuit etiã, A quibus liberet: contemplandæ mox perituræ vrbis poteſtas, ociumque aliquantulum datum. Sicque die poſtero, poſt pauculas diei horas, incenſa vndique, & concremata. Si quid forte incendio reſtitit, hoc Ioſuæ iuſſu, effoſſum ac dirutum ait lib.5.cap.1. Ioſephus, ab eodemque Ioſue tunc illa, de qua pluribus poſtea, execratio edita. Quia vero diuerſis hactenus locis, totus hic fere primus in promiſſam terram ingreſſionis menſis *Niſan* expoſitus eſt, neque inutile, neq; iniucundum, opinor, breuem hic ſynopſin conſtituere:

NISAN MENSIS.

dies		dies	
1	☉ Neomenia.	16	II. azym. & Manipulus oblatus cap. 5. quæſt.22.
2	Miſſi à Ioſue exploratores.c.2. q.5. eſt primus dies eorum latebræ.	17	III. azym. ceſſatio mannæ. ib.
3	2. d. lateb. exploratorum.	18	IV. azy.
4	3.d.lateb. expl. idemque dies eorum reditus c.2. quæſt.5. & p.2.quæſt.25. vel certe in ſequentem diem 5.reditus is dilatus.	19	V. azy.
5		20	VI. azy.
6		21	*Sabb.* VII. azy.
7	*Sabbathum* promulgatio præcepti de præparatione ad tranſitum cap.2.quæſt.5.	22	☉ Hierichuntina circuitio, a.c.6.q.29.
8	☉	23	Circuitio 2.
9	abitus ad ripam Iordanis cap.2.quæſt.5. & cap.3.quæſt.2.	24	Circui. 3.
10	Tranſitus per Iordanem c.2.q.5.c.4.p.2.q. 2.caſtrorum in Galgalis metatio: 12. lapidum conſtitutio cap.4.par.3.quæſt.6.	25	Circui. 4.
11	Circumciſio imperata & ſtatim facta ca.5. quæſt.8.	26	Cir. 5.
12		27	Cir. 6.
13		28	*Sabb.* Cir. 7. & Hierichuntis expugnatio q.29.hic.
14	*Sabb.* Paſcha veſperi cap.5.quæſt.28.	29	☉ Hierich. deflagratio hic q. 31.
15	☉ Initium anni 41. egreſſionis ex Ægypto, qui annus primus ingreſſionis in terram promiſſionis c.4.par.2.quæſt.2. Itemque azymorum dies 1.	30	

QVÆSTIO XXXII.

Hierichuntina vero Ioſuæ quomodo conuenit hebdomas?

MVndo immundo eiuſque Regi Diabolo exitium vt inferret, venit in haſce terras CHRISTVS IESVS. *Nolite*, ait Matt. 10. verſu 34. *arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram. Non veni pacem mittere, ſed gladium.* Et Ioan. 16. verſu 33. *Confidite: Ego vici mundum.* Poſſumus igitur vel totam CHRISTI vitam hebdomadis vnius inſtar conſiderare: vel proprie vltimam tãtum eiuſdem vitæ hebdomadam. Priore modo poſſunt iterum ſeptem iſti dies bifariam accipi. Nam vel in æquales ſeptem partes totam illius vitam partiemur: vel abſque minuta eiuſcemodi partitione de vita eadem cogitabimus. Vixit in terris Dominus annos fere XXXIV. ſeptem igitur fere quinquennia. Et *in primo* quidem *quinquennio* Hierichuntem iſtam, vt eam tandem ſuis cum mœnib. & propugnaculis omnibus auerruncaret, circuiuit, quando natus eſt, & natus in tãta humilitate, paupertate, frigoris acerbitate, noctis obſcuritate, aliiſq; B ſimilibus, quæ Hierichuntino faſtui, ſplendori, voluptatibus, ac deliciis omnino aduerſantur, prout pulchre docet S.Bern. ſermone 3. de natiuitate Domini, ſimiliter quando tenellus infans die VIII. circumciſus eſt, quando & cœleſti patri offeretur, Hieroſolymam in templũ, ipſo B. Virginis purificationis die, allatus eſt: quando vt furentem Herodis gladium effugeret, Ægyptum petiit: ibiq; latuit: *In altero quinquennio* eſt eius ex Ægyptiaca latebra in Iudæam reditus, & ad Nazareth vrbem, à qua ei *Nazaræus* cognomen, acceſſus. Hæc enim anno eius ætatulæ nono contigerunt, vti annalium ſuorum Tomo 1. docet Baronius. C *In tertio quinquennio* eſt ipſius ad Hieroſolymitanum templum anno 12. cum parentibus aſcenſio, & cum Iudaicis doctoribus diſputatio, cum præclaram illam vocem loquutus eſt: *Neſciebatis, quia in his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe?* In *quarto quinquennio*, *quinto*, & *ſexto* eſt ſumma illa & incredibilis obedientia & demiſſio, qua ſuos apud parentes, ad annum ætatis XXX. obſcurus & pauper delituit: iiſdemque, tanquam è puerorum & iuuenum cæterorum vulgo

Kk

aliquis, ſubditus fuit, iis obediit, eorumque iuſſa promptiſſime capeſſiuit omnia. Hoc enim eſt, quod ab ipſo duodennio vſque ad tricennium breuiter dixit Sanctus Lucas cap. 2. verſu 51. *Et deſcendit cum eis* (parentibus) *& venit Nazareth: & erat ſubditus illis.* O quam mirabiles veri Ioſuæ circuitus iſti fuerunt? quam ſtupuit, cum videre hoc potuit, Hiericho, eiuſq; Rex? In *ſeptimo & vltimo quinquennio* eſt ſacerrimus eiuſdem CHRISTI Domini baptiſmus, totaque ipſius actuoſiſſima prædicatio: *circuibat* IESVS *totam Galilæam docens in Synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni.* Matth. 4. verſu 23. B Rurſumque cap. 9. verſu 35. *Circuibat* IESVS *omnes ciuitates, & caſtella, docens in Synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni.* Et Marci 6. verſu 6. *circuibat caſtella in circuitu docens.* Quia enim hæc vita CHRISTI Domini pars, inſtar ſeptimi diei eſt, circuiuit in ea non ſemel tantum, ſed ſepties. id-eſt, itinera, labores, moleſtias, difficultateſque plurimas, grauiſſimaſque ſuſcepit. in quibus etiam tota eius paſſio, crux, & mors acerbiſſima.

Si autem adeo minute vitam partiri haud libeat, *primum* quaſi primi diei *circuitum* ſtatuere C poſſumus, eius è cœlorum altiſſimo ad terrarum imam deſcenſionem: *Alterum* natiuitatem. *Tertium* Circumciſionem. *Quartum* fugam in Ægyptum, indeque reditum. *Quintum* aſcenſum Hieroſolymitanum cum eſſet annorum. XII. *Sextum* totam illam ſubiectionem, & obedientiam, ad annum vſque ad trigeſimum, parentibus præſtitam. *Septimum* & vltimum, eandem, quæ ſupra dicta eſt, Iudæam, Galilæamque totam obeundi, omnes vbique docendi, & grauia plurima perferendi rationem: ſimulque totum cruciatuum omnium, & D mortis acerbitatem.

Sin vero vltimam tantummodo ipſius vitæ ſeptimanam ſpectemus. en ex iis, quæ libro de Apoſtolis in 21. notaui, tabella.

1 ♄ Hieroſolymis redit Dominus Bethaniam Ioan. 12. à Iuda de vnguento calumniam patitur.

2. ☉ Hieroſolymam aſino vectus redit: eiq; acclamatur, *Oſanna* Io. 12. Matt. 21. Luc. 19.

3. ☽ Redit Bethaniam, & in ficu arida fructus fruſtra quærit, eamque ideo deteſtatur. ibidem.

4. ♂ Redit Hieroſol. & ad obedientiam, etiam E male viuentibus iis qui ſuper Moyſis cathedra ſedent, exhibēdam hortatur, Matt. 23. templique & Hieroſolymorum excidium prædicit Matt. 24.

5. ☿ Cum Hieroſolymis rediiſſet Bethaniam, in oratione cum Apoſtolis perſeuerat.

6. ♃ Venit Hieroſolymam: lauat diſcipulorum pedes: Paſcha edit Matt. 26. Ioannis 12. in hortum ſecedit: capitur.

7. ♀ Crucifigitur: ſed ita, vt eo ipſo die ſeptem eius intueri liceat ambitus & circuitiones. *Prima* fuit ab Annæ domo ad Caipham. *Secunda.* ab F hoc ad Pilatum. *Tertia.* ab hoc ad Herodem. *Quarta.* ab hoc ad Pilatum. *Quinta.* ab hoc ad Iudæos pro prætorio ſtantes, & *Crucifige* vociferantes, cum dictum eſt, *Ecce Homo. Sexta.* ad Pilati tribunal, in loco, qui dicitur *lithoſtrotos*, A Hebraice autem *Gabbatha. Septima. in eum, qui dicitur Caluariæ locum, Hebraice Golgotha, vbi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos latrones, hinc & hinc medium autem* IESVM. Ioan. 19. verſu 17. 18. Vnde & in piam itinerum iſtorum recordationem ſolita maiorum noſtrorum pietas, quæ & alicubi adhuc viget, vti Romæ, Coloniæ, alibi, Eccleſias ſeptem, aut altaria ſeptem, ipſo paraſceues die, cum precibus, Dominicæque paſſionis meditationibus obire, prout in quodam de his libello annotauit D. Bambergenſis ſuffraganeus *Feuchtius.* Hi profecto IESV noſtri circuitus diabolicam Hierichuntem peſſumdederunt: eius muros perfregerunt: turres, aggereſque omnes euerterunt: & hoc etiamnum tempore pergunt ſemper euertere. Videntur ij quidem, cum & olim ab ipſo Ieſu, magno ſilentio, magnaq; modeſtia & inuſitato prorſus modo fierent, & nunc proponuntur, in mundi huius oculis ridiculi, peneque hiſtrionici, & contemnendi. ſed eorum vis, quæ quantaq; fuerit ſemperque ſit, docet euentus. Nam 1. Corinth. 1. v. 27. *quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, vt confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, vt ea, quæ ſunt, deſtrueret.* Sed obſerua Ioſue non circuiſſe ſolum, quin habuiſſe comites quamplurimos ex omni ordine ac ſexu, vt diſcamus omnes, nobis quid agendum, prout ſupra expoſitum quæſt. 9. 10. 11. & 25. Inuitat ipſe noſter Ioſue nos, & ait Lucæ cap. 9. verſu 23. *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me.* Huius illico vocem audierunt Apoſtoli. & totum coniunctiſſimis animis, mutiſſimiſque, dum irriderentur, contemnerentur, opprimerentur, linguis ac faucibus Hierichuntinum hunc orbem circuierunt. his ſe deinceps per ſæcula omnia, coniunxere Martyres, Confeſſores, & quotquot Deum amarunt, ſalutemque ſuam æternam ſedulo quæſierunt pij ac ſancti ex omni ordine, ſexu, ætate ac ſtatu homines. *Omnes enim, qui piè volunt viuere in* CHRISTO IESV *perſecutionem patientur.* 2. Timoth. 3. 12. *Exeamus ad eum extra caſtra: improperium eius portantes. Non enim habemus hic ciuitatem permanentem: ſed futuram inquirimus.* Hebr. 13. verſ. 13. Clamemus ad Deum: clamemus in precibus & gemitibus: clamemus ad homines, & ad hæreſibus ac vitiis eos euocemus: clamemus in concionibus, cohortationibus & diſputationibus. vt Hierichuntinorum errorum corruant mœnia: ſternantur omnia flagitiorum propugnacula: concidant & humi omnino iaceant omnes omnis ſuperbiæ, auaritiæ, luxuriæ, aliorumque ſcelerum turres. Feliciſſimum tunc nos excipiet ſabbathum. Tum gaudebimus & exultabimus, ſicut qui inuenit ſpolia multa. Primum & munitiſſimum adeundæ promiſſæ hæreditatis: terræque lacte ac melle affluentis repagulum ſublatum erit. noſtris inſanæ mundanorum palatiorum ſubſtructiones, & ſuperba domorum culmina calcabuntur pedibus. Dolor vero dedecus, ruina, & vorax, æternaque flamma infeliciſsimos mundi huius Hierichuntinos in perpetuum diſcruciabit. Sed iam de vrbis huius agamus anathemate.

Digitized by Google

QVÆSTIO XXXIII.

Quid anathema & cherem?

QVod Hebræis eſt *cherem*, hoc & Græcis & Latinis *anathema* eſt. Sed *cherem* illud valet rem, quæ hominum vſui eripitur, penituſq; ab humana, communique conſuetudine tollitur ac remouetur. Fit autem hoc dupliciter, duplicique de cauſa. Vel enim Deo conſecratur, & conſeruatur, vt res ſancta ſit, & eius miniſterio, cultui & honori dicata: vel abolетur, è rerũ natura exterminatur, quod impura, nefaria, & omni vſu indigna ſit. *Prioris exemplum* illuſtre poſitum eſt Leu. 27. v. 28. Nam quod interpres noſter vertit, *omne, quod domino conſecratur, ſiue homo fuerit, ſiue animal, ſiue ager, non veniet, nec redimi poterit,* Hebraice eſt, *omne cherem, quod iacherim,* id-eſt, *deuouerit homo Domino ex omni re quæ ipſius eſt, ex hominibus, & in pecore, & ex agro poſſeſſionis ſuæ, non vendetur, neque redimetur.* Rurſum quod in textu noſtro ſequitur; *Quidquid ſemel fuerit cõſecratum, ſanctum ſanctorum erit Domino,* Hebraice eſt, *omne cherem, ſanctitas ſanctitatum eſt:* Denique quod v. 9. ait noſter, *omnis conſecratio, quæ offertur ab homine, non redimetur, ſed morte morietur,* in Hebræo eſt, *omne cherem, quod iacheram,* ſeu *deuouebit ex homine, non liberabitur, morte morietur.* Vbicumq; vero iſtud *cherem* eſt, & in Latino *conſecratum*, aut *conſecratio*, illic in Græco ſemper eſt ἀνάθεμα. Similiter Num. 18. v. 14. quod à noſtro vertitur, *omne, quod ex voto reddiderint filij Iſrael, tuum erit,* in Hebræo eſt, *omne cherem in Iſrael, tibi erit,* In Græco πᾶν ἀνατεθεματισμένον ἐν υἱοῖς ἰσραὴλ σοὶ ἔσται. *Poſterioris* generis *exempla* ſunt Iud. 7. v. 1. & 12. 3. Reg. 20. v. 39. hic c. ſequenti v. 1. & hoc ipſo c. v. 17. & 18. Vbi Hebraice ad verbum ſic. *Et tantummodo vos cuſtodite ab ipſo cherem, ne forte tacherimou, & accipiatis de ipſo cherem, & ponatis caſtra Iſrael in cherem, & conturbetis ea.* Vult autem Radak vnum & idem valere illa, *ne forte tacherimu, & accipiatis de ipſo cherem,* idque fere amplectuntur recentiores. Sic enim Pagninus, *ne forte accipiatis de anathemate, & tollatis de anathemate:* Maſius, *ne forte anathematizetis, hoc eſt, accipiatis de anathemate.* Et in Commentario, *verbum,* inquit, *tacherimu, hic ſignificat capere rem Deo dicatam, & ſibi ſumere, vt ea, quæ ſubiicitur particula explicat.* Sed ſane id verbum ſignificat hic anathematizare, id-eſt, anathematis reũ facere, anathemati ſubiicere, ac perdere, ſiue vt ſubdit textus, *ponere in cherem,* id-eſt, in execratione, peccato, ſiue peccati pœna: & v. 21. ſimiliter. Rurſumque particula *&* quæ ſubditur, vim habet cauſalẽ ſic, ne vos ipſos anathematis reos faciatis, quia de anathemate acceperitis, quemadmodum Iſaiæ 64. verſu 5. *Tu iratus es, & peccauimus,* id-eſt, quia peccauimus. Et integram orationem iſtam omnino confirmant illa verba Deuteronom. 7. verſu 26. *Non inferes quidquam ex idolo in domũ tuam, ne fias anathema, ſicut & illud eſt.* Ideoq; noſter interpres bene non quidem verbo verbum, ſed ſententiam reddidit, & dixit. *Vos autem cauete, ne de his, quæ præcepta ſunt, quidpiã contingatis, & ſitis præuaricationis rei, & omnia caſtra Iſrael ſub peccato ſint, atque turbentur.* Idemque ſpectarunt 70. cum verterunt μήποτε ἐνθυμηθέντες ὑμεῖς

A αὐτοὶ λάβητε ἀπὸ τοῦ ἀναθέματος. Cum enim θυμὸς iram non raro ſignificet, vnde eſt θυμαίνω, θυμόομαι, & apud Ariſtophanem ὀξυθυμεῖν, *ira præcipiti excandeſcere,* apud Plutarchum in Mario ἐπιθυμεῖν, *ira valde accendi:* apud Suidam συνθυμεῖν, *ſimul iraſci,* acceperunt 70. ἐνθυμεῖν non tantum pro *cogitare* & *in animo verſare,* ſed etiam pro *iraſci,* ſeu *in ira eſſe* actiue & ἐνθυμεῖσθαι pro *eum eſſe cui alius iraſcitur,* ſiue *in ira eſſe* paſſiue. Ideoque ipſorum hæc mens eſt, *ne forte in ira*
B (ſcilicet Dei) *ſitis,* ſeu *ne forte ij ſitis, quibus ob præuaricationem iraſcitur Deus, eo quod de anathemate acceperitis.* Hoc Maſio in mentem cum non veniſſet, veluti ludos ipſis 70. hic affinxit. Nam *primò* vult eos *daleth* pro *reſch* in Hebræo legiſſe. *deinde,* verbi Hebræi literas tranſpoſuiſſe, ſicque pro *tacherimu* feciſſe *tachmedu. Tertiò.* ἐνθυμηθέντες poſuiſſe pro ἐπιθυμήσαντες. Sed licet ita ἐνθυμηθεὶς Achan ſequenti cap. 7. in 70. dicatur verſu 21. nihil horum tamen hic vel neceſſarium, vel opportunum. Patet eo modo, quem tradidi, ſumma eorum, noſtrique, & Hebræi
C textus concordia, veruſque ſenſus, quem etiam ob rei euidentiam, potiuſque alterum illum ij ſecuti ſunt, qui ab noſtro interprete ad Rabbinicas, nouaſque interpretationes libentiſſime alioquin abeunt Iunius & Tremellius. Hæc enim eorum verſio: *Veruntamen vos tantum ſeruate vos ab anathemate, ne efficiatis vos anathema, accipientes de iſto anathemate: & ſubiicientes caſtra Iſraelis anathemati perturbetis ea.* Eſt autẽ ex his perſpicuum, quemadmodum nomen *Cherem* accipitur dupliciter in bonam ſcilicet, malamque rem: ita etiam & verbum *hecherim.* Nam ſupra bis ex Leuit. 27. verſu 28. & 29. pro *vouere, Deo-*
D *que aliquid conſecrare* poſitum eſt: & alias ſæpiſſime pro *anathemati ſubiicere, diſperdere, occidere, auerruncare* legitur vt ſupra capite 2. verſu 9. infra cap. 10. verſu 1. verſu 28. 35. 37. cap. 11. verſu 11. 12. Iud. 20. verſu 17. Regum. 15. verſu 9. & 18. Iſai. cap. 11. verſu 15. c. 50. verſu 26. ca. 51. verſu 3. Deuteronom. 2. verſ. 34. cap. 22. verſu 28. &c. Id vero reddunt 70. modo ἀναθεματίζειν, vt hic verſu 21. vbi Ioſuæ tribuunt tãquam auctori, quod in Hebræo & Latino, Græciſque quibuſdam, tribuitur omnibus: modo ὀλοθρεύειν vt ſupra cap. 2. verſu 10. vbi Chaldæus verbo *gamar* vſus eſt, modo aliter. Vnde Latinis
E etiam eſt *anathematizare,* & apud Sanctum Auguſtinum, *anathemare.* Quando vero res quæpiam Deo conſecratur, neque tamen è medio aufertur, ſed conſeruatur, ſolet fere ſemper vocari à Iudaicis quidem poſteriorum temporum Rabbinis *Corban* & lenius *Coban* à *Corab*, quod valet offerre: vt in Thalmud patet tract. de iureiurando & votis: à Græcis vero ἀνάθημα, interdum tamen etiam ἀνάθεμα vt oſtendit quæſtio 121. apud Sanctum Iuſtinum, & promiſcuus
F eorum nominum vſus apud Andream Cæſarienſem in Apocalyp. 22. fol. 108. Sanctum Chryſoſtomum homilia ſexta ad Epheſ. fol. 1070. Prudentium in Pſychomachia de auaritia, quemadmodum pro rei alicuius operculo vſitatum ἐπίθημα, & ἐπίθεμα. Rarior tamen iſta confuſio: & vbi malam in partem ſumatur ἀνάθημα, legere non memini. De hoc autem dixi aliquid in Iudith. 16. fol. 406. Quod vero ſic

Digitized by Google

aboletur & perditur,dicitur etiam *Deo dari*,vnde hic verſu 17. cum dictum eſſet, *ſit ciuitas hac anathema*,confeſtim additur, *& omnia quæ in ea, ſint Domino.* Sic enim legendum videtur, vt clarius,quod in Hebræo eſt,exprimatur: aut certe iſtud, *ſint*, ſubintelligendum,cum plene dicendum foret, *omnia quæ in ea ſunt, ſint Domino.* Sed iſta *dari Deo* dicuntur,quia in ipſius honorem ac reuerentiam, veluti nefaſta & ſceleroſa tolluntur,ac in nihilum rediguntur. Alia vero, vt ſupra dictum eſt, conſeruantur, ſicq; diuino cultui,velut pura,caſta,& ſancta applicantur.

QVÆSTIO XXXIV.

Quotuplex anathema ſit?

ANathema, vt ſuperiore quæſtione dictum, vel ſalutare,vel exitiale eſt,& quia de hoc exitiali iam agitur,eius cauſæ hic percurrendæ. Ac *primò* quidem *finis.* Licet enim vt ſupradictum, fiant in Dei honorem anathemata omnia, hoc tamen genus proxime ad peccata puniendum, eorumque deteſtationem oſtendendum, & hominibus perſuadendum refertur, prout infra patebit. *Secundò. Efficiens* cauſa: imperans quidem,Deus,vel homo: exequens homo. *Tertiò. Forma* eſt rerum ipſarum ab humano vſu ſeiunctio,& abolitio: ad eamque referri poteſt ipſe ſeiunctionis & abolitionis *modus*, qui pro rerum varietate varius eſt. Quædam enim comburuntur,quædam mactantur, quædam morte tantummodo ciuili afficiuntur, vt licet viuere ac eſſe ſinantur, ſic tamen quaſi mortuæ iam forent, ab omni ſeponuntur conſuetudine. *Quartò.Materia* duplex eſt. Vna propria *proxima*,homo ſcilicet impurus,qui ea pœna dignum admittit peccatum. Minus propria & quaſi *remota* eſt, quidquid ad huiuſcemodi hominum in hiſce inferioribus creaturis proprie pertinet,vti veſtes,facultates,ſupellex,domus,agri,vrbes,vxor,& liberi. Colliguntur hęc omnia ex citatis quæſt. 23.ſcripturis: & quoad mortis illius ciuilis modum, è variis ſcriptoribus. Nam *primo* teſtatur Elias Levites in Thisbi verbo *Schamattha* tripliciter apud Iudæos anathemate hominem feriri, vt videlicet ſit *Nidui, Cherem, & Schamattha*, prout in Eſdræ vltimo expoſui. Ioſephus libro ſecundo de bello, capite ſeptimo: *Eſſeni deprehenſos in peccatis*, ait, *à ſua congregatione depellunt: & qui taliter fuerit condemnatus,miſerabili plerumque morte conſumitur: illis quidem ſacramentis & ritibus obligatus, neque capere ab aliis oblatum cibum poteſt, herbas vero more pecudum decerpens, & fame exeſus per membra corrumpitur: ob quod etiam plurimos plerumque miſerati, extremum ſpiritum agentes receperunt, ſufficientem pro peccatis eorum quæ vſque ad mortem adduxerat, pœnam luiſſe cenſentes.* Apud Romanos, qui ob nefandum aliquod ſcelus diris publice deuotus erat, poterat à quolibet impune occidi, vt ait libro 2. Diodorus. De Druydis narrat libro ſexto de bello Gallico Cæſar hæc: *De omnibus controuerſiis, publicis, priuatiſque conſtituunt, & ſi quod eſt admiſſum facinus, ſi cædes facta, ſi de hæreditate,de finibus controuerſia eſt,iidem decernunt,præmia, pœnaſque conſtituunt. Si quis aut priuatus, aut populus*

A *eorum decreto non ſteterit, ſacrificiis interdicunt. hac pœna apud eos eſt grauiſſima,quibus ita eſt interdictum, ij numero impiorum,ac ſceleratorum habentur, ab ijs omnes decedunt,aditum eorum, ſermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant: neque ijs petentibus ius redditur, neque honos vllus communicatur. Erranti viam non monſtrare, Athenis execrationibus publicis ſancitum eſt*, inquit libro 3.de officiis Cicero. Poſt imprecationes vero mitti ſolebant in mare candentes maſſæ ferreæ, vt in Ariſtide narrat Plutarchus. Quomodo apud Chriſtianos & quotuplex *excommunicatio* ſit, B quid efficiat, & quomodo feratur, dixi in tractatu de cenſuris Eccleſiaſticis. & videri poteſt Annalium tomo primo Reuerendiſſimus Baronius,anno Domini 57. Sed reſpectu materiæ colligenda hæc diuiſio, vt aliud ſit anathema generale, quo & homo, & eius omnia omnino delentur: aliud particulare, quo vel non deletur homo,vel eius non omnia.

QVÆSTIO XXXV.

Hierichuntinum anathema cuiuſmodi?

C GEnerale cenſendum foret, niſi primo ex hominum anathemate fuiſſet *Raab* cum propinquis & familiaribus omnibus, quos illius continerent ædes, excepta: ex rerum anathemate,metalla,metallicaque omnia.Cæteroquin homines vrbis totius omnes,etiam fœminæ, ſenes, pueri & iuuenes omnes occiſi ſunt: pecudes itē omnes: ædificia & vrbis quidquid adhuc ſtabat, incenſum: ita vt cæſorum & hominum,& pecudum cadauera eodem incendio deflagrarint omnia,veſtes itē omnes, & ſupel- D lectilia,quæ metalli expertia. Vide ſupra q.23.

QVÆSTIO XXXVI.

An Hierechuntino Anathemate comprehendi recte potuerunt vrbis illius matres,virgines, puellæque omnes?

REcte in Camillo Plutarchus. *Sæua res bellum eſt,cumulumque ſecum trahit iniuriarum & violentiæ.* Sunt tamen viris bonis certæ belli leges. Neq; enim ita eſt ad victoriam incumbendum, quin ſceleſte & impie factorum nomen declines. Ideoque,vt diſtinctius reſpondeam, duas E conſtituo propoſitiones. *Prima.* Generatim loquendo, fœminarum omnium vitæ in bello, maxime cum vrbs aliqua expugnata, & iñ manib.iam victoria eſt, parci debet. I. Quia bellum,ſi quidem iuſtum, vel ad nocētes plectendos, vel ad eorum vim ac iniurias arcendas & propulſandas ab innocentib.ſuſcipitur. At generatim & communiter loquendo, non ſunt fœminæ nocentes, neq; vim & iniuriam inferūt. *Secundò.* Eorum auctoritate vel infertur, vel illatum excipitur bellum, quis Rebuſpublicis præſunt, communiaque negocia ex officio,vel F conſilio vel manu adminiſtrant. At cōmuniter à Rerumpublicarum gubernatione, curiis, & dignitatib.excluſæ ſunt fœminæ. In Digeſtis libro 3. *De mun. & hon.* ait Imperator. *Corporalia munera fœminis ipſe ſexus denegat.* Vnde & à feudis excludi ſolent, prout oſtendit Alexander

Digitized by Google

conſilio 30. Decius conſilio 139. *Tertiò.* Ipſe per A ſeipſum ſexus imbellis eſt, infirmus, & miſericordia potius, quam vi & ferro dignus. *Quartò.* Ita docent Iuris interpretes, vt in Couarruuia videbis in regulam *Peccatum* p. 2. Victoria relectione *de iure belli & Indis*, Bellarmino libro tertio *de Laicis* cap. 15. Imo & è Gentibus Seneca 4. Octa. *fœmina*, inquit, *nomen hoſtis non capit*: Statius Sylu. *Stat ſexus rudis inſciuſque ferri.* Narrat libro quarto Diodorus, apud Troglodytas à fœminis prælia dirimi, nefaſque duci, eas vllo pacto lædere. Alexander Magnus apud Curtium libro quinto. *Cum captiuis*, inquit, *& fœminis gerere bellum non ſoleo. Armatus ſit, oportet, quem oderim. Quintò.* B Ecce vero & diuina lex Deuteron. 20. verſ. 13. *Cum tradiderit Dominus Deus tuus vrbem in manu tua percuties omne, quod in ea generis maſculini eſt, in ore gladij, abſque mulieribus.*

II. Sunt cauſæ nonnullæ, ob quas in bello, etiam poſt victoriam, fœminas occidere liceat. *Prima eſt*: ſi ſint fœminæ ipſæ ſceleri ac iniuriæ, ob quam bellum eſt, affines. Num. 25. Moabitides fœminæ Iſraëlitas ad fœdam libidinem ac idololatriam pellexerant. Ob hoc illatum Moabitis bellum Num. 31. Sed communi de C fœminis non occidendis regula paulo ante poſita, cum vſi fuiſſent Iſraëlitæ, iratus Moyſes, principibus exercitus, tribunis & centurionibus, qui venerant de bello ait verſ. 15. *Cur fœminas reſeruaſtis? Nonne iſtæ ſunt, quæ deceperunt filios Iſraël ad ſuggeſtionem Baalam, & præuaricari vos fecerunt in Dominum ſuper peccato Phogor, vnde & percuſſus eſt populus?* Pergit vero in iuſta & ſanata hac ira Moyſes, & iis, quæ ad flagitium illos inflexerant, ſupplicium fœminis imponit verſ. 17. *Ergo cunctos interficite quidquid eſt generis maſculini, etiam in paruulis: & mulieres quæ* D *nouerunt viros in coitu iugulate. Puellas autem & omnes fœminas virgines ſeruate vobis.* Hinc & ſapienter Poëta, dum Æneid. 2. Æneam ardente Troia, diſputantem inducit, Helenamne mali totius facem & cauſam à medio tolleret, ait iri datum laudi, ſi non nefarium modo, ſed ipſum veluti nefas tolleret.

---etſi nullum memorabile nomen
Fœminea in pœna eſt, nec habet victoria laudem.
Extinxiſſe nefas tamen, & ſuperaſſe merentis
Laudabor pœnas:

Prout non leuiter hoc ipſum expendit in E Poëtica contra Tuccam, Varum, Seruium & horum auctoritate commotum Caſertanum 5. de ſi. cap. 14. Iulius Cæſar Scaliger libro tertio cap. 12. & 24. Modicius cap. 4. *Altera cauſa* eſt, ſi contra morem, hoſtilia manu & armis molirentur fœminæ, vt Pentheſilea furens, totaque Amazonum, quidquid Bertus, Gentilis, & alij neſcio qui dicant, fabula. Sicque apud Vopiſcum non male Aurelianus mulierum, quæ virili habitu pugnarent, cæcidit multas, in triumphum etiam quaſdam duxit. *Tertia.* ſi Reipublicæ, hoſtiliumque partium tanta eſſent cri- F mina, tamque graues iniuriæ, vt ſolorum iris virorum mors expiandis non ſufficeret. Sunt enim etiam fœminæ quædam Reipublicæ portio, quoddam virorum ipſorum bonum. ita, vt ob illorum etiam ſolorum ſcelera, poſſint hæ, illorum in pœnam, truncari. Idque factum ſæpe.

Vnde cum Germanos hoſtes lætos, feſtamque noctem ac ſolennibus epulis ludicram agitantes aggreſſus eſſet Germanicus, *Non*, ait lib. 1. Annalium Tacitus, *ſexus, non ætas miſerationem tulit. Quarta.* ſi ab iis periculi poſtmodum aliquid victoribus recte timeretur. Idem apud eundem Tacitum Annalium libr. 2. Germanicus, ſuos orabat milites, *inſiſterent cædibus: nihil opus captiuis: ſolam internecionem gentis, finem bello fore. Quinta.* ſi iubeat Dominus. Huic enim ſumma, & contra quam excipi nihil poteſt, vitæ neciſque mortalium omnium poteſtas: & vero cædes eiuſmodi, abſque grauiſſima quapiam cauſa, nunquam benigniſſimus iubet Dominus. Sic Deut. 2. verſ. 34. cap. 3. verſ. 6. 1. Reg. 15. Cauſa vero hæc, vel vna ex iis, quæ iam expoſitæ ſunt, eſt, vel alia quapiam ſimilis, noſtræ licet animorum cæcitati obſcura. Recte ſiquidem quæſt. 36. & 49. in Iudices Diu. Auguſtinus, itemque quæſt. 56. in Leuiticum, *Dei iuſſio ſemper pro lege eſt*, etiamſi iuſſionis nos ratio lateat. Hierichuntinum vero anathema iuſſit Dominus, vti quæſt. 18. oſtenſum ſupra: & maiores natu fœminæ idololatria, cæteriſque ſceleribus, quæ punita volebat Dominus Gen. 15. non vacarunt: minores vero ciuitatis totius portio, & quoddam parentum ſuorum bonum fuerunt, eaque propter anathemate iſto recte omnes incluſæ.

QVÆSTIO XXXVII.

An eodem anathemate infantes, pueri, & decrepiti ſenes recte comprehenſi?

EOdem fere hic modo, quo ad ſuperiorem quæſtionem reſpondendum. *Primò.* Communiter in bello, victoria iam parta, nex infantibus, pueris, decrepitiſq; non inferenda. Nam *Primò.* infantes ac pueri prorſus innocētes ſunt. *Secundò.* In Reipubl. adminiſtratione nullam partem obtinent. *Tertiò.* Ætatis infirmitas miſeratione quam internecione dignior. Senum vero fere eſt Rempublicam gerere, ab iis & ex iis, *Senatus.* Conſilio nocent hoſtibus interdum plurimum. imo etiam hortatu & exemplo: quia tamen corporis effœtæ ipſis vires, manus elanguidæ, membra imbellia, vt per ſe nihil magnopere aduerſarios poſſint lædere: quia morti iam vicini ſunt: quia ætas illa venerationis, &, ſi ærumnoſa ſit, miſericordiæ non habet parum, ſolet iis communiter à moderatis Ducib. exiguum illud, quod iis ſupereſt, vitæ condonari. Et ab infantium quidem cæde Dei iuſſu compeſcuntur omnes Deut. 20. verſ. 14. Sed præclara de iis Camilli oratio, quæ admiratione primum, deinde imperij, nominiſq; Romani amore hoſtes impleuit: apud Liuium lib. 5. decadis 1. legitur, cum ad illum Faliſcos obſidentem, Proditor ludimagiſter pueros, quorum parentes capita ibi rerum erant, adduxiſſet. *Nobis*, ait, *cum Faliſcis, quæ pacto fit humano, ſocietas non eſt: Quam ingenerauit natura vtriſque, eſt, eritque. Sunt & belli, ſicut & pacis iura, iuſteque ea non minus, quam fortiter didicimus gerere. Arma habemus non aduerſus eam ætatem, cui etiam, captis vrbibus, parcitur: ſed aduerſus armatos.* Vide & Valerium libro 6. capite

ſecundo, Florum libro 1. Dicit libr. 3. *de in & re*, Alphenus, dictatque ratio, *liberis, quæ non à patre, ſed à genere, à ciuitate, à rerum natura tribuerentur, ea manere incolumia.* Fuit in probro ſecus facere. Tacitus libro tertio hiſtoriarum. *Grandæuos ſenes exactæ ætate fœminas, viles ad prædam in ludibrium trahebant*, in Cremonenſi ſcilicet excidio. *Secundò*, cauſæ tamen eſſe poſſunt, quę iuſtam eorundem omnium efficiant cædem, ſuntque eædem prorſus, quæ in ſuperiore quæſtione fuerunti ſed quoad ſenium prima & ſecunda: quoad idem ſenium, & infantiam atq; pueritiam tertia, quarta, & quinta. Et ſic Pſalm. 136. *Beatus, qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram.* ſic Deut. 2. verſ. 34. cap. 3. verſ. 36.

QVÆSTIO XXXVIII.

An iumenta & pecudes, veſtes, & inanimæ aliæ res eodem recte anathemate comprehenſæ?

Quid meruere boues animal ſine fraude, doloque?
Et quid oues & aues? quid apes? quid equi? quid aſelli?
Quid veſtes, poſtes? quid aromata, balſama, palmæ?

NIhil vel animalia, vel inanima hæc omnia, cum culpam non admiſerint, pœnæ meruerunt. Mactantur tamen, cremantur, & diſperduntur, quia iis creaturis ad Creatoris iniuriam abuſi erant impij: quia hoc impiorum abuſu, quodam veluti contagio, impuratæ fuerunt: hæc in quibus, deſerto contemptoque Deo, ſuam fœlicitatem iidem conſtituerant: hæc denique illorum bona, opes & facultates erant. Accedit, quod, earum rerum exitio, mortalibus omnibus ingens Dei erga impios ira magis ob oculos conſtituitur: maiorque ad ſcelera omnia exhorrenda & defugienda terror iniicitur. Id & locis antea citatis fere omnibus patuit. Alioquin opimam ex his prædam egiſſent libentius, Iſraëlitæ, pepercifſent ædificiis libentius quaſi iam ſuis, vti captis Sardib. monebat Cyrum Crœſus apud Herodotum libro 1. *Nemo enim vaſtat ſua*, inquit Theba. 4. Seneca. & apud Liuium lib. 32. milites obnixe monet ſuos Quinctius, vt, quaſi ſuæ iam ditionis, rationem haberent eius, quam tenebant: Meſſaniorum ſane villas non demoliebantur, neque ſuccidebant arbores Lacedæmonij, quoniam eum iam ſuum agrum ducebant. In his vero ædificiis facile intelligitur, magnifica fuiſſe Regis palatia: Magnifica Deorum fana, & lucos. Sacra, profana in igne cōſiderunt omnia. Vnde mihi etiam voluiſſe videtur vaſtari Deus, perdi, & incendi hæc omnia, vt Iſraëlitas aſſueſaceret cupiditatibus ſuis frænum iniicere: auaritiæ modum ponereımanus abſtinentes habere: ipſorumque obedientiam, abſtinentiam, & virtutem in exemplum poſteris omnibus ſtatuere.

QVÆSTIO XXXIX.

Vrbi tam pulchræ ac opulentæ, cur anathema inflictum tam dirum?

HÆretici quidam in ſanguinarium Ioſuæ animum cauſam coniecerunt. Sed ij & ex dictis iam confutati, & multo ex iis amplius, quæ infra dicentur. Thalmudicorum quidam tract. de ſabb. capite 1. cauſas tres alias tradiderunt. *Prima.* quod exiſtimarit Ioſue cum nefariis illis vrbibus, quarum Deut. 13. v. 15. 16. 17. *πανολεθρία* præcipitur, parem impiæ Hierichuntis cauſam eſſe. *Secunda.* quod vrbem die ſabbati, vt ſupra dictum q. 29. captam, merito ei cui ſabbatum dicatum, cenſuerit dicandam, vt iſtius cauſa & honore funditus exterminaretur. *Tertia.* quod legem de primitiis Deo offerendis Numerorum 15. ſancitam, in vrbibus etiam captis obſeruandam duxerit. Ideoque cum vrbium in Chananæa ciſiordanica captarum eſſet omnium prima Hiericho, eam Domino vt primitias quaſdam obtuliſſe. Sed ab illis dicuntur hæc, quaſi ſuapte ſponte, non alterius iuſſu anathematis vrbem iſtam damnarit Ioſue, quod ſupra quæſtione 18. negatum. Ideoque dicendũ, feciſſe hoc Ioſue. *Primò.* quia iuſſit Dominus. Iuſſit autem Dominus. *Primò.* ob Chananæam ciuitatis huius impietatem & nequitiam. *Secundò.* vt Chananæi deinceps alij exitio, cladeque tanta percellerentur, Iſraëliſque filiis decretam diuinitus poſſeſſionem cederent. *Tertiò.* vt Chananæorum eorundem qui vellent, reſipiſcerent miſericordiamque Dei, ac Ioſuæ dexteram poſcerent, veram religionem capeſſerent vero Deo pie caſteque ſeruirent. *Quartò.* vt quam deteſtabilia peccata ſint, quæ pœnis tantis in hoc etiam ſæculo afficit Dominus, alioqui benigniſſimus, intelligatur. *Quintò.* vt non humanis artibus, gladiis, ac viribus, ſed ſoli Dei potentiæ vrbis huius expugnatio aſcriberetur. *Sextò.* Potuit etiam Dominus cauſas, & hac ipſa, & ſuperioribus quæſtionibus tactas concurrere voluiſſe omnes: ſicuti ſane illam de primitiis tradunt Ioſephus lib. 1. cap. 1. Theodoretus q. 6. alij. Imo licet vnus Dei iuſſus Ioſuæ ad cædes flammaſque iſtas eſſe ſatis potuerit: nihil tamen obſtat, quo minus vir & prudens & erga Numen religioſus ſpectare alias etiam cauſas potuerit. verbi cauſa, vt hæ Deo deuouerentur primitiæ: vt exemplum in impias vrbes, ſi quæ poſtmodum extarent, ſtatutum vnum eſſet. Vnde quæſt. 6. Theodoretus. *Hanc*, ait *vrbem primam poſt traiectum flumen ceperunt. Sicut ergò præcipit eis, vt offerrent primitias fructuum: ita mandauit offerri primitias ſpoliorum. Præterea exercere vult eos per has leges ad obſeruandas leges neceſſarias. Patefacit autem eis potentiam ſuam in vrbe prima capianda ſine armis aut machinis, quæ diſſoluta eſt ſolo tubarum ſonitu: vt cum in acie vincerentur, agnoſcerent ſe ſuccumbendi dediſſe occaſiones, nempe diuinas leges contemnentes.* Sed illa generalis quæ ad ſuperiores etiam quæſtiones patet, non eſt aſpernanda ratio, voluiſſe Dominum, quid in mundo iſto futurum eſſet, demonſtrare. Huius enim typus eſt Hiericho. Erunt ergo formidoloſiſſimi terræmotus, bella cruentiſſima, peſtes exitialiſſimæ, quibus hæc ſupremis diebus mundi machina, eiuſque incolæ mortales delebuntur, ſubſequetur deinde horrendum, quod reſidua depopulabitur & hauriet omnia, incendium. Habet namq; in Hiericho locum quod 2. epiſt. c. 2. v. 6. dixit S. Petrus: *Ciuitates Sodomorum, & Gomorrhæorum in cinerem redigens* (Deus) *euerſione damnauit, exemplum eorum, qui impie acturi ſunt, ponens.* Vide Origenem q. 6. ſub finem.

QVÆSTIO XL.

Cur ab anathemate iſto excepta metalla? & quid ijs factum?

QVæ, cur Hierichuntis veſtes, fruges, ſuppellectilia, inanimaque alia bona omnia in cinerem redigerentur, cauſæ q. 38. dictæ ſunt, eædem in metallis, auro, argento, ære, ac ferro hærent. Cur ergo excepta? Commouit ea quęſtio Maſium, vt, fol. 110. negaret in Hierichuntinæ religionis deteſtationem, & contagij expiationem cætera illa incendio hauſta. Sed reſpondenda hic duo. *Primo.* Cur aurum, argentum, aliaque metalla ſeruata ſint, vna indicatur à textu cauſa, v. 19. & 24. *vt in domus* ſcilicet Dei *theſaurum inferrentur.* Sciendum enim *primo* ante Salomonici templi exædificationem, ipſum Domini tabernaculum vbicunque tandem locorum eſſet, vocatum fuiſſe *domum Domini.* Sciendum *ſecundo* fuiſſe aliquem diuinæ domus huius theſaurum, in quo reponerentur & aſſeruarentur, quę Deo ipſi conſecrarentur, vt patet Num. 31. v. 54. 2. Reg. 8. verſ. 11. Verum abſoluta nondum quæſtio eſt. Solicitat enim adhuc illa dubitatio animum, cur in Dei theſaurum hunc non illata frumenta, è quibus vel in ſacrificia, vel in Leuitarum & Sacerdotum alimoniam panis? non oleum, & vinum, è quibus libamina, & Leuitarum potio eſſet? non coccus, purpura, & ſimilia, è quibus tabernaculi opercula fierent, vt Exodi 25. & 35. Sed metalla, & quidem tantum? Reſpondet quæſt. 25. Abulenſis ea, quę ſuo vel vſu, vel abuſu potius, contaminaſſent Gentiles, non potuiſſe Dei cultui admoueri & conſecrari, niſi omniū maximo & efficaciſſimo piandi modo expiata fuiſſent. Is autem eſt, vt in ignem conijciantur, & ab eo allambantur. Sic enim Num. 31. v. 22. *Aurum & argentum, æs & ferrum, & plumbum & ſtannum, & omne, quod poteſt tranſire per flammam, igne purgabitur.* Quæ vero in Iſraelitarum ſiue Leuitici, ſiue Laici ordinis vſum, ex hoſtium præda, venire debebant, ea ſatis erat leniori expiari piaculo, aqua ſcilicet piaculari. Subditur enim ibidem. *Quicquid ignem non poteſt ſuſtinere, aqua expiationis ſanctificabitur.* Vterque vero expiandi modus generatim antea v. 20. præſcriptus erat: *De omni præda, ſiue veſtimentum fuerit, ſiue vas, & aliquid in vtenſilia præparatum de caprarum pellibus, & pilis, & ligno, expiabitur.* Quia igitur metalla ignis vim ferre, & quidem ſola potuerunt, ideo in domini theſauros importata: Sed vti dictum eſt: poſteaquam expiata & perpurgata.

Cauſæ poſſunt alię plures afferri. *Prima.* Metalla omnium diutiſſime ſeruantur, & abſque detrimento, corruptioniſque vitio cuſtodiuntur. *Secundo.* Erat ædificandum olim templum: multa in eo vaſa è metallis variis conflanda. Eam igitur materiam iā pręparare, vt in promptu tunc eſſet, voluit Dominus, prout etiam feciſſe Dauidem legimus, 2. Reg. 8. verſ. 8. 10. 11. 1. Paralip. 22. v. 2. & 14. capite 29. verſ. 2. & 3. *Tertia* cauſa. Conſuluit eo modo Iſraelitarum facultatibus Dominus, ne cum tantum illud
A opus excitaretur ipſa ſumptuum immanitate nimium exinanirentur. *Quarta.* Ne hoc ſtatim bellorum principio, auri argentique præda nimium onuſti & graues Iſraelitę, vel intumeſcerent, vel ad futura bella langueſcerent. *Quinta.* Quod in Iſraelitarum commodum cedere potuiſſet, hoc ab ijs, quaſi donum & manubiarum primitias accipere voluit Dominus, qui fortaſſe ipſos iam in ſacrarium ſuum non futuros ſponte tum munificos proſpiciebat, quam fuiſſent olim Num. 31. v. 49. & 50. niſi occaſio & nouus vel præcepti, vel exhortationis acceſſiſſet ſti-
B mulus. *Sexta.* Significare iſto facto multa etiam docere voluit idem Dominus. *Primo.* Cum iuſtitia ſemper iungendam miſericordiam, & cū pœna lenitatem aliquam Pſalm. 100. Vbi delēda fuit Hiericho iuſtumque ipſius tectis & opibus exitium inferendum: In quorundam tamen liberatione Dei eminuit bonitas & clementia. *Secundo.* Ex omni anathemate poſſe, quod Deo ſeruiat & gratum ſit, aliquid exiſtere. Quam multa ſunt hoc in mundo deſpicatiſſima, è quibus tamen ſibi elegit Deus corda optima, ſanctiſſimos homines, miniſtros
C aptiſſimos? Percurre omnium artificia, ſtatus & ſexus: Deprehendes ex ijs, qui, anathematū inſtar, contemnuntur ac reſpuuntur, magnos aliquando viros exiſtere. Et vero quod peccatis anathema vilius & deteſtabilius? Hinc tamē Sanctus Matthæus: vas electionis Sanctus Paulus: Sancta Magdalena: Latro bonus, & alij tam multi. *Tertio,* Recte conuerti nonnulla, quæ impietati ſeruierunt, in pietatem & Dei cultum, tam in hominibus, quam in rebus alijs. Sic Apoſtolus Rom. 6. v. 19. *Humanum dico, propter infirmitatem carnis veſtræ. Sicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ & iniquitati,*
D *ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ, in ſanctificationem.* Sic Philoſophia, totaque artium, quæ liberales vocantur: encyclopedia CHRISTI honori & glorię celebrandę, tuendæ, ac propugnandę obſequuntur. Sic idolorum fana in CHRISTI Eccleſias, Deorum ritus & ceremonię nonnullæ in CHRISTI honorem verſę. Quam interdum gaudeo, & & CHRISTI de idolis & Gentilium omnium ſuperſtitionibus triumphum lætus laudo, cum in vicino Bretzenheimenſi pago ante templi fores in veteri ſaxo video *Iouem, Iunonem, Hercu-*
E *lem,* Deoſque neſcio quos alios, benedictam Chriſtiano ritu aquam ſuſtinentes, ædemque ipſam ineuntibus & exeuntibus præbentes! *Quarto.* A nobis Deo etiam aurum, æs & ferrum noſtrum & argentum offerendum. Quid aurum, niſi hominum bona pręſtantiſſima bona, ingenium, doctrina, & virtus? Quid argētum, niſi hominum fama, laus & gloria? quid æs niſi corporis integritas, valetudo & robur. Quid ferrum, niſi bona omnium infima, quæ extra nos ſunt, pecunię, fundi, & prędia? Secu-
F lorum diſcrimina per haſce metallorum formas quatuor diſtinxerunt olim Poetæ, cum *aurea & argentea, & ærea, ferreaque ſecula* dicerent, quidni & omnia bonorum genera deſcriminare ſimiliter liceat? D. Auguſtinus epiſt. 41. ad ſuum quondam diſcipulum Licentium: S. ait, *calicem aureū inueniſſes in terra donares illum Eccleſiæ*

Dei. Accepiſti à Deo ingenium ſpiritualiter aureum, & miniſtras inde libidinibus, & in illo Satanæ propinas te ipſum? S. Gregorius libro quarto epiſt. 84. *Erga dulciſsimam mentem glorioſiſsimi filij mei Domini Theodori habeo aliquam querelam: quia donum ingenij, donũ rerũ, donũ miſericordiæ atq; charitatis à S. Trinitate percepit: Sed tamen ſæcularibus indeſinenter cauſis adſtringitur, aſsiduis proceſsionibus occupatur, & quotidie legere negligit verba redemptoris ſui. Quid eſt autem ſcriptura ſacra, niſi quædam epiſtola omnipotentis Dei ad creaturam ſuam? Et certe ſicubi eſſet gloria veſtra alibi conſtituta, & ſcripta terreni iam imperatoris acciperet, non ceſſaret, non quieſceret, ſomnum oculis non daret, niſi prius qui ſibi imperator terrenus ſcripſiſſet, agnouiſſet. Imperator cæli, Dominus hominum & Angelorum, pro vita tua tibi tuas epiſtolas tranſmiſit. & tamen, glorioſe fili, eaſdem epiſtolas ardenter legere negligis. Stude ergo quæſo, & quotidie creatoris tui verba meditare. Diſce cor Dei in verbis Dei vt ardentius ad æterna ſuſpires, vt mens veſtra ad cæleſtia regna maioribus deſiderijs accendatur. Tanto enim tunc maior ei erit requies, quando modo ab amore conditoris ſui requies nulla fuerit. Sed ad hæc agenda infundat vobis omnipotens Deus conſolatorem ſpiritum. Ipſe mentem veſtram ſua præſentia impleat, & implendo leuet.* Sed bene obſeruandum, vt in domum Dei, quę eſt Eccleſia 1. Tim. cap. 3. donaria hęc inferantur, hoc pręſertim tempore, quando huius vndique hoſtes tum multi, tamque infeſti ſunt. *Quinto.* Cum vero iſta donauerimus nulla inde nobis elatio, nulla eſſe debet ſuperbia. Nam vere ab eodem Domino eadem nobis prius donata erant, Cor. 4. Neque noſtris vllis meritis eam ab illo gratiam accepimus. Quid? Aurum, argentum, æs, ferrum ſuane ipſorum præſtantia & dignitate, vt à vaſtitate, incendio, victorumque ſpoliis eriperentur promeruerunt? Vt in ſacrum Dei ærarium cōderentur? vt eius honori & cultui obſequerentur. At inanimis eiuſmodi metallis præſtantiores erant animę vitęque compotes brutę animantes, & tot tantique homines, quos aut gladius aut flamma confecit. *Sexto.* E veteris tamen vitę ſordibus & ſcorijs purgari nos oportet, antequam in Domini gazas intremus. Subeundus nobis pœnitentię ignis: ferenda quotidianę in dicta factaque noſtra omnia inquiſitionis flamma: Moleſtiarum etiam & tolerantię intranda fornax, per quam priſca omnis excoquatur contagio.

QVÆSTIO XLI.

An præter illa quatuor metallorum genera, in Domini theſaurum illata, etiam alia ſint, & ex illis quatuor quidquid inueniri potuerit?

DVÆ quęſtionis huius partes ſunt. Et quoad priorem quidem, *de plumbo, ſtanno, aurichalco & chalybe* quęſtio eſt. Ea in theſaurum Domini etiam recondita fuiſſe videntur, quia horum eadem, quę metallorum aliorum videtur cauſa, ſiue vſum & oportunitatem cōſideremus: ſiue ipſum Dei honorem & cultum. Vnde & Num. 31. v. 22. 23. nominatim *plumbum & ſtannum:* generali vero eorum, quę ignē ferre poſſunt, nomine *aurichalcum & chalybs* inter ea, quę ſordibus priſtinam repurgari expiarique ad Dei cultum poſſint, recenſentur. At numerata hic non ſunt. forte id factum, quia pręcipuis metallorum generibus & extremis, indicata etiam cętera. Summum enim eſt præcipuum eſt *aurum*, omnium infimum & viliſſimum *ferrum* de quo pulcher Nicolai Manardi extat Dialogus. Et olim metallorum genera tribus hiſce literis denotabant *a a a.* quæ vti de Ægyptiacis tradit lib. 17. Ammianus: valebant *aurum, argentum & æs.* Quin & in iſta ipſa re Ioſephus libro 5. cap. 1. quandoque aurum & argentum tantummodo nominat, quandoque ſolum æs adiungit, nunquam ferrum. Aut vero quia par, vt dixi, omnium ratio erat, eadem etiam fuit conſecratio. Nolim tamen hic præcipitare. Nam cum tam facile potuiſſent iſta nominari quam alia, mihi ſancti ſpiritus hoc loco ſilentium venerationi eſt. Fortaſſis enim voluit Dominus hac in re Iſraelitarum obedientiam & abſtinentiam exercere, vt quæ nominata eſſent, in Domini gazophylacium inferrentur: nihil præterea, quantumuis vtile, bonum, & excellens. Sic enim primorum parentum virtuti quædam veluti materies fuit arborum in paradiſo diſcrimen, vt alijs veſcerentur, alijs abſtinerent. Alioqui poſſumus etiam gemmas in Domini theſaurum illatas dicere. quibus non ſolent carere orientis Reges. fortaſſis etiam in omiſſis metallis ineſt aliquid, quo vtilia quædam, licet mihi nondum perſpecta ſignificare voluerit Dominus. *Plumbum* & grauiſſimum eſt, & liquefactu tamen facillimum. *Stannum* argento ſimile eſt, argentum tamen non eſt. *Aurichalcum* item auro ſimile eſt, neque tamen aurum eſt. *Chalybs* ad ſecandũ & vulnerandum ipſi ferro cos quædam eſt. Quis non eos videat plumbeos, qui terrenarum fluxarumque rerum cupiditatibus toto animo affixi nimiiſque curis graues, minimo ſtatim calamitatum igni colliqueſcunt, Deum deſerunt, Catholicã fidem officiumque omne abiiciunt? An ſtannei non ſunt & aurichalcei omnes hypocritę? pręſertim cum & aurichalcum factitium ſit. An chalybei non ſunt qui cędibus delectantur, lites & iras incitant, mucrones & gladios acuunt: Non pertinent hęc ad theſauros Domini: non intrant iſta cælorum regnum. quin vt ab hac etiam terreſtri Eccleſia per excommunicationem & anathematiſmum exigantur digna ſunt.

In altera quæſtionis parte difficultatem pariunt *duo. Vnum* eſt grauiſſima illa Domini prohibitio Deuter. 7. v. 25. *Sculptilia eorum igne combures: Non concupiſces aurum & argentum de quibus facta ſunt, neque aſſumes ex eis tibi quicquam, ne offendas, propterea quia abominatio eſt Domini Dei tui. Nec inferes quidpiam ex idolo in domum tuam ne fias anathema, ſicut & illud eſt, Quaſi ſpurcitiam deteſtaberis, & velut inquinamentum ac ſordes abominationi habebis, quia anathema eſt.* At hoc videmus feciſſe Dauidem Paralip. 14. v. 25. licet alioquin aurum, argentum, æs, & ferrum in futuri templi exſtructionem vndique colligeret, ex hoſtiumque manubiis coaceruaret, prout ſupra dictum quęſtione 40. *Reſponderi* poteſt *Primo.* in iſto Domini præcepto prohiberi tantum, nec ſibi quis eorum quidquam acciperet, ſuamque in

Digitized by Google

A domum inferret, non autem ne Domino ſumeret, eiuſque gazophylacio addiceret. *Secūdo.* poteſt concedi generatim fuiſſe prohibitum, ne ſimulachrorum aureorum & argenteorum & ſimilium quidquam illo modo ab Iſraelitis acciperetur, neque ad priuatum, neque ad publicum diuinumque vſum. *Primo.* quia id magis eius pręcepti fini conſentaneum, vt ea ſcilicet ſummopere deteſtarētur & exhorrerēt Iſraelitæ. Vnde & eodem Deu. c. 7. v. vltimo pluriū, quæ abominationem extremam ſignificant, vocabulorum congerie vtitur Dominus. *Secundo.* quia per theſaurorum Domini ſpeciem,
B relicta fuiſſet ordinaria quędam deteſtabilium eiuſmodi ſacrilegiorum occaſio. ſicque illi, qui 2. Macchab. 12. ob anathematum ſumptorum occiſi ſunt, excuſari potuiſſent, quod in Domini gazas conferre illa voluiſſent. Poſita vero hac generali prohibitione, dicendum hic foret, vel ab ea hoc tempore ac vice legiſlatorem ipſum exceptionem fieri voluiſſe: quam, niſi mandaſſet ipſemet: facere hominum nemo auſus fuiſſet: vel præcepto etiam nunc obtemperatum fuiſſe, aurumque & argentum in Domini theſauros illatum fuiſſe non quodcūque,
C ſed quod ſcilicet Domini lex non prohiberet: cuiuſmodi omne illud erat, quod in fędam ſimulachrorum conſtructionem non veniſſet. *Alterum,* quod difficultatis aliquid parit, eſt in loquendi modo diuerſitas. Cum enim v. 19. c. 24. generatim eo modo quo iam dixi aurum & argentum Domino vendicetur, non ſic vendicatur æs & ferrum: ſed in Hebręo & Latino, *vaſa æris & ferri.* ita vt ſignificari videatur, ſi æs aut ferrum eſſet, quod in vaſa impenſum & conformatum non eſſet, id accipi haud oportere. Dicendum, *vaſa* ideo ęnea & *ferrea* vocari: quia communiter non ita ſolent duo hæc metalla infecta ſeruari, ſed in vaſa ſtatim conflantur.
D ideoque pro omni ære ac ferro poſitū hūc æris & ferri ſtatū, qui vſitatior eſt. idq; innuere videtur interpres, cum hic verſic. 24. vertit, *abſque vaſis æneis, ac ferro:* niſi forte, vt in Hebręo eſt: verterit *abſque vaſis æris & ferri.* Attamen, quod iam dixi, valde confirmant 70. qui nunquam vaſorum faciunt mentionem, ſed vertunt v. 19. *πᾶν ἀργύριον ἢ χρυσίον, ἢ χαλκὸς ἢ σίδηρος ἅγιον ἔσται τῷ κυρίῳ.* Et poſtea, *πλὴν ἀργυρίου, καὶ χρυσίου, καὶ χαλκοῦ καὶ σιδήρου ἔδωκαν εἰς θησαυρὸν κυρίου εἰσενεχθῆναι.* Sicque Ioſephus loco citato, ſicuti *ἄργυρον καὶ χρυσὸν,* ita etiam *χαλκὸν* accenſent. Ac ſane
E quemadmodum omne aurum & argentum accipitur, ſiue factum ſiue infectum eſſet, ſiue in lances & pateras conflatum eſſet: ita æs & ferrū, ſiue eſſet iam in columnas, luteras, enſes, haſtas, ſecures, cacabos & ollas elaboratum, ſiue non, intelligitur. Nunc illud, ô anima mea, expende: per varia iſta metallorum genera ſignificari varia talentorum & donorum genera, quibus quemlibet ornare dignatur Dominus. *Aurum* vero & argentum poſſunt & in vaſa conſtrui, & etiam per ſeipſa, etiamſi vaſorū formam vſumque nullum habeant, honorem & ornamentum Dei domui afferre. *Aes* vero
F & ferrum, niſi vaſa ſint, quidnam decoris poſſunt tribuere? Tu igitur, cum ferrum ſis, & quidem viliſſimum, cuiuſmodi fere illud eſt, è quo apud nós hodie, nôuo ſatis inuento, hypocauſticæ fornaces fiunt: ſtatuere debes. Primo quidem te inſigniter à priſtinis expurgandum ſordibus: deinde oportere te inſtar ſecuris chytropodis, ſartaginis, aliorumque id genus vaſorum, eſſe ſemper paratum ad ſecandum, coquendum, frigendum, aliudue huiuſmodi miniſterij, quod neque magnum, neque ſplendidum, & honorificum eſt, agendum: itemque ad ſinendum te tractari à lignatoribus, fabris, cocis, aliiſque ſimilibus, qui abiectiores ac ſordidiores vulgo habentur, vt tuus ſcilicet conuictus & conſuetudo, ſit cum humilibus, vereque ſpiritu pauperibus, quos habet mundus *in deriſum & in ſimilitudinem imperij* Sapient. 5. verſic. 3. talibuſque libenter obedias eorum imperiis & conſilijs, ad ea quæ vult Dominus, miniſteria & actiones applicueris. Modo in theſauris domus Domini ſis, curæ tibi nihil ſit. Quin vero elabora, quantumque potes, enitere, vt ceſſare nunquam permittaris, ſed inſtar vaſis æenei & ferrei crebro ad vſum adhibearis.

Aera nitent vſu, veſtis bona quærit adhiberi:
Roditur & ſcabra poſitum rubigine ferrum.

Denique Apoſtolum audi 2. Timoth. 2. v. 20. *In magna domo, non ſolum ſunt vaſa aurea & argentea, ſed & lignea & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis emūdauerit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum & vtile Domino, ad omne opus bonum paratum.* Ex me vas in contumeliam: fac me, ô Deus, per gratiam tuam vas in honorem, & vtile.

QVÆSTIO XLII.

An Dei domibus, ſeu Eccleſiis Chriſtianis theſauros habere fas?

HInc certe præclarum ducitur exemplum, quo id fas probetur: Sed quia obiici plura poſſunt, pluribuſque idem ipſum probari exemplum poteſt, ac debet, lectorem ad Bellarminum libro tertio de cultu ſanctorum c. 6. relego: ſimulque Chriſtianorum id genus tēplorum theſauris eum, de quo mea in Moguntia lib. 1. c. 32. egi, adiungo. Alij templorum theſauri ſunt, in quos & olim apud Gentiles teſtante Seneca epiſt. 116. & Varrone de ling. Lat. & apud nos, conijci ſolet ſtips. de quibus noſter de Roa. 1. c. 1. de die natali.

QVÆSTIO XLIII.

A perſonarum anathemate, qui excepti? & an recte?

IN tanto, tamque generali Hierichuntinæ ciuitatis exitio, ſalua permanſit primo quidem *Raab:* deinde *eius pater ac mater.* v. 26. tertio eiuſdem *fratres,* ibidem. *Sorores* ei fuiſſe aliquas videre eſt ſupra c. 2. verſi. 13. ſed vel hæ in fratribus intelliguntur hoc loco, vel in ſequēte generali *familiarum* nomine. Placet hoc poſterius Abulenſi, vtrumque illud Maſio: qui addit, forte illas ſuis voluptatibus ſuam poſt habuiſſe ſalutem. quarto *omnis eius cognatio,* prout

Digitized by Google

cum 70. vertit noſter, quod in Hebræo legimus, *omnes familias eius.* ſicque fortaſſe, vt dixi, ſorores: certo autem conſeruati ſunt omnes eidẽ Raab ſãguine propinqui, omnes affinitate cõiuncti, omnes eorundẽ filij ac filiæ, omnes deniq. famuli & ancillæ quæ in omniũ iſtorũ domib. ac familiis eſſe poterant. Vbi cõſiderandũ, quanta virtutis, beneque factorum omnium vtilitas ſit, quia non eum ſolum qui bene agit, ſed alios etiam tam multos complectitur, quemadmodum factum etiam Geneſ. 18. & 19. *In vetuſtiſsimis* (ait Maſius fol. 116.) *commentariis quæ in hiſtoriam Ruth ſcripta, inſcribuntur Midras Ruth, proditum eſt, R. Simeonem F. Iohai dixiſſe, cũ illam verborum complexionem tractaret, Omnes cogitationes ipſius eduxerant, Raabam iſta ſua fide tantam eſſe conſecutam apud Deum gratiam, vt etiam ſi ducentos homines cognatione ſibi coniunctos illa habuiſſet, atque illi cum ducentis alienis proſapiis affinitatem contractam iuiſſent, omnes illæ familiæ fuerint illius gratia futuræ ſaluæ. Et ſane fuiſſe non parum multos eius gentiles qui ſe ſalutis cauſa ad ipſam receperant, coniectura admodum probabilis ſumi poteſt ex plurali numero nominis miſpahoth.* COGNATIONES, *ſiue proſapias.* Recte autem omnem iſtam ſeruatam multitudinem patet: quia recte pactis & conuentis, æquum ſtare. Raabam autem, omneſque qui aliqua ipſam neceſſitudine, vinculoque familiæ attingerent conſeruandos recte pactum cõuentumque fuit, ſupra c. 2. v. 2. 13. 14. 18. 19. Nam dubitari non poteſt, quin exploratoribus à Ioſue fuerit in ijs, quæ illam tanti momenti explorationem iuuarent, paciſcendi poteſtas facta: licet non vniuersè quidlibet quoquo modo paciſcendi, vt accipiendus f. 115. Maſius. Et *triplex*, iiſdem *exploratoribus iuſta*, è naturæ ipſius hauſta fontibus *cauſa* fuerat pacta hæc ineundi. *Prima* fuit publica populi ſui vtilitas, cui aduẽtanti, iuſtumque bellum inferendi conducebat vrbis huius permunitæ, primoque occurrentis ſtatum non ignorare. Si autem ſalutem hanc non promiſiſſent exploratores, occiſi fuiſſent, neque referre de ſtatu quidquam potuiſſent. *Secunda* propria ipſorum ſalus in præſentiſſimo vitæ periculo. *Tertia* grati erga Raabam animi ſignificatio. Quid enim ei, qui è morte nos eripit, minus debemus, quam vt eius, dum poſſumus, vitam tueamur? Neque his generales illæ Dei de Chananæis omnino tolẽdis leges Exod. 23. v. 24. Num. 33. Deut. 7. v. 20. obſtabant, prout alibi contra Gentilem dicetur. & recte hoc loco Maſius fol. 113. itemque q. 54. admonet Toſtatus, nequaquam exiſtimandum, voluiſſe Deum Opt. Max. ſuis legibus naturalem illam obligationem, qua benefacientibus benefacerent Iſraelitæ, antiquare. Eædemque rationes demonſtrant recte promiſſa hæc Ioſue, dum ad eum rediiſſent exploratores: approbaſſe, c. 2. v. 23. vti aſſerit contra Maſium fol. 115. Ioſephus lib. 5. ſeruarique præcepiſſe iſto c. v. 22. Deinde *tota illa res*, inquit Albericus Gentilis lib. 3. de bello c. 19. *acta ſpiritu Dei eſt, indentis confeſsionem illam ſanctiſsimam ori miſeræ mulierculæ, Iehoua Deus veſter, & volentis eam ſeruari fœminam, de qua naſci Seruator habuit.* Sunt iſtæ quidem rationes non ineptæ, ſed in iis *primo* ſibi ipſi repugnat Gentilis. Nam cum, eodem

A capite, nolit Chananæos illos vita donari, ſi qui ſeſe Iudæis ſponte dederent, eorumque religionẽ cõplecterentur, quomodo Raabæ parcendũ fuit, quia illam ei Deus indidiſſet confeſſionẽ? An enim aut Gabaonitæ, aut alij Chananæi vlli poſſunt Iſraelitarũ fidem & ſacra, citra Dei ſpiritum, amplecti? Nonne *fides* in omnibus *Dei donum* eſt Epheſ. 2. Aut igitur ob iſtud Dei donum ſeruari non debet Raab, aut ob idem donum ſeruari potuerunt Chananæorum alij. *Secundo.* generalem cauſam non explicat totius in Raab collati beneficij, ſed tantum eius ſolius B vitæ. An naſci CHRISTVS Dominus non potuiſſet, niſi vixiſſet Raab? *Tertio* addit Gentilis: *Et verum eſt tamen, nihil horum conſideratum videri à Ioſue, qui vult pactum Raabæ ſeruari: ſed tantum iuſiurandum exploratorum, & meritum mulieris.* Sed vnde ſcit Gentilis, illorum nihil à Ioſue conſideratum? An propheta non erat? An prænoſcere diuinitus non potuit, fore vt è ſelectæ Raab poſteritate, omniũ ederetur Saluator? In hæretico interim notandum MERITI nomen.

C

QVÆSTIO XLIV.

An ipſius Raab, eiuſque neceſſariorum ſupellex, & alia bona ſeruata omnia?

C*Unctam Raabæ ſupellectilem* ſeruatam, noſter clare textus indicat v. 23. ſed ea in Hebræo & Græco vox non eſt. qua tamen Interpres noſter vſus, vt voce, quæ latiſſime pateret, omnia quæ eſſent Raabæ complecteretur. *Supellectili enim hæc*, vt ait lib. 4. ad Sabinum Paulus, & ex eo Iuſtinianus lib. 33. Digeſt. tit. 10. lege 2. cõtinẽtur: *menſæ, trapezophora, delficæ, ſubſellia, ſcamna, lecti etiam inargentati, culcitræ, toralia,* D *imperia, vaſa aquaria, pelues, aquiminalia, candelabra, lucernæ, trullæ item vaſa ænea vulgaria, id eſt, quia non proprie eſſent loco adtributa. Præterea capſæ, armaria. Sed ſunt qui recte putant, capſas & armaria ſi librorum, aut veſtium, aut armamentorum gratia parata ſunt, non eſſe in ſupellectili: quia ne hæ quidem ipſæ res, quibus adtributa eſſent, ſupellectilis inſtrumento cederent, Vitrea eſcaria, & potoria in ſupellectili ſunt ſicut fictilia: nec ſolum vulgaria, ſed etiam, quæ in pretio magno ſunt, nam & pelues argenteas, & aquiminalia argentea, & menſas, & lectos inargentatos, vel inauratos, atque gemmatos, in ſupellectili eſſe, non* E *dubitatur, vſque adeo, vt idem iuris ſit; & ſi tota argentea vel aurea ſint. De murrinis & cryſtallinis dubitari poteſt, an debeant adnumerari ſupellectili, propter eximium vſum & pretium: ſed & de his idem dicendum eſt. Nec intereſt, cuius materiæ ſunt res, quæ ſunt in ſupellectili. ſed craterem argenteum non eſſe in ſupellectili, ſed vas argenteum ſecundum ſæculi ſeueritatem, nondum admittentis ſupellectilem argenteum, hodie propter vſum imperatorum, ſi in argento relatum ſit candelabrum argenteum, argenti eſſe videtur: & error ius facit.* Alia ſubiunguntur plura: tandemque Celſus ibidem. L. *Labeo,* ait poſſe eodem F nomine plura adhuc ſignificari. *quia moribus ciuitatis & vſu rerum, eius appellatio mutetur:* licet antea lege 1. dixiſſet Pomponius, *ſupellex eſt domeſticum Patris familiæ inſtrumentum, quod neque argento, aurone facto vel veſti annumeretur.* Recte igitur per *ſupellectilis* nomen ſentẽtiam reddidit Interpres. Nam in Hebræo & Græco hic legimus,

omnia quæ ipſius ſunt. Ideoque recte Abulenſis, *Vocatur,* ait, *tota ſupellex, omnia quæ poſsidebat Raab: & non ſolum quæ ipſa poſsidebat, ſed etiam quæ poſsidebant cognati ſui: quia hoc expreſſerat Raab exploratoribus dicens. Vt ſaluetis patrem meum & matrem: fratres ac ſorores meas: & omnia quæ eorum ſunt, vt patet ſupra 2. cap. hoc autem factum eſt, non tanquam non poſſet Raab maiora habere inter Iſraelitas quam relinquerent in vrbe Hiericho: cum coniuncta fuerit in matrimonium principi tribus Iudæ, ſcilicet Salmon. ſed quia diligebat res ſuas quas ſemper poſſederat: & doleret nimis, ſi eas cum tota vrbe conflagrare videret: ideo eductæ ſunt. Potiſsime, quia Raab fœmina erat, quæ habent teneriores affectus, & vberius ad res quas diligunt afficiuntur: atque pro eis profundius anxiantur amiſsis.* Omnia igitur bona, quæ *mobilia* dicuntur, tam Raabæ, quam neceſſariorum ſeruata ſunt. Nō autem agitur hic *de immobilibus*, cuiuſmodi ſunt agri, horti, vineæ, ſtagna, & ſi qua id genus alia ijs fuerunt. Nam dicitur v. 22. *educite.* & 23. *eduxerunt.* quod verbum ſolis conuenit rebus, quæ moueri poſſunt. Fuiſſe tamen, qui eius domum, in qua, & è qua tam multi, tamque multæ ac multa exitium euaſere, ab incendio immunem ſtetiſſe putarint, dixi ſupra c. 2. q. 21. Agros autem ipſi à Ioſue datos narrat lib. 5. c. 1. Ioſephus: *δωρεῖται αὐτὴν ἰδίοις ἀγροῖς, καὶ διὰ τιμῆς εἶχε τῆς ἀπάσης.*

QVÆSTIO XLV.

Quinam Raab, eiuſque propinquos & bona ſeruarint?

TRiplices, qui illam illiuſque propinquos, affines, & familiares omniumque ſupellectilem & copias quaſcumque alias non fixas conſeruarint, fuerunt. *Primo. Iſraelitæ* victores omnes, dum ab ijs manus abſtinuerunt. *Secundo. exploratores,* illi iuuenes, de quibus tam multa c. 2. preſertim q. 3. hi enim extra vrbem iamiam perituram illos, illorumque res eduxerunt v. 22. & 23. *Tertio. Ioſue,* & quidem omnium maxime, prout iſto capite ſignificatur. Nam *Primo.* dum anathematis ad omnem populum legem promulgaret, diſerte ipſi Raab, eiuſque propinquis & facultatibus cauit, & quidem cum inſigni eius erga populum beneficij memoria & laude v. 17. *Deinde.* cum alto à culmine rueret Hiericho, iamiāque in illam ab omnibus irruendum, ferroque ac flamma ſæuiendum eſſet: ſtudioſiſſime, vt Raab cum ſuis omnibus ſartam tectamque ſeruarent, exploratores ipſos monuit & quidem ſacroſanctam ijs iuriſiurandi religionem obijciēdo. v. 22. *Tertio* demum v. 25. dicitur, *Raab vero, meretricem, & domum patris eius, & omnia, quæ habebat, fecit Ioſue viuere.* Hoc autem feciſſe putat Radax Ioſuam, victu & neceſſaria omnia ipſi Raab ſuppeditando: Rabbini alij, de quibus etiam infra q. 49. vxorem eam ducendo, quod Hebræum verbum *hecheiah,* ad ſeminis propagationem pertinere argumento ſit prima omnium, mater quæ ab verbo illo dicta *Heua.* Sed poſterius hoc falſiſſimum eſt, vt infra in Raabæ nuptiis liquebit. prius illud, verum quidem vt ex Ioſephi verbis in ſuperioris quæſtionis extremo allatis clarum. Verius tamen ac ſimplicius intelligendus Ioſue, vitam propric *chaiah* eſt viuere & in *hiphil, hechaiah* eſt viuere facere. *Secundo* vertunt 70. *ἐζώγρησε.* de quo verbo dixi capite ſecundo, quæſtione octaua. *Tertio.* deinde hic ob anathema, cæſi mactatique dicuntur omnes, vna ſcilicet excepta Raab cum ſuis, *quia ipſam viuere fecit Ioſue.* Et fecit hoc, non communi illo tantum, de quo ſupra, modo, quod eos per ſeipſum nō occiderit: ſed alio multo maiore, quod Imperatorio nimirum ſuo iuſſu & auctoritate, omnium ab eorum corporibus arcuerit gla-
B dios, omnium abſtinuerit manus. Hoc autem dum eos modo viuere tunc fecit, merito videtur, omni eorum poſteritati, quæ longiſſima & ſplendidiſſima extitit, vitam pariter dediſſe: in qua cum CHRISTVS etiam Dominus ac Saluator noſter ſit, fecit vtique IESVS IESVM viuere, quoad carnem ſcilicet, quam è Raab huius ſtirpe dignatus hic eſt ſumere. Matth. 1. Atque hic pulcherrimus veri Ioſuæ noſtri typus, qui vitam & corporalem & ſpiritualem *quoad ſuam diuinitatem* ipſi Raab, & omnibus corpoream vitam dat, non tantum non eam, quam
C aliunde iam habent, eripiendo, ſed tribuendo ac efficiendo vt qui nunquam vixerunt, viuant, viuenteſque conſeruentur. Is, *quoad ſuam etiam ſacram humanitatem,* omnibus qui in eum credunt, eiuſque conſentanee viuunt legibus, vitam dat ſpiritalem, hic quidem gratiam, poſtmodum gloriam & fœlicitatem: & dat, eo quo iam dixi modo, efficiendo ſcilicet, vt qui nunquam vitam talem vixerunt, neque citra ipſum viuere poterant, viuant & viuant ſempiternum. O magne Ioſua, ô vitæ dator & ſeruator veriſſime, potentiſſime, in eorum quibus talem tāque beatam vitam largiris me, obſecro, repo-
D ne numero. Peccator ſum. Et Raab peccatrix. Vixi hactenus diſſolute, ſegniter, improbe. An non etiam ſic vixerat Raabæ pater, mater, fratres, aliique iſti Hierichuntini, eiuſque neceſſarij? Omnes tamen viuere fecit Ioſue, me morti num trades? Abſit, mi Domine, mi Saluator. Tuæ id miſericordiæ aduerſum: à tua bonitate alienum. Quin vero mecum venite peccatores omnes: introeamus Raabæ domum, Eccleſiam dico ſanctam, Catholicam. Sæuient, occident & mactabunt, quidquid extra & circa eam mucrones: decurrent ſanguinis
E fluuij, nulla vlli venia: ſalus nulla. Omnes vero nos, quotquot in hac domo eſſe voluerimus, viuere faciet Ioſue, vt iam Eua *Maueth,* & Ioſue ſit *Machieh.* id eſt, *Eua ſit mors: IESVS vitam dans.*

QVÆSTIO XLVI.

Quibus de cauſis ſeruata Raab cum ſuis omnibus?

F DVæ in textu indicantur *cauſæ. Vna* eſt, datum ei ab exploratoribus iuſiurandum v. 22. *Altera* eſt, quia hos ipſos exploratores occultauerat, & tuta erat v. 17. & 25. E *priore* præclarum ducitur exemplum, vt quanta iuriſiurandi nobis eſſe debeat religio, intelligamus. *Certe,* inquit Maſius, *Imperator integerrimus ipſis*

Digitized by Google

iuſiurandum ſuum in memoriam reduxit. Etſi enim eo, quod priuatim dederant: Imperatorem, aut exercitum non obligaſſent: tamen cum ipſi ſaltem ſacro nexu obſtricti tenerentur, ſumma optimi Imperatoris religio, etiam de duorum gregariorum militum ſuorum fide ſolicita fuit. Quod ſi noſtri ſaeculi ductores, atque exercituum Imperatores, huiuſcemodi exempla ſibi imitanda ſtatuerent, profectò minus funeſta bella gererentur: quæ nunc ad omnem omnium barbarorum immanitatis ſpeciem nihil ſibi, non ſolum apud hoſtes, ſed, quod eſt indigniſsimum: apud ſocios atque amicos, faciunt reliqui. Senecam vide libro quarto de benefic. c. 25. 26. E *poſteriore* docemur accepta beneficia quam altè in animis defigi, & cum licet ac decet, compenſari debeant. Iſraelitæ duo à Raab cuſtoditi & ſeruati ſunt: nunc vero non duo tantum, ſed ab Iſraelitis Raabitæ quam plurimi cuſtodiuntur & ſeruantur. Vnum tantum Raab beneficium præſtitit: referunt nunc beneficium & qui acceperunt iidē illi duo Iſraelitæ, &, eorum cauſa, exercitus totus, & Imperator. Duorum vita tectè ac artificioſè protecta fuit: nunc & ipſius Raab, & patris: & matris, & fratrum, & propinquorum domeſticorumque omnium ſalus publicè ac palam, in ſummo aliorum omnium periculo, extremoque interitu defenditur, & conſeruatur. Sic referenda beneficia non æqualibus æqualia. ſed vel minimo, quoniam potes, in tempore ac loco, reponendum. Aliud eſt *iuſtitia*, quę *commutatiua* dicitur, & aliud *gratitudo*, Non ad exiles calculos quia accepit, iſta reuocat. Vbi occaſio & poteſtas eſt, ſe totam effundit: pro aquę poculo, vini congios: pro offula, frumenti modios: pro vncia totum aſſem, & eo quidquid amplius eſt? libenter dat. Texit Raab exploratores: ab iiſdem nunc illuſtratur: in omnium oculis & ſermonibus magna cum laude ſtatuitur: ſub lino illi ab ea conditi ſunt: ab iis ea nunc ſupra vniuerſi huius orbis tecta vehitur & celebratur: per feneſtram & funiculos ab illa clam demiſſi ſunt: ab iis ea nunc per patentes vrbis portas, amiciſſimis manibus extra cædes & flammas educitur. Quod ſi in corporis beneficiis nos tam gratos iubet ratio, quid in iis, quę animum ſpectant, & ſeruant, ac ornant, faciēdum? ſed eundem in pulcherrimis iiſdem libris illis vide Senecam, & Valerium Max. lib. 5. c. 2. vbi refert, quemadmodum, Capua capta, libertas *Cluniæ* famulæ meretrici data ſit, quod Romanis alimenta ſubminiſtraſſet militibus.

QVÆSTIO XLVII.

Quis in Raab, eiuſque propinquis ſeruandis modus adhibitus?

DVplex in textu monſtratur modus. *Vnus* v. 23. *Extra caſtra Iſrael manere fecerunt*, ipſam ſc. Raab, eiuſq. cognationē. *Alter* v. 25. in Iſraelis caſtra, in ſancti populi medium eam induxerunt, vbi cum ſuis manſit, *vſque in præſentem diem.* Prioris cauſas indicat Abulēſis duas: eductam ſcilicet ex Hierichuntina vrbe non in Iſraelitarum caſtra, ſed in locum extra caſtra ſitum, vel vt tantiſper illic exſpectaret, dum, vrbis internecione inflammationeq. comple- A ta, commodum ei tentorium in caſtris, cæteraque neceſſaria pararentur: vel vt à priſtino Gentilitatis ritu & contagio, vna cū ſuis omnibus expiaretur. Atque hæc ratio magis probantur Iudæis Rabbinis, noſtriſque doctoribus ex Num. 6. v. 9. c. 12. v. 14. c. 31. v. 19. eamque non poſſim quam Maſij lingua eloqui melius: & res tunc cognitū quam iucunda tam vtilis. *Porro,* ait, *quod Raab extra caſtra cum ſuis collocatur, id ad religionem ſpectat, vt aiunt Hebræi. Etſi enim illa iamdudum Iſraelitarum fidem animo colebat vt ſupra audiuimus, tamen ſolenni profeſsione nomen adhuc non* B *dederat. hoc porro vbi factū erit, habitabit inter Iſraelitas. Hæc fere* Kimhi. *Nemo certè Iſraelitarum neſciebat, alienigenas eſſe Raab, cum ſuis cognationibus. an vero colere alienos Deos deſiiſſent, & Moyſes legem accepiſſent, id non erat perulgatum. Ad hoc, opus erat non ſola fide, ſed etiam ſacris ritibus initiari, prius quā in numerum populi Dei quis referetur.* Nam *etſi mulieres non circumcidebantur, tamen certum eſt, aliis eas cæremoniis, Deo, veluti dicari ſolere, cum nomina ipſis imponerentur. Caſtra autem ſancta exiſtimari volebat Deus: tanquam in quibus ipſe mediis verſaretur, cum in arca, quaſi quodam prætorio habitaret. Aſſerebat n. opinio præſentiæ illius religionem vniuerſo item populo:* C *cum putaret ſe quiſque perpetuo in diuinæ Maieſtatis cōſpectu verſari. Atque huius opinionis gratia confirmādæ augendaque in populi animis, inſtitutæ potiſsimum ſunt leges illæ de ſegregandis ſemouendiſque caſtris, quicunque eſſent certis morbis effecti, certiſque pollutis ſordibus, qui in numeris ſcriptæ ſunt. Id enim apertè oſtēdit quæ ſubiicitur ratio, quoniam ipſe Dominus in caſtris habitaret. Eodem etiam ſpectat illud, quod à Madianitarum cæde reuertens miles, quamuis ipſius Dei iuſſo patrata, ſeptem ſolidos dies manere extra caſtra debet, neque niſi interca bis expiatus, intro admittitur.* Non *ergo mirum eſt, ſi tam homines recens ab impio deorum cultu venientes remouentur à caſtris. Accedit* D *autem huc alia quoque ratio, cur iſti aliquantiſper à ſacro cœtu prohibendi eſſent.* Nimirum *ea re ſua probæ religionis dignitas conſeruabatur: & contra ſuperſtitiones indignitas, aut turpitudo veriùs, declarabatur: cum alieni ab Iſraeliticis ritibus ſacriſque illi, tamquam profani, à caſtris, quaſi ſacro cœtu arcerentur.* Neque *vero dubium eſt, quin id animos iſtorum non parum vſſerit: maioreque deſiderio ſuſcipiendi cultum veri Dei, puramque religionem incenderit. Similiter atque veteris Eccleſiæ melior illa diſciplina, lapſos, quos vocabant, admittebat quidem, verum neque cito, neque temere: ad ſui communicationem. de qua re plenæ ſunt diui Cypriani doctiſsimæ epiſtolæ. Sed dices, turbam illam* E *Aegyptiorum, quæ Iſraelitas diſcedentes ſequebatur, ſubmotam à caſtris non eſſe: in quibus tamen etiam tum ſuam* DEVS *præſentiam declarabat: die quidem per columnam nubis: nocte vero ignis. verum reſpondetur. Poſt conditam demum, & conſecratam arcam, atque deſignatam certam caſtrorum faciendorum rationem, voluiſſe Deum peculiariter in caſtris præſentem ſe exiſtimari. Ideoque prius de caſtrorum ſanctitate nihil fuiſſe conſtitutum.* Neque *vero dubium eſt, quin Aegyptii illi comites, apud montem Sinæum, partim Hebræis ſacris per circumciſionem initiati ſint, Deoque nomen dederint: alii deinceps à caſtrorum communione prorſus excluſi, atque in Aegyptum reiecti fuerint. Sed enim* F *ex his dilucide quiuis intelligere poteſt, quam maxime à noſtrorum exercituum caſtris abhorrere Deum: à quibus non ſolum profani non ſubmouentur: manerent enim deſerta*

deſerta & ſola, ſed probroſum etiam habetur, pietatem & religionem vel verbis, vel factis vllam præ ſe ferre: ac non ſe omnis generis ſceleribus magno ſtudio contaminare. Sed quales rerum exitus conſequantur, nemo pius non videt ſummo cum animi dolore.

QVÆSTIO XLVIII.

An ſicuti corporibus, ſic & animis Raab eiuſque propinqui ſaluati?

DVplex animorum ſalus eſt, inchoata & perfecta. *Inchoata* fit per veram fidem, eiuſdemque ſacramenta, & ſanctificantem gratiam. *Perfecta* per æternæ gloriæ ac fœlicitatis adeptionem. *Quoad inchoatam* illam ſalutem, certiſſimũ eſt, fuiſſe Raab ſaluatam, prout probatum ſupra c. 2. q. 16. S. Ambroſius lib. 5. de fide c. 4. *Vidit*, ait, *hoc*, (mirabile Hierichuntinorum murorum excidium) *meretrix: & quæ in excidio ciuitatis remedia deſperaret ſalutis, quia fides vicerat, ſigna fidei atque vexilla Dominicæ paſſionis attollens, coccum in feneſtra ligauit, vt ſpecies cruoris myſtici, quæ foret mũdum redemptura, vernaret. Ita foris IESV nomen fuit præliantibus ad victoriam, intus ſpecies Dominicæ paſſionis periclitantibus ad ſalutem. Vnde quia intellexit Raab cœleſti myſterium, dicit Dominus in pſalmo: Memor ero Raab & Babylonis ſcientibus me.* Sed de hoc Pſalmi 89. loco dixi eodem illo c. 2. antea cum de ipſius Raab agerem nomine. Probabiliſſimum etiam, omnes eius propinquos, affines, & domeſticos, qui cum ea corporum ſalutem conſecuti erant, ſimiliter ſaluatos. Ita ſentit ante q. 56. Abulenſis: & quidem bona ratione. Viderant enim admirabilem, diuinamque Hierichuntinorum mœnium ruinam, vrbis expugnationem & deletionem. Audierant à Raab de Deo vno & maximo, prout ſupra eodem cap. 2. q. 26. viſum eſt. Ipſa eos Ioſue humanitas, exploratorum fides, populi fœlicitas inuitabat: & toto, quo extra Iſraelitarũ caſtra iis hærendum fuit, ſeptiduo, quis à ſacerdotibus & Leuitis egregie de Iudaica religione inſtitutos dubitet? Clare vero idipſum loquitur etiam textus ſuperiore quæſtione allatus, dum ait v. 25. manſiſſe hos in medio Iſrael, in ipſis eorum caſtris. Nam quomodo Iudæi iam victores, & tam multi, tanto, tamque recenti diuinorum operum reſpectu excitati & inflammati paterentur pauculos victos, prophanos, & pollutos ſuorum in caſtrorum medio habitare? Quomodo eorum velut impurorum contagio caſtra tota pollui & prophanari non ducerent? Omnes ergo Iſraelitica ſacra capeſſiuerunt, & ex iis, qui viri erant, circumciſione initiati ſunt: fœminæ vero aqua, quodam veluti baptiſmo, aſperſæ ſunt ac ablutæ, prout de id genus fœminis aliis docet Rambam p. 2. fol. 137. *Quoad perfectam ſalutem*, indubia de Raab ſententia eſt. Nam in eorum, quos beauit vera in Deum fides, Catalogo eam recenſet Apoſtolus Heb. 11. v. 31. *fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace.* Et de omnibus, qui in eo Catalogo recenſiti erant, ſubditur v. 39. & 40. *eos teſtimonio fidei probatos tandem aliquando conſummandos.* De patre autem & matre ipſius Raab, cæteriſque cognatis, & domeſticis bene merito ſperandum, cum, quo eos damnemus, crimen ſuppetat nullum: vt quos vna corporibus ſaluauit domus, vna Eccleſia excepit, vna initiatio Deo ſacrauit, vnum etiam exciperet, æternumque fœlicitaret cœlum.

QVÆSTIO XLIX.

Raab ſeruatam num Iſraelitarum aliquis vxorem duxerit, & quis?

VIrum non habebat Raab, quia, vt c. 2. dictum eſt, *meretrix* erat. Cum vero ad verum ſeſe Dei cultum, magno Dei eiuſdem beneficio, contulit, nefariam illam vitæ conſuetudinem abiecit, ſeque caſtitati ac pudicitiæ totam dedit, quam, non quidem à nuptiis penitus abſtinendo, ſed caſtum immaculatumque ineũdo coniugium, vita vt deinceps tota coluit. Nam temporis illius ſtatus, proliſque amor & honor nuptias, & diuina lex, ſacraque religio caſtas & ſanctas requirebat.

Hanc vero vxorem ipſi Ioſue factam aiunt Rabbini quidã Thalmudici in Tract. *Zebachim* c. 14. *Megillah* cap. 1. & exinde R. Godolias in *Schalſcheleth* fol. 14. & R. Moſes in præcepto negatiuo 112. f. 39. b. col. 2. Sed argumentum iis nullum, vti ſupra q. 45. expoſitum. Et ſane, cũ Ioſuæ liberi nulli vnquam ſacris in literis legantur, nulla poſteritas, falſum eſſet, ex eorum etiam expoſitione verbum de quo idem *hecheiah*. Cum enim hoc dicant valere, *vxorem fœcundare*, ipſamque ſua in prole quodammodo viuere facere, non feciſſet Raab viuere, qui neque filium, neque filiam ex ea vllam reliquiſſet. Certiſſimum autem eſt, eam Naaſſonis filio nupſiſſe, qui *Salmon* & *Salma* vocatur in Hebræo c. vltimo Ruth. v. 20. & 21. Ita enim teſtatur Euãgeliſta Matthæus c. 1. v. 5. *Naaſſon genuit Salmõ: Salmon autem genuit Booz de Rahab.* Fuit autem Naaſſon tribus Iudæ princeps Num. 1. v. 4. & 7. Dubitauit quidem in illum S. Matthæi locũ Theophylactus, & operis imperfecti auctor, eſſetne Raab illa, eadẽ cũ hac noſtra. Sed nulla vel minimũ dubitandi cauſa. Cum n. Iſraelitæ, legitimæ ordinariæque Iudæorũ vxores in tota illa CHRISTI Domini genealogia taceãtur, ſolæ vero peregrinæ vel aliqua inſignes macula nominentur, *Thamar*, *Ruth*, *Berſabee*, quænam alia, præter hanc noſtram, Raab nominatim editur? Atque in hoc ſumma Chriſtianorum omnium, etiam hæreticorum conſenſio eſt. vt mirandum ſit contra librorum Latinorum, Græcorum, & Syrorum omnium conſenſum ex illo Matthæi textu ſuſtuliſſe Santem Pagninum iſtud, *de Rahab*, vti noſter notat Salmero tract. 26. in c. 1. Matth.

QVÆSTIO L.

Eandem Raab rectene Salmon duxerit?

NOn recte duxiſſe videntur hæc probare. *Primo.* Chananæã vxorẽ ducere non licuit Deut. 7. Exod. 34. *Secundo.* Nullam item alienigenam Num. 36. *Tertio.* Meretricem vero du-

Digitized by Google

cere, videtur ex Deut. 23. 17. nefas. *Quarto.* Et A certe talem, cuius temeratus, proſtitutuſque pudor, an honeſtnm accipere? *Quinto.* Et ſi honeſtum aliis, an tali etiam tantoque iuueni, talis tantæque tribus Principi?

Notandum eam, quam Iſraelita ſibi velit matrimonio iungere, conſiderari poſſe duplicem, *Iſraeliticam*, ſcilicet & *extraneam*. Iſraelitica, vel eiuſdem cum illo tribus eſt, vel alienæ. Si alienæ, vel ei aliqua debetur hæreditas ac patrimonium, vel non. Si extranea eſt, vel fidelis etiam, diuiniſque ritibus initiata eſt vel infidelis, neque dum initiata, & hæc rurſum Chana- B nææ gentis eſt, vel alterius. De Iſraelitica nihil hic iam dicendũ: conſuli poteſt caput 36. Num. *De extranea vero ſic* ſtatuendum. Quando fidelis eſt, diuiniſque initiata cæremoniis, cuiuſcunq. tandem gentis ea ſit, poteſt ab Iſraelita duci quolibet. tunc enim abeſt cauſa, ob quam einſcemodi vetitum coniugium: quæ eſt iuſtus vel apoſtaſiæ viris perſuadendæ, vel prauæ teneris liberorum auribus inferẽdæ ſuperſtitionis metus. Planum hoc *Primo* ex citato Exodi c. 34. cũ poſt vetita extranearum eiuſmodi, & quidem Chananæarum, coniugia, ſubditur, *Ne poſtquam* C *fuerint fornicatæ faciant fornicari filios tuos: Secundo.* ex Deuteron. 21. vbi, quæ aliis ex gentibus bello capta fuiſſet, vt à Iudæo ducatur, conceſſum eſt, modo patria eiuret omnia, in quibus primum tenet locum, qui circa verum Dei cultũ eſt, error ac ſuperſtitio. *Tertio.* ex multorum exemplis dupliciter. *Primo.* ex iis, quæ in ſcriptura narrantur, neque improbantur. *Secundo.* iis quæ improbantur. Ea enim tantum de cauſa improbãtur, quod alienigenæ ducerẽtur in ſuperſtitione pertinaces, à quib. vel ipſis cõiugibus vel natis prolabendi cauſa & periculum D eſſet. 3. Reg. 11. 1. Eſd. 10. 11. *Quarto.* ſunt & boni huic ſententiæ auctores, Abulenſis hoc loco q. 57. 58. alij Rabbini quidam, vt citatus antea R. Moſes Makotſius præcepto negatiuo 112. & R. Abraham Zacuth f. 10. volunt è ſeptem vetitis à Deo gentibus nullam Iſraelitæ vlli nubere potuiſſe: Raab tamen & ex alia quapiam gẽte fuiſſe factamque proſelytam. Vide in cap. 2. Eſtheris p. 1. pag. 6. q. 2. fol. 474.

Dico igitur, *optime Salmonem feciſſe*, dum ſibi Raab iunxit connubio. *Primo.* quia ſumma fuit hæc accepti beneficij remuneratio. *Secundo.* E aliorum ad bene de eodem populo merendum inuitatio. *Tertio.* ad Iudaica ſacra & religionem populorum aliorum cohortatio. *Quarto.* Singularis quædam Dei motio, & inſtinctus, vt è diuerſis gentibus & ſacris in vnum idemque coniugium, id eſt, in diuinarum humanarumq. rerum cõſociationem ij coaleſcerent, è quibus gentium omnium Saluator, ſacrorum omniũ conſummator naſceretur. *Quinto.* quia, quæ obiecta ſunt omnia, profligantur facillime. Nã *ad* 1. 2. & 3. iam reſponſum. Ad 4. dico talem, quæ iam reſipuerit, honeſtum eſſe accipere, imo tanto honeſtius, quando idipſum faciendi plu- F res, grauiores ac honeſtiores cauſæ ſunt. Quid tam Dei bonitatem, quam eorum, quos prætetitorum pœnitet ſcelerum, in gratiam receptio? *Ad* 5. Quanto is, qui in rebus, quæ vulgo viles & abiectæ videntur, bene agit, maior, tanto eius factum honeſtius, admirabilius, commendabilius. Atque hanc ad mentem poſſent, qui merito alias exploduntur, accommodari Horatiani è libro 2. ode 4. verſus illi.

Ne ſit ancillæ tibi amor pudori &c.

Potuit vero non male ipſum etiam Salmonẽ ad haſce nuptias exſtimulare honor ipſi Raab à Ioſue, tantoque populo factus, ampla data poſſeſſio, eiuſdem forma bona, mores commodi, propinquorum omnium approbatio, contribulium Iſraelitarumq. omnium applauſus.

QVÆSTIO LI.

Ex hiſce Raab & Salmonis nuptiis proles quæ?

BOaz ſiue *Booz* è Raab & Salmonis coniugio natus eſt: deinceps in Iudæ tribu alij: tandem CHRISTVS IESVS. D. ac S. N. Sed de primo illo ſunt aliquæ difficultates, quas in *Ruth* extremo, vbi genealogia hæc traditur, indico c. 4. q. 17. & 18. Nunc illud Hecubæ de Troia, Hierichunti conuenit.

Quicunque regno fidit, & magna potens
Dominatur aula, nec leues metuit Deos,
Animumque rebus credulum lætis dedit:
Me videat, & te Troia, non vnquam tulit
Documenta Fors maiora, quam fragili loco
Starent ſuperbi, columen euerſum occidit.

QVÆSTIO LII.

In Hierichuntem cædibus exinanitam, & incendio hauſtam quidnam decreuit amplius Ioſue?

DIruta proſtrataque Hierichuntis erant mœnia: viri, fœminæ, pueri ac infantes cæſi omnes: flammis portæ, tectaq. ac domus omnes abſumptæ. Adiici nihil videbatur poſſe amplius, niſi vt in poſterum decerneretur adhuc aliquid. Et vero à Ioſue decretũ, graui cum exſecratione, vt ne ipſam reædificare auderet vllus. Sic enim v. 26. *In tempore illo imprecata eſt Ioſue dicens: Maledictus vir corã Domino qui ſuſcitauerit, & ædificauerit ciuitatem Iericho. In primogenito ſuo fundamenta illius iaciat, & in nouiſſimo liberorum ponat portas eius.* id eſt: quiſquis hanc deſtructam reſtruere vrbem vnquã tentarit, in eum animaduertat Deus, & hac quidem pœna, vt omnes eius emoriantur liberi, nullaque ipſi ſuperſtet poſteritas. Liberorum *primus* ſeu maximus, in primo reſtructionis opere, in ipſo inquam fundamento pereat, in aliis deinceps partibus alij: in vltima vero, id eſt, in portis ſtatuendis, *vltimus* ſeu natu minimus. In hiſce vero textus verbis notandum *primo* quod noſter vertit, *imprecari*, vertere Septuaginta ὥρκιζεν, quaſi adiurare. & vtriuſque vis eadem: verbumque Hebræum valet iurare, adiurare, ac dira imprecari, vt Numer. capite 5. verſu 19. & 21. & ſecundum nonnullos Pſalm. 10. verſu 9. Vbi enim noſter ait, *Qui laudabant me aduerſum me iurabant*, dicũt illi, *Qui laudabant me, illi dira mihi precabantur,*

Digitized by Google

& tanquam Deo inuiſum deteſtabantur, vti notat Maſius. Et per hæc improbatur Abulenſis, dum poſt q. 60. dicit hæc pronunciationis modo proferri, & repetit q. 68.69. *Secundo Maledictus coram Domino.* id eſt admodum vereque deteſtabilis. cum quod *coram Deo* tale eſt, vere ſemper tale ſit. Neque enim ille falli, & hallucinari poteſt, hominis inſtar. cui malum quandoque videtur, quod bonum eſt, & contra. *Tertio. Pro, qui ſuſcitauerit*, in Hebræis hodiernis eſt, *qui ſurget.* ſicque vertit Maſius & exponit, *Qui naſcetur*, aut *qui olim futurus eſt.* Licet vero quoad ſententiam, vtro legamus modo, interſit parũ, noſtra tamen lectio melior eſt. *Primo.* quia idcirco id verbum omiſerunt 70. quia ſequenti verbo idem videbatur ſatis exprimi, verteruntque tantum *οἰκοδομήσει*. *Secundo.* quia ad iſtud *ſuſcitandi* verbum, quaſi etiam in Hebręo fuiſſet, reſpicit Ioſephus, dum l. 5. c. 1. *ἐγείρειν* vſurpant dicens *εἰς τὸ προϋπάρχον ἐγείρειν ἐθελήσαντι*. *Tertio.* quia non infrequens in Hebræo textu eſt vt litera *vau* pro *iod*, quarum ſimilitudo maxima, poſita ſit, prout olim iam notauit S. Hier. Iſaiæ c. 10. & norunt omnes, qui vel primoribus iſta labris attigerunt. & in hac ipſa hiſtoria legitur *Segib*, in Hebræo pro *Segub* 3. Reg. 16. v. 34. 1. Reg. 18. v. 6. *Iaſchir* pro *Iaſchur.*, vt dubitandum non ſit legi hoc loco debere יקים *iakim*, non יקום. *iakoum.* Notandum denique poſt imprecationem iſtam appoſuiſſe ipſius euentum 70. ex illo ſcilicet 3. Regũ capite decimo ſexto aſſumptum, de quo poſtea. Explicationis enim cauſa faciunt hoc interdum ij ipſi 70. vt nonnulla interſerant, quemadmodum Exodi c. 2. v. 22. de Eliezere Moyſis filio ex capite 18. v. 4.

QVÆSTIO LIII.

An Hierichuntino reſtructori recte imprecatus Ioſue?

POenarum ſatis Hierichuntĕ dediſſe hactenus, credat, fortaſſe nõ nemo, quod eius diruta mœnia, ciues perẽpti, domus exuſtæ: ideoq. crudelius agere Ioſuã, quod, ſiquis olim exiſteret qui reſtaurare illam conaretur: ei malorum tantum imprecetur. Et huc è primo de officiis Tullij, ex Al. 5. conſil. 132. aliiſque afferri poſſunt complura, ſed dico paucis, *recte atque ordine Ioſuam feciſſe*, dum Hierichuntinum conſtructorem deteſtatus eſt, eiuſque liberos exitio deuouit. *Primo.* quia id iuſſu & auctoritate fecit Domini. Nã 3. Reg. 16. v. 34. hæc ipſa deteſtatio ac deuotio vocatur *verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Ioſue filij Nun. Secundo.* quia imprecationi annuit Dominus, vt infra dicetur. vnde c. 20. in Ioſue Rupertus: *Duo dixit: Primo, ſitque ciuitas hæc anathema, & omnia quæ in ea ſunt. Deinde maledictus vir coram Domino, qui ſuſcitauerit & ædificauerit ciuitatem Hiericho. Duo inquam dixit, & neutrum in amaritudine furoris, ſeu ex proprij motu animi, ſed diuini contemplatione iudicij, ciuitatem peccatricem Deoque odibilem condemnauit, Deinque ſententia eius vtrobique diuinum teſtimonium è veſtigio ſubſecutum eſt. Tertio.* quia iuſtæ graueſque fuerunt cauſæ, ob quas, ne reuiuiſceret Hiericho, cauebat Ioſue. *Primo.* Vt diuinæ potentiæ ac vindi-

A ctæ perpetuum ante omnium oculos eſſet monimentum, quemadmodum ait Rambam. *Secundo.* Vt deteſtabilior eſſet apud omnes idololatria, & impietas, quam in prima Chananææ vrbe tam grauiter vindicatam cernerent. *Tertio.* Ne ob vicinum Iordanem, locique oportunitatem aliquod iterum belli aut impietatis illinc ſemen exiſteret. *Quarto.* Addit Abulenſis q. 60. quia fuerat vrbs anathemate dãnata, vti Deut. 13. v. 16. Verum non exiſtimandum, id in ipſo ſimpliciter anathematiſmo comprehenſum. Nam alioqui ſatis fuiſſet antea dicere, *vrbi huic*
B *anathema illatum.* Nunc vero, quaſi anathematis expleta perfectaq. ſententia quaſi nouum quidpiam ſubditur: *In tempore illo imprecatus eſt Ioſue.* Pro hac igitur cauſa ſuppono myſticam, vt nimirum ſignificaretur, ſatis non eſſe, omnem ex animis improbitatem ſemel per pœnitentiam & confeſſionem euulſiſſe ſtirpitus: ſed in eo perſeuerandum, cauendumque diligenter, ne quis nouam nobis Hierichuntem architectetur: noua nequitiæ atque diſſolutionis iaciat fundamenta: noua erigat mœnia: nouas portas excitet. *Quinto.* Videmus etiam variis de cauſis
C alios populos eodem modo vel diruiſſe, vel reædificari voluiſſe certas hoſtiles vrbes, Zonaras tomo ſecundo de Carthaginis excidio, Πᾶσα, inquit, *ἀνάστατος γέγονε, καὶ ἐπάρατον ἐψηφίσθη τὸ ἐν αὐτῇ κατοικῆσαί τινα.* idque tradiderat iam ante Plutarchus in Gracchis, Appian. in Punicis, & & Oroſius. Parterculus libro ſecundo: *Exciſa Carthagine, & Numantia, ab alterius nos metu, alterius vendicauit contumelius Scipio.* Tullius primo de officiis: *Maiores noſtri Carthaginem & Numantiam funditus ſuſtulerunt. Nollem Corinthum, ſed credo, illos ſecutos oportunitatem loci maxime, ne poſſet aliquando ad bellum faciendum locus ipſe adhortari.* Et pro do-
D mo. *vt hoſtium vrbes, nec omnium hoſtium verum eorum quibuſcum acerbum bellum, inteſtinumque ſuſcepimus, non præda adducti, ſed odio ſolemus exſcindere: quod, in quos propter eorum crudelitatem, inflammatæ mentes noſtræ fuerunt, cum horum etiam tectis ac ſedibus reſidere aliquod bellum ſemper videtur.* Apud Lyricum libro tertio Ode 3. Iuno ſic:

Sed bellicoſis fata Quiritibus
Hac lege dico: ne nimium pij,
Rebuſque fidentes, auitæ
Tecta velint reparare Troiæ.
Troiæ renaſcens alite lugubri
E *Fortuna triſti clade iterabitur.*

Quin & Ionum pſephiſma legimus publicũ, quo eos execrabantur, qui Deorum fana & delubra Perſarum ignibus inflammata reædificaſſent, ne tantæ vnquam iniuriæ oculis aſpectus, mentibus recordatio, doloriſq. ſenſus abeſſet, vt eſt apud Iſocratem in Panegyrico. Sed vide Petrum Fabrum libro primo Semeſtrium, capite 8.

F

QVÆSTIO LIV.

An eidem imprecationi ſtructores, cæmentarij, & fabri obnoxij?

NOn fuerant. Hic enim valere debet illa iuris regula, quæ *priuilegia extendi, pœnas vero*

reſtringi iubet. At pœna hæc in illius tantum, A qui tanquam cauſa princeps, Hiericho reædificaret, caput contorta eſt: non in eos, qui arte laboreque manuario victum quæritarent. Vnde & illius tantummodo filios diras illas paſſos tradit liber 3. Reg. cap. 16. prout paulo poſt videbimus. eſtque hæc etiam Abulenſis opinio q. 67.

QVÆSTIO LV.

An reædificatæ iam vrbis incolæ ad imprecationem eandem ſpectarint?

NOn ſpectabant, vti patet eodē, quo q. ſuperiore vſus ſum, argumēto. cui & hoc iũgendum, ſanctiſſimos poſtea homines eandem poſtea vrbem incoluiſſe, vt Heliſæum, prophetarumque filios quamplurimos, de quibus habetur, 4. Reg. c. 2. CHRISTVM etiam miraculis cohoneſtaſſe Matth. 20. 29. Lucæ 19. 1. Quod ſi, vt ſupra de Carthagine loquebatur Zonaras, dixiſſet Ioſue, ἐπάρατος ὁ ἄνθρωπος ὃς κατοικήσει, nulla eius habitatoribus fuiſſet excuſatio. Nunc vero dixit, vt eſt in 70. ἐπικατάρατος ὁ ἄνθρωπος ὃς οἰκοδομήσει. Vide S. Hieronymum C Epiſt. 17. ad Marcellam contra eos, qui Hieruſalem maledictam aiebant, quod ſanguinem Domini hauſiſſet. Par autem eſt ratio de iis, qui, ſine mœnibus ac portis, domos eodem, vbi Hiericho fuiſſet olim, loco aliquas exſtruxiſſent, non autem vrbem condidiſſent. Nam in deuotionis formula eſt, *vrbem hanc*, vti non incurioſe obſeruat q. 62. 63. 65. Abulenſis.

QVÆSTIO LVI.

An ſi loco eodem aliam alio nomine vrbē erexiſſet quis, eadem imprecatione teneretur? D

TEneretur, quia hoc ipſum reipſa foret Hierichuntem reparare. Neque enim tam de nomine quam de reipſa laborat Ioſue, aut potius Deus. Et ſi nomen vrbi aliud ab ædificatore imponeretur, non deeſſent tamen, qui antiquam illam Hierichuntis appellationem vſurparent. vide Boeti Geometriam fol. 1229. Afferunt aliam in ſuo Thalmud, tractatu, *Sanhedrin*, cap. 11. rationem Rabbini, quia Hebræus textus cum articulis pluribus ita loquitur, *Qui ædificarit vrbem iſtam, ipſam Hiericho*, ſenſum eſſe: Neque hanc vrbem inſtauret quiſpiam alio ei nomine impoſito, neque aliam hoc ipſo nomine vrbem exſtruat. Mihi tamen videtur argutius hoc quam verius. Iſta enim articulorum, ſi tamen ita in Hebræo vocandi: multiplicatio videtur eam tantum ſignificare ſententiam, quam Græcus & Latinus exprimunt: quaſi eſſet, Qui ædificarit vrbem hanc, hanc inquam Hiericho, ſiue hanc, quæ vocatur Hiericho. Nam & in veteribus Romanorum formulis, quibus aut bellum hoſtibus quibuſdam indicebant, aut ex eorum vrbibus Deos euocabant, aut fœdera cum iis faciebant, aut ſimile quid agebant, videmus mirabiliter definiri, ſignateque circumſcribi omnia.

QVÆSTIO LVII.

Quid ſi Hierichuntinus reſtaurator, aut liberos non habuiſſet, aut certe non tot?

QVia *non ſunt*, vt ſupra dixit Iuris regula, *extendendæ pœnæ*, cenſuerit forte aliquis, eum qui liberis careret, aut certe vnum tantummodo aut duos haberet, Hierichuntemq. tamē reſtauraret, fore ab hac imprecatione vel B omnino, vel ex parte ſaltem, liberum ac tutum. At non ita eſt. quia imprecatio hæc duo includebat. *Primo*. Prohibitionem Hierichuntis reparandæ. *Deinde* pœnam quādam temporalem. hoc modo: *Dirutum Hierichuntem reparet nemo. Si vero contra faxit quis, hunc puniat etiam in hoc ſæculo Dominus.* Ratione *prohibitionis*, peccatum admittit reparator lethiferum, cui æterna comes pœna: ratione *imprecationis*, pœnam aliquam in hac vita excipiet. Quod ſi orbus ſit, vel pluribus certe liberis non auctus, alio eum malo afficiet Dominus, quod liberorum interitui non cedat. Hæc enim liberorum ademptio videtur eo tā- C tum expreſſa, vt conuenientia quædam eſſet peccati, & ſupplicij. Nam *vrbes naſci, viuere, mori* ac *reuiuiſcere* docet Barnabas Briſſonius in ſuis diuini & humani iuris obſeruationibus lib. 1. ad L. *omnes* C. *de ferijs*, & huius amicus Pe. Faber libro 1. Semeſtrium capite 9. Qui ergo iacenti ac mortuæ Hierichunti vitam ac poſteritatem reſtituere moliretur, dignus erat, qui vita ipſe ac poſteritate ſpoliaretur, ſaltem quoad liberos. Interim tamē non erat Dominus neſcius, fore, vt qui olim auſurus hoc eſſet, natos haberet plures.

QVÆSTIO LVIII.

Fueritne tam audax Iudæorum aliquis, vt, contra imprecationem iſtam, de Hierichuntis reſtauratione cogitarit?

FViſſe teſtantur hoc ipſo c. 70. vti ſupra q. 32. notatum, & liber 3. Reg. c. 16. v. 34. ſic. *In Diebus eius* (Achab ſcilicet Regis) *ædificauit Hiel de Bethel Hiericho.* Sed qui eo loco dicitur Hiel, vocatur ibidem à 70. ἀχιήλ, hic vero ὀζᾶν. in Græcis aliis exēplaribus, vt Maſiano, ἀζωζάν. vnde iſta vero nominum diſſonantia *nondum*, E *mihi*, ait Maſius, *ſatis liquet*. Verum hoc conſtat multos in ſacra hiſtoria binomines memorari. Atque hoc fit, vel quia duo vere nomina iis diuerſa impoſita, vel quia nominum vnum alterius ſynonymum eſt, vt in *S. Iuda Lebbæo* & *S. Simone Chananæo* dixi libello *de Apoſtolis*. Et ſic hoc ipſo loco Hiel & ὀζάν ſignificatione videntur conuenire. Nam *hoz* Hebraice, robur eſt & fortitudo: *Hiel* verò, vel prout in hebraico ſcribitur חיאל idem prorſus valet, ſi vt in paragogicis Hebræorum literis non raro fit, non neceſſarium *aleph*, cenſeatur: aut ſi neceſſarium putemus, erit, vno *lamed* ſubducto, vt in *corban* F & *cobā* dixi alias, *potentia* & *robur Dei*, id eſt magna. Nam *Chail*, robur, *el Deus*, eſt, vt autem ſignificaretur *aleph* abeſſe poſſe, id omiſit noſter

Interpres, 70. vero in illo Regum capite, ſuo è loco mouerunt, & in dictionis principio locarunt. Quod vero alij ἀζωζαὶ dicunt, vel mẽdoſum eſt, vel vt magna illa vis & potentia, de qua dixi: ſignificetur eſt, eiuſdem ſyllabæ prioris iteratio: quaſi diceretur *botz botz, robur robur*. quo loquendi modo notum apud Hebræos intendi ſignificatum. Neque de ἄζ & ὤζ mirabitur, qui vocales varie apud varios ſonare non ignorauerit, vt in *Moguntia* notabam l. 1. c. 3. & rurſus ſequente quęſtione aderit exemplum. Illud vero mirandum duco, quinam fieri potuerit, vt Iſraelites & Iſraelitarum medio, adeo eſſe audax potuerit, vt hanc tanti ducis, tamq. Deo amici hominis pro nihilo duceret imprecationẽ. Verum enimuero, *Nitimur in vetitum ſemper, cupimuſque negata*. Quomodo tam multi hodie latrones defixa in omnium oculis patibula & rotas non timent? Quomodo tam multi teſtamentorum neglectores & violatores à mortuorum imprecationibus omnino ſibi nihil metuunt? Quomodo periuri tot & fœdifragi, quas ſibi ipſis imprecati erãt, diras non horrent? Quomodo terribile illud, *Morte morieris*, non formidarunt Adam & Eua? Quomodo nos ipſi nõ formidamus quotidie? Quomodo intẽtatã, certiſſimeq. ab Apoſtolis, à CHRISTO Domino prædictã gehennã, & gehẽnam ſempiternã: nõ expaueſcimus tot quotidie auari, ambitioſi, vanæ gloriæ cupidi, elati, ebrioſi, libidinoſi? Nimirum oculos claudimus: iſta non aſpicimus: mente non agitamus: ab auribus, ſi quando per concionatorum voces inferuntur, excludimus: & fingimus nobis cauſas, genio noſtro blandas, cupiditatibus iucundas, quæ à flagitiis nihil nos moreantur, ſed incitent, precipitanteſque impellant. Ita ſane Hiel cum vel ex Hierichuntis reparatione, quæſtuoſa quædã vectigalia, vel amœnitatis pleniſſima palatia: vel nominis celebritatem ad ſeroſque nepotes propagationem, quod capite 20. aſſerit Rupertus: vel hæc omnia ſimul, hiſque ſimilia plura concupiſceret alia, flocci pependit Ioſuæ deuotionem. Fortaſſis etiam tacite apud ſeipſum cogitabat, fuiſſe Ioſuam ſeueriorem, nimiumque vrbi huic infeſtum: ipſius deteſtationem ab furore atque crudelitate nimia, non à Dei ſpiritu, qui lenis eſt, & manſuetus: profectam: neque à Deo ipſo probatam & exauditam: aut certe cum illa concepta fuerit anno mundi conditi 2490. cœperit autẽ Rex Achab, cuius tempore vti dictum eſt, ad reſtaurationem hanc aggreſſus eſt: regnare 3222. obſoleuiſſe iam vetuſtate, poſtque annos amplius 700. euanuiſſe vim deteſtationis illius. Quin vero fortaſſis etiam eo progreſſus erat amentię miſer, vt non Ioſuam tantum, ſed Iſraelis etiã Deũ contemneret, ipſius libros, Prophetas, & ſeruos nihili faceret. Id enim mihi videtur eo Regũ libro ſignificari, dum tã diſerte notatur Hiel iſte, *in diebus Regis Achab* ædificationẽ hanc molitus. Achab enim Rex impius erat, impietatiſque auctor & ſator peſſimus, prout ibidem v. 29. & ſequẽtibus deſcribitur. Huic ergo Regi voluit Hiel placere: atque vt placeret, voluit inſigni aliquo facinore ſuum ſummi Regis profiteri contemptum. opeſque, quibus

A abundabat (neque enim niſi prępotens rem inceptare tantam potuiſſet) ad Hierichuntis reparationem, contra Dei ſerui ac Prophetæ votum ac imprecationem, conferre. Atque ita cernimus illuſtre Aulicorum nonnullorum, & eorum, qui *Politici* hodie vocantur exemplum, videmus mundi huius curſum, quę ſcilicet plerique ſtudia ſequantur: in quæ opes effundant quomodo ſe Principum improborum voluntatibus accommodent, quomodo his regnantibus reædificari ſoleant, quæ diruerat in cinereſque redegerat Ioſue: quæ in omnẽ etiam poſteritatem

B reſtaurari vetuerat, quæ anathema, diriſque deuota voluerat: id eſt, quæ CHRISTVS IESVS D. ac S. N. odit & deteſtatur: quæ vita doctrinaque ſua delet ac diſtuibat: quæ per Eccleſiam ſuam anathematiſmis & execrationibus proſequitur, ſcelera, hęreſes, omniſq generis impietates & vanitates. Et hęc etiam aliquando per eos, qui è Bethel ſunt, id eſt, è domo Dei, per Eccleſiaſticos & Monachos reſtaurantur, vti fere noſtro iſto tempore per Lutherum, Zvvinglium, Bezam,

C Caluinum, ſimiles etiamſi non eſſent ſummi Monachę, Achabi.

QVÆSTIO LIX.

An contra eandem imprecationem impune fecit Hiel?

NEquaquam. Ita enim eodem cap. 16. l. 3 Regum additur. *In Abiram primitiuo ſuo fundauit eam* (Hiericho Hiel) *& in ſegub nouiſſimo: ſuo poſuit portas eius, iuxta verbum Domini q. l. f. i. m. q. f.* N. Pro *Abiram* ſcribunt 70. ἀζιρὼν, &c.

D cum in Hebræo idem ſit illius, qui cum *Core* ac *Dathan* periit, & huius noſtri nomen, ſcribunt iidem Num. 16. ἀβειρὼν: eoſque ibi & c. 26. v. 8. Deuter. 11. 6. Pſ. 15. 107. Eccl. 45. v. 22. noſter imitatur Interpres. Pro *Segub* autem ſcripſerunt iidem 70. in hoc Ioſuæ loco Σιαουθίτα, id eſt, *Saluatum*. Nominis enim proprij ſignificationem reddiderunt, cum ſit à *ſagab*, quod eſt, *exaltare*, efferre, liberare ac eruere, Verum & Deus ipſe *miſgab* vocatus, Pſ. 9. verſ. 10. Pſalm. 45. verſ. 8. 12. 59. Pſalm. 58. verſ. 14. Pſal. 93. verſ. 22. Iſ. 25. v. 12. id eſt, *refugium & liberatio*.

E Neque tamen hi duo tantum Hielis morte filij ſublati ſunt, ſed alij etiam quotquot inter hoſce duos interiecti erant. Ita enim Rupertus capite 20. in Ioſue. *Quando fundamenta* Hierichũtis *iecit, ſtatim mortuus eſt filius eius primogenitus, & deinceps inter ædificandum paulatim ſecundum ordinem natiuitatis decedentibus filiys omnibus, vbi* (*quod nouiſſimum erat*) *poſuit portas eius, mortuus eſt filius eius nouiſſimus, mira ambitatione pertinaciam fulciente, vt ambiendo conditoris nomen totum cum affectu perderet genitoris honorem.* Potuit autem iſta filiorum mors euenire dupli-

F citer. *Primo*. Ob ſolam parentis culpam. Cum enim mors hæc temporaria ſit, & habeat Dominus in omnium vitam & necem ius, poteſt citra vllam natorum culpam, quæ quidem eorum propria ſit, eos è medio tollere, tantum, vt mœſta parentibus orbitas, acerbuſque dolor, quorũ veluti partes quædã ſunt,

Digitized by Google

A inuratur. *Secundo.* Ob aliquam etiam filiorum culpam propriam. Et vterque forſan modus locum hic habuit. Nam potuit primogenitus ætate iam eſſe adultior & aliorum aliquis: natu autem vltimus à peccandi facultate per ætatulam adhuc alienus. Illi ergo patriſſaſſe videntur, eiuſque impietatem & ſuperbiam ſecuti: &tanto forte magis, quanto audaciæ, nequitiæ, inaniſque gloriæ maiores in adoleſcentibus ac iuuenibus ardent faces. Si enim *Herorum filij, noxæ* interdum ſunt, quanto magis impiorum parentum proles? Nimium, proh pudor, vera Lyrici lib. 3. Ode 6. quærela:

B
Aetas parentum peior auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Minimus autem ille, ſiquidem Baalem cum Achab Rege colebat parens, vti quæſtione ſuperiore dictum, labe adhuc originaria obſtrictus tenebatur, quod ab ea per circumciſionẽ, expiatus non fuiſſet. Eſt autem *Abiram, fortis,* & quaſi *egregius eorum,* ſcilicet parentum, vel fratrum. Hunc tamen hęc fortitudo & prętantia, hæc primogenitura & prętogatiua cum à morte nõ potuit defẽdere: falſumque fuit in Segub C omẽ, eius nomẽ. Neque enim *διασωθεὶς* ſeu *ſeruatus* fuit: neque vti parentis ſpẽs, dum nomen hoc inderet: putabat *exaltatus* & celebratus fuit: ſed, Hierichuntinæ portæ dum eriguntur: infœlix puer deiicitur. O quam vana ſępe parentum de filiis auguria? quam inanis ſpes? ſed quãta hominum contumacia, qui ne ſuorum quidem tam carorum funeribus, cum certo Dei verbo, videant ac ſentiant à cœptis reuocari poſſunt?

QVÆSTIO LX.

D
Quanta Ioſuæ gloria, & eius cauſa quæ?

NOmen *eius*, ait noſter Interpres verſ. 27. *vulgatum eſt in omni terra.* Dicit Maſius ancipitem hic eſſe orationem, quia illud, *eius* vel ad Deum, vel ad Ioſue referri poſſit. At certum eſt ad Ioſue referri, cum ex eo, quod fuerit *Deus cum eo*, indicare velit ſcriptura, boni quantum ei euenerit. Et ita intelligunt omnes tam Hebræi quàm Gręci, & Latini. *Nomen* vero vertit noſter, quod in Hebræo eſt, *auditus*, ſeu *fama*, quę de ipſo auditur: & illud etiam in 70. eſt ſed E abſque *vulgatum*, ſic ἦν τὸ ὄνομα αὐτοῦ κατὰ πᾶσαν τὴν γῆν. Verum quomodo *per omnem terram* ſpargi, diſſiparique potuit Ioſuæ gloria? Reſpondent apud Abulenſem q. 70. quidam, factum, quia toto terrarum orbe viſa fuit ſolis ab illo facta ſtatio. Sed de ea iam non agitur: & ſuo deinde loco infra cap. 10. probabitur, eam toto terrarum orbe non viſam. Verius dicitur, *omnem* hic *terram* vocari, eam ipſam, cuius veluti Metropolis Hiericho videbatur: Chananæam ſcilicet, eiuſque viciniam. Eodem enim modo Geneſis 41. dicitur: *Omnes prouinciæ veniebant in Aegyptum, vt emerent eſcas.* Nunquid *omnes* è toto mundo prouinciæ? Nunquid ex HiſF pania, Gallia, India, & Mexicana? non. ſed *omnes prouinciæ*, quę ſcilicet Ægypto propiores, vti Arabia, Palæſtina. Et ſicubi hæc in totius terræ phraſibus modificatio adhibenda, eam certe oportet vel maxime, cum de nomine alicuius longe lateque propagato agitur, adhibere, prout pulcherrima apud Ciceronẽ in ſomnio nominatiſſimus ille Africanus Scipionem ſuum edocet. *Cæleſtia*, inquit, *ſemper ſpectato, humana contemnito. Tu enim quam celebritatem ſermonis hominum, aut quam expetendam gloriam conſequi poteſ? Vides habitari in terra raris & anguſtis in locis & in ipſis quaſi maculis, vbi habitatur, vaſtas ſolitudines interiectas: hoſque qui incolunt terram, non modo interruptos ita eſſe, vt nihil inter ipſos ab alijs ad alios manare poſſit? ſed partim obliquos, partim tranſuerſos, partim etiam aduerſos ſtare nobis: à quibus ſperare gloriam certe nullam poteſtis. cernis autem terram eandẽ, quaſi quibuſdam redimitam & circumdatam cingulis: è quibus duos maxime inter ſe diuerſos, & cœli verticibus ipſis ex vtraque parte ſubnixos, obriguiſſe pruina vides: medium autem illum & maximum ſolis ardore torreri. duo ſunt habitabiles: quorum Auſtralis ille, in quo qui inſiſtunt, aduerſa nobis vrgent veſtigia, nihil ad veſtrum genus. hic autem alter ſubiectus Aquiloni, quẽ incolitis, cerne quam vos tenui parte contingat. Omnis enim terra, quæ incolitur à vobis, anguſta verticibus, lateribus latior, parua quadam inſula eſt, circumfuſa illo mari, quod Atlanticum, quod magnum, quem Oceanum appellatis in terris: qui tamen tanto nomine quam ſit paruus, vides. Ex his ipſis cultis, notiſque terris nũ aut tuum, aut cuiuſquam noſtrum nomen vel Caucaſum hunc, quem cernis: tranſcendere potuit, vel illum Gangem tranare? quis in reliquis orientis, aut obeuntis ſolis vltimis, aut Aquilonis, Auſtriue partibus tuum nomen audies? quibus amputatis, cernis profecto, quantis in anguſtijs veſtra gloria ſe dilatari velit.* Quem eo libentius exſcripſi locum, quod eum & laudarit, & imitatus ſit lib. 2. *de conſolatione* proſa 7. Boethius: *Quam ſit*, ait, *exilis*, (gloria) *& totius ponderis vacua, ſic conſidera. Omnem terræ ambitum (ſicuti Aſtrologicis demonſtrationibus accepiſti) ad cœli ſpatium puncti conſtat obtinere rationem, id eſt, vt ſi ad cœleſtis globi magnitudinem conferas, nihil ſpatij prorſus habere iudices.* Huius *igitur tam exigua in mũdo regionis quarta fere portio eſt (ſicut Ptolemæo probante didiciſti) quæ à nobis cognitis animantibus incolatur. Huic quartæ, ſi quantum maria, paludeſque premunt, quantumque ſibi vaſta regio diſtenditur cogitatione ſubtraxeris, vix anguſtiſſima inhabitandi hominibus area relinquetur. In hoc minimo igitur puncti quodam puncto circumſepti atque concluſi, de peruulganda fama, de proferendo nomine cogitatis? At quid habet amplum magnificumque gloria tam anguſtis exiguiſque limitibus arctata? Adde quod hoc ipſum breuis habitaculi ſeptum plures incolunt nationes, lingua, moribus totius vitæ ratione diſtantes, ad quas tum difficultate itinerum, tum loquendi diuerſitate, tum commercij inſolentia, non modo fama hominum ſingulorũ, ſed ne vrbium quidem peruenire queat. Aetate denique Marci Tullij (ſicut ipſe quodam loco ſignificat) nondum Caucaſum montem Romanæ Reipublicæ fama tranſcenderat. & erat tunc adulta, Parthis etiam, cæteriſque id locorum gentibus formidoloſa. Videſne igitur quàm ſit anguſta, quam compreſſa gloria, quã dilatare ac propagare laboratis? An vbi Romani nominis tranſire fama nequit, Romani hominis gloria progredietur? quid quod diuerſarum gentium mores inter ſe, atque inſtituta diſcordant, vt quod apud alios laude, apud alios ſupplicio dignum iudicetur? Quo fit, vt ſi quem famæ præ-*

dicatio deleƈtet, huic in plurimos populos nomen proferre, nullo modo conducat.

Ioſuani vero nominis celebritatem hanc genuit, non, hoc quidem tempore, Sol inſiſtens, prout à quibuſdam paulo ante dicebatur, neque ſignata Ioſuæ inſignibus moneta, vt in *Bereſchith rabba* fabulantur Iudaici Rabbini, ſed aliæ *duæ* cauſæ. *vna particularis* ac minus principalis, Hierichuntinum ſcilicet excidium tam ſubitum, tam admirabile, nuperuſque Iordanis fluuij tranſitus tam inauditus. *Altera generalis* ac principalis, quæ hic vna exprimitur, quia *fuit Dominus cum Ioſue.* Hic nimirum veræ gloriæ fons: hoc famæ ſolidæ ſolum, & fundamentum. *Omnes*, ait Ennius, *laudari volunt*: & reprehendit quidem hoc ipſum S. Auguſtinus libro 13. Trinitatis cap. 3. attamen omnibus aliqua gloriæ innata cupiditas. Sed illam aliqui vanam conſectantur: aliqui modos eius adipiſcendæ vanos adhibent. Glorioſos & excellente fama ſeſe futuros putant, ſibi ſi adſint opes pulchritudo, litteratura, clientum turba, populorum fauor, Principum gratia & familiaritas. Sed vana, vana hæc omnia. Nomen, etiamſi id non agat neque ſpectet, aſſequetur, ille vnus ampliſſimum & conſtantiſſimum, qui cum Deus erit. Quid vero ſit, *cum aliquo Deum eſſe*, dictum eſt ſupra cap. 1. quæſt. 12. Sane cum eo eſt Deus, qui in eum credit, eum timet, colit, omnibus anteponit. In lib. 1. Reg. c. 18. verſ. 30. *Dauidis celebre factum eſt nomen nimis* ſeu valde. Quid ita? Semel & iterum ante dictum eſt ibidem verſ. 12. & 28. *Dominus erat cum Dauid.* Extat argutum recentioris Poëtæ neſcio cuius carmen, quod vere veræ gloriæ matrem pingit virtutem: & ſine hac, illam nulli adhærere docet.

In Pictam Gloriam.

Quæ Dea? virtutis ſum filia Gloria. Qui grex
Ille? petitores, improba turba, proci.
Cui nuptura faues? omnes faſtidio. Quare.
Clam quia matre viro nubere nolo mea.
Quem dabit hæc dignum complectar grata maritum
Perpetua (fugiat me licet ille) fide.

Dixit ſane veterum quidam.

Nullum nomen abeſt, ſi ſit prudentia tecum.

Ego vero.

Nullum nomen abeſt ſi ſit præſentia tecum
Numinis.

Tu, ait Rex & Propheta Dauid Pſalm. 3. DOMINE, *ſuſceptor meus es: gloria mea, & exaltans caput meum.* Ea erga hominum genus profuſiſſima & exuberantiſſima DEI bonitas, vt in hoc etiam ſæculo ſuo ſeruis ſuis non varias tantummodo animorum dotes & ornamenta: non diuiniſſimam ſolum cœleſtis gratiæ ſuæ formam ac pulchritudinem largiatur: ſed nomen etiam, & famæ, gloriæque lucem ac dignitatem. *Ego*, ait, 2. Reg. 7. 9. *tuli te paſcuis ſequentem greges, vt eſſes Dux ſuper populum meum Iſraël: & fui tecum in omnibus, vbicumque ambulaſti: fecique tibi* NOMEN GRANDE, *iuxta nomen magnorum qui ſunt in terra. Habeo*, inquit, *Apoſtolus*, Romanæ c. 17. v. 16. *gloriam in* CHRISTO IESV *ad Deum.* Et cap. 2. 10. *Gloria, & honor, & pax omni operãti bonum.* Quia tamen iſta nominis celebritas & gloria ex eo bonorum genere eſt, quo abuti poſſumus, quoque minus attenti & cauti inflantur facillime, dat eam Dominus, quibus & quando vult. Mihi, DOMINE, illam, quæ in futuro expectatur ſæculo, concede. Nunc mecum ſemper eſto per gratiam, & auxilium: tunc vero etiam per gloriam & charitatem, AMEN.

CAPVT VII.

TEXTVS.

1\. FIlij autem Iſraël præuaricati ſunt mandatum, & vſurpauerunt de ana-
themate. Nam Achan filius Charmi, filij Zabdi, filij Zare de tribu Iuda,
tulit aliquid de anathemate: iratúſque eſt Dominus contra filios Iſraël.
2. Cúmque mitteret Ioſue de Iericho viros contra Hai, quæ eſt iuxta
Bethauen, ad Orientalem plagam oppidi Bethel, dixit eis: Aſcendite, & explorate Ter-
ram. Qui præcepta complentes explorauerunt Hai. 3. Et reuerſi dixerunt ei: Non aſcen-
dat omnis populus, ſed duo vel tria millia virorum pergant, & deleant ciuitatem: qua-
re omnis populus fruſtra vexabitur contra hoſtes pauciſſimos? 4. Adſcenderunt ergò
tria millia pugnatorum. Qui ſtatim terga vertentes, 5. percuſſi ſunt à viris vrbis Hai, &
corruerunt ex eis triginta ſex homines: perſecutique ſunt eos aduerſarij de porta vſq;
ad Sabarim, & ceciderunt per prona fugientes: pertimuitque cor populi, & inſtar aquæ
liquefactum eſt. 6. Ioſue verò ſcidit veſtimenta ſua, & pronus cecidit in terram coram
arca Domini vſque ad veſperam, tam ipſe quàm omnes ſenes Iſraël miſerúntque pul-
uerem ſuper capita ſua, 7. & dixit Ioſue: Heu Domine Deus, quid voluiſti traduce-
re populum iſtum Iordanem fluuium, vt traderes nos in manus Amorrhæi, & perde-
res? vtinam vt cœpimus, manſiſſemus trans Iordanem. 8. Mi Domine Deus quid di-
cam, videns Iſraëlem hoſtibus ſuis terga vertentem? 9. Audient Chananæi & omnes
habitatores Terræ, & pariter conglobati circumdabunt nos, atque delebunt nomen
noſtrum de terra: & quid facies magno nomini tuo? 10. Dixítque Dominus ad Ioſue:
Surge, cur iaces pronus in terra? 11. Peccauit Iſraël, & præuaricatus eſt pactum meum:
tulerúntque de anathemate, & furati ſunt atque mentiti, & abſconderunt inter vaſa ſua.

12. Nec poterit Iſraël ſtare ante hoſtes ſuos,eóſque fugiet: quia pollutus eſt anathema-
te.non ero vltra vobiſcum,donec conteratis eum,qui huius ſceleris reus eſt. 13. Surge,
ſanctifica populum, & dic eis: Sanctificamini in craſtinum: hæc enim dicit Dominus
Deus Iſraël: Anathema in medio tui eſt Iſraël: non poteris ſtare coram hoſtibus tuis,
donec deleatur ex te,qui hoc contaminatus eſt ſcelere. 14. Accedetíſque mane ſinguli
per tribus veſtras: & quamcunque tribum ſors inuenerit,accedet per cognationes ſuas,
& cognatio per domos,domúſque per viros. 15. Et quicunque ille in hoc facinore fue-
rit deprehenſus, comburetur igni cum omni ſubſtantia ſua: quoniam præuaricatus eſt
pactum Domini, & fecit nefas in Iſraël. 16. Surgens itaque Ioſue mane, applicuit Iſraël
per tribus ſuas,& inuenta eſt tribus Iuda. 17. Quæ cum iuxta familias ſuas eſſet oblata,
inuenta eſt familia Zare.Illam quoque per domos offerens, reperit Zabdi: 18. cuius
domum in ſingulos diuidens viros, inuenit Achan filium Charmi, filij Zabdi: filij
Zare de tribu Iuda. 19. Et ait Ioſue ad Achan: Fili mi,da gloriam Domino Deo Iſraël,
& confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abſcondas. 20. Reſponditque Achan
Ioſue,& dixit ei: Vere ego peccaui Domino Deo Iſraël, & ſic feci. 21. Vidi enim in-
ter ſpolia pallium coccineum valdè bonum, & ducentos ſiclos argenti, regulámque
auream quinquaginta ſiclorum: & concupiſcens abſtuli, & abſcondi in terra contra
medium tabernaculi mei, argentúmque foſſa humo operuí. 22. Miſit ergò Ioſue mi-
niſtros: qui currentes ad tabernaculum illius, repererunt cuncta abſcondita in eodem
loco,& árgentum ſimul. 23. Auferentéſque de tentorio tulerunt ea ad Ioſue,& ad om-
nes filios Iſraël,proiecerúntque ante Dominum. 24. Tollens itaque Ioſue Achan fi-
lium Zare,argentúmque & pallium,& auream regulam,filios quoq. & filias eius, boues
& aſinos,& oues, ipſúmque tabernaculum, & cunctam ſupellectilem: (& omnis Iſraël
cum eo) duxerunt eos ad Vallem Achor: 25. vbi dixit Ioſue: Quia turbaſti nos, ex-
turbet te Dominus in die hac. Lapidauítque eum omnis Iſraël: & cuncta quæ illius
erant, igne conſumpta ſunt. 26. Congregauerúntque ſuper eum aceruum magnum
lapidum,qui permanet vſque in præſentem diem. Et auerſus eſt furor Domini ab eis.
Vocatúmque eſt nomen loci illius, Vallis Achor,vſque hodiè.

COMMENTARIVS.

Hierichuntis expugnationi duo comitabantur caſus: deteſtatio ſcilicet eius, qui deſtructam illam, reſtrueret, vniuſque Iſraelitæ,qui de vrbis anathemate ſurripuiſſet, in ſcelere deprehenſio ac punitio. Atque prior ille caſus ſub prioris capitis finem eſt expoſitus: de altero nunc agitur capite hoc ſeptimo: & quidem tripliciter. Nam Primò generatim peccatum traditur. Secundò peccator inquiritur. Tertiò punitur.

QVÆSTIO I.

Quis Achan?

TRipliciter in textu deſcribitur: quoad nomen ſcilicet,tribum, & domum. 1. *Nomen* ei fuit triplex, *Achan*, *Achar*, *Achor*, quorum primum hic in Hebræo ſemper eſt: ſecundum 1.Paralip.2.verſ.3. Tertium hic inſinuatur verſ. 25. & 27. Græcus contra textus medio magis vtitur nomine. Nam ſcribit hic ſemper ἄχαρ pro *Achan*.quod fere faciunt,qui 70.ſequuntur B
vt libr. 7. Saluianus, Prudentius in Pſychomachia, Rupertus cap. 21. & alterum bis retinet ἀχὰρ, eumque more ſuo ſequitur Ioſephus, & D.Hieronymus in cap. 4.Michææ. Vnde ſatis refellitur, quod poſt quæſtionem 54.& 77. in fine huius capitis ait Abulenſis, nomen Achoris non hominis,ſed vallis nomen eſſe. Nominum autem omnium originatio eadem, quam indicat Ioſue verſ.26. Nam quod ibi Latinus *turbare*,& *exturbare*, Græcus, ὀλοθρεύειν & ἐξολοθρεύειν vertunt, Hebraice vnum ſemper verbum C
eſt עכר *hacar*. ita vt ſignificet *Achan*, non *colubrum inſidiantem*, vt in lib.quæſt. Hebr. Paralip. (ſic enim eſſet *nachas*) ſed *turbatorem*, *turbonem*,

A & *exitioſum*, vt infra ex Sanhedrin c.6.fol. 44. b. & aliis dicetur q. 40. ſicque ad nomen hoc alludens Ioſue,inquit: *Quia turbaſti nos, exturbet te Dominus.* quaſi diceret,quod vulgo dici ſolet:

Conueniunt rebus nomina ſæpe ſuis.

Et 1.Paralip.cap.2.verſ.7.*Hachar*,*Hocher*,id-eſt, Achar turbans,Græcè ὁ ἐμποδοστάτης Ἰσραήλ. *Nam diuinare eſt*,inquit Epiſt.21. Auſonius,*nomen componere,quod ſit.*

Fortunæ & morum,vel necis indicium.

Ob iſtam vero, è qua pullulat nomen hoc,
B radicem, aſpirate ſcribitur à nonnullis *Hacan*. II. Tribus ei fuit Iudæ.illa, inquam, tribus, è qua Saluator,cui & à ſalute nomen,prout lib.1. c.2.expoſitum.Stemmate, quantumuis excelſo & generoſo,gloriandum nemini, cum & illud indignos genere illo interdum producat, & ſtemmati nulli valde intumeſcendum, cum & ex illo degeneres oriantur nonnulli. Humana ſunt hæc. Idem & ſalutares herbas, & aconita profert hortus.

C III. Pater ei fuit *Charmi*: huic *Zabdi*, qui & illi auus: huic *Zara*, qui è quibuſdam *Zare*, ab Hebræa *Zarach* dicitur. fuit autem hic Iudæ patriarchæ filius Geneſis 38. Sed ſunt hic ſcrupuli. *Primò*. Enumerantur 1.Paralip.2.verſu ſexto,

Digitized by Google

quinque ipſius Zaræ filij & inter eos *Zabdi* nullus. *Secundò.* Ibidem verſu ſeptimo, dicitur quidem *Achar filius Charmi*, ſed ita vt *Charmi* vnus è proximis Zaræ filiis videatur. Nam ea illic ſcribendi ratio eſt, vt cum alicuius filij recenſiti ſunt, horum etiam filij, ſi quid ad memoriam in iis inſigne ſit, recenſeantur. At neque Charmi inter Zaræ filios ibi ponitur: neque cuiuſnam è Zaræ filiis filius ſit, indicatur. *Tertiò.* An à Iuda patriarcha, id eſt, à tempore ante deſcenſum in Ægyptum vſque ad hoc aduentus in promiſſam terram tempus, generationes tantum ſint iam enumeratæ quatuor? per annos nimirum amplius CCLX? Nam in promiſſam terram venerunt Iſraëlitæ anno mundi 2490. vt ſupra c.5. dictum eſt: in Ægyptum ierant anno 2238.

Ad *primum*, qui hic vocatur *Zabdi*, illic eſt *Zamri*, vel vt Hebræa hodie puncta malunt, *Zimri.* Nam & 70. hoc loco pro *Zabdi*, legunt Ζαμβρὶ euphoniæ cauſa interpoſito *b*, ſicuti & numerorum 25. verſu decimoquarto. Ideoque vel habuit iſte nomina duo, vt in locum illum placet Abulenſi, vel ex litterarum ר & ב ſimilitudine, prout alibi factum notat Maſoreth, & *Bethamara*, pro *Bethabara* Epiphan. Græc. hæreſi 51. Anoetorum folio 189. factæ ſunt hoc loco duæ ר & ב ſicque ex *Zamri* factus *Zabdi*, à Ioſepho dictus *Zebedias*, ab ipſius interprete Ruffino, *Zebedæus*. Ad *ſecundum*, videtur ſi non legendus, certe intelligendus ille textus ſic: *filij Zamri, Charmi: filij Charmi Achar.* Ad *tertium*, ſunt generationes illæ quatuor: ſed & quinta hic ſignificatur, dum Achanis filiorum mentio fit verſu 24. licet ij, quam adulti fuerint, non conſtet. Notabis vero Achanem, parentis nomine interdum appellari *Charmi*, vt apud S. Chryſoſtomum homil. 6. ad Epheſios.

QVÆSTIO II.

Cur Achanis tam accuratè indicatur genealogia?

IVdæus Raſchi, factum id ait, vt ſignificaretur id tandem eueniſſe, quod in Zarę ortu oſtenſum erat, dum illi iamiam orituro, & è matris vtero manum protendenti coccinum alligauit obſtetrix Geneſ. 38. verſu 28. quia ſcilicet ex eius poſteris futurus erat, qui coccineam furaretur veſtem, multumque publici luctus daret. ſed *hoc*, ait, quæſt. 4. Abulenſis, *ridiculum eſt, cum conſtet in illius naſcituri manu poſitum fuiſſe coccinum ob aliam cauſam.* At effectus eiuſdem non vna tantum, ſed multæ interdum cauſæ ſunt. Et illam è ſecundariis, quaſi cauſis, & occultioribus vnam fuiſſe, quid vetat? Non hoc quidem ſpectabat obſtetrix, non præcipiebat animo, Achanem coccineo furto vllo celebrandum: ſed quam multa per ignaros homines facit, & mōſtrat Dominus? Qui Ioann. 27. verſu 50. dixit, *Expedit nobis, vt vnus moriatur homo pro populo, vt non tota gens pereat, à ſemetipſo non dixit* ibidem v. 51. Ferri ergo cauſa iſta poteſt. Sunt tamen principaliores & certiores aliæ. *Primò.* Vt diſtingueretur Achan iſte ab aliis, ſi qui hoc forte nomē vel in eadem tribu, vel in aliis gererent. Neque enim nominis communio, ſceleris, ac dedecoris communionem afferre debet. Fuit ſane poſtea *Hacan* vnus, qui de Caræorum ac Saducæorum legibus & ritibus librum ſcripſit: & de eo ait è commentatorib. ſuper *Auoth* vnus: *Deleatur nomen eius, vt Achanis. Secundò*, In ea, quæ poſtea fieri debuit, ſontis inquiſitione, procedendum fuit tributim, familiatim, & domatim. ſicque deprehenſus fuit Achan. Merito igitur eius ſtatim deſcribuntur tribus, familia, & domus. *Tertiò.* Vt quædam veluti dedecoris contagio ad parentes, maioreſque, pridem licet mortuos, tranſmittatur, & ſurſum aut retro, quaſi agatur: idque *primò*, quia nonnulla eorum quandoque culpa eſt, dum negligentius filios ac nepotes educarunt. *Secundò.* Excitat cōmunis huiuſmodi labis ac notæ metus, vt in eo elaborent omnes, ne quis in domo tota, ſtirpe, tribu, ac gente impius, ſacrilegus, facinoroſus vnquam ſit. Hinc enim illæ vel cohortationes, vel querimoniæ. Caue, ne vllum ſtirpi noſtræ inuras dedecus. Et tu tales parentes, tam nobilem, claramque domum, tanta, tamque auita familiæ ornamenta tuis iſtis commaculare audes flagitiis? Sic eſt: *filius ſapiens lætificat patrem: filius vero ſtultus mæſtitia eſt matris ſuæ.* Prouerb. 10. ver. 4. *Quartò.* Vt augeatur infamia peccantis, quem tam bonum genus, tam honeſta familia, tam clari parentes à ſcelere non reuocarūt. *Dedecorant*, inquit, lib. 4. Ode 4. Lyricus, *bene nata culpæ. Quintò.* Vt ſit honeſtiſſimarum familiarum quoddam veluti ſolatium dum vident iam olim ita ſemper fuiſſe, vt in magna & excellente domo vnus interdum exiſtat aliquis degener ac infamis. Danda tantum opera, ne plures exiſtant, imo ne per ſocordiam, indulgentiam, educationiſque prauitatem vel vnus ille talis euaſerit. Notum alioquin illud ἡρώων ἀνδρῶν τέκνα, πήματα. Et quod querebatur Demoſthenes, ἀνδρῶν ἀγαθῶν φαύλους ἀποβαίνειν τοὺς υἱούς.

QVÆSTIO III.

Quid admiſit Achan?

GEneratim verſ. 1. dicitur, *Tulit aliquid de Anathemate.* Et verſ. 11. Sed ipſemet Achan confitetur omnia v. 20. & 21. Ea igitur expoſita verba ſi fuerint, clara erunt omnia, poſteaquam de vetito anathemate lex capite ſuperiori ſatis iam expoſita. *Verè*, ait Achan, *peccaui Domino Deo Iſraël, & ſic & ſic feci. Vidi enim inter ſpolia pallium coccineum valde bonū, & ducentos ſiclos argenti, regulamque auream quinquaginta ſiclorum: & concupiſcens abſtuli, & abſcondi in terra contra medium tabernaculi mei, argentumque foſſa humo operui.* Primo quidem *generatim* confitetur. & quidem magno cum doloris ſenſu & animi commotione, vti declarant particulæ *vere, ego*, neque contentus dicere, *peccaui*, addit *Domino Deo Iſraël.* Dupliciter autem ſumitur, *peccare Deo.* vel enim eſt, Deo conſcio peccare, vel cōtra ipſum peccare. Priore modo ait Radak illud Pſal. 50. v. 6. accipiendum, *Tibi ſoli peccaui*, id-eſt, te ſolo ſciente, ſolo vidente ac ſpectante. Licet enim contra Vriam peccaſſet, is tamen illatæ ſibi labis ac iniuriæ conſcius nihil erat, ſed ſolus Deus. Poſteriore

Digitized by Google

autem modo, dupliciter Deo peccatur *primò*, contra ipſum, qua legiſlator eſt, bonum iubens, malum omne vetans. Et ſic quodcunq; peccati genus contra Deum eſt. *Secundò*. Contra ipſum, qua talis & talis perſona eſt. v.c. *Deus poſſeſſor*, & *Dominus talis*. Et ſic non omne peccatum contra ipſum eſt, ſed ea tantum, quib. ei, qua talis perſona eſt, aliquid vel tribuitur, vel adimitur, quod vel non tribuendum, vel non adimendum erat v.c. quia Deus eſt, ſummus ei, & ſoli quidem, cultus debetur. Si ergo vel inferiorem ei cultum adhibeas, vel ſummum alteri cuipiam adſcribas, contra Deum, & *qua Legiſlator*, & *qua Deus*, peccatum eſt. Si quid ipſi donatum, dicatum, conſecratum ſit, huius ipſe ſolus poſſeſſor & Dominus eſt. Id ſi auferatur, ab conſecrationis fine auertatur, in profanumque vſum conferatur, peccatum item vtroque illo modo contra Deum eſt. Et ſic peccauit Achan. Nam ex iis, quæ, per anathema, Deo ſacra & deuota erant, quædam abſtulit, ſicque in Deum, & Legiſlatorem, & poſſeſſorem, ac Dominum commiſit, prout rectè q.48. monet Abulenſis.

Deinde vero *ſpeciatim*, quid & quomodo peccarit, indicat ipſe Achan. Verbo iſto, *feci*, notatur peccatum, particulis *ſic & ſic*, peccati modus non numerus, vti fingit Raſchi, dicens, hinc haberi, quater iam alias ex anathematibus furatum aliquid Achanem & nunc tandem quinto. Refellit eum q. 49. Abulenſis, quia neque tot hactenus anathematiſmi fuerunt, neque ſi eorum aliquem furto violaſſet Achan, impunior, tunc quam nunc fuiſſet. Vtriuſque vero diſtincta ſequitur expoſitio. Nam fatetur ex anathemate furatum ſe tria: *veſtem*, *argentum*, & aurum. *Quoad modum* dicit, non tantummodo ſe hæc accepiſſe: ſed quomodo principio fuerit ad hæc accipiendum inductus, & quomodo ea iam cum accepiſſet, occuluerit. Sequentibus omnia explicabuntur quæſtionibus.

QVÆSTIO IV.

Quæ qualiſue veſtis, quam furatus Achan?

VEſtis ab interprete noſtro vocatur *pallium coccineum valde bonum*: à 70. ψιλὴ ποικίλη: ab Aquila & Thargum ϛολὴ βαβυλωνικὴ: à Symmacho ἔνδυμα σινάρ. à Ioſepho χλαμὺς βασίλειος non χλανὶς, vt ait Maſius, & Theodoretus q. 9. ex eoque annotatio Bibl. Græca. Hæ vero interpretationes rem quidem ipſam explanant bene, ſed ex variis eiuſdem rei attributis & quaſi circumſtantiis. Sciendum enim Hebraice vocari אדרת Quod ſi ipſius *adereth* originatio conſideretur, videtur ſignificare veſtem nō quamcũque, ſed fortem, ſplendidam, & magnificam. Id enim verbum *adar*, & nomen *eder*, id-eſt, magnificentia, (vnde Germanicum *edel* fluxiſſe cuidam videtur) importat. In ſcriptura tamen, vſum eius duplicem video. Nam aut ſolum id nomen abſolute ponitur, & vertitur quidem *pallium* ſeu *veſtis*, ac *toga*: ſed tamen pro loci, & circumſtantiarum ratione à 70. ϛολὴ: Ionæ 3. verſu 6. μηλωτὴ. 3. Reg. 19. verſu 13. 4. Reg. 2. ſæpius: aut vero ei nomen adiungitur alterum vt שער Geneſ. 25. verſu 24. Zachariæ 13. verſu 4. hic vero שער ſed 70. δορὰ δασύ. vel ſi Eſau ipſe conſideretur δασὺς in Geneſi verterunt, in Zacharia δέῤῥιν τριχίνην, id-eſt, *pellem hirſutam*, & *piloſam* per quandam forte ipſius δορὰ & δέῤῥις ad *adereth* alluſionem, & ſimul oſtendendo, ſignificari hoc nomine veſtem, quæ quidem haberet aliquid excellentiæ, & admirabilitatis, ratione materiæ, aut formæ. Nam interdum precioſæ admodum erant: interdum vero viles quidem & abiectæ, ſed vſu, ac nouitate inſignes, cum non niſi à prophetis, pœnitentiamque agentibus ſuſciperentur, certo modo, certaque vili & horrida materia contextæ, Philoſophica, quæ, depexa licet, ac trita, in admiratione tamen erant, pallia longe ſuperantes. taliſq; fuit Eliæ meliore, de qua ſupra, & Hebrææ c.11. Eſau pellis hirſuta: & pellis apud Zachariam hiſpida, ſeu, vt ibi vertit noſter, *pallium ſaccinum*. Hæc enim omnia ſacram quandam, in prophetarum habitu præſtantiam, &, vt ita dicam, magnificentiam, habebant, quemadmodum & vſitatæ apud Chriſtianos variorum religioſorum veſtes, Capucinorum, Carthuſianorum, Eremitarum, & ſimilium. Sed illæ, quæ materiæ & formæ præſtantiam, preciumque habent, vel ex perſonis tales intelliguntur, vt illa Niniuitani Regis Ionæ 3. vel ex hac additione *Sinhar*, ſeu, vt ſcribunt 70. & noſter Geneſ. 10. v. 10. c. 11. v. 2. *Senaar*, vbi Meſopotamia, & Babylonia ſignificatur. Vnde & in iis partibus apud Ptolemæum aliſque Geographos eſt mons *Singaras*, & oppidum *Singara* apud quam ingens illa Imperatoris Conſtantini cum Sapore Perſarum Rege pugna, de qua Eutropius, Ammianus, & Sex. Rufus à quo & Meſopotamiæ pars vocatur *Singarena*. Nam ex Hebræorum *Haim*. ſæpe fit à Græcis, & Latinis G. vti planum *in Gomorrha* & *Gaza* dum craſſius nimirum pronunciatur gutturalis. Et idcirco à quibuſdam, vt ſupra dictum vocatur veſtis, quam ſurripuit Achan, *indumentum Synar.* ab aliis *ſtola Babylonica*. non quod Babylonius Rex haberet Hierichunte domicilium, prout omnes orbis totius Reges habuiſſe, fabulatur Iudæus Raſchi: ſed quod vel illinc allata, vel eodem facta modo eſſet, ſicuti apud nos ſunt ſerica Italica, & panni Angelici, vt rectè obſeruat Abulenſis q.50. Solebant autem Babylone varij veſtibus intertexi & interpingi colores. *Babylon*, ait lib. 8. cap. 48. Plinius, *docuit diuerſos colores picturæ intertexere.* Apuleius lib.1. florid. *Habebat cinctum baltheum, quod genus picturæ Babylonicæ miris coloribus variegatur.* Martialis lib. 8. Epig. 28.

Non ego prætulerim Babylonica picta ſuperbè
Texta, Semiramia, quæ variantur acu.

Siluius libro 14.

---- fuluo certaret vt auro
Veſtis ſpirantes referens ſub tegmine vultus
Quæ radio cælat Babylon.

Lucretius lib. 4. *Cum Babylonica magnifico ſplendore rigantur.* Plutarchus in Catone hunc, ait ἐπίβλημα τῶν βαβυλωνίων ποικίλων diuendidiſſe ſtatim, cum ei ex hæreditate obueniſſet. Ioſephus lib. 7. cap. 17. τὰ ἐκ πορφύρας ὑφάσματα τῆς σπανιωτάτης τὰ δ' εἰς ἀκριβῆ ζωγραφίαν πεποικιλμένα τῇ βαβυλωνίων τέχνῃ. quæ ita cap. 24. vertit Ruffinus, *Aliæ veſtes ex rariſſimis generibus purpuræ: aliæ deli-*

gentiſſima pictura variata, arte Babylonia. Hinc à 70. A
ποικιλὴ dicta eſt. ſed ab iiſdem ψιλὴ cur dicitur? *Nimirum*, ait, Maſius, *quia paludamentum veſtis genus leue & expeditum eſt, vtpote militare. Nam ψιλοὺς vocant Græci leuis armaturæ milites.* Addendum tamen ψιλὴν adiectiuum quidem eſſe, ſed quemadmodum apud Latinos *arida*, apud Græcos eoſdem οἰκουμένη, ſubſtantiuo interdum carere, quod ſubaudiendum tamen. Sic ψιλὴν apud Theophraſtum lib. 3. κοπρίζειν, ſcilicet γῆν, *terram nudam ſtercorare.* Et ψιλαὶ ἀφοιναὶ apud Athenęum libr. 5. ſcilicet δάπιδες. *Perſici tapetes.* Rurſus vero, B
genitiuus quidam intelligitur, vt ψιλὴ δένδρων καὶ φυτῶν γῆ ψιλαὶ μαλλῶν δάπιδες. & ij, quos citauit Maſius ψιλοὶ ὅπλων. ſcilicet ex Thucydide lib. 3. Hoc igitur apud 70. loco ψιλὴ ποικίλη ſcilicet ἐσθὴς μαλλῶν ἢ ὑφασμάτων ψιλὴ, id-eſt, veſtis villis, aut texturis nuda, & colorum tamen pulchritudine variegata. Et ſic in L. Latino Græco Pariſienſi apud Briſſonium initio lib. 2. de verb. ſignif. ψιλὴ πολύμιτος.

Coccineum vero *pallium*, cur vertit noſter, cum de coccino multa ſint cap 2. dicta, in ſolo Maſij reſponſo iam acquieſcimus. *Latinos*, ait, *pro Sinar,* C
hoc eſt, Babylonico, dixit, Coccineum. Nam Perſarum, finitimarumque gentium luxum eo colore ſe oſtentare ſolere, vel inde conſtat, quod captis ab Alexandro Suſis, inuenta illic fuerint, vt refert Plutarchus quinquaginta millia pondo, ſiue talenta purpuræ hermonicæ. Quin etiam veterum Hebræorum nonnulli vt proditur in בראשית רבה in Geneſi magna, *illud* אדרת שנער Addereth Sinar, *purpuram Babylonicam*, *nonnulli*, *ſtolam rubram ſunt interpretati. Nam cocci, & purpuræ liquores eundem fere colorem rubrum efficiunt, vnde alterum* D
pro altero vſurpatum videmus apud Euangeliſtas cum veſtem deſcribunt, qua CHRISTO *tanquam Regi, conuicia faciebant impij carnifices.* Quod autem q. 50. paruum aliquid fuiſſe, veſtem hanc putat Abulenſis velut ſudarium eſt, non credo. Id enim & Hebræo nomini *addereth*, & tot iam allatis Græcis interpretationibus, ipſique adeo Latinæ aduerſum. Quis enim ſudarium vocarit *pallium, indumentum ſtolam & clamydem? At non potuiſſet Achan*, inquit, Abulenſis, *ex vrbe in caſtra rediens, veſtem eiuſmodi occultare.* Imo vero potuit E
facile. Nam ſub veſtibus ponere, valdeque conuoluere, vt locum paruum occuparet, potuit. Videmus enim ſerici, byſſique, propter tenuitatem, vlnas quam plurimas ferri, abdique poſſe non difficulter. Quia vero dixi 70. *pellis* nomine ipſum Hebræum ad *dereth* quandoque interpretari, non reticebo Babyloniorum, quæ equis inſternebantur, & Babylonicarum pellium fieri mentionem lib. 25. §. 1. ff. *de auro, argento legato*, & lege vlt. ff. *de publicanis*.

QVÆSTIO V.

Quod & quantum furatus Achan argentum?

ALterum Achanis furtum, fuit *argentum*, idque 200. *ſiclorum*, de quibus, cum varia quærantur, paucula breuiter percurram.

1. *De nomine.* Conſentiunt omnes, *ſicli* nomen eſſe prorſus ab Hebræo שקל hoc vero eſſe à verbo שָׁקַל quod eſt *appendere*, & *ponderare*, partim quia, vt in multis adhuc hodie locis, ponderari etiam ſolebat argentea moneta, partim, quia apud Hebræos hoc nummi genus, erat quaſi forma & exemplum, ad quod nummos alios omnes expenderent. Quod ſi hodierna Hebræorum punctorum ratio tenenda eſſet, *ſeclus* potius, quam *ſiclus* diceretur, contra Græcos omnes & Latinos interpretes, ipſumq; Ioſephum & Philonem.

2. *De figura.* cum magnum hodie in numiſmatum veterum inquiſitione, ac intellectione ſtudium ponatur, multi iam paſſim ſicli viſuntur, quorum argenti probi vnum vel alterum cum plumbeis aliis pluribus vidi apud Reuerendiſſimum, & Illuſtriſſimum *Iulium* Herbipolenſem Epiſcopum, doctrinarum, doctorumque omnium amantiſſimum: alterum vero itidem argenteum apud Nob. & Cl. V. D. *Bernhardum à Roſenbach.* Et prioris quidem figura eſt ab Antonio Auguſtino dial. 2. deſcripta, & depicta initio. itemque ab Aria Mont. in App. & à Bellarmino in extrema Hebræa Grammatica, Villalpando in Ezechielem, Apparatus l. 2. de ponder. diſp. 4. cap. 21. & ſequentibus: R. Azaria lib. 3. c. 56. fol. 171. b. & omnium vt opinor, primo à Guilielmo Poſtello lib. de XII. linguis, in lingua & alphabeto Samaritano. Poſterioris vero an ab aliquo expreſſa ſit forma, neſcio. ſtatuam lectori ob oculos vtramque, duas vtrique imagines dando, quaſi duas, quas habet, facies.



F In prioris facie vna eſt, calicis inſtar, Vrna illius in qua conditum manna fuiſſe dicitur. Exo. 16. imago cum Libanicis, ſeu Samaritanis literis, *Seckel Iſrael*, id eſt, *Siclus Iſraelis*, addito in calicis quaſi ore א. de quo poſtea, ſed ſecundum Bezam & Maſium ש & ס i. *Salomon Rex.* In altera eiuſdem prioris nummi facie, flos eſt, qui florentem Aaronis virgam Num. 17. Hebr. 9. ſignificare dicitur, & cum iiſdem literis *Ieruſalem Kedoſchah*, id-eſt, *Ieruſalem ſancta.* In alterius vna facie vrna eſt eadem, vel potius acerra incenſi quotidiani, prout aſcendens fumus indicat: in altera facie idem flos. ſed in vtraque inſcriptiones eædem: literis tamen Hebraicis vſitatis. Antequam tamen eſſet tabernaculum, & arca, quin alia ſicli figura fuerit, dubium eſſe non

Digitized by Google

poteſt: quin item apud alios populos alia. Nam ſicli, quos accepit Achan, Hierichuntini, annon alias habebant imagines?

3. *De antiquitate.* Nummi huius antiquitas clariſſima eſt ex Gen. 2. v. 15. dum Saræ ſepeliendæ agrum coëmit Abraham ſiclis quadringentis: ſed eorum, qui hodie monſtrantur, ſiclorum æuum neſcio an ab iis temporibus, quib. Hieroſolyma vel ſtetit vel euerſa eſt, repeti poſſit. Nam certum eſt, quoſdam, hoc ipſo ſæculo, ad vetuſtiorem aliorum imitationem, cuſos eſſe: vetuſtiores vero illos pœne ſuſpicor ante 400. vel circiter annos in his Europeis oris cudi primum cœpiſſe ad eorum quos Ptolemaide ſeu Acone vidit, & in ſuorum in Pentateuchum commentariorum fine deſcribit R. Moſes Gerundēſis, exemplar ac ideam. Arias enim Montanus hiſtoriolam, quæ hiſce illuſtrandis, non inepta, ſuo de ſiclo libro interſperſit hiſce verbis: *Narrat R. Moſes Nehemanni filius, Gerundenſis, ſe eo anno, quo illa ſcriberet in Palæſtinam ex Hiſpania, ſacrorum locorum viſendi cauſa, naui delatum Aconem, quam nunc Iacham vocant, deueniſſe, ibidemque ſibi ab incolis oſtenſum fuiſſe numinum argenteum antiquiſſimum, expreſſis tamen ſignis & literis conſpicuum, in cuius altero latere forma eſſet vaſculi illius, quod Manna plenum in ſacra arca ad ſæculorum monumentum, Dei iuſſu, & Moyſis procuratione fuerat repoſitum: & in altero ramus ille admirabilis, quem in faſciculum virgularum plurimarum Aaronis nomine illatum (cum illius ſacerdotali dignitati ab æmulis quibuſdam obtrectaretur) poſtera die populus omnis florentem, amygdalaq. explicantem vidit, inſcriptiones etiam fuiſſe in eodem nummo Samaritanis characteribus, quæ olim communes totius Iſraelis literæ fuerant ante diſceſſionem decem tribuum à duabus, lingua plane Hebraica, quarum exemplum ex altera parte erat Sekel Iſrael, quod Latine ſonat ſiclus Iſraelis: ex altera vero Ieruſalaim Kedeſſah, hoc eſt Hieruſalem ſancta: qui nummus antiquitatem cum primis magnam probabat, vtpote cuſus nomine Iſraelis, eo tempore, quo omnes duodecim tribus communi concordia Iſraelis nomen obtinebant: quoq. Hieroſolyma ipſis omnibus regia vrbs ſanctaque erat, eademq. communis omnibus & religionis & publicæ rei, & monetæ, atque literarum ratio, quæ poſtea diſceſſione facta alia, atque alia vtrique parti fuit. Namque Iudæi, vt omnes fere ſcriptores aſſerunt, ne cum ſchiſmaticis Iſraelitis vllo ſacrorum vſu communicarent, eam literarum formam, quæ nunc etiam in vſu eſt, hoc eſt quadratum mutatis valde characteris prioris figuris, adinuenere.* Si tamen Ptolemaide, vel ex alia Palęſtinę parte vlla, huc aduolarunt ſicli, quanto antiquiores, tanto certiores, harumque rerum ſtudioſis gratiores.

4. *De pondere.* Scripſerat in Exod. 39. Iudæus Raſchi, ſicli ſemunciale pondus eſſe: ſeu ſiclum ſemunciam eſſe. At ei aſſentiri, ſcribens in eundem locum grauabatur citatus iam R. Gerundenſis. E Palæſtina tamen reuerſus, ſuam correxit opinionem, & ſingularia quadam ad commētariorum ſuorum finem diſputatione, priori illi Rabbino ſubſcripſit. Ait enim ſe in libellam ſiclum impoſuiſſe ac diligenter expēdiſſe, omninoque ſemuncialem comperiſſe. Atque hæc omnium hodie recepta ſententia eſt, quæ ex ſequentibus magis adhuc explicabitur, & confirmabitur.

5. *De indicatura*, ſeu *precio*, & valore. Ioſephus libro 3. capite 9. ὁ σίκλος νόμισμα Ἑβραίων ὤν, Ἀττικὰς δέχεται δραχμὰς τέσσαρας. *Siclus*, ait, *cum ſit Hebræorum numiſma, capit drachmas Atticas quatuor.* Idemque repetit libro 7. Captiu. Diuus Hieronymus in Ezechielem capite 4. libr. 1. *Siclus*, ait, *id-eſt, ſtater habet drachmas quatuor. Drachmæ autem octo Latinam vnciam faciunt.* Hinc vero fieri poteſt ſicli, ad Romanorum aliorumque populorum monetam quamlibet comparatio. ſed quod huic loco ſatis eſt, dico ſiclum valere Germanicos batzios 8. Belgicos cruciferos 14. Hiſpanicos regales 4. Iulios Romanos 4. Venetos Mocenigos 2. Gallicos ſolidos, ſecundum Lyranum, duos id eſt, 24. Turonicos paruos, ſecundum eundem Lyranum in Exodum, qui ab omnibus refutatur: ſecundum Bud. lib. de aſſe ſolidos XIV. ſed hoc verum ipſius tempore inquit loco citando Maldonatus & Malius. Solidos Gallicos hodiernos XX. ait Maldonatus in Matth. 17. num 24. francum vnum ait idem ibidem Maldonatus. Sed contra iſta eſt pergrauis vna & altera obiectio, quod 70. hic & alibi ſiclum δίδραχμον vocent, itemque D. Epiphanius libro de ponder. & menſuris. Deinde Diuus Hieronymus in Geneſ. 24. & Iſidor. libr. 16. cap. 24. ſiclum aiunt eſſe vnciam. Reſpondebitur oportunius non multo poſt.

6. *De nominibus aliis.* Iam ex D. Hieronymo in Ezechielem audiuimus vocari etiam *ſtaterem*, & clare patet Matthæi cap. 17. *Vbi duo didrachma*, id eſt 4. drachmas ſiue ſiclum, exigerent à CHRISTO Domino & S. Petro Capharnaitæ portitores, datus è piſce capto fuit *ſtater*, & idcirco pro ſiclis hoc Ioſuano ca. 7. poſiti à Symmacho *ſtateres.* Rurſum vocatur ἀργύριον *argenteus* à noſtro interprete Gen. 20. verſ. 14. libro II. Regum c. 18. pro quo lib. 7. Ant. Ioſephus *ſiclum* ponit, itemque Chaldæus. De Xenophonteo ſiclò poſtea.

7. *De partibus* 1. minima ſicli pars vocatur *gerah* & tales in illo fuerunt 20. vt habetur Exod. 30. verſic. 13. Leuitici 27. Num. 3. verſu 47. Ezechiel. 45. verſic. 12. & 25. vbi 70. & noſter vertunt *obolos*. ſed hi accipiendi ſunt Hebraici non Græci, quia horum 48. faciunt vnciam. ideoque 24. ſemunciam, ſiue ſiclum. Et obolo Attico erat Hebræus quinta parte maior. A gerah ducit Arias loco citato Arabicum *cerath.* quod tamen à Græcis Medicis eſſe poteſt, apud quos κεράτιον & κερμάτιον. 2. pars altera maior 1. Reg. c. 9. ver. 8. *Rebah ſchekel caſeph*, id-eſt, ſicli argentei quadrans: drachma ſcilicet vna, batzij duo, regalis vnus. 3. maior pars Neh. 10. verſu 32. *ſchebiſchith haſſchekel.* triens ſiue tertia pars ſicli. 2. batzij, 4. nummuli ſeu pfenningi & duorum pfenningorum vna tertia. 4. pars Exod. 30. verſu 13. & 15. *Machaciſith haſſchekel*, id-eſt, dimidium ſicli, didrachmum ſcilicet, duo regales, 4. batzij. Et notandum Gerundenſem ſupra citatum Rabbinum docere loco citato, ſibi Acone oſtenſum fuiſſe numinum eiuſdem cum ſiclo integro figuræ, ſed ponderis dimidiato minoris, qui non *ſchekel*, ſed *chatſi ſchekel*, id eſt, dimidiatus ſiclus eſſet.

8. *De ſicli diuiſione.* Tripliciter ſolet ſiclus diuidi. *Primò ex materia*, vt alius ſit argenteus, alius

alius æreus. Omnia enim metalla ſuos, ad quos expenderentur, habuiſſe ſiclos dicunt aliqui. *Secundò ex vſu*, vt alius ſit ciuilis ſeu communis: ſacer alius. *Tertiò ex ſcriptoribus*. Nam ſi ſit apud Prophetas, eſt minæ vnius: ſi apud alios, eſt ſemuncialis, vt ſupra dictum. Ita Raſchi in 1. Reg. ca. 17. verſu 7. De argenteo dictum hactenus, & ſæpe in ſcriptura diſerte ipſi additur *argenti* nomen Gen. 23. verſu 16. Leuit. 27. 3. Num. 18. 16. Deut. 22. & 29. 2. Reg. 18. verſu 11. cap. 24. 3. Reg. 10. verſu 29. Et, vt alia omittam, in hoc ipſo capite. *Aurei* vero mentio Num. 7. 14. cap. 18. verſu 86. Iud. 8. verſu 26. 3. Reg. 10. 1. Paral. 21. 25. *Æreus* eſt 2. Reg. 17. verſu 5.

9. *In prima diuiſione*. Arias Montanus lib. de ſiclo, contendit nullum fuiſſe aureum, vel æreum propriè, quoad materiam ſcilicet: ſed tantummodo dici aureos vel æreos; quando alterius, aut monetæ, aut rei materia quidem eſſet aurea, vel ærea, pondus tamen habebat tantum, quantum efficiebant argentei ſicli tot, aut tot. Alij vero cenſent auream quidem ſiclum extitiſſe, qui magnitudine quidem argenteo eſſet æqualis pondere duplo grauior, valore decuplo melior, ita vt valeret drachmas 40. batzios 80. ſed prior illa opinio videtur ex hoc ipſo Ioſue cap. 7. verſu 21. recte probari. Nam tertium Achanis furtum erat, vti poſtea dicetur, quoad materiam aureum, & tamen in Hebræo additur, *pondus* eius fuiſſe *ſiclorum* 50. Sed ipſemet opinionis huius auctor argumenta ei ſuggerat. *Non*, ait, *putamus auream monetam aliquam fuiſſe, quæ ſiclus diceretur, neque æream etiam, quanquam non inficias iuimus, fuiſſe aureas & æreas monetas, verum aliis nominibus dictitatas, vt de nonnullis poſtea explicabimus. Quoſdam etiam aureos nummos vicenum ſiclorum, quoſdam vicenum quinorum, alios quindenorum in vſu fuiſſe, quæ minæ partes dicerentur, vt exponit Cambius in Ezechiel. 45. 12. ſed certum auri vel æris ſiclum eodem nomine dictum, non facile in antiquorum libris agnoſcimus: ſed cum de ſiclo auri, aut argenti ſcripturæ meminerint, pondus ipſum, non valorem eſſe æſtimandum arbitramur, cuius rei exempla aliquot ſatis aperta ſubiicimus in lib. Num. 7. 87. Cochlearum aureorum pondus fuiſſe denum ſiclorum in ſingula cochlearia, quæ noſter interpres mortariola vertit. Quo loco non de valore auri, ſed de pondere omni, ex ſicli ratione cognoſcendum indicatur: Nam ſi, vt quidam volunt, ſiclus auri eſſet, & tantum valeret ſiclus aureus, quantum argenteus, hoc eſt minus auri pondus, quantum videlicet ſicli valorem æquaret, Siclus aureus valeret quatuor drachmas argenteas, & pōderaret ad ſummum duo Gerah, hoc eſt grana ſiliquæ duo. Totum igitur cochlear eſſet viginti granorum argenti, hoc eſt ponderis quatuor drachmarum. Quantum autem poterat eſſe cochlear huius materiæ, quantumue thuris caperet eiuſmodi cochlear, cum ſcriptum ſit, & mortariolum aureum appendens decem ſiclos plenum incenſi, quatuor vel etiam duo thuris grana cochlearis dimidiæ vnciæ acceptabulum implere abunde poſſent. Quamobrem ſingulorum cochlearium materiam auream denos ſiclos, hoc eſt quinas vncias ponderaſſe interpretamur. Ex quinis autem auri vnciis vix ſatis commoda cochlearia fieri poſſunt: quandoquidem non magna ſunt, quæ nobis in vſu ſunt argentea cochlearia; binarum vnciarum cum dimidia, quantum argenteæ materiæ cum quinque auri vnciis collocatum, conuenit. Atque iſta apertis verbis ſcriptura ipſa ſignificat non de valore cochlearium, ſed ſe pondere auri, illo in loco agi, ſic enim ex verbo legimus, in deſcriptione ſingulorum cochlearium. Et cochleare aureum appendens decem ſiclos. Et in fine capitis, cum ſumma omnium ſubducitur. Cochlearia aurea duodecim plena thure, id-eſt ſimul auri ſicli centum viginti, pondere ſanctuarij: vt præcedenti verſu eſt annotatum in eodem capite. Illud etiam ſummum auri pondus, quod ex diuerſis numerum ſpeciebus collocatum eſt, ad ſedecim millia ſeptingentos & quinquaginta ſiclos, ſic eſt intelligendum de pondere, non de valore auri. Nam alias ſi valor auri tantum in illo loco indicaretur, non ſatis magna præda eſſet, mille ſexcenti & ſeptuaginta quinque ſicli, ex numero pugnatorum, quos tribuni, & centuriones habuerant, ſub manu ſua, nullo excepto, à quibus recepta fuerant monilia omnia aurea, hoc eſt periſcelides, armillæ, annuli, dextralia, murenulæ, ex tanto fœminarum & virorum numero capto, in quo inuentæ ſunt virgines triginta duo mille. locus eſt in lib. Num. 31. 5. Illam etiam laminam auream, quam Ghacham ſibi ex anathemate ſubreptam confeſſus eſt, quinquaginta ſiclorum ponderis, non æſtimationis rationibus interpretamur. Nam ſi æſtimatione ſiclorum argenti exponamus, vix laminam inueniemus, dici, poſſe, quæ quinque ſiclis, hoc eſt duabus vnciis cum dimidia æqualis pondere ſit, ſatis enim parua auri portio duas vncias cum dimidia ponderat. Et illæ inaures Gedeoni ex ſpoliis Iſraelitarum oblatæ ad hanc rationem ſunt referendæ; vt omnium ſimul vinctarum pondus fuerit mille & ſeptingenti ſicli; hoc eſt, vnciæ octingentæ, & quinquaginta auri, quæ ſumma eſt fere ſex mille octingentorum aureorum communium quos noſtro tempore coronatos vocant. Iud. 8. 25. Aurum etiam, quo candelabra facta ſunt, in pondere expenſum ſcribitur 1. Paral. 28. 15. Atque hoc modo ſiclorum, hoc eſt ſemunciarum ratione omnia auri & argenti pondera exponenda videntur, niſi aliter expreſſe indicatum fuerit. Eodem quoque modo quinquagenum ſiclorum fuiſſe intelligimus, vncinos ex auro ad valuas templi continendas factos. Neque enim minores ferre pondus valuarum vertendarum poſſent. locus eſt 2. Par. 3. 10. Illa porro quæ de ferri chalybis & æris ponderibus aliquando in ſcripturis leguntur ſacris, vbi ſiclorum nomine ſignificantur, ad hanc etiam rationem, ſunt à nobis omnino referenda.*

10. *In ſecunda diuiſione*. Omnem ſiclum eſſe ſacrum, ſiue *ſanctuarij*, vult eodem lib. Arias, idque probari poteſt. *Primò*. Ex citatis inſcriptionibus. *Secundò*. Quia alius eſſe valor deberet ſacri & communis. At nulla è ſcripturis vel antiquis differentia inueniri poteſt. Nam quod aliqui dicunt ſacrum eſſe 4. drachmarum, alterum duarum, id refellitur ex ipſis 70. qui diſcrimen hoc non agnoſcunt, ſed vbi etiam de ſacro agitur, vertunt *didrachmum*, vt Exod. 30. *Tertiò*. Quia antequam eſſet ſanctuarium iam vſitatiſſimus erat ſiclus, vt ſupra patuit ex Geneſ. 23. *Quartò*. Quia vbicunque in ſcriptura agitur de ſiclo iuxta menſuram ſanctuarij, vt Exod. 30. verſu 13. Leuit. 27. verſu 25. tantum valet, atq; ſi diceretur *menſura bona*, & iuſto pondere. Nam Hebraice eſt *beſechel haccodeſch*, id-eſt, in ſiclo ſanctitatis, qui ſanctitati, aut ſanctuario conueniat, ideoq; integer & probatus ſit. *Quintò*. Quia neq; D. Hieronymus, neque Ioſephus diſtinctionem vllam faciunt, ſed vniuerſe dicunt, ſiclum eſſe 4. drachmarum vti ſcilicet vidimus.

E contrario tamen multi volunt *ſacrum* fuiſſe, A qui drachmas 4. penderet: ciuilem, qui duas. & illum quidem dici ſacrum, quod eius vſus eſſet in rebus ſacris, vt cum alicuius in ſacris tabulis, nomen referebatur. Exod. 30. cum rerum quarundam Deo debitarum redemptio fieret. Ita è Catholicis Pagninus in verbo שקל, Maſius hoc loco, Pererius in Geneſ. 20. verſu 14. Ribera in Amos 8. Couarruuias li. de veterum numiſmatum collatione cap. 2. n. 9. ex Nouatoribus vero Iunius Geneſ. 23. & Exod. 30. Beza in Matt. 17. Georgius Agricola lib. 2. de pondere B monetarum, Molinæus tract. de contractibus q. 100. num. 795. Sed nulla iis ratio, niſi quod dicant, idcirco addi alicubi, *ſiclum ſanctuarij*, vt ab altero diſtinguatur. Verum id iam aliter expoſitum. Et addo quoſdam tradere, fuiſſe in ſanctuario ſiue templo conſeruatum ſiclum, vnum, ad quem ſi controuerſiæ quid incideret, examinarentur alij omnes tanquam ad Lydium lapidem. quemadmodum Romæ ſeruabatur *pes*.

11. *In tertia diuiſione. Mina*, ſeu *Mna* interdum quidem *pro ſchekel* vſurpatur apud Paraphra- C ſtem Chaldæum Eſd. 2. 69. Neh. 7. 70. & annotat Radak 2. Par. 9. 16. Talmud tractatu Nezichim cap. 4. Interdum *pro libra*, quæ vncias 12. id-eſt, 24. ſiclos continet, & ſic apud Latinos: Interdum pro libra, quæ apud Priſcianum 75. drachmas. Apud Plinium lib. 21. drachmas 100. complectitur, vt ait lib. 1. Budæus, ſiue 100. denarios, & ſic libra eſt in Chaldæo 1. Regum 3. 17. Ierem. 3. 9. Et Elias Thiſbi. *Quartò*. Denique apud Ezechielem cap. 45. habet Mna ſiclos 60. qui faciunt obolos 1200. vt ibi ait S. Hieronymus. Si igitur *ſiclus propheticus* D pro *Mna* ſumitur, pro quanam iſtarum iam dictarum? Baronius quidem Reuerendiſſimus, cum de Christi Domini venditione, quæ argenteis 30. facta eſt, diſſerit tomo 1. hanc amplectitur expoſitionem, & eam ego ſecundum 4. Propoſitarum Mnæ ſignificationum ſecundam expoſui in *Iuda* Num. 6. Improbant tamen Arias lib. citato, Soarez tomo 2. fol. 406. Et certe pro ea firmi nihil afferri poteſt.

12. *Quomodo 70. ſchekel*, hic & Exod. 30. alibi, *διδράχμον pro ſiclo verterunt*? Qui aureum & E ciuilem ſiclum ab argenteo & ſacro diſtinguunt, expediiſſe hunc nodum ſeſe putant, ſi dicant, aureum & ſacrum eſſe 4. drachmarum. Sed aduertere oportebat, vbi etiam de ſacris & argenteis agitur, verti ab illis διδράχμον. & cur ne ſemel quidem τετράδραχμον? Arias Mõtanus lib. cit. & fere Maſius hoc loco fol. 135. putare videntur ignoratione quadam lapſos 70. ſed abſit. In nobis maximam potius, quam in illis minimam, fateor inſcitiam. Duo tamen mihi nunc videntur. I. Præpoſitam fuiſſe ipſi drachmæ literam delta, quam quatuor ſignificat: F ſcriptumque in 70. fuiſſe δ. δραχμῶν vel δ. δραχμὸν, id-eſt, τετράδραχμον, & ex iis per iota litterulæ appoſitionem factum à Librariis διδράχμον. Nam *Primò* ſecundum vſitatam numerandi alphabeticam rationem δ. δραχμαὶ ſunt τετράδραχμον, ſeu drachmæ 4. & perfacilis fit hæc errãdi occaſio. *Secundò*. ſolet Ioſephus ſequi 70. & tamen διδράχμον pro ſiclo dicit nunquam. *Tertiò*. idem Ioſephus in fine lib. 3. ait, famis tempore frumẽti aſſaronem væniiſſe ὡς τεσσάρων δραχμῶν. vbi ſi breuius ſcriptum fuiſſet, δ. δραχμῶν, putaſſet imperitior quiſpiam, ſignificatum διδράχμον. II. In 70. conſiderandam loci & temporis, vbi & quando ſcripſerant, circumſtantiam. Illic enim & tunc, drachmam vnam parem Atticis duab. fuiſſe, ſicque idem eſſe διδράχμον apud ipſos, quod poſtea fuit τετράδραχμον. Nam huiuſmodi monetarum pro locorum & temporũ varietate videmus varietatem plurimam & in hodiernis & in antiquis. In *Mina* iam patuit & libra: quid in Latinorum *aſſe*? in Hebræorum *ſeluch*? Nonne aliquando ſiclus eſt, vt apud Chaldæum Gen. 23. Exo. 31. & 38. aliquãdo ſiclus duplex in Thalmud tract. de votis c. 43. & de angulo c. 8. & de decima ſecunda c. 2. Qui vel erratum non 70. ſed manuariorum ſcriptorum vel loci, temporiſq; diſcrimen non cogitarunt, ij de ſiclo ſecus quam res habet ipſa, ſenſerunt, vt loco citato Epiphanius, & alij. In D. autem Hieronymo, & Iſidoro citatis locis, ſiclus non vncia, ſed ſemuncia eſt, vti notauit Antonius Auguſtinus lib. 2. emendationum c. 8.

13. *Idemne ſiclus & ſiglus apud Xenophontem lib.* 1. Anabaſeos? Nominum aliqua ſimilitudo eſt, & poſterius forte à priori eſt: indicatura tamen diuerſa. Nam eodem Xenophonte auctore, pendit *ſiglus* Atticos obolos VII. & dimidium, Heſychio VIII. qui addit nummum eſſe Perſicum & Sardinianum. At *ſiclus* obolos habet 24. Atticos, vt ſupra dictum eſt.

14. *Quæ tandem argenti ſumma, quam ex anathemate ſurripuit Achan*? Conficiunt, ait Maſius, *ducenti ſicli daleros iuſtos Germanicos centum. Iuſtos dico non quales paſſim cuduntur tam diluta temperatura, vt chryſurgica non poſſit citra conſiſtere: ſed quales ſuperiore ætate D. Ioachimi imagine ſignari ſolebant*. Si de florenis vero noſtratibus agatur ſeu Francofurtenſibus, quorum ſinguli æſtimantur batziis XV. furtum Achanis fuerit florenorum 106. & 10. batziorum.

QVÆSTIO VI.

Quidnam, & quantum ex auro furatus Achan?

Tertium Achanis furtum ex auro fuit, *regula* ſcilicet, vt habet noſter textus *aurea* 50. *ſiclorum*. Sed quidnam hæc *regula* ſit, nõ eſt vniuſmodi ſententia. Nam in Hebræo vocatur *laſchon*, id-eſt, *lingua*, & in Græco ſimiliter γλῶσσα. Linguamque retinet S. Ambroſius lib. 2. officiorum c. 26. Et Abulenſis quidem Latinũ ſimpliciter ſecutus textum, putat ad quidpiam dirigendum *regulam* fuiſſe. ſed quænam talis cum lingua regulæ ſimilitudo? Et quæ res illæ tam precioſæ, quas aurea dirigeret regula? *Secundò*. Radak apud Pagninum verbo *Laſchon*, *virgam* interpretatur auream inſtar linguæ. Sed qualis & cuius rei virga iſtiuſmodi? *Tertiò*. Rabbi Eliezer cap. 38. ait, *idoli* cuiuſdam *linguam* fuiſſe auream, ante cuius pedes fuerit etiam, honoris cauſa, tam veſtis illa precioſa, quam 200. ſicli, de quib. dictum hactenus, oblati. Eſt hoc quidẽ incertum, fieri tamen potuiſſet, vt idolum iſtiuſmodi aliquod eſſet cui lingua ideo daretur

aurea, vel quod eſſet eloquentiæ præſes, vti *de Mercurio & Hercule Gallico*, è cuius ore apud Lucianum catenæ tot aureæ prodeunte, fabulati ſunt Gentiles, vel quod oracula ederet proſpera & fælicia, vt apud Herodotum nonnulla. *Quartò.* Maſius *gladiolum* fuiſſe autumat aureum, quo Deum aliquem ſuum armarāt Hierichuntij, quia vetuſtiſſimus Poëta Næuius, gladiolum etiam *lingulam* vocauit, vt teſtatur Gellius. Sed cum priorem Rabbi Eliezeris expoſitionem vocet Maſius Iudaicum ſomnium, non video qui ſeipſum. non dicat etiam ſomniare. Nam eſto ſit interdum *lingula* gladiolus, num ideo ſtatim hunc idolo cuipiam alligabimus. An opulenti, nobilis, & regij alicuius pueruli gladiolus eſſe non potuit? An nō viri etiam pugio? vel etiam breuior gladius, de quo in Iudic. cap. 3. Cum enim Hebraicum nomen lingulam vere ſignificet, hoc in Rabbinorum expoſitione poteſt ſomnij tantummodo inſimulari, quod idolo illam affigant. *Quintò.* Ioſephus *μάζαν* libro quinto capite primo vertit. Sed cum Græcis *μάζα*, ſit *offa*, vel *farina oleo & aqua commiſta*, vel *polenta*, & quaſi puls, vel hordeacea quædam maſſa pane ipſo vilior, vt ex Heſychio, Athenæo, Xenophonte, aliiſque patet, quomodo *aurea* eſſe poteſt. Explicabo hunc Ioſephi locum, qui mihi aliquando non facilis. Moris in Oriente fuit auri, argentique maſſas quaſdam, iis appellare nominibus, quibus certum panis pondus & figura nominabatur. Quam enim Interpres noſter *panis tortam* vertit 1. Regum 2. verſu 3.6. & capite 10. verſu 4. 1. Paralip. 16. 3. Ieremiæ 37. 20. in Hebræo eſt *cicar*, & Iudic. 8. v. 5. panes in Hebræo *cicceroth*. Quis vero neſcit cicar etiam eſſe *talentum*, & auri, argenti, æriſue maſſam pani alicui ſimilem. Exodi 25. v. 28. cap. 37. verſu 24. 3. Regum 9. verſu 14. capite 20. 39. 4. Regum 5. verſu 21. cap. 15. 19. cap. 18. verſu 14. cap. 23. 33. & alibi? Atque hoc etiam modo *tortæ, caricæ*, aut *ficus* dicebantur *cicar ficuum*, aut *caricarum*, vt eſt in Thalmudicis *Miſuaioth*, tractat. de *Chelaim* cap. 2. Sic & à Latinis *maſſæ* nomen acceptum, & ab Hiſpanis hodie cera, expreſſis iam fauis, conformata & durata; *panis ceræ* vocatur. *Aurea* ergo *maza* Ioſepho eſt auri fruſtum & maſſa panis vel durioris pultis, ac polentæ inſtar efformata, & grauis, prout & à Theodoreti vertitur Interprete. Et tanto fortaſſe hoc *maza* vocabulo vſus eſt Ioſephus libentius, quanto accedit ad Hebraicum משא *maſſa* propius, quod eſt onus & pondus. Numero. 4. verſu 14. 19. & 23. 26. cap. 11. v. 11. Deuteron. 1. v. 12. Iſai. 46. v. 1. 2. Reg. 15. v. 32. Pſalm. 37. verſu 5. & Iſaiæ 30. verſu 27. Sophon. 3. verſu 18. Solet enim Ioſephus Hebræa non raro nomina Græco donare pallio. Sed an condonandus ei error, quo *maſſæ* huius pōdus ait 200. fuiſſe ſiclorum? Confundit enim tertium cum ſecundo furto, & manifeſte tam Hebraicum, quam Græcum textum deſerit, qui tria hæc accuratè diſtingunt. Multo autem ignoſcendum minus veteri eius Interpreti Ruffino, qui ne huius quidem aſſecutus mentem, cum primo etiam tertium hoc miſcet, quaſi forent omnia vnicum, & perinepte vertit ſic. *Dum inueniſſet Achar clamydem regiam totam auro contextam, habentem auri mazam, hoc eſt, ſiclorum pondo ducenta. Sextò.* Interpretatur hoc loco Vatablus, *auri laminam.* & placet primo, quia cum Ioſepho conuenit. Nam *primo auri maza*, inſtar alicuius laminæ eſt. *Secundò.* Quia Interpretis Latini videtur, eadem fuiſſe mens, vt verterit non *regulam*, ſed *tegulam. Tertiò.* Quia ſic optime ſignificatur aurum hoc ab Achane ſurreptum, fuiſſe adhuc rude, non ſignatum, & in nummos redactum, ſed fruſtum, & maſſam, pondere ac figura, mazæ, laminæ, tegulæque aſſimilem. *Quartò.* Quia huiuſcemodi laminarum, & tegularum eſt nonnulla cum linguæ forma ſimilitudo. Ob quam etiam *petras & ſcopulos* videmus aliquando in ſcripturis *Leſchonim* linguas vocari Iſai. 11. verſu 15. & cap. 15. verſu 2. & 5. itemque *flammam* Iſai. 5. verſu 24. *Quintò.* Quia non poſſunt hanc interpretationem arguere Nouatores. Nam & ex iis tacet omnino, neque vocem hanc in commentario ſuo explicat Caluinus, Chytræus vero ait eſſe *Laminam*: Iunius in annotationibus *laterem*, qui prorſus cum Interpretis noſtri *regula* congruit. *Sextò.* Quid quod quaſdam interdum domos & templa tegulis tecta fuiſſe aureis legimus? Quod vero in textu noſtro additur, fuiſſe *tegulam hanc 50. ſiclorum*, in Hebræo ſic exprimitur, *quinquaginta ſicli pondus eius*, ſeu quæ pendebat 50. ſiclis. *Poteſt* autem hoc *dupliri*, ait Maſius, *ſententia intelligi, vel quod id linguæ aureæ pondus fuerit, vt valeret quinquaginta ſiclis argenteis: vel quod quinquaginta ſtateras pependerit. Si illam ſententiam ſequimur, viginti quinque dalerorum, ſi hanc trecentorum fuerit eius precium. Mihi poſterior videtur eſſe credibilior.* Recte. ſecundum ea, quæ paulo ante dixerat ex Platone in Hipparcho, auri ſcilicet ad argentum proportionem eſſe duodecuplam, ita vt, verbi cauſa, tantum auri pondus, quantum eſt ſiclus vnus valeat quantum 12. ſicli. Et hinc inter duos ſcripturæ locos, qui diſcordes admodum videntur, concordiam ſtatuit. Nam ſecundo Regum vltimo dicitur Dauid ab Areuna Iebuſæo aream emiſſe ſiclis 50. at 2. Paralip. 21. verſu 25. ſiclis 600. *Quinquaginta*, inquit, *Sicli aurei ſexcentis argenteis ſiclis æquè pares erant precio.* Ergo cum & maſſa hæc fuerit aurea, & pondere dicatur æqualis argenti: ſiclis 50. dicendum erat eius precium fuiſſe 600. ſiclorum, ſiue, vt ex ſupradictis apparet, 300. dalerorum ſimplicium, ſeu, vt loqui mauult Chytræus, Ioachimicorum. At communis & recepta iam opinio eſt, auri pondus ad argenti æquale pondus, eſſe precio decuplum, vt explicant citatis libris Couarruuias, Arias, alij. *Tegula* igitur hæc fortuita, cum aurea fuerit, & 50. ſiclorum argenteorum pondus habuerit, *precium eius æſtimandum* 500. *ſiclorum argenteorum*, id-eſt, 250. *dalerorum ſimplicium.*

QVÆSTIO VII.

Quonam ad furta iſta modo inductus Achan?

IN Hebræo verba leguntur tria, quæ ſi vocem ſpectes, fututa quidē ſunt. Sin Hebræam

phraſin,& particulæ, *Primò, Ve*, quæ *tranſitiua* dicitur, vim, præterita, & verti ſic poſſunt: *Vidi, concupiui, abſtuli.* Et horum trium priora duo demonſtrant,qui quæritur,modum, quo ad furta iſta præceps actus Achan. Nam rerum, in quas concupiſcentia noſtra prona eſt, aſpectus, primus eſt ad lapſum gradus. Illo enim hæc quaſi ſopita excitatur, incẽditur, prolicitur. omnemque modum & viam quærit, qua eo, quod aſpectu concupiuit, potiatur. *Ignoti nulla cupido*: &, vt aiunt Græci, *ἐκ τοῦ ὁρᾶν τὸ ἐρᾶν*: *ex ipſo videre eſt amare.* Atque hoc quidem Achanis exemplum in auaritia, nimiaque fluxus huius mundi opes habendi cupiditate cernitur: ſed in aliis etiam peccatorum generibus, quanta viſus illecebra? omnium tamen maxime, in carnis concupiſcentia & libidine:

—vtique videndo fœmina,

Dixit quidam: & rurſum,

Vt vidi, vt perij, vt me malus abſtulit error.

Plena huiuſmodi exitiorum poëſis pœne tota, & non raro vetus, ac recens hiſtoria. Sed omiſſis aliis omnibus, vt alieno fiamus cauti periculo, noſtra relegamus. Vnde humani generis prima quaſi pernicies? vnde malorum, quibus miſeri aſſidue conflictamur, primus veluti fons & origo? Reſpondet Gen. lib. c. 3. verſu 6. *Vidit mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit.* Vnde vero triſtiſſima ſupra montium omnium vertices aquarum inundatio, mundique totius, hominibus VIII. exceptis, miſeranda ſubmerſio? *Videntes*, ait idem liber c. 6. verſu 2. *filij Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus, quas elegerant.* Vnde Sichemitarum clades, omniumque ſimul internecio funeſtiſſima? *Dinam filiam Iacob cum vidiſſet*, ait idem liber cap. 34. verſ. 2. *Sichem filius Hemor Hettæi, princeps terræ illius, adamauit eam, & rapuit, & dormiuit cum illa, vi opprimens virginem.* Vt caſtiſſimum, innocẽtiſſimumque Ioſeph mendaciſſime calumniaretur Ægyptia Phutipharis Principis vxor, è domo cum dedecore, & infamia eiici, teterrimum in carcerem, magno cum cruciatu compingi nequiſſime curaret, cauſæ quidnam fuit? *Erat*, vt idem refert liber cap. 39. verſu 6. *Ioſeph pulchra facie, & decorus aſpectu. Poſt multos itaque dies, iniecit Domina oculos ſuos in Ioſeph: dormi mecum.* Dauidem vero Regem & Prophetam, quænam è tanto ſanctitatis, diuinorumque chariſmatum culmine ad caſum impulit res? Quid tãdem eius virtutem, conſtantiam, grauitatem indigniſſime, fœdiſſimeque deturbauit? *Accidit*, inquit Regum liber 2. cap. 11. verſu 2. *vt ſurgeret de ſtratu ſuo poſt meridiem, & ambularet in ſolario domus regiæ, viditq́ mulierem ſe lauantem ex aduerſo, ſuper ſolarium ſuum: erat autem mulier pulchra valde. Miſit ergo Rex, & requiſiuit, quæ eſſet mulier.* *Nunciatumque eſt ei, quod eſſet ipſa Bethſabee filia Eliam, vxor Vriæ Hethæi. Miſſis itaque Dauid nunciis tulit eam, quæ cum ingreſſa eſſet ad illum, dormiuit cum ea.* Sed quot & quanta deinceps alia peccata? quot & quantæ clades: quanta calamitatum maximarum ilias. Hinc lachrymis ſtratum poſtea ſuum rigabat. Hinc ad Dominum clamabat, *Auerte oculos meos ne videant vanitatem*, Pſ. 118. verſ. 37. *Et oculi mei ſemper*

A *ad Dominum.* Pſalm. 24. verſ. 15. Hinc eius admonebat ſapientiſſimus filius, Prou. c. 4. verſ. 25. *Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos.* Et poſtea cap. 23. verſu 31. *Ne intuearis vinum, quando flaueſcit, cum ſplenduerit in vitro color eius.* Quid ita? *Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur peruerſa.* Et ſapientia æterna Matt. c. 5. verſu 28. *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Quod ſi oculus tuus dexter ſcandali-*
B *zet te, erue eum, & proiice abs te. Expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam.* Qui aduerſus igitur libidinum tela, terrenarumque rerum flammas munitum, clauſumque pectus habere, in virtutis gradu firmus, immotuſque ſtare. Dei Opt. Max. præceptis anteponere voluerit omnia, is in primis oculorum ſuorum curam gerat: clauſos eos teneat: formis quibuſcunque nunquam adiiciat. Hebræorum parœmia eſt, *Oculus & cor peccati proxenetæ ſunt*, prout Hebraice refert in Thiſbi verbo *Sarſour* Elias Leuita, & Chaldaice
C in Pſal. 100. Radack. Pulchra eſt Socratis apud Xenophontem lib. 1. memorabilium, comparatio corporearum, formoſarumque rerum cum phalangiis. Hæc animalcula ſunt, ne ſemioboliaris quidem magnitudinis. ſi tamen ea hominibus os admouere accidat, incredibili eos dolore afficiunt, è mentis ſtatu deturbant, emori faciunt, vt lib. 2. c. 17. Alexander ab Alexandro, & in variarum lectionum lib. 14. c. 6. annotat Muretus. At idem, & multo quidem pernicioſius, tectius, & citius faciunt viſæ hominum quorundam ſpecies, auri & argenti fulgor, ve-
D ſtium, aliarumque eiuſmodi magnificentia. Accipe illius verba. *Nonne*, inquit, *noſti hoc ipſum animal, quod pulchrum & formoſum appellant, vel hoc nomine phalangiis eſſe terribilius, quod hæc tactu ſolum, illud vero etſi non tangat, ſed ſi quis ipſum aſpexerit ſolum, immittit etiam aliquid eminus eiuſmodi, quod inſaniam ciere poſſit. Fortaſſis & cupidines idcirco ſagittarij dicuntur, quoniam ſpecioſi à longinquo etiam vulnerant. Proinde conſulo tibi, ô Xenophon, vt cum formoſum aliquem videris, fugias quantum potes, ita vt ne reſpicias quidem.* ita ille: & ex hoc eodem ipſo quem ita monuit Socrates, citat lib. de amore
E Plutarchus hæc. *τὸ μὲν πῦρ τοὺς ἁψαμένους καίει μόνον, οἱ δὲ καλοὶ καὶ τοὺς μακρὰν ἑστῶτας ὑφάπτουσιν. Ἡ γὰρ ὄψις, λαβὴ τοῦ πάθους ἐστί*, id-eſt: *Ignis quidem eos tantum qui ipſum contigerint, adurit: formoſi verò eos etiam, qui procul abſtiterint, accendunt. Eſt enim aſpectus perturbationis huius*, amoris nimirum, *anſa.* Et à Philoſophorum vulgo dicitur, *obiecta mouent potentias*: ab aliis autem, *occaſio facit furem.* Si tamen vel caſu, vel neceſſitate quadam huiuſcemodi res viderit aliquis, proximum eſt, vt concupiſcentiam frænet. *Radix omnium malorum cupiditas.*
F Timoth. 6. vbi hæc ipſa, quæ Achanem decepit, *cupiditas* ponitur *ἡ φιλαργυρία.* Caſſiodorus libro 12. fol. 261. *Reginam procacium vitiorum, auaritiam fuge.* Ipſe quidem ad concupiſcendum vim affert maximam aſpectus: cogere tamen non poteſt. Quam multi multos & multas, quorum quarumue aſpectu inſaniunt alij, aſpiciunt, neque tamen appetunt? Quam ipſi multa, quorũ viſu vel gaudent, & exultant, vel horreſcunt,

Digitized by Google

& efferantur beſtiæ, contemnimus? Eſt præter A nudum aſpectum aliquid, quod hominem alliciat, aliud, in opum præſertim deſiderio & amore. Ineſt in hominum animis præcepta quædam, & aliunde hauſta opinio, præclarũ & vtile admodum eſſe, auri, argenti, veſtium, domorũ agrorum, ſimiliumque rerum plurimarum poſſeſſionem. Deme hanc opinionem. Si argentũ vel aurum videris, quid eſt, cur pluris, quam alia multa, quæ omnibus obuia, facias? Zeuxidis Helena, quamplurimis videbatur artificioſiſſima, elegantiſſima, pulcherrima, & in primis picturarum talium amãti, & gnaro Nico- B macho. E contrario ſpectator quidam ſibi aiebat, *pulchram non videri.* Huic vero, vt eſt, apud Plutarchum lib. citato Nicomachus: *Sume tibi meos oculos, & Dea tibi videbitur.* Et vulgaris verſus eſt: *Quiſquis amat ranã, ranam putat eſſe Dianã.*

Procul nimirum his & illis opinionibus imbutæ mentes humanæ ſunt, ita ea, quæ in ipſorum incurrunt oculos, vel expetunt, vel poſthabent. Apud gentes nonnullas auri & argenti precium vel nullum, vel perparuum eſt. Par de C gemmis, domibus, agris, vinetis, & ſimilibus ratio. Apud nos inſanus horum omnium amor, quia his excellere pulchrum ducimus. Achan veſtem, aurum, argentumque, de quo ſupra, vidit, & illico concupiuit. Quot Iſraelitarum millia & veſtis, & argenti, & auri plus viderant, neque tamen concupierunt? Infixum erat horum animis, Dei de anathemate Legi parendum eſſe: hanc nullo ab ipſis pacto violandam: præſtare, vt opum nil prorſus, quam iratum Deum haberent: ſpoliorum ſatis adhuc fore, ſi eius beneuolentiam, fauoremque reti- D nerent. Achan vero penſi horum nihil habuit, diuitiarum aliquid colligere, harum occaſionem nullam prætermittere, commodum cenſuit. Addit Ioſephus *durum, accerbumque iudicaſſe illum, qui pericula ſubiiſſet, id quod inueniſſet, lucrum ſuo ipſius vſui detrahere, ac Deo, & ei quidem nihil egenti, dare.* Sic enim accipiendus Ioſephus, non vt vertit Ruffinus, *Deo dare, ac non magis egenti.* Non enim, vt Iudas Ioan. cap. 12. ver. 4. de egentibus loquitur: ita & Achan. & Græce habetur, τῷ θεῷ ϗ μὴ δεομένῳ. Maſius fol. 131. putat ſibi perſuaſiſſe Achanem, furtum hoc ſibi di- E uinitus concedi, quia diceret ſcriptura Deuteronom. cap. 20. ver. 14. è captis vrbibus prædam capiendam. Hiſce igitur prauis, falſiſque cogitationibus imbutus, & dementatus erat Achan. Ideo ſimul res has vidit, concupiuit: ſimul concupiuit, abſtulit. Hoc ergo nobis agendum, vt à primo ſtatim lacte, bonis, veriſque animum notitiis informemus: diuinæ veritatique conſentanea effata diſcamus: iis denique præceptis nos inſtruamus, quæ Dei voluntatem, numen, & gloriam rebus omnino omnibus anteferant: corporis voluptates ra- F tioni ſubiiciant: caduca & fugacia omnia parui pendant. Ita fiet, vt multo nobiliorem, generoſioremque triumphum referamus, dicendo, Non vidi, non concupiui, non abſtuli, quam qui dicebat, *veni, vidi, vici*, certe victoriam, qua ſupplicia defugiamus iis propoſita, qui cum ipſo infelici Achane, dicunt: *vidi, cupiui, abſtuli.*

QVÆSTIO VIII.

Quonam furta ſua texit modo Achan?

Reſpondet in textu noſtro ipſemet: *Abſcondi in terra contra medium tabernaculi mei, argentumque foſſa humo operui.* Illud *contra medium tabernaculi*, valet *in medio tabernaculi*, prout ex Hebræo patet. Septuag. ſatis putarunt vertere, *in tabernaculo meo.* duo alia exponuntur varie. *vnum* eſt, illud *in terra.* Nam vel humi hæc poſuit, ſuper ipſa nimirum terra; vel humo egeſta foſſam fecit, ibique abdidit. Et hunc indicat ſenſum Ioſephus, vniuerſe dicens, profundam eum in tabernaculo ſuo feciſſe foſſam, in eaque defodiſſe, quæ furatus fuiſſet. *Alterum*, de argento, quod ſpeciatim *foſſa humo* dicitur *opertum.* Nam quia in Hebræo eſt, *& argentum ſub ea:* volunt aliqui *ſub veſte* illud abditum, vt Maſius, & Iunius: aliqui *ſub terra*, vt noſter: aliqui *ſub lingua & veſte*, vt Caietanus: aliqui *ſub his omnibus*, vt Septuaginta, & Chaldæus Paraphraſtes. Cur autem *ſub lingua* ſeu *regula ſola* nemo expoſuerit, miror, cum & in Hebræo fœminini ſit generis, & multo facilius ad eam, quam ad longius poſitam veſtem referatur illud, *ſub ea.* Mihi Ioſephi probatur expoſitio, quod cum ea conſentiant non male tam Hebræus quam noſter, imo etiam 70. & Chaldæus, modo aduertamus, eos apertius infimum in fouea locum argento tribuere. Nam cur argentum ſolum defodiſſet Achan, non item aurum & pallium? De pallio dici fortaſſis queat, ne terreo humore aut frigore vitiaretur. De auro autem dici quid poſſit? Et potuit ille vel ciſtella, vel alia quadam re veſtem illam inuoluere, ac munire, vel ad aliquot ſaltem dies ab omni vitio, & putredine immunis eſſet. Quæri autem iam poſſet primo, *cur iſta occultauerit Achan?* Secundo, *Cur iſto modo? Ad prius* reſpondetur. quia Lucifuga eſt omnis iniquitas. *Qui male agit, odit lucem,* Ioan. cap. 3. verſ. 20. Pulſabat iam & verberabat eius conſcientiam timor, ne in tabernaculorum omnium vaſa & ſarcinas eximia Ioſue prudentia inquireret. *Ad poſterius*, quia interrogatiunculas complecti plures hoc poteſt, reſpondentur paulo plura. Nam *primo* foſſam fodit, ibique occultauit, quia in tabernaculo ipſo ſupra terram, ſi ſcrutatio aliqua fieret, inueniri potuiſſent. Et habet hoc, neſcio quo modo, præ vitiis aliis, immoderate terrenarum opum cupiditas, vt terram fere ſpectent, qui eas habent. Ideo aurum, argentumque ſuum defodiunt Eucliones in puteis & ſcrobibus theſauros condunt: animam, totumque cor terræ mandant. Nam *vbi eſt theſaurus, tuus, ibi & cor tuum*, Matth. cap. 6. verſu 21. An quia *effodiuntur opes, irritamenta malorum*, ex principium, patriamq. veluti ſuam repetunt, terræ tenebras, talparum inſtar, adamant, defodique rurſus volunt? Vnus Lacedæmone fuit, qui tam ioco, quam ſerio domus ſuæ tecto *noctuas* occultaſſe accuſatus eſt: id eſt, nummos noctuæ imagine ſignatos. Cæteri fere omnes auari ac ſordidi theſauriſtæ, Pluto-

Mm iij

Digitized by Google

nij condi ſunt: non in tecta ſeſe clara & edita ſurrigunt: ſed in terram, in foſſas profundas deiiciunt. *Secundo.* In tabernaculo fodit. quia ſi extra, potuiſſet ab aliis videri, & rogari quid, & quam ad rem foderet? *Tertio.* In tabernaculi medio fodit, vt minus eſſet ſuſpicionis, ac ipſe ſuam ſemper ante oculos prædam haberet, videretque num quid in terra illa motum, quæſitumue eſſet. *Quarto.* Summo in foſſa loco pallium, eo quo dixi modo munitum poſuit, medio aurum, imo argentum. Huius autem ordinis cauſa eſſe potuit, quod citius ne corrumperetur, *veſtem* extrahere cogitaret. Deinde *aurum.* quia rude cum eſſet, neque adhuc ſignatum potuiſſet dici ex Aegypto, vel ex regionibus *Seon* & *Og* Regum allatum. demum vbi adfuiſſet periculi metus omnis, *Hierichuntinos ſiclos.* An auro locus medius tanquã præſtantiſſimo conceſſus? Nam parum apte argenti verbo aurum ait non nemo ſubiectum. Aliæ fortaſſis etiam cauſæ fuerunt. ſed furi ipſi notæ, ſi tamen ratione aliquid, & conſiderate tunc egit homo amentiſſimus, non pertubate & quaſi fortuito. Vna omnium generalis cauſa Ioſepho placuit, putaſſe ipſum ὡς τοὺς συγκρύπτας. οὕτω καὶ τὸν θεὸν λήσειν, id eſt, *fore, vt quemadmodum commilitones, ſic & Deum ipſum lateret.* O amentiam? *Quo*, ait Dauid Pſal. 138. *ibo à ſpiritu tuo? & quo à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es, ſi deſcendero in infernum, ades.* ſed de hoc poſtmodum. Vidiſſe tamen hæc omnia filios, neque Patris tamen ſacrilegium prodere voluiſſe ſcribit c. 38. R. Eliezer.

QVAESTIO. IX.

Quale Achanis peccatum fuit.

FVrtum ſane vocaui hactenus, vti & vocat Dominus verſu 11. quia rem alienam ſuſtulit Achan Domino inuito, & quantum quidem potuit, clam: licet clam illo nihil ſit, cuius penetrat, ac perſpicit oculus omnia, de quo plura quæſtion. 21. Abulenſis. Sed minus, mitiuſque eſt hoc *furti* nomen, quam criminis ferat magnitudo, ideoque *ſacrilegium* potius appellandum. Nam quæ cepit Achan omnia Deo ſacra & deuota erant, vt ex ſuperioris capitis quæſtionibus intellectum. Sed cum à D. Thoma 22. quæſt. 99. a. 3. ſacrilegij ſpecies tres conſtituantur, perſonæ ſcilicet, loci, &, rei, cuiuſnã ſacrilegium hoc ſpeciei? Tertiæ. Nam res, quæ ideo ſacræ, quia erant in Dei honorem, vel conſumendæ, vt pallium, vel ſeponendæ & conſeruandæ, vt argentum & aurum, alium in vſum irreuerenter, indigneque ablatæ ſunt. Sed in hac rerum ſacrilegij ſpecie ſeptem fere gradus enumerat idem S. Thomas, de quibus diſputari queat, ſintne ſpecifici, ita ſcilicet, vt tres illæ ſpecies, tria veluti genera ſint, ſub quibus ſpecies aliæ, an accidentarij tantum, quẽadmodum ſunt in eadem quantitatis, & qualitatis ſpecie infima, intenſiores, ac remiſſiores gradus? ſed hiſce omiſſis, dico *primo*, *palli* ſacrilegium proprie in ſeptem illorum graduum nullo eſſe. Nam *primus* eſt *ſacramentorum. Secun-*

A *dus, Sacramentariorum vaſorum. Tertius, Sacrarum imaginum. Quartus, reliquiarum. Quintus, Ornamentorum Eccleſiæ. Sextus, Ornamentorum eius miniſtrorũ. Septimus, Bonorum* aut *mobilium*, aut *immobilium* quæ ſuſtentandis Eccleſiæ miniſtris decreta. Dico *ſecundo*, aurum, & argentum ad gradum quintum pertinuiſſe. Licet poſſent ad ea, quæ ſexti & ſeptimi gradus ſunt applicari. Dico *Tertio*, Si res ad hunc vel illum gradum referantur, quatenus poſſent aut deberent eſſe tales & tales, ſiquidem in rerum natura exiſterent, ſic pallij ſacrilegium ad quintum & ſextum gra-
B dum reuocari poſſit.

QVAESTIO X.

Tam occultatum Achanis ſacrilegium, quomodo deprehenſum?

NIhil tam occultum, quod non aliquando patefiat. Patefactum autem, & deprehenſum fuit Achanis ſacrilegium ſextupliciter. *primo.* Damno publico. *Secundo.* Dei precatione
C ac interrogatione. *Tertio.* Dei reſponſo. *Quarto.* Sortitione. *Quinto.* Achanis ipſius confeſſione. *Sexto.* Demum oculata eorum, quæ abſtruſerat, inuentione. Nam cum aduerſus vicinam Hierichunti vrbem *Hai* ſuſcepta eſſet expeditio, eaque nihil profeciſſet, quin damnum potius & cladem attuliſſet, peperit hæc clades in vniuerſo Iſraelitarum exercitu dolorem & luctũ: dolor & luctus humiles ad Deum preces, cauſæque mali tanti interrogationem: interrogatio reſponſionem: reſponſio ſortitionem: ſortitio, ſacrilegij ipſius confeſſionem: confeſſio ſacri-
D legiorum inuentionem, & aſpectionem extra omne poſitam dubium, prout in textu narrantur omnia.


QVÆSTIO XI.

Hai vrbis deſcriptio, exploratio, belli contra eam inchoatio, & damni, cladiſque acceptio?

PRimo, *Hai*, vel ſignificat idem quod *hi*, quia
E iiſdem Hebraicis literis vtrumque ſcribitur עי. vel ei certe prorſus affine eſt. Significat autem vox iſta *tumulum, ſolitudinem, deſolationem* Numer. cap. 21. verſ. 12. Pſalm. 78. 1. Iob. c. 30. verſ. 24. Ieremiæ cap. 26. verſ. 18. Mich. cap. 1. verſ. 6. cap. 3. verſ. 12. & vt exprimatur littera prioris ע vis, vertunt 70. γαὶ prout in *Gomorrha*, & aliis dictum ſupra quæſt. 4. & ſic apud Auguſtinum in lib. Locut. & quæſt. legitur Gai. vertiturque ab Orig. hom. 8. *chaos*, ab Chry-
F ſoſtomi interprete erat. 1. de *vidi dominum. Ga.* ab S. Fulgentio lib. 2. ad Maximum c. 3. *Agge* quæſt. ἀγγαὶ pro Hebræo *habai*, de quo mox Nouatorum, qui in propriis Hebraicis nominibus nouant omnia non poſtremus Caluinus vocat *Ai.* Vocatur etiam Nehemiæ 11. verſu 31. *haia* עיא iſtudque *aleph* in fine ab illo additum putat Maſius, vt exprimatur vis articuli, qua hoc capite, & cap. 12. verſ 28 nominatur *hahai*:

Digitized by Google

& hunc ei articulum præponi, vt quaſi per excellentiam diſtinguatur, ab *hai*, altera, quæ apud Ammonitas ſtatuitur Ier. 49.3. Et forte hoc etiam reſpexit Ioſephus cum Chananæam iſtam *ἄϊναν*, eiuſque ciues *αἰνάτας* vocat. Eius vero ſitus ita hic v.2. traditur: *Quæ eſt iuxta Bethauen ad Orientalem plagam opidi Bethel.* E duobus locis aliis deſcribitur, ex propinquitate ſcilicet *ad Bethauen*, & ex eo, quod oriẽtalior ſit, quam *Bethel*, quæ ad occidentem & meridiem magis vergit. hoc modo.



a Oriens.
b Occ.
c Sept.
d Merid.
e Hierich.
f Hai.
g Bethauen ſolitudo.
h Bethel.
i Bethauen vrbs.
k

Sunt autem hic de priore loco iſta notanda. 1. *Bethauen* eſſe domum peccati. 2. à 70. hic omiſſam *Bethauen*, alibi ab iiſdem vocari *domum on*. quod Hebræis *auen* & *on* iiſdem ſcribuntur litteris, & *on*, ſignificat dolorem, qui ex peccato naſci ſolet, ita vt *οἶκος ὤν*, apud Septua. ſit *beth-on*. 3. Infra cap. 18. verſ. 2. ponitur deſertum quoddam Bethauen. ſed *ignoratur*, ait Maſius hoc loco, *an deſertum ipſum ita vocatum fuerit: an vero dicendum ſit deſertum ipſius Bethauen*, ita vt *Bethauen* aut fuerit vicus, aut oppidum, à quo nomen ei ſolitudini. Oppidum tamen aliquod fuiſſe opinantur plerique omnes, Abulenſis quæſt. 6. Ribera Oſeæ 4. num. 32. 33. Adrichomius in *Beniamin* Num. 40. 4. *An ſit vrbs cum Bethel eadem?* Eadem Lyrano eſt. At certe vel ex huius loci verbis diſtingui patet. Non inficiandum tamen per contemptum & irriſionem huius nomen aliquando impoſitum ipſi *Bethel*. quando ſcilicet in ea Ieroboami vitulus coli cœpit, & quæ *Dei Domus* fuerat Geneſ. cap. 28. cœpit eſſe *domus peccati*, Oſeæ 4. & 5. Abulenſis quæſt. 6. 7. 8. 9. 5. Antequam idololatrica vituli huius adoratio in Bethel foret, *vnde* oppidum illud, cui propria erat *Bethauen* appellatio, ita fuerat *appellatum?* Reſpondet Abulenſis quæſtion. 11. ei apud Chananæos nomen fuiſſe aliud, ſed ab Iſraelitis ita vocatum, vel quia ibi præcipuo quodam cultu afficerentur idola, vel quia eorum aliquod præcipuum coleretur. De poſteriore autem loco, qui eſt *Bethel*, notanda hæc. *Primo*. Vrbem eſſe, vt patet ex crebris ſcripturæ locis. *Secundo*. Significare *domum Dei*, ob cauſam Geneſ. 28. traditam. *Tertio*. Olim vocatam *Luzam*, vt ibidem habetur. vbi quia Hebraice duæ ſunt voces *oulam Luz*, id eſt, *olim Luz*, mendoſe in Græcis ita iunguntur, quaſi hoc eſſet antiquum vrbis nomen. Nam in veteribus libris, & S. Auguſtino in Geneſ. q. 85. & 113. Legitur *ἐλαμμαούς*. in aliis *ἐλαὶ.ἀμ.* in correctis 70. *ἐλαμλούζ*. Sed de iſto nomine rurſum aliquid Iudicum cap. 1. *Quarto.* Quomodo à Bethauen aut diſtinguatur, aut non, eſt iamiam expoſitum: ſed vna ſupereſt controuerſia, *duæne fuerint olim Betheles*, ſiue oppida duo proprie ita nuncupata? Duas conſtituunt Radack & R. Iſaias & Ribera Oſeæ cap. 4. num. 29. *vnam* in tribu Ephraim, cuius priſcum nomen fuerit *Luza*: deinde à Iacob, eiuſque poſteris vocata Bethel. *Alteram* in tribu Beniamin. Vnicam vero eſſe vrbem aiunt Lyranus, Abulenſis, Maſius infra c. 1. q. verſ. 2. quibus aſſentior, licet, vti monet loco citato Maſius, ſi proprie loqui vellemus, initio *Luza* eſſet vrbs, *Bethel* vrbi propinquus ager. Illud vero, quod hanc vnicam vult Bethelem Lyranus eſſe Hieroſolymam, & accepiſſe *Bethelis* nomen non à Iacob Geneſ. cap. 28. ſed prius ab Abraham Geneſ. cap. 12. ob eius, ad occidentem, adorationem, prorſus inficior cum Abulenſi, Maſio, Ribera. De horum autem locorum vicinitate ita Maſius. *Quantum autem fuerit loci ſpacium inter Hierichuntem & Hai, ſcriptum exſtat in vetuſtis commentariis in Exodum quæ nominantur* שמות רבה. *Semoth rabbah. Illic enim ad caput 23. hæc leguntur verba: Regio Chanaan appellatur terra deſiderabilis: quia expetebatur ab omnibus Regibus. Nam inter Hai & Hierichuntem, tria duntaxat ſunt milliaria, & tamen vrbs vtraque ſuum habebat Regem &c. Ei conſentanea ſunt, quæ noſtri homines, qui loca illa perluſtrarunt, ſcripſere: poſitam fuiſſe Hai tribus circiter leucis à fonte Eliſæi, verſus ſeptentrionem, in occidua parte montis, quem Quarantanam nunc vulgus nominat à* CHRISTI *ieiunio, quod eo loci dies quadraginta pertulit noſtra cauſa. fontem enim illum in agro Hierichuntio eſſe, certum eſt ex ſacra hiſtoria. Et quod ſpatium à Gallis leuca vocatur, id ab Hebræis* מיל. *Mil, ſumpto à Latinis vocabulo, ac ſi milliarium dicas, appellatum eſt, continens circiter bis mille & quingentos paſſus, hoc eſt, quantum itineris homo pedes horæ ſpacio conficiat vſitato greſſu. quanquam eſt, vbi pro mille*

paſſibus poſitum hoc verbum ab Hebræis inuenias. Porro ab Hai ad Bethel non longius fere interuallum, quam leucæ fuit vnius.

II. Exploratores vero, pro ſua ſumma militari prudentia, in eum, cui bellum cogitabat, locum præmiſit Ioſue eo modo, quo capite 2. dictum eſt. Sed inter Ierichuntinam & Haienſem explorationem hoc diſcriminis eſt, quod illius exploratores, in ipſam ingredi deberent vrbem, ſupra cap. 2. verſ. 1. Iſti autem Haienſes non, ſed in terram tantum, ſeu, vt vocatur territorium hic verſ. 2. Nam cum adhuc vltra Iordanem eſſent Iſraelitarum caſtra, ſuas pandebant portas Chananæi. At nunc, poſteaquam Iordanem hos tranſiiſſe vident, in viciniſque locis habere ſtatiua, claudunt, muniuntque ſua omnia. Quinam hi fuerint exploratores, à nemine indicatur. Cum vero iſti vrbem eminus paruam vidiſſent, redierunt, nunciando ad eam capiendam milite perpauco eſſe opus verſ. 3. *Quare*, inquiunt, *omnis populus fruſtra vexabitur?* Hebraice: *Ne fatiges illuc omnem populum, quia ipſi* (hoſtes) *pauci.* ne fatiges, inquam, eundo illuc, aſcendendo ad montana illa, pugnando cum illis hoſtibus. Hinc 70. *μὴ ἀναγάγῃς.*

III. Placuit Ioſuæ, de bellatoribus ad Hai paucis mittendis, exploratorum conſilium, ſicque tria tantum miſit millia verſ. 4. Improbat hanc Ioſuæ facilitatem Caluinus. *Cum*, ait, *neceſſe eſſet paulo poſt totis copiis longius progredi, exiguam manum præmittere vrbis expugnandæ cauſa, non videtur fuiſſe ſolertiæ militaris.* At parum videtur Caluinus ſolers, qui vulgare illud non meminit: *fruſtra fiunt per plura, quæ fieri poſſunt per pauciora.* Et quæ militaris vel ſcientia, vel ſolertia præſcribit, vt ingentes ad caſtella, opidula, hoſtiles copiolas ducantur exercitus? Pergit tamen Caluinus, *Certe multitudini vtile erat 20. aut 30. millia ad pabulandum huc & illuc ſpargi.* Interdum vtile eſt, interdum inutile. Et licet vtile tum foret, num vt Hai millia iſta tot mitterentur, neceſſum erat? Qui ſane *huc & illuc ad pabulandum ſpargit*, non omnia ſimul coniuncta mittit, ſed huc tertia, alio quarta, aut plura mittit millia, prout conducibile ipſi videtur. Sed pergit adhuc ille: *Adde, quod in ſtrage edenda, quamuis iugulum ſponte præberent omnes, ſatis fuit negocij ad fatigandos paucos homines.* A duobus Iacobi filiis, Simeone & Leui omnes Sichemæ vrbis mares occidione occiſi ſunt Geneſ. cap. 34. verſ. 25. & à pauciſſimis ingentes non raro in confertiſſimis hoſtium aciebus, caſtriſque vaſtiſſimis, tam in diuina quam prophana hiſtoria, ſtrages editæ, quomodo ergo in Haienſibus non adeo multis tria hominum millia fatigarentur? Sed eſto fatigentur, quid tum? An piaculum milites, & milites quidem oppugnantes, præliantes, cædentes, ac vincentes fatigari? Si ergo humanæ prudentiæ, trutina Ioſuæ factum expendatur, fecit optime: eſtque laudandus & imitandus eius in ſubditum populum amor & lenitas, quod illi ſine cauſa laborem noluerit non neceſſarium imponere. ſin vero ad arcanum Dei conſilium eadem reuocetur actio, conuenientiſſima diuino inſtituto fuit, vt & populum expergefaceret, & nimio eum terrore ac luctu exanimaret. Si enim millibus tribus fugatis trepidatio, mœrorque tantus extitit, quid ſi copiæ Iſraelitarum vniuerſæ actæ in fugam fuiſſent? Et tamen, ob ſacrilegam Achanis noxiam fuiſſent.

IV. Haienſe igitur bellum inchoauit Ioſue miſſis tribus pugnatorum millibus, verſu 4. Sed diſputat copioſe quæſtion. 12. Abulenſis, cur *triginta millia* ſcribat libro 5. Ioſephus miſſa, & poſt varias reſponſiones concludit, Ioſephum more ſuo vel erraſſe, vel rem æquo plus exaggeraſſe. At ſane licet alibi ſæpe Ioſepho patrocinij aut parum, aut nihil omnino ſuppetat, hic tamen culpa omni vacat. Eius enim vetus ille Interpres Ruffinus *triginta millia* dixit, non Ioſephus, qui cum Septuaginta diſerte ſcribit, miſſos *τρισχιλίους ὁπλίτας*, id eſt, *ter mille milites.*

V. Hi vero ſtatim, vt illuc venerunt, terrore perculſi terga verterunt, & cum per montis, in quo Hai ſita decliuitatem in caſtra refugerent, trepidi inſecuti eos ſunt ipſi Haienſes, ab ſuæ vrbis porta vſque ad *Sabarim*, id eſt, vel *quouſque ipſos fregiſſent* ſeu contriuiſſent, vt vertit Chaldæus, quaſi legendum eſſet *ſchebaram*, vel *ſchobram*. Nam *ſchabar*, frangere eſt. Et Græci pæne omnes idem ſignificant: vel *vſque ad locum dictum Sabarim*, id eſt, locum fracturarum, ſeu confractionum, ſeu contritionum. ab hoc euentu forſan, vt alibi videmus factum, impoſito nomine. Ceciderunt autem in fuga iſta *viri* 36. non 30. ſolum, vt eſt in quæſt. 36. quæſt. ex veteri Teſtamento in tomo 4. D. Auguſtini, quaſi ex ſingulis millibus viri 12. Quibus hoc aliqui putant accidiſſe, quia ſacrilegij Achanis erant conſcij. Sed valet apud me illa iuris regula, *Qui non probatur malus, præſumitur bonus.* Et Ioſephus vocat, *ἄνδρας ἀγαθοὺς καὶ σπουδῆς ἀξίους.* ſolaque ipſius Achanis gratia minime à Deo protectos, ideoque & cæſos citata illa D. Auguſtini quæſtio 36. Et R. Eliezer cap. 38. *Propter Achanem*, inquit, *mortui ſunt XXXVI. iuſti*, licet fieri facile potuerit, vt aliquod in iis eſſet peccatum aliud, quod morte, ſecundum Dei iudicium, merito luerent, ac fortaſſis eluerent. Si tamen vellet Deus, poſſet abſque vlla vllius culpa corpoream alicui mortem inferre. *Nec enim*, ait citata quæſtio 36. ex vet. Teſtam. *in talibus debitor eſt, vt teneatur obnoxius.* Sed iterum de hoc infra quæſt. 36.

QVAESTIO XII.

Quid, ſuorum cæde, fugaque percepta, fecit Iſraeliticus populus, eiuſque Dux Ioſue, ac ſeniores?

1. DE populo ita ver. 5. legimus: *Pertimuitque cor populi, & ad inſtar aquæ liquefactum eſt.* In Græco ſimiliter, niſi quod in poſteriore parte, *ἐγένετο ὥσπερ ὕδωρ.* In Hebræo autē ad verbum ſic: *Et liquefactum eſt cor populi, & fuit in aquam*, ſeu *& fuit aqua.* Metaphora, vti patet, elegans, ex eo, quod aqua mollis cedat facillime,

Digitized by Google

huc & illuc fluctuet, fluat, ac delabatur. Sic enim dolentium, timentiumque animi emolliuntur, prementi, ac vel modice tangenti, nulli reſiſtunt: trepidis cogitationibus huc illuc agitantur, nulla in re conſiſtunt, pœnæque in nihilum abeunt, vt Geneſ. 49. hyperbolam, qua metaphora hæc in Hebræo augetur, modificant, & explicant 70. & Latinus. quemadmodum 1. Reg. 25. v. 37. Hebraice de auſtero, ſtultoque Nabale dicitur: *Et mortuum eſt cor in medio eius, & ipſe fuit in lapidem*, ſeu, *fuit lapis*. 70. *γένεται ὡς λίθος*: Latin. *factus eſt quaſi lapis*. Quod ſi quærat curioſior quiſpiam: *Poſſetne* tamen *ex nimio vel mœrore, vel pauore, hominis cor* vel quoad ſe totum, vel quoad ſui partem, *proprie in aquam & lapidem conuerti?* Reſpondeo *primo*. ſi Lothi vxor in ſalis ſtatuam verſa eſt, poſſe etiã cor in aquam & lapidem verti. *Secundo*. Quædam hominum membra morbo interdumquodam lapideſcunt, aqueſcunt. *Tertio*. Inuenta quandoque hominum ac pecudum exta Lapidea. *Quarto*. Naturaliter ex ſolius, aut mœroris aut doloris vi, non fit lapis & aqua iſtiuſmodi, ſicuti neque in CHRISTO Domino quando exiit ex eius latere ſanguis & aqua. *Quinto*. Si fieret, viuere homo nõ poſſet diutius, maxime ſi cor totum, vel magna eius pars ita vel nigreſceret vel colliqueſceret. At Iſraelitę noſtri vixerũt poſteaq. metu omni ac luctu depoſito, lætitia omni geſtierunt. Mera igitur hic hyperbole.

II. De Ioſue duo traduntur verſu 6. & ſeq. Prius cum ſenioribus ei commune eſt: poſterius ei proprium, de quo ſequenti quæſtione. Illud prius, eſt triplex. *Primum, Scindere veſtimẽta. Secundum, Cadere in terram*, & quidem triplici cum circumſtantia notatu digna. *Prima, Pronum. Secunda, Ante arcam. Tertia, vſque ad veſperũ. Tertium, mittere ſuper caput puluerem*. De primo dixi in Eſtheris cap. 4. quæſt. 1. & 2. De ſecundo in eiuſdem libr. cap. 14. quæſt. 7. De tertio, in vtroque iam citato loco, & in Iudith cap. 4. Ab priſcis vero Abrahamidarum inſtitutis manarunt ad Gentiles non pauca. Ideoque apud Euripidem Hecuba,

--- ἐπὶ χθονὶ
Κεῖται. κόνει φύρουσα τὸ δύστηνον κάρα.

Apud Latinum Tragicum in Octauia,

--- *ſcindit veſtes*
Aegeſta ſuas, laceratque comas,
Rigat & mœſtis fletibus ora.

Et vt Achillem in Patrocli ſui morte apud Homerum præteream, ecce apud Virgilium libro 12.

--- *It ſciſſa veſte Latinus*
Canitiem immundo perfuſam puluere turpans.

Sed immoderati hæc Gentilibus illis doloris ſigna: Iſraelitis vero diuini cultus, & ſummæ erga ſummum Numen demiſſionis ac religionis ſymbola. Nam apud illos alioquin *bos duces magni faciunt*, ait c. 24. ad Polybium Seneca, *rebus afflictis vt hilaritatem de induſtria ſimulent & aduerſas res adumbrata lætitia abſcondant, ne militum animi, ſi fractam ducis ſui mentem viderint, & ipſi collabantur*. Sed quærit q. 15. Abulenſis, cum Pontifex non eſſet Ioſue, neque Moyſis extraordinarium à Deo ius & poteſtatem accepiſſet ideoque ſancta ſanctorum intrare non poſſet,

A quomodo ſeſe *coram Domini arca* proſternere potuerit? Reſpondet arcam extra ſancta ſanctorum ſæpenumero fuiſſe, vt cum circum Hierichuntina portata eſt, & cum in Iſraelitarum caſtra, 1. Reg. 4. delata, tuncque tectam quidem & inuolutam, ne videri nuda poſſet, in propatulo, vt coram ea poſſet aut geniculari, aut in faciem cadere quilibet, ſtetiſſe. Sed addo idem fieri ab omnibus potuiſſe, licet in tectiſſimo, intimoque ſanctuario maneret illa. Nam qui ante tabernaculi, aut ipſius templi portam in atriorum aliquo, verſa in ſanctuarium facie,
B ſtabat aut iacebat, is coram arca etiam ſtare & iacere dicebatur, licet non tam propinque aut immediate. Atque huc referri poteſt illud Pſal. 98. verſu 5. *Adorate ſcabellum pedum eius. Ad veſperam* vſque ante arcam iacuiſſe, ieiunium, & magnam in precatione conſtantiam indicat, quæ tamen non à ſolis ortu, ſed ab ea diei hora videtur inchoanda, qua intellectum de infauſto belli euentu. Miſſi ergo fuerint bene mane ad Haienſem vrbem pugnaturi, & antemeridiano adhuc tempore confeſtim reuerterint. Intelligitur vero ſatis, non male totius diei poſſe, per
C ſynecdochen, aliquam vocari precem ac inediam, prout à Ioſepho in verbis paulo poſt citandis vocatur.

III. Hæc eadem omnia cum Ioſue fecerunt, vt dixi, *ſenes Iſrael*, qui ita vocantur, primo quidem ratione ætatis, deinde & multo magis ratione muneris. Quemadmodum enim

A ſenibus nomen mite ſenatus habet,

non omnes tamen ideo ſenatores ſenes: ita & apud Iudæos, *ſenes* vocantur tribuum & familiarum principes, omneſque ſenatores, qui populi totius perſonam ſuſtinebant. Ideoque de omnibus ita Ioſephus: *Cum ſaccos ſtollis* ſeu ve-
D ſtibus ſuis, *die toto ſuperinduiſſent, in lachrymis erãt & luctu, neque vllam cibi quærendi curam ſuſcipiebant*.

QVÆSTIO XIII.

Quænam Ioſuæ ad Deum oratio?

PRopria ipſius Ioſuæ ad Deum oratio deſcribitur verſu ſeptimo, & ſequentibus. Orarunt quidem alij omnes peratteute, ac, prout, in caſu & ſtimulo tali fieri aſſolet, ex intimo animi ſenſu: ſed præcipua Ducis ipſius, & pie-
E tas & precatio extitit, quæ pathetica tota eſt, conſtans primo dolente quadam expoſtulatione: deinde voto triſti ac impoſſibili: horum denique verborum rationibus. prima expoſtulatio eſt verſu ſeptimo. *Heu Domine Deus*: 70. *Δέομαι κύριε*, & fere ſimiliter Chaldæus, *ſuſcipe precem meam*, ſed in Hebræo eſt particula אנה, quam eandem vertit Interpres Ieremiæ primo verſu ſexto triplici *a. a. a.* quia eo loco alium quendam affectum indicat, prout ab Abulenſi notatum, qui addit hoc, *vt traderes nos*, accipiẽdum vel *permiſſiue*, vt ſineres nos in Amorrhęorum manus incidere ab iiſque perdi, vel *conſecu-*
F *tiue*. Quia nos Iordanem tranſduxiſti, ecce iam euenit, vt Amorrhæorum obijciamur furori, abiiſque cædamur, & pereamus. Neque enim Ioſue, triſtis licet ac mœrens: voluit, Deo finem

hunc in ducendo cis Iordanem populo propoſitum, vt eum hoſtibus dederet, ab iiſque vinci & deleri vellet. Abſurdi tamen quid eſſet, ſi ad finis cauſam monſtrandam iſtud, *vt*, à Ioſue dictum putemus? Neque enim hoc ipſum eſt peccatum, ad quod vt homines impellere velit Deus, nunquam fit, nunquam fieri poteſt. Repugnat enim ſummæ ipſius bonitati, iuſtitiæ, abſolutæque voluntati ac naturæ. At velle ipſã hominibus cladem aliquam pœnamque ac malum temporale non modo ipſi non aduerſatur, ſed maxime etiam conſentaneum eſt. Si dicas, Promiſerat Deus, ſe Iſraelitas in terram iſtam deducturum, eam ipſis totam daturum, veteres colonos Chananæos, & Amorrhæos aliosque omnes deleturum. Contra igitur ipſius Dei fidem, & erga Iſraelitas beneuolentiam videtur, hos idololatrarum iſtorum gladiis obiicere. ideoq. Deum hoc in Iordanis tranſitu ſpectaſſe, non potuit, neque debuit cogitare, nedum eloqui Dux Ioſue. At vero cum in omnibus id genus promiſſis ea ſemper inſit conditio, ſi quidem contra Deum fiat nihil, ab ipſius legibus & præceptis non deflectatur, potuit Ioſue ſuſpicari & formidare id quod erat, in Deum ſcilicet eſſe commiſſum aliquid, leges & præcepta eius violata. ideoque Deum forſan iratum pœnas ab Iſraelitis repetere iam velle. Atque hæc interpretatio habet iuſtitiæ diuinæ, conditioniſque illius in promiſſis poſitæ confeſſionem ſimulque occulti peccati, ſi quod forte à populo admiſſum ſit, inquiſitionem. quaſi dicat. Ecce Domine Deus, non noſtris freti viribus hanc in terram pedem intulimus: ſed virtute tua magna duce, ac protectrice: & tamen iam exterſemur, cædimur, fugamur. Quidnam cauſæ eſt? Quæ culpa? Quod crimen in te noſtrum? Non fruſtrà hiſce nos malis pulſas: non abſq. cauſa terrorem nobis & fugam coram impuris hiſce gentibus immittis, qui tam magnifice, potenter, ac mirabiliter areſactum Iordanis alueum pedibus noſtris ſubſtrauiſti. Eſtne à nobis contra promiſſorum tuorum conditionem geſtum aliquid? Et ſi eſt, quidnam illud? Septuaginta dicunt, *Cur fecit ſeruus tranſire populum Iordanem?* Quia ipſe ſcilicet Dominus Ioſuę, qui illius *ſeruus*, opera miniſterioque hac in re vſus eſt. Moyſem tamen ſignificari videtur putare Ioſephus. Atque modo iam expoſito, ſumpta expoſtulatio non eam ſententiæ atrocitatem, quam horret Maſius, & propter quam nō vult expoſtulationem eſſe, prout docent in Thalmud Rabbini tractatu *Sanhedrin*, cap. 6. Amorrhæi vero vel ſpeciatim hic, vel generatim pro Chananæis poſſunt accipi, prout ſupra dictum eſt, cap. 1. & 5.

II. Votum eſt, *Vtinam, vt cœpimus, manſiſſemus trans Iordanem.* Vertunt ex Hebræo aliqui. *Vtinam voluiſſemus morari trans Iordanē.* Maſius: *Vtinam contenti fuiſſemus, manſiſſemus cis Iordanem:* ſed bene noſter interpres 1. quia הואיל valet etiam *incipere*, vt Geneſis 4. verſu 26. 2. quia in Hebręo interponitur particula &. 3. quia vſitatiſſimum Hebręis: particulam ſimilitudinis omittere ac ſubintelligere: ita vt ſenſus ſit. *Vtinam, ſicut cœpimus, & manſiſſemus,* ſeu, *etiam manſiſſemus trans Iordanem.* Septuaginta vero, καὶ εἰ κατῳκίσθημεν

A κατῳκίσθημεν παρὰ τὸν Ἰορδάνην. Sed votum, vt dixi, eſt impoſſibile quia res præterita, & facta infecta eſſe non poteſt, vt cum dixit ille:

O mihi præteritos referat ſi Iuppiter annos.

Et huiuſmodi multa iis, quos anteactæ vitæ pœnitet, vota ſunt. At enim 14. qui optarunt: *Vtinam mortui eſſemus in Aegypto*, peccarunt. Reſpondet q. 17. Abulenſis. *Verbum Ioſuę fuit malum, fuit tamen toleratum: quia ex amaritudine magna cordis dicebat: qui non dixiſſet ſine amaritudine in tranquillitate manens: quia tamen confidens de Dei pietate dicebat: non fuit ei ad malum imputatum: ſicut de*
B *Moyſe, quando orans pro toto populo dixit. aut dimitte illis noxam hanc, aut dele me de libro vitæ, in quo me ſcripſiſti. Illud enim malum dictum erat, quia petebat contra charitatem. tamen quia zelo ſuccenſus: & in dolore manens dixit: ad malum imputatum non eſt. Quod autem Ioſue bono animo diceret: patet ex iis quæ fecit: quia in hac amaritudine recurrit ad Dominum proſtratus coram arca. ſi tamen non conſideret bonitatem eius, non oraret ad ipſum. Item patet ex verbis ſuis ſequentibus, quæ ſunt verba orantis & ſuadentis, vt non deſperantis.* At ſane his in verbis neque Moyſes, neque Ioſue malum dixit, ſeu peccauit. De Moy-
C ſe monſtratum in Exodo: De Ioſue patet: quia neque à Deo vel minimum reprehenſus eſt, & quia licet optare malum, quod præteriit, nunquam extitiſſe, quia hoc ipſum, boni rationem quandam habet: ideoque & optari poteſt, quemadmodum, qui pœnitentia præteritorum ducitur, optat ſe nunquam peccaſſe.

III. Rationes tam expoſtulationis quam voti huius ſubiiciuntur tres, ab Ioſuæ ſcilicet perſona, hoſtium, & Dei: ſed magno cum animi mœrentis, & demiſſe precantis motu. *Prima ratio* v. 8. *Mi Domine, quid dicam, videns Iſraelem hoſtibus*
D *ſuis terga vertentem?* Pro illo, *mi Domine*, eſt Hebraice, *in me Domine*, modus loquendi, cuius in obſecrationibus vſus maximus, & volunt aliqui ſubintelligi, *Attende.* Alij, *in me Domine ſint oculi & aures tuæ*, alij aliter. Sed vim optime noſter exprimit. Et *dicere* tam interiorem animi dictionem, quæ cogitatio eſt, quam exteriorē, quæ ore ac ſono fit, complectitur. *Secunda ratio* verſu 9. *Tertiam* vide ibidem. *Et quid facies magno nomini tuo?* Edic igitur, obſecro, peccatum, ob quod uobis iratus es: ob quod ab iis, quos profligare oportebat, profligari nos facis: idipſum
E nobis clementer condona. Nam ſi peccatum non expiabitur, neque tu placare, conſuetamque noſtri curā geſſeris, nos vtique peribimus omnes; nomen funditus noſtrum, quod à ſeruo tuo Iſraele ortum, funditus extirpabitur. Sed homulorum nomen extirpari paruum fortaſſis detrimētum eſt, aut potius nullū, ſi per ſe idipſum, ſpectetur: Tuum vero nomen, ô Deus, quod vere magnum eſt, debita gloria & honore non celebrari, quin vero contemni, & irrideri, abiici & exterminari, eiuſmodi eſt, vt dānoſius, exitialius & luctuoſius eſſe nil poſſet.
F Et tamen ita futurum, ſi tua contra nos ira perſtet, noſque, vti iam incipis, metu, fuga, cæde pergas, coram Chananæis, afficere. Dicent enim Gentes, vt Numer. 14. verſu 16. Potuit in terram Iſraelitas introducere ipſorum Deus: in ea eos conſeruare, ac tueri non potuit. Dij noſtri ſunt illo fortiores, maiores, me-

liores. *Manus noſtra excelſa & Dominus fecit hæc* A *omnia.* Deuteronom. 32. verſu 27. Poteſt hæc precatio non male à Chriſtianis contra Turcas adhiberi, præſertim cum vrbes capiunt, aras & templa prophanant, vt in Tranſſyluania fieri iam dicitur ab impio quodam Cæculo Moyſe, prius Caluiniano, nunc Apoſtata, & Mahometano. Et vero ſi parua licet componere magnis, dum contra ſocietatem Iesv tot & tam maledicas, tot, & tam maleuolorum linguas quotidie audio, dum tot & tam virulentas, quæ modo Pariſiis ab Arnaldo neſcio quo, modo Lugduni Batauorum & Amſtelrodami & alibi Latine, Gallicéque cuduntur, ingentes calumnias, ſycophantias, & mendacia video & lego, non poſſum non cum Ioſue Iesvm Dominum & Saluatorem noſtrum orare. omniumque maxime in vltima iſta clauſula inſiſtere. Quid, ô Bone Iesv, *magno nomini tuo facies?* Magnum, & vere magnum, & prout Hebræus articulus indicat, eximie, præ aliis nominibus omnibus magnum eſt nomen Iesv, nomen ſalutare, nomen Saluatoris. Ab hoc ſocietatem Iesv nominari voluiſti. Hæc pluſquã 40. annos ex Aegypto abs te ducta, gubernata, & in terras, ac vrbes, quas voluiſti, introducta, ſpiritale Hierichuntinis voluptatibus ac vitiis indixit: Hæreſeon tumulum & vrbem *Hai* tentauit: ſed ecce ipſa funditur, fugatur omni conuiciorum, contumeliarumq. genere proſcinditur & laceratur. Quam exultant hæretici? Quanto tripudiant gaudio? Quoties inter ſe iactitant de religione auita, de ſancta Romana Eccleſia, de tota Catholica fide, in qua, & per quam ſolam magnum nomen tuum in terris celebratur, & ſanctificatur, actum eſſe? Quoties gloriantur manum ſuam excelſam, à ſe ſtare veritatem, ſe purioris, ac reformatioris doctrinæ magiſtros? falſa quidem ſunt hæc. Nam neque Ieſuitis euulſis Chriſtiana fides, quæ aliis longe columnis innititur, vna conuellitur: neque ab hæreticis ſtat veritas, doctrinæque ſynceritas: ſicuti & Chananæi falſo manum ſuam excelſam, aut Deum Iſraelitis diutius conſeruandis impotentem dixiſſent. attamen hæ iſtorum voces, gloriationes, triumphi. Et quid facies magno nomini tuo Christe Iesv? *Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.* Sanctificetur hoc ipſum nomen tuum: &, propter idem, *propitiare peccato meo. Multum eſt enim.* Pſalm. 24. verſu 11.

QVÆSTIO XIV.

Ad Ioſuæ petitionem, quæ Dei Opt. Max. reſponſio?

PRimo quidem Ioſue iacentem erigi ac ſtare iubet Deus, deinde accepti damni cauſam aperit: tertio inculcat, niſi cauſa hæc tolleretur futurum, vt inchoatum iam damnum perpetuetur. demum quomodo cauſa illa tollenda ſit, explicat. I. v. 11. *Surge.* In Hebræo quidẽ eſt, *ſurge tibi*, ſed ita, vt ad Latinũ Græcumq. textũ inde nil accedere poſſit, niſi forte maior quæpiã emphaſis, quæ in huiuſmodi, quæ ad motum ſpectant, verbis apud Hebræos frequentiſſima eſt. vt, & 2. Reg. 2. verſu 21. *Declina tibi ad dextram, vel ſiniſtram.* Prouerb. 20. verſu 14. *Malum malum dicit omnis emptor, & vadit ſibi.* 2. *Cur iaces pronus in terra?* Verti poſſet, *cur hoc?* Quorſum iſta res? *Tu proſtratus ſuper faciem tuam. Eſt autem certum*, interrogatione non vti Deum, cognoſcendi, quod cum latuiſſet, cauſa. Nam & omniſcius eſt, & ipſe ſatis, cur ita ſeſe proſtrauiſſet expoſuerat Ioſue: Neque quod intemperanter ſeſe, tum dolori dederit, quod aſſerit Caluinus, & ſupra refutatus eſt: arguit Dominus: neque B ipſum etiam reprehendit modum ſupplicationis, qui in proſtratione cernitur, humilẽ, prout ipſemet fatetur Caluinus: ſed ipſum Ioſue vrget ea interrogatio, ad maiorem humilitatem, noua ſuſcipienda cogitatione de cauſa tantæ abiectionis. Nam quaſi admiratio eſt rei nouæ, & pudorem, ruboremq. iniiciens ipſi abiecto & ſupplicanti: ſimulque interim monet, vt ſurgat, & quia, præ ſumma animi demiſſione, conatuque Deum placandi, non ſtatim vultum ſuſtulit, in pedes ſeſe ſurrexit, precumque finem fecit Ioſue, repetitur verſu 13. idem *ſurge.*

C Secundo, Accepti damni cauſa panditur verſu vndecimo, generatim quidem peccatum: ſpeciatim peccatum in anathematis furto & ſacrilegio. de quo ſupra quæſtione 8. & 9. Et quia humano forte iudicio videri poſſet peccatum leue, id perquam graue oſtendit Dominus quadruplicibus verbis, & quadruplata particula, etiam in Hebręo, pro qua noſter Interpres poſuit *& quid, atque. Mendacium* vero hic nominatur. quia ſe ſpoponderant omnes nihil ex anathemate ablaturos cap. 6. verſu 18. 19. 20. nunc vero factum ſecus. Libenter diceret Caietanus, interrogatos Iſraelitas, an cepiſ- D ſent ex anathemate quidpiam, & negaſſe omnes etiam Achanem, ſicque mentitum. Veri tamen ſimilitudo nulla eſt. Ac tribuitur peccatum pluraliter pluribus Iſraelitis, cum vnus tamen fuerit, ob cauſam, de qua poſtea.

III. Damnorum iſtiuſmodi terror erit perpetuus, ni peccatum hoc expietur. Et repetitur cauſa duplex. *Prima.* Quia *populus ipſe factus eſt anathema* vti Hebraice & Græce dicitur, id eſt, exitio deuoti ſunt Iſraelitæ, & digni, qui anathematis inſtar ẽ medio penitus tollantur: vel vt noſter, *anathemate pollutus eſt populus. Secunda.* E Quia non vult cum populo ita polluto eſſe Dominus. quid vero, & quantum ſit *Dominum eſſe cum aliqua*, dictum eſt cap. I. Verum non præciſe ait nolle ſe Iſraelitis amplius adeſſe, ſed cum conditione, quam Latinus ita vertit, *donec conteratis eum qui huius ſceleris reus eſt.* Hebraice vero & Græce: *niſi diſperdideritis anathema è medio veſtri.* Modus autem diſperdendi ac profligandi deinceps traditur.

IV. Quomodo malorum iſtorum tollenda cauſa ſit, explicatur quadrupliciter. *Primo.* E precibus ad alia, quę facto opus, approperando *Surge. Secundo.* indicendo ſanctificationem vni- F uerſo populo. *Sanctifica populum*, modo ſcilicet expoſito ſupra cap. 3. verſu 5. per veſtium lotionem, corporum, animorumque caſtimoniã, & noctis illius ſecubitum. *Tertio.* Dicendo ei-

Digitized by Google

dem populo, cauſam acceptę cladis eſſe ſacrilegium, neque fieri poſſe, vt omnis deinceps abſit calamitas, niſi è medio illud tollatur. *Quarto.* Remedium denique proſcribendo duplex. Vnum quidem in fonte poſitum inquirẽdo verſu 14. Alterum in eodem inuento puniendo, verſu 15.

QVÆSTIO XV.

Sontis inquirendi quænam à Deo præſcripta ratio?

TOtum populum ita deuiſit Dominus, vt vnum illud tandem caput, in quo reſidebat ſcelus inueniretur. fuit autem iſtiuſmodi quadruplex diuiſio. *Prima. Totius populi in ſuas tribus.* Et quęſitum ex hiſce tribubus, quænam crimini huic obnoxia. hęc vbi comperta, fuit *altera* diuiſio huius vnius *tribus in familias*, ſeu gentes & cognationes, è quibus ea conſtabat. Et de iis quæſitum pariter. quænam eidem crimini obnoxia. Et hęc vbi deprehenſa, fuit eius *familiæ* facta *diuiſio tertia*, in omnes *ſuas domos.* & vbi ſimiliter quæſitum inuentumque fuiſſet, facta eſt quarta & vltima inuentę domus diuiſio, in capita ſingula. Et poſt inquiſitionem, ſons inuentus. Hęc enim optima, expeditiſſima, & compendiaria fuit, huius, qui quærebatur inueniendi ratio in tot, tantiſque hominum millibus. In promptu ſiquidem erant familiarum, domorum, & capitum diſtinctiones & numeri. Ac *tribus* quidem ſacrilegij rea hic *inuenta Iudaica, familia Zarachi*, *domus Zabdi*, *homo Achan.* Sed ſunt hic dubitationes nonnullę.

Prima, *fueritne in iſta tribuum inquiſitione, tribus Leuitica?* R. Quia & ipſi Hierichunta intrarunt Leuitę, potueruntque non ſecus, quam tribuũ aliarum homines peccare, omnino in quęſtionem etiam vocata eſt tribus Leuitica. Dices. ergo fuiſſent XIII. tribus? Reſpondetur *primo.* in textu hic non aſſeri fuiſſe tantum duodecim. *Secundo.* Quando de rebus, quę omni prorſus populo communes erant, agebatur, ſuum in tribubus Iſrael tenebat locũ Leuitica: Et tamen nihilominus XII. tantũ tribus cenſebãtur, quia duæ illæ, quæ ex Ioſeph proſeminatæ, *Ephraim & Manaſſe*, velut vna ſumebatur, Ioſephicaque dicebatur. ſic in XII. Rationalis Pontificij gemmis vna erat Leuitica, in XII. Iordanis lapidibus vnus Leuiticus, & in Galgalis ſimiliter ſupra c. 5. Quando vero aliquid erat, quod prophanas tantum tribus attingeret, excludebatur quidem ſacra tribus Leuitica, ſed in duas tribuebatur Ioſephina: ſicque idem XII. tribuum erat numerus. Vide Abulenſem q. 24. 25. 26. 27.

Secunda, *An totæ tribus, familiæ, ac domus prodire debebant, an vero ſingularum præcipui, ac magiſtri?* Vt prodirent præcipui, ſatis fuiſſe cenſet Maſius, nimirum pro qualibet tribu eius princeps qui φύλαρχος dicebatur, vt expoſitum capite 3. pro qualibet gente ſeu familia, *Princeps*, qui δήμαρχος: pro qualibet domo *ſenior*, & quaſi pater domus totius. Eſt hoc probabile. Vt integrę tamẽ ſeſe ſtiterint tribus, familiæ, domus, non eſt etiam improbabile. Sed quando ad

A ad quartam deuentum erat diuiſionem, illud omnino erat neceſſarium, vt ſeſe omnes, ac ſinguli ſiſterent.

Tertia, *An fœminæ ac pueri debuerint ſe in quarta ſiſtere diuiſione?* Negat quæſtion. 28. Abulenſis. quia viri ſoli vrbem Hierichuntinam ingreſſi ſunt, ſed veriſimilius, etiam fœminas ac pueros inquiſitione iſta quarta comprehenſos. Licet enim primo impetu, dum in vrbem irrumpendum cædeque in Hierichũtinos omnes graſſandum fuit, ſoli viri, bellatoreſque illam ingreſſi ſint, poſtea tamen ſexus, ætaſque omnis ingredi potuit, vti dictum c. 6. q. 11. 25. 31. B ideoque & clepere aliquid. Nam etiam fœminæ, puerique furaces. Conſtat vero ex legibus, quæ maſculino generi feruntur, & quidpiam prohibent, fœminas etiam contineri.

Quarta, In quadruplici hac populi partitione, quomodo inueniri potuit, quænam ſacrilegij rea tribus, gens, domus, & caput? Propria id quæſtione dignum, prout ſequitur.

QVÆSTIO XVI.

C *An forte vel Vrim & Thumim oraculo, vel modo quopiam alio detecta fuerit rea tribus, gens, domus, perſona?*

CAietanus *ignorari* ait *modum.* Eorum tamen qui hunc ipſum perſcrutati, tres ſunt opiniones: & poſſunt eſſe quatuor. *Prima* Rabbinorum quidem aiunt ante arcam adductas tribus omnes, & ab hac, *Primo.* tribum quæ rea eſſet iniecta veluti manu apprehenſam, & vt ſe mouere non poſſet, retentam: *deinde.* ſimiliter familiam, *Tertio.* domum: *Quarto.* denique perſonam. *Secunda opinio*, Vt horum pars inuenta D fuerit per *Vrim & Thumim* oraculum, pars per ſortitionem. Ita Raſchi, Radak, & ex R. Eliazeris capitulo 38. Lyranus. Dicunt enim tribus omnes ante Domini conſpectum adductas, & eius, quæ rea eſſet, gemmam in Pontificio pectorali obſcuratam quaſi nigruiſſe, ſicque deprehenſam: deinceps vero de tribus huius familiis, domibus, & perſonis quæſitum ſortito. *Tertia opinio.* Vt ſorte diluxerint omnia, ſicque putat Ralbag. *Quarta opinio*, Vt *Vrim* oraculo patefacta fuerint omnia. Licet enim modum iſtum poſuerit, quem quidem viderim, nemo E ex iis tamen, quę de huius oraculi, tam quoad interrogandum, quam reſpondendum modo dicta ſunt libro primo cap. 9. poni poſſe apparet: mihique is placeret, niſi tertia magis arrideret opinio. *Primo.* Quia diſerte Ioſephus Iſraelitas haccere κληρῶν ϗ, περιπεσεῖν τὸν κλῆρον facit. *Secundo.* Quia Latinus Interpres verſu 14. pro eo, quod Hebręo eſt, *quam apprehenderit Dominus*, & Græce *quam demõſtrauerit Dominus*, vertit, *quam ſors inuenerit*, exprimẽs videlicet modũ, quo Dominus illam apprehendit, & demon- F ſtrauit, non manus iniectione, non oraculo *Vrim & Thummim*, ſed ſorte. *Tertio.* Quia in ſimilibus populi partitionibus, & perſonarum inquiſitionibus ſortem vſitatam ſcripturę monſtrant aliæ, 1. Reg. 10, verſu 20. in Saulis Regis electione: cap. 14. verſu 42. in eius, qui præſcriptum violaſſet ieiunium indagatione. vt ſortes

Digitized by Google

ſortes interim mittam Leuit. 16. 34. Ionæ 1. Lucæ 1. Actorum 1. *Quarto*. E quatuor propoſitis opinionibus videtur hæc aptiſſima quia prima commentitia eſt, & è verbulo *Apprehendit*, verſu 14. futiliter petita. Quis enim neſcit cum apprehendi ſontem, qui certo indicatur, & detegitur cum antea lateret? altera diuidit modũ inquirendi, & ex ſolo arbitrio, eius modi partẽ Rationali, partem ſorti adſcribit. Melius autem & verius eſt, vna eademque via & ratione omnia eſſe inueſtigata. Quarta omni caret auctore, neque argumento vllo tertiæ præponderat. *Quinto*. Auctor apud Hebræos inprimis bonus & nobilis eſt, qui tertiam hanc tradit ſententiam, eique aſſentiuntur Diuus Thomas 22. quæſt. 95. art. 8. Gratianus 26. quæſt. 2. Abulenſis quæſt. 29. & 30. Andr. Maſius folio 129. Ribera Ionæ 1. num. 41. Gregorius de Valentia in illam D. Thomæ quæſtionem diſputat. 12. puncto. 3. Greg. Toloſas libro 34. cap. 5. Valerius Marcius Marnienſis L. de doctrina promiſcua cap. 21. & è Nouatoribus Chytræus folio 47. Zvvingerus volumine quinto, libro quarto.

QVÆSTIO XVII.

Sors quotuplex?

SOrtium diuiſiones variæ ſunt. *Prima*. Sors aut *luſoria* vt alea ludique ſimiles, aut *ſeria* eſt. *Secunda*. Et vſitatiſſima traditur loco citato à D. Thoma ex fine, vt ſint ſeriæ ſortes aliæ *diuiſoriæ*, aliæ *conſultoriæ*, aliæ *diuinatoriæ*. Nimirum vel ſola cognitio per ſortem quæritur, vel etiã actio quæpiam. Et ſola cognitio, licet eſſe poſſit rerum tam præteritarum, & præſentium, quam futurarum, quia maxime tamen in futuris exercetur, idcirco, ait, idem ſanctus Thomas, *ſi quæratur quid ſit futurum vocatur ſors diuinatoria*. Cum vero præter cognitionem ſpectatur actio, ea vel ſpeciatim conſideratur, datio ſcilicet, ac applicatio rei alicuius alicui faciendæ, ſiue res illa *bonum* quodpiam ſit, vt honor, ac dignitas, opes aliquæ in fundis, agris, aliiſve terræ portionib. in pecuniis, pecudibus, municipiis, aliiſue ſimilibus poſitæ, aliquæ denique prærogatiuæ in aliquo actionis alicuius gratæ ac expetitæ ordine: ſiue res illa *malum* ſit, vt mors aliaue pœna & moleſtia, & ſic *ſors diuiſoria* dicitur. vel generatim conſideratur actio, quæcunque ſcilicet ſub conſilium & deliberationem cadere poteſt, & *ſors* eſt *conſultoria*, ſub qua poſſet contineri *diuiſoria*. In hac enim vel conſtat de bono vel de malo inferendo, & inquiritur ſorte tantum, an aliquis ſit illo dignus: vel conſtat aliquem eſſe dignum illo bono aut malo: ſed ſortito quæritur, quale ipſi bonum aut malum imponendum: vel denique neutrum conſtat, & vtrumque ſorte inquiritur. Verbi cauſa, conſtat hic ei, qui ſacrilegium admiſerit, inferendam ignis pœnam: ſed neſcitur, quiſnam ſacrilegus. fieri autem poſſet vt ſacrilegus eſſet notus, ignotum tamen eius ſupplicium: vel tam ipſe ignotus, quam ſupplicium, poſſetque ad omnium inquiſitionem adhiberi ſors. At ſane poſſunt eadem hæc omnia conſilio, cura, & induſtria humana inquiri & non raro inueniri. Ad conſultoriam ergo ſortem generatim ſumptam reuocari queat diuiſoria. Quia tamen in diuidendarum huiuſmodi rerum negocio crebrius verſari ſolet ſortitio, non male ab actionibus & ſortibus aliis ſecerni poteſt. Non neſcio aliter à Caietano etiam in *ſummula* ſortes has exponi, & rurſum aliter ab Abulenſi q. 35. ſed vel diuiſio illa parum aut nihil accurata, vel dicto iam modo explicanda.

Ex fine rurſum poteſt alia hæc eſſe diuiſio. Sors vel cognitionem quærit ſolius Dei propriam, cuiuſmodi eſt, quæ circa cordium cogitationes occupatur, quæ de rebus inconſtantibus & fortuitis certiſſima eſt, quæ denique perfectiſſima & maxima, vel cognitionem inferiorem, quæ ſub intellectum creatum cadit, quæ coniecturalis, & imperfecta eſt.

Secundo. Ex cauſa efficiente, quæ duplex, *principalis & inſtrumentalis*. Et illa hoc loco iterum duplex. Aut enim eſt homo is, qui ea ipſa quibus cognitio illa ſortiaria quæritur, palam efficit, vel is, qui quæ homo illo palam effecit, occulte dirigit, & cognitionem, quæ petebatur, per illum foras effert. *Sortitoris* nomen vtrique cauſæ datur, priori quidem ſæpe, poſteriori rarius quidem, interdum tamen, vt cum in Troade Act. 4. apud Senecam dicitur. *Quis tam potens ac ferus, & iniquæ ferus ſortitor vrnæ?* Prior vero proprie *ſortilegus & ſortiarius* nominatur, eſtque vel is ipſe, qui ſortem petit, vel alius ab eo delectus, vt ſacerdos, vel puerculus aliquis, ne quid ſcilicet fraudis interueniat, dum huius iſte ignarus ſacerdos ſanctus, & ab ea alienus habetur: ipſi vero ſortientes attentis omnia oculis aſpiciunt, Maſius ad verſum 16. *In ſacra*, inquit, *hiſtoria eſt, vbi ab iis contrectantur ſortes, in quos ſit ſortitio*, *vt 1. Paralip. c. 24. Eſt etiam vbi ab alijs, & vt opinor ſacerdotibus. Nam iacite*, inquit Saul, *inter me & inter filium meum Ionatham. Aliquando ipſe princeps ſortitionis diuinæ adminiſter eſt, vt c. 18. Ioſuæ*. Cicero 2. de diuin. *Sortes pueri manu miſcentur*, atque ducuntur. Poëta.

Ille ſacras pueri ſortes ter ſuſtulit: illi
Rettulit è triuiis omnia certa puer.

Hæc tamen nomina in peſſimam inflexa partem non niſi ſuperſtitioſos ſignificare cœperũt & apud Gallos, eas mulierculas, quæ cum dæmone agunt, quæ in Germania *Heren* & *Buboldt* vocantur. Et ſic ſors vel ab ipſiſmet ſortientibus eſt, vel à ſacerdote aliquo, vel à puerulo. Poſterior cauſa cenſetur eſſe Deus aut Deaſter, vt *fortuna*, dæmon, cœlum. Nam Angeli boni, qui & temperare ſortem poſſunt, Deo quaſi adminiſtri tribuuntur. ſicque ſors vel cenſetur diuina vel ſuperſtitioſa.

Ex inſtrumentis vero, quibus ſors fit, tot eſſe poſſunt ſortiũ genera, quot inſtrumentorum illorum. Indicaui vero in Eſth. c. 3. q. 4. inſtrumenta, in quibus ponuntur interdum ſortes & adiici poſſent *aqua*, vt apud Plautum, & Pauſaniam in Meſſenicis: itemque *altaria ſacraque mẽſæ*, ex Nicephoro lib. 16. c. 11. & 18. Legibus friſ. tit. 74. Cælio Rhodigino lib. 20. cap. 27. Suetonio in Tiberio. Alia ſunt inſtrumenta, quæ ad ſortem vſurpantur, vt apud D. Thomam 22.

Digitized by Google

quæſt. 96. a. 3. *puncta, plumbum liquatum, ſchedulæ, feſtucæ, taxilli, & liber*: iſque vel *diuinus* eſt, vt apud Turonenſem lib. 4. hiſtor. cap. 16. & 20. lib. 5. cap. 14. & 47. Metaphraſten de S. Theodoro die 11. Septembr. D. Auguſtin. lib. 9. Cōfeſſ. cap. vlt. & Epiſt. 119. cap. 20. Ranulphum lib. 7. Polychronici cap. 6. Cedrenum in Heraclio, Gregoram lib. 8. in Andronico, Cardanum de rerum varietate lib. 14. cap. 68. vel *profanus*, & ſic olim è *Muſæo* Poeta ſortes, itemque *Homericæ*, ac *Virgilianæ*, de quibus in *Adriano* Spartianus. Nam Poetæ quaſi ἔνθεοι, & Diuum cura, diuinique putantur. & dicebant ipſi.

Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo
Sedibus æthereis, ſpiritus ille venit.

Rurſum *litteræ priſcæ* ac *ignotæ* apud Cic. 2. de diuin. *notæ*, vt apud Plutarch. in Apophthegmatibus, cum Dionyſio, qui Syracuſanus, poſtea Tyrannus cum ſorte litteram μ accepiſſet aliuſque irridendo diceret, μωρολογήσεις, imo, dixit, μοναρχήσω. Hinc varij varie conformati *characteres in terra, cinere, vnguibus*, & ſimilibus, de quibus Saxo Grammaticus lib. 14. Daniæ, Bodinus lib. 1. dæmon. cap. 6. *Annuli* apud Plutarch. in Timoleonte: *fabæ* apud eundem lib. de educatione liberorum, Herodotum lib. 6. & apud Gallos hoc tempore, dum, Epiphaniæ die Reges ſortiuntur. *Sagittæ* apud Ezech. 21. *Virgæ* apud Tacitum lib. de moribus Germ. Et Gunzalinum Mendozam lib. 2. hiſt. Chinenſis cap. 4. Oſeæ 4. v. 12. *Taleoli* apud Saxonem loco citato, & tit. 14. Legum friſ. vbi *tenny* vocantur, quaſi abiegni rami cum abies ſit *Tennenbaum*. Germanice: *folia*, vnde Mercurij ſors apud veteres: *cultri ſurſum iacti* & relapſi, hodie vulgo etiam inter luſitantes pueros: alia ſexcēta, prout in mentem quibuſdam venit.

Tertio ex materia, circa quam verſatur. eſtque vel *propinqua*, rei ſcilicet latentis cognitio, vt ſupra, vel *remota*, ipſa ſcilicet res, de qua ſortitio eſt, vti regna, fundi: ſic enim vt ex Seneca in Hercule furente act. 1. intelligitur, cæci dicebant Gentiles:

Iuppiter aſtra, fretum Neptunus, Tartara Pluto,
Regna paterna tenent tres tria, quiſque ſuum.

Et ſic *promiſsionis terra* diuiſa eſt, vt infra patebit, cap. 13. ſic & *Holſatia*, vt ait in cap. primū Iud. Chytræus diuiſa. Sic & alia bona, vel hæreditates, *l. Meminimus* Cod. lib. 10. tit. 34. *Secundo. Spolia* crebro inter milites. ſicque CHRISTI Domini veſtes Matthæi 27. *Tertio. Captiui* apud Senecam Troade act. 1. *Dominum ecce Priami nurribus & natis legens ſortitur vrna*, & act. 4. *Verſata dominos vrna captiuis dedit*, *Quarto. Prouinciæ* apud Romanas, vt ex Cic. de prouinciis cōſularibus, & alibi patet. *Quinto. Neci dedendi*, vt Achan & *decimati* milites apud Liuium decade 1. lib. 2. Dionem lib. 41. Socratem lib. 11. tripart. cap. 8. aut pœna quauis afficiendi apud Delrium lib. 4. Diſquiſ. 4. q. 1. Cæſarem in bello Gallico. *Sexto. Iudices* apud eoſdem Romanos teſte Sigonio lib. 2. de Iudiciis c. 12. Alexandro ab Alex. lib. 5. c. 2. *legati* & alij apud Tacitum lib. 4. hiſt. *Senatores* apud Dionem q. 54. *Septimo. Ordo in Senatu*, vel iura dicendi apud eundem Alexandrum lib. 4. c. 11. & l. 14. ff. de Iudiciis. *Octauo. Locus in acie, & ordo excubiarum*, aggreſſio-

A num, aliorumue multorum negociorum apud Liuium libro 2. decad. 3. Guilelmum Tyrium lib. 12. c. 24. *Nono. locus in conuiuio*. Athenæus lib. 8. *Decimo. Athletarum commiſsio* & pugna oſtendit in Hermotimo Lucianus: quadrigarum in circo egreſſus apud Bullengerū lib. de circo c. 13. *Vndecimo. Sancti* quidā ad imitationē & inuocationē prout hodie quot menſib. in ſodalitate B. Virginis, & in ſocietate IESV fit: olim publice in templis, vt ex verſatili corona, eam ad rem factam Herbipoli patet in forenſi B. Virginis templo, & ex Bonfinio de S. Eliſabeth: Cardano

B lib. 16. de rerum varietate c. 92. Franc. Lopez. 21. hiſt. Mexic. de Ferdinando Corteſio, ex Cæſario denique lib. 8. c. 62. *Duodecimo, Miniſteria ſacra* Luc. 1. v. 8. & *dignitates* act. 1.

Quarto. ex forma. & quæ totuplex eſt, quotuplex inſtrumentorū ad ſortis exquiſitionē cōpoſitio & vſus, qui in multis etiā hodie notiſſimus. Poſſunt aliæ fieri diuiſiones, verbi cauſa ex loco, vt *Prænestinæ*, de quibus 2. de diuin. Cicero, *Geryoniæ*, iuxta Patauium Suetonius in Tyberio c. 14. *Delphicæ* apud Horatium in arte

--- Et diuina futuri

C *Sortilegi non diſcrepuit ſententia Delphis:*

Ex tempore, *veteres, hodiernæ*, ex circumſtantiis aliis, de quibus infra, vt *religioſæ, prophanæ*, conceſſæ, vetitæ.

QVÆSTIO XVIII.

Sintne ſortes fortuitæ?

VTuntur aliquando ſcriptores pro eadem re hiſce nominibus, *ſors, ſors, fortuna*, & ali-

D quando diſtinguunt. vt cum ait ſatyra 1. Satyricus.

Qui fit Mecænas, vt nemo quam ſibi ſortem
Seu ratio dederit, ſeu ſors obiecerit illi
Contentus viuat.

Et priore modo non tam dicenda ſors fortuita quam ſors: Poſteriore vero non omnis ſors fortuita, cum aliquam det ratio, non obiiciat ſors. Verum *ſortis* nomen ſumi tunc potius videtur pro re, quam quis habet, quæue ipſi obtigit, ſiue hæreditate, ſiue induſtria, ſiue alio quouis modo. Mittendi autem nomina, & de

E ſorte quatenus eſt rei occultæ per inſtrumenta eiuſmodi, de quibus ſupr. q. 17. ſiue ad ſolam cognitionem, ſiue ad actionem referatur indicatio, quæritur *debeatne fortuita exiſtimari*? Reſpondendum vero *primo. fortunam* olim Deum, aut deam quandam ab miſeris æſtimatam Ethnicis, quorum ait nomine Iuuenalis:

Te facimus fortuna Deam, cœloque locamus.

De cuius nominibus & templis multa lib. 1. cap. 13. Alexander ab Alexandro: de pictura Cebes in tabula, & Albertus in ſecundo Phyſicorum capite ſexto. & ſic neque ſortes, ne-

F que vlla effecta fortuita omnino ſunt, quia nullum ſors Numen. Et ſic Diuus Auguſtinus lib. 4. Ciuit. cap. 18. fortunam vllam eſſe negat, & lib. 1. Retractat. cap. 1. *in tribus*, ait, *libris meis, contra Academicos, non mihi placet toties me appellaſſe fortunam, quamuis non aliquam Deam voluerim hoc nomine intelligi, ſed fortuitum*

Digitized by Google

A *rerum euentum vel in corporis noſtri, vel in externis aut malis.* Et paulo poſt: *Pœnitet me ſic illic nominaſſe fortunam, cum videam homines habere in peſſima conſuetudine, vbi dici debet, Hoc Deus voluit, dicere. Hoc voluit fortuna. Secundo.* Fortuna interdum vocatur, res cuius nos latet cauſa. *fortaſſe,* inquit, eodem Retractationum loco Auguſtinus, *quæ vulgo fortuna nominatur, occulto quodam ordine regitur, nihilque aliud in rebus caſum vocamus, niſi cuius ratio & cauſa ſecreta eſt,*&ſic ſortium plurimæ fuerint fortuitæ: non omnes tamen,quia quarundam cauſam eſſe Deum conſtat, vt huius de Achane. ſed iſto modo innumerabilia, B etiam quæ natura, & ſemper fiunt, erunt fortuita.itemque rudioribus plurima fortuita,quę non eruditioribus.Magnetis verbi cauſa in Arcticam plagam conuerſio cunctis fortuita: & eclipſis indoctioribus omnibus: cuiuſmodi erant illi, de quibus in Aſtrolabo ſuo Roias. ſicque quæſt. 32. hæc forte argumentatur Abulenſis. *Tertio.* Fortuna interdum vocatur cauſa efficiens particularis, reſpectu effectus alicuius qui cum aliquo effectu deliberate, ſeu, vt loquitur cap. 6. libro 2. phyſicorum Philoſophus, *κατὰ προαίρεσιν* ab illa ſpectato copulatur, C non deliberate ſpectatus. Sic Ariſtoteles loco cit. & in eius loci expoſitione grauiores philoſophi tam Chriſtiani Sotus, Toletus, Conimbricenſes, quam Ethnici. Et hoc modo ſortes fortuitas dicunt plerique, vt Abulenſis q.32.33. hic & Caietanus in 22. quæſt. 96. a. 8. Sequius tamen dicendum opinor, *primo.* quia in ſortibus quæcunque fiunt inquiruntur & inueniuntur, ea omnia certo animi conſilio & prouiſione fiunt. Non enim ſortilegus inſtrumenta tantummodo ſortis adhibet, v. c. nō chartas tantummodo in vrnam conijcit, motitat, extrahit, ſed id etiam ſpectat, vt quod illæ D indicauerint, cognoſcat, & amplectatur: Imo propterea illis vtitur,vt hoc inueniat.Quemadmodum igitur ſi quis in agro, eo fine foderet, vt theſaurum inueniret, non eſſet ea inuentio fortuita: ſic neque ſortes fortuitæ. *Secundo.* In omni fortuito euentu duo eſſe debent effectus, quorum vnus per ſe ac primario ſpectatur, alter ei præter omnem opinionem, ſtudiumque omne coniungatur. At in ſortitione vnus tantum primarius effectus, neque ei præter ſortientis opinionem alius vllus coniungitur. Primario enim ſpectat ſortiens cognitionem rei, quā E noſſe cupit, neque huic alius deinceps ſociatur effectus per accidens, quantum quidem eſt ex ipſa ſorte. Nam aliud eſt, ſi aliunde inuidia, dolor, contentio, vel ſimile quidpiam oriatur, quod cogitatum & deliberate quæſitum haud fuit. *Tertio.* Quia ſi fortuitū in ſorte quidpiam eſſet, maxime foret ille cauſarum confluxus,de quo ex Boëtio Abulenſis quæſt.36.37.At ne iſte quidem fortuitus eſt. Nam vt ſortitor manum in vrnam iniiciat, & chartam extrahat, voluntarium eſſe patet. vt vero charta hæc quæ Regem F hunc, aut ſacrilegij reum pronunciet, extrahatur, etiam voluntarium,vel generatim,& quaſi confuſe quatenus volunt omnes alicui chartā hanc obuenire, vel ſingulatim, & preſſe,quatenus ſuapte ſponte ad hanc extrahendam chartam ſeſe libere aſtringit, ac determinat, qui illam extrahit. In nonnullis vero ſortibus fieri poteſt, vt à natura, vel alia quapiam exteriore cauſa determinetur id, vnde proxime cognitio ducitur: ſed quoquo modo ſeſe habeat, ſemper id ſic volunt, & ſpectant ſortilegi. Quemadmodum non dicitur electio Regis fortuita, licet ignorent eligentium ſinguli quemnam ſuffragia vel plura, vel meliora delectura ſint, quia eligi aliquem volunt omnes, idque vnum iam agunt: ſic neque ſortitio fortuita. Et rurſum quemadmodum cum ambulare volo, non eſt ambulatio mea fortuita, licet non præciſe norim, vtrum prius pedem moueam, aut quibus muſculis, ac ſpiritibus ambos moueam: ita nec ſortitio in fortuitis ponenda quamuis in ea quidpiam diſtincte ignoretur, cum idipſum tamen cupiatur & appetatur. *Quarto.* Clare D. Thomas quæſt. 96. citato articulo tertio indicat, & ſortiarias actiones deliberate fieri, & per eas deliberate inquiri ſortiarum euentum. *Diuinatio*, inquit, (ſortiaria) *fit ex conſideratione eorum, quæ eueniunt ex quibuſdam, quæ ab hominibus ſerio fiunt ad aliquid occultum inquirendum.* Si vero non ſint à fortuna ſortes propter cauſas iam dictas,neque à caſu etiam, licet iis latius pateat, erunt. quia nihil in his, quod veluti ſcopus, non ſit propoſitum & petitum, accidit. Et hæc omnia intelligo reſpectu ipſorum ſortientium.Nam reſpectu Dei nihil omnino fortuitum, aut à caſu eſſe norunt paulo ſapientiores Philoſophi omnes, & docet Sanct. Auguſtinus libro tertio de Trinitat. cap. 4. & libro 83. quæſt. 34. Abulenſis quæſtion. 31. Conimbricenſes loco citato licet illa eorum non placeat ratio, quæ vniuerſe ſumit, Deum non poſſe cauſam eſſe per accidens alicuius. Quia poteſt *per accidens* cauſa eſſe peccati, dum ad actionem creaturæ concurrit, efficienter, quæ v. c. furtum, vel adulterium eſt. & tamen huiuſmodi peccatum non ſpectat. cuius eſſe *cauſam per ſe*, deterius & ignobilius quidpiam eſt. ſed forte loquuntur illi de ente poſitiuo. Faceſſat vero illud Auſonij:

Res hominum fragiles alit & regit, & perimit Sors:

Itemque illa Claudiani dubitatio:

Anne nihil poſitum eſt, ſed ſors incerta vagatur?
Fertque refertque vices, & habent mortalia caſum?

QVÆSTIO XIX.

An ex natura ſua ſortes malæ?

CAietanus ſummula v. *ſors.* diuinatoriam ſortem ex genere ſuo malam ait. ſub illius tamen capitis finem, *Breuiter*, ait, *vti ſortibus non eſt ex genere ſuo malum.* Abulenſis diuinatoriam omittit, & tam *diuiſoriam*, quam *conſultoriam* à *malo* quidem *eſſe* aſſerit, *ſecundum ſe* tamen *neutrā malam:* ſed *conſultoriam* quidem *aliqualiter*, vt loquitur, *malam eſſe.*

Dico I. *Sortes illæ, in quibus eorum ad id, quod quæritur apta temperatio, à dæmone, Deoue quouis falſo, & inani expectatur, ex natura ſua malæ ſunt.* De dæmone patet,quia hoc eſt cum eo ſocietatem habere, ab eo erudiri,ac doceri velle: ipſi quaſi honorem aliquem,& cultū tribuere. De Deo

Digitized by Google

falſo patet ſimiliter. quia is *nihil eſt*. 1. Cor. 8. v. 4. & eius, quaſi aliquid eſſet: perſonam agit dæmon. ſicque partim vanitas eſt, ab re, quæ non ſit, expectare rem fieri aliquam: partim idololatria, & ſuperſtitio eſt.

II. *Sortes, quarum etiam temperatio à cœlo tota & certa expectatur, ex natura ſua malæ.* quia cœlo tribuitur vis, qua caret, prout explicat in ſecunda ſecundæ loco citato Caietanus. Et ad has ſuperioreſque ſortes pertinent, quæ apud Cic. 2. de diuin. apud Agrippam lib. 2. de occulta Philoſophia c. 54. & l. de Geomantia fol. 393. imo & illæ, quæ in iure Canonico 26. q. 5. c. *Qui diuinationes* c. *ſortes*, & x. *de ſortibus* c. *In tabulis.* Pertinent etiam ſortilegiorum peccata & ſupplicia.

III. *Sortes in quibus vel finis, vel materia, vel modus ſeu forma vitioſa eſt, ex natura ſua malæ ſunt.* Si enim earum finis ſit cognitionem homini haud congruentem, Deique propriam velle aſſequi, vitioſum ex natura ſua eſſe, quis moralium peritus neget? In his enim moralibus ex fine ſpectatur actionum bonitas, aut vitium. Materia erit vitioſa, ſi modus & forma vitioſa, vt ſi fraus interueniat. quemadmodum à Creſphonte cōtra Ariſtodemi libros factum, apud Pauſaniam in Meſſenicis. Victorium lib. 25. var. lect. c. 15. Et ſi, vt apud Comicum eſt, vnius ſors eſſet *populea*, alterius *abiegna* in aqua.

IV. *His aliiſque ſimilibus falſis, prauiſque opinionibus, & modis remotis, ſortes ex natura ſua malæ non ſunt. Primo.* Vniuerſe laudatur in ſcriptura totū ſortis genus. Ergo ex ſe vitioſum non eſt. Nuſquā enim ſimpliciter laudatur idololatria, homicidium, adulterium, furtum, & ſimilia. At de ſortibus Prou. 16. v. 33. *Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur.* Et c. 18. verſu 18. *Contradictiones comprimit ſors, & inter potentes quoque diiudicat. Secundo.* Sortes à Deo interdum iubentur, & quidem non vni tantum alicui, aut duobus occulte: ſed vniuerſo Iſraelis populo, ſimul & palam, vt hoc loco, & Leuit. 16. *Tertio.* paſſim & ſæpe in ſcripturis vſitantur, neque ipſarum vlla, vſquam reprehenſio eſt. Quis eas igitur ex ſe vitioſas credere audeat? *Quarto.* apud Chriſtianos etiam vſitatæ ſemper fuerunt, vt indicant S. Lucas Actor. 1. & qui de Apoſtolorum diuiſione ſcribunt, prout in libello de Apoſtolis notaui, notatque Gregorius Turonēſis, Cæſarius, & alij ſupra citati, q. 17. *Quinto.* Etiam nunc vſitatur in militaribus, & ciuilibus negotiis multis, vt in herciſcunda familia, boniſque aliis diuidendis, in præſidibus ſanctis accipiendis, in ſacris peſtilentiæ tempore deligendis miniſtris apud S. Auguſtin. Epiſt. 80. in eleemoſynis dandis apud eundem lib. 1. de doctrin. Chriſt. c. 28. in actionibus certis agendis apud S. Bonauenturam in vita S. Franciſci c. 13. Petrum Bleſenſem Epiſt. 30. in ſimilibus. *Sexto.* Fere id concedunt ſub initium citati, Caietan. in ſecunda ſecundæ ad articulum octauum qu. citata de ſortib. quæ fortunæ committuntur, Abulenſis, imo D. Thomas in citatæ quæſtionis art. 8. dum ait. *Talis ſors* (quæ ſcilicet à Deo iudicium, expectat) *ſecundum ſe non eſt mala.* idq. probat auctoritate S. Auguſtini conc. 2. in Pſ. 30. dicentis, *ſors non eſt aliquid mali*, prout etiam

A citatur 36. q. 2. c. 1. Orig. hom. 23. in hunc librum, dum è ſcripturis collegiſſet, quæ pro ſortibus allata paulo ante, concludit non eſſe malas. *Nobis*, inquit, *ab Apoſtolis ſors ducta deſignat, quia vbi ex fide integra, & oratione præmiſſa, ſors ducitur. ea quæ Dei voluntas continet in occulto, ſors hominibus declarat in manifeſto.* Quin & putat ibidem ſorte Angelis euenire, quod hic vel ille ſit hominis huius cuſtos, huius prouinciæ, aut rei præſes. *Sors* Gregorius Tholoſas lib. 34. c. 5. in principio, ait, *videntur ſortium vſus quodammodo inter adiaphora conſtitui. Septimo.* Illud ex genere B ſuo malum non eſt, cuius omnes ſpecies aliquando bonæ ſunt, ſed ſortis ſpecies diuiſoria, & conſultoria ſunt aliquādo bonæ, vti ab omnibus conceditur, & diuinatoria etiam bona eſſe poteſt, quia nihil impedit humanam quāpiam cognitionem, etiam rei futuræ, quæ ſub coniecturam cadere poteſt, quæri, eo modo, quo in ſuperioribus duobus ſortis generibus. quæritur aut diſtribuendi: aut aliud agendi veritas. Nulla enim rationis diſparis ratio eſt. *Octauo.* Si quid ſortem ex genere ſuo vitiaret, eſſet, quia nulla in ſorte vis, vt apte quæſitam poſſit veritatem oſtendere. Nam nulla con- C nexio eorum, quæ in ſortiendo fiunt cum veritate vlla. Eſt vero contra rectam rationem, quærere aliud per id, quod illius monſtrandi vim nullam habet. Vana enim huiuſmodi actio & inueſtigatio. Ego vero aſſumptionem nego. Nam vel Deus ſpeciali concurſu quodam, vel generali tantum, ad ſortes componendas & dirigendas concurrit. ſi ſpeciali, certum eſt iam in ſortibus vim eſſe indicandæ rei, quæ inquiritur, maximam. Vnde & apud Ciceronem lib. 1. de diuinatione illius frater Quintus, *Sortes*, ait, *ductæ, vt in rem apte cadant, fieri poſſe credo diuinitus.* Si generali tantum curſu concurrit, vim equi- D dem nullam ineſſe veram & certam, fatendum eſt: eſt aliqua tamen imbecilla, quæ non tam ex re ipſa, quam ex aliqua hominum ſpecula exiſtit, dum ſperant Deum prouidentia ſpeciali quadam concurſurum. idque quia ipſe poteſt: quia interdum facit: quia ſortiū vſum aliquādo laudauit. Nunc vero viā, quæ interdum certo ducit, interdū quidē non ducit, ductura tamen ſperatur, capeſſere, non ex ſe vitioſum. Qui in Indiā profecturus mari ſeſe cōmittit, iter ſane anceps, periculoſum, ventorum, tempeſtatūque vi prorſus incertum, aggreditur, neque tamen in hoc ipſo, modo adſint, quæ adeſſe de- E bent alia: prauitatis quidquam ex ſe ineſt. Opinatur fore, vt ſuccedat iter forte non ſuccedet. *E rudente*, vt dici ſolet, *apta nauigatio*, & tamen ſerio eam quis improbet?

QVÆSTIO XX.

An ſortium, quæ ſuo ex genere non vitioſæ ſunt quædam vetitæ, quædam conceſſæ?

NVlta ex ſuo genere mala non ſunt, quæ tamen interdum vetantur, interdum cōceduntur. Leporinæ, ſuillæque carnis eſus, mali ſuo ex genere nihil habet, à Deo tamen Iſraelitis olim prohibitus Leuit. 11. v. 2. 6. 26. Alia- F rum etiam hodie carnium, in ieiuniis: eſui vitium ex ſe ineſt nullum, ab Eccleſia tamen iis dieb. excluſus, alias vero admiſſus. Dico igitur.

Digitized by Google

I. *Vetitæ ſortes illæ omnes, in quibus hominum aliquorum crimina exquiruntur*, verbi cauſa, furta, ſcortationes, & ſimilia. tit. *de ſacrilegiis* c. *In tabulis*. Et 26. quæſt. 5. cap. *ſortes*. Et ratio eſt, quia nulla prorſus in ſorte ad crimen vllum indicandum vis, niſi ſpeciali modo id efficiat Deus, vt ſupra dictum eſt. At eum hoc ita efficere, incertum eſt, ideoque certa eſſe non poterit cognitio, è qua hominem criminis damnare, ipſius aut vitam, aut famam in diſcrimen adducere liceat. Aliud eſt, quando certum eſt, Deum ad indicium eiuſmodi ſpeciali efficiẽtia, concurrere, vti quando ſortem iubet, vt hoc loco in Achanis deprehendendo ſacrilegio: vel quando maxima quæpiam aliunde diuini ſpecialis concurſus adeſt opinio, vt 1. Reg. 14. fortaſſis etiam Ionæ 1. Alioqui fieri non raro poteſt, vt innocentiam damnet ſors.

II. *Sanctorum etiam ſortes vetitæ*. cap. *Aliquanti* 26. q. 5. & c. *Si quis clericus*, ibidem ex concilio Agathenſi cap. 42. & Aurelianenſi 1. capite 32. & capite *ſortilegi* quæſt. 1. eadem cauſa 26. Et apud Buchardum lib. 19. cap. 5. ſed obſeruandum, *ſanctorum ſortes* dupliciter appellari. *Primo*. Eas, quibus ſanctorum nonnullos tanquam virtutum magiſtros ad imitandum, noſtroſque patronos ad inuocandum ſortimur. Et has viguiſſe olim, & nunc temporis apud pios vigere dixi ſupra q. 17. & 19. *Secundo*. Eas, quibus ſancti vſi dicerentur, ſed falſo, cum ſuperſtitiones, & dæmonicas fraudes ac impoſturas continerẽt. Et de his loquuntur citati Canones, vt patet ex eorum verbis. Nam in vno eſt: *Student auguriis & ſub nomine fictæ religionis, per eas, quas ſanctorum ſortes vocant, diuinationis ſcientiam profitentur*. In altero: *ſortes quas mentiuntur eſſe ſanctorum*. Et ab his nomen *ſortilegi*, quando crimino ſum eſt, ductum ait lib. 8. cap. 9. Iſidorus. Et ad has pertinent quæ ſpecialiori vocabulo ab aliis vocatæ fuerunt *ſortes Apoſtolorum*, quaſi in libris aperiendis, aut ſortitionibus aliis impiis, ac ſuperſtitioſis, de quibus ſupra quæſt. 10. futura prædixiſſent, arcana detexiſſent, Matthiam elegiſſent. ſicuti & illud falſum, quod in magno quodam manu ſcripto volumine inſignis Abbatiſſæ in S. Otiliæ prope Molshemium monaſterio, *Heiradis Hohebugenſis*, à pictore, dum S. Matthiæ pinxit electionem, pictum vidi: *aleatoriam* ſcilicet *ſortem* ab Apoſtolis vſurpatam.

III. *Ad Eccleſiæ præſules eligendos, ſortes omnes tam mediatæ, quam immediatæ probibitæ* c. *Eccleſia veſtra tit. de ſortilegiis*, vbi Honorius ſic. *ſortis vſũ in electionib. perpetua damnatione prohibemus*. Dixi *tam mediatæ quam immediatæ*. quia ij, ad quos ſcribit Honorius, non elegerant Epiſcopum ſorte, ſed compromiſſione. At qui compromiſſarios eligeret, eum ipſi ſortito delegerãt ſicque ſors immediate quidem in compromiſſariorum electorem, mediate vero in Epiſcopum tandem ferebatur. Sed quæ prohibitionis huius cauſa? Vnam affert Abulenſis hoc loco q. 36. quia dũ electione, non ſortitione creatur magiſtratus, magis ad Deo fidendum erudiuntur Chriſtiani. Scimus enim, ipſi de minimis paſſerculis curam eſſe Luc. 12. quanto magis de Reipublicæ Eccleſiæque bono maximo? Scimus item ex Hierem. c. 10. à Deo dirigi actiones noſtras, & ex Prouerb. 21. Regum cor in illius manu eſſe. Fidendum igitur, eum electionibus adeſſe, menteſque ac voluntates ad hunc vel illum legendum inſtruere ac flectere. ſed reſponderet aliquis, *primo*. fidendum ſane Deo eſſe: ſed hanc in ſortitione tanto magis exerceri fiduciam, quanto aſpectuum humanorum minus habet, ſimpliciuſque ac integrius à Deo expectatur ſententia. *Secundo*. Hac ratione confici non Eccleſiaſticos tantum magiſtratus, ſed Politicos etiam, verbi cauſa, Reges, Duces, Iudices creari ſortito haud poſſe, contra S. Thomam art. citato, & hodiernam experientiam in Venetorum Republica, Contareno teſte lib. 1. de eadẽ Republica: Et aliis etiam in locis, prout notat in C. fin. *de ſortileg*. Panormitanus. Dicendum igitur, ne ſortibus committeretur Eccleſiæ gubernatio, tribus de cauſis recte improbatum. *Prima*. Quia poſt Apoſtolum Matthiam lectum nullius vnquam poſtea fuit in Eccleſiaſticis electionibus ſortium vſus. *Secunda*. Quia Patres monuerant illud exemplum haud imitandum. S. Hieronymus in Ionæ 1. & V. Beda in Act. 1. allati 26. q. 2. cap. *Non ſtatim*. & cap. *Non exemplo*. *Tertio*. Humano conſilio, prudentiaque, dum licet, humanæ ſemper agendæ res, non autem ei rei committendæ, quæ cœca eſt, quæ temere hoc vel illud agit, nullam certam rationem habens, cur hunc potius, quã illũ pronũciet. Ergo multo magis eodem modo ſacræ res tractandæ, & cum humano conſilio, ac ſapientia iungendæ preces, aliique modi Deum conciliandi. Et hoc inſinuat ad extremum Abulenſis. Clare autem affirmat loco citato Caietanus. *Primo*. Quidem, quia Eccleſiaſtici principatus finis multo ſanctior & altior eſt. *Secundo*. Quia eiuſdem materia, circa quam occupari debet, multo itidem ſanctior & auguſtior. *Tertio*. Quãuis poſſet in ſorte Deus etiam conſiliari, tamen decuit Chriſtianos, ſi non in omni re minimum tamen in ſacrorum Antiſtitum creationibus, à quibus boni aut mali pendet plurimũ, ab incerto, ſæpeque fallaci, & periculoſo ſortium vſu auocari. *Quarto*. Multi etiam in Politicorum magiſtratuum creationibus ſortem improbarunt ſapientes. Ergo illam etiamſi fert Eccleſia recte tamen in ſui ipſius gubernatione ſapientiorem, tutiorem, rationique conuenientiorem modum præſcribit. Antecedens illud patet primo ex hiſtoria Taciti libro quarto vbi grauis & Philoſophus & Senator diſſerit Heluidius, *ſorte & vrna mores non diſcerni: ſuffragia & exiſtimationem ſenatus reperta, vt vniuſcuiuſque vitam ſamamque penetrarent*. Philo initio libri de creatione Principis non minus vere quam eloquenter: *Quibuſdam*, ait, *placet ſortito creari principes, nullo ſane ſubditorum commodo. Sors enim ad felicitatem non ad virtutem attinet. Itaque ſæpe accidit, vt ad principatum ſors eueheret, quos vir bonus non ferret in ſubditorum numero: nam & minores Principes, qui ab aliis vocantur Domini, non omnes vernas, emptitioſue aſſumunt ad famulicium, ſed ſolos morigeros, obſequenteſque: cæteros refractarios & incorrigibiles gregatim interdum haſtæ, auctionique ſubiiciunt, vt indignos qui vel ſeruiant in boni viri familia. Quanto minus decet*

Dominum principatumque integrarumque ciuitatum gentiumque ſorti committere, lubricæ rei pendenti à fortuna inſtabili. Certe in ægrotis curandis ſortium nemo meminit. nec enim ſorte capiuntur medici, ſed peritiſsimus quiſque eligitur. item cum de proſperitate ſaluteque nauigantium agitur, non ſorte decernitur, qui gubernaturus puppim aſcendat, ne forte aliquis imperitus vel in tranquillitate ac ſerenitate aſciſcat naufragium, ſed quæritur aliquis, qui artem gubernandi à iuuentute didicerit: hoc eſt, qui ſæpe nauigauit, perluſtrauitque aut omnia, aut plurima maria, qui bene nouit emporia, portus ſtationes, receptacula, quæ vel in continente ſunt, vel in ſingulis, qui in mari quoque callet inuenire ſemitas, ex obſeruatione ſyderum, peritus ſtellarum, & ſuos curſus ad illarum motus dirigens, ita vt per inuia viam expediat, & nouo more maria terreſtri animanti aperiat, reddatque traiectum facilia, & poſtea ciuitates magnas, populoſas, plenas habitatoribus, earumque adminiſtrationem, & curam rerum priuatarum, ac publicarum, ſacrarum & prophanarum, quam merito quis artem artium, & ſcientiam ſcientiarum dixerit, committemus incerta rei fortuitaque, reiecto veritatis examine. D. Ambroſius lib. 5. hexaemeri c. 21. *in ſortibus euentus eſt, non iudicium, & ſæpe, irrationabili caſu, ſorte melioribus vltimus quiſque præfertur.* Diuus Chryſoſtomus ad Epheſ. homil. 2. ὁ κλῆρος οὐκ ἀρετῆς ἐστὶν ἀλλὰ συντυχίας. ὥς ἄν τις εἴπῃ, ὡς ἂν εἰ ἔλεγε κλήρῳ γενομένων ἡμᾶς ἐξελέξατο, τὸ δὲ ὅλον ἀπὸ τῆς προαιρέσεως προορίσαντας, τουτέστιν, ἑαυτῷ ἐκλεξάμενος ἀφώρισεν, οἷον ἱερὰ ἡμᾶς θεοῦ γενέσθαι κεκληρωμένους. θαυμαστὴ γὰρ ἡ τοῦ θεοῦ πρόγνωσις, καὶ πάντα εἰδυῖα πρὶν γενέσθαι αὐτῶν. Ac idcirco lib. 1. de diuinatione Cic. *Quis magiſtratus, aut quis vir illuſtrior vtitur ſortibus?* Cæteris vero in locis ſortes pœne refrixerunt.

Obiici poteſt vnum electi *S. Matthiæ Apoſtoli exemplum* Act. 1. Reſpondent aliqui, Apoſtolos Spiritu ſancto completos nõdum tũc fuiſſe V. Beda Act. 1. Deinde ipſorum eſſe priuilegium, quod communem legem facere non poſſit. Idem Beda, citatus q. 2. c. *Non ſtatim* 26. & D. Hieronymus in Ionam 1. citatus c. *Non exemplo.* in eadem q. 2. 26. Abulẽſis. q. 41. At ego *reſpondeo primo.* valere hoc exemplum ad illam probandam ſententiam, quam q. 19. tradidi, ipſum ſcilicet ſortium genus ex natura ſua malũ non eſſe. Quomodo Apoſtoli, ſimul omnes, in concilio, precibus adhibitis, rem ſuopte malo damnatam publice moliri ac efficere auderent. *Secundo.* Apoſtolorum numerus eſſe debebat duodenarius: non vltra vel citra, vnus quiſpiam. E toto diſcipulorum numero duo erãt ad eum explendum numerum non ſorte, ſed conſilio, & ratione delecti Matthias & Ioſeph: ſed tantis vterque virtutibus, diuiniſque ornamentis, vt alteri vter anteponendus humano diiudicari iudicio ac prudentia non poſſet. Licebat igitur ad modum aliquem procurrere diuiniorem, quo cæpta, & ad iſtos vſque duos perducta electio, Dei abſolueretur calculo, vti & factum. *Tertio.* Eiuſmodi ſortitio nulla, dum lege improbata & vetita erat. Nunc vero, vti ſupra dictum, ſecus. Antequam eſſent aut leporinæ aut ſuillæ Iudæis interdictæ carnes aliarumque animantium tam natantium, quam gradientium, & repentium eſus, recte iis eorum vel Patriarchæ ac maiores, vel ipſimet in Ægypto Moyſes, Aaron, Iudæique omnes veſci poterant. Poſt latam vero legem, veſci nefas. Sic in vtriuſque ſpeciei communione per Manichæicas olim, & ſuperiore rurſum ſæculo per Bohemicas & Germanicas hæreſes factũ, vt Laicis ea interdictũ ſit. erat id antea ſemper in cuiuſque arbitrio. *Quarto.* Si in tãta neceſſitate tãta cura tã apti ad Epiſcopatũ, Eccleſiæq. gubernationem tanta cura delecti eſſent plures, tamque difficilis, ac humano conſilio impoſſibilis inter eos exoriretur diiudicatio, liceret, hac etiam ſpe, quod Apoſtoli fecerunt. Quia tali neceſſitatis & humanæ prudentiæ articulo, videretur humana iam non obligare lex, vti ex iis, quæ de iuris poſitiui obligatione doceri ſolent, manifeſtum. idque vult in ſummula Caietanus, dum ait. *Ex materia quoque electionum ſpiritualium miniſtrorum, ſi inhibitio poſitiui iuris ſecludatur, non video peccatum aliquod, ſi ſortibus committeretur ſuper aliquos lectos, atque idoneos, vt factum eſt in electione Apoſtoli Matthiæ.* idque omnino docet citata nuper in hunc librum hom. 23. Origenes, dicens ipſos etiam Apoſtolos fuiſſe iis, qui Epiſcopos eligunt hodie, ſanctiores ac prudentiores.

IV. *Ad ſortes reuocari ſolet alea,* qua contineri ſolent ludi, qui ab ancipiti caſu pendent omnes. Et illa varie variis prohibita eſt, vt in Pandectis videre eſt, t. *de Alea, & aleatoribus,* & Cod. *de aleatoribus, & alearum luſu,* lib. 3. tit. 43. Videatur Toloſas ſyntag. l. 39. c. 3. Ærodius libro 3. tit. 9. Molina de iure ac iuſtitia Diſput. 509. 510. 511. 512. Lepidum ſane de hiſce aleis ænigma ſuperioribus circumlatum diebus, oſſa mortuorum reuiuiſcere, quæ certis compuncta notis, morti dent plurimos.

V. *Omnes illæ ſortes inconceſſæ, quæ cauſis, aut circũſtantiis carent debitis: conceſſæ aliæ.* Sed eiuſcemodi vel cauſæ, vel circumſtantiæ, commodius ad ſequentem relegabuntur quæſtionem.

QVÆSTIO XXI.

Conceſſarum ſortium conditiones quæ?

I SOrtes, quæ *in ſolo ludo* verſantur, requirunt virtutis eius, quæ ab Ariſtotele dicitur εὐτραπελία, conditiones: quæ *in ludo autem & lucro* aliquo, tam virtutis illius, quam iuſtitiæ conditiones, de quibus citato loco Molina.

II. *Seriarum ſortium conditiones* variæ ſunt.

Prima *neceſsitas.* Quamdiu humanæ rationis vi ac iudicio negocia geri poſsũt, tãdiu à ſortib. ſeriis abſtinendũ. Quia ratio humana eſt humanæ vitæ regula, & quaſi amuſſis. Sẽper igitur ad eam actiones noſtræ omnes demetiendæ. Alioqui mera Dei eſſet tentatio: vt, ait a. 8. q. cit. D. Thomas. Nam, vt S. Ambroſius in Lucæ c. 1. c. *de ingreſſu Zachariæ,* dicit, *quæ ſorte quæruntur, ea ignorantur: Et vbi inuenta ſunt, quomodo inuenta ſint, neſcitur.* Non eſt autem prudentiæ, modũ agendi tenere, qui cognitus non ſit, & exploratus. Sed *neceſsitatem* intelligo non extremam, & phyſicam, ſed *moralem*, quæ intelligitur, niſi clare ſignificet, aut inſpiret Deus: & ſi æque commode poſſumus aliquid conſilio, quam

Digitized by Google

ſorte definire. Hinc igitur colligemus. *Primò.* A Non temere ac promiſcue ſortibus vti licere. *Secundò.* Diligenter aduertendum, poſſimuſne humana induſtria, quid, & quomodo agendum ſit, perſpicere. *Tertiò.* Si iurgiorum, ſuſpicionum, aliorumue id genus malorum aliquid poſt iudicium induſtriámque humanam ſupereſt, licere iſta ſortitu conſopire. Licet enim extrema tũ haud videatur neceſſitas, eſt tamẽ moralis ea, quæ ad bene agendum ſatis eſt Prou. 18.v.18. *Quartò.* Si duos conſtat eſſe innocentes, vel alterum vel de neutrius culpa ſatis graues B appareant coniecturæ, inter eos, vter nocens ſit, ſortem mittere haud licebit. Similiter ſi duo ad Eccleſiam regendam inepti ſorte, non quærendum vter aptior. Si herciſcundæ rei portiones clare inæquales, de iis non ſortiendum. Si denique duorum inæquale ſit aliqua in re ius, inter eos locus ſorti nullus. Ratio, quia de his omnibus ſola poteſt hominum ratio iudicare, ac ſtatuere.

Secunda. ſecundum rei, quæ ſortibus quæritur, magnitudinem, debet in illis erga Deum reuerentia & precatio adeſſe. In ſacris litteris, C quia non niſi grauibus, & magnis de rebus incurrunt ſortes, ideo *preces & venerationem* ſemper *magnam* videmus. vt hoc ipſo loco, veſtium elationem ſecubationemque, vti de ſanctificatione quæſt. 12. & cap. 3. verſ. 5. dictum. & *ante Dominum comparatio eſt*, Leuit. 16. verſu 16. *preces* 1. Reg. 14. Ionæ 1. etiam Gentiles dicunt ante ſortes. *ſurge, inuoca Deum tuum.* Quin vero hanc ob cauſam iidem olim, certis in templis, in certorum Deorum conſpectu ſortes iaciebant, æquabant, ducebant, vt ex Ciceronis de diuinatione libris intelligitur. Actor. 1. Sortituri orarunt D Apoſtoli. *ſi qui*, ait in eum locum V. Beda *neceſſitate aliqua compulſi Deum putant ſortibus exemplum Apoſtolorum eſſe conſulendum, videant hoc ipſos Apoſtolos non niſi collecto fratrum cætu & precibus ad Deũ fuſis, egiſſe.* idque monuit etiam, vti ante dictum, homil. 23. in hunc librum Origenes. Si autem res admodum paruæ ſint, etſi bonum eſt Deum inuocare ſemper, ſi tamen non fiat, peccatur nihil. Ratio quia idcirco Deus oratur, vt ſpeciali modo ſortes attemperet, apteq; cadere iubeat. Sed etiamſi hoc in paruis non fiat, parum aut nihil intereſt. Et qui talibus in rebus ſortem, E abſque ſpeciali diuini concurſus effectione, volunt quoquo modo exire, ij ſuo quaſi iure de compacto cedunt omnes, vt quidquid acciderit, acceptum ſit. At in huiuſmodi regulis non iniqua ceſſio hæc. Ad iſtam reuerentiæ diuinæ conditionem videtur ea non incommode reuocari, quam loco citato facit D. Thomas tertiam, ne diuina ſcilicet oracula ad terrena conuertantur negotia. Sic enim S. Auguſtinus Epiſt. 119. cap. 20. & citatur 26. q. 2. cap. *Hi, qui de paginis Euangelicis ſortes legunt, etſi optandum eſt,* F *vt hoc potius faciant, quam vt ad dæmonia conſulenda concurrant, tamen etiam iſta mihi diſplicet conſuetudo, ad negocia ſecularia, & ad vitæ huius vanitatem propter aliam vitam loquentia oracula diuina velle conuertere.* Si terrena tamen negotia ſumerentur, prout à nobis Chriſtianis ſumi deberent, vt iis ad Dei gloriam, æternamque vitam noſtram vteremur, nulla eſſet irreuerentia ſacris eiuſmodi vti. Nam & oraculum *Vrim & Thumim* ad eiuſmodi adhibebantur, vt l. 1. patuit. Et Deus noſter vitæ huius terrenæ etiam dator & conſeruator eſt, ab eoque quotidianus aſſidue panis petitur. Qui vero propter preces in ſortibus olim coniunctis, totum hoc ſortiendi negotium ceremoniale putant, ideoque veteris legis ceremoniarum abrogatione, hanc etiam ſortitionis ceremoniam ceſſaſſe falli equidem videntur. Quæ enim ceremonia? Cuius rei ſignum? An cuicunque connexæ preces, id veteris illico legis ceremonia, quæ nunc antiquata? Sed neque illud omnem ſortium vſum improbat, quod aiunt iidem, Deum cuncta promiſiſſe orantibus: non autem ſortientibus. Probat tamen non omittendas, in rebus ſaltem maioribus, prout explicatum, preces.

QVÆSTIO XXII.

Quando, & quomodo in Achan ducta ſors?

POſtridie quam oraſſent, diuinumque reſponſum accepiſſent Iſraëlitæ, omnes bene mane ad ſortiendum ante arcam fœderis, ſiue ad tabernaculi atrium acceſſerunt, ac inprimis Dux ipſe Ioſue verſu 16. omnium ſemper diligentiſſimus, præ omnibus ſemper matutinus. Sors vero Abulenſi per chartulas in vrnam cõiecta & ducta videtur. eſtq; probabile, licet non certum. ſicuti & à quo eadem miſſa, miſta, ductaque, *incertum*, vt ait recte Maſius.

QVÆSTIO XXIII.

Quomodo, interpoſita noctis occaſione, non aufugit Achan, ſed indictam, & quidem vltimam ſortem expauit?

SAcrilegij cum ſibi eſſet Achan conſcius, ſorſque à Deo præſcripta, & magna cum religione inducta iam eſſet, noxque interiiceretur vna, quomodo fuga ſeſe non proripuit? Quomodo nocturnis tenebris definitum euadere ſupplicium non tentauit? Quomodo cum cæteris ad Domini arcam, diuinum tribunal, cœleſte iudicium, indiciumque accedere auſus eſt? Quin vero cum ſortitione prima ſuam iam tribuni vere notatam, ſecunda gentem, tertia domum, quid moratus eſt? cur ſeſe in pedes non coniecit? Cur quoad ſuum vnius nomen palam ederetur, diuinaque veluti manu apprehenderetur, & ſacrilegus publice proclamaretur, expectauit? Mirum id profecto. Cauſæ tamen eius moræ plures dari poſſunt. *Prima.* Caſtra erant: eaque cuſtodiis & excubiis ſepta vndique. Et quia ſacrilegium admiſſum, diuinitus iam patefactum erat, omnia ſuſpicionis plena erant. ſi quis pedem extuliſſet, in eum facile conferri ſcelus hoc poterat. Intenti eo etiam die omnes in ſanctificationem ad craſtini diei ſortes. Qui aliud egiſſet, alio diuertiſſet, omnium in illum oculi, cogitationes, & manus conuerſæ fuiſſent. Quid igitur Achan ageret? Quo & quomodo fugeret? ac matutino præſertim diluculo, cum ante Dei ſedem & oculos ſtaret congregatus totus Iſraël? Quantam

Digitized by Google

vero vim ad criminis inſimulandum aliquem A
habeat fuga, docet Iulius Clarus lib.5. *Secunda.*
Tam praua forte ſubierat Achanis animum
opinio, vt ſuum etiam Deo facinus occultum
putaret. Tanta ſiquidem interdum cupiditate,
ac pœne inſania & furore peccatoris excœcatur
mens, vt cum illo apud Iob cap.22. verſu 13. ſuo
in corde dicat. *Quid enim nouit Deus? Et quaſi per
caliginem iudicat. Nubes latibulum eius, nec noſtra con-
ſiderat, & circa cardines cæli perambulat. Tertia.* Eſto.
meliora, & veriora de Deo ſenſerit, ipſe forſan
ei ſuſpectus princeps, quaſi finxiſſet, à Deo præ-
ſcriptam ſortem, aut huic vim ineſſe nullam: B
meticuloſorum inane tantummodo terricula-
mentum eſſe. *Quarta.* Sint tamen ſortes aliquid
multa ſunt Iſraëlitarum millia magna & inſi-
gnis multiplicium ſpoliorum fuit occaſio.
Quis credat ab iis abſtinuiſſe manus alios om-
nes? ſe vnum ſolum è cupiditate victum? Erunt
forte plures, apud quos anathema ſit, & qui
multo fortaſſis plura & maiora ſurripuerint.
Alios iſtos prodet ſors: me tacebit. *Quinta.* Ve-
rum & me ipſa prodat, excipiam cōtra vanum
ac fallacem inquiſitionis modum: oſtendam,
ſorti credendum haud eſſe. in re præſertim mo- C
menti tanti, cum de hominis fama, vitaque agi-
tur: non fuiſſe hanc apud Iſraelitas vſurpatam
hactenus. nouæ quærendorum ſcelerum ratio-
ni, fidem nullam adhibendam. fore alioquin,
vt ipſa poſſit in diſcrimen adduci ſalus. Sint
enim duo innocentes. Cogantur de capitali
crimine ſortem experiri. Alterutrum certe dira
petet ſors, innocentem tamen. Huius ergo in-
quiſitionis modo naſcentibus principiis obſi-
ſtendum. Hæc & ſimilia ſolent ſceleratis quan-
doque hominibus, ne fuga ſaluti ſuæ conſulāt,
in mentem venire. ſed & alia eos non raro atti- D
net, penituſque defixos coërcet cauſa. incogi-
tantia nimirum & ſtupor admirabilis. qui, pru-
dentes etiam ſolicitos, & cautos alias homines,
poſt ſuſceptum aliquod ſcelus, inuadit, vt ho-
rum nihil cogitent. hæreant in ipſo ſceleris ve-
ſtigio, ipſum pœne carnificem accerſant. Vide-
mus quotidie in homicidiis, furtis, & venefi-
ciis. In carceres mulierculæ ac viri tot rapiun-
tur, flammis tot conſumuntur, tam multis one-
rantur ſuſpicionibus, tam manifeſtis nonnun-
quam accuſationibus, & ſociorum indiciis in
loco, cum fugere poſſunt facillime, manent eo- E
dem, fugam nullam captant. Conſcientia ſcili-
cet omnem eis mentem eripit: vrgetque ipſos
ad pœnam vindex Deus, prout aliis multis mo-
dis modis accidiſſe compertum, Plutarcho te-
ſte in libro de ſera Numinis vindicta. Vnde &
illud Auſonij:

Ibycus vt periit, vindex fuit altiuolans grus.

Atque hæc Abulenſi ſub 42. quæſtionis fi-
nem cauſa placuit. Sed quid ſi, cum aliud non
conſtet, de Achane cogitemus meliora? Potuit
enim ſic ſecum cogitare. Peccaui. Deo pecca-
tum meum conſpicuum. Iam ſe populo iratum
profitetur ſortem, qua inueniar, præfinit. Ope- F
riar quem is cumque volet, exitum. Vult me
publice infamem eſſe? Commeritus ſum. Infa-
miam ſubibo. Vult me incendio addici? Eo di-
gnus ſum. Expectabo ſententiam. Cinis, pro
merito, efficiar.

QVÆSTIO XXIV.

*Achanem à ſorte proditum, quomodo ad peccati con-
feſſionem induxit Ioſue?*

PRimus modus, quo ad peccati confeſſio-
nem, ab ſorte iam accuſatum, & indicatum
Achanem induxit Ioſue, fuit duplex. *Primà.*
Blanda & ſuauis compellatio verſu 19. *fili mi.*
Quod nomen, quæ neceſſitudo in illius influe-
re cor magis potuit? *Boni principes ſunt*, vt vete-
rum quidam monuit, *ſubditorum ſuorum Patres*,
eoſque amore proſequuntur paterno, quidni &
Ioſue? Degenerarat quidem Achan, ſuoque
iſti tanto Principi & Patri mœrorem ſuo ſcele-
re inuſſerat maximum. Quia tamen eum ipſum
graui nunc oppreſſum triſtitia conſpicit, non
ſtomachatur contra eum vehementius: non
opprobrat auaritiam, improbitatem, cladem
acceptā. ſed affatur leniter, vt quia extremam
adhibere, Dei iuſſu, ſeueritatem oportebat, ver-
bo ſaltem, quia re non licebat, conſolatur. Exē-
plum indicit Principibus, Magiſtratibuſq; om-
nibus ad imitandum inſigne, vt ſe ad manſue-
tudinem, animique moderationem, & ſuauilo-
quentiam propenſiores malint. Recte apud
Stobeum ſermone 20. Epicharmus ὀπιπλεονεκτεῖν
χρὴ τὸν θυμὸν, ἀλλὰ τὸν νόμον. *Oportet vt ſuperet non
ira, ſed Lex.* Ideoque & Abraham miſero ac in-
felici illi diuiti ad inferos iam demerſo, *fili*, ait,
recordare, quia recepiſti bona in vita tua. Lucæ 16. v.
25. Secundus rei faciendæ ſeria & efficax pro-
poſitio. Nam pro eo, quod potuiſſet verbo di-
cere, *fatere peccatum tuum*, adhibet verba qua-
tuor, quorum poſteriora maiorem priorum ex-
plicationem ſemper continent. Et omnium *pri-
mum* etiam rationem, & argumentum, cur cri-
men merito confiteri debeat Achan. Ait enim
verſu 19. *Da gloriam Domino Deo Iſrael*, quaſi di-
ceret:

Illud quo datur Deo gloria, merito ac liben-
ter à nobis faciendum

Sed peccata noſtra confitendo, datur Deo
gloria.

Ergo.

Pro *da gloriam*, in Hebræo eſt, *Pone*, ſeu *conſti-
tue gloriam.* ſed eodem ſenſu. ideoque & 70. ver-
tunt δὸς δόξαν. Imo propter Hebræam additam
particulam *na*, poſſet adhuc verti ſuauius, *da
quæſo gloriam Deo*: vel *da nunc gloriam Deo.* Vtroque
ſiquidem modo, vt ſupra indicatum, illud *na*
paſſim vertitur. *Secundo.* Verbum *confitere*, Deo
ſcilicet. Nam Hebraice eſt, *da confeſſionem ipſi*,
cui nimirum dandam gloriam dictum iamiam
erat. Et Græce δὸς αὐτῷ τὴν ἐξομολόγησιν. *Confeſſio
duobus*, ait Sanct. Auguſtinus in Pſalm. 94. *modis
accipitur in ſcripturis. Eſt confeſſio laudantis, & eſt con-
feſſio gementis. Confeſſio laudantis ad honorem pertinet
eius, qui laudatur. Confeſſio gementis ad pœnitentiam
pertinet eius, qui confitetur. Confitentur enim homines
cum laudant Deum: confitentur, cum accuſant ſe.* Et
confeſſionis diſtinctionem hanc paulo poſt cō-
firmat. *Si ſemper confeſſio pœnitentis eſſet, non dicere-
tur in Euangelio de ipſo Domino: In illa hora exultauit
Ieſus in Spiritu ſancto, & ait: Confiteor tibi Pater, Do-
mine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus*

Digitized by Google

A & prudentibus,& reuelaſti ea paruulis. *Nunquid quia Chriſtus confitebatur, pœnitens erat? Illum nihil pœnitere poterat, quia nihil culpabiliter fecerat: ſed confitebatur in laudem patris.* Addi poſſunt illa in Pſalmis tam multa 45.5. *Confeſsionis ſonus epulantis.*103.1. *Confeſsionem & decorem.*110.3. *Confeſsio & magnificentia.*184.13. *Confeſsio eius ſuper cœlum.* Pſ.32. *Confitemini Domino in cithara.*99.4. *In hymnis confitemini illi*,& ſæpiſſime alias. Dicendum igitur *confeſsionis* nomen tam Hebraicum, quam Græcum & Latinum accipi, non tantum *quando nos Deo tan-* B *quam ſontes ſubiicimus*, vt ſemper in ſcripturis fieri vult Maſius folio 133. (Id enim clare à Diuo Auguſtino ex CHRISTI Domini Patri Confitentis exemplo Matthæi vndecimo verſ. 25. refutatur) ſed vniuerſe, quando vel Dei magnitudinem, ſapientiam, potentiam, bonitatem & beneficentiam profitemur ac deprædicamus vel noſtram erga ipſum ingratitudinem, impietatem, & peccata recognoſcimus & fatemur. *Vtra* vero hic *ab Achane poſtulatur confeſſio*? vtiq; poſterior, quæ gementis, & culpam agnoſcentis eſt, in qua tamen magna ſemper Dei laus & gloria continetur, prout infra dicetur. Sed iſta, C quæ Deo erat confeſſio, *debuitne tantum in Achanis corde fieri?* vel ipſis etiam labiis, ac vocibus, ſed clam hominibus omnibus? in loco vbi ſolus eſſet Achan? ſolum ſolus ſe audiret? nullus hominum alius adeſſet? nullius confeſſionem illam aures acciperent? Hoc Nouatorum plerique putant nunc, eſſe, *confiteri Deo.* At vero latius patet iſta confeſſio. Nam qui etiam homini Dei ſeruo,& propter Deum cõfitetur, prout hoc loco fecit Achan, quemadmodum è ſeqq. intelligitur. *Tertium* enim verbum eſt, *Indica mi-* D *hi quid feceris*: Hebraice cum eadem illa particula *na*. Enuncia mihi obſecro, quid feciſti? vel, Enuncia nunc. Non enunciaſti hactenus, tacuiſti hucuſque. Nunc vides te Dei, quaſi digito monſtrari: confitere mihi quidnam patraris. *Quartò, Ne abſcondas.* Hebraice: *ne à me occultes*, quidquam ſcilicet. Græce μὴ κρύψῃς ἀπ' ἐμοῦ. ſicque verus confitendi modus indicatur, ne illum, cui confitemur celemus quidquam: ſed efferamus,& expectoremus omnia. Et ſane ita fecit Achan prout ſequitur verſ. 20. & iam ſupra expoſitum q.3.4.& ſequentibus.

E

QVÆSTIO XXV.

Quomodo, peccati ſui confeſſione, gloriam Deo tribuere Achan potuerit?

IStud. *Da gloriam Deo*, exiſtimant aliqui eſſe formulam obligandi homines ſacramento, vt Ioannis cap.9. verſ.24. ſed ego, ait Maſius, *vt hoc funditus repudiare, aut refellere nolo, ita non admodum probare poſſum, cum nihil appareat in illa Ioannis* F *narratione, quod iuramento dicere cæcum voluerint Phariſæi: qui potius accuſata* CHRISTI *humanitate, qua offendebantur, ſtudebant hominem auertere ab eius diuina virtute prædicanda, atque ad transſcribendum omne beneficium in ſolum Deũ inducere.* Maldonatus in eundem illum Ioannis locum cap. 9. verſu 24. *Modus*, ait, *eſt loquendi Hebræis vſitatus, quo ſolebant rei tanquam per Deum adiurati ſolemni ritu interrogari, admoniti iis verbis ſtare ſe coram Deo, reuerendam ſibi eius eſſe maieſtatem, ne ergo coram illo mentirentur, qui omnia probe ſciret, quaſi indicantes illum eſſe ignarum humanarum rerum, quæ magna in Deum erat iniuria, hunc potius illi honorem deferrent, vt confitenda illius reuerentia veritate oſtenderent, ſe credere, nihil illum ignorare. Sic ergo dicebant, da gloriam Deo, ſicut Hiſpanus iudex dicit, pone iſtic manum, cruce porrecta, & Gallus, Tolle manum, quaſi per Deum iuraturus.* Et hoc tam huic, quam aliis ſcripturæ locis recte congruit Ioan.9.v.3. Eſdr.9.verſ.8. Sed addendum amplius. *Primo, Generatim*, Vere per peccatorum confeſſionem, Deo gloriam tribui,& quidem tanto maiorem, quanto ea occultiora,& maiora ſunt. Nam eo ipſo, profitetur quodammodo peccator, ipſum eſſe omniſcium, cum quæ omnes latebant homines, ſoliſque animorum receſſibus condita, & incluſa erant, ea ſponte homo foras effert, & aperit. Profitetur etiam Deum miſericordem, cui cõfeſſione iſtorum, tanquam humilitate quadam, & ſuiipſius afflictatione, ac moleſtia, ſperet ſatis aliquid fieri. Profitetur eundem Dominum eſſe ſummopere verendum ac metuendũ, dum eius vel iuſſu, vel cauſa, & nomine dicuntur & enunciantur, quæ humanus metus, ac pudor ita occulit, velat, voluit ac inuoluit, vt ab mortalium nullo, fieri ſi poſſet, ea reſciri vnquam vellet. Audiamus S. Auguſtinum in enarratione in Pſalm.94. *Nunquid*, ait, *& hoc non pertinet ad laudem Dei, quando confiteris peccata tua? Imo vero maxime pertinet ad laudem Dei. Quare maxime pertinet ad laudem Dei, quando confiteris peccata tua? Quia tanto plus laudatur medicus, quanto plus deſperabatur ægrotus. Confiteri itaque peccata tua, quo magis deſperabas de te propter iniquitates tuas. Tanto enim maior laus eſt ignoſcentis, quanto maior exaggeratio eſt peccata confitentis. Non ergo putemus nos receſsiſſe à laude cantici, ſi iam hic confeſsionem intelligimus, qua confitemur peccata noſtra. Et hoc ad laudem cantici pertinet: quia cum peccata noſtra cognoſcimus, Dei gloriam commendamus.* 2. *Speciatim* aliis etiam modis Achanem Deo tribuiſſe gloriam, quia profeſſus eſt Deum veraciſſimum, cuius ſorte ignotum omnibus peccatum veriſſime indicaretur: ipſe inter tot millia vnus veriſſime ſacrilegij argueretur: eũdem eſſe iuſtiſſimum, qui non temere, neque abſque cauſa clade Iſraëlitas affici paſſus eſſet: eſſe omni reuerentia digniſſimum, cuius præceptis omnib. accuratiſſime parendum ſit, neque vllum violandum: Eſſe ſanctiſſimum, cui res quæcunque dicatæ à nemine auerti, aliumque in vſum transferri deberent: eſſe iuſtiſsimum, qui malefactis pœnas iuſtiſsime conſtituat: eſſe potentiſsimum, cuius & ſententiam, & pœnam nullus, vlla vi, arte, fuga, latebra poſſit euadere. 3. Si de confeſsione, quæ ſacerdotib. apud Chriſtianos fit, agatur, præter dictos iam modos, datur etiam Deo gloria. *Primò.* Quia ſacramentum ab ipſo CHRISTO IESV inſtitutum ſumitur, eoque ipſo cultus CHRISTO Domino latricus tribuitur. *Secundò.* Quia propter ipſum, hominibus, quia eius ſunt ſacerdotes, ac miniſtri, nos ſubiicimus: & quidem humillime in re humillima, moleſtiſsima, ruboriſque pleniſsima. *Tertiò.* Quia effectus ad ſummã Dei gloriam redundat, dum à peccatis abſoluitur peccator: à ſordibus eluitur: mundus ac

Digitized by Google

purus totus efficitur, & ex hoſte amicus, ex Diaboli mancipio, Dei filius, ex gehennæ obnoxio, paradiſi hæres: gratias deinde agit Deo, eius miſericordiam ac infinitam benignitatem laudat, vita emendatiore diuinam omnib. gratiam oſtentat, in hac & futura vita Deum aſſidue prædicat. Poſſunt hæc omnia, quamuis copioſe monſtrari. Sed concludam citati Sanct. Auguſtini ea oratione, qua Pſalmi 95. verba illa explicat, *Confeſſio & pulchritudo in conſpectu eius. Pulchritudinem,* inquit, *amas? vis eſſe pulcher? confitere. Non dixit pulchritudo & confeſſio: ſed confeſſio & pulchritudo: fœdus eras, confitere, vt ſis pulcher. Peccator eras, confitere, vt ſis iuſtus. fœdare te potuiſti, formoſum te facere non potes. Qualis autem eſt ſponſus noſter, qui fœdam amauit, vt pulchram faceret? Quomodo, ait aliquis, fœdam amauit? Non veni,* inquit, *vocare iuſtos, ſed peccatores. Quos vocas peccatores, vt remaneant peccatores?* Non, inquit. *Et quomodo non erunt peccatores? Confeſſio & pulchritudo in conſpectu eius. Confitentur enim peccata ſua, vomunt mala, quæ auide vorauerunt. Non redeunt ad vomitum ſuum, ſicut canis immundus, & erit confeſſio & pulchritudo.*

QVÆSTIO XXVI.

Cur ad peccati ſui confeſſionem inducere Achanem ſtuduit Ioſue?

STuduiſſe hoc Ioſue, videtur *primò* Iudæorum quibuſdam, vt ſortium, quibus in promiſſa diuidenda terra vſurus erat, vim & auctoritatem confirmaret. *Alij* in Thalmud tract. *ſanedrin*, c. 6. & libro *Tanchuma*, vt excitatam compeſceret ſeditionem. Volunt enim iſti, tribum Iudæ cum vidiſſet, ſe ſacrilegij, dedecore tanto, ſortis voce, affectam, dolorem magnum cepiſſe, ira exarſiſſe, ad arma prouolaſſe, quaſi falleret, ac mentiretur iniqua ſors. Reum igitur confitentem in medium adduxit Ioſue: ſicque ſedata omnia. Sed prius illud nonnulla eſſe cauſa potuit, ſed quaſi adiuuans, & forte præter omnem ipſius tunc Ioſuæ cogitationem. Poſterius Rabbinicum videtur commentum. Nam eiuſmodi tumultus, quod vel minimum vſquam ſignum? Et nonne clariſſime ſignificarat Ioſue, ſortitionem hanc à Deo dictam & indictam? Quomodo inani ſortis commento virum tantum abuti, Deumque placare velle, in animum tota illa, tantaque tribus inducere potuiſſet? Potius ergo dicendum. *Primò* ſpectaſſe id Ioſue, vt Deo, quemadmodum dictum eſt, daretur gloria, cum monſtrando, rerum omnium eſſe ſcientiſſimum, omnia eius oculis eſſe apertiſſima, eſſe in eo, quod per ſe, vel per oracula, ſorteſque quaſcunque loquitur, & monſtrat, veriſſimum: eſſe iuſtiſſimum, qui non abſque graui cauſa Haienſem cladem Iſraëlitis intulerit. *Secundò* ſpectaſſe etiam ipſius Achanis vtilitatem, vt quia ei moriendum eſſet, pœnitentia vera eius tangeretur cor, humili ſceleris confeſſione ſibi Deum propitiaret: huic gloriam eo modo, quo ſuperiore quæſtione traditum tranſcriberet. *Tertiò.* Vt omnium animos ab omni auocaret ſcelere, omnique ſpe, admiſſum aliquod ſcelus, latendi, ac impune ferendi. Recte in libro de officiis tertio Tullius. *In omni deliberatione celandi & occultandi ſpes atque opinio remouenda eſt. Satis enim nobis (ſi modo in Philoſophia aliquid profecimus) perſuaſum eſſe debet, ſi omnes Deos, hominesque celare poſſimus, nihil tamen auare, nihil iniuſte, nihil libidinoſe, nihil incontinenter eſſe faciendum.*

Et Solon:

Αἰεὶ ὅτι λέληθε διαμπερὲς ὅστις ἀλιτρὸν
Θυμὸν ἔχει, πάντως δ' ἐς τέλος ἐξεφάνη.

Quartò. Vt Iudicibus omnibus, antequam neci reos addicant, exemplum daretur, quemadmodum eniti debeant, vt crimina, ob quæ plectendi, fateantur ſontes, ſiue quæſtionibus, ac tormentis exquirenda illorum veritas fuerit, ſiue non. Videatur lib. 48. cap. 12. Toloſas Gregorius. *Quintò.* & vltimo, Vt nobis, quicunque ſaluos, & è gehennæ periculo extractos peccatores aliquos volumus, ratio eos mouendi, & ad optima quæque deducendi apprime vtilis monſtraretur. Scimus illud S. Iacobi cap. 5. verſu 20. *quod qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam ſuam à morte.* Dicamus ergo erranti, viaſque flagitiorum prauas tenenti, fratri, amico, proximo noſtro: Da gloriam Deo, & confitere ipſi, atque indica ſacerdoti, quid feceris, ne abſcondas ab eo quidquam.

QVÆSTIO XXVII.

Achanis confeſſio cuiuſmodi?

NOn erat illa quidē ſacra eiuſmodi, cuiuſmodi apud nos Chriſtianos viget, ad peccatorum expiationem, confeſſio (Nam inſtituta nondum erat, neque ſacerdotali munere fungebatur Ioſue) non pauca tamen, quæ ad iſtam valeant, indicat. Ea breuiter, quia iam antea quæſt. 3. & ſecutis, confeſſionem ipſam expoſui, operæ fuerit precium notare. Ac *primò* quidem, vt ad confeſſionem ſeſe componat peccator, opus diuino auxilio, quod excitet. Sic enim Achanem commouit ſors, & Ioſuæ cohortatio, quæ non eius aures tantum percuſſit, ſed & cordis intimum. *Secundò.* Confeſſus eſt Achan generatim primo, tum ſigillatim. Idem facimus, cum initio *Confiteor* dicimus, deinde noſtras recenſemus noxias. *Tertiò.* Doluit, & quidem ex animo Achan, ſe Deum offendiſſe, vera tactus pœnitentia, & contritione. Licet enim dubitet hoc loco Caluinus, eius tamen verba, verborumque modus indicat: vis etiam Ioſuanæ cohortationis, & ipſe demum exitus, de quo poſtea. Sic animo nos, ob Deum peccatis noſtris contemptum, dolenti ac mœſto eſſe oportet, ſicque confeſſionem inſtituere. *Quartò, Vere,* ait, *ego peccaui Domino Deo Iſraël.* Ecce non peccatum ſuum ſolo agnoſcit ſilentio: vultus aut pallore aut rubore: oculorum in terram defixione, animi ſtupore. ſed animo præſens, Ioſuæ obtemperans, Deum reuerens magno cum doloris ſenſu, & vt opinor magna cum calidarum lachrymarum vi, confeſſionem orditur. neque dicit tantum. *Peccaui:* ſed totus admodum pie ſancteque permotus, *Vere,* inquit, *peccaui:* q. d. Do Deo gloriam. Peccatum ego meū, quam occultiſsime occului. ſed omnia perſpicaciſsimis eius patent oculis. Sunt ſortes qui-

Digitized by Google

dem ex ſe fallaces ac incertæ: ſed hæc, quam A Dominus præcipit, eius famulus, & dux noſter peregit Ioſue, veriſſima & certiſſima eſt. Perſuaſeram mihi vel exiguum, vel nullum eſſe peccatum, ſi in tãta tam opimorum ſpoliorum multitudine, ſurriperem, quod ad manus fuit, exiguum. ſed falſum fuit meum hoc iudicium. Vere peccaui. Et interponit grauem quandam ſui cum Deo comparationem, quæ ad inſignem, ac pium animi dolorem excitandum ac oſtendendum vim habet maximam. *Ego*, ait, *peccaui Domino Deo Iſraël*: B Ego vilis creatura contra creatorem meum, viliſſimus ſeruulus, contra cœli, ac terræ Dominum: Ego abiectiſſimus vermiculus contra Deum: Ego fex & quiſquiliæ Iſraëlitici populi contra Deum Iſraël peccaui. O peccati mei indignitatem, ô mentis meæ cæcitatem! ô amentiſſimam amentiam? Vere ego peccaui Domino Deo Iſraël. *Quintò. Et ſic, & ſic feci.* Extenuant interdum ſua in confeſſionibus peccata nonnulli: verborum inuolucris & ambagibus tegunt & obſcurant: conferunt in dæmonem, carnis fragilitatem, ſocios malos culpam: alios accuſant, ſe omni modo C excuſant. Achan vero ſolum ſe accuſat, & quidem plane, diſtincte, rotunde: Et ſic & ſic feci. *Emphatica*, inquit, ſacræ confeſſionis alioqui importuniſſimus oppugnator, Caluinus, *Loquutio eſt: hoc & illud feci: quæ ſignificat diſtincte, & ordine ſingulas rei geſtæ partes fuiſſe expoſitas.* Neque vero rem tantum dixit, quam fecit, ſed modum & circunſtantias. Has enim ſignificant iſtæ, *ſic & ſic. Sexto.* Pergit & recenſet ordine, quid fecerit, quæ furatus ſit, quot numero res, cuius qualitatis, quanti precij. *Pallium*, inquit, *coccineum valde bonum: ducentos argenti ſiclos: regulam auream* 50. D *ſiclorum.* Non eſt ſatis in confeſſione dicere, ebrius fui, ſcortatus ſum, furatus ſum, ſed addendus numerus, quantitas, aliæque graues circumſtantiæ. Ideoque & addit, etſi haud fuiſſet neceſſarium: ex mera ſe ſua concupiſcentia feciſſe: conſiliumque occultandi facinoris cepiſſe, ac re ipſa perfeciſſe. Hæc ſane confeſſionis forma, & quædam velut idea, non raro nobis intuenda. Nam ſane, vt recte Horatius,

Stultorum incurata pudor malus vlcera celat.

Origen. in illud Leuit. 3. ſi peccauerit vnum ex iſtis, pronunciet peccatum quod peccauit, E *Eſt*, inquit, *aliquod in hoc mirabile ſecretum. Etenim omni genere pronuncianda ſunt, & in publicum cuncta proferenda, quæ egerimus, ſi quid in occulto gerimus ſi quid in ſermone ſolo, vel etiam intra cogitationum ſecreta commiſimus, cuncta neceſſe eſt publicari, cuncta proferri, proferri autem ab illo, qui & accuſator peccati eſt, & incentor: ipſe enim nunc nos, vt peccemus inſtigat, ipſe etiam cum peccauerimus, accuſat. ſi ergo in vita præueniamus eum, & ipſi noſtri accuſatores ſimus, nequitiam, diaboli inimici noſtri & accuſatoris effugimus: ſic enim & alibi Propheta dicit: Dic tu iniquitates tuas* F *prior, vt iuſtificeris.* Et hom. 2. in Pſ. 37. *Vide*, inquit, *quid edocet nos ſcriptura diuina, quia oportet peccatum non celare intrinſecus. fortaſſe enim ſicut ij, qui habent intus incluſam eſcam indigeſtam, aut humoris vel phlegmatis, ſtomacho grauiter & moleſte imminentia, ſi vomuerint, reuelantur: ita ij, qui peccauerunt, ſiquidem occultant & retinent intra ſe peccatum, intrinſecus vrgentur, & propemodum ſuffocantur à phlegmate vel humore peccati: ſi autem ipſe ſui accuſator fiat, dum accuſat ſeipſum, & confitetur, ſimul euomit & delictum, atque omnem morbi digerit cauſam.* D. Ambr. ep. 3. quæ hæc faciunt, tractat non pauca. Et primo quidem, quomodo peccare ſoleamus omnes. *Nihil*, ait, *peccare ſolius eſt Dei: emendare ſapientis & corrigere erratum, & pœnitentiam gerere peccati.* Deinde, moleſtam quidem eſſe nobis pœnitentiam & confeſſionem, perutilem tamen & neceſſariam: *Id tamen* (ſc. agere pœnitentiam) *eſt*, ait, *difficile in hac vita, &c. Rara confeſſio de peccato, rara pœnitentia, rara in hominibus verbi eius aſſertio* &c. *ſed ſi quis*, ait, *æger, ſanum ſe ſimulat, magis ægrotabit*, &c. Denique non prodeſſe confeſſionem, in qua non ſyncere agitur: *Hanc*, ait, *culpam ſacerdotes non auferunt.* Et fol. 512. *Non placebit Domino, ſi manducet ſacerdos ſacrificium, in quo fraus ſit oblationis, non ſedula confeſſionis ſynceritas.* Tanto autem libentius & ſyncerius ac planius edere coram ſacerdote peccata noſtra conuenit, quanto ab Achanis periculo abſumus longius. Ille ſua iſta confeſſione ſe à Ioſue damnandum, grauiſſimoque incendij ſupplicio addicendum ſciebat, & tamen adeo aperte, integre, candideque ſuum faſſus eſt facinus. Nos vero noſtra confeſsione, nullum prorſus corporis incurrimus diſcrimen, animi ſummam adipiſcimur libertatem, tranquillitatem, fœlicitatem. Nullo modo poſſunt Sacerdotes, quod Lutherani Prædicantes, qui, vt in concione de Nicolai Crellij Saxonici Cancellarij ſupplicio referunt palam ipſi populo dixerunt, nolle quidem confeſsionem reuelare: tot tamen & tanta illum ſibi confeſſum, vt ſupplicio eſſet digniſsimus. Sic & de furto ſibi cõfeſſum ſymmyſtam ſuum pro concione prodit ſenior Prædicans Hamburgenſis. Hildesheimenſem ciuem Prædicans Hildesheimenſis, aliumque de graui alio facinore confeſſum ſimiliter ſuper menſa, vno è noſtris præſente, & Confeſſariorum Lutheranorum ſtultitiam, ineptamque garrulitatem mirante, Superintẽdens. Erat etiam quædam ab Iſraëlitis ritu quodam ad Gentiles nonnullos traducta confeſsionis ſpecies. ita vt in Samothracia, qui ſacris vellent initiari eos, ſua coram ſacrifico effari ſcelera oporteret, vti refert in Apophthegmatis Lacedæmoniorũ Plutarchus. Quod Antalcidas facere cum recuſaret, diceretque, *ſi quid à ſe patratum eſſet, id verò Dijs notum eſſe*, abiit ille à ſacrorum illorum initiis excluſus. Sed vana hæc erant ſacra: vana eius etiam contra confeſſionem ratio. Non enim Deo Iſraëlis obſcurum erat Achanis ſacrilegium: ſed voluit eum ſeſe demittere, illudque palam confiteri. Ne ergo à ſacris omnium ſacratiſsimis, à corpore, & ſanguine Domini & ab æternæ vitæ adytis excludamur, quidni vitiorum noſtrorum latebras omnes excutiamus? delicta omnia noſtra libentes enunciemus? ad vnius ſaltem ſacerdotis aures, qui nos non vinciat, ſed abſoluat, non ad flammam duci iubeat, ſed è flamma perpetua eripiat, non morte afficiat, ſed vita immortali & beatiſsima, per CHRISTI Domini meritum, ab eoque acceptam poteſtatem, donet? Ego igitur fœdus peccator, ſtatuam me ante veri mei Ioſuæ verendos oculos, & eum mihi, per ſe, ſuumque

Digitized by Google

vicarium patrem ſpiritalem meum, quem pulchre Germania noſtra *Beichtvatter* appellat, dicere non dubitabo, *fili mi, Da gloriam Domino Deo Iſraël, & confitere, atque indica mihi quid feceris. Ne abſcondas.*

QVÆSTIO XXVIII.

Oculata ſacrilegij Achanis inſpectio quomodo, & cur facta?

PRimò. Quomodo facta ſit ſacrilegij huius inſpectio, docet verſus 22. Miſit enim eam ad rem Ioſue miniſtros, qui Hebraicè *malachim*, Græce ἄγγελοι, id-eſt, *nuncij* vocantur. Hi magna vſi celeritate, illo cucurrerunt: omnia inuenerunt: ad Ioſue, populumque vniuerſum inuenta, propere attulerunt: coram omnibus effuderunt, ac proiecerunt.

Secundò. Miſit vero iſtos Ioſue *primò.* vt Deo gloria tribueretur, tanto maior & illuſtrior, quanto & ſors, & Achanis ipſius eſſet confirmatior, & certior confeſſio. Sic enim magis magiſque diuina omniſcientia, ſumma veritas & iuſtitia eluceſcebat, omniumque oculis, & quaſi manibus explorata & conſpecta tenebatur. Omnis vero ſuſcipienda nobis cura, vt non Dei gloriam tantum, ſed maiorem etiam, conſpectioremque inquiramus. *Secundò.* Vt, quod nefario ſacrilegio impeditum erat anathema, & è manubiis, quoddam veluti holocauſtum, id re iam ipſa perficeretur: nihil in prophano vſu remaneret, quod Deo ſacrum ac deuotum eſſet: omnia etiam tantula ei redderentur, flammis abſumerentur omnia. *Tertiò.* Vt Iudicibus exemplum eſſet, quam in omnia inquirere diligenter debeant, cum de hominis alicuius agitur ſanguine: videant, an qui ſcelera fatetur reus, idipſum, aut quæſtionum metu, aut veniæ deſperatione, aut animi ſtupore, aliaue quapiam perturbatione agat. Vix in momenti tanti re, nimia eſſe poteſt cautio. Sed *qui miſſi erant, quamobrem adeo concurrerunt? Primò.* Quia boni ac fideles Domino ſuo miniſtri erant. Hæc enim bonitas ac fides eorum & manibus, & pedibus alas nectit, ac talaria: è contrario autem ignauia, & infidelitas, tardigrados, & cunctabundos efficit. *Dicit piger, leo eſt foris, in medio platearum occidendus ſum.* Prou.22.verſ.13. *Secundò.* Amabant hi miniſtri non ſuum tantummodo Dominum, ſed etiam communitatis bonum. Ideoque mali omnis ab ea cauſam remouere ac amoliri quam citiſſime nitebantur. *Tertiò.* Vt ſeruis omnib. obedientiæ promptæ, celeritatis, & alacritatis exemplum eſſet, quod valde commendat ſapiens Prou.22.v.29. *Vidiſti virum velocem in opere ſuo? Coram Regib. ſtabit, nec erit ante ignobiles.* ταῦτα γὰρ, inquit in Alemona Euripides,

δούλοις ἄριστα καθ᾽ ὅτῳ πεπαγμένος
ἦν τις ἀνδάνοντα δεσπόταις ποιεῖν.

Seruo autem tardante, oſcitante, pandiculante quid moleſtius? *Sicut*, ait idem noſter Sapiens Prou.10.verſu 26. *acetum dentibus, & fumus oculis, ſic piger his, qui miſerunt eum. Quartò.* Vt quales erga cœleſtem Dominum, verumque IESVM, cum quid iubet, eſſe nos oporteat, intelligamus. Currendum enim & fieri ſi poſſet, volandum, quo ille nos vult. Notum quidem, valde tamen notandum illud S. Ambroſij capite *de abitu Mariæ in montana* lib.2. in Lucam: *Neſcit tarda molimina ſancti ſpiritus gratia.* Vnde Iſai.18. v.2. *Ite Angeli veloces ad gentem conuulſam & dilaceratam. Quintò.* Vt Ioſuæ ipſius cognoſcamus, cum ei quid à Moyſe quondam, vel à Deo nũc imperaretur, ſedulitatem. Quales enim Domini, tales & ſerui. καὶ μέτεισι τοῖς δούλοισι δεσποτῶν νόσου, ait idem Euripides. *Sextò.* In diuinis ſententiis, & iudiciis exequendis quantam cœleſtium Angelorum celeritatẽ putamus? Quam libenter, quæ ad Dei gloriam & commune bonum ſpectant, peragunt? ſcilicet verus etiam IESVS vocatur Iſaiæ 8. verſu 3. *Accelera ſpolia detrahere, feſtina prædari.* eſtque idem *quærens iudicium, & velociter reddens, quod iuſtum eſt*, ibidem cap.16. verſu 5. Cur vero iidem, *quæ inuenerant, ſic ante oculos omnium proiecerunt?* Si puncta ex Hebræo verbo detrahantur, legi poſſet, *proiecit*, ſeu potius *effudit ea*, & ſic legerunt in Thalmud Rabbinorum quidam, dixeruntque Ioſuam, vt reculas illas furtiuas conſpexiſſet, ſtomachantem, & tantam Dei offenſionem ob res tantillas ægre ferentem, illas ante arcam in ſolum excuſſiſſe cum his verbis. *Tune mundi Domine, ob iſta occiſurus eras magnam ſenatus Iſraelitici partem?* ſed ea lectio ab aliis Rabbinis omnibus, à textibus omnibus, qui punctis conſtant à Chaldæo Paraphraſte, 70. & Latinis omnibus reiicitur: ideoque & ſtolida, in ipſumque Ioſuam contumelioſa interpretatio. Dicendum igitur profudiſſe iſta miſſos miniſtros, vt quàm facinus hoc deteſtarentur, monſtrarent.

QVÆSTIO XXIX.

Quanam pœna ſacrilegus Achan affectus?

ACHanis pœna deſcribitur quoad antecedentia, quoad pœnam ipſam, & quoad conſequentia. Illa ſunt in eius ad ſupplicij locum deductione, comitatu, & affatu verſu 24. 25. *Pœna* eſt verſu 25. *Conſequentia* ſunt vel *duo*, diuinæ iræ ceſſatio verſu 26. & loci illius appellatio verſu eodem, vel *tria*, ſi adiungatur lapidum aceruus, in ſempiternam deteſtationem, ac infamiam aggeſtus. De pœna vero ipſius Achanis tria iam explicanda. *Primum* eſt, quænam ſint de ea difficultates. *Secundum.* Quæ opiniones. *Tertium.* Quæ horum omnium optima.

I. Difficultates iſtæ ſunt. *Primò.* Iuſſit verſu 15. Dominus, comburi ſacrilegum. At hic non dicitur combuſtus. Nam verſu 25. *Lapidauit eum omnis Iſraël.* ſed res tantum ipſius igne conſumptæ ſunt. ibidem. *Secundò.* Septuaginta cum eodem verſu 15. comburendum ſacrilegium vertiſſent, poſtea nullam prorſus, ne in ipſius quidem Achanis rebus combuſtionis mentionem faciunt. *Tertiò.* Ioſephus nihil etiam, neque combuſtionis, neque lapidationis meminit. *Quartò.* In Hebræo textu ad verbum pœna iſta ſic deſcribitur, vti monent Vatablus & Caietanus. *Et lapidarunt ipſum omnis Iſrael lapide: & combuſſerunt ipſos*, vel *ipſa lapidibus. Et erexerunt ſuper eum aceruum lapidum magnum*, vſque

Digitized by Google

que ad diem hunc. A

II. Ex his porro verbis natæ opiniones ſeptem, quarum diuortia, quaſi ſumma, duo. *Vnum* eſt, non combuſtum vere, ſed lapidatum ſolummodo Achanem fuiſſe. Ita ſentire videntur tot auctores, qui lapidatum aſſerunt, neque combuſtum addunt, vt conſtitutiones Apoſtolicæ L. 7. cap. 3. ipſi hoc loco 70. D. Thomas in 1. Machab. c. 3. verſu 5. At quadruplici hoc ipſum diuerſitate traditur. Nam *primò* Raſchi nuſquam de ipſius combuſtione quidpiam haberi ait. Verba ſiquidem, quibus ea præcipi videtur verſu 15. ita in Hebræo ex- B ponit. *Et erit, quod deprehenſum fuerit in anathemate, comburet* (Iſraël) *idipſum igni, & omne, quod eſt ipſi.* Deprehenſum autem fuit Achanis tentorium. Hoc igitur comburendum fuit, & quæ ad illud ſpectabant omnia. Ita Rabbinus hic. *Secundò.* Alij combuſtionis quidem haberi mentionem, ſed tripliciter explicant. *Primò.* Ea pœna quamlibet ſignificari. quia vrit, quaſi animum dolor omnis, ſic enim Deuteronom. 4. *Dominus eduxit vos de fornace ferrea Ægypti.* id eſt, è grauiſſima, & ærumnoſiſſima Ægypti ſeruitute. Ita quæſtion. 9. in librum hunc D. Au- C guſtinus. *Secundò.* Interdum non omnem pœnam, ſed eam, quæ à peccato nos purgat, illudque, veluti flamma quædam conſumit, ac delet, ignem vocari, vt 1. Corinth. 3. Numer. 31. verſu 23. & ſic Achanem combuſtum, quia purgatus à peccato per lapidationem. Ita rurſum ſanctus Auguſtinus: *Rectiſſime,* ait, *dicitur, ignem lapidationem fuiſſe, eleganter agnoſcitur illa pœna hominem, ne in poſterum peccato illo interiret, fuiſſe purgatum. Quod ſignificant etiam vaſa in Leuitico, quæ iubentur igne purgari. Tertiò.* Comburendum fuiſſe Achanem, ſed igne ſempiterno, D in quem infelix ille deiectus ſit. Ita vt verba illa de combuſtione prædictionem, ad prophetiam contineant eius, quod futurum erat. ideoque non dixiſſe Dominum, *igni cremabitis* ſed *igni cremabitur*: quia non Iſraëlitæ Achanem crematuri erant, ſed Dominus. Ita eodem loco ſanctus Auguſtinus, circa quem obſeruanda tria. *Primum.* Eum iſtorum, quæ iam dicta ſunt, trium nihil affirmare, ſed tantum oſtendere horum quidlibet dici poſſe. Cum enim 70. Interpretum textum ſequatur, & hi, vt ſupra dixi, tantum verſ. 15. de Achane combu- E rendo egerint, poſteaque tantummodo lapidatum verterint, eo deuenit, vt ſecum ſic argumentaretur. Vel ignis pœnam ſacrilego à Deo conſtitutam, mutauit poſtea in lapidationem Ioſue: vel per ignem aliud, quam nos vulgo intellexit. At prius illud non dicendum. Neque enim vir ſanctus Domino inobediens fuiſſet, ſuoque arbitratu Domini præceptum immutaſſet. Immutauit ſemel poſtea Saül Rex 1. Reg. 13. ſed quanto cum ſcelere, Deique ira? Poſterius ergo ſuſcipiendum, & tunc inquirendum, quomodo lapidatio, quam ſecundum 70. perpeſſus Achan eſt, vocari queat ignis. F *Duæ,* ait ergo S. Auguſt. *mihi cauſæ occurrunt, non vt ambæ ſint, ſed vt altera ex iis, cur non ille cum ſuis omnibus euidenti igne crematus ſit. Secundum.* Videri eſſe in eadem Auguſtini expoſitione *μνημονικὸν ἁμάρτημα*, dum pro *Numerorum* citato ſupra loco citauit *Leuiticum. Tertium*, mendum in Abulenſi quæſt. 61. hærere, dum duæ iſtæ poſteriores explicationes non Auguſtino, ſed Adamantio tribuuntur, prout ex verbis ibidem allatis patet, quæ in Origene nuſquam, ſed in Auguſtino ipſo ſunt, & ſimiliter in textu & margine quæſt. 73.

Alterum opinionum diuortium, pœna vtraque, vſtionis & lapidationis, affectum vult Achanem ſed dupliciter. *Primò.* Vtraque ſimul viuum affectum, ita vt dum eius rogo ſubiectus eſſet ignis, iamque arderet miſer, in eum ilico lapidum à circumfuſo populo imber effunderetur. Ita Caietanus & forte R. Eliezer cap. 38. & Liber *Tanchuma*, de quo poſtea. Itemque ſemel Maſius: *Interea*, inquit, *dum Achan deducitur, dum rogus ſtruitur, incenditur, conſcenditur, populum placandi Numinis auidum, à iaciendis lapidibus non continuiſſe manus, vt fit, dum quiſque pro ſe conatur maxime ſtrenuus videri in publica pernicie propellenda.* ſed ab hiſce auctoribus diuerſa, diſcrepanſque triplex affertur ratio. *Prima.* Nam Caietanus factum id cenſet pœnæ mitigandæ cauſa, vt qui peccatum ſuum ingenue confeſſus erat, igne minus cruciaretur. *Secunda. Tanchuma*: pœnæ augendæ cauſa, vt quia ſabbathum violaret, lapidaretur: quia ſacrilegus crematetur. *Tertiò.* Maſius totum vulgi temeritati, furorique, moræ impatienti aſcribit. *Secundò.* Vtraque quidem affectum eum pœna, ſed viuum vna, mortuum altera. Verum vtra viuus & prius affectus? Dubitat Maſius. quia primò, *Verius*, ait, *ſimpliciuſque exiſtimo eſſe Achanem cum rebus ſuis omnibus, atque liberis, exuſtum quidem eſſe pro Dei iuſſis.* Poſtea vero: *ſed neque illa fortaſsis abſurda fuerit ſententia, ſi exuſtionem à Deo mandatam, ad cadauera ſpectare dicamus.* Abulenſis vero q. 55. & 65. conſtanter & clare prius ait lapidatum, eius vero poſtea cadauer crematum, & lapidibus obtectum, idque ſuo in textu expreſſerunt Vatablus, Iunius, Tremellius, Caluinus. Hæ de Achanis morte opiniones.

III. Inter eas vero mihi ea videtur veriſſima, quæ Achanem primo quidem viuum exuſtum, deinde vero lapidibus obrutum, cum nefarios veluti cineres deteſtarentur Iſraëlitæ. Nã *primò* iuſſerat Deus verſu 15. comburi ſacrilegum. Ergo, ſi viuus combuſtus non eſſet, vel ſententiam hanc ſuam mutauit Deus, vel ei non paruit Ioſue, vel eam aliter intellexit. Non *primum*, quia non eſt Deus inconſtans, neque latam immutat ſententiam, niſi ſi conditio quædam intelligeretur, qua poſita, foret iudicium aliud, vt in prophetia comminatoria interdum fit. verbi cauſa, ſi ea, quam Niniuitis de inſtante poſt quadraginta dies exitio denunciabat Ionas. ſed hic abſoluta ſententia eſt, non prophetia. Non *ſecundum* propter ſummam ipſius Ioſuæ erga Deum reuerentiam, de qua ſupra: & quia ſane, ſi quid in iis, quæ præcepiſſet Deus, deliquiſſet Ioſue, impune haud tuliſſet, ſicuti non modo ſupra citatus Saül, ſed neque Moyſes & Aaron Numer. 20. 12. Deuteronom. 1. verſ. 37. Non *tertium*, quia in re hiſtorica, quando à Domino præcipitur ſerio, quid agendum ſit, verba non ſunt neſcio, quo metaphorico, aut allegorico ſenſu accipienda: Sed proprie,

Digitized by Google

falſo patet ſimiliter. quia is *nihil eſt*. 1. Cor. 8. v. 4. & eius, quaſi aliquid eſſet: perſonam agit dæmon. ſicque partim vanitas eſt, ab re, quæ non ſit, expectare rem fieri aliquam: partim idololatria, & ſuperſtitio eſt.

II. *Sortes, quarum etiam temperatio à cœlo tota & certa expectatur, ex natura ſua malæ.* Quia cœlo tribuitur vis, qua caret, prout explicat in ſecunda ſecundæ loco citato Caietanus. Et ad has ſuperioreſque ſortes pertinent, quæ apud Cic. 2. de diuin. apud Agrippam lib. 2. de occulta Philoſophia c. 54. & l. de Geomantia fol. 393. imo & illæ, quæ in iure Canonico 26. q. 5. c. *Qui diuinationes* c. *ſortes*, & x. *de ſortibus* c. *In tabulis.* Pertinent etiam ſortilegiorum peccata & ſupplicia.

III. *Sortes in quibus vel finis, vel materia, vel modus ſeu forma vitioſa eſt, ex natura ſua malæ ſunt.* Si enim earum finis ſit cognitionem homini haud congruentem, Deique propriam velle aſſequi, vitioſum ex natura ſua eſſe, quis moralium peritus neget? In his enim moralibus ex fine ſpectatur actionum bonitas, aut vitium. Materia erit vitioſa, ſi modus & forma vitioſa, vt ſi fraus interueniat. quemadmodum à Creſphonte cõtra Ariſtodemi libros factum, apud Pauſaniam in Meſſenicis. Victorium lib. 25. var. lect. c. 15. Et ſi, vt apud Comicum eſt, vnius ſors eſſet *populea*, alterius *abiegna* in aqua.

IV. *His aliiſque ſimilibus falſis, prauiſque opinionibus, & modis remotis, ſortes ex natura ſua malæ non ſunt. Primo.* Vniuerſe laudatur in ſcriptura totũ ſortis genus. Ergo ex ſe vitioſum non eſt. Nuſquã enim ſimpliciter laudatur idololatria, homicidium, adulterium, furtum, & ſimilia. At de ſortibus Prou. 16. v. 33. *Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur.* Et c. 18. verſu 18. *Contradictiones comprimit ſors, & inter potentes quoque diiudicat. Secundo.* Sortes à Deo interdum iubentur, & quidem non vni tantum alicui, aut duobus occulte: ſed vniuerſo Iſraelis populo, ſimul & palam, vt hoc loco, & Leuit. 16. *Tertio.* paſſim & ſæpe in ſcripturis vſitantur, neque ipſarum vlla, vſquam reprehenſio eſt. Quis eas igitur ex ſe vitioſas credere audeat? *Quarto.* apud Chriſtianos etiam vſitatæ ſemper fuerunt, vt indicant S. Lucas Actor. 1. & qui de Apoſtolorum diuiſione ſcribunt, prout in libello de Apoſtolis notaui, notatque Gregorius Turonẽſis, Cæſarius, & alij ſupra citati, q. 17. *Quinto.* Etiam nunc vſitatur in militaribus, & ciuilibus negotiis multis, vt in herciſcunda familia, boniſque aliis diuidendis, in præſidibus ſanctis accipiendis, in ſacris peſtilentiæ tempore deligendis miniſtris apud S. Auguſtin. Epiſt. 80. in eleemoſynis dandis apud eundem lib. 1. de doctrin. Chriſt. c. 28. in actionibus certis agendis apud S. Bonauenturam in vita S. Franciſci c. 13. Petrum Bleſenſem Epiſt. 30. in ſimilibus. *Sexto.* Fere id concedunt ſub initium citati, Caietan. in ſecunda ſecundæ ad articulum octauum qu. citata de ſortib. quæ fortunæ committuntur, Abulenſis, imo D. Thomas in citatæ quæſtionis art. 8. dum ait. *Talis ſors* (quæ ſcilicet à Deo iudicium, expectat) *ſecundum ſe non eſt mala.* idq. probat auctoritate S. Auguſtini conc. 2. in Pſ. 30. dicentis, *ſors non eſt aliquid mali*, prout etiam citatur 36. q. 2. c. 1. Orig. hom. 23. in hunc librum, dum è ſcripturis collegiſſet, quæ pro ſortibus allata paulo ante, concludit non eſſe malas. *Nobis*, inquit, *ab Apoſtolis ſors ducta deſignat, quia vbi ex fide integra, & oratione præmiſſa, ſors ducitur. ea quæ Dei voluntas continet in occulto, ſors hominibus declarat in manifeſto.* Quin & putat ibidem ſorte Angelis euenire, quod hic vel ille ſit hominis huius cuſtos, huius prouinciæ, aut rei præſes. *Sors* Gregorius Tholoſas lib. 34. c. 5. in principio, ait, *videntur ſortium vſus quodammodo inter adiaphora conſtitui. Septimo.* Illud ex genere ſuo malum non eſt, cuius omnes ſpecies aliquando bonæ ſunt, ſed ſortis ſpecies diuiſoria, & conſultoria ſunt aliquãdo bonæ, vti ab omnibus conceditur, & diuinatoria etiam bona eſſe poteſt, quia nihil impedit humanam quãpiam cognitionem, etiam rei futuræ, quæ ſub coniecturam cadere poteſt, quæri, eo modo, quo in ſuperioribus duobus ſortis generibus. quæritur aut diſtribuendi: aut aliud agendi veritas. Nulla enim rationis diſparis ratio eſt. *Octauo.* Si quid ſortem ex genere ſuo vitiaret, eſſet, quia nulla in ſorte vis, vt apte quæſitam poſſit veritatem oſtendere. Nam nulla connexio eorum, quæ in ſortiendo fiunt cum veritate vlla. Eſt vero contra rectam rationem, quærere aliud per id, quod illius monſtrandi vim nullam habet. Vana enim huiuſmodi actio & inueſtigatio. Ego vero aſſumptionem nego. Nam vel Deus ſpeciali concurſu quodam, vel generali tantum, ad ſortes componendas & dirigendas concurrit. ſi ſpeciali, certum eſt iam in ſortibus vim eſſe indicandæ rei, quæ inquiritur, maximam. Vnde & apud Ciceronem lib. 1. de diuinatione illius frater Quintus, *Sortes*, ait, *ductæ, vt in rem apte cadant, fieri poſſe credo diuinitus.* Si generali tantum curſu concurrit, vim equidem nullam ineſſe veram & certam, fatendum eſt: eſt aliqua tamen imbecilla, quæ non tam ex re ipſa, quam ex aliqua hominum ſpecula exiſtit, dum ſperant Deum prouidentia ſpeciali quadam concurſurum. idque quia ipſe poteſt: quia interdum facit: quia ſortiũ vſum aliquãdo laudauit. Nunc vero viã, quæ interdum certo ducit, interdũ quidẽ non ducit, ductura tamen ſperatur, capeſſere, non ex ſe vitioſum. Qui in Indiã profectutus mari ſeſe cõmittit, iter ſane anceps, periculoſum, ventorum, tempeſtatũque vi prorſus incertum, aggreditur, neque tamen in hoc ipſo, modo adſint, quæ adeſſe debent alia: prauitatis quidquam ex ſe ineſt. Opinatur fore, vt ſuccedat iter forte non ſuccedet. *E rudente*, vt dici ſolet, *apta nauigatio*, & tamen ſerio eam quis improbet?

QVÆSTIO XX.

An ſortium, quæ ſuo ex genere non vitioſæ ſunt quædam vetitæ, quædam conceſſæ?

NVlta ex ſuo genere mala non ſunt, quæ tamen interdum vetantur, interdum cõceduntur. Leporinæ, ſuillæque carnis eſus, mali ſuo ex genere nihil habet, à Deo tamen Iſraelitis olim prohibitus Leuit. 11. v. 2. 6. 26. Aliarum etiam hodie carnium, in ieiuniis: eſui vitium ex ſe ineſt nullum, ab Eccleſia tamen iis dieb. excluſus, alias vero admiſſus. Dico igitur.

I. *Vetitæ ſortes illæ omnes, in quibus hominum aliquorum crimina exquiruntur*, verbi cauſa, furta, ſcortationes, & ſimilia. tit. *de ſacrilegiis* c. *In tabulis*. Et 26. quæſt. 5. cap. *ſortes*. Et ratio eſt, quia nulla prorſus in ſorte ad crimen vllum indicandum vis, niſi ſpeciali modo id efficiat Deus, vt ſupra dictum eſt. At eum hoc ita efficere, incertum eſt, ideoque certa eſſe non poterit cognitio, è qua hominem criminis damnare, ipſius aut vitam, aut famam in diſcrimen adducere liceat. Aliud eſt, quando certum eſt, Deum ad iudicium eiuſmodi ſpeciali efficiētia, concurrere, vti quando ſortem iubet, vt hoc loco in Achanis deprehendendo ſacrilegio: vel quando maxima quæpiam aliunde diuini ſpecialis concurſus adeſt opinio, vt 1. Reg. 14. fortaſſis etiam Ionæ 1. Alioqui fieri non raro poteſt, vt innocentiam damnet ſors.

II. *Sanctorum etiam ſortes vetitæ*. cap. *Aliquanti* 26. q. 5. & c. *Si quis clericus*, ibidem ex concilio Agathenſi cap. 42. & Aurelianenſi 1. capite 32. & capite *ſortilegi* quæſt. 1. eadem cauſa 26. Et apud Buchardum lib. 19. cap. 5. ſed obſeruandum, *ſanctorum ſortes* dupliciter appellari. *Primo*. Eas, quibus ſanctorum nonnullos tanquam virtutum magiſtros ad imitandum, noſtroſque patronos ad inuocandum ſortimur. Et has viguiſſe olim, & nunc temporis apud pios vigere dixi ſupra q. 17. & 19. *Secundo*. Eas, quibus ſancti vſi dicerentur, ſed falſo, cum ſuperſtitiones, & dæmonicas fraudes ac impoſturas continerēt. Et de his loquuntur citati Canones, vt patet ex eorum verbis. Nam in vno eſt: *Student auguriis & ſub nomine fictæ religionis, per eas, quas ſanctorum ſortes vocant, diuinationis ſcientiam profitentur*. In altero: *ſortes quas mentiuntur eſſe ſanctorum*. Et ab his nomen *ſortilegi*, quando criminoſum eſt, ductum ait lib. 8. cap. 9. Iſidorus. Et ad has pertinent quæ ſpecialiori vocabulo ab aliis vocatæ fuerunt *ſortes Apoſtolorum*, quaſi in libris aperiendis, aut ſortitionibus aliis impiis, ac ſuperſtitioſis, de quibus ſupra quæſt. 10. futura prædixiſſent, arcana detexiſſent, Matthiam elegiſſent. ſicuti & illud falſum, quod in magno quodam manu ſcripto volumine inſignis Abbatiſſæ in S. Otiliæ prope Molſhemium monaſterio, *Heiradis Hohebergenſis*, à pictore, dum S. Matthiæ pinxit electionem, pictum vidi: *aleatoriam* ſcilicet *ſortem* ab Apoſtolis vſurpatam.

III. *Ad Eccleſiæ præſules eligendos, ſortes omnes tam mediatæ, quam immediatæ prohibitæ* c. *Eccleſia veſtra tit. de ſortilegiis*, vbi Honorius ſic. *ſortis vſū in electionib. perpetua damnatione prohibemus*. Dixi *tam mediatæ quam immediatæ*. quia ij, ad quos ſcribit Honorius, non elegerant Epiſcopum ſorte, ſed compromiſſione. At qui compromiſſarios eligeret, eum ipſi ſortito delegerāt ſicque ſors immediate quidem in compromiſſariorum electorem, mediate vero in Epiſcopum tandem ferebatur. Sed quæ prohibitionis huius cauſa? Vnam affert Abulenſis hoc loco q. 36. quia dū electione, non ſortitione creatur magiſtratus, magis ad Deo fidendum erudiuntur Chriſtiani. Scimus enim, ipſi de minimis paſſerculis curam eſſe Luc. 12. quanto magis de Reipublicæ Eccleſiæque bono maximo? Scimus item ex

A Hierem. c. 10. à Deo dirigi actiones noſtras, & ex Prouerb. 21. Regum cor in illius manu eſſe. Fidendum igitur, cum electionibus adeſſe, menteſque ac voluntates ad hunc vel illum legendum inſtruere ac flectere. ſed reſponderet aliquis, *primo*. fidendum ſane Deo eſſe: ſed hanc in ſortitione tanto magis exerceri fiduciam, quanto aſpectuum humanorum minus habet, ſimpliciuſque ac integrius à Deo expectatur ſententia. *Secundo*. Hac ratione confici non Eccleſiaſticos tantum magiſtratus, ſed Politicos etiam, verbi cauſa, Reges, Duces, Iudices creari ſortitò haud poſſe, contra S. Thomam art.
B citato, & hodiernam experientiam in Venetorum Republica, Contareno teſte lib. 1. de eadē Republica: Et aliis etiam in locis, prout notat in C. fin. *de ſortileg*. Panormitanus. Dicendum igitur, ne ſortibus committeretur Eccleſiæ gubernatio, tribus de cauſis recte improbatum. *Prima*. Quia poſt Apoſtolum Matthiam lectum nullius vnquam poſtea fuit in Eccleſiaſticis electionibus ſortium vſus. *Secunda*. Quia Patres monuerant illud exemplum haud imitandum. S. Hieronymus in Ionæ 1. & V. Beda in Act. 1.
C allati 26. q. 2. cap. *Non ſtatim*. & cap. *Non exemplo*. *Tertio*. Humano conſilio, prudentiaque, dum licet, humanæ ſemper agendæ res, non autem ei rei committendæ, quæ cœca eſt, quæ temere hoc vel illud agit, nullam certam rationem habens, cur hunc potius, quā illū pronūciet. Ergo multo magis eodem modo ſacræ res tractandæ, & cum humano conſilio, ac ſapientia iungendæ preces, aliique modi Deum conciliandi. Et hoc inſinuat ad extremum Abulenſis. Clare autem affirmat loco citato Caietanus. *Primo*. Quidem, quia Eccleſiaſtici principatus
D finis multo ſanctior & altior eſt. *Secundo*. Quia eiuſdem materia, circa quam occupari debet, multo itidem ſanctior & auguſtior. *Tertio*. Quāuis poſſet in ſorte Deus etiam conſiliari, tamen decuit Chriſtianos, ſi non in omni re minimum tamen in ſacrorum Antiſtitum creationibus, à quibus boni aut mali pendet plurimū, ab incerto, ſæpeque fallaci, & periculoſo ſortium vſu auocari. *Quarto*. Multi etiam in Politicorum magiſtratuum creationibus ſortem improbarunt ſapientes. Ergo illam etiamſi fert Eccleſia recte tamen in ſui ipſius guberna-
E tione ſapientiorem, tutiorem, rationique conuenientiorem modum præſcribit. Antecedens illud patet primo ex hiſtoria Taciti libro quarto vbi grauis & Philoſophus & Senator diſſerit Heluidius, *ſorte & vrna mores non diſcerni: ſuffragia & exiſtimationem ſenatus reperta, vt vniuſcuiuſque vitam famamque penetrarent*. Philo initio libri de creatione Principis non minus vere quam eloquenter: *Quibuſdam*, ait, *placet ſortito creari principes, nullo ſane ſubditorum commodo. Sors enim ad felicitatem non ad virtutem attinet. Itaque ſæpe accidit, vt ad principatum ſors eue-*
F *heret, quos vir bonus non ferret in ſubditorum numero: nam & minores Principes, qui ab aliis vocantur Domini, non omnes vernas, empticioſue aſſumunt ad famulicium, ſed ſolos morigeros, obſequenteſque: cæteros refractarios & incorrigibiles gregatim interdum haſtæ, auctionique ſubiiciunt, vt indignos qui vel ſeruiant in boni viri familia. Quanto minus decet*

Dominum principatumque integrarumque ciuitatum A
*gentiumque ſorti committere , lubrica rei pendenti à
ſortuna inſtabili. Certe in ægrotis curandis ſortium ne-
mo meminit. nec enim ſorte capiuntur medici, ſed pe-
ritiſsimus quiſque eligitur. item cum de proſperitate ſa-
luteque nauigantium agitur, non ſorte decernitur, qui
gubernaturus puppim aſcendat, ne ſorte aliquis imperi-
tus vel in tranquillitate ac ſerenitate aſciſcat naufra-
gium, ſed quæritur aliquis, qui artem gubernandi à iu-
uentute didicerit: hoc eſt, qui ſæpe nauigauit, perluſtra-
uitque aut omnia, aut plurima maria, qui bene nouit
emporia, portus ſtationes, receptacula, quæ vel in conti-
nente ſunt, vel in ſingulis, qui in mari quoque callet in-* B
*uenire ſemitas, ex obſeruatione ſyderum, peritus ſtella-
rum, & ſuos curſus ad illarum motus dirigens, ita vt
per inuia viam expediat, & nouo more maria terreſtri
animanti aperiat, reddatque traiectum facilia, & po-
ſtea ciuitates magnas, populoſas, plenas habitatoribus,
earumque adminiſtrationem, & curam rerum priua-
tarum, ac publicarum, ſacrarum & prophanarum,
quam merito quis artem artium, & ſcientiam ſcientia-
rum dixerit, committemus incerta rei fortuitæque, re-
iecto veritatis examine.* D. Ambroſius lib. 5. hexae-
meri c. 21. *in ſortibus euentus eſt, non iudicium, &
ſæpe irrationabili caſu, ſorte melioribus vltimus quiſque
præfertur.* Diuus Chryſoſtomus ad Epheſ. ho- C
mil. 2. ὁ κλῆρος οὐκ ἀρετῆς ἐστὶ ἀλλὰ εὐτυχίας. ὡς ἂν
τις εἴπῃ, ὡς ἂν εἰ ἔλεγε κλήρῳ γενομένῳ ἡμᾶς ἐξελέξατο,
τὸ δὲ ὅλον ἀπὸ τοῦ προωρισμένους προορισθέντας, τουτέστιν, ἑαυ-
τῷ ἐκλεξάμενος ἀφώρισεν, οἷον ἔλεγε ἡμᾶς περὶ γῆς
κεκληρωμένους. θαυμαστὴ γὰρ ἡ τοῦ θεοῦ πρόγνωσις, καὶ
πάντα εἰδυῖα πρὶν γενέσεως αὐτῶν. Ac idcirco lib. 1. de
diuinatione Cic. *Quis magiſtratus, aut quis vir il-
luſtrior vtitur ſortibus?* Cæteris vero in locis ſortes
pœne refrixerunt.

Obiici poteſt vnum electi *S. Matthiæ Apoſtoli
exemplum* Act. 1. Reſpondent aliqui, Apoſto-
los Spiritu ſancto completos nõdum tũc fuiſſe D
V. Beda Act. 1. Deinde ipſorum eſſe priuile-
gium, quod communem legem facere non
poſſit. Idem Beda, citatus q. 2. c. *Non ſtatim* 26.
& D. Hieronymus in Ionam 1. citatus c. *Non
exemplo.* in eadem q. 2. 26. Abulẽſis. q. 41. At ego
reſpondeo primo. valere hoc exemplum ad illam
probandam ſententiam, quam q. 19. tradidi, ip-
ſum ſcilicet ſortium genus ex natura ſua malũ
non eſſe. Quomodo Apoſtoli, ſimul omnes, in
concilio, precibus adhibitis, rem ſuopte malo
damnatam publice moliri ac efficere auderent.
Secundo. Apoſtolorum numerus eſſe debebat E
duodenarius: non vltra vel citra, vnus quiſpiam.
E toto diſcipulorum numero duo erãt ad eum
explendum numerum non ſorte, ſed conſilio,
& ratione delecti Matthias & Ioſeph: ſed tan-
tis vterque virtutibus, diuiniſque ornamentis,
vt alteri vter anteponendus humano diiudicari
iudicio ac prudentia non poſſet. Licebat igitur
ad modum aliquem procurrere diuiniorem,
quo cœpta, & ad iſtos vſque duos perducta ele-
ctio, Dei abſolueretur calculo, vti & factum.
Tertio. Eiuſmodi ſortitio nulla, dum lege im-
probata & vetita erat. Nunc vero, vti ſupra di-
ctum, ſecus. Antequam eſſent aut leporinæ F
aut ſuillæ Iudæis interdictæ carnes aliarumque
animantium tam natantium, quam gradien-
tium, & repentium eſus, recte iis eorum vel
Patriarchæ ac maiores, vel ipſimet in Ægypto
Moyſes, Aaron, Iudæique omnes veſci pote-
rant. Poſt latam vero legem, veſci nefas. Sic in
vtriuſque ſpeciei communione per Manichæi-
cas olim, & ſuperiore rurſum ſæculo per Bohe-
micas & Germanicas hæreſes factũ, vt Laicis ea
interdictũ ſit. Erat id antea ſemper in cuiuſque
arbitrio. *Quarto.* Si in tãta neceſſitate tãta cura
tã apti ad Epiſcopatũ, Eccleſiæq. gubernatio-
nem tanta cura delecti eſſent plures, tam-
que difficilis, ac humano conſilio impoſſibilis
inter eos exoriretur diiudicatio, liceret, hac
etiam ſpe, quod Apoſtoli fecerunt. Quia tali
neceſſitatis & humanæ prudentiæ articulo, vi-
deretur humana iam non obligare lex, vti ex
iis, quæ de iuris poſitiui obligatione doceri ſo-
lent, manifeſtum. idque vult in ſummula Caie-
tanus, dum ait. *Ex materia quoque electionum ſpi-
ritualium miniſtrorum, ſi inhibitio poſitiui iuris ſeclu-
datur, non video peccatum aliquod, ſi ſortibus commit-
teretur ſuper aliquos lectos, atque idoneos, vt factum
eſt in electione Apoſtoli Matthiæ.* idque omnino do-
cet citata nuper in hunc librum hom. 23. Orige-
nes, dicens ipſos etiam Apoſtolos fuiſſe iis, qui
Epiſcopos eligunt hodie, ſanctiores ac pruden-
tiores.

IV. *Ad ſortes reuocari ſolet alea,* qua contineri
ſolent ludi, qui ab ancipiti caſu pendent om-
nes. Et illa varie variis prohibita eſt, vt in Pan-
dectis videre eſt, t. *de Alea, & aleatoribus,* & Cod.
de aleatoribus, & alearum luſu, lib. 3. tit. 43. Videa-
tur Toloſas ſyntag. l. 39. c. 3. Ærodius libro 3.
tit. 9. Molina de iure ac iuſtitia Diſput. 509.
510. 511. 512. Lepidum ſane de hiſce aleis æni-
gma ſuperioribus circumlatum diebus, oſſa
mortuorum reuiuiſcere, quæ certis compuncta
notis, morti dent plurimos.

V. *Omnes illæ ſortes inconceſſæ, quæ cauſis, aut circũ-
ſtantiis carent debitis: conceſſæ aliæ.* Sed eiuſcemodi
vel cauſæ, vel circumſtantiæ, commodius ad
ſequentem relegabuntur quæſtionem.

QVÆSTIO XXI.

Conceſſarum ſortium conditiones quæ?

I SOrtes, quæ *in ſolo ludo* verſantur, requi-
runt virtutis eius, quæ ab Ariſtotele di-
citur *εὐτραπελία*, conditiones: quæ *in ludo autem
& lucro* aliquo, tam virtutis illius, quam iuſtitiæ
conditiones, de quibus citato loco Molina.
II. *Seriarum ſortium conditiones* variæ ſunt.

Prima *neceſsitas.* Quamdiu humanæ rationis
vi ac iudicio negocia geri poſsũt, tãdiu à ſortib.
ſeriis abſtinendũ. Quia ratio humana eſt huma-
næ vitæ regula, & quaſi amuſſis. Sẽper igitur ad
eam actiones noſtræ omnes demetiendæ. Alio-
qui mera Dei eſſet tentatio: vt, ait a. 8. q. cit.
D. Thomas. Nam, vt S. Ambroſius in Lucæ
c. 1. c. *de ingreſſu Zachariæ,* dicit, *quæ ſorte quærun-
tur, ea ignorantur: Et vbi inuenta ſunt, quomodo inuen-
ta ſint, neſcitur.* Non eſt autem prudentiæ, modũ
agendi tenere, qui cognitus non ſit, & explo-
ratus. Sed *neceſsitatem* intelligo non extremam,
& phyſicam, ſed *moralem*, quæ intelligitur, niſi
clare ſignificet, aut inſpiret Deus: & ſi æque
commode poſſumus aliquid conſilio, quam

Digitized by Google

ſorte definire. Hinc igitur colligemus. *Primò*. A Non temere ac promiſcue ſortibus vti licere. *Secundò*. Diligenter aduertendum, poſſimuſne humana induſtria, quid, & quomodo agendum ſit, perſpicere. *Tertiò*. Si iurgiorum, ſuſpicionum, aliorumue id genus malorum aliquid poſt iudicium induſtriamque humanam ſupereſt, licere iſta ſortitu conſopire. Licet enim extrema tũ haud videatur neceſſitas, eſt tamẽ moralis ea, quæ ad bene agendum ſatis eſt Prou. 18. v. 18. *Quartò*. Si duos conſtat eſſe innocentes, vel alterum vel de neutrius culpa ſatis graues B appareant coniecturæ, inter eos, vter nocens ſit, ſortem mittere haud licebit. Similiter ſi duo ad Eccleſiam regendam inepti ſorte, non quærendum vter aptior. Si herciſcundæ rei portiones clare inæquales, de iis non ſortiendum. Si denique duorum inæquale ſit aliqua in re ius, inter eos locus ſorti nullus. Ratio, quia de his omnibus ſola poteſt hominum ratio iudicare, ac ſtatuere.

Secunda. ſecundum rei, quæ ſortibus quæritur, magnitudinem, debet in illis erga Deum reuerentia & precatio adeſſe. In ſacris litteris, C quia non niſi grauibus, & magnis de rebus incurrunt ſortes, ideo *preces & venerationem* ſemper *magnam* videmus. vt hoc ipſo loco, veſtium elationem ſecubationemque, vti de ſanctificatione quæſt. 12. & cap. 3. verſ. 5. dictum. & *ante Dominum comparatio eſt*, Leuit. 16. verſu 16. *preces* 1. Reg. 14. Ionæ 1. etiam Gentiles dicunt ante ſortes. *ſurge, inuoca Deum tuum*. Quin vero hanc ob cauſam iidem olim, certis in templis, in certorum Deorum conſpectu ſortes iaciebant, æquabant, ducebant, vt ex Ciceronis de diuinatione libris intelligitur. Actor. 1. Sortituri orarunt D Apoſtoli. *ſi qui*, ait in eum locum V. Beda *neceſſitate aliqua compulſi Deum putant ſortibus exemplum Apoſtolorum eſſe conſulendum, videant hoc ipſos Apoſtolos non niſi collecto fratrum cætu & precibus ad Deũ fuſis, egiſſe*. idque monuit etiam, vti ante dictum, homil. 23. in hunc librum Origenes. Si autem res admodum paruæ ſint, etſi bonum eſt Deum inuocare ſemper, ſi tamen non fiat, peccatur nihil. Ratio quia idcirco Deus oratur, vt ſpeciali modo ſortes attemperet, apteq; cadere iubeat. Sed etiamſi hoc in paruis non fiat, parum aut nihil intereſt. Et qui talibus in rebus ſortem, E abſque ſpeciali diuini concurſus effectione, volunt quoquo modo exire, ij ſuo quaſi iure de compacto cedunt omnes, vt quidquid acciderit, acceptum ſit. At in huiuſmodi regulis non iniqua ceſſio hæc. Ad iſtam reuerentiæ diuinæ conditionem videtur ea non incommode reuocari, quam loco citato facit D. Thomas tertiam, ne diuina ſcilicet oracula ad terrena conuertantur negotia. Sic enim S. Auguſtinus Epiſt. 119. cap. 20. & citatur 26. q. 2. cap. *Hi, qui de paginis Euangelicis ſortes legunt, etſi optandum eſt,* F *vt hoc potius faciant, quam vt ad dæmonia conſulenda concurrant, tamen etiam iſta mihi diſplicet conſuetudo, ad negocia ſecularia, & ad vitæ huius vanitatem propter aliam vitam loquentia oracula diuina velle conuertere*. Si terrena tamen negotia ſumerentur, prout à nobis Chriſtianis ſumi deberent, vt iis ad Dei gloriam, æternamque vitam noſtram vteremur, nulla eſſet irreuerentia ſacris eiuſmodi vti. Nam & oraculum *Vrim* & *Thummim* ad eiuſmodi adhibebantur, vt l. 1. patuit. Et Deus noſter vitæ huius terrenæ etiam dator & conſeruator eſt, ab eoque quotidianus aſſidue panis petitur. Qui vero propter preces in ſortibus olim coniunctis, totum hoc ſortiendi negotium ceremoniale putant, ideoque veteris legis ceremoniarum abrogatione, hanc etiam ſortitionis ceremoniam ceſſaſſe falli equidem videntur. Quæ enim ceremonia? Cuius rei ſignum? An cuicunque connexæ preces, id veteris illico legis ceremonia, quæ nunc antiquata? Sed neque illud omnem ſortium vſum improbat, quod aiunt iidem, Deum cuncta promiſiſſe orantibus: non autem ſortientibus. Probat tamen non omittendas, in rebus ſaltem maioribus, prout explicatum, preces.

QVÆSTIO XXII.

Quando, & quomodo in Achan ducta ſors?

POſtridie quam oraſſent, diuinumque reſponſum accepiſſent Iſraëlitæ, omnes bene mane ad ſortiendum ante arcam fœderis, ſiue ad tabernaculi atrium acceſſerunt, ac inprimis Dux ipſe Ioſue verſu 16. omnium ſemper diligentiſſimus, præ omnibus ſemper matutinus. Sors vero Abulenſi per chartulas in vrnam cõiecta & ducta videtur. eſtq; probabile, licet non certum. ſicuti & à quo eadem miſſa, miſta, ductaque, *incertum*, vt ait recte Maſius.

QVÆSTIO XXIII.

Quomodo, interpoſitæ noctis occaſione, non aufugit Achan, ſed indictam, & quidem vltimam ſortem expauit?

SAcrilegij cum ſibi eſſet Achan conſcius, ſorſque à Deo præſcripta, & magna cum religione inducta iam eſſet, noxque interiiceretur vna, quomodo fuga ſeſe non proripuit? Quomodo nocturnis tenebris definitum euadere ſupplicium non tentauit? Quomodo cum cæteris ad Domini arcam, diuinum tribunal, cœleſte iudicium, indiciumque accedere auſus eſt? Quin vero cum ſortitione prima ſuam iam tribuni vere notatam, ſecunda gentem, tertia domum, quid moratus eſt? cur ſeſe in pedes non coniecit? Cur quoad ſuum vnius nomen palam ederetur, diuinaque veluti manu apprehenderetur, & ſacrilegus publice proclamaretur, expectauit? Mirum id profecto. Cauſæ tamen eius moræ plures dari poſſunt. *Prima*. Caſtra erant: eaque cuſtodiis & excubiis ſepta vndique. Et quia ſacrilegium admiſſum, diuinitus iam patefactum erat, omnia ſuſpicionis plena erant. ſi quis pedem extuliſſet, in eum facile conferri ſcelus hoc poterat. Intenti eo etiam die omnes in ſanctificationem ad craſtini diei ſortes. Qui aliud egiſſet, alio diuertiſſet, omnium in illum oculi, cogitationes, & manus conuerſæ fuiſſent. Quid igitur Achan ageret? Quo & quomodo fugeret? ac matutino præſertim diluculo, cum ante Dei ſedem & oculos ſtaret congregatus totus Iſraël? Quantam

Digitized by Google

vero vim ad criminis inſimulandum aliquem habeat fuga, docet Iulius Clarus lib. 5. *Secunda.* Tam praua forte ſubierat Achanis animum opinio, vt ſuum etiam Deo facinus occultum putaret. Tanta ſiquidem interdum cupiditate, ac pœne inſania & furore peccatoris excœcatur mens, vt cum illo apud Iob cap. 22. verſu 13. ſuo in corde dicat. *Quid enim nouit Deus? Et quaſi per caliginem iudicat. Nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat, & circa cardines cœli perambulat. Tertia.* Eſto. meliora, & veriora de Deo ſenſerit, ipſe forſan ei ſuſpectus princeps, quaſi finxiſſet, à Deo præſcriptam ſortem, aut huic vim ineſſe nullam: meticuloſorum inane tantummodo terriculamentum eſſe. *Quarta.* Sint tamen ſortes aliquid multa ſunt Iſraëlitarum millia magna & inſignis multiplicium ſpoliorum fuit occaſio. Quis credat ab iis abſtinuiſſe manus alios omnes? ſe vnum ſolum è cupiditate victum? Erunt forte plures, apud quos anathema ſit, & qui multo fortaſſis plura & maiora ſurripuerint. Alios iſtos prodet ſors: me tacebit. *Quinta.* Verum & me ipſa prodat, excipiam cõtra vanum ac fallacem inquiſitionis modum: oſtendam, ſorti credendum haud eſſe. in re præſertim momenti tanti, cum de hominis fama, vitaque agitur: non fuiſſe hanc apud Iſraelitas vſurpatam hactenus. nouæ quærendorum ſcelerum rationi, fidem nullam adhibendam. fore alioquin, vt ipſa poſſit in diſcrimen adduci ſalus. Sint enim duo innocentes. Cogantur de capitali crimine ſortem experiri. Alterutrum certe dira petet ſors, innocentem tamen. Huius ergo inquiſitionis modo naſcentibus principiis obſiſtendum. Hæc & ſimilia ſolent ſceleratis quandoque hominibus, ne fuga ſaluti ſuæ conſulãt, in mentem venire. ſed & alia eos non raro attinet, penituſque defixos coërcet cauſa. incogitantia nimirum & ſtupor admirabilis. qui, prudentes etiam ſolicitos, & cautos alias homines, poſt ſuſceptum aliquod ſcelus, inuadit, vt horum nihil cogitent. hæreant in ipſo ſceleris veſtigio, ipſum pœne carnificem accerſant. Videmus quotidie in homicidiis, furtis, & veneficiis. In carceres mulierculæ ac viri tot rapiuntur, flammis tot conſumuntur, tam multis onerantur ſuſpicionibus, tam manifeſtis nonnunquam accuſationibus, & ſociorum indiciis in loco, cum fugere poſſunt facillime, manent eodem, fugam nullam captant. Conſcientia ſcilicet omnem eis mentem eripit: vrgetque ipſos ad pœnam vindex Deus, prout aliis multis modis modis accidiſſe compertum, Plutarcho teſte in libro de ſera Numinis vindicta. Vnde & illud Auſonij:

Ibycus vt periit, vindex fuit altiuolans grus.

Atque hæc Abulenſi ſub 42. quæſtionis finem cauſa placuit. Sed quid ſi, cum aliud non conſtet, de Achane cogitemus meliora? Potuit enim ſic ſecum cogitare. Peccaui. Deo peccatum meum conſpicuum. Iam ſe populo iratum profitetur ſortem, qua inueniar, præfinit. Operiar quem is cumque volet, exitum. Vult me publice infamem eſſe? Commeritus ſum. Infamiam ſubibo. Vult me incendio addici? Eo dignus ſum. Expectabo ſententiam. Cinis, pro merito, efficiar.

QVÆSTIO XXIV.

Achanem à ſorte proditum, quomodo ad peccati confeſſionem induxit Ioſue?

PRimus modus, quo ad peccati confeſſionem, ab ſorte iam accuſatum, & indicatum Achanem induxit Ioſue, fuit duplex. *Prima.* Blanda & ſuauis compellatio verſu 19. *fili mi.* Quod nomen, quæ neceſſitudo in illius influere cor magis potuit? *Boni principes ſunt*, vt veterum quidam monuit, *ſubditorum ſuorum Patres*, eoſque amore proſequuntur paterno, quidni & Ioſue? Degenerarat quidem Achan, ſuoque iſti tanto Principi & Patri mœrorem ſuo ſcelere inuſſerat maximum. Quia tamen eum ipſum graui nunc oppreſſum triſtitia conſpicit, non ſtomachatur contra eum vehementius: non opprobrat auaritiam, improbitatem, cladem acceptã. ſed affatur leniter, vt quia extremam adhibere, Dei iuſſu, ſeueritatem oportebat, verbo ſaltem, quia re non licebat, conſolatur. Exẽplum indicit Principibus, Magiſtratibuſq; omnibus ad imitandum inſigne, vt ſe ad manſuetudinem, animique moderationem, & ſuauiloquentiam propenſiores malint. Recte apud Stobeum ſermone 20. Epicharmus ὀπιπλεονάζειν οὔτι χρὴ τὸν θυμὸν, ἀλλὰ τὸν νόμον. *Oportet vt ſuperet non ira, ſed Lex.* Ideoque & Abraham miſero ac infelici illi diuiti ad inferos iam demerſo, *fili*, ait, *recordare, quia recepiſti bona in vita tua.* Lucæ 16. v. 25. Secundus rei faciendæ ſeria & efficax propoſitio. Nam pro eo, quod potuiſſet verbo dicere, *fatere peccatum tuum*, adhibet verba quatuor, quorum poſteriora maiorem priorum explicationem ſemper continent. Et omnium *primum* etiam rationem, & argumentum, cur crimen merito confiteri debeat Achan. Ait enim verſu 19. *Da gloriam Domino Deo Iſrael*, quaſi diceret:

Illud quo datur Deo gloria, merito ac libenter à nobis faciendum

Sed peccata noſtra confitendo, datur Deo gloria.

Ergo.

Pro *da gloriam*, in Hebræo eſt, *Pone, ſeu conſtitue gloriam.* ſed eodem ſenſu. ideoque & 70. vertunt δὸς δόξαν. Imo propter Hebræam additam particulam *na.* poſſet adhuc verti ſuauius, *da quæſo gloriam Deo*: vel *da nunc gloriam Deo.* Vtroque ſiquidem modo, vt ſupra indicatum, illud *na* paſſim vertitur. *Secundo.* Verbum *confitere*, Deo ſcilicet. Nam Hebraice eſt, *da confeſſionem ipſi*, cui nimirum dandam gloriam dictum iamiam erat. Et Græce δὸς αὐτῷ τὴν ἐξομολόγησιν. *Confeſſio duobus*, ait Sanct. Auguſtinus in Pſalm. 94. *modis accipitur in ſcripturis. Eſt confeſſio laudantis, & eſt confeſſio gementis. Confeſſio laudantis ad honorem pertinet eius, qui laudatur. Confeſſio gementis ad pœnitentiam pertinet eius, qui confitetur. Confitentur enim homines cum laudant Deum: confitentur, cum accuſant ſe.* Et confeſſionis diſtinctionem hanc paulo poſt cõfirmat. *Si ſemper confeſſio pœnitentis eſſet, non diceretur in Euangelio de ipſo Domino: In illa hora exultauit Ieſus, in Spiritu ſancto, & ait: Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus*

& prudentibus,& reuelaſti ea paruulis. Nunquid quia Chriſtus confitebatur, pœnitens erat? Illum nihil pœnitere poterat,quia nihil culpabiliter fecerat: ſed confitebatur in laudem patris. Addi poſſunt illa in Pſalmis tam multa 45.5.*Confeſſionis ſonus epulantis*.103.1.*Confeſſionem & decorem*.110.3. *Confeſſio & magnificentia*.184.13.*Confeſſio eius ſuper cœlum*. Pſ. 32. *Confitemini Domino in cithara*.99.4. *In hymnis confitemini illi*,& ſæpiſſime alias. Dicendum igitur *confeſſionis* nomen tam Hebraicum, quam Græcum & Latinum accipi, non tantum *quando nos Deo tanquam ſontes ſubiicimus*, vt ſemper in ſcripturis fieri vult Maſius folio 133. (Id enim clare à Diuo Auguſtino ex Christi Domini Patri Confitentis exemplo Matthæi vndecimo verſ. 25.refutatur) ſed vniuerſe,quando vel Dei magnitudinem,ſapientiam,potentiam,bonitatem & beneficentiam profitemur ac deprædicamus vel noſtram erga ipſum ingratitudinem,impietatem, & peccata recognoſcimus & fatemur. *Vtra* vero hic *ab Achane poſtulatur confeſſio*? vtiq; poſterior,quæ gementis, & culpam agnoſcentis eſt,in qua tamen magna ſemper Dei laus & gloria continetur,prout infra dicetur. Sed iſta, quæ Deo erat confeſſio,*debuitne tantum in Achanis corde fieri*? vel ipſis etiam labiis, ac vocibus, ſed clam hominibus omnibus? in loco vbi ſolus eſſet Achan? ſolum ſolus ſe audiret? nullus hominum alius adeſſet? nullius confeſſionem illam aures acciperent? Hoc Nouatorum plerique putant nunc,eſſe,*confiteri Deo*. At vero latius patet iſta confeſſio. Nam qui etiam homini Dei ſeruo,& propter Deum cõfitetur, prout hoc loco fecit Achan, quemadmodum è ſeqq. intelligitur.*Tertium* enim verbum eſt,*Indica mihi quid feceris*: Hebraice cum eadem illa particula *na*. Enuncia mihi obſecro,quid feciſti? vel, Enuncia nunc.Non enunciaſti hactenus,tacuiſti hucuſque. Nunc vides te Dei, quaſi digito monſtrari: confitere mihi quidnam patraris. *Quartò*,*Ne abſcondas*. Hebraice: *ne à me occultes*, quidquam ſcilicet. Græce μὴ κρύψῃς ἀπ' ἐμοῦ. ſicque verus confitendi modus indicatur, ne illum, cui confitemur celemus quidquam: ſed efferamus,& expectoremus omnia. Et ſane ita fecit Achan prout ſequitur verſ. 20. & iam ſupra expoſitum q.3.4.& ſequentibus.

QVÆSTIO XXV.

Quomodo, peccati ſui confeſſione, gloriam Deo tribuere Achan potuerit?

Istud. *Da gloriam Deo*, exiſtimant aliqui eſſe formulam obligandi homines ſacramento, vt Ioannis cap.9.verſ.24. ſed ego, ait Maſius, *vt hoc funditus repudiare, aut refellere nolo,ita non admodum probare poſſum, cum nihil appareat in illa Ioannis narratione, quod iuramento dicere cæcum voluerint Phariſæi: qui potius accuſata* Christi *humanitate, qua offendebantur, ſtudebant hominem auertere ab eius diuina virtute prædicanda, atque ad transferibendum omne beneficium in ſolum Deũ inducere*. Maldonatus in eundem illum Ioannis locum cap. 9. verſu 24. *Modus*, ait, *eſt loquendi Hebræis vſitatus, quo ſolebant rei tanquam per Deum adiurati ſolemni ritu interrogari, admoniti ijs verbis ſtare ſe coram Deo, reuerendam ſibi eius eſſe maieſtatem, ne ergo coram illo mentirentur,qui omnia probe ſciret, quaſi indicantes illum eſſe ignarum humanarum rerum, quæ magna in Deum erat iniuria,hunc potius illi honorem deferrent,vt confitenda illius reuerentia veritate oſtenderent, ſe credere,nihil illum ignorare. Sic ergo dicebant, da gloriam Deo,ſicut Hiſpanus iudex dicit, pone iſtic manum, cruce porrecta,& Gallus,Tolle manum, quaſi per Deum iuraturus*.Et hoc tam huic, quam aliis ſcripturæ locis recte congruit Ioan.9.v.3.Eſdr.9.verſ.8. Sed addendum amplius. *Primo, Generatim*, Vere per peccatorum confeſſionem, Deo gloriam tribui,& quidem tanto maiorem, quanto ea occultiora,& maiora ſunt. Nam eo ipſo, profitetur quodammodo peccator, ipſum eſſe omniſcium,cum quæ omnes latebant homines,ſoliſque animorum receſſibus condita, & incluſa erant, ea ſponte homo foras effert, & aperit. Profitetur etiam Deum miſericordem, cui cõfeſſione iſtorum, tanquam humilitate quadam, & ſuiipſius afflictatione, ac moleſtia, ſperet ſatis aliquid fieri. Profitetur eundem Dominum eſſe ſummopere verendum ac metuendũ, dum eius vel iuſſu,vel cauſa, & nomine dicuntur & enunciantur,quæ humanus metus,ac pudor ita occulit,velat, voluit ac inuoluit, vt ab mortalium nullo,fieri ſi poſſet, ea reſciri vnquam vellet. Audiamus S.Auguſtinum in enarratione in Pſalm.94.*Nunquid*, ait, *& hoc non pertinet ad laudem Dei, quando confiteris peccata tua? Imo vero maxime pertinet ad laudem Dei. Quare maxime pertinet ad laudem Dei,quando confiteris peccata tua? Quia tanto plus laudatur medicus, quanto plus deſperabatur ægrotus. Confiteri itaque peccata tua, quo magis deſperabas de te propter iniquitates tuas. Tanto enim maior laus eſt ignoſcentis,quanto maior exaggeratio eſt peccata confitentis. Non ergo putemus nos receſſiſſe à laude cantici,ſi iam hic confeſſionem intelligimus, qua confitemur peccata noſtra. Et hoc ad laudem cantici pertinet: quia cum peccata noſtra cognoſcimus, Dei gloriam commendamus*. 2. *Speciatim* aliis etiam modis Achanem Deo tribuiſſe gloriam,quia profeſſus eſt Deum veraciſſimum, cuius ſorte ignotum omnibus peccatum veriſſime indicaretur: ipſe inter tot millia vnus veriſſime ſacrilegij argueretur: eũdem eſſe iuſtiſſimum, qui non temere, neque abſque cauſa clade Iſraëlitas affici paſſus eſſet: eſſe omni reuerentia digniſſimum, cuius præceptis omnib. accuratiſſime parendum ſit, neque vllum violandum: Eſſe ſanctiſſimum, cui res quæcunque dicatæ à nemine auerti, aliumque in vſum transferri deberent: eſſe iuſtiſsimum, qui malefactis pœnas iuſtiſsime conſtituat: eſſe potentiſsimum, cuius & ſententiam, & pœnam nullus,vlla vi,arte,fuga, latebra poſſit euadere.3.Si de confeſsione, quæ ſacerdotib. apud Chriſtianos fit,agatur, præter dictos iam modos, datur etiam Deo gloria.*Primò*. Quia ſacramentum ab ipſo Christo Iesv inſtitutum ſumitur.eoque ipſo cultus Christo Domino latricus tribuitur. *Secundò*. Quia propter ipſum, hominibus, quia eius ſunt ſacerdotes,ac miniſtri,nos ſubiicimus: & quidem humillime in re humillima,moleſtiſsima,ruboriſque pleniſsima.*Tertiò*. Quia effectus ad ſummã Dei gloriam redundat,dum à peccatis abſoluitur peccator: à ſordibus eluitur: mundus ac

Digitized by Google

purus totus efficitur, & ex hoſte amicus, ex Diaboli mancipio, Dei filius, ex gehennæ obnoxio, paradiſi hæres: gratias deinde agit Deo, eius miſericordiam ac infinitam benignitatem laudat, vita emendatiore diuinam omnib. gratiam oſtentat, in hac & futura vita Deum aſſidue prædicat. Poſſunt hæc omnia, quamuis copioſe monſtrari. Sed concludam citati Sanct. Auguſtini ea oratione, qua Pſalmi 95. verba illa explicat, *Confeſſio & pulchritudo in conſpectu eius. Pulchritudinem,* inquit, *amas? vis eſſe pulcher? confitere. Non dixit pulchritudo & confeſſio: ſed confeſſio & pulchritudo: fœdus eras, confitere, vt ſis pulcher. Peccator eras, confitere, vt ſis iuſtus. fœdare te potuiſti, formoſum te facere non potes. Qualis autem eſt ſponſus noſter, qui fœdam amauit, vt pulchram faceret? Quomodo, ait aliquis, fœdam amauit? Non veni,* inquit, *vocare iuſtos, ſed peccatores. Quos vocas peccatores, vt remaneant peccatores?* Non, inquit. *Et quomodo non erunt peccatores? Confeſſio & pulchritudo in conſpectu eius. Confitentur enim peccata ſua, vomunt mala, quæ aude vorauerunt. Non redeunt ad vomitum ſuum, ſicut canis immundus, & erit confeſſio & pulchritudo.*

QVÆSTIO XXVI.

Cur ad peccati ſui confeſſionem inducere Achanem ſtuduit Ioſue?

STuduiſſe hoc Ioſue, videtur *primò* Iudæorum quibuſdam, vt ſortium, quibus in promiſſa diuidenda terra vſurus erat, vim & auctoritatem confirmaret. *Alij* in Thalmud tract. *ſanedrin,* c. 6. & libro *Tanchuma,* vt excitatam compeſceret ſeditionem. Volunt enim iſti, tribum Iudæ cum vidiſſet, ſe ſacrilegij, dedecore tanto, ſortis voce, affectam, dolorem magnum cepiſſe, ira exarſiſſe, ad arma prouolaſſe, quaſi falleret, ac mentiretur iniqua ſors. Reum igitur confitentem in medium adduxit Ioſue: ſicque ſedata omnia. Sed prius illud nonnulla eſſe cauſa potuit, ſed quaſi adiuuans, & forte præter omnem ipſius tunc Ioſuæ cogitationem. Poſterius Rabbinicum videtur commētum. Nam eiuſmodi tumultus, quod vel minimum vſquam ſignum? Et nonne clariſſime ſignificarat Ioſue, ſortitionem hanc à Deo dictam & indictam? Quomodo inani ſortis commento virum tantum abuti, Deumque placare velle, in animum tota illa, tantaque tribus inducere potuiſſet? Potius ergo dicendum. *Primò* ſpectaſſe id Ioſue, vt Deo, quemadmodum dictum eſt, daretur gloria, cum monſtrando, rerum omnium eſſe ſcientiſſimum, omnia eius oculis eſſe apertiſſima, eſſe in eo, quod per ſe, vel per oracula, ſorteſque quaſcunque loquitur, & monſtrat, veriſſimum: eſſe iuſtiſſimum, qui non abſque graui cauſa Haienſem cladem Iſraëlitis intulerit. *Secundò* ſpectaſſe etiam ipſius Achanis vtilitatem, vt quia ei moriendum eſſet, pœnitentia vera eius tangeretur cor, humili ſceleris confeſſione ſibi Deum propitiaret: huic gloriam eo modo, quo ſuperiore quæſtione traditum tranſcriberet. *Tertiò.* Vt omnium animos ab omni auocaret ſcelere, omnique ſpe, admiſſum aliquod ſcelus, latendi, ac impune ferendi. Recte in libro de officiis tertio Tullius. *In omni deliberatione celandi & occultandi ſpes atque opinio remouenda eſt. Satis enim nobis (ſi modo in Philoſophia aliquid profecimus) perſuaſum eſſe debet, ſi omnes Deos, hominesque celare poſſimus, nihil tamen auare, nihil iniuſte, nihil libidinoſe, nihil incontinenter eſſe faciendum.*

Et Solon:

Αἰεὶ ὅτι λέληθε διαμπερὲς ὅστις ἀλιτρὸν
Θυμὸν ἔχει. πάντως δ' ἐς τέλος ἐξεφάνη.

Quartò. Vt Iudicibus omnibus, antequam neci reos addicant, exemplum daretur, quemadmodum eniti debeant, vt crimina, ob quæ plectendi, fateantur ſontes, ſiue quæſtionibus, ac tormentis exquirenda illorum veritas fuerit, ſiue non. Videatur lib. 48. cap. 12. Toloſas Gregorius. *Quintò.* & vltimo, Vt nobis, quicunque ſaluos, & è gehennæ periculo extractos peccatores aliquos volumus, ratio eos mouendi, & ad optima quæque deducendi apprime vtilis monſtraretur. Scimus illud S. Iacobi cap. 5. verſu 20. *quod qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluauit animam ſuam à morte.* Dicamus ergo erranti, viaſque flagitiorum prauas tenenti, fratri, amico, proximo noſtro: Da gloriam Deo, & confitere ipſi, atque indica ſacerdoti, quid feceris, ne abſcondas ab eo quidquam.

QVÆSTIO XXVII.

Achanis confeſſio cuiuſmodi?

NOn erat illa quidē ſacra eiuſmodi, cuiuſmodi apud nos Chriſtianos viget, ad peccatorum expiationem, confeſsio (Nam inſtituta nondum erat, neque ſacerdotali munere fungebatur Ioſue) non pauca tamen, quæ ad iſtam valeant, indicat. Ea breuiter, quia iam antea quæſt. 3. & ſecutis, confeſsionem ipſam expoſui, operæ fuerit precium notare. Ac *primò* quidem, vt ad confeſsionem ſeſe componat peccator, opus diuino auxilio, quod excitet. Sic enim Achanem commouit ſors, & Ioſuæ cohortatio, quæ non eius aures tantum percuſsit, ſed & cordis intimum. *Secundò.* Confeſſus eſt Achan generatim primo, tum ſigillatim. Idem facimus, cum initio *Confiteor* dicimus, deinde noſtras recenſemus noxias. *Tertiò.* Doluit, & quidem ex animo Achan, ſe Deum offendiſſe, vera tactus pœnitentia, & contritione. Licet enim dubitet hoc loco Caluinus, eius tamen verba, verborumque modus indicat: vis etiam Ioſuanæ cohortationis, & ipſe demum exitus, de quo poſtea. Sic animo nos, ob Deum peccatis noſtris contemptum, dolenti ac mœſto eſſe oportet, ſicque confeſsionem inſtituere. *Quarto, Vere,* ait, *ego peccaui Domino Deo Iſraël.* Ecce non peccatum ſuum ſolo agnoſcit ſilentio: vultus aut pallore aut rubore: oculorum in terram defixione, animi ſtupore. ſed animo præſens, Ioſuæ obtemperans, Deum reuerens magno cum doloris ſenſu, & vt opinor magna cum calidarum lachrymarum vi, confeſsionem orditur. neque dicit tantum. *Peccaui*: ſed totus admodum pie ſancteque permotus, *Vere,* inquit, *peccaui*: q.d. Do Deo gloriam. Peccatum ego meū, quam occultiſsime occului. ſed omnia perſpicaciſsimis eius patent oculis. Sunt fortes qui-

Digitized by Google

dem ex ſe fallaces ac incertæ: ſed hæc, quam A
Dominus præcipit, eius famulus, & dux noſter
peregit Ioſue, veriſſima & certiſſima eſt. Per-
ſuaſeram mihi vel exiguum, vel nullum eſſe
peccatum, ſi in tãta tam opimorum ſpoliorum
multitudine, ſurriperem, quod ad manus fuit,
exiguum. ſed falſum fuit meum hoc iudicium.
Vere peccaui. Et interponit grauem quandam
ſui cum Deo comparationem, quæ ad inſi-
gnem, ac pium animi dolorem excitandum ac
oſtendendum vim habet maximam. *Ego*, ait, *pec-
caui Domino Deo Iſraël:* Ego vilis creatura contra B
creatorem meum, viliſſimus ſeruulus, contra
cœli, ac terræ Dominum: Ego abiectiſſimus
vermiculus contra Deum: Ego fex & quiſqui-
liæ Iſraëlitici populi contra Deum Iſraël pec-
caui. O peccati mei indignitatem, ô mentis
meæ cæcitatem! ô amentiſſimam amentiam?
Vere ego peccaui Domino Deo Iſraël. *Quintò.
Et ſic, & ſic feci.* Extenuant interdum ſua in con-
feſſionibus peccata nonnulli: verborum inuo-
lucris & ambagibus tegunt & obſcurant: con-
ferunt in dæmonem, carnis fragilitatem, ſocios
malos culpam: alios accuſant, ſe omni modo C
excuſant. Achan vero ſolum ſe accuſat, & qui-
dem plane, diſtinctè, rotunde: Et ſic & ſic feci.
Emphatica, inquit, ſacrę confeſſionis alioqui im-
portuniſſimus oppugnator, Caluinus, *Loquutio
eſt: hoc & illud feci: quæ ſignificat diſtinctè, & ordi-
ne ſingulas rei geſtæ partes fuiſſe expoſitas.* Neque ve-
ro rem tantum dixit, quam fecit, ſed modum
& circunſtantias. Has enim ſignificant iſtæ, *ſic
& ſic. Sexto.* Pergit & recenſet ordine, quid fece-
rit, quæ furatus ſit, quot numero res, cuius qua-
litatis, quanti precij. *Pallium*, inquit, *coccineum val-
de bonum: ducentos argenti ſiclos: regulam auream* 50. D
ſiclorum. Non eſt ſatis in confeſſione dicere,
ebrius fui, ſcortatus ſum, furatus ſum, ſed ad-
dendus numerus, quantitas, aliæque graues cir-
cumſtantiæ. Ideoque & addit, etſi haud fuiſſet
neceſſarium: ex mera ſe ſua concupiſcentia
feciſſe: conſiliumque occultandi facinoris ce-
piſſe, ac re ipſa perfeciſſe. Hæc ſane confeſſio-
nis forma, & quædam velut idea, non raro no-
bis intuenda. Nam ſane, vt rectè Horatius,

Stultorum incurata pudor malus vlcera celat.

Origen. in illud Leuit. 3. ſi peccauerit vnum
ex iſtis, pronunciet peccatum quod peccauit, E
Eſt, inquit, *aliquod in hoc mirabile ſecretum. Etenim
omni genere pronuncianda ſunt, & in publicum cuncta
proferenda, quæ egerimus, ſi quid in occulto gerimus ſi
quid in ſermone ſolo, vel etiam intra cogitationum ſe-
creta commiſimus, cuncta neceſſe eſt publicari, cuncta
proferri, proferri autem ab illo, qui & accuſator peccati
eſt, & incentor: ipſe enim nunc nos, vt peccemus inſti-
gat, ipſe etiam cum peccauerimus, accuſat. ſi ergo in vita
præueniamus eum, & ipſi noſtri accuſatores ſimus, ne-
quitiam, diaboli inimici noſtri & accuſatoris effugimus:
ſic enim & alibi Propheta dicit: Dic tu iniquitates tuas F
prior, vt iuſtificeris.* Et hom. 2. in Pſ. 37. *Vide*, inquit,
*quid edocet nos ſcriptura diuina, quia oportet peccatum
non celare intrinſecus. fortaſſe enim ſicut ij, qui habent
intus incluſam eſcam indigeſtam, aut humoris vel phle-
gmatis, ſtomacho grauiter & moleſte imminentia, ſi vo-
muerint, releuantur: ita ij, qui peccauerunt, ſiquidem
occultant & retinent intra ſe peccatum, intrinſecus vr-
gentur, & propemodum ſuffocantur à phlegmate vel
humore peccati: ſi autem ipſe ſui accuſator fiat, dum
accuſat ſeipſum, & confitetur, ſimul euomit & deli-
ctum, atque omnem morbi digerit cauſam.* D. Ambr.
ep. 3. quæ hæc faciunt, tractat non pauca. Et pri-
mo quidem, quomodo peccare ſoleamus om-
nes. *Nihil*, ait, *peccare ſolius eſt Dei: emendare ſapien-
tis & corrigere erratum, & pœnitentiam gerere peccati.*
Deinde, moleſtam quidem eſſe nobis pœniten-
tiam & confeſſionem, perutilem tamen & ne-
ceſſariam: *Id tamen* (ſc. agere pœnitentiam) *eſt*,
ait, *difficile in hac vita, &c. Rara confeſſio de peccato,
rara pœnitentia, rara in hominibus verbi eius aſſertio*
&c. *ſed ſi quis*, ait, *æger, ſanum ſe ſimulat, magis
ægrotabit*, &c. Denique non prodeſſe confeſſio-
nem, in qua non ſyncere agitur: *Hanc*, ait, *cul-
pam ſacerdotes non auferunt.* Et fol. 512. *Non placebit
Domino, ſi manducet ſacerdos ſacrificium, in quo fraus
ſit oblationis, non ſedula confeſſionis ſynceritas.* Tan-
to autem libentius & ſyncerius ac planius ede-
re coram ſacerdote peccata noſtra conuenit,
quanto ab Achanis periculo abſumus longius.
Ille ſua iſta confeſſione ſe à Ioſue damnandum,
grauiſſimoque incendij ſupplicio addicendum
ſciebat, & tamen adeo aperte, integre, candide-
que ſuum faſſus eſt facinus. Nos vero noſtra
confeſsione, nullum prorſus corporis incurri-
mus diſcrimen, animi ſummam adipiſcimur li-
bertatem, tranquillitatem, fœlicitatem. Nullo
modo poſſunt Sacerdotes, quod Lutherani
Prædicantes, qui, vt in concione de Nicolai
Crellij Saxonici Cancellarij ſupplicio referunt
palam ipſi populo dixerunt, nolle quidem con-
feſsionem reuelare: tot tamen & tanta illum
ſibi confeſſum, vt ſupplicio eſſet digniſsimus.
Sic & de furto ſibi cõfeſſum ſymmyſtam ſuum
pro concione prodit ſenior Prædicans Ham-
burgenſis. Hildesheimenſem ciuem Prædicans
Hildesheimenſis, aliumque de graui alio faci-
nore confeſſum ſimiliter ſuper menſa, vno è
noſtris præſente, & Confeſſariorum Luthera-
norum ſtultitiam, ineptamque garrulitatem
mirante, Superintẽdens. Erat etiam quædam ab
Iſraëlitis ritu quodam ad Gentiles nonnullos
traducta confeſsionis ſpecies. ita vt in Samo-
mothracia, qui ſacris vellent initiari eos, ſua
coram ſacrifico effari ſcelera oporteret, vti re-
fert in Apophthegmatis Lacedæmoniorũ Plu-
tarchus. Quod Antalcidas facere cum recuſa-
ret, diceretque, *ſi quid à ſe patratum eſſet, id verò
Dijs notum eſſe*, abiit ille à ſacrorum illorum ini-
tiis excluſus. Sed vana hæc erant ſacra: vana
eius etiam contra confeſsionem ratio. Non
enim Deo Iſraëlis obſcurum erat Achanis ſa-
crilegium: ſed voluit eum ſeſe demittere, il-
ludque palam confiteri. Ne ergo à ſacris om-
nium ſacratiſsimis, à corpore, & ſanguine Dõ-
mini & ab æternæ vitæ adytis excludamur,
quidni vitiorum noſtrorum latebras omnes ex-
cutiamus? delicta omnia noſtra libentes enun-
ciemus? ad vnius ſaltem ſacerdotis aures, qui
nos non vinciat, ſed abſoluat, non ad flammam
duci iubeat, ſed è flamma perpetua eripiat, non
morte afficiat, ſed vita immortali & beatiſsima,
per CHRISTI Domini meritum, ab eoque
acceptam poteſtatem, donet? Ego igitur fœ-
dus peccator, ſtatuam me ante veri mei Ioſuæ
verendos oculos, & eum mihi, per ſe, ſuumque

Digitized by Google

que ad diem hunc.

II. Ex his porro verbis natæ opiniones ſeptem, quarum diuortia, quaſi ſumma, duo. *Vnum* eſt, non combuſtum vere, ſed lapidatum ſolummodo Achanem fuiſſe. Ita ſentire videntur tot auctores, qui lapidatum aſſerunt, neque combuſtum addunt, vt conſtitutiones Apoſtolicæ L. 7. cap. 3. ipſi hoc loco 70. D. Thomas in 1. Machab. c. 3. verſu 5. At quadruplici hoc ipſum diuerſitate traditur. Nam *primò* Raſchi nuſquam de ipſius combuſtione quidpiam haberi ait. Verba ſiquidem, quibus ea præcipi videtur verſu 15. ita in Hebræo exponit. *Et erit, quod deprehenſum fuerit in anathemate, comburet* (Iſraël) *idipſum igni, & omne, quod eſt ipſi.* Deprehenſum autem fuit Achanis tentorium. Hoc igitur comburendum fuit, & quæ ad illud ſpectabant omnia. Ita Rabbinus hic. *Secundò.* Alij combuſtionis quidem haberi mentionem, ſed tripliciter explicant. *Primò.* Ea pœna quamlibet ſignificari. quia vrit, quaſi animum dolor omnis, ſic enim Deuteronom. 4. *Dominus eduxit vos de fornace ferrea Aegypti.* id eſt, è grauiſſima, & ærumnoſiſſima Ægypti ſeruitute. Ita quæſtion. 9. in librum hunc D. Auguſtinus. *Secundò.* Interdum non omnem pœnam, ſed eam, quæ à peccato nos purgat, illudque, veluti flamma quædam conſumit, ac delet, ignem vocari, vt 1. Corinth. 3. Numer. 31. verſu 23. & ſic Achanem combuſtum, quia purgatus à peccato per lapidationem. Ita rurſum ſanctus Auguſtinus: *Rectiſſime,* ait, *dicitur, ignem lapidationem fuiſſe, eleganter agnoſcitur illa pœna hominem, ne in poſterum peccato illo interiret, fuiſſe purgatum. Quod ſignificant etiam vaſa in Leuitico, quæ iubentur igne purgari. Tertiò.* Comburendum fuiſſe Achanem, ſed igne ſempiterno, in quem infelix ille deiectus ſit. Ita vt verba illa de combuſtione prædictionem, ad prophetiam contineant eius, quod futurum erat. ideoque non dixiſſe Dominum, *igni cremabitis* ſed *igni cremabitur*: quia non Iſraëlitæ Achanem crematuri erant, ſed Dominus. Ita eodem loco ſanctus Auguſtinus, circa quem obſeruanda tria. *Primum.* Eum iſtorum, quæ iam dicta ſunt, trium nihil affirmare, ſed tantum oſtendere horum quidlibet dici poſſe. Cum enim 70. Interpretum textum ſequatur, & hi, vt ſupra dixi, tantum verſ. 15. de Achane comburendo egerint, poſteaque tantummodo lapidatum verterint, eo deuenit, vt ſecum ſic argumentaretur. Vel ignis pœnam ſacrilego à Deo conſtitutam, mutauit poſtea in lapidationem Ioſue: vel per ignem aliud, quam nos vulgo intellexit. At prius illud non dicendum. Neque enim vir ſanctus Domino inobediens fuiſſet, ſuoque arbitratu Domini præceptum immutaſſet. Immutauit ſemel poſtea Saül Rex 1. Reg. 13. ſed quanto cum ſcelere, Deique ira? Poſterius ergo ſuſcipiendum, & tunc inquirendum, quomodo lapidatio, quam ſecundum 70. perpeſſus Achan eſt, vocari queat ignis. *Duæ,* ait ergo S. Auguſt. *mihi cauſæ occurrunt, non vt ambæ ſint, ſed vt altera ex iis, cur non ille cum ſuis omnibus euidenti igne crematus ſit. Secundum.* Videri eſſe in eadem Auguſtini expoſitione μνημονικὸν ἁμάρτημα, dum pro *Numerorum* citato ſu-

A pra loco citauit *Leuiticum. Tertium,* mendum in Abulenſi quæſt. 61. hærere, dum duæ iſtæ poſteriores explicationes non Auguſtino, ſed Adamantio tribuuntur, prout ex verbis ibidem allatis patet, quæ in Origene nuſquam, ſed in Auguſtino ipſo ſunt, & ſimiliter in textu & margine quæſt. 73.

Alterum opinionum diuortium, pœna vtraque, vſtionis & lapidationis, affectum vult Achanem ſed dupliciter. *Primò.* Vtraque ſimul viuum affectum, ita vt dum eius rogo ſubiectus eſſet ignis, iamque arderet miſer, in eum ilico B lapidum à circumfuſo populo imber effunderetur. Ita Caietanus & forte R. Eliezer cap. 38. & Liber *Tanchuma*, de quo poſtea. Itemque ſemel Maſius: *Interea,* inquit, *dum Achan deducitur, dum rogus ſtruitur, incenditur, conſcenditur, populum placandi Numinis auidum, à iaciendis lapidibus non continuiſſe manus, vt fit, dum quiſque pro ſe conatur maxime ſtrenuus videri in publica pernicie propellenda.* ſed ab hiſce auctoribus diuerſa, diſcrepanſque triplex affertur ratio. *Prima.* Nam Caietanus factum id cenſet pœnæ mitigandæ cauſa, vt qui peccatum ſuum ingenue confeſſus erat, igne minus cruciaretur. C *Secunda. Tanhuma*: pœnæ augendæ cauſa, vt quia ſabbathum violaret, lapidaretur: quia ſacrilegus crematur. *Tertiò.* Maſius totum vulgi temeritati, furorique, moræ impatienti aſcribit. *Secundò.* Vtraque quidem affectum eum pœna, ſed viuum vna, mortuum altera. Verum vtra viuus & prius affectus? Dubitat Maſius. quia primo, *Verius,* ait, *ſimpliciuſque exiſtimo eſſe Achanem cum rebus ſuis omnibus, atque liberis, exuſtum quidem eſſe pro Dei iuſſis.* Poſtea vero: *ſed neque illa fortaſsis abſurda fuerit ſententia, ſi exuſtionem à Deo mandatam,* D *ad cadauera ſpectare dicamus.* Abulenſis vero q. 55. & 65. conſtanter & clare prius ait lapidatum, eius vero poſtea cadauer crematum, & lapidibus obtectum, idque ſuo in textu expreſſerunt Vatablus, Iunius, Tremellius, Caluinus. Hæ de Achanis morte opiniones.

III. Inter eas vero mihi ea videtur veriſſima, quæ Achanem primo quidem viuum exuſtum, deinde vero lapidibus obrutum, cum nefarios veluti cineres deteſtarentur Iſraëlitæ. Nã *primò* iuſſerat Deus verſu 15. comburi ſacrilegum. Ergo, ſi viuus combuſtus non eſſet, vel ſententiam hanc ſuam mutauit Deus, vel ei E non paruit Ioſue, vel eam aliter intellexit. Non *primum,* quia non eſt Deus inconſtans, neque latam immutat ſententiam, niſi ſi conditio quædam intelligeretur, qua poſita, foret iudicium aliud, vt in prophetia comminatoria interdum fit. verbi cauſa, ſi ea, quam Niniuitis de inſtante poſt quadraginta dies exitio denunciabat Ionas. ſed hic abſoluta ſententia eſt, non prophetia. Non *ſecundum* propter ſummam ipſius Ioſuæ erga Deum reuerentiam, de qua ſupra: & quia ſane, ſi quid in iis, quæ præcepiſſet Deus, deliquiſſet Ioſue, impune haud tuliſſet, F ſicuti non modo ſupra citatus Saül, ſed neque Moyſes & Aaron Numer. 20. 12. Deuteronom. 1. verſ. 37. Non *tertium,* quia in re hiſtorica, quando à Domino præcipitur ſerio, quid agendum ſit, verba non ſunt neſcio, quo metaphorico, aut allegorico ſenſu accipienda: Sed proprie,

Digitized by Google

Vna communis, eſſe cum eo combuſtos filios & filias, qui clare verſu 14. cum eo ad feralem ſupplicij vallem adducti narrantur. *Secunda* opinio quorundam apud Abulenſem quæſt. 68. & 73. Iudæorum, in quibus Ralbag & R. Iſaias, ſolum crematum ac lapidatum Achanem: eius vero filios & filias, ſpectandi cauſa, eodem adductos. Caietanus etiam dicit, incertum, ſitne iis illata pœna, ſed à communi & trita, ſine cauſa, ſine argumento, & ratione, via diſcedere, num ſapientis? Sane nec diſcedere voluit Caietanus. Et vero ſi textum recte conſideramus, perſpicuè ſatis ſignificatur. Nam eodem modo, eodemque fine dicuntur eundem in locum duci filij & filiæ, quo Achanis & ſacrilegia & pecudes, tabernaculum & ſupellex. ſed hæc adducta, vt cremarentur, prout fatentur, qui propriam ſibi alteram finxere ſententiam. Ergo. *Secundò*. Iſraëlitæ omnes illuc ad ſupplicij ſpectaculum concurrebant: quid igitur eam ob cauſam filiós & filias duci oportebat? Quin etſi eo nomine adducti fuiſſent, neſcio an commemoratum id eſſet, cum alia multo maiora prætereantur. Quia igitur Hebræum textum ſupra quæſt. 29. verti poſſe, aiebam, *combuſſerunt ipſos* vel *ipſa*, commodius fuerit, ſi *ipſa* vertamus, non vt Caluinus, Tremellius, alij, *ipſos*. *Primò*. Quia in his poſſunt etiam comprehendi filij ac filiæ: non autem ſi *ipſos* verteremus, in iis anathemata, beſtias, tabernaculum, ſupellectilem recte includeremus. Ideoq; vertit Latinus v. 25. *& cuncta, quæ illius erant.* Rurſus verſu 15. *comburetur igni cum omni ſubſtantia ſua.* Per quæ ſane verba penitus excluditur illa S. Auguſtini expoſitio, quæ *omnia ſacrilegi opera combuſta* exponit, quia ignem ſcilicet *metaphoricum* ſic poſuerit, vel *æternum* ſupra quæſtion. 29. *Vxor* vero eiuſdem Achanis, *an eodem comprehenſa ſupplicio?* Negat Abulenſis q. 54. & 68. aitque, negare auctores omnes. Et ſane nulla eius hic vnquam diſerte mentio. Cur autem omiſſa, putat eodem loco Abulenſis cauſam. *Primò*. Quia non erat aliquid ipſius mariti. *Secundò*. Quia Exod. 34. non puniebat Deus viros in vxoribus, ſed in filiis ac filiabus, ad quartam vſque generationem. At ſane aliquid viri eſſe vxorem, imo magnam, & quaſi dimidiam eius partem oſtendit ſcriptura Geneſ. 2. verſu 24. 25. Matth. 19. verſu 34. 5. Et vero cum Dathan & Abiron, eorum etiam periérũt vxores Num. 16. verſu 27. & 31. In Exodo autem demonſtrantur pœnæ, non quæcunque, quibus punire interdum peccata Deus vellet, ſed tantummodo eæ, quibus ipſam etiam futuram hominis poſteritatem. Quid ſi præmortuam ergo credamus? Præſertim cum credi hoc poſſe de adultioribus filiis dicat Abulenſis ſub finem 72. quæſtionis. Certe lib. de *Attende* tomo 2. S. Ephremi vox eſt: *Achan cum tota familia ab omni populo lapidatus.*

QVÆSTIO XXXI.

Cur inanimæ res, brutæque pecudes combuſtæ?

RESpondet cum ſuo Tremellio Iunius, damnaſſe Deum, in Achanis rebus & bonis, *contagionis inſtrumenta*. ſed certè quæ furatus Achan eſt, potius contagionis & peccati materia, quam inſtrumenta fuerint. Boues vero, aſini, & oues, ne materia quidem. factum igitur hoc totum ad ſummam facinoris huius deteſtationem, ab eoque omnium auocationem, & ad præcepta Dei accuratiſſime ſeruanda, monitionem. Sic enim Dathanen & Abiron cum tabernaculis, pecoribus, vt in Græco eſt, totaque ſupellectili & ſubſtantia funditus interiiſſe legimus Num. 16. verſu 31. & 32. ſic Deuteronom. 13. verſu 12. & ſequentibus, vbi vrbes Iſraëliticæ, ſi eas forte aliqua idololatriæ labes inquinaſſet, iubentur cum ciuibus, pecoribus, ſupellectilibuſque omnibus exuri penitus. Vnde & à Iudæis vocantur vrbes *niddachoth*, id-eſt, exterminatæ, ac proſcriptæ. Sic ſupra cap. 6. quæſtion. 38. Hierichuntina omnia diſperdita. Verum, *cur* non pallium ſolum, ſed *argentum* etiam *& aurum exuſta* ſint, non immerito ambigat aliquis. Nam ſuperiori capite iſta in Domini theſauros inferenda, dictum eſt, & dicitur ab Abulenſi quæſt. 40. Reſponderi poteſt *primò*, ea fuiſſe quidem Chananæorum contagione antea impura, ſed nouo Iudæi huius ſacrilegio impurata multo magis: ideoque indigna viſa, quæ in ſacrum Domini theſaurum conderentur, quemadmodum Iudæ pecuniam iudicarunt impij & ſacrilegi poſtea Iudæi non mittendam in corbanam Matth. 27. v. 6. *Deinde* fuiſſe ſignificatum fieri non raro, vt qui aurum & argentum erant, quiq; tanquam nobiliſſima dona in Domini theſauros venturi erant, ij vnius alicuius ſcelere ſempiternis crementur ignibus. Eſt verbi cauſa, quiſpiam Adoleſcentulus bono ingenio, præclara indole, ad litteras natus, ad omnem pietatem & religionem factus. Ei prauus inſidiatur aliquis, eumque deprauat, & facit, vt, qui futurus erat in Eccleſia Dei vtiliſſimus & clariſſimus, fiat hæreticus, nequam, & perditus. Alius ingredi ſanctæ religionis ſtatum conſtituerat. ſed ſancta hæc ei mens alicuius eripitur flagitio. Et quid niſi Domini theſauro is eripitur? Religionem iam capeſſiit alius, & ad optima quæque magno perfectionis ſtudio, acrique cura cœpit tendere. Diſſuadet quiſpiam, inertiam, ignauiamque ita ipſi laudat, vt de ſanctiſſimo illo ſuo conatu remittat plurimum & inertem, parumque religioſam vitam tranſigat. An à Domini ærario is non auertitur, æterniq; ignis pabulum fit?

QVÆSTIO XXXII.

Cur Achanis filij ac filiæ combuſtæ?

OB proprium peccatum has dediſſe pœnas Achanis filios ac filias autumarunt olim apud Abulenſem q. 69. quidam Rabbini ſcilicet in Thalmud tract. Sanedrin cap. 6. & in capitulo 38. R. Eliezeris, idque peccatum in eo ponebant, quod parentis ſacrilegij fuerint cõſcij, neque indicarint, vt ſupra dictum quæſt. 8. Et Aquiſgranenſis cõcilij ſub Pipino patrib. olim placuit lib. 1. c. 2. Placetque Nouatoribus Iunio & Tremellio eadem nunc ſententia. *Damnauit,*

Digitized by Google

inquiunt, *Deus in perſonis contagionem conſcientiæ.* A
Poteſtque hanc ad rem afferri Dei vox Deut.
24. verſu 16. *Non occidentur patres pro filiis, nec filij*
pro patribus. ſed vnuſquiſque pro peccato ſuo morietur.
Et Ezechielis 18. verſu 4. *Anima, quæ pecca-*
uerit ipſa morietur. Et iterum verſu 20. *Anima quæ*
peccauerit ipſa morietur. filius non portabit iniquita-
tem patris. Et Ieremiæ 30. verſu 30. Et S. Ber-
nardus epiſt. 326. *Non par debet eſſe pœna, vbi*
diſpar cauſa. Ob patris peccatum eo calamita-
tis eoſdem veniſſe volunt alij. Nam Exod. 34.
verſ. 7. dicitur: *Qui reddis iniquitatem patrum in* B
filiis ac nepotibus in tertiam & quartam generationem.
Poteſt quæſtio hæc dupliciter tractari. 1. Bre-
uiter, ac præciſe, dicendo tantummodo, ob
vtrius peccatum hæc illis inflicta pœna? an ob
proprium aut paternum? 2. Vberius, vt & al-
latæ ſcripturæ concilientur, & ad hanc quæ-
ſtionem reuocentur alia, cum qua hæc omnino
connexa eſt, An ob alienum peccatum poſſit
quis puniri? Priore igitur modo dico.

Primo, *An filij filiæque Achanis ea ætate fuerint,*
vt conſcij paternæ impietatis eſſe potuerint, an vero mi-
nores, non conſtat. Ita Caietanus, & q. 70. & 72. C
Abulenſis, qui tamen iiſdem locis, & q. 53. con-
cedit, fuiſſe natu minores, neque è patris pote-
ſtate adhuc emancipatos.

Secundo, Si fuerunt ætate minores, quàm
vt in paternum conſentire ſacrilegium, idque
aut ope, aut ſilentio approbare poſſent, patris
cauſa exuſti ſunt: ſin vero adultiores, potue-
runt quidem eſſe conſcij, non tamen id adhuc
neceſſarium. quia ipſis inſciis potuit ille Hieri-
chunte ſpolia hæc accepiſſe: iiſdemque inſciis
in tabernaculo ſuo defodiſſe. Nam ſi tam adul-
ti fuiſſent, vt extra eius tabernaculum habita- D
rent, palam eſt ipſum in ſuo tabernaculo præ-
dam illis ignorantibus, occulere, ac defodere
potuiſſe: Sin vero adultiores quidem, ſed ita,
vt in patris adhuc eſſent familia, eodemque
cum eo vterentur tabernaculo, fieri potuit, vt
vel noctu, iis altum dormientibus, foderit, vel
interdiu eos tantiſper, quaſi ad aliud quidpiam
agendum miſerit alio: vel iis iterum probanti-
bus & ſpectantibus foderit, ſed perſuaſerit
aliam aliquam foſſionis cauſam, verbi cauſa, vt
potus frigidioris conſeruandi cauſa, foueolam
haberet, vt olera & radices quaſpiam, prout E
hic apud nos interdum fit, conſeruaret, vt co-
lumellam in tabernaculi medio aliquam ſta-
tueret. aut vero aliud quidpiam loco, tempori,
& ingenio accommodatum. Si conſcij fue-
runt, ſuo perierunt ſcelere, non tam, quia pa-
trem non accuſarunt, ad quod fuiſſe obligatos
pernegat in Deut. 13. q. 3. Abulenſis. Greg. To-
loſas c. 16. lib. 32. aſſerunt vero alij 22. q. 68. a. 1.
vt Salonius ibi, controuerſia 3. quam quod eis
placuerit, idque ratum gratumque habuerint,
quaſi ditiores inde fierent. Si vero ſibi nihil F
conſcierant, patri, quod cremati fuerint, acce-
ptum referendum.

Tertio, Veriſimile videtur, fuiſſe Achanis
filios & filias omnis generis, id-eſt, partim ad-
huc paruulos, malique omnis ignaros, partim
grandiuſculos, hoſque vel omnes, vel eorum
certe aliquos oculis notaſſe, quid egiſſet pater,
eoque veluti emolumento inſigni delectatos.

Et ſic partim ob paternam, partim ob pro-
priam noxam ad ignem damnatos interiiſſe.
Cætera quæ de his requiras, inuenies in altero
quæſtionis huius modo infra q. 36. & 39.

QVÆSTIO XXXIII.

Quibus aut hominibus, aut rebus inferatur cre-
mationis pœna?

POena, hominum rebus non proprie qui-
dem infertur, inferri tamen dicitur homi-
num ipſorum cauſa, qui puniuntur. Et ad quæ-
ſtionem reſponderi poteſt generatim, cremari
recte vel homines, vel eorum res, quibus aut
bonæ leges, aut boni, prudenteſq; Iudices eam
decernunt pœnam. ſed ſpeciatim *primò*, cremati
olim Sodomitæ Gen. 19. & hoc etiam tempore,
prout præſcribunt leges, per quas Norinbergæ
cum illinc Aldorffium proficiſcerer, duos vide-
bam comburi. *Deinde* adulteræ, Geneſ. 38. verſu
24. Idemque apud Saxones etiamnum adhuc
Gentiles factitatum refert auctor maxime ido-
neus S. Bonifacius ad Ethibaldũ Regem epiſt.
19. è qua c. *Si gens Anglorum* diſtinct. 50. *Tertiò.*
Inceſti Leuit. 20. verſu 14. *Quartò.* Sacrilegi
hoc cap. 7. & ff. l. *ſacrilegij pœnam ad L. Iuliam*
peculatus. Quintò. Publicorum damnorum au-
tores apud Philiſtæos Iud. 15. verſu 6. *Sextò.*
Huc etiam forte referri poſſunt murmuratores
contra Deum, qui ab ignitis ſerpentibus quaſi
exuſti, & commorſi Num. 21. *Septimò.* Magi D.
Gregorius lib. 1. Dial. c. 4. Mariana rerum hiſpa.
lib. 7. *Octauò.* Malefici, ſcortiarij & Lamiæ om-
nis generis hodie ex l. 3. Cod. *De maleficis*, Del-
rius lib. 5. Mag. Sect. 16. *Nonò.* Hæretici. Zonaras
in vita Alexij. S. Antoninus in hiſtor. 3. p. t. 19. c.
1. §. 4. Vide Bellarminum lib. 3. de laicis c. 22. Et
licet ſæpe contra noſtri clamitarint Nouato-
res, re ipſa tamen approbarunt, cum Dauidem
Georgium non quatriduanum, ſed pluſquam
biennalem refoderunt Baſileenſes, & combuſ-
ſerunt, prout Anno 1559. prodidit libello quo-
dam illius loci Academia, in quo hæc. *Iudicum*
ſententia eſt. Quoniam Dauid Georgius pernicioſiſ-
ſimæ ſectæ auctor, & fautor extitiſſet, quique maie-
ſtatis diuinæ, & violatæ religionis Chriſtianæ reus, vt
eius cadauer, ſiue oſſa, & quidquid reliquum in eius
ſepulchro fuerit, effodiendum, extra portam Lapideam,
vbi de condemnatis extremum ſupplicium ſumitur, vnà
cum libris, & eius effigie in haſta alte, vt erat
ſuſpenſa, currui impoſita à carnifice trahantur, at-
que omnia ſimul rogo impoſita, in cineres redigan-
tur, haud ſecus ac cum ipſo Dauide Georgio ex Iure
Cæſareo fieret, ſi ipſe ſuperſtes eſſet. Et antea Cal-
uini ſtudio viuus crematus fuit Geneuæ Mi-
chaël Seruetus Anno 1553. die 27. Octobr. prout
ibi edita eius Acta teſtantur, & narrat in ipſius
Caluini vita Theodorus Beza. Et in Caluini
eiuſdem epiſtolis pag. 147. de Anabaptiſta &
Heluidiano quodam. *In carcerem*, ſcribit Bullin-
gerus, *coniectus eſt, igni cremandus niſi palinodiam ce-*
ciniſſet. Nihilominus Curiæ virgis caſus è Rhetio eie-
ctus eſt. Nonò. Calumniatores P. Ærodius lib. 9.
c. 20. ex Ammiano. *Decimò.* Imperatoriarum re-
rum actores & procuratores, qui iniuriis affe-
ciſsẽt prouinciales l. 9. c. *vt cauſa fiſcalis. Vndecimò.*

Digitized by Google

Qui Nili aggeres perrupiſſet l. vnica. C. *De Nili aggeribus non rumpendis. Duodecimò.* Serui quibuſcum rem occulte habuiſſent dominæ coniuges l. vna, C. *de mulieribus, quæ ſe propriis ſeruis iunxerunt. Decimotertio.* Parricidæ in Eclog. *περὶ πατροκτόνων. Decimoquartò.* Serui, qui rapiendis virginibus & ſanctimonialibus operam dederint l. vn. Cod. *De raptu Virginum. Decimoquintò.* Serui, *qui* ſaluti Dominorum ſuorum *inſidiauerint*, vt loquitur lex 28. ff. *de pœnis. Decimoſextò.* Adulterinæ monetæ cuſores, ſiue ſolidorum adulteri, l. 2. C. *De falſa moneta. Decimoſeptimò.* Ciuitatum tabularij falſam immunitatem concedentes l. 1. C. *de immunit. non conced. Decimooctauò.* B Qui barbaris ſcelerata factione facultatem deprauationis in Romanos dediſſet, vel ſi quis alio modo factam diuiſiſſet l. 9. C. *De re militari. Decimonono.* Iudæi & Hæretici cœlicolæ, qui ex eorum ſecta reſipiſcentibus iniuriam intulerint l. 3. C. de Iudæis. *Vigeſimò.* Qui ſacroſanctam Euchariſtiam nefarie tractarunt. Surius in hiſtoria ſemel ac iterum de Iudæis in Germania & Polonia. Multi vero interdum abſque legibus, ex Principum ira & crudelitate viui combuſti, non ſancti ſolummodo C Martyres: ſed alij etiam, vt *Gallieni* iuſſu, qui captiuum eius patrem in pompa requiſierant, apud Trebellium: *Probi* iuſſu, qui Aureliani & Taciti cædis auctores apud Zoſimum in Probo. Hoc autem fere obſeruatur hodie, vt iis, quos facinorum pœnitet, non viuicomburium ſit, ſed ſtrangulatio deinde vſtio, vt explicat lib. 2. var. reſolut. capite 10. ſub finem Couarruuias, & Clarus quæſt. 99. numero 7.

Res vero, quæ humanorum ſcelerum cauſa interdum cremantur ſunt variæ. *Primò* quidem D *vrbes* & hominum *domicilia* Deut. 13. verſu 16. & exemplum eſt in Sodomis & Gomorrhis Geneſ. 19. Hierichunte noſtra cap. 6. Hai cap. 8. Hieruſalem Ierem. 21. verſu 10. aliiſque tam multis, ad quarum referri numerum poſſunt, quas Martiæ hauſerunt flammæ. *Secunda. Idola,* Deuteron. 7. verſu 5. vaſa Baalici cultus omnia 4. Reg. 23. verſu 4. vitulus ille nefarius aureus, quem amens adorauit Iſraël Exod. 32. Deuteronom. 9. verſu 22. *Tertia. Anathemata,* cuiuſmodi hic cap. 6. præſcripta. *Quarta. Sacrilegia*, vt Achanica hæc cap. 7. *Quinta. Oſſa* E *impiorum*, 4. Reg. 23. verſu 16. *Sexta. Terra infrugifera* Hebr. 6. 2. Reg. 23. *Septima.* Denique *libri* & *chartæ* conſceleratæ, impiæ, impuræ, magicæ, hereticæ. De *Atheis* Cicero 1. de diuin. Lactant. lib. 1. de ira c. 9. De *magicis* exempla ſunt Actor. 19. apud Chryſoſtomum hom. 38. in Act. Ammianum l. 29. Athanaſ. de Incarn. Nazianz. orat. in S. Cyprianum. D. Auguſt. in Pſal. 61. Marcum in vita S. Porphyrij, & l. Mathem. c. de *Epiſ. audientia.* De *Saracenicis* apud Nicolaum 1. ad conſulta Bulgarorum. De *Turcarum Alcoranicis* apud Gomezium l. 2. de Franciſco F Ximenio Cardin. *De Iudæorum Thalmudicis* vel impiis blaſphemiis apud Thomam Cantipratenſem lib. 1. de apib. cap. 3. Num. 7. Sixtum lib. 2. & 9. Bibliothecæ, alioſque complures citatos in *Rabbino priore* c. 33. *De hæreticis Arij libris.* Socrates lib. 1. c. 6. Sozomenus lib. 1. c. 20. Theophanes in Chronico: *Eunomij* Theodoſius in Codice l. 26. *Eutychis & Apollinaris*: *L. Quicunque* C. de *hæreticis.* S. Leo ad Turibium cap. 16. Theophanes in Chron. S. Proſper in Chron. *Neſtorij* l. 3. c. *de ſumma Trinit.* Ex Epheſ. Cornelio *Seuerianis*, Nouella 42. *Monothelitarum* Synod. 6. Act. 13. *Iconoclaſtarum*, Balſamon in 7. ſynodo: *Adelberti* lib. 2. in vita S. Bonifacij: *Huſſitarum, Lutheranorum, Caluinianorum.* & ſimilium, Coclæus in hiſtoria Huſſitica, & Surius in hiſtor. Recte ſiquidem de omnibus dixeris, quod de *Buddæ* hęretici libris dixit olim Catecheſi 6. B. Cyrillus, eſſe *impietatis monumenta.* Sed vide Bellarm. l. c. c. 20. &, qui poſt hunc diligentiſſime, doctiſſimeque totam hanc de his, aliiſque aut fidei, famæ, morumq; integritati pernicioſis ſcriptionibus diſputationem pertractauit. Gretſerum noſtrum lib. *de iure & more prohibendi libros noxios.* Quemadmodum vero S. Petrus 2. epiſt. 2. verſu 6. Sodomorum incendium eſſe inquit, *eorum, qui impie acturi eſſent, exemplum*, ita flammæ iſtæ omnes, vel ab horum, quæ iis vindicantur, ſcelerum magnitudine abſterrere nos debent, vel perſuadere hic earum iam initium aliquod fieri, quas nullus vnquam extinxerit Oceanus.

QVÆSTIO XXXIV.

In omnium vel cineres, vel ſemiuſtulata oſſa cur coniecti lapides?

IN digeſtis leg. 28. *de pœnis: Summum ſupplicium eſſe*, ait Calliſtratus, *damnationem ad furcam, viui cremationem, capitis amputationem.* Et libro 21. Celſus. *Vltimum*, ait, *ſupplicium eſſe mortem ſolam interpretamur.* Si ſummum vero & vltimum mors ſupplicium eſt, quid in cadauera, vel in cadauerum potius infelices reliquias ac cineres adhuc ſæuitur? ſed *extremi* nimirum illic *ſupplicij* ac *ſummi*, & ab Apuleio lib. 10. *extremæ*, à Suetonio & Liuio *vltimæ pœnæ* nomine afficitur mors, quia poſt eam quod præſentem corpori dolorem afferat, inferri nihil amplius poteſt. Vnde & Dominus noſter Lucæ 12. verſ. 4. *Ne terreamini ab iis, qui occidunt corpus, & poſt hoc non habent amplius quid faciant.* Imo vt Gentilium ſapientum Latinus epiſt. 93. diſſerit, *vt ex barba capillos detonſos negligimus, ita ille diuinus animus egreſſurus hominem, quo receptaculum ſuum conferatur, ignis illud exurat, an feræ diſtrahant, an terra contegat, non magis ad ſe iudicat pertinere, quàm ſecundas ad editum infantem. Vtrum proiectum aues differant, an conſumatur canib. data præda marinis, quid ad illum.* Variis tamen de cauſis excruciare adhuc cadauera nititur viuentium vis. idque aut bene aut male. *Bene* quidem *primo* dum oſtendit eam alicuius flagitij fœditatem ac magnitudinem eſſe, vt fieri ſi poſſet, plura in flagitioſum congerenda eſſent ſupplicia. *Secundò.* Dum eo ipſo terrere vult viuos & ſpectantes mortales, vt à talibus abſtineant criminibus, quibus tam diræ ac infames vltra mortem ſuperſunt pœnæ. *Tertiò.* Vt flagitioſis, criminoſiſque ipſis viuentibus dolor è futuro malo infligatur aliquis, dum iis ſignificatur, eorum ita contumelioſe tractanda, laceranda & dilanianda corpora. *Male* vero idem fit variis admodū modis. ſed de quib. iam

Digitized by Google

A agere nihil neceſſe eſt. Et cadauerum contumeliam hanc eſſe interdum peracerbam indicat lib. de ſera numinis vindicta Plutarchus, dum ait, Dionyſium Tyrannum maiore affectum iniuria videri, dum eius mortui effuſum à Syracuſanis corpus, quam ſi diuina in eius filios vindicta fuiſſet immiſſa. E tribus vero cauſis illis, duæ priores hanc in crematum Achanem, eiuſque res lapidum grandinem excitarunt. Volebant enim Iſraëlitæ pro ſe quiſque teſtatum reddere, quantopere deteſtarentur B admiſſum ſacrilegium, diuini præcepti violationem, futuramque ſuam deinceps in his, & huiuſmodi aliis obedientiam. Quia enim ſinguli flammam illis admouere haud potuerant, lapides, quorum iactu ſe monſtrarent ab facinore hoc abhorrere, Deumque propitiarent iratum, corripuerunt ſinguli. An vero idipſum Achani prædictum ſit, poteſt aliqua inde fieri coniectura quod Abulenſi quæſt. 55. & 65. videatur lapidatio hæc à Deo tum iuſſa, cum eſt imperata crematio. Maſius autem & alij, putant quaſi fortuitam & repentinam fuiſſe, na- C tam è populi contra ſceleratum indignantis ac frementis impetu, prout ſupra ſubindicatum quæſt. 29. Si à Deo iuſſa tunc fuit, vtique fuerint Achani duo ſimul iſta pronunciata, *viuicomburium, & lapidatio*, vt è pœnarum iſtarum quadam veluti prætenſione, moleſtiam, doloremq; nonnullum præciperet. Sin vero tunc non iuſſa, ne prænunciata quidem fuit. Probabile vtrumlibet.

QVÆSTIO XXXV.

Adobruto iam Achani lapidum aceruus cur erectus?

D Congregauerunt, ait textus noſter verſu 26. *ſuper eum aceruum magnum lapidum, qui permanet vſque in præſentem diem.* Quibus verbis ſignificantur tria. *Primum.* Factum id Achani ſoli, non autem eius filiis, filiabus, & rebus. Ideoque vertit incogitanter Vatablus, *Erexerunt ſuper eos aceruum lapidum magnum.* Nam clare dicit Hebræus in ſingulari *ſuper eum*, & à Ralbag etiam notatum, & Græcus ἐπέστησαν αὐτῷ σωρὸν λίθων μέγαν. E Non neceſſario etiam dixit Maſius, eſſe *numerorum enallagen.* Cum enim tam accurate pluralem poſuiſſet numerum contextus, cur ſubito mutaſſet? Cur abſque neceſſitate tropus fingitur? *Secundum.* Factum idem conſulto & data opera, non autem fortuito & temerario populi coniectu. Nam Hebræum *erigendi* verbum, Latinum *congregandi*, Græcum τὸ ἐφιστάναι, curam & ſolicitudinem indicant. Idque confirmatur ex eo, quod ait Ioſephus, non eodem illo tempore, quo combuſtus, & lapidatus F Achan eſt, aceruum hunc aceruatum, ſecuta nocte. Vnde & *tumulum* vocat Maſius. *Tertium.* Fuiſſe aceruum hunc magnum, & diuturnum. Nam illud diſerte poſitum eſt, hoc verò ſignificatur per illud, *qui permanet vſque in præſentem diem.* Huicque clauſulæ vis eadem ſubiecta, quæ ſimilibus aliis ſupra cap. 4. verſu 9. c. 5. verſu 9. Ioſephus fuiſſe ait ταφὴν ἀτίμητον καὶ καταδίκῳ πρέπουσαν, id-eſt, *ſepulchrum inhonorum, & quod damnatum ſontem deceret.* Cur autem Achani eiuſmodi erectum ſepulchrum, in promptu ratio eſt, vt non ipſo tantum ſupplicij tempore, vel paucis poſteà diebus, ſed ſemper quaſi recens ante omnium oculos eſſet Achanis pœna: ſicque magis magiſque ab omni eo fugerent, quod Numinis iram conciter, & à ſacrilegio præſertim, quod tanto lapidum aggere Achanem eo loco, adobruerat. Scripſit olim de latrone inſigni quidam.

Monte ſub hoc lapidum tegitur Baliſta ſepultus
Nocte, die, tutum carpe viator iter.

Aceruus vero iſte, & illis qui tum viuebant, & omnibus, qui conſecuti ſunt, acclamabat, ſacrilegium ſub eo tegi: ſacrilegium igitur fugerent quam diligentiſſime. Videtur vero aceruus ex his omnibus exſtructus, & exaggeſtus fuiſſe lapidibus, qui tam in ipſum, quam in alia eius omnia intorti fuerant, vt qui mali tanti auctor & princeps omnibus fuerat, omnium quodammodo pœnam ſemper ferret: ſicq; qui comburenda comburi antea non ſiuiſſet, combureretur: & qui, quæ humo tegenda non erant texerat, quaſique ſepelierat, ipſe inſepultus ſaxorum mole obtegeretur.

QVÆSTIO XXXVI.

Quomodo per Achanis ſupplicium auerſus ab Iſraëlitis furor Domini?

Inrelligitur hæc è trib. quaſi effatis quæſtio. Primum eſt, Vno grauius quid peccante, cenſeri totum aliquem populum, & communitatem peccare.

Secundum, Vno ſic peccante, contra totum etiam populum aliquem, & communitatem iraſci Deum, ab eoque illum puniri.

Tertium, Vno illo, qui ſic peccauit, per populum & communitatem illam punito, ab ira populique punitione Deum deſiſtere. Loquor autem non de hominum omnium primo, & originario peccato, in quo primum & alterum effatum clariſſimum, ſed de actuali. *Primum* autem illud huius capitis initio monſtratur verſu 1. *filij*, ait, *Iſraël præuaricati ſunt mandatum, & vſurpauerunt de anathemate.* At hoc vnus tantum Achan fecerat, vti hactenus patuit, & verſ. 11. *Peccauit Iſraël, & præuaricatus eſt pactum meum, tuleruntque de anathemate, & furati ſunt atque mentiti*, verſu duodecimo. *Pollutus eſt Iſraël anathemate.* Veruntamen iſta peccati contagio, non eſt eiuſmodi, vt vere peccatum in ſingulis ſit, ſed tantummodo, vt vere in vno tantum ſit, in aliis vero per moralem quandam exiſtimationem, cuius cauſa poſtea dabitur cenſeatur. falſo autem Iſraëlitas hic inſimulant Iunius & Tremellius, quaſi vere peccarint, *quia neque Hacanem* (vt eorum verba retineam) *ſeruauerant à peccato, neq. à contagione & reatu, quem Deus prædixerat ſuprà c. 6. 21.* Nam quomodo Achanem à peccato ſeruare debuerunt, aut potuerunt? Peccarũt igitur tãtum ſynecdochice, & quoad quandam imputationẽ moralem. *Alterum* hinc etiam patet ver. primo. *Iratus eſt Dominus contra filios Iſraël.* Et *qui miſſi erant contra Hai bellatores, ſtatim terga vertentes percuſſi ſunt, & corruerunt ex iis 36. homines*

Digitized by Google

verſu quinto. Et poſtea cum cladis huius cauſam quærit Ioſue verſu ſeptimo, intelligit verſu vndecimo eſſet Achanis ſacrilegium. Sanctus Chryſoſtomus homilia ſexta ad Epheſios: *Vt ſciatis*, ait, *quanto ſupplicio ſint obnoxij, qui talibus peccatis capiuntur, cogitate illa quæ vetera ſunt. Vnus furatus erat ſacras pecunias, cum eſſet homo militaris: & omnes perierunt. An hiſtoriam noſtis? De Charmi loquor, qui anathema furatus erat.* Et paulo poſt: *nouit Deus, etiam iuſtos cum impiis punire, cuiuſmodi accidit in Daniele, in tribus pueris, cuiuſmodi in aliis innumerabilibus, cuiuſmodi in bellis, quæ hoc etiam tempore accidunt.* D. Auguſtinus libro ſexto contra Iulianum capite ſeptimo, *De anathemate contra interdictum, quia vſurpauit vnus, in eos, qui hoc non fecerant, nec factum fuiſſe nouerant, vindicta proceſſit.* Saluianus lib. 7. de prouidentia, cum Carthaginis mollitiem, libidinem, cæteramque comitem impuritatem, & ex ea profectas clades ac miſerias enarraſſet, ſubiungit: *ſed paucorum hoc, inquit, dedecus fuit: & quod non à pluribus perpetratū eſt, cunctis nocere non potuit. Iam quidem ſupra dixi ſæpiſſime, in Dei populo etiam vnius facinus peſtem fuiſſe multorum, ſicut ex furto Achar fugit populus, ſicut ex zelo Saulis exorta eſt peſtilentia, ſicut ex Dauid numeratione mortalitas: ita eſt enim Dei Eccleſia quaſi oculus. Nam vt in oculum, etiamſi parua ſordes incidat, totum lumen obcæcat: ſic in Eccleſiaſtico corpore, etiamſi pauci ſordida faciant, prope totum Eccleſiaſtici ſplendoris lumen offuſcatur. Et ideo Saluator ipſe principalem Eccleſiæ partem, oculum nominauit, dicens. Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebroſum erit. Vnde Apoſtolus: Neſcitis, inquit, quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* Plena eſt exemplorum aliorum ſcriptura ſacra, vt 1. Reg. 14. 2. Reg. 21. & 24. Vnde illud Hebræorum adagium: *Væ improbo & væ vicino eius.* quod ab Heſiodo ita expreſſum:

Πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ.
Sæpe mali male facta viri populus luit omnis.

Ab Homero vberius, cum Iliados lib. 1. immiſſam ab Apolline in Græcorum caſtra peſtē, fabulatur, quia vti augurum omnium longe præſtantiſſimus Chalcas Achilli explicat:

οὔτ᾽ ἄρ ὅγ᾽ εὐχωλῆς ἐπιμέμφεται (Apollo ſcil.)
οὔτ᾽ ἑκατόμβης·
ἀλλ᾽ ἕνεκ᾽ ἀρητῆρος ὃν ἠτίμησ᾽ Ἀγαμέμνων.

Quia inquam, Dei ſacerdotem male acceperat Agamemnon Rex, neque raptam illius filiam Chryſeidem dimittere, neque oblata dona ſuſcipere voluerit. *Tertium*, etiam hic poſitum verſu 12. *Non ero vltra vobiſcum, donec conteratis eum, qui huius ſceleris reus eſt.* verſu 13. *Non poteris ſtare coram hoſtibus tuis: donec deleatur ex te, qui hoc contaminatus eſt ſcelere.* At nunc, eo deleto auerſus eſt furor Domini, verſ. 26. Quia enim dum ipſemet populus in ſceleris auctorem inquirit, eumque plectit, palam profitetur Dei ſe offenſionem, ac iram nolle: velle contra ipſius præceptis omnibus parere: peccata, & ſcelera, quibus ille merito irritatur, deteſtari, pœnitentiamque veluti publicam, ſuo è corpore, ſuum quoddam membrum auellendo, agere, ideo per huiuſmodi ſupplicium placatur Dominus. Quemadmodum & 2. Reg. c. 21. imo per ſo-

A lam inferendi ſupplicij voluntatem publice, & quantum tulit res, ſerio, ac re ipſa teſtatam, placatus fuit, 1. Reg. cap. 14. verſu 44. Atque hæc etiam cauſa & opinio Delphicos olim ciues perpulit, vt cum iniuſtam Æſopo necem attuliſſent, ideoque grauiſſimis variorum morborum, ac ſterilitatis diuinitus pœnis afficerentur, publicis quaſi lachrymis Deum licet falſorum, veniam precarentur, Græciæ vrbes mœſti inambularent, magiſque per præcones vocibus vbique peterent, eum qui vlciſci vellet, prodiret is, pœnamque ſtatueret ſe vltro ac libenter eam, B quæcunque tandem eſſet, ſubituros, prout libro *de ſera Numinis vindicta* narrat Plutarchus.

QVÆSTIO XXXVII.

Quibus de cauſis innocentes, quoſdam, nocentium aliorum cauſa, temporalibus pœnis recte punit Dominus?

SOlo alterius peccato quod *originale* dicitur peccatores vere omnes afficimur: aliis autem aliorum quamlibet ingentibus, peccatis, C ſi ad illa nihil à nobis admiſſum vel omiſſum, nunquam vere ac proprie inquinamur: pœnis tamen eorum temporalibus vere ac proprie tangimur & cruciamur, vti ſuperiore quæſtione dictum. Huius autem rei cauſæ ſunt. *Primo.* Societas, & coniunctio certorum inter ſe hominum, quæ vel è naturali quodam vinculo exiſtit, vt inter patrem liberos ac propinquos, vel è morali œconomico & publico, vt inter eoſdem Reipublicæ, ac regni ciues: vel deniq. è ſupernaturali ac Eccleſiaſtico, vt inter eoſdē Eccleſiæ Chriſtianos, eiuſdem religionis conſortes, D eiuſdem collegij collegas. Hæc enim conſociatio facit, vt hominum multitudo inſtar corporis vnius ſit, prout explicat Apoſtolus 1. Cor. 12. & Epheſ. 4. itemque apud prophanos Liuius, Maximus Tyrius in oratione 5. & 20. Iam vero propter membri vnius morbum, vulnus, & vlcus, videmus alia languere, cruciarique omnia. Quid ergo mirum, ſi vno peccante cenſeantur quadantenus peccare alij, qui eiuſdem cum eo ſunt corporis, illiuſque cauſa in mala & ærumnas quaſdam incidant? *Oſtenditur*, ait S. Auguſtinus quæſt. 8. *hoc quanta connexa ſit, in populi ſocietate ipſa vniuerſitas, vt non* E *in ſeipſis ſinguli, ſed etiam tanquam partes in toto exiſtimentur. Secundo.* Eadē coniunctio efficit vt eorum, qui eodem nobiſcum corpore tenentur, proſperitatis, lætitiæ, famæ, gloriæq. participes ſimus, quidni ergo & aduerſitatis, triſtitiæ, infamiæ, ac dedecoris? *Tertio.* Per huiuſmodi pœnarum communionem iniicitur ea omnib. cura & ſolicitudo, vt nō modo non peccet ipſe: ſed ne peccent etiam aliqua diuincti neceſſitudine alij. Quis enim non libenter ac ſtudioſe prouideat, ne quidpiam delinquant liberi, propinqui, affines, ciues, ſocij, commilitones, ſubditi, F ſerui, parentes, magiſtri, Principes, Domini, Paſtores, omnium denique homines ordinum, ſi ob illorum delicta, ſe in pœnam vocandum, eadem cum illis ruina corruturum intelligat? *Apud eos*, inquit ſanctus Auguſtinus hoc loco

quæſt. 8. *qui talia metuunt, diſciplina ſancitur, vt non ſolum ſe quiſque curet in populo, ſed inuicem ſibi adhibeant diligentiam, & tanquam vnius corporis, & vnius hominis, alia pro aliis ſint mēbra ſolicita.* *Quarto.* Penes Deum eſt ſummum opum, oportunitatumque omnium noſtrarum ius, ſummum famæ, decoris, & gloriæ noſtræ arbitrium, ſumma denique omnium vitæ, ac necis poteſtas. Ergo, ſuo arbitratu, poteſt hominibus iſta quomodo, & quando vult eripere, vt ſupra iā quæſt. 11. tactum: Ergo maxime tum poteſt, quando cauſa quæpiam ſubeſt, quæ non ipſius tantum (quod ſiue nobis notum, ſiue non, ſemper optimum & iuſtiſſimum) ſed noſtro etiam, tenui alioquin & imbecillo, iudicio proba & æqua videtur. At eorum, qui nobis coniunctiores ſunt proſperis, & aduerſis participare nos, nonne, vt paulo ante dixi, probum, æquumque? *Quinto.* Totius mundi ordo id habet, vt aliorum cauſa ſint alia, & pro vnius incolumitate, ac ſtatu intereat & cadat aliud: vno intereunte & cadente, alia intereant, concidantque plura. Cur & in hominibus igitur non fiat hoc? *Sexto.* Eo animo boni omnes ſunt vt quod bonorum habent, vellent ad quamplurimos diffundi: quod malorum, contrahi, ac in ſe vnis hærere: Mali autem è contrario, quod bonorum habēt, vellent contrahi, ac in ſe vnis eſſe quod malorum, ad quam plurimos diduci. Dominus igitur interdum ſeſe vtrorumque voluntati accōmodat, bonam, bonorumque voluntatem amplectens, & ſapientius quandoque dirigens: malorum mala voluntate vtens bene, ipſamque ad bonum quoddam maius, ab illis neque optatum, neque cogitatum, traducens. *Septimo.* Inferunt quandoque mortuis viui homines nonnulla, quæ hac ad alios pœnarum dilatatione videntur acerbiora. *Octauo.* Diſcunt ex innocentum pœna mortales, quanta, & quam capitalis generi peſtis ſic peccatum, quod non in vno tantum, qui eo ſeſe aſtrinxit, ſed in aliis etiam pluribus ita plectitur. *Nono.* Diſcunt etiā, ſi, vnius ob culpam, punitur multitudo, quid ſi tota peccaret multitudo? *Significatum eſt*, ait loco citato Sanctus Auguſtinus, *quantum mali fieret, ſi vniuerſa illa congregatio peccaſſet, quando ne vnus quidem ita potuit iudicari, vt ab eo poſsint* cæteri eſſe ſecuri. *Decimo* Malis, quæ inſontibus ſontium cauſa eueniunt, vel ſemper, vel certe quā ſæpiſſime ineſt, qui ſontes ipſos purgat & vellicet acrius, doloris morſus quidam. Nam quos mala iſta inuoluunt, vel ſunt eorum filij & amici, quos diligunt, vel alij. Si *filij* & amici moleſtia iis & mœror eſt, ſua eos torqueri culpa. *Plerunque* ait S. Gregorius l. 15. Moral. cap. 31. *Percutitur Pater in filiis, vt acrius vratur: Et dolor Patris carni filiorum redditur, quatenus per filiorum pœnas, mors patris iniqua patiatur.* Si *alij*, nonne acerbum & graue, ſcire, ſe, ob mala, quorum ipſi auctores, omnibus eſſe inuiſos ac deteſtabiles? ſe ſuoſque ab omnibus odio haberi? Suū omnium vocibus, & maledictis nomen lacerari? Sui omnem memoriam diris ab omnibus deuoueri? fit enim quodammodo ſemper, vt à viuentibus adhuc ſontibus iſta videantur, vel ſi nondum videantur animo præſentiſcantur, ac prægustentur, aut certe à mortuis non ignorē-

A tur, ita vt ſi in tormentorum loco ſint, torqueantur magis: ſi in beatorum cum nihil in eos cadat doloris, miſereantur tamen miſerorum magis, maioremque iis apud Deum opem afferre ſatagant. Et fieri hæc omnia nonne optimum, ſapientiſſimum, iuſtiſſimum? *Vndecimo.* Licet vero, vti hactenus allatæ probant rationes, poſſet Deus Optimus Maximus ſuo ipſius iure ad ſummam mundi totius, ipſorumque præſertim hominum vtilitatem, improborum quorundam gratia, probos, nullique omnino culpæ affines, temporariis malis, ipſa etiā morte mulctare: B Nobilium tamen Theologorum ſententia eſt, eum id nunquam facere, niſi in iis ipſis, quos alterius, peccata & miſeriæ implicant, propria etiam culpa quædam vel adhuc ſit, vel fuerit, ob quam malis ac miſeriis illis digniſſimi ſint. *Primo.* quidem, quia diuinæ bonitati conſentaneum magis videtur, ne ſuo quenquam priuet beneficio, niſi mereatur. *Secundo.* Qui alterius occaſione calamitatis aliquid perpetiuntur, vel *infantuli* ſunt, qui ſuo ipſorum actu peccare nihil dum poſſint, vel *adultiores*, qui peccare vt iam poſſint ſuapte ſponte. C Si *infantuli*, vel originale peccatum per ſacrum baptiſma nondum expiarunt, vel expiarunt: ſi nondum expiarunt: mors eis eo debetur nomine, non vita temporalis aut æterna. *Stipendium enim peccati mors* Roman. cap. ſexto. Si expiarunt, eadem adhuc digni ſunt, cæteriſque vitæ huius malis. Nam his per peccatum illud, quod eſt, vel fuit, homo ſemper quoad perfecte ſemel debitum hoc exſoluerit: obnoxius redditur. Hinc Diuus Auguſtinus libro ſexto cōtra Iulianum capite decimo, inter alia huius vitæ mala, dæmonum D incurſus pati docet paruulos etiam baptizatos Diuus Gregorius libro decimoquinto Moralium, capite trigeſimo primo. *Quid eſt quod paruuli filij plerunque à dæmonibus arripiuntur, niſi quod caro filij ex Patris pœna mulctatur?* ſi *adultiores*, primo eadem conditione ſunt, qua infantuli, quoad originariæ culpæ debitum: deinde multo deteriore. quia ſua quædam adiungunt iam peccata, quorum minima extremis vitæ huius incōmodis, & cruciatibus, ipſa etiam morte, haud indigna ſunt, ſi conſideretur, quantum & quale ſit, diuinā vel minima re maieſtatē offēdere, E & quantulū ac pœne nullum ſit, quod amittere cōtingit vitæ huius bonū. Recte igitur ſemper facit Deus, cum nocentū cauſā, telis quandoque ſuis nocentes ferit. *Duodecimo.* Sed vt hæreant animo iſta omnia tenacius, duorum huc ſcriptorum verba tranſcribam, quorum prior in Latinis & Chriſtianis, Theologiam tamen haud profeſſis: Alter in Græcis & Gentilibus, ſolam ſequentibus rationem ducem, eximius eſt.

I. E ſecundo I. Lipſij libro de conſtantia cap. 16. *Sed enim immeriti & innoxij aliquot populi puniuntur, inquis. Nam hac ſecunda tua querela ſine* F *calumniam potius dicam. Incaute Adoleſcens, ſic loqueris? Puniunturne immeriti: Vbi ergo gentium, gentes tibi repertæ ſine noxa? fiducia imo temeritas ſit in ſingulo aliquo homine id ponere: tu nihil ambigis populos & gentes ſtatuere impeccantes? vaniſsime. Peccamus enim & peccauimus omnes, ſcio: nati in labe, viuimus in labe: & cæli iam armamentaria, vt cum Satyrico illo io-*

cer, ſine telo ſiut, ſi fulmina ſemper miſſa in merentes. Non enim vt piſces in ſalo nati & alti, ſalem tamen non referunt: ſic cenſendum homines in hac mundi fæce eſſe, ipſos ſine fæce. Atqui ſi omnes in noxa, vbi populi iſti immeriti? Culpæ enim comes iuſtiſsime pœna ſemper eſt. Sed inæqualitas, inquies, illa diſplicet: quod quidam premuntur, qui minora peccarunt, florent & regnant, qui magna. Nempe hoc erat? eripies tu credo, trutinam cœleſtis iuſtitiæ manibus, & tuo quodam ſenſu, ponderibuſque eam librabis. Quo enim aliter ſpectat hæc delictorum parium, impariumque æſtimatio, quam ante Deum tibi ſumis? Sed duo hic Lipſi, cogita. Primum æſtimari ab homine noxas alienas non poſſe, non debere. Quomodo enim? Tu homulle peccata æquiter appendas, qui nec attendis quidem? Tu ea legitime diſcernas, qui nec cernis? Quod enim facile mihi das, animus eſt qui peccat: per corpus quidem & ſenſuum hæc inſtrumenta, ſed ita vt momentum & pōdus omne criminis ſi ab ipſo. Quod adeo verum eſt, vt ſi inuitum aliquem ſtatuis peccaſſe, non peccarit. Id autem ſi eſt: quomodo, obſecro, peccatum ipſum peruidebis, qui nec cubile eius, aut ſedem? Nam mentem certe adeo alienam videre non potes, vt nec tuam. Magna igitur hæc vel vanitas, vel temeritas tua eſt, cenſuram, æſtimationemque vindicantis in re nec viſa plene nec videnda, nec nota, nec noſcenda. Secundo. illud cogita, vt maxime ita ſit, nec malum tamen aliquid hic eſſe, nec iniquum. Non malum, quia illorum ipſorum bono fit, qui caſtigantur ſtatim vel in minimis noxis. Dilectio illa Diuina eſt: & iure ſemper ſuſpecta tarditas, cui grauior punitio adhæret. Non itē iniquum: quia pœnam, vt dixi, omnes meruimus: nec vnquam vel in optimis illa puritas, vt non maculæ aliquæ ſuperſint ſalſa hac aqua cladium veluti eluēdæ. Quamobrem adoleſcens, mitte hanc de æſtimatione noxarum intricatiſsimam litem, vt terreſtris, pedaneuſque Iudex: Deo permitte, qui haud paulo æquius, de ea certiuſque è ſuperiore tribunali cognoſcet, Ille eſt ſolus, qui merita poteſt expendere: Ille, qui ſine vllo ſimulationum fuco aut ceruſſa, virtutem vitiumque videt in vero ſuo vultu. Quis ei imponat, qui externa, pariter & interna rimatur? Qui corpus videt, & mentem? Qui linguas, & fibras? aperta denique & operta? Quique non facta ſolum ipſa, ſed cauſas eorum, & progreſſus videt in clara luce. Thales olim interrogatus εἰ λήθοι θεοὺς, ἄνθρωπος ἀδικῶν, ἀλλ' οὐδὲ διανοούμενος, vere reſpondit. At nos contra hic in nube. qui non ſolum occulta ſcelera non videmus, ſed tunica (quod aiunt) *& ſinu admiſſa, ſed vix aperta & protracta iam in lucem. Non enim culpam ipſam, & vim eius cernimus, ſed externa quædam veſtigia admiſſæ & iam fugientis. Optimi ſæpe nobis, qui Deo peſsimi: & reiecti contra, qui illi electi, Claude igitur, ſi ſapis, de meritis aut immeritis os, & oculos. cauſæ tam obſcuræ non bene cognoſcuntur de plano.*

Indidem cap. 17.

At tertia etiam offuſa à te Iuſtitia, nebula abſtergenda eſt, de Subſtitutis. Pœnas enim, inquiunt, parum iuſte Deus transfert: & maiorum culpas male luunt nepotes. Hem? itane hoc nouum aut mirum? Imo miror ego mirari iſtos miriones: cum cottidie ipſi id faciant in ſua terra. Dic ſodes, beneficia, quæ ob virtutem à Principe maioribus data, nonne tranſeunt ad nepotes? Sane tranſeunt. nec aliter in mulctis ac pœnis, opinor quæ iſdem impoſitæ ob ſcelus. Ecce in perduellionis aut maieſtatis criminæ, manifeſto alij in culpa ſunt, alij in pœna. idque adeo intendit humana ſæuitia, vt latæ leges ſint, quæ innoxios liberos æterna egeſtate puniant.

Vt mors ſit eis ſolatium, & vita ſupplicium.

Maligni veſtri animi! Regi aliqui aut dynaſtæ licere id vultis, non vultis Deo? Cui tamen, ſi examinas, haud paulo iuſtior ſeueritatis huius cauſa. Peccauimus enim, & rebelles magno huic regi fuimus in vno omnes: Et per tot ſtirpium traduces primogenia illa macula propagata ad infelices natos. Ita nexus & catena quædam hæc criminum coram Deo eſt: nec peccare, exempli cauſa. Pater meus, aut tuus iam cœpit, ſed patrum omnes patres. Quid ergo mirum, ſi punit in poſteris, non proprie diuerſa delicta, ſed communione quadam ſeminis iuncta, nec vnquam intermiſſa? ſed vt omittam hæc ſublimia, & agam tecum magis populari quadam rationum via: hoc ſcito. Deum coniungere, quæ nos per imbecillitatem aut imperitiam diſparamus: & familias, epida, regna, non vt varium quiddam intueri, aut confuſum, ſed vt corpus naturamque vnam. Scipionum illa aut Cæſarum familia, vnum illi eſt: Romana aut Attica vrbs, ab omni ſuo æuo, vnum: vnum item Romanum Imperium. Iure. vinclum enim quoddam eſt, & legum iuriſque ſocietas, quæ magna corpora, hæc ligat: efficitque vt inter æuo diſſitos communio quædam ſit præmiorum & pœnarum. Itaque Scipiones olim boni? apud cœleſtem illum iudicem poſteris id quoque proſit. Mali? noceat: Belgæ ante annos aliquot laſciui, auari, impij nos luamus. quia in externa omni punitione Deus non præſentia ſolum adſpicit, ſed præterita etiam reſpicit: Et duum horum temporum momentis temperat æquabiliter iuſtitiæ ſuæ lancem. Dixi, externa punitione. Et velim notes. Non enim culpæ ipſæ transferuntur, aut criminum quædam confuſio fit: abeſt: ſed pœnæ duntaxat ſiue caſtigationes quædam circa nos iſtæ ſunt, non in nobis: Et ad corpora vt opes ſpectant proprie, non ad animum hunc internum. Quid autem hic iniuriæ? Hæredes enim certe commodorum, præmiorumque, ſi qua maioribus debita ſunt, eſſe volumus: cur onera recuſemus & pœnas?

Delicta maiorum immeritus lues
Romane.

Canit Romanus ille vates. Vere, niſi quod addit. Immeritus. *Meritiſsimo enim, quia meruere maiores. Sed effectum videre poëta potuit, non adſurrexit ad cauſam, Vt autem in vno, eodemque homine, iure in ſenecta ætate delictum aliquid punimus admiſſum in iuuenta: Sic Deus in imperijs aut regnis peccata vetera. quia externæ communionis ratione vnum quoddam Deo ſunt, & coniunctum. Interualla hæc temporum apud illum nos non diuidunt, qui omnem æternitatem clauſam habet. in capaci ſua mente. An vero Martiales illi lupi olim tot vrbes euerterint, tot ſceptra fregerint impune? tantum cædium, ſanguiniſque hauſerint, ipſi ſemper incruenti? Tum denique fatear vindicem nullum Deum eſſe, qui quæ nos gerimus audit, & videt. Sed non eſt ita. pœnas vel in poſteris ſuis pendant aliquando neceſſum eſt tardas, etſi non feras. Nec temporum ſolum hæc coniunctio apud Deum eſt: ſed & partium. Hoc volo dicere. ſicut in homine cum manus, penis, venter peccauit, totum corpus id luit: ſic in communi aliquo cœtu, paucorum delictum expetere ſæpe omnes. præſertim ſi ij, qui peccant, velut digniora quædam ſint membra, vt reges, Principes, magiſtratus. Vere Heſiodus, & ex ipſo ſapientiæ penetrali:*

Πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ.
Ὅστις ἀλιτραίνει καὶ ἀτάσθαλα μηχανάαται.
Τοῖσιν δ' οὐρανόθεν μέγ' ἐπήγαγε πῆμα Κρονίων.

Λιμὸν ὁμοῦ καὶ λοιμόν.

Vnius ob crimen pœnas vrbs tota rependit,
Si quis ſacrilege ſeſe gerat aut iniuſte
Iuppiter hinc cœlo clades immiſit ab alto
Peſtem ſiue famem.

Ita claſsis Argiuorum tota periit.

Vnius ob noxam, & furias Aiacis Oilei:

Ita in Iudæa ſeptuaginta millia hominum peſtis vna iuſtiſsime abſtulit, ob iniuſtam libidinem regis. Et interdum contra. Vbi omnes peccarunt Deus vnum, paucoſque ſelegit, velut piaculares publicæ noxæ. In quo ſi à rigido illo partiatis iure paulisper diſcedit, tamen ex iniquitate ipſa æquitas noua oritur: & clemens quædam iuſtitia in multos eſt, quod ſæuitia videtur in paucos. Nonne etiam pædagogi ferula, è numero laſciuientis gregis vnum aliquem cædit Imperator è fuſo exercitu, paucos decumatione caſtigat? ſalubri tamen vterque conſilio, quia paucorum ea punitio terret nihilominus, & emendat omnes. Vidi medicos ſæpe venam in pede aut brachio incidere, cum totum corpus doleret: quid ſcio, an idem hic ſit? Arcana enim hæc arcana, Lipſi: Et ſi ſapimus, proprius non tangemus ſacrum illum ignem, cuius ſcintillas & ſtricturas quaſdam videre homines fortaſſe poſſumus: non poſſumus ipſum. Vt ij, qui in Solem acrius defigunt oculos, eos amittunt, ſic mentis omne lumen, qui eam intendunt in hoc lumen. Abſtineamus igitur cenſeo curioſe, & cum periculo quæſtionis: Et hoc ſaltem nobis ſtet, æſtimari noxas humanitus non poſſe, non debere. Aliam apud Deum trutinam eſſe, aliud tribunal. Et quomodocumque ſe recondita illa iudicia habeant, non culpanda ea nobis, ſed ferenda, & verenda. Vnam hanc tibi ſententiam ingero, quæ manum huic rei, & ſimul Curiouum omnium ori imponam,

Iudicia Dei multa occulta ſunt: nulla iniuſta.

II. E Plutarcho *de ſera Numinis vindicta* libello. *Primo diſputat Timon quidam contra diuinam in poſteros pœnarum deriuationem, & ait: Quod Euripides conqueritur, ac Numini obiicit:*

Crimina ſæpe luunt nati ſcelerata parentum.

Etiam nos licet ſileamus: reprehendere exiſtimo. Si enim qui deliquerunt, iam pœnas exoluerunt, haud decet eos, qui nihil iniuſti egerunt, plecti. Quandoquidem nec illos, qui facinora peregerunt, de vna, eademque re bis ſupplicium ſubire, iuſtitiæ ſeu æquitati conſonum eſſe cenſetur. Proinde ſi lente diuina procedit vindicta, pœnaque, quæ improbis debita, ſero tandem innoxios affligit, haud probe iniquitatem tarditate compenſat. Affert deinceps exempla octo vel nouem, quibus idipſum probat. ſed cum omnia hæc vel fabulas, vel fabularum ſimilia dixiſſet Plutarchus, pergit argumentis minimum ſex oſtendere, quã recte à Deo fiat, vt ab aliis ad alios fundat ſupplicia. Et primum quidem cum ſecundo meo congruit, ſecundum cum quarto, tertium cum eodem fere, quartum cum primo. quintum cum ſeptimo. ſextum cum primo, & quinto. Nunc vno quaſi ſpiritu omnia hæc, vnam veluti cauſam, octauum luculente perorantem audiuimus. Vt confeſtim, ait, in foribus res pateat claraque reddatur, in memoriam ducatur honor, qui iis haberi ſolet, quorum maiores hoſpitio Deos ſuſceperunt, necnon pulchra ea pars, quæ Pindari ſucceſſoribus, in Thebarum direptione delata eſt. Quis enim ea honoris præeminentia, quæ tamdiu inter Græcos coaluit ac inoleuit, merito non delectetur? Niſi cui iuxta eundem Pindarum, frigida flamma cor atrum

A *fabricauit. Prætermitto nunc ſimile huic Spartæ præconium, quod poſt Lesbicum cantum in memoriam: ac honorem Terpandri illius priſci, proclamari ſolet: nam eadem ratione conſtare videtur. Cæterum vos Philtiadæ appello, qui apud Bœtios longe aliis præferri dignum ducitis, quoniam præclaris ortos parentibus vos eſſe prædicatis, quique apud Phocenſes, ob Dæphani genus gloriari ſoletis, mihi, inquam, preſentes, auxilioque ſitis, quum Lycormę Satilæque patrium Heraclidarum inter ſe partiuntur honorem, Stephanophoriã-*
B *que inſtaurantes decantant, admodum decere ab* Her*cule prognatos, honores firmos ac gratos ſortiri. Quandoquidem cum ipſe Græcos immenſis affeciſſet beneficiis & haud dignum pręmium, retributionemque conſecutus eſſet. Pulcherrimum, hercle, ait, ac Philoſophię admodum dignum certamen propoſuiſti. Omitte igitur, heus, inquam, vehemens illud accuſationis genus, nec ęgre feras, ſi aliquando plectantur, qui ſceleſtis improbiſque ſunt orti parentibus, aut honorata illa nobilitate, ac pręeminentia gloriari laudarique deſine. Decet enim, ſi virtutis aut nobilitatis honorem in genere noſtro retinere cupiamus, rationabiliter quoque ob ſcelerum vltionem permanentem, haud indignari,*
C *ſed recte hęc inuicem concurrere, ac ęqualiter dignęque conuerti æſtimamus. Qui enim à Cimone prognatos egregie Athenis honorari, à Lachare vero ac Ariſtone oriundos deſpici cum indignatione dolens cernit, hic admodum varius ac ſecors, imo potius contentioſus, Numinique moleſtus eſſe videtur. Incuſat enim cum viri iniuſti, ac ſcelerati filiorum filios fœliciter agere cernit: rurſuſque criminatur, ſi flagitioſorum, improborumque ſtirpem coerceri, ſeu funditus tolli conſpicit, pariterque Deum reprehendit, & accuſat, ſiue iuſti, aut noxij, patris filium affligit, ſeu incommodo afficit. Et hæc tanquam obſtacula quędam tibi aduerſus admodum infeſtos, acerboſque accuſatores illos ſtatuo. In-*
D *de tanquam nexus reaſſumentes principium, ita circa diuinas affectos rationes, è tenebris, ac irremeabilibus erroribus cum intrepida pietate ad officium reducamus, illiſque perſuadeamus, nil Deum agere, quam quod fas, admodumque decens eſſe dignoſcatur, nos vero neque in his, quæ quotidie gerere ſolemus, manifeſtam veritatem oſtendere, ſeu exprimere poſſe. Veluti, cur liberos eorum, qui phthiſi, ſeu aqua intercuti interierunt, ſedere, pedeſque aqua immergere iubemus, donec mortuus crematur: eo etenim pacto morbus transferri, ſeu ad illos tranſgredi minime poſſe creditur. Ac rurſus, quam ob cauſam capella, ſi eryngitem herbam in os ſum-*
E *pſerit, totum attrahat gregem, donec paſtoris ſuperuentu depellatur. ſunt & quamplurima alia, quę vires continent latentes, effectuſque producunt incredibiles, velocitateque, aut tarditate ſtupenda ab aliis ad alia trãſgrediuntur. Nos vero interualla iuxta tempus, non loca admirari conſueuimus. Vtrum enim magis ſtupendum? An peſtis, quæ in Aethiopia exordium ſumpſit, Athenas impleuit, Periclem ſuſtulit, Thucydidemque male affecit? Aut ſi ob Delphorum, Sybaritarumque flagitia, in poſteros tandem ſcelerum vindicta defluxerit? Habet enim vires ab vltimis in prima relationes quaſdam, ac cognationes, quarum cauſam etſi ignoremus, non tamen*
F *ſine ratione accidere certo ſciamus. Proinde, cur non ſolum in hominum ſtirpem, ſed publice in ciuitates diuina vindicta aliquando graſſetur, iuſtitię pretextum habere videtur, quum res vna, ac contigua ſit ciuitas quæ nullam, veluti animalia, mutationem admittit, neque alterum ex altero fieri ſolet, ſed ſemper conformis, ſibique ipſi ſimilis exiſtit, vniuerſas rerum, quas agit*

Digitized by Google

cauſas ac gratias, quamdiu communitatis nexum ſeriemque retinet, ac vnitatem ſeruat, ſi ſe recipere conſueuit. Nam ſi ob temporis ſpatium ex vna ciuitate quis plures facere vellet, ſimilis ei eſſet, qui ex vno homine plures efficere conaretur: quandoquidem, qui iam ſenior eſſet prius iunior, olim vero omnino adoleſcens erat. Eſſent quidem hæc Epicharmiis ſimilia, ex quibus Sophiſtarum ſermo auctus creuit, dum dicunt qui olim mutuum accepit, nunc haud debet, quandoquidem alius factus eſt. Et qui heri ad cœnam vocatus eſt, hodie inuocatus venit, nam alius exiſtit. Proinde mutationes in vnoquoque noſtrum maiores, quã publice in ciuitatibus ętas facere ſolet. Si enim poſt annum trigeſimum quis Athenas reuiſeret, cognoſceret ſane nunc vigentes mores, motus, diſciplinas, ſtudia, populique fauorem, iram & odium, ac reliqua id genus admodum priſcis illis, ac prioribus ſimilia conformiaq. hominis vero formam vix notus ac familiaris poſt tanti ſpatium temporis occurrens agnoſcere valeret. At morum variationes, qui omni ratione, labore, paſſione, legibus quoque facile mutantur, illi, qui ſemper præſens eſt abſurditatem admirandamque nouitatem continere videntur. Cæterum homo ex quo natus eſt, ad finem vſque vnus vocatur: quumque idem ciuitati ita permanenti accidat, dignum quoque ducimus eam progenitorum opprobriis obnoxiam eſſe, quandoquidem merito illorum gloria, honore, ac potentia frui cupit, idque iuſtum eſſe arbitratur. Niſi vniuerſa negotia in Heraclitium fluuium velimus immergere, in quem neminem bis ingredi, aiunt, quin penitus moueatur, ac in alienam tranſeat naturam. Si igitur ciuitas res quædam contigua, & vna perpetuaque ſerie compar exiſtit, neceſſe quoque eſt, genus ex eiſdem procedere principiis, potentiamque, ac ſocietatem referre quandam. Nam genitum ab eo ex quo genitum eſt, ſecerni ſeu abeſſe tanquam opificium quoddam conſtructum minime poteſt, cum ex ipſo, non ab ipſo genitum ſit ita, vt pars quædam, & debite honorandi, & iuſte plectendi contineatur, circumferaturque in ſemetipſa. Et niſi ludere viderer, aſſererem equidem Caſſandri ſtatuam ab Athenienſibus inæratam, longe iniuſtiora paſſam eſſe, ac Dionyſii corpus poſt obitum à Syracuſanis effoſſum, maiore affectum iniuria, quam ſi in eorum filios diuina eſſet delata vindicta. Nam Caſſandri ſtatua ſui natura, nullam iniuriam accipere poterat, mortuumque Dionyſii corpus animaiam pridem reliquerat. Verum Niſæo, Apollocrati, Antipatro, ac Philippo, cæteriſque omnibus, à ſceleratis parentibus ortis, admodum propria quædam progenitorum inſita pars eſt, illiſque adhæret non moleſta ſiue oneroſa, ſed qua in vita nutriantur, gubernentur: ac ſapiant. Non igitur mirum nec abſurdum, quum ex illis procedant, ſi ob eorum facinora, vindictæ quoque partem deſumant, quandoquidem, quæ apud homines beata cenſentur, propter illos conſecuti ſint ac poſſideant. Et vniuerſaliter, inquam, quidquid in medicina vtile, idem quoque iuſtum eſſe cenſemus. Et profecto ridendus eſt, qui iniquum eſſe aſſereret, pollicem vrere, quum coxarum doleret vertebrum: ſeu præcordia laniare, quum hepar ſanie marceſceret: vel ſi quis ob vngularum debilitatem, ſumma boum perungeret cornua. Ita & in vindicandis ſceleribus, qui aliud quid iuſtum, quam improbitatem ſanare exiſtimat, indignaturque quum medicum cernit per viam longe diuerſam ad curandum procedere morbũ, medicamentaque ob alia per alia inſinuare, veluti, qui venã incidunt, vt ab ophthalmia leuentur, ille profecto vltra ſenſum haud lõge proficere videtur, nec conſiderat præceptoremque, cum ex pueris aliquem

A *corripit, cæteros admonere: ac imperatorem, quum decimum quemque tollit, omnes ad officium reducere. Proinde non ſolum parti ob partem aliam, ſed & animæ propter animam, longe plus, quam corpori ob corpus, affectus, vexationes, paſſiones, ac emendationes accedere ſolent. Nam ibi, vt videtur, paſſionem, mutationemque eandem innaſci neceſſe eſt: hic vero anima phantaſiis acta, ob timorem ſeu confidentiam, peior, aut melior efficiatur neceſſe eſt.* Iſta illi ſapientes.

QVÆSTIO XXXVIII.

B *An humani Iudices poſſint noxiorum temporarias etiam pœnas ad innoxios porrigere?*

FEcerunt id quidem Gentes nonnullæ, vel potius Tyranni quidam ira & ſæuitia nimirum perciti: ſed ita videtur ſtatuendum. *Primo.* Ob criminis atrocitatem, poteſt quandoque noxiorum ad innoxios pœna ea transferri, quæ facultates, honores, famam nominiſque celebritatẽ adimit. Docẽt hoc Iuriſconſulti omnes & quotidiana in læſæ maieſtatis reis, in veneficis, & ſimilibus experientia. *Secundo.* Mortis
C pœna innoxio nulli propter vllius alterius, quãuis ingentem, noxam extra bellum, irrogari poteſt. Et in illo multæ adhuc adhibendæ cautiones, de quib. alibi Deut. 24. v. 16. vbi Iudicib. præcepta dãtur. *Nõ occidentur patres pro filiis, nec filij pro patribus: ſed &c.* Clare inter Dei, hominiſque iudicium, diſcriminis hoc ſtatuit q. 8. in Ioſue D. Auguſtinus, quod eadem pœna noxios & innoxios complecti poſſit Deus, non homo. Cum enim primo dixiſſet, *An illud iudicantibus hominibus eſt præceptum, ne quemquam pro altero puniant. Deo autem Dei iudicia non ſint eiuſmodi, qui alto & inuiſibili conſilio ſuo nouit quatenus extendat etiam tempora-*
D *lem hominum pœnam, ſalubremque terrorem:* Poſtea ſubiicit: *Si Achan ab aliquo inuentus, atque comprehenſus, & illius criminis reus ad iudicium Ieſu fuiſſet adductus nequaqua putandum eſt hominem iudicẽ, vel pro illo, vel cum illo quenquã alium, qui ſocietati facti eius minime teneretur, fuiſſe puniturum. Neque enim ei mandatum legis licebat excedere, quod datum eſt hominibus, ne iudicio ſuo quod in hominem homini iuſſum ſiue permiſſum eſt, alterutrum pro alterius peccato arbitretur eſſe plectendum. Longe autem ſecretiore iuſtitia iudicat Deus, qui potens eſt etiam poſt mortem, quod homo non poteſt vel liberare vel perdere. Viſibiles igitur*
E *afflictiones hominum ſiue mortes quoniam his, quibus ingeruntur, & obeſſe & prodeſſe poſſunt, nouit Dominus in occulto prouidentiæ ſuæ, quemadmodum iuſte quibuſque diſpenſet, etiam cum aliorũ peccata in aliis videtur vlciſci.* Et rurſum: *Homine Iudice luere nullus, niſi pro ſua culpa, pœnas viſibiles debet.* Ratio videtur, quia in hominis vitam non eſt quodlibet hominis ius, ſed modificatum, vt à nullo ei recte auferri poſſit, niſi culpa in eo comperta. Nã in humanis bonis, cum vita omnium maximũ ſit, iuſtum eſt, eo nullum ſpoliari, qui ſua ſe no-
F xa, eo non indignum fecerit. D. Thomas loco citato, quia homo ſecundum animam eſt omnino liber, non vllius alterius. Accedit, quod in tãti momẽti re, præſtat Iudicib. frænos iniici, quã licentiorem de inculpatorũ hominum vita pronunciandi facultatem fieri. Vide S. Th. 2. 2. q. 108. a. 4. ad 2. Alph. de Caſtro l. 2. de punitione

Digitized by Google

hæreticorum capite 10. & ſequentibus. Et Iuris Interpretes ad capitulum. *Ita nos.* 25. quæſtione 2.

QVÆSTIO XXXIX.

An pœnas, quibus noxiorum animæ in hoc vel futuro ſæculo cruciantur, poſsit innoxijs etiam irrogare Dominus?

IN hoc ſæculo pœnę quidem iſtiuſmodi ſunt, gratiæ diuinæ ademptio, diuinorum auxiliorum ſubtractio, conſcientiæ morſus, & angores: In futuro vero eſt damni, ſenſuſque pœna, purgatoria, æterna.

Primo igitur, pœnarum iſtarum nullam vlli poteſt irrogare Dominus ordinarie, niſi culpa in eo reſidat. quia vel iſta homini nunquam, niſi à contrario peccato eripi ſolent, vel nunquam, niſi præeuntem culpam conſequi. Et hoc de ſingulis perſpicuum ſatis eſt. Et hoc eſt, quod quæſtione 8. citata docet S. Auguſtinus: *Credendum non eſt, pœnis, quæ poſt mortem irrogantur, alium pro alio poſſe damnari.* Et poſtea: *pœnas inuiſibiles, quæ non niſi nocent, & prodeſſe non poſſunt. nullus, Deo Iudice pro alienis peccatis, luit.* Rurſum q. 9. *Credendum non eſt, Achanis filios, pro peccato patris, à quo innocentes erant, etiam poſt mortem ſupplicio inferni ignis incenſos. mors quippe iſta, quę omnes manet, quanquam de primo peccato veniat, tamen quia ita nati ſumus, vt neceſſario moriendū ſit, accelerata quibuſdam eſt vtilis. Vnde legitur de quodam, Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius.* D. Gregorius cap. 31. leg. 15. Moral. *In carne nonnumquam filij etiam ex patris peccato puniuntur. Deleto autem originali peccato, ex parentum nequitia in anima non tenentur.*

Secundo. Si ſola Dei abſoluta conſideretur poteſtas, poſſet vtique homini gratiam & auxilia ſubduxere, ignisque tam temporarij, quā æterni cruciamenta inferre, ſed neque veram pœnæ quæ peccati alicuius comes ac ſubſequa eſt rationem haberent, neque ita diuina conſideranda iam poteſtas eſt, ſed eo modo, quo agere decreuit ac ſolet: vt immerenti, tantæ iſtæ, tamque horribiles miſeriæ haud imponātur. Atque hoc poſterius volunt Scotus 4. d. 41. quæſt. 1. Marſilius 1. d. 49. ibidemque Gabriel, Gregorius, & ſcholaſticorum illius familiæ alij, quod non negant, qui priùs illud aſſerunt Thomæi. Et ſic de vitæ huius malis, quæ non reſpectu innoxij, ſed noxij pœnæ ſunt, loquitur Boëtius libro 4. proſa 5.

QVÆSTIO XL.

Quomodo ſcripturæ, quæ noxiorum ad noxios, & maxime parentum ad filios pœnas transferri aiunt & negant, conſonent?

POenas iſtas ab noxiis ad innoxios transferri, *aiunt* ſcripturæ, partim verbis Exod. 20. verſu 5. c. 34. verſu 7. partim exemplis, de quibus hactenus. *Negant* vero eædem Deut. 24. v. 16. Ezech. 18. verſ. 4. & 20. Ieremiæ 31. verſ. 30. vt ſupra citaui q. 31. *In vtraque hac ſententia,*

A inquit S. Gregorius lib. 15. Moral. c. 31. *dum diſſimilis ſenſus inuenitur, auditoris animus: vt diſcretionis viam ſubtiliter requirat, inſtruitur.*

Varia igitur variorum reſponſa ſunt. *Primo.* Eiuſdem S. Gregorij loco citato, & ex eo Rabani lib. 4. in Exod. c. 20. Peccati originalis pœnas ad filios ante baptiſmum extendi, non actualis vllius poſt baptiſmum. *Secundo.* In veteri teſtamento pœnarum hanc tralationem locum habuiſſe, non in nouo. D. Auguſtinus lib. 6. contra Iul. c. 12. *Tertio.* Parentum pœnas ad filios pertinere, ſiquidem illorum improbitatem ac ſcelera imitentur: ſecus non. Chaldæa
B Paraphraſis Exod. 20. S. Gregorius, & Rabanus locis citatis. D. Auguſtinus libr. contra Adimantum cap. 7. D. Chryſoſtomus, homilia 29 in Geneſ. D. Hieronymus in 18. Ezechiel. Anaſtaſius Nicænus quæſt. 32. D. Anſelmus de concept. Virg. cap. 25. *Quarto.* Viuentibus parentibus extendi eorum ad filios mala, non mortuis. quod priore modo maior eos percellat dolor: poſteriore nullus. Ita quidam apud Abulenſem q. 71. *Quinto.* Ad filios paruulos, & nondum emancipatos eaſdem porrigi miſerias non ad adultos, & emancipatos, ſceleris omni-
C no puros. quia illi ſint parentum aliquid: hi nō. Ita quidam apud eumdem q. 7. *Sexto.* Diuino iudicio traduci ab vno ad alium ſupplicia, non humano. D. Auguſtinus hic q. 8. & libr. 6. cōtra Iul. c. 9. & ſequentibus. Euſebius præparat. Euang. lib. 12. c. 25. *Septimo.* Pœnas corporales ac temporales ad innoxios diduci, nunquam ſpiritales, ac perennes. Diu. Thomas 22. q. 108. art. 4. ad. 1. Et vt mihi videtur, Origenes. l. 7. contra Celſum, vbi ſic: *Manet ſua pœna impios, qui contemptis, quæ offerebantur remediis perſtant in malitia (vt ita loquar) immedicabili. nos tamen per doctrinam de futuro ſupplicio multos à peccando retrabi-*
D *mus. quid autem apud Celſum ſacerdos ſeu Apollinis, ſeu Iouis ſuper hoc reſpondeat, conſideremus. Sero, inquit, molunt Deorum molæ, & in natos natorum, & qui naſcentur ab illis. Vide quanto potius ſit noſtrum illud: Non morientur patres pro filiis, neque filij morientur pro patribus. quiſque ſuo peccato morietur. Item illud, qui ederit vuam acerbam, ipſius dentes obſtupeſcēt. Item illud: filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij: & iuſtitia iuſti erit ſuper ipſum, ſicut iniquitas iniqui erit ſuper ipsū. Quod ſi quis dixerit ſimile eſſe iſtud, in natos natorum, & qui naſcentur ab illis, noſtro huic, Qui reddit peccata patrū in filios ad ſecundam & tertiam generationem, qui ſe*
E *oderint: diſcat, quod apud Ezechielem parabola hæc eſſe dicitur, reprehendentem eos, qui dicunt, Patres ederunt vuam acerbam, & obſtupuerunt dentes filiorum: quod dictum mox illud ſubſequitur, Viuo ego, dicit Dominus, niſi quiſque ſuo peccato morietur. Octauo.* Ne corporales quidem ac temporales pœnas, vnquam diduci ad eos, qui nullius omnino culpæ rei ſunt: ſed ad eos tantum, iu quibus culpa reſederit aliqua. Mihi ſcripturarun. conciliatio iſta commode ac vere fieri videtur per 3. 7. & 8. reſponſa. Sed vbi hoc, aut illud magis congruat
F eſt in Exodo dictum, & in Prophetis dicendū. Septima quidem reſponſio huc pertinet, itemque velut ἐπίμετρον aliquod, reſponſiones 4. 5. & 6. prout ex ſuperioribus diſputationibus perſpicuum.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XLI.

Igni æterno an cœleſti potius felicitati adiudicatus Achan?

NOn quidem ſaluum beatumque Achanem negat, ſed nõnihil dubitat S. Auguſtinus q. 8. Affirmant vero damnatum Caſſianus Collat. 1. c. 20. Concilij Aquiſgranenſis ſub Pipino Patres l. 2. c. 7. & fere Rupertus c. 31.

Ego *per temporarium & ſubito extinctum ignem, ab æterno liberatum, cœloque receptum cenſeo.* *Primo.* Quia etiam ita cenſent boni auctores, Caiet. hoc loco, Abulenſis quæſt. 55. & 65. Maſius fol. 138. & Rabbini omnes in tract. *ſanhedrin*, c. 6. fol. 43. l. & 44. *Deinde*, Quia magna in eo pœnitendi vis fuit, & pia omnia, doloriſque, ac erga Deum reuerentiæ plena confeſſio, vti declaratum ſupra quæſt. 27. Addunt cum Abulenſi Rabbini rationem aliam, quod rogum iam inituro dixerit Ioſue v. 25. non ſimpliciter, *Exturbet te Dominus*: ſed adiunxerit *in die hac*, quaſi diceret, eum quidem in hac vita, de illo, peccati ſui cauſa cruciandum & exterminandum, non in futura. R. Eliezer cap. 38. *Quia coram Deo ſancto & benedicto confeſsionem ſeu gloriam dedit Achã habet partem in ſæculo futuro. Dicitur enim, Conturbet te Dominus in die iſto. Hodierno die tu es Achor, id eſt, conturbatus: & non eris Achor in ſæculo futuro.* Et Maſius, *Nobis vero*, ait, *credibile id quidem videtur: ſed non ob iſta verba, verum potius propter ingenuã illam confeſsionem. Nã iſtud* ביום חוה *in hoc die nihil ſignificare aliud cenſemus, quam illud crebro vſurpatum* ביום חוח *ſicut hodie, vel ſicut dies iſte, quod LXXII. hoc quoque loco expreſſerunt. Eſt autem id fere affirmandæ rei nota, tanquam per euidentiam quandam. ac ſi dicas, plane, omnino, prorſus, clare, aperte, & tam certe, quam præſentis diei lucem vides, qua frueris.* Mihi autem non tam *affirmationis* nota, quã *temporis* videtur, eo appoſita, vt ſignificetur, pœnæ tempus non tam nullum deinceps futurum, vt iſti volunt Rabbini, quam citius quidem eſſe oportuiſſe, nunc tamen iam merito eſſe. Elias in *Thisbi* verbo *bathad*, refert expoſitionem hanc, quaſi precatio foret. ſic: *Turbet te Dominus in die iſto: & tu in futuro ſæculo turbatus ne ſis.* Annuiſſe vero tam piæ clementique piiſſimi clementiſſimique viri Ioſuæ precationi ſummum pietatis clementiæque fontem Deum ambigere quis velit?

Obiicies vero tria. *Primo.* Rupertus in Ioſ. cap. 31. *Quamuis*, ait, *Achar confitendo reſponderit. Vere ego peccaui Domino Deo de Iſrael, & ſic & ſic feci, non tamen vllam mereri veniam debuit, quia videlicet confeſsio nimium tarda fuit. Ante enim turbatus eſt Iſrael, quam ille reatum agnoſceret, & ante ſors veridica Deo auctore prodidit perſonam, quam ipſe culpam.* Reſpondeo. *Primo.* in altero forte ipſum ſerum fuiſſe. *Secundo.* Poſſe tamen explicari ſic fuiſſe Achanis ſeram confeſſionem, eique veniam omnem negatam, quoad temporariam, quam ſubire debuit, pœnam. De hac, vt ex antecedẽtibus patet, loquitur ibi Rupertus. *Obiicies ſecundo*, illos quos initio citaui, & maxime Concilium Aquiſgranenſe ſub Pipino lib. 2. cap. 1. mortem æternam Achani tribuere. Reſpondeo

A relinqui à nobis Abbati Moyſi, apud Caſſianũ, ſententiæ ſuæ ſeueritatem: Rupertum vero, & Aquiſgranenſes Patres videri hanc D. Auguſtini ſententiam putaſſe eſſe. cuius verbis, ac ſententiis plurimum vtuntur in priori Aquiſgranenſi Concilio ſub Ludouico I. Patres. Secundo, in altera tamen, vt dixi, S. Auguſtinum eſſe ſententia. *Obiicies tertio.* Multorum vſurpatam vocibus ſententiam, non eſſe in extremum vitæ tempus differendam pœnitentiam. quia vnicum, cui tam ſera profuerit, exemplum
B inuenitur, latronis videlicet cum CHRISTO IESV crucifixi. Reſpondeo vnicum hoc exẽplum eſſe, manifeſtum ſcilicet, ac prope indubitatum, propter adiunctam certiſſimam Dei teſtificationem: *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Nõ hoc interim, quod minus manifeſtum, & in quadam alea eſt, abiiciendum. quin cupide amplectendum, ad multorum animos, quos carcer compes, carnifexque tenet, conſolandos & ad pœnitentiam cohortandos. Ecce, cum ſceleratiſſimo ſeſe ſacrilegio alligaret Achan, grauiſſimam in populum totum Numinis iram con-
C citarat, funeſtæ Iſraelitarum plurium cędis, turpiſſimæque millium aliquot fugæ fuerit cauſa: diuino nutu, fortiſque iudicio proditus, acerbiſſimoque ignis ſupplicio, diuina ſententia iam adiudicatus erat: inficiandi, excuſandi, euadendi nulla, vel minima ſupererat ſpecula: in idem etiam ſecum exitium filios, filias, omniaque ſua rapiebat, & tamen quia de peccato tam ingenue, ſyncere, ac dolenter confitetur, quia Deo gloriam dat, quia decretam pœnam æquo, demiſſoque, ac patienti animo ferre vult, Dei à populo iram auertit, ſe in eiuſdem gratiam reponit: è rogo ad cœlum, è flammis
D ad refrigerium, è lapidum crepitu ac pondere, ad æthereas beatorum ſedes euolat. quantum quidem vetus ille Veteris Teſtamenti ſtatus ferebat. Quis peccatorum deſperet? quis in carcerem ſe & vincula, tanquam ad pœnitẽtiæ, ſalutiſque præſtantiſſimum portum, magno Dei beneficio ductum non agnoſcat? non quãlibet capitalem latam à Iudicibus ſententiam libens excipiat, eaque tanquam inſigni ſatisfactionis ac pœnitentiæ inſtrumento, vtatur? ſicque Deum, Diuos, homineſque omnes ſibi placet? O præclaram occaſionem? O magnum
E Dei erga peccatores beneficium? Non omnino temere vulgo dicitur. *è patibulo ad cœlum plures, quam è lecto abire:* ſed tamen comparatio hæc remoueatur, quæ vt odio, ſic incerta, vel potius falſa eſt.

QVÆSTIO XLII.

Quoſnam Achanis pœna terrere poteſt?

EOs profecto maxime, qui eius facta imitantur improba, vt ſunt auari, fures, ſacri-
F legi, & quotquot ſuo aliquo facinore ac nequitia communitatem, cœtumque aliquem conturbant. Hinc S. Ambroſius lib. 2. offic. c. 26. *Cæterum*, inquit, *ita incubuerunt mores hominum ad admirationem diuitiarum, vt nemo niſi diues honore dignus putetur. Neque hic recens vſus, ſed iam dudum quod peius eſt, inoleuit hoc vitium humanis mentibus.*

Digitized by Google

Siquidem cum Hiericho magna ciuitas tubarum ſacerdotalium ſono corruiſſet, & Ieſus Naue potiretur victoria, cognouit infirmatam eſſe virtutem populi per auaritiam atque auri cupiditatem. Nam cum de ſpoliis vrbis incenſæ ſuſtuliſſet Achan veſtem auream, & ducenta argenti didrachmata, & linguam auream, oblatus Domino negare non potuit, ſed prodidit furtum. Vetus igitur & antiqua auaritia eſt, quæ cum ipſis diuinæ legis cœpit oraculis. imo propter ipſam reprimendam lex Dei data eſt. Propter auaritiam Balac putauit Balaam præmiis poſſe tentari, vt malediceret populum patrum & viciſſet auaritia, niſi Dominus eum à maledicto abſtinere vetuiſſet. Et propter auaritiam præcipitatus Achan, in exitium deduxerat totam plebem parentum. Itaque Ieſus Naue, qui potuit ſolem ſiſtere ne procederet, auaritiã hominum non potuit ſiſtere ne ſerperet. Ad vocem eius ſol ſtetit: auaritia non ſtetit. Sole itaque ſtante confecit Ieſus triumphum, auaritia autem procedente pœne amiſit victoriam. Apud Prudentium in Pſychomachia, cum palmas triumphoſque narraret Auaritia, infit tandem.

Vidit & Iericho propria inter funera, quantum
Poſſet noſtra manus, cum victor concidit Achan
Cædibus inſignis, murali & ſtrage ſuperbus,
Succubuit captus victis ex hoſtibus auro:
Dum vetitis inſigne legens anathema fauillis,
Mæſta ruinarum ſpolia inſatiabilis haurit.
Non illum generoſa tribus, non plebis auitæ.
Iuuit Iuda parens, Chriſto quandoque propinquo
Nobilis, & tali felix Patriarcha nepote.
Queis placet exemplũ generis, placeat quoque forma
Exitij: ſit pœna eadem, quibus & ſcelus vnum eſt.

De furibus conſtitutiones Apoſtolicæ libro 27. c. 3. *Non furaberis. Achar enim propter furtum lapidatione interfectus eſt.* De ſacrilegis vero Aquiſgranenſe ſub Pipino concilium, lib. 2. c. 1. cum Ioſuæ Hierichuntinum anathema vetantis retuliſſet, *Obſerua*. inquit, *diligens lector, & curioſe auditor, quod duo in his verbis, quæ præmiſſa ſunt iubeantur. Alterum videlicet, quo cauendum omnino præcipitur, ne de his, quæ Domino conſecrata ſunt, quidpiam contingatur, alterum, quo iubetur, quidquid auri vel argenti, ac ferri, omniumque vaſorum æneorum fuerit, Domino conſecrari & in theſauris eius recondi. Vitandumque tibi eſt, nec cogitando ea quæ Domino cõſecrata ſunt, ſic præuaricationis reus, & alij propter te ſub peccato ſint, atque turbentur, & ſagaciter intende, qualiter theſauri Domini, eo iubente, incrementur, ſed & hoc diligenter obſerua, ne tuo æſtu, vel cupiditate, ea quæ in theſauris Domini conſecrata ſunt, auferantur. Quod autem, ſicut Ioſue, Domino imperante, facienda præceperat, poſtea ſint impleta, ſequentia teſtantur. Vrbem autem, & omnia quæ in ea erant, ſuccenderunt abſque argento & auro, & vaſis æneis ac ferro, quæ in ærarium Domini conſecrarunt. Qui autem, auſu quodam temerario illecti, de his, quæ Domino conſecrata ſunt, palam atque occulte ſurripere poſſe arbitratur, exemplo Achan deterreatur qui æſtu auaritiæ ſuccenſus, de his, quæ Domino conſecranda erant, furtim ſibi ſurripuit, pallium ſcilicet coccineum valde bonum, & ducentos ſiclos argenti, regulamque auream quinquaginta ſiclorum: & ne deprehenderetur, in tabernaculo ſuo ſuffoſſa humo, conſciis liberis ac domeſticis ſuis occuluit, quæ vtique Domino conſecrata erant. Ob cuius immane facinus, quædam pars populi Iſraelitici coram hoſtibus ſuis cæſa extitit, & Ioſue conſulto Domino, hæc audiuit: Surge, cur iaces pronus in terra? peccauit Iſrael*

A *& præuaricatus eſt pactum meum, tuleruntque de anathemate, & furati ſunt, atque mentiti, & abſconderunt inter vaſa ſua: nec poterit Iſrael ſtare ante hoſtes ſuos, eoſque fugiet, quia pollutus eſt anathemate. Non ero vltra vobiſcum, donec conteratis eum, qui huius ſceleris reus eſt. Nota quod vnius illicitum factum, totus Iſraeliticus populus feciſſe narretur: Et quod propter vnius facinus, in populum Dei, Domini ingens cõminatio fiat, videlicet, vt nec Deum ſecum habere, nos coram inimicis ſuis ſtare poſſet, donec ille interiret, qui* B *huiuſmodi ſcelere contaminatus erat. Qualiter vero ipſe Achan à Ioſue, applicato ſibi Iſrael, per tribus ſuas, ſolertiſſime examinatus, ac deprehenſus, ſiue reatum ſuum confeſſus fuerit, qualiter etiam lapidum grandine occubuerit, & omnia, quę illius erant, igne conſumpta ſint, ſequentia pandunt. Veruntamen valde pauenda ſunt hæc, & omnibus fide Chriſti inſignitis cauenda, ne propter aliorum illicitum, imo ſacrilegum factum, nec ſecum, quod abſit, Dominum habeant, nec coram inimicis ſuis ſtare præualeant. Patratores autem tam immanis, imo ſacrilegi facti, magnopere cauere oportet, ne propter ſuam cupiditatem, quam erga res Deo ſacratas aut exercent, aut exercere cupiunt, ſibi ad inſtar Achan, mortem æternam, aliſque Dei offenſam, & co-* C *ram hoſtibus ſuis adquirant miſerabilem ruinam.* Ad ſacrilegorum vero numerum accenſet lib. in Ioſue c. 21. Rupertus, varij generis Chriſtianos ac inprimis *Clericos Simoniacos*. qui rebus, boniſq. ad Dei cultum dicatis, abutuntur: *futurum*, ait, *erat, (quod hodie videmus) vt ſcilicet falſorum fratrũ auaritia, ſimul & ambitione, non modice Eccleſia Dei turbaretur. Quid enim? Nonne omnes, qui in Chriſto Ieſu baptizati ſumus,* Hiericho, *id eſt, mundum hunc anathematizauimus, abrenunciando diabolo, & omnibus pompis eius? Ecce autem de nobis exierunt, quam plurimi imitatores Achar de tribu Iuda, qui videlicet* D *fidem profitentes Catholicam, quod eſt eſſe vel dici de tribu Iuda, (Iuda quippe confeſſio interpretatur) tulerunt de iſto anathemate, & furati ſunt, atque mentiti, & abſconderunt, atque intra vaſa ſua repoſuerunt. Dũ enim ſub ſpecie pietatis pulchri incendentes, atque religioſi, auaritiæ ſtudent, quæ eſt ſimulachrorum ſeruitus & cuncta malitiæ ſpiritualis faciunt venalia, quid aliud quam anathema furantur, & mentiuntur, & abſcondunt inter vaſa, imo inter conſcientias ſuas. Hanc malitiæ radicem, & huius fellis amaritudinem primum in Symone magno per os Beati Petri Apoſtoli vniuerſa Chriſti Eccleſia terribiliter anathematizat, & hæreti-* E *cam eſſe hydram indicat. Non ergo, inquit Dominus, poterit Iſrael ſtare ante hoſtes ſuos, eoſque fugiet, quia pollutus eſt anathemate. Vbi enim in ſacerdotibus, vel eis qui præſunt, auaritia regnat, & principatum obtinet pecunia, hi qui ſunt Iſrael, arma virtutum contra vitia tenentes, & prout oportet arguere, obſecrare, increpare volentes ſtare non poſſunt contra hoſtes libere repugnãtes, quippe quos pecunia tuetur, vt de vitiis ſuis aliquãdo non ſaltem impune arguantur. Vnde & apud Euangeliſtam Matthæum pulchro myſterio dictum tenemus, quia cum Dominus noſter facto de funibus flagello, vendentes & ementes de templo eieciſſet, tum demum ac-* F *ceſſerunt cæci & claudi ad eum in templo, & curauit eos. Non prius cæcos & claudos curauit, quam illos latrocinantes de ſpelunca eiecit, quia videlicet, non vitia curari, nec virtutes poſſunt illuſtrari, niſi prius Mãmom de cordibus ſacerdotum, aut ipſi ſacerdotes cum illo Deo ſuo, de Dei tẽplo fuerint eiecti. Hoc inquã, futurum erat, & idcirco viſibiliter præmonſtrandum erat*

in illo vno Achar, qualis, vel quanta ſecundum nomen eius (quod interpretatur tumultus vel turbator) cunctis imitatoribus eius turbatio vel pœna ſit repoſita. Recte igitur ſeuere, & ſine vlla venia, pro tali in illum furto vindicatum eſt, lapidante illum omni Iſrael, & omnia, quæ illius erant igne ſunt cōnſumpta. Haud abſimilia legere eſt apud Petrum Damianum libro quinto Epiſt. 78. quæ nona eſt ad Clericos Fauenſes.

QVÆSTIO XLIII.

De Caluinianis ac Lutheranis ſacrilegis, quid Lutherani ac Lutherus?

DIgniſſimum de Lutheranis & Caluinianis tot & tanta vbique ſacrilegia patrantibus eſt. quod hic referatur. Lutherani Chytræi teſtimonium: *Achan,* ait, *imago eſt multorum Principum, & priuatorum, qui bona Eccleſiaſtica Deo & vſibus diuinis deſtinata ſurripiunt, & in ſuas priuatas vtilitates & commoda transferunt. Nam quod ſemel Deo, & Eccleſiæ ipſius, & conſeruationi doctrinæ, & cultuum diuinorum, & alendis pauperibus, dicatum eſt: id non ſine terra impietate, & ſacrilegio auferri, & ab hæredibus aut patronis occupari, vel accipi poteſt, ſed in pios vſus Eccleſiæ: ſtudiorum doctrinæ, pauperum, ſcholarum hoſpitalium collocari debet. Quod & iuri diuino & legibus ſcriptis conſentaneum eſt, ac horrendis pœnis præſentibus & æternis, eiuſmodi fures & raptores bonorum Eccleſiaſticorum puniri, non ſolum præſens Achani cum tota familia & omnibus bonis deleti, verum etiam quotidiana, & omnium oculos incurrentia, principum & ciuitatum exempla demonſtrant, qui prætextu Euangelij occupatis, cœnobiorum & collegiorum bonis, multo miſeriores ſunt, & Dei maledictionem ſibi & poſteris attrahunt. Vt enim aquilarum plumæ, cæterarum auium plumis mixtæ, excedere eas & abſumere ſcribuntur: ſic Eccleſiaſtica bona, principum & priuatorum patrimonijs mixta, vtrumque conſumere & diſsipare experientia docet, quæ apud Ethnicos etiam prouerbio, aurum Toloſanum originem dedit: Et Chryſoſtomi dictum memoria dignum eſt, in 1. Corinth. 5.* πολλάκις τὰ εἰσενεχθέντα κακῶς ὀλίγα, τὰ καλῶς κείμενα ἐξέβαλε πολλὰ ὄντα. οὐδὲν γὰρ σαθρότερον πλεονεξίας, κἂν τὴν κλεῖν ἐπιθῇς τῷ τοιούτῳ ταμιείῳ, κἂν θύραν, κἂν μοχλὸν, εἰ καὶ πάντα ποιεῖς. πλεονεξίαν ἔνδον τὸν χαλεπώτατον λῃστὴν ἀποκλείσας καὶ πάντα δυνάμενον ἐξενέγκειν. *Sæpe exiguum lucellum male quæſitum, amplas opes honeſte partas euertit. Nihil enim eſt, quod facilius omnia corrumpat, quam auaritia & fraude parta. Etſi enim ſeram addas tali arcæ, & ianua exteriore, & vecte eam communieris, tamen violentiſſimum prædonem, fraudem & auaritiã intus concluſam tenes, quæ omnia efferre & diſſipare poteſt.* Neque vero ipſemet ſacrilegorum iſtorum omnium, parens abnuere iſta potuit, quin vero Sympoſiacorum c. 4. fol. 596. id Æſopicæ aquilæ probauit exemplo. quæ cum in ara quadam aſſas immolari carnes vidiſſet, aduolauit: vncis fruſtum vnguibus abſtulit, ſuumque in nidum præpes reuolauit. At fruſto illi ſacro adhæſit ignitus carbo. qui aridam ſenſim nidi materiam corripiens totum hunc accendit, pulloſque illius omnes exuſſit. Ita noſtræ quondam aquilæ, nunc Harpyiæ in Eccleſiaſtica bona, calices, prædia, decimas, domoſque inuolant, quodcunque poſſunt rapiũt:

A in theſauros, patrimonia, peculiaque ſua inferunt. ſed nulla iis inde vtilitas. Exuruntur eorum nidi, facultates & poſſeſſiones omnes: Rediguntur ipſi ad paupertatem, mendicare debẽt liberi: eorum etiam non raro ſucciditur omnis poſteritas, ita vt feudorum tota ſæpe ſors ad Eccleſiam redeat, prout in nobilium comitũque arcibus, & bonis aliis videre eſt. Vnde ſiquidem Epiſcopo Herbipolenſi paucis hiſce annis fundi tot, pagi, & oppida quædam obtigerunt? Vnde Moguntino Archiepiſcopo tam inſignes comitatus Künigſteinianus, & Loren-
B ſis? *Hoc*, ait eodem loco Lutherus, *experientia ipſa compertum eſt, eos, qui Eccleſiaſticas ad ſe opes traxerunt, eo ipſo ad egeſtatem mendicitatemque redactos.* Et ne quis dubitare poſſit, vnius è ſaxonica equeſtri nobilitate, idipſum de ſe, ſuique ſimilibus teſtantis, laudat teſtimonium. Erat is *Burchardus Hundt* Sax. Ducis Elect. Ioan. Conſiliar. *Nos,* aiebat, *nobiles, monaſteriorum bona, ad nobilium bona noſtra pertraximus, Nunc vero illa deuorarunt & conſumpſerunt noſtra hæc, ita vt neque monaſteriorum, neque nobilium bona iam habeamus. Rurſumque alio quidem tempore, quod eodem tamen
C loco ſcriptum eſt, dixit idem Lutherus. Eccleſiaſtica bona plumis aquilæ ſimilia ſunt. Illa ſi plumis aliis adiungantur, eas deuorant & conſumunt. Ita Eccleſiaſtica bona per fas, & nefas bonis aliis adiuncta, perniciem iis afferunt, ita vt ad extremum nihil penitus maneat ſacrilego reſidui.* Laudo in Luthero tam vberem, & copioſam veritatis teſtificationem. ſed valde improbo ac damno ipſum præcipuũ ad eiuſmodi rapinas, latrocinia, & ſacrilegia hortatorem ac magiſtrum fuiſſe: tuncque demum querulas, & veridicas iſtas voces miſiſſe, cum ex Eccleſiaſticis ſacrilege ablatis bonis illis, longe minus ad ſe, ſuoſque Prædicantes re-
D dire, quam cupiebat & optabat, videat. Quẽadmodum ex eius verbis monſtraui libello *de Ioſuanis Sacerdotibus* numero LXVI. Et vero dum eius inſana vigebunt dogmata, vigebunt etiam ſacrilegia, magiſque attendent miſeri mortales ad id, quod per eum ſibi licere, didicerunt, quam ad ſubſequentes eius querimonias, ac palinodias. adeo vt in huius ipſius, quo hæc reſcribo, Anni 1603. Ratiſponenſibus Comitiis vna iſta raptorum monaſteriorum cauſa, boni quam plurimum impedierit, maximamque publicæ, ac ſacroſanctæ in imperio iuſtitiæ
E perturbationem, niſi, prout hactenus, CÆSARIS, eiuſque auctoritatem tuentium principum prudentia, & cura vigilet, induxerit. Scribebat Anno Domini 1541. Cõſtãtia de ſuæ ſectæ hominibus Zvvicius Caluino, vt in huius Epiſtolis legitur pag. 34. *Magna noſtrorum pars credit ſeſe tum demum vere regnum Antichriſti euaſiſſe, ſi cum bonis Eccleſiæ ludant pro libidine, nec vlli diſciplinæ ſubſint,* Veriſſimum.

QVÆSTIO XLIV.

F *Quomodo è Gentilium & Hæreticorum Poetarum, oratorum ac Philoſophorum libris Achanes interdum nonnulli fiant?*

APud Caſſianum Collat. 1. cap. 20. Abbas Moyſes: *Quidquid,* ait, *cordibus noſtris intro-*

Digitized by Google

pſerit, vel ſi quod nobis dogma fuerit intromiſſum. Vtrũnam ſit diuino illo & cœleſti Spiritus ſancti igne purgatum, an ad Iudaicam ſuperſtitionem pertinens, ſeu de ſecularis Philoſophiæ tumore deſcendens, in ſuperficie tantum preferat pietatem, diligentiſsime perſcrutemur. Quod ita poterimus implere, ſi illud Apoſtolicum fecerimus, Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint. Quo genere ſunt illi quoque decepti, qui poſt profeſſionem Monachi, nitore ſermonis, & quibuſdam ſunt Philoſophorum dogmatibus illecti, quę prima fronte piis quibuſdam ſenſibus, ac religioni conſonis audientes velut auri fulgore fallentia, quos ſemel ſuperficie illexerant, velut numiſmatibus æreis, falſiſque deceptos, B *perpetuo nudos ac miſeros reddiderunt, vel ad ſeculi eos ſtrepitum reuocantes, vel ad hæreticos errores ac pręſumptiones tumidas pertrahentes. Quod etiam Achan in lib. Ieſu Naue legimus fuiſſe perpeſſum, qui de caſtris Allophylorum regulam auream concupiſcens atque furatus, anathemate percuti, atque æterna meruit morte damnari.* Origenes hom. 7. *Videamus,* ait, *Achanis peccatum quale ſit: furatus eſt,* inquit, *linguam aureã, & poſuit eam in tabernaculo ſuo. Non puto in illo furto paruo auri tantam vim fuiſſe peccati, vt tam numeroſam Domini Eccleſiam macularet. Sed videamus, ne forte interioris intelligẽtiæ ſit tanta, & tam grauis acerbitas iſta peccati: Multus decor eſt in verbis, & multa* C *in Philoſophorum vel Rhetorum ſermonibus, qui omnes de ciuitate ſunt Hiericho, id eſt, huius mundi homines. Si ergo inuenias apud Philoſophos peruerſa dogmata luculenti ſermonis aſſertionibus decorata, iſta eſt lingua aurea. Sed vide ne te decipiat fulgor operis, ne te rapiat ſermonis aurei pulchritudo: memento, quia Ieſus anathema iuſsit, eſſe omne aurum, quod in Hiericho fuerit inuentum. Si Poetam legeris modulatis verſibus, & preſulgido carmine Deos, Deaſque texentem, ne delecteris eloquentię ſuauitate. Lingua aurea eſt: ſi eam ſuſtuleris, & poſueris in tabernaculo tuo: ſi introduxeris in cor tuum ea, quę ab illis aſſeruntur, pollues omnem Ec-* D *cleſiam Domini. Hoc fecit infelix Valentinus, & Baſilides, hoc fecit & Marcion hæretici, furati ſunt iſti linguas aureas de Hiericho, & Philoſophorum nobis non rectas in Eccleſias introducere conati ſunt ſectas, & polluere omnem Eccleſiam Domini. Sed nos precedens patrum ſequamur exemplum, diſquiramus diligentius, ne quis abſconditam in tabernaculo ſuo habeat Hierichuntinam linguam, & abiiciamus malum ex nobis ipſis, quia etiam ſi nos ceſſamus, arguet Deus, ita vt ipſe ſponte confiteatur & dicat: furatus ſum linguam auream, & dextralia pura. Vides cuiuſmodi furatus eſt furtum? linguam furatur & dextralia pura. Pura autem dex-* E *tralia ſunt opera in quibus diuinum nihil miſcetur, ſed totum ſecundum hominem geritur. Denique & noſtris in diſputationibus, moris eſt dicere, quia Chriſtum non purum hominem dicimus, ſed Deum & hominem confitemur. Illud autem, quod Hiericho furatur, parum eſſe dicitur, id eſt, ſine Deo, quæ vtique furanti extitit cauſa peccati. Et ideo nos nil purum & humanum de Chriſto ſentiamus, ſed Deum pariter atque hominem fateamur, quia & ſapientia Dei multiplex dicitur, vti per hæc mereamur participium ſumere ſapientiæ Dei, qui eſt Chri-* F *ſtus Ieſus Dominus noſter, cui eſt gloria & imperium in ſecula ſæculorum, Amen.*

QVÆSTIO XLV.

Quomodo Hæretici & Apoſtatæ Monachi, Achanes ſiãt?

ORthodoxi quidam in Epiſtola ad Agapetum Pontificem, de quo Baronius An. 536.

A *Scimus,* aiunt, *bene, ſi piiſsimum Imperatorem noſtrũ, & ipſius* CHRISTO *amabiles Principes informatis, quod communicant anathemati in medio habentes anathema, ſicut nobis oſtendit antiqua ſcriptura in Achan & Ionathan, qui ſcienter & ignoranter inciderunt in anathema, & hæc ignorando in periculo fuerant perire cum eis, quoniam in medio eorum ſunt anathema. Et ſi commemoratis ſuo Deo amato & dilecto imperio adducere Deo eos, qui ab ipſis à recta fide abducti ſunt, & ſi hoc non valeat facere, inſidiatores Eccleſiæ repellantur.* Et poſtea rurſum ad Iuſtin. Imperatorem: *Timendum eſſe piiſsime Imperator, ne propter multam dilatationem, illud Iſraelitici populi patiamur & nos in* B *medio habẽtes ab omni ſacerdotio anathematizatos, qui quoniam in medio habuit Achan & Ionathan in ſcientia & ignorantia ſeipſos anathemati ſubiicientes, in periculo fuit tot aliter perire, licet ignoraret, quod in medio haberet anathema. Non ergo Chriſtianiſsimi Impp. tale malum contemnite, ſed vtimini zelo ad cognitionem Dei.* Turrianus vero libro primo de votis monaſticis, *Iam,* ait, *notum omnibus eſt, quas pœnas ſumpſerit Deus de Iſraele propter vnum Acham, qui ex conſecratis Deo pallium coccineum, & ducentos ſiclos atq. auream tegulam clam auerterat. in ipſum vero reũ, qui Dei voluntate ductis ſortibus, deprehenſus eſt, hæc* C *pronunciata ſententia, quicunque in hoc facinore deprehenſus fuerit, comburetur igni cum omni ſubſtantia ſua, quoniam preuaricatus eſt pactum Domini, & fecit nefas in Iſrael. Et paulo poſt, reſpondit que Acham Ioſuæ, & dixit, vere ego peccaui Domino Deo Iſrael, & ſic feci, vidi enim pallium coccineum, & quæ ſequuntur. deinde ſubiungitur ſupplicium, & ſupplicij cauſa, quia (inquit) turbaſti nos hodie, exturbet te Deus in die hac, & lapidauit eum omnis Iſrael, & cuncta quæ illius erãt igne conſumpta ſunt: congregaueruntq. ſuper eum aceruũ magnum lapidum, qui permanet vſque in præſentem diem: vocatum eſt nomen loci illius, vallis Achor, id eſt, turbationis. Si vt ſæpe dixi, & dicam ſæpius, quæcun-* D *que ſcripta ſunt, propter nos ſcripta ſunt, in quos fines ſæculorum deuenerunt, quod ſupplicium quæſo, iſtis decretum eſt, qui ex conſecratis Deo non pallium coccineũ, aut ducentos ſiclos, aut auream tegulam, ſed ſeipſos, hoc eſt viuum Dei templum, & vaſa Domini Deo dedicata ſuſtulerunt, & auerterunt? qui pallium ordinis ſui abſconderunt in terra, vt Acham ille coccineum: & auream, atque diuinam religionis tegulam, foſſa humo, quantum in ipſis fuit, operuerunt, item vt Acham, imo peiores Achanæ? quoniam ille confeſſus eſt peccaſſe, iſti vero neque reſipiſcere volunt. quamobrem vt ille poſt confeſsionem ignem in hac vita expertus eſt, ſic iſti Apoſtatæ flammas ſempiternas experientur in altero ſæculo,* E *niſi reſipiſcere maluerint. Peiores præterea Acham. ſiquidem ille turbauit populares ſuos, triginta enim ſex viri, propter peccatum eius occubuerunt in bello, vt hiſtoria ipſa teſtatur, reliquis in fugam verſis: iſti vero, de quibus loquor, plurimos fratres, id eſt Chriſtianos turbãt ſcandalo, quorum alios occidunt, dum ſuo exemplo idem facere docent, ac perſuadent: alios ab ordine Monachorũ retrahunt, ne in eum ſe vnquam dicari patiantur, quibus expedit magis, vt mola Aſinaria de collo ſuſpenſa, mergantur in profundum maris, quam vnum ex puſillis ſcãdalizare. Quia vero illi, inter quos erat Acham reus,* F *mulctati ſunt triginta ſex hominum cæde, docet nos huiuſe xempli ſeueritas, peccare etiã eos, qui huiuſmodi monachos fugitiuos & Apoſtatas, ſine apertos, ſine tectos, quales ij ſunt, qui prætextu tranſlationis, aut exemptionis autonomiam quærunt, peccare (inquam) qui hos*

Digitized by Google

receptant, apud ſeque habent in numero ſuorum. ſi enim mihi non licet ad meum vſum alterius hominis ſeruum inuito Domino detinere, quemadmodum liceat eum, qui corporis ſui poteſtatem exuens, Deo in ordinem Monachorum adſcriptus eſt, idque voti obedientiæ ſponſione firmauit, contra eius auctoritatem atque voluntatem in miniſtris meis habere, qui iam meus eſſe non poteſt, ſed eius ordinis, cui voto addictus eſt. Verum de hoc paucis cura eſt, qualis ſit miniſter, Apoſtata, an ſcortator, an aliquid peius. rari, qui illam ſancti Prophetæ gloriationem & laudem B *quærant, vt cum illo vere dicant, ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabit. Notat hos vir S. Hieronymus in commentariis* Hieremiæ *Prophetæ, qui malorum, inquit, miniſteriis abutuntur, neque audent eos abiicere, quos norunt malæ conſcientiæ glutino copulatos, &c. At inter cæteros quidem nequam homines minime omnium, vt mihi videtur, filios deſertores in miniſtris habere, quia ſcilicet ſic ſe Deo & ordini vouerunt, vt amplius poteſtatem corporis ſui ſibi non reliquerint. quemadmodum ergo alteri tribuent quod ipſi non habent? quippe qui ſint facti prius anathema Domini. aut quemadmodum liceat iſtis Dominis, donum anathemate frui, in ſuoſque vſus vertere exemplo Achan?* C

QVÆSTIO XLVI.

Ne Achanis inſtar, peccando communitati noceamus, quam cauendum?

S. Chryſoſt. hom. 1. de Iſaiæ verbis, *Vidi Dominum*, oſtendens iuſtorum preces iis non prodeſſe, qui abſque pœnitentia in peccato perſeuerant, attulit Iſraelitici populi ex Num. 20. & Deut. 1. exemplum: pergit vero D deinde ſic. *Et quid commemoramus hoc accidiſſe toti populo peccati, vnum & paucorum inobedientium peccata, imo vnius, iuſte imperantium gratiam ſuperent? Atque hoc rurſus ex eodem populo Iſraelitico perſpicias licebit, qui Moyſe Rempublicam adminiſtrante, cum in terram alienigenarum irrupiſſent, pugnamque cum illis commiſiſſent, quomodo quidam illorum inſanientes in illorum mulieres, totius populi cladem exitiumque inuexerunt. Hoc autem, quod dicam in vno accidit, videlicet Achar, qui cum variam ex anathemate ſtolam ſuſtuliſſet, etiam aduerſus populum iram Dei ſuccendit. Verum & conicio, nonnullis præſentium ignota eſt hiſto-* E *ria. Quamobrem neceſſe eſt, vt paucis de hac loquutus, & ſcientes commonefaciã, & neſcientes doceam. Achar itaque fuit vnus ex eorum numero, qui cum Ieſu Naue tranſiere Iordanem, qui Ieſus fuerat ante Dei iudicio delectus, vt Moſi ſuccederet, quique typum ac figuram gerebat veri ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Quẽadmodum enim ille è deſerto per Iordanem in terram repromiſſam perduxit populum, ſic & Seruator noſter, ex ignorantiæ & idololatriæ deſerto per ſanctum, ac ſalutiferum baptiſmum in cœleſtem Hieroſolymam nos traduxit, ad matrem primogenitorum, in qua veræ quietis paratæ ſunt manſiones, vbi vita ſeditionis neſcia, pacificaque.* F *Hic itaque quum eius virtute, qui ipſum populo præfecerat Iſraelitas tranſmiſiſſet, iamque admouiſſet exercitũ Hiericho, nouam illam & admirandam obſidionem moliens, mox ruituris mœnibus, quid loquitur apud populum? Erit anathema hæc ciuitas, & quidquid eſt in ea Domino Sabaoth, excepta Rhaab meretrice,* hanc *ſer-*

A *uabitis. Cauete igitur ab anathemate ne quando concupiſcentes ſumatis ex eo, ac perdatis nos: Conſecrata ſunt, inquit, omnia quæ ſunt in ciuitate:* Nam *id ſonat anathema.* Ne *quis igitur furetur ex his quæ ſunt conſecrata Domino Deo, noſque diſperdat è terra. Periculoſum erat præceptum, multa diligentia tum Dei præcipientis, tum legem ferentis Ieſu. Vix enim fieri potuit, vt in tanta multitudine non violaretur hæc lex, quum multæ res eſſent, quæ huc impellerent.* Nam *vel inſtabilitas eius populi lucrique cupiditas, vel quia non omnes audiſſent edici præceptum, vel ſpoliorum varietas velut eſca obie-* B *cta habendique auidos illectans, facile ad legis tranſgreſſionem perpuliſſet. Et tamen ea lex erat lata: ac trãſgreſſoris capiti periculum imminebat. Quid igitur poſt hæc? Conciderunt mœnia, & quidquid erat in ciuitate, venit in manus obſidentium. Itaque cum vniuerſus populus ſeruaret hoc præceptum, vnius præuaricatio in vniuerſam multitudinem concitauit iram Dei. Peccauerunt, inquit, filij Iſrael peccatum magnum, & furati ſunt & ſumpſerunt ex anathemate, & ſumpſit Achar filius Charmi ex anathemate, & indignata eſt ira Domini filiis Iſrael. Atqui vnus erat qui peccauerat. Quomodo igitur peccauerunt filij Iſrael, ac Deus iratus eſt filiis Iſrael? Vides quomodo vnius peccatum toti po-* C *pulo vindictam accerſit? Quomodo Deum aduerſus multitudinem hoſtem reddidit? Quoniam igitur fuerat perpetrata legis tranſgreſſio, neque quiſquam erat conſcius, præter ſolum Deum, qui nouit occulta, vltio quidem differebatur: cæterum, qui hoc perpetrarat, tametſi ipſi videbatur latere, tamen à conſcientia velut ab igne vrebatur. Venit igitur tempus, quo fieret, quod comminatus fuerat Deus quoque peccatum veniret in propatulum. Miſit, inquit Ieſus, viros ab* Hiericho *in Gæ. Et aſcenderunt illuc viri fere ter mille, fugeruntque à facie virorum Gæ, & occiderunt ex illis viros triginta ſex, & perſequuti ſunt eos, & conciderunt illos, & expauit cor* D *populi, factumque eſt velut aqua. Vide vnius peccati pœnam. vide plagam acerbiſſimam, vnus peccarat, & in populum vniuerſum mors ac trepidatio irruit. Quid hoc O bone Domine? Tu ſolus iuſtus, & recta iudicia tua. Tu cuique iuxta propria facta reddis iudicium. Tu humani generis amator dixeras, in ſuo quenque peccato moriturum, nec alium pro alio daturum pœnas. Quod igitur hoc eſt iuſtum iudicium tuum? Bona ſunt tua omnia Domine, & valde bona, & ad noſtram vtilitatem diſpenſata. Lues quædam inquit, eſt peccatum, per vltionem euulgetur, ac traducatur apud omnes, ne corrumpat omnes, vt vbi cognorint quantas minas vna peperc-* E *rit tranſgreſſio, fugiant vltionem, de multis alioquin ſumendam æternam vindictam. Videns igitur, inquit, Ieſus fugam ſiſti non poſſe, diſcidit veſtimenta ſua ac proſtratus eſt in terram, ea lugubriter lamenta proferens, quæ narrat diuina Scriptura. Quid igitur illi reſpondit Dominus? Surge, cur ita proſtratus, iaces? Peccauit populus tuus, tranſgreſſus eſt pactum meum, nec poterunt ſtare Iſrael contra faciem hoſtium ſuorum, donec ſuſtuleritis anathema ex vobis ipſis. Proditur igitur hoc in populo, & à Deo proditur, qui hoc perpetrarat, ille fatetur. Reſpondit enim, inquit, Achar Ieſu dicens: Vere peccaui in conſpectu Dei Iſrael, ſic & ſic fe-* F *ci. Videbam in præda pallium variegatum vnum pulchrum, ducentaque argenti didrachma, & linguam vnam auream quadraginta didrachmorum, & concupiſcens cepi, & ecce hæc defoſſa ſunt humo in tabernaculo meo. Omnia in apertum profert, poſteaquam perſpexit, illum omnia ſine mendacio indicaſſe, nec diffiſus eſt teſti ſeipſum prodenti. Vide autem probroſam*

ac perniicioſam illam mortem : Subduxit , inquit , Ieſus Achar in conuallem , filios & filias eius & vitulos eius , & iumenta eius, & omnes oues eius , & tentorium eius, & omnia quæcunque poſſidebat, & lapidibus obruit ea omnia populus. Hoc tranſgreſsionis præmium talis Dei vindicta, quæ per corruptelam euitari non poteſt. Hæc itaque ſcientes , cogitemus moleſtias à noſtris peccatis inuehi , ſingulisque diebus noſtra examinantes crimina, non aliis , ſed nobis ipſis cauſam adſcribamus : Nec enim principum modo negligentia , ſed multo magis noſtra delicta mala accerſe- B *runt.* Hunc vero & alios ſupra citatos imitatus R. P. Claudius Aquiuiua Societatis IESV præpoſitus Generalis , ad perfectionis , charitatiſque ſtudium quadam epiſtola eodem iſto Achanis exemplo cohortatur ſic : *Si religioſiſsimam vitæ rationem à nobis Deus exigit, vt proximis adiuuandis ſocietatis induſtria ſit ſalutaris, quanto ſeuerius repoſcet , vt ipſa ſocietas non modo nihil per nos de ſtatu declinet , ſed vt vigilantia potius , & contentione de noſtra ad ampliora ſe tendat atque erigat? Quam ſane ad rem, ne leue nobis calcar acceſſerit , ſi cogitemus ex nobis vniuerſis corpus vnum coagmentari, eamque eſſe membrorum inter ſe conſenſionem , vt vni-* C *cuique pertimeſcendum ſit , ſuo ſi vitio in reliquum omne corpus aliquid redundet periculi. Mirum atque horribile plane eſt, dignumque ob quod ambæ audientium aures (vt ſcripturæ loquuntur) merito tinniant, meminiſſe apud Iſraelem* Duce *Ioſue illuſtrem , Deo autem Principe ac moderatore glorіantem , & tunc eius iuſſu eductum in aciem , propter vnius Acham furtum de anathemate* Hiericho *quantum totis pœne caſtris turbatum ſit, fuſis ab hoſte termillibus fortiſsimorũ Iſrael , & Deo ſeuere denunciante, Non poterit Iſrael ſtare ante hoſtes ſuos, eoſque fugiet quia pollutus eſt anathemate , & quod longe magis horrificum eſt. Non* D *ero, inquit , vlt[ra] vobiſcum , donec conteratis eum , qui huius ſceleris reus eſt: Et quamuis vnius eſſet ſacrilegiũ, vniuerſos tamen (vt annotat Auguſtinus) afflixit , ac perculit: Vnde non, inquit, ſe ſolum quiſque curet in populo, ſed inuicem ſibi adhibeant diligentiam, & tanquã vnius corporis , & vnius hominis alia pro aliis ſint membra ſolicita. Quo ſane pacto ſempiternus iudex indicauit, quanta ſit ſingulorum in aliquo cœtu ac ſodalitate communitas , cum eorum nullus ſeorſim cenſeatur ſolus , ſed ſinguli ſint quarundam partium inſtar in toto. Vides, inquit Chryſoſtomus , quomodo vnius peccatum toti populo vindictam accerſit ? Quomodo Deum aduerſus multitudinem hoſtem reddidit ? Sed* E *bona ſunt tua iudicia Domine , & ad noſtram vtilitatem diſpenſata, Lues quædam eſt peccatum: per vltionem euulgatur ac traducitur apud omnes, ne corrumpat omnes, vt vbi cognouerint quantas minas , vna pepererit tranſgreſsio, fugiant vltionem , de multis alioqui ſumendam æternam vindictam. Eam ob rem , viri ſanctiſsimi, qui & veræ humilitatis ſpiritu prædıti, ſe nunquam humanis exutos vitiis agnouere & charitate incenſi proximorum zelo feruebant , ſua peccata (quod de Catharina Senenſi, aliiſque proditum eſt) malorum omnium , quibus Eccleſia vexabatur cauſam dediſſe* F *putabant. Iam vero nobis , quos non modo communis illa vnius Eccleſiæ neceſsitudo connectit , ſed adhuc proprius quidam eiuſdem inſtituti ac vocationis nexus aſtringit , quanto magis metuendum eſt, ne quod priuatim à ſingulis delinquitur graui totius corporis malo luatur ac vulnere ? Neque luatur modo , ſed periculoſa etiam imitatione exempli ſerpat longius : ea namque*

A *res procliuius ad perniciem , cum ſemel cœpit , labitur. Hac porro de cauſa paulo ante dixeram , in vnoquoque noſtrum magnam poſitam eſſe vim ac facultatem , vt eo ſit loco ſocietas , qui noſtrum omnium reſpondeat optatis , cum non modo poſsimus à Deo caſtiſsimis precibus id impetrare , quemadmodum & veram exteris gentibus religionem , & Eccleſiæ ſplendorem priſtinum, ſed etiam nobis , qui vinculo conſociamur arctiori, diuinam demerebimur benignitatem quo plenis miſericordiæ oculis aliquando reſpiciat , ac ſubleuet ſocietatem vniuerſam. hinc & illud exiſtat , ſi*
B *vnumquodque huius corporis membrum meliore cultu ſeipſum perpoliat , atque exornet , conſequens eſſe, vt ex ſingularum partium ornamentis totius etiam nitor & pulchritudo ſplendeſcat.* Recte vero capite 35. Epictetus: ἐὰν ὁ ἑταῖρος ᾖ μεμολυσμένος, καὶ τὸν συναναστρεφόμενον αὐτῷ μολύνεσθαι ἀνάγκη.

QVÆSTIO XLVII.

Quomodo magiſtri , Paſtores , Epiſcopi , cauſa interdum ſint , vt qui peccatis ſuis communitati nocent , Achanes nonnulli exiſtant ?

C ILlud , ait, homil. 7. citata Origenes, *non otioſe tranſcurrendum eſt, quod vno peccante ira ſuper omnem populum venit. Hoc modo accidit, quando ſacerdotes, qui populo præſunt, erga delinquentes benigni volunt videri, & verentes peccantium linguas , ne forte male de iis loquantur ſacerdotalis ſinceritatis immemores , nolunt implere , quod ſcriptum eſt : Peccantem coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant, & iterum: Auferte malum ex vobis ipſis. Nec zelo* Dei *ſuccenſi imitantur Apoſtolum dicentem : Tradidi huiuſmodi hominem Sathanæ in interitum carnis , vt ſpiritus ſaluus fiat. Neque illud Euangelium implere ſtudent , vt ſi viderint peccantem, primo ſecrete cō-*
D *ueniant , poſt etiam duobus vel tribus arbitris. Quod ſi contempſerit , & poſt hæc Eccleſiæ correptione non fuerit emendatus, de Eccleſia pulſum velut Gentilem habeant ac publicanum. Et dum vni parcunt vniuerſæ Eccleſiæ moliuntur interitum. Quæ iſta bonitas? quæ iſta miſericordia eſt , vni parcere & omnes in diſcrimen adducere ? Polluitur enim ex vno peccatore populus, ſicut ex vna oue morbida grex vniuerſus inficitur, ſic etiam vno vel fornicante , vel aliud quodcunque ſceleris committente , vniuerſa polluitur. Et ideo obſeruemus nos inuicem , & vniuſcuiuſque conuerſatio nota ſit maxime ſacerdotibus & miniſtris. Nec*
E *putent ſe recte dicere , quid hoc ad me ſpectat , ſi alius male agit ? Hoc eſt dicere caput ad pedes , quid ad me pertinet ſi dolent? Si male habent pedes mei, non mea intereſt, dummodo caput in ſanitate perduret. Aut ſi dicat oculus manui, non indigeo opera tua, quid ad me pertinet ſi doles? ſi vulnerata es? Nunquid ego oculus conturbabor ex ægritudine manus? Tale ergo eſt , quod agunt ij, qui Eccleſiis præſunt, non cogitantes , quia vnũ corpus ſumus omnes qui credimus, vnum* Deum *habentes , qui nos in vnitate conſtringit & continet Chriſtus, cuius corporis tu, qui Eccleſiæ præſides , oculus es, propterea vtique vt omnia circumſpicias, omnia circum-*
F *luſtres, etiam ventura prœuideas. Paſtor es, vides oniculas Domini ignaras periculi ferri per præcipitia, & per prærupta tendere, non occurris? non reuocas? non ſaltem voce cohibes, & correptionis clamore deterres? Sic memor es Dominici ſacramenti, vt quum ille derelictis nonaginta nouem in cæleſtibus , propter vnam oniculam perditam , quæ errauerat , ad terras deſcenderit , & in-*

uentam vectauerit humeris ſuis ad cœlum, nos in nullo prorſus in curandis oniculis magiſtri Paſtoris ſequamur exemplum? Hæc non ideo dicimus, vt pro leui culpa aliquis abſcindatur: ſed ſi forte commonitus quis & correptus pro delicto ſemel & iterum, ac tertio, nihil emendationis oſtenderit, vtamur medici diſciplina. Si oleo perunximus, ſi emplaſtris mitigauimus, ſi malagmate molliuimus, nec tamen cedit medicamentis tumoris duritia, ſolum ſupereſt remedium deſecandi. Sic enim Dominus dicit: Si dextra manus ſcandalizauerit te, abſcinde eam, & proijce abs te. Nunquid nam manus corporis noſtri aliquando ſcandalizat nos? an de hac manu corporis Euangelium dicit: Abſcinde eam & proijce abs te? Hoc eſt, quod dicit, vt ego, qui videor tibi manus eſſe dextera, & Preſbyter nominor, & verbum Dei videor prædicare, ſi aliquid contra Eccleſiaſticam diſciplinam, & Euangelij regulam geſſero, ita vt ſcandalum tibi Eccleſiæ faciam, in vno conſenſu Eccleſia vniuerſa conſpirans excidat me dexteram ſuam, & projiciat à ſe. Expedit enim tibi Eccleſiæ abſque me manu tua, quæ male agendo ſcandalum feci, introire in regnum cœlorum, quam mecum ire in gehennam. Hæc idcirco diximus, quia vidimus in ſcripturis ſanctis referri, quod propter vnum peccantem anathema facti ſunt filij Iſrael, ita vt vincerentur ab hoſtibus. Arnobius lib. 4. *Quiſquis patitur peccare peccantem, is vires ſubminiſtrat audaciæ.*

QVÆSTIO XLVIII.

Quæ, ac vnde dicta vallis Achor?

AD Hierichuntem prope Galgalæa caſtra in Septentrionali latere fuit vallis hæc. Et quemadmodum de Galgalis in circumciſione dictum capite quinto, quæſtione decima, per prolepſin verſu 24. nomine *Achor* vocatur, cum id nominis acceperit poſtea, vti notant verba iſta capitis vltima: *Vocatumque eſt nomen loci illius, vallis Achor, vſque hodie.* Sed vocationis eius cauſa, quamuis in Latino ſatis intelligitur, immo per particulam, *quæ*, ſignificatur, in Hebræo tamen additur, *idcirco*. Et in Græco διὰ τοῦτο: vbi quærendum ſuper-eſt, *quidnam ſit hoc, propter quod vocata, vallis Achor?* Abulenſis hoc ipſo capite ſemel, ac iterum, & eum ſecutus Ribera in Oſeæ ſecundo, Numer. 88. non ab ipſo *Achan*, ſed ab Hebræis Ioſuæ verbis v. 25. *Quia turbaſti nos, exturbet te Dominus*, vocatum putant. Theodoretus vero, Theophylactus, Gloſſa, & Paulus Burgenſis à nomine proprio. Ego & à nomine *Achanis* proprio, & ab hiſce verbis. Ab hiſce quidem verbis, quia, quod ea volebant, hic factum eſt: exturbatur, & è viuorũ numero euulſus eſt Achan: ab eius nomine autem, quia illud reſpiciendo, & ad illius originationem collineando verba illa protulit Ioſue. Septuaginta porro verterũt v. 24. φάραγγα ἀχὼρ: poſt vero bis, Hebræa duo nomina retinuerunt, ea copulando, & Hebraicæ litteræ gutturalis duritiẽ molliendo, ἐμεκαχὼρ, & ad verbum verti poteſt, *vallis Achor*, aut *vallis turbandi, euellendi, exterminandi.* Nam ſi quis proprium eſſe nolit *Achor*, erit infinitiuus, *turbare*, ac *euellere*, & *exterminare*. D. Hier. in Paulæ Matris Epitaphio: *Vallis*, ait, *Achor, id-eſt, tumultus atque turbarum, in qua furtum & auaritia condemnata eſt.* Mihi autem videtur, vallis hæc eſſe totus iſte mundus: vel certe cruciatuum & tormentorum locus. In illo enim, quid niſi turbæ, tumultus, exitia, exterminationes? In hoc vero quid, niſi flammæ, lapides, extremaq; ſupplicia? In vallem hanc venit, in eaque funditus exterminatur omnis, de quo Galat. 5. v. 14. Apoſtolus: *Qui conturbat vos portabit iudicium ſuum, quicunque eſt ille.* & paulo poſt: *Vtinam & abſcindantur, qui vos conturbant*: omnis item cuicunq; à vero & magno Ioſue dicitur, *Quia turbaſti nos, exturbet te Dominus:* Turbaſti Eccleſiam meam dogmatum prauitate, morum impuritate, vitæ ſcandalo, turbaſti nos antea concordes, in via mandatorum Domini ambulantes: ab Hierichuntinis abhorrentes exuuiis: turbaſti puſillum gregem meum, peculium meum, ſocietatem meam. Exturbet te Dominus. Eſt autem id maximè futurum, cum venerit ille in maieſtate ſua, & omnes Angeli ſtabunt cum eo, ſedenſq; ſuper ſede maieſtatis ſuæ, dicet Achanibus omnibus: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius.* Abſit Domine Ieſu, in vallem hanc ne venire me iubeas: ne permittas, vt quemquam facto aut verbo vllo turbem. Et ſatis ſcio, niſi mea præierit turbatio, tua nulla ſubſequetur exturbatio. Oſeæ 2. v. 15. ſumitur eadem Allegoria pro huius mundi calamitoſo ac ærumnoſo loco. ſed ad cœptum Haienſe bellum iam pergendum.

CAPVT VIII.

BELLVM II. HAIENSE.

1\. DIxit autem Dominus ad Ioſue: Ne timeas, neque formides: tolle tecum omnem multitudinem pugnatorum, & conſurgens aſcende in oppidum Hai. ecce tradidi in manu tua regem eius, & populum, vrbemque & terram. 2. Facieſque vrbi Hai, & regi eius, ſicut feciſti Iericho, & regi illius: prædam vero, & omnia animantia diripietis vobis: pone inſidias vrbi poſt eam. 3. Surrexitq; Ioſue, & omnis exercitus bellatorum cum eo, vt aſcenderẽt in Hai: & electa triginta millia virorũ fortium miſit nocte, 4. præcepitq; eis dicens: Ponite inſidias poſt ciuitatem: nec longius recedatis: & eritis omnes parati. 5. ego autem & reliqua multitudo, quæ mecum eſt, accedemus ex aduerſo contra vrbem. Cumq; exierint cõtra nos, ſicut antè fecimus, fugiemus, & terga vertemus. 6. donec perſequẽtes ab vrbe longius protrahantur: putabunt enim nos fugere ſicut prius. 7. Nobis ergo fugientib. & illis perſequentib. conſurgetis de inſidiis, & vaſtabitis ciuitatem: tradétq. eam Dominus Deus veſter in manus veſtras. 8. Cumque ceperitis, ſuccendite eam, & ſic omnia facietis, vt iuſſi. 9. Dimiſitque eos, & perrexerunt ad locum inſidiarum, ſederuntque

Digitized by Google

inter Bethel,& Hai,ad Occidentalem plagam vrbis Hai: Ioſue autem nocte illa in me-
dio manſit populi. 10. ſurgenſque diluculo recenſuit ſocios, & aſcendit cum ſenieri-
bus in fronte exercitus, vallatus auxilio pugnatorum. 11. Cumque veniſſent & aſcen-
diſſent ex aduerſo ciuitatis, ſteterunt ad Septentrionalem vrbis plagam, inter quam &
eos erat vallis media. 12. Quinque autem millia viros elegerat, & poſuerat in inſidiis
inter Bethel & Hai ex occidentali parte eiuſdem ciuitatis: 13. omnis vero reliquus
exercitus ad aquilonem aciem dirigebat, ita vt nouiſſimi illius multitudinis Occiden-
talem plagam vrbis attingerent. Abiit ergo Ioſue nocte illa, & ſtetit in vallis medio.
14. Quod cùm vidiſſet rex Hai,feſtinauit mane, & egreſſus eſt cum omni exercitu ci-
uitatis,direxitq; aciem contra deſertum, ignorans quòd poſt tergum laterent inſidiæ.
15. Ioſue verò, & omnis Iſraël ceſſerunt loco ſimulantes metum, & fugientes per ſoli-
tudinis viam. 16. At illi vociferantes pariter, & ſe mutuo cohortantes, perſecuti ſunt
eos. Cúmque receſſiſſent à ciuitate, 17. & ne vnus quidem in vrbe Hai & Bethel re-
manſiſſet, qui non perſequeretur Iſraël (ſicut eruperant aperta oppida relinquentes,)
18. dixit Dominus ad Ioſue: Leua clypeum, qui in manu tua eſt, contra vrbem Hai,
quoniam tibi tradam eam. 19. Cumque eleuaſſet clypeum ex aduerſo ciuitatis, inſi-
diæ,quæ latebant, ſurrexerunt confeſtim & pergentes ad ciuitatem, ceperunt, & ſuc-
cenderunt eam. 20. Viri autem ciuitatis,qui perſequebantur Ioſue, reſpicientes & vi-
dentes fumum vrbis ad cœlum vſque conſcendere, non potuerunt vltra huc illúcque
diffugere: præſertim cùm hi, qui ſimulauerant fugam, & tendebant ad ſolitudinem
contra perſequentes fortiſſime reſtitiſſent. 21. Vidénſque Ioſue & omnis Iſraël quod
capta eſſet ciuitas, & fumus vrbis aſcenderet, reuerſus percuſſit viros Hai. 22. Siqui-
dem & illi,qui ceperant & ſuccenderant ciuitatem,egreſſi ex vrbe contra ſuos, medios
hoſtium ferire cœperunt.Cum ergo ex vtraque parte aduerſarij cæderentur, ita vt nul-
lus de tanta multitudine ſaluaretur, 23. regem quoque vrbis Hai apprehenderunt vi-
uentem,& obtulerunt Ioſue. 24. Igitur omnibus interfectis, qui Iſraëlem ad deſerta
tendentem fuerant perſecuti,& in eodem loco gladio corruentibus, reuerſi filij Iſraël
percuſſerunt ciuitatem. 25. Erant autem, qui in eodem die conciderant à viro vſque
ad mulierem,duodecim millia hominum, omnes vrbes Hai. 26. Ioſue verò non con-
traxit manum,quam in ſublime porrexerat, tenens clypeum donec interficerētur om-
nes habitatores Hai. 27. Iumenta autem & prædam ciuitatis diuiſerunt ſibi filij Iſraël,
ſicut præceperat Dominus Ioſue. 28. Qui ſuccendit vrbem, & fecit eam tumulum
ſempiternum: 29. regem quoque eius ſuſpendit in patibulo vſque ad veſperam &
ſolis occaſum.Præcepítque Ioſuæ,& depoſuerunt cadauer eius de cruce: proiecerúnt-
que in ipſo introitu ciuitatis, congeſto ſuper eum magno aceruo lapidum, qui perma-
net vſque in præſentem diem. 30. Tunc ædificauit Ioſue altare Domino Deo Iſraël
in monte Hebal: 31. ſicut præceperat Moyſes famulus Domini filiis Iſraël,& ſcriptum
eſt in volumine legis Moyſi: Altare verò de lapidibus impolitis, quos ferrum non te-
tigit: & obtulit ſuper eo holocauſta Domino,immolauitque pacificas victimas. 32. Et
ſcripſit ſuper lapides Deuteronomium legis Moyſi, quod ille digeſſerat coram filiis Iſ-
raël. 33. Omnis autem populus,& maiores natu, ducéſque ac iudices ſtabant ex vtra-
que parte arcæ,in conſpectu ſacerdotum,qui portabant arcam fœderis Domini, vt ad-
uena ita & indigena.Media pars eorum iuxta montem Garizim, & media iuxta mon-
tem Hebal,ſicut præceperat Moyſes famulus Domini. Et primum quidem benedixit
populo Iſraël. 34. Poſt hæc legit omnia verba benedictionis & maledictionis, & cun-
cta quæ ſcripta erant in legis volumine. 35. Nihil ex his, quæ Moyſes iuſſerat, reliquit
intactum,ſed vniuerſa replicauit coram omni multitudine Iſraël, mulieribus ac paruu-
lis & aduenis,qui inter eos morabantur.

COMMENTARIVS.

QVid Hai, *& vbi ſita eſſet vrbs, quoue modo contra eam cœptum bellum fuerit, dictum ſuperiori cap. à quæſt. 11. Nunc vero eius perfectio, initiis illis multo felicior, proponitur: quia expiato peccato propitius erat iam Dominus. Sunt autem duæ capitis huius partes. In priore vrbis occupatio & exuſtio narratur: in poſteriore quomodo pia quædam à Moyſe olim præſcripta cæremonia effectui nunc mandata ſit. Ac primo quidem è metu ex priore clade ſuſcepto recreat Ioſuam, & in eo populum vniuerſum Dominus, verſ. 1. & de tota belli ratione ipſum edocet tripliciter.* I. Quoad reſtauratum belli hoc initium. *Educenda fuit omnis pugnatorum multitudo. Partim quidem, vt ipſa ſua multitudine timorem omnem excuterent, partim vt intelligerent Deum velle quidem ipſis adeſſe opemque ferre, non tamen abſque ipſorum opera & manu, ideoque non, vt in Hierichunte factum, cer-*

Digitized by Google

rutura mœnia, ſed ab ipſis ea capienda. Neque enim miracula ſemper facienda: neque vnus agendi modus vtique adhibendus. ſed huius ipſius tot bellatorum multitudinis Duplex poſtea ſignificatur diuiſio. Vna eorum, qui à Ioſue delecti eſſent è tota multitudine. & horum fuiſſe 30. milia volunt aliqui, vt habet diſerte verſus tertius: alij 35. milia, quia hiſce 30. milibus adijciunt alia quinque. de quibus verſ. 12. faciuntque duplices Rabbini inſidias, in quarum prioribus fuerunt 30000. in alteris 5000. Veriſimilius tamen eſt, quinque milia hæc è 30. illis milibus decerpta, electaque fuiſſe: & ea ſola in inſidiis, quæ vnæ tantum, fuiſſe. Altera pugnatorum pars fuit, cætera omnis eorum multitudo: præter exiguam illam particulam, quæ ad caſtra, fœminas, pueros, ſeniores, cæteraque impedimenta tuenda erat relicta. Huius enim non fit mentio, quia vel ex vſitato caſtrorum tuendorum more, ſatis intelligitur, vt cap. 6. quæſt. 3. vel quia exiguum quiddam eſt. Vide alibi quæſt. 20. II. Quo ad belli finem, *verſ. 2. Exurenda erat* Hai, *& omnes, qui in ea inuenirentur, occidendi, etiam Rex ipſe: hoc tamen iam diſcrimine, quod anathema in eum nullum ferebatur. ideoque quantumlibet ex ea prædam capere licebat. Sed nota, cum cœpiſſet Dominus periodum per* facies, *mutat poſtea numerum & ait,* diripietis vobis. *quia peſſime ac inconſultiſſime faciunt Duces, qui prædam ad ſe totam vel pæne totam auertunt: militibus vero, quorum periculo, & ſanguine victoria ſtat, nihil aut perparum relinquunt. Quot hinc militum erga Duces & Capitaneos odia, tumultus, ſeditiones?* III. Quoad mediam belli *eiuſdem rationem, Iubet Dominus contra Haienſem vrbem aſcendere, & ab eius tergo ſtrui inſidias. Quia vero Dominus, ad* Hiericuntem, *in Galalæis caſtris, loquebatur, eaque ad Orientem erant, fit vt intelligatur, inſidias ad occidentalem* Haienſis *vrbis plagam locari debuiſſe, verſ. 2. cap. 9. facta vero diligenter à Ioſue omnia, vti deſcribitur verſ. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. vbi repetenda quæ iam alibi notata de Ioſue vigilantia, & exemplo, quo præit omnibus, bono. Nam* ſurgit mane *v. 10.* aſcendit in fronte exercitus. *id-eſt, ante omnes. ibidem, ſeu vt 70.* κατ' πρόσωπον. *Sed & exemplo bono præierunt cum eo alijs omnibus ſeniores, ibidem id-eſt, alij* populi Principes, *vt ait Maſius, vel ætate prouectiores. vt Abulenſis. vide ſupra, quæſt 4. de bellis. & rurſum de ſenioribus. ſæpe. Tum vero prælium verſ. 14. incepit victoria ſuperiore audax* Haienſis *Rex, cum* ad conſtitutum *aut* locum, *vt R. Iſaias, & Maſius: aut* tempus *ac* horam, *vt Ralbag. & Raſchi, vel* ſignum, *vt idem R. Iſaias verſus deſertum, quod* Bethauen *dictum, vt ſuperiore cap. quæſt. 11. proceſſiſſet. Ioſue cum ſuis fugam ſimulare inijt. Deſertis vero ſtationibus, & vrbe tota, exierunt ad eos inſequendum, qui erant in* Hai & Bethel *verſ. 17. Exiſtimant vero quidam Bethelæos, Iſraelitarum metu, opido ſuo deſerto in munitiorem* Hai *ſeſe, ſuis cum facultatibus, recepiſſe: ſicque iam cum* Haienſibus *egreſſos. Nihil tamen impedit, quo minus dicatur, fuiſſe in opido ſuo Bethelæos, & cum vel è ſpeculis editioribus vidiſſent, vel è miſſis ſpeculatoribus, & expeditis curſoribus, cognouiſſent Iſraelitas fugere, ilico etiam ad fugientes penitus delendum accurriſſe, vt Iudic. 7. verſ. 24. Iudith. 15. verſ. 6. Hæc dum fiunt dixit Dominus ad Ioſue verſ. 18.* Leua clypeum, qui in manu tua eſt, contra vrbem Hai. *& leuatum tenuit, quoad plena fuit victoria verſ. 26. Excitato enim ab inſidijs incendio non vrbis totius, ſed alicuius loci, fumus apparuit fugientibus. quo admoniti à fuga deſtiterunt, ſuoſque inſequutores in fugam agere inſequi, ac internecione omni delere cœperunt. Tum præda ex vrbe tota ingens collecta, v. 27. & demum flammæ iniectæ, quibus redacta illa in cineres & tumulum, vſque ad longum poſtea tempus. Quia tamen anathemate, vt dixi, percuſſa non erat, fuit à Beniaminis poſtea, vel in eodem loco, vel certe in vicino reſtaurata, Eſdræ 2. c. 11. 31.*

QVÆSTIO I.

Sintne propriè in bello inſidiæ?

ABulenſis q. 6. ad 2. argumentum, *ſi proprie, ait, dicere velimus, non eſt aduerſus hoſtes inſidiarum poſitio. Nam ad illos inſidiæ ſunt, qui ab inſidiis cauere non debent.* Sed ſane nimis anguſta & noua eſt hæc Inſidiarum notio contra Grammaticos, Rhetores, ac Philoſophos omnes. imo contra ipſummet Abulenſem. Si enim, vt ait, *debent hoſtes ſemper formidare inſidias*, proprie dictas ſcilicet, de quibus agit, ergo poſſunt eæ aduerſus ipſos eſſe. aut ſi eius ratio firma, nullæ vſquam in rerum natura erunt inſidiæ. Quis enim eas cauere non debet? Quis à Deo prudentiam, vt quæcunque ipſi nocerent declinaret, non accipit? nam *& ratione vti*, ait Cicero 1. de officiis, *atque oratione prudenter, & agere quod agas, conſiderate, omnique re, quid ſit veri videre, & tueri decet: contraque falli, errare, labi, decipi tam dedecet, quam delirare, & mente captum eſſe.*

QVÆSTIO II.

Liceatne in bello inſidijs vti.

QVod, ait Caluinus, *hic quærunt nonnulli, dolóne & per inſidias liceat hoſtes opprimere, ex craſſa imperitia naſcitur.* At duas iſta in re quæſtiones,
A decimam & vndecimam, conſumit hoc loco S.
Auguſtin. Caluino igitur indice, tantus ille vir
craſſe imperitus? Craſſum nimis hoc Caluini
conuicium, craſſa nimis impudentia, ſed ratio-
nes ipſe duas addit. Prior: *Certum enim eſt, non fe-
riendo ſolum geri bella, ſed eos cenſeri optimos duces,
qui arte & conſilio pollent magis quam impetu.* Poſte-
rior: *Deinde vt quiſque longo vſu factus eſt veterator
ita optimum eſſe militem.* Quam certa iſta ſint, vi-
debimus poſtea, ſed eſto, ſint certiſſima, non
propterea id non quærendum? Multa quibuſ-
B dam certa ſunt, quæ aliis non ſunt: multa quæ-
runtur, quæ certa omnibus. Sed ideo quærun-
tur, vt explicentur magis: eorum ratio inueſti-
getur: certiora euadant. Quid clarius quam
Deum eſſe? id tamen probat Caluinus l. 1. in-
ſtit. c. 3. & 4. Quid Chriſtianis certius, quam
Scripturam ſacram fide ac auctoritate ſumma
eſſe. Hoc tamen probat idem, licet falſa inter-
miſceat, non pauca, eodem li. c. 7. Non afferam
alios, qui aut hic aut alibi quæſtionem hanc no-
C ſtram diſceptent, Theologos, Iureconſultos,
Catholicos, Hæreticos, qui ſunt ſane plures, ſed
de illa cur addubitare poſſit quiſpiam, afferam
nonnulla. *Primò.* Omnis fraus & dolus à viro
bono, cuiuſmodi eſſe omnes debemus, abſit
oportet. Nam fidelitati, veritati, & ſimplicita-
ti, virtutibus in ſcriptura & in prophanorum
etiam ſapientum doctrina valde commendatis
admodum repugnat illa. Geneſ. 20. 6. c. 25. 27.

Digitized by Google

A Iob.1.v.1.& 8.c.2.3. Prou.3.32.c.10.v.9.& 20.c. 11.5.c.28.10.& 18.Philip.2.15.Eph. 6.5. Cic. 1. de officiis.E contrario quam ſæpe, quamque grauiter vituperantur aſtuti, callidi, veteratores, duplices corde? *Secundò.* Lex naturæ eſt, vt quod nobis fieri nolumus, aliis ne faciamus. At ſecum inſidioſe agi quiſnam vult? *Tertiò.* Inſidiæ, clam & recte ſemper fiunt. Ex eorum ergo genere ſunt inſidiatores omnes, de quibus Luc.6. *Qui male agit, odit lucem.* Iob. 29. *Oculus adulteri diligit caliginem. Quartò.* Deut.16. *Iuſte quod iuſtum eſt, exe-*

B *queris.* At inſidiari, eſt fraudulente agere: fraudulente agere eſt iniuſte agere. *Quintò.* Quod inter eos, quib. vnus iudex ac princeps non eſt, ſpectat bellum, id apud iudicem ſpectat inter alios iuris diſceptatio. Sed in hac iuris diſceptatione fraudibus vti non licet neque actoribus, neq; reis, neque Iudici. *Sextò.* Si in bello inſidiis vti liceat, licebit & mendaciis. *Septimò.* Armis etiam ac inſignib. ac vexillis vti licebit ementitis. *Octauò.* Nouo item ac inuſitato armorum genere, acierumq; ordine. *Nonò.* Pacta etiam & conuenta reſcindere licebit. *Decimò.* Fas etiam

C fuerit ſpicula telaq; omnis generis, ad hoſtium perniciem, veneno imbuere: fontes ac flumina eodem inficere. *Vndecimò.* Liceret coquos etiã, pincernas, medicos, alioſq; id genus familiares, vt veneno, duces nobis aduerſarios tollant, curare. *Duodecimò.* Liceret ſicarios conducere, ac in illos immittere. *Decimotertiò.* Conceſſum item videretur carminibus & artificiis magicis tempeſtates ac procellas in hoſtes ciere: myriadum præſtigias iis obiicere. *Decimoquartò.* Multi & excellentes olim viri, etiam Gentiles, totum hoc inſidiarum genus è bello, quod recte geri-

D tur, explodendum cenſuerunt. quanto magis eadem nobis Chriſtianis mens ac ſententia eſſe debet? In *Rheſo* Euripides:

οὐδεὶς ἀνὴρ εὔψυχος, ἀξιοῖ λάθρᾳ
κτεῖναι τὸν ἐχθρόν.
id-eſt:
Vir nemo mentis rectæ clanculum velit
Occidere hoſtem.

De Tibarenis, qui prælij locum, tempus, & horam hoſtibus ex fide aperiebãt, Cælius Rhodiginus lib.8.c.30. Achæi tantopere ab malitioſis machinationibus occultiſque dolis abhor-

E rebant, vt ne infeſtiſſimos quidem hoſtes per fraudem vellent vincere: hoſque hoc nomine laudat lib.13. Polybius, & qua illi mouerentur, cauſam indicat: cenſuiſſe ipſos videlicet, neque ſplendidam neque firmam illam victoriam, niſi quis palam & ex condicto depugnans viciſſet eos, qui animis aduerſarentur. *Turpis*, ait apud Iſidorum lib.18. quidam, *dolo quæſita victoria. Nulla eſt*, ait lib.6. Conſulatus Honorij Claudianus, *victoria maior.*

Quam quæ confeſſos animo quoque ſubiugat hoſtes.

F Qui enim fraude ac dolo ſuccubuerunt, facile iterum inſurgunt, non virtute, ſed occaſione & arte aduerſariorum victos ſe rati. Florus l.1. c.13. *Eam*, ait, *vir ſanctus & ſapiens ſciet veram eſſe victoriam, quæ ſalua fide & integra dignitate parabitur.* Atqui dum ſtruuntur inſidiæ, poteſtne fides ac dignitas ſalua ac integra conſiſtere: Cùm Alexander ſuaderet vti contra Darium noctis occaſione vteretur Polyperchon,

Abſit, aiebat. *Meum non eſt, ſuffuratas quærere victorias.*

Atque idem fugientem haud eſt dignatus Orodem
Sternere, nec iacta cæcum dare cuſpide vulnus
Obuius, aduerſoque occurrit, ſeque viro vir
Contulit, haud furto melior, ſed fortibus armis.

Atque contra inſidias iſta: Pro quibus antequam aperto Marte dimicem, duplex hic obſeruanda diſtinctio. Vna, *inſidiæ* aut verborum ſunt; aut factorum. Altera *bellum* quod belligerantium pars vna gerit, vel iuſtum eſt, vel in-

B iuſtum. De verborum inſidiis nihil iam neceſſe, vt dicam; quia & dixi alias aliquid in Iudith. c.13. q. 6.7. 8. 9. 10. & erit iterum ſeq. cap. 9. dicendum. De factorum vero inſidiis vna eſt ſententia, *In bello iniuſto inſidiis vti non licet; in iuſto licet*: Prior pars ex eo perſpicua, quod quæ ad finem, actionemque malam referuntur, omnia mala ſunt: Prou.2.4.v.15. *Ne inſidieris, & quæras impietatem in domo iuſti.* Poſterior, quæ maxime hic ſpectanda, probatur 1. exẽplo huius loci clariſſimo, quod optimus & ſanctiſſ. belli dux Ioſue ſuppeditat, imo Deus ipſe, qui Ioſue inſidias

C præſcripſit. 2. S.Aug.q.10. *Quod*, ait, *Deus iubet loquens ad Ieſum, vt conſtituat ſibi retrorſus inſidias: id-eſt, inſidiantes bellatores ad inſidiandum hoſtib. hinc admonemur non iniuſte fieri ab his, qui iuſtum bellum gerunt: vt nihil homo iuſtus præcipue cogitare debeat in his rebus, niſi vt iuſtum bellum ſuſcipiat, cui bellare fas eſt. Non enim omnib. fas eſt, cum autẽ iuſtum bellum ſuſceperit, vtrum aperta pugna, vtrum inſidiis vincat, nihil ad iuſtitiam intereſt.* D.Hier.in Ezech.17. *Quamdiu non inues & pactum non inceas, ſub nomine Dei prudentiæ eſt & fortitudinis vel decipere, vel fraudare aduerſarium, vtcumque potueris.* 3. Eadem tanti patris ex-

D plicatio & ſententia approbatur 23.q.2.c. *Dominus.* 4. Amplectuntur eand. Theologi omnes, quorum princeps D.Th.22.q.46.l.3. Abulenſis Iud.7.q.30.5. Lex etiam ciuilis *de dolo* in Pandectis, & citaui q. 6.in Iudith c.13. item iuris omnes Interpretes ad eandem legem, & copioſiſſime Cephalen.conſ.696. Addi poſſunt Lex *nihil intereſt* ff.*de captiuis*, & lex *nõ ſolum* C.*de commerciis & mercatorib.* 6. Alij etiã ſcriptores varij, vt Virg. l.11.Æneid.citatus à D.Hieron.loco citato, *dolus an virtus, quis in hoſte requirat?* Quintil.l.2. c.13. *Nonnunquam*, ait, *terga dediſſe, ſimulata fuga, proderit.*

E Pindar. Iſthm. Ode 4. *Oportet quidlibet conando frangere aduerſarium.* Hom. Odyſſ. λ. *hoſtes conſice ſiue dolo, ſeu ſtricto comminus enſe.* Polyb. quia antea viſus Achæos laudare, *facinorum*, ait lib. 8. *militarium ea eſſe minoris laudis ac momenti: quæ propalam, & per vim patrantur. his, quæ per dolum, & ex occaſione.* Xenoph.de Hipparcho ὄντως οὐδὲν κερδαλεώτερον ἐν πολέμῳ ἀπάτης, id-eſt, *Reuera nihil in bello vtilius dolo.* Ammianus lib.17. nullo diſcrimine virtutis ac doli, proſperi omnes laudari debent bellorum euentus. Quod Italicus neſcio quis

F Poëta ſic:

Fù il vincer ſempre mai laudabil coſa
Vinca ſi ò per fortuna, ò per ingegno.

Fortaſſis hic etiam referri poſſet, quod hiſce omnib. multo grauius eſt illud. Prou.24.verſ. 6. *Cum diſpoſitione initur bellum:* (ſiue, vt in Hebræo eſt, *cum variis cogitationibus*) & erit ſalus, vbi multa conſilia ſunt. 7. Accedunt clariſſimorum ducum exempla, Gentilium & Chriſtianorum.

Digitized by Google

Ageſilaus apud Plutarchum ἀποσπονδούμενον μὲν ἀδικεῖν (ſic enim legendum, non ἀποσπενδόμενον. quod in Græca lingua, verbum nullum eſt, non ἀδίκως, nam etiam ἀδίκως πολεμίους παραλογίζεσθαι, impium eſt) ἀσεβεῖς, τοὺς δὲ πολεμίους παραλογίζεσθαι, &c. id-eſt, *eum qui nobiſcum fœdus inierit damno afficere, impium eſt: hoſtes vero fallere, non iuſtum ſolummodo valdeque glorioſum, ſed & ſuaue & lucroſum eſt*. Bræſidas apud Thucydidem lib. 5. *illa belli furta pulcherrimam laudem habent, quibus hoſtem quis maxime decipit, & amicis prodeſt plurimum.* Quid bellica Lacedæmoniorum celebratius? Primi tamen, etſi pugnaciſſimi, digniorem, hominique conuentiorem actionem cenſebant, quæ ratione ac mente inſtitueretur, quam quæ per vim & robur. Ideoque is apud eos Dux, qui vi & prælio iuſto vicerat, gallum tantummodo: qui vero fraude ac ſuaſione, bouem immolare poterat: minorem ſcil. maioremque victimam pro minore ac maiore victoriæ vtilitate ac laude. Cæſar lib. 4. de bello Gallico & lib. 1. de bello ciuili: ſemper maluit ſine ſuorum vulnere rem cōficere, dicebatque, *non minus Imperatoris eſſe, conſilio ſuperare quam gladio.* Truces quondam barbaroſque Francos quomodo niſi aſtu ac dolo ſuperarit Conſtant. Mag. prout in Panegyrico V. eſt? Chriſtiana contra infideles ac Turcas bella, quantam id genus inſidiarum copiam dant? Et quis Pontificum, ſacerdotum, & doctorum reprehendit vnquam Noſtra ætas, noſtrū Belgium earum campus eſt, tā quas hæretici, quam quas Catholici moliuntur. Quomodo recuperata *Lira*? quomodo nuper *arx Vvachtendonkana* licet paulo poſt, iterum amiſſa? quomodo *Ambianum* captum? Quin honeſto & præclaro *ſtratagematis* nomine hoc afficiuntur, quorum pleni Frontin. & Polyænus. 8. Rationem affert D. Thom. citato loco. In communi vitæ conſuetudine nemo tenetur alteri, etiamſi is fallatur, aperire occulta, quæ dicit aut facit. Ergo multo minus tenetur quis hoſtib. aperire, quæ ad ipſorum perniciem comparat. Sed ſane, in iſta ratione poteſt illud antecedens videri dubium, ſi quidem ita fallatur alius, vt detrimentum inde, ac mortem præſertim hauriat. Nam negarunt hoc Philoſophi aliqui, de quib. offic. 3. Tullius, iuſtum eſſe. Deinde ſit antecedens iſtud verum, tantum colligetur, fas eſſe reticere ac non agere aliquid, quo ille rem, quæ occultatur, reſciſcat: non autem agere aliquid, quo res eadem tegatur, & quo in exitium ille pertrahatur. Differunt autem non parum, *non agere aliquid, vnde cognitio eſſe poſſit*, & *agere vnde cognitio non ſit, & putetur eſſe, quod non eſt*. Ideoque hanc D. Thom. rationem q. perficiens Abulenſ. q. 6. addit: *non ſolum licet occultare quod agimus aut intendimus, ſed etiam fingere nos aliud facere, vt eos capiamus.* At huius probatio, quæ? ſi qua in D. Th. antecedente dubitatio eſt, quanto in hoc maior? nā illic ipſius, tātum actus negotio eſt, hic poſitio. Puto quidem rem, quæ ab hiſce dicitur, eſſe veram, ſed ob ſcripturæ & Patrum ſupra citatam auctoritatem, non ob rationis vim, niſi eius magis cauſa explicetur & confirmetur. 9. Igitur: cui belli iuſti ius eſt, ei ea videtur poteſtas, vt palam & clam, omittendo & agendo quocunque poteſt modo nullis *naturæ*, *Dei*, ac *Gentium*, addo & inter Chriſtianos, *Eccleſiæ* legibus vetito nocere poſſit hoſtibus. Hanc enim vim omnem ipſum *belli* vocabulum & natura importat, prout monſtrat eius à *duello* diſcrimen, & communis omnium tam ſapientum, quam populorum paulo eruditiorum conſenſio. 10. Quod meum eſt, quando iure non licet, poſſum vel recuperare vel tueri omni non vetita ratione. 11. Iure naturæ, licet meis, meorumq. commodis, ac incolumitati & vitæ magis conſulere, quam aliorum. Ergo vt minus in bello ſanguinis à me ac meis fundatur, minus periculorum adeatur, minus detrimentorum accipiatur, licet inſidiis hoſtem peſſima mihi quæque molientem circumuenire. 12. Malo nodo fortis adhibendus cuneus. At quis nodoſior nodus, quam de ſalute ac vita dimicatio. 13. Hoſtis contra quem iuſte bellum geritur, iniquus ac improbus eſt: meique perdendi rationes omnes quærit, & quidem iniuſte. Ego igitur omnes non prohibitas recte ad ipſum perdendum adhibuero. 14. Feras, maximaſque belluas non aperta tantum vi, ſed latentibus etiam retibus, foſſis: & iaculationibus capimus, quidni & eos, qui belluarum ritu, à quibus & *belli* nomen potius quam ab antiphraſi neſcio qua ductum, in nos ac noſtra nequiter, iniuſte ac ſcelerate inuadunt, hoſtes, apertis opertiſque iaculis figamus? inſidioſo ac latente bello conficiamus? 15. Probatur denique ſententia hæc ex eorum, quæ contra diſſerta ſunt, vel ſolutione vel expoſitione.

Ad primum. Ea tantum fraus & dolus virtuti viroque bono repugnat, quæ iniuſtitiam continet. Alioqui *dolus* quidam, *bonus* eſt, vt q. 6. in c. 6. *Iudith* oſtendi. Simplicitas vero ea commendatur, quæ fraudis ac doli mali iam expoſiti nihil habet. Ea vero, quæ imprudens, ſtolida, & inſubida, reiicitur, prout monſtrat S. Gregorius lib. 4. Epiſt. 31. ad *Mauricium* Auguſtum, qui illum ſuis literis *ſimplicem* appellarat, id-eſt, vt interpretatur, *fatuum. In Scriptura etenim ſacra cum in bona intelligentia ponitur ſimplicitas, ſæpe prudentiæ aut rectitudini ſociatur. Vnde etiam de beato Iob ſcriptum eſt: Erat vir ſimplex & rectus: & B. Paulus Apoſtolus admonet, dicens: Eſtote ſimplices in malo: & prudentes in bono. Et per ſemetipſam veritas admonet dicens: Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Eſſe valde inutile iudicans, ſi aut ſimplicitati prudentia, aut prudentiæ ſimplicitas deſit. Vt ergo ſeruos ſuos ad cuncta eruditos efficeret, eſſe eos & ſimplices ſicut columbas, & prudentes vt ſerpentes voluit: quatenus in eis & ſerpentis aſtutia columbæ ſimplicitatem acueret, & columbæ ſimplicitas ſerpentis aſtutiam temperaret.* E contrario, quorum celeriter ad malum mens vertitur, callidaque iniuſte conſilia capiunt, & corde quidem iniquitatem coquunt, opere bonitatem neſcio quam præ ſe ferunt, ij vocantur *aſtuti*, *verſuti*, & *callidi*. Eſt tamen vbi tria hęc bonam in partem accipiantur, tam in ſcriptura, quam apud bonos Latinitatis auctores: nunquam tamen, quod ſciam *veterator* niſi pro *veterano* ſimpliciter ſumatur, vt lege *præcipiunt*, D. *de ædilitio edicto*, vt falſum ſit, quod ſupra dicebat Caluinus, *optimum eſſe militem, qui longo vſu veterator factus ſit.* Nam qui veteratoriā longo vſu artem didicit optime, is peſſimus eſt,

Digitized by Google

vt oſtendit Budæus. Ideoque & monitus Ioſephus A Scaliger lib. 2. *Minerualis*, ne vti cœperat, Catholicos, antiquæque fidei homines vocaret *veteratores*.

Ad ſecundum. Lex naturæ intelligitur de voluntate, quæ rationi conuenienter nolit hoc aut illud, vt recte Abulenſis q. 6. ad 1.

Ad tertium. Omnia quidem peccata ex naturæ quadam vi lucem horrent, propter naturale probrum ac dedecus, quod ea conſequitur: Interim tamen arcana multa ſunt, quæ aliis de cauſis, iiſque bonis, occuli tegique debent. Tobiæ B cap. 2. verſ. 7. *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt.*

Ad quartum. Fraudulentum id tantummodo improbatur, quod iniuſtũ, vt ad primum. Alioqui *non ſunt inſidiæ, proprie fraudes, cum neque iuſtitiæ, neque ordinatæ voluntati repugnant*, inquit D. Thomas loco citato.

Ad quintum. Diſputat, pro more, neque breuiter, neque indiligenter Couarruuias lib. 1. Reſol. cap. 2. quibuſnam artificiis in bona cauſa liceat reo vel actori apud Iudices, imo & ipſis Iudicibus vti. Sed hic tantum illud dicendum C multo ei, qui cauſam bonam habet, plura licere, quam ei, qui malam. Multo igitur in bello magis.

Ad ſextum. Negatur conſecutio. licet contra hoſtem mendaciis vti licere cap. 5. lib. 2. *de bello* concedat in Anglia, è Nouatorum grege Albericus Gentilis.

Ad ſeptimum. Arma & vexilla hoc aut illo modo & colore facta non ſunt ex ſe, vel communi hominum conſenſu ad vnam illam alteram partem ita penitus applicata, vt bono iure non poſſit eadem aſſumere pars altera. Conceditur D igitur hoc licere.

Ad octauum. Conceditur ſimiliter licere. Nam rationis ac prudentiæ militaris inuenta ſunt hæc: & olim licuit pugnas, à quibus apud Caſſiodorum lib. 1. variar. 30. *pugna*, relinquere, fuſeſque ac ſagittas, haſtas & gladios, aliaq; id genus, ad ſclopos vſque noſtros & bombardas, de quarum nouitio inuento Magius Miſcellaneorum, ſexcẽta excogitare. Vnus Moſcouita, cum laudatiſſimus Poloniæ Rex STEPHANVS munimenta eius lignea, candentibus immiſſis globis, accendere incepiſſet, querebatur ac fre- E mebat, ius belli violari, & armorum decus pollui noua fraude, vt eſt in Lipſij Poliorceticis lib. 5. c. 5.

Ad nonum. Negatur conſecutio. *Liquet*, ait S. Ambroſ. l. 1. de officiis c. 29. *etiam in bello fidem & iuſtitiam ſeruari oportere, nec vllum decorum eſſe poſſe, ſi violetur fides.* itemque l. 3. cap. 10. *Multa*, inquit Seneca lib. 5. de benefic. capite 21. *legem non habent, nec actionem. Atqui conſuetudo vitæ humanæ lege omni valentior, dat aditum. Nulla lex iubet amicorum ſecreta non eloqui: nulla lex fidem etiam inimico* F *præſtare. Querar tamen cum eo, qui arcanum ſermonem non continuerit, & fidem datam, nec ſeruatam indignabor.* quia licet contra ciuilem id legem nullam tunc putaret Seneca, erat tamen contra *naturalem*: &, quia fere ſacramentum, quod haud violandum, interponi ſolet, contra *diuinam*. Vere Silius: *multo optimus ille,*

Militiæ, cui poſtremum eſt, primumque, tueri
Inter bella fidem.

Acriter quidem altercantur Iuriſconſulti, ſitne latronib. & crimino ſis pacta fides ſeruanda: & negant non pauci, vt Zaſius, Alciatus, Bodinus, hoſtibus tamen non ſeruandum aſſerit nemo. Et ille ipſe, qui alioquin ad fraudem, ſimulationem, ac impietatem omnem, infeliciſſimis compluribus feneſtram aperuit Machiauellus lib. 3. de Republ. cap. 40. cum docuiſſet, in bellicis negociis, magna cum gloria poſſe dolum fraudemque vſurpari (quod generatim *de bellicis* falſum, *de bellicis iuſtis* verum) adiunxit fol. 607. *Ea fraus, quæ fit in re militari fidem frangendo, pacta non conſeruando, nequaquam glorioſa.*

Ad decimum & ſequentia duo argumenta. Inſidioſa ſunt argumenta hæc, eique ſimilia, quod CHRISTO D. propoſuerunt impij, Matt. 22. v. 17. *licet cenſum dare Cæſari, an non?* Quia tamen aliud eſt de certo quodam homine, in certo caſu & tempore conſilium dare, aliud veritatem generatim quærere, *Dico primò*, hic tantum, vt in tota quæſtione, quæri, liceatne illi, qui bellum non quoquo, ſed iuſto modo & cauſa gerit, aduerſarium iniuſtum, eiuſque milites veneno, ſi poſſit tollere? *Secundò.* Aliud eſt, an liceat hoc facere, an hunc vel illum deceat: *Omnia mihi*, ait Apoſtolus 1. Cor. 6. 12. *licent ſed non omnia expediunt.* Et rurſum c. 10. 23. *Omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant.* Vnde L. *ſemper*, ff. de reg. iuris, *non ſolum quod licitum eſt, inſpiciendum eſt, ſed etiam quod honeſtum. Tertiò.* Iuriſconſultorum duas video ſententias. *Vnam* Baldi & vetuſtiorum, qui bellum iuſte gerenti ius & poteſtatem eſſe cenſent, venena, ſi quidẽ occaſio ſit, in hoſtes ſpargendi, eoſque iis tollendi. *Licitum eſt*, ait ille, lib. 2. conſil. 188. *hoſtem veneno occidere, ſicut docet Vegetius.* De hoc quidem Vegetio, an & vbi hoc doceat non laboro: ſed illa Baldi opinio eſt. *Altera* recentiorum, & quidem pauculorum, duorum ſcilicet Gentilium fratrum. Alberici de iure belli, c. 6. & Scipionis in annotationib. ad librum 2. Solymeidos Torquati Taſſi, & pugnant hi quidem rationum multitudine (nam ille affert 20.) ſed quæ ſtrepitus quam rei plus habent. *Quartò.* Puto tamen vniuerſe loquendo, licere hoc in bello iuſto: ſæpe tamen habita bellorum, hoſtium, conſuetudinis, gloriæ, aliorumque ſimilium ratione, ad extremum hunc inſidiarum gradum non deſcendendum. Prior pars probatur concluſionis poſitæ rationibus, & nouitiarum rationum omnium diſſolutione: à qua & poſteriori parti lux.

Prima ratio. Barbari veneno vſi aliquando aliqui. R. non quidquid homines, licet Barbari faciunt, ſtatim malum. *Secunda.* Mortem ilico afferunt leui tactu venena. R. Tanto citius teterrimum belli malum finitur: iniuſtitiæ frænum imponitur: iuſtitiam tuentis partis cruori parcitur. *Tertia.* Armorum tollitur contentio. R. Hoc inſidiis omnibus quæritur, vt armis decertandi fiat finis. *Quarta.* Geminantur venenis vulnera. R. 1. Non ſemper id fit, neque propriè. 2. Licet plures alicui plagas imponere, vt certius, citiuſque occumbat cauſæ iniuſtę tutator. *Quinta.* Animalia id non faciunt. R. 1. Verum id eſt, quia ingenio non agunt bruta. 2. Multa etiam

Digitized by Google

etiam venenum effundunt, vt ſerpentes, draco- A
nes. *Sexta.* Iniuria fit rerum naturis. R. non ma-
ior iniuria, quam dum ligno, ferro, aliiſue vſita-
tis vtimur ad hoſtium cædem. *Septima.* Infame
eſt hoc. R. Quando ob iuſtitiam, & publicam
vtilitatem, contra iniquum, & vix aut ne vix
quidem aliter ſuperandum hoſtem fit, nulla in-
famiæ cauſa eſt. Si tamen eiuſmodi aliquid ti-
meatur, abſtineatur, prout 2. loco dicebam?
Octaua. Contra Deum eſt, vt ait Florus. R. Si
bellum iuſtum non ſit. *Nona.* Contra maiorum
mores eſt, vt ait Valer. lib. 6. c. 5. Liuius libr. 42.
R. 1. Fere idem dici poſſet de inſidiis aliis. 2. B
Romani vſi non ſunt. quia poterãt aliter com-
mode ſuos ſuperare. 3. Vſi ſunt alij, vt Græciæ
ſapiens Solon, apud Pauſaniam lib. vlt. Fronti-
num lib. 3. & Amphychones apud Polyænium
lib. 6. alij, licet, propter magnam peccati datam
occaſionem, diſpliceant, qui meretrices impu-
ro illo morbo infectas in Gallorum caſtra im-
miſiſſe dicuntur, vt inde Gallicus morbus di-
ctus ſit, apud Fallopium in præfatione libri de
hoc morbo, & Guiciardinum lib. 19. *Decima.* La-
tronum id eſt. R. Et inſidiari latronum eſt: ſed
iniuſte id faciunt latrones. *Vndecima.* Non eſt C
bellicum, quia clandeſtinum. R. Sic totum inſi-
diarum genus nõ eſſet bellicum. *Duodecima.* Pro-
ditionis crimen eſt. R. In eo interdum, qui ve-
nenum dat, non in eo, qui bellum gerens iu-
ſtum dari curat. Sed de hoc poſtea. *Decimatertia.*
Eſt contra honeſtatem & innocentiam. R. Ita
eſt, ſi abſque iuſta belli fiat cauſa. *Decimaquarta.*
Vetant medici, ne è ſuis venenum quiſquã det.
R. Recte. quia ipſorum eſt curare, non occide-
re: & per vnum aliquem venenarium tota me-
dicorum natio audit peſſime. *Decimaquinta.* Phi-
loſophi, & Scriptores alij dandum negant. R. D
Et ego ſane dari nulli velim: ſicuti neque inſi-
dias, vel bellum, belliue cauſam vllam eſſe. Sed
quando tamen ad arma iuſta itur, ne vnum qui-
dem vidi auctorem, qui præciſe id ſceleris accu-
ſet, ſed certo tantum modo, tempore, cautione.
Deinde his auctoribus, alij opponi poſſunt au-
ctores. *Decimaſexta.* Adulter & alij ferro, non ve-
neno necandi l. 8. ff. *de pœnis.* R. Cum in tribuna-
libus vna quæpiam ſontibus pœna imponitur,
non idcirco aliæ omnes, quaſi nunquam in alio
genere conceſſæ damnantur. *Decimaſeptima.* Qui
interpretantur illam legem, ita ſentiunt. R. Vt E
ad 16. *Decimaoctaua.* Bellum eſt diſceptatio per
vim. Venenis ergo geri non debet. R. 3. Diſtin-
guitur quidem interdum à veneno *vis*, vt ff. l. 1.
de SCto Silano: Sæpe tamen etiam ipſo *vis* no-
mine continetur. 2. Negatur conſequentia etiã,
quia ſic inſidiæ dolique boni reiicerentur plu-
rimi. *Decimanona.* Bellum per ea eſſe debet, quib.
humana obſiſtere vis poſſit. R. Venenis obſiſti
poteſt quidem per prudentiam atque diligen-
tiam, ne ſumantur. 2. Si ſumpta iam ſint, per an-
tidota. Quod ſi ad cor ſeſe iam virus inſinuarit,
vi quidem obſiſti non poteſt, ſed neque ictui
lethali, transfoſſioni, transfixioni. *Vigeſima.* Per F
venenum tolluntur quandoque non nocentes
tantum, ſed innocentes etiam, vt ſi veneno cor-
rumpantur putei ac flumina. R. 1. eiuſcemodi
circumſtantia poteſt interdum efficere ne li-
ceat, quod alioqui licebit. 2. Iuſte interdum in

A bellica ſtrage ſternuntur cum ſontib. inſontes;
vt in Hierichuntinis puerulis dictum c. 6. & no-
tũ illud: *Quidquid delirant Reges, plectũtur Achiui.*

Ad vndecimum. Licet quandoque prompta
quorundam etiamſi male agant ipſi, vti opera
v. c. fœneratorum, transfugarum, ſimilium. An
autem ſolicitare ipſos ad venena poſſit aliquis,
pendet ex ea quæſtione, de qua paulo ante: An
iuſtum aliquando ſit venenum porrigere? Nam
ſi iuſta cauſa eſt, ad eam poteſt, quis quoſcunq;
inuitare ac traducere: deinde ipſorum opera vti
ad id, quod alioqui licet. Sed quemadmodum
B fuere interdum, qui aperto tantum Marte, nun-
quam ex inſidiis aggredi hoſtem voluerint, vt
in argum. 14. dicitur, ita etiam fuit tam genero-
ſus nonnullus animus, vt ſe veneni, quo tolle-
rentur hoſtes neque auctores neque conſcios
eſſe paſſi ſint, in quib. maxime celebratur, cum
apud alios, tum vero apud Senecam Epiſt. 121.
& Claudianum de bello Gildonico, qui

Noxia pollicitum domino miſcere venena
Fabricius Regi nudata fraude remiſit
Infeſto, quem Marte petit: bellumque negauit
Per famuli patrare nefas.

C *Ad duodecimum* vt ad 11.

Ad decimumtertium. Magica omnia penitus
inconceſſa, quia naturali diuinæ humanæq; legi
omnino repugnant. Indigna Chriſtianis, etſi ex
iis aliqui à Bodino lib. 1. Dæmonomaniæ, ſcri-
buntur miſiſſe vocẽ illam, *Flectere ſi nequeo ſupe-
ros, Acheronta mouebo.* Valeant Archonautæ, Zo-
maſtriani alij, de quibus Plutarchus in Politi-
cis, Diodorus lib. 60. Arnobius aduerſus Gen-
tes lib. 1. Euſebius l. 1. de vita Conſtantini, Zo-
naras tom. 3.

Ad decimumquartum. Vt in artificiis fere om-
D nibus ita quondam in primis quaſi generis hu-
mani per orbem præliis maior fuit ſimplicitas
ac ruditas. In iis magnum erat de corporis viriũ
oſtentatione ſtudium, & huc fere omnia refere-
bant, hodieque barbari quidam ac rudes refe-
runt, vt vtri ſint robuſtiores, tolerãtiores, ani-
moſiores appareat. Ideoque locum finiebant
olim futuro prælio, itemque tempus, & pœne
modum, teſtantibus Liuio l. 42. Polyb. 13. Plu-
tarch. in Pyrrho & aliis. Veteres Florent. ne ex
inſidiis adoriri hoſtem viderentur, ſoliti fuerũt
menſe toto, antequam ſuas contra illum edu-
E cerent copias, campanam vnam, quam *Martinel-
lam* vocabant aſſidue, vt iugis eſſet noctu & in-
terdiu ſonitus, pulſare vti Miſcellan. ſuorum li.
1. c. 5. notãt Michael Dn. *de Montaigne.* vbi etiam
refert, regni Ternatenſis incolas non bellum
modo ſuis hoſtibus denunciare, ſed ſuas omnes
vires, arma & præliandi modos enunciare. At
quia bellorum finis non eſt, neque corporis vi-
rium, neque opum, potentiæ, neque armorum
peritiæ, neque animorum audaciæ oſtentatio,
ſed iuſtitiæ defenſio, iudicarunt ſenſim homi-
nes eſſe melius huc quam minimo ſuo incom-
modo tendere, & conſiliorum ſuorum reticen-
F tiam bonoſque interdum dolos adhiberi poſſe.
ſicq; à vetere illa bellorum ſimplicitate diſceſ-
ſum quam tamen qui magis probarent, magiſ-
que adamarent, fuerunt nonnulli: variis diuer-
ſiſque commoti cauſis, de quibus nihil iam at-
tinet dicere. Ac ego ſane optarim, omnino à

Digitized by Google

bellis omnibus diſcedi: omnes omnino homines ſanctam inter ſe pacem,& Chriſtianam animorum concordiam tueri. ſed quia id non eſt, & ingratiis omnibus bella horrida ſunt, videndum porro quemadmodum ea recte,ſecundum Dei naturæq;,ac reipublicæ tam politicæ quam Eccleſiaſticæ leges geri poſſint, quid in iis fas aut nefas. Auctoribus ergo & exemplis in argumento iſto 14. allatis obiiciuntur auctores & exempla,de quibus ante,alia,licet eorum quædam ad priuatos hoſtes ac inimicitias, de quib. hic nihil,ſpectent. in quibus recte quidam apud Stobæum ſerm. 1. Sapiens: *μηδενὶ ἐπιβουλεύσαιμι, ἐπιβουλευόμενος δ᾽ ἄνευ ἀνάγκης, τό τι ἀνδ᾽ ἔχουσαν ἀνήκεστον, ἀπαθὴς διαφύγοιμι*, id eſt, *Abſit cuiquam inſidier. Quod ſi vero mihi quis inſidietur, vtinam abſque perturbatione omni effugiam, citra rei vllius, quæ quidem improba & inſanabilis ſit, patrandæ neceſſitatem.* Atq; hæc paulo copioſius de toto inſidiarum bellicarum ſemel viſum diſſerere. quia & in ſcripturis ea identidem occurſat quæſtio, & non niſi iuſtis bellatoribus earum ius eſſe,intereſt cognoſci.

QVÆSTIO III.

Quotuplices, quantas, vbi & quando collocauit inſidias Ioſue?

DVplices ſtruxiſſe inſidias videtur Ioſue. alias quidem in caſtrorum poſitu, alias in fugæ ſimulatione. Et in illis quidem rurſum fuiſſe duplices aiunt Rabbinorum quidam. vnas, quæ quinque hominum millia continerent, & ad vrbis Hai occidentem eſſent noctu collocatæ: alias,quæ Aquilonem verſus,poſtero die, mane, poſitæ triginta hominum millia occultarent. Sed de his ſupra in capitis commentario.

QVÆSTIO IV.

Quomodo ita latenter, vt ab Haienſibus neque ſentirentur,neque deprehenderentur, collocauit inſidias Ioſue?

CAluinus,humanæ ſcilicet prudentiæ apex, ipſius Ioſuæ in componendis locandiſque inſidiis exagitat hoc loco imprudentiam. *Videtur quidem*, ait, *parum prudenter tantam turbam dimittere, quæ occultis itineribus ad locum inſidiis aptum perueniat. Nam vt optime compoſitis agminibus taciti pergerent: ſolo tamen pedum motu ſtrepitum excitari neceſſe fuit. Iam ſi quis dicat, neminem illis fuiſſe obuium,quia omnes regionis incolæ deſertis agris in vrbem confugerant: certe paulo poſt narrabitur, antequam proxime vrbem accederent Iſraelitæ, eorum aduentum cognitum fuiſſe à Rege Ai: quod vix abſque ſpeculatoribus fieri potuit. Iam vt demus neminem in agris occurriſſe: præterire tamen difficile fuit,& noctu inſidias locare in loco opportuno, illicque conſidere, quin aliquo ſe iudicio proderent:* At vero prudentiſſime à Ioſue facta omnia ſtatuo. idque colligo non ex cætera tantum eius prudentia,ſed ex iis etiam,quæ hic video. Miſerat verſus Hai exploratores antea c.7.v.2. hi ſine dubio viderunt, ac Ioſuæ retulerunt locorum ſitum. Ea montoſa erat: & vallium anfractibus impedita. Potuit ergo Io-

A ſue in illis ſuos occultare homines, molirique inſidias. Deinde potuit non recta illuc eos,præter vrbem,mittere: ſed per circuitum, aliquaſq; itineris ambages. Tertio. *Exitus acta probat.* Si non prudentiſſime dexterrimeque feciſſet Ioſue omnia, ſenſiſſent vtique ac deprehendiſſent inſidias vel Bethelæi vel Haienſes. At neque ſenſerunt,neque deprehenderunt. Ad hæc, ea iam,ob ſuperiorem victoriolam erat Haienſium elatio ac ſecuritas,vt Iſraëlitas admodum contemnerent: ſibi valde ipſis præſiderent: intentiores vigilias ac explorationes remitterent.

B Nam quod ait Caluinus, *Ioſue ad vrbem aduentum vix abſque ſpeculatoribus ab Haienſi Rege cognoſci potuiſſe* refellitur ex v. 13. vbi dicitur Ioſue in vallem vrbi, quæ in edito loco ſtabat, proximam veniſſe, ſicque ab Haienſi Rege conſpectum. Denique affuit,qui victoriam certam promiſerat, Deus. *Non pugnauero*, inquit Maſius, *ſi quis hic religioſius ipſis ſacris verbis inſiſtens, occæcatus vſque eo fuiſſe à Deo Haienſium & oculos, & animos dixerit, vt ne tantum exercitum poſt vrbem latentem, per tot horas, vllo ſenſu perciperent*: & ipſe Caluinus, *Mirificus fauor* (Dei) *in eo præſertim apparet, quod omnes excæcat, ne quidquam de inſidiis ſubolfaciant.*

C

QVÆSTIO V.

Quo excitæ ſigno inſidiæ vrbem ceperunt?

SIgnum, quo è latebra ſua excirentur, qui erant in inſidiis, putant Rabbini, Theodoretus, Ioſephus, & Abulenſis quæſt. 10. fuiſſe id, quod à Ioſue ſublatum, quia verſu 19. ſcriptum eſt, *Cumque eleuaſſet clypeum ex aduerſo ciuitatis, inſidiæ, quæ latebant, ſurrexerunt confeſtim.* quemadmo-

D dum clypeum è naui extulit apud Alexandrum ab Alexandro lib. 4. cap. 2. Lyſander & alia alij ſigna ibidem. Sed ne aſſentiar, tenent me hæc. *Primò.* Quod ſi ad euocandos & commouendos inſidiatores datum hoc ſignum fuiſſet, eo dato, potuiſſet Ioſue manus demittere, aliudq; agere. *Secundò.* Inter inſidias & Ioſue interiecta erat Hai, eiuſque vallis, & forte ſpacij alterius non parum. Quomodo potuiſſet iis, re tantula, è tam diſſito loco ſignum dari? *Tertiò.* Non conuenerat inter Ioſue ac inſidiantes, oportere, vt ſublato huiuſcemodi ſigno ex inſidiis illi proſi-

E lirent. Fuit enim ſubito id Ioſuæ, præterq; omnem ipſius opinionem, à Deo præſcriptum v. 18. Ergo etiamſi vidiſſent ſignum hoc, ſeſe non commouiſſent, neque quid eo ſignificatum vellet Ioſue, intellexiſſent. *Quartò.* Non fuiſſe hoc huic rei ſignum cenſent Caietanus, Maſius, alij. *Quintò.* Ioſue videbat Hai ab inſidiis captam & accenſam, Haienſes à tergo premi, & cædi: & in eodem tamen loco fixus manebat, eodemque manum extenſam tenebat. Aliud igitur, quam vt è latibulo inſidias euocaret, ſpectabat. Exiſtimo cum iam citatis Caietano & Maſio, fuiſſe

F ſublationem iſtam rei alterius ſignum ac myſterium: eos vero qui inſidias comparabant, aliis ad inuadendam vrbem ſignis excitatos: quod pugnæ clamorem, diſſonoſque ſonos audirent, quod maximam ex vrbe multitudinem & quidem, ſub finem fiducia maxima, nullo ordine, properatione lætiſſima egreſſam viderēt:

Digitized by Google

ſatiſque deſerta mœnia, portas à præſidiis nudas, vrbem viris fortibus vacuefactum colligerent. Si tamen, propter Ioſephi ac Theodoreti auctoritatem, velit quis hac ſublatione ad irruptionem exſuſcitatas inſidias, non repugnarim, modo ne ad hoc tantum facta dicatur illa ſublatio.

QVÆSTIO VI.

Quid, & ad quid, leuare iuſſus eſt à Domino Ioſue?

TExtus noſter v.18. *Leua*, inquit, *Clypeum, qui in manu tua eſt.* Explicationis melioris cauſa libet quaſi verbotenus Hebræa hic ponere: *Extende in cidon, qui in manu tua, ad ipſam* Hai. *quia in manum tuam dabo eam. Et extendit Ioſue in cidon, qui in manu eius, ad ipſam vrbem.* Sciendum primo illud *cidon* varie admodum exponi. Nam Chaldæus Paraphraſtes vertit *romecha*, id-eſt, *lanceam*, vel *telum*: 70. hic γαισὸν, Iob. 39. verſ. 23. μάχαιραν vt videtur: cap. 41. verſ. 19. πυρεόρον: 1. Reg. 17. v. 6. ἀσπίδα: Ieremiæ 6. v. 23. ζιβύνην: cap. 50. v. 42. ἐγχειρίδιον: Noſter, hic quidem *Clypeum*: Iob. 39. & 41. *haſtam*: in vtroque Ieremiæ loco, *ſcutum*: Idem noſter & Græci c. 46. verſ. 3. Eccleſiaſtici, *rhomphæam*. ſic enim iſti: *Quam gloriam adeptus eſt* (Ieſus naue) *in tollendo manus ſuas & iactando contra ciuitatem rhomphæam*? noſter vero per enallagen, *rhomphæas*? Iam vero Rabbini omnes dicunt hic à Ioſue *lanceam* erectam, & cum ea *vexillum*. Abulenſis q. 10. *lanceam* cōcedit erectam, ſed ex ea *clypeum* non *vexillum* pependiſſe. Iunius vero & Tremellius *vexillum* interpretantur: *Extende vexillum iſtud, quod eſt in manu tua*, &, *Extendit Iehoſchuah vexillum.* & verſ. 26. *Iehoſchua non retraxit manum ſuam, quam extenderat cum vexillo.* Maſius in Commentario non definit, *clypeus* an *haſta* fuerit.

Dico igitur *primò* non debere intelligi *vexillum*. 1. Quia nuſquam id vox Hebræa ſignificat, vti ex locis omnibus adductis Græcorumq; interpretationibus perſpicuum. 2. Quia in prœliis non ſolent iidem & duces, & vexilliferi eſſe. At Ioſue dux erat: & *cidon* in manu ſua iam habebat. Simul ergo & dux & vexillifer fuiſſet. 3. Quia iſtud de vexillo fictum à Rabbinis, vt ſic ab Ioſue ſignum inſidiis ederetur. quod ſuperiore quæſtione, minus probatum.

Secundò. Significare videtur Hebraicam *cidon*, id omne armorum genus, quod quis retinens, aduerſarium aut lædit, aut ab eo ſe defendit, ſicque modo *gladius*, modo *haſta* & *clypeus* vertitur. Nam in Iob & Ieremia diſtinguitur à iaculis & ſagittis, quas non retinet, ſed in hoſtem iacit quiſpiam. Et recte *cidon* ad Hebraicum *cid* accedit, quod ſignificat Iob. 21. v. 20. *afflictionem*, & quaſi *cædem*, quæ ab eo etiam forſan nōmine ducta eſt, itemque *cædo* & *occido*. Euſebus Emiſſenus *lanceam* exponit, citatque Diogenianum, qui dicit eſſe ἀμβόλιον ὁλοσίδηρον, & alios, qui κόντιον eſſe velint, pro quo in Procopio legit Interpres ἀκόντιον.

Tertiò. Rectius hic vertitur *cidon clypeus*, quia vertit Symmachus ἀσπίδα, &, prout in Theodoreto quidem legitur, Ioſephus. 2. Ita vetus In-

A terpres noſter. 3. Quia *eſt*, inquit Maſius, *vbi 70. clypeum* γαισὸν *vocarunt.* Et ſic facile ceſſarit difficultas, quam explicare conatur li. 6. locutionis D. Auguſtinus. Cum enim Latina & 70. verſio haberet: *Extende manum tuam in geſo, quod eſt in manu tua contra ciuitatem*, hancque ipſe tum verſionem ſequeretur, *Iſta*, inquit, *locutio notanda non eſſet, niſi propter nomen quod obſcurum eſt eis, in quorum conſuetudine non eſt. Quid enim dicat Geſon, non facile intelligitur, hoc interpres Symmachus ſcutum appellaſſe perhibetur. Septuaginta autem Interpretes, ſecundum quos iſta tractamus, qui poſuerunt Geſon, miror, ſi & in Græca lingua haſtam vel lanceam Gallicanam* B *intelligi voluerunt: ea quippe dicuntur Gæſa, quorum & Virgilius meminit, vbi ait de Gallis in ſcuto Aeneæ pictis,*

Duo quiſque coruſcant Geſa manu.

Quartò. Cum dicit Hebræus, *extende in cidon*: id-eſt, *clypeo* intelligitur *manus*, ſic: *Extende manum tuam in clypeo.* Id enim aperte ſignificat verſ. 26. dum ait: *non contraxit manum, quam in ſublime porrexerat*: ſiue, vt in Hebræo eſt, *non reduxit manum ſuam quam extenderat.* Et clare 70. ἐξέτεινον τὴν χεῖρά σου ἐν τῷ γαισῷ.

C *Quintò.* Cum idem Hebræus ait, *extende manum in clypeo*, duob. intelligi poteſt modis. 1. Vt vna cum clypeo manum extendat Ioſue. 2. Vt quaſi ſuo iſti *cidon* innitatur, ſicque manum extentam teneat. prout Moyſes Num. 7. & prout apud Poëtam.

Feſſus vt incubuit baculo, ſaxoque reſedit
Paſtor arundineo carmine mulcet oues.

Prior ſenſus videtur aptior. 1. Quia debuiſſet Ioſuæ clypeus vel vmbo admodum eſſe magnus ac altus, cui commode manum innixam & extentam teneret. niſi ſi forte illum prius alicui ſaxo ſuperpoſuiſſet, vt eſſet altior. 2. Quia D id ſignificat noſter Interpres, dum pro eodem accipit *leuare clypeum*, & *leuare manum in clypeo.* Si enim leuanda ſeu extendenda cum clypeo manus, leuandus vtique clypeus. 3. Sic Interpretes alij, etiam Nouatores. 4. Quia Hebræorum *in* poni pro *cum*, docent illorum Grammatici ex Iſ. 7. v. 24. Exod. 15. v. 19.

Sextò. Manum ſiniſtram videtur Ioſue iuſſus extendere, quia dicitur, *extende in cidon, qui in manu tua.* ſed in ſiniſtra ſolet eſſe clypeus. & tunc dextra manu vel innuebat ſuis, quid facto eſſet E opus: nimirum ferirent cæſim punctim, nemini parcerent, vel potius dextram, leuæ inſtar, extendebat, tenens ea enſem aut haſtam. Et fortaſſe, hoc vtrumque ſignificatum per *cidon*, qui in vtraque manu erat. ſed in dextra *gladius* vel *haſta*: in ſiniſtra *ſcutum.* Ideoque enim dicitur: *extende manum* ſcilicet vtramque, *in cidon*, id-eſt, *in armis*, quæ in vtraque tua manu ſunt. Et Interpretes quidam explicarunt vnum armorum genus, quod in vna manu: alij alterum, quod in altera. Vnde apparet Ioſuæ ſtatum fuiſſe vel hominis precantis manibus ambabus extenſis, vel pugnantis, qui vna manu ſcutum hoſti obF iectat, enſem altera intentat.

Septimò. Ad quid vero clypeum iſto modo tollere verſuſque Hai vertere iuſſus ſit Ioſue, reſpondent generatim Caietanus, & Maſius ad rei alicuius ſignificationem. Neque enim de nihilo eſt, exercitus Ducem prælij tempore, ita

Digitized by Google

feriari, vnoquoque in loco quaſi fixum hærere, ſed quænam ea res? *Primò.* Vt oſtenderet Ioſue, Deum eſſe, qui contra Hai bellum gereret, eoſque deleret. *Secundò.* Vt in hoc bello, quod omnium in Chananæa primum, manu cum hoſtibus conſerta, gerunt Iſraëlitæ, memoria primi, quod cum Amalecitis geſtum fuit, renouaretur, dum in illo vicit manibus in cœlum ſublatis Moyſes: hic vero Ioſue manibus etiam vincit extentis. *Tertiò.* Vt mundi huius victor IESVS verus indicaretur, qui Hai, id-eſt, vaſtum hunc impiumque mundum, eiuſq; Regem diabolum ſuperauit non ſolis in cruce manibus extentis: ſed ſua etiam ipſius arma extendendo verſus Hai, crucem ſuis aſſeclis, in omni terrarum parte, omnique tempore, ſuadendo: ea eos tuendo, ea hoſtes omnes conficiendo, Citaui lib.1.c.3.q.14. nonnulla S. Auguſtini è ſerm. 93. de tempore verba, quæ hic repeti operæ fuerit precium.

Octauò. Locum, vbi clypeum iam extendit Ioſue, putat Auctor Traditionum in Paralipomena, eſſe *aream*, in qua impulſam ac nutantem arcam tetigit infelix *Oza*, & vocatur, Paralip. 13. v.9. *area chidon.* Sed de hoc iterum 2.Reg.c.6.

QVÆSTIO VII.

Quando, & quomodo manus & clypei extenſionem præcepit Dominus?

I. PRæcepit in ipſa fugæ ſimulatione, cum è valle verſus deſertum partim ad Septentrionem, partim ad Orientem curreret. II. Putat vero quæſt.9. Abulenſis, Deum iſtud præcepiſſe Ioſuæ, aliqua quidem exteriore voce, ſed quam efformarit Angelus, non qui hominis aſſumpta figura ei appareret, ſed qui in aliqua circumfuſa nube cõditus lateret. Malim Deum ei loquutum putare ſpiritali voce, quam in eius intellectu per ſe, vel in phantaſia per Angelum efformarit, prout cum de Prophetia in Iſaiæ initio agerem, & rurſum in Prolegomenis Bibliacis expoſui.

QVÆSTIO VIII.

An hoc in prælio ex Iudæis interfecti aliqui? & ex hoſtibus, qui & quot?

PRimo è Iudæis in prælio & fuga, quamquam ſimulata, cecidiſſe aliquos cenſet Radack, quia verſ.15. Hebraice in paſſiuo *niphal* eſt *ijnnageon*, percuſſi ſunt: E contrario Raſchi, Iſraëlitarum neminem cæſum vult, & recte. Si enim ob 36. nuper occiſos tanta fuit mœſtitia, timor, comploratio, quam ægre ferrent ſuorum iam aliquos, poſt cædis illius auctorem punitum, poſt diuinam ad prælium cohortationem, poſt tam luculenta victoriæ promiſſa, ſterni ac trucidari? non ſatis hoc diuinæ bonitati conueniſſet: non tantis inſidiarum ac fugæ conſiliis. Et quorſum non eſſet indicatum, quot cecidiſſent? Verbum vero Hebræum explicant Rabbini alij per vſitatam coniugationis illius cum *hithpael* communitatem, per, *finxerunt ſe percuti ac cadi.* Sed 70. dum per ἀναχωρεῖν, & noA ſter per, *cedere loco*, explicant, oſtendit Hebræum illud valere, *loco moti ſunt, è loco*, ad quem peruenerant, *pulſi ſunt.* Nam eo verbo ſignificari etiam *peruenire aliquo*, ſeu, *locum aliquem contingere*, res vſuſque docet 2.Paral.28.9. Eſther.9.1. Pſal. 87.v.4. Gen.28.v.12. Iſ.25.12.

Secundo, Ex hoſtibus, nullos putat Abulenſis, ante q.13. corruiſſe Bethelæos. Sed ex dictis ſupra reiicitur.

Tertiò, Ceciderunt duodecim millia tam virorum quam fœminarum, verſu 25. Vnum colligit Abulenſis, vrbem Hai magnam haud fuiſ- B ſe, cuius, tam in viris quam fœminis omnibus, tam exiguus numerus.

QVÆSTIO IX.

Cur igni deleta Hai? v. 18.

MIretur quiſpiam, inquit Maſius: *neque abs re, cur hanc etiam vrbem delere funditus iuſſerit Deus: cuius conſilium & voluntas tamen erat, vt Iſraëlitæ non ſolum Chananæos tota regione exterminarent: verum etiam loca eorum ipſi habitarent. Et exſtat apud* C *Xenophontem prudentiſſima deliberatio ſummi Imperatoris Cyri, qua oſtenditur, ad bellum in aliena ditione recte gerendum, eſſe conſultiſſimum, non ſolum hoſtibus, quantum fieri poteſt, plurima caſtella eripere: verum ſibi ſuiſque plurima etiam comparare. quippe qui hoc non faciant, eos nihil differre ab illis, qui per vaſtum pelagus nauigant. Nam nauigant illi quidem perpetuo curſu, ſed quam vndarum partem nauigatione ſemel percurrerunt eam non magis tenent, quam adhuc intactam. Verum nolebat Deus Iſraëlem ſuum humanis fidere rationibus: ſed ſua vnius ope & gratia niti, ſuos obſeruare nutus, in ſe ſolo fiduciam omnem habere collocatam, ſuam vnius be-* D *neuolentiam, vt tutiſſimum receptaculum intueri. Volebat quidem, vt paulatim profligatis veteribus colonis, habitationes ſibi in Chananæa ipſi compararent, vrbeſq; ab illis relictas colerent. Verum nondum vſque eo repreſſus erat hoſtis, vt cõſultum eſſet, locos vllos munitos manere, qui illi poſſent rurſus eſſe receptui. præſertim cum ipſi nondum defuncti eſſent imperata cæremonia ad mõtem Hebal, & Garizim: quo vniuerſa multitudo erat abducenda. Et alioqui præſidiis tenere caſtella, atque oppida, prius quam magni belli pars confecta eſſet, nihil fuiſſet aliud, quam ſui fiduciam augere, Dei minuere. Cæteroqui credibile eſt, ad conſeruandam hanc vrbẽ, quam* E *ad vaſtandam fuiſſe propenſiores milites: quando tam acriter iubet Imperator, eam exurere.* Vide quæ in Hiericho dicta cap.6. ſuo tempore Cæſarienſis Euſebius, & D. Hieronymus lib. de locis Hebraicis, cum eam deſcriberent, *Nunc*, inquiunt, *deſertus tantum oſtenditur locus.*

QVÆSTIO X.

Haienſis Rex quo modo, & cur ſuſpenſus? verſ. 29.

F PRimò, cum Hebraice dicitur v.29. *in ligno ſuſpenſus*, explicarunt 70. cuiuſmodi lignum hoc fuerit, *δίδυμον* ſcilicet, ſeu *geminum.* Eſt enim crux alia *ſimplex*, alia *compoſita*: & hæc vel *decuſſata* vel *immiſſa* vel *commiſſa*, prout exponunt pluribus Lipſius lib. de cruce, & Gretſerus noſter li.1. c.1. & 2. de cruce. Hic igitur Rex in *commiſſa*

Digitized by Google

cruce fuit, quæ temporibus illis vſitata figuram A veteri Hebræorum *thau* & Latino T. habens conſimilem. Vnde ab Rabbinis vocatur etiam *beſchethi hacreb*, id-eſt, *ſtamen & ſubtegmen*. Procopius tamen Gazæus, *formæ*, inquit, *lignum μονόξυλον* erat.

Secundò. Eſt in captis etiam Regibus venerandum & auguſtum, neſcio quid: & erat crucis ſupplicium admodum infame. Vnde & *arbor, lignumque infelix* apud Liuium 14. & Senecam Epiſt. 101. *ſtipes infamis* in Catalectis Virgilianis: *mors turpiſſima*, Sapient. 2. B *Maledictus ſuſpendioſus* Deut. 21. 23. Galat. 3. 13. Quin & non niſi viles abiectæque ſeruorum perſonæ ſuſpendebantur, vnde apud Tacitum lib. 4. hiſtor. *ſeruile ſupplicium*, Lactantium lib. 4. c. 26. *homine libero, quamuis nocente indignum.* Arnobium l. 1. contra Gentes, *ſupplicium perſonis infame vilibus* vocatur. Eo tamen affectus eſt Haienſis Rex *primò*, quia tam male Iſraëlitas acceperat, eaque victoriola inſolentior ac tumidior ipſi pœne Ioſuæ ac Deo inſultabat. *Secundò.* Quia cum gentes Chananæorum, ob peccata, diſperdere vellet Deus, maiora eorum capitibus vult infligi ſupplicia, C quia ab iis maxime, ſolent in populum manere ſcelerum exempla.

QVÆSTIO XI.

E cruce quando depoſitus Haienſis Rex, & cur?

I. **V**Sque *ad veſperam & ſolis occaſum* in cruce ipſum manſiſſe ait text. v. 29. Vere quidem, ſed in Hebræo & Græco, iſtud quod *de ſolis occaſu* additur, incipit nouam ſententiam ſic: *Et cum occideret ſol præcipit Ioſue.* Id autem videtur D additum, quia *veſpere* nomen aliquando totum pœne pomeridianum tempus complectitur, vti ſupra dictum, cum de paſchate ageretur: & patet 2. Reg. 11. verſ. 2. vbi quod noſter ait *ſurrexiſſe Dauidem è ſtratu ſuo poſt meridiem*, Hebræus ait, *ad tempus ipſius veſperæ.* 70. *πρὸς ἑσπέραν.*

II. Depoſitus autem è cruce fuit occidente ſole, quia id præcipit Ioſue. Præcepit vero quia præceperat Dominus Deut. 21. v. 23. Cauſa ibidem additur, quia *maledictus à Deo eſt, qui pendet in ligno, & nequaquam contaminabis terram tuam, quam Dominus Deus tuus dederit tibi in poſſeſſionem.* E Ac Rabbinorum quidem aliqui, vt R. Iſaac in lib. de Iſaac vinculis, dicunt ibi vocari eum, qui ſuſpenſus eſt, *maledictum* non *Dei*, ſed *Iudicum*. quia illic *elohim* ſunt *Iudices*, vti etiam alibi. Cæteri vero dicunt eſſe *maledictum Dei*, vel quia Deo maledixit verbi aut facti alicuius impietate, & ſic Chaldæus Paraphraſtes & Ralbag: vel quia ſuppliciorum omnium deteſtabiliſſimum eſt crux. ideoque ſatis eſt, ea eſſe affectum, neq; opus eſt diuturniorem in hominum omnium oculis infamiam perpeti. Adde *inſepultum relinqui*, F maximum etiam habitum & ſupplicium, & barbaræ crudelitatis argumentum. Ideoq; magnum dedecus ac nota fuiſſet Iſraëlitarum terræ inflicta, ſi pendere diutius inhumatos ſiuiſſent Iſraëlitæ, maxime cum, ob ſolis in regionibus illis ardorem, diſſolui, ſtillare, ac fœtere ſtatim inciperent ſuſpenſa cadauera, quibus etiam rebus inquinari terra videbatur. Alias etiam afferт Maſius rationes. Illud autem de relictis in patibulo diutius Sauligenis, extraordinarium fuit, & ad Gabaonitarum vota diuinitus conceſſum 2. Reg. 21.

QVÆSTIO XII.

Vbi, & quomodo humatus Haienſis Rex?

I. **I**N *ciuitatis introitu*, &c, vti Hebræus ait, *ad vrbis portam*, ſiue, *vbi aperitur porta*, proiectum fuit in cadauer. 70. ἔῤῥιψαν αὐτὸ (ſcilicet σῶμα) εἰς τὸν βόθρον, id-eſt, *proiecerunt ipſum cadauer in foſſam.* Neque vero ij, *Pechath* pro *pethach* traiectis literis legerunt, vti cenſet Maſius, ſed omiſerunt hoc totum de *porta*, quæ, vti ſæpe alibi, non vno totum *petach*, ſed altero etiam nomine *ſchaar* hic exprimitur: & indicarunt humatum ipſum fuiſſe, foſſaque obtectum. II. Sed ſuper ipſum excitatum fuit è coniectis congeſtiſque lapidib. monumentum ad perpetuam eius infamiam, prout ſupra c. 7. in Achane dictum.

QVÆSTIO XIII.

Quæ Haienſis expugnationis allegoria?

HIs *auditis* (ait Origenes homil. 8.) *veriſimile eſt auditores dicere, quo mihi hæc? quid mihi confert, ſi agnoſcam, quod victi ſunt ij, qui habitabant Hai, quaſi non ſimilia, aut etiam potentiora bella, vel geſta ſint, vel gerantur? Hæc fuit cura Spiritus ſancti, vt relictis tot & tantarum nobilium excidiis vrbium prælium ciuitatis Hai inſcriptum ſacris voluminibus mandaretur? Temerarium fortaſſè ſit quod facimus, tam ardua, & tam difficilia Scripturæ ſanctæ loca explanare conantes: ſed ſi nos orationibus veſtris iuuetis, non ſolum culpam effugiemus audaciæ, verum & deuotionem noſtram amplexus pater verbi Deus dabit verbum in adapertione oris noſtri, quo & vos ædificemini, & nos non indeuoti pareamus.* Subdit deinde allegoriam, ſed dico breuiter: *Mundus* iſte *Hai* eſt, vti nominis interpretatio & vrbis malitia declarat. Ad mundum hunc expugnandum, ſacra eloquentia, piiſque virtutibus capiendum miſit verus IESVS paucos olim aliquot in lege naturæ ac Moyſis, Patriarchas & Prophetas, eorumque diſcipulos & familiares: ſed parum profecerunt. imo eorum partim cæſi, partim fugati, & irriſi ſunt: quia magnum in populo Dei peccatum erat. Venit ipſe IESVS, & peccati huius pœnam in ſe tranſtulit, idque morte ſua piauit. Deinde populum, quem ad Eccleſiam ſuam aggregauit, duas in turmas diuiſit. Vna mundum palam aggreditur: altera ex inſidiis. Illa initio viſa eſt cædi ac fugere, quando à tyrannis capiebantur & excarnificabantur Chriſtiani. Quis non putaret de iſta religione actum? de illis triumphatum? Et IESVS ipſe, qui in obſcuriſſimam profundiſſimæ humilitatis vallem deſcenderat, viſus etiam vinci atque cedere, dum in crucem actus eſt. Sed conſtitit iſte tandem, vultum obuertit, manus precum ad cœleſtem patrem plenas, & crucis, patientię, caſtitatis, humilitatis, omniumque virtutum arma verſus Hai extendit, conſtiterunt cum eo omnes milites: cœperunt illos, qui peruertere

Digitized by Google

ipſos ac delere volebant, conuertere: in fugam A agere impios: ſcelerum omnium metropolim Hai capere, incendere, in ſempiternum ſtatuere tumulum. In inſidiis vero collocati fuerunt quotquot aut in montibus & ſpeluncis latentes, in ſolitudinib. & cauernis terræ conditi, in melotis & pellibus caprinis, egẽtes, anguſtiati, afflicti vixerunt, ſuiſque precibus ſuſpiriis ac ieiuniis, interdum etiam miraculis, mundum deceperunt & expugnarũt: incolas eius quamplurimos, ſpoliaque ampliſſima retulerunt. Sed & inſidias illi rectiſſimas machinati ſunt, qui prope Hai, in mediis hominum turbis, in foro B & circulis, in Principum & Regum aulis ſancto animarum zelo inſtructi, vitæ innocentia, morumque caſtrorum exemplo, diuina cum gratia, ſceleratam vrbem irruperunt, ſanctæque charitatis flammas iniecerũt, vt fumus ad idem non reſtinguendum, ſed augendum incendium quamplurimos inuitaret. Regem denique ipſum ceperunt Cacodæmonem, quando eum ſibi ſeruire non imperare coëgerunt: eum in crucem egerunt, quando peccata & vitioſitates omnes infelici cuipiam arbori affixerunt, vel per CHRISTI Domini crucem à ſeipſis re- C mouerunt: & lapidum aceruo ſæculis omnibus deteſtabilem expoluerunt, quando exemplorum firmitate, diſciplinęque duritia & conſtantia fecerunt, vt eum poſteri deteſtentur atque conculcent. *Quomodo autem ligno gemino*, ait loco citato Adamantius Origenes, *crucifixus ſit, operæprecium eſt noſcere. Crux Domini noſtri Ieſu Chriſti gemina fuit. Mirus tibi ſermo fortaſſe & nouus videtur, quod dico crux gemina fuit: hoc eſt gemina ratione conſtat & duplici. Quia viſibiliter quidem filius Dei in carne crucifixus eſt: inuiſibiliter vero in ea cruce diabolus cum principatib. ſuis & poteſtatib. affixus eſt cruci. Non* D *tibi hoc videbitur verum, ſi tibi horum teſtem produxero Apoſtolum Paulum? Audi ergo de iis, quæ ipſe pronunciat. Quod erat,* inquit, *contrarium nobis, tulit illud de medio, affigens cruci ſuæ, exuens principatus & poteſtates traduxit, libere triumphans eas in ligno crucis. licet in aliis exemplarib. habeatur,* TRIVMPHANS IN SEMETIPSO. *ſed apud Græcos habetur,* IN LIGNO. *Ergo duplex ratio dominicæ crucis: Vna illa qua dicit Apoſtolus Petrus, quod* CHRISTVS *crucifixus nobis reliquit exemplum: & hæc ſecunda, qua crux illa trophæum diaboli fuit, in quo & crucifixus eſt & triumphatus. Ideo denique & Apoſtolus Paulus dicebat: Mi-* E *hi autem abſit gloriari, niſi in cruce domini mei* IESV CHRISTI, *per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Vides quia & Paulus duplicem crucis prodidit rationem? Duo enim ſibi contraria dicit eſſe crucifixa, ſe ſanctum, & peccatorem mundũ, ad illam formam ſine dubio quam ſuperius diximus* CHRISTI *& diaboli. Nos enim mundo crucifigimur, tunc quum veniens princeps huius mundi, in nobis nõ inuenit quicquam. Et nobis mundus crucifigitur, quum peccati concupiſcentias non recipimus.* Et Petrus Damianus in ſermone de exaltatione ſanctæ crucis apud Surium tomo 5. *Rex* Hai *(vt narrat hiſtoria) ſuſpenſus eſt in ge-* F *mino patibulo: ita rex mortis in duplici patibulo ſuſpenditur: quia dum Chriſtum interficit, in ipſa cruce crucifigitur, quam inuenit.* Rurſum Origenes ibidem, *ſed & aliud mihi occurrit in loco conſideranti* IESVM *fugientem à facie exercitus Hai. Quid putas eſt, quod Ieſus fugiens deſignabat? Videamus ne forte ſit aliquid quod fugiendo vincamus, & eſt aliqua perfecta virtus in fuga. Paulus nos Apoſtolus docet dicens: Fugite fornicationem. Vides ergo eſſe quendam ſpiritum fornicationis, quem fugere debemus, quicumque caſte & pie in* CHRISTO *ac pudice volumus permanere. Iſta ergo fuga eſt, quæ habet ſalutem, iſta fuga virtutis eſt, iſta fuga beatitudinem confert. Et non ſolum fornicationis Spiritus fugiendus eſt, ſed ſimili modo ſicut dictum eſt, fugite fornicationem, audiamus dici ad nos, fugite auaritiam, fugite inuidiam & liuorem, fugite detractiones & maleloquia, quæ tamen neſcio ſi quis effugiat, neſcio ſi quis euadat. Iſte talis erat exercitus Hai, quem* IESVS *fugiendum docebat milites ſuos, & de iis fortaſſe mandat diſcipulis ſuis dicens: Si vos perſequuntur in hac ciuitate, fugite in aliam. Vult enim nos fugere ab huiuſmodi hoſtibus, vult nos longe effici ab huiuſmodi malis: & ſi potuerimus interim euadere horum malorum fugienda contagia, tunc videntes deuotionem, & propoſitum mentis ſancta quæque virtutes, illæ fortaſſe, de quibus dicit Apoſtolus. Nonne omnes ſunt miniſteriales ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis? Qui fortaſſe ſint ſancti Angeli: qui videntes nos inſectationem dæmonum pati, inſurgunt aduerſus eos, qui nos inſectantur, & omnes eos poſt tergum cædentes interimunt.* IESVS *enim eſt cum iis, qui inſectationes patiuntur, magis quam cum illis, qui perſequuntur. Et merito: quia delectatur eſſe* IESVS *cum iis, qui fugiunt ſuperbiam, qui fugiunt dolum, & qui fugiunt mendacium. Si ergo ita intelligamus ea quæ ſcripta ſunt, digna fortaſſe videbitur lectio ſtilo Spiritus ſancti. Nam quid mihi prodeſt, ſi ſciam quod in gemino ligno rex* Hai *ſuſpenſus eſt? Si autem ſciam duplicem eſſe virtutem crucis, in qua &* CHRISTVS *in carne ſuſpenditur, & diabolus cum ſuo exercitu triumphatur, ex intelligentia ſacramenti ædificabitur anima mea.*

Altera Cap. 8. Pars.

De Cæremonia in Hebal *&* Garizim *montibus.*

TOta hæc obitę in *Hebal & Garizim* montib. cæremoniæ hiſtoria, eſt hic à 70. Interpretib. non quidem omiſſa, ſed in ſequens caput 9. tranſlata, & duob. eiuſdem cap. verſibus primis poſtpoſita: cum tamen è Græcis textib. aliis, & ex Origene homil. 9. videatur idem olim apud illos ordo fuiſſe, qui in Hebræo & Latino eſt. Sic autem ea cæremonia ſe habet. *Primò.* Vniuerſo populo, tam quoad Iſraëlitas quam Proſelytos, tam viros quam fœminas, & pueros, fuit ad montes iſtos eundum. *Deinde.* Altare vnum excitandum. *Tertiò.* Lapides item duodecim erigendi, calceque incruſtandi. *Quartò.* In his inſcribenda lex. *Quintò.* In altari ſacrificandum. *Sextò.* Senæ in horum montium vno tribus, ſenæ in altero eſſe debuerunt. *Septimò.* In horum medio montium, in ipſa ſcilicet valle ſacerdotibus domini, cum arca, ſtandum fuit. *Octauò.* Ab his magna contentaque voce recitanda fuit certa benedictionum & maledictionum formula, eo modo, vt ad ſingulos reſpondere poſſet vniuerſus populus. AMEN. Hic eius cæremoniæ ritus, quam in Hebræo & Latino textu, nonnulliſque, vt dixi, Græcis, obiiſſe hoc loco narratur Ioſue toto cum populo. Sed plura in eo toto ritu diſcutienda.

Digitized by Google

QVÆSTIO XIV.

Quales, & vbi montes Hebal *&* Garizim.

BEniamin Tudelenſis in Itinerario: *Eſt*, ait, *Garizim mons fontibus & hortis amœnus: contra vero* Hebal *aridus ſaxis & lapidibus plenis. & ille quidem verſus Auſtrum: hic vero verſus Septentrionem ſitus erat.*

Sed in qua Chananææ terræ ſiti ſint parte cõtrouerſia eſt. *Communis* enim *opinio*, ait, eſſe prope *Sichem*, quæ *Neapolis*, poſtmodum dicta eſt, & tempore citati Beniamin paſſim vulgo *Naples* aut *Nables*, vocabatur non *Nebilas*, vti vertit ex Hebræo illius Interpres. Sic enim adhuc Italicam Neapolin vocant hodie Galli, quorum, Beniamini, æuo maxima in terra ſancta multitudo, ante annos ſcilicet pœne 500. At, paucis abhinc annis, Geographica diſciplina homo vt ex eius in Ptolemæum notis, & mundi Tabulis conſtat: præſtans, cenſuit, prout ei familiaris refert Maſius, prope *Hai* fuiſſe, ipſamque hanc vrbem in edito *Garizim* iugo ſtetiſſe. Eius rationes iſtæ ſunt. *Prima*. Lapides XII. de quib. antea, & iterum poſtea, fuerunt è Iordane ad montes iſtos tralati. Non igitur à Iordane procul adeo montes iſti erant, prout eſſent, ſi ad *Sichem* fuerunt. *Secunda*. *Sichem* in Chananæorũ hoſtium, quaſi medio erat. Eo igitur nunc, hoſtibus nondum deletis, pergere, totamque ſenum, fœminarum, ac puerorum imbellem turbam deducere, quæ fuiſſet prudentia? quæ non temeritas? *Tertia*. Cum vltra Iordanem eſſet Moyſes, & hanc ipſam præſcriberet cæremoniam, hos ipſos montes, quaſi vicini eſſent, ac in omnium oculis: videtur manu ac digito mõſtraſſe, cum diceret Deut. 11. v. 30. ex Hebræo verbatim, *Nonne hi* (montes) *in Transiordanem poſt viam occaſus ſolis*? *Quarta*. Aram inter Hai & Bethel poſuiſſe memoratur Abraham Geneſ. 12. v. 8. Ergo veriſimile eſt eodem loco, eodemque plane veſtigio Deum, hanc quam populus in Hebal exſtruebat, exſtrui voluiſſe. Id enim ad Abrahæ fidem imitandam, populumque vetere illa memoria magnopere cohortandum valebat plurimum. *Quinta*. D. Hieronymus libro de locis Hebraicis: *Sunt iuxta Hierichum duo montes vicini, contra ſe inuicem reſpicientes, è quibus vnus Garizim, alter Gebal dicitur. Porro Samaritani arbitrantur hos duos montes iuxta Neapolim eſſe: ſed vehementer errant. Plurimum enim inter ſe diſtant: nec poſſunt inuicem, benedicentium ſiue maledicentium inter ſe audiri voces, quod ſcriptura commemorat.* Et cum dixiſſet iuxta *Golgol*, quæ & *Galgal*, eſſe montes *Garizim* & *Gebal*, ſubdit: *Errant igitur Samaritani, qui iuxta Neapolin Garizin & Hebal montes oſtendere volunt. cum ipſos iuxta Galgal eſſe ſcriptura teſtetur.* Et ſimilia ſunt apud S. Epiphanium libro 1. hæreſi 9. vt ſub quæſtionis finem iterum notabo. Abulenſis videtur dubius. Nam hic q. 20. dicit eſſe *prope Hai*, & Deut. 11. ſimiliter, vbi tamen, vt poſtea oſtendam, eſſe ait *prope Sichem*.

A communi tamen ſententia non depellor. *Primo*. Quia ſcriptura clare, ſine vllis ambagibus, vt tergiuerſandi locus nullus ſit, recenſet *iuxta Sichem* Garizim, Iudic. c. 9. v. 7. *Ioathan ſtetit in vertice montis Garizim, eleuataque voce clamaA ait & dixit: Audite me viri Sichem.* Si à viris Sichẽ exaudiri potuit, certe montem, hunc fuiſſe proximum neceſſe eſt. Reſpondet Geographus, fuiſſe montem Garizim longo & perpetuo iugo inde à Sichem ad Hai vſque productum, atque vlterius etiam ad Hierichuntem, & prope ad Galgala. Sed hoc eſt fingere montes, qui nulli ſunt, neque ab vllo vel Geographo vel Hiſtorico vetere indicati. Nam inter Hai & Sichimã ipſumq. Garizim ſunt montes *Bethel* & *Ephraim*: & ab his ad Sichimam planities longiſſima. Et confirmatur ex Geneſis cap. 12. verſ. 8. vbi deſ-
B cendentes Sichimis Abraham, dicitur tandem *ad montem* veniſſe *Orientalem, qui eſt ad Bethel*, quaſi mana interceſſerit Planities, & poſt eam Bethelæus ille mons. *Secundo*. Ioſephus iis in locis natus, & altus, qui loca eadem luſtrauit, armiſque diu & conſtanter tutatus eſt: noſtrum Ioſue ait ἐπὶ σιχίμων toto cum populo profectum, & illic, vbi prædixerat Moyſes, arã ſtatuiſſe. Rurſumque libro quinto cap. 9. planiſſime, ὑπερκεῖ) τῇ συχέμ τὸ ὄρος Γαριζίμ. *Tertio*. Rabbini omnes idem ſentiunt, adeo vt in tractatu *ſanhedrin* cap. 6. & tract. *ſutah* c. 7. hos circiter 60. millia paſ-
C ſuum, ab Iordane abeſſe montes dicant. Et tamẽ ſi certa explorataque non fuiſſet inter Iſraelitas omnes ſententia, vel eo, vti quidem reor, nomine facta hæc in Garizim negaſſent, quia illis ædificatum fuit Hieroſolymitano aduerſarium templũ, de quo in Machabæis dixi, & quia Samaritanos, quibus opinionẽ iſtã tribuit Euſebius, oderant admodũ, neque tantum iis gloriam & facti huius celebritatem conceſſiſſent. *Quarto*. Beniamin quæſtionis huius initio citatus. *Iacet*, inquit, *vrbs Sichem in profunda valle inter Garizim & Hebal montes: in qua Cuthæi. circiter centum ſunt, ſolius Moſaicæ legis tantum obſeruatores.* Hos
D vti dixi, Samaritanos appellant. *Quinto*. Chriſtiani, qui loca ea vel incolunt, vel adeunt, idẽ teſtantur omnes, è quibus in terræ ſanctæ deſcriptione Brocardus, *Haud longe, à porta Sichem Auſtrali eſt fons Iacob in via, quæ ducit Hieruſalem, vbi Dominus ſedens ſuper puteum potum poſtulauit à muliere Samaritana*, Ioann. 4. *ſupra fontem iſtum ad dexteram eſt mons excelſus habens duo capita, quorum vnus eſt mons Garizim, alius, mons Ebal.* Abulenſis Deuteronom. 11. ante quæſtion. 8. *Mons Garizim diſtat à Sichem paulo magis quaſi media leuca vel fere vna. Hebal modicum vltra eſt magis verſus Orien-
E tem, vt ſit quaſi leuca & dimidia, vel non tantum. Sexto.* In Itinerario Burdegalenſi leguntur etiã hæc: NEAPOLIS. *Ibi eſt mons Agariſen. Ibi dicunt Samaritani, Abraham ſacrificium obtuliſſe: & aſcenderunt ad ſummum montem gradus numero 300. Septimo*, Apud Photium pagina 564. Damaſcius ſcriptor Ethnicus: ὁ διάδοχος Πρόκλου ὁ Μαρῖνος γένος ἦν ἀπὸ τῆς ἐν Παλαιστίνῃ Νέας πόλεως πρὸς ὄρει κατῳκισμένης τῷ Αργαρίζῳ καλουμένῳ ἐν ᾧ Διὸς ὑψίστου ἁγιώτατον ἱερὸν, ὃ καθιέρωτο Ἅβραμος, ὁ τῶν πάλαι Ἑβραίων προπάτωρ. quod Latinus In-
F terpres pag. 373. ita vertit, vt ᾧ non ὁ καθιέρωτο legendum putet: ipſe autem ſcriptor Ethnicus pro Θεοῦ poſuit impium Dei ſui nomen Διός. *Octauo*. Vt à qua cœpi, finem in ea faciam, S. Scriptura, lõge profecto à Iordane mõtes iſtos diſtare, ſatis videtur ſignificare, cũ Deut. 11. v. 30. ait: *Qui ſunt trans Iordanem, poſt viã, quæ vergit ad*

Digitized by Google

ſolis occubitum, in terra Chananæi qui habitat in campeſtribus, contra Galgalam, quæ eſt iuxta vallem tendentem & intrantem procul. Nam *primo*. in transiordanina eos collocat. *Secundo*. Non proprie Iordanem, ſed longo ſatis interuallo, poſt viam, qua ad occaſum ſolis venitur: longe ab *Hai*, vbi fuit *Amorrhæus* ſupra capite. 7. verſu 7. *in terra* ſcilicet *Chananæi*, non cuiuslibet, ſed *eius, qui habitat in planitie*, ſeu, in campeſtribus quæ ſunt è regione Galgalæi loci, id eſt, quaſi è directo, ita vt ſi in Galgalis in Oriente poſitis recte verſus occidentem ducatur linea, iſti attingantur Chananæi, in quorum terra montes hi ſunt. *Tertio*. Atque vt omnis remoueatur error, additur Hebraice *iuxta quercus*, ſeu *arbores moreh*. At hæ iuxta *Sichem* erant. Ita enim habes in Hebræo Geneſ. 12. verſu ſexto, *& tranſiit Abram in terram vſque ad locum Sechem, vſque ad arborem moreh.* vbi noſter vertit, *vſque ad conuallem illuſtrem*. Quod cur fecerit, rurſumque in Deuteronomio verterit *vallem tendentem & intrantem procul*, vide Abulenſem Deuteron. capite 11. in Commentar. fine. *Nono*. Confirmatur denique communis opinio diſſolutione illorum omnium, quæ Geographus contra diſſeruit.

Ad primam. Negatum eſt cap. 5. in iis, quæ poſt tranſitum acciderunt quæſt. 6.

Ad ſecundam. Qui tranſire Iordanem, in Chananæam ſeſe inferre auſus fuit, quidni & vlterius in ea progredi auderet? Quid imprudentiæ eſt, tot bellatorum tecum millia cum habeas, via commoda ſit, hoſtis nullus occurrat, in Deo ſpem colloces, eo duce, in hoſtico, quamuis procul, pergere?

Ad tertiam. Intendit ſane in transiordaninam totam digitum Moyſes, eamque tanquam in tabella depictam videns ipſe ac oſtendens aliis, loquebatur, quemadmodum ſi de Alpibus loquens aut vicinioribus montibus, manum verſus Orientem porrigerem, & transrhenanam monſtrarem.

Ad quartam. Etiam prope Sichem erexit aram Abram & quidem prius, quam prope Hai, Geneſ. 12. ita vt ararum ipſius Abrahæ omnium prima illa fuerit in Chananæa, & quidem eam ob cauſam, quod ei Deus apparuerit, eique terram hanc promiſerit. Ideoque plus momenti ad Iſraelitas fide, ſanctaque Abrahæ imitatione ac loci religione imbuendum habuit Sichemia, quam Haienſis vicinia. Et *in iſto*, ait Diuus Hieronymus Trad. in Geneſin, *monte conualuit Iacob à claudicatione, & factus ſalem, id eſt, incolumis.*

Ad quintam. In opinionem illam ſuam inductus eſt Euſebius potius quam Diuus Hieronymus, illius libelli citati tantum Interpres, verbis 70. male intellectis. Cum enim Deuter. 11. dicant τὸ τοῦ χαναὰν ἔθνος ἐχόμενον τοῦ γολγὸλ εἶναι, putauit ἔχεσθαι valere, *iuxta galgat eſſe*, cum vt ex Hebræo ſupra dixi, valeat *eſſe ex oppoſito, è regione*. Ideoque Samaritanorum, quam is errorem vocat, opinio, fuit, & Iudæis & Chriſtianis hactenus, etiam poſt Euſebij hanc diſputationem, omnibus receptiſſima. Notandum vero apud 70. χαριζὶν & γαιβὰλ ſemper ſcribi, apud Ioſephum declinari γάριζις & γίβηλος: apud Latinos ſcribi modo *Hebal*, modo *Gebal*, aut *Ebal*. quia ab eadem aſpera litera incipit, à qua dictum eſt capite ſeptimo quæſtione vndecima incipere *Hai*. In citato antea Ephiphanio libro primo hæreſi nona, ſcribitur χαριζεὶν. eoſque montes videtur etiam prope Hierichuntem vltro Iordanem collocare, aitque ad eos montes ſeſe, dum orarent, conuertere ſolitos Samaritanos. quod populorum ſuorum quatuor illic abſcondita eſſent idola: ſicque occulte, quaſique inſcienter idololatriam admiſiſſe, prout libro quarto Regum capite decimoſeptimo repetitur. Cæterum quia Hebræis *Har* mons eſt, ex eo, & *Garizim* conflatum eſt, vt in Damaſcio vidimus, ἀργάριζον, quaſi *mons Garizim* prout in Photij notatum notis folio 977. & in citato etiam ſupra Itineratio Burdegalenſi, *Agareſen* pro *Argareſen*, vel cum articulo *Hagareſen*.

QVÆSTIO XV.

In vtro monte altare? & in hoc aut illo, quæ tribus, & quomodo?

I. IN *hebal* erectum fuit altare. Deuteronom. 27. verſu 5. & hic verſu 30. non in *Garizim*. *Primo*. Quia vnum eſſe debuit altare. *Secundo*. Quia forte voluit iam tunc Dominus futurum Samaritanorum in Garizin templum altari orbare, quaſi vanum id caſſumque templum foret.

II. In Garizim fuerunt ſex iſtæ tribus, *Simeon, Leui, Iudas, Iſſachar, Ioſeph*, ſeu *Ephraim, & Beniamin*. In *hebal* vero, *Rubem, Gad, Aſſer, Zabulon, Dan, Nephtali*, Deuteronom. 27. verſu 12. 13. Cauſam dant Rabbini: quia liberarum vxorum fuerunt primi ſex, filij, reliqui vel ancillarum, vel certe è liberis poſtremi.

III. In citato Deuteronomij capite dicuntur iſtæ tribus fuiſſe *ſuper* iſtos montes, hic vero verſu 33. *iuxta*. Sed particula Hebraica *hal* poteſt *ſuper*, iuxta, & *in* verti. Pars autem iſtorum fuit ad montium radicem pœne iuxta ſacerdotes, qui in ima erant valle, pars autem in ſuperiori montium dorſo, & hi *ſuper*, illi *iuxta montes* dicuntur fuiſſe. Sane qui iuxta montes & quaſi regione fuerunt, deſcribuntur hic fuiſſe *ſeniores duces*, qui in Hebræo *ſchoterim*, de quibus antea capite primo, & *Iudices*. Non conſidebant vero, ſed vt, in eodem Deuteronomij loco eſt, *ſtabant*, quo ſcilicet maior ac religioſior attentio, veneratio, & reuerentia ſignificaretur. Dubitandum vero non eſt, quin ordine bono & pulchro & ſenæ vtriuſque montis tribus, & tribuum familiæ ac domus fœminæ, puelli, ac puellæ collocatæ fuerint: vt nulla ibi eſſet ἀταξία, nulla perturbatio, leuitas, & procacitas. imo nec vllum ab hoſtibus, ſi qui aliunde forſan irruerent periculum.

Digitized by Google

QVÆSTIO XVI.

Cuiuſmodi altare in Hebal fuit?

DE *lapidibus impolitis, quos ferrum non tetigit*, fuit altare, prout hic dicitur verſu 31. & Deuteron. 27. verſ. 5. Cur autem eiuſmodi voluerit Dominus varias varij excogitarunt rationes. *Primo.* Abenezra, quia nefas à lapidibus, qui ad ſummum Dei, cultum adhiberentur, fragmina vlla perire, vel in quiſquilias & fimũ decidere. *Secundo.* Rambam in lib. *Moreh Nebuchim*, ne ex eiuſcemodi tam ſacrorum lapidum fruſtis idola, per aliquam religionis ſpeciẽ fingerentur. *Tertio*, Ralbag & R. Iſaac, ne Deus, qui in ſe ipſo perfectiſſimus, nulliuſque rei egẽs eſt videatur hominum egere opera & arte ad aræ ſuæ abſolutionem. *Quarto.* Iidem, ne homines id, quod per altare ac ſacrificium à Deo accipiunt bonorum, id labori operique ſuo acceptum ferant. *Quinto.* Abulenſis in Deuteronom. 27. & Exod. 20. quæſt. 40. ne altare ipſũ velut idolum adoraretur, ſi pulchros, politos, & in certas effigies conformatos haberet lapides. *Sexto.* Rabbini complures, vt Nehemanus, Bahaians, & alij in Mechilta, Tanchuma, & Thalmud: ne quid pernicioſum, hominumque vitæ ac incolumitati noxium, aram, è qua, & per quam ſalus, vita fauſtitaſque omnibus hominibus à Deo conciliatur: attingeret, ferro autem quid pernicioſius? quid exitialius? *Septimo.* Maſius, ne quid in altaribus ſit, quod admirentur homines, præter ipſum ſalutis noſtræ ſacrificium: quod eſt corpus & ſanguis Domini: quod veterum victimis figurabatur, ab ipſiſque præſciebatur: à nobis iam ſcitur atque creditur: *Quo illud etiam ſpectare opinor*, inquit idẽ Maſius, *quod maiores noſtri tantopere deteſtabantur, ſi vllum ſimulachrum, aut imago, in aris conſpiceretur: vt eſt ab Optato Pontifice Milleuitano literis proditum. Memorat enim ille, Donatiſtas, ea re per fraudem procurata, Catholicorum hominum religionis & ſacrorum exiſtimationem violare conatos eſſe. Et D. Auguſtinus illius, opinor, æqualis, quoſdam habere ſtatuas pro Deo, inde conficit*, (ſermon. 6. de verbis Domini) *quod eas in aris collocent* Hoc poſtremum qui accipiendum, dicam paulo poſt: ſed harum rationum plures parum videntur firmæ: ſint aliquæ tamẽ vt vocantur, congruentiæ. quibus addo rectè Deum ex terra, ſaxiſque rudibus altare ſuum voluiſſe. *Primo.* Vt ſignificaret, Veteris Teſtamenti ſacrificia & victimas rudes ac informes fuiſſe: typos nimirum & figuras vnici CHRISTI IESV ſacrificij, quod in crucis ara ſemel cruẽte factum, incruente quotidie repeti aſſolet. *Secundo.* Vt oſtenderet, quam rudis ac impolita & dura futura eſſet eiuſdem CHRISTI Domini, veriſſimæ pretioſiſſimæque victimæ ara, ipſa inquam crux, vt indicat Procop. *Tertio.* Vt altarium veterum nullum eſſe oportere perpetuum aduerteretur: ſed quemadmodum ex terra, & ſcabris horridiſque lapidibus facile conſtruerentur: ita facillime deſtructum iri. *Quarto.* Vt ſubito & vbique, cum voluiſſet Deus occaſio eſſet altaris ipſi erigendi, cum minime operoſum artificioſumue poſtularet. *Quinto.*

A Vt ſe victimas potius quam altaria intueri, magiſque illarum puritate ac ſanctitate, quam horum precio & arte oblectari monſtraret Dominus. *Sexto.* Ratio Maſiana perplacet, ſed de ſtatuis, quod adiiciebat, quidnam eſt? An earum nullas in altaribus eſſe vult? At religioni ſacerdotum nonnullis eſt, quæ miraculis etiam quandoque diuinitus approbata, abſque crucifixi ſaltem imagine, ſacris operari: & ea veluti religioſiſſima ſuſpiciuntur altaria, quę plurimis pulcherrimiſque picturis & ſtatuis ornantur.

B Dico tria. *Primum.* Picturæ ac ſtatuæ, quæ Dij putentur nullæ in aris ponendæ, & de his loquitur Optatus & S. Auguſtinus ſermon. 6. de verbis Domini. vbi oſtendit Chriſtianos illos male agere, qui cum Gentilibus in idoliis diſcumberent: & licet dicerent hi *genium Carthaginis*, non eſſe Deum, pro Deo tamen ab illis haberi docet, quia ara illi ſtatueretur ac erigeretur. Nullis autem aut imaginibus aut ſignis & ſtatuis aram vllam ſtatuunt Catholici vlli: ſed ſoli Deo. *Secundum.* Altaria vero picturis & ſtatuis, quæ
C CHRISTVM Dominum, cæliteſque referant, ornare, bonum eſt, eadem iis carere malum non eſt. *Tertium.* In quæſtionem tamen vocari poteſt vtrum ſit melius, & conducibilius? Quidam vt Capucini, ſpectant ſimplicitatem & paupertatem, qua delectatur Deus, aut nimiæ cuiuſdam ruditatis ad ſuperſtitiones aliquas prolapſionis periculum: & hi vel nullas, vel perpaucas imagines, Græci ſane ſtatuas nullas ponunt, vti nec Tzerniani & Potznaniani, de quibus in eorum lingua, lib. *de 12. linguis*, Poſtellus. alij vero, quo rebus omnibus & materia & arte altaria ornatiora ſunt, eo ipſi CHRISTO domino, eiuſque vero & ſummo ſacrificio plus fieri honoris
D autumant, magiſque ad Dei cultum curuas in terris animas ſurrigi & accendi exiſtimant, hique omnem ſacrarum veſtium, vaſorum, picturarum, & ſculpturarum elegantiam adhibent. Neutri damnent alios, & ſuo in iudicio quiſq. abundet. Vna fides, vna iungit hoc tẽpore charitas Societatis IESV homines, & Capucinorum familiam. Quam diſparia tamen eorum templa? Quam illorum ornatæ, quam inornatæ ac ſimplices iſtorum aræ? Ab aris vero omnibus remouendæ imagines ac ſtatuæ omnes, quæ leuiores, laſciuiores, vanitatis quam pietatis efficientiores, quæ ab laſciuis vel hæreticis picto-
E rib. pingi fingique ſolent, de quib. vide Trident. Concilium ſeſſ. 25. *de inuocatione*, & Molanum ac Paleottum *de picturis*, Quam abſurdus vel pictor, vel qui pictori deſcripſit, à quo in Bleidenſtrattenſi templo Gentilis Lucretia? Quam ſcurrilis, & fœdus ille in Moguntino S. Stephani templo iudicij extremi typus? Verum ſatis. Notat porro Abulenſis hic non vetari ferrum, quo è lapicidinis forſan eruerentur lapides, ſed quo ſculperentur, & celarentur tanmmodo. Eiuſmodi etiam rudes aras ſe circa
F Trapezuntem vidiſſe refert Arrianus.

QVÆSTIO XVII.

Quæ in Hebal facta ſacrificia?

SAcrificiorum genus duplex, *cruentum & incruentũ.* Illius apud Hebræos tres inueniũtur

Digitized by Google

ſpecies, *holocauſtum, pacificum, expiatorium* ſeu *pro* A *peccato.* Huius vero incruenti vnicam ſpeciem notat Caluinus in Leuiticum cap. 6. *caprum,* ſcilicet *emiſſarium,* de ipſo ſic fol. 263. *Hoc ſolum in lege fuit piaculare ſatrificium abſque ſanguine.* Adiici poſſunt ex lege naturæ, ſacrificium Caini Geneſ. capite ſecundo. Melchiſedechi capite 14. ex Gentilium vero vſu illa, quæ in Delij Apollinis ara cornea, vt eſt apud Plutarchum libro, *vtra animalia prudentiora*, Ouidium in Epiſtol. Cidippes, Callimachum in Apollinis hymno, Diogenem Laertium in Pythagora, Alexandrum ab Alex. libro ſexto capite 2. vbi B plura. E ſacro autem Chriſtianorum ritu, eſt *ſacroſancta Eucbariſtia*, quæ ſæpius à Nazianzeno *ἄναιμος καὶ ἀναίματος θυσία.* Hic vero cuiuſmodi ſacrificiorum oblata genera fuerint, declarat verſ. 31. *Obtulit* (Ioſue) *ſuper eo* (altare) *holocauſta domino. Immolauitque pacificas victimas.* Sed intelligendus hæc obtuliſſe Ioſue per ſacerdotes, tanquam Dux populi, & Dei Propheta, qui fieri iuberet: ſicuti & populus in Hebraico eadem, per eoſdem, obtuliſſe ſacrificia, narratur, tāquā per publicos diuini cultus miniſtros. Ita enim habet ille: C *Et aſcendere fecerunt* (ſcilicet Iſraelitæ) *holocauſta, & immolarunt pacifica.* Quid autem ſint, & quomodo differant ſacrificia hæc dixi, in Exodo. Vide Riberam libro quarto *de templo*, Sigonium libro quarto *de Republ. Hebræorum.*

QVÆSTIO XVIII.

An præter Altaris lapides, alij aliqui erecti?

D

IOſephus eoſdem cum altaris lapidibus videtur ſtatuere, qui à populo hic erecti dicuntur, hancque ipſi tribuit ſententiam Maſius. Abulenſis hoc loco quæſtione 26. notat, ſe quidem in Deuteronomio alios tradidiſſe: nunc tamen concedit eoſdem dici poſſe, quia in Deuter. ipſi altaris lapides calce illinendi fuerunt capite vigeſimo ſeptimo, verſu quarto. At quorſum, niſi vt in iis inſcribi poſſent, quæ inſcribenda illic iuſſa ſunt? fuiſſe tamen diuerſos reor. *Primo.* Quia in Deuteronom. 27. verſ. 4. dicunE tur primo erigendi lapides & calce incruſtandi: poſtea vero iubetur ædificari altare verſ. 5. At ſi lapides illi erecti ad altare ipſum pertinerent, eo ipſo, quod illi eſſent erecti, iam ædificatum eſſet altare. Nam firme, ac ordine diſpoſiti erant. deinde lapidibus non incruſtatio & leuigatio, ſed aſperitas & natiua ſcabrities tribuitur verſu 6. *Secundo.* Quia hæc plurimorum, eorumque non vulgarium ſententia eſt, vt Caietani, Maſij, & vti mihi quidem videtur, ipſius etiam Ioſephi. Cum enim vnicum *βωμὸν* F ad ſacrificium nominaſſet, dicit poſtea *τὰς ἀρὰς* ſeu *imprecationes* fuiſſe inſcriptas *ἐπὶ τῶν βωμῶν*, id eſt, *in lapidibus* illis erectis & excelſis. Hos enim vocat *βωμοὺς.* Alioquin altaria illic plura fuiſſent, contra ſcripturam. Ideoque errat Ioſephi vetus Interpres dicens, *in ara fuiſſe ſcriptas* *maledictiones*, cum plurali numero vtatur Ioſephus. Et ne dicas à Ioſepho ſcriptum, *ἐπὶ τὸν βωμὸν*, vide in hac ipſa re Deuteronom. 27. in 70. *γράψεις ἐπὶ τῶν λίθων*, & hic cap. 9. *ἔγραψεν ἐπὶ τῶν λίθων.* Pro Ioſepho igitur, ad alteram illam opinionem aggregarim potius Origenem homilia 9. de quo infra.

QVÆSTIO XIX.

Quot, quanti, & quales iſti lapides?

PRimo. *Duodecim* fuerunt, pro duodecim ſcilicet tribuum numero. Tot enim etiam ſtatuerat Moyſes, cum Iſraelitis legem recitaturus eſſet Exod. 24. ver. 4. eaque ratiocinatio placet Maſio, vt quod illic fecerat Moyſes, idē hic faciat eius diſcipulus Ioſue. *Secundo. Ingentes* fuiſſe traduntur ab omnibus. qui & idcirco à Ioſepho dicti *βωμοὶ*, quaſi *Bamoth. Tertio. Aſperi* quidem & impoliti erant iidem lapides, vel quia vt pollirentur non ferebat tempus, vel quia illo modo facilius, ocius, & plus in iis ſcribi poterat. Sed appoſito calcis tectorio læuigandi fuerunt Deuteronom. 27. verſ. 4. Sic enim & candore magis omnibus conſpicui reddebantur: & ſcripturam, vti dixi, facilius & citius admittebant. & quidem tantam, quantam libuiſſet inſcribere. hos 70. vocant, *ὁλοκλήρους, perfectos & integros*, de quibus quæſtione 27.

QVÆSTIO XX.

Quidnam iſti lapides inſcripti?

COniecturæ variæ. *Prima.* Libros quinque Moyſis fuiſſe his in lapidibus conſcriptos. Ita liber *Teamim*, ſeu *apicum*, & in tractatu *Sutah*, Thalmudicorum aliqui. *Secunda.* Tantummodo Deuteronomium, ſed totum. Abulenſis Deuteronomium capite 27. quæſtione 1. hic quæſtione 27. & 28. *Tertia.* Huius, & librorum Moyſis aliorum tantummodo particulam quadrupliciter. Quidam enim decem ſolummodo præcepta inſcribunt, vt Lyranus, & Hebræorum aliqui. Aliis videntur inſcripta præcepta illa, quæ Deuteronom. cap. ſexto explicauit Moyſes, videlicet de vnitate Dei, & de amore Dei. Hæc enim ſunt præcipua, & præcipuè explicata in ſecundaria traditione legis, quam fecit Moyſes, vt doctor legis à Deo traditæ. Ita Caietanus. Alij legum Moſaicarum omnium compendium, quod conſtare aiunt DCXIII. præceptis, quorum affirmatiua ſunt CCXLVIII. negantia & prohibentia CCCLXV. Ita R. Abenezra eumque ſecuti plures. *Denique* ſolas benedictiones in iiſdem collocant alij, in quibus eſt Maſius, & videtur l. c. Ioſephus. Quid vero Caluinus velit, non ſatis explanat. *Eorum*, ait, *ſententiæ libenter ſubſcribo, qui per legem repetitam* (& in lapidibus ſcriptam)

Digitized by Google

intelligunt exemplar deſcriptum, quod vulgus copiam vel duplum nominat. ſed quamcunque coniecturarum iſtarum omnium ſequaris, ſemper in lapidibus exemplar deſcriptum eſt: non ipſum autographum Moyſis. Addit ille tamen, ſibi *non credibile totum volumen, illic fuiſſe exaratum.* Sed de vtro volumine totius ne legis, quam 5. libris comprehendunt Iudæi, an ſolius Deuteronomij? Tandem *legis*, ait, *nomine ſummam & ſanctiones notari exiſtimo.* Sed *ſummam*, quam? an prout expoſuit Lyranus, aut Caietanus, aut Abenezras, aut Ioſeph? Ita cum explicare rem videtur, eam vel tacet, vel implicat. Mihi autem ſecunda placet coniectura, totum inquam Deuteronomium fuiſſe lapides iſtos inſcriptos. Nam ita diſerte hic verſ. 3. Hebraice, *miſchneh thorath moſch*, quod eſt *Deuteronomium*, vti vertit noſter, & Græci in regiis exemplaribus. & confirmatur ex Deuteronom. 17. verſus 18. vbi eadem Hebraica vox, & Græca in ipſis 70. eſt, & additur hic verſus 32. *quod ille digeſſerat* (Moſes) *coram filiis Iſrael*, Hebraice & Græce *quod ſcripſerat. Secundo.* Quæ pleroſque terret cauſa, ne totum hic Deuteronomium ſtatuant, eſt eius magnitudo, quæ iſtis lapidibus capi non potuerit. Et ſane abſque allegoria rem expediri non poſſe putauit Origenes homilia 9. At vero capi facile potuit. Erant enim, vt ſupra dixi quæſt. 19. admodum magni, & numero multi, omneſque bene incruſtati & exæquati, quoad vtrumque latus, vt in iis quam plurimum ſcribi potuerit. Neque enim probare poſſum, quod ſine argumento vllo cenſet Maſius, eandem rem eademq. verba in omnibus depicta. Quorſum enim eadem crambe toties? qui vnum vel alterum legiſſet ſaxum, feſſus ac nauſeabundus prætériiſſet alia. Non ſic. Sed in ſaxo vno erat vna duodecima Deuteronomij totius portio, in altero altera, & ita deinceps: ſiue præciſe ſumantur hæ duodecimæ, ſiue non. prout paulo plus aut minus ferret ſententia. *Tertio.* Poſſet nonnullos ea etiam terrere cauſa, quod nimiũ, de ſcribendo Deuteronomio temporis ponendum fuiſſet. At vero id nihil eſt. Non enim neceſſe fuit, vnum tantummodo ſcribere: ſed plures eſſe potuerunt, v. c. duodecim, pro ſingulis lapidibus ſcribæ ſinguli. Quin vero forſan ſingulæ tribus dederunt pro ſuo lapide ſcriptores ſenos, vt feſſo ſcribentium vni ſtatim ſuccederet alius: ſicque ſtatim res tota conficeretur. Atq. vt hæc & ſuperior allata ratio magis pateat accipiamus Deuteronomij verſus omnes. Hi numero ſunt 1055. In ſingulis ergo lapidibus erunt verſus 87. in vno eius latere 43. & dimidiatus in altero totidem. Et ſi ſingulorum lapidum ſeni fuere ſcriptores, ſingulis fuerunt verſus XIV. & dimidiatus ſcribendi. Quam expedite ac celeriter fieri hæc omnia potuerunt? *Quarto.* Sunt in coniecturis aliis, quæ improbentur, aliqua. Nam neque in vllam proprie cadit Hebraicæ, Græcæque hic poſitæ vocis notio. neque vlla eſt, quæ non aliquid ſponte ſua, quod deſcriptum malit, deligat, aut potius fingat, prout Abulenſi loco citato docetur. vt interim iam nihil dicam de 613. præceptorum parum accurata numeratione, de qua in Exodo dixi pluſcula.

QVÆSTIO XXI.

Quomodo in iſtis lapidibus Deuteronomij facta inſcriptio?

DEuteronomij 27. verſ. 8. iubetur, vt inſcribantur in iſtis lapidibus *omnia verba legis plane & lucide*: 70. σαφῶς σφόδρα: Hebraice, *explanando bene.* Putarunt autem Iudæorum quidam in citato libro *de apicibus*, & apud R. Eliam præfatione. 3. in *hammaſoreth* fol. 44. hic ſignificari, *puncta*, quibus Hebraica hodie Biblia pleraque compũgi cernimus, *appoſita fuiſſe.* At *primo*, nondum tunc erant iſta inuenta puncta, prout contra Ceuallerium, eiuſque diſcipulum Hugonem Brughtonum dixi in Prolegomenis Bibliacis, ex ipſo R. Elia loco citato, vbi Rabbinos ſuæ huius ſententiæ aſtipulatores afferr cõplures, quibus addi poſſunt recentiores Chriſtiani, Hieronymus Vallenſis libro *de accentibus Hebraicis*, Arias Montanus præfat. in verſionem Pagnini, Genebrardus præfat. in Pſalmos & in Pſ. 104. v. 1. Leo Caſtrius præfat. in Iſaiam: è nouatorib. etiam Munſterus in *Meleceth. baddicduk* fol. 17. 18. 19. Scaliger in fragmentis de emendatione temporum fol. 32. Vvirtenbergẽſis Academia libro contra Schererum: *Secundo.* Eſto tamen fuerint iam tunc puncta: ea tamen per verba iſta non neceſſe eſt ſignificari. Tantum enim efficiunt, vt plane, ac eleganter, non nimium exilibus litteris, non nimium iunctis & compreſſis vocibus iſta ſcribantur.

QVÆSTIO XXII.

Quot, & quales fuere precationes ac imprecationes?

VIdetur habita tribuum ratio. Nam c. 27. Deuteron. à verſ. 15. enumerantur imprecationes XII. & veriſimile eſt iis reſpondiſſe fauſtas precationes totidem, licet non niſi paucarum fiat cap. 28. mentio. Quales autem ſint, & quam variis aut bonis aut malis cumulatæ, legere eſt ibidem c. 27. & 28.

QVÆSTIO XXIII.

Quo, in iis precationibus & imprecationibus pronunciandis, modo ſeſe habuerint ſacerdotes?

PRimo. In valle ipſa ſtabant eorum aliqui arcamque fœderis geſtabant. *Deinde.* Circum hos alij ſacerdotes ac Leuitæ omnes. Circum hos *tertio* ſtabant maiores natu, duces & Iudices. 4. Deinceps tribus omnes, aſcendendo v. montium cacumen. 5. Initium omnium factum, eſt à benedictione, vti diſerte notatur v. 34. vbi prius legit Ioſue, *omnia verba benedictionis & maledictionis*, poſt vero, *cuncta quæ ſcripta erãt in volumine. Benedixit autem populo Ioſue*, vel per ſe ipſum ſc. tanquã Propheta, vel per ſacerdotes, vt ſupra de ſacrificio q. 17. dictũ. Ideoq. errant in tract. *Sutah.* Thalmudici, dicẽtes ab ipſa legis

recitatione hanc inchoatam cæremoniam. 6. Sacerdotes aliqui, maxime qui vocaliſſimi videbantur, legem recitarunt. 7. Verterūt ſe ad *Garizim*, & pronunciarunt benedictiones ad montem *Hebal*, maledictiones. Et vtriſque videtur montium natiua fuiſſe conditio accommodata. Nam *Garizim* fertilis & amœnus, ideoque verſus eum recte concipiebantur omnes fauſtitatis precationes: ſterilis vero & inamœnus Hebal. Imprecationes igitur & deteſtationes recte accipiebat. *Octauo*. Ad ſingulas reſpōdebat magna voce populus, *Amen*. Licet enim à valle remotiores ſacerdotum forte vocem B non ſatis audirent, ipſa tamen cæremoniæ ratio & primorum vociferatio illos monebat, & inſigne ab omnibus *Amen* exprimebat.

QVÆSTIO XXIV.

Quando ad montes iſtos, cæremoniæ huius cauſa venerunt Iſraelitæ?

IN Hieroſolymitano Thalmud vult R. Iſrael poſt decimumquartum in terram iſtam ingreſſus annum, ad montes iſtos veniſſe populum Iſraeliticum, ritumque hunc obiiſſe: Ioſephus loco ſupra citato, poſt 5. annum In Babylonio Thalmud tract. *Sutah* cap. 7. Rabbini alij eodem ſtatim die, quo tranſmiſſus fuit Iordanis. Sed hi poſtremi refutati ſupra cap. 5. poſt tranſitum quæſt. 6. Tam hi vero quam alij omnes è capitis huius narratione refelluntur, quia ſtatim ſubditur cæremoniæ huius functio Haienſi expugnationi, ſed etiam & multo maxime, quia in eadem narratione particula eſt, quę ad aliud nos tempus euagari non ſinit, videlicet verſ. 30. *tunc*. Ideoque reiicienda, quam hic Raſchi comminiſcitur, ordinis in textu perturbatio & recapitulatio, vt ait quæſt. 17. Abulenſis: & dicendum, poſt expugnatam Hai, hnc Iſraelitas profectos, non tamen abſque vllo prorſus temporis interuallo. Nam, vt quæſt. 20. docet Abulenſis, reditum ab Iſraelitis eſt in caſtra, & aſſumptis inde ſenibus, fœminis, pueriſque omnibus, cum impedimentis aliis itum ad montana hæc. Neque enim illi ſine his profecti ſunt, vt ex huius capitis vltimo verſu perſpicuū: neque hi ſiue illis, inter hoſtes & pericula tot proficiſci aut potuerunt, aut debuerūt.

QVÆSTIO XXV.

Quamdiu cæremoniæ huic data opera?

DEfinire aut horas, aut dies quibus in hiſce montibus hæſerunt, cæremoniamque iſtā explerunt Iſraelitæ, non equidem poſſum: dies tamen fuiſſe plures appaiet ex his. *Primo*. Quod tot & tam vaſti ad altare legumque inſcriptionem lapides eruendi fuerunt. *Secundo*. Quod holocauſta tot, pacificæque victimæ tam multæ oblatæ. *Tertio*. Quod in pacificarum iſtarum eſu victimarum, epuliſq. ſacris dies minimum alter & tertius à populo toto poſitus. Nam Deut. 27. verſ. 6. dicitur, *Immolabis beſtias pacificas, comedeſque ibi & epulaberis coram Domino Deo tuo*. *Quarto*, Calx paranda, eaque liniendi & po-

A liendi Deuteronomici lapides fuerunt. Antequam vero iſti hac litī & politi aruiſſent ſcriptionemq. admitterent, vnus aut alter expectādus dies fuit, non tamen amplius. quia vere iam adulto fiebant hæc, vt ex tempore Iordani tranſitus, Paſchalis, & Hierichuntini excidij ſupra expoſito manifeſtum. *Quinto*. Inſcriptio vnum ſibi facile diem vendicauit. *Sexto*. Quid ipſa tandem legis recitatio? & precationum, deteſtationumque pronunciatio? Hinc vero ad Galilæa caſtra omnes reuerſi.

QVÆSTIO XXVI.

Cæremonia hæc tota cur ſuſcepta?

LYranus ad gratiarum actionem pro Haienſi victoria ſuſceptam cæremoniam hāc ait. Ei repugnat quæſt. 16. Abulenſis, *Dicendum*, ait, *eſt: nullo modo fuit immolatio iſta victimarum ad reddendum gratias de victoria habita: Sed ad obſequendum Moyſi, qui eam præceperat poſt ingreſſum in terrā fieri Deut.* 11. & 27. Et ſane hæc primaria cauſa eſt, ſed nihil obeſt, cauſas etiam alias quærere. C Nam cur præcepit hoc Moyſes? Nonne *primo*. vt pro tot, tantiſque beneficiis acceptis & accipiendis, gratiarum etiam actio eſſet? Origenes homil. 9. initio: *poſteaquam ſubuertit* IESVS *Hai, oportebat eum dignum aliquod tali tantaque victoria excelſo, omnium munus offerre. Secundo*. Fœdus cum Deo, vti Exod. 24. à populo Iſraelitico in terræ huius, & victoriarum tantarum aditu, merito iterandum erat. *Tertio*. Solenni ritu debuit terræ huius inchoari conſecratio, vti fatetur conſecrationi locorum inimicus Caluinus. *Quarto*. Particulares etiam è ſingulis, quæ acta, peti poſſunt cauſæ. *Quinto*. vt eſſet nobis documentum, quid facere nos oporteat, cum per D pœnitentiæ lachrymas in vitam nouam ingredimur, ſpiritalemque Hierichuntem, & Hai exſcindimus. Pergendum nobis ad montes benedictionum & maledictionum, proſperitatum & aduerſitatum, Septentrionalem & Auſtralem. ibi ſacrificandum Domino: ibi erigendi lapides, & inſcribendi Deuteronomio, noua inquam & poſteriore melioris vitæ lege, diuinæ gratiæ calce, ingenita prauitatum aſperitas læuiganda: benedictio à vero IESV accipienda: Lex à ſacerdotibus audienda, bonorumque ac E malorum æternorum denunciatio. Sed allegoriæ plus in ſeq. iam quæſtione.

QVÆSTIO XXVII.

Quæ cæremoniæ huius allegoria?

PErſequitur more ſuo allegoriā ho. 9. Orig. 1. Oſtendit nos eſſe lapides. 2. Ex iis cōſtruēdum altare. 3. In quib. legem ſuam deſcribit CHRISTVS IESVS. 4. IESVM eundem velociter F ſcriptionē hanc abſoluere. 5. Duo eſſe genera corū, qui in Eccleſię montib. ſunt, nec ſalui fiūt. 6. Legē ab IESV nobis legi & explanari 7. Multos eſſe, ad quorū cordis aures nō legatur lex. 8. In Eccleſia Chriſtiana eſſe ſpiritualiter mulieres, infantes, proſelytos. Paucula de ſingulis verba excerpam.

De

De primo. *Omnes qui in* IESVM CHRISTVM A *credimus, lapides viui eſſe dicimur, ſecundum quod Scriptura pronunciat, dicens, vos autem eſtis lapides viui, ædificati domus ſpiritalis in ſacerdotio ſancto, vt offeratis ſpiritales hoſtias acceptabiles Deo per* IESVM CHRISTVM. *Sicut autem in iſtis terrenis lapidibus obſeruari nouimus, vt hi quidem lapides, qui validiores ſunt & potentiores, primi in fundamenta iaciantur, vt ipſis credi & ſuperponi poſsit totius ædificij pondus: alij vero qui ſequentes ſunt, id eſt, paulo illis inferiores, proximi illis qui in fundamento ſunt, ordinentur, qui vero plus inferiores ſunt paulo ſuperius à* B *fundamentis: tum deinde in comparatione lapidum, qui infirmiores ſunt, in ſuperioribus, & prope ipſa iam tecti faſtigia collocentur: ita nunc intellige etiam de lapidibus viuis eſſe aliquos in fundamentis huius ſpiritalis ædificij. Qui autem ſunt iſti qui in fundamentis collocantur? Apoſtoli & Prophetæ. Sic enim dicit Paulus, hæc ipſa docens, Aedificati, inquit, ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo angulari lapide* CHRISTO IESV *domino noſtro. Vt autem promptiorem te præpares, ô auditor, ad huius ædificij conſtructionem, vt lapis aliquis inueniaris vi-* C *cinior fundamento, diſce quia & ipſe* CHRISTVS *huius, quod nunc deſcripſimus, ædificij fundamentum eſt. Sic enim dicit Apoſtolus. Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, qui eſt* CHRISTVS IESVS. *Beati ergo qui ſupra illud tam nobile fundamentum ædificia religioſa & ſancta conſtruxerint.*

De ſecundo. *Qui putas ſunt iſti integri lapides? Nouit vniuſcuiuſque conſcientia, quis ſit integer, quis ſit incorruptus, impollutus, immaculatus in carne & in ſpiritu: quis ſit ille, cui ferrum iniectum non eſt,* D *id eſt, qui iacula maligni ignita concupiſcentiæ non recepit, ſed ſcuto ea fidei extinxit & repulit, vel quis eſt ille, qui ferrum pugnæ, ferrum belli, ferrum litium nunquam recepit, ſed ſemper pacificus, ſemper quietus, & mitis, &* CHRISTI *humilitati conformatus. Iſti ſunt ergo lapides viui, ex quibus* IESVS *Dominus noſter altare conſtruxit ex lapidibus integris, quibus ferrum non eſt iniectum, vt offeras ſuper eos holocauſta, & ſacrificium ſalutis.*

De tertio. *Si vis videre quomodo prima lege infirmata, ſecundam legem ſcribat* IESVS, *audi eum in* E *Euangeliis dicentem: Dictum eſt antiquis non mœchaberis. Ego autem dico vobis, ſi quis aſpexerit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo, Et dictum eſt antiquis, non periurabis. Ego autem dico vobis. Nolite iurare omnino. Vides Deuteronomium quod ſcripſit* IESVS *in lapidibus viuis & integris non in tabulis cordis carnalibus, non atramento, ſed ſpiritu Dei viui. Si autem vis euidentius noſcere, in quibus cordibus* IESVS *ſcripſerit legem, & in quibus non ſcripſerit, etiam hoc tibi ex Scripturarum auctoritate patefaciam, vt conſolationem capias tu,* F *qui ex gentibus vocatus es, nec verearis eorum iactantiam, qui legem Moſei tabulis vel chartulis ſcriptam ſe accepiſſe gloriantur. Audi ergo in quorum cordibus Dominus* IESVS *ſcripſerit legem, Paulus dicit: Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt faciunt, huiuſmodi non habentes legem, ipſi ſibi ſunt lex. Qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente eis conſcientia. Si ergo videas gentes ad* IESVM *venire & credere ei, & opus legis implere, quod illi qui legem acceperant, implere non poſſunt, non dubites de eis dicere, quia* IESVS *in iſtis lapidib. integris Deuteronomium ſcripſit.*

De quarto. *Noſter* IESVS *Dominus non indiget multo tempore vt Deuteronomium ſcribat, vt ſecundam legem in cordibus credentium figat, atque in eorum mentibus, qui ad altaris conſtructionem digni ſunt eligi, legem ſpiritus ſignet. Statim namque vt quis crediderit* IESV CHRISTO, *& lex Euangelij in eius corde deſcripta eſt, & in conſpectu filiorum Iſrael deſcripta. Aderant enim tunc, cum tibi ſacramentum fidei tradebatur, cæleſtes virtutes, miniſteria Angelorum, Eccleſia primitiuorum. Si enim recte intelligamus Iſraëlem dici mentem Deum videntem, rectiſsime hoc de miniſtris Angelis magis dicitur: ſecundum Domini ſententiam dicentis de infantibus, quod & tu fuiſti infans in baptiſmo, quia Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt. Coram iſtis igitur filijs Iſraël, qui aderant illo in tempore, cum tibi fidei ſacramēta tradebantur, videntibus faciem Dei,* IESVS *in corde tuo Deuteronomium ſcripſit.*

De quinto. *Ego ſic video, duas eſſe ſpecies eorum, qui per fidem feſtinant & properant ad ſalutem. Vnam eorum, qui promiſsionum cæleſtium cupiditate ſuccenſi, ſummo ſtudio, diligentiaque nituntur, ne vna ſaltem minima eos beatitudo prætereat, habentes deſiderium non ſolum benedictionis capiendæ, & effici in parte ſortis ſanctorum, ſed etiam adſiſtere in conſpectu Dei, & ſemper eſſe cum Domino. Alij vero ſunt, qui & ipſi tendunt ad ſalutem, ſed non tam amore benedictionum vel promiſsionum ipſarum, quam hoc magis habentes in proſpectu, & dicentes, ſufficit mihi non ire in gehennam, ſufficit mihi non mitti in ignem æternum, ſufficit non expelli in tenebras exteriores. Cum ergo in ſingulis quibuſque fidelium talis ſit propoſiti varietas, hoc mihi deſignari videtur in hoc loco, quod dimidij illi, qui iuxta montem Garizin incedunt, illum qui ad benedictiones electus eſt, iſtos ſingulariter indicent, qui non metu pœnæ, ſed benedictionum & repromiſsionum deſiderio veniunt ad ſalutem. Illi vero dimidij, qui iuxta montem Gebal incedunt, in quo maledictiones prolatæ ſunt, iſtos alios indicent, qui malorum metu & ſuppliciorum timore complentes, quæ in lege ſcripta ſunt, perueniunt ad ſalutem. Hic iam* DEI *ſolius eſt, noſſe ex omnibus nobis filiis Iſrael, quis eſt, qui boni ipſius deſiderio ſuccenſus facit quod bonum eſt, quiue noſtrum metu gehennæ, & æterni ignis terrore tendit ad bonum, & ſtudet ac feſtinat implere, quæ ſcripta ſunt. Certum eſt enim nobiliores eſſe illos, qui boni ipſius deſiderio, & benedictionum amore, quod bonum eſt agunt, quam illos, qui pro mali metu bonum ſectantur. Solus ergo* IESVS *eſt, qui poteſt ex omni populo huiuſcemodi mentes animoſque diſcernere, & alios quidem ſtatuere in montem Garizin ad benedictiones, alios vero ſtatuere in montem Gebal ad maledictiones, non vt maledictiones accipiant, ſed vt intuentes præſcriptas maledictiones, & pœnas peccatoribus conſtitutas, incurrere caueant eas.*

De ſexto. *Legit nobis* IESVS *legem, non nobis legis reuelat arcana. Non enim nos, qui de Eccleſia Catholica ſumus, ſpernimus legem Moſei, ſed ſuſcipimus eam, ſi tamen* IESVS *eam nobis legerit, ſic enim recte poterimus intelligere legem, ſi eam nobis legat* IESVS, *vt ipſo legente nos ſenſum eius & intelligentiam capiamus.*

De ſeptimo, *Etiam nunc, vel cum ſcripturæ in Eccleſia leguntur, vel cum ſermo explanationis profertur ad populum, ſcripturæ auctoritatem ſequentes dicimus. Videte ne legantur quidem ab* IESV *verba legis, ſed quamplurimis non legantur: quia* IESVS *illis legit legem, qui aures habuerint audiendi.*

De octauo, *Primo* ſingillatim poſſunt accipi *mulieres, paruuli, proſelyti:* deinde ſimul ſic: *ſi ſimul omnis accipiatur Eccleſia, viri quidem intelliguntur illi, qui in omnibus perfecti ſtare norunt armati aduerſus aſtutias diaboli: mulieres vero illi, qui nondum ex ſemetipſis, quæ vtilia ſunt gerunt, ſed imitando meliores & eorum exempla ſectando. Ex quibus & caput*

A *habere dicuntur. Caput enim mulieris vir. Infantes vero erunt, qui fide nuper ſuſcepta, lacte Euangelico nutriuntur. Proſelyti autem catechumeni videbuntur, vel ij, qui iam ſociare fidelibus ſtudent. De quibus ſingulis ſimilia etiam Ioannes ſentiens in Epiſtola ſua ſcribit, & ſingulis quibuſque ætatibus propria quæque geſta decernit. Verumtamen* IESV *vobis recitante legem, & reuelante cordibus noſtris intelligentiam ſpiritalem, neque proſelyti, id eſt, catechumeni, diutius catechumeni maneatis, ſed feſtinate ad percipiendã gratiam* DEI, *vt & vos in Eccleſia filiorũ Iſrael annumeremini, & vos infantes nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia paruuli eſtote, ſenſibus autem eſtote perfecti.*

CAPVT IX.

BELLVM III. GABAONITICVM.

1. QVIBVS auditis, cuncti reges trans Iordanem, qui verſabantur in mon-
nis & campeſtribus, in maritimis ac littore magni maris, hi quoque qui
habitabant iuxta Libanum, Hetthæus & Amorrhæus, Chananæus, Phe-
rezæus & Heuæus, & Iebuſæus, 2. congregati ſunt pariter, vt pugna-
rent contra Ioſue & Iſraël vno animo, eademque ſententia. 3. At hi, qui habitabant in
Gabaon, audientes cuncta, quæ fecerat Ioſue, Iericho & Hai, 4. & callide cogitantes
tulerunt ſibi cibaria, ſaccos veteres aſinis imponentes, & vtres vinarios ſciſſos atq; con-
ſutos, 5. calceamentaque perantiqua, quæ ad indicium vetuſtatis pittaciis conſuta
erant, induti veteribus veſtimentis: panes quoque, quos portabant ob viaticum, duri
erant, & in fruſta comminuti: 6. perrexeruntq. ad Ioſue, qui tunc morabatur in ca-
ſtris Galgalæ, & dixerunt ei, atque ſimul omni Iſraëli: De terra longinqua venimus,
pacem vobiſcum facere cupientes. Reſponderuntq. viri Iſraël ad eos, atque dixerunt:
7. Ne forte in terra, quæ nobis ſorte debetur, habitetis, & non poſſimus fœdus inire
vobiſcum. 8. At illi ad Ioſue, Serui, inquiunt, tui ſumus. Quibus Ioſue ait: Quinã
eſtis vos? & vnde veniſtis? 9. Reſponderunt: De terra longinqua valde venerunt
ſerui tui in nomine Domini Dei tui. Audiuimus enim famã potentiæ eius, cuncta quæ
fecit in Aegypto, 10. & duobus regibus Amorrhæorum, qui fuerunt trans Iorda-
nem, Sehon regi Heſebon & Og regi Baſan, qui erat in Aſtaroth: 11. dixeruntq. no-
bis ſeniores, & omnes habitatores terræ noſtræ: Tollite in manibus cibaria ob longiſſi-
mam viam, & occurrite eis, & dicite: Serui veſtri ſumus, fœdus inite nobiſcũ. 12. En,
panes quando egreſſi ſumus de domibus noſtris, vt veniremus ad vos, calidos ſumpſi-
mus, nunc ſicci facti ſunt, & vetuſtate nimia comminuti. 13. vtres vini nouos imple-
uimus, nunc rupti ſunt & ſoluti. veſtes & calceamenta, quibus induimur, & quæ habe-
mus in pedibus, ob longitudinem longioris viæ trita ſunt, & pene conſumpta. 14. Su-
ſceperunt igitur de cibariis eorum, & os Domini non interrogauerunt. 15. Fecitque
Ioſue cum eis pacem, & inito fœdere pollicitus eſt quod non occiderentur: principes
quoque multitudinis iurauerunt eis. 16. Poſt dies autem tres initi fœderis, audierunt
quod in vicino habitarent, & inter eos futuri eſſent. 17. Moueruntque caſtra filij Iſ-
raël, & venerunt in ciuitates eorum die tertio, quarum hæc vocabula ſunt, Gabaon, &
Caphira, & Beroth, & Cariathiarim. 18. Et non percuſſerunt eos, eo quod iuraſſent eis
principes multitudinis in nomine Domini Dei Iſraël. Murmurauit itaq. omne vulgus
contra principes. 19. Qui reſpõderunt eis: Iurauimus illis in nomine Domini Dei Iſraël,
& idcirco non poſſumus eos contingere. 20. Sed hoc faciemus eis: Reſeruẽtur quidẽ
vt viuant, ne contra nos ira Domini concitetur, ſi peierauerimus: 21. ſed ſic viuant, vt
in vſus vniuerſæ multitudinis ligna cædant, aquaſq. cõportent. Quibus hæc loquentib.
22. vocauit Gabaonitas Ioſue, & dixit eis: Cur nos decipere fraude voluiſtis, vt dice-
retis: Procul valde habitamus à vobis, cum in medio noſtri ſitis? 23. Itaque ſub ma-
ledictione eritis, & non deficiet de ſtirpe veſtra ligna cædens, aquaſque comportans in
domum Dei mei. 24. Qui reſponderunt: Nunciatum eſt nobis ſeruis tuis, quod pro-
miſiſſet Dominus Deus tuus Moyſi ſeruo ſuo, vt traderet vobis omnem Terram, &

Digitized by Google

diſperderet cunctos habitatores eius. Timuimus igitur valde, & prouidimus anima-
bus noſtris, veſtro terrore compulſi, & hoc conſilium iniuimus. 25. Nunc autem in
manu tua ſumus: quod tibi bonum & rectum videtur, fac nobis. 26. Fecit ergo Io-
ſue vt dixerat, & liberauit eos de manu filiorum Iſrael, vt non occiderentur. 27. De-
creuitque in illo die eos eſſe in miniſterio cuncti populi, & altaris Domini, cædentes
ligna, & aquas comportantes, vſque in præſens tempus, in loco, quem Dominus ele-
giſſet.

COMMENTARIVS.

P*Oſſet duplex conſtitui bellum Gabaoniticum: vnum Iſraelitarum* contra *ipſos* Gabaonitas: *alterum eorundem* pro ipſis. *De priori ſermo hic, de poſteriori quod &* Adoniſedechianum *vocabitur, capite ſequenti. Et prius quidem non armis, neque manu & ſanguine geſtum eſt, ſed ab ipſis contra quos gerendum fuiſſet, aſtu quodam occupatum, auerſum & impeditum. Sunt autem capitis partes duæ. In priore generalis Regum plurium ad bellum contra Iſraelitas præparatio traditur v.1. & 2. In poſteriore Gabaonitici belli, prout iam indicaui, occupatio & auerſio. quæ* geſta *veluti* ſeptem *continet.*

I. *Eſt, Gabaonitarum trepidatio ac metus v.3.*

II. *Eorundem ad impetrandam pacem callidum conſilium v.4. & ſequentibus.*

III. *Fœdus cum iis incaute ab Iſraëlitis percuſſum v.14.*

IV. *Doli totius deprehenſio v.16.17.18.*

V. *Iſraëlitici vulgi ob eam fœderis percuſſionem murmuratio v.19.*

VI. *Murmurationis compoſitio ac ſedatio v.19. 20.21.*

VII. *Punitio Gabaonitarum ipſorum v.22. vſque ad capitis finem. In priore autem parte notandum,* dupliciter *deſcribi Reges illos, qui contra Iſraelem bellum pararant.*

Primo. *A locis, in quibus habitabant, quæ Chananææ terræ loca quadruplicia. 1. Montana. 2. Plana ſeu campeſtria. 3. Maritima, quæ ad magni ſcilicet maris, id eſt, mediterranei littus ſunt. 4. Quæ è regione Libani, ſeu iuxta Libanum ſunt, de quibus ſupra cap.1. & cap.5. in Commentario.* Deinde, *deſcribuntur populorum ſex nominibus. Sunt enim. 1. Hethæi, Græce* χετταῖοι. *2. Amorrhæi. 3. Chananæi. 4. Pherizæi. 5. Heuæi, Græce,* εὐαῖοι. *6. Iebuſæi.* Septimus *erat in Chanaan populus Gergeſæorum, vt ſup. patuit c.3.v.10. & Gen.15. Deut.7. hoc tamen loco & interdum alibi omiſſus, quia exiguus, prout ait quæſt.3. Abulenſis. Eum tamen ante Iebuſæos enunciarunt hic ſexto loco Septuaginta. Pulchre autem de loco iſto homilia 9. Origenes:* Hiſtoria, *inquit,* rerum geſtarum manifeſta eſt, nec explanatione indiget, quod euidenter expletum eſt: ex iis tamen quæ geſta ſunt, viſibilibus, noſtri Domini IESV Saluatoris bella ac triumphos quos egerit, contemplemur, quamuis etiam in ipſo hæc viſibiliter cernamus expleta. Conuenerunt enim Reges terræ, ſenatus, populuſque, & Principes Romani, vt expugnarent nomen IESV, & Iſrael ſimul. Decreuerunt enim legibus ſuis vt non ſint Chriſtiani. Omnis ciuitas, omnis ordo, Chriſtianorum nomen impugnat. Sed ſicut tunc omnes illi Reges conuenientes contra IESVM, nihil facere potuerunt, ita vel principes, vel poteſtates iſtæ contrariæ, vt non Chriſtianorum genus latius ac profuſius propagetur, obtinere non valebunt. Scriptum namque eſt, quia quanto magis eos humiliabant, tanto magis plures fiebant, & inualeſcebant valde. Confidimus autem, quia non ſolum non nos poterunt obtinere viſibiles inimici, & aduerſarij noſtri, verum etiam velociter, IESV Domino noſtro vincente, conteretur Satanas ſub pedibus ſeruorum eius. Illo etenim duce ſemper vincent milites ſui, ita vt nos dicamus, ſicut in Eſdra ſcriptum eſt, Quia à te Domine eſt victoria, & ego ſeruus tuus, benedictus es Deus veritatis. Quem ſemper & nos inuocemus, vt det nobis victoriam in CHRISTO IESV Domino noſtro, cui eſt gloria & imperium. Amen.

QVÆSTIO I.

Quæ vrbs Gabaon, & vbi?

G*Ibbon* Nouatoribus hodie dici ſolet, qui hodierna Hebræorum puncta, quam 70. Interpretes, Latinumque textum, & explanatores cum receptiſſimo vſu omnes, mirantur magis. Beniamin Tudelenſis ſuo ait æuo dictam *Garaan Dauid*, forte *Gabaan*, & eam diſtinctam à Gabaa Saülis, de qua 1. Reg. 11. 4. cap.13. & 23. & 26. Deſcribitur autem infra cap. 10. v. 2. ſic: *Vrbs magna erat Gabaon, & vna ciuitatum regalium: & maior oppido Hai, omneſque bellatores eius fortiſſimi.* Et his verbis monſtrantur de vrbe hac quatuor. *Primo.* Eius quantitas quod *magna. Secundo.* Dignitas, quod *vna ciuitatum regalium.* In Hebræo autem non *vna*, ſed *ſicut vna regalium vrbium*: ita vt, ob magnitudinem & præſtantiam, videatur talibus regiis vrbibus aſſimilis potius,
A quàm vna ex iis, quæ Regem haberent, fuiſſe. Licet enim capite decimo ei Regem fuiſſe aſſerat Abulenſis, nihil tamen hic vnquam de Gabaonitico Rege vllo, neque in Legatorum miſſione, neque in fœdere, neque in bello, quod cap. decimo ſecutum. Et ſic in Græcis, ὡσεὶ μία τῶν μητροπόλεων, id eſt, *quaſi vna metropoleon.* Ideoque aut excidit in noſtro textu particula iſtiuſmodi, *quaſi, velut*, aut accepit Interpres particulam iſtam, non vt minueret, ſed vt aſſereret. Prout alibi verbi cap. Ioan. 1. *quaſi vnigenitus*, aut potius *vna regalium ciuitatum*, dicta eſt, ob ſimilitudinem. ſicut ſi diceretur homo
B quiſpiam eloquens, & ſapiens *vnus veterum Oratorum ac Philoſophorum*, ſicque idem ſemper ſenſus. *Tertio.* Comparatio cum Haienſi vrbe, quæ initio moleſtiæ, luctuſque tantum, poſtea vero gaudij ſpoliorumque tantum dederat: quod *ea maior. Quarto.* Ciuium eius ac incolarum virtus ac robur, quod non eorum aliqui pauci, ſed

Digitized by Google

omnes viri fortiſsimi. Licet enim ſuperlatiuus in A
Græco nullus, & per poſitiuum vertant 70. *πάντες οἱ ἄνδρες αὐτῆς ἰσχυροί*: Hebræi tamē *gibborim* recte vertunt *fortiſsimi*, quia vim quandam & exuperantiam roboris Hebræum *gibbor* importat. ſicque vocatur Nemrod Geneſ.10.v.8.& 9. Goliath Gigas, Reg. 17. ſic Deus Pſal. 23. v. 8. In. 32. verſ. 18. ſæpe tamen alibi vertuntur *fortes* ac *potentes* 2. Reg.1. v.19. cap. 17. v.7. cap.23. verſ. 8. 2.Paral.32. v.3. Eccleſ.9.v. 11. Iud.5. verſ. 14. alibi.

Eadem vrbs reſpectu Hierichuntis, & Hai, occidentalis eſt, reſpectu Hieroſolymorum, B
Borealis, & ab his diſtare ipſam 50. ſtadiis, ait Ioſephus lib. 2. captiuitatis cap. 22. in Græco cap.37. id eſt, Italicis miliaribus 6. & ½. noſtratibus Germanicis non toris duobus: leucis vero vt in itinerario ſuo ait Beniamin, tribus, *ἔγγιστα τοῖς Ἱεροσολύμοις*, ait lib.5. Ioſephus.

In editiore loco extitiſſe, nomen ab altitudine petitum argumento eſt, & Adrichomius ex Buchardo dicens, *in Silo monte ſitam* fuiſſe.

Incolæ ipſius erant è gentium ante numeratarum, quinta, *Heuæi* ſcilicet, vt infra cap.11.v.19. C
eſt. Si tamen Amorrhæorū nomen generatim, vt alibi dixi fieri, ſumatur, *Amorrhæi* vocantur Gabaonitæ 2.Reg.21. ver.2. Hanc vero Gabaonem & alteram ita breuiter depingit lib. de locis Hebraïcis D. Hieronymus: *Gabaon, vnde Gabaonitæ ſupplices venerunt ad Ieſum, erat olim Metropolis ciuitas, & regalis Heuæorum, ceciditq́, in ſortem tribus Beniamin: & nunc oſtenditur villa eodem nomine in quarto milliario Bethelis contra Orientalem plagam, iuxta Rama, & Rennon, vbi Salomon, hoſtiis immolatis, diuinum meruit oraculū. Fuit autem & ipſa* D
ſeparata Leuitis. De Gabaonis aquis, prælioque ad eos olim commiſſo narrat cap.41.ver.12. Ieremias Propheta.

QVÆSTIO II.

Quænam Heuæorum vrbes aliæ, Gabaoni iunctæ?

NVmerantur hoc ipſo capite ver.17. vrbes Heuæorum aliæ tres, Gabaoni, non viciniâ tantum, ſed ſocietate atq. concordia etiam iunctæ. 1. *Cephira*, *κεφιρὰ* in 70. *κεφηρὰ* in Ioſepho. E
2. *Beroth*, *βηρώτ*, à Ioſepho prætermita. 3. *Cariathiarim*, id eſt, *ſyluarum vrbs*. Holkſtatt, in 70. *πόλεις* (forte *πόλις*) *ἰαρίν*. Eius ciues ab Ioſepho *χαθιερμῖται* dicti. Has verò Gabaoni ſubditas fuiſſe, ait Adrichomius, eſtque veriſimile. *Primo*. Quia erat, vt quæſt.1. dicebam, regalium vrbium inſtar, Gabaon. *Secundo*. Solent fere maiores præeſſe minoribus eiuſdem gentis vrbibus. *Tertio*. Quia textus innuit v.17. dum ait: *venerunt in ciuitates eorum*, Gabaonitarum ſcilicet, & in Hebræo additur: *ciuitates eorum ſunt Gabaon, Cephirah, & Beroth, & Ciriathiebarim*. quæ poſtrema F
alibi vocatur *Cariath baal* & *Baalah* 1. Paral.13. Ieremiæ 26.20. à *Bethſemes* non procul, 1. Regum 6. verſu vltimo, & 7. verſ.1. Arias Montanus, *Videntur*, ait, *illis Chananæorum vrbibus variis de cauſis nomina olim indita, in quibus, primas partes obtinens loci ſitus, natura & ingenium, atque commoda & incommoda ex vicinis adiunctiſque rebus notata: hoc vero pacto Gabaon Chananæum vocabulum. Latine culmen, Hiſpanice cumbre dici poteſt. Chaphirah, ſiue, vt illa lingua, Hachephirah cum ſingulari nota, appellatur Leuncula, Hiſpanice la leoncilla. Beeroth, putei, Pozos Hiſpanice. Cariath iegarim, vrbs ſaltuum, Italice ciuita la boſchi. Quarto*. D. Hieronymus lib. de locis Hebraicis: *Iarim*, ait, *ciuitas Gabaonitarum*. Harum igitur ciuitatum vna omnium mens fuit de Iſraelitarum amoliendo inſtante bello.

QVÆSTIO III.

Gabaonitarum, ad Iſraëlitarum abs ſe auertendum bellum, aſtus quis?

COgitarunt Gabaonitæ Iſraëlitas eo adducere, vt ſibi per ipſos viuere, ſuaſque fieri ſi poſſet, vrbes, fortunas ac libertatem retinere liceret. Quia vero videbant aperta id ratione non impetrandum, cum extremam Chananæis omnibus perniciem inferre ſtatuerent, reque ipſa Hierichuntinis & Haienſibus iam intuliſſent Iſraëlitæ, ad fraudes ac dolos cōuerſi ſunt: nimirum legatos vt mitterent, qui è longinqua ſe terra venire ſimularent, pacemque ac fœdus admiratione virtutis, & operum, quæ ipſi & per ipſos, eorum Deus feciſſet, poſcerent. Exiſtimarunt enim iis, qui extra Chananææ limites agerent, periculi nihil eſſe, iiſque facile, pacem ac fœdus annuendum. Quia vero in Hebraicis, Græcis, ac in Latinis nonnullis eſt particula *etiam* v.4. ſic: *fecerunt etiam ipſi in aſtutia*: ſeu *& callide cogitarunt*: quærit Raſchi; ad quid referatur illud *etiam*? Reſpondet, referri ad veterem filiorum Iacob, cōtra Sichemitas Gabaonitarum Gentiles, fraudem Geneſ. 34. Radak vero vel ad Hierichuntinorum muros, Haienſiumque vires, vt quemadmodum his contra Iudæos illi eſſent vſi: ſic ipſi calliditate: vel ad Iſraelitarum contra eoſdem fraudem, qua illos viciſſent, vt eadem victores ipſos iam vincerent ac deciperent. Sed dicendam breuiter. *Primo*. Hebraicam illam particulam redundare. *Secundo*. Ad conſilia referri cæterorum Chananæorum. vt quemadmodum ad bellum ac furorem conſilia illi aperta captarent: ſic ipſi ad pacem occulta ac verſuta. Totus vero in eo eorum dolus & aſtus fuit, vt Iſraelitis perſuaderent, ſe ab illis procul eſſe: Chananææ non includi terminis: in remotiore quapiam regione verſari. Ad hoc autem fictis ac ſimulatis *duplicibus* vſi ſunt *ſignis*. quorum alia *in rebus*, *in verbis* alia poſita. *Res* fuere triplices.

Prima, *viaticum*. Nam finxerunt id longo itineris longi tempore vetulum iam eſſe ac euanidum. Hoc enim ſignificat verſ. 4. in *hitphael* Hebræum à *tſud*, vt explicat Chaldæus, & Latinus dum vertit, *tulerunt ſibi cibaria*. & 70. in quibus *ἐπεσιτίσαντο*, & confirmatur quia v. 11. eſt *tſedah*, *ἐπισιτισμὸς*, & v.12. *hitſtaiadnu*. In hodiernis tamen Hebraicis Bibliis legitur v.4. *legationē obierunt* aut *ſimularūt*: ab alio vocabulo *tſir* quod *legatum* ſignificat. Mendum aut varietas hæc oritur ex literarum Hebræarum daleth & reſch ד & ר ſimilitudine. Viaticum autem hoc duplex recenſetur, panis & vinum. Illi verſ.5. duri erant, & in fruſta comminuti, duri quidem, quaſi ipſo itineris initio fuiſſent recentes & ca-

lidi, prout etiam affirmant Gabaonitæ v. 12. & interim exaruiſſent, prout ait Hebraica vox *iabeſch* v.5. ideoque duri & in fruſtula, micaſq. reſoluti & comminuti eſſent ver.12. Quemadmodum enim moderatus humor pani mollitudinem dat, eſtque quoddam veluti coagulum, quo ſibi totus cohæret, ita ſiccitas nimia duritiem affert, partiumque omnium diſſolutionem, quam tamen longa etiam efficere potuit agitatio. Hoc idem poſterius tamen de panibus in fruſta comminutis, explicant alij modis adhuc duobus. *vno*, vt fuerint panes aduſti, penituſque magno ſolis æſtu torrefacti. Sic Paraphraſtes Chaldæus, Aquila, Symmachus, & Raſchi Hebræũ *necudim* ducentes à *iacad*, quod eſt *vrere*. & ſic videtur Interpres noſter vertiſſe 3. Regum 14. ver. 3. *cruſtulam*. *Altero*, vt fuerint panes mucidi, & varij coloris maculis, quaſi punctis, affecti. Nam *necudoth*, & *necadim* puncta ſunt. Ita Pagninus, Vatablus, Caietanus, Maſius, Abulenſis, & forte 70. dum βεβρωμένους vocãt. Radak vero expoſitiones omnes approbat, noſtram tamen Latinam præfert Ralbag.

Secundo. *Res altera* ſunt vaſa, nimirum ſacci, quibus panes, aliaque itineri neceſſaria incluſa: & vtres, in quibus vinum erat. Vaſtata erant & lacerata erant omnia ver.4. & 13. varieq. refecta, & religata ver. 4.

Tertio. Veſtes & calceamenta, quæ vetuſta, attrita, & pittaciis conſuta v.5. Pittacium apud Celſum lib. 3. cap. 10. panniculus eſt, qui vnguento, vel medicamento alio illitus, fronti vel membro cuipiam alligari ſolet: generatimque pro fruſtulis accipitur, vt hic pro corij particulis variis quibus quaſi maculoſi erant calcei. Atque his, vt dixi rebus, iter ſignificatum volebant longinquum, terramq. ſuam ab Chananæa valde diſſitam. Priores autem res aſinis impoſuerãt prout habet v.4. Latinus, Hebræus & Chaldæus textus, non autem ſuis ipſorum humeris, vt aiunt 70. vel potius mendoſi eorum codices, qui ἐπὶ τῶν ὤμων pro ἐπὶ τῶν ὄνων habent. Neque poteſt prior illa lectio, vel ex D. Chryſoſtomo in Pſal. 14. vel Ioſepho probari, vt ſit ab Annotationibus 70. Nam iſte prorſus tacet: illa tantum βαστάσαντες ait. ſed neque ὄνους neque ὤμους addit. Et quicquid de hiſce ſit auctoribus, *aſinos* hic potius quam *humeros* legendos docuit iam olim S. Auguſt. q. 12. Vides porro veterem hic ſimplicitatẽ, quam in victu ſuo ferendo adhibebant viatores, vt expoſui Tob. 6. q. 3. *Poſtea vero diuerſoria*, inquit S. Chryſoſt. hom. 2. de verbis Iſaiæ ſub finem, *cauponæq. vbiq. per vias excogitatæ ſunt, vt iumẽta ſimul cum viatorib. ab labore ac moleſtia refocillarentur*, de quibus etiam Oecumenius & Theophylactus in Actor. c. 28. Rhodiginus lib. 8. c. 30. Hodie tamẽ in Græcia diuerſoriorũ publicorũ nihil eſt, ſed apud priuatos vel fauore vel pecunia conquirendũ hoſpitium, vt ait Ep. 4. illuſtriſſ. Dux Olikenſis.

QVÆSTIO IV.

Quid, quomodo, quaue lingua, Gabaonitarum legati Iſraelitis loquuti?

PRimo. Falſis rerum ſignis falſa iunxerũt Gabaonitarum legati verba, itineris ſui prolixitatem, rerumque ſuarum inueterationem & abſumptionem narrantes v. 6. 9. & 11. ſed falſis vera quædam de Iſraelitarum victoriis admiſcuerunt v. 9. ac 10. & fœdus rogarunt v. 6. vbi Hebraice, quemadmodũ & v. 11. eſt, *fœdus inite*, ſeu *ferite nobiſcum*. Pro *Rege Heſebon* v. 10. ponunt 70. *Regem Amorrhæorum*, & poſt Aſtaroth adiungunt Ἐδραείμ. Vrbes autẽ erant ambæ tranſiordaninæ, quarum prior dicitur *Aſtaroth Carnaim* Numer. 32. Poſterior Edrai Numer. 21. 33. Deut. 3. 1. & cap. 31. ac 10. *Longiſſimam viam* verbis ac ſignis omnibus innuunt iidem legati: hic tamen ſuperlatiuus non eſt in Hebræo & Græco verſu 11. ſed tantum ver. 13. quoad ſenſum. *Secundo*. Modus autem in iſtis dicẽdis fuit aſtutia, quæ ad perſuadendum eſſet aptiſſima, multiplici conditus. *Prima*. Quia coram pio Imperatore, Deique honoris, & gloriæ amantiſſimo magnæque pietatis principibus viris aiunt v. 9. ſe *in nomine Domini* venire, ſiue, *ad nomen eius*. de quo infra. *Altera*. Referunt Iſraelitarum victorias, eas Deo ipſi penitus tribuendo ver. 9. & 10. *Tertia*. Demiſſiſſime ſemper de ſeipſis, & magnificentiſſime de Iſraelitis loquuntur, *Dominos* eos ſuos appellando. *Quarta*. Reticent victorias contra Hierichuntem & Hai. quia cum eſſent hæ recentiſſimæ, ſi earum vllam inieciſſent mentionem, viſi fuiſſent non e longinqua terra, vti volebant videri, veniſſe, niſi ſi forte dixiſſent eas non ſuis ciuibus, & optimatibus, à quibus miſſi eſſent, auditas, ſed ſibi tantum, in ipſo itinere, ſuperioribus diebus. Sed quia legationem obibant, & ſuorum publico nomine loquebantur, recte recentiſſimas iſtas Iſraelitarum lauros tacuerunt, & eas, ne ſuo quidem proprio nomine tanquam auditas, attigerunt. Et in hoc ipſo maior adhuc vis & prudentia inerat. Si enim auditis, quæ trans Iordanem geſta erant, ſic erant Gabaonitæ commoti, & ad Iſraelitarum amicitiam ac fœdus excitati, quid factum eſſet, ſi de admirabili Iordanis tranſitu, de Hierichuntinorum murorum ruina, de Haienſi expugnatione ac incendio inaudire potuiſſent?

Tertio. Quanam lingua cum Hebræis vſi ſint Gabaonitæ, diſputat quæſt. 12. & 13. Abulenſis. ſed reſpondendum, vt ſupra cap. 2. quæſtion. 25. Quemadmodum enim cum exploratoribus locuta eſt Raab, ſic iſti etiam cum Ioſue ac Iſraelitis aliis.

QVÆSTIO V.

An rerum, verborumque fraudem recte adhibuerunt Gabaonitæ?

DE *rerum* ſimulatione ac dolo iam reſpondi c. 8. quæſt. 2. ſi quidem iuſtum iis bellum fuit, vt opinatur quæſt. 15. Abulenſis, & à me ſupra diſputatum quæſt. 3. de hiſce bellis, ante caput 6. De *verbis* autem, certum eſt eos eſſe mentitos: & tunc in quæſtionem venit, *An mendacio interdum aliquo circumuenire hoſtes liceat?* Reſpondet e Nouatorib. Albericus Gentilis lib. 2. de bello cap. 5. bifariam fieri poſſe, vt mendacio circumueniantur hoſtes. *Primo*. Iis non loquendo. *Secundo*. Iis loquendo: & hoc

Digitized by Google

rurſum bifariam. vel enim abſque promiſſione contractuve vllo illis loquimur, vel cum promiſſione,& in contractu. Licere igitur mendacio imponere hoſtibus, omni modo, extra contractum: in contractu autem nunquam. ſed

Primo. D. Auguſtini lib. *de mendacio*, & *contra mendacium*, certiſſima & receptiſſima ſententia eſt, quam & D. Thomas 22. quæſt. 40. artic. 3. proponit, nullum mendacij genus licitum eſſe. Ideoque ſiue noſtris, ſiue hoſtibus: & ſiue contrahendo, ſiue non contrahendo loquamur, omne omnino remouendum ſemper mendacium. Obiicit Nouator tria. *Primum.* Omnes Philoſophi, vt Plato, Xenophon, Lucianus, Iuriſconſulti, Medici, Rhetores, & Theologi D. Auguſtino vetuſtiores, prout de iis ipſemet teſtatur quæſt. 68. Leuit. mendacium aliquando aliquod admitti poſſe cenſuerunt. *Secundum.* Inſidioſis factis licet hoſtes decipere, ſupra cap. 8. quæſt. 1. Ergo & mendaciis. Nam & in ſimulatis operibus mendacium eſt, vt ait S. Thomas 22. quæſt. 111. art. 1. D. Ambroſius, Ariſtoteles tractatu de veracitate, Archidamus apud Stobæum ſerm. 62. & Clementem Alexand. lib. 3. Pædag. c. 3. cum de eo, qui canus ne videretur, capillos tingebat, exclamauit. *Quid diceret vere is, qui mendacium etiam in capite habet?* Concludit igitur ſic: *Dauidis mendacium dici poterit, qui inſanum aliquando egit. Tertium.* Colligit eorum, qui mentiti videntur, exempla, Eliſæi 4. Regum 6. Raab ſupra cap. 2.

Ad primum. Nego de Theologis omnibus. Nam neque Prophetæ, neque Apoſtoli, neque tam multi alij mendacium cōceſſerunt vllum. De Philoſophis & ſimilibus, mirum non eſt eos hic erraſſe, qui in maioribus errarunt. & ſic, qui eos ſecuti ſunt Chriſtiani, vt Origenes, alij. vide Molanum lib. 1. de fide hæret. ſeruanda cap. 5. *Ad ſecundum.* Nego conſequentiam, quia verba ex natura ſua referuntur ad animi ſenſa indicanda: facta vero non, ſed per accidens tantum: ſicq. mendacium in iis aliquod, impropric tamen, & per accidens eſt. *Ad tertium.* De ſingulis, ſuo loco dictum, aut dicendū.

Secundo. Etiamſi mendacio circumuenire hoſtes liceret, non tamen omnibus liceret, ſed iis tantum, quorum iuſtum eſſet bellum, vt ſuprà de inſidiis expoſitum c. 8. q. 2.

Tertio. Ab omnibus cum hoſte contractibus omnino abeſſe debet omne mendacium, verborumque dolus, idque non male tradit idem ibidem Iuriſconſultus. & c. 4. *Pericles igitur improbus* (Front. 4. c.) *qui pactus, futuros hoſtes incolumes, ſi ferrum deponerent, eoſdem necat, quod in ſagis fibulas ferreas retinuiſſent. Eſt hic ferri nomen deuermis. Ferro, non auro, vitam cernamus vtrique,* inquit, *Pyrrhus apud Ennium.* (Thucyd. lib. 2.) *Plataeenſes improbi, qui pacti reddere captiuos, necatos hos reddunt. Quaſi cadauera eſſent captiui, & mortuus homo eſſet homo. Improbus* Alexander, *qui incolumem ex vrbe deceſſum annuit defenſoribus, ſed progreſſos aliquantulum viæ, interimi iubet. Quod bellicis Alexandri geſtis illuibilis labes adhæſit, vt ſcribunt. Et quidem merito, ſi hoc tantum quæritur, an pactum ſi ſit, vt tuto exire vrbem illi potuerint, capi ſic, & interfici potuerint, poſtquam exiiſſent. Neque enim quiſquam eſt, qui ita paciſci velit: & neque quidquam eſt, cur velit.*

A *Qui capitur in templo, eſt dimittendus, & ita dimittendus, vt difficilis eius ſit perſecutio. Quod ius optimū hic eſt: niſi quid aliter conuentū eſt. Dercyllidas, Thibron, Paches improbi, qui polliciti obſeſſis, ſi ad ſe veniſſent, reditum in obſeſſam vrbem, minitantur mox mortē venientibus, niſi dedidiſſent vrbē: & itaq. in deditā reditum conceſſere. Non hæc dedita illa nunc vrbs, in quam reditum paciſcebantur. Improbi Samnites, qui cum hoſtib. pacti de lapide tollendo per vniuerſum muri ambitum, ſic tollunt à parte infima: & ita murum tollunt vniuerſum. At ſi lapis de muro tolli debuit, murus vtique tolli non debuit.* B *Campani improbi, qui dimidiam armorum partem relinquere hoſtibus habebāt: arma autem omnia diſſecuerunt, & diſſectorum partem dimidiam reliquerunt. Et improbus ille pariter Romanus, qui naues ſecuit Antiocho omnes, quod dimidium nauium ex fœdere tradere Rex deberet. Et præſtigiator improbus hic Valerio dicitur. Eſt enim non hæc diuiſio, ſed omnium corruptio. Vt belle Caſcelius apud Macrobium lib. 2. Saturnal. cap. 6. Nauem ſi diuidis, nec tu, nec ſocius habebitis. Et Interpretes in facto ridiculo eius, qui ſic idem emerat dimidiā ficuum* C *partem, atque medios ſingulos volebat (Iaſon & Alciatus L. 12. 13. ſi certum petatur.) Et Labeo & Sabinus, quod ſi veſtimentum ſciſſum reddatur, vel res corrupta reddita ſit, res abeſſe videatur, quæ & Decius, & Vlpianus, & Paulus probant (L. 13. 14. de Verb. S.) Romani rurſus improbi, qui ſpondentes liberam fore Carthaginem, ad ciues verbum tranſtulere ſponſionis, quibus ciuitas conſtaret, non mœnibus & ædificiis, quæ dirui iubebant (Appian. Punic.) Etſi enim ea ſit differentia vrbis & ciuitatis, quod vrbs ædificia, ciuitas incolæ ſint, tamen eſt interpretatio omnis* D *ſiniſtra, & extranea, quæ non conſonat auribus vulgi, vt hæc ſubtilior, & neglecta paſſim non conſonat differentia. Etiam nec ciuitas libera relinquitur, quæ iubetur alio migrare. Nihil abeſt à captiuitate iuſſio de migrando ſuis ſedibus. Nec ciuitas ſine vrbe, ædificiis & mœnibus eſt, in quibus multa ciuitatis ratio eſt. Sane autem in pluribus eius tertij belli Punici, vix tueri Romanos poſſis. Improbi & in ſecundo illi milites Romani, qui capti ab Annibale, & ſic dimiſſi, vt, ſi ſenatus captiuos non permutaret, ipſi ad Annibalem redirent: & ſolutos ſi religione dicebant, quod cum e-* E *greſſi ab Annibale eſſent, commentitio conſilio regreſſi eodem die, & itaque impleto iureiurando de redeundo iam nulla obſtricti conditione abiiſſent. Hæc iſtorum fraudulenta calliditas tam eſſe turpis æſtimata eſt, vt nullis non conuiciis, decretis, notis proſciſſa fuerit. Et Cicero hoc de facto, ſemper in fide quid ſenſeris, non quid dixeris cogitandum (Gell. 8. cap. 18. Cic. 3. de offic.) Et generaliter Theologi de iureiurando, Quacunque arte verborum quiſque iuret, Deus tamen, qui conſcientiæ teſtis eſt, ita hoc accipit ſicut ille, cui iuratur, intelligit, &c. (cap. 9. 22. quæſt. 5. Eadem his militi-* F *bus fraus, & multo tamen immanior fuit Othonis Epiſcopi Moguntini: quam alij narrant & notant (Sabell. 12. Enn. 8. Alc. de ſi. ce. cap. 17. libr. 4. rerum Moguntiacarum Archiepiſc. 10. vbi non* Otho, *ſed* Hatto *ſcribitur correctius) Improbus Agnon, Cleomenes & Thraces improbi, qui in dies aliquot cum eſſent inducias pacti, nocte interim aliqua aliquid egerunt hoſtile, quaſi nox non contineretur appellatione diei, etſi non de die vno, ſed de pluribus dictum eſt. Et quando id quod agitur, non in luce modo, ſed & in tenebris tractatur, ſed & prouerbio notatum commentum hoc Thracium. Etiam & Phœnicum pacta de*

Digitized by Google

inſidioſis dictum tradunt: quoniam tum in Libyam appuliſſent, & ab incolis loci impetraſſent, vt poſſent illic eſſe noctem & diem, abire poſtea nunquam voluerunt, quaſi hoc pacto tuti, quod idem ſignificaret, ac ſi conuentum eſſent, vt maneret donec dies, & nox eſſet in perpetuum. Et forte lingua Phœnica, item Libyca propius iuuat hanc fraudem (imo abſq. FORTE *quia* HAD IOM *vel* LAILA *poteſt ſignificare vtramque) quæ manifeſtior, & impudentior detegitur in Latina. Sic & aliæ ſupradicta Græcorum, Opicorum, Scytharum aliorum. Illi iidem Phœnices commentum illud alterum de taurina pelle induxerunt, mercati ſolum* TAVRINO QVANTVM POSSENT CIRCVMDARE TERGO. *Et aliud commentum iidem commenti alibi, apud Athenæum lib. 8. Sed & paribus artibus tum excepti à Græcis fuere. Nam Græci qui eis debebant naues, tradunt has ſine clauis, remis, velis, veluti hæ eſſent naues. Inſidioſe: at contra inſidioſos. Improbi Locrenſes, qui amicitiam pacti perpetuam, dum terram illam calcarent, & capita illa humeris portarent: terram, quam calceis antea iniecerunt, & capitibus alliorum, quæ clam appoſuerunt humeris, excuſſis, bellum mouerunt. Hæc futiliſſima commenta, quibus vti forſan poſſis, quemadmodum Numa, Brutus vſi perhibentur, ad immanitatem aliquam auertendam, ſed hic vti non poſſis. Improbus Ariandes, Perſæ improbi, qui itidem pacti amiciam donec ſtaret illa terra, foſſam antea factam, & terra, cui inſiſtebant tectam, aperuerunt ſuppreſſa, infraq. depulſa terra, & ita ſe pactione liberatos venditabant, illa terra non ſtante. Et tale Peruſinorum commentum, improbatum Iuriſconſultiſque Peruſinis: vt pax Papæ, & Peruſinis eſſet donec haberent in corpore de vite, quod vocabulum Italice & vitas & vites ſignificat. Peruſini autem de vite ſibi intellexerunt: quam in ſinu occultam gerebant: & quam poſtea abiecerunt: & itaque habere in corpore deſierunt: ac bellum cum Pontifice renouarunt: qui fidens fœderi, vbi vitam intellexerat, agebat iam ſecurus. Iſta ſunt commenta adeo putita, atque putrida, vt in ipſis recenſendis, ac refutandis ego videri nimius queam.*

Quarto. minimum fuiſſe gabaonitarum peccatum vult quæſt. 15. Abulenſis, quia peccatum fuit officioſum ad vitam tuendam. *Ideo,* ait, *quaſi nullius culpæ eſt.* At Iſraelitis niſi ſubſequuta mulcta occurſum eſſet, pernicioſum fuiſſet. Eos autem 1. Paral. cap. 2. ver. 22. ob mendacium hoc, vocari *viros cozeba*, ſeu *mendacij*, in Hebræo & Græco textu, cenſent Rabbini & Thalmudici c. 5. in Bababathra fol. 916.

QVÆSTIO VI.

Quid ad Gabaonitarum legationem Iſraelitæ?

PRimo dixerunt *Gabaonitarum legatis*, ſiue, vt Hebræo eſt, *Heuæo* Iſraelitæ, ſiue *horum aliquis* verſ. 7. *Ne forte in terra, quæ forte nobis debetur habitetis, & non poſſimus fœdus inire vobiſcum. Secundo.* Iiſdem dixit Ioſue ver. 8. *Quinam eſtis vos? aut vnde veniſtis. Tertio.* ver. 4. *Suſceperunt Iſraelitæ de legatorum iſtorum cibariis. Quarto. Et os Domini non interrogauerunt.* ibidem. *Quinto.* ver. 15. *Fecit Ioſue cum eis pacem: & initio fœdere pollicitus eſt, vt non occiderentur. Sexto. Principes quoque multitudinis iurauerunt eis.* PRIMVM illud videtur in Hebræo eſſe clarius: *fortaſſe in medio mei tu* A *habitas, & quomodo feriam tecum fœdus?* TERTIVM vero videtur clariſſimum. Ideo enim de viatico ipſorum, id eſt, de pane videntur Iſraelitæ ſumpſiſſe, vt viderent, num ſicut legati aiebant, eſſet ille tam aridus & in micas redactus, aut mucidus, tractarentque manibus, & dentibus etiam fortaſſis explorarent: ita etiã Radak & R. Iſaias. Obſcurant verba hæc alij quadrupliciter. *Primo.* Inedia grauiſſima vrgente panem illum ab Iſraelitis voratum. Quid in beato iſto victoriarum curſu, ſpoliorumque ac frugum copia maxima ineptius? *Secundo.* Pro B *ſumpſerunt* vertunt alij *didicerunt*, & hoc eius, quam dixi, explorationis effectum explicat. *Tertio.* Chaldæus: *Aſſenſi*, ait, *ſunt Iſraelitæ inſidioſis Gabaonitarum dictis.* quaſi non à *tſid*, ſed à *tſadad*, id eſt, *inſidiari* veniret. Hebræum nomen, quod Grammaticam vel paululum aſpicienti ſtatim diſplicet. *Quarto.* Sumptum deniq. volunt ab Iſraelitis nonnulli Gabaonitarum panem, eo quod in fœderum ſanctionibus moris fuerit panem vna libare ac eſſe: carnes item immolatitias, aut ſalem, aut vinum, aut ſimile C quid, vt ex Curtio l. 8. Homero lib. 3. Iliad. ex Alexandro ab Alexandro lib. 5. cap. 3. perſpicuũ. Ita Lyranus, & Arias Montanus dicens, hoc ab orientalibus omnibus, & à multis occidentalibus inſulis hodie obſeruari: ſeque in Hybernia expertum, maxima beneuolentiæ & amicitiæ ſymbola in pane diuidendo, vna eſitando, & cereuiſia bibenda poni. In 4. Cum vere ac proprie os non habeat Deus, conſtat hic eo ſignificari diuinum oraculum, & quidem, vti fatentur Abulenſis, Arias, Maſius, id quod per *Vrim &* D *Thummim* fiebat, de quo l. 1. c. 9. q. 23. & ſeqq.

QVAESTIO VII.

An veram vnius Dei religionem amplexi Gabaonitæ?

INficiari videtur Maſius: & Abulenſis clare quæſt. 20. ſed exiſtimo, cum veniret iſta eorum legatio, fuiſſe ipſos paratos eandem cum Iſraelitis publice amplecti ac profiteri religionem, multoſque vera iam fide imbutos fuiſſe, quæ tamen in omnibus poſtea, partim Ioſuæ, E Sacerdotum, aliorumque doctrina & exemplo, partim nouorum Dei miraculorũ aſpectu & conſideratione, fuerit auctior & perfectior. *Primo.* Quia ante Iudæorũ per Iordanem tranſitum, audierant (ſicuti & ſupra cap. 10. Raab) mirabilia Dei pro Iſraelitis opera. Eadem ergo iis credendi fuit occaſio, quæ ipſi Raab. At illa in verum Deum iam tum crediderat, vt ſupra c. 2. q. 17. vidimus. Nunc vero acceſſerat mirifica Iordanis traiectio, & Hierichuntinorum mœnium ruina. Multo ergo magis Deum Iſraelitarum, verum Deum eſſe, in eumque cre- F dere ipſi potuerunt. Crediditſſe autem monſtrat eorum hec profeſsio. verſ. 9. *Audiuimus famam potentiæ eius*, ſeu vt in Hebræo ſimplicius eſt, *audiuimus famam*, vel *auditionem eius: cuncta quæ fecit in Aegypto,* & quæ ſequuntur. *Secundo.* Aiunt iidem ipſi Ioſuæ, *Venerunt ſerui tui.* IN NOMINE DOMINI DEI TVI. Quid eſt *in nomine Dei venire?* Et quid eos, qui olim erant idololatræ, venire *in nomine Dei*, non cuiuſcun-

Digitized by Google

que, ſed eius, *qui Ioſue Deus eſt*, qui eum toto cum populo diuitat: eum tot, tamque mirificis victoriis tuetur & auget? nonne eſt fateri ſe ab illo ad legationem iſtam excitatos? nonne eſt eius nomen & gloriam profiteri: Ioſephus clarius hoc ipſum exprimit: μαθόντες ἐκ θεοῦ χάριτος καὶ δωρεᾶς, id eſt, *cum ex Dei gratia, & dono didicerimus.* Et poſſet Hebræus etiam ita verti textus. *Venerunt ſerui tui ad nomen Domini Dei tui.* quaſi dicerent, *ad nomen & gloriam Domini Dei tui* profitendam. ad eum colendum & venerandum: ad eius religiones ac cæremonias ſuſcipiendas venimus nos ſerui tui. & nota pro *Domino* in eodem textu Hebræo eſſe nomen illud ineffabile IEHOVAH. *Tertio.* Ita ſentit S. Auguſtinus quæſt. 13. *Non importune*, ait, *vtique credendi ſunt: etſi fallere homines pro ſua ſalute voluerunt, non tamen fallaciter Deum timuiſſe in populo eius.* Et quæſtion. 14. *Crediderunt Deo, quem audierant ſuo populo promiſiſſe, quod gentes illas ſubuerteret, eorumque terram obtineret: & hanc eorum fidem, non eos perdendo, remunerauit quodammodo.* *Quarto.* Origenes, licet in contrariam ab Maſio trahatur ſententiam, idem videtur ſentire homilia 10. dum Gabaonitas ait *portiunculam eorum, qui ſaluandi ſunt:* & Ioſue *indicium eorum fidei competens* tenuiſſe. Conſentiunt Lyranus, & Abulenſis aliquo modo quæſt. 6. & 34. non tamen 20. Arias Montanus fol. 256. *Quod*, ait, *rogas, quinam ſimus, hoc eſt, quid præter cæteros homines ſortiti, aut nacti, aut profeſſi vos quærere decreuerimus, illud certior fias, nos Dei veſtri nomen ſtudioſe & diligenter cognitum venerari, & colere, illuſque præcipue colendi & celebrandi cauſa, vobis in ſocietatem coniungi expetiſſe, nec metu aut neceſſitate impulſos hoc egiſſe, verum pietatis ardenti ſtudio.* Caietanus ſimiliter: *Annotabis prudens Lector, quod profitentur Gabaonitæ, ſe veniſſe in nomine Iehouah Elohe Iſrael, vt intelligas, iam proferre ſe paratos ad cultum ſummi Dei, qui colitur ab Iſrael.* *Quinto.* Teſtantur è Iudæis idem non pauci, in quibus eſt R. Nechmannus in Exod. cap. 23. *Sexto.* E Nouatoribus Caluinus: *Oſtendunt*, ait fol. 38. *ſe veniſſe in nomine Dei: ac ſi profiterentur ſe Deo dare gloriam, & quidem Deo Iſraelis. vbi ſubeſt tacita ſuperſtitionum, quibus aſſueti erant, reiectio.* Agnoſcit & Albericus Gentilis lib. 3. de bello c. 19. fol. 650. Quæres, *num, & quando* igitur *circumciſi?* Reſpondeo *primo* non fuiſſe quidem ad verum Dei cultum neceſſe vt circumciderentur, ſed quia, vt Iudæos ſibi omnino demererentur, Iudaicum profeſſi cultum ſunt, fuiſſe quidem ipſos circumciſos, non niſi tamen poſt Ioſuæ ad ipſos aduentum, & poſt belli iis intentati propulſationem, de quo infra.

QVAESTIO VIII.

An cum Gabaonitis fœdus percutere potuerint Iſraelitæ?

NEgat è Nouatoribus Caluinus hoc loco ſemel ac iterum, & ex ipſius aſſeclis Alberic. Gentilis Iuriſconſultus lib. 3. de bello cap. 19. *Puto*, ait, *non potuiſſe Ioſuæ iure cum illis fœdus vllum, quidquid magni Bibliorum Interpretes aliter ſentiant.* Iterumque poſtea ſæpius. eſtque

A Abulenſis opinio quæſt. 19. & 20. In librum tamen 2. Machabæorum cap. 2. quæſt. 23. dixi, non fuiſſe Deuter. 7. v. 3. vetitum, Iſraelitis fœdus cum Gentilibus omnibus, ſed tantum cum ſeptenis Chananæorum gentibus, vt patet ex cap. 34. Exodi verſ. 11. & diſerte ex Iudæorum præcepto negatiuo 48. & 49. quod eſt, *ſchello lichroth berith leſchibah hammim.* id eſt, *non ineundum fœdus cum ſeptem populis.* Et hoc prima Iſraelitarum cum Gabaonitis verba ſuperiore quæſtione indicāt. *Quomodo fœdus tecum feriam?* Hoc tamē de ſeptem Chananææ gentibus iam

B ſupra in *Raab* c. 2. & cap. 6. expoſui, accipiendum, niſi ſi veram veri Dei fidem & cultum amplecterentur, prout fecit *Raab*. Nunc addo, *ſi* cum vno quopiam *priuatum* eſſet fœdus, poſſe fieri ſaluis etiam rebus eius omnibus. & ſic in *Raab* factum: *ſi cum ciuitate* aut *ciuitatibus publicum* eſſet fœdus, oportuiſſe, vt ſuam terram, vrbes & fundos Iſraelitis tanquam veris à Deo conſtitutis dominis concederent. Atque hoc poſterius faciunt Gabaonitæ, cum toties, vt ſupra quæſt. 4. vidimus, profitentur, *ſe* Iſraelitarum *ſeruos*. De priore autem, *verane Dei reli-*

C *gione imbuti fuerint*, quæſtio fuit ſuperior. Confirmatur primo ex Deuteron. 20. v. 10. Nam fatentur Iudæi generalem hic ſententiam eſſe de populis omnibus, qui pacem ab Iſraele voluerint, etiam ſi ſint Chananæi. At Gabaonitæ non expectant dum obſideantur, ſed vltro veniunt: ſupplices fiunt. Dei ſacra ſuſcipiunt. In v. vero 16. eiuſdem cap. agitur de Chananæis, qui pacē reſpuunt, in idololatria perſeuerāt. *Secundo.* Ex c. 11. inf. v. 20. vt ſupra. *Tertio.* Caluinus fatetur iis debere offerri pacem iuſſu Dei: & tamen quaſi eſſet hypocrita & ſimulator Deus, dandā

D non vult. *Quarto.* Mecum ſentiunt D. Auguſt. q. 13. 14. Lyranus, Caietanus, Rabbini omnes: e Iuriſconſultis Decianus 3. conſ. 20. e Nouatoribus Tremellius, & Iunius in hunc locum.

QVÆSTIO IX.

An quo modo cum Gabaonitis percuſſerunt Iſraelitæ fœdus, recte percuſſerunt?

PErcutere cum Gabaonitis fœdus potuerunt Iſraelitæ per ſuperiorem quæſtionem 8. eos

E tamen in textu reprehenſos videmus, v. 14. dum dicitur: *& os Domini non interrogauerunt.* deinde culpam agnoſcit quodammodo Ioſue, cæterique multitudinis Principes, dum ideo tantum Gabaonitas ſeruant, quia incolumitatem iis iureiurando promiſerunt verſ. 18. idque vnum murmuranti multitudini reſpondent v. 19. *Tertio.* demum quia quaſi cum iis contrahi fœdus non debuiſſet, mulctam iis & ſeruitutem perpetuam imponit Ioſue principeſque alij.

Dico tamen *primo*. ſi fuiſſent Gabaonitæ tam exteri, tamq. ab Chananæis remoti quam videri

F volebant, recte cum iis percuſſum fuiſſet ab Iſraelitis fœdus, quia nihil pactum aliud, quam vt ſinerentur viuere. At hoc gentibus remotis omnibus eos non laceſſentib. polliceri potuerunt Iſraelitæ: multo magis, rogantibus.

Secundo. Si agniti fuiſsēt Gabaonitæ tam propinqui quam erant, & quidem e ſeptem Cha-

Digitized by Google

nanæorum populis, potuiſſet cum iis eadem A iniri pactio. quia ſicut quæſt.7. & 8.dictum eſt, profitebantur ſeſe deinceps eſſe velle veri Dei cultores: ſeque in Iudæorum poteſtatem ac ditionem totos conferebant. ita vt eorum ſe *ſeruos* dicerent.

Tertio. Varie tamen ſe in fœderis eiuſdem percuſſione imprudenter ac vitioſe habuerunt Iſraelitæ. *Primo*. Quod in re tanti momenti, in hoc bellorum principio, in hoc religionis illius aditu, Dominum non conſuluerint Principes, Nam vel iis conſtabat Chananæis ab idolola- B tria deſciſcentibus parci poſſe: vel non conſtabat. Si conſtabat, bonum tamen fuiſſet Domini conſulere oraculum, vt eadem omnibus etiam plebeiis eſſet opinio, neque murmuris vlla eis daretur occaſio, quæ inde nata, quod, hiſce ſeruatis, promiſſam ſibi hæreditatem ac opes minui exiſtimabant. Si non conſtabat, multo magis à Domino, quid facto eſſet opus, ſuſcitari eos oportuit. *Secundo*. Quod tam temere iis crediderunt, non quærendo diligentius, quænam eorum gens eſſet, vbi ſita, qua- C rum virium, cuius cultus: nec deſiſtendo, quoad intellexiſſent: Non geographicæ paululum ſcientiæ, quæ vel diſciplinâ, & vſu aliquo nonnullis aderat, vel naturali quodam iudicio adeſſe poterat, adhibendo: non eos, qui exploratores alicubi fuiſſent, interrogando: non à Chananæis, qui in caſtris iam erant, quidquam percunctando: non ex eorum lingua quidquam coniiciendo: non examinando etiam ſatis ea, quibus longinquum ſibi fuiſſe iter probare conabantur iſti legati, argumenta. Nam faci- D le fuit cogitare, poſſe omnia hæc dolo ac fraude fieri, vti ſane fiebant: efferri ſcilicet è vicino loco panes vetuſtos ac mucidos, ſaccos, ac vtres detritos ac fractos: veſtimenta depexa & lacera: calceos pittaciis pluribus refectos ac reſutos, prout copioſe monſtrat Abulenſis q.8. *Tertio*. Quod nimium ſua quapiam laude viſi ſunt capi & oblectari, dum è tam diſſitis remotiſque regionibus ad ſe, pacis fœderiſque cauſa, legatos mitti viderent. *Quarto*. quod celeritatem nimiam ad momenti tanti negocium ad- E hibuerint, nihil differendo, ne in vnum quidẽ, vt videtur, diem. Nam peruaſiſſet alioqui caſtra tota rumor, & inaudire aliquid potuiſſet Raab, ipſiuſque domeſtici. Merito igitur à Domino reprehenſi ſunt Principes: merito ſuam ipſi culpam agnoſcunt: merito eos, à quibus decepti & circumſcripti erant, mulcta & ſeruitute afficiunt, de quo iterum poſtea.

QVAESTIO IX.

Quando & quomodo Gabaonitarum fraudem reſcierunt Iſraëlitæ.

RESpondet verſ.16. textus, *poſt tres dies initi fœderis audierunt quod in vicino habitarent, & inter eos futuri eſſent*. Et verſ.17. *Mouerunt caſtra filij Iſraël, & venerunt in ciuitates eorum die tertio*. Audierunt autem vicinos eſſe Gabaonitas Iſraelitæ, vel à *Raab* familiaribus, prout Abulenſi placet, vel à frumentatoribus, & pabulatoribus, qui huc & illuc turmatim in hoſtium propinqua loca excurrebant, vt vult Maſius, & ſubinnuit Ioſephus. Hi enim ad has vſque Gabaonitarum vrbes pertingere potuerunt. Arias vero Gabaoniticos Oratores tantam populo ſuo lætitiam, ob ſancitum fœdus, attuliſſe putat reduces, vt longe lateque fama illico percrebuerit: ſicque ad Iſraelitarum aures peruenerit. Vt vt ſit, die poſt fœderis ſanctionem tertio, fuit error hic auditione certa compertus, die autem poſt eandem ſanctionem ſexto, qui poſt auditionem tertius: certo aſpectu & experientia, tum ad Gabaonitica loca hæc promouiſſet caſtra Ioſue.

QVAESTIO XI.

An iureiurando Gabaonitis dato tenebantur Iſraëlitæ?

CVm, vt de Lucanis ait apud Gellium lib. 2. cap. 19. Quadrigarius, reſciuerunt Iſraelitæ, ſibi *per fallacias verba data* eſſe, pactis & conuentis ipſos ſtare num oportuit? *Duæ* ſunt *extremæ ſententiæ*, & inter eas mediæ duæ. Illarum *prior* eſt, cum hoſtibus fas eſſe iurare ac peierare, prout libitum eſt. Hæc gentilis neſcio cuius Lyſandri fuiſſe traditur, qui Plutarcho teſte, ſolebat dicere: *pueros aſtragalis, viros vero iuramentis decipiendos*. *Poſterior* Gratiani, iuramentum illud illicitum ſeruandum, quod rem ex ſe non malam, ſed præcepto tamen aliquo poſitiuo vetitam, cui generatim quidem obtemperandum ſciebatur, ſed particulatim neſciebatur in ea re, quæ iurabatur: vt non ſit ignorantia iuris, ſed facti. Num.22.quæſt. 4. *Sed cum his omnibus illicita iuramenta non ſeruanda probentur, opponitur, quod Ioſue Gabaonitas contra præceptum Domini non deleuerit, quia ſeniores Iſrael iuramento cum eis pacem firmauerant. Sed notandum eſt, quod ſeniores Iſraël, etſi ſcirent à Domino eſſe imperatum, vt delerent gentes terræ promiſſionis, decepti tamen à Gabaonitis, neſciebant eos eſſe incolas terræ ſibi promiſſæ*. Et poſtea: *Illicitum ergo iuramentum quod ſeruari prohibetur intelligendum eſt, quod ſcitur eſſe illicitum dum iuratur, ſi autem neſcitur illicitum eſſe, ipſa ignorantia excuſat, ſi putetur licitum eſſe, non ex ignorantia iuris, ſed facti*. Tertia ſententia & *mediarum prior* eſt Caietani, fuiſſe licitum hoc iuſiurandum, eoque obſtrictos, vt ſeruare tenerentur, fuiſſe Iſraelitas: *Primates*, inquit, *qui iurauerant, cenſuerunt ſeruandum eſſe iuramentum, ob reuerentiam diuini nominis. Et merito, quia quamuis decepti, debebant tamen admittere Gabaonitas non induratos in cultu idololatriæ, ſed paratos ad cultum ſummi Dei, & timentes iudicia eius. diuinum enim decretum, Exod.34. & Num.33. intelligi de obſtinatis*, F *manifeſtatur inferius in cap. 11. vbi redditur ratio diſparitatis inter Gabaonitas & alios populos, penes indurationem aliorum & non indurationem Gabaonitarum. Iuramentum itaque non fuit aduerſus decreta Dei: & propterea ſeruandum erat, quamuis errauerint in modo paciſcendi: quia os Domini non interrogauerunt*. Mediarum *poſterior* ſententia eſt: ſacramento iſto non fuiſſe obſtrictos Iſraelitas, quia fraus iis à Gabaonitis facta. Cum enim iſti dixerint, ſe procul extra Chananææ terræ terminos agere, omnium iurantium mens in tales, tamque remotos & exteros ferebatur.

Digitized by Google

Cum ergo tales nō eſſent Gabaonitæ,iis obligati nihil erant Iſraelitę. Improbatur quidē nimia eorum calliditas, qui verbis quidē vnum iurāt, aliter tamen animo interpretantur,ſeque mentem iniuratam gerere arbitrantur: ſed hi noſtri, quod mente intelliguut,verumque decernunt, hoc ipſum & aliud nihil verbo iurant. At res aliter ſeſe habet. ideoque prorſus iniurati fuerunt. *Error in corpore vitiat contractum*,l.19.*de cond. empt.* At in contractus ac fœderis huius corpore magnus fuit error, & is quidem eorum, qui paciſcebantur, Gabaonitarum fraude admiſſus. Regula communis eſt, *promiſſionem ſub fide falſæ aſſertionis partes non obligare. Et in promiſſione per dolum extorta, & facta per errorem, nihil operatur iuſiurandum, nec ſupplet defectum conſenſus. Iuramentum, quod non habet conſenſum, non habet ſpiritum. Conſenſus vbi deficit, ibi & ius natura.*

QVAESTIO XII.

Cum iureiurando illo non obſtringerentur Iſraëlitæ, an id recte ſeruarent?

QVibuſdam videtur non recte ſeruatū hoc iuſiurandum. *Primo.* Quia in Elibertino Concilio cap.1.& apud Gratianum 22.quæſt.4. dicitur, *Diffinitio incauta laudabiliter ſoluenda eſt: nec eſt præuaricatio, ſed temeritatis emendatio.* V. Beda in feſto decollationis S. Ioannis: *Stulta*, inquit, *vota frangenda ſunt.* Plura in eandem rem afferuntur eadem cauſa 22. cap. *ſi aliquid.* cap. *Actione quarta.* cap. *ſi quis præuentus.* cap. *Mulier.* *Secundo.* Quia tota Iſraelitarum Eccleſia improbauit iuriſiurandi huius obſeruationem, & contra Principes murmurauit. *Tertio.* Ceſſante iuriſiurandi obligatione, redibat prior Iſraelitarum conditio. At ea eiuſmodi erat, vt deberent Chananæis omnibus extremam inferre perniciem ac exitium, Deut.20. verſ.16. *Quarto.* Tullius 1. de officiis. *Illis promiſſis non ſtandum eſſe, quis non videt, quæ coactus quis metu, aut deceptus dolo promiſerat?* Aliis recte, videtur, obſeruatum iuſiurandum tripliciter. *Primo.* Quia ita faciundū aut reuelarat, aut inſpirarat Deus. Ita partim Abulenſis, partim apud eum alij quæſt. 30.31.32. *Secundo.* quia putabant ſe ipſo teneri principes. Licet vero non tenerētur, contra ſuā tamen conſcientiā facere haud poterant, quia, *omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* ad Rom. 14. v. vlt. *Tertio.* Quia ſciebant quidem, ſe illo non teneri, vt oſtenderent tamen quanti eſſet facienda iuriſiurādi religio, ſeruare id voluiſſe: recteque ſeruaſſe. Atque mihi hoc perplacet. Nam *primo* lex nulla Chananæos, qui vanis idolorum ſuperſtitionibus valedicerent, ſaluos & incolumes ſeruari prohibebat, vti ſupra dixi quæſt. 8. *Secundo.* Ignorantia iuris tanta vix in tantum Senatum, tantumque Principem, eundemque Prophetam tantum Ioſue videtur cadere: in maximum etiam Pontificem Eleazarum, quem rebus hiſce omnibus adfuiſſe teſtis Ioſephus. *Tertio.* Reuelatio nulla legitur: inſpiratio in eiuſcemodi benefactis recte cōceditur. *Quarto.* Iudicium de recte obſeruata iuratione hac approbauit & tunc, & multis poſt annis Dominus 2.Reg.21. *Quinto.* Iſto modo maior dabatur Chananæis ſeſe ad verū Deum conuertendi occaſio, maiorque præfractis, & in idololatria contumacibus iuſtiſſimi ſupplicij exprobratio. *Sexto.* Sic ſentit etiam S. Ambroſius lib. 1. offic. cap.29.lib.3. cap.10. Cuius verba poſt citabuntur. *Septimo.* Tenacem eſſe promiſſorum ac iuramentorum, aliquo etiam ſuo cum incommodo, maiorem ad ſancte permouendos aliorum animos vim habet, quam ſi ſtatim, quod incaute promiſſum aut iuratum, reſcindatur. Vnde & S. Bernardus Epiſt. 219. *Probro ducitur apud Francigenas iuramentum ſoluere, quamlibet male publice iuratum ſit.* *Octauo.* Laudatur Iſraelitarum in conuentis pactiſque conſtantia hæc in c. *venerabilem*, extr. *de electione*: *Cum Gabaonitæ à filiis Iſrael per fraudem ſubripuerint iuramenta, ipſi tamen, cognita fraude, contra illud venire temere noluerunt.*

QVAESTIO XIII.

In tanta Gabaonitis credendi facilitate poſſitne virtutis, aut Ioſuanæ, aut Iſraeliticæ aliquid notari?

Q*Vi credit cito, leuis corde eſt, & minorabitur.* Eccleſiaſtici 19. v.4. ſiue *de diuina fide*, vti ſentire videtur lib. 6. contra Celſum Origen. ſiue *de humana* tantum *incredulitate*, vt vult Ep. 190. S. Bernardus, ſermo ſit. σώφρονος ἀπιστίας, inquia Euripides, οὐκ ἔστι οὐδὲν χρησιμώτερον. idq. non inuenuſto emblemate declarauit ex Epicharmo Alciatus. Et 1. de officiis Cic. *Labi, errare, neſcire, decipi, & malum, & turpe ducimus.* Et poſtea præcipit, *non eſſe committendum aliquid, vt aliquando dicendum ſit, non putaram.* Excuſari ergo penitus, & ab omni facilitate credulitateque nimia liberari non poteſt, prout ſupra quæſt.9. notatum. In eo tamen ipſo ineſt amore ac laude dignum neſcio quid. Bonos enim viros, ſimplices, apertos, minime vafros, aut ſuſpicioſos appafet fuiſſe tam Ioſue, quam cæteros Iſraeliticos principes. Atque hoc vidit, admodumq. laudauit lib. 3. de offic. cap. 10. S. Ambroſius. *Veterem, ait, iſtam de dolo non iuriſperitorum formulam, ſed Patriarcharum ſententiam ſcriptura diuina euidenter expreſſit in libro teſtamenti veteris, qui* IESV *Naue inſcribitur. Nam cum exiſſet fama per populos, ſiccatum eſſe mare in Hebræorū tranſitu: fluxiſſe aquam de petra: de cœlo diurnam miniſtrari alimoniā tot millibus populi abundantem: corruiſſe muros Hiericho, ſacro tubarum ſono ictos, & vlulatu plebis arietatos, Gabaeorum quoque regem victum, & ſuſpenſum in ligno vſque ad veſperam: Gabaonitæ metuentes validam manum venerunt cum verſutia, ſimulantes ſe de terra longinqua eſſe, diuque peregrinatos dirupiſſe calciamenta, detriuiſſe amictus veſtium, quæ veteraſcentium indicia monſtrarent. Cauſam autem tanti laboris, emerendæ pacis, & ineundæ cum Hebræis eſſe amicitiæ cupiditatem, & cœperunt ab* IESV *Naue poſcere vt ſecum firmaret ſocietatem.* Sanctus Auguſtinus in Pſalmum 147. *Quid agit pax? De incertis non iudicat: incognita non confirmat. Procliuior eſt ad bene credendum de homine, quam ad male ſuſpicandum. Non ſe multum dolet errare, dum bene credit etiam de malo.* Et idcirco in Bababathra capite 5. fol.91. honorificum ipſi Ioſuæ nomen

Digitized by Google

Iokim datum 1.Paralip.q.22. ſignificant Rabbini, quòd iuſiurandum ſeruarit. Natum poſtea illud malum, vt vix alteri aliter credat quis niſi iurato: & factum quod ait libro 1. de ſermone Domini in monte S. Auguſtinus,& ex eo c. *Non eſt* 22.q.1.vt iuratio à malo ſit, non iurantis, ſed increduli,à quo quis iurare cogitur. Vide Roſignolum noſtrum l. 4. de diſciplina Chriſtian. perfect.cap.26.

QVAESTIO XIV.

An Gabaonitis pœna ob fraudem aliqua,& quanam imponi potuit?

SI fœderis obligarent Iſraelitas tabulæ, nihil imponere Gabaonitis, quàm quod illis perſcriptum fuiſſet, ij potuiſſent. Nunc verò non obligabant, vti diſſertum ſuprà. Potuit igitur ob impoſturas & mendacia pœnæ infligi aliquid,partim ob iniuriam & dedecus Iſraelitis illatum, partim vt à dolo & fraude abſterrerentur alij,dum eſſet in omnium conſpectu frauſa fraus.

Sed I. Pœna illa non debuit eſſe mors. *Primò*, Quia fraus & dolus ab illis ad nullius perniciem conſtructus fuerat, ſed ad ſuam ipſorum ſalutem non ex malitia, ſed ex neceſſitate ortus. *Secundo*, Quia Iudæorum ſacris initiari optabant Gabaonitæ,vt expoſitum antea. Eos igitur è vita tollere non ſatis humanum & æquum.

II. Non debuit etiam eſſe pœna illa è terræ huius finibus omnibus exterminatio & exilium:quia hoc fuiſſet eos,qui diuino ſeſe cultui addicere voluiſſent, impedire, certiſſimiſque priſtinarum ſuperſtitiouum periculis Neophytos obijcere,cùm extra regionem iſtam immẽſus idolomaniæ Oceanus vbique locorum eſſet.Atque hanc ob cauſam Iudæis, qui in vero tamen Dei cultu nati,educati,prouecti, & corroborati eſſent;exilium,quod extra totos Chananææ limites foret,nullum fuit, vt alicubi legere memini: ſed in certas ipſius vrbis diuinæ conſortes religionis fugere ipſis licebat. Deut. 21. Atque hinc illa Dauidis querela 1.Reg.26.v. 19. *Eiecerunt me hodie, vt non habitem in hæreditate domini,dicentes,vade, ſerui dijs alienis.*

III. Potuiſſet eſſe pœna, quæ facultates adimeret, ex vrbibus locíſque ſuis in alia quædam, Iudaicæ tamen ditionis, loca transferret, libertate ſpoliaret, certis operibus publicis ac miniſteriis addiceret,prout ſequenti quæſtiuncula dicetur. Sic enim Romani Brutios, quòd ad Hannibalem defeciſſent: infligendis maleficorum ſuppliciis deſtinarunt, Feſto teſte. Gellius vero lib.10.c.3.ſic: *Cum Annibal Pœnus cum exercitu in Italia eſſet, & aliquot pugnas populus Romanus aduerſas pugnauiſſet primi totius Italiæ Brutij ad Annibalem deſciuerunt.Id Romani ægrè paſſi, poſtquam Annibal Italia deceſſit, ſuperatique. Pœni ſunt, Brutios,ignominiæ cauſâ,non milites ſcribebant, nec pro ſocijs habebant,ſed magiſtratibus in prouincias euntibus parere,& præminiſtrare,ſeruorum vicem iuſſerunt.Itaque ij ſequebantur Magiſtratus tanquam in ſcenicis fabulis, qui dicebantur lorarij, & quos erant iuſſi, vinciebant, aut verberabant.* De Lucanis & Picentibus,

A eandem ob cauſam, legimus apud Strabonẽ in lib.5.extremo, ἀντὶ γεωργίας ἡμεροδρομεῖν ϗ γραμματοφορεῖν debuiſſe,id eſt, *curſores & tabellarios* eſſe.

QVAESTIO XV.

Quæ Gabaonitis ob mendacia & fallacias impoſita pœna?

GAbaonitis impoſita pœna traditur verſ.21. ſic: *Viuant, vt in vſus vniuerſæ multitudinis ligna cædant,aquaſque comportent.* verſ. 23. *Sub maledictione eritis: & non deficiet de ſtirpe veſtra ligna cædens, aquaſque comportans in domum Dei mei.* verſ. 27. *Decreuit Ioſue in illo die eos eſſe in miniſterio cuncti populi,& altaris Domini cædentes ligna,& aquas comportantes,vſque in præſens tempus in loco, quem Dominus elegiſſet.* Quatuor igitur inſunt hiſce verbis, quæ Gabaonitarum pœnam ſignificant. *Primum* eſt,ipſum pœnæ genus ſeu ſpecies, *ſeruitus* nimirum, prout ex re ipſa paulò poſt patebit,& diſertim ita vocatur in Hebræo. verſ. 23. cum illis ait Ioſue. *Non deficiet ex vobis ſeruus.* & in 70. οὐ μὴ ἐκλείπῃ ἐξ ὑμῶν δοῦλος. id eſt, *non deficiat ex vobis ſeruus.* Atque vt hanc ſeruitutem, veluti graue quoddam malum, dico *maledictionis*, nomine nuncupauit Ioſue dicens. verſ. 23. in Hebræo, *maledicti vos*: in 70. ὑμεῖς ἐπικατάρατοί ἐστε. Qua maledictione putant Thalmudici ordine, *de mulieribus*, tract. *Cethuboth.* cap. 8. Gabaonitas ab omni Iſraelitarum connubio & affinitate in perpetuum excludi, ſed rationem ij nullam proferunt. Alluſum potius eſt,ad maledictionem,qua *Cham* & *Chanaam* fratribus, ſeruos addixit Noe Geneſ.9.verſ.25. *Secundum*, ſeruitutis huius genus ſeu ſpecies. IESVS, ait, S. Hieronymus in epitaphio Paulæ, *Gabaonitas in aquarios,lignarioſque damnauit.* In textu autem noſtro, & Græco dicuntur *lignorum cæſores*, ξυλοκόποι aquarum comportatores & baiuli, ὑδροφόροι. ſed hos Hebræus dicit *aquarum hauſtores.* ita vt videantur & aquas haurire, & deportare debuiſſe:parque in lignis ratio,vt ea, & in ſyluis exciderent,& in lignile deferrent. Fuiſſe autem locis illis ac temporibus abiectiſſimorum,&quaſi extremorum hominum ſortem hanc,apparet ex Deuteron. 29. verſ. 10. vbi cùm recenſeret omnes,à ſummis ad imos progrediendo, Moyſes dixit, *vos ſtatis hodie cuncti coram Domino Deo veſtro,principes veſtri, & tribus, ac maiores natu atque doctores,omnis populus Iſrael, liberi & vxores veſtræ & aduenæ, qui tecum morantur in caſtris, exceptis lignorum cæſoribus,& his, qui comportant aquas*, ſed pro, *exceptis* verti poteſt cum 70. *vſque ad lignorum cæſores & aquarum comportatores*, ſiue *incluſis lignorum cæſoribus* 3. Ex Diuo Ambroſio l. 3. off. c.10. *Multauit* IESVS *Gabaonitas vilioris obſequio miniſterij. Tertium* ex vetere calonum, & lixarum contemptu. 4. Cui autem ſeruitium hoc præſtarent illi, tripliciter in textu expoſitum eſt. Primò, *Vniuerſæ multitudini* Iſraelitarum verſ. 21. Secundò, *domui Dei.* verſ.23. Tertiò, Vtrique, *populo*, inquam, *& altari* verſ. 27. Potuit autem hoc ipſum duobus modis fieri. *Primò*, Vt vere ad priuatos Iſraelitarum, itemque ad tabernaculi vſus, ligna & aquas ferrent Gabaonitæ. *Secundò*, Vt ad publicos tantummodo taberna-

Digitized by Google

culi vſus idem facerent. ſed quia tabernaculum A & altare publicum eſt, omnibuſque Iſraelitis commune, dum huic ſeruiebant, omnibus & ſingulis totique ſimul Eccleſiæ, ſeu multitudini ſeruiebant. *prior modus* habet auctorem Abulenſem quæſt. 33. & 43. ſed ita, vt ad priuatum illud ſingulorum miniſterium non fuerint Gabaonitæ damnati, niſi vſque ad terræ diuiſionem: R. Moſen Gerundenſem, etiam ſeruiiſſe cuilibet è populo poſt terræ diſtributionem. *Poſteriorem modum* tenent Maſius, Caietanus, & Arias. ſicque eadem ſemper ſeruitutis manſit conditio non immutata. quod inſtituto ac iu- B diciali ſententiæ videtur magis conſentaneum, & ſic à Ioſepho *δημόσιοι* vocantur, id eſt, *ſerui publici*. *Quartum* quandiu hanc ſeruire ſeruitutem debuerunt iidem Gabaonitæ. Reſpondetur verſ. 23. *in perpetuum*. Et v. 27. is, qui poſt Ioſue voces aliquas libro huic addidit, vt in Prolegomenis dictum eſt, dicit ſuo adhuc tempore viguiſſe ſeruitutem hanc in Hieroſolymitano templo. Ibi enim eſt locus, quem elegit Dominus 2. Paralip. 7. Cum vero templum hoc dirutum poſtea & incenſum à Romanis fuerit, C quomodo D. Ambroſius lib. 3. offic. cap. 10. ſuo adhuc tempore idem dixit miniſterium manſiſſe? ſic enim legitur. *Clementior ſententia, ſed diuturnior. Manet enim officiis pœna veteris aſtutiæ, hereditario in hunc diem miniſterio deputata.* Reſpondeo, S. Ambroſium reſpexiſſe non ipſum, quo ſcribebat, diem, ſed Ioſuanum ſcriptum imitatum eſſe.

QVÆSTIO XVI.

Gabaonitis domicilium vbinam deinceps fuerit?

CVm eorum ſeruitus loco illi, quem ad ſacra ſua delegiſſet Dominus, alligata fuerit, vt habet huius capitis verſus vltimus, exiſtimarit non immerito aliquis, eos in huiuſcemodi loco domicilium ſemper habuiſſe. Locus autem ille fuit nunc in Galgalæis caſtris, poſtea in *Silo*, infra cap. 18. tum in *Nobe* 1. Regum 22. Poſtea *Gabaone* 2. Paral. 1. verſ. 2. dehinc in *Bethſames Cariathiarim* 1. Reg. 6. tandemq. conſtanter in *Hieruſalem*, tam paulo antequã templum E extrueretur, Dauidis tempore, quam poſtea, vbi à Salomone fuit extructum. Et vbi alioquin habitaſſent? nam terra ſua, fundis, ac facultatibus eos cedere oportuit: & reapſe videmus Gabaonem vrbem ſacerdotibus attributam fuiſſe, infra 21. tres alias vrbes ita diſtributas, vt cum Gabaone duæ eſſent in tribu Beniamin, *Cephira & Beroth*, tertia in tribu Iudæ, *Cariathiarim* ſcilicet infra cap. 18. & 2. Regum cap. 4. ſicque homines poſt reditum è captiuitate Babylonica Hieroſolymam habitaſſe ait Bertramus libro de politica Iudaica, ſed quo- F modo tanta hominum multitudo, quanta in magna vrbe Gabaone, cæteriſque illis vrbibus fuit, vnam in vrbem aut vicum, eumque ſæpe non magnum, compacta fuiſſet? Nam præter Hieroſolymitanam vrbem, quantulæ tabernaculi ſedes aliæ? Quomodo in ipſam etiã Hieroſolymam, cum tot ciuibus, Sacerdotibus, Leuitis, Principibus, & aula regia tot ſolius tabernaculi ſeruitia includerentur? Cenſet idcirco Abulenſis quæſt. 44. 45. 46. in antiquis ſuis vrbibus relictos Gabaonitas: & per vices ad obſequij ſui functionem illo, vbi eſſet domini altare, profectos eſſe. Mallem exiſtimare in terræ diuiſione (nam ex ſequenti capite & bello, ipſos ſuis in vrbibus ante diuiſionem manſiſſe patet) per varia ipſos loca, vna cum Sacerdotibus & Leuitis, vel etiam per proxima tabernaculi loco loca, diuiſos fuiſſe: ſicque ad lignationem, aquationemque ſuam veniſſe. Nam ſi ſuis in vrbibus manſiſſent, aut vetera ſua bona, domos, agros, vineas, cæteraſque oportunitates retinuiſſent: aut nouis omnia dominis ceſſiſſent. Si prius, bona Chananææ terræ portio Iſraëlitis detracta fuiſſet: ſi poſterius, vix potuiſſet diu pax & concordia in iis manere vrbibus. Quomodo enim Gabaonitæ ingenio callidiſſimi, numero plurimi, robore valentiſſimi, vti hactenus viſum eſt, ferre poſſent, in ſuis iam ædibus dominari aduenas, ſe ſeruire? *Non eſt diuturnus officij magiſter metus.* Eſto, his bellorum initiis, dum Iſraelitarum caſtra ſimul ſunt: dum armati regionem occupant, maneant illi in officio: quid poſtea, dum diſperſi ſunt Iſraelitæ? dum pacem, ociúmque adepti, arma ponerent? remiſſis, ſolutiſque animis terram poſſiderent? non ſe aduerſus vrbium, domorumque ſuarum inquilinos erexiſſent? non priſtinorum parietum, menſarum, thalamorumque aſpectus, non hortorum, & fundorum amœnitas, non iucundiſſimæ libertatis ſenſus ad ſeditionem eos aliquam excitaſſet? Si enim ſola priſtinorum commodorum recordatio tan- D tas in tam multis tragœdias excitauit, quid quotidianus & aſſiduus faceret aſpectus? Accedunt alia priore loco argumenta poſita, & ipſiuſmet Abulenſis palinodia in 2. Regum cap. 21. quæſt. 16. Hieroſolymitanam vero turrim, vt in ea diuerſarentur, attributam putat non nemo, vt infra dicetur quæſt. 20.

QVAESTIO XVII.

An ſeruientibus Gabaonitis data merces?

CItatus antea Rabbi Gerundẽſis exiſtimat cum poſt terræ diuiſionem, eorum à quoquam ad ligna & aquas opera requireretur, negari eam nulli potuiſſe: ſed, pro ea, ipſis ab omnibus dandam fuiſſe mercedem. Quia vero tam ante, quam poſt terræ diuiſionem tabernaculo & altari ſeruierunt, placet mihi hæc Abulenſis ante quæſt. 44. notatio: *De his quoque quamquam nihil expreſſum ſit, quod eis daretur in ſuſtentationem: credendum tamen eſt, quod aliquid darent: quia cum ipſi in miniſtratione quotidiana altaris Domini eſſent, non poterant vacare operibus ſuis agriculturæ: ſicut igitur Sacerdotibus & Leuitis erant aſſignata certa iura, ex quibus ſuſtentarentur: de quibus* Num. 5. 2. 18. 2. *Deut.* 18. *ita Gabaonitis eſſent aſſignata aliqua ad ſuſtentationem, quæ poſtea principes ſtatuerant, ſcilicet de eleemoſynis & donariis datis in ſanctuarium. Nam iuxta Apoſtolum, qui altario ſeruit, de altari viuere debet, vt ſcriptum* 1. *ad Corinth. cap.* 9. *Gabaonitæ autem ſeruiebant altario, ſubminiſtrantes illis aquas & ligna ad neceſſitates ſuas: ergo de altari*

Digitized by Google

vivere debebant. id eſt, de aliquibus redditibus aut prouentibus ſanctuarij: Deus tamen de his nihil ſtatuit: ſed ſolum de redditibus Sacerdotum & Leuitarum: quia tempore, quo Deus ſtatuit legem in deſerto, nondum erant aſsignati Gabaonitæ tanquam miniſtri. alioquin iuſsiſſet eis quidquam dari.

QVÆSTIO XVIII.

An, per Xylophoriæ feſtum, lignaria Gabaonitarum ſublata ſeruitus?

Xylophoria feſtum apud veteres Iudæos fuit die 22. menſis *Ab*, qui Auguſto noſtro reſpondet. Cumque ſolerent illi eos menſes, in quibus præcipuus aliquis feſtus dies incidiſſet nominare *melachim*: id eſt, Reges, vocatus eſt etiam fuit *Ab* ſeu Auguſtus menſis *Rex*, quia, vt ait in lib. *Orach Chaim* ſeu *via vitæ* R. Iacob Benaſer, *in eo erant cadentes ligna ad oblationem*. Nā cum Eſdræ temporibus, nouum cum Deo fœdus inirent Iſraelitæ, dixerunt Nehemię c. 10. v. 34. *Sortes ergo miſimus ſuper oblationem lignorum inter Sacerdotes, & Leuitas, & populum, vt inferrentur in domū Dei noſtri per domos patrum noſtrorum, per tēpora à temporibus anni, vſque ad annum: vt arderent ſuper altare Domini Dei noſtri, ſicut ſcriptum eſt in lege Moyſi.* Leuitici ſcilicet cap. 6. ſed pro, *per domos patrum*, Hebræus & 70. dicunt, *in domum patrum*, quæ eſt *Domus Dei*, ibidem verſu vltimo ſeu *templum*. Hunc autem feſtum diem ita deſcribit Ioſephus lib. 2. captiuit. cap. 31. in græco: Εν τῇ τῶν ξυλοφοείων ἑορτῇ πᾶσιν ἔθος ὕλλω τῷ βωμῷ προσφέρειν, ὅπως μήποτε τροφὴ τῷ πυρὶ λείπετο. διαμένει γὰρ ἄσβεστον ἀεί. id eſt. *In lignorum comportandorum feſto cunctis mos, ligna ſeu materia in altari offerre, vt ne vnquam pabulum igni deſit. Permanet ille ſemper inextinctus.* Cum igitur lignorū ferundorum die, ligna omnes ferrent, eaque iampridem conſuetudo inualuiſſet, vbi erant, & quid agebant Gabaonitæ? An ſponte his lignariam ſeruitutem ademit populus? An ob valde imminutum eorum à Saule numerum 2. Regum 21. An ob maiorem quandam, & abundantiorem illati eis detrimenti compenſationem? An ea populi religio ac pietas fuit, vt præclarum ducerent, ſibique ipſis vltro depoſcerent ad Dei venerationem & publicam altaris liturgiam, vile alioquin & contemptum calonum munus? An vero potius populus, prout cuique ſors obtigerat, aut eum ſtimulabat deuotio? ligna è ſuis aut ſyluis aut ſyluarum portionibus deſignabat, aut ex alienis coëmebat, quæ Deo tunc, ſtantia quidem & nondum cæſa, offerret, ea vero Gabaonitæ poſtea cæderent & ad templum deportarent? ſic enim & populi mos, & Gabaonitarum obſequium cohærent optime.

QVÆSTIO XIX.

An per probaticam piſcinam, templique fontem aquaria eorundem Gabaonitarum ſublata ſeruitus?

Πρόβατον eſſe *ouem* aut *pecudem* conſtat omnibus. ideoque προβατικὸν *ouillum, pecuarium*, aut *pecuarium*. Quod vero de probatica piſcina

A Ioannis 5. v. 1. eſt, dupliciter in græcis legitur. Vel enim eſt *in*, vel, vt codices M S. plures habēt ſuper, ſeu, *ad probaticam*, id eſt, pecuariam piſcina, vel eſt *probatica piſcina*, ſeu *pecuaria*. Priore modo legunt fere omnes Græci codices, ac imprimis Vaticanus vetuſtiſſimus, & correctiſſimus. Poſteriore Theophylactus in textu & cōmentario. Si prior lectio teneatur, vix vllam hic piſcina difficultatem pariet. Dicetur enim *probatica* illic non ipſa piſcina, ſed *porta* ipſa, quæ *pecuaria* dicitur, Nehemiæ 32. Si poſterior magis arrideat alicui lectio, dicere poterit *pro-*
B *baticā* vocari *piſcinam*, quia ea iuxta probaticam ſeu pecuariam portam erat. & ſic nihil iterum difficultatis ea dederit. ſed quia probaticam dictam volunt Ammonius, Theodotus Mopſueſtenus, D. Hieronymus, Theophylactus, Euthymius, quod ad eam mactandæ oues ducerentur, in eaque cæſarum victimarum inteſtina lauarentur? videtur, Gabaonitis vt aquam haurirent, ac in templum portarent, opus haud fuiſſe. Deinde narrat in ſua legatione Ariſteas. & Tacitus libro 21. fuiſſe in Hieroſolymitano templo *fontem perennis aquæ*. Quorſum igitur lixæ Gabaonitici? Reſpondeo, de pro-
C batica illa lectione diſputare accuratius non eſſe huius loci. Videri de ea poteſt Nebriſſenſis in quinquagena capite quinto. Brugenſis in notationibus, Maldonatus in Ioannem. Sed vt legatur, & explicetur, dico neque per eam, neque per fontem illum, tolli Gabaonitarum ſeruitutem, licet aliqua eorum laboris eſſet imminutio & alleuatio. Nam ad luteres & conchas templi aquæ plurimum adhuc ferendum erat: ad pauimenta item, & macella, ſeu mactationis hoſtiarum loca eluenda plurimum. ita vt commodi tantum hoc eſſet, ne vel tam multum aquæ afferēdum eſſet, vel ne tam pro-
D cul. Apud Tacitum tamen *perennis aquæ fons* non manifeſte in templo eſſe dicitur. ſed cum Hieroſolymorum ornamenta recenſeat: in ipſa tātum vrbe illum videtur collocare.

QVÆSTIO XX.

An Gabaonitæ, Nathinæi ſint?

Nathinæorum crebra in diuino Codice mentio, & quidem ita, vt ad aliquod tabernaculi aræque obſequium pertinere intelligantur
E dum fere cum miniſtris templi, & ſæpe poſt Leuitas, ac templi ianitores & cantores numerantur. 1. Paralip. 9. verſ. 2. 1. Eſdr. 2. verſ. 70. cap. 7. verſ. 2. ac 24. c. 8. verſ. 20. 2. Eſdr. 3. v. 26. & 31. cap. 7. 46. 60. 73. cap. 10. verſ. 28. c. 11. v. 3. & 21. Gabaonitas vero iſtos ita vocatos dubitat, quod quidem ſciam, nemo vnus. *Primo.* Quia poſt Sacerdotes, Leuitas, cantores, & ianitores, qui alij templi miniſtri, præter aquarios & lignatores. *Secundo.* Quia nomen conuenit. Nam Hebræum verbum *nathan* va-
F let *dare*. At hoc loco verſ. vltim. in Hebræo *vaiiththenem Iehoſuah*, id eſt, *Et dedit eos Ioſue in die illo cæſores lignorum & hauſtores aquarum multitudini & altari Domini.* Eodemque modo Eſdr. capite octauo verſ. 20. *ou min hanethinim*

ſcenathan Dauid, id eſt, *Et de Nathinæis quos dedit Dauid*. Sunt enim dati Gabaonitæ templo & altari Domini, cum aliis, alioqui profanis, vſibus applicari potuiſſent, vt ſupra quæſtione 14. dictum. *Tertio.* Ita de Nathinæis etiam iudicat Sigonius lib. 5. de Repub. Hebr. cap. 7. Maſius, Raſchi, aliiſque Rabbini, noſter Villalpandus lib. 3. de vrbe c. 23. p. 207. & è Nouatoribus Iunius ac Tremellius hoc loco, Petrus Martyr libro 3. Reg. capite 7. ſed obiici poteſt, videre ex citato iam Eſdr. 8. capite Nathinæos à Dauide omnium primo datos & conſtitutos altaris miniſtros. Licet enim Ioſue, dederit Gabaonitas, non tamen videtur *Nathinæorum* nomine ipſos inſigniiſſe. Reſpondet citatus Sigonius & Raſchi, verum id eſſe: cepiſſe quidem horum nomen à Dauide: rem tamen & obſequium à Ioſue. Maſius vero & rem & nomen iam inde à Ioſue temporibus fuiſſe mauult, Dauidis tamen, quaſi eorum auctoris meminiſſe Eſdram, quia vt ille Sacerdotes & Leuitas in certas claſſes, miniſteriique vices ordine nouo redegit 1. Paralip. 23. ita etiam & Gabaonitas ſeu Nathinæos iſtos. Imo è ſubactis ſubditiſque gentibus, alios quoſdam iiſdem miniſteriis adiunxiſſe Dauidē certum eſt: præſertim cum Gabaonitarum plures interemiſſet Saül 2. Reg. 21. vt innuit Abulenſis, ibidem quæſt. 12. Docet vero Villalpandus loco citato, horum habitationem fuiſſe tum in *Orphelim*, quoddam veluti ergaſtulum. Rabbi vero Maimonides copioſe de his in helacoth *aſure biah* cap. 12. fol. 135. agit: & Dauidicos Nathinæos grauiore ait pœna mulctatos, quam ab Ioſue Gabaonitas. Hos enim cum ſanctuarium non eſſet, potuiſſe in Eccleſiam ingredi: illos vero in æternum non potuiſſe, etiam cum nullum eſſet ſanctuarium. Et grauioris huius mulctæ cauſam addit Rabbinus ille, quod Gabaonitarum nimiam contra Saulis poſteros impudentiam & crudelitatem vidiſſet Dauid 2. Regum c. 21. ideoque ne ſui nimium quoque inſoleſcerent Nathinæi, eos voluiſſe premi grauius.

QVÆSTIO XXI.

A Saule Rege occiſi Gabaonitæ an multi, & cur?

PRimo. Occiſos à Saule Rege Gabaonitas aliquos narrat ipſe Dominus 2. Regum 21. v. 1. Sed occiſorum numerus nuſquam proditus eſt. fuiſſe tamen quam plurimos apparet ex diuina cædis huius pœna. Nam triennalis populum Iſraeliticum, Dauidis tempore, afflixit fames, vt ibidem narratur, & vt effuſus ille ſanguis expiaretur, neceſſe fuit iuſſu Dei, Gabaonitis dedere ſeptem è Saulis poſteris, qui duriſſima, turpiſſimaque apud Iudæos morte afficerentur, in crucem acti ſcilicet. Quæ igitur tam tetro, tot regiorum capitum ſupplicio, tā dira tot annorum in toto Dei populo fame plecti debuit, cædes maxima fuerit neceſſe eſt. Clarius tamen atque certius numeri magnitudo habetur ex eiuſdem capitis verſu 5. tripliciter. Saulem enim *primo* vocant ipſi Gabaonitæ reſidui, *virum, qui attriuerit eos*, Hebraice, *qui abſumpſerit*. id eſt, pæne omnes deleuerit, Græce

A *συνετέλεσεν ἐφ' αὐτοὺς*. *Secundo.* *Qui oppreſſerit inique* Græce ἐδίωξε, *perſecutus eſt*. Vnum aut alterum, vnius ciuitatis tollere, non eſt, illam vel *opprimere* vel *perſequi*: ſed Hebraice habetur *dimmah lanu*, id eſt, *animo agitauit contra nos*, ſeu cogitauit contra nos mala, & hoc videtur in 70. ſignificari per παρελογίσατο ἐξολοθρεῦσαι ἡμᾶς. id eſt, *callide ac vafre ratiocinatus eſt quomodo nos diſperderet*. Nam *paralogiſmus* calliditatem ac dolum includit etiam hoc capite 9. in 70. verſ. 22. Nam pro illo, *cur nos decipere fraude voluiſtis*, Græce eſt, *διατί παρελογίσασθέ με*: & Hebraice pro *damah* B eſt *ramah*, ita vtrumque videatur artificioſam & meditatam cogitationem cum aſtutia quadam importare. *Tertio.* In Hebræo pergunt Gabaonitæ dicere: *Deleti ſeu exterminati ſumus*, per Saulem ſcilicet, *ne conſiſtere vſquam liceret in omni termino Iſrael*. Vnde clariſſime Gabaonitarum cæſorum multitudo in omnibus Iſraelitæ terræ locis perſpicitur. Poteſt autem aliter Hebraicus etiam textus accipi. 1. Vt hoc tertium referatur ad ſecundum, ſic: *Aſtute machinatus eſt, quomodo funditus exſcinderemur, vt conſiſtere nuſquam liceret in omnibus finibus Iſrael*. Et eadem intelligi- C tur cæſorum multitudo. 2. vt ſit petitio ſic: *Deleamus quæſo*, vel, *exterminemus ipſum ne ipſe* (per ſuos ſcilicet poſteros) *vſquam in omnibus Iſraelis finibus poſſit conſiſtere*. huncque ſenſum reddit Latina noſtra verſio, & ipſi Græci 70. ſicque ex magnitudine pœnæ ac veluti talionis, quam illi petunt, intelligatur, quanta clade illos affecerit Rex.

Secundo. Cur autem hoc fecerit Saül quadruplex opinio eſt. *Prima.* Raſchi quia oderat Saül ſacerdotes, eoſque in Nobe interfecerat. 1. Reg. 21. ac idcirco cum iis Gabaonitas interfecerat: vel quia hiſce interfectis, omne ſtipendium & D victus quotidianus his qui ab illis, vti dictum eſt, alebantur, ereptus eſt: vel quia vna cum illis mactati ſunt. *Secunda.* Lyrani, quia vrbes ipſorū totas Iſraelitico populo tradere volebat, neq. in iis quidquā Gabaonitis relinquere. *Tertia.* Iunij ac Tremellij, quia cū pythones & Ariolos è terra exterminaret, 1. Reg. 28. v. 3. & 9. eodē ſuo zelo gentes & gentium ſtudia ex Iſraelis medio tollere ſtatuit, ob mandatum Domini. Exodi. 23. in fine, Deuteron. 7. & 20. *Quarta.* Abulenſis q. 16. in illud c. 11. li. 2. vt ſuppleret Saül quod ab Iſraelitis hoc tempore prętermiſ- E ſum erat, morte ſcilicet Gabaonitas necaret, quibus vitam concedere non debuiſſet Ioſue, cæterique principes, iiſq. tandem aſſenſi Iſraelitæ omnes. Sane vero cauſa traditur in ipſo textu v. 2. *Voluit Saül percutere eos zelo, quaſi pro filiis Iſrael & Iuda*. Sed cauſa hæc de zelo valde generalis eſt: Citatæ vero iam opiniones ſpecialem & propriam cauſam reddere conātur oſtēdendo, qua in re fuerit hic Saulis zelus poſitus. Sed *Prima* perinepta eſt opinio. Nam Saül non *Zelo pro Iſrael & Iuda*, ſed ira & furore in Daui- F dem, pro ſeipſo ſacerdotes occidit. *Secunda* vero tantū habet probabilitatis, quantū Gabaonitarum, in propriis ſuis vrbibus commoratio, de qua ſupra quæſt. 16. *Tertia* falſa eſt. Nam Gabaonitæ ad gentes earumque ſuperſtitiones & magias iam non referebantur, cum Iudæorū ſacris initiati ſacro eorum tabernaculo & altari

Digitized by Google

ſeruirent. *Quarta* igitur amplectanda quę Saulis peccati magnitudinem oſtendit, dum Ioſuæ ſapientiſſimi ſanctiſſimique Ducis ac Prophetæ factum, cæterorum principum omnium ſententiam, populi tandem aſſenſum damnauit: ſuum omnibus iudicium prætulit: plebis initio tumultuantis commurmurationem approbauit, fœderumque ac Sacramentorum religionem longo iam tempore confirmatam impie violauit.

QVÆSTIO XXII.

Ex hiſce Gabaoniticis ad morum conformationem quid?

QVibus mores conformentur, multa hinc poſſunt elici. I. Quam diſpar eorum, qui eaſdem diuinas res audiunt, ac vident animus. Reſipiſcunt, & ad meliora conuertuntur quidam: alij ſuis in peccatis permanent, imo & deteriora cogitant ac machinantur. Audierunt Gabaonitæ mirabilia, quæ, Iudæorum cauſa fecerat Dominus, & ad eorum ſacra ſe adiunxerunt. Audierunt Hethæi, Amorrhæi, Chananæi, Pherezæi, Iebuſæi, & Hæuæi, *& congrati ſunt pariter, vt pugnarent contra Ioſue, & Iſrael, vno animo, eademque ſententia*, capite iſto 9. verſ. 1.

II. Non eſt, cum ad terram cœlorum promiſſam tendimus, formidandum etiamſi contra nos *vno animo, eademque ſententia* coeant Hethæi. Amorrhæi, & cæteri iam nominati, qui ſunt impij omnes, dæmonum phalanges, ſodalium malorum agmina, hæreticorum turmæ, mundus ipſe totus, caro, & diabolus. *Si Deus pro nobis quis contra nos?* Si Ioſue nobis Dux, quis etiā pauciſſimos & infirmiſſimos opprimet? Ad hunc autem locum valebit, ſi aſpexeris nominum, quæ gentibus hiſce ſunt, interpretationem, Hæthæus eſt *terribilis*: Amorrhæus, *loquax*. Chananæus *mercator*: Pherezæus, *paganus*, in villis immœnitis habitans, Heuæus, *nuncius* & *Iudex*: Iębuſæus *conculcator*.

III. Nulli tam cara eſſe debet vita hæc, & bonorum mundi huius fluxorum poſſeſſio quælibet vt eorum cauſa mentiri velit. Alioquin vlciſcetur verus IESVS. Mentiti Gabaonitæ ſunt. Sed ob incolumitatem, vitæque ſuæ conſeruationem. Num apud Ioſue impunes?

IV. Hoſtes ſeſe dedentes ac ſupplicantes cantes merito audiendi. Vnde & vetus illud Dodoneum oraculum, *μήθ' ἱκέτας ἀδικεῖν· ἱκέται ἱεροί τε καὶ ἁγνοί.* Probat hoc exemplis Ottonis 1. Henrici 3. Conradi, Sigiſmundi, Maximiliani & Caroli V. Chytræus, qui etſi Lutheranus, de hoc ita: *Carolus V. Duci Iuliacenſi, Vvertebergenſi, & multis alijs principibus & ciuitatibus poſt bellum Smalcaldicum ſupplicibus ignouit, & pœnam moderatus eſt, vt de illo ſcripſit Poeta Moguntinus. Vna gerit bellum pacem manus altera reddit, Sicut de Attila quōdam, Fœdera ſupplicibus donat, ſternitque rebelles.*

V. Sapientiſſimos & ſanctiſſimos, quia homines ſunt, videmus interdum errare, labi, aliquaque in circumſtantia peccare, etiam dum bene agunt. Ioſue cæterique Principes bene aurem oratoribus iſtis pacem expoſcētibus dederunt, eorum petitioni annuerunt: ſed male fecerunt quod os Domini non interrogarunt, verſu 14.

VI. Omnibus in rebus, maxime vero ijs, quæ dubitationis & periculi aliquid habent, oportet nos ſemper DOMINI os interrogare, videre quid ſancta ipſius lex præſcribat: quid Prophetæ, Euāgeliſtæ, Apoſtoli Apoſtoliciq. viri, & ſacri Canones. Sic enim & fecit Dauid. 2. Reg. 21.

VII. Fœderum & iuramentorum firma eſſe debet apud omnes ſanctitas & religio Ioſue ac Principes, etiam cum ſe fraudulentis Gabaonitarum artibus & verbis deceptos, turpiterque illuſos viderent, cum eos in hæreditatis ſuæ medio deprehenderent, cum populum ægre ferentem & tumultuantem viderent, nullo tamen pacto reſcindenda, quæ iurarant, exiſtimarunt. D. Ambroſius lib. 3. offic. c. 10. *In omnibus igitur decora eſt fides, iuſtitia grata, menſura æquitatis iocunda. Quid autem loquar de contractibus cæteris, ac maxime de coemptione prædiorum, vel tranſactionibus, atque pactis? nonne honeſtatis formulæ ſunt, dolum malum abeſſe eumque cuius dolus fuerit deprehenſus duplici pœna obnoxium fore? Vbique igitur honeſtatis præponderat conſideratio, quæ dolum excludit, fraudem eiicit. Vnde recte generalem David Propheta prompſit ſententiam dicens:* Nec fecit proximo ſuo malum. *Non ſolum itaque in contractibus) in quibus etiā vitia eorum, quæ vaneunt, prodi iubentur: ac niſi intimauerit venditor, quamuis in ius emptoris tranſcripſerit doli actione vacuantur) ſed etiam generaliter in omnibus dolus abeſſe debet: aperienda ſimplicitas, intimanda veritas eſt. Veterem autem iſtam de dolo non iuris peritorum formulam, ſed Patriarcharum ſententiam ſcriptura diuina euidenter expreſſit in libro teſtamenti veteris, qui* IESV NAVE *inſcribitur.* Accuſat Maſius temporum noſtrorum in deiuriis & periiuriis leuitates. Sed vide S. Chryſoſtomum pluribus in locis, & Michaëlem Baium libello *de iuramento Antuerpienſi* Anno 1582.

VIII. Hoſtibus etiam deditiis licere interdum pœnam aliquam infligere: ſed, pro culparum varietate, maiorem aut minorem. D. Ambroſius 1. off. c. 29. *Quanta iuſtitia ſit, ex hoc intelligi poteſt, quod nec locis, nec perſonis, nec temporibus excipitur, quæ etiam hoſtibus reſeruatur. vt ſi conſtitutus ſit cum hoſte aut locus aut dies prælio aduerſus iuſtitiam putetur, aut loco præuenire, aut tempore. Intereſt enim vtrum aliquis pugna aliqua & conflictu graui capiatur, an ſuperiore gratia vel aliquo euentu. Siquidem vehementioribus hoſtibus & infidis, & his qui amplius læſerint vehementior refertur vltio: vt Madianitis, qui per mulieres ſuas pleroſque peccare fecerant ex plebe Iudæorum, vnde & Dei in populum patrum iracundia effuſa eſt. Et ideo factum eſt, vt nullum Moyſes victor ſupereſſe pateretur: Gabaonitas autem qui fraude magis quam bello tentauerant plebem patrum non expugnaret Ieſus, ſed conditionis impoſitæ afficeret iniuria.*

IX. Hypocriſis & ſimulatio nobis cauenda, qui Ieſum noſtrum decipere non poſſumus. Omnia enim eius patent oculis. Nulla veſtium antiquitas & humilitas, nulla panis ac potionis egeſtas: nulla rerum omnium inopia & vilitas ei nos commendabit, etiamſi religioſiſſimi, humillimi, pauperrimi coram hominum oculis videremur.

X. Si quando aliqua alicuius cōtra ſuperiores

Digitized by Google

murmurationis inciderit occaſio, modeſte tamen ſemper erga eos gerere nos debemus. exẽplo Ioſuani huius populi, qui rationem aliquam afferentibus Principibus, illico acquieuit, licet ea ſatis firma non eſſet, licet etiam ſi firma eſſet, eam, *vt in Claudina pace Romani*, eludere poſſet, licet magnum ex pace Gabaonitis dare, magnum ob ſpolia perampla, & aliquam aliquorum locorum amiſſam partem, accipere detrimentum videretur: licet denique culpa & temeritate aliqua non vacaret, Principum in fœdus conſenſio.

XI. E contrario ſi quod inferiorum murmur fit eique cauſa ſubſit, vt fieri quandoque poteſt, non iniuſta quæpiam exemplum Ioſuæ cæterorumque Principum hic intuendum, qui contra ſuam auctoritatem non exiſtimarunt, ſi paululum quid populo cederent, & cum totum reuocare, quod iuratum erat, honeſte ac vtiliter minus poſſent, medium quid excogitarunt, vti Gabaonitis & populo ſatisfacerent, neque vlla in re à Dei legibus diſcederent.

XII. Gabaonitarum imitanda etiam modeſtia, quos primo non puduit vilioribus amiculis pannoſos ad caſtra hoſtium, in Ioſuæ, Principumque conſpectum venire: ſe horum, totiuſque populi ſeruos profiteri: deinde fieri calones, & lixas, id eſt, viliſſima quaſi mancipia viuere. Neceſſitas hoc iis quidem extorſit: ſed felix neceſſitas, quæ ad bonum compellit, prout Sanctus dixit Auguſtinus epiſt. 45.

XIII. Eſt & hoc in Ioſue ac principibus imitatione non indignum, quod in omnibus maiorem diuinæ gloriæ, quem ſui ipſorum emolumenti rationem habeant. Nam quia *in Deo Iſrael*, vt Hebræus ait, ſeu vt noſter, *quia in nomine Dei Iſrael* iurarant, ideo ſartum ſanctumque volunt eſſe iuramentum, & cum ſuæ tantum vtilitati Gabaonitarum operam poſſent adhibere, Dei tamen tabernaculo & altari malunt attribuere. Quam multi ſeruos, ancillas, ægre ferunt eſſe religioſiores, precibus vocantiores, à fraude ac procacitate alieniores, Dei metuentiores? Non ſic Ioſue, nõ ſic illi. Principes, qui ad ſacra opera Gabaonitas totos dedunt.

QVÆSTIO XXIII.

Hæretica Gabaonitieæ hiſtoriæ allegoria quam lepida.

NOn eſt veritatis hoſti Diabolo ſatis è Catholica fide in hæreſim homines deducere: ſed ex vna etiam in aliam, eamque ſemper deteriorem præcipites agere conatur. Gregorius ergo Paulus Bzezinenſis, vt ad Trinitarios errores eos, qui Luthero ac Zvvinglio hactenus adhæſiſſent, traducat, illos ait Gabaonitas eſſe, qui cum Patres, Concilia, & antiquitatem nihili alias faciant, eam tamen in Trinitatis articulo iactitent, *Cauete*, ait apud Hoſium & Reſcium in Miniſtromachia, *vobis à Gabaonitis, qui imponebãt populo Dei laceris veſtibus, mucido pane &c. Sub nomine Dei noſtri, ſe venire dicebant, & impoſitum eſſe ab illis populo Dei, ſcriptura dicit, quod non conſuleret os Iehouæ. Non imponant vobis patres, vetuſtas, Concilia. Vetuſti enim ſunt iſti panni, quos vos primi laceraſtis in aliis articulis fidei, Vnus ſit Magiſter noſter*

A *CHRISTVS: os Iehouæ conſulendum, non hominũ, ſunt etiam plerique hic Gabaonitæ, qui nobis imponunt, amicos ſe profiteatur, & nihil interea optant aliud quã vt populum ad Aegyptum reducant variis modis, & confeſſione Auguſtana, quod vobis Dominus poſtea patefacit* Sed vt ſane omnia ſibi antiquitatis præſidia in SS. Trinitatis defenſione contra Trinitarios eripuerunt Lutherani & Caluiniani: ita impie admodum apud ſe os Domini, veramque ſcripturarum interpretationem eſſe gloriantur & illi & hi.

B

QVÆSTIO XXIV.

Catholica einſdem hiſtoriæ allegoria.

SIdonius Apollinaris lib. 9. epiſtola ad Principium, ſignificat eos Chriſtianos, qui virtutibus minus inſtructi ſunt, cæteris perfectioribus in Eccleſia coniungi, quaſi Gabaonitas Iſraelitis: eandemque coniunctionem etiam ſibi in die iudicij exoptat: *orate, ait, vt optabili religioſoque deceſſu, vitæ præſentis angoribus atque onere*
C *perfuncti, cum iudicij dies ſanctus effulſerit, cum reſurrectione agminibus veſtris ſimulaturi vel ſub Gabaoniticæ ſeruitutis occaſione iungamur, quia ſecundum promiſſa cœleſtia, quæ ſpoponderunt filios fidei, de nationibus congregandos, ſic nos reos venia ſoletur, dum vos beatos gloria manet, & ſi per actionum differentiam, non tamen per locorum diſtantiam diuidimur.* Sed iam antea Origines homilia 10. idem pœne ſignificarat, dicens per Gabaonitas ſignificari Chriſtianos, qui ſaluabuntur quidem, ſed quaſi per ignem, cum pœna ſcilicet aliqua, quemadmodum Gabaonitæ ſalui & incolumes manſerunt, non tamen abſque omni mulcta, *Gabaonitas,*
D ait, *iſtos arbitror, portiunculam quandam eſſe eorum, qui ſaluandi ſunt, ita tamen vt non abſque alicuius notæ inuſtione ſaluentur.* Et poſtea: *cum Gabaonitæ audiſſe ſe & ſcire de diuinis mirabilibus faterentur, nihil tamen fide dignum, nihil tantarum virtutum admiratione geſſerunt. Et ideo videns Ieſus anguſtum eorum exiguumque in fide propoſitum, moderationem erga eos iuſtiſſimam ſeruat, vt ſalutem mererentur, qui parum licet fidei detulerant, nec tamen ſummam regni vel libertatis acciperent, pro eo quod fides eorum nullo operum nobilitaretur acceſſu, quoniam fidem ſine operibus mortuam haberi pronunciat Apoſtolus Iacobus. Veruntamen ſciendum eſt quantum ex huiuſ-*
E *cemodi figurarum adumbrationibus edocemur, quod ſi qui tales ſunt in nobis, quorum fides hoc tantummodo habet, vt ad Eccleſiam veniant, & inclinent caput ſuum ſacerdotibus officia exhibeant, ſeruos dei honorent, ad ornatum quoque altaris vel Eccleſiæ aliquid conferant, non tamen adhibent ſtudium, vt etiam mores ſuos excolant, actus emendent, vitia deponant, caſtitatem colant, iracundiam mitigent, auaritiam reprimant, rapacitatem refrænent, maleloquia & ſtultiloquia vel ſcurrilitatem & obtrectationum venena ex ore ſuo non adimant: ſciant ſibi qui tales ſunt, qui emendare ſe nolunt,*
F *ſed in his vſque ad ſenectutem vltimam perſeuerant, partem ſortemque ab Ieſu Domino cum Gabaonitis eſſe tribuendam.* Mihi verò per Gabaonitas videntur etiam ſignificari qui ſuperbi antea & arrogantes cum fuerint. (Nam Gabaon *elationem* importat vt ſupra queſtion. 1.) nunc ſeſe humiliãt in cibo, potu, veſtitu, ſupellectilique vniuerſa

Digitized by Google

Hi quidem initio veram humilitatem nondum A
habent, ideoque quaſi falſo & ſimulate viden-
tur humiles, ij tamen per humiliationem iſtam
ad veram humilitatem accedere conantur: per
eamque ſibi IESVM conciliare ac demereri, ne
cum impiis aliis Chananæorum gentibus de
quibus ſupra, pereant, ſed fœdere CHRISTO
IESV ſocientur, ab eo ſeruentur, & ei, eiuſque
membris, quocumque illi modo placebit, ſer-
uiant. Vult eos fieri calones? Parati ſunt: ad
ſyluas eunt: ſecures capiunt: cædunt arbores:
cæſas diuidunt & ſecant: diuiſas & ſectas iu- B
mentis humeriſque imponunt, & ad Dei do-
mum, ad Dei altare ferunt. Vult lixas ipſos eſſe?
In manu aiunt, O magne Dux, tua ſumus:
Quod tibi bonũ & rectum videtur fac nobis verſicul.
25. Ad omnia ſcilicet cuiuſcunque generis ob-
ſequia, modo à CHRISTO IESV in gratiã & ami-
citiam recipiantur, promptiſſimi ſunt: nullum of-
ficij, nullum laboris, nullum contemptus & vi-
litatis genus recuſant. Et hi ſane licet hoc in ſe-
culo videantur coram hominib. maledicti, Deo
tamen adeo cari ſunt, vt ſi eos quis lædat, etiam
Saül & Rex quiſpiam, eorum vindicet acerrime
iniuriam, eoſque in omnem æternitatẽ ibi eſſe
velit, vbi locus eſt, quem eligere dignatur. In
hiſce ſeſe humiliantibus Gabaonitis, iamque
ſyncere, in fide & caritate non ficta, Domini
tabernaculo miniſtrantibus eſſe me fac ô bone
IESV, AMEN.

CAPVT X.

Bellum IV. Gabaonicum ſcilicet alterum, ſeu Adoniſedechianum.

1. QVæ cùm audiſſet Adoniſedec rex Ieruſalem, quod ſcilicet cepiſſet Ioſue
Hai, & ſubuertiſſet eam (ſicut enim fecerat Iericho & regi eius, ſic fecit
Hai & regi illius) & quod transfugiſſent Gabaonitæ ad Iſrael, & eſſent
fœderati eorum, 2. timuit valde. Vrbs enim magna erat Gabaon, &
vna ciuitatum regalium, & maior oppido Hai, omneſque bellatores eius fortiſſimi. 3.
Miſit ergò Adoniſedec rex Ieruſalem ad Oham regem Hebron, & ad Pharam regem
Ierimoth, ad Iaphia quoque regem Lachis, & ad Dabir regem Eglon, dicens. 4. Ad
me aſcendite, & ferte præſidium, vt expugnemus Gabaon, quare transfugerit ad Ioſue,
& ad filios Iſraël. 5. Congregati igitur aſcenderunt quinque reges Amorrhæorum, rex
Ieruſalẽ, rex Hebron, rex Ierimoth, rex Lachis, rex Eglon, ſimul cum exercitibus ſuis,
& caſtrametati ſunt circa Gabaon, oppugnantes eam. 6. Habitatores autem Gabaon,
vrbis obſeſſæ, miſerunt ad Ioſue, qui tunc morabatur in caſtris apud Galgalam, & di-
xerunt ei: Ne retrahas manus tuas ab auxilio ſeruorum tuorum, aſcende citò, & li-
bera nos, ferque præſidium: conuenerũt enim aduerſum nos omnes reges Amorrhæo-
rum, qui habitant in montanis. 7. Aſcenditque Ioſue de Galgalis, & omnis exerci-
tus bellatorum cum eo, viri fortiſſimi. 8. Dixitque Dominus ad Ioſue: Ne timeas
eos: in manus enim tuas tradidi illos: nullus ex eis tibi reſiſtere poterit. 9. Irruit itaque
Ioſue ſuper eos repentè, tota nocte aſcendens de Galgalis. 10. Et conturbauit eos
Dominus à facie Iſrael, contriuitque plaga magna in Gabaon, ac perſecutus eſt eos per
viam aſcenſus Bethhoron, & percuſſit vſque Azeca & Maceda. 11. Cumque fugerent
filios Iſraël, & eſſent in deſcenſu Bethhoron, Dominus miſit ſuper eos lapides magnos
de cœlo, vſque ad Azeca: & mortui ſunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos
gladio percuſſerant filij Iſraël. 12. Tunc locutus eſt Ioſue Domino in die, qua tradidit
Amorrhæum in conſpectu filiorum Iſraël, dixitque coram eis: Sol contra Gabaon ne
mouearis, & Luna contra vallem Aialon. 13. Steteruntque Sol & Luna, donec vlciſ-
ceretur ſe gens de inimicis ſuis. Nonne ſcriptum eſt hoc in libro iuſtorum? Stetit itaque
Sol in medio cœli, & non feſtinauit occumbere ſpatio vnius diei. 14. Non fuit antea,
nec poſtea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Iſraël.
15. Reuerſuſque eſt Ioſue cum omni Iſraël in caſtra Galgalæ. 16. Fugerant enim quin-
que reges, & ſe abſconderant in ſpelunca vrbis Maceda. 17. Nunciatumque eſt Ioſue
quod inuenti eſſent quinque reges latẽntes in ſpelunca vrbis Maceda. 18. Qui prece-
pit ſociis, & ait: Voluite ſaxa ingentia ad os ſpeluncæ, & ponite viros induſtrios, qui
clauſos cuſtodiant. 19. Vos autem nolite ſtare, ſed perſequimini hoſtes, & extremos
quoſque fugientium cædite: nec dimittatis eos vrbium ſuarum intrare præſidia, quos
tradidit Dominus Deus in manus veſtras. 20. Cæſis ergo aduerſariis plaga magna, &
vſque ad internecionem penè conſumptis, hi, qui Iſraël effugere potuerũt ingreſſi ſunt
ciuitates munitas. 21. Reuerſuſque eſt omnis exercitus ad Ioſue in Maceda, vbi tunc
erant caſtra, ſani & integro numero: nulluſque contra filios Iſraël mutire auſus eſt.

22. Præcepitque Ioſue, dicẽs: Aperite os ſpeluncæ,& producite ad me quinq. reges,qui
in ea latitant. 23. Feceruntque miniſtri vt ſibi fuerat imperatum: & eduxerunt ad eum
quinque reges de ſpelunca, regem Ieruſalem, regem Hebron, regem Ierimoth, regem
Lachis, regem Eglon. 24. Cumque educti eſſent ad eum, vocauit omnes viros
Iſraël, & ait ad principes exercitus qui ſecum erant: Ite, & ponite pedes ſuper colla
regum iſtorum. Qui cum perrexiſſent, & ſubiectorum colla pedibus calcarent, 25.
rurſum ait ad eos: Nolite timere, nec paueatis, confortamini & eſtote robuſti: ſic
enim faciet Dominus cunctis hoſtibus veſtris, aduerſum quos dimicatis. 26. Percuſ-
ſitque Ioſue, & interfecit eos atque ſuſpendit ſuper quinque ſtipites: fueruntque ſuſ-
penſi vſque ad veſperum. 27. Cumque occumberet ſol, præcepit ſociis vt depone-
rent eos de patibulis. Qui depoſitos proiecerunt in ſpeluncam in qua latuerant, & po-
ſuerunt ſuper os eius ſaxa ingentia,quæ permanent vſque in præſens. 28. Eodem quo-
que die Macedam cepit Ioſue, & percuſſit eam in ore gladij, regemque illius interfecit,
& omnes habitatores eius: non dimiſit in ea ſaltem paruas reliquias. Fecitque regi
Maceda, ſicut fecerat regi Iericho. 29. Tranſiuit autem cum omni Iſraël de Ma-
ceda in Lebna, & pugnabat contra eam: 30. quam tradidit Dominus cum rege
ſuo in manus Iſraël: percuſſeruntque vrbem in ore gladij, & omnes habitatores eius.
non dimiſerunt in ea vllas reliquias. Feceruntque regi Lebna, ſicut fecerant regi Ieri-
cho. 31. De Lebna tranſiuit in Lachis cum omni Iſraël: & exercitu per gyrum diſpo-
ſito oppugnabat eam. 32. Traditque Dominus Lachis in manus Iſraël, & cepit eam
die altero, atque percuſſit in ore gladij, omnemque animam, quæ fuerat in ea: ſicut fe-
cerat Lebna. 33. Eo tempore aſcendit Horam rex Gazer, vt auxiliaretur Lachis: quem
percuſſit Ioſue cum omni populo eius vſque ad internecionem. 34. Trãſiuitque de La-
chis in Eglon, & circumdedit. 35. atque expugnauit eam eadem die: percuſſitque in
ore gladij omnes animas, quæ erant in ea iuxta omnia quæ fecerat Lachis. 36. Aſcen-
dit quoque cum omni Iſraël de Eglon in Hebron, & pugnauit contra eam: 37. cepit
eam, & percuſſit in ore gladij, regem quoque eius, & omnia oppida regionis illius, vni-
uerſaſque animas, quæ in ea fuerant commoratæ: non reliquit in ea vllas reliquias: ſi-
cut fecerat Eglon, ſic fecit & Hebron, cuncta quæ in ea reperit, conſumens gladio. 38.
Inde reuerſus in Dabir, 39. cepit eam atque vaſtauit: regem quoque eius atque omnia
per circuitũ oppida percuſſit in ore gladij: non dimiſit in ea vllas reliquias: ſicut fecerat
Hebron & Lebna & regibus earum, ſic fecit Dabir & regi illius. 40. Percuſſit itaque
Ioſue omnem terram montanam & meridianam atque campeſtrem, & Aſedoth cum
regibus ſuis: non dimiſit in ea vllas reliquias, ſed omne quod ſpirare poterat interfecit,
ſicut præceperat ei Dominus Deus Iſrael, 41. à Cadesbarne vſque Gazam Om-
nem Terram Goſen vſque Gabaon. 42. vniuerſoſque reges, & regiones eorum
vno impetu cœpit atque vaſtauit: Dominus enim Deus Iſraël pugnauit pro eo. 43. re-
uerſuſque eſt cum omni Iſraël ad locum caſtrorum in Galgala.

COMMENTARIVS.

D*Væ capitis partes. In priore bellum Ioſuæ ac Iſraelitarum quartum deſcribitur: In* poſteriore *quintum, & alia. Voco autem quartum* Gabaonicum, *quia id contra eos à quinque Chananæis Regibus, & pro iis à Ioſue, ac Iſraelitis geſtum eſt. Voco etiam* Adoniſedechianum, *quia belli huius auctor, Dux præcipuus fuit* Adoniſedech, *Chananæus* Rex. *Ac* Primo *quidem exponitur huius ad Gabaonis obſidionem apparatus, Regumque aliorum quatuor ad ſe vocatio & conſociatio verſ.* 1. 2. 3. 4. Deinde *ipſa Gabaonis obſidio verſu* 5. Tertio. *Gabaonitarum ad petendam Ioſuæ opem legatio verſu* 6. Quarto. *Opis latio verſu* 7. *&* 8. Quinto. *prælium verſu* 9. *quod manu quidem humana, ſed multo magis diuina confectum, duobus aut tribus adhibitis miraculis verſu* 10. 11. 12. 13. 14. Sexto. *Victoria verſu* 15. 19. 20. *&* 21. Septimo. *Regum, qui victi & capti: ſupplicia verſu* 16. 17. 18. 22. 23. 24. 25. 26. 27.

QVÆSTIO I.

Quinam quinque Reges, qui Gabaonem obſederunt?

GEneratim vocantur verſu quinto & ſexto, *Reges Amorrhæorum.* Sed additur verſu 6. A *qui habitant in montanis.* Amorrhæos autem eſſe duplices. Tranſiordaninos & Citiordaninos, dixi antea. Et de his iam agi conſtat, Rurſum vero interdum proprie ſumuntur Amorrhæi interdum latius, vt Chananæos complectantur omnes Et ſic iſta vox modo accipitur, vt oſtendit Abulenſis q. 5. Nam alioqui paulo poſt patebit *Ieruſalem* ad *Iebuſæos, Hebrona* ad *Hethæos* ſpe-

Digitized by Google

ctaſſe. In montanis vero dicuntur habitaſſe, A quia præcipuæ ipſorum vrbes, multaque ditionum pars in montibus poſita. Suntque *montana* hæc ex illis, de quibus Lucæ 1. verſ. 39. & 65. Speciatim vero è quinque Regibus iſtis *primus* fuit *Adoniſedech Rex Ieruſalem.* Vetus, prout ex Euſebio, Græciſq; aliis patet, in 70. hæret mendum, apud quos ἀδωνιβεζὲκ pro ἀδωνιζεδὲκ legitur: mutato ſcilicet vocum ſignificatu, & locorum ſitu. Nam *Bezec*, vrbs eſt ab Ieruſalem verſus Auſtrum declinans, de qua Iud. 1. verſ. 4. & 5. *Secundus* Rex verſ. 5. eſt Rex Hebron, cui nomen verſu 3. eſt *Oham*, ſeu vt aſpirate ait Hebræus B *Hoham.* In 70. ἐλὰμ vocatur. *Tertius, Pharam* Rex *Ierimoth*: ab Hebræis hodie mutata ratione pronunciandi, *Piram* dicitur, Rex *Iarmuth.* in 70. φιδὼν Rex Ierimuth. *Quartus Iaphia* Rex Lachis: in 70. per quandam ad Iephtæ nomen Iud. 11. alluſionem, ἰεφθὰ, imo per quandam, quaſi contractionem ex ἰεφθαὶ, ptout illic ſcribitur. *Quintus*, *Dabir* Rex Eglon: in 70. δαβὶρ. facilis enim mutatio finalis *nun* apud Græcos poſitio pro eorundem rho, ν pro ρ. Sed in iiſdem 70. Rex, ὀδολλὰμ pro *Eglon* eſt, quæ vrbs infra c. 17. ver. 12. αἰλὰμ appellatur, & ab ὀδολλὰμ ibidem diſtingui- C tur verſu 15.

QVÆSTIO II.

Ieruſalem quomodo, & vnde vocetur.

VAriis Hieroſolymitanam vrbem nominibus vocitatam oſtendit in Geneſ. cap. 28. Lyranus duobus hiſce verſibus.

Solyma, Luza, Bethel, Hieroſolyma, *Iebus, Aelia*
Vrbs ſacra Hieruſalem *dicitur, atque Salem.*

Sed in iis non tam ars, quam res ſpectanda. D Et *primò* de veterum nominum vſitatiſſimis & celebratiſſimis *Salem* nimirum *Ieruſalem* agendum.

De *Salem* igitur ſciendum, *primò* eo nomine pacem, quæ vſitatius *Schalom* dicitur, ſignificari, vt auctor eſt Apoſtolus Hebræ 7. v. 3. & noſter Interpres Pſalm. 75. dum vertit: *In pace factus eſt locus eius.*

Secundò. à D. Hieronymo lib. de locis Hebraicis videri *Salem* ſtatui triplicem: *vnam*, quæ ſit *Sichem.* Idque apud omnes indubium. licet Villalpandus in Ezechielem, velit eſſe *ſalem* ipſius E Sichem epitheton, non proprium nomen. quò modò Geneſ. 33. v. 18. pro *Tranſiuit Iacob in Salem vrbem Sichimorum*, vertunt Nouatores Iunius & Tremellius, *Venit Iahakob incolumis ad vrbem Schecemum. Alteram*, quæ ad ipſius Æliæ, ſeu Hieroſolymorum latus occidentale fuerit, Euſebij, vel ipſius D. Hieronymi tempore. *Tertiam*, in octauo lapide à Scythopoli in campo, qui vicus *Salumias* appellatus. Et ſic D. Hieronymi verba quidam intelligunt. ſed ſane mihi videtur D. Hieronymus duas tantum *Salem* illic agnoſcere. Vnam, quæ ſit *non ipſamet Sichem*, ſed *ipſius Sichem*, ſiue quæ ad Sichem tanquam ad F Metropolim pertinuerit. Sic enim loquitur in citato libello de locis: *Salem ciuitas ſicimorum, quæ* (ſc. Sicima) *eſt Sichem.* Et in Epiſt. ad Euagrium *Salim dicitur oppidum Metropoleos Sichem.* Et *Salem ſita eſt in campo, diſtatque à Scythopoli ſeu Beſam 8. miliaribus.* Nam in eodem libello ſub finem literæ A ſic ait: *Aenon iuxta Salim, vbi baptizat Ioannes, ſicut in Euangelio* κατ' Ἰωάννην *ſcriptum eſt: & oſtenditur nunc vſque locus in octauo lapide Scythopoleos ad meridiem iuxta Salim & Iordanem.* Vnde apparet, eius in eodem verba hæc: *In octauo quoque lapide à Scythopoli in campo vicus Salamias appellatur,* referenda ad priorem *Salem*, à qua orationis initium duxerat. *Altera* vero *Salem* Hieroſolymis propinqua, iis è regione occidentem verſus oppoſita.

Tertiò. Videtur tamen adiungenda *Salem tertia*, quæ ſit ipſa Hieruſalem. Nam Pſ. 75. vbi noſter, vt paulo ante dicebam *pacem* vertit, Chaldæus dixit *in Hieruſalem factus eſt locus eius*, ideoq; illic additur, *Et habitatio eius in Sion.* Eſtq; cõmunis ea omnium fere opinio, Hieruſalem etiam Salem vocatam, cui adhæret Ioſephus, & hoc etiam loco Maſius, & R. P. Salmero, Proleg. 42. Arias lib. de Hieruſalem, imo & ipſemet D. Hieronym. in Epitaphio Paulæ: *quæ ingreſſa eſt*, ait, *vrbem trinominem Iebus, Salem, Hieruſalem.* Et Epiſtola ad Dardanum, *Metropolis tua, ô Iudæa, Prius Iebus, poſtea Salem, tertio Hieroſolyma.*

Quartò. Salem cuius Rex fuiſſe ſcribitur Melchiſedech Gen. 14. v. 18. ab Ioſepho putatur eſſe *Salem tertia* ſeu Hieruſalem, eique aſſentiuntur plurimi: à D. Hieron. autem *prima*, quæ & *Salim* Verba eius in Epiſtola, quæ de Melchiſedech ad Euagrium eſt, ſunt hæc: *Oppidum iuxta Scythopolim, quod vſque hodie appellatur Salem, & oſtenditur ibi palatium Melchiſedech, ex magnitudine ruinarum, veteris operis oſtendens magnificentiam: de quo in poſteriore quoque parte Geneſ. ſcriptum eſt. Venit Iacob in Socoth, id-eſt, in tabernacula, & fecit ſibi ibi domos, atque tentoria, & tranſiuit in Salem ciuitatem regionis Sichem, quæ eſt in terra Chanaan. Conſiderandum quoque eſt, quod Abrahæ à cæde hoſtium reuertenti, quos perſecutus eſt vſque Dan, quæ hodie Paneas appellatur, non de via Hieruſalem, ſed de oppido Metropoleos Sichem, in itinere fuerit: de quo in Euangelio quoque legimus. Erat autem Ioannes baptizans in Ennon, iuxta Salim, quia aquæ erant multæ ibi. Nec refert vtrum Salem, an Salim nominent, cum vocalibus in medio litteris perraro vtantur Hebræi, & pro voluntate Lectorum, atque varietate regionum eadem verba diuerſis ſonis, atque accentibus proferantur.* Me tamen à communi ſententia non rapiunt hæ D. Hieronymi rationes. *Primò.* Quia non in Sichimis, ſed Hebrone tunc habitabat Abraham Gen. 13. v. 18. c. 14. v. 13. Ideoque illuc reuertenti via fuit ab Hieruſalem non procul: *deinde.* Quia *vallis ſaue*, quæ *vallis* etiam *Regis* dicitur Gen. 14. v. 17. ab Hieroſolymis abeſt non longe 2. Reg. 18. v. 18.

Quintò. Villa, quæ prope Hieruſalem, Euſebij tempore, ipſius *Salem* nomine vocabatur, vel poſteaquam compoſita, de qua paulo poſt, vigere cepit vox Hieruſalem, id ſimplicius nomen, quaſi reliquias quaſdam deſertas, retinuit: vel ab eo loco ad ipſam Hieruſalem vrbem traductam olim fuit, vtrique ſcilicet ob viciniam commune. Sed iam de compoſito agamus.

I. Hodie in Hebræo textu *Ieruſalaim* ſcribitur, ſicque à religionis, ſermoniſque Nouatoribus crebro vocatur, à quo & nouum prorſus vocabulum cuderunt in ſua

verſione Iunius & Tremellius, *Ieruſalaima*, & *Ieruſalayma*, vt in notationibus cap. 14. Geneſ. A Mihi tamen, quia hodierna, vt ſæpe dixi, puncta olim non erant, prout etiam paulo ante Diuus indicabat Hieronymus, videntur veteres legiſſe *Ieruſalem*. Nam & ſic vetuſtiſſimi 70. legerũt, & legunt etiam hodie Chaldæi, ac, quoad vltimam ſyllabam, Syri dum vocant *auriſchlem*, vt in toto nouo teſtamento videre eſt.

I I. Vnde autem id nominis ductum ſit, variæ ſententiæ. Nam *primò Ioſephus, & noſtri*, ait, Epiſtola ad Euagrium S. Hieronymus, *omnes ar-* B *bitrantur eſſe Hieruſalem nomen ex Græco Hebraicoque compoſitum*. Ex Græco ſcilicet ἱερὸν, & Hebræo *Salem*. Sed *hoc*, ait idem S. Hieronym. *abſurdum eſſe peregrina linguæ mixtura demonſtrat*. Addo, nec ſatis aut ſibi, aut aliis cohærenter id Ioſephum dicere. Non *ſibi*. quia lib. 7. Antiq. cap. 3. dicit τὸ ἱερὸν vocari à Græcis *mœnia*. Et quia veterem Salem cinxit Dauid mœnib., ideo ſic vocatam. At lib. 7. belli c. 18. cauſam refert, quod Melchiſedec in eadem Salem ædificarit τὸ ἱερὸν, id-eſt, *templum*, quod amplexus eſt, vt alia Ioſephi fere omnia, Eugeſippus lib. 7. c. 3. Non *aliis*. quia ne- C que Dauid, neq; Melchiſedec, neque in eadem regione vlli tum alij vſitate Græco vtebantur ſermone. *Secundò*. Videtur Lyrano l. ca. Et Adrichomio lib. de Hieruſalem num. 1. dicta Hieruſalem, quaſi *Iebuſalem*, mutato, euphoniæ gratia, elemento vno in aliud. *Tertiò*. A ſanctis poſt Dauidem poſſeſſoribus, quaſi *ioreſch*. Nam *iaraſch* eſt hæreditatem adire, hæreditate aliquid poſſidere. Ita in Coſmographia ſua Poſtellus fol. 8. *Quartò*. Ducunt alij à *roum*, quod eſt altum eſſe, & ſalem, præpoſito, *Iod*, quod, alioquin nominum propriorum ſæpe formatiuum, vt *Iſrael*, *Iſ-* D *maël*, *Iacob*, *Iſaac*, & ſimilium: ita vt Ieruſalem ſit *alta ſalem*, quia vrbs erat *ſitu ardua*, vt ait l. 5. hiſt. Tacitus, &, Propheta noſter dum ait Pſalm. 86. *fundata in montibus ſanctis*. itemque Ieremias c. 30. v. 18. *Aedificabitur ciuitas in excelſo ſuo*. Et vt ſic diſtinguatur ab altera Salem, quæ *Sichem* eſt, de qua loco citato D. Hieronymus. *Quintò* à *raah*, quod eſt videre & Salem, quæ pax eſt, vt ex Apoſtolo dictum ſupra ſit Ieruſalem, viſio pacis, aut *vrbs, in qua videtur pax*. Atque hæc mihi præ cæteris arridet originatio. 1. quia cũ Abraham filium ſuum immolaturus, ab eo interro- E garetur, cum alioquin ibi præſto eſſet ignis & gladius, vbinam eſſet victima, reſpondet verſ. 7. *Deus videbit ſibi*, ſeu *prouidebit*. Et poſtea cum in Iſaaci locum ſuffeciſſet arietem, ſibique de victima prouidiſſet Deus, appellauit Abraham nomen loci illius, *Deus videbit* verſu 14. Et ex eo tempore poſtea, mons ille vocatus eſt, *Dominus videbit*, vt ibidem ſubditur. Id vero nomen in Hebræo dupliciter ibi hodie ſcribitur. ſemel quidem *Iehouah yreh*: Deinde, *Iehouah ierach*: quorum illud proprie valet, *Dominus videbit*. hoc F vero *Dominus videbitur*, ſeu *apparebit*. Poſtmodum vero Domini nomen illud ineffabile omiſſum eſt, & poſterius verbum apte cum antiquo eius loci nomine iunctum eſt, factumque *Ieruſalem* 2. Baruch 4. v. 30. dicitur. *Animæquior eſto Ieruſalem: Exhortatur*, ſeu *exhortabitur enim te, qui te nominauit*, id-eſt, exhortabitur inducendo ad ſolatium & pacem, ſiue conſolabitur te. Nam Græce eſt μεγαλον σε ὁ ὀνομάσας σε. Alluſio nimirum eſt, *ad ipſum*, à quo nomen accepit, *Deum*, vt ſupra dictum eſt, & *ad pacem*, quam ſuo ipſa nomine importat. Et dicunt aliqui iuxta Hebræam litteram legi: *Animæquior eſto Ieruſalem. Is enim, à quo nominata es, te conſolabitur*. Et quamuis idem prorſus ſit cum eo, quod ſecundum Latinam & Græcam literam dictum iam eſt, miror tamen, vbi *Hebræam* iſtam *litteram* legerint, cùm in Hebræis Bibliis nulla ſit. *Tertiò*. Hæc eius nominis formatio belle cõgruit cum ſimili. Nam Iud. 6. v. 3. *Ierubbaal* dictus eſt Gedeoci, quia dixerat eius pater, *Iareb 6o. habbabal*, id-eſt, *vlciſcatur ſe de eo*, ſeu contendat contra illum Baal. *Quartò*. Eſt communis hæc ſententia, etiam recentiorum, vt Maſij, Ariæ, & ſimilium, quæ ab Eccleſia videtur approbata, cum in templi alicuius dedicatione canit.

Vrbs beata Ieruſalem
Dicta pacis viſio.

Hinc & Pſal. 83. *Videbitur Deus Deorum in Sion*. Et Luc. 2. cum Chriſtum Dominum in ipſius Ieruſalem templo videret Simeon ille ſenex beatiſſimus: *Nunc*, ait, *dimittis ſeruum tuum Domine, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum*. Videtur vero hanc cum ſuperiore, quæ altitudinem ſpectabat, coniungere notationem Arias infra cap. 15. pag. 437. dum ait: *Significat nomen* Ieruſalem *idem quod alta, ſiue conſpicua, conſpicienda pax, atque perfectio, quæ vt altera Salem in eadem regione diſtingueretur, Ieru prænomen, magno futuræ amplitudinis myſterio, accepit*.

I I I. Cur autem Hebraice hodie legatur *Ieruſalem* numero duali, ſolent à nonnullis rationes afferri myſticæ, verbi cauſa, vt ea Ieruſalem alterius duplicis, Eccleſiæ nimirum militantis, & triumphantis figura ſignificaretur: vt pax nobis monſtraretur gemina quærenda, ſpiritalis & corporalis, æterna, & temporalis: nobiſcum & cum aliis: per eum, qui *eſt pax noſtra*, Epheſ. 2. qui illic apparuit, & in pacis domicilio templo, inquam gemina cum natura viſus eſt: cuiq; nato cecinerunt cœlites. *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Atque hæ, aliæque ſimiles mihi non improbantur rationes, modo ſecundariæ habeantur, & primaria quæpiam inueniatur. Hanc vero dicunt aliqui eſſe, quod gemina veluti fuerit Ieruſalem, ſuperior & inferior, prout explicat in apparatu lib. de veteris Ieruſalem ſitu Arias Montanus: in duob. videlicet præcipuis montib. exædificata, prout narrat libro 5. hiſtor. Tacitus. *Duos*, ait, *colles immenſum editos claudebant muri per artem obliqui, aut introrſus ſinuati*. Verum hoc, quo Ioſue in Chananæam venit, æuo, nondum erat vtraque vrbs excitata: ſed earum tantummodo altera. ideoque apparet in Hebræo lectum tantummodo fuiſſe *Ieruſalem*. Poſteriores vero Rabbinos, vt ſuæ huius vrbis iam nominatæ amplitudinem oſtenderent, ſonoque ipſo amplificarent, punctulum *chirik* ſubiecifſe: ſicque dualem è ſingulari numerum procreaſſe. Ab hiſce vero duobus Hebræis nominibus deflexa duo illa Græcis vſitata, *Solyma* & *Hieroſolyma*. Nam ridiculus Stephanus Bizantius, dum à *Solymis montibus* arceſſit Solyma, cum in Piſidia illi ſint, & *Solymi* Homero populi ſint Auſtrales velut Æthiopes,

Digitized by Google

vt explicat libro 1. Strabo, & libro 14. Inſubidus Tacitus, dum *ab Hieroſolymo Duce.* inſubidi apud eundem lib.5.hiſtor. qui vt ipſe loquitur, *Solymos carminibus Homeri celebratam gentem conditæ vrbi Hieroſolymam nomen è ſuo feciſſe tradiderunt.* Improbus vero Lyſimachus, qui apud Ioſephum in lib. 1. contra Apionem extremo ἀπὸ τῆς ἱεροσυλίας, id eſt, *à ſacrilegio*, dicit initio quidem vrbem à conditorib. dictam ἱερόσυλα, quod in Chananæam venientes Iudæi omnia Deorum fana ſpoliarint ac incenderint,ex iiſq; ſpoliarint ac incenderint, ex iiſque ſpoliis vrbem hanc excitarint: Poſtea vero à poſteris, ob ipſius infamiam, appellatam ἱεροσόλυμα. Nam,vt recte ipſi obiicit Ioſephus, certum eſt *Hebræos Hebraica, non Græca rebus impoſuiſſe nomina.* Hebræum vero Ieruſalem longe aliud,quam Græcorum τῶν ἱεροσυλῶν ſignificat,prout ſupra expoſitum.

Iam quoad alia quæ recitauit antea ſuo in Diſticho Lyranus nomina, *Luza & Bethel*, non ſunt ipſius Ieruſalem nomina, vt ex iis perſpicuum,quæ Gen.28.verſu 9.dicta ſunt, & ex D. Hieronymo lib.de locis Heb. vbi *Bethel diſtare*, ait, à *Ieruſalem verſus Neapolim ſeu Sichem 12. milliaribus.* Et rurſum,*Luzam, quæ eadem eſt Bethel diſtare ab eadem Sichem 3.milliaribus.* Iebus vero vel Iebuſi ab eius habitatore Iebuſæo fuit nominata infra c.18.v.28.Iud.9.v.10.11.14.1. Paral. 11. 4.& 5. *Aelia* vero eam ob cauſam nuncupata, quod priorem Ieruſalem funditus euerterit Ælius Adrianus Imperator, non relinquens lapidem ſupra lapidem, & pro ea, non eodem prorſus quidem loco,proximo tamen, nouam quaſi vrbem ex illius exſtruxerit ruinis, cui à ſeipſo nomen dedit.Sic enim ſæpe D.Hieronymus,vt in Epitaphio Paulæ: *Ieruſalem ab Aelio poſtea Adriano de ruinis & cineribus ciuitatis in Aeliam ſuſcitata eſt.* In c.1.Ioëlis: *Aelij Adriani contra Iudæos expeditionem legimus,qui ita Ieruſalem, muroſque ſubuertit, vt de vrbis reliquiis ac fauillis ſui nominis Aeliam conderet ciuitatem.* In Ieremiæ c. 19. *Caſſum eſt hodie nomen ipſius ciuitatis Ieruſalem, & ab Aelio Adriano Aelia dicitur, & cum habitatione priſtina, priſtinum quoque nomen amiſit ad decutiendam ſuperbiam habitatorum eius.* Et hoc nomen in Euſebij libello de locis vſitatiſſimum eſt, ſed à quibuſdam non *Aelia* præciſe, verum *Aelia Capitolina* vocatur, vt à Ptolemæo lib. 5. Geographiæ ἱεροσόλυμα, inquit, ἡ νῦν καλουμένη αἰλία καπιτωλία. Et in Adriano Dio, ſeu ex eo Xiphilinus. *Cum in vrbem* Hieroſolymã, *quæ euerſa fuerat, quamque Aeliam Capitolinam appellauit, coloniam deduxiſſet,ac quo in loco templum Dei fuerat,alterum Ioui ædificari curaſſet, magnum bellum, & diuturnum moueri cœpit. Capitolina* vero vocatur propter Iouis huius,qui *Capitolinus*,templum vt Animad. Euſeb. p.199.oſtendit Scaliger.

Alia vero ab aliis colliguntur nomina.*Primò.* Euſebius lib.de locis Heb.*Area Ornea*, inquit, *eſt Ieruſalem*,imo potius locus in Ieruſalem, vbi poſtea templum exſtructum.3. Reg.vlt. *Secundò. Ariel.* Euſebius ibidem & Diu. Hieronym. in Iſaiam. *Tertiò. Mello* apud Poſtellum in Coſmogr.ſed locus tantummodo fuit in Ieruſalem de quo lib. 3. Reg. *Quartò. Libanus* apud Chaldæum Paraphraſten cap.4. Cantic.verſu 15. vel ob pulchritudinem & altitudinem,vel ob templi candorem, de quo Capt.lib. 5.cap.14. Ioſephus. *Quintò. Tſedek* à Maſio hoc loco, quia *Adoniſedek* dicitur, vt *Melchiſedek*. ſed ſi *Tſedek* fuiſſet Ieruſalem, non opus fuiſſet addere, *Rex Salem*,prout additum Geneſ.14. Et ad Hebræos 7.maxime cum ſecundum Maſium. *Salem* ſit *Ieruſalem.* Alia regij nominis ratio poſt aſſeretur quæſt.5. *Sextò.* Hodie à Turcis vocatur *Kods mubarck*, id eſt, *ſanctuarium benedictum*, vt ait Animaduerſionibus in Euſebium p.212. citatus antea Scaliger.

Eius conditorem *Melchiſedek* à Ioſepho quandoque dici, & quandoque *Dauidem* dixi ſupra: *Moyſem & Iudæos* in Chananæam ex Ægypto venientes à Lyſimacho. Tacitus lib. 5. hiſtor. *Hieroſolimum* horum Ducem facit auctorem, ſed Dauidi tantum tribuenda ædificationis ea pars, quæ in Sionis monte ciuitas Dauid vocata fuit, cum Hieroſolyma iam extarent,eaque non niſi magna vi ac labore occupaſſet ille 2. Regum 5. Ante aduentum vero filiorum Iſraël ex Ægypto iam Ieroſolyma fuiſſe teſtis Adoniſedec eorum Rex. Hieroſolymus vero Dux mera fabula,ſicuti & *Solymi montes*, & *populi*, quoad vrbis huius initium. De Melchiſedecho probabile quidem,non tamen certum.

De eius vero ſitu conſtructione, amplitudine,rebuſque geſtis poſſent ſane non minus apte conſcribi *admiranda*, quam de vrbe Roma à Lipſio & Stapletono conſcripta ſunt,ſed extra loci huius chorum ea nunc. Videantur Arias, Adrichomius, Abulenſis, Salmero, Villalpandus,locis indicatis.Ab Prophetis certe vocatur *ciuitas ſancti* vel *ſancta* Iſai. 52. Daniel. 9. Nehe. 2.Et ab Euangeliſtis Matth. 4. & 27. Apocalyp. 21.Ab Dauide *ciuitas Dei* Pſalm.86.*ciuitas Domini virtutum*,& *Regis magni* Pſalm. 45.47. *ciuitas munita* Pſalm.107.ab Ieremia Thren.2. *vrbs perfecti decoris, gaudium vniuerſæ terræ*: ab Tacito ſub initium libr. 5. hiſtor. *famoſa vrbs & ardua ſita*: à Plinio lib.5.cap.14.*longe clariſſima vrbium Orientis.*

QVÆSTIO III.

Quænam Hebron?

EXigeret locus hic vrbis huius explicari antiquitatem,nomina, & ſimilia prout in *Ieruſalem* iam feci: niſi eadem, & fere commodior infra ſeſe daret occaſio. cap. 14. vbi vide quæſt.5.

QVÆSTIO IV.

Quænam Ierimoth, Lachis, Eglon?

FVerunt vrbes iſtæ tres in tribu Iudæ poſtea, vt infra c.15. patebit. *Ierimoth* vero ſiue *Iarmuth* duplex fuit,*vna* in tribu Iſſachar,de qua c. 21.& *altera* hæc, quam modo diſtitiſſe ab Eleutheropoli quarto lapide, modo autem decimo ait libellus de locis Hebraicis, niſi duas eiuſdem nominis eſſe velit, quod commentitium. Vbi autem *Eleutheropolis* fuerit, erat auctoris illius tempore notum, nunc ignotiſſimum. nec eius fere mentio,niſi in *Antonini* itinerib. Valde

Digitized by Google

vero ad meridiem ab Hieroſolymis teudebat. *Lachis* vero ab iiſdem verſus occidentem erat. cuius extabat, Euſebij tempore, vicus ab Eleutheropoli 7.miliaribus. *Eglon* ab Hieroſolymis verſus meridiem etiam tendebat, ſed minus quam Ierimuth.

QVÆSTIO V.

Cur Hieroſolymorum Rex alios ad ſe Reges quatuor vocauit.

CAuſa redditur in textu vna generalis verſ. 2. *quia timuit valde.* Timoris vero tres verſ. 1. cauſæ. *Prima.* Ex ſumma Iſraëlitarum in captas vrbes ſeueritate, aut vt ipſe putabat, crudelitate. *Secunda.* Ex voluntaria Gabaonitarum cum illis pacificatione, quam Hebræi per hiphil verbum expreſſerunt, Latinus per *transfugium* ſecutus 70. qui verterunt αὐτομόλησαν. *Tertia.* Ex fœdere, per quod Gabaonitæ iam in Iſraëlitarum medio erant, iis iuncti & conſociati: ſiue in vrbibus adhuc ſuis manerent omnes, ſiue ipſorum aliqui iam in Iſraëlitarum caſtris eſſent. Arias tamen, quod in Hebræo dicitur, *in medio eorum erant*, videatur intelligere, *in medio ipſorum Chananæorum.* Sic enim his à Gabaonitis noceri plurimum, cum hoſti neceſſario ſuppeditarent facile omnia, illis detraherent, damnaque ingererent. Duæ iſtæ poſteriores cauſæ confirmantur ex Gabaonis magnitudine, de qua ſupra c. 9.q.1.

QVÆSTIO VI.

Cur Hieroſolymorum Rex Reges alios, illos ad ſe quatuor primus vocauit?

CAuſas affert duas Maſius: *Vnam,* quod ipſe veluti medius inter Gabaonem & Iſraëlitarum caſtra eſſet, vt ex locorum ſitu patet. Ideoque periculo proximus. *Alteram,* quod cæteros dignitate reges antecelleret. Hanc vero dignitatẽ egregie hoc loco, ex ipſa Regis *Adoniſedek* Etymologia expoſuit Arias Montanus. *Sedec, ait, ſiue Tſedek iuſtitiam æquitatemque ſignificat, cui adiunctum nomen Adon, ac per compoſitionem Adoni, iuſtitiæ dominum, ſiue præpoſitum iuſtitiæ latine reddendum præbet: eidem ſi nomen Melech ſiue Melchi componendo adiungitur, Rex iuſtitiæ latinis vertendum eſt. Atq; in primo Moyſis libro legimus, Abraham tempore, Salem regem Melchiſedek, hoc eſt, iuſtitiæ Regem fuiſſe cognominatum, qui vnus & Sacerdos, & Rex fuit, atque Abraham ex hoſtium cæde reuertenti occurrens, victoriam Dei nomine gratulatus approbauit. Salem vero vrbem alio nomine Ieruſalem vocitatam in ſacro apparatu docebamus. Atque cognomen iuſtitiæ huic vni Regi præter cæteros adſcriptum (cum Reges omnes iuſtitiæ atque iudicij vindices eſſe deberent, eo ipſo, quod Reges eſſent) aliquid ſingulare huic tribuendum indicat: nimirum præſtantem aliquam poteſtatem à cæteris illius regionis Regibus, Canaan poſteris, huic vni conceſſam ad publicas maximique momenti, & regias cauſas cognoſcendas, & iudicandas, controuerſias æquitate, & iure ſedandas, cum alias tam multi in eadem regione ſibi inuicem inimici reges contentionum, atque certaminum aſſidua materia carere non poſſent. Pla-*A *cuiſſe itaque videtur omnibus, aliquem ſibi ad maximas & regias cum populorum, tum regum cauſas præficere, ad eamque rem Ieroſolymitanum Regem fuiſſe delectum ex Iebuſæo, tertio Canaan filio oriundum, illuſtris vrbis Dominum, atque in media regione ſedentem, & huic etiam ſacerdotis ſummi dignitatem inter illos obtigiſſe, ſacerdotis, inquam Deo fonti ſupremo dicati, cuius auctoritatem cæteri, & populi, & reges reuerits obſeruarent, ad eum modum, quo nunc Chriſtiani Reges Romanum Pontificem, qui & idem Rex eſt, reuerentur, cuiuſque decreta in oblatis religionis nomine cauſis obſeruant, atque vtinam idem omnibus regiis controuerſiis obſer*B *narent: Longe namque maiori pace, tranquillitate Chriſtiana Reſpublica vteretur. Itaque iuſtitiæ cognomen huic vni Principi tributum, idque adiunctum Domini, vel regis nomini, eius iuſtitiæ poteſtatem omnino præſtantem, & regiam in Dominos atque reges, etiam valuiſſe nobis indicat: ita vt Melchiſedec Regem iuſtitię, & iuſtitiam regis, ſiue regum. Adoniſedec, Dominum iuſtitię, & iuſtitiam Dominorum interpretari poſſimus. Atque hunc omnium publicarum ad gentis, generis, & regnorum conſeruationem pertinentium cauſarum cognitionem & iudicium exercuiſſe exiſtimamus: ideoque huius rei, quę nunc narratur, caput fuiſſe inprimus ap*C *pellatum.* Refert ſane ad Autolycum lib.1. Theophilus, traditum à quibuſdam, ſucceſſiſſe *Melchiſedeco*, vt in dominatu, ſic & in ſacerdotio alios, è quibus *Abimelech* Gen.30. *Ephron* Geneſ. 23.&, auctore Monceio cap.2. ſpeciminis, ipſe *Iob.* quia filios quotidie ſanctificare ſolitus. Sed Iob quidem ſacerdotio functum non abnuerim: fuiſſe vero ſecundum ordinem Melchiſedec Sacerdotem prorſus inficior. cum neque in *Salem* etiã verſatus ſit. De Abimelech & Ephrone alibi. de *Adoniſedek* vero certum, ſi Melchiſedechi fuit in ſacerdotali munere ſucceſſor, D eum tamen ab illo primo ad idololatriam degeneraſſe, ac ſuam nihilominus apud gentiles auctoritatem retinuiſſe, ſicuti & alij multi apud eoſdem gentiles ſumma poteſtate erant Sacerdotes, vt ille, de quo libro 12. Strabo ὁ ἱερεὺς κύριος τῶν πάντων.

QVÆSTIO VII.

Quomodo Gabaoniticam ſoluit obſidionem, Regeſque fugauit Ioſue?

E CErtior de Gabaonitarum obſidione ac periculo factus Ioſue verſu 6. illico πανστρατιᾷ, inquit Ioſephus, id eſt, *cum ſuis omnibus copiis* accurrit verſ. 7. Vbi conſideranda duo. 1. Reliquiſſe ſtatiua in Galgalis eo munita præſidio, quo aduerſus repentinas incurſiones & caſus opus erat. 2. Magnam in ope Gabaonitis ferenda celeritatem eum adhibuiſſe. Nam ſtatim Gabaonem verſus iter inſtituit: nocte tota perrexit, & ὄρθριος, inquit Ioſephus, repente *ſuper* obſidentes *hoſtes irruit* verſ. 9. Non cogitauit poſt diurnos labores ſomnum ſibi nocte capiẽdum non Gabaonitas vel tanquam ſeruos, & manci F pia contempſit, vel tanquam impoſtores; & qui ſe, principeſque alios fraude non ita pridem circumueniſſent, magnumque in periculum apud ſeditioſam plebem conieciſſent, moleſtia quapiam affici permiſit: non periculum apud ſemetipſum extenuauit, cunctationiſque

cauſas,quæ non deerant, nexuit. Poterat enim A dicere? *Vrbs magna eſt* Gabaon. an paucis aliquot diebus obſidium ferre non poteſt? *vna ciuitatum regalium eſt*, ad Regum caſtra tam citone trepidat? Maior eſt opido Hai. & tamen cum Iſraëlitis manus conſerere Haienſes auſi ſunt. *Omnes* Gabaonis *habitatores* dicuntur *fortiſſimi*, dent huius ſuæ fortitudinis ſpecimen aliquod, videamus per ſeipſos quid poſſint. Nihil horum aut dixit,aut cogitauit Ioſue: ſed vt ab iis, quos in fidem ſemel recepiſſet, omnem omnino propulſaret iniuriam,nulla ſui, nulla huma- B narum ratiuncularum habita ratione, confeſtim vocatus aduolauit: ſuppetias tulit, obſidionem ſoluit. Digna vbique velocitas, quam erga ſubditos, ſocios, & fœderatos imitentur principes. Notum illud Heſiodi μηδ' ἀναβαλλόμενος. Multas interdum inſignes vrbes, fideles admodum ſubditos,ſocios optimos,& conſtantiſſimos per tricas neſcio quas deſertos miſere ac fœde in hoſtium veniſſe poteſtatem vidimus,luximus. Sed vero, magnoque Ioſuæ dicamus,*Domine ad adiuuandum me feſtina*, feſtinabit, accurret,aduolabit ocyſſime,perniciſſime. Cō- C firmatus autem à Domino fuit hoc ad bellum Ioſue verſ. 8. dum ſponte ipſum allocutus eſt Dominus eo modo,qui expoſitus eſt c.8.q.7. *Et dixit ei Dominus: Ne timeas eos, vel*, quod alij malunt, *Vrim* oraculo interrogatus. Memor enim Ioſue,quanti ſibi non ita pridem, & quidem in horum ipſorum Gabaonitarum cauſa fuerit *os Domini* non conſuluiſſe, hoc ipſum nunc haud prætermittit,ſed ſtatim atque de Gabaonis obſidione audit, rem ad Dominum totam refert, oraculumque rogat.

D

QVÆSTIO VIII.

Quomodo conturbauit Dominus Reges iſtos?

CHaldæus cum Rabbinis Hebræum verbum interpretatur, *frangere,conterere,diſſipare*,ſed melius noſter *conturbare*, formidine ac *metu exanimare*,ab omni conſilio, & conatu *languefacere*. Nam *primò* hanc vim habent, hæc finitimæ cognationis verba *hamah & hamam*, quorum poſterius hoc loco eſt. *Secundò.* Quia in eadem re verbo eodem vtitur Dominus Exod.23. E verſu 27. *Terrorem meum mittam in præcurſum tuum & occidam*, id-eſt pauore, ac metu exanimabo. *Tertiò.* Dixerunt vtroque loco 70. ἔκστασιν. Nam in Exodo eſt ἐκστήσω: hic ἐξέστησεν. *Quartò.* Quia contritio vel fractio, quam habet Chaldæus, poteſt tantum accipi de fractione animorum, & eadem ſententia eſt. ſi autem accipiatur de fractione corporum, repetetur idem bis, quia ſequitur, *contriuitque* plaga magna. Sed *cur huiuſmodi terror & exanimatio tribuitur Domino?* Videtur enim ſupra naturam vſitatamq; hominum con- F ſuetudinem non eſſe,vt ſubito,improuiſo, minimeque opinato hoſtium aduentu ac impreſſione,hoſtes quamlibet multi, ac rebus omnibus inſtructi perterreantur, omne pugnandi conſilium abiiciant, fugam effuſe arripiant. Quot vetera, quot recentia exempla? *Reſpondendum*, Deo paueſactionem, ac perturbationem iſtam tribui duplici de cauſa. *Vna.* Quia omnia, quæ humana etiam prudentia, ſtudio & labore fiunt recte, ipſi tanquam principi rerum omnium cauſæ debentur. *Altera.* Quia ſupra communem rerum ordinem hanc ad rem concurrit Deus. *Primò* quidem Ioſue ipſum confirmando & incitando verſ. 8. *Deinde* timorem in ipſis hoſtibus excitando dupliciter. *Primò* faciendo, vt certo ſibi perſuaderent, hoſtes multo eſſe robuſtiores,aut numero, aut viribus, ſiue naturalibus,ſiue ſupernaturalibus: dum iis cœleſtem quandam vim & numen adeſſe cogitant. *Deinde* faciendo,vt eorum ad cor refugiat ſanguis, ſpirituſque vitales,& animales quodam veluti frigore ſtupeſcant. Hinc enim poſtea conſilij imbecillitas, facierum pallor, membrorum tremor,ordinis perturbatio, fugæ arreptio. *Dices*, ſi facit Deus, vt videantur hoſtes aut numero, aut robore, quam ſint, fortiores, videri rem falſam ſenſibus & animis obiicere: *Reſpondeo* neutrum eſſe falſum, quia, vt ſint ij, quos vincere vult, numero pauciores homines: ſunt tamen plures, dum iis cœleſtes adiunguntur, qui eos adiutent, ſpiritus, & ſic 4. Regum 6. verſu 16. dicebat puero ſuo Heliſæus: *Noli timere. plures enim nobiſcum ſunt, quam cum illis.* Præterea, etſi Angelorum vnus tantum, hominib. quamlibet imbecillis ac imbecillibus auxilietur,ſunt ij omnes Hercule quolibet fortiores. Si cum aliquo Deus, an illum ſe fortiorem non vere ac merito quamlibet numeroſus iudicet exercitus?

QVÆSTIO IX.

Num qui hoſtibus iniectus terror, Panicus fuerit?

DE Panicis terroribus multus in multorum ore ſermo,etiam dum ſacra iſta explicant. Sed binas breuiter adhibeo diſtinctiunculas. *Primò, Pan* vel eſt fictus & commentitius Ethnicorum Deus: vel verus Deus. Quia cum τὸ πᾶν ſignificet *omne*, is ei vere nomini reſpondet, à quo omnia ſunt & gubernantur, quique quodammodo eſt omnia, & ſic libr. 1. Stromatum Clemens Alexandrinus, Euſebius lib. de præparat. cap. 9. Baronius Tom. 1. Ann. & Maſius ex Plutarcho lib. de oraculis. *Secundò.* Panici terrores vel veri ſunt,& à cauſa vera excitati: vel ficti & inanes. Sic τὰ πανικὰ ſæpe vocat Cicero in epiſtolis ad familiares, & ad Atticum, Pauſanias in Phocaicis, & Syneſius lib. de prouidentia. Et cauſam dat Polyænus libro 1. Lipſius de militia Romana lib.4. Dial. 11. prout infra citabitur. Aliter & copioſius Angelus Politianus libr. Miſcellan. cap. 28.

Nunc dico *primò.* A Pane fictitio Deo non fuit hic terror,ſed à vero Deo,vt ex textu v. 10. patet,ideoque fuit poſteriore iſto modo. *Panicus*, non priore, cum ne fabula quidem de Pane tunc adhuc excogitata eſſet.

Secundò. Tam iſte, quam alij omnes, qui à Deo immittuntur terrores,& animorum conſternationes, veram cauſam habent, prout ſupra expoſitum q. 8. Et ſic Leuit. 26. verſ. 36. *Qui de vobis remanſerint, dabo pauorem in cordibus eorum in regionibus hoſtium, terrebit eos ſonitus ſolij volantis*

Digitized by Google

& ita fugient quaſi gladium: cadent nullo perſequente. Et corruent ſinguli ſuper fratres ſuos, quaſi bella fugientes: nemo veſtrum inimicis audebit reſiſtere. Et Iud. 7. 4. Reg. 19. 2. Paral. 20. Et ſupra Lipſius. *Cum Bacchus*, ait, *expeditione Indica in valle aliqua caua cum copijs eſſet, ex aduerſo autem infinita hoſtium multitudo, nonnulli in animo pertimuiſſent, tum Pana ſuaſiſſe, vt noctu Dionyſij exercitus maximum clamorem tolleret, quem cum & petræ & valle exceptum referrent, & augerent, hoſtes territos in fugam ſe dediſſe. Inde natum vt terrores eiuſmodi Panici appellentur.*

QVÆSTIO X.

Qua fugerunt perterriti hoſtes?

PRimo quidem *plagam magnam in Gabaone acceperunt* verſ. 10. id-eſt, ad *Gabaonem* ſeu *in Gabaonico agro*, vt ſupra cap. 5. verſu 13. *Deinde.* qua fuga patuit, fugere cœperunt *verſus Bethoron*, quę in excelſo poſita loco accliuitatem, qua ad eam aſcendebatur habuit: decliuitatem qua inde Azecam & Macedam ibatur: Vnde verſu 10. fit mentio *aſcenſus*, verſu 11. *deſcenſus*, ſicuti & 1. Machab. 3. verſu 24. Eſt autem *Bethoron duplex*, ſuperior & inferior. & illa ponitur à quibuſdam in tribu Ephraim: vtraque à Diu. Hieronymo in Epitaphio Paulæ in tribu Iudæ, vicina Emaunti. Et de vtraque iterum poſtea cap. 16. verſu 2. & 5. capite 18. 13. 14. cap. 21. 22. 1. Regum 13. verſu 18. 2. Reg. 2. verſu 29. Vtramque condidiſſe traditur 1. Paralip. 7. verſu 24. *Scheerah* Ephraim filia, vtramque reſtauraſſe ac muniiſſe *Salomon* 2. Paralip. 8. verſu 5. Vnde loco citato Diuus Hieronymus: *Inde* (id-eſt Nicopoli ſeu Ema vnte) *proficiſcens, aſcendit Bethoren inferiorem & ſuperiorem, vrbes à Salomone conditas, ſed varia poſtea bellorum tempeſtate deletas, ad dexteram aſpiciens Haialon & Gabaon, vbi Ieſus filius Naue contra quinque reges dimicans, ſoli imperauit, & lunæ.* Neutra eſt *Betoro* vel *Bethocro*, de qua in Antonini itinere, vti contra Ziglerum docet Maſius. Macedam eſſe in octauo miliario ab Eletheropoli ſcribit libello de locis Euſebius. Inter eam vero & Bethoronem erat *Azeca*, vt ex iſto loco patet. de qua infra capite 15. verſu 35. 1. Regum 17. verſu 7. 1. Paralip. 11. 36. 2. Paralip. 2. 9. 2. Eſdræ 2. 30. Ieremiæ 34. verſu 7.

QVÆSTIO XI.

Quos, quantos, & quales in fugientes immiſit lapides Dominus.

PRimò. Lapides iſtos bis nominat textus verſu 11. Et poſteriore loco dicit eſſe *lapides Grandinis*, vtroque 70. λίθοις χαλάζης. Et Eccleſiaſticus c. 46. v. 6. vt ea ſcilicet obſtinati Chananæi attererentur plaga, quæ in Pharaonem & Ægyptios fuit ſeptima Exod. 9. verſu 23. 24. Lapides alioquin non grandineos potuiſſet pari modo Deus in illos iacere: & cecidiſſe aliquando id genus quoſdam narrat Plinius cap. 60. l. 2. ſed cum fabulis de ſole lapide. *Secundo.* Lapides autem fuiſſe iſtos *magnos* diſertim textus aſſerit. Magna ſæpe grando legitur, 12. & 16. *pedum* longitudinis ſub annum Domini 823. & 824. vt eſt apud Sigebertum & Bonfinium lib. 10. decad. 1. *oui anſerini*, Anno 1183. vti ſcribit Bergomus: in qua quaſi exſculptum eſſet crucis ſignum, CHRISTI facies, & nomen hoc IESVS NAZARENVS Anno Domini 1240. apud Vincentium Beluac. li. 30. hiſt. c. 138. Naucleum generat. 41. *oui gallinacei* magnitudinis An. 1392. vt ait Cronologiæ compilator: eius magnitudinis, vt in eo facies viriles cum barba, mulieres cum crinibus & peplis appararēt An. 1395. apud Krantzium lib. 9. c. 3. *oui rurſum anſerini* Anno 1400. apud Robertum Guaguinum libr. 9. imo *trium ouorum* Anno 1441. apud Cronol. compilatorem: *oui ſtruthionis* Anno 1470. apud Bergomatem, Palmerium, Bonfinium decad. 4. lib. 2. tantæ demum magnitudinis, vt in ditione Vvirtenbergica Rotenburgi ad Necarum feneſtras & tecta comminuerit, An. 1507. apud Surium. Iſta vero Ioſuana quanta præciſe fuerit grando non mihi quidem liquet: ſed non fruſtra *magnam* dicit ſcriptura, vt earum quæ commemoratæ ſunt nulli forte ceſſerit. idque poteſt ex effectu probari. *Mortui* enim *ſunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percuſſerant filij Iſraël* verſu 11. *Tertiò.* Et ex eodem effectu quales fuerint lapides intelligitur: *graues* nimirum, *angulati, acuti*, ad obruendum, vulnerandum, conſcindendum aptiſſimi. Et idcirco loco citato dicit Eccleſiaſticus fuiſſe χαλάζαις δυνάμεως κραταιᾶς, id eſt, *quæ vi ac impetu magno ferretur ac hoſtes feriret*: cum interim magno miraculo hærentes illorum tergis Iudæos nihil attingeret, quaſi pios ab impiis, fideles ab infidelibus diſcernendi vim ac intelligentiam haberet ob cauſam ſequenti quæſtione indicandam. *Tonitrua* vero & *fulmina* ſimul extitiſſe teſtis Ioſephus.

QVÆSTIO XII.

Vnde iſti lapides immiſſi, à quo facti & iacti, & an Ioſuæ precibus impetrati?

E Cœlo immiſſi dicuntur verſu 11. ſed *cœli* nomen accipiendum pro aëre, ſic enim ſæpe in ſcriptura cœlum ſumitur. vt cum *volucres cœli* vocantur Pſalmo 8. Matth. 6. verſu 26. cap. 13. verſu 32. ſicque interdum apud Ariſtotelem in Meteoris accipitur οὐρανός: apud Ciceronem Tuſc. 1. dum ait: *vt penetret cœlum hoc, in quo nubes, imbres, ventique coguntur, quod & humidum & caliginoſum eſt propter exhalationem terræ*: apud Plinium libro 2. hiſtor. cap. 38. *Nam & hoc*, ait, *cœlum appellauere maiores, quod alio nomine aëra omne quod inani ſimile, vitalem hunc ſpiritum fundit. Infra lunam huic ſedes, multoque inferior.* & c. 59. *Armorum crepitus, & tubæ ſonitus auditos accepimus. Ipſum ardere cœlum minime mirum eſt: & ſæpius viſum, maiore vi ignis nubibus correptis.* Et capitis 60. inſcriptio eſt: *De lapidibus è cœlo cadentibus.* Hoc enim magno illi ſubiectum cœlum, grandinis, vti & aliorum, quæ μετέωρα vocat Philoſophus, officina eſt. *Hinc*, ait Plinius capite trigeſimooctauo, *nubila tonitrua, & alia fulmina, hinc grandines & pruinæ, imbres, procellæ, turbines. Hinc plurima mortalium mala, & rerum naturæ pugna ſecum.*

Sunt

Digitized by Google

Sunt autem Angelorum opera hi lapides in aëris regione facti: eorumque veluti manibus vibrati & coniecti: ita vt quemadmodum ſupra dictum, certo ac deſtinato ictu Chananæos peterent, Iſraëlitis parcerent. Hos autem Angelos puto fuiſſe ſanctos, qui pro Dei gente propugnarent, licet grandinem, qua obruta Ægyptus, alaſtoribus nequam ſpiritibus aſcribant, ex Pſal.77.verſ.48.49. non pauci, & in his Delrius noſter lib.2. diſquiſit.q.11.

Ioſuæ precibus, ruentium hanc ſaxorum procellam à Deo impetratam non aſſerit quidem huius capitis contextus, ſed Eccleſiaſticus cap.48.verſu 6. *Inuocauit Ieſus altiſſimum potentem in oppugnando inimicos vndique, & audiuit illum magnus & ſanctus Deus in ſaxis grandinis, valde fortis virtutis.* Vnde apparet Ioſuam, cum hoſtes ſceleri videret fuga elabi, neque cadere ipſorum tot, quot bonus belli huius finis ac neceſſitas poſtulabat, ſuſtuliſſe in cœlum manus, Deoque ſupplicem factum, vt quos non poſſent Iſraëlitæ gladio, ipſe dignaretur grandinum ſternere imbribus: Et ad hanc etiam orationem referri poſſent verba illa verſu 12. *Tunc locutus eſt Ioſue Domino.*

QVÆSTIO XIII.

An hoc in prælio ſteterint ſol & luna?

ET ſolem & lunam ſtetiſſe, ait, manifeſte textus verſu 13. Cum enim dixiſſet Ioſue verſu. 12. *ſol contra Gabaon ne mouearis, & luna contra vallem Aialon* ſubditur illico verſu 13. *steteruntque ſol & luna*: Et rurſum: *ſtetit itaque ſol in medio cœli, & non feſtinauit occumbere.* Atque huc refert, qui *ſcripturæ concentum* ſcripſit, illud Abacuc 3. verſu 11. *ſol & luna ſteterunt in habitaculo ſuo.* Sed totus ibi ſermo videtur metaphoricus, & tantummodo Dei poteſtatem ac vim, ſi quando punire mortales velit, maximam, declarare, multa, quæ hic geſta non ſunt, complectens, vt quod proxime antecedit, *Gurges aquarum tranſiit: dedit abyſſus vocem ſuam, altitudo manus ſuas leuauit.* Ad hanc tamen à Propheta reſpectum hiſtoriam, non negarim, oſtendente, poſſe Dei nutu, ſolem & lunam ſiſti, ſuoque à curſu retineri.

Cum vero tam clara & perſpicua noſtra hiſtoria ſit, non defuere tamen, qui non *ſtetiſſe* ſolem, ſed *viſum ſtare* effutierint. idque tripliciter. *Primò. Quidam* enim cum *tardius* tantummodo *progreſſum* volunt: ſemper tamen progreſſum. Ita Rambam, & Ralbag. *Secundò. Quidam* nihil præter morem ſuo in curſu, vel inſtitiſſe, vel tardaſſe ſolem: ſed conſueta velocitate viſum occidiſſe quidem, *in eius* tamen *locum* ſupra horizontem, *ſuffectum* à Deo *corpus quoddam ſolis ipſius inſtar* prælucidum, idque volunt *aliqui* fuiſſe ipſammet lunam & ſic Radak, eiuſque pater R. Ioſeph Kimichi: alij *aliam* quandam *naturam*, quam ingenti Deus luce inſtruxerit. Et ſic R. ſchem Tob, ac Moreh Nebuchim. *Tertiò.* Alij demum nihil in cœlo prorſus mutatum eſſe contendunt, ſed ideo viſum aliquid mutatum, quod Ioſue in terris tanta res tantas celeritate geſſerit, vt videatur dies potius productus, & ſol ſtetiſſe, quam tam celeriter illas ille geſſiſſe. Neque enim ſi horis pluribus auctus dies fuiſſet, plura aut maiora facere ille potuiſſet. Sed ſunt hæc omnia perſpicue contra clariſſimam hiſtoriæ huius lucem, quam viderunt, & crediderunt Interpretes alij omnes Græci & Latini, quorum veluti omnium nomine S. Auguſtinus lib.21. ciuit. capite octauo. *Nos*, ait, *in diuinis libris legimus, etiam ſolem ipſum & lunam ſtetiſſe cum hoc à Domino Deo petiiſſet vir ſanctus Ieſus Naue, donec captum prælium victoria terminaret.* Qui vero aut ſolito tardiorem ſolem, aut vicarium eius ſplendorem fingunt, dum quod clare ſcriptura tradit, miraculum, vt Philoſophi, apud rudes, ac imperitos verpos ſuos, magni videantur, declinant, noua ipſi cudunt miracula. Non enim minus vſitato rerum ordini aduerſatur, ſolis ſolito aut citius, aut tardius conuerſiones fieri, quam ipſum tantiſper quieſcere. Neque admirabilitate, aut nouitate caret, nouum, occaſo iam ſole, ſupra horizontem in cœlo corpus figi, quod ſolarem quaquauerſus lucem ſpargere videatur. Qui vero tantam Ioſuæ celeritatem, vt ad diem facta videretur acceſſio, tribuunt, ij omnium vel ingenio tardiſſimi vel audacia impudentiſſimi ſunt. Quis enim, aut ſacer, aut prophanus ita vnquam celeritatem deſcripſit? Quis vel Orator vel Poëta, vt inſignem laudaret alicuius in rebus agendis induſtriam ac velocitatem eiuſcemodi vel metaphora vel hyperbole vſus vnquam? E contrario ſane cum res alicui moleſtæ ſunt, earum tolerationem ac patientia, dies, vel noctes, quæ alioqui breues, ſolent videri longiores vt apud Plautum Amphit.act.1. & Horatium epiſtola 1.

Vt nox longa, quibus mentitur amica, dieſque
Longa videtur opus debentibus: vt piger annus
Pupillis, quos dura premit cuſtodia matrum:
Sic mihi tarda fluunt, ingrataque tempora, quæ ſpem,
Conſiliumque morantur agendi.

Et vero actionum celeritas nunquam niſi ſimul temporis, quo illæ actæ breuitas percipiatur, poteſt intelligi.

Duo tamen hic, quæ difficultatis habent aliquid, non diſſimulanda. *Vnum* quod in Hebræo textu, non dixerit Ioſue Soli & Lunæ, vt ſtarent, ſed *vt ſilerent*, & poſtea ſtatim ſubditur: *Et ſiluit ſol.* Nam *doum* & *damam* Hebraice tacere ac ſilere valent. Mouit iſtud verbum Ponticum Aquilam, vt iſto *ſilendi* verbo in verſione ſua vteretur, mouit & veteres Iudæos Rabbinos in libro *Tanchuma* & Raſchi vt dixerint ſolem ſingulis horis Deo laudes cantare, ideoque iuſſum à Ioſue tantiſper tacere. Confutat haſce cantilenas copioſe Abulenſis q.13.& 14. partim quia ſol animatus non eſt, partim quia caret articulatæ vocis organis, & ea etiam duritate, ac mollitudine, quæ ad plauſtrorum etiam inconditos ſonitus neceſſaria eſt: deniq; quia præconem illũ cœleſtem à diuinis cõticeſcere laudib. nunquam iuſſiſſet, qui earũ erat ſtudioſiſſimus, & vir ſanctiſſimus Ioſue. ſed nihil in his neceſſe immorari. Nam de concentu per tropum loquuntur illi Rabbini, quo ſcilicet ſuo ſplendore, lucis pulchritudine, magnitudine, efficiẽtia,

Digitized by Google

vtilitate homines & Angelos, ad laudandum A
Deum excitat. Et de hoc eodem concentu Iob. 38. *concentum cœli quis dormire faciet?* de eodem propheta regius pſal. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei.* &, *In omnem terram exiuit ſonus eorum* pſal. 111. verſ. 3. *A ſolis ortu vſque ad occaſum Laudabile nomen Domini*, prout verſum hunc veteres illi explicant Rabbini. *Deo*, inquit Tertullianus lib. aduerſus Hermogenem c. 44. *etiam inanimalia & incorporalia laudes canunt apud Danielem* c. 3. D. Auguſtinus in illa pſal. 148. verba. *Confeſſio eius in cœlo & in terra, Quid eſt*, inquit Dei *confeſſio? Quia ipſe confitetur?* B
non. ſed quia illum omnia confitentur, omnia clamant: omnium pulchritudo quodammodo vox eorum eſt confitentium Deum. Clamat cœlum Deo, Tu me feciſti non ego. Clamat terra, tu me condidiſti, non ego. Quomodo ergo clamant iſta? Quando conſiderantur, & hoc inuenitur: Ex tua conſideratione clamant: ex voce tua clamant. Vide D. Ambroſium 2. hexaëm. c. 4. in fine lib. 4. cap. 1. D. Chryſoſtomum hom. 1. ad populum, Titelmanum libro 7. phyſ. c. 24. Libellum 3. doxologiæ cap. 6. Fuerunt quidam Pythagoræi, qui ſuauiſſimam *in cœlo harmoniam* ſtatuerẽt: ſed hanc alij *proprie dictam* acceperunt, quos re- C
iicit Ariſtoteles lib. 2. de cœlo ca. 9. & huius argumenta contra Simplicium corroborarunt nuper Conimbricenſes ibidem q. 1. ar. 2. Alij *allegoricam* putarunt, varieque interpretati ſunt, vt Macrobius lib. 2. in ſomnium Scip. capite 3. Glareanus lib. 2. dodecachordi ca. 13. Abulenſis hoc loco q. 14. Nunc igitur dico, Hebraica illa *tacendi* voce ſignificari metaphorice quietem, ac ab omni motu ceſſationem, ducta ex eo ſimilitudine, quod quemadmodum qui loquitur, os, aliaque vocis inſtrumenta commouet, ſtrepitumque aliquem excitat: ita & qui mouetur. D
Contra vero, qui tacet, quique mouendi ſeſe finem facit ac ſiſtit. Ergo 70. hic στήτω ὁ ἥλιος ϰ̀ ἔστη. noſterque ſimiliter, *Ne mouearis*, ſiue, *ſta & ſtetit.* Sic 1. Regum 14. verſu 9. *Si taliter Locuti fuerint ad nos: Manete* (donum) & ſtatim ſubditur explicatio, etiam in Hebræo *ſtemus in loco noſtro.* poſſetque ſimiliter accipi verbum idem pſalm. 38. verſu 7. Iſa. 23. verſu 2. Thren. 2. verſu 18. vbi dicitur, *Non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.* eſtque hæc loquendi ratio Germanis vſitata. Cum enim aliquem ambulantem, curren- E
tem, molientem, trahentem aliquid ceſſare volunt, acclamare ſolent *ſtill*, aut *halte ſtill* cum tamen proprie, *ſtill ſein* ſit tacere. Vnde & Radak in pſalmum 4. ait bifariam ſumi *Demamah*, ſeu *ſilentium*. Nam *aliquando quies à ſermone ac voce: aliquando quies eſt ab opere ac motu.* & hanc, quam vocat, *ſchetl. ikath hammaheſch vehaththenuhah*, probat è ſcripturis pluribus, pſal. 106. vbi nos habemus, *ſtatuit procellam in auram*, ſeu *in ſilentium.* ſeu ceſſare atque quieſcere fecit procellam. & pſal. 4. pro *compungimini*, in Hebræo eſt *ſilete.* id-eſt, F
inquit Genebrardus ibi, *pœnitentiam in ſilentio & metu agite.* Citat etiam idem Radak *lapidem tacentem*. Ex Habacuk 2. v. 19. ſed videtur hoc ad priorem potius ſpectare ſignificationem, quod vocis expers lapis ſit.

Alterum, quod difficultatis habet aliquid, eiuſmodi eſt. Eccleſiaſticus cap. 48. verſu 5. non ait, *ſolem ſtetiſſe*, ſed *retroceſſiſſe.* Nam, quod noſter ait, *An non iracundia eius* (Ieſu) *impeditus eſt Sol.* Græce eſt οὐχὶ ἐν χειρὶ αὐτοῦ ἀνεπόδισεν ὁ ἥλιος, id-eſt, *nonne in ipſius manu retroceſſit Sol?* Eſt enim ἀναποδίζειν *reuerti, retroagi, pedem referre*, ac vt proprie loquitur Cicero, *repedare.* Sicque de Luna cum in CHRISTI Domini morte ac eclypſi retrogreſſa eſſet, dixit in epiſt. ad Polycarpum Areopagita Dionyſius p. 442. σελήνη μέχρι ἡλιακοῦ πέρατος ἐλθοῦσα εἶτ' ἀναποδίσασα. Noſter Interpres in illo Eccleſiaſtici loco, accepit verbum illud, vt alibi apud 70. quædam alia, *paſſiue*, ac vertit, *impeditus eſt.* Sed modum, quo impeditus eſt non expreſſit. Potuit enim & inſiſtendo & retrogrediendo impediri. Quod ſi Græci vim verbi trutinemus, impeditus fuerit Sol per ἀναποδισμὸν, quod retro ſcilicet actus & relatus: Poſſunt duo reſponderi, primo Solis *retrogreſſionem* in Eccleſiaſtico accipi pro non vlteriore progreſſione. Nam quod in curſu eſt, & illico, aut ſponte, aut vi quapiam extrinſecus adhibita, quieſcit, videtur pedem quaſi reflectere & reuocare. quo modo dixit ſanctorum quidam, *In via ſpiritus non progredi regredi eſt*: Et apud Mathematicos in ſphærologia *ſolſtitium* vocatur, non quo proprie ſtat Sol, ſed quo vlterius non pergit. *Secundò.* Solem primo quidem ſubito regreſſum, deinde vero conſtitiſſe immotum, fixum, & quietum: Solam vero quietem hic exprimi, ſolam in Eccleſiaſtico reuerſionem. Vtrum autem ſit probabilius, monſtrabit alia poſt quæſtio.

QVÆSTIO XIV.

Stare naturaliter an poſſint Sol, & Luna?

POſſe naturaliter hæc inſiſtere ſydera, dixit olim hiſtoriæ ſcholaſticæ auctor, vti refert Abulenſis lib. 4. Reg. cap. 20. quæſt. 25. & 1. Par. cap. 4. quæſt. 18. Licet vero ille rationum nihil attulerit, Libet pro ipſo afferre quatuor. *Prima.* Quotannis bina videmus ſolſtitia, æſtiuum & brumale. *Secunda.* Planetas eſſe ac vocari ſtationarios docet experientia, & in Theoricis Aſtrologia. *Tertia.* Nobilis hoc noſtro ſæculo Mathematicus Nicolaus Copernicus, *Ptolemæus alter* vocatus, & cum à Clauio noſtro cap. 1. & 4. de Sphæra, tum à Magino libri de Theoricis præfatione ad Torialum, & Lectorem, aliiſque pluribus laudatus, ſolem ſemper quieſcere, centrumq; vniuerſi totius eſſe docet lib. 1. reuolutionum cap. 9. & 10. *Quarta.* Cœlorum inferiorum motus naturales ſunt, cum, vt initio lib. 1. de cœlo cap. 2. docet Ariſtoteles, omnes corpus phyſicum aliquam ſibi vendicet Lationem. Eorundem igitur etiam quies naturalis. quia motus & quietis vna eademque ratio, & naturale principium lib. 2. phyſ. cap. 1. Quæſtionis huius diiudicatio ex variis, quæ ad ſcientiarum aliarum diſputationes ſpectant, apta, nexaque eſt.

Dico breuiter. *Primò.* Si cœli, adeoque Sol & Luna ſecundum Ariſtotelis ſententiam conſiderentur, nullo naturali modo in iis eſſe poteſt quies & ſtatio. Hinc enim lib. 9. Metaphyſ. cap. 4. text. 17. dixit, pertimeſcendum haud eſſe, ne cœleſtia corpora ſtent. Subditque eius rei cauſam, quia iis non ineſt potentia

Digitized by Google

contradictionis, vt videlicet moueantur & non A moueantur. Ad quam Magiſtri ſui ſententiam penitus adhæreſcunt Philoſophorum plerique Græci Themiſtius, Philoponus Simplicius 2. phyſ. Alexander Aphrodiſeus lib. 2. naturalium quæſtionum cap. 18.

Secundò. ſi ſecundum veritatem iidem cœli, & ſol, & Luna ſpectentur, poteſt aliquo modo quies illis dici naturalis. ſed modus iſte bifaria probabili ratione poteſt exponi. *Vnus*, vt cœlum, tam materiæ quam formæ ſuæ ratione dicatur ſuopte ingenio, & ex naturæ ſuæ propenſione, indifferenter moueri, & non moueri: B motum ſubire, & ab eo ceſſare. Ita Conimbricenſes lib. 1. de cœlo cap. 2. quæſt. 3. art. 4. *Alter*, vt ex naturæ ſuæ propenſione, quam materiæ, formæque talis parit copulatio, in tali loco tanquam naturali, ſimpliciter velit cœlum quieſcere, quia ſcilicet ex aquea illa tenuiſſima materia concretum eſt, è qua aër, & qui ſupra hunc vocatur ignis, vterque cœlo tamen ipſo adhuc craſſior. Et ſic mouentur iam in orbem cœli, adeoque duo hæc luminaria magna, eo modo, quo à Philoſophis conuerti iam dicuntur aër & ignis ille ad hominum vtilitatem, niſi C quod inferiora hæc à ſuperioribus corporibus rapiantur, cœli vero ab corporis experte cauſa creantur, vt Philoſophorum ac Theologorum communis ait ſententia. de qua iidem Conimbricenſes lib. 2. de cœlo cap. 5. quæſt. 5. Poſt iudicij autem diem & quandocunq; maior quædam hominibus vtilitas eſſe poteſt (quod ſolius Dei iudicio cognitum) naturalis eſſe poteſt illorum inſtitutio, & quies.

Tertiò. licet naturale ſit ſoli & lunæ ſuis in cœlis non moueri ſed quieſcere, magnum tamen Ioſuæ tempore, miraculum fuit ea quieſcere. D quia ordo diuinus, quo mundum hunc gubernat, ita ſtatutus, perpetuoque niſi ſi quæ ſimilis extraordinaria cauſa, de qua videbitur poſtea, incidit, ita ſeruatus eſt, vt irrequieto ſemper motu perdium & pernox in orbem cœlum commeet, omniaque ipſius ſydera tam affixa quam errantia.

Quæ vero quæſtionis principium obiicit, non ſunt difficilia. Nam *ad Primum* de ſolſtitio iam reſponſum quæſtione ſuperiore. *Ad Secundum* nunquam vere ſtant planetæ, ſed ſtantium inſtar apparent; cum duæ veri eorum, & cen- E trorum, quæ ipſorum habent epicycli, lineæ pari ad Zodiacum celeritate ſed in diuerſas cœli partes trahuntur, ita ſcilicet, vt quanto arcu veri motus planetæ linea in antecedentia ſigna voluitur, tanto veri motus centri epicycli linea in conſequentia feratur, prout explicat parte ſecunda Theoricor. Purbachius, & lib. 2. cap. 11. Maginus, vbi etiam explicat, ne apparentem quidem, falſam tamen hanc ſtationem in ſolem & lunam cadere. quia epicyclis careant. *Ad Tertium*. Eſt Copernicus cætera quidem nobilis Mathematicus, meritoque laudatus: ſed cum aliæ, tum hæ potiſſimum duæ ip- F ſius hypotheſes ab omnibus exploduntur. *Prior*, ſolem eſſe mundi centrum: *Poſterior*, terram eſſe in quinto cœlo cum orbe Lunari, ſub Saturno, Ioue, Marte, ſupra Venerem & Mercurium ipſumque adeo ſolem: epicyclo infixam motu cieri triplice. Licet vero ſuas iſtas reuolutiones, vt reprehenſionem omnem effugeret Pontifici dedicarit Maximo Paulo tertio, hæ tamen hypotheſes, ſi tanquam veræ ſerio aſſererentur, non video quemadmodum ab hæreſi eſſe poſſent immunes. Semper enim ſcriptura terræ *quietem*, & ſoli ac lunæ *motum*, tribuit: aut ſi quãdo ea quieſcant ſydera, magno id fieri miraculo ſignificat. *Terra*, inquit, Eccleſiaſtes cap. 1. v. 4. in *æternum ſtat. Oritur ſol & occidit, & ad locum ſuum reuertitur, ibique renaſcens gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem* pſalm. 92. verſu 1. *firmauit* (Dominus) *orbem terræ, qui non commouebitur*. pſalm. 102. v. 5. *Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam: non inclinabitur in ſæculum ſæculi*. Accedit, quod opinationem iſtam exſufflent ac damnent omnes Philoſophorum omnium, præter Nicetam & Pythagoreos pauculos, familiæ: omnia ſanctorum Patrum effata, omnia Theologorum omnium gymnaſia. Neque vero tutum aut decorum in rebus tam certis ac perſpicuis falſa comminiſci, ac tueri problemata. Elias in Thiſbi. *Cœli*, ait, *vocantur galgalim*, quia vt pſal. 77. *Vox tonitrui in ſphæra. ex eo ſcilicet, quid aſſidue circumeant. Sunt autem ſeptem galgalim in quorum quolibet eſt vna è ſtellis ambulantibus, quas falſo errantes ac Planetas vocarunt Ethnici, tum ordinẽ ſummum tueantur*. Hinc vero recte lib. ad Polybium c. 26. comparat ſenem Imperatorem ſyderibus. *Ex quo*, ait, *ſe Cæſar orbi terrarum dedicauit, ſibi eripuit: & ſyderum modo, quæ irrequieta ſemper curſus ſuos explicant, nunquam illi licet ſubſiſtere nec quidquam ſuum facere. Ad Quartum*. Quia iis quæ dicta repugnat nihil, reſpondere haud opus.

QVÆSTIO XV.

Poſſitne prauus Angelus Solem & Lunam ſiſtere?

VEtus de magis famigeratio, eorumdemq; gloriatio, poſſe ipſos Solem & Lunam, aliosq; mundi oculos, & cœleſtia corpora omnia retro agere, ſiſtere, impellere quo velint modo. Tibullus lib. 1. eleg.

Hanc (ſagam) *ego de cœlo ducentem ſydera vidi*
Fulminis hæc rapidi carmine. ſindit iter.

Apud Ouidium Hipſypiles de Medea epiſtola:

Illa reluctantem curſu deducere Lunam
Nititur, & tenebris abdere ſolis equos.

Horatius epodon Ode 5.

—Sydera excantanta voce Theſſala
Lunamque cœlo deripit:

Et Ode vltima.

—polo
Deripere Lunam vocibus poſſum meis.

Grandiloquentius omnia Lucanus lib. 6. de Eriſichto.

Ceſſauere vices rerum: dilataque longa
Hæſit nocte dies: Legi non paruit æther.
Torpuit & praceps, audito carmine, mundus.
Axibus & rapidis impulſos Iupiter vrgens
Miratur non ire polos.

Mitto id genus apud Senecam in Medea & Hercule Oetæo, Claudianum libro 2. in Ruffinum, & alios complura. Petronius certe

Digitized by Google

Arbiter cum varie, portentoſeque glorіantem ſagam induxiſſet, ei hæc etiam tandem tribuit.

Quid leuiora loquor? Luna deſcendit imago
Carminibus deducta meis: trepiduſque furentes
Flectere Phœbus equos reuoluto cogitur orbe.

At vero conſtat ſagos, ſagaſque omnes non carminum, herbarum, aliarumque ſimilium rerum vi, ſed malorum dæmonum opera hæc & ſimilia efficere omnia. Deinde vero, cum ſuapte ſponte acquieſcere cupiāt Sol & Luna, prout ſuperiore quæſtione dictum, videntur dæmones impulſum, qui iis ad motum extrinſecus adhibetur, impedire poſſe. Ac diſerte Lactantius lib. 7. capite 17. Antichriſto ſiſtendi ſolis, vim tribuere videtur. *Iubebit*, ait, *ignem deſcendere de cœlo, & Solem à ſuis curſibus ſtare.*

Verum enim vero nihil horum poſſunt infelices illi ſpiritus. falſa de his, nimiumque Poëtica fama eſt: inanis & mendax Magorum, Magarumque tanta iactantia: ipſius vero Antichriſti prodigia omnia fucata, verique omnis expertia, vti teſtatur Apoſtolus 2. Theſſ. 2. 9. Cur autem non poſſit dæmon cœlorum ſtellarumque inhibere curſus, non ea cauſa eſt, quod naturalibus ſuis virib. id non poſſet (multi enim dæmonum ſunt Angelis, qui, vt communis cenſet opinio, cœlis mouendis præſunt, agendi poteſtate ac robore vel pares, vel ſuperiores) ſed *primo* quia, ob peccatum, ſuppliciumque, quod eis inflictum, ſcelerati omnes bonis Angelis omnibus & ſingulis ſubiecti ſunt, ita vt praua quidem voluntate iis reniti, re autem ipſa & efficaciter in rebus, quæ à libero cuiuſquam arbitrio non pendent, quæque contra communem naturæ curſum non ſunt, nequidquam valeant. *Deinde*. quia rati cœleſtium rerum ordines ac motus à diuina prouidentia conſtituti & præfixi ſunt, vt contra eos nulla vllius creaturæ vis quidquam poſſit, non eos immutare, non impedire. Neque vero decet vt ea in domo ac regione, vnde facinorum ſuorum cauſa, exturbati ſunt, quidquam poſſint amplius. Sed plura ſi vis, ad noſtrum te confer Delrium libr. 2. diſquiſ. quæſt. 10. & 11. Abulenſem hic q. 81.

QVÆSTIO XVI.

Poſſetne bonorum Angelorum aliquis eadem ſolis ac lunæ morari ſydera.

Ex ſuperioris concluſionis argumento ſecundo iam fere, quid reſpondendum, liquet. Diſtinctius tamen adhuc.

Dico. I. Angeli, quibus hoc à Deo demandatum munus, vt cœlos & aſtra moueant, poſſent quidem ſuapte vi ac libertate à motu deſiſtere: ſed qua ſancti ac beati iam ſunt, nullo modo, niſi ſecus iuberet Deus, poſſunt, quia Dei voluntatem & præcepta tranſgredi, ſuamque ipſorum felicitatem amittere non queunt. Vtrumque vero accideret ſi demandatum opus negligerent. Atque felicitatis amiſſio non ex eo, quod in 12. Metaphyſicorum c. 7. t. 38. innuit Ariſtoteles, oritur, quaſi vel non imitarentur primam rerum omnium cauſam, quæ per ſeipſam immediate ac integre cœlum primum pellat (Id enim ſiue voluerit Ariſtoteles ſiue non, falſum eſt, vti oſtendunt Conimbricenſes lib. 2. de cœlo q. 6.) neque quod eius amatæ bonitatis minus eſſent participes, ſi per motum iſtum boni aliquid in corporatum mundum non infunderent, vt Ariſtotelem explicat hic q. 82. Abulenſis (poſſunt enim aliis variis modis diuinæ bonitatis eſſe participes, ſuamq; ipſorum vim & bonum in creaturis, cum ita ipſis videtur, communicare) ſed ex eo, quod à Dei præſcripto deflectentes iuſte punirentur, maximoque illo felicitatis bono priuarentur.

II. Iidem Angeli cœlorum conuerſores, cum vult, iiſque ſignificat Deus, poſſunt eos conuertendi finem facere, ſicque ſolem ac lunam morari, certoque in ſitu defigere. Sicque hic reapſe factum, patet ex iamiam dictis.

III. Sancti Angeli alij omnes, qui his ipſis conuerſorib. maiores ac ſublimiores ſunt, poſſunt ſua ipſorum vi, ac robore illorum impulſionem frangere ac impedire, cœlos & aſtra iis inuitis ac repugnantibus, ab ſolito curſu retinere: nunquam tamen id aut faciunt, aut moraliter facere iam poſſunt. *Prior* pars patet ex proportione maiorū viriū ad minores. Quemadmodum ſi velit homo imbecillior baculum mouere, idque totis conetur viribus, alius vero multo illo fortior nolit, ac renitatur, manebit immotus baculus: ita & in cœlorum motu, ſi Angelo minori reluctaretur maior. *Poſterior* pars ex primæ concluſionis ratione habetur. Sed vt ſit ea manifeſtior: obiicio poſſe Angelis cœleſtium motionum præſidibus alios quoſlibet obſiſtere. Nam Danielis 10. verſ. 13. Angelus regni Princeps Perſarum, ad Perſarum ipſorum aliquam vtilitatem, reſiſtit Gabrieli, & ita quidem vehementer, vt niſi huic auxilium & opem tuliſſet S. Michaël, ſuccumbere ac vinci bonus debuiſſet Gabriel, eodem verſu 13. 20. & 21. Eodem igitur modo faciamus, exempli cauſa, in bellis, quibus Iſraëlitas aliquando vinci voluit Deus, expediiſſe, vt in hoſtium, quorum princeps fuiſſet aliquis Angelus, gratiam, dies proferretur, nox minueretur, nonne ille inuitis aſtrorum, cælorumque rotatoribus, Solem ac Lunam fænare, ac alicubi abſque motu omni ſtatuere potuiſſet? Reſpondeo non potuiſſe. quia in iis, in quibus diuinam voluntatem, perſpectam non habent, poſſunt Angeli, pro ſuo quilibet munere, ſanctoque zelo, repugnare, prout fecerunt, qui obiiciuntur Iſraëlitarum, Perſarumque præſides: ſed in quibus diuina iis voluntas cognita, neque ipſos à Deo, neque inter ſe diſſentire ac pugnare vllo modo poſſe. Alioquin omnia, quæ in prima concluſionis ratione fuerunt, peccati, ac pœnæ incommoda ſuſcipiantur, neceſſe eſt. Iam vero Angelis omnibus quid perſpectius, quam generales diuinæ in gubernando mundo prouidentiæ canones? quam fixa, rataque gubernandi mundi axiomata? quam ab orbis conditi ſeruata ſemper in cœlorum motu decreta? Contra ipſa igitur quidquam facere ac moliri, niſi aliter ipſe imperaſſet Dominus, nulli vnquam Angelo licuit, aut licet: neq; in cœleſtibus continendis orbibus vim, contra cæterorum, qui eos volutant, Angelorum voluntatem & nixum apparare.

Digitized by Google

A

QVÆSTIO XVII.

Quæ, vt in Gabaonito bello ſtarent Sol & Luna, cauſæ fuerunt efficientes? & quid effecerit prima, Ioſue ſcilicet?

DVæ in textu cauſæ indicantur efficientes, quibus adiungi poterit tertia. *Prima* eſt Ioſue, qui duplici Solis, Lunæque ſtationem modo effecit. *primò*. Deum precando. Id enim ſignificant verba illa verſu 12. *Tunc locutus eſt Ioſue Domino*, & 70. ἐλάλησεν Ἰησοῦς πρὸς κύριον, Chaldæus, *tunc laudabit Dominum.* Licet enim hæc, vt dixi quæſt. 12. verba poſſint etiam precationi, qua grandineam ſaxorum tempeſtatem petiit Ioſue accommodari, clariſſime tamen, ac ſine vllis verborum ambagibus oſtendunt, eum Deo, ad ſequens impetrandum portentum, preces adhibuiſſe. Caietanus, *Iunge*: ait, *prudens lector, duo hic ſcripta: quod videlicet tunc locutus eſt Ioſua Domino fonti eſſendi, & quod dixerit ſermonem ad Solem & Lunam: vt perpendas quod primum eleuauit mentem in Deum, ſupplicando pro integra victoria, & quod Deus inſpirauit illi, vt indiceret Soli ac Lunæ moram.* Rurſum vero poſtea dicitur, vel innuitur Deus *Ioſuæ voci obediſſe* verſu 4. prout infra explicabo. Vocem igitur ad Deum is miſerat, qua poſcebat diem reddi longiorem, ſolemque tam cito non occumbere. Quia enim, vt habetur verſu 8. & 12. *tradiderat Deus Amorrhæum in conſpectu filiorum Iſraël*, vt eos ſcilicet domarent, delerent, penitus exterminarent, & magnam eorum multitudinem inſequentium Iſraëlitarum gladiis, à ruentium grandinum impetu elabi videbat, petiit ad eos inſequendum, ferroque, ac, vt ego quidem reor, grandine diutius necandum plus diurnæ lucis dari. Nam ſi nox irrueret, inſequi non licuiſſet eos amplius: neque grando fugientes excepiſſet aut excipere viſa tam clare fuiſſet. *Secunda.* Eandem effecit Ioſue ſtationem duobus imperando ſyderibus Soli & Lunæ v. 12. *Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon.* D. Hieronymus in Epitaphio Paulæ: *Ieſus filius Naue contra quinque Reges dimicans: Soli imperauit & Lunæ.* Idemque libr. 2. aduerſus Iouinianum: *Ieſus filius Nauæ ſtationem imperauit Soli & Lunæ: & inediam pluſque vnius diei victoris exercitus protelauit.* Tertullianus libro aduerſus Pſychos: *Ieſus Naue ipſis elementis ſtationem imperauit. ſtetit Sol in Gabaon.* Et in Poëtico aduerſus Marcionem lib. 3.

Solem cum Luna ſtatuit, dum vinceret hoſtem.

Auctor mirabilium ſacræ ſcripturæ lib. 2. capit. 4. *Chananæorum quinque regibus in vnum congregatis, vt pugnarent aduerſus filios Iſrael, cum ex aduerſo miſcerentur cohortes, & victoria in Dei populi partem cōcederet, Ieſus filius Nun princeps populi Iſrael Soli in medio die præcepit, vt ne ſe moueret, & Lunæ vbi fuerat ſtare, donec ſe Dei populus de inimicis vindicaret. Neque vero clam & tacite imperium hoc ſuum exeruit Ioſue, ſed palam* & clare, *coram filiis Iſraël*, inquit textus verſu 12. tamque fuit ſerium & imperioſum vt Eccleſiaſticus verſu 5. capite 46. *vocet* χειρ. *manum.* Sed eſſe poteſt hic dubitatio, quæ, quia longior, propriam habere poteſt quæſtionem.

QVÆSTIO XVIII.

An vt à conſtante ac perpetua naturæ Lege deflecterent Sol & Luna, recte popoſcerit ac iuſſerit Ioſue?

NAm *primò*, ſciebat ſane vir ſapientiſſimus, magnus magni Moyſis diſcipulus ratam hanc & conſtantem diuinæ in orbe toto adminiſtrando prouidentiæ Legem, vt, noctes &
B dies, ſine vlla prorſus interruptione, Sol & Luna mundi plagas omnes aſſiduis volutionibus percurrerent, Quomodo igitur contrarium fieri petere auſus eſt, cum Angeli, vt ſupra dictum eſt quæſt. 16. ideo eadem à gyris ſuis aſtra cohibere non poſſint, quia generalium, & ſempiternarum, quas orbi regundo fixit DEVS, legum, ſcitorumque ſcientes, & gnari ſunt. *Secundò*. Deinde petitionis eiuſmodi, talis etiam ſyderum quietis exemplum in omni retro antiquitate nullum neque viderat, neque audiuerat. Quomodo igitur vt rem tam
C inuſitatam, tam orbis totius ordini repugnantem rogaret, ſuum in animum induxit? *Tertiò*. Iam vero rebus inanimis, nihilque omnino ſentientibus quidquam imperare, videtur ſtolidum: rebus poteſtati noſtræ haud ſubditis, audax & arrogans, imo & iniuſtum. *Quartò*. Debebat populi dux dare operam, ne apud eos, qui eius curæ ac prudentiæ commiſſi erāt, quidquam committeret, vnde illi temerarium, inſipientem, arrogantem, iniquum, & vanum ſuſpicari eum potuiſſent. Quomodo igitur non apud ſe occulte, ſed publice in filiorum
D Iſraël conſpectu portentoſum adeo miraculum orat, imperat? Quam turpis ei nota, quam pudendum probrum, ſi ex animi voto haud ſucceſſiſſet, impendebat! Verumenimvero recte iſta orauit, recte imperauit Ioſue. Nam ſciebat DEVM, qui leges mundi gubernationis poſuiſſet, poſſe præter & ſuper eas aliquid facere: neque vllam ſibi ipſi hiſce nunquam ſoluendi, & laxandi neceſſitatem impoſuiſſe. Viderat tot & tanta in Ægypto, in quadragintannali per vaſtas ſolitudines itinere, in diffiſſo Iordanis annis fluxu, in Hierichuntinorum
E mœnium deiectu, prodigia: tot alia, & tam ſupra naturam poſita, legendo & audiendo cognorat: Dei omnipotentiam ita ſolide, planeque à Lege, à Moyſe didicerat: eam diuinæ huius omnipotentiæ omnibus demonſtrandæ occaſionem, eum ſummæ Domini gloriæ illuſtrandæ articulum, eam ſternendorum hoſtium, populique Iſraël iuuandi & amplificandi oportunitatem eſſe nunc perſpiciebat, vt in haſce preces, hocque imperium prudentiſſime, zeloſiſſime, religioſiſſimeque proruperit. Eſt quædam *fides*, quæ *miraculorum* dici ſolet, de qua multa capite 13. epiſtolæ ad
F Corinthios prioris Apoſtolus. Hæc & Deum poſſe miracula, & illo tali tempore, tali loco, talibus aliis circumſtantiis velle oſtendit, penituſque perſuadet. Vnde in rebus tam arduis, tam à communi naturæ vſu remotis, tam cognito ordini aduerſantibus, ea in

ſanctis exiſtit fiducia, vt has à Deo petant, has A rebus etiam ſtupidis, brutis ac inanimatis iubeant. Sic Matth. 17. verſu 20. *Amen quippe dico vobis*, ait Dominus, *ſi habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, tranſi hinc illuc, & tranſibit, & nihil impoſſibile erit vobis.* Lucæ 17. verſu 6. *Dixit Dominus, ſi habueritis fidem ſicut granum ſinapis, diceretis huic arbori moro, Eradicare, & tranſplantare in mare, & obediret vobis.* Sic Elias 3. Regum 17. 18. 4. Regum 1. ſic Moyſes, ſic Gregorius Thaumaturgus, S. Martinus, S. Bernardus & alij, qui miraculis clari fuerunt, ſancti omnes B fecerunt. D. Hieronymus in Iſaiæ cap. 28. *fiducia habitantis in ſe Dei, locutus eſt Ieſus, ſtet Sol.* D. Ambroſius libr. 1. offic. capit. 40. *Ieſus Naue cum aduerſum Gabaonitas ſurgeret prælium, & vereretur ne nox impediret victoriam, magnitudine mentis & fidei clamauit, ſtet Sol, & ſtetit, dum hæc victoria conſummaretur.* D. Bernardus apud eius vitæ auctorem lib. 2. capit. 7. cum aduerſus Leoninos ſchiſmaticos conſtanter agendum, ardenterque precandum ſuaderet, *Ioſue*, ait, *pugnat, & vt ad conſummationem victoriæ dies ſufficiat, protelata, Soli vt ſtet, non tam orat, quam imperat: & meretur fides tam* C *Solis obedientiam, quam de hoſte proſtrato victoriam.*

Ad *priora* igitur contraria *duo argumenta* iam reſponſum, niſi quod adiiciendum, ſuperiore quæſtione tantummodo dictum, Angelos non poſſe ſuo arbitratu, etiam, ob aliquam ab ipſis ſpectatam hominum quorundam vtilitatem, Angelis iis, qui cœlos verſant, contrauenire propter eam, qua prædicti ſunt maxima, modi à Deo hoc in mundo tuendo & gubernando inſtituti atque conſeruati cognitionem: Quam ſi non haberent, aut vero ex alia immenſæ ipſius poteſtatis cognitione, ab ipſo & per ipſum D ſecus aliqua fieri rogare vellent, iis, quam hominibus, non minus liceret.

Ad *Tertium*. Quando rebus imperatur vitæ ſenſus ac rationis expertibus, proxime quidem fertur in eas imperium, ſed hoc improprie dicitur imperium: remote vero ac vltimate fertur in naturam intelligentem. Et ſic proprie imperium eſt. Sed natura hæc intelligens vel bona eſt, vel mala: ruſumque vel ei, qui imperat: illa ſubdita eſt, vel non ſubdita: Denique vel imperatur iis rebus ac negotiis quæ præſtitutam, ordinariamque mundo totius gubernatio- E nem aperte immutant: vel in rebus ac negotiis, quæ eidem gubernationi aperte nihil contraueniunt, & quaſi priuatæ ſunt. *Primò* igitur. Si natura, cui imperatur bona ſit, & ei, qui imperat, ſubdita ea in rebus priuatis morem ſemper geret, in aliis non. verbi cauſa ſi Angelorum ſuperiorum aliquis aliquid inferiorum cuipiam imperet. In rebus vero, quæ mundum totum attingunt, & veluti publicæ ſunt, morem non geret. quia hæ à Dei ſolius nutu ac voluntate pendent, in iiſq; non eſt inferior ſuperiori An- F gelo ſubditus. *Secundò*. Si natura cui operatur bona ſit, & ei qui imperat non ſit ex ſe quidem, vllis in rebus priuatis aut publicis, ſubdita, ſed is, qui imperat Dei voluntatem ac iuſſum interponat, vere recteque indicet, obtemperabit bona illa natura, tam in priuatis quam in publicis quoquo modo poterit. verbi cauſa, ſi Angelus minor in Dei nomine imperaret maiori quidpiam: ſi item homo Angelorum cuicumque imperaret, hancque Dei voluntatem ac imperium interponeret, ac Angelo illi vere indicaret. *Tertiò*. Si natura, cui imperatur, mala ſit, & ei, qui imperat ſubdita, vel non ſubdita, ſemper quoties Dei auctoritas vere monſtratur, ipſi omnibus in rebus iuſſa capeſſere fas eſt. Si non interponitur Dei auctoritas, ea interdum obtemperabit, interdum non obtemperabit in rebus quas ſponte facit, non in iis, quæ ipſi à Deo imperatæ. verbi gratia. Malus Angelus bono cuilibet iam ſubditus eſt. Si ergo bonus quidquam vlla in re, Dei auctoritate iubeat: non poteſt hic vllo modo reniti: Si abſque Dei auctoritate iubeat illi aliquid, ſi quidem hoc à dæmonis tantum pendeat poteſtate, vt ſi quempiam tentaret, moleſtiis aut corporalibus aut ſpiritalibus afficeret, obſequi debebit infelix dæmon. Sin autem iuſſus eſſet à Deo dæmon gentem, aut hominum aliquem calamitatibus aliquibus diuexare, ipſumque Angelus bonus, abſque Dei auctoritate iuberet deſiſtere, non obſequeretur. Par de ſancto quopiam homine ratio, ſi dæmonum alicui quidpiam iubeat. Vide in Tobiæ capite 8. quæſt. 7. & 8. de ligandorum dæmonum modis, quibus & ille de impreſſa quadam fortiore vi & qualitate adiici poteſt modus. Nunc ad argumentum reſpondeo, ſtolidum eſſe rebus inanimis proprie vel ſimpliciter imperare: ſed ita imperare, vt ad intelligentias ſeu Angelos, qui rebus illis ant præſident, aut in iis agere quid poſſunt, pertineat imperium, id vero prudentiæ ſapientiæque conſentaneum. Sic enim & CHRISTVS Dominus tranquillitatem imperauit mari ac ventis Matth. 8. verſu 26. ac ſequentibus. Rurſum rebus, quæ poteſtati noſtræ nullo modo ſubiectæ ſunt, audax vtique, arrogans, & iniuſtum eſt. Sed ſi res ex ſe quidem ſub poteſtatem hominum non cadant, ſed ex Dei conceſſu, neque homines præciſe vt homines, ſed vt homines Deo pleni, diuinaque auctoritate inſtructi conſiderentur, poſſunt abſque audaciæ, arrogantiæ, ac iniuſtitiæ nota vlla, tam bonis quam malis Angelis imperare. Atque ſic Ioſue imperauit, Soli quidem & Lunæ improprie, Solis ac Lunæ motoribus Angelis proprie: idque non ſua ipſius humana vi & auctoritate, ſed numinis, cuius afflatu, & impulſu, imperatiua phraſi vſus eſt. *In hac iuſſione non humani*, ait de mirabilibus ſacræ ſcripturæ liber ſecundus cap. 4. *imperij auctoritate luminaria requieſcunt, ſed Domini imperantis, vt ſtarent, iuſſui obediunt. Nihil enim propter iubentis hominis verbum, Dei creaturę faciunt, ſed quod Dominus ſerui ſui oratione obediens pręcepit, hoc faciunt. Sic enim perhibetur, Sol ſtetit contra Gabaon, & Luna ad vallem Hailon, obediente Domino voci hominis.* Et ſic miratur inter alia S. Quiriacus Soli ac Lunæ datum à Deo aurigam Ioſue, vti narrat die 29. Septembris Metaphraſtes. Et in Thalmud cap. 5. *Pirke Aboth* 3 Rabbini, dum ipſius Hillel. 80. diſcipulos laudant, aiunt eorum 30. dignos fuiſſe, pro quibus ſtaret Sol, vt eum ſtare fecerat Ioſue. Repetit hoc & Rambam in *Iuchaſin* fol. 159. Sed hæ Rabbinicæ bullæ.

Digitized by Google

Ad Quartum. Patet è iam dictis reſponſio. Cum enim non ſuapte conſilio, vel audacia, ſed inſtinctu, monituque diuino imperationem hanc inſtituerit, certe ſe haud fallendum confidebat. ideoque vt maior ipſi miraculi totius auctori Deo eſſet gloria, maior in populo alacritas ac fides, voluit palam ac publice in omnium oculis voce, vt ab omnibus exaudiretur, magna Solem ac Lunam vincire, motuque omni ſpoliare.

QVÆSTIO XIX.

Quid altera cauſa efficiens, Deus nimirum, effecerit?

Altera porro *cauſa efficiens* in contextu indicata eſt *Deus*, qui verſu 14. *obediſſe* dicitur *voci hominis.* Eſt autem obſeruandum, in Hebræo eſſe *audiendi* verbum, quod non ſimpliciter audire, ſed efficaciter audire crebro ſignificat, ſicut & Latinum: idque dupliciter maxime. *Primo.* Vt ſit *exaudire. Secundo. Obedire.* Caluinus igitur priorem exaudiendi notionem hic vult. *Quod*, ait, *verbum* שמע *quidam vertunt obedire, tanquam aſperius reiicio.* At *Primo.* Sic recte verti cenſuit non Interpres noſter modo, in quo eſt Hebrææ linguæ peritia, & auctoritas multo quam in Caluino maior, ſed Latini etiam, Græcique Patres omnes, ipſi 70. dum ἐπακοῦσαι θεὸν ἀνθρώπου verterunt. *Secundo.* in Hebræo eſt hic verbotenus *audire in vocem*, quod alibi valet *obedire* Geneſ. 26. verſu 5. *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, eo quod obedieris voci meæ*, prout ipſemet eo loco Caluinus recte verti agnoſcit, licet ægre ferat Abrahæ obedientiam tam clare cauſam & meritum pronunciari benedictionis. Prouerb. 5. verſu 13. *Cur deteſtatus ſum diſciplinam & increpationibus non acquieuit cor meum, nec audiui vocem* (Hebraice & non audiui in vocem) *docentium me* quod eſt eorum voci, ac monitis non parere. Sic Ierem. c. 32. verſu 23. c. 22. v. 22. 1. Reg. 12. verſu 14. c. 28. verſu 21. alibi. *Tertio.* Dicitur Dominus pſal. 20. verſu 3. deſiderium cordis regi tribuere, neque optatum labiorum eius ei prohibere. quod eſt reipſa illi obedire, prout quidem vult Caluinus, licet aliquid adhuc excipiat. *Etſi*, ait, *dicitur in pſalmo Deus facere ſecundum deſiderium ſeruorum, quod tantundem valet ac morem gerere, fugere tamen præſtat quidquid Deum videtur in ordinem cogere.* Sed quomodo id *videtur Deum in ordinem cogere?* An quia ſignificat eum homine inferiorem? ipſum ab illo cogi? cum ille imperet, hic obediat? Hoc paulo poſt viderimus. Nunc ſatis eſt, Hebræū verbum recte per *obedire* verti, neque debet ſuo arbitratu ſcripturam in ordinem cogere, ipſamque, vt libet, interpretari Caluinus. *Quarto.* Quid vero eius diſcipulus Iunius? Magiſtrumne audiit? Non, ſed vertit, *auſcultare voci hominis.* quod Grammaticorum pueri *obedientem eſſe*, norunt. Lutheranus vero Chytræus hoc loco, *Dominus*, inquit, *obedit voluntati hominis, & ordinem naturæ mutat propter preces Ioſuæ.* E Rabbinis vero Radax quoties eodem Hebræo verbo pro *obedire* vtitur in pſalmum 2. vt dum ait *fi-*

A *lium patri obedire, Dauidemque Deo?* in ſimili quoque miraculo Ioſephus lib. 14. c. 3. p. 419. Oniæ pro pluuia oranti γενόμενος ὑπήκοος ὁ θεὸς ὗσεν. id eſt, *factus obediens Deus pluit*, ſeu *pluuiam dedit.* Quid vero de miraculo per Chriſtianos, Imperatoris M. Antonini Veri tempore diuinitus impetrato Gentilis alioqui Poëta Claudianus in ſexto *Honorij* conſulatu?

— Omne Tonantis
Obſequium Marci mores potuere mereri.

Obſeruandum *ſecundo.* Hebraice haberi. *Et*
B *non fuit ſicut dies hic ante ipſum, & poſt ipſum, ad obedire Dominum*, ſeu (quemadmodum vertunt 70.) *vt obediret Dominus voci hominis.* Ideoque duplex hinc elici poteſt ſententia. *Vna*, Deum nunquam ſic obediiſſe, vel obediturum vllius hominis voci, *Altera*, cauſam, cur dies talis nūquam aut fuerit, aut futurus ſit, eſſe, quod voci Ioſuæ Deus obedierit. Poteſt vterque ſenſus tolerari. poſterior tamen receptior eſt. Et vero ex priore colligitur etiā optime. Si enim nunquam ſic, vt eo die obediit aut obediet Deus voci hominis, ergo die tunc obediit. Et
C videtur iſte ſenſus ex eo quod ſubditur, confirmari: *Et pugnante pro Iſrael:* Hebraice cum cauſali particula, *quia pugnauit Deus pro Iſrael.*

Obſeruandum *Tertio.* modos, quibus obediit voci hominis Deus poſſe dari tres. *Primus* eſt ſecundum effectum, quia idem fecit Deus, atque ſi homini ſubditus eſſet, eique obediret. Iſto enim loquendi modo dicitur Deus *Iraſci, furere, duci pœnitentia*, ridere & ſimilia quæ ἀνθρωποπαθῶς Deo tribuuntur: ſeu vt Hebræi dicunt, *Hal derech Maſchal bilſchon bene adam*, id eſt, *in parabolæ modum ſecundum linguam filiorum Adam*, ſeu *hominis.* prout refert in cita-
D tum pſal. 2. Radak. *Secundus.* Secundum efficientiam. quia fecit Deus, vt iuſſæ creaturæ Sol & Luna ſtarent. ſicque non in ſe, ſed in ſuis creaturis obediit. Atque hic modus ab Auctore mirabilium ſacræ ſcripturæ ſupra indicatus fuit. Fecit autem hoc Deus, vel ſignificando ſyderum illorum paredro Angelo, vt horis tot & tot verſare illa deſineret, vel influxum ſuum motui neceſſarium ſubtrahendo. Idque fieri potuit dupliciter. *Primo.* Vt tam ſyderibus, quam Angelo ipſi eum ſubtraheret influxum. *Secundo.* Vt ſolis ſyderibus, & tunc poſteriori
E modo locus eſſet, ſi per ſe ipſum immediate moueret cœlos Dominus. quod ab nobilioribus tamen Theologis, ac Philoſophis repudiatum, vt in Conimbricenſibus libro 2. de cœlo c. 5. quæſt. 6. videre eſt. *Modus Tertius* eſt ſecundum voluntariam ſubiectionem, nō eo modo, quo Deus homo factus, venit Nazareth cum parentibus, *& erat ſubditus illis* Lucæ 2. verſu 51. ſed quod ipſum Ioſue ad Soli ac Lunæ imperandum concitando, eique, per miraculorum fidem, perſuadendo fore, vt Sol ac Luna ſtarent, ſeipſum quodammodo iam ob-
F ſtrinxerat Deus, id ſe curaturum: & hoc non eſt, quod aiebat Caluinus *Deum in ordinem cogere:* ſed eſt ipſius immenſam erga homines bonitatem explicare qua fit, vt ſe ipſe, antequam id cogitare illi audeant, iis obliget ad ea, quæ ipſius impulſu & aſſeueratione petierint facienda. Huius enim modi eſt etiam illud Exod. 32.

Digitized by Google

verſu 10. *Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra illos.* Vnde S. Hieronymus in Ezechielis 13. *Legimus Aaron aduerſum ignem Iſraelis populum deuorantem occurriſſe, ſtetiſſe medium, & oppoſuiſſe murum pro ſalute populi. Hieremiæ quoque dicitur, ne occurrat Domino: neque ſtet contra iram eius, orationis perſeuerantia. Sicut enim murus hoſti opponitur, & aduerſario occurri ſolet ex aduerſo, contraque venienti, ita Dei ſententia ſanctorum precibus frangitur. Vnde & Moyſi dicitur. Dimitte me, & delebo populum iſtũ: Cui enim dicitur. Dimitte me, oſtenditur quod tenendi habeat facultatem.* Diuus Gregorius explicans illud Iob c. 9. *Deus cuius reſiſtere iræ nemo poteſt, Mirum*, ait l. 9. Moral. c. 9. *valde eſt, quod iræ Dei nullum poſſe reſiſtere dicitur, cum multos indignationi ſupernæ animaduerſionis obuiaſſe eloquia diuina teſtentur. An non iræ Dei Moyſes reſtitit, qui pro cadente populo erectus, ipſum ſupernæ percuſſionis impetum, mortis ſuæ oblatione reſtrinxit, dicens: Dimitte illis hanc noxam: alioquin dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti? An non iræ Dei Aaron reſtitit, cum inter viuentes ac mortuos thuribulum ſumpſit, atque animaduerſionis ignem incenſi fumo temperauit? An non Phinees iræ Dei reſtitit, qui luxuriantes cum Alienigenis, in ipſo coitu trucidans zelum ſuum diuinæ indignationi obtulit, & furorem gladio placauit? An non iræ Dei Dauid reſtitit, qui Angelo ferienti ſe offerens, placationis gratiam, & ante tempus propoſitum exegit? An non Helias iræ Dei reſtitit, qui longo iam tempore terra arente, ſubductas de cælo pluuias verbo reuocauit? Quomodo ergo diuinæ iræ nullum poſſe reſiſtere dicitur, cum multos ſæpe reſtitiſſe exemplis euidentibus demonſtratur? Sed ſi ſubtiliter, & hæc beati Iob eloquia, & illorum facta penſamus, & verum cognoſcimus, quia diuinæ iræ non reſiſtitur: & verum, quia multi ſæpe reſtiterunt. Omnes etenim ſancti, qui iræ Dei obuiant, ab ipſo accipiunt, vt contra impetum percuſſionis eius opponantur: atque vt ita dixerim, cum ipſo ſe erigunt contra ipſum, eoſque diuina vis ſibi opponit ſecum: quia in eo, quod aduerſum ſæuientis iram foris obtinent, intus eos gratia iraſcentis fouet: & famulantes interius leuat, quos quaſi aduerſantes exterius tolerat. Portat ergo contradictionem deprecantium quam aſpirat, & velut nolenti opponitur, quod ab eodem vt fiat, imperatur. Moyſi enim dicit: Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam. Quid eſt ſermo dicere, dimitte me, niſi deprecandi auſum præbere? Ac ſi aperte ei diceretur. Penſa quantum apud me valeas, & cognoſce; quia obtinere poteris, quidquid pro populo exoras.* Et ſecundum iſtum modum potuiſſet Ioſue Soli ac Lunæ quietem præcipere, etiamſi à Deo mouerentur immediate, ſicque in ipſum proprie ferretur imperium. Sed quam adiungi poſſe dicebam, videamus cauſam tertiam.

QVÆSTIO XX.

Quid cauſa efficiens tertia effecerit, Angelus ſcilicet?

C*Auſa tertia* eſt *Angelus* hiſce ſtellis præpoſitus. Is enim Ioſuæ, Deique iuſſum accipiens, illico eam, qua illas circumagit, vim cohibuit: ſicque inſiſtere cœperunt illæ. De hoc tamen Angelo ſunt erotemata paucula. *Primum, An vnus, idemque numero Solis & Lunæ motor ſit?* Non eſt improbabile, ab vno, eodemque Angelo cœleſtes orbes omnes conuerti, prout apud Fracaſtorium in homocentricis. capite 7. ſect. 1. probant nonnulli. Neque ipſos valde quatit Conimbricenſium libro ſecundo de cœlo capite 5. quæſtione 8. vna hæc machina: *Quilibet Angelus, vt certam & definitam habet eſſentiam, ita certis locorum ſpatiis circumſcribitur, proindeque nequit cœleſti machinæ aſſiſtere ea præſentia: quæ neceſſaria eſt ad eam rite gubernandam, & ad tam varias, tamque diſſimiles motus obeundos.* Habent enim Angeli quidem eſſentiam, locum & vim agendi definitam, ſed non ideo efficitur, eam non adeſſe cœlis pluribus, eoſque varie mouere. cum & cœlorum loca illorum finita ſint, & ad eos mouendos vis tantum finita requiratur. Videmus enim vnam eandemque numero animam, in diuerſiſſimis eſſe corporis partibus, diuerſiſſimoſque in iis motus efficere. Quin qui plures cœlis pluribus Angelos dant, fatentur tamen non in vna tota ſphæra ſecundum eſſentiam, tanquam in loco, vnum eſſe Angelum, ſed in certo ſphæræ illius ſitu. Altera tamen peruulgatior eſt opinio, & ex Ariſtotelis hauſta fontibus 12. metaphyſicorum cap. 8. à textu 47. è quibus tamen, hac in re, bibo inuitior, quia ex Chriſtianæ diſciplinæ præceptis, eos video inquinatiſſimos. Vult enim illic Philoſophus, tot tantummodo eſſe Angelos, quot cœleſtes orbes: cum noſter clamet Daniel c. 7. v. 10. *Millia millium miniſtrabant ei* (Deo) *& decies millies centena millia aſſiſtebant ei.*

Sed ſiue vnus numero Solem ac Lunam volutet Angelus, ſiue plures *erotemation alterum* eſt, *è qua Angelorum Hierarchia & ordine hi motores ſint?* Non liquet. ſcholæ tamen ſacræ Princeps D. Thomas libr. 3. contra gentes c. 80. & opuſc. 10. art. 17. probabile opinatur ab Hierarchia ſecunda eſſe, medioque ipſius ordine, qui ex S. Areopagita cap. 6. & 7. hierarchiæ cœleſtis, *Virtutes* obtinet.

Tertium, An ſola nolitione Angelica ceſſarit Solis ac Lunæ motus? Pendet hoc ex illa quæſtione, *An facultas, qua cœlorum orbes mouent Angeli, ab eorum intellectu ac voluntate differat?* Et multi quidem non differre cenſent, hique ſola nolitione omnem Soli ac Lunæ motum ereptum dicerēt, Auerroes, & Soncinas in 12. Metaphyſ. Durandus, Baſſolius, Herueus, Argentinenſis Thomas in 2. ſententiarum, diſtinctione 7. 8. & 14. Sed ego cum Gandauenſi Henrico, Aureolo, Mairone, Caietano, Conimbricenſibus puto, motricem Angelorum vim, ab eorum differre intellectu ac voluntate. ideoque non tantum voluiſſe Angelum, Solem ac Lunam mouere, ſed facultati etiam motrici mandaſſe ipſius voluntatem, ne quem aſtris illis motum inderet.

Quarto. Quomodo intellexit ſolaris, Lunariſque Angelus Dei hanc eſſe voluntatem ac iuſſum, vt, contra communem rerum ordinem, interquieſcerent aſtra hæc? An Ioſuæ hoc ipſum ſignificanti credidit? At non ignorabat omnem hominem eſſe mendacem: multos multa, præter fas & æquum, ſupra vires, ſupraque naturam, te-

Digitized by Google

mere moliri: Et, eſto, virum ſciret bonum & Prophetam inſignem Ioſue, nunquid neſciebat Prophetas humanitus interdum citra impulſionem diuinam vllam, loqui? Et vero vnus Angelus alteri Angelo, quem alioqui bonum, ſanctumque nouit, non auſcultat, vt ex Danielis cap. 10. dictum quæſtion. 16. Quomodo igitur hominum alicui: quamuis excellenti & magno, verum in cœlo aut ſolſtitium aut lunæſtitium imperanti, obſecundet? An reuelatione ipſum aliqua de ſua voluntate ac iuſſu certiorem fecit Dominus: vtrumque ſimul vno eodemque temporis puncto concurriſſe opinor, vt & Ioſue à Deo inſtinctus diceret Soli, *ſta*, itemque Lunæ: Et Deus Angelo, ſuæ id voluntatis eſſe, commõſtraret: ac idcirco præcipienti Ioſuæ pareret confeſtim ille Angelus.

QVÆSTIO XXI.

Vbinam ſteterunt Sol & Luna?

TRia in textu *loca*, vbi ſteterint Sol & Luna, traduntur. *Primus*, *Gabaon*. v. 12. de qua ſupra quæſtion. 1. ſed varie admodum id legi videtur. Latinus ait, *Sol contra Gabaonem ne mouearis*. Græcus, ςήτω ὁ ἥλιος κατὰ Γαβαών: Hebræus, *Sol in Gabaon quieſce*. Quidam vero interpretati ſunt Latinum, ne *contra Gabaonis* obſeſſæ *vtilitatem* moueretur, ſed neque ferunt hoc alij textus, neque quod additur de Luna, ne *contra Aialon*, quæ obſeſſa non erat moueretur, vt obſeruat quæſt. 17. Abulẽſis. Quidam ne verſus Gabaonem ab orientali horizonte moueretur. ſed in orientali quadrante Solem tunc non fuiſſe, dicam poſtea. Alij, *ne nobis in Gabaon pugnantibus occidas*. ſed vltra Gabaonem verſus Azecam progreſſi iam erant Iſraelitæ, dum illac fugientes Chananæos inſequerentur. Abulenſis vero quæſt. 15. & 16. *O Sol, qui in Gabaon ſtas, ne mouearis*. Aſtipulatur fere Arias dicens, viſum tunc Solem Gabaoni vrbi imminere: ſicque Græcũ κατὰ pro, *in*, hic accipitur, vt etiam infra cap. 13. κατὰ μέσον τοῦ οὐρανοῦ, id eſt, *in medio cœli*. Latinum vero *contra* valet, *è regione*. quia ſicuti Gabaonem à tergo relinquebat Ioſue, perſequẽs, occidentem verſus, hoſtes, ita & Solem poſt ſe habebat, quaſi is, vel Gabaoni recta impenderet, eſſetque ipſi è ſuperiore loco quaſi oppoſitus, vel ab ea proxime abeſſet, inter ipſum quaſi Ioſue & vrbem illam poſitus: ſicque rurſum quodãmodo *è Gabaonis regione* dici poterat, agro Gabaonico impendens quidem, ſed per lineam rectam ab vrbe ipſa diſtans. Quæ enim ſic apparent, dicuntur vulgo *è regione poſita*. Vtrumq. igitur verum, fuiſſe Solem *in Gabaone*, *& ex aduerſo Gabaonis*.

Secundus locus, eſt *vallis Aialon*, vbi Luna eſſe dicitur, in 70. vocatur vallis αἰλών: in Iſaia cap. 28. verſu 21. *vallis Gabaon*: in Beniamin Itinerario *vallis Lunæ*. Hanc ita deſcribit in libro de locis Euſebius: *Ailon vallis, atque præruptum, ſuper quod, orante quondam* IESV, *Luna ſtetit iuxta villam, quæ vſque nunc Aialon dicitur, contra orientem Bethelis, tribus ab ea millibus diſtans, haud procul* A *à Gabaa & Rama Saulis vrbibus*. Sed lapſum hic Euſebium, aiunt pœne omnes. *Primo*. Quia remotior erat Aialon à Saulis Gabaa. Nam Gabaa hæc in Beniaminitarum finibus eſt, Aialon in Danitarum tribu. *Secundo*. Pro Bethele corrigunt Ziglerus & Maſius Siluntem. *Tertio*. Beniamin ab Aialonia valle hac vnam leucam Gabaonem vſque numerat. *Quarto*. D. Hieronymus Euſebium loco citato corrigens, *Porro*, ait, *Hebræi affirmant Aialon vicum eſſe iuxta Nicopolim in ſecundo lapide pergentibus Aeliam*. Et ſane idem D. Hieronymus in Epitaphio Paulæ ſi- B gnificat etiam inter Nicopolim, quam qu. 16. dixi *Emauntem*, & Hieroſolymam eſſe Gabaonem & Aialonem, id eſt, Nicopoli orientaliorem, imo & Gabaone, vt ex eo conſtat, quod D. Hieronymus eam ait duobus lapidibus, id eſt, duobus milliariis, ſeu 16. ſtadiis Emaunte diſtitiſſe verſus Hieroſolymam. At *Emaus* diſtabat Hieroſolyma 60. ſtadiis Lucæ 24. verſu 13. Ergo Aialon 44. ſtadiis, cum ab eadem abſit Gabaon 50. ſtadiis, vt ſupra dictum capite nono quæſtione prima, ac idcirco non poſſum Adrichomio, qui Aialonem multo facit Emaunte, & Gabaone occidentaliorem, aſ- C ſentiri. Omnes tamen tam Gabaone quam Emaunte Auſtraliorem tradunt Aialonem. Lunam vero contra eam non motam, vel in ea ſtetiſſe par eſt eodem, quo de Sole dictum ſupra, modo intelligere, ſiue locum eundem poetice voluerit contextus ſignificare, vt arbitratur Maſius: ſiue non, quod poſtea examinabitur.

Tertius locus verſu 13. *medium cœli*. Abulenſis quæſtion. 12. *duplex* ait eſſe rei alicuius *mediũ*. *Vnum* ſecundum æquidiſtantiam, *alterum* ſecundum interpoſitionem. Et hoc poſteriore modo hic ſumi medium, quemadmodum ſupra D capite 7. verſu 13. *Anathema in medio tui eſt*. Et Iſaiæ 6. verſu 5. *In medio populi polluta Labia habentis ego habito*. Sed ſane prioris modi medium hic ſumitur. Nam *primo*. medium per interpoſitionem illud omne ab illo vocatur, quod inter extremos terminos eſt, vt quælibet lineæ pars inter extrema eius puncta, & ſic quælibet hemiſphærij pars inter extrema ortus & occaſus puncta, quæ horizontem contingunt, medium appellatur. Sed ſane non eſt hoc *medium cœli*, ſed *medium hemiſphærij*. *Deinde*, hic eſt dictio, quæ proprie medium, per E partium interualli æqualitatem ſignificat *chetſi* videlicet, ſupra vero capite ſeptimo eſt *bekerbecha*. Iſaiæ ſexto, *betoch*. *Tertio*. Sufficiſſet dicere, *ſtetit Sol*, quia cum antea dictum eſſet, *ne contra Gabaon moueretur*, ſiue vt *in Gabaon* ſiſteret, ſatis intellectum fuiſſet eum ibi ſtetiſſe, non autem in horizontem contingentibus portiunculis. At voluit ſignificare textus, amplius quidpiam, non in Gabaon tantummodo ſtetiſſe Solem, ſed ibi etiam ad medium cœli cacumen perueniſſe, in eoque, prout ait Sedulius libro primo fixum conſti- F tiſſe. Sciendum vero *tripliciter* accipi *medium cœli*, *quod per æquidiſtantiam* medium eſt. *Primo*. A quocunque puncto, ad quodcunque aliud ex diametro poſitum. *Secundo*. A puncto conſpicuo, ad aliud pariter quaſi conſpicuum.

Digitized by Google

A Et ſic ſunt tam orientis quam occidentis, Solis puncta in horizonte, quæ cœli hemiſphærium ſupra horizontem poſitum ab eo, quod infra eſt diſpeſcunt. *Tertio*. Punctum, quod in hemiſphærio conſpicuo medium eſt, quando ſcilicet meridianum circulum attingit Sol. Id enim τὸ μεσουράνημα vocant ſphærologi vel quia cœli totius medium eſt, ſi videlicet ad oppoſitum è diametro punctum iuxta primam notionem referatur, vel quia cœli conſpicui medium eſt: & ſic vulgo communiter B accipitur. Omnia vero vel preſſe ac Geometrice accipiuntur, vt ſit vera præciſe diametrus, verumque præciſe medium, prout verba ipſa important, vel paulo latius & vulgarius, vt medium etiam vocetur, quod à medio abeſt non longe. Nam quæ parum diſtant, diſtare nihil videntur. quemadmodum capite 6. quæſtion. 30. de meridie dictum. Eſt autem ſatis perſpicuum. *Primo* illo è tribus *modo* hic non accipi medium cœli, quia in quacunque cœli parte ac ſitu ſit Sol, ſic in medio cœli ſemper eſt, etiamſi apud Antipodas in hemiſphærio abdito verſetur. Non ſumitur etiam C *ſecundo modo*, quia ortus & occaſus puncta vel tempora ſolent propriis nominibus *mitrach* & *hereb*, vel *aſcenſus*, ac *deſcenſus* ſeu *abitus* notare. *Tertio* igitur *modo* ſtetit Sol in cœli medio. Et quidem ſtricte aut late id accipiendo prout ex ſequenti quæſtione placuerit, quæ huius etiam expoſitionis auctores edet non improbandos. Adiiciunt vero in tractatu *Habodah Zarah* cap. 2. & in *Pirke R. Eleazar*, Thalmudici quidam Rabbini *locum*, vbi ſteterit Sol *quartum*, occaſus videlicet lineam. quia ſcriptum eſt: *Sol non feſtinauit occumbere*. Sed hoc factum D eſt, quia in cœlo medio interquieuit, neque ſolita velocitate ad occubitum perrexit.

QVÆSTIO XXII.

Quonam menſe, die, hora ſteterunt Sol & Luna?

PRimo. Peruagatum apud Iudæos fere effatum eſt, accidiſſe hæc menſe *Tamuz*, qui eſt anni ab æquinoctij verni luminatione inchoati mēſis quartus, & reſpondet noſtro partim *Iunio*, partim *Iulio*. *Bella*, inquit Seder holam c. 11. E *Hierichūtis & Hay & Gabaonis facta ſunt intra trimeſtre tertio die Tāmuz. Dixitq. Ioſue corā vniuerſo Iſrael. Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Hailon, ſteteruntque Sol & Luna, donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis. Quem diem tradit incurriſſe in ſolſtitium æſtiuum R. Ioſeph. Vnde colligimus principium menſis Niſam ſiue Martij illo anno fuiſſe diem æquinoctij verni*, ſentiunt idem Arias, Lyranus, Genebrardus. Sed cum ſolas res hactenus geſtas conſidero, videtur in menſis tertij principium, qui *Siuam* dicitur, noſtroque partim *Maio* partim *Iunio* reſpondet, vel in ſecundi finem, F qui *Iiar* & *Aprilis* ac *Maius* noſter eſt, ſyderea hæc incidere ſtatio. Nam vt ſupra quæſtion. 29. & 31. concluſum eſt: inflammata fuit menſis primi die 29. Ierichо. Potuerunt igitur die 30. ad *Hai* progredi ex Iſraelitis ij, qui cum clade ac ignominia repulſi ſunt. Sed eſto: fuerit adhuc in caſtris eo die quies, quin & ſecuto die, qui erat ſecundi menſis Neomenia, eamque ob rem, feſtus, ſaltem ſecunda menſis eiuſdem ſecundi luce Haienſem iidem laceſſierunt ciuitatem, ab eaque tum cæſi & fugati ſunt. Secuti ſunt eo ipſo die planctus, & preces, ſimulque de ſortitione oraculum, & ipſa ſortitio. Tertio die combuſtus Acham. Quarto Hai capta & incenſa. Quintus fuit Sabbatum, ideoque quies. Sexto itum ad Garizim & Gebal montes. Ibi totam hæſum hebdomadem. Inde in Galgal reditum die 13. Cum Gabaoniticis Legatis de fœdere tranſactum die 14. Die decimo ſexto, illorum deprehenſa fraus, Et ab illo die 14. diditus longe lateque de Gabaonitis rumor, ad eoſque obſidendos conſilia varia coxerunt, & ſeſe compararunt Reges diebus XII. vel XIII. die ſcilicet 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. & tunc in eos irruere potuit Ioſue, ſolíque curſu interdicere. Neque plures addere dies opus videtur, ſi ſpectemus Regum iſtorum viciniam temporum illorum ſubitam ad arma concurſionem & impendentis iiſdem Regibus periculi neceſſitatem, vt in hac vides tabula.

Menſis ſecundi dies.

1 ♂ vt ex quæſtion. 31. capite 6. patet, *Neomenia*.
2 bellum Haienſe 1.
3 Achanis comburiuiuium.
4 Haienſe bellum 2.
5
6 ☉ Itus ad Garizim & Hebal.
7
8
9
10
11
12
13 ☉ Reditus in Galgal.
14 fœdus cum Gabaonitis & hinc de eo rumor, bellique contra eos apparatus.
15
16 fraus deprehenſa Gabaonitarum
17 & belli
18 contra
19 eos
20 ☉ ap
21 pa
22 ra
23 tus
24
25
26
27 ☉ ſteterunt Sol & Luna.
28
29
30

Secundo. Qui menſem anni quartum Solis ac Lunæ requietem conferunt Rabbini, omnes vel eius menſis *die tertio*. vt ſupra è *Seder* audiuimus, vel certe *ſtatim poſt nouilunium*, cum eueniſſe tradunt, vt Radak, & R. Iſaias. Sed ego menſis tertij *diei quarto* eam aſcribo primo, quia licet ſufficerent dies menſis ſecundi ſupra ſignati, commodius tamen effici videbantur

Digitized by Google

omnia, ſi dies aliquanto plures numeremus. A fortaſſis enim non ita in ſingulis feſtinatum, & plus fortaſſe temporis in Garizim & Gebal, itemque in Gabaonicæ obſidionis paratu conſumptum. *Secundo.* Quia Luna erat Sole orientalior. quia ille in *Gabaon*, hæc in *Aialon* erat, vt ſupra expoſitum quæſtion. 21. Iam vero Aſtrologicus canon eſt, *Quandocunque ſupra horizontem noſtrum Sol euectus eſt, & eo Luna ſupra horizontem orientalior eſt, ea ſemper vel plena eſt, vel ad plenilunium certe tendit.* Ideoque non in fine ſecundi menſis eſſe Luna tunc potuit, quando lumen B pœne totum deperdit, & ad nouilunium, à quo menſis ſequens incipit, properat. Sed poſt hoc inchoatum nouilunium iam ibat potius ad maiorem luminis perfectionem. Erat autem dies menſis tertij quartus *dies Dominicus*, quia à Gentilibus *dies Solis, der Sontag* olim vocatus eſt, Nam cum ſuperioris menſis ſecundi dies vltimus fuerit feria quarta, incipiet menſis tertius à feria quinta, ideoque dies quartus erit Dominicus ſic.

1 ♃
2 ♀
3 ♄
4 ☉ ſteterunt ☉ & ☽.

Rabbi tam Eliezer, cap. paraſceuen ſeu veſperam Sabbathi fuiſſe opinatur. Quod vero ſupra dicebat R. Ioſeph fuiſſe ſolſtitium æſtiuum, ex hiſce omnibus concidit. Et vero minus (ſaltem vulgo) mirabile fuiſſet hoc miraculum, ſi ſolſtitiali die ſtetiſſe Sol. Summam vero miraculi huius admirabilitatem deprædicat cap. 28. Iſaias.

Tertio. De diei *hora* trifariã exiſtimant Auctores. D *Quidam* enim *veſpertinum* fuiſſe *tempus* autumant cum occaſui propinquus eſſet Sol. Ita Caietanus hoc loco, Abulenſis quæſtione duodecima, & poſt 86. itemque olim Sulpitius libro primo hiſtoriæ, vt ego quidem eum queo intelligere. Ratio *prima.* Quia fruſtra petiiſſet Ioſue Solem ſtare in impendentem noctem timuiſſet. *Secunda.* Videbat idem Ioſue Lunam. Ergo iam occidebat Sol, qui ſuæ alioquin lucis claritate illam obſcuraſſet. *Tertiam.* ita ponit Caietanus, *Dicendo, expecta, inſinuat, quod occidebat Soli, niſi enim occaſum Solis imminentem vidiſſet non dixiſſet Soli, expecta. Alii* tamen fuiſſe aiunt E *meridianam horam*, ſiue *anguſte* ſumatur meridies, ſiue *late* ac vulgariter pro tempore circa meridiem. Ita Lyranus, Vatablus, Arias, & Radak. *Vtramque* vero ſententiam putat *Maſius* probabilem. Mihi *media, quæ meridiem ſtatuit,* videtur probabilior. *Primo.* Quia ſupra quæſt. 21. oſtenſum eſt, in cœli medio, quod meridiano circulo efficitur, ſtetiſſe Solem. *Secundo.* Quia hæc plurimum ſententia eſt, etiam veterum? Nam lib 1. Sedulius:

> *Sol ſtetit in Gabaon, mediique cacumine cœli*
> *Fixit anhelantem dilato veſpere lucem,*
> *Inſolitus frænare diem: nec luna cucurrit*
> *Ordine pigra ſuo, donec populantibus armis*
> *Feruidus ingentem gladius conſumeret hoſtem*
> *Coniurante polo: iam tunc famulata videbant*
> *Sidera venturum præmiſſo nomine* IESVM.

Theodoretus quæſtion. 13. in Ioſue, *Iſtud,* ait, *præfigurat etiã prodigioſum facinus Saluatoris. Sicut enim pugnante Propheta Sol ſtetit, ita dum Saluator noſter morte ſua mortem diſſolueret, Sol meridie continuit radios ſuos, & tenebris repleuit terram.* Auctor de mirabilibus ſacræ Scripturæ libro ſecundo capite 4. *Ieſus filius Nun, Princeps populi Iſrael, Soli in medio die præcepit, vt ne ſe moueret.* Addi poſſunt in ſuperioris quæſtionis extremo citati Rabbini, dum non in occidentem tantum, ſed in medio etiam cœlo interquieuiſſe Solem aiunt. Citatus vero antea R. Eliezer dum c. 51. veſperam Sabbathi ait fuiſſe nũ negat fuiſſe meridiem. Nam ab hoc illam ordiri ſolet, vt patet cap. 46. vbi ſextam diei horam vocat veſperam Sabbathi. *Tertio.* Si veſpertina hora fuiſſet, occidentem Solem ante oculos habuiſſet Ioſue, quia Macedam verſus in occidentem pergebat. Dictum vero ſupra quæſtione 21. Solem in Gabaone ſtetiſſe. *Quarto.* Luna erat in Aialon, ergo in parte Zodiaci proxima. Ergo valde parua erat. ideoque & ſimiliter Solis radiis obſcurari potuiſſet: *Quinto.* Facile, quæ C obiiciuntur ſolui queunt.

Ad primum. Ampliſſimam animo victoriam, extremamq. hoſtium internecionem agitabat Ioſue. ideoque pluribus, quam quæ die illo ſupereſſent, horis eam ad rem opus iudicabat, maxime cum magna eſſet hoſtium multitudo, & fuga multiplex.

Ad ſecundum. Primo quidem neceſſe non eſt, viſam à Ioſue Lunam, ſatis eſt eum non ignoraſſe ſoli eo tempore illam eſſe propinquam. *Secundo.* Sæpe interdiu etiam, cum ſoli propinqua eſt, videtur Luna, ob eius nimirum cum terra vicinitatem præ ſtellis omnibus maximã, ob quam etiam, licet aliis pœne omnibus minor, multo tamen apparet maior. *Tertio.* Ipſemet Abulenſis non vult tunc Solem occubuiſſe ipſam tamen à Ioſue cõſpectam Lunam vult.

Ad tertium. Non feſtinauit Sol occumbere, valet tantummodo, non tam cito, quam alioqui pro more debuiſſet, eum occubuiſſe. Semper enim alioqui properat, curſuque incitatiſſimo, vbi ortus eſt, ad occaſum, vbi occidit, ad ortum feſtinat: ſic, vt horæ vnius ſpacio milliaria pluſquã 162000. decurrere ab Aſtrologis tradatur. Et Hebræum verbum non proprie ſignificat, *expecta.* ſed vel *tace*, vel *quieſce*, vt ſupra q. 13. Licet enim qui expectat, quiſcat, non omnis tamen qui quieſcit, expectat.

QVÆSTIO XXIII.

Quamdiu ſteterunt Sol & Luna.

MOram quam inſiſtens fecit Sol dupliciter indicat ſcriptura. *primo.* verſ. 13. fuiſſe F tantam, quanta profligandis, cædendiſque hoſtibus ſufficeret. *Steterunt Sol & Luna, donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis,* ſeu, vt S. Auguſtinus ait lib. 21. ciuit. cap. 8. *donec cœptum prælium victoria terminaret.* Hunc enim ob finem poſtulata hæc erat ab Ioſue mora, vti ſupra expoſitum. Sed notandum *primo* hic, in Hebræo

Iſraelitas *gentis* nomine, ſeu Hebraicæ *goi* vocari, quod idololatris alioqui tantum conuenire putant Rabbinorum nonnulli. *Deinde* pro gente in Græco eſſe *Deum*, præcipuum ſcilicet huius vltionis auctorem ἕως ἠμύνατο ὁ θεὸς τοὺς ἐχθροὺς αὐτῶν. *Secundo.* Eodem verſu 13. *Sol non feſtinauit occumbere ſpacio vnius diei.* Quibus in verbis *primo* diſplicet quod quæſt. 70. & 87. docet Abulenſis, dici hic *ſpacium vnius diei*, quia nullum tunc fuit tempus, ſed tanta duratio & ſpacium quantum eſſet, ſi fuiſſet tempus. Nam pro eodem accepit Interpres *diem* & *diei ſpaciū*, vt apparet ex eo, quod nulla ſpacij huius in Hebræo mentio eſt, in quo ſic: *& non feſtinauit Sol occumbere, ſicut die perfecto:* nulla in Græco, in quo ſic: εἰς τέλος ἡμέρας μιᾶς. *Deinde*, poſſe tempus etiamſi cœli omnes quieſcant, exiſtere, *Phyſiologia* iam admittit, vt in Toleto ex hoc etiam loco probatur lib. 4. Phyſ. cap. 14. quæſt. 16. D. Auguſtinus lib. 11. confeſſ. capite 23. *Nemo mihi dicat cœleſtium corporum motus eſſe tempora, quia & cuiuſdam voto cum Sol ſtetiſſet, vt victor Ioſue prælium perageret Sol ſtabat, ſed tempus ibat. Per ſuum quippe ſpatium temporis, quod ei ſufficeret, illa pugna geſta atque finita eſt.*

Sciendum *ſecundo*, de iiſdem textus verbis adeoque *de quieſcentis Solis tempore* varias eſſe ſententias. *Prima* eſt Rambam & Ralbag dicentium, nullo prorſus momento illum quieuiſſe: ſed viſum hunc diem fuiſſe, quaſi diem perfectum, id eſt longiſſimum, qualis eſſe ſolet ſolſtitialis. ſed hi iam ſupra exploſi. & Hebræus in *Moreh Nebuchim* commentator *Schemtob* eorū verba eſſe ait caſſa & ventoſa. *Secunda.* D. Macarij homilia 50. duas horas ſtetiſſe: niſi mendum in eo ſit, de quo poſtea. *Tertia.* Eorum eſt, qui horas tres quieuiſſe Solem putant, vti Toletus lib. 2. de generatione c. 11. q. 10. & tribuitur eadem ſententia D. Auguſtino ab eodem Toleto libro 4. Phyſ. quæſt. citata. ſed in citatis illius verbis, nullum de horis verbum. *Quarta.* Communis, ſtetiſſe 12. horas æquales, vel plene, vel quaſi plene, ita vt diei eius lux fuerit horarum 24. æqualium. *Quinta.* horas 24. ita vt lux fuerit horarum 36. & dies totus 48. horarum. Ita R. Eliezer c. 51. dum ait: *ſubſtiterūt ſingula* XXXVI. *horas, vſque ad exitum ſabbathi.* Sic & è Rabbinis omnes illi, qui Solem tradūt horas 12. in meridie, totidemque in occaſu ſubſtitiſſe, de quibus q. 21. & 22. è noſtris forte S. Iuſtinus dialogo contra Tryphonem ſub finem. *Sexta.* Totas 36. horas ſtetiſſe. Ita clare Thargum Chaldæus initio c. 7. Canticorum. Et poſſet eadem videri ſententia D. Iuſtini iam citati, quia dicit Solem diſtuliſſe occaſum per 36. horas. *Septima.* Horas quietis huius 42. vel 54. numerat. Totum enim diem illum ait fuiſſe horarum LXVI. Ideoque ſi *dies* accipiatur pro *luce*, habuerit Solis quies horas 54. ſi pro die toto naturali, habuerit eadem quies horas 42. *Quādiu*, ait Arias, *conſtiterit, nil certi in ſcripturis comperimus, quanquam ſexaginta & ſex horas conſtitiſſe Hebraicarum homiliarum auctores acutis quibuſdam rationibus inducti ſcripſerint.*

Me præ aliis manu præhendit, ſibique adiungit quarta ſententia, vt *ſolus ſtatus fuerit horarum* 12. lux horarum 24. *lucis noctiſque tempus totum* 36.

A *horarum.* Nam *primo* docet id verbis minime obſcuris Eccleſiaſticus c. 46. verſu 5. *Vna dies facta eſt quaſi duo.* Licet enim tricetur in iſto, *quaſi* neſcio quid Abulenſis quæſtion 87. aperte tamen ex Græco refellitur, in quo ſic μία ἡμέρα ἐγενήθη πρὸς δύο, id eſt, *vnus dies factus eſt in duos*, ſeu *dierum duorum inſtar, productus eſt.* Iam vero *nonne ſunt duodecim horæ diei*, æquales nimirum, Ioann. 11. verſu 9. Duum igitur dierum horæ ſunt 24. *Secundo.* Noſter hoc loco textus verſu 13. *Non feſtinauit Sol occumbere ſpacio vnius diei.* Hoc autem ſpatium eſt, vti iam dixi

B horarum æqualium 12. *Tertio.* Ne quis vero his vnius diei horis, putet pauciores eſſe, addit Hebræus, *diem* accipiendum *plenum & perfectum. Non feſtinauit Sol occidere ſicut in die perfecto*, id eſt, tanto tempore, quantum eſt diei perfecti. Et rurſum, ne quis plures quam 12. horas eidem diei acceſſiſſe credat dicitur in eodem Hebræo ſingulariter, *ſicut in die.* quod 70. & noſter clare, *vnum diem* verterunt. *Quarto.* Veteribus eadem fuit ſententia. S. Dionyſius Areopagita epiſtola ad Policarpum. *Vnum*, ait, *diem ſtant Sol & Luna.* S. Ephrem ſermone in mulie-

C rem peccatricem tomo tertio. *Per manus ſanctas Ieſu filij Naue, extenſas ad eum, qui in ſublimitate aeris apparuerat, & ſolo verbo curſum elementorum firmarat ita vt vnus dies duraret duobus.* Tertullianus libro aduerſus Pſychicos capite decimo, *ſtetit Sol medio cœlo, & non accedebat in occaſum, & in finem diei vnius*, D. Hieronymus in Iſaiæ capite 28. *In valle Gabaon ſub Ieſu Principe ſtetit Sol ſpacio vnius diei.* Auctor mirabilium ſacræ Scripturæ libro ſecundo cap. 4. *Sic duos dies in vno concluſit, & Luna diei ſpacio non occurrit.* Mihi videtur eadem eſſe Sanct. Macarij mens loco citato cum ait, τίς δ᾽ ἐπιτάξας τῷ ἡλίῳ στῆναι ἄλλας δύο ὥρας? Cur enim auctor alius nullus duas tantum horas nume-

D ret, nulla etiam, cur ita numerari oporteat cōiectura ſit, puto ſcriptum fuiſſe, δύο καὶ δέκα, vel δώδεκα vel per Arithmeticas literas ιβ, & euaneſcente illa litterarum minima iota, ſolum reſtitiſſe β. Et iſto modo dici poteſt diem illum totum, in cuius meridiano tempore cœpit ſtare Sol, fuiſſe horarum 36. Nam τὸ νυχθήμερον habuit conſueto more horas 24. Et ei ſolaris quietis horæ acceſſerunt duodecim. Fateor tamen ſi quis contenderet hic ſumi diem non pro luce tantum, quæ duodecim horarum eſt, ſed pro nychthemero, quod 24. horarum eſt

E ei poſſe citatos ſcripturæ locos & Patres accommodari, & tanto magis, quanto diceretur ſolidius, hic non ſimpliciter *diem*, qui ſæpe lucem tantum ſignificat, ſed *diem perfectum* ſcribi. quaſi vt diſtingueretur ab eo, qui 12. tantum horarum eſt cum illius perfectio horas 24. complectatur.

QVÆSTIO XXIV.

F *An tam longa dies antea non fuerit?*

Diſerte aſſerit hoc textus verſu 14. ſed quia in Hebræo tantum habetur, *Non fuit, ſicut dies hic antea*, & Græce, *non fuit talis dies*, putauit

Digitized by Google

putauit Maſius diem hunc non comparari cum A aliis in longitudine ſimpliciter, ſed in longitudine cum tali fine ac effectu. *De huius*, ait, *diei longitudine non agitur comparatio: ſed is eo ſolum antefertur diebus quibuſuis, quod nullum alium diem Deus ad vllius hominis preces, cædendi hoſtis gratia, interrupto Solis motu ſic produxerit, vt hunc produxit.* Sed ſane tam Hebræorum Rabbini, quam Græci, Latinique Patres comparationem in longitudine fieri tradiderunt, idque ex eo ſatis videtur colligi, quia cum dixiſſet Solem ſtetiſſe, neque ad ſolitum procurriſſe obitum, ſtatim adiunxit, *Non fuit antea & poſtea ſicut dies hic*, vel *non fuit dies talis*, id eſt, tam longus. B Ideoque melius Maſio Arias. *Quod*, ait, *Latine legimus, tam longa dies, non ſolum ad ſpatium, ſed ad qualitatem & præſtantiam referendum eſt, fuiſſe diem illam præter omne exemplum notabilem magnitudine, durationeque lucis primum, deinde efficientia ipſa & virtute Dei ſpectatiſſima.* Sed illud nunc videndum, an vere tam longus dies antea non fuerit? Ex Rabbinorum quorundam placitis refert citatus antea Rabbinus *Schemtob* in *More Nebuchim*, Moyſis etiam iuſſu inſtitiſſe Solem, & quidem diutius. Alioqui, quod iſti Rabbini valde horrent, C aliqua in re ſuperatus eſſet ab Ioſue Moyſes, à diſcipulo magiſter. ſed merum hoc illorum commentum eſt, nulla in ſcriptura explicatum, à nullo memoriæ proditum. An vero idcirco minor Moyſes ſit quam Ioſue, diſputauit iam olim Sanctus Thomas 22. quæſtion. 174. artic. 4. ad 2. de quo forte poſtea. Nunc illud, quod ſequenti etiam quæſtioni accommodandum, obſeruetur, non obeſſe huic textus aſſeuerationi, dies illos longiſſimos, qui ex certo ſphæræ poſitu alicubi, duorum fere menſium ſunt, & trium, & medij D etiam anni, ab altitudinis ſcilicet poli gradu 69. in Iulio, vt in cap. 3. ſphæræ patet. Hic enim ſermo eſt de terra eiuſdem, vel ſimilis cum Iudæa climatis.

QVÆSTIO XXV.

An tam longa dies poſtea non fuerit?

VIdetur fuiſſe *primo*, quando is, qui 1. Paralip. cap. 4. verſ. 22. deſcribitur ſtare fecit Solem. E Nam, vt ait auctor traditionum in eum librum, *Tradunt Hebræi hunc fuiſſe Elimelech, virum Noemi, Patrem Maalon, & Chelion, in cuius tempore Sol ſteterit propter præuaricatores legis, vt tanto miraculo viſo, conuerterentur ad Dominum Deum ſuum.* Cum ergo non ad cædenda hoſtium corpora, ſed ad infidelium animos miraculi magnitudine commouendos, Deoque adiungendos ſtare tunc Sol debuerit, veri videtur ſimile diutius, quam nunc ſtetiſſe. *Secundo.* Ezechiæ Regis tempore apud Iſaiam capite 38. verſu 8. *Sol decem lineis per gradus, quos deſcenderat, reuerſus eſt.* F rurſumque eoſdem poſtea deſcendit, vt idem decem linearum ſpatium ter eodem die Sol emenſus ſit. *Primo* quidem curſum ſolitum tenendo. *Secundo.* Per miraculum reuertendo. *Tertio.* Rurſum deſcendendo. At decem lineæ, decem horæ ſunt. Triginta igitur horarum fuit illa triplicata per decem lineas Solis commeatio, quibus ſi adiiciantur duæ aliæ diei illius reſiduæ, lux fuerit 32. horarum, totumque τὸ νυχθήμερον horarum 44. *Tertio. Eſt*, ait S. Auguſtinus libro 21. ciuit. cap. 8. *in Marci Varronis libris, quorum inſcriptio eſt de gente populi Romani: quod eiſdem verbis, quibus ibi legitur, & hic ponam: In cælo, inquit, mirabile extitit portentum. Nam in ſtella Veneris nobiliſſima quam Plautus veſperuginem, Homerus heſperon appellat, pulcherrimam dicens, Caſtor ſcribit tantum portentum extitiſſe, vt mutaret colorem, magnitudinem, figuram, curſum: quod factum ita neque antea neque poſtea ſit. Hoc factum Ogyge rege dicebant Adraſtus Cyzicenus & Dion Neapolites, Mathematici nobiles. Hoc certe Varro tantus auctor portentum non appellaret, niſi eſſe contra naturam videretur.* Addo, *& niſi curſum ita mutaſſet Venus, vt aut noctem aut diem valde produxerit.* Ea enim curſum mutante debuit etiam Sol mutare, vt infra dicetur. *Quarto.* In vitis Patrum lib. 1. cap. 16. & exinde lib. 1. Exemp. 12. exemp. 11. narratur de *B. Mutio* eremita, quomodo ſtare Solem fecerit, donec ad vicum vbi æger, quem inuiſere ſtatuerat, iacebat, veniret. An non fuit dies ille iſto longior? *Quinto.* Turpinus in *Caroli Magni* vita cap. 28. *Illuc, ait, eo poſt illos currente cum ſua tota militia, Sol ſtetit immobilis, & prolongata eſt dies illa, ſpatio quaſi trium dierum. Sexto.* Trinoctialem concepti Herculis noctem fuiſſe ſcribunt Ethnici. In altero igitur hemiſphærio dies vnus, tridui inſtar, longus fuit, manente 36. horarum luce. Hinc enim ille in Plauti Amphitrione cælum aſpectans Soſias:

So. *Certe Edepol ſcio, ſi quidquam eſt quod credam, certo ſciam,*
Credo ego hac noctu Nocturnum obdormiſſe ebrium.
Nam neque ſe ſeptentriones quoquam in cælo commouent,
Neque ſe luna quoquam mutat, atque vti exorta eſt ſemel,
Nec iugula, neque veſperugo, neque vergiliæ occidunt.
Ita ſtatim ſtant ſigna, neque nox quoquam concedit die.

Et paulo poſt:

So. *Neque ego hac nocte longiorem me vidiſſe cenſeo,*
Niſi item vnam, verberatus quam pependi perpetem.
Eam quoque Edepol etiam multo hæc vicit longitudine.
Credo edepol quidem dormire Solem, atque appotum probe.
Mira ſunt, niſi inuitauit ſeſe in cœna pluſculum.

Verumenimuero nihil hæc obſtant omnia: tantus poſt Ioſuanum illum dies nunquam eo in climate, aut ſimili vel viſus, vel auditus. Ideoque reſpondeo.

Ad primum nihil in Hebræo & Græco illic textu haberi de viro, qui Solem ſtare fecerit. ſed tantummodo nominatur in illo quidam *Iokim*, & in Græco Ἰωακίμ. vt videatur illud de Sole à quibuſdam in textum illatum. quia cum radix eius nominis *ſurgere, ſtareque* ſignificet,

Vv

cœperunt quærere aliqui, cur à *ſtando* id haberet nominis, & eam de Sole attulerunt Iudæorum Rabbini, vt ſunt ad quidlibet comminiſcendum ac dicendum audaces. Id vero cum Chriſtianorum quidam audiiſſent in Bibliorum ſuorum margine notarunt. & cum Interpres noſter proprium hoc nomen interpretatus eſſet, *Qui ſtare fecit*: adiecerunt alij *Solem*. Multa enim illic ſimilia propria nomina interpretata videmus, vt in eodem etiam verſu, *viri mendacij*, & *ſecurus*, & *incendens*, pro *viri Cozeba*, & *Ioas*, & *ſcharaph*, in Græco, *ἄνδρες χωζηβὰ καὶ Ἰωὰς καὶ σαράφ*. Inuenio tamen in Thalmudico tractatu *Bababathra* cap. 5. fol. 91. b. hunc ipſum *Iekim* eſſe non *Elimelech*, ſed *Ioſue*: illos vero alios *Ioam* & *Saraph*, *Securum* & *Incendentem* eſſe *Machalonem* & *Chelionem* Elimelechi filios, prout moneo in Ruth cap. 1. quæſt. 3. Eſto tamen, vere ſteterit Sol ab Elimelecho iuſſus. ſatis ad miraculum, & ſanctorum permiſſionem fuerit, ſi ſtantē illum vidiſſent increduli tres quatuorve horas. Alia de hoc qui optarit, noſtrum euoluat Barradam lib. 5. in Euang. c. 8.

Ad ſecundum. Variæ in Ezechiæ ſolari regreſſu difficultates, quas in illud Iſaiæ caput 38. explicare quæſtiunculis amplius 30. conatus ſum. Sed nunc dico breuiter. *Primo*, quoſdam negare Solem regreſſum, eius vero vmbram tantum regreſſam opinari, vt ſunt e Rabbinis Barbinellus: e noſtris Arias Montanus in Iſaiam, Burgenſis in addit. lib. 4. Regum cap. 20. ſed hos illic improbaui quæſt. 20. *Dico ſecundo*, aliis videri Solem regreſſum, ſed *linearum* ſingularum *nomine* non intelligunt hi horas ſingulas, ſed vel horas dimidiatas, vt cap. 3. Lucubr. Frankentallenſium Cor. Bertramus, vel horarum quadrantes, vt alij, prout in eundem Iſaiæ locum notaui, quæſt. 22. *Dico tertio*, aliis placere ſingulas horas eſſe ſingulas lineas. ſed per eas retrogreſſum Solem ſubito, & vno, vt ita dicam, temporis momento. Et ſic olim dixit Euſtathius Antiochenus apud Glycam, & auctor mirabilium ſacræ ſcripturæ cap. 28. *Dico quarto*, ſi ſingulæ lineæ ſingulas horas denotarunt, & per illas retroceſsit, iterumq. proceſsit Sol pedetētim, acceſsiſſe ad conſuetas illius diei horas 12. alias 20. ſicque horarum 32. lucem fuiſſe, totum vero *νυχθήμερον* 44. vti obiicitur: ſed triplex tunc reſponſio. *Prima* eſt, accipi diem hic perfectum, pro toto lucis ac tenebrarum ſpacio, quod 24. horas continet, ſicque Ioſuana lux fuiſſet horarum 36. ideoque maior quam Ezechiana, & totum nychthemeron 48. horarum, ideoque & Ezechiano maius. vt interim omittam, quæ hic & in Iſaiam, & libro 4. Regum, de horarum æqualium & inæqualium ratione diſputat Lyranus, præſertim cum neque Ioſuanam Solis ſtationem, neque Ezechianam Solis repedationem, eodem tempore, quod idem ille ſtatuit Lyranus, accidiſſe cenſeam. *Secunda* eſt, fuiſſe quidem diem Ezechianum Ioſuano ſimpliciter longiorem, ſed hic tantum negari longiorem, in hoſtium cæde felicique victoria, prout ſupra quæſt 24. dicebat Maſius. *Tertia* & facilior, nullum fuiſſe longiorem illo diem vſque ad id temporis, quo in Ioſuanum librum hanc inſeruit aliquis particulam, de qua

A in prolegomenis.

Ad tertium reſpondet *primo* ipſe D. Auguſtinus libro eodem 21. cap. 6. *Non habemus neceſſe omnia credere quæ continet hiſtoria gentium, cum & ipſi inter ſe hiſtorici, ſicut ait Varro, quaſi data opera, & quaſi ex induſtria per multa diſſentiant. Secundo.* Mutaſſe dicitur curſum Venus, non autem ſtetiſſe, vel diem produxiſſe. Et forte mutauit eo modo, quem poſtea notarunt Aſtrologi. & propter quem tot eccentricos, & deferentes excogitarunt.

B *Ad quartum.* Videtur tunc exiguo tempore ſtetiſſe Sol vna forte vel altera tantum hora, prout ex itineris ratione, ſoliſque præter opinionem occaſu, ipſius denique hiſtoriæ verbis intelligitur. quæ quoniam pulchra & fructuoſa ſunt, ea huc placet vocare: *Quodam tempore de eremo venit Mutius ad viſitandum fratres, quos ipſe inſtituerat. Et cum quidam ex eis in extremis ageret, reuelatum eſt ei à Domino: quod moriturus eſſet. Hora autem erat iam ad veſperam. Feſtinabat ergo vt eum videre poſſet. Vicus autem vbi decumbebat æger:* C *Longo adhuc aberat ſpacio. Et nolens nocte intrare vicum, ſimul & Saluatoris ſermonem intra ſemetipſum meditans: quo dicit. Ambulate dum lucem habetis in vobis, & qui ambulat in luce non offendit: cum videret iam Solem demergi, ait ad eum: In nomine* IESV CHRISTI *Domini noſtri, ſta pauliſper in itinere tuo: & expecta me donec ad vicum perueniam. At ille cum aliquantulum iam mergi cœpiſſet, ex parte reſtitit: nec prius occubuit, quam homo Dei perueniret ad vicum. Hoc autem manifeſtum factum eſt omnibus illis: qui ibi conſiſtebant.* D *Stantes autem & intuentes moras Solis in occaſum: mirabantur omnes, quid ſibi vellet hoc: quod tot horas in occaſum ſuum non deſcenderet Sol. Videntes autem patrem Mutium de eremo venientē: quærebant ab eo, quod hoc ſignū eſſet, quod oſtenderet Sol. At ille reſpondit eis. Non meminiſtis vocem Saluatoris noſtri dicentem: Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis maiora horum ſigna facietis. At illi cum intellexiſſent eius fide ipſum Solem ſtetiſſe, timore magno perterriti ſunt: plurimique eorum iunxerunt ſe eius diſciplinatui, & ſequi eum cœperunt.*

E *Ad quintum.* Plus pœne fidei Herodoto quam Turpino in hiſtoria tribuendum, vti non ſemel ab Reuerēdiſſimo & Illuſtriſſimo monſtratum Baronio.

Ad ſextum. Impura hinc impuro cum Ioſue faceſſat fabula, quam tamen velut argumentum tangere volui, vt S. Auguſtinum in libris de ciuitate Dei quodammodo imitarer, dum ex fictis & incredibilibus, quæ miſeri credidere Gentiles, eos, & cum iis omnes ad vera ſolidaque Dei miracula credendum inuitat. F *Si magorum*, ait ille libro 21. capite ſexto, *opera, quos noſtra ſcriptura veneficos & incantatores vocat, in tantum dæmones extollere potuerunt: vt congruere hominum ſenſibus ſibi nobilis poëta videretur, de quadam fœmina, quæ tali arte polleret, dicens:*

Hæc ſe carminibus promittit ſoluere mentes
Quas velit: aſt aliis duras immittere curas:
Siſtere aquam fluuiis, & vertere ſidera retro:
Nocturnoſque ciet manes, mugire videbis
Sub pedibus terram, & deſcendere montibus ornos.

Quanto magis Deus potens eſt facere, quæ infidelibus ſunt incredibilia, ſed illius facilia poteſtati?

Et ad hoc ipſum ſolſtitium Ioſuæ credendum ſimiliter poſtea inuitat cap. 8.

QVÆSTIO XXVI.

Sole ac Luna ſtantibus, an ſteterint ſtellæ, orbeſque cœlorum alij?

DIxerit aliquis non ſtetiſſe ſtellas, orbeſque cœlorum alios, quia neque id Ioſue petiit, neque textus modo vllo ſubindicat. Multa ſane de hoc diſputat quæſt. 19. 20. 21. & 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. Abulenſis. ſed quæ Phyſica & Aſtrologica ſunt, nolo huc trahere tam multa. Certe D. Areopagita epiſtola ad Polycarpum vtramlibet partem eſſe probabilem autumat. Nec dubium eſt, quin modis, miraculiſque aliis potuiſſet Deus efficere, vt ſolus quieſceret Sol, & ſola cum eo Luna. *Dico* tamen breuiter *totam ſtellarum, cœlorumq. omnium machinam vna cum Sole ac Luna inſtitiſſe. Primo.* Quia vel magna cœleſtium motuum perturbatio ſubſecuta fuiſſet, vel ingens plurimorum miraculorum numerus coniungi, ac coaceruari debuiſſet. Nunc vero ſtantibus ſimul orbibus omnibus, & perturbatio nulla eſt, & miracula tot non coaceruanda. Diuus Auguſtinus libro 21. ciuit. cap. 8. cum ex Varrone de *veſperugine ſtella* hiſtoriolam ſupra quæſt. 25. citatam attuliſſet, pergit. *Quid ita diſpoſitum eſt ab auctore naturæ cœli & terræ, quemadmodum curſus ordinatiſſimus ſiderum? Quid tam ratis legibus fixiſque firmatum? Et tamen quando ille voluit, qui ſummo regit imperio ac poteſtate, quod condidit, ſtella præ cæteris magnitudine atque ſplendore notiſſima, colorem, magnitudinemque figuram (& quod eſt mirabilius) ſui curſus ordinem, legemque mutauit. Turbauit profecto tunc, ſi vlli iam fuerunt, Canones aſtrologorum, quos velut inerrabili computatione de præteritis ac futuris aſtrorum motibus conſcriptos habent, quos canones ſequendo auſi ſunt dicere hoc, quod de Lucifero contigit, nec antea poſtea contigiſſe.* At ſi cum ſtella fieri potuiſſet, vt pariter ſtellæ aliæ omnes curſum mutarent ſolito cum tenore ac proportione, magna huius incommodi, quod recte obiicit S. Auguſtinus facta fuiſſet declinatio. ſicuti iam ſi Ioſuæ tempore fuiſſent Ephemerides Aſtrologicæ, in earum calculis nullus omnino error fuiſſet, nulla numerorum immutatio: ſed tantummodo numeris iiſdem recte manentibus, vno die ſerius, ſi quæ prædicta fuiſſent, eueniſſent omnia. *Secundo.* Sol & Luna cœleſtis militiæ duces ſunt. Iis ergo ſtantibus, vero eſt ſimile ſigna ſtetiſſe cætera omnia. *Tertio.* Vt Lunam ſtare poſceret Ioſue, alia nulla fuit ratio, quam vt aſtrorum illorum in motu conſeruaretur concentus. Nam Solis tantum lucem petebat ad hoſtes delendos. & nonniſi deletis his, illum in occaſum ferri voluit. Lunæ autem lumine nullo egebat: neque ſi eguiſſet, magnum id accipere potuiſſet, plena cum nondum ea eſſet, neque poſt Solem diu occaſum ſubire cunctaretur, vt patet ex dictis quæſtionibus 22. Ne igitur eadem in ſtellarum, cœlorumque aliorum conuerſionibus diſſolueretur ac perrumperetur conſenſio & harmonia, merito quies fuit omnibus. *Quarto.* Sicque viſum non Abulenſi tantum locis citatis, ſed ipſi etiam Caietano, Maſio, Conimbricenſibus, & olim S. Maximo epiſtola ad Thalaſſium, Auctori mirabilium ſacræ Scripturæ libro ſecundo capite quarto, cuius hæc verba: *Hæc luminarium mora nihil nouum in natura commiſit, etſi in miniſterium aliquod nouum aliquando natum oſtendit. ſed & illa varietas nihil in anni curſu & reliquorum dierum commouit, dum pariter Sol & Luna vnumquodque in ſuo ordine requieuit. Si enim vnum luminare curreret, dum alterum interim requieſceret, dierum & menſium & annorum aſſuetum curſum conturbaret. Dum autem vtrumque moram hanc habuit, quaſi poſt conſuetum diem in occaſus ſui limitem perrexit. Non enim, quod ad belli illuminationem Luna tunc in præſentia Solis proficeret, ſtare imperatur: ſed ne quid in congruo luminarium meatu, per vnius quietem & alterius curſum, deſtrueretur.* Et paulo poſt: *Luna verò non tantum in hac ſtatione requieuit, ſed & incrementi vel detrimenti ſui interim conſuetudinem agere non potuit. Si enim dum Luna ſtetit, licet ſtans ſua incrementa, vel detrimenta ageret, illud incrementum lunare vltra Solis curſum in cyclorum rationibus aliquid turbaret. Dum vero nihil in circuli in ſe reuertentis curſu dies illa ſolito longior præbuit, tum manifeſtum eſt, quod in illa ſuperueniente veſpera, vnius diei incrementum Luna, ſicut quotidie ſolet, geſſit.* Et cum cyclorum omnium lunarium ſummã recenſuiſſet, concludit: *Dum ergo hi circulorum totales receſſus in ſe congrue, & poſt illos cyclos, quibus in Sole & Luna, moræ vel reditus ſigna, quomodo ſub Ieſu, vel Ezechia factum legitur, apparuiſſe deſcribitur, ſine vlla varietate redeunt: manifeſte intelligitur, quod non mora illa aut reuerſio, aliquid in luminarium & temporum aſſueto curſu præpeditum vel inſolitum reliquerunt, ſed quaſi per diem omnem in occaſus ſui, vt ſupra limitem currunt, poſtquam illius ſolito longioris diei ſpacium peregerunt. Per quod videtur, quod nihil ad ſequentis noctis longitudinem temporis illa dies longa contulerit, cuius princeps pariter in die cum Sole diei præpoſito vna requieuit.*

Sanctus Ioſue cum liberaliſſimarum artium, maxime vero Aſtrologiæ ſciens ac peritus eſſet, ſatis ſciebat ex principum ſyderum quiete cæterorum aptam & nexam quietem eſſe, ſatiſq. fore ſi ſplendidiſſimum, & maxime mortalium oculis expoſitum Lunæ orbem, gradum cum Sole imperaret ſiſtere. Textus vero non omnia, ſed ea tantum, quæ præcipua ſunt, narrat. cætera cogitationi, bonæque hominum ratiocinationi committit, prout de maris æſtu, ait loco citato Auctor mirabilium. Quin vero tam breuitatis amans eſt textus, vt licet, quod hactenus dictum eſt ex verſu 13. cum Sole quieuerit Luna, illum tamen ſolum, non hanc repetierit, cum eodem verſu 13. dixit, *ſtetit itaque Sol.*

QVÆSTIO XXVII.

Ex Solis ac Lunæ quiete. an in ſublunari mundo ſecuta rerum omnium quies?

PEripateticorum vetus axioma, & decretum eſt, ex cœlorum motu pendere hæc inferiora omnia, illo ceſſante, ceſſare horum

motus mutationeſque omnes. Sed hoc vno exemplo clare totum illud confutatur, dum immotis cœlis, motus in terra tanti nunc fuerunt, aliorum quidem fugientium, aliorum inſectantium, auerſaque terga ferientium. Nam tali tempore ac bello, vt Plautine dicam.

Pro ſe quiſque id, quod quiſque poteſt & valet
Edit, ferit, tela frangunt: boat
Cœlum fremitu virum: ex ſpiratu, atque anhelitu
Nebula conſtat: cadunt volneris vi, & virium.

Accedit & Philoſophorum bonorum auctoritas, qui negant agens aliquod bene alioqui diſpoſitum, & ſua ipſius vi præditum, dum patienti rei ſimiliter affectæ applicaretur, non acturum cœlo quieſcente. Si materies quæpiam ſicca & ad exardeſcendum facilis igni recte ac propinque admota eſſet, cœlumque volui ſubito deſineret, eam non arſuram. In his Philoſophis eſt Scotus 2. d. 14. quæſt. 3. Richardus ibidem a. 2. quæſt. 6. Durandus 2. p. diſtinct. 5. quæſt. 3. Henricus quodlib. 11. quæſt. 15. & quodlib. 14. quæſt. 1. Si recte expendatur. Toletus lib. 2. de ortu cap. 10. quæſt. 12. ad 7. Diſtinctiones tamen aliquas libenter adhibuerim. *Prima*. quæ infra Lunam ſunt ſubſtantiæ, vel corpora ſunt, vel corporatæ formæ, vel hominum animi. *Secunda*. Cœlorum motus eſt vel cauſa motuum, qui in ſublunari hoc orbe ſunt, vniuerſalis tantum, vel etiam particularis.

Dico igitur *primo*, ceſſante cœlorum motu ceſſant naturaliter omnia, quorum is eſt cauſa particularis, v. c. cenſetur Lunæ motio particularis cauſæ maris æſtuum, vt explicatur lib. 2. Meteororum. Si Luna igitur mota non ſit, nulla æſtuum, illorum erit reciprocatio. quod auctor mirabilium loco ſæpe citato docet, ſic: *Quoniam & maris curſum lunari conuenientem eſſe in omnibus monſtrauimus, & illum tunc requieuiſſe, etſi ſcriptura vocibus reticetur, nonne ipſe illarum rerum pronunciat obſeruabilis commeatus?*

Secundo. Ceſſante motu cœlorum, neceſſe non eſt vt naturaliter ceſſent omnia, quorum cauſa eſt vniuerſalis: quia non eſt inter eius vniuerſalem influxum, & effectum in inferiora connexio eſſentialis, prout copioſe & ſubtiliter num facit Soarez to. 1. Metaphyſ. diſp. 22. de concurſu primæ cauſæ ſect. 5.

Tertio. Animi hominum, ſi quando phantaſmatum motu non egeant, poſſunt intelligere ac ratiocinari, cœlis plane quietis. quando autem egent phantaſmatum motu, fere pertinent ad ea quorum cauſa tantum vniuerſalis cœlum eſt. Sed humanorum hominum actiones non niſi admodum late motus ſunt: ideoque & ipſorum ceſſatio, non niſi late quies eſt. Huius vero quæſtionis occaſione, quæſtiones de elementorum numero, motibus, qualitatibus, & ſimilibus interiicit Abulenſis quatuor & triginta, ab quæſtione ſcilicet 36. ad 69. Sed ſuum in locum ad Phyſicen generalia hæc relego omnia.

QVAESTIO XXVIII.

Tam longi diei pondus & æſtum ferre quomodo potuit Ioſue totuſque, populus?

ECce tota nocte fecit iter Ioſue Dux, & ſuo cum Duce Iſraeliticus populus. Mane in hoſtem irruerunt. Et ab vſque mane ad veſperum pugnarunt. *ad veſperum*, inquam, qui tandem non poſt horas duodenas, vti alias moris eſt, ſed poſt quartas & vicenas, vel ſenas & tricenas aduenit. Quis vero tam ferreo corpore, tam adamantinis aut manibus, aut pedibus, qui præliandi, currendi, mactandi tam diutinum ferre laborem poſſit? Præſertim cum nulla interpoſita quies, nullum prandium, cibus nullus. Eſt quidem in magna multitudine vnus interdum aliquis tantis corporis viribus, tanta animi magnitudine, ac laborum patientia, vt biduum, triduumve totum inediam, ſitim, corporiſque contentionem omnem tolleret: ſed tam multos, tam corporibus, animiſque differentes in iis tamdiu perſeuerare moleſtiis ac laboribus, id vero perinſolens eſt ac permirum. Sicq. videmus ægre Ionathan tuliſſe indictam ab Saüle patre inediam dum hoſtes perſequeretur Iſrael, 1. Regum cap. 14. verſ. 29. & 30. Sed ſane Deum, qui ſiſtendi ſolis mentem illam Ioſuæ inſpirarat, eundem ipſi cæteriſque militibus ipſius omnibus corpoream quandam vim aſpiraſſe opinor, vt quod alias aut nullo modo, aut certe vix poſſent, nunc optime perferrent. Ea vero vis aut fuit qualitas quædam eorum infuſa corporibus, aut potius virium, quas naturaliter habebant, ſupernaturalis & extraordinaria, per influxum diuinum ſuſtentatio: dum neque motus organa laſſata ſunt, neque vitales ſpiritus aut defuerunt, aut elanguerunt. Si enim præcipitem Solis ac Lunæ impetum coercere potuit Deus, multo magis humorum ſpirituumque naturalium ſitim, ac famem, atque languorem retundere ac depellere potuit. Si naturalia quædam καὶ ἄδιψα, καὶ ἄπεινα, καὶ ἄπονα ſunt, quidni & contra ipſas corporum moleſtias ac neceſſitates Iſraelitas inſtruere potuit, talique tempore & loco voluit Dominus? Durauit autem diuinum hoc contra laſſitudinem, famemque ac ſitim alexipharmacon, quoad eo die debellatũ, & vel Gabaonem, vel in vicinum quempiam locum tutum deuentum, vbi exempta fames epulis, & ſomno recreata corpora.

QVAESTIO XXIX.

Vtrum maius miraculum ſtare ſolem an regredi?

IN *ſuis canicularibus*, colloquio *primo*, Simon Maiolus, *ſteтиſſe*, ait, *Solem, egregium ſane miraculum fuit: ſed præferendum huic aliud, ſi videlicet Sol regrediatur*. Huius tamen cauſam non video. Nam terminus à quo & ad quem in hiſce circularibus motionibus ex ſe non ſunt oppoſiti. Deinde quencunque terminum, ad quem Sol regreſſus ſit, dixeris, eiuſmodi certe eſt, vt ad eum poſtea Sol venturus eſſet, ad eumque ipſum, vnde progreſſus erat, tẽderet: con-

uerſione licet expleta. ita vt in ſolari per decem lineas regreſſu hoc tantum videatur mirabile, quod ad eundem terminum, via magis compendiaria, ſolitæque conuerſionis interruptu reuerterit Sol, non autem, quod ſimpliciter reuerterit. At eundem Solem ſtare in quocunque tandem cœli loco ac ſitu, ſimpliciter mirabile eſt. Et vero in motibus, qui recti dicuntur, nonne vel tam mirabile eſt, vel pœne mirabilius, ſi è ſuperiore loco lapis cadens in ſpacio aeris medio veluti ſuſpenſus hæreat, quam ſi ſurſum rediret? In motibus, qui ex æquilibrio quodam fiunt, videmus difficilius eſſe ſiſtere, B quæ ſic mouentur, quam in alterutram partem impellere. Nam campana pulſata, vbi trahendi finem quis fecerit, non ſtatim quieſcit, ſed agitatur, & in vtramque partem adhuc aliquandiu motitatur. Rotam impulſam citius, ac facilius alteram in partem impuleris, quam vt à motus quieſcere omnino facias. ſed dico breuiter.

Primo. Quoad Dei potentiam, qua miraculum omne fit, *quoad Angeli* cœlorum motoris *vim*, *quoad ipſius cœleſtis corporis formam*, propenſionemque ad motum & quietem, par vtrumque C miraculum eſt. *Primum* patet, quia non maior in vno quam in altero poteſtas, quæ in omni ſemper miraculo infinita. *Secundum* etiam patet, quia ipſi Angelo non maiorem affert laborem, aut difficultatem impreſſio motus in cœlum, quam impreſſionis illius ceſſatio. *Tertium* patet ex dictis ſupra quæſt. 14.

Secundo. Ioſuana ſolis ſtatio videtur maior, quam Ezechiana regreſſio. *Primo.* Quia imperioſe ab homine facta. *Secundo.* Quia illuſtriore loco, ac modo, in omnium Iſraelitarum conſpectu. *Tertio.* Ad plurium vtilitatem ac ſa- D lutem. *Quarto.* Quia Ioſuanus dies longior. *Quinto.* Maior nouitas, & inuſitatius in Sole miraculum. *Sexto.* Quia cum Sole ſtetit etiam Luna, non ex conſequentia tantum aliqua, ſed ex eodem Ioſuæ iuſſu ac imperio. *Septimo.* Maiorem & illuſtriorem ob cauſam editum ſtantis Solis, quam repedantis miraculum, vt eſt ex iis, quæ 4. Regum 20. & Ezech. 38. narrantur, perſpicuum.

QVÆSTIO XXX.

An ob hoc miraculum maior Ioſue quam Moyſes?

INficiari, vt opinor, nullus poteſt, miracula, & portenta, quæ Moyſes edidit omnia, inferioris huius mundi ambitu circumſcripta fuiſſe. Omnes Aegyptiæ plagæ, maris rubri diuiſio, mannæ cibus, aliaque id genus omnia, in aere, aqua, & terra extiterunt: nihil in cœlorum ſphæris, nihil in aſtris ab eo vnquam factum. Quin igitur hac in re ſperetur ab Ioſue Moyſes, quis dubitat? At Deuteronomij vltimo: *Non ſurrexit vltra Propheta in Iſraël ſicut Moyſes, quem noſſet Dominus facie ad faciem.* Hanc ob rem quid finxerint Rabbini quidam, indicium fecit ante quæſt. 24. Alij vero, quibus figmentum illud diſplicet, varia reſpondent. *Primo.* R. Ioſeph Albus lib. fundamentorum orat. 3. capite 8. hoc vno omnibus Prophetis antecellere Moyſen, quòd eorum imaginatiua vis diuino primum afflatu pelleretur: per eam deinde rationalis: In Moyſe autem, poſteaquam in rubo Angelum ſemel vidiſſet, rationalem ſemper vim abſque imaginatione vlla pulſam diuinitus. Sed ex iis, quæ alibi diſputata, conſtat, in monte Sinai Angelum fuiſſe, qui Dei Dei ſuſtinens perſonam, Moyſi loquebatur. Et rurſum nonne in ſacro Dei aditu vocalia interdum oracula ſuis accipiebat auribus, quæ per phantaſiam deinde menti ſuggerebantur.

R. Maimon libro 2. *Moreh Nebochim*, Moyſen in Iſraelitarum plurium conſpectu miracula feciſſe vult, quam Prophetarum aliorum vllum, etiam quam ipſum Ioſue. quia de illo ſcriptum eſt, *in oculis totius Iſraël:* de Ioſue vero hic verſu 12. *in oculis Iſraël.* Sed ſane id eſt, nimium ſyllabas aucupari. Nam ſenſus vtriuſque phraſis idem. Nam & hoc infra verſu 15. 24. & 43. dicitur *totus* cum Ioſue fuiſſe nunc *Iſraël.* Et vero, num Moyſi mirabile quidpiam patranti totus, nullo excepto, ſemper aderat Iſrael? num ſemper plures, quam nunc Ioſuæ? Reſpondet idem in Miſchnam ſcribens aliter, Moyſen præſtitiſſe Prophetis aliis omnibus quadrupliciter. *Primo.* Quia horum mentes ab Angelo concitabantur: Moyſis à ſolo Deo. *Secundo.* Alios in ſomnis, & ſecundum quietem diuina intuitos: Moyſen vero vigilantem. *Tertio.* Alios diuino afflatu pauefieri ſolitos, Moyſen veluti cum amico amicum familiariter cum Deo ſermones contuliſſe. *Quarto.* Alios non ſemper, cum vellent, diuinitus inſtinctos fuiſſe: Moyſen vero, quoties ei eſſet collibitum. Sed quoad *primum*, Moyſis mentem ab Angelis per phantaſmata interdum pulſam dixi paulo ante. Quoad *ſecundum*, Prophetarum etiam quidam aliqua vigilantes oracula exceperunt, vt ſæpe noſter Ioſue, prout hactenus vidimus, & Elias, Eliſæus, Ieremias, alij. Quoad *tertium*, non ſemper pauefiebant alij. Et ipſe interdum pauefactus eſt Moyſes. Nam Hebræ. 12. verſu 21. *Exterritus ſum*, ait, *& tremebundus*, prout ex traditione Apoſtolum cognouiſſe refert in Amos caput 5. D. Hieronymus. Quoad *quartum*, inſtinguebatur à Deo Moyſes, cum id peteret, ac vellet, idem puto Prophe- E tis fere aliis eueniſſe, licet multo forte citius ac facilius illius permoueretur mens. Nullum tamen ex Prophetis omnibus inuenio, qui à Deo erudiri & incitari obſecrarit, neque impetrarit.

Maſius non in miraculorum magnitudine, ſed in eximia tantum Dei familiaritate Prophetis anteſtare Moyſen omnibus exiſtimat. Sed magnitudinē etiam miraculorum in illo Deuteronomij loco ſpectatam monſtrant, quæ ibidem ſequuntur verba: *in omnibus ſignis atque portentis, quæ miſit* (Deus) *per eum, vt faceret in terra* F *Aegypti.*

Quocirca in S. Thomæ 22. quæſt. 174. art. 4. explanationem deſcendo libens: *quoad particularia nonnulla*, præſtare Prophetarum nonnullos Moyſi. v. c. quoad hoc ipſum Ioſuæ miraculum: *quoad omnia* vero ſimul ſpectata, Moyſen omnibus anteferendum. idq. declarat Theo-

Vv iij

Digitized by Google

logorum ille princeps, quoad Prophetarũ dotes, & munia quatuor. *Primo.* Eſt limpida mentis cognitio, ſeu intellectualis viſio. *Secundo.* Phantaſtica cognitio, ſeu imaginaria viſio. *Tertio.* Eorum quæ à Deo accepta ſunt denunciatio. *Quarto.* Eorundem per miracula confirmatio. Sed ſunt, vt dixi, hæc accipienda cumulatim non ſigillatim, & quidem tria maxime poſtrema. Nam viderit ne Moyſes Dei eſſentiam, quod in primo aſſerit D.Thomas diſcuſſum in Exodo eſt.

QVÆSTIO XXXI.

An tanti miraculi meminerint ſcriptores veteres?

SI de veteribus quæritur ſcriptoribus, quos cæca nobis reliquit Gentilitas, eorum nullus ſolſtitij huius meminit. Cum enim ad huius fidem Gentilibus faciendam colligere vellet ſimilia S.Auguſtinus lib.21. ciuit. cap.8. nihil tamen præter heſperi mutationem, de qua ſupra quæſt. 25. ex Varrone attulit. Et vero de rebus omnibus, quæ ante Troianum bellum acciderunt ſtupida Gentilibus omnibus ignoratio ſummumque ſilentium eſt: vel ſi quid ab iis balbutitum, id fabulamentorum pleniſſimũ. vt ſæcula priora vocarit Varro μυθικὰ idemque agnoſcit Diodorus Siculus in Bibliothecæ ſuæ principio, Ptolomæus in Almageſto, Plutarchus in Theſeo, Numa, Ariſtide, aliiſque. Sin vero qualeſcunq. vetuſti ſcriptores, etiam Iſraelitæ, quæruntur, vnus ab ipſomet textu Latino & Hebræo citatur verſu 13. *Nonne*, ait, *ſcriptum eſt hoc in libro iuſtorum?* Non habent id quidem hoc loco 70. ſed Græci alij, vt ex Theodoreto q. 13. intelligitur. Mihi vero non fit vllo modo veriſimile, quod inſinuat Arias, fortaſſe ab Ethnico librum hunc ſcriptum. Neque enim vetus ſcriptura Gentiles vnquam citat, neque vllam eorum legendorum occaſionem Iudæis tunc adhuc infirmis, & ad Gentilium ſuperſtitiones nimium quam propenſis dare voluit. Hunc vero librum eſſe multo Ioſuanis temporibus poſteriorem intelligitur ex lib.2. Reg.cap.1.v.18. vbi dicitur in eodem ſcriptum eſſe de Saülis & Ionathæ triſti clade. Sicque illud apparet, quod in Prolegomenis aiebam, quaſdam huic libro clauſulas, à poſteris adiunctas, non autem à poſterorum aliquo eum ſcriptum, prout tamen hinc arbitratur Theodoretus quæſt. 13. dum, cur librum iſtum citet noſter hic Ioſuanus, explicat. verba ſunt: *Volens auctor docere nos huius Prophetæ virtutem, nempe quod ſolo verbo progreſſum luminarium magnorum cohibuiſſet, donec viciſſet pro dignitate imperij: ſuſpicatus ne quis verbis non adhiberet fidem, dixit hoc inueniri in antiquo commentario. quare conſtat ex hoc loco, poſteriorum quempiam alium librum hunc conſcripſiſſe, ex alio libro capta occaſione.*

QVÆSTIO XXXII.

Quis in textu citatus iuſtorum liber?

NOn liquere pronunciat Caietanus: ſed aliorum opinationes lego nouenas. *Prima* eſt, eſſe librum cuiuſdam, qui vocetur *Iaſar*, id eſt, *rectus*. Ita ſuo in textu Latino Caluinus. *Secunda.* Caluini diſcipulorum Geneuenſium in Gallica ſua verſione, eſſe librum auctoris, qui dictus ſit *director* aut *corrector*. Vertunt enim. *Qui n'eſt pas eſcrit au liure du droiturier.* *Tertia.* Thalmudicorum tractatu *de cultu alieno*, & libri qui *Bereſchith Rabbah* vocatur, noſtrique Lyrani, eſſe ipſam Geneſin. *Quarta.* Radaki eſſe Pentateuchum, videturq. Chaldæi Paraphraſtæ, dum ait: *Nonne hoc ſcriptum eſt in libro legis?* *Quinta.* Quorundam apud Abulenſem quæſt.84. & 85. eſſe duodecim Prophetas minores. *Sexta.* Ibidem, eſſe ipſum Prophetam Abacuc. *Septima.* Ipſius Abulenſis quæſt.86. eſſe librum quendam à Moyſe conſtructum, de præteritis, futuriſque rebus, noſtræ Apocalypſi conſimilem. *Octaua.* Maſij, eſſe antiquos rerum geſtarũ commentarios ſeu Annales, idque amplectitur in huius loci annotatione Iunius & Tremellius. *Nona.* Ariæ Montani, librum eſſe *recti*, ſeu *de recto, & æquo*, aut vt noſter in plurali vertit, *librum iuſtorum*, quia in iuſtis, æquiſq. rebus docet de ſummis Dei erga homines beneficiis, & de horum erga illum officiis & cæremoniis. Nam in cap.1.ver.18. à 70. vocatur τὸ βιβλίον τοῦ εὐθοῦς. id eſt, *recti*: & apud nos *libri officiorum* vocantur, qui *de officiis* ſunt. Licet vero à Gentilibus potuiſſe ſcriptum eſſe idem dixerit Arias, quod ſuperiore quæſtione improbaui, mauult tamen ipſe ab Iſraelitarum aliquo potius exaratum.

QVAESTIO XXXIII.

An quæ è citato Iuſtorum libro noſter affert textus poëtica ſint, & verſus?

AFfirmant Maſius, & Arias. Et *iſte* quidem pag. 317. *quatuor* potiſſimum dicit. *Primum.* Omnes Moyſis libros, & omnes alios qui Prophetæ priores ab Hebræis appellantur, non ſoluta, ſed pedibus & verſibus aſtricta oratione compoſitos eſſe. *Secundum.* Librum *recti* ſimiliter conſtare verſibus. *Tertium.* Diuerſum tamen eſſe à ſuperioribus, quia numerorum ratio diuerſa. *Quartum.* Hæc eſſe iis, qui ad ſanctæ linguæ ſtudium, poeticæ cognitionem adiunxere, manifeſta. *Maſius* vero *quinque* tradit. *Primum.* Tres hic verſu 13. verſus notat, duos quidem in verbis, quæ antecedunt ea, de quibus hic ſermo, *Nonne ſcriptum eſt* &c. Tertium vero poſt. *Primus* eſt. *Sol in Gabaon, quieſce, & Luna in valle Aialon. Secundus. Et quieuit Sol & Luna ſtetit quoadusque ſtaret gens contra hoſtes ſuos. Tertius. Et ſtetit Sol in medio cæli: & non feſtinauit occumbere, ſicut die perfecto. Secundum.* Hoc tempore vix hi numeri noti. *Tertium.* D. Hieronymi tempore noti adhuc erant, vti ex ipſo patet, eiuſdemq. temporis Rabbinis in Thalmudico tractatu *Sopherim*. *Quartum.* De ſeipſo ſic: *Poſui ego certe (cur enim non confitear meam curioſitatem) non nihil ſtudij in ea re inuenienda: ſed fruſtra. Nihil enim ſatis certi abſq. præmonſtratore, video me de Hebraicarum ſyllabarum numeris, ac proinde neque de verſuum menſuris modiſque percipere. Quintum.* In hodiernis Hebræis mendoſa horum verſuum

Digitized by Google

ſcriptio eſt. quia duo *he* quæ in 2. & 3. verſu redundant, debent ad primum vbi deſunt transferri, vt in primo ſcilicet legatur *baſitu meſib* & *hatareach*. in ſecundo *ſchemeſch* non *taſchemeſch*. in tertio *ſchamaim* non *baſchamaim*.

Ego autem dico. *Primo*. Conſtant quidem Poetarum verſus pedibus ac numeris, non tamen quod his conſtat, id poeticum & verſus eſt, prout patet ex Cicerone lib. 3. *de Oratore*, & ex libro, qui *Orator perfectus* inſcribitur, vbi orationem ſolutam eſſe docet numeroſam, certiſque pedibus exſtructam. Et D. Hieronymus præfat. in Iob tradit eſſe numeros quoſdam pedum ſolutos, itemque D. Auguſtinus in libris de Muſica.

II. In ſcriptura ſacra ſunt numeri ac pedes & ſunt etiam verſus poetici. Prior pars ex iam, iam dictis patet: Poſterior traditur ab Ioſepho lib. 1. cap. vlt. dum ait, Moyſen vltimo vitæ ſuæ tempore Iſraelitis reliquiſſe ποίησιν ἑξάμετρον, quam in ſacro codice reliquit. Ea igitur vel Deuteronomium eſt, vel potius ea Deuteronomij pars, quæ cap. 32. eſt. Deuteronomium vero tetrametris iambicis ſcriptum, ait idem S. Hieronymus epiſt. ad Paulam vrbicam, vt infra patebit, & V. Beda lib. de arte metrica, tomo 1. pag. 46. 53. & 58. Philo lib. de vita contemplatiua, priſca inquit extare carmina trimetra, variiſque metrorum generibus tunc facta. ſcilicet vt *antiquiſſimas Aegyptiorum cantilenas*, dixit lib. 2. de Legibus Plato, eſſe Iſidis poemata. De libro Iob ita idem S. Hieronymus præfat. in ipſum. *A principio voluminis, vſque ad verba Iob apud Hebræos proſa oratio eſt. Porro verbis Iob in quibus ait: Pereat dies in qua natus ſum: & nox in qua dictum eſt, conceptus eſt homo: vſque ad eum locum, vbi ante finem voluminis ſcriptum eſt: Idcirco ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere: hexametri verſus ſunt, dactylo ſpondæoque currentes, & propter linguæ idioma crebro recipientes, & alios pedes non earundem ſyllabarum, ſed eorundem temporum. Interdum quoque rhythmus ipſe dulcis, & tinnulus fertur numeris pedum ſolutis. Quod meretrici magis, quam ſimplex lector, intelligunt.* Et Epiſt. 113. *Proſa*, inquit, *incipit: verſu labitur: pedeſtri ſermone finitur*. D. Auguſtinus lib. 4 de doctrina Chriſtiana cap. 20. *Illa Muſica diſciplina, vbi numerus iſte inuenitur, vſque adeo non defuit Prophetis noſtris, vt vir doctiſſimus Hieronymus quorundam etiam metra commemoret, in Hebræa duntaxat lingua, cuius vt veritatem ſeruaret in verbis, hæc inde non tranſtulit*. Suidas de eodem Iob: *Habes huius Philoſophi librum multo & Homerica & Platonica luſcinia cantilantem argutius*. De pſalmis, an vera carmina ſint, diſputauit ſingulari quæſtione Alphõſus Mendoza. Sed de his & aliis audiamus eundem S. Hieronymum. Is in epiſt. ad Paulam vrbicam, paulo ante citata. *Debes*, ait, *ſcire in prioribus pſalmis, ſingulis litteris, ſingulos verſiculos, qui trimetro iambico conſtant, eſſe ſubnexos. Inferiores vero tetrametro iambico conſtare, ſicuti & Deuteronomij canticum ſcriptum eſt. In centeſimo decimo octauo pſalmo, ſingulas litteras octoni verſus ſequuntur. In centeſimo quadrageſimo quarto, ſingulis litteris, ſinguli verſus deputantur. Sunt qui & alios hoc ordine putant incipere, ſed falſa eorum opinio eſt. Habes & in lamentationibus Hieremiæ quatuor alphabeta, è quibus duo pri-*

A *ma, quaſi ſapphico, metro ſcripta ſunt: quia tres verſiculos, qui ſibi connexi ſunt, & ab vna tantum littera incipiunt, Heroicum comma concludit. Tertium vero Alphabetum trimetro ſcriptum eſt, & à ternis litteris, ſed eiſdem terni verſus incipiunt. Quartum Alphabetum ſimile eſt primo & ſecundo. Prouerbia quoque Salomonis extremum claudit alphabetum quod tetrametro iambico ſupputatur: ab eo loco, in quo ait: Mulierem fortem quis inueniet?* Præfatione in Euſebij Chronicon. *Quid pſalterio canorius? quod in maiorem noſtri Flacci, & Græci Pindari, nunc iambo currit, nunc*
B *alcaico perſonat, nunc ſapphico tumet, nunc ſemipede ingreditur. Quid Deuteronomij & Eſaiæ cantico pulchrius? Quid Salomone grauius? quid perfectius Iob? Quæ omnia hexametris & pentametris verſibus, vt Ioſephus & Origenes ſcribunt, apud ſuos compoſita decurrunt.* Præfatione in Iob: *Si cui videtur incredulum, metra ſcilicet eſſe apud Hebræos: & in morem noſtri Flacci, Græcique Pindari & Alcæi, & Sapphus, vel pſalterium vel lamentationes Hieremiæ, vel omnia ferme ſcripturarum cantica comprehendi: legat Philonem, Ioſephum, Origenem, Cæſarienſem Euſebium, &*
C *eorum teſtimonio verum me dicere comprobabit*. Videatur & præf. in Threnos, Iſaiam, libros Regum, Euſebius lib. 1. præparationis cap. 12. & Rabbini loco citoto è Thalmud.

III. Non eſt hodie perſpecta vetus iſta, quæ in ſcripturis eſſe dicitur, verſuum ratio: nam licet eorum videatur ignorantiam ſuggillare Arias in quarto ſuo dicto, qui id aiunt, in hiſce tamen ignorantibus, etiam poſt multos, graueſque eo in ſtudio poſitos labores, ſuum ingenue nomen profitentem audiuimus Maſium in
D quarto ſuo dicto. Profitetur Bellarminus cap. vltimo grammaticæ, Genebrardus in pſalmum 4. Radak in eundem pſalmum, Thalmudici in citato de ſcribis tractatu, ipſemet Arias Montanus in Iſaiæ c. 5. ſed aſcribã R. Moyſis Habib verba, prout ea vertit & illuſtrauit Genebrardus lib. 1. Chronologiæ. *Carmina*, inquit, *veterum ſacra, vt in pſalmis, Iob, Prouerbiis, ſunt diſticha. Alia autem menſurantur certo ſyllabarum numero, ita vt prior verſus poſteriore, nunc ſit longior, nunc breuior, prout genius componentis tulerit. Alia menſura*
E *conſtant æquali, niſi quod interdum verſus prior à poſteriori differt numero quidem ſyllabarum, ſed non temporum. Nam illud diſcrimen ſupplent per aurium conſonantiam & gutturalium motiones, aut abſorbent inæqualitatem vocis lenocinio & melodia, vt cum apud Latinos & Græcos pro iambo tribrachus, pro ſpondæo dactylus vel anapæſtus, pro dactylo proceleuſmaticus, &c. ponitur.* Hoc poſtea illuſtrat exemplis, vt è pſal. 119. 146. Prouerb. & Iob. 6. Dixi autem *veterem illam poëſim* non eſſe hodie perſpectam, propter aliam recentiorem Rabbinis modo v-
F ſitatam, quam libello vno explicauit R. Dauid Iahaia, & Bellarminus loco citato.

IV. Librum *recti* arbitror, vel ex verſibus totum conſtitiſſe, vel magnam minimum partem. quia & alibi dum citatur 2. Reg. c. 1. v. 18. eius oratio poetica eſt, & verſuum inſtar, picta & ſonora, ſicuti & quod citatur *è bellorum libro* Num. cap. 21. Malim tamen hic in eius numeris aliquod mihi obſcurum & incognitum fateri, quam cum Maſio ex vno in alium locum quidquam ideo tantum traducere, vt verſus mihi tandem notus fingatur.

Digitized by Google

A

QVAESTIO XXXIV.

Cur à textu idem iuſtorum liber citatus?

DIxit antea quæſt. 31. Theodoretus ideo ci-
tatum, vt mirabili & portentoſæ huic de
Sole hiſtoriæ plus apud nonnullos fidei conci-
liaretur. Idem primo etiam fatetur Arias pag.
317. dum ait: *Locum hunc ex alio à ſacris libris, te-
ſtimonij atque confeſſionis cauſa, petitum exiſtimamus,
idque in maximi exempli narrationibus obſeruari co-
gnouimus.* Poſtea vero pag. 318. id negare vide- B
tur, ac affirmare, ideo tantum citari, vt quæ in
eo *recti* libro nimium erant, ob poëticum ſty-
lum, obſcura, explicarentur: *Cum cæteris*, ait,
*hiſtoriarum & diſciplinarũ ſcriptis hæc etiam in ma-
nibus non ſunt, quæ tamen illis temporibus vulgatiſſima,
atq. decantatiſſima fuerant, adeo vt in ſacrarũ narratio-
num teſtimonium peterentur, idque non fidei facien-
dæ cauſa, ſed veritatem potius in illis libris narratam
confirmandi & explicandi. Quippe ea, quæ huiuſmodi
continebantur ſcriptis, quia poetico orationis genere de-
cantata erant, propter tropos & figuras minus perſpi- C
cua habebantur: id quod hoc ipſo in hac narratione
producto exemplo conſpicitur.* Nil tamen obſtat, quo
minus vtraque cauſa recte coniungatur. Etſi e-
nim ſacræ literæ nullo egent externo ad fidem
ſibi conciliandam præſidio, interdum tamen
reſpectu quorundam, qui exoticis etiam teſti-
moniis valde mouentur, & vberioris explica-
tionis cauſa, ea recte adhibentur, vti à S. Paulo
factum, dum poetas Aratum Act. 17. & Calli-
machum, vt vult Origenes lib. 3. contra Cel-
ſum, vel potius, vt ex Platone 1. de legibus, Ci- D
cerone 10. de diuinatione, Laërtioque Dioge-
ne perſpicuum eſt, Epimenidem citaret ad Ti-
tum cap. 1. ver. 12.

QVÆSTIO XXXV.

Extetne iuſtorum liber? aut, quomodo perierit?

NOn extat hic *Iuſtorum* liber, neque iam-
pridem extitit, vt ex Theodoreto quæſt.
13. aliiſque veteribus patet. Sed eiuſdem inſcri-
ptionis *Sepher haiaſar*, inuenitur hodie alius à E
Rabbenu *Tham* conſcriptus, *in quo docte, mini-
meque vulgariter*, cenſore in Bibliothecæ ſuæ ca-
talogo Maſio, *de fundamentis atque myſteriis diuini
cultus tractatur.* Quomodo autem ille perierit,
incertum, vti de *bellorum libro* ait in Numer. 21.
Abenezra. Ariæ videtur vna cum aliis pluribus,
per temporum atque ſæculorum iniuriam, in-
tercidiſſe. præſertim cum bellis, captiuitatibus,
& calamitatibus tot diuexati, variaſque in oras
diſtracti fuerint Iudæi. Horum certe Rabbini
narrant interdum multos etiam ſacros & cano-
nicos libros, quod minus neceſſarij iudicaren- F
tur, fuiſſe ab Eſdra eiuſdemque ſæculi doctori-
bus & Prophetis aliis combuſtos. Sed de hoc
in *Bibliacis Prolegomenis* egi iam alias.

QVAESTIO XXXVI.

*Quonam, quomodo, & quando ex hoſtium cæde reuerſi
victores Iſraelitæ?*

PRimo. Duplex in textu terminus; ad quem
ex hoſtium cæde reuerſi ſint victores Iſrae-
litæ, notatur. prior *Galgala* verſ. 15. poſterior
Maceda verſ. 21. Sed eſt hic difficultatis non pa-
rum, quomodo prius in Galgala quam Mace-
dam redierint, cum abeſſent illa lõgius, & quo-
modo eodem die id facere potuerint? Reſpon-
det *Abulenſis* poni hic *per anticipationem* Galga-
læum reditum, cum poſtea ſecutus ſit, prout in
extremo capitis huius verſu narratur. *Alij* rem
quidem eandem dicunt, ſed aliter, ab hoc ſcili-
cet verſu 15. vſque ad illum vltimum 43. *hyper-
baton* eſſe continuum. Mihi videtur Ioſue toto
cum Iſraele, paucis, qui nondum redierant, &
hoſtibus adhuc ingruebant, exceptis in reditu
verſus Galgala iam fuiſſe: Sed auditis, quæ de
Regum latebra, hoſtiumque reſiduorum nu-
mero, & diſperſione nunciabantur, aliud ſubi-
to conſilium cepiſſe, prout explicatur ver. 17. &
ſequentibus. Sicque dum hoſtes vlterius inſe-
qui iuberet, mandaſſe, vt omnes poſtea, cum
receptui caneretur, Macedam conuenirent.
Sicque hoc ipſo die non reditum in Galgala,
neq. in itinere verſus hæc vlterius perrectum:
ſed ſtatiua nocturna prope Macedam fuiſſe.
Ideoque *ſine anticipatione* vel *hyperbato* ſic inter-
pretor ver. 15. *Reuertebatur Ioſue cum omni Iſrael in
caſtra Galgala.* In eandem fere ſententiam, ſed
aliter, non male Maſius ſic: *Reuerti conſtituebat*,
vt infra cap. 13. verſu 22.

Secundo. Reuerſi porro ſunt ab hoſtium cæde
ante Solis occubitum. Nam poſt locata iuxta
Macedam ſtatiua, Reges aduerſarios captos ad
Ioſue pertraxerunt verſu 23. 24. ipſoſq. ſuſpen-
derunt verſu 26. & tum primo Sol occubuit
verſu 27.

Tertio. Reuerſus eſt omnis exercitus ad Io-
ſue in Maceda, vbi tunc erant caſtra, omnes ſa-
ni & integri numero: verſ. 21. Caſtra illic erant
ſubita, & ad exiguam illius veſpertini temporis
noctiſque ſtationem delecta. Nam alioqui ve-
ra in Galgalis caſtra ſemper adhuc hærebant,
vt ex dictis patet. Magnum autem, & euidens
miraculum, Deique auxilium fuit, in tanto
contra tot Reges, tantamque multitudinem
prælio, tantaque palantium hoſtium inſecutio-
ne, nullum omnino, neque in aggreſſione pri-
ma, neque deinceps, ex Iſraelitis deſideratum,
vt Num. 31. ver. 49. Additur vero hic: *nulluſque
contra Iſrael mutire auſus eſt.* Hebraice: *non mouit
in filios Iſrael ne virum quidem vnum vllus linguam
ſuam:* tantum abeſt, vt telum iacere, haſtam vi-
brare, gladium exerere auſus quiſquam fuerit.
aut, ſi placet, prouerbium Hebræorum hic ac-
cipiatur, ſubintelligendo *canem.* quaſi diceret,
tantum abeſt, vt hoſtes Chananæi quidquam
Iſraelitis nocere potuerint, vt ne canis quidem
in eorum vllum latrare aut mutire quidquam
potuerit, vt Exod. 11. ver. 7. Iudith 11. ver. 15. Ma-
le Origenes homil. 12. exiſtimauit hic dici, ne-
minem Iſraelitarum ipſorum mutiuiſſe. Licet

Digitized by Google

enim bonum inde colligat documentum, omnem de rebus præclare geſtis vitandam iactantiam & ſermonem, de quo S. Bern. ſerm. 8. in pſalm. *Qui habitat* &c. non eſt tamen, vt patuit ea loci huius ſententia.

QVÆSTIO XXXVII.

Quid victi hoſtes, hoſtiumque Reges fecerunt, paſſi ſunt?

PRimo. Fugerunt victi hoſtes: cæſi ſunt magna plaga, & vſque ad internecionem pæne conſumpti, qui vero effugere potuerunt, vrbes ingreſſi ſunt munitas ver. 20. Nam è vicinis & vrbibus & locis erant ij omnes, vt ſupra quæſt. 1. & ſequentibus patuit.

Secundo. Ipſorum vero quinque Reges dum fuga ſibi conſulerent, in quodam iuxta Macedam vrbem antrum ſeu ſpeluncam ſe abdiderunt ver. 16. ſed Ioſue iuſſu, ſaxis ingentibus, os illius, vt nullus illis pateret exitus, obſtructum eſt: & ne à ſuis, globo aliquo facto, ſaxiſque remotis, eriperentur, cuſtodes plures adhibiti, quos *induſtrios* vocat noſter textus, vel ex alicuius marginali annotatione, cum Hebræus & Græcus *viros* tantum vocet, vel ex aliqua Hebræi nominis vi, quod *virum* quandoque *fortemque virum* ſignificat. Et ex conſiderata loci huius circunſtantia. Poſtea vero illinc, eiuſdem Ioſuæ iuſſu, extracti, ad ipſum deducti v. 22. 23. Principum pedibus calcati ver. 24. Et hoc in victis extremæ ſeruitutis & ignominiæ, in victoribus ſummæ victoriæ ac dominatus argumentum, prout indicant cum veteres ſtatuæ, tum hiſtoriæ. Vnde in pſal. 90. *Super Aſpidem & Baſiliſcum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem.* Fieri autem hoc voluit Ioſue, non crudelitatis, ſed iuſtitiæ, ac ſapientiæ cauſa. *Iuſtitiæ* quidem, vt meritas impiis pœnas infligeret: *Sapientiæ* vero, vt Iſraelitis ſuis animum faceret, magnamque in ſpem diuinorum promiſſorum certo conſequendorum erigeret. Hinc enim illa exhortatio ver. 25. *Nolite timere, nec paueatis, confortamini, & eſtote robuſti: Sic enim faciet Dominus cunctis hoſtibus veſtris, aduerſum quos dimicatis.* Probat autem hinc, vel monet potius Thomas Cantipratenſis lib. 2. cap. 53. vitia nobis omnia calcanda. Poſt vero iidem Reges ab eodem Ioſue percuſſi, ac interfecti ſunt, non gladio aut vulnere, ſed, vti additur, cruci ac laqueo. Nam quinque Reges, *ſuper quinque lignis* ſeu *ſtipitibus* ſuſpenſi ſunt, prout ſupra cap. 8. quæſt. 10. de Haienſi Rege dictum. Sed tandem, occaſo iam Sole, de cruce depoſiti verſ. 26. 27. ob cauſam eodem cap. 8. quæſt. 11. traditam: & in priſtinam ſpeluncam eorundem relata cadauera, ingentibus ad huius os aduolutis, aggeſtiſque lapidibus non, ne iam exire poſſent: ſed ne ab vllo vnquam vel ſuorum, ad honorificentiores tumulos, vel aliorum ad maiorem contumeliam extraherentur, & inhumati penitus relinquerentur. etiam ad perpetuum rei tantæ monimentum, quoad ſuum vſque tempus manſiſſe refert adiuncta textui clauſula ver. 27. vide ſupra cap. 8. quæſt. 12.

QVAESTIO XXXVIII.

Ob victoriam hanc, vllumne cecinerit Ioſue canticum?

CHaldæus Paraphraſtes initio cap. 1. Canticorum. DECEM, ait, *cantica dicta fuerunt in ſæculo iſto, & hoc canticum (canticorum ſcilicet) laudabilius eſt omnibus illis.* PRIMVM *canticum dixit Adam in tempore, quo dimiſſum illi fuit peccatū ſuum: Et venit dies Sabbati, & protexit eum. aperuit os ſuum, & dixit pſalmum cantici diei Sabbati. Canticum* SECVNDVM *dixit Moyſes cum filiis Iſrael in tempore, quo diuiſit eis dominator ſeculi mare carectoſum: aperuerunt omnes os ſuum, & dixerunt omnes ſimul canticum. quoniam ſic ſcriptum eſt: Tunc cecinit Moyſes, & filij Iſrael. Canticum* TERTIVM *dixerunt filij Iſrael in tempore, quo datus ei fuit puteus aquæ. Sic enim ſcriptum eſt: Tunc cecinit Iſraël. Canticū* QVARTVM *dixit Moyſes Propheta, quando aduenit tempus eius, vt diſſolueretur ab hoc ſeculo: & increpauit in eo domum Iſraël. quoniam ſic ſcriptū eſt: Audite cæli & loquar. Canticum* QVINTVM *dixit Ioſue filius Nun, quando iniit prælium in Gabaon, & ſteterunt ei Sol & Luna triginta & ſex horis, & ceſſauerunt dicere canticū. aperuit ille os ſuum, & dixit canticum. Sic enim ſcriptum eſt: Tunc cecinit Ioſue coram Domino. Canticum* SEXTVM *dixerunt Barach & Debora, in die quo tradidit Dominus Siſaram, & exercitum eius in manum filiorum Iſraël. quoniam ſic ſcriptum eſt: Et cecinit Debora & Barach filius Abinoam. Canticum* SEPTIMVM *dixit Anna in tempore, quo datus fuit ei filius à facie Domini. Sic enim ſcriptum eſt: Et orauit Anna in prophetia, & dixit. Canticum* OCTAVVM *dixit Dauid Rex Iſraël, pro omnibus miraculis, quæ fecit ipſi Dominus: aperuit os ſuum, & dixit canticum. quoniam ſic ſcriptum eſt: Et cecinit Dauid in prophetia coram Domino. Canticum* NONVM *dixit Salomon Rex Iſraël in ſpiritu prophetico coram Domino dominatore totius ſeculi. Canticum* DECIMVM *dicturi ſunt filij captiuitatis, quando egreſſi fuerint de captiuitate ſua. quoniam ſcriptum eſt, & declaratum per manus Eſaiæ prophetæ. Sic enim ſcriptum eſt: Canticum iſtud erit vobis in gaudium, ſicut in nocte, qua ſanctificata eſt ſolennitas paſchæ, & lætitia cordis ſicut populi qui ambulant, vt appareant coram Domino tribus vicibus in anno, in organis muſicorum & voce tubæ corneæ, vt ingrediantur in montem Domini, & vt ſeruiant Deo fortiſſimo Iſrael.* In iſto eodem canticorum numero concinunt Rabbini omnes, & præſertim Mekiltæ auctor. Ego vero nihil equidem ambigo, quin maximas Deo grates egerit Ioſue, totuſque populus. hoc tamen canticum non ſonant capitis huius verba, è quibus illud exprimunt cum Chaldæo illo Rabbini. Ea enim ſunt verſ. 12. *Tum locutus eſt Ioſue*, prout ſupra quæſt. 17. oſtenſum. Nunc addo verba hic poſita: Sol contra Gabaon ne mouearis, prolocutum Ioſue ante victoriam, prout & de iſto, quod ei tribuunt, Cantico loqui videntur Rabbini. At de Cantico, quod partæ iam victoriæ cauſa, cantatum ſit, quæſtio noſtra eſt. Forte tamen in libro *Iaſar* ſeu *de recto*, extitit verſu illigatum inſigne aliquod Ioſuæ ad Deum carmen, quo, pro tot, tantiſque hac in pugna beneficiis, miraculis, & portentis, gratias agebat,

Digitized by Google

totiuſque hiſtoriæ ſeriem, vel præcipua eius capita, vt in id genus carminibus fieri aſſolet, intercinebat. Hæc enim & iis, quæ de libri huius poëſi ante dicta ſunt, & vſitato in eiuſmodi re mori ſatis viderentur conſentanea.

QVAESTIO XXXIX.

De moralibus nonnullis?

PRimum. Quos in fidem, ſocietatem, ac tutelam recipit quis, eos cum res, vſuſque poſtulat diligenter ac velociter tueri oportet, prout fecit noſter Ioſue, qui nihil procraſtinauit. Sed noctem totam peruigilãs iter cum ſuis fecit. Apud Liuium Decadis 1. lib.3. cum Romam *trepidi nuncij ab Tuſculo veniſſent, Aequos hoſtes in agro Tuſculano eſſe. fecit pudorem* Tuſculani *populi meritum morandi auxilij. Ambo ſtatim cum exercitu Conſules miſſi ſunt,* hoſtes ſuperarunt: ſocios liberarunt.

Secundum. Si opis ſociorum corporibus ferendæ cauſa, tantum celeritatis, vigiliæ, laboris, recte ſuſcepit Ioſue, quantum Ioſuanis omnibus ſuſcipiendum, vt proximorum opitulentur animis: eos à Chananæorũ teterrimis Regibus, Cacodæmonum, inquam, aggreſſu & obſidione liberent?

Tertium. Bonus ciuilis doctrinæ auctor lib.5. cap. 15. *In belli Duce prouidentiam,* ait, *laudo: ſed eſt cautos cunctantesque Duces, nullo loco, niſi quantum neceſſitas cogat, commiſſuros ſe fortunæ. Sperno equidem iſtos ferociter omnia, ac præpropere agentes: Et contemnendis quam cauendis hoſtibus meliores. Etſi grati ſæpe vulgo. quoniam ſtolidis aut barbaris cunctatio ſeruilis, ſtatim exſequi, regium videtur.* Sunt hæc veriſſima. ſed neque ferociter, neque præpropere, aut temere agit, qui neceſſitate poſtponit commoditatem, qui ſociorum ſalutem ſuæ anteponit ſecuritati & quieti: qui denique DEVM habet excitatorem, adiutorem, eumque primo per preces, per prudentem deliberationem, conſilium, ſedulamque rerum omnium circumſpectionem conſulit. Et in hoc omnis cunctatio vere ſeruilis eſt: ſtatim autem exequi, vere regium eſt. Is, non, vt quondam Cæſar, *veni, vidi, vici,* ſed vt noſtro ſæculo laudatiſſimus Imperator, cum hæreticorum Reges aut Regulos anno 1547. domuiſſet *Carolus Quintus*, ait, *veni, vidi, Deus vicit.*

Quartum. In periculis omnibus etiam bellicis, ad Deum magna cum fiducia, ſeriiſq. cum precibus accedendum. Si enim expedierit panicis hoſtes terroribus exanimabit, in eos grãdinum è cœlis lapides intorquebit: Elementis ipſiſque adeo cœlis, cœlorumque præſidibus Angelis quidlibet imperabit. Pleni ſunt hiſtorici Chriſtianorũ libri cœleſtibus id genus imperiis, & auxiliis. 1.Reg.7.ver.10. factum eſt autem, cum Samuel offerret holocauſtum, Philiſtiim iniere prælium contra Iſrael: intonuit autem Dominus fragore magno in die illa ſuper Philiſthiim, & exterruit eos, & cæſi ſunt à filiis Iſrael. Notum ex Euſebio lib.5. hiſt. c.5. Tertulliano in Apolog. Et ad Scapulam quam Chriſtianorum legio precibus pluuiam exercitui ſuo impetrarit & contra hoſtem fulmina: ita vt idcirco ab Antonino Imperatore licet Gentili, cognominata fuerit κεραυνοβόλος, *fulminatrix.* Quomodo in formidabiles Perſarum copias Niſibin obſidentes immiſit immenſam muſcarum & culicum vim S. Iacobus vrbis illius Pontifex? Quomodo in Attilam, cum Aureliam obſideret tonitrua & fulmina S. Amianus Epiſcopus exciuit? Quomodo, ad piam Theodoſij obſecrationem, ea fecit Dominus, quæ refert l. 7. Sozom. & ob quæ lib.1. de Honorij tertio conſulatu exclamat Gentilis Poëta,

O nimium dilecte, Deo! cui fundit ab antris
Aeolus armatas hyemes, cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad claſsica venti.

Sed in libris Machab.lib.1.c.6.lib.2.cap.10.in Antiturcica Oratione priore, & in Iudith de hoc plura.

Quintum. Sol & Luna, rationis, ſenſus ac vitæ omnis expertia corpora Dei nutui confeſtim obediunt. Et homo, vita, ſenſu, ratione inſignitus, eius tot ac tam luculentis monitionibus & præceptis immorigerus eſt?

Sextum. Obedit Dominus voci hominis. Et homo Domini vocibus obedire non vult? O ſuperbiam! O inſaniam! Quin potius etiam hominum voci, propter Deum, obediamus homines libenter, alacriter. Et etiam nunc in v. Sacramenti conſecratione videtur omnino voci hominis obedire Deus, vt noſter explicat Oſorius to. 4. ſer. de redit. Hiſp. è bello Anglic. pag.203.

Septimum. Sol & Luna ideo ſteterunt, vt hoſtes ſuos vincerent Iſraelitæ. Nobis vero iam quidem aſſidue ac perpetim ne à noſtris vincamur, ſed pulchra quadã ac ſancta viciſsitudine, mouentur, poſtea vero in omnem æternitatem ſtabunt, vt victoribus iucundiſsimam lucem & gloriam, abſque periculo, labore, ac formidine vlla, præbeant. Iſai.30.26.

Octauum. Qui ſolem ſingulis diebus ſolenne Deo carmen canere dicunt Rabbini, eo quo ſupra modo expoſui, docent ſane, quam bona, ſancta, & vtilis eorum conſuetudo ſit, qui horologia horam quãlibet ſonantia dum audiunt, breui aliqua orationcula vel ore, vel corde duntaxat, Deum laudant. dicuntque verbi cauſa, Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto, ſicut erat in principio horæ præteritæ, ita nunc in huius principio, & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen. vel ſi forte occupatiſsimus ſit, cum celerrima mentis ad Deum ſublatione dicat ſaltem illud, *& nunc* intelligendi ſemper, *gloria ſit Patri & F. & S. S.* prout vel mane, vel alias antea eſſe voluit & optauit. aut vero quodlibet aliud ſimile, vt apud pientiores Germanos illud: *Deus felicem nobis horam det.*

Nonum. Sol apud Hebræos *ſchemeſch*, apud Chaldæos *ſchimſcha* vocatur, vt ſuo ipſius nomine ſtatim præferat ac monſtret, quæ natura ſua ſit, quod munus, quod ſtudium. Nam ſchamiſch eſt miniſtrare, officio fungi, ac ſeruire, Geneſ.14. 1.Reg.16. Daniel.7. Vnde & in nouo Syriaco teſtamento *maſchamſchana* miniſter eſt. Valeant igitur cœci & infelices illi omnes, vel Ethnici, vel hæretici, qui Solem ac Phœbum Deum putarunt. Valeant & è Philoſophis illi, qui eum à Deo non libere, ſed neceſſario mo-

Digitized by Google

ueri exiſtimant. Ipſe Dei miniſter eſt. Et miniſter ad hominum vtilitatem. Ipſe liberrime arbitratu ſuo imperat Deus, vt moueatur, & boni miniſtri inſtar, mox obtemperat. Imperat vt ſtet? Is tanquam obſequioſiſſimus miniſter illico ſtat. Imperat vt luceat? lucet Geneſ. 1. vt lucem ſubducat? ſubducit Matth. 27. vt antrorſum currat? currit Geneſ. 1. vt retrorſum recurrat? recurrit Iſaiæ 38. *Cum Solem*, ait homil. ad populum Antiochenum S. Chryſoſt. *videris exorientem, Creatorem admirare. Quando ipſum ſe celantem, & euaneſcentē videris, naturæ imbecillitatem diſce, nec ipſum vt Deum adores. Non enim* B *ex hoc ſolo elementorum naturæ imbecillitatis demonſtrationem Deus inſeruit, ſed & omnibus ſeruis ſuis, vt eis imperarent, mandauit. vt ſi nec ex aſpectu, ipſorum ſeruitutē agnoſcas, ab imperantibus diſcas, quod omnia conſerua tua ſunt. Ideo Ioſue dicit, ſtet Sol contra Gabaon, & Luna contra vallem Elam. Et iterum Propheta Iſaias ipſum in contrarium retrogredi fecit ſub Ezechia Rege.* Solem iſtum imitemur. Imitati ſunt magni illi & præclari terræ Soles Apoſtoli, qui ad CHRISTI IESV vocem modo quidem Hieroſolymis in Iudæa perſtiterunt Act. 1. modo totum vniuerſitatis huius orbem C percurrerunt & recurrerunt, eundem illuſtrarunt. Et cum voluit Dominus, eundem in tenebris, & quadam veluti errorum ſuorum, eclipſi reliquerunt Actor. 16. ver. 6.

Decimum. Regum fortuna quam inconſtans? quinque Chananæorum Reges paulo ante tam potentes tanto circumſepti ſatellitio, tam Gabaonitis formidabiles, tantis opibus, militumque copiis abundantes, quomodo breui temporis momento, fracti, deſtituti, trepidi, inopes & ſoli ſunt? Qui in ſplendidis palatiis, collucentibus auro & pyropo ſoliis, ſolo nutu in D carceres ac tenebras condi alios iubebant: Ecce nunc miſere fugientes tenebricoſum ſpecum quæritant: in eam ſeſe illatebrant: illic, ſi per hoſtes manere liceret, felices ac beatos ſeſe reputaturi. Audi ſaniſſimum in Senecæ Thieſte, actu 3. chorum.

> *Vos quibus rector maris atque terræ,*
> *Ius dedit magnum necis atque vitæ,*
> *Ponite inflatos tumidoſque vultus*
> *Quidquid à vobis minor expaueſcit,*
> *Maior hoc vobis Dominus minatur.*
> *Omne ſub regno grauiore, regnum eſt.* E
> *Quem dies vidit veniens ſuperbum,*
> *Hunc dies vidit fugiens iacentem.*
> *Nemo confidat nimium ſecundis,*
> *Nemo deſperet meliora lapſis.*
> *Miſcet hæc illis, prohibetque Clotho.*
> *Stare fortunam: rotat omne fatum.*
> *Nemo tam diuos habuit fauentes,*
> *Craſtinum vt poſſit ſibi polliceri.*
> *Res Deus noſtras celeri citatas*
> *Turbine verſat.*

Vide poſtea quemadmodum hi calcati & ſuſpenſi. F

Vndecimum. Dum magnum quis vrget negocium, prudentis non eſt, minoris alicuius cauſa morari, & ab illo retardari. Ioſue audiit quinque Reges in ſpelunca eſſe, ſi ad eos illico accurriſſet, magna hoſtium cædendorum elapſa eſſet occaſio. ſed non facit. Illud quidem A tam fauſtum nuncium audit libentiſſime, idque etiam ne elabatur, cauet appoſitis cuſtodibus prudentiſſime: victoriæ tamen portiunculam toti non anteponit: cœptiſque bene pergit inſiſtere. Nos imprudentiſſimi, cum æterna hoc in mundo bona conquirere debeamus, hæremus in caducis, & pereuntibus toti. gloriola humana & inanis ab diuina nos & ſolida remoratur: modicæ & fallaces voluptatulæ, à maximis & veriſsimis beatorum voluptatibus. Inſtar Medeæ illius veteris, nobiſcum agit diabolus. ſpargit in itinere, quorum amore nimium capimur, aliqua, vt iis colligendis occupemur, & ab eo, quod propoſitum eſt retardemur & excidamus. Nobis igitur à vero noſtro Ioſue dictum illud putemus ver. 19. *Vos autem nolite ſtare, ſed perſequimini hoſtes*, &c.

Duodecimum. Quam felix hominibus panoplia, Dei auxilium! Ne vnus quidem Iſraelitarum tanto in bello periit, ſed cum pace ac incolumitate in caſtra reuerſi omnes. quærunt ſtulti ac fatui homines contra gladiorum & bombardarum ictus alexicaca, chartas & periapta ſuperſtitioſa, per quorum ſpeciem interdum, vt magis eos faſcinet, auertit dæmon ictus & plagas aliquas: ſed poſtea, cum ſuis retibus irretitos omnino tenet, peccatiſque grauiſsimis onuſtos retinet, mortem iis affert, & *corporis*, quam fugere voluerunt, temporalem, & *animi*, de qua non laborarunt, ſempiternam, prout exemplorum magna in militibus, aliiſq. plurimis ſuppetit copia. è qua duo promit lib. 2. diſq. Mag. quæſt. 21. noſter Delrius. Quod apud Poetas narratur, fuiſſe Achillem, quia vndis eſſet ſubmerſus ſtygiis, inuulnerabilem, præterquam pede, qui vulnus, mortemq. hauſit, hoc in ſuperſtitioſis & vanis hominibus, qui contra enſes, & fiſtulas characteribus & periammatis ſeſe armant, locum habet. in aquas nimirum ſtygias ſeſe immergunt: dæmonum ſeſe poteſtati tradunt: & pede tamen, id eſt, in extremo vitæ tempore vulnus, lethumque accipiunt. At quem cuſtodit Deus, cui propitius eſſe vult, is, ſi eius ad ſalutem, Deique ipſius gloriam conducat, nulla corporis parte ſauciari poteſt, ex omnique pugna ſaluus & incolumis redit. Dicat is fidenti animo è Pſalmo 26. *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea: quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Dum appropiant ſuper me nocentes, vt edant carnes meas: Qui tribulant me inimici mei ipſi infirmati ſunt & ceciderunt. Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum. ſi exurgat aduerſum me præliū, in hoc ego ſperabo.* Et Pſalmo 36. *Iniuſti diſperibunt ſimul: reliquiæ impiorum interibunt. Salus autem iuſtorum à Domino: & protector eorum in tempore tribulationis. Et adiuuabit eos Dominus, & liberabit eos: & eruet eos à peccatoribus, & ſaluabit eos: quia ſperauerunt in eo.* Vide harmoniam lib. 1. Machab. cap. 4. fol. 644.

Decimotertium. Cum tota nobis vita contra Chananæos inferorum Reges pugnandum ſit, illud à Deo precibus vel enixiſsime contendendum, vt pugnata omnis pugna cum fuerit, noſtrum nemo deprehendatur cecidiſſe, nemo deſideretur, nemo vllo membro, per peccatum aliquod pœnitentia non ſanatum, mutilatus,

Digitized by Google

aut læſus ſit. *Vides*, ait homil.12. Origenes, *quia qui ſub Ieſu militet, incolumis debet redire de prælio: nec vſquam debet ex iaculis maligni ignitis vulnus accipere, non in corde pollui, non in cogitatione maculari, non per iram, non per cupiditatem, non per aliam quamlibet occaſionem, dæmoniacis vulneribus locum dare.* A

Decimoquartum. At mutiunt contra nos canes: inuidi hæretici, maledici: virulẽtas contra nos linguas exerunt: crimina confingunt, mendaciis onerant. Patienter id ferendum. Et vix, ne fiat, niſi eorum nos miſereret, deprecandum. Cui enim ſanctorum priuilegij hoc datum? Etiam CHRISTVS Dominus homo vorax & *vini potator* Matth.11. verſu 19. dictus, itemque dæmoniorum *in Beelzebub eiector* apud eundem S. Matthæum cap.12. verſu 24. *dæmonium habens* Ioannis 7. verſu 20. *Beati*, ait Dominus, *eſtis, cum maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos mentientes propter me: quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis. Sic enim perſecuti ſunt Prophetas, qui fuerunt ante vos.* Nunquam tamen mutiunt iſti canes efficaciter, vt ſcilicet, quæ mentiuntur, probent. Latrant & baubantur: ſed inaniter. Veritas premi tantum, non autem opprimi poteſt. *Factus ſum*, Pſalm. 30. *tanquam vas perditum, quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu. In eo dum conuenirent ſimul aduerſum me, accipere animam meam conſiliati ſunt. Ego autem in te ſperaui Domine: dixi Deus meus es tu, in manibus tuis ſortes meæ. Eripe me de manu inimicorum, & à perſequentib. me. Illuſtra faciem tuam ſuper ſeruum tuum, ſaluum me fac in miſericordia tua. Domine non confundar, quoniam inuocaui te. Erubeſcant impij, & deducantur in infernum: muta fiant labia doloſa. Quæ loquuntur aduerſum iuſtum iniquitatem in ſuperbia & in abuſione.* B C D

Decimumquintum. Dei erga impios conſideranda ſeueritas. Si quando is ſuum tribunal aſcendit, omnis coram eo euaneſcit potentia, ſplendor, maieſtas. Reges ipſius ſententia è ſolio deturbantur, carceribus includuntur, ſuſpenduntur, in antra obſcuriſſima conduntur, ſempiternaque ignominia notantur, vt in horum vides tragœdia.

Decimumſextum. Cum à Deo poteſtatem acceperunt ſancti, maxima interdum aduerſus impios auctoritate ac ſeueritate vtuntur. quæ veluti atrox & pœne barbara iudicaretur, niſi diuino id iudicio, inſtinctuque fieret. Quid enim homines aliorum eiuſdem naturæ hominum, imo Regum non calces aut corpora, ſed colla ipſa calcare? Quid à pluribus calcari iubere? O ſummam poteſtatem! De hac Pſalm. 49. *Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis. Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum: Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis: Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis: Vt faciant in eis iudicium conſcriptum: gloria hæc eſt omnibus ſanctis eius.* Ideoque & de Pontificis Gregorij 7. contra Imperatorem Fridericum, ſeueritate quid eſt, quod tantis vociferationibus noſtri rectitent hæretici? Vide Bellarminum tom. 1. lib. 4. de Rom. Pontif. cap.13. E F

Decimumſeptimum. Diſcamus etiam ſpiritales hoſtes noſtros conculcare, ipſorum capitibus & collis pedes imponere, prout Pſalm. 90. dicitur. *Conculcabis Leonem & Draconem. Oremus*, inquit hom.12. Origen. *vt & noſtri pedes tales ſint, tam ſpecioſi, tam validi, qui poſſint calcare ceruices inimicorum, qui poſſint ita caput calcare ſerpentis, vt calcaneum noſtrum mordere non poſſit.* Et poſtea: *Vtinam Dominus meus Ieſus filius Dei mihi iſtud concedat, & iubeat me pedibus conculcare ſpiritum fornicationis, & calcare ſuper ceruices ſpiritus iracundiæ & furoris, calcare auaritiæ dæmonem, calcare iactantiam, conterere pedibus ſuperbiæ ſpiritũ: & cum hæc fecero, operis geſti ſummam, non mihi, ſed cruci eius appendere, ſequens Paulum dicentem, quia per ipſum mihi mundus crucifixus eſt.* Conterat, oportet, ſemen mulieris, ipſaque per ſemen ſuum mulier tartarei ſerpentis caput. Gen.3.v.15.

QVÆSTIO XL.

De belli huius allegoria.

RECte aduertit homil.11. Orig. eos, qui veteribus vitiis, prauiſq. flagitiorum ſociis, quaſi Chananæis, & Amorrhæis relictis, ad verum ſeſe IESVM conferunt, omnium in ſe illico, inimicitias, odia, & arma concitare. *Cum anima*, inquit, *humana verbo Dei ſe ſociauerit, dubitare non debet ſtatim ſe inimicos habituram, & eos, quos habuerat ante amicos, in aduerſarios eſſe vertẽdos: idque non ſolum pati ab hominibus ſe ſperet, verumetiam de contrariis virtutibus & ſpiritalibus nequitiis id ſibi imminere pro certo ſciat. Et ita fit, vt qui amicitias expetit IESV, multorum ſibi ſciat inimicitias tolerãdas. Omnes qui pie volunt viuere in Chriſto perſecutionem patiuntur. Sed & Salomon ſimilia dicit: Fili, inquit, accedens ad ſeruitutem Domini, præpara animam tuam ad tentationem. Oppugnantur ergo etiam nunc Gabaonitæ, cuiuſcemque modi ſint, propter amicitias Ieſu, & ligni licet ſint ceſores & aquæ geſtatores, id eſt, licet vltimi meriti ſis in Eccleſia, tamen hoc ipſo quia ad Ieſum pertines, impugnaberis à quinque Regibus.* Sed quid bonis CHRISTO IESV iam ſociatis Gabaonitis faciendum? E veſtigio debent ad IESVM nuncios mittere, opem ab illo rogare, flagitare. Sunt autem nuncij iſti boni Angeli, quos noſtras offerre Deo preces, dixi in Tobiam cap.3. quæſt. 7. 8. 9. *Reges* vero Chananæos *quinque* interpretatur idem Origenes, *quinque* noſtros *ſenſus*, qui ſuis nos illecebris circumſidant & oppugnant. ſed mihi ea videntur ſignificari tentationes, quæ animos propius appetunt & aggrediuntur. Horum ergo *Regum primus & præcipuus eſt Adoniſedec*, *iuſtitiæ Dominus*, Hieruſalem Rex, id eſt, dæmonum ille Princeps, qui iuſtitiam & ſanctitatem ſimulat, pacem animam oſtentat, nil niſi ſacrum Dei verbum crepat, omnia interim vitiorum monſtra in arma contra nos concitat: omnes omnium ſcelerũ formas & laruas ſub ſigna vocat. Vide noſtri temporis hæreſim, hæreſeoſque auctorẽ, Adoniſedec eſt: omneſq. ipſius Doctores & magiſtri, Adoniſedekiani duces ſunt, tribunes, & cẽturiones. *Alter* eſt *Hoham* Rex Hebron, quæ interpretatur collegiũ, ſocietas, & vti addit Chytræus *coniunctio*, *hoham* vero *tumultuans*. Sunt

Sunt autem huiuſcemodi, qui in Eccleſiis,pio-
rumque cœtibus, & collegiis diſſenſiones, tur-
bas ac tumultus excitant, falſi, inquam, fratres,
de quibus queritur Apoſtolus 2. Corinth. 11. 26.
& 2. Galat. 4. *Tertius* eſt *Param*, id eſt, Syluestris
Rex Ierimoth, id eſt, doctrinæ mortis. Eas Rex
hic triſtiſſimorum cogitationum Legiones du-
cit, quæ ad deſperationem, melancholiam, bla-
ſphemiam ſolicitant. *Quartus Iaphia*, id eſt, *il-
luminans*, aut illuſtris, Rex *Lachis*, id eſt, *quaſi eũ-
tis*, vel *tibi ipſi exiſtentis*, & ſignificat eas omnes
illecebras, quæ mentem gaudio, inanique læti-
tia, quaſi luce quapiam perfundunt; & tamen
illico recedunt, hominemque deſerunt, ſignifi-
cat eos etiam, qui boni alicuius opinione inflã-
tur, gloriola quadam ſuis in oculis ſplendeſcũt,
ſibiipſis præfidunt, & ſtatim tamen abeunt ac
euaneſcunt. *Quintus. Dabir*, id eſt, *eloquens*, aut
oraculum Rex *Eglon*, quod nomen globum, or-
bemque ſignificat? An Gentilium litteraturam,
Poëſin, fœcundiam, Philoſophiam, quæ ſui ad-
miratione hũc olim terrarum orbem rapiebat,
& nonnullorum adhuc animos interdum per-
ſtringit, & conturbat, recte Rex iſte non ſigni-
ficat? Hi ſuis in copiis innumeris, Gabaonitas,
qui ſe iam CHRISTO IESV ſancto fœdere
adiunxerunt, prauis ſodalitatibus, & conſuetu-
dinibus nuncium remiſerunt, iamque ad ſacrũ
dominici templi miniſterium recepti ſunt, ob-
ſeſſum veniunt, & variis tentationum machinis
ac telis oppugnatum, ſed ô bone Dux noſter
IESV CHRISTE, ne retrahas manus tuas ab
auxilio ſeruorum tuorum: Aſcende cito, &
libera nos, ferque præſidium: conuenerunt
enim aduerſum nos omnes Reges Amorrhæo-
rum, qui habitant in montanis. vere *in montanis*,
quia omnes in ſuperbia & præfidentia tanquã
in altis quibuſdam montibus ſedem habent,
cum *initium omnis peccati ſuperbia* ſit, Eccleſiaſtici
10. verſu 15. At bonus IESVS ita vocatus, nun-
quam ſuo deeſt nomini. venit ſaluatum, quos
perdere volunt cacodæmones. nulli parcit la-
bori, accurrit ſtatim & aduolat, hoſtes perter-
ret, fundit, fugat, proterit. Ipſius in manu grã-
dinum theſauri ſunt, ipſius è nutu pendet Sol
& Luna, eius imperium capeſſunt elementa,
cœlique omnes. *Quem*, ait Eccleſiaſticus hy-
mnus, *terra, pontus, æthera, colunt, adorant, prædicant,
Trinam regentem machinam: cui Luna, Sol & omnia
deſeruiunt per tempora.* Perterret, quando infero-
rum, æternarumque pœnarum metu vitia pro-
fligat, maiorum ſuppliciorum minis dæmonas
coërcet. Grandinis tempeſtates demittit. quan-
do morbos, inopias, calamitates peccatoribus
incutit, vel à dæmonibus cruciamenta quæpiã.
Irridebat Satyra 13. Iuuenalis eos, qui

— -laceris vigili cum febre dolorem
Si capere pati, miſſum ad ſua corpora morbum
Infeſto credunt à numine. Saxa Deorum
Hæc & tela putant.

Et vero irridendi, quod *Deorum* non vnius
Dei ſaxa hæc & tela putent, cum reuera huius
vnius ſint, abſque cuius nutu ac voluntate ne
minimus quidem de cuiuſque capite poteſt ca-
pillus, cadere. Matt. 5. 36. c. 10. 30. Luc. 21. 18.
Solem & Lunam ſtare facit idem Dominus ad
hoſtes diſſipandum, & proterendum, quando
A nos ad pœnitentiam, vel maiorem vitæ in-
tegritatem, & charitatis feruorem expectans
huius nobis vitæ vſuram profert. quando ſa-
cri verbi, ſanctorumque exemplorum lucem
noſtros ante oculos obuerſari ſemper facit;
quando gratiæ ſuæ radios animis noſtris, diui-
næque gloriæ quaſdam veluti ſtricturas magis,
magiſque proponit.

Quod ſi vero non nos ſingulos, ſed Eccle-
ſiam totam ſpectemus, *Volumus*, inquit loco ci-
B tato Origen. *ſi poſſumus oſtendere, quomodo Domi-
nus noſter Ieſus protelauerit lucem vel pro interitu con-
trariarum virtutum. Ex quo aduenit Saluator, finis
erat iam mundi. Denique ipſe dicebat: Pœnitentiam
agite, appropinquabit enim regnum cælorum. Sed veni-
ens: & repreſsit diem conſummationis, & adeſſe prohi-
buit. Videns enim Deus Pater ſalutem gentium per ip-
ſum poſſe conſtare, dicit ad eum: Pete à me, & dabo ti-
bi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam ter-
minos terræ. Donec ergo paterna pollicitatio compleatur;
& Eccleſia ex diuerſis nationibus creſcat, atque introeat
tota gentium plenitudo, & tunc demum omnis Iſrael
C ſaluetur, dies producitur, differtur occaſus, nec vnquã
Sol occumbit: ſed ſemper exoritur, dum credentium cor-
dibus Sol iuſtitiæ lumen veritatis infundit. Cum vero
repleta fuerit menſura credentium, & deterior iam, ac
decolor ætas vltimæ generationis aduenerit, cum incre-
ſcente iniquitate refrigeſcet charitas multorum, & per-
pauci remanſerint, in quibus fides inueniatur, tunc iam
abbreuiabuntur dies. Idem igitur atque ipſe Dominus
nouit, & extendere diem cum ſalutis eſt tempus, & bre-
uiare diem cum tribulationis & perditionis eſt tempus.
Nos tamen dum habemus diem, & producitur nobis
ſpatium lucis, ſicut in die honeſte ambulemus, & opera
lucis operemur.*

D Sed cum mundi huius Reges moriuntur,
ſuiſque mauſolæis conduntur, nonne ſe in ſpe-
luncis penetrare ac occulere videntur? Et ſane
ibi detinebũtur Iob. 3. v. 14. quoad verus eos Io-
ſue *venturus iudicare viuos & mortuos*, ſuũ in cõſpe-
ctũ euocabit. Nam neceſſitatis, quæ rumpi, aut
mutari non poteſt, ſaxa hic & cuſtodes ſtatuit
Dominus: ipſam ſc. corporis humani diſſolu-
tionem, eiuſq. puluerum conglutinationem &
animationem nullius vnquam creaturæ vi fa-
ciendam. ſed cum ex duro & moleſto mundi
huius prælio redierint ſancti Dei victores.
ſuumque ad ducem Ieſum ſani & incolumes
E ſeſe applicuerint, è ſpeluncis & ſepulchris
ſuis Reges illi vincti & catenati protrahen-
tur, Iudici ſiſtentur, triſtiſſimam extremi
contemptus & ſupplicij ſententiam ab ipſo
IESV accipient. Et tum fiet multo perfectius,
quod è Pſalm. 149. ſupra citatum eſt: *Exulta-
bunt*, &c. Tunc qui alta ſemper ſpectarunt
& vana, è patibulis ſuſpendentur altiſſimis,
è quibus tamen nunquam deponentur: ſed æ-
ternum torquebuntur & carnificabuntur. id-
que non ad homines tantum prauos, qui
aliis prauitatis magiſtri & auctores ſunt, perti-
F net, ſed ad ipſos etiam dæmones. Nam & hi
iudicabuntur 1. Corinth. 6. verſu 6. & igni
cruciabuntur, qui paratus iis traditur Matt. 25.
v. 41. O quanta horum miſeria, contemptus,
cruciatus! O quanta illorũ, qui IESVM ducem
ſecuti ſunt, eiuſque ductu & auſpicio, mundũ,
carnem, diabolum, omniaque horum agmina

Digitized by Google

ſuperarunt, felicitas, gloria, gaudium! Iſtud A contemplatus S. Hier. epiſt. 1. clariſſimo cuidã ſuo ſcribebat. *Iudicaturo Domino, lugubre mũdus immugiet: tribus ad tribum pectora ferient. Potentiſsimi quondã Reges, nudo latere palpitabunt; Exhibebitur cũ prole ſua Venus. Tunc igneus Iupiter adducetur, & cũ ſuis ſtultis Plato diſcipulis. Ariſtoteli ſua argumẽta non proderunt. Tunc tu ruſticanus & pauper exultabis, & ridebis, & dices: Ecce crucifixus meus: ecce iudex, qui obuolutus pannis in præſepio vagijt. Hic eſt ille operarij & quæſtuariæ filius: hic qui matris geſtatus ſinu hominẽ Deus fugit in Ægyptũ: hic veſtitus coccino, hic ſentib. coronatus, hic magus, dæmonium habẽs & Samarites.* B *Cerne manus Iudæe, quas fixeras: cerne latus Romane, quod foderas. Videte corpus, an idem ſit, quod dicebatis, clam nocte ſuſtuliſſe diſcipulos. Dilectio tua me compulit, vt hæc tibi frater dicerẽ, vt his tum intereſſe contingat, pro quibus nunc labor durus eſt.* Neque vero ex miſerrimo, cœciſſimoq. inferorũ antro exire iis vnquam vllo modo licebit. Æternitatis ingentia hic ſaxa ſunt, quæ à nemine reuolui, ac vel pauxillullũ remoueri poſſunt. D. Hier. in Iſaiæ c. 63. *Infernus eſt ciuitas firma, & munita, de qua in 55. & 101. Pſalmo. Quis deducet me in ciuitatem munitã? in qua clauſæ ſunt animæ mortuorum & circum-* C *data eſt firmiſsimis cuſtodijs.* In inferno nulla redemptio, nullus ex eo exitus.

Cum ſemel infernas intrarunt funera leges,
Panditur ad nullas ianua nigra preces.

Vnde & laſciuus alioquin & amatorius Gentilis Vates, cum vitæ ſuæ breuitatem, huiusque loci ſempiternum horrorem conſideraret:

Διὰ ταῦτ', inquiebat, ἀνασαλύζω
Θαμὰ τάρταρον δεδοικώς.
Αἴδεω γάρ ἐστι δεινὸς
Μύχος, ἀργαλέη δ' ἐς αὐτὸν
Κάθοδος. καὶ γὰρ ἑτοῖμον
Καταβάντι μὴ ἀναβῆναι.

BELLVM QVINTVM AVSTRALE, & capitis decimi pars altera.

B*Ellum* hoc *quintum* ſuperioris belli proſecutio & quaſi appendix eſt. Maioris tamen diſtinctionis cauſa, id ſeparatim exponere viſum eſt commodius, & vocare *Auſtrale*. quia Galgalæorum caſtrorum reſpectu omnes, quæ iã capientur à Ioſue vrbes, & regna, vel omnia, vel maiori ex parte verſus Auſtrũ ſunt. Enumerantur autem ſingulatim *vrbes ſex*: deinde ſummatim regiones aliquæ.

Prima. vrbs *Maceda* v. 28. quæ ab ardore vel foco nomen habet: capta eſt eiuſque Rex, ciues, & incolæ omnes penitus deleti, & hi quidem gladio, ille vero Rex patibulo. Nã gladio quidem eũ peremptũ cætera cum turba docet quidem Radak: ſed verſus hic 38. eum Hierichuntini Regis morte affectum tradit, quem ſupra dictũ eſt, in malam actum crucem. Sed quando vrbs hæc capta eſt? *Eodem*, inquit textus, *die.* Atque id ita explicat Abulenſis, cui pœne adhæret Arias, vt cum ſuſpenſi eſſent Reges, eodem adhuc die antequam Sol occumberet, oppugnatum vrbem hanc ierit Ioſue, itemque, *Lebnam*, & *Lachis*: ſed duas illas priores eodẽ die adhuc expugnarit, non autem tertiam, ſed oppugnationem in poſterum etiam diem, relicta illic copiarum parte, protulerit: in caſtra vero A occidente iam Sole, redierit, & poſtea ſuſpenſos Reges à crucibus tolli iuſſerit. Incredibile tamen videtur, eodem illo, quo de quinque Regibus relata fuit victoria, die facta hæc omnia. Nam *primò*, tres vrbes regias veriſimile eſt aliquo loci artiſque præſidio munitas, etiamſi metu vel maxime ob Regum ſtragem perculſæ eſſent, non ita capi potuiſſe, quin vel pugnæ aliquid in portis ac mœnibus committeretur, vel deditionis aliquæ conditiones proponerentur. Et in his omnibus temporis aliquid ponendum fuit. *Secundo.* Mactati B præterea funditusque deleti dicuntur, qui in hiſce vrbibus erant omnes. Et quomodo, abſque diuturniore aliqua mora, id factum? præſertim cum vrbium harum ſpolia, non anathemate deuota eſſent, ſed in Iſraelitarum emolumentum cederent. *Tertio.* Captis vrbibus, præſidij ſtatim aliquid fuit imponendum, ſicq. locorum aliquo modo perſpici debuit munitio, vis, opportunitas, commeatus. *Quarto.* Hæ vrbes à ſe tanto diſtabant ſpacio, vt pluribus ad eas obeundum horis eſſet opus. Ideoque poſt partam victoriam, crucique ſuffixos Reges, diu C adhuc ſtetiſſet Sol. & tamen ſtationis eius finis indicatus, ſupra v. 13. victoria, ſeu de inimicis vltio, de iis ſcilicet, qui ad bellum illud conuenerant, non autem de omnibus, qui quoquo modo inimici erant. Alioqui, quoad Chananææ totius incolas omnes debellaſſent, eodẽ immorari loco debuiſſet Sol. *Quinto.* Dicit cõtextus è prælio reuertiſſe omnes in caſtra, quæ ad Macedam locata v. 21. & quid inibi ea luce adhuc actum ſit, pergit narrare: tandemq. Solem occubuiſſe adiungit v. 27. Et poſtea incipit de Macedæ vrbis expugnatione narratio: vnde vel narrationis ordo interrumpẽdus eſt, quod abſque D neceſſitate annuunt Abulenſis & Arias: vel poſt Solis occaſum captã eodem die Macedã fatẽdũ & nõ totum exercitũ, ſed eius partes quaſdam miſſas Lebnam, alias Lachim. vt eodem adhuc veſpere ſolicitarent, & ſi ſuccederet, caperent, ſin ſecus, obſidione ipſas cingerent. Et hoc poſterius, prout belli, victoriarumq. curſus tum fuit, accidere potuiſſet, niſi v. 29. diceretur Ioſue *cum omni Iſrael* & Macedam & Lebnam occupaſſe. Videmus enim quomodo vno veſpere vna vel altera hora victores duces dimiſſis in arces, vicos, opidaque varia copiarum ſuarum E tribunis, & vexillis nonnullis omnia confeſtim capiãt. Putarim igitur veriſimilius, diei illius victoria longe nobiliſſima contentum Ioſue, veſpertinum illud tempus, partim Dei laudibus celebrandis, eique gratiis agendis, partim vero curandis, quod poſt tãtos, noctu interdiu, exãtlatos labores erat neceſſarium, corporibus tribuiſſe: ac idcirco *diem* hic *eundem* pro *eodem tẽpore* dictum eſſe, prout antecedente v. 27. Nam vbi noſter ait, *vſque in præſens*, nimirum *tempus*, Hebræus habet, *vſque ad hunc ipſum diem*, Græcus F ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας. ſic enim ſæpe tam in Scripturis quã prophanorũ libris dies accipitur. vt,

Longa dies homini docuit parere leones.
Longa dies molli ſaxa peredit aqua.

Caietanus quidem mirum etiam putat, non *eodem*, quo de quinis Regibus triumphatum *die* captam Lebnam: ſed *Hunc diem eundem* con-

fert non ad geſta ſuperiora, ſed ad ipſam vrbis huius oppugnationē, hoc ſenſu, eodem die, quo cœpta eſt oppugnari, expugnata eſt: ſiue, vt ipſius verba retineam, *nō diuerſis diebus cepit Ioſua ciuitatem Macedā.* Explicatur enim, *quod vno ſolo die fuit occupatus ad capiendam Macedā.* vnde & Hebraice habetur, Et *Macedā cepit Ioſue in die ipſo,* quia tamen Hebræa potius vertenda ſunt, *in die hoc,* & quia durū interpretari *in die hoc* per *in die vno,* malo dicere *in tempore hoc,* ſiue *eodem tempore.*

Secunda. Lebna v.29. quæ *Libna,* & *Lobna* interdū etiam ſcribitur, *à candore* id nominis ſortita, ſicuti in latio quondam *Alba,* & in Hungaria modo *Alba regalis,* in Tranſyluania, *Alba Iulia* fuit Lebna infra c. 21. *vrbs ſacerdotalis,* & à Regibus Iuda cum defeciſſet 4. Reg.8. poſtea fuit à Sennacherib obſeſſa 4. Reg. 19.

Tertia Lachis v. 31. cuius ſupra nomen expoſitū q. 40. Quam recte ab Chytræo exponatur *Aethiops,* ipſe viderit. Vrbiū trib. Iuda fuit non minima infra c. 15. v. 39. Et à Rege Roboam egregie munita 2. Paral. 11. à Sennacherib obſeſſa 2. Paral.32. Iſai. 36. ſed *quando cepit hanc Ioſue? Die altero,* inquit textus verſu 32. ſiue, quod idem prorſus in Græco & in Hebræo eſt, *in die ſecundo.* An poſt longum illum ſolſtitialē diem? an poſt captam Lebnam? an vero poſt caſtra & oppugnationem ei admotam? quod poſtremum aſſerit Radak, Caietanus, Maſius, ego. Nam cur primo vel impetu vel die capta non ſit, cauſa v.33. innuitur. Se ſiquidem acriter tueri ſtatuerant, ſuppetiaſq. ab *Rege Gazer* expectabant, vel quia eas petierant, vel quia vltro ille detulerat. ſed cum veniſſet, fuit confeſtim toto cū exercitu profligatus, & internecione totus deletus. Eſt autē proprie dicta *Gazer* triplex: *Prima Ephraimitica* infra c.16. v.3. l.3. Reg. 9. *Altera Iudaica* 2. Reg.5. v. 25. 1. Paral. 14. v.16. vbi *Gazera* vocatur. *Tertia Tranſiordanina* 1. Machab.5. v. 8. vt ibidem expoſui fol. 659. Marci 5. v. 1. & Polybij l. 5. *De prima* ſermonem hic eſſe tradit libro de locis Hebraicis Euſeb. *Gazer,* ait, *in ſorte tribus Ephraim vrbs ſeparata Leuitis: quam & ipſam expugnauit Ieſus rege illius interfecto. Aedificata eſt autem poſtea à Salomone, nunc Gazara villa dicitur in quarto miliario Nicopoleos contra ſeptentrionem. Verūtamen ſciendū quod alienigenas ex ea Ephraim non potuit expellere.* Sed à Lachi aberat ea longius, & multo magis Tranſiordanina: *Secūda* vero erat multo propinquior. Has vero omnes quādoq. vocari *Gazara,* mirū nō eſt, ſed & vocātur *Gadara,* vel *Gadaris.* Nam ita *primā* vocat Ioſeph. l.5. Antiq. c.1. *Secundā.* Strabo l.16. *Tertiam* S. Marcus c.5. v. 1. Polybius lib. 5. Omnes vero à Gaza diſtinctas eſſe patet tū ex ſitu, tum ex ijs, quæ dixi c. 10. lib. 1. Machab. f. 676. & ſeqq. Licet aliqui Græci Codices hoc loco legerint Βασιλεὺς γάζη & γάζης, vt eſt in Notat. 70. Gadaram Stephanus ait etiam vocatam *Antiochiam,* & *Seleuciam.* ſed à quo? Et hodie Gaza, vulgo *Gazera* vocetur.

Quarta Heglon verſu 35. de qua ſupra quæſt. 4. eaque, potitus eſt Ioſue, *eodem,* quod ad eam bellum protulit, *die,* non autem, quo Lachim vaſtauit. Nimium enim hæ diſtant vrbes, Heglone verſus Auſtrum magis vergente.

Quinta. Hebron v. 36. & cum ea omnes vrbes, quæ ſub ea, tanquam vrbe regia, erant v. A 37. Cum vero tam Heglonis quam Hebronis Reges ſupra prope Makedam ſuſpenſos vidimus, neceſſario dicendum hic eorundē mortem repeti, ſed communi ciuitatum ſuarum clade inuolutam, vel certe, illis è vita ſublatis è veſtigio ſucceſſiſſe alios, ſiue ipſorum filij fuerint, ſiue non.

Sexta Dabir v. 38. Quomodo autem tam *Hebron* quam Dabir poſt hæc ipſa tempora captæ primum tradantur infra c. 15. v. 14. & Iud. 1. v. 20. illic exponetur.

Summatim vero regiones aliquæ ab Ioſue hoc B eodem belli feliciſſime procedentis impetu occupatæ, Regumque ac incolarum cædibus exhauſtæ recenſentur dupliciter. Primo v.40. *Omnis regio montana, & meridiana, atque campeſtris & Aſedoth.* quibus in verbis ſignificatur, tam terræ ſitus, quam qualitas per binas veluti oppoſitiones. Prior eſt, *terra montana* & *plana* ſeu *campeſtris.* Poſterior: *terra Solis æſtu areſacta,* & *aquarum fluuiis irrigata.* Illam vero areſactam 70. Hebræo retento nomine vocant ναγέβ: noſter *meridianam,* quia, quæ ad meridiem ſeu Auſtrum ſunt, ea niſi aliunde humoris quidpiam capiant C vehementiore Solis ardore terreri, ac exciccari ſolent. Quam vero aquis irrigatam dixi retēta iterum Hebræa voce vocant 70. ἀσηδὼθ, noſter *Aſedoth* hic infra c.12. v. 4. & 8. vbi tamē libri quidam mendoſe habent *Aſeroth.* Solent autem vulgares Iudæorum Rabbini vocem hàc interpretari, *aquarum effuſiones,* partim quod Chaldæis *aſad* valeat *fudere,* partim quod Chaldæus Thargum vertat *miſchpach meramiha,* quaſi *effuſionem è loco ſupero,* id eſt, aquas, quæ ſolent è montibus erumpere. ſed hos erroris ac inſcitiæ arguit Elias Leui in ſuo *Methurgeman,* partim D quia Chaldæis non *aſad,* ſed *ſada* eſt fundere, cui tamen in hiphil *aleph* præponitur, partim quia voce *ſchaphach* non ſolet ad aquarum effuſionem notandā vti Chaldæus. *Ego igitur,* ait hoc loco Maſius, *Chaldæum illis, quæ produxi, verbis, ſignificare voluiſſe puto: ea loca, quæ à Græcis* ὑπώρεια *dicantur: hoc eſt, vbi mōtes, colleſue in campos ſe porrigūt, nā porrectionē ſiue proiectionē aut effuſionem loci eleuati, illa eius verba interpretor. Quæ ſentētia mirifice cū propoſito cōſentit: atque etiam cum illo Deuteronomij loco, in quo idem verbum Hebræum eſt poſitum, cum dicitur* thachath aſdoth hapiſgah. *A Geneſara vſq. ad mare ſolitudinis ſiue mare campeſtre, mare, inquam* E *ſalſum, ſub decliuitate ſiue radicibus montis Phaſga ad Orientem. Sunt enim plerumque ſic ſita loca cæteris cultiora, lætioraque, quia ex montium diſtillatione rigantur. Sed quando* ſchedah *Chaldæis proprie axis eſt rotæ: vt ex Interprete Chaldæo, c. 7. lib. 3. Reg. cōſtat: & Aquilas Ponticus idem verbum interpretatur exciſum, vt eſt à Syro meo annotatum atque etiam vt meminiſſe videor, ab Hieron. non errauerit, opinor, ſi quis putet in præſenti, verbum aſchedoth ſignificare cōualles, quæ mōtibus aut collibus interiectæ iacent, ſiue quia illæ quodam modo axis ſpeciem præ ſe ferunt, vt quæ citimæ ſunt montiū colliūue vtrimq. aſſurgentiū partes ſicut axes ro-* F *tarum: ſiue potius, quia quaſi interciſis montibus factæ videntur. Sane hæc notio etiam appoſitiſſima eſt in numeris. vbi verba ex libro bellorū Domini proferuntur huiuſmodi veeſched hannechalim aſcher natah laſchebeth har. Videtur enim hic eſched pro fluminis alueo eſſe poſitum. qui tanquam conuallis eſt, aſſurgēte vtrimq.*

Digitized by Google

ripa. Conualles autem opponi recte Auſtrali, & aridæ terræ, præſertim in calidis alioqui regionibus, quis dubitet? Sunt enim illæ ſolo hubere & ſemper læto: quippe, quæ ſatis ex montibus humoris accipiant, neque diuturno æſtu affligantur, propter montium vmbras. vnde tum opacæ, tum virentes à poetis ſunt appellatæ. & à vulgo amænæ dicuntur.

II. v. 41. *Omnis terra à Cadesbarne vſque Gazam, omnis terra Goſen vſque Gabaon.* fuit vero, vt ex perpetuo Scripturæ vſu cõſtat *Cadesbarne* Iudææ terræ limes verſus Auſtrũ extremus, vnde miſſi exploratores, de quib. ſupra l. 1. c. 8. ab Herodoto l. 2. vocatus *καδύτης* à Chaldæo Paraphraſte *Rekem Gea.* quaſi *petra nobilis*, magnifica, ſuperba. Eſt enim Petra percelebris vrbs, à qua *Arabia Petræa* & huic erat *Cades* vicina Euſebio teſte lib. de locis. Et inde nominum iſta communicatio. *Gea* vero ſeu *Magnifica* epitheton additur ob viliorem in Beniamina tribu *Rekem.* Alia eſt in Nephthalim. *Cades*, de qua dixi Tob. 1. & Mach. lib. 1. c. 11. & ſeqq. c. q. 4. *Gaza* vero notiſſima eſt ad mare mediterraneum Paleſtinæ vrbs, cuius duplicem S. Hieronymus indicat Etymologiã, in Epitaphio Paulæ, dum *potentiam*, vel *diuitias* interpretatur. Et nõnulli quidem apud Bizanzium Stephanum lib. de vrbibus, à *Iouis*, Mela vero lib. 1. Geogr. à *Perſicorum Regum* gazis inibi cuſtoditis ſic vocati tradidit. ſed verius eſt à *robore* ac *potentia* ſic vocatã, cum Hebraice ab *botz*, quod eſt *fortis, potens*, ac *robuſtus*, haza, vel Gaza ſcribatur, & aſperitate *haim* Hebraici Leuita, *Aza*, prout ſuo tempore à Syris pronunciatum refert loco citato Stephan. Narrat vero Curtius lib. 4. & Strabo lib. 16. vaſtatam penitus, ac deſtructam ab Alexãdro. Vnde poſtea *ignuæ* manſerit, prout etiã dicitur Actuum 8. v. 26. li-

A cet eius potius *viã desertã* illic dici malint nonnulli. At vero *Gazã* etiã poſt Alexandrũ, & ante Strabonẽ *celebrem* fuiſſe, patet ex libris Machabæorũ, & Diodori Siculi & aliorũ hiſtoriis nõ eadẽ tamen prorſus Gaza erat. Nã relicta priore ſtatione, ſuas à mari ſedes paululũ remouerũt Gazẽſes, & fecerũt, vt *duæ* quaſi eſſẽt *Gazæ*, quarũ *prior deſerta*, id eſt, minus frequẽtata eſſet. Illa tamẽ paulatim reſtaurata eſt & dicta *Maiuma*, poſt vero à Cõſtantio Cõſtantini magni filio, *Cõſtãtia*, vt explicat l. 2. Sozom. De hac plura ſæpe ſcriptura, vt infra c. 15. v. 47. Iud. 16. 1. & 21. l. 1. Reg. c. 6. l. 24. l. 3. c. 41. 8. Ier. 25. & 47. D. Hier. de S. Hilarione, cultum illic maxime fuiſſe
B inanem Deum *Marnam* oſtendit, quem *Iouem* in *Gaza* interpretatur Stephanus.

Goſen vero vel vrbs fuit in mõtoſis Iudææ locis vt infra c. 15. v. 51. vel pinguis quiſpiã, herbidus, & cõpaſcuus locus, illius inſtar, quẽ ſuis in Ægypto fratrib. tradidit Ioſeph. Gen. 46. prout exiſtimãt Arias & *Midras.* ſicq. ſequẽti c. 11. videtur accipi v. 16. quã hic quidã ſcribunt *Geſſen.* contra ſcriptionẽ Hebræã, Chaldæam, Græcã & Latinã Romæ correctã. Et licet in Hebræo vox hic & Gen. 46. eadem ſit *Goſẽ*, tamẽ illic à noſtro Interprete ſcribitur *Geſſen*, hic *Goſen*, à 70. illic *γεσὲμ*, hic *γεσὸμ*, & ibi etiam pro ea ponitur, *heroum* vrbs in terra *Rameſſæ*. Ita igitur per Au-
C ſtralem plagam circumlatis armis, variiſque ac nobilibus partis victoriis triũphãs, in Galgalea caſtra reuertit, ſuo cum toto exercitu, ſpoliis, ac omni felicitate onuſtus Ioſue. Cauſa vero tãtæ felicitatis v. 42. notanda: *Dominus enim Deus Iſrael pugnauit pro eo*, ſeu, vt Paraphraſtes vertit Chaldæus, *Quoniam Dominus Deus Iſraelis per Verbum ſuum belligerabat pro Iſraele.*

CAPVT. XI.

Bellum ſextum Iabinicum ſeu Aquilonare.

1\. QVæ cũm audiſſet Iabim rex Aſor, miſit ad Iobab regem Madon, & ad Re-
gem Semeron, atq. ad regem Achſaph: 2. ad reges quoq. Aquilonis, qui
habitabant in montanis & in planitie contra meridiem Ceneroth, in cam-
peſtribus quoque & in regionib. Dor iuxta mare: 3. Chananæum quoq.
ab Oriente & Occidente, & Amorrhæum atque Hethæum ac Pherezæũ & Iebuſæum
in montanis: Heuæum quoq. qui habitabat ad radicem Hermon in Terra Maſpha. 4.
Egreſſiq. sũt omnes cũ turmis ſuis, populus multus nimis ſicut arena, quæ eſt in littore
maris, equi quoque & currus immenſæ multitudinis. 5. conueneruntq. omnes reges
iſti in vnum ad Aquas Merom, vt pugnarent contra Iſraël. 6. Dixitq. Dominus ad Io-
ſue: Ne timeas eos: cras enim hac eadem hora ego tradam omnes iſtos vulnerandos in
conſpectu Iſraël equos eorum ſubneruabis, & currus igne combures. 7. Venitque Io-
ſue, & omnis exercitus cum eo aduerſus illos ad Aquas Merom ſubito, & irruerunt ſu-
per eos, 8. tradiditq. illos Dominus in manus Iſraël. Qui percuſſerunt eos, & perſecu-
ti ſunt vſque ad Sidonem magnam, & Aquas Maſerephoth, campumq. Maſphe, qui eſt
ad Orientalẽ illius partẽ, Ita percuſſit omnes, vt nullas dimitteret ex eis reliquias: 9. Fe-
citq. ſicut præceperat ei Dominus, equos eorum ſubneruauit, curruſq. combuſſit igni.
10. Reuerſuſq. ſtatim cepit Aſor: & regẽ eius percuſſit gladio. Aſor enim antiquitus in-
ter omnia regna hæc principatũ tenebat. 11. Percuſſitq. omnes animas, quæ ibidẽ mora-
bãtur: nõ dimiſit in ea vllas reliquias, ſed vſq. ad internecionẽ vniuerſa vaſtauit, ipſamq.
vrbẽ peremit incẽdio. 12. Et omnes per circuitũ ciuitates, regeſq. earũ cepit, percuſſit
atq. deleuit, ſicut præceperat ei Moyſes famulus Domini. 13. Abſque vrbib. quæ erant
in collib. & in tumulis ſitæ, ceteras ſuccendit Iſraël: vnam tantũ Aſor munitiſſimam flã-
ma conſumpſit. 14. Omneq. prædã iſtarũ vrbiũ ac iumenta diuiſerũt ſibi filij Iſraël, cũ-
ctis hominibus interfectis. 15. Sicut præceperat Dominus Moyſi ſeruo ſuo, ita præ-
cepit Moyſes Ioſue, & ille vniuerſa cõpleuit: nõ præteriit de vniuerſis mãdatis, nec vnũ

Digitized by Google

quidem verbum quod iuſſerat Dominus Moyſi. 16. Cepit itaque Ioſue omnẽ Terram
montanam ; & meridianam , terramque Goſen, & planitiem, & Occidentalem plagam
montemque Iſraël, & campeſtria, eius: 17. & partem montis quæ aſcendit Seir vſque
Baalgad per planitiem Libani ſubter montem Hermon: omnes Reges eorum cepit,
percuſſit, & occidit. 18. Multo tempore pugnauit Ioſue contra reges iſtos. 19. Non
fuit ciuitas, quæ ſe traderet filiis Iſraël præter Heuæum, qui habitabat in Gabaon: om-
nes enim bellando cœpit. 20. Domini enim ſentẽtia fuerat , vt indurarentur corda eo-
rum, & pugnarent contra Iſraël, & caderent, & non mererentur vllam clementiam , ac
perirent, ſicut præceperat Dominus Moyſi. 21. In illo tempore venit Ioſue, & interfe-
cit Enacim de montanis, Hebron & Dabir, & Anab, & de omni monte Iuda & Iſraël,
vrbeſque eorum deleuit. 22. Non reliquit vllum de ſtirpe Enacim , in Terra filiorum
Iſrael: abſque ciuitatibus Gaza, & Geth, & Azoto, in quibus ſolis relicti ſunt. 23. Cepit
ergo Ioſue omnem Terram , ſicut locutus eſt Dominus ad Moyſen , & tradidit eam in
poſſeſſionem filiis Iſrael ſecundum partes & tribus ſuas. quieuitq. Terra à præliis.

COMMENTARIVS.

IAbinicum *hoc bellum voco, quia eius potiſsimus auctor & Dux fuit* Iabin *Rex Aſoranus:* Aquilonare *vero, quia in Aquilonarem Chananææ terræ plagam tetendit. Deſcribitur autem capite iſto* 11. *cuius* partes 6. *In* prima *eſt hoſtium contra Iſraelitas bellicus apparatus. Quemadmodum enim ſupra c.* 10. *Adoniſedek, Hieroſolymorũ Rex plures ſibi contra Iſraelitas eoſdem adiunxit Reges & populos, ita & nunc* Iabin Rex Aſor à verſu 1. *vſque ad* 4. *In* ſecunda *progreſsio eorundem hoſtiũ ad certũ prælij locum ver.*4. *&* 5. *In* tertia *eſt diuina Ioſuæ cõfirmatio & impreſsio in hoſtes ver.*6.7. *In* quarta *victoria ver.* 8. *&* 9. *In* quinta *victoriæ proſecutio, quoad variarum vrbium, terrarumq. occupationem & vaſtationem, ac direptionem ver.* 10. *vſque ad* 23. *In* ſexta *eſt bellorũ finis v.* 23.

QVÆSTIO I.

Quæ Aſor, eiuſque Rex?

IN Aquilonari promiſſæ terræ parte fuit vrbs *Aſor*, & quidẽ poſtea in tribu Nephtalim, vt infra dicitur c. 19. v. 35. Eã ſupra Samachonitidem lacum ſitam ſcribere videtur Ioſephus l. 5. hiſt. c. 6. ſed ἄτωρον ibi ponit pro ea, quæ cap. 4. Iud. v. 2. *Charoſeth* dicitur. Hic vero v. 10. à potentia & dignitate celebratur Aſor, quia *antiquitus inter omnia* Chananææ Aquilonaris *regna principatum tenebat*, ſeu, vt in Hebræo eſt, *caput erat* non aliarũ tantũ vrbium, ſed *aliorum regnorum*, & quidem *iſtorum omnium*, de quib. poſtea in 70. ἄρχουσα πασῶν τῶν βασιλειῶν τούτων. ac idcirco eam Latin. Interpres, vel certe in margine, vnde in textum irrepſit, Gloſſator quiſpiam dixit *munitiſsimã*. Et notãt in *Bereſchith rabba* Rabbini c. 35. fuiſſe hãc è trib. vrbibus, quas ad bellũ Iſraelitis faciendũ delegiſſent Chananæi. Eã in edito colle ſitã fuiſſe oſtẽdit v. 13. Brocardus vero à Libano eã non procul diſtitiſſe ait, & à Cæſarea Philippi milliarib. tantũ ſex, & à Tyro octo. Cepit eam Teglatphalaſſar l. 4. Reg. 15. v. 24. ac in eius cãpo præclaram adeptus victoriã eſt Ionathas Machab. 1. Mach. 11. v. 67. In Hæbræo cũ aſperiore littera ſcribitur *Chatſor* forte quia è vicis, villiſq. plurib. quæ *chetſarim* dicũtur cõſtructa: vti de *Athenis* in *Theſeo* refert Plutarch. de *Arocio* in Hiſpania, Arias Montan. Iud. 4. vel quia villis, atriiſq. multis abũdabat Vnde & ab Origene ho. 15. *aula* exponitur. Lenius 7. ἀσώρ, cũ Græci quidam litteræ illius aſperitatem videãtur exprimere voluiſſe dicendo νασώρ, aut forte potius χασώρ, ſicuti Lucæ 3. dicitur χωσάμ, & alibi [illegible]. In ſequenti cap. 12. ſcribitur ἀσώμ. Eius vero Rex *Iabin*, quaſi qui *intelligit*, aut *intelligere faciet*, vocatus eſt: à 70. vero ἰαβίς. Eſt autem hic ab illo diuerſus, de quo Iudic. 4. & Pſal. 82.

A

QVÆSTIO II.

Quoſnam Reges ac populos contra Iſraelitas concitauit Iabim Rex?

CVm Aſor eſſet vrbs Aquilonarium Chananæorũ regnis omnib. imperans, vt ſupra dicebant 70. omnes quoq. iſtos Reges ad bellum cõtra Iſraëlitas cõcitauit, & euocauit Aſoranus Rex Iabin. Enumerantur autem nominatim quidem *tres*, ſummatim vero complures.

Primus, Iobab Rex *Madon*, de quo nihil ſe comperti habere ingenuus notat Maſius. ſed μαρῶν legerunt 70. quia, vti notat S. Hier. in Iſaiæ 8.
B 38. 41. & 44. ſæpe illi duas iſtas litteras ד & ר propter maximam earum ſimilitudinem commutarũt. Simile autem quid indico in l. 2. Reg. c. 21. v. 20. vbi gigas, qui in Hebræo dicitur *Madin* aut *Madõ* à noſtro Interprete vertitur *excelſus*.

Alter eſt Rex *Semerõ*, & communiter intelligitur *Samaria* illa celebratiſſima vrbs, quæ & ditioni toti nomen dedit, & ab Herode in Auguſti honorẽ poſtea *Sebaſte* dicta eſt, Ioſepho teſte l. 13. c. 17. l. 15. c. 10. Sed *primo* cum ſcriberetur liber hic, nondum eo vocabatur nomine illa vrbs cũ à *Schemer*, qui eam Iſraelis Regi *Amri* vendidit, ita vocata ſit 3. Reg. 16. v. 24. *Deinde* cum 70. in
C citato iam l. 3. Regũ, modo σεμερῶν modo σαμαρείαν vocẽt, hic & ſequenti c. vertũt συμοών, licet alio in ſequenti capite accentu, συμόων. *Tertiò*. Hebræus ſequenti c. 12. v. 21. appellat non præciſe *Schimron* vel *Semeron* vt hoc c. 11. ſed *Schimron meron*. Ea propter dicendum videtur, vel aliam eſſe hanc Samariam, quæ altera illa tam celebri prior multo fuerit, eiuſq. rei ſignificandæ cauſa vocatam eſſe capite ſequenti *Semeron meron*: vel à poſteriore quopiam id nominis hic pro vetuſtiore, quod forte *Meron* fuit, poſitum. Magis autem in prius propendeo.
D *Tertius* Rex *Acſaph*, in 70. ἀζίφ. quã aliqui collocant inter Ptolemaidem & Tyrum. Vbi tamen non *Acſaph*, ſed *Achziph* eſt ſeu *Ecdippa*, vt à Ptolemæo libro quinto Geograp. vocatur,

Digitized by Google

Euſebius libro de locis, ſcribit ad radices montis *Thabor* fuiſſe, à Diocæſarea ſeu Siphori 8. miliaribus, in cuius veſtigiis ſteterit villa *Chaſalus*. Sed ſane verſus Aquilonem magis vrbs hæc tetendit, vt infra capite 19. apparet: ipſeque villam Chaſalum ponit idem eodem libro in *Iſſachar* tribu, eo loco vbi fuiſſet vrbs Achaſeluth.

Reges alij ſummatim verſu 2. ſunt. *Primo. Reges Aquilonis, qui habitabant in montanis*, in Libani ſcilicet, de quo ſupra capite 1. iugis, prout oſtendit Ioſephus, & colligitur ex locorum ſitu, & verſu 17. infra. Pro *Aquilone* vero 70. non *ex lectionis prauitate*, vt exiſtimat Maſius: ſed data opera, vt Paraphraſtice quid ſignificaretur, oſtenderent, poſuerunt hic ex ver. 8. Reges *κατὰ σιδῶνα τὴν μεγάλην*.

Secundo. Reges in planitie contra meridiem Ceneroth, ſiue in planitie meridiana Ceneroth. Pro *planitie* retinent 70. Hebræum ἀραβὰ. Eſt autem *Cenereth* infra capite 19. verſu 35. vrbs ab aliqua forte citharæ quæ Hebraice cinor, ſimilitudine, vſu au[illegible]nuento ita vocata, quæ poſtea in Tiberij honorem ab Herode tetrarcha ædificiis amplificata dicta fuit *Tiberias*, de qua libro 18. cap. 3. Gel. 3. Capt. cap. 31. & 32. Gr. in vita ſua multa Ioſephus, ex eoque breuiter non ita pridem libellus, cui inſcriptio Herod. cap. 20. *Iudæi* ait in Euſeb. Animad. 11. pag. 170. Scaliger, רקת *prius vocatam fuiſſe dicunt*, & à qua Ioannis 6. & 21. *Mare Tiberiadis*, quod Numer. 34. Deut. 3. dicitur *Mare Cenereth*, indeque nomen γεννησάρ & *Geneſara lacuſque & aqua Geneſar* 1. Machab. 11. verſu 67. Ioſephus libro 3. Capt. capite 32. & 35. Græce, & *Geneſareth* Marci 6. 53. Lucæ 5. verſ. 1. *ad cuius occidentalem partem* ait Plinius lib. 5. cap. 15. *Eſt vrbs Tiberias*, licet in quibuſdam Ptolemæi tabulis ſecus. Hinc dicta etiam *terra Geneſar* Matth. 14. 34. Sed *cur in plurali Ceneroth hic?* Numeri enallagen eſſe putat Maſius infra cap. 19. Euſebius lib. de locis, duas eſſe putat *Cenereth*. Radak vero id factum putat, vt hic non ſolum lacui adiacentes agri ſignificentur, ſed paulo etiam remotiores, pari tamen glebæ bonitate fertiles.

Tertio. Reges in campeſtribus quoque & regionibus Dor iuxta Mare, ſiue in tractibus aut regionibus vrbis Dor, ab occidente. Nam hoc valere, quod in Hebræo eſt *à mari* dictum eſt capite 1. Græci vero correcti codices. vt Regij Hebræū fere tractuum, ſeu regionum vocem, quæ eſt *naphoth* retinentes dicunt ναφὲθ δώρ, pro quo in 70. mendoſe φενεδδώρ. Eſt autem *Dor* quæ Stephano *Dorus*, Ptolemæo lib. 5. *Dora* Plinio lib. 5. capit. 19. *Dorum*. cuius *vrbis quondam potentiſſimæ mirata eſt* B. Paula *ruinas*, vt in eius Epitaphio Sanctus ſcribit Hieronymus.

Quarto. Verſu 3. *Chananæorum Reges ab oriente & occidente. Quinto. Amorrhæorum. Sexto. Hethæorum. Septimo. Pherezæorum. Octauo. Iebuſæorum in montanis. Nono. Heuæorum, qui habitabant ad radices montis Germon, in terra Maſpha.* Eſt autem Hermon duplex: vnus de qua hic, Libani pars verſus occidentem auctore Adrichomio. Verſus orientem potius ex verſ. 8. auctore Maſio f. 215. aliaſque vocatur *Baal Hermon, Sanir: Sirion*, ſeu *Sarion* & *Siron*. ſeu *Saren*, in 70. ἀερμών. *Alter* eſt apud

A torrentem *Chiſon*, à *Gelboe* monte non procul. *Hermonios* autem *Heuæos* legimus etiam Iud. 3. verſ. 3. vt clareat eos à *Gabaoniticis Heuæis* differre. Cæterum *Maſpha*, quæ *ſpecula* interpretatur, *quadruplex* eſt. *Prima*. in tribu Iudæ infra cap. 15. verſu 38. de qua perinepte locum intelligit iſtū Radak: *Secunda*. In tribu Beniamin, infra 18. verſu 26. *Tertia*. Moabitica 1. Reg. 22. verſu 3. *Quarta*. Libanica Galaatidi iuncta Geneſ. 31. verſu 49. Iud. 11. verſu 29. Hic enim ad regionis cuſtodiam ſpecula quæpiam in ipſo Libani ſupra Iordanem ingreſſu fuit. Et de iſta hic

B ſermo.

QVÆSTIO III.

Quanto numero hi contra Iſrael hoſtes fuerunt?

EX Regum, populornmque ſuperiore quæſtione numeratorum numero poteſt non difficilis de hoſtium multitudine coniectura fieri. Dupliciter tamen eam verſu 4. indicat Scriptura.

Primo. Quoad pedites: *Populis*, inquit, *multus*

C *nimis*, id eſt, multus valde, multus admodum. Ita enim ſæpe iſtud *nimis* accipitur, vt cum dicitur *Deus laudabilis nimis*. Et apud Plautū Amphitr. act. 1. *Legiones nimis pulchris oculis preditæ*. Atque vt magis hoſtium hæc monſtretur multitudo, additur comparatio: *Sicut arena, quæ eſt in littore maris*. Veram comparationem iſtam putat Arias, non ratione numeri, & vt Philoſophice dicam, non ratione *diſcretæ quantitatis*, ſed *continuæ* potius quoad viſum, fieri, quod quemadmodum in maris littore nihil niſi arena videtur: Sic nihil niſi *hoſtes* tum videretur. Ita enim loquitur: *Non ait hiſtoria hoſtium multitudinem nu-*

D *mero comprehendi, non aliter, quam maritimam arenam non potuiſſe, ſed tam denſas, frequenteſque fuiſſe ait illorum copias, vt quacunque locus proſpectaretur, nihil aliud, quam populus videretur, vnaque eſſet agri facies hominibus operti, velut iis, qui maris littus proſpectant omne ſolum arenæ conſtratum viſitur: nuſquam enim vel prati portio, vel aliud præter arenam conſpicitur, ideoque proprie eloquitur: Non enim, inquit, homines multi, ſed, populus multus nimis, neque ait, vt arenæ, quæ numerari non poſſunt quocunque loco ſint, ſed ſicut arena, hoc eſt, ſicut longe lateque extenditur arena ea, quæ eſt in littore maris, cuius facies omnis aſsiduo*

E *fluctuum æſtu arena conſtrata conſpicitur*. Sed ſane in numero ac multitudine tota comparationis vis eſt. Nam *Primo*. alioqui melius dixiſſet, ſicut aqua maris aut ſuperficies pelagi, aut ſicuti cœlum. Quemadmodum enim olim dixit quidam *Omnia pontus erat*, ſic ſæpe à nauigantibus nihil niſi pontus & æther conſpicitur. *Secundo*. In Hebræo ſic iſta ponitur comparatio: *ſicut arena, quæ in littore maris ad multitudinem*, ſiue, *reſpectu multitudinis*, quod noſter antea expreſſit per *nimis*. *Tertio*. Eadem vel ſimili comparatione ad

F numerum oſtendendum vtitur Dominus Geneſ. 13. verſu 16. cap. 22. verſu 17. Ieremiæ 33. verſu 22. *Quarto*. Omnium eſt de numero expoſitio. Verumenimuero ea comparatio qui cum veritate conſonat? Nam quæ fieri, nulloq. modo numerari poſſunt, ea cum arenæ numeratione conferri ſolent. Lucanus lib. 5.

Digitized by Google

Non modus Oceani, numerus non decrit arenæ.

Horatius lib. 1. od. 28.

Te maris & terræ, numeroque carentis arenæ
Menſorem.

Et Poëtarum ſummus Georg. 2.

—— Neque enim numero comprendere refert
Quem, qui ſcire velit, Lybici velit æquoris idem
Diſcere, quam multæ Zephyro turbentur arenæ.

Vnde, quaſi opus hominis ingenio vi ac poteſtate maius, de ſe ipſo vanus ille Apollo apud Herodotum lib. 1. iactabat οἶδα ἐγὼ ψάμμου τ' ἀριθμὸν, καὶ μέτρα θαλάσσης. Scripſit quidem olim Archimedes de arena numeranda libellum, qui ψαμμίτης idcirco dictus eſt, eiuſque modum ſuis in ſphæram commentariis infulcit noſter Clauius: fatendum tamen ſimpliciter arenæ maris numerum nullo hominis vllius, ſed ſolius Dei calculo aut ſcientia comprehendi poſſe. Hoc enim tantum efficit Archimedes, ſi aliquis ab aliquo pronuncietur arenæ numerus (etiamſi hunc talem eſſe non norit,) poſſe, iſtiuſmodi data hypotheſi, quamuis falſa: numerum aliquem ſtatui, etiamſi ad cœlum vſque arena illa coaceruaretur, & exaggeraretur. Vnde tandem dicendum, ad maximam hoſtium multitudinem ſignificandam, hyperbolicos iſta comparatione vti Scripturam, prout notauit S. Auguſtinus lib. 16. ciuit. capit. 21. *Poteſt videri ad hoc pertinere: Et faciam ſemen tuum tanquam arenam terræ: quod ea locutione dictum eſt, quam Græci dicunt hyperbolem, quæ vtique tropica eſt non propria. Quo tamen modo vt cæteris tropis vti ſolere ſcripturam nullus qui eam didicit, ambigit. Iſte autem tropus, id-eſt, modus locutionis fit, quando id quod dicitur longe eſt amplius, quam quod eo dicto ſignificatur. Quis enim non videat, quam ſit incõparabiliter amplior arenæ numerus, quam poteſt eſſe omnium hominum ab ipſo Adam vſque ad terminum ſæculi? Quanto ergo magis, quam ſemen Abrahæ, non ſolum quod pertinet ad Iſraeliticam gentem, verum etiam quod eſt, & futurum eſt, ſecundum imitationem fidei toto orbe terrarum in omnibus gentibus. Quod ſemen in comparatione multitudinis impiorum, profecto in paucis eſt: quamuis & ipſi pauci faciant innumerabilem multitudinem ſuam, quæ ſignificata eſt ſecundum hyperbolem, per arenam terræ. Sane iſta multitudo, quæ promittitur Abrahæ, non Deo eſt innumerabilis, ſed hominibus. Deo autem nec arena terræ. Proinde quia non tantum gens Iſraelitica, ſed vniuerſum ſemen Abrahæ, vbi eſt expreſſa promiſſio, non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum plurimorum filiorum, congruentius arenæ multitudini comparatur: poteſt hic intelligi vtriuſque rei facta promiſſio. Sed ideo diximus, quod non euidenter appareat, quia & illius gentis vnus multitudo, quæ ſecundum carnem nata eſt ex Abraham per eius nepotem Iacob in tantum creuit, vt pæne omnes partes orbis impleuerit. Et ideo potuit & ipſa ſecundum hyperbolem arenæ multitudini comparari: quia & hæc ſola innumera eſt homini multitudo.*

Secundò. Quoad equites & currus, *Equi*, ait, textus, *& currus infinitæ multitudinis:* Hebraice, & Græce, *multi valde.* Vtrumque autem numerum tam ſuperiorem quod hunc ſignate notauit Ioſephus dicens *peditum armatorum fuiſſe myriadas* XXX. id-eſt, *trecenta millia*: equitum vero *myriadem*, id-eſt, *decem millia*: Curruum *duas myriadas*, id-eſt, *viginti millia*, mendoſe in Zona-

A ra XXX. millia. Magna ſane multitudo hæc. An vero eam ille coniecerit, an ex veterib. vel annalibus, vel hominum ſermonibus acceperit, non habeo equidem dicere. Certe ipſi neq; Maſius, neque Arias fidem habent.

QVÆSTIO IV.

Quem in locum iidem conuenerunt hoſtes?

Conuenerunt, ait verſ. 5. *omnes Reges iſti in vnum ad aquas Merom, vt pugnarent cõtra Iſrael.* Iſtud
B *conuenerunt* putat Maſius poſſe accipi pro *pacti ſunt*, ſiue, mutuis inter ſe pactis, & ſponſionibus obſtricti ſunt, quia hoc aliquando ſignificat Hebræum verbum, & Syriacus Græcique nonnulli verterunt συνέθεντο. At 70. συνῆλθον vertunt: eſtque hæc vſitatior Hebræi verbi notio. Et licet ad Maſij ſenſum poſſet Latinus etiam textus explicari, cum pacta vocentur etiam *conuenta*, malo tamen accipere de conuentu, ſeu omnium ad deſtinatum locum acceſſu, maxime cum in Hebræo addatur eos caſtra ſimul collocaſſe, ſic: *Et congregati ſunt omnes*
C *Reges iſti, & venerunt, & caſtrametati ſunt ſimul ad aquas Merom.* Licet negandum haud ſit, verbo eodem ſubindicari, magno conſilio, variiſque pactionibus illuc Reges iſtos conueniſſe, vt etiam ab Aria notatum eſt, & pſalmo 2. ſic: *Aſtiterunt Reges terræ, & principes conuenerunt in vnum.*

De Aquis *Merom* ſententiæ ſunt duæ. *Prima.* Euſebij lib. de locis, eas à *dothami* non procul eſſe, à Samaria ſcilicet miliaribus 12. Aquilonem verſus. quia illic vicus *Mexas. Secunda.* Eſſe Iordanis locum illum, qui inter illius exortum, de quo cap. 3. ſupra p. 2. q. 3. & ſtagnum Gene-
D zareth, de quo hic q. 2. interiacet, vocaturque à noſtris *Samechonitis*, à Thalmud *Saichonitis. Tertiam* Ioſepho tribuit Maſius *ſententiam*, quaſi aquas Merom, putarit hoc loco *non* eſſe *amnis* aut *lacus* nomen, ſed *vrbis.* Et vero diſerto de Regibus iſtis ait στρατοπεδεύουσι πρὸς Βηρώθῃ πόλει Γαλιλαίας τῆς ἄνω, Κεδέσης οὐ πόῤῥω. id-eſt, *caſtra collocant ad Berothen Galilææ ſuperioris vrbem, à Cades non procul*: ſed verius eſt, quod ait Arias, à Ioſepho non negari *aquas Meron*, ſed vrbem ab iis denominatam iuxta ipſas collocari quæ vocatur *Berothe*, aut potius *Merothe*, cum *me Merom* Hebraice vo-
E cantur *aquæ Merom.* In Beniamin tamen Itinerario *vrbs Berytus* dicitur olim vocata *Beeroth.* Vnde autem ſic vocatæ ſint, cum *Merom* altitudinem importet, valeatque *ab alto* ſeu *à ſuperiore loco*, reſponſio eſt duplex. *Prima.* Ariæ quia hic lacus altero Genneſaretico ſuperior eſt. *Secunda.* Quia ſuperioribus Galilææ locis è ſuperiore Iordanis parte, quæ ab eius principio conſideratur, exiſtit. Et ſic etiam Iudicum 5. verſu 18. vocantur *agri* ſeu *regio Merome.* In 70. vero legitur hic τὸ ὕδωρ μαρῶν. Vnde fortaſſis pari modo
F vrbs apud Ptolemæum in Chalcidice μαρωνίας. Cur vero hunc in locum voluerint conuenire Iſraëlitarum hoſtes, cauſam nemo dubitarit eſſe, quod eam, prælio ac victoriæ quam quærebant, oportunitatem iudicarint. Sed quia, vt dixi, altitudinem & ſuperioritatem quandam eius nomen importat, non male coniicit Arias, felix victoriæ omen hinc ab ſuperſtitioſis, cæciſque Gentilibus iſtis captatum.

Digitized by Google

QVÆSTIO V.

Quomodo, quando, & cur Ioſuam confirmauit Dominus. v. 6.

PRimus modus fuit, qui ſæpe hactenus notatus, vt ſponte ſua Ioſuam Dominus, vel per ſpecies & phantaſmata quædam eius animo impreſſa, vel per ſonoras Angeli alicuius voces alloqueretur, vel interrogatus ab illo Dominus per ſacerdotem adhibito *Vrim* & *Thummim* oraculo. Nam in re tam ardua, tantoque periculo conſuluiſſe Dominum Ioſue, videtur ex dictis cap. 9. v. 14. perſpicuum.

Secundus. Pridie prælij cum hoſte committendi confirmauit Ioſuam Dominus, vt apparet ex verbis v. 6. *Cras hac eadem hora ego tradam omnes iſtos vulnerandos in conſpectu Iſrael.* Pro *hora* in Hebræo eſt, *in tempore hoc.* Nam neſcio an illo tempore in 12. partes, quas 12. horas diximus, dies diuiſus iam fuerit. Certe in veteris teſtamenti Hebræo nuſquam vox, qua horam hodie ſignificant Rabbini, *Schagah* ſcilicet, inuenitur, præterquam in Daniele, & Chaldæo textu alicubi. v. c. Canticorum 1. Noſter tamen hic 70. imitatus eſt, qui reddunt ταύτην τὴν ὥραν. ſignificabat vero antiquitus *hora* in die, vt nocte certum & oportunũ diurnæ, aut nocturnæ alicuius actionis tempus, vt *hora prandij, hora cænæ, hora ſomnij,* quæ aliter Latinis tempeſtas vocatur, vt apud Ciceronem de legibus. *Sol occaſus ſuprema tempeſtas eſto.* quod ex Solonis legibus, tralatum, in quibus ſic, ὁ ἥλιος ἐπὶ τῶν ὀρῶν ἐσχάτη ὥρα ἔστω. Et ad quas alludens apud Stobæum ſerm. 1. Muſonius *primam & vltimam horam* nominat, cum de Socrate morituro dixit, ὁ προσιέμενος τὴν ἐσχάτην ὥραν παρατηρεῖν, εἰ ἔστιν ἥλιος ἐπὶ τῶν ὀρῶν, ἀλλ' εὐθαρσὴς τῷ προσιόντι. Et ſic Apoſtolus Rom. 13. v. 11. *hora eſt iam nos de ſomno ſurgere.* Sed alibi de hora iterum, vt in Ruth c. 2. q. 24.

Tertius. Cur autem confirmarit Ioſuam Dominus, cauſam dat Ioſephus, quod tanta hoſtium multitudo ipſum & Iſraëlitas plurimum terreret. Homo nimirum erat Ioſue, homines Iſraëlitæ. ideoque ab ipſis humani alienum nihil. Quia tamen diuinam opem & auxilium tantum, tamque præſens, tot & tantis in rebus experti iam erant, addit Ioſephus, Deum iis hunc metum opprobaſſe. quod in textu tamen non eſt.

QVÆSTIO VI.

Quomodo, & quouſque innumerabilem hoſtium multitudinem hanc fugarit, ac ceciderit Ioſue?

PRimo. Tam innumerabilis hoſtium multitudinis delendæ modus traditur. v. 7. duplex. Vnus induſtria, celeritas, Labor, & dimicatio Ioſuæ, totiuſque ipſius exercitus: idque ſignificatur hiſce verbis: *Venit Ioſue & omnis exercitus cum eo aduerſus aquas Merom ſubito, & irruerunt ſuper eos.* Alter modus eſt Dei manus, & auxilium, quod hiſce verbis monſtratur: *Tradiditque illos Dominus in manus Iſrael.*

A *Secundò.* Triplex verſu 8. *terminus*, ad quem vſque deiectos, palanteſque hoſtes iſtos fugarunt ac obtruncarunt Iſraëlitæ, monſtratur? *Vſque* ait, *ad Sidonem magnam, & aquas Maſerephoth campumque Maſphæ.* *Primus.* Eſt autem *Sidon* nota Phœniciæ vrbs in mediterranei maris littore ſub Antilibano, de qua ſupra cap. 1. Eam Ioſephus lib. 1. Antiq. cap. 7. Gr. dicit à *Sidonio* Chananæis filio vocatam *Sidonem*, quæ à Græcis vocatur σιδών. Sed ſane ab ipſiſmet Hebræis *Sidon* aut *Tſidon* appellatur, tam ille Chanaan filius Geneſ. 10. verſu 15. 1. Paral. 1. 13. quam vrbs ipſa B paſſim, & quidem *à venationis copia*, vt indicat homil. 14. Origenes vel *à piſcium vbertate*, vt ait Iuſtinus lib. 18. idque admodum veriſimile eſt, quia Syriace *tſaid* eſt *venator*, & *piſcator* Geneſ. 10. in Thargum Hieroſolymitano. Iſaiæ 10. & 33. Matth. 4. & etiamnum hodie vrbs ea vocatur *Said*: non autem quod, vt ibidem ſubdit idem Iuſtinus, *piſcem Phœnices Sidon vocent*, quamuis etiam Hebraice, omne quod venatu aliquo in terra, in aqua, in aëre capitur, imo cibus & eſca omnis appellatur *tſaid* vel *tſid* ſupra cap. 9. verſu 5. & Geneſ. 10. verſu 9. cap. 27. verſu 24. Prouerb. 12. verſu 27. Nehem. 13. verſu 15. itemque *tſedah* C vel *tſidah* ſupra capite 1. & Gen. 42. verſu 25. Notant vero Stephanus & Euſtathius in Iliad. 7. & Odyſſea, in *Sidone* ſyllabam ſecũdam corripi & produci, eiuſque ciues vocari *Sidonas*, & *Sidonios*, vt ex Homero & aliis infra patebit. Verum in textu, *magna* cur vocatur? *Primò.* Non comparatione alterius. *Ego quidem*, ait Origenes homil. 14. citata, *cum in locis Sidonis aliquoties demoratus ſim, nunquam comperi duas eſſe Sidonas, vnam magnam & aliam paruam, quantum ad terrenum pertinet locum.* *Secundò.* Variis de cauſis *magna* dicitur. *Primò.* Loci amplitudine. *Secundò.* Loci amœnitate ac pulchritudine. Ideo enim ſcribit Dionyſius, D σιδόνα αἰθαλόεσσαν νεοθηλῆ χαρίεντος ἐφ' ὕδασι Βοστρηνοῖο, id-eſt, *Sidonem floridam*, vel vt vertit Priſcianus:

----- Sidonaque pulchram
Quam iuxta liquido Boſtrenus gurgite currit.

Strabo lib. 16. Σιδὼν ἐπὶ εὐφυεῖ λιμένι τῆς ἠπείρου τὴν ἵδρυσιν ἔχει.

Tertiò. Antiquitate. Licet enim ei non poſtponat, ſenij cauſa, Tyrum Strabo lib. 16. & hanc vocet in Periegeſi Dionyſius *Ogygiam*, id-eſt, *antiquam* hac tamen illam apparet antiquiorem ex Geneſ. cap. 10. & 49. & ex Homero, qui Sidonis meminit, Tyri vero nunquam: ex Poſi- E donio, qui apud Strabonem libro citato ante Troica tempora fuiſſe ipſam refert: ex Plinio lib. 5. capit. 19. vbi dicitur *Sidon Thebarum Bœotiarum parens.* Thebas vero has conſtat eſſe antiquiſſimas. Quin vero clare lib. cit. Iuſtinus à *Sidonis Tyrum* narrat *ædificatam vno ante Troianam cladem anno.* *Quartò.* Ex ſumma nominis celebritate. Nam Homeri quidem ætate iam extabat Tyrus, vt ex noſtris Prophetis & citato iam Iuſtino patet, quia tamen Sidone multo erat ob- F ſcurior, ideo eius, vt dixi, non meminit. *Quintò.* Opibus, & diuitiis, Eumæi mater apud Homerum odyſſ. o. Ἐκ μὲν σιδῶνος πολυχάλκου εὔχομαι εἶναι. *propter purpuram*, inquit, Euſtathius ibidem. Sed & propter mercaturam quæſtuoſiſſimam, & alia, de quibus infra. *Sextò.* Variis ac præſtantib.

Digitized by Google

vel artibus vel ſcientiis. Vnde Achilles Iliad. ψ. A præmium ſtatuit iis, qui pedum certarent velocitate, argenteum craterem, elaboratiſſimum, & qui pulchritudine omnes, qui terrarum vſquam eſſent, longe ſuperaret. ἐπεὶ σιδόνες πολυδαίδαλοι εὖ ἤσκησαν. Nam, vt ibidem, ait Euſtathius: πολύτεχνοι καὶ ἐξαίρετοι οἱ σιδόνες καὶ μὴν καὶ πολύτεχνοι. Plinius lib. 5. c. 19. *Sidon artifex vitri* & lib. 36. cap. 26. *Sidon vitri officinis quondam nobilis. Siquidem etiam ſpecula excogitauerat.* Et ne plura perſequar: de his lib. 16. Strabo: Σιδόνιοι δὲ πολύτεχνοί τινες παραδίδονται καὶ καλλίτεχνοι καθάπερ καὶ ὁ ποιητὴς δηλοῖ B πρὸς δὲ, καὶ φιλόσοφοι, περί τε ἀστρονομίαν, καὶ ἀριθμητικὴν, ἀπὸ τῆς λογιστικῆς ἀρξάμενοι, καὶ τῆς νυκτιπλοΐας. ἐμπορικὸν γὰρ καὶ ναυκληρικὸν ἑκάτερον. Et poſtea Sidonios præſtantes Philoſophos enumerat, *Moſchum*, qui ante Troica fuerit tempora: *Boethum* τὸν συμφιλοσοφήσαντα ἡμῖν, ait, ἡμεῖς τὰ Ἀριστοτέλεια, & *Diodotum* ipſius fratrem. Denique ſcribit loco citato Strabo certamen inter Sidonem & Tyrum ſuo etiam tempore, fuiſſe, vtra Phœnicum eſſet metropolis. *Inter vtramque*, ait in hodœporico ſuo S. Vilibaldus, *eſſe miliaria ſex*.

Secundus. Quæ *aquæ Maſerophoth*, ab noſtro C Aquilam interpretem ſecuto dicuntur, à Symmacho vertuntur *Miſrephoth à mari*, à quibuſdam Græcis μασερεφὼθ μαεὶμ: à 70. Romanis μασερὼν. à Maſio *vſtrinæ aquarum*: ab aliis, *combuſtiones aquarum*. Siue enim appellatiuum hic nomen, ſiue proprium ſit, cum *Saraph* vrere ſit, triplex de ipſo ſententia eſt. *Prima.* Chaldæi Thargum, & quorundam Rabbinorum, fuiſſe in eo loco foſſas & lacunas, in quas è mari ſalſæ deriuatæ aquæ Solis æſtu in Salem concreſcerent ac excoquerentur. *Secunda.* Radak & Pagnini, fuiſſe calidarum hic aquarum ebullitiones, cu- D iuſmodi ſunt in vicinia noſtra Vviſbada, prope Confluentiam *Emſerij*, In Belgio *Aquiſgrani*, in Lotharingia *Plumbaria*, in Iudæa *Emmaunte*, vti ſcribit Ioſephus lib. 18. Antiq. cap. 3. Gr. & lib. 4. Capt. cap. 2. vbi & ipſum *Emmaus* nomen interpretatur θερμὰ ὕδατα, quaſi ex vulgari Hebræo *chamme maiim*, vel *maia*, id-eſt, *calidæ aquæ*. Nam quod contra hanc originationem obiicit pag. 212. in Animad. Euſeb. Scaliger de terminatione *us*, quid quæſo eſt? Huiuſmodi vero aquæ fuerunt etiam *Callirrhoa* vltra Iordanem, prout idem ſcribit lib. 17. cap. 8. *Tertia.* Fuiſſe vitrarias E fornaces. Nam auctor eſt lib. 36. cap. 26. Plinius, & Strabo lib. 16. arenam ὑαλῖτιν inter Ptolemaidem & Tyrum fuiſſe, quæ Sidonem ferretur, & in vitrum excoqueretur: & Cendeuiam Paludem intra Carmeli montis radices fudiſſe *Belum* flumen, è quo arena iſtiuſmodi. qua & hodie Venetorum ſaburrantur naues, vt ex ea, Venetiis, vitrum, ſubditis aſſidue ignibus, efficiatur. Sed vel *aquæ* ipſæ *vrunt*, & *prima* ſententia conueniret, ſi huiuſcemodi calidarum aquarum illis in locis mentio alicubi fieret, vti de F locis aliis dictum ſupra ex Ioſepho: vel *aquæ vruntur*, & ſic *ſecunda* congrueret ſententia, ſi de Salinis ibidem aliquid legeretur: aut ſi per Catachreſim, vti iam *clepſydra* pro *clepſammio* dicitur, per *aquas* arena ex aquis intelligeretur, idonea eſſet ſententia. *Tertia:* quæ ob citatos auctores minime diſplicet. Nam & apud nos, mira phraſi dicitur, *Baſſer brennen* pro *exprimere igni aquam ex herbis, floribus, & baccis* aliquibus: itemque *Brandtvvein* vinum, quod ignis ardore ſimiliter ex fecibus diſtillatur. Suo autem æuo vitrum Sidone fieri præſtantiſſimum refert citato loco Beniamin.

Tertius terminus, campus *Maſphæ.* 70. τὰ πεδία μασσηφά. Sed vbinam ille campus ſit, additur, *qui eſt ad orientalem illius partem.* In Hebræo tantum eſt *ad orientem*, & Græce κατ' ἀνατολάς. Dum tamen addit noſter, *illius*, videtur Hebraice legiſſe *he* mappicatum *mitzrachah* & retuliſſe ad Maſpham. Tres igitur partes in quas fuga euadere hoſtes conati ſint, & tres termini, ad quos vſq; fugientibus inſtiterunt Iſraëlitæ, hic monſtrantur, occidentalis quidem, & ſeptentrionalis *Sidon*, occidentalis & magis Auſtralis *Maſrephoth*, orientalis *Maſphæ campus* verſus Iordanem, vti etiam ſupra quæſt. 2. ſignificatum.

QVÆSTIO VII.

Quid poſt victoriam tantam fecit Ioſue?

Breuiter & quaſi ſummatе verſu 9. *fecit Ioſue ſicut præceperat ei Dominus: equos eorum ſubneruauit, curruſque combuſſit igni.* Tum vero tantam victoriam feliciter proſecutus eſt, prout deinceps explicatur verſ. 10. & ſequentibus. *Equos* autem *ſubneruare* eſt pedes & crura iis incidere, vel eos inciſis crurum neruis, tanquam vinculis diſſolutis, prorſus debilitare, inutileſq; reddere. Cui enim vſui equus, cui crura, & pedes aut nulli, aut inſecti? Hebraicum verbum valet quaſi *fundamentum* ac *radicem auferre*, quia crura equorum fulcimenta ſunt ac fundamenta. Hoc dixerunt 70. νευροκοπεῖν, Ioſephus ἵππους ἀχρήστους ποιεῖν, Latinorum quidam, *equos ſuffraginare*, ac *ſubpernare*: Maſius *eneruare*: Noſter hic, & 2. Reg. 8. verſu 4. 1. Paral. 18. 4. ſemper *ſubneruare*, prout etiam in Apologia 2. loquitur Apuleius. Sed cur hoc fecit Ioſue? quia præceperat Dominus ſupra verſu 6. Cur vero præcepit Dominus? Quia equis vti nolebat Iſraëlitas. Nam ſane hoſtium alioqui greges, pecora, & iumenta in prædam, niſi ſecus à Domino iuſſum, aut ei ab Iſraëlitis votum eſſet, poterant iſti capere, & vero capiebant, vt Num. 31. verſu 32. poſt Madianitici prælij victoriam, fuit præda, quam exercitus ceperat, ouium 67000. Boum 72000. Aſinorum 61000. Cum ergo equorum ſuffraginationem, ac diſperditionem iuſſit Dominus, aperte ſibi placere ſignificauit, vt ne illis vterentur Iſraëlitæ. Apud Ioſephum lib. 12. cap. 3. Gr. non modo vetantur Iudæi equorum, aſinorumq; ferorum, & cicurum veſci carnibus: ſed eorum etiam pelles Hieroſolymam inferre, ipſorumque quidquam nutrire. quod de aſinis tamen cicuribus aperte falſum eſt, vt etiam hoc loco homil. 15. Origenes docet. D. Hieronymus in illud pſalmi 75. *Dormitauerunt qui aſcenderunt equos: Aegyptij, ait, habebant equos ſed perierunt. Inde, & præceptum eſt in lege, vt non Hebræus habeat equos: Denique Salomon non habebat equum de Hieruſalem aut de Iudæa: ſed emebat ſibi de Aegypto.* Et in illud Iſaiæ 2. *Repleta eſt terra eius equis, & innumerabiles quadrigæ eius. Non, ait, dignum eſt numero, quod contra Dei imperium poſſidetur.* Et in cap. 36.

Digitized by Google

Quod paucitatem obſeſſorum volens oſtendere Rapſaces, A *equorum duo millia pollicetur, quorum Ezechias aſcenſores præbere non poſsit: non de imbecillitate venit populi Iudæorum, qui equitandi carebat ſcientia, ſed de obſeruatione mandatorum Dei: qui per Moyſen ſuper Rege præceperat Iſraël: Non multiplicabit ſibi equos.* D. Baſilius in eadem illa Iſaiæ cap. 2. verba: *Nullo*, ait, *non loco ſcripturæ obſeruauimus ſanctos deuitaſſe vſum equorum, quin & de his, qui in procinctu inſtruuntur ad bellum, inque reliquis iſtius vitæ indigentiis.* Origenes hunc in locum homil. 15. *filij Iſraël nunquam equis vſi eſſe referuntur, & lex nihil de equis, ſed de aſinis mandat, vtpote de animalibus,* B *quæ ad hominum labores iuuandos, & ad onera eorum portanda videntur exiſtere, equi vero magis ad hominum perditionem: hoc enim eſt quod per eos in prælijs geritur. Laſciui motus animal, & ſuperbæ ceruicis accipitur.* Verum in hac ipſa de equis ſententia, nonnulla ſunt, quæ diſquiri poſſunt. ac *primò* quidem *vbinam in lege prohibitus equorũ vſus* ſit? Nam hoc quidem loco *ſubneruari* iubentur, eorumq; omnis vſus, Dei iuſſu, Iſraëlitis adimitur. Sed neque hoc eſt in lege, neque ex vno facto, vna in re, ſemel aut iuſſo aut vetito ſtatim legem condere oportet. Vidimus ſupra cap. 6. de Hierichuntinis exuuiis peculij nihil à quoquam C fuiſſe accipiendum, an propterea ex hoſtium ſpoliis nihil vnquam Iſraëlitarum vlli accipere fas? In Amalecitico bello quanta rerum omnium abſtinentia, quam promiſcua ſexus ætatiſque omnis cædes Sauli Regi 1. Reg. 15. verſ. 3. imperata? Num in omnibus id bellis pro lege habitum? Significat igitur D. Hieronymus in Iſaiæ citatum cap. 36. vetitos Iſraëlitis equos Deut. 17. idemque ſentit Ribera in Hoſeæ cap. 14. n. 10. & qui marginales D. Hieronymo ſcripturas in pſalmum 75. aſcripſit, & fere hoc loco Maſius. Sed ibi definite non niſi de Rege D agitur. Et huic non ſimpliciter *equorum* vſus, ſed *multitudo* prohibetur. ita vt ſecundum eam Regis legem, videretur aliis non eripi equorum vſus, vel vt vehantur ipſi, vel vt ſarcinas & onera veherent quælibet, vel denique vt aliis, ſi quidem liberet, venderent. *Secundò. An aliis, præterquam Regibus probibita equorum multitudo?* Quia de Solis Regibus in lege agitur, dixerit aliquis videri equorum multitudinem aliis conceſſam. ſed non eſt. Si enim quibus maxime conceſſa videretur, ea multitudo non conceditur, quanto aliis minus? *Tertiò. An* quia Iſraëlitis nuſquam moderatus equorum vſus prohibitus, *iis* E *aliquando vſi ſint?* Ante Moſaicam legem videntur equos Iſraëlitæ habuiſſe Geneſ. 47. 17. Poſt legis vero promulgationem, ante Salomonis tempora, nullum neque apud priuatos, neque apud Optimates aut Reges Iſraëliticos vllum equorum lego vſum: huius vero tempore cœpit vſus 3. Reg. 4. 26. c. 9. 22. c. 10. 25. & ſequentibus 2. Paralip. 1. 16. & ſequentibus. Et deinceps manſit, valdeque inualuit, 4. Reg. 3. 7. cap. 7. v. 13. 14. 1. Eſd. 2. 66. & 2. Eſd. 7. 68. ita vt multitudinem ac pompam reprehenderent Prophetæ. Iſaiæ 2. & 31. Ierem. 6. 23. Oſeæ 14. 4. Amos 2. 15. Zach. F 10. 5. pſalm. 19. 18. pſal. 75. 7. *Quartò. An equorum multiplicator*, permiſſa ea ipſa multiplicatione, *peccauit?* Reſpondetur lib. 3. Reg. *Quinto. An eius poſtea imitatores peccarunt?* Non eſt diuina lex humanæ ſimilis. ideoq; actuum etiam multorum imo & omnium iteratione obrogari, vel abrogari non poteſt, cum ſummi legiſlatoris ius & auctoritas ab hominibus quantumuis multis & coniunctis non pendeat. ideoque ſi peccauit Salomon, hi quomodo excuſentur? *Sextò.* Cum liceret moderatum equorum numerum tam Regibus quam priuatis habere, *cur hiſce ab hoſte captis exitium inferri voluit Dominus? Primò.* Ne diuina diminueretur gloria. Cum enim equus bellicoſum & pugnax animal ſit, prout Iob 39. graphice Virgilianis pæne in Georgicorum 3. & Æn. 4. coloribus depingitur. ſi eo ad bella vterentur Iſraëlitæ, horum opera magis, quam Dei ope viderentur vincere. *Secundò.* Ne ipſorum in ſonipede potius, quam in Deo ſpes figeretur. Prouerb. 21. verſ. 30. *Equus paratur ad diem belli: Dominus autem ſalutem tribuit. Tertiò.* Ne ſi eos Chananæis reuenderent, ab iiſdem rurſus poſtea detrimentum acciperent. *Quartò.* Ob myſticas cauſas. Nam *Primò* arrogans & ſuperbum eſt animal equus. ideoque cum equum aſcendiſſet Plato, deſcendit illico ne ἱπποτυφίᾳ ληφθῇ, ait Laërtius. *Secundò.* Eſt φιλόδοξος, inaniſq; laudis percupidus, vt leuibus etiam poppyſmatiis mirum quam excitetur.

Acer, & ad palmæ per ſe curſurus honores
Si tamen horteris fortius ibit equus.

Tertio. Ferox, & præliabundus. *feruens*, ait Iob cap. 39. verſu 27. *& fremens ſorbet terram, nec reputat tubæ ſonare clangorem. Vbi audierit buccinam dicit vah. Procul odoratur bellum, exhortationem ducum & vlulatum exercitus. Quarto.* Salax & libidinoſus eſt. Theophilactus in act. cap. 10. & Andreas Cæſarienſis in Apocal. 14. ἱπποθηλυμανεῖς. Et de libidinoſo in Latino Eccleſiaſtico ca. 23. ver. 30. *Quaſi pullus equinus fugabitur. Quinto.* Sua neſcio qua vel ſpecie, vel generoſitate nimium pleriſque ſui amorem indit, vt quemadmodum auari, auro, gaziſq; magnis, ſic hi equis inſane delectentur: Vti ſchiſmaticus ille Conſtantinopolitanus Patriarcha, de quo Curopalates. Voluit ergo Dominus ab omni ſuperbia, inanis gloriæ ſtudio, ferocia, libidine, & inſano creaturarum amore nos iſto equorum exitio quodam, veluti ſymbolo, auocare. Multas quidem equi laudes complexus centuria ſua 3. epiſt. 56. Lipſius, ſed quæ huc ſpectant alias dicentur poſt. Vide in Orig. homil. 15. & in mea quæſt. 17. in Tobiæ caput 6. Quod ſi has ob cauſas equis vti non debuerunt Iſraëlitæ, quomodo curribus, qui equis & pluribus & generoſioribus trahi ſolent vterentur? Nam *currus*, quos iuſſit Dominus comburi verſu 6. & combuſſit Ioſue verſu 9. non ſunt quilibet currus, vt plauſtra, carrucæ, ſimiles, ſed *armati*, & armatis grauidi, falciferi, terribiles, de quibus dico in Iudices cap. 1.

QVÆSTIO VIII.

Suam proſequendo victoriam, quas vrbes ac regna occupauit, & vel vaſtauit vel conſeruauit Ioſue?

PRimo. Vrbium aliæ in plano, aliæ in montib. & tumulis erant. Illas *omnes cepit & ſuccendit* Ioſue, has vero præter vnam Haſorem, quæ in-

Digitized by Google

cendio ſublata, conſecrauit verſu 10. vbi pro A *ſtatim* Hebraice dicitur, *in hoc tempore*, ſeu *per id tempus*, & verſu 13. Vnde abeſt *muniſſima* in Hebræo & Græco. Aliam alij putant verſu 13. inſinuari vrbium diſtributionem. Quædam enim obſideri ſe, ſuoſque aggeres ac muros deiici priuſquam ſe dederent, ſiuerunt: aliæ obſideri ſe quidem paſſæ ſunt, ſed quoad ſui deturbarentur aggeres, non expectarunt, cumque in iis adhuc ſtarent, ſe dediderunt. Priores illas concremauit omnes Ioſue, iſtas non, ex præcepto Deuteron. 20. v. 10. *Percuſſitque* verſu 11. *omnes* B *animas, quæ ibidem morabantur: non dimiſit in ea vllas reliquias, ſed vſque ad internecionem vniuerſa vaſtauit, ipſamque vrbem peremit incendio. Et omnes per circuitum ciuitates, reges quoque earum cepit, percuſſit atque deleuit, ſicut præceperat ei Moyſes famulus Domini.* Et verſu 19. *non fuit ciuitas, quæ ſe traderet filiis Iſraël.* Legunt hic libri quidam, *quæ ſe non traderet.* Sed *primo* Hebraice eſt, *non fuit vrbs quæ pacem faceret cum filiis Iſraël. Secundo.* Exceptio ſolum iſta de Gabaone, quæ ſe tradidit, pacemque fecit, indicat illud alterum, *non*, eſſe omittendum, itemque cauſa, quæ ſubditur. *Omnes enim* C *bellando cepit.*

Secundo, *Cepit Ioſue* verſu 16. *omnem terram montanam & meridianam, terramque Geſen, & planitiem, & occidentalem plagam, montemque Iſrael, & campeſtria eius: & partem montis quæ aſcendit Seir vſque Baalgad per planitiem libani ſubter montem Hermon: omnes reges eorum cepit, percuſſit, occidit.* Sunt è ſuperioribus manifeſta hæc omnia, præter illa v. 17. *& partem montis, quæ aſcendit Seir vſque Baalgad.* Nam quia in Hebræo eſt *chalak*, Maſius Latinum arguit interpretem, qui *partem montis* dixit. *Parum ſane recte*, inquit ipſe Maſius, *pro ſacrorum* D *verborum coniunctione, vt certe ea ſcripta habentur.* Itaque vertit ipſe, *à monte glabro*, quem vult eſſe ad Chananææ auſtrale latus, & per antitheſin à vicino *Seir* ita vocatum. Nam *Seheir* comoſum ſignificat, cui plane opponitur *chalak*, id-eſt, glabrum & læue. Confirmatur, quia vertit Symmachus λεῖον, & Raſchi cum Radak montem hunc ad deſertum *Sin* collocant. Sed *primo*, cum *chalak* partem etiam ſignificet, non video, cur noſtrum ille arguat Interpretem, cum non neget eam partem eſſe ad Auſtrum & iuxta Sin. cum addat, prout in Hebræo etiam eſt, partem E hanc eſſe illam, *quæ montem vocatum Seir aſcenderet*, ſeu, verſus illum ſenſim aſſurgeret. *Secundo.* Si à *partis* ſignificatione diſcedamus, non eſt cauſa, cur potius interpretemur *montem glabrum*, quam *montem facilem, ſuauem*, minimeque aſperum, cum & hoc ſignificet illa vox. Haſque ſignificationes huic etiam loco aptas fatentur in margine Caluiniana Gallica Biblia anno 1588. Geneuæ. *Tertio.* Deinde nuſquam ad Auſtrum legitur mons aliquis glaber comoſo ac hiſpido illi oppoſitus. *Quarto.* 70. verterunt τὰ πρὸς τῷ ὄρει ἀπὸ F ὄρους χαλκά, ἢ ὁ ἀναβαίνει εἰς σηίρ. quibus in verbis ſi ἢ, omitteretur propius attingeretur Hebræus textus. Græce alij verterunt montem ἀαλάκ. Caluinici citati: *montagne de halak. Quinto.* Chaldæus Thargum vertit *montem diuiſum*, ſeu *non iunctum, neque vnitum. Sexto.* Aquila *montem diuidentem. Septimo.* Non deſunt qui *Seir* etiam ſtatuant verſus Septentrionem, & qui paulatim

verſus Auſtrum progrediatur, ibique totum illud Chananææ latus veluti concludat: & in his Adrichomius eſt. Cum igitur interpretatio noſtra Latina Hebræum nomen eo modo interpretetur, vt plures poſſit expoſitiones admittere, ſcripturæque ſenſum ad hanc vel illam expoſitionem non aſtringat, melior merito eſt, quam ea, quæ aſtringit, eamque non ſatis certam, venditat in ipſo textu quaſi certiſſimam vt facit Maſiana, & poſt eam, Tremelliana, Iuniana que verſio.

Iam *Baalgad* quibuſdam eſt Antilibani pars Sidoniis obiecta: *Ego vero*, ait Maſius, *partem quidem Libani eſſe, ſed verſus orientem exiſtimo, cum Sidon proxima occidenti ſit. Nam terram Maſpha ad orientem poſitam vidimus verſiculo octauo. Eam vero montis Hermoni fuiſſe ſubiectam, verſiculo tertio. Iam vero Baalgad affinis Hermoni deſcribitur*, vt etiam c. XIII. verſu 5. & cap. 12. verſu 7. Beniamin, *Laodicæa veni duobus*, ait, *diebus in Gebal, eadem Baghalgad ſub Libano monte: eſtque proxima nationi illi quam appellant* HHASSIN, *qui non ſequuntur doctrinam Iſraëlitarum, ſed cuiuſdam, quem Prophetam eſſe exiſtimant: cuius dicto omnes ſiue in mortem, ſiue in vitam.* An vero ita vocatus iſte locus ſit, quod *campus*, atque *planities Gad* eſſet, vt Maſio mirante vult Thargum Chaldaicus, an quod *Gad veluti Dominus eſſet*, vel aliam ob cauſam, non conſtituo. A 70. ſcribitur Βαλαγάδ.

QVÆSTIO IX.

An Chananæorum nullas dimiſerit reliquias Ioſue?

PErcuſſit Ioſue omnes, *vt nullas dimitteret ex eis reliquias*, ait verſus 9. & poſtea verſu 16. *Chananæam totam* dicitur occupaſſe, ruſumque verſu 19. *Omnes bellando cepit* verſ. 23. *Cepit Ioſue omnem terram.* At vero Chananæos quamplurimos, eorumque vrbes, & loca plura Ioſuani belli huius tempeſtatem euaſiſſe docent ſatis libri Regum, in quibus à Dauide ac Salomone primum ſub Iſraëlitarum ditione veniſſe terram totam legimus, prout etiam dixi ſupra c. 1. q. 9. docet liber Iudicum c. 1. & 2. docet hic ipſe, qui in manibus eſt Ioſue, infra c. 13. cap. 17. verſu 12. & ſequentib. c. 18. verſu 2. & 3. & ſeq. Reſpondet quæſt. 17. S. Auguſtinus duo. *Primum.* Omnia expugnaſſe Ioſuam, quæ expugnauit, quæque expugnare connixus eſt. *Secundum.* Expugnaſſe, atque cepiſſe omnia, *non quoad ſingula, ſed quoad maximas, & generales partes*, verbi cauſa montanam, meridianam, & ſimilia verſu 16. Addit Maſius tertium, nullos fuiſſe reſiduos Chananæos, qui bellum tunc proſequi ac inferre auderent, quique terræ partitionem impedire poſſent.

QVÆSTIO X.

Cur hæc ita fecit Ioſue omnia?

CAuſa in iſto capite minimum quater commemoratur. 1. verſu 9. *quia ſic præceperat ipſi Ioſuæ Dominus.* 2. ver. 12. *ſic præceperat ipſi Ioſuæ Moyſes famulus Domini.* 3. verſ. 15. *ſicut præceperat Domi-*

Digitized by Google

nus Moyſi ſeruo ſuo: Ita præcepit Moyſes Ioſue: Ille *vniuerſa compleuit: non præteriit de vniuerſis mandatis, nec vnum quidem verbum, quod iuſſerat Dominus Moyſi* 4. verſu 10. *quidquid præceperat Dominus Moyſi* Denique verſ. 13. *Sicut locutus eſt Dominus ad Moyſen.* Atque hinc inſignem ſummorum hominum duorum obedientiam diſcimus: Moyſis quidem erga Deum, Ioſuæ vero erga Deum & Moyſen. Ea vero nobis tam luculente toties, totque verbis, non fruſtra vtique proponitur, & inculcatur. Sed *primò*, quidem vt quid hoſce viros tam admirabiles, tamque Deo gratos fecerit, cognoſcamus, obedientia ſcilicet. *Secundò*. Vt in fontem, vnde tot victoriarum fluerent flumina, digitus intenderetur. *Vir obediens loquitur victorias.* Prou. 21. verſu 28. *Tertiò*. Vt conſideremus ipſum Ioſue in hiſce bellis omnibus, prœliis, cædibus, populationibus, incendiis, & exitiis, nihil per inſitam feritatem, aut crudelitatem, nihil per odium iniuſtum, impotentem iram, auri ſacram famem, aliamve vllam animi perturbationem egiſſe. vti contra eius calumniatores, hæreticos veteres non ſemel admonent Diu. Auguſtinus contra Fauſtum, & hic quæſt. 16. Origenes, & Theodoretus in hunc librum; prout alio infra loco dicam opportunius. *Quartò*. Vt expreſſa nobis veri Ieſu ob oculos proponeretur effigies, qui Philipp. 2. verſ. 8. *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Quintò*. Vt in rebus arduis ac difficilibus, in iis etiam, quæ nonnullorum reprehenſioni, & calumniæ patent, ſanctam arcte obedientiam teneamus. Quam enim calumniæ omnia hæc Ioſuæ opera erant expoſita, terrarum alienarum occupationes, agrorum depopulationes, indigenarum occidiones, vrbium inflammationes, Regum captiones, conculcationes, crucifixiones? Sed vir obediens petulantes contemnit linguas malitioſa nihili facit iudicia, ſui famam nominis à Deo & obedientia, non ab hominum leuitate, ac nequitia pendere vult. *Sextò*. Vt intelligamus quibus recte obediendum ſit. Diſputant interdum nonnulli, ſi quid iuberet Deus, obſequi ſe velle: ſed hominum imperia ferre ſe nec poſſe nec velle. *Dirumpamus*, inquiunt pſalmo 2. verſu 3. *vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipſorum.* At Ioſue non Deo tantum, ſed Moyſi etiam morigeratus eſt. *Septimò*. Maxime vero iis obediendum, quos Deo dilectos, ab ipſoque inſtructos & miſſos intelligimus, cuiuſmodi Moyſen ſciebat Ioſue, vt ſupra cap. 1. verſu 7. patuit. Quos vero magis eiuſmodi præditos auctoritate ſcire, aut fingere poſſumus, quam ipſam CHRISTI IESV ſponſam columen, & *firmamentum veritatis* 1. Tim. 3. Eccleſiam dico Catholicam? quam ſummos etiam Rectores, Magiſtros, & Pontifices, de quibus diuina extant promiſſa? *Octauò*. Intelligimus, quomodo, quam plene, ac perfecte præſtanda obedientia ſit. De Ioſue audiuimus: Ille *vniuerſa compleuit: non præteriit de vniuerſis mandatis: nec vnum quidem verbum, quod iuſſerat Dominus Moyſi.* Valeant, qui in vna quapiam re ſuis volunt morem ſuperioribus gerere, in aliis tergiuerſantur. Valeant & hæretici, vel ab hæreticis decepti nonnulli, qui cætera quidem morigeros

A Eccleſiæ filios dictitant eſſe velle ſe, in vnius tamen ſpeciei communione, nolle. Valeant in aliis omnibus ſemiobedientes, ſemiuiui, ſemineces: imo toti potius mortui.

Sed quod libri huius prolegomeno ſeptimo recepi, æquum eſt nunc exſoluam. Maſius igitur pagina 211. de hiſce rebus ita philoſophatur: *Docemur hoc uel ſequentiſſimo Ieſue obſequio, ipſi quoque diuina oracula ſacris litteris prodita, & à Catholica, atque Apoſtolica Eccleſia explicata, plane & ἁπλῶς obſeruare: neque in ea curioſe inquirere, aut eorum rationem noſtro captu expendere, metirique: ſed humili, ac reuerente animo, eam doctrinam, quæ à* CHRI-
B STO *tradita Eccleſiæ eſt, & deinceps ab Apoſtolis, aliiſque ſanctiſſimis viris, Dei interpretibus & adminiſtris, continua ſerie tanquam per manus, ad nos vſque propagata, modis omnibus amplecti, & vt rectiſſimam normam, & regulam ſequi. Neque enim profecto dubium eſt, quin Ieſuam virum in Moyſis ſchola ad omnem manſuetudinem eruditum, variæ ſubinde animi affectiones ſubierint, & tantum non permouerint, perturbarintque in tam rigida paſſim exercenda victoria, per omnis generis hominum mortes graſſandum cum eſſet. Et tamen obfirmato, obſtinatoque animo id perſequendum ſibi putauit, quod Moyſes præſcripſerat. Hoc*
C *igitur exemplo noſtram quoque nos curioſitatem, cum in omnibus diuinis præſcriptionibus, tum in iis maxime, quæ ad religionis noſtræ myſteria attinent, in auctoritate Sacroſanctæ, & Catholicæ Eccleſiæ acquieſcere compellamus. cuius auctoritas, vt D. Auguſtinus ſcriptum reliquit miraculis eſt inchoata, ſpe nutrita, caritate aucta, vetuſtate firmata: denique perpetua ſucceſſionis tenore inde à Petro ad nos continuata: atque plurimorum populorum pulcherrima conſenſione comprobata. In huius noſtræ matris, vt ſacri ſcriptores appellant, ſinceriſſima ſapientia religioſe acquieſcamus, eius dictis fidem adiungamus, iuſſis obtemperemus, ductum vſquequaque ſequamur. ita profecto à recta æternæ vitæ*
D *via nuſquam aberrauerimus.* Et paulo poſt: *Aperte ſane oſtenditur, eam doctrinam, qua Deus Eccleſiæ patefacit ſuam voluntatem ab ipſius diuino afflatu proficiſci quidem, ſed per homines, quos ipſe conſilii, voluntatiſque ſuæ certos interpretes, & adminiſtros ſibi delegit, cæteris hominibus tradi, explicarique. Quod Diuus Paulus quoque ad Romanos ſcripſit. Recte igitur exploduntur, & meritiſſimo inprimis omnes illi fanatici homines, qui, vt olim ita noſtro ſæculo quoque magnas turbas in Eccleſia* CHRISTI *dederunt. Deinde & illi, qui diuinum hoc munus inire, profiterique non verentur, cum neque Dei, neque Eccleſiæ auctoritate ei ſint præfecti: neque ſacrarum litterarum ſcien-*
E *tia, & pietatis exercitiis ad ipſum ſatis inſtructi. Poſſet quidem facile Deus arcano afflatu, mentes ſuorum iis præceptis, quibus ad pie congruenterque ipſius voluntati viuendum, eſt opus informare: atque cuiuſque vitam cæleſti inſtinctu pulſuque, quaſi manu regere. Verum optimo, ſapientiſſimoque parenti viſum eſt, hominum opera eam ad rem vti. neque vero quorumuis hominum: ſed eorum, quos ipſe vocat, vt Aaronem, inquit Paulus. Fieri enim alioqui non poſſet, quin Dei Eccleſia per infinitos mox circumduceretur errores, confuſioque conſequeretur religionum, res omnium perni-*
F *cioſiſſima. Quandoquidem ita eſt mortalium ingenium, vt quo quiſque eſt ineptior, atque ab omnibus bonis rebus imparatior, eo maiore licentia in diuini illius muneris functione verſatur.* Recte ergo Moyſen, per quem ſua Deus mandata Ioſuæ patefecit, ſuaſque leges, dixit,

ſeruum

Digitized by Google

ſeruum Iehouæ, ſiue Domini, ſacra iſta verba appellant, Nam qui ſua commenta: quæ ipſi, ad libidinem accommodata imperitorum finxerunt, non autem perpetua Eccleſiæ conſenſione proditam doctrinam, obtrudere populo, atque perſuadere ſatagant, ij profecto haudquaquam Iehouæ, hoc eſt, veri Dei, ſed Satanæ, & glorioſæ oſtentationis ſuæ ſerui, atque mancipia debent exiſtimari. Idque ipſum rurſus luculenter ſacer contextus oſtendit, cum habet: Non omiſit verbum ex omnibus, quæ mandarat Dominus Moyſi: Poſtulare enim videbatur orationis ſeries, vt diceretur: Quæ mandarat Moſes Ioſuæ. ſed Moſis dicta, merum fuiſſe Dei ſenſum, id clarum atque teſtatum eſſe oportebat.

QVÆSTIO XI.

Cur hæc ab Ioſue ita fieri voluit Deus omnia?

RESpondet verſu 10. *Domini enim ſententia fuerat, vt indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Iſraël, & caderent, & non mererentur vllam clementiam, ac perirent.* de quibus verbis quæſtiones inſtituit Abulenſis 70. & quidem bene longas ab 13. ſcilicet vſque ad 84. excluſiue: vnicam vero S. Auguſtinus, eamque per breuem, dum ad ea, quæ de Pharaonis obduratione dicta ſunt, ſuum ire Lectorem iubet. Citatis enim quæſt. 18. è 70. verſione, loci huius verbis. *Ita*, inquit, *dictum eſt hoc; ſicut de Pharaone. quod diuino altoque iudicio iuſte fieri minime dubitandum eſt, cum deſerit Deus, & poſſidet inimicus. quod ſic accipiendum eſt, quemadmodum & ibi.* Hoc etiam reſpondendi modo iam vterer, niſi extorqueret aliquid Caluini malitia. Vult enim hic fol. 47.48. à Deo impulſos, & coactos Chananæos, vt Iſraëlitas infeſtis armis exciperent, interdumque quieſcentes vltro laceſſerent, idque vt delerentur, quia eas ad interitum deſtinarat. *Deus*, ait, *qui veniam illis* (Chananæis) *negari iuſſerat, idem eos ad cæcum furorem impulit, ne locum darent miſericordiæ.* Et poſtea. *Deus mandauit Moyſi, vt perderentur gentes, quas deſtinauerat ad interitum, ideoque viam patefecit ſuo decreto, vbi reprobos obdurauit. Primo itaque in gradu locatur Dei voluntas, vt emineat tanquam præcipua cauſa.* Tandemque poſtea. *In hunc finem illos Deus obdurat, vt à ſe miſericordiam auertant: vnde & durities iſta vocatur eius opus, quia effectum conſilij eius* (*Dei*) *ſtabilit. Nunc ſi ad rem adeo lucidam ſuis nebulis obſcurare conentur, qui Deum è cœlo ſpeculari fingunt quid hominibus libeat, nec hominum corda arcano eius inſtinctu frænari ſuſtinent: quid aliud quàm ſuam impudentiam prodent? Deo tantum concedunt vt permittat: hoc autem modo ſuſpendunt eius conſilium ab hominum placito. Quid autem ſpiritus? à Deo eſſe obdurationem, vt præcipitet, quos vult perdere.* At ego *primò* circa textum moneo, pro illo noſtro, *Domini enim ſententia fuerat, vt indurarentur corda eorum*, in Hebræo eſſe, *quoniam à Domino fuit, ad obfirmandum corda ſua*, vel *eorum.* Poteſt enim Hebræa phraſis verti dupliciter. *Primò actiue*, idque rurſum dupliciter. Primo ſic, vt obfirmaret corda eorum. ſed minus recte antecederet, *à Deo fuit*, ſed ſatis fuiſſet, *quia obfirmauit Deus corda eorum.* Secundo vt obfirmarēt corda ſua. quia in Hebræo eſt actiuus infinitiuus coniugationis *Piel*, videlicet *lechazzek libbam. Secundò, paſſiue* vt obfirmarentur corda eorum. Nam hic loquendi modus ſemper verus eſt, quiſquis cordium ipſorum obfirmator ſit, ſiue ipſimet, quorum corda ſunt, ſiue alius quiſpiam, ſiue vterque. Nam ex cuiuſcunque tandem, actione oritur paſſio. Ideoque patet aliquanto latius hic poſterior verſionis modus, omnique obfirmationis huius auctori reſpondet. Vnde & noſtro placuit Interpreti, & ipſis 70. prout quidem habet eorum, apud D. Auguſtinum, quæſtione citata, verſio hæc: *Quia per Dominum factum eſt confortari cor eorum, vt obuiam irent ad bellum ad Iſraël, vt exterminarentur, ita vt non daretur eis miſericordia, ſed vt exterminarentur, ſicut dicit Dominus ad Moyſen.* In ipſis tamen 70. verbum κατισχῦσαι, poſſet *actiue* accipi. Circa rem vero, dico *primò* ſuapte ſponte, liberoque arbitrio Iſraëlitis infeſtos fuiſſe Chananæos. *Secundo.* Voluiſſe Deum, vt ab Iſraëlitis ij delerentur. *Tertiò.* Si reſipiſcere voluiſſent, potuiſſe iis miſericordiæ locum eſſe, prout in Raab & Gabaonitis dictum ſupra. *Quartò.* eoſdem ſemetipſos obfirmaſſe ac obſtinaſſe, prout actiua hic phraſis, de qua paulo ante, indicat. *Quintò.* Obfirmationis, obſtinationiſque huius cauſam veram ac prægreſſam eſſe non actiuam & efficacem Dei voluntatem, vt vult Caluinus, ſed antecedentia Chananæorum peccata, de quibus Geneſis 15. verſu 16. Qui enim peccando Deum deſeruit, meretur ſane, vt viciſſim à Deo deſeratur, prout docet Sanctus Auguſtinus libro de bono perſeuerantiæ cap. 6. & alibi: multiſque ex Scripturis perſpicue colligitur. Roman. 1. *Commutauerunt veritatem Dei in mendacium, &c. propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ.* Et poſtea: *ſicut non probauerunt Deum habere in notitia tradidit illos Deus in reprobum ſenſum.* 2. Theſſalonic. 2. *Eo quod charitatem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent, ideo mittit illis Deus operationem erroris.* Et poſſet ſuſpicari quiſpiam hæc etiam antecedentia peccata videri Caluino primariam obdurationis cauſam, quia cum dixiſſet *primo in gradu locandam Dei voluntatem, vt emineat tanquam præcipua cauſa*, illico ſubdidit: *Nam quia ad cumulum peruenerat illorum iniquitas ſtatuit eos delere.* quaſi prior ſit illorum iniquitas, quam diuina eos delendi voluntas, prior peccatorum cumulus, quam obduratio. Quod ſi vellet Caluinus, verum vtique diceret, ſed in hominum obduratione tunc non teneret *gradum primum* Dei voluntas, ſed antegreſſa hominum ipſorum prauitas: neque obdurationis præcipua cauſa dicenda eſſet eadem Dei voluntas, ſed improba hominum, & peccans voluntas. In noſtris ergo Chananæis ordo hic eſt. *Primò.* Suo ipſi arbitrio grauiter peccarunt. *Secundò.* Eos idcirco punire Deus voluit, funditusque tollere. *Tertiò.* id vt fieret, præceptum dedit Moyſi. *Quartò.* Moſes idem dedit Ioſuæ. *Quintò.* Cum in eorum terras hic introiit, tot tantiſq; miraculis, ac portentis introiit, vt Dei vim ac numen agnoſcere, meritoq; reſipiſcere potuerint, ac debuerint. *Sextò.* Obfirmauerunt vltro & obdurauerunt ipſi ſuos animos. *Septimò.* Cum Iſraëlitis vltro etiam bellum geſſerūt.

Digitized by Google

Octauò. Hoc vt iſti facerent, dicitur *à Deo fuiſſe*: quia facere ipſos permiſit, neque humanam ipſis arbitrij libertatem eripuit: neque vt aliud vellent, eos, pecudum inſtar, coëgit. Sicque deſtinata, & conſtituta in ipſos à Deo pœna executioni per Ioſue mandata eſt. cuius quidem pœnæ initium & cauſa primo fuit ipſorummet peccatum & iniquitas, tum denique ipſorum contra Iſraëlitas ac Deum contumacia & obſtinatio. Vt ſint tamen hæc omnia manifeſtiora, repetam ex illa de Pharaone in Exodo diſputatione paucula.

QVÆSTIO XII.

Induratio cordis quidnam ſit?

TRia potiſſimum in veteris Teſtamẽti Scripturis verba ſunt, quibus extrema hominum quorundam in malo peruicacia, contumaciaque ſignificatur, nimirum *cibbed*, *chizzak*, & *hikſchah*. quibus reſpondent apud 70. βαρυνθῆναι. Exodi 7.v.15.& 22. κατισχύειν, Exod.8.v.22. κατισχύσαι, hic Ioſue 11. verſu 20. & σκληρυνθῆναι, Exod. 7. verſu 22. apud Symmachum vero θρασύνειν. Horum autem in Hebræo verborum ſignificantiæ, & locorum, in quibus ponuntur, circumſtantiæ docent non quamcunque aggrauationem, obfirmationem, & obdurationem iis denotari: ſed magnam, qua videlicet *primò* res ita quæpiam deorſum fertur ac nititur, vt, vel maximo adhibito conatu, ſurſum trahi, eiuſq; pondus & caſus cohiberi haud poſſit, inſtar magni alicuius ſaxi, quod ad infera ruit loca. *Secundò*. Qua res ita obfirmatur vt multis, ac vehementibus adhibitis impulſibus commoueri ac inflecti non queat: marpeſiæ, vt dici ſolet rupis inſtar. *Tertiò*. Qua res ita obdureſcit, vt quamuis valide, fortiterq; prematur nihil tamen cedit, vt lapis, ferrum, aliudve durum quidpiam. Nam vt de hoc poſtremo, quia fere vſitatius, dicam, *induratio* eſt mutatio, qua durum quidpiam fit. Quemadmodum vero ea *corpora* dicuntur *dura*, quæ ſi tractare quis velit, aut iis quidpiam imprimere, non cedunt, ſed reſiſtunt: ita & hominum corda ſeu *animi duri* vocãtur, quos ſi pertractare, aut iis imprimere velit quis, non cedunt, ſed reſiſtunt: mentem ſcilicet à cogitationibus, quæ ingeruntur, auocando, vel voluntatem aduerſus eas excitando, vt illas repudiet, nolit, & auerſetur. Quemadmodum rurſus ea cenſentur dura corpora, quæ non cuilibet aut rei, aut impreſſioni, ſed maiori, ac vehementiori reſiſtunt. Quis enim durum dicat butyrum, ſi inſidenti muſcæ non cedat? Quis durum panem, ſi non ſtatim, atque manu tetigeris, tuos recipiat digitos? ita etiam *duri* non habentur *animi*, qui aut paruis, aut vſitatis non cedunt ſuaſionibus, ſed qui magnis, acribus, inuſitatis. Intelligendum tamen iſtiuſmodi *animorum duritiem* eſſe duplicem: *bonam* vnam, & cum virtute, laudeque coniunctam: *malam* alteram, & cum vitio, ac infamia connexam. Priorís generis *obduratio bona* eſt, cum res, quam hominis animo imprimere vel homo vel dæmon vult, valdeque adlaborat, mala & turpis eſt, verbi cauſa libido, auri ſacra fames timor, deſperatio, &

A ſimilia. His enim quantumuis animum pulſent fortiter, obſiſtere bonum eſt. Et ad huiuſmodi duritiem hortabatur, qui Æneidos 1. dicebat.

Durate, & voſmet rebus ſeruate ſecundis.

Rurſumque alius.

Perfer & obdura: labor hic tibi proderit olim.

Noſtræ item litteræ, Deut 3. v.1.c. 12. v. 22. Ioſ.1.v.7.c.10.v.25. Pſalm.1.v.7.& Pſal. 27. Iſaiæ 15. verſ. 41. Daniel.10. vbi fere noſter Interpres ait, *fortem eſſe*, *robuſtum fieri*, *confortari*, & ſimilia. Huicque animorum duritati contraria *mollities*, in vitio eſt. Poſterioris generis *mala durities* eſt,
B cum quod menti obiicitur, eique vt imprimatur, fortiter agitur, ac laboratur, bonum ac ſalutare eſt, verbi cauſa, diuinæ potentiæ agnitio, peccatorum præteritorum pœnitentia, vitæ melioris inſtitutio. Hæc enim, dum non leui, facili ac ordinario modo, ſed vehementi, magno ac extraordinario proponuntur, neque tamen ſuſcipiuntur, duritia eſt vitioſa, & deteſtabilis, de qua Scriptura loquitur, quamque Pharaoni, & Chananæis tribuit, quos tot & tantæ intrinſecus ac extrinſecus adhibitæ tentatiónes, monitiones, obiurgationes, caſtiga-
C tiones, terrores, miracula & portenta non commouerunt. Neque enim peccatores omnes, aut viui aut mortui, proprie, iſto iam expoſito modo, *duricordes*, ac *obſtinati* ſunt. Poſſunt autem ſimiliter exponi, *excæcatio*, *datio in reprobum ſenſum*, & ſi qua ſimilia. Vide Sanctum Bernardum lib. 1. de conſideratione c.2.

QVÆSTIO XIII.

Quæ indurationis cauſſæ efficientes?

D CAluinus, & hoc loco, vt ſupra vidimus, & in Exod.c.4.& 7. item libr.1. Inſtit.cap. 18. §.2. alij etiam hæretici, de quibus libr. 2. de amiſſ.gratiæ c.3.& 4. Bellarminus, præcipuam cauſam, propriam, & poſitiuam *Deum* ipſum eſſe aiunt. *Secundò. Dei impulſu Sathanam*, vt loquitur Caluinus in Inſtit. Obſeruandum igitur *duplicem indurationis* huius *cauſam efficientem* in Scripturis notari. *Vna* eſt, ipſemet *homo* cap. 8. verſ. 15. *Ingrauauit cor ſuum vaiecbezak Leb Paroh*, quaſi, *& obdurauit cor Pharaonis*. Nam in *Kal* eſt veluti neutrum, prout quidem punctatur nunc. Alioqui ſi legamus *vaiecbazzek Leb*, *Paroh*, erit,
E *& obfirmauit cor* (ſcilicet *ſuum* pro *libbo*) *Pharao* (ipſemet ſcilicet) 70. ἐβαρύνθη ἡ καρδία αὐτοῦ, & verſu 27. in Hebræo *vaiacbed Paroh eth libbo*. 70. ἐβάρυνε. Et cap.7. verſ.14. vt capite 8. verſu 15. niſi quod hic non interponitur *maccaph* inter *Leb* & *Paroh*. 70. κατίσχυσεν ἡ καρδία Φαραὼ, vt explicat Theodoretus quæſt.12. & verſu 22. vt verſu 15. ſupra 70. ἐσκληρύνθη ἡ καρδία Φαραώ. ſic Deuteronom.2. verſu 30. 4. Regum 7. 2. Paralip. 30. & 36. Iſai.11. verſu 20. Pſalm.94. Rom.2. Hebr.3. *Altera cauſa*, Deus ſupra cap. 7. verſu 3. *akſcheh*, ἐγὼ σκληρυνῶ τὴν καρδίαν Φαραώ, infra cap. 9. verſu 12. *vaiecbazzek* Iehoua *eth Leb*, *Paroh* ca.11. verſ.1. 70. iiſdem verbis ἐσκλήρυνε κύριος τὴν καρδίαν Φαραώ. Rom.9. verſ.18.

Digitized by Google

QVÆSTIO XIV.

Quomodo Deus aliquem indurare, ſeu indurationis alicuius cauſa interdum eſſe dicitur?

QVando eiuſdem effectus plures cauſæ ſunt, earum cuilibet recte tribuitur ille effectus, ſed aliter, & aliter. At hic eiuſdem *obdurationis cauſæ* dicuntur *homo*, & *Deus*, Ergo. *Modus* igitur, quo vterque indurationis cauſa eſt eiuſmodi eſt, vt *homo* directe, per ſe, & proprie cauſa ſit. quia ſuapte ſponte, prorſuſque libere diuinis impreſſionibus acquieſcere non vult, ſeu vt textus ſæpe loquitur, eas *non audit*: *Deus* vero indirecte tantum improprie & per accidens cauſa eſt, quia videlicet indurationem illam permittit. & quidem dupliciter. *Primò.* Aliquid non agendo. *Deinde* aliquid agendo. *Non agendo* rurſum dupliciter. *Primo.* Quia pœnam non ſtatim infert, ſed differt. *Deinde*, Quia extraordinaria, & ſpiritualia gratiæ auxilia non dat. Et ſic D. Hieronymus epiſtola ad Hedibiam quæſt. 10. Auguſtinus epiſt. 101. lib. 1. ad Simplicianum, ſermon. 88. de tempore, lib 1. contra aduerſarium legis c. 16. D. Chryſoſtomus homil. 3. in Rom. S. Gregor. 11. Moral. c. 3. *Aliquid agendo* etiam dupliciter. *Primo.* Quia Deus aliquid, quod alioqui bonum eſt, & ad bonum ab eo refertur, facit, è quo tamen prouidet hominem illum indurationis occaſionē arrepturum, prout ſupra ex Pſalm. 104. dictum eſt. *Secundò.* Quia obſtinationem alicuius declarat. Dicitur enim interdum quis facere, quod factum oſtendit. Ita Philaſtrius 3. part. hær. 76. vbi hæreſim eorum enumerat, qui Pharaonis indurationem Deo tribuerunt, vt Caluinus iis Patribus gloriari poſſit, ſicut & illis, qui *Prædeſtinationi* hæretici dicebantur, quos hic Moguntiæ in ſynodo damnauit Archiepiſcopus *Rabanus* prout lib. 3. de Mogunt. narro. Libet vero hic audire Nicænum Anaſtaſium quæſt. 29. explicantem illud: *Ego indurabo Pharaonem*: *Deo*, ait, *erat facile poſt inobedientiam ei omnino afferre interitum: ſed ineffabili vſus lenitate, ei mediocrem intulit caſtigationem: ea autem reddebat cor eius durum, & reſiſtens. Quomodo enim Sol caloris operatione ceram quidem mollit, lutum autem indurat: ita etiam Dei lenitate, alij quidem homines molliuntur: alij vero indurantur. Quoniam vero non omnes credunt, vitæ futuræ, quoſdam quidem malos Deus hic caſtigat, pios vero honorat. Ea de cauſa Apoſtolus quidem quoſdam nominauit, vaſa iræ: quoſdam autem vaſa miſericordiæ, quoniam per illos quidem manifeſtum eſt Deum iuſte punire: per hos autem Athletarum virtutis curam gerere, eiſque prouidere. Quomodo enim medici eos, qui morbo laborant incurabili, ſecant multis præſentibus, medicinæ modum docentes diſcipulos: ita etiam Deus Pharaonem, propter inobedientiam, & cordis duritiem ſubiecit omne genus tormentis, ad reliquorum caſtigationem. Dicit enim Parœmiaſtes, Dum malus flagellatur, inſipiens fit callidior. Callidus autem cum viderit malum valde puniri, ipſe eruditur: Inſipientes autem prætereuntes damno afficiuntur, & cadentibus impiis, terrore afficiuntur iuſti. Nemo autem exiſtimet Pharaonem à Deo eſſe deductum, vt non ſentiret quæ gerebantur. Sed dilatio* A *flagellorum, eſt nonnunquam cauſa, vt callum contrahat animus. Quando enim ei infligebat plagas, promittebat dimittere populum. Quando autem ei remittebat tormenta, indurabatur. Dicit enim, Videns autem Pharao quod ſit refrigeratio: aggrauabat cor ſuum, & non audiuit, quæ Deus fuit locutus.* Et cum ſummum Iudicem Deum interrogaſſet libr. 5. interr. 13. quæſtion. 5. B. Brigitta, cur indurarentur aliqui? *Reſpondeo*, inquit ille, *quod Pharao induratus erat: culpa ſua erat non mea: quia noluit conformare ſe diuinæ voluntati meæ. Nam induratio nihil aliud eſt: niſi ſubtractio meæ gratiæ diuinæ, quæ* B *ideo ſubtrahitur, quia bonum illud non tribuit mihi Deo, quod habet liberum, ſuam propriam voluntatem. Sicut per exemplum intelligere poteris. Nota exemplum de agro fructuoſo. Homo erat poſſidens duos agros: quorum alter incultus manens, alter certis temporibus fructificabat. Cui dixit amicus ſuus. Miror, inquit, cum ſis ſapiens & diues: cur agros tuos non excolis diligentius: aut cur non tradis aliis excolendos. Reſpondit ille. Alter agrorum, quantamcunque diligentiam exhibuero, nihil producit niſi herbas peſſimas, quas beſtiæ nociuæ occupant, & deturpant locum: cui ſi adhibuero pinguedinem, tantum laſciuiendo inſole-* C *ſcit: quod etiam ſi modicum frumenti produxerit: plures aſcendunt zizaniæ, quas indignor colligere: quia frumentum non deſidero niſi purum. Ergo conſultius eſt talem agrum dimittere incultum: quia tunc beſtiæ non occupant locum: nec beſtiæ occultant ſe in herbis: etſi aliquæ herbæ amaræ pullulant, vtile eſt pro ouibus: quia guſtatis illis diſcunt ſuauia non faſtidire. Alter vero ager ſecundum temperiem temporum diſpoſitus eſt, cuius quædam pars eſt petroſa: & indiget pinguedine: alia humida indigens calore: alia ſicca indigens humore. Ideo ſecundum qualitatem agri,* D *opus meum volo temperare. Ego itaque Deus ſimilis ſum homini iſti. Primus autem ager eſt libera motio voluntatis: data homini: quam magis mouet contra me, quam pro me, & ſi aliqua placita mihi fecerit: in pluribus tamen prouocat me, quia voluntas hominis, & mea non concordant. Sic & Pharao fecit, qui cum ex certis ſignis cognoſceret potentiam meam: nihilominus firmauit mentem ſuam contra me ſtandi in malitia ſua: Ideo expertus eſt iuſtitiam meam: quia qui non bene viuit minimis iuſtum eſt vt maximis non glorietur. Alter vero ager eſt obedientia bonæ mentis: & abiectio voluntatis propriæ. Talis mens ſi eſt arida indeuotione: expectare debet pluuiam meæ gratiæ diuinæ. Si eſt petro-* E *ſa per impatientiam & obdurationem: æquanimiter ſuſtineat purgationem & correctionem. Si eſt humida per carnis laſciuiam: amplectatur abſtinentiam: ſitque ſicut animal paratum ad voluntatem poſſeſſoris: quia de tali mente ego Deus multum glorior. Ergo quod aliqui indurantur: hoc facit voluntas hominis mihi contraria, quia licet ego omnes volo eſſe ſaluos: tamen non perficitur, niſi homo perſonaliter cooperatus fuerit, conformando omnem voluntatem ſuam voluntati meæ. Cur vero non omnibus datur æqualis proceſſus & gratia, hoc eſt occultum iudicium meum: qui ſcio, & mederer vni-* F *cuique, quod ei expedit, & debetur: qui & reſtringo conatum hominis: ne profundius cadat. Nam multi habent talentum gratiæ: qui operari ſufficerent, ſed renuunt. Alij abſtinent à peccato, timore ſupplicij: & quia facultatem peccandi non habent: vel quia peccatum non delectat eos: ideo aliquibus non tribuuntur dona maiora: quia ego, qui noui ſolus mentes hominum: ſcio diſtribuere dona mea.*

Sed Caluinus in c.4.& 7.quædam obiicit, & quibuſdam reſpondet: *Obiicit primò*. Agere non eſt pati: ſed indurare eſt agere. *Reſpondeo* duplex *agere* hic conſiderari poſſe: *Vnum*, cui proxime reſpondet ipſa paſſio. Et ſic homo ſeipſum indurat, & à ſeipſo induratur. *Secundum*. Eſt velle non impedire. Et hoc eſt aliquod velle ſinere. ſicq; Deum indurare dictum eſt. *Obijcit ſecundò*. Deus vult potentiam, non patientiam oſtendere. *Reſpondeo* vtrumque: ſed patientiam *primò*. *Deinde* potentiam: vt Rom. 2. dicitur. *Obijcit tertiò*. Induratio eſt quædam pœna, quam Deus infligere vult. Reſpondeo, Pœna eſt hominem permitti voluntate ſua mala libere abuti.

Quando vero Caluino eidẽ obiicitur Deum, ſecundum ipſius ſententiam, *futurum peccati auctorem*, reuera id concedit, etſi verbo neget: ſeq; ſtatim eo confert vt oſtendat, Deum non peccare, quod licet è priori recte inferretur, id tamen non primo infertur, ſed tantum, ipſum fore peccati cauſam. Vnde & rei euidentia victus in c.7. *aliquando*, ait, *permittit Deus licentiam improbis, vt diuina opera quaſi ſua vendi tent, aliquando relaxat improbis habenas, & nemo ita præcipitatur, niſi qui reſiſtere voluit*. Denique *ſpiritus*, ait, *vertiginis eos occupat, qui in ſua malitia fuerunt obſtinati*.

QVÆSTIO XV.

Quis indurationis huius effectus?

QVoad in viuis homo eſt, nunquam ita obdureſcit, quin ſi vellet reſipiſcere adhuc poſſit, cum generalia ipſi, ac ſufficientia ſemper auxilia præſto ſint, vt explicat S.Auguſt. lib. de gra. & prædeſt. c.14.15. tract.13. in Ioan. idque in Pharaone noſtro patet, dum ei c.8. dicitur *ſi volueris dimittere* &c. cap. 9. adhuc retines, &c. & verſ.27. *Ingrauatum eſt cor eius*, & verſ.35. & c. 10. verſ.3. *vſque quo non vis?* ideoque illud cap. 9. v. 16. *Poſui te vt oſtendam in te fortitudinem meam*, intelligitur, vel hoc modo, *Poſui te Regem, excitaui ad tantam potentiam, eripui è tantis plagis & periculis*: vel, *Te ita ſponte tua obduratum & reſipiſcere nolentem in hunc bonum ſaltem finem conuerti, vt in te ac per te potentia mea demonſtretur*. Et ſic Rom. 9. Cæterum certi obdurationis huius effectus ſunt, excluſio à cœleſti gloria, & ſempiternæ gehennæ perpeſſio.

QVÆSTIO XVI.

Quanto tempore bella iſta confecit, Enacimque deleuit Ioſue?

REſpondetur verſu 18. *Multo tempore pugnauit Ioſue contra Reges iſtos*. Quantum vero fuerit hoc tempus, dicetur ſequenti capite quæſt. 3.

Hic vero ab hoc verſu 18. vſque ad capitis huius finem, ſumma, & recapitulatio quædam eorum inſtituitur, quæ tam in bellis, quam poſt bella geſſit Ioſue. aliaque rurſum recapitulatio capite ſequenti ſubditur. Nam quæ de interfectis *Enacim* v.27. hic narrantur, acciderunt quidem, vti textus ait, *in illo tempore*: ſed quoad quandam inchoationem, prout poſtea dicetur, & Iud.1. Quæ prætereà de terræ partitione verſu 23. & capite ſequenti verſu 8. narrantur, poſt à cap.13. explicabuntur vberius.

QVÆSTIO XVII.

Quæ myſtica capitis huius explicatio.

MYſticam bellorum huius XI. capitis explicationem perſequitur more ſuo copioſe Origenes homil. 14. & 15. eamque à Regum, regnorumque nominibus totam fere arceſſit. *Primus*, ait, *omnium, qui, & auctor belli huius nominatus eſt, congregans cæteros, & ad coniurationem ſceleris inuitans Iabin nominatur, qui erat Rex Aſor. Ipſe enim eſt, qui dicitur etiam cæteros conuocaſſe. Iabin autem interpretatur ſenſus, ſiue prudentia. Quis ergo eſt iſte ſenſus ſiue prudentia, niſi ille, quem dicit Eſaias Propheta ſenſum magnum? Ait enim: Et inducam ſuper ſenſum magnum principem Aſſyriorum. qui dixit, mea virtute faciam, & ſapientia ſenſus mei auferam fines gentium, & virtutem eorum deprædabor. Iſte ergo eſt, qui ibi quidem dicitur ſenſus, magnus Rex Aſſyriorum: hic autem Iabin, ſenſus vel prudentia. Etenim ſerpens fuiſſe in paradiſo dicitur prudentior omnium beſtiarum, quæ erant ſuper terram. Sed & villicus iniquitatis prudenter feciſſe dicitur illa, quæ fecit. Hic igitur Iabin Rex eſt Aſor. Interpretatur autem Aſor aula. Eſt ergo omnis terra aula huius regis, qui totius terræ velut aula vnius obtinet principatum, qui eſt diabolus.* Ad eandem formam accommodat cætera. Belli enim contra Iſraëlitas auctor ſæpe præcipuus, prudentia carnis & ſapientia, quæ S. Iacobo Epiſt.c.3.v.15. *terrena, animalis, diabolica eſt*. Ad huius caſtra & vexilla conuolant libenter *Iobab*, qui ab illo exponitur *hoſtis* & *inimicus*, quaſi foret *Aiab* vel *Ioab*, cum ſit *volens*, aut *dolens*. Concurrunt & alij reges, de quibus ſupra quæſt. 2. vnde quæ in Origeno ſunt errata, corriges, vt Rex *Maron Simeon*, & ſimilia. *Cinereth* vero licet ibidem expoſuerim *citharam*, ipſe tamen Origenes è duabus id nomen particulis conflat *ce* & *ner*, vt ſit *quaſi Lucerna*, hancque pulchram adiungit ſententiam: *ſunt eorum, qui in Eccleſia fidem Catholicam docent, & plebem Dei verbo veritatis illuminant lucernæ ardentes. Ii vero, qui hæretica dogmata ex Scripturæ ſanctæ teſtimoniis falſis aſſertionibus docent, pro eo, quod Scripturas legunt, videntur accendere lucernas: ſed quia falſis aſſertionibus vtuntur, non ſunt Lucernæ, ſed quaſi Lucernæ.*

Digitized by Google

CAPVT XII.

1. HI ſunt reges, quos percuſſerunt filij Iſraël, & poſſederunt Terram eo-
rum trans Iordanem ad Solis ortum, à torrente Arnon vſque ad mon-
tem Hermon, & omnem Orientalem plagam, quæ reſpicit ſolitudinem.
2. Sehon rex Amorrhæorum, qui habitauit in Heſebon, dominatus eſt
ab Aroër, quæ ſita eſt ſuper ripam torrentis Arnon, & mediæ partis in
valle, dimidiæque Galaad, vſque ad torrentem Iaboc, qui eſt terminus filiorum Am-
mon. 3. & à ſolitudine vſque ad mare Ceneroth contra Orientem, & vſque ad mare
deſerti, quod eſt mare ſalſiſſimum, ad Orientalem plagam per viam quæ ducit Bethſi-
moth: & ab auſtrali parte, quæ ſubiacet Aſedoth, Phaſga. 4. Terminus Og regis Ba-
ſan, de reliquiis Raphaim, qui habitauit in Aſtaroth, & in Edrai, & dominatus eſt in
monte Hermon, & in Salecha, atque in vniuerſa Baſan, vſque ad terminos 5. Geſſu-
ri, & Machati, & dimidiæ partis Galaad: terminos Sehon regis Heſebon. 6. Moyſes
famulus Domini, & filij Iſraël percuſſerunt eos, tradiditque Terram eorum Moyſes
in poſſeſſionem Rubenitis, & Gaditis, & dimidiæ tribui Manaſſe. 7. Hi ſunt reges
Terræ, quos percuſſit Ioſue & filij Iſraël trans Iordanem ad Occidentalem plagam, à
Baalgad in campo Libani, vſque ad montem, cuius pars aſcendit in Seir: tradiditque
eam Ioſue in poſſeſſionem tribubus Iſraël, ſingulis partes ſuas, 8. tam in montanis
quam in planis atque campeſtribus. In Aſedoth, & in ſolitudine, ac in meridie He-
thæus fuit & Amorrhæus, Chananæus, & Pherezæus, Heuæus & Iebuſæus. 9. rex
Iericho vnus: rex Hai, quæ eſt ex latere Bethel, vnus: 10. rex Ieruſalem vnus, rex
Hebron vnus, 11. rex Ierimoth vnus, rex Lachis vnus, 12. rex Eglon vnus, rex Ga-
zer vnus, 13. rex Dabir vnus, rex Gader vnus, 14. rex Herma vnus, rex Hered
vnus, 15. rex Lebna vnus, rex Odullam vnus, 16. rex Maceda vnus, rex Bethel vnus,
17. rex Taphua vnus, rex Opher vnus, 18. rex Aphec vnus, rex Saron vnus, 19.
rex Madon vnus, rex Aſor vnus, 20. rex Semeron vnus, rex Achſaph vnus, 21. rex
Thenac vnus, rex Mageddo vnus, 22. rex Cades vnus, rex Iachanan Carmeli vnus;
23. rex Dor, & prouinciæ Dor vnus, rex Gentium Galgal vnus, 24. rex Therſa vnus:
omnes reges triginta vnus.

COMMENTARIVS.

H*Oc in capite bellorum, quæ à Moyſe in Transiordanina regione geſta ſunt, recapitulatio eſt vſque ad verſum 7. Deinde, quæ ab Ioſue in Ciſiordanina. à verſu 7. ad finem capitis. Vbi nota* primò *pro eo, quod nos dicimus* trans *&* cis, *eandem in Hebræo eſſe præpoſitionem* heber. *quam & noſter ſemper vertit* trans *verſu 1. & 7. ſed vtriuſque ripæ, aut Lateris diſcrimen ex oriente & occidente ſumitur.* Secundò. *Legendum in textu* Aſedoth *verſu 8. non* Aſeroth. Tertiò. Rex Saron *verſu 19. legitur. pro quo ex Hebræo ab Maſio & Chaldæo reponitur* Rex Laſaron, *quæ quidem vox in Hebræo eſt, ſed ita, vt videatur* La *vim articuli potius habere. Ideoque idomittunt non correcti tantum libri noſtri, ſed è Nouatoribus etiam Iunius & Tremellius dicentes;* Rex Scharonin *vnus. Et nota eſt planities, lotuſque* Saron *inter montem Thabor. & Tyberiadis lacum, ab eximia fertilitate apud Iſaiam c. 33. v. 9. laudatur. Eidem tamen Maſio videtur* Laſaron *fuiſſe vrbs à Lyda non procul, quæ in Apoſtolorum Actibus vocetur ἀσσαρών.* Quartò. *In Hebræo etiam eſt* Rex Sameron meron *verſu 20. Licet dici rectè queat iſtud* meron *in Hebræo redundare, factumque ex vltimis prægreſſi nominis literis* Simron, aleph *interpoſito. Nam notant ipſimet Iudæi ad Bibliorum ſuorum marginem, in hoc eodem* meron *vocabulo litteram vnam* vau *redundare. cum fortaſſe illud, quod interpoſuerunt* aleph *magis redundet, vel potius, vt dixi totum illud vocabulum quod idcirco in correctis etiam Latinis omittitur. Ioſephus tamen lib. 18. cap. 12.* Samariæ *proprium aliud nomen fuiſſe ait* meron. Quintò. *Ex illo* rex Mageddo vnus, *videtur illud Apocalypſeos c. 16. verſu 16.* harmageddon. *quaſi* har, *id-eſt*, mons Mageddo, *ſeu, vt inflectunt citati Nouatores,* Mageddunis, *&c. exponitur τὸ ὄρος τῶν ἐκκεκομμένων, id-eſt*, mons occiſorum, *prout ſignificant 70. Iud. 5. & 7. Poſtremo in Regum nominibus obſeruanda, quæ in 70. eſt varietas quadruplex, de qua in quæſtione ſequente opportunius.*

QVÆSTIO I.

Quot, & qui ab Ioſue ſubacti, deletique Reges?

VNum & triginta Hebræus, Chaldæus, Latinuſq; noſter enumerat. ſed Græcus tantummodo 29. Nam ab eo *Rex Bethel*, qui XVI. eſt, & *Rex Semiron* meron, qui eſt XXIII. omittuntur. cuius ego rei cauſam nullam diſpicio.

A Numerantur autem Reges iſti non eorum, ſed locorum, quibus imperabant, nominibus poſitis. in quibus præter iam indicatam numeri varietatem, eſt alia in ordine peraxigua, dum Rex *Cades* poſt *Acſchaph*, in Hebræo autem & Latino poſt *Mageddo*: Et rurſum alia etiam parua in Rege *Ophec*, dum additur τῆς ἀφέκ. denique alia magna quidem, ſed ex vſitata in Scripturis diuerſitate. Sic enim apud 70. eſt ἀ[illegible].

	Apud quos ſic.	
1	τῆς ἰεριχὼ	
2	γαί	
3	Ἱερουσαλὴμ	
4	χεβρών	
5	ἱεριμούθ	
6	λαχίς	
7	αἰλάμ	
8	γαζέρ	
9	δαβίρ	(·.·)
10	γαδέρ	
11	ἑρμάθ	
12	ἀδίρ	
13	λεβνά	
14	ὀδόλλαμ vide 26.	
15	ἠλάθ	
*		
16	ταφού	
17	ὀφέρ	
18	ὀφὲκ τῆς ἀρώκ	
19	ἀσώμ	(·.·)
20	συμόων	
21	μαμβρώθ	
*		
22	ἀζίφ	
23	κάδης	
24	ζαχάκ	
25	μαγεδδώ	
26	ἰεκὸμ τοῦ χερμέλ	
27	ὀδολλάμ τοῦ φεννεσελδ	
28	γεὶ τῆς γαλιλαίας	
29	θερσά.	

	Hebraice & Latine ſic.
1	
2	Hai
3	
4	
5	
6	
7	Eglon
8	Gezer
9	
10	Geder
11	Charmah alias Horma.
12	Hedar
13	
14	Hedullam
15	Makedah
16	Rex Bethel
17	Thaphuach
18	Chepher
19	Ephek. Videtur in Græco legiſſe Maſius. τῆς ἀλὼκ & ducit ab Hebræo chelek.
20	Laſaron. vel Saron
21	Madon
22	Chatſor
23	Rex Semron Maron
24	Acſchaph
25	
26	Thahenach
27	Megeddo
28	Iikniaham ad Carmelum
29	Dor, n regione ſeu tractu Dor
30	Rex gentium Galilææ
31	Rex Therſa.

QVÆSTIO II.

Vnde tot Reges?

DIxi iam alias in Tobiæ cap. 2. q. 3. non ea potentia, maieſtate, vrbium, terrarumque amplitudine fuiſſe Reges iſtiuſmodi, quanta hodie noſtrates ſunt: ſed ſingularum fere vrbium paulo maiorum Dominos, præſertim ſi municipia quædam acceſſiſſent, vocatos *Reges* fuiſſe, pleroſque profecto non tantos, quanti hodie ſunt *Comites & Barones* nonnulli, vel certe haud multo maiores. Hanc autem Regum rationem apud quoſdam olim fuiſſe commonſtrat Ariſtoteles Politia 3. Strabo libro 16. *Aradus*, inquit, *vt ſingulæ Phœniſſarum vrbium Regem habebat.* Plinius libro 6. cap. 9. *Strategiæ vel præfecturæ olim*, ait, *regna erant*, & cap. 25. Reges Æthiopum 45. & hodie traduntur. Vnde in Coſmographia ſua Poſtellus: *Infantuli illo, aut pueruli ſæculo omnes Regis nomen appetebant.* Et huius diſcipulus Genebrardus in Pſalm. 134. n. 10. *Reges appellabant prima illa ſæcula, quotquot ſummum in ſuis regionibus tenebant imperium, tam etſi anguſte circumſcriptis.* Sed cur eo loco idem ait Genebrardus, *memorari ab Ioſue vno die vnum & triginta Reges confectos?* Vbi hoc Bibliorum memoratur? Hic quidem 31. confectos ab illo Reges audimus: ſed *non vno die:* quin potius multo tempore, vti diſerte tradit caput 11. verſ. 18. de

A quo ſequenti quæſtione. Certe vt ad Regum nomen redeam, in Ioſephi Gorionidę compendio, Iudas Machabæus vocatur *Rex*, & in eadem hiſtoria c. 27. Conſules Romani, *Reges* dicuntur. Aemylius Probus Carthaginenſium Ephoros, qui Punico vocabulo *Suffetes*, vt in Iudicum libro dicam, dicebantur, *binos Reges* vocat. Adeo autem iſta Regum nomenclatio nũc mutata, vt ægre ferat Lipſius Centuria 2. ep. 57. vocari à Bembo *Regem Vrbini, Mantuæ*, locorum-
B que ſimilium, qui vocandus eſſet *Dux* aut *Regulus*.

QVÆSTIO III.

Quot annorum ſpatio Reges iſtos Chananæos omnes, eorumque regna ſub Iſraelitarum ditionem redegit Ioſue?

SVperiori cap. quæſt. 16. dicebam longum quidem in textu notari tempus, id tamen non definiri. Definitum tamen eſt à Ioſepho
C lib. 5. cap. 1. *quinquennale*, ab aliis vero *ſeptennale*. quod verioris eſſe calculi manifeſtum ſatis euadit ex capitis 14. infra verſ. 10. vbi poſt bellorum iſtorum finem, cum de diuidenda terra ſermo eſſet, dixit, *Quadraginta & quinque anni ſunt, ex quo locutus eſt Dominus verbum iſtud ad Moyſen, quando ambulabat Iſrael per ſolitudinem: Hodie octoginta quinque annorum ſum.* Ecce, ait ſe 85. annorum eſſe. & ab eo tempore, quo cum

A aliis exploratam terram miſſus erat, effluxiſſe annos 45. Miſſus autem erat anno Ægyptiaci exitus ſecundo, vt ſupra lib. 1. c. 8. dictum eſt. Subtrahantur igitur ex illis 45. annis anni 38. quibus poſt illud Ægyptiaci egreſſus bienniũ, in ſolitudine verſati ſunt, & reſidui ſint anni VII. quibus bella hæc geſta. Et hæc ſententia eſt Theodoreti quæſt. 16. Abulenſis c. 11. ante q. 11. & poſtea quæſt. 90. Ariæ, Maſij, & pœne omnium. Incidit vero ſeptimus hic bellorum annus in mundi annum 2497. vel circiter.

B

QVÆSTIO IV.

An ad pacem ac deditionem, horum bellorum initio inuitauerit Chananæos Ioſue?

FRequens in Rabbinorum commentariis, præſertim vero in *Tanchuma, Ellebhad debarim rabbah*, & *Miſnaioth* narratio eſt, Ioſue ſimul ac promiſſam terram attigit, litteras ad Chananæorum populos, ciuitates, Regeſque miſiſſe, ipſoſque ad pacem, ac deditionem inuitaſſe, bonaſque & æquas iis, qui depaciſci vellent, conditiones obtuliſſe. *Ego vero*, ait Maſius in c. 9. *vt non plane poſſum ei rei de publicis litteris fidem adiungere: ita non omnino nihil eſſe illud, quod priſci illi de offerenda pace ſcriptum reliquerunt, facile crediderim. Nam ſane ipſa æquitas dictat, bellum nullum niſi denunciatũ, videri iuſtum. eſtque hoc ita apud omnes gentes ſemper. Quin Moyſes ipſe Dei interpres, iubet, cum ad vrbem acceſſeris, non prius oppugnare eam, quam pacem ipſi obtuleris. Idque Nehmannus, Leui F. Gerſonis Kimhi, atque adeo vniuerſa fere Iudæorum turba, non ſolum de peregrinis vrbibus, verum etiam de Chananaicis accipiendum eſſe cenſent. Neque vllam gentem præter Moabitas & Ammonitas non eſſe ad pacem inuitandam putant. De his enim duabus nationibus ſingularia extant Dei iuſſa, in hanc ſententiam. Non petes ab illis pacem: neque id, quod ipſis commodum ſit.*

QVÆSTIO V.

An pacem ac deditionem abnuentes Chananæi, puteos ac fontes, eorum Iſraelitis ne vſus foret: obſtruxerint, aliaque id genus fecerint?

ASſeuerat omnino Thargũ Chaldæus hiſce verbis Cant. 3. v. 5. *Quando audierunt ſeptem populi, quod filij Iſrael poſſeſſuri eſſent terram ipſorum, ſurrexerunt ſimul & ſucciderunt arbores, & obturauerunt fontes aquarum, & deſtruxerunt vrbes ſuas & fugerunt.* Nullum tamen rei huius indicium in Scripturis comparet. Sit pænes Chaldæum illum fides, cui aſſentiuntur tamen, vt ſolent Iudaici Rabbini.

QVÆSTIO VI.

An in ſpeluncas Chananæorum ſeſe aliqui, propter Ioſuæ metum, abdiderint, in regioneſque alias præſertim Libyam ac Germaniam alij fugerint?

IN hiſtoria Lauſiaca Palladij hæc verba ſunt c. 106. *In Amorrhæorum ſpeluncis quæ ſunt in Hiericho, quas olim conſtruxerant fugientes Ieſum Naue, qui tunc populabatur alienigenas,* &c. In alias vero regiones fugiſſe nonnullos teſtantur minime contemnendi auctores. Et de Libya quidem ita Euagrius lib. 4. hiſt. Eccleſ. c. 18. *Narrat Procopius rem, quæ ad ſuam ætatem litteris minime mandata fuit, valde tamen memorabilis, & omnem prope ſuperans admirationem. Sic namque ſcribit: Mauruſios, gentem Libyæ electos Palæſtina, in Libyam demigraſſe. Hos vero Gergeſæos, Iebuſæos, & reliquas gentes, quas ſacra memorant eloquia, Ioſue filio Naue expugnatas. Remque ita ſe habere argumentum capit ex epigrammate, quod litteris Phœnicum, conſcriptum, ait ſe legiſſe: illud autem prope fontem eſſe, in quo loco duæ extant columnæ ex albo lapide fabricatæ, in quibus inciſa ſunt hæc verba:* NOS SVMVS, QVI A FACIE IOSVE LATRONE, FILIO NAVE, FVGERIMVS. Sed primum rei tantæ indicem ac fontem, ipſum audiamus. Procopium libro 4. de bello Vvandalico: *Poſtquam*, ait, *Hebræi ex Aegypto reuerterunt, atque in Palæſtina conſtiterunt Moyſes vir ſapiens, qui eos in itinere ducebat, moritur. Cui* IESVS *Naue filius ſucceſsit, qui & in Palæſtinam populum introduxit, ac virtutem ſupra hominis naturam longe oſtendens, regionem habuit. vnde gentes euertens multas ciuitates facile parauit, ac omnibus inexpugnabilis viſus. Tunc igitur vniuerſa regio maritima à Sidone vſque in Aegypti fines Phœnicia eſt appellata, quibus vnus iandudum imperabat, vti omnes teſtantur, qui antiquã Phœnicum ſcripſerunt hiſtoriam. Hic populi numeroſi habitauere Gergeſæi, Iebuſæi, aliaque habentes nomina in Hebræis voluminibus memorata. qui cum inexpugnabilem conſpicerent aduenarum exercitum, patrios fines deſerentes in Aegyptum vicinam demigrarunt, ibique numero, ac ſobole creſcentes, cum non ſatis commodum tantæ multitudinis locum inueniſſent, in Aphricam penetrauere, vbi ciuitates quã plures habitantes omnem eum tractum vſque ad Herculis Columnas tenuerunt, ſemiphœnicia lingua, ac dialecto vtentes. Oppidumque Tingin ſitu munitiſsimum in Numidia ædificauerunt, vbi duæ ex albo lapide columnæ prope magnum fontem conſtitutæ, in quibus Phœnicum lingua litteræ inciſæ ſunt huiuſmodi. Nos à facie fugimus* IESV *prædonis filij Naue. Hi demum, quod nulli ſint in eis antiquiores, Aphricæ indigenæ, dicuntur eſſe: cuius rei gratia Rex quondam eorum Antæus, qui in Palæſtra cum Hercule congreſſus eſt, terræ filius eſt appellatus.* Addit vero idem Procopius, quemadmodum poſtea in eandem Lybiam ex iiſdem regionibus, *Phœniſſa Dido* venerit, Carthaginẽque condiderit. omniaque hæc valde confirmãtur ex D. Auguſtino in expoſitione inchoatæ epiſtolæ ad Romanos, aliiſque auctorib. quos quæſt. 25. citaui ſupra c. 2. vbi & Hebrææ, Punicæque linguæ affinitatem oſtendi. De *Germania* porro Genebrardus in Chronologia teſtis quidem eſt, ſed cui paulo Germaniæ germanior alumnus aurem illibens det, quod, nonnullo cum gentis contẽptu, referre id videatur. Adeſt igitur ex Iudaicis Rabbinis Abnezra eoque vetuſtiores alij, de quibus in voce *Aſcenaz* ita Germani Eliæ liber *Thisbi: In verſum illum qui* (Abdiæ 1.) *eſt Chananæi vſque ad Tſarphath. ſcripſit Rabbi Abenhezra ſe ex magnorum* (*Rabbinorum* ſcilicet, aut virorum) *ore audiiſſe, terram Alemaniæ ſeu Germaniæ, eſſe Chananæos illos, qui à facie filiorum Iſrael fugerunt.* Et poſſet hoc ex lingua itidem &

dialecto probari. Vetus enim Germanica in quãplurimis cum Hebræa, & Chaldæa præſertim, cõſonat. Duo tamen hic notanda. *Vnũ* Germanos eſſe *Gomeranos* ex *Iapheth*, non ex *Cham*, probatum fuiſſe alias in Geneſ. cap. 10. ita vt nonniſi ad veteres Gomeranos in vacuas & incultas Gomeraniæ terras forte aliquas Chananæi illi accedere potuerint. *Alterum*, videri ex-

A tra Scripturæ phraſim ac ſententiam eſſe, vt *Tſarphath* pro Gallia, *Sepharad* pro Iberia ſeu Hiſpania ſumatur: prout ait libr. 7. de emendat. temp. in fine Iudaici computi Scaliger, probat vero in c. 1. Abdiæ Ribera num. 103. & ſequentibus, aliiſque plures, quos nuper ſcrupulo 4. citauit *Rabbinus poſterior*.

SEQVVNTVR TA METAΠΟΛΕ-
MIKA, ID EST, EA QVÆ POST
IOSVANA BELLA CONTIGERVNT.

LIBRI IOSVÆ
PARTIS SECVNDAE
PARS TERTIA DE IIS,
QVÆ POST BELLA.

CAPVT XIII.

1. IOSVE ſenex, prouectæque ætatis erat, & dixit Dominus ad eum: Se-
nuiſti, & longæuus es, terraque latiſſima derelicta eſt, quæ necdum ſor-
te diuiſa eſt: 2. omnis videlicet Galilæa, Philiſthiim, & vniuerſa Geſſuri
3. A fluuio turbido, qui irrigat Aegyptum, vſque ad terminos Accaron
contra Aquilonem: Terra Chanaan, quæ in quinque regulos Philiſthiim
diuiditur, Gazæos, & Azotios, Aſcalonitas, Gethæos, & Accaronitas. 4. Ad meridiem
vero ſunt Heuæi, omnis terra Chanaan, & Maara Sidoniorum vſque Apheca & termi-
nos Amorrhæi. 5. eiuſque confinia, Libani quoque regio contra Orientem à Baalgad
ſub monte Hermon, donec ingrediaris Emath. 6. Omnium qui habitant in monte à
Libano vſque ad Aquas Maſerephoth, vniuerſique Sidonij. Ego ſum qui delebo eos
à facie filiorum Iſraël. Veniat ergo in partem hereditatis Iſraël, ſicut præcepi tibi. 7. Et
nunc diuide terram in poſſeſſionem nouem tribubus, & dimidiæ tribui Manaſſe: 8.
cum qua Ruben & Gad poſſederunt terram, quam tradidit eis Moyſes famulus Domi-
ni trans fluenta Iordanis, ad orientalem plagam. 9. Ab Aroer, quæ ſita eſt in ripa tor-
rentis Arnon, & in vallis medio, vniuerſaque campeſtria Medaba, vſque Didon. 10. &
cunctas ciuitates Sehon regis Amorrhæi: qui regnauit in Heſebon vſque ad terminos
filiorum Ammon. & Galaad, ac terminum Geſſuri & Machati, & omnem montē Her-
mon, & vniuerſam Baſan, vſque ad Salecha, 12. omne regnum. Og in Baſan, qui re-
gnauit in Aſtaroth & Edrai, ipſe fuit de reliquiis Raphraiim: percuſſitq. eos Moyſes, at-
que deleuit. 13. Nolueruntque diſperdere filij Iſraël Geſſuri & Machati: & habitaue-
runt in medio Iſraël vſque in præſentem diem. 14. Tribui autem Leui non dedit poſ-
ſeſſionem: ſed ſacrificia & victimæ Domini Dei Iſraël, ipſa eſt eius hereditas, ſicut locu-
tus eſt illi. 15. Dedit ergo Moyſes poſſeſſionem tribui filiorum Ruben iuxta cognatio-
nes ſuas. 16. Fuitque terminus eorum ab Aroer, quæ ſita eſt in ripa torrentis Arnon,
& in valle eiuſdem torrentis media: vniuerſam planitiem, quæ ducit Medaba, 17. &
Heſebon, cunctoſq. viculos earum, qui ſunt in campeſtrib. Didon quoque, & Bamoth-
baal, & oppidum Baalmaon, 18. & Iaſſa, & Cedimoth, & Mephaat. 19. & Cariathaim,
& Sabama, & Sarathaſar in monte conuallis. 20. Bethphogor & Aſedoth, Phaſga &
Bethieſimoth. 21. & omnes vrbes cāpeſtres vniuerſaq. regna Sehon regis Amorrhæi,
qui regnauit in Heſebon. quem percuſſit Moyſes cum principib. Madiam: Heuæum, &
Recem, & Sur, & Hur, & Rebe Duces Sehon habitatores Terræ. 22. Et Balaam filium
Beor ariolum occiderunt filij Iſraël gladio cum ceteris interfectis. 23. Factuſque eſt ter-

Digitized by Google

minus filiorum Ruben Iordanis fluuius. Hæc eſt poſſeſſio Rubenitarum per cogna-
tiones ſuas vrbium & viculorum. 24. Deditque Moyſes tribui Gad & filiis eius per co-
gnationes ſuas poſſeſſionem, cuius hæc diuiſio eſt. 25. Terminus Iaſer, & omnes ciui-
tates Galaad, & dimidiam partem terræ filiorum Ammon, vſque ad Aroer, quæ eſt cõ-
tra Rabba. 26. & ab Heſebon vſque Ramoth, Maſphe & Betonim: & à Manaim vſq.
ad terminos Dabir. 27. in valle quoque Betharan, & Bethnemra, & Socoth, & Saphõ
reliquam partem regni Sehon regis Heſebon: huius quoque finis, Iordanis eſt vſque
ad extremam partem maris Cenereth trans Iordanem ad orientalem plagam. 28. hæc
eſt poſſeſſio filiorum Gad per familias ſuas, ciuitates, & villæ earum. 29. Dedit & di-
midiæ tribui Manaſſe, filiiſque eius iuxta cognationes ſuas poſſeſſionem, 30. cuius hoc
principium eſt: à Manaim vniuerſam Baſan, & cuncta regna Og regis Baſan. omneſque
vicos Iair, qui ſunt in Baſan ſexaginta oppida. 31. & dimidiam partem Galaad, & Aſta-
roth, & Edrai vrbes regni Og in Baſan: filiis Machir, filij Manaſſæ dimidiæ parti filiorũ
Machir iuxta cognationes ſuas. 32. Hanc poſſeſſionem diuiſit Moyſes in campeſtribus
Moab trans Iordanem contra Iericho ad Orientalem plagam. 33. Tribui autem Leui
non dedit poſſeſſionem: quoniam Dominus Deus Iſraël ipſe eſt poſſeſſio eius, vt lo-
cutus eſt illi.

COMMENTARIVS.

QVæ poſt bella, *& mundi annum 2497. hoc libro traduntur, ſunt hæc* tria. Primum *Chananææ terræ diuiſio à cap. 13. ad 22.* Secundum, *Tribuum Transiordaninarum diuiſio cap. 22.* Tertium, *Ducis & Pontificis extrema dicta & facta à capite 23. ad finem.*

PRIMVM.

Geodæſia ſacra: ſeu promiſſæ terræ ſanctæ diuiſio.

GEodæſia, *ſeu, vt à Pappo dicitur,* Geomoria, *generatim eſt* terræ diuiſio. *Sed hic non* terræ *cuiuslibet, ſed* ſacræ, *ſeu* promiſſæ *tantum diuiſio tractanda. Tractanda vero biſariam: generatim nimirũ & ſpeciatim. Et* generatim *quidem, explicandæ illius cauſæ & circumſtantiæ. Cauſarum prima occurrit* materia, *quæ aliud nihil eſt quam ipſa diuidenda terra. De qua hæ quæſtiones.*

QVÆSTIO I.

Quænam hæc diuidenda promiſſa terra?

IN libri huius capite primo, quæſtione quinta, & ſequentib. quænã & quanta Iſraelitis promiſſa eſſet à Deo terra expoſitum eſt. Nunc igitur de illa ipſa quæritur, an tota illa diuidenda modo ſit an eius tantum pars, & quæ illa? *Reſpondeo primo.* Non illam totam diuidendam, ſed eius tantum partem. Extremæ ſiquidem illius partes vt *Cæleſyria, Phœnice, Arabia* in diuiſionem hic nullo modo veniunt: ſed interiores tantummodo regiones, ab Aquilonaribus, & Auſtralibus antea poſitis terminis comprehenſæ.

Secundo. Ne iſtæ quidem interiores regiones, omnes hic diuiduntur, ſed *Ciſiordanina ſola.* Iam enim antea Transiordaninas diuiſerat ipſemet Moyſes duabus tribus Ruben, & Gad. idemque dimidiatæ tribui Manaſſæ, vti narratur Numer. cap. 32. & hoc capite 13. repetitur à ver. 8. ad finem vſque.

Sed illic obſeruabis, Transiordaninam vocari *Galaad*, Ciſiordaninam vero, *terram Chanaan*, hic autem ſigillatim etiam repeti, quæ cuique tributa ſit portio. *Rubenicæ* quidem *tribus* à verſu 16. ad 24. *Gadicæ* à verſ. 24. ad 29. *dimidiatæ tribui Manaſſæ* à ver. 29. ad 31.

Tertio. Ne totam quidem Ciſiordaninam modo diuidi retur Abulenſis iſto capite quæſt. tertia. Sed eam ſolum eius partem, quæ hactenus deuicta, ſubactaque non fuiſſet. Al-

A teram enim partem, quæ in Iſraelitarum poteſtatem iam veniſſet, diſtributam fuiſſe cenſet, quia hic verſu ſecundo ſcriptum eſt. *Terra latiſsima derelicta eſt, quæ nec dum ſorte diuiſa eſt.* Prior tamen eiuſmodi nulla vſquam alibi memoratur diuiſio: eius nullum extat veſtigium. Nam in citato verſu ſecundo, ita Hebraice ad verbum eſt. *Terra reliquata, eſt multa valde ad eam hæreditate poſſidendam. Et hæc terra quæ reliquatur eſt.* Reliquatam enim vocat textus, quæ ad illud vſque tempus domita & occupata non fuerat *ἡ γῆ καταλελειμμένη*, aiunt 70. Et hanc vocant Interpres, *nec dum diuiſam*, non quod pars altera, vt occupata, ſic & diuiſa eſſet: ſed quod vere diuiſa nondum erat, beneque *reſidua* vocabatur, non occupationis & poſ-
B ſeſſionis reſpectu tantum, ſed & diuiſionis, quæ poſt ſequuta: *tota* igitur *Ciſiordanina promiſſa hæreditas*, tam *occupata* iam quam deinceps *occupanda*, diuiſa modo. ac diſtributa fuit.

QVÆSTIO III.

Qualis terra hæc diuidenda?

POteſt & ſimpliciter & comparate hæc quæſtio tractari. *Simpliciter* quidem, *terra bona* dicitur. Exod. capite 3. verſu 8. & *Bona*
C *valde valde.* Numeror. 14. verſu ſeptimo, in Hebræo, vbi aduerbij illius geminati bonitatem omnino magnam & excellentem ſignificat. Ea vero in tribus potiſſimum ſita, in

Digitized by Google

aëris ſalubritate, locorum fertilitate, populi multitudine. *Salubritas* oportunitatum, quę in regione aliqua ſunt, omnium caput eſt. Et ea ſi defuiſſet, non hæc optanda, neque à Deo electæ genti danda ſedes ac patria, ſed velut *Orci oſtium & Morbonia* fugienda potius execrandaque fuiſſet. *Fertilitas* porro demonſtrata fuit à Ioſue & Caleb, dum exploratorum functi officio ſunt, botrumque illic ingentem, alioſque fructus attulerunt, de quibus libro primo. Sed à Scriptura ſæpe indicatur, dum dicitur *terra manans* aut *fluens lacte & melle*. Exod. cap. 3. verſu 8. 17. capite 13. verſu 5. Leuitic. 20. verſu 24. Numer. 14. verſu 8. capite 16. verſu 14. Deuteronom. 6. verſu 3. capite 11. verſu 9. capite 26. v. 9. 15. capite 27. verſu 3. capite 31. verſu 20. Ioſuæ. 5. verſu 6. Ierem. 11. verſu 5. capite 32. verſu 22. Baruh. 1. ver. 20. Ezechiel. 20. verſu 6. 15. His enim verbis parœmiæ inſtar, vt libro primo capite 8. quæſtion. 4. dicebatur, contritis, rerum affluētia ſignificatur, partim quia *lac* & *mel* omnium primi & ſimpliciſſimi an hominum alimoniam è brutis animantibus fructus ſunt, partim quia cœli ſolique bonitatem perſpicue indicant. *Lactis* enim *copia & ſapor* vnde niſi à bono ac vberi gramine? Ioſephus ait libro ſecundo Captiu. capite quarto, διὰ πλῆθος πόας ἀγαθῆς, τὰ κτήνη πλεῖον, ἢ παρ' ἄλλοις γαλακτοφόρα. *Mellis abundātia & præſtantia*, vnde niſi è floribus plurimis, lociſque pinguiſſimis & mundiſſimis? Videatur libro 11. capite 12. 13. 14. Plinius. Cum tantum igitur & lactis & mellis alicubi narratur, vt ſponte huc, illuc, riuorum inſtar, fluat, quid niſi beatiſſima, rebuſque omnibus, ad honeſte, pacate, iucundeque viuendum inſtructiſſima ſignificatur, Et hoc imitati Gentilium Poëtæ dixerunt, Horatius quidem Epod. od. 16.

Mella caua manant ex illice: montibus altis
Leuis crepante lympha deſilit pede.
Illic iniuſſæ veniunt ad mulchra capellæ
Refertque tenta grex amicus vbera.

Virgilius ecloga. 6.

Iam duræ quercus ſudabunt roſcida mella
Ipſæ lacte domum referent diſtenta capellæ
Vbera.

Tibullus. Eleg. 3. lib. 1.

Ipſæ mella dabant quercus, vltroque ferebant
Obuia ſecuris vbera lactis opes.

Ouidius Metam. 1.

Flauaque de viridi ſtillabant ilice mella.

Licet vero his, vt dixi, verbis maxima notetur affluentia, mihi tamen non placent noui quidam Interpretes, qui *terram* vertunt *affluentem lacte & melle*. Maior enim & expreſſior fœcundæ terræ bonæque, ſignificatio eſt, ſi quemadmodum *hominem ſudore fluere ac manare* dicimus, *illam lacte ac melle fluere ac manare* dicamus, quam ſi affluere affluit quis opibus & doctrina, qui non fluit ac manat: fluor ille copiam indicat facile parabilem, obuiam, promiſcuam, ſecuram. Semper autem prius lactis quam mellis mentio, quia latius ad vitæ humanæ ſuſtentationem ac felicitatem eius pertinet vſio. Lacte infantuli, lacte pueri, lacte adoleſcentes, viri & ſenes, ægrique ac valentes ſuſtentari poſſunt, non autem melle ſic, quamuis & ad plurima, dulciſſimus hic ac ſaluberimus ſuccus valeat. Hinc apud Homerum ἀμύμονες, id eſt, *innocentes*, illi γαλακτοφάγοι, Graphice vero in cantico ſuo Moyſes verſu 13. *Conſtituit eum* (populum Iſraeliticum) *ſuper excelſam terram vt comederet fructus agrorum & ſugeret mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo: Butyrum de armento, & lac de ouibus cum adipe agnorum, arietum filiorum Baſan, & hircos, cum medula tritici & ſanguinem vuæ biberet meraciſſimum.* S. Hieronymus in Iſaiæ caput quintum. *Reuera*, inquit, *nihil terra repromiſſionis pinguius, ſi non montana quæque atque deſerta, ſed omnem illius latitudinem conſiderans à riuo Aegypti, vſque ad flumen magnum Euphraten, contra orientem, & Zephyrium Ciliciæ, quod mari imminet.* Eandem terram dicit in Radicibus & commentario pſalm. 131. verſu 15. Radak vocatam *kam moriam*, quod eſſet *moriah*, id eſt, aquis irrigua ac fœcunda. Ioſephus loco citato primo de *Galilæa*. Πίων, ait, πᾶσα καὶ εὔβοτος, καὶ δένδρεσι παντοίοις κατάφυτος ὡς ὑπὸ τῆς εὐπαθείας, προσκαλέσασθαι, καὶ τὸν ἥκιστα γῆς φιλόπονον. Eamque cum *Peræa* conferens ait: ἡ ἐνεργὸς ὅλη καὶ σιτηγὸς, ἔτι καρποφόρος. Et rurſum. τῇ μὲν μαλθακὸν ταύτης, καὶ τὸ πάμφορον, καὶ τὰ πεδία δένδρεσι κατάφυτα ποικίλοις· τὸ πλεῖστον δὲ εἰς ἐλαίαν τε καὶ ἄμπελον καὶ φοινικῶνας ἤσκηται διαρδομένη χειμάῤῥοις τε τοῖς ἀπὸ τῶν ὀρῶν, καὶ πηγαῖς ἀενάοις ἅλις, εἴποτε ἐκεῖνοι σειρίῳ φθίνοιεν. De *Samaria* deinde ac *Iudæa*. Ἄμφω ὀρειναὶ καὶ πεδιάδες, εἴς τε γεωργίαν μαλθακαὶ καὶ πολυφόροι. κατάδενδροι τε καὶ ὀπώρας ὀρεινῆς καὶ ἡμέρου μεσταὶ, γλυκὺ δὲ νᾶμα πᾶν διαφόρως ἐν αὐταῖς. Vnde lactis illa copia, ſeu γαλακτοφορεία, de qua ſupra. Qui vero, viginti ab hinc annis, eandem regionem, pietatis ergo, adiit ac luſtrauit illuſtriſſimus Radziuilius, *Terra*, inquit, epiſtol. ſecunda. *Galilæa, initio ſaxoſa, & rupibus, vt Syria caua, abundans, ſed duobus miliaribus peractis, tanta eſt in hac regione ſitus amœnitas, vt difficulter deſcribi ac verbis explicari poſſit. Soli fertilitas inſignis hinc apparet, quod licet, propter incurſiones Arabum, agri non excolantur, optimarum tamen herbarum vim maximam produxit, roſmarini præſertim; fruteta vbique condenſata virent.* Poſſet hic ſigillatim agi de iis, quæ ibi feliciter progignebantur, de balſamo ſcilicet vitibus, oleis, palmis & ſimilibus, quæ Geneſ. 43. verſu. 11. & in Canticis Canticorum tanguntur. Sed nimis huc multa præter inſtitutum congererentur: & de balſamo iam actum ſupra in capite ſecundo quæſt. 4.

Ad *populi* ergo me *multitudinem confero*, quæ ſane tanta fuit vt agnorum in Paſchate mactatorum enumeret libro ſexto capite 45. Ioſephus vno eodemque die myriadas 25. & 5600. id eſt, vniuerſe ducenta quinquaginta quinque millia & ſexcentos: non vt in Latina Ruffini verſione 256500. lib. 7. capite 17. Cum vero ad agni vnius comeſtionem, paſchaleque conuiuium viri, & quidem integri, puri, ac intaminati, conuenirent XX. minimum vero X. ſi per numerum hunc, quo minor eſſe non poterat, dictam antea paſchalium agnorum ſummam multiplicemus, exiſtent virorum eiuſmodi capitum vicies quinquies centena

Digitized by Google

millia: inſuper quinquaginta ſex millia : vel, A
ſi eam, quæ in Ioſepho nunc legitur, ſummam ſequimur, virorum erunt myriades ducentæ & ſeptuaginta, id eſt, vt recte conſummat Ruffinus, vicies centena ac ſeptingenta millia, ſeu vicies ſepties centena millia. Quid vero ſi his viros labe quadam aut gonorrhœæ, aut lepræ, aut rei alicuius ſimilis ab eſu menſaque illa prohibitos adiungamus? Quid ſi fœminas? Quid ſi puerulos ? Intelligi vero eadem multitudo poteſt è plurimis & frequentiſſimis eiuſdem terræ vrbibus, ac vicis.
Nam in ſequenti diuiſione magni de ea re te- B
xuntur catalogi, capite 14. 15. & ſequentibus: Ipſeque Ioſephus loco citato, *in Galilæa*, inquit, πόλεις πυκναὶ, καὶ τὸ τῶν κωμῶν πλῆθος πανταχοῦ πολυάνθρωπον διὰ τὴν εὐθηνίαν. Sed hoc quidem generatim, ô Ioſephe: dic ſodes diſtinctius, *quot in Galilæa vrbes & vici* ? Reſpondet in vita ſua, διακόσιαι καὶ τέσσαρες κατὰ τὴν Γαλιλαίαν εἰσὶ πόλεις καὶ κῶμαι. id eſt, *ducentæ & quatuor per Galilæam viſuntur vrbes ac vici*. Sed rurſum in eiuſmodi vrbe ac vico, quanta hominum frequentia? Reſpondet idem
in citato Captiuitatis libro 3.c.4. ἡ ἐλαχίστη πόλις C
ἢ κώμη ὑπὲρ πεντακισχιλίους πρὸς τοῖς μυρίοις ἔχει οἰκήτορας. Id eſt, *Minima vrbs, aut vicus habet plusquam quindecim millia capitum*. Magna ſane hæc multitudo, cuius (ſi maiores, quæ plura multo millia complectuntur, omittamus) ſumma ſit, tricies centenorum ac ſexaginta millium. De *Samaria* vero & *Iudæa* eodem l. 3. c.4. μέγιστον γε μὴν τεκμήριον ἀρετῆς καὶ εὐθηνίας, τὸ πληθύνειν ἀνδρῶν ἑκατέραν. Et hoc tempore ex frequentibus ciuitatum opidorumque ruinis, apparet eam fuiſſe populoſiſſimam, vt ait citatus
ante Illuſtriſs. *Radzivilius*. Iam vero compara- D
te tractanda quæſtio hæc eadem foret, ſed abiungere parumper ſatius.

QVÆSTIO III.

Ad regiones alias comparata qualis terra eadem?

Ciſiordaninæ cum *Transiordanina* regione cōparationem inſtituit lib. 3.cap.4. Ioſephus, ſed Ciſiordaninam eandem ſecum ipſam, & cū
regionibus aliis lib. 5. Antiq. c. 1. vbi ait, eam E
totius terræ huius naturam eſſe, vt ſi cum alia vlla conferatur, merito πανευδαίμων. id eſt, *tota fælix & beata* cenſeatur: Sin vero cum *Ierichuntis & Ieroſolymorum* locis, videatur quaſi nihil. Sed ad illam cum terris aliis comparationem intelligendam facere videntur maxime ſcripturæ tres. Prima eſt Deuteron. 32. verſu 13. vbi *excelſa terra* vocatur, non quod locorum celſitate ſuperet alias, ſed quod bonitate ac feracitate præſtet. Ita enim celſitatem iſtam explicant, quæ adduntur, *vt comederet fructus agrorum, ſugeret mel, de petra. & cætera*. Huc ſeptuaginta nos vocant
Interpretes, dum vertunt τὴν ἰσχὺν τῆς γῆς, *vim* F
ac *robur terræ*. Quod enim aliquo in genere præſtans & eximium eſt, id illius *vis* ac *robur*, vt Aquila hic vocat, τὸ ὕψωμα, *vertex* & *apex* dici ſolet. Si tamen altitudinis etiam rationem habitam quis putaret, duobus id modis fieri poſ-
ſet: vel quia nimirum *Septentrionalior* eſſet, vel quia *montoſior*. Priore modo non eſt, ſi cum Syria & Armenia, partibuſque aliis remotioribus conferatur. Poſteriore modo eſt, ſed quæ iſta laus? cur terræ hoc eulogium deprædicaret Moyſes? Nonne aliæ plurimæ regiones montoſiſſimæ? & quidem ab iſta promiſſa non remotiſſimæ? Sunt è Nouatorib. tamen aliqui quos alia delectat expoſitio, Vt quia in Hebræo eſt, *Vexit eum in excelſa terræ*, per hæc intelligātur munitæ vrbes, nō in quas, ſed ſuper quas populū ex Ægypto eductum vexit Deus. At Hebræa præpoſitio *hal*, valet etiam *in*, prout ipſemet Iunius & Tremellius in eadem phraſi vertunt. 1. Reg. 1. verſu 19. & quæ adduntur, ſatis indicant, agi de termino ad quem? Pro terræ vero excelſis, recte *terra excelſa* vertitur: Vt Iſaiæ 14. verſu 14. *Aſcendam ſuper excelſa nubis*, id eſt, *excelſam nubem*. Altera ſcriptura eſt Ezech. 20. verſ. 6. vbi dicitur *egregia inter omnes terras*, & infra verſ. 15. *præcipua terrarum omnium*, vbi Hebraice vox eſt *tſebi*, quæ interdum animantem ſignificat quæ in ceruorum genere *hinnulus* aut *capreolus dama*, & *caprea* vocatur Deut. 12. v. 21. 14. v. 5. 3. Reg. 4. 21. Iſaiæ. 13. verſu 14. Prouerb. 6. v. 5. Cantic. 2. v. 9. interdum *gloriam*, decus, *rem deſiderio ac amore dignam*, & arceſſunt eam Hebræi vocem à verbo *tſabah*. quod eſt *leuari, tumeſcere* ac *inflari*, Num. 5. v. 21. 22. 27. Quia igitur leuitate & curſu, mire ſuper ſaltus & montes leuantur *hinnuli* & quia iis paulatim leuantur ac tumeſcūt, iſto tſebi nomine appellantur. Rurſum quia quæ ſupra res alias leuantur ac eminent, eas gloria, deſiderio, & amore proſequi ſolemus. & quia res eædem mortaliū animos extollere, inflare, tumidoſque efficere ſolent, idcirco *gloriam* & decus, amorem ac deſiderium, ſeu *rem* quampiam *glorioſam*, excellentem, amabilem, *deſiderabilem*, eodem nomine afficiunt Hebræi. Iſaiæ. 13. v. 19 c. 23. v. 9. c. 24. v. 16. c. 28. v. 1. & 5. aliiſque locis, prout paulo poſt indicabitur. varieq. partim à noſtro, partim à 70. vertitur. Sed eas tantum, iam expendere ſcripturas libet, in quibus clare de Iſraelitica terra noſtra mentio eſt. Ergo 2. Reg. c. 1. verſ. 19. *hatſebi Iſrael hal bamoteicha*, Septuaginta στήλωσον Ισραὴλ. Aquila ἀκρίβασον, eiuſque verſus duplex in Latinis etiam correctis in Bibliis verſio Vna, quæ Græcis iſtis reſpondet. *Conſidera Iſrael* (ſiue) *ſtatue & confirma te ipſum ad conſiderandum*) *pro his qui mortui ſunt, ſuper excelſa tua vulnerati*, Altera, quæ ad citandarum infra verſionum ſimilitudinem accedit propius. *Inclyti, Iſrael, ſuper montes tuos interfecti ſunt*; id eſt, O Iſrael, *inclyti ſuper montes interfecti ſunt*. & retinendo numerum Hebraicum eodem ſenſu, *Gloria* ſeu *decus, O Iſrael, ſuper montes tuos vulneratum* ſeu *interfectum eſt*. Legi etiam poſſet, *Inclyte Iſrael, ſuper montes tuos interfecti ſunt*, id eſt, O incyte & glorioſe Iſraelitice popule, ſuper montes tuos interfectus eſt fortium quilibet de quibus adiungitur, *Quomodo ceciderunt fortes?* Ieremiæ 3. verſ. 19. *Quomodo ponam te in filios, & tribuam tibi terram deſiderabilem, hæreditatem præclaram, exercituum gentium*. Nam pro *hæreditate præclara exercituum gentium*, in Hebræo eſt *nachelath tſebi*, *tſiboth goim* id eſt *hæreditas*

gloriæ

Digitized by Google

gloriæ exercituum gentium. in 70. vero *κληρονομία Θεοῦ παντοκράτορος ἐθνῶν. hæreditas Dei omnipotētis gentium.* vel quia Deus gentium omnium gloria eſt, vel quia hæreditatem illius terræ dabat, quæ terrarum, quas gentes poſſeſſione obtinent, gloria, decus, & ornamentum eſt, Danielis 8. verſ. 9. *factum eſt grande cornu contra meridiem & contra orientem & contra fortitudinem.* Hic in Hebræo *tſebi* eſt: ſed & à 70. vertitur, hoc quidem loco *δυνάμεις* vt videantur aſpicere ad *tſeba* vel *ſebaoth.* quas pſalm. 23. verſ. 11. & alibi vertunt *ταῖς δυνάμεις.* Neque vero nouum & inuſitatum, vt pro *aleph* poni queat *iod.* cum ad literas quæ *commutabiles* Hebræis dicuntur, ambæ pertineant. Daniel. 11. ver. 16. *ſtabit in terra inclyta* quæ *erets batſebi.* ipſamq. Hebræam vocem retinent Septuaginta *τῆ σαβεί.* Et infra eodem cap. verſ. 41. *introibit in terram glorioſam*: in 70. terram *τῆ σαβαείμ.* Rurſumque ver. 45. *ſuper montem inclytum & ſanctum*: Hebraice *lehar tſebi Kodeſch*, in monte decoris ſeu gloriæ ſanctitatis. Cum igitur vox iſta *tſebi* modis tot vertatur & ſemper excellens quid, inclytum, forte glorioſum, ac pene diuinum ſignificet, & tam diſerte bis Ezechielis 20. cap. prout citatum eſt, dicatur *terra Iſrael* eſſe *terrarum tſebi* non *aliquarum* tantummodo, ſed *omnium*, qualis ea: quam egregia, quam inclyta, & beata fuit?

At tria hic adhuc videnda. *Primum.* Cur eius præſtantia, nomine iſto notetur. *Quemadmodum ceruus*, inquit Radak, *cæteris animantibus pedibus eſt velocior, ita terra Iſrael eſt præ aliis leuis ac facilis ad fructus ſuos maturandum ſecundum Rabbinos.* Alij è Chaldææ linguæ vſu fieri hoc putant, in qua *tſebi* vocatur *decus*, *iucunditas*, *gloria*, & *ornamentum*. At vt dixi vel ab Hebræo verbo *tſabah*, vel à nomine *tſaba* iſtud eſt, & cur Iſraelitica regio *tſebi* recte dicatur, indicatæ iam cauſæ ſupra.

Secundum. Quomodo à Græcis hoc Ezechielis loco exponatur *tſebi.* Septuag. vertere *κηρίον*, id eſt, *fauum*, per quandam forte alluſionem ad *tſuph*, qui *fauus* eſt. *Aquilæ*, inquit S. Hieron. in Ezech 20. *prima editio poſuit fundamentum, ſecunda inclytum*; *Symmachus religionem* (non regionem, vt in hodiernis libris Hieronymus editur) *Theodotio fortitudinem.* Et *fortitudo* quidem verti cur queat, dictū antea. *στάσις* vero duci à *iatſab*, quod eſt *ſtare, ſtatuere*, videtur. & eam vt dixi, non *regionem* ſed *religionem* vertit S. Hieronymus, quia licet *στάσις* proprie *ſtatus* ſit, in Dei tamen cultu & religione optimum Reipub. ſtatum ſtatuebat interpres ille Symmachus. Sic enim de illo Græca loquūtur Scholia, *στάσιν καλέσας τὸ αὐτόθι τῆς ἱερατείας ἀνακείσθαι Θεῷ.* Et ſtatim poſt citata iam verba ipſe ſubdit S. Hieronymus terram iſtam ita vocatam, *quod in ea Dei religio ſit, & templum, & cæremoniæ, & notitia Dei.*

Tertium. Quomodo iſta cum terris aliis omnibus comparatio accipienda ſit. Nam ſane videntur terrarum aliarum nonnullæ Iſraelitica terra feraciores, amœniores, iucundiores, vel ei certe neque cœli temperie ac ſalubritate, neque agrorum, hortorum, ac vinearum fertilitate, neque incolarum numero ac frequentia concedere. Nam vt Aegyptum, Meſopotamiam, ſimiles omittam, quanta plerarumque noui orbis partium fertilitas, amœnitas, multitudo? Et ne remotiſsima conſecter, quanta in Lituania, lactis, melliſque copia? quanta in Attica & Theſſalia, vbi *Tempe*? Plinius lib. 6. cap. 28. *Arabia*, inquit, *nullis gentium poſtferenda.* Et poſtea: *Sabæi ditiſsimi ſyluarum fertilitate odorifera, auri metallis, agrorum, rigui mellis, ceræque prouentu.* Et in operis totius fine contentionē terrarum omnium inſtituens. *Iam*, ait, *peractis omnibus naturæ operibus, diſcrimen quoddam rerum ipſarum facere conueniat. Ergo in toto orbe, & in quacumque cœli conuexitas vergit, pulcherrima eſt omnium, rebus meritoque principatum naturæ obtinens, Italia rectrix, parenſque mundi altera, viris, fœminis, ducibus, militibus, ſeruitiis, artium præſtantia, ingeniorum claritatibus. Iam ſitu, ac ſalubritate cœli, atque temperie acceſſu cunctarum gentium facili, littoribus portuoſis, benigno ventorum afflatu. Et enim contingit recurrentis poſitio in partem vtiliſsimam & inter ortus occaſuſque mediam, aquarum copia, nemorum ſalubritate, montium articulis, ferorum animalium innocentia, ſoli fertilitatem populi vbertate. Quidquid eſt, quo carere vita non debeat, nuſquam præſtantius fruges, vinum, olea, vellera, lina, veſtes iuuenci. Ne equos quidem in trigariis præferri vllis vernaculis animaduerto. Metallis auri, argenti, æris, ferri, quam diu libuit exercere, nullis ceſsit. Et iis nunc in ſe grauida, pro omni dote varios ſuccos, & frugum pomorumque ſapores fundit. Ab ea exceptis Indis fabuloſis, proxime quidem dixerim Hiſpaniam quacunque ambitur mari.* Quod ſi neque primas, neq. ſecundas Plinij iudicio, habet Palæſthina & Iudæa, quomodo *terrarum omnium præcipua, inter omnes egregia, omnium fauus, fundamentum, ſtatus, fortitudo, decus,* & *gloria* eſt? Certe in Bereſchith Rabbah cap. 27. *Italia* dicitur ea terra, cuius vbertates prædicantur in verſ. 39. Geneſ. 27. *Ecce pinguedines terræ erit habitatio tua.* Quod noſter Interpres iūxit cum ſequentibus dicens, *in pinguedine terræ & in rore cœli deſuper erit benedictio tua.* Addit vero Elias Leui Calabriam, *quæ terra*, inquit, *pinguis valde*, ſeu fertiliſsima. *Duplex* reſpondendi modus. *Vnus*, ea etiam dici *egregia* & *inclyta* in aliquo toto genere, itemque *huius gloriam, decus,* & *robur*, quæ tamen non omnibus omnino anteſtant, ſed quamplurimis. Non eſſent egregij homines plures, ſi omnium eſſe princeps debet, qui hoc dignus nomine. Quam multi quōdam audierunt *μέγα κῦδος Ἀχαιῶν, gloria Romanorum, decus & ornamentum patriæ*? Ita & Iſraelitica terra iiſdem cumulari poſſet encomiis, licet non omnibus omnino terris antecelleret, ſed complures tantum iis, quas ante dixi dotibus vinceret.

Alter modus eſt, vt omnibus vniuerſe regionibus hanc præſtare dicamus: ſed præſtantia vel è ſacris tantum & cœleſtibus, vel à naturalibus & terrenis tantum, vel ex vtriſque rebus expendi poteſt. Sacras tantum & cœleſtes expendit ante laudatus Symmachus, prout eam & Græcus Scholiaſtes & D. Hieronymus expēdebant. Et profecto veriſsimum eſt, à vero Dei cultu, auguſta eiuſdem ſacra æde, ſacrificiis, cæremoniis, & legibus præcipuam terræ huius dignitatem, qua cæteras longe ſuperaret omnes, dignitatem fuiſſe. Si tamen contextum inſpiciamus, hanc ab Ezechiele non aſpici

fatebimur. Vult enim Deus ſuam erga populum beneuolentiam eximiamque beneficentiã commemorare, quod in terram melle & lacte manantem, quæque merito terrarum decus eſſet, ac vocaretur, illum duxiſſet. At ſi ſacrarũ tantummodo legum ac rituum ratio habeatur, mons Sinai, ſolitudo ipſa, omnis etiam regio, & locus vbicunque tandem tabernaculum fuiſſet, gloriam ſibi hanc vindicaret, dumque lactis & mellis copia huic ornamento iungitur, ſatis hoc ex illa, id eſt, è terræ bonitate, arceſſendum indicatur, prout vidit ac monuit S. Hieronymus dicens: *Iuxta literam vero, inclytam eſſe terram Iudaæ, & cunctis terris fertiliorem dubitare non poterit, qui* &c. Atque hæc veritati aſsidet proxime ſententia, ſi non quoquo modo Iſraelitica ditio cum alia qualibet cõferatur, ſed ſic vt alia quantitatis eiuſdem, non autem maioris ſit, & vt aceruatim omnia, quæ ſoli huius profunderet vbertas cum aliis illius frugibus ac fructibus, in quibus & balſamũ, comparentur. Sic enim præponderabit iſta omnibus, quidquid ſua de *Italia* vel *Hiſpania* dicat Plinius, cui ſua, vt Vlyſsi aſperrimæ nidulus Ithacæ, placet patria. Si vero ſola ſoli feracitas naturalis telluri huic omnium principatum dat, quid ſi eandem illam feracitatem, diuinitus adauctam & amplificatam intelligamus? At vero intelligere licet, ex ea, quam ſexto quolibet anno pollicetur Dominus, benedictione Leuit. cap. 25. verſ. 20. 21. 22. Nam vt eo ſemper anno, in ſolidos annos tres, tritici, vini, aliorumque fructuum proueniret copia, *miraculum*, inquit eo loco Abulenſis, *erat:* & ſatis apparebat, hoc non fieri per accidens, vel ex aliqua conditione ſpeciali naturæ, ſed ſolum ex Dei bonitate. Denique vero ſi ad naturalem & ſupernaturalem iam indicatam terræ illius excellẽtiam adiungatur ea, quam religio, templum, cæremoniarum ſanctitas, aliaque ſpiritalia & diuina, omnia ſuppeditant, dignitas quid ſub ſole in toto terrarum orbe, terra illa melius, felicius, diuinius?

Hanc tamen tantam terræ huius claritatem, obſcurare tria videntur. *Primo. Fames*, quæ ibi non raro, Geneſ. 12. 26. 47. 42. Ruth. 1. 2. Reg. 21. 3. Reg. 18. 4. Reg. 4. 1. Machab. 9. Actor. 11. *Secundo.* In Hieroſolymitana vrbe, puteorum ac *fontium penuria*, ſituſque aſperitas: *Totius*, inquit S. Hieronymus in Iſaiæ cap. 49. *prouinciæ deterrima eſt & ſaxoſis montibus aſperatur, & penuriam patitur ſitus, ita vt cœleſtibus vtatur pluuiis, & raritatem fontium ciſternarum exſtructione ſoletur.* Et tamen erat illa terræ illius metropolis, regni caput, τῆς χώρας ὀμφαλὸς, id eſt, *regionis totius vmbilicus*, vt ait lib. 4. cap. 4. Ioſephus, imo vt à Plinio dicitur lib. 5. cap. 14. *longe clariſsima vrbium orientis. Tertio*, & vltimo, hodierna *locorum illorum ſterilitas.* Sed tria iſta diſsipare non operoſum. Nam *quoad primum*, nulla tanta in terris felicitas, quæ à cœlo ac Deo non pendeat. Si nolit iſte, infelicia in illis omnia. Ob certas vero iuſtaſq. cauſas infelicitat interdum vt homines, ita & terras feliciſsimas. Aut enim famem vocat hiſque immittit, velut pœnam: aut velut excellentis alicuius benefacti & virtutis lucem, materiam, occaſionem. *Quoad ſecundum.* Non ſunt ſingulæ terræ huius

A portiones per ſe ac ſolitarie ſpectandæ (in iis enim erant aſperæ, ſiticuloſæ, ſteriles) ſed tota ſimul regio intuenda. Licet vero naturalem eiuſmodi aſperiorem ſitum, aquarumque inopiam haberet Hieroſolyma, ei tamen vberes & ſalutares, vel è nubibus vel è vicinis locis per tubos & canales, prouidit Deus aquas, vti partim ſuis ipſius verbis, indicat S. Hieronymus, partim teſtantur piſcinæ illæ artificioſiſsimæ, quibus ſponſæ ſuæ oculos comparat ſponſus, Cantic. cap. 7. verſ. 4. *oculi tui*

B *ſicut piſcinæ in Heſebon, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis.* Nam pro *in Heſebon*, licet expoſitionem Hebræi nominis accipere, *in* vel *cum artificio* factæ ſcilicet ac ſitæ *ad portam gregis* longe frequentiſsimam. Ex ea enim ad varias Hieroſolymitanæ vrbis partes & noua veluti opida tria ibatur: & ad eam forum erat maximum, vt ex Nehemiæ c. 3. verſ. 1. intelligitur. *Quoad Tertium.* Genebrardus libr. 2. Chronol. *Totus*, ait, *decor & felicitas terræ ſanctæ, vna cum templo & gente cecidit:* vt ſcilicet quemadmo-

C dum quæ paradiſi quondam inſtar obtinebat, Geneſ. 13. ver. 10. Sodomitica tellus in cineres, damnatamque ſterilitatem diuinitus redacta, Gen. 19. Gelboæque montes rore omni ac pluuia orbati, 2. Reg. 1. ver. 21. ſic & nunc terra illa. Videatur in 1. Theſſal. homil. 5. Chryſoſtomus. Licet enim de Sodomitico agro maxime loquatur, quia tamen ab Aſcalone & Gaza ſumit initium, poteſt de aliis etiam, quadam ex parte, intelligi portionibus. Regio, inquit, olim εὔφορος, πασῶν τῶν ἐρήμων ἐρημότερα ἐστὶ νῦν. Et vero Ra-

D dak in pſalmum 131. verſ. 15. ait, *regionem hanc fuiſſe in templi honorem irriguam, & feracem.* Templo igitur ſublato, ſublata etiam merito & irrigatio & feracitas. Vnde *balſamum*, inquit idem Genebrardus, *vni Iudaæ conceſſum, ex Plinij lib. 12. cap. 26. nec alibi vnquam viſum quam in Iericho, in Aegyptum translatum eſt. Ioſephus ben Gorion. lib. 4. cap. 22.* At ſi ita illinc tranſlatum velit balſamum, vt in Iudæa, deinceps non fuerit amplius, confutari poteſt vel ex ipſomet citato Plinio, dum poſt Veſpaſianorum tempora, balſami

E arbuſculas illic publica Romani ſenatus cura & ſumptu, conſitas, curatas, & cuſtoditas refert. Et vero ſuo adhuc tempore ibidem extitiſſe oſtendit S. Hieronymus in Ezechielis capite 27. & ſuo D. Gregorius in Cant. 1. Alibi tamen apparent aliqua veteris vbertatis pinguitudinis veſtigia, vt ex Radziuilio indicatum ſupra.

Tertia demum Scriptura, quæ comparationem terræ huius cum aliis indicare videtur, eſt Pſalm. 73. verſ. 14. *Deus operatus eſt ſalutem*

F *in medio terræ.* Hinc enim autumant nonnulli, Iudæam in medio terreni globi ſitam, idque dupliciter explicant. 1. *Erat*, inquit P. Salmeron prolegom. 41. *in quarto climate mundi, & in medio terræ tunc habitabilis.* 2. *Orientales*, inquit in Pſalmum illum Genebrardus, *Occidentalibus iungit per mare Mediterraneum, Septentrionales, Meridionalibus, per idem mare excurrens vſque ad Mæotidem paludem valde Septentrionalem, & per mare rubrum in Auſtrum profundiſsime deſcendens.* Ab aliis tamen terra, in cuius medio ſalutes operatus eſt Dominus, ad ſolam Iudæam

Digitized by Google

reſtringitur. Nam *μεσαιτάτη δ' αὐτῆς πόλις τὰ Ἱεροσόλυμα κεῖται*, inquit lib.3. cap. 4. Ioſephus, *περὶ ϗ τινες οὐκ ἀπεικότως ὀμφαλὸν τὸ ἄσυ τῆς χώρας ἐκάλεσαν.* Ab aliis vero illud, *in medio terræ*, ſic exponitur, vt ſit: *Deus omnimodam ſalutem operatus eſt palam, publice, coram omnibus.* Quod enim maxime conſpicuum, hoc *in medio eſſe*, interdum dicitur. Et videtur iſta expoſitio ei maxime textui congruere, partim quia de antiquis & præteritis, dum ex Aegypto duceretur populus, ſaluationibus agit, partim quia ſtatim iſtas recenſet, & vel omnes, vel multo maximam earum partem oſtendit contigiſſe non in Iudæa ſeu promiſſa B terra, ſed extra, & ante ipſam, prius nimirum quam in eam ingrederentur. *Tu confirmaſti in virtute tua mare*, & quæ ſequuntur. Huc ſpectat illud Ezechielis cap.5. verſ.5. *Iſta eſt Ieruſalem: in medio gentium poſui eam, & in circuitu eius terras.* Vbi S. Hieronymus ſic: *Ieruſalem in medio mundi ſitam, his teſtatur Propheta vmbilicum terræ eam eſſe demonſtrans. A partibus enim Orientis cingitur plaga, quæ appellatur Aſia: A partibus Occidentis, eius, quæ vocatur Europa: A Meridie & Auſtro, Libya & Aphrica: A Septentrione Scythis, Armenia*, C *& Perſide, & cunctis Ponti nationibus. In medio igitur gentium poſita eſt, vt quia erat notus in Iudæa Deus, & in Iſrael magnum nomen eius, omnes in circuitu nationes illius ſequerentur exempla.*

QVÆSTIO IIII.

Quanta ſit terra eadem?

IN ſuo *Thisbi*, verbo פרס ait Elias Leui, fuiſſe terram illam longam *quadringentas parſoth*, D ſeu vt Rabbini, eodem teſte, loqui malunt, *parſaoth*, totidemq. latam. Et Poetam Hebræũ citat qui in fine *paraſchah* illius, quæ *ſchekalim* vocatur, docet diei vnius itineri reſpondere *denas parſaoth*: vni vero *parſæ*, quatuor *millin* ſeu milliaria. Idem repetit in ſuo *Tſameach* Dauid de Pomariis & alij, de quibus in caput 1. Actuum Apoſtolorum quæſt.2. de Apoſtolorum reditu è Dominicæ Aſcenſionis loco. Sed *primo* intelligendum eos de Italicis loqui miliaribus, quorum quatuor vnam *parſam* efficiant, ita vt *parſa* prorſus ſit vnum commune ac me- E diocre Germanicum miliare, quod ſi paulo ſit longius, Italicis quinque conſtat. Ideoque addidit Eliæ Interpres Germanus, *in iſtis autem terris parſah conſtat quinque miliaribus.* Diei ergo vnius iter ſunt XL. miliaria Italica, X. Germanica mediocria, VIII. longiora. & tota terræ Iſraelis longitudo dierum XL. miliarium Italicorum DC. Germanicorũ mediocriũ CCCC. longiorum CCCXX. totidemque latitudo. Similia de terræ huius longitudine ac latitudine tradit R. Bochai in Deuteron. Parſchath *Reeh* fol. 205. b. *Secundo.* Eſt dinumeratio iſta com- F mentitia. Nam vulgari loquendi modo, terræ huius *latitudo* à mari mediterraneo, eſt vſque ad Iordanem. At vbi hæc latiſſima eſt, nuſquam eſt C. miliarium Germanicorum, nedum CC. CCC. aut CCCC. prout omnes, qui eam ſe aiunt peragraſſe, fatentur, è veteribus quidem S. Hieronymus epiſtola ad Dardanum: e recentioribus Brochardus. Geogra-

A phica vero phraſi ac numeratione idem à mari ad eundem fluuium ſpatium *longitudo* eſt: & Ptolemæo auctore lib.5. Geographiæ, nuſquam eſt graduum duorum, nuſquam miliarium Germanicorum XXX. Nam, verbi cauſa, Septentrionẽ verſ. longitudo videtur à *Sidone* ad *Inam* maxima: & tamen illius longitudo eſt 63. 53. huius 68.6. verſus Auſtrum vero ab *Anthedone* vſque ad *mare mortuum.* At illius longitudo eſt 64. 50. huius 66. 50. vel vt in Græco eſt 66. 6. Eadem ratiocinatio, etiam in altera dimenſione, quam vulgo *longitudinem regionis*, Geogra- B phi, *latitudinem* appellant. Negant enim tam qui ſuis oculis ac pedibus regionem iſtam luſtrarunt, quam qui Geographice ipſam explicant, tantam illam Rabbinorum quantitatem. Nam quæ Antilibano proxima & Septentrionem verſus, altiſſima eſt *Sidon*, latitudinis eſt graduum 33. 6. Quæ vero verſus Auſtrum remotiſsima eſt *Gaza*, grad.31.46. *Anthedon*, 31.40. ita vt etiamſi cum Mercatore tabulã Aſiæ quartam corrigente, *Sidonis*, vel alterius cuiuſq. vrbis latitudinẽ augeamus, totum tantum inter C duas disiunctiſsimas interuallum, nunquã ſit 3. graduum, vix 2.i. nunquam miliarium Germanicorum 45. vix 30. Accedit quod perineptum eſt, vnde opinationem ſuam ducunt Rabbini, principium. Exploratores, inquiunt, à Moyſe in terram Chanaan miſsi, redierũt poſt 40. dies, Num. 13. Ergo illius terræ magnitudo quoad longitudinem & latitudinem eſt 400. *parſaoth.* O Rabbinicum acumen! quaſi vero ij ſingulis diebus parſaoth decem ambulando confecerint, cum ſubinde iis hærendum eſſet, à via D diuertendum, in montes ſcandendum, ex iis ſpectandum. Eſto autem præterea ſingulis diebus perambularint *denas parſaoth*, num illæ omnes in terra Chanaan numerandæ? Non aliquæ ante illius ingreſſum, in ipſo itinere, quo è caſtris in illam tetenderunt? ſed eſto rurſum, numerantur omnes in terra Chanaan, nunquid bis numerandæ? Nam tota illa quadragindiali profectione, illuc & ierunt & redierunt. Si enim v. g. hinc Moguncia vno die Vvormaciam eas, id eſt, 7. vel 8. noſtratia miliaria, & altero redeas, nunquid vnius diei itinere ſeu 7. vel 8. E miliaribus longius diſtabunt eæ vrbes? Sed ne Rabbinorũ fabuloſa hæc Iſraeliticæ terræ magnitudo, prorſus explodatur, modum quendã nixus eſt excogitare Genebrardus lib. 1. Chron. *Terra ſancta*, inquit, *continet quadringenta parſaoth, id eſt, Paraſangas ſiue Leucas Perſicas, Elias è Thalmudicis in Thisbi. Quod ita interpretor vt quia fere quadrata eſt, adiuncta regione transiordanina, quodlibet latus centum fere Leucas Perſicas complectatur. Alioquin enim latior eſt triplo, quam vbi longiſsima eſt. Nam ab Ioppe vſque ad Trachonos montes tantum numerantur 60. milia paſſuum, id eſt, tria itinera quod* F *ſpacium Iordane concluditur. At à Libano fluuium Aegypti Rhinocorurã ſiue à Dan ad Berſabeen, 160. quod terrarum diſcrimen vix 9. nouem diebus abſoluitur.* Non poteſt tamen iſta explicatio Rabbinicam ſatis propugnare hyperbolen. *Primo* enim transiordaninã accenſet regionem, qua de iam non agitur, cum nec eam tum explorarint exploratores. *Deinde* in regionis alicuius dimenſione perinſolẽs eſt, quatuor eius latera ſic numerare,

Digitized by Google

vt ex eorum ſumma, illius longitudo ac latitudo cognoſcatur ne domum quidem, præſertim quadratam, ita vllus dimetitur. *Tertio.* Cum latiorem, ait, triplo quam vbi longiſſima eſt, videtur legendum, *longior triplo, quam vbi latiſſima.* Nam alioquin abſona foret, quæ ſubditur, ab *Ioppe & Libano* probatio. & hunc ipſum pro *Antilibano* accipit, vt ex eo patet, quod de *Dan* ſubiungit. *Quarto.* Etiamſi Tranſiordaninam regionem hunc in calculum vocaremus, ne data quidem à Rabbinis quantitas approbanda eſſet, quia *longitudo vulgaris* ſeu *latitudo* Geographica maior, quam ex Ptolemæo ſignificata eſt, ex aliiſque poſtea ſignificabitur, eſſe non poteſt: Nam alioquin Damaſcum Cœlemq. Syriam, & alias præterea vel Septentrionaliores vel Auſtraliores partes includere oporteret. In vulgari ſimiliter latitudine, ſeu Geographica longitudine, foret vltra Iordanem in Orienté longe adhuc procurrendum. Cum Genebrardo fere conſonat & ſententia & loquendi modo in ſuo *Chaleb.* cap. 2. Arias Montanus. *Regio ipſa,* inquit, *latior eſt vltra triplum, quam vbi longiſſima eſt. Namque à mari ad Iordanem trium dierum iter ſummum conſtat: atque in ſumma, à Ioppe portu ad Troianos mõtes ſexaginta millia paſſuum connumerantur, medium autem fere hoc ſpatium Iordanis interfluit. A Libano autem ad flumum Aegypti, compoſitis itineribus octo, vix pertranſiri ſpatium eſt. Ideoque cum de magnitudine regionis integre agitur ab Aquilone ad Meridiem menſura ducitur, ſiue à Dan vſq. ad Beerſebagh, centum & ſexaginta paſſuum millibus à ſe inuicem diſtante vtroque loco.* Aliorum igitur ſententiis auſcultemus. Guilelmus Poſtellus in Coſmographiæ compendio, *Chananæorum,* ait, *regio, nequaquam Galliam Ciſalpinam, etiam cum montoſis locis æquat.* D. Hieronymus Ep. ad Dardanum de longitudine vulgari, *A Dan,* inquit, *vſque Berſabee, vix centum ſexaginta millium in longum ſpatium tenditur.* Loquitur autem ſuo, veterumque Latinorum more, de Italicis millibus, quorum quatuor ſi Germanico demus vni, erit terræ huius longitudo vulgaris, mediocrium Germanicorum milliarium 40. ſi vero Italicorum illorum milliaria quina Germanico vno includamus, erit eadem longitudo Germanicorum milliarium maiorum 32. Sed ad latitudinem pergit S. Hieron. *Ab Ioppe vſque ad viculum noſtrum Bethleem, quadraginta ſex millia ſunt:* id eſt, Germanica minora milliaria 11. & ½. & maiora 9. & ⅕. Abulenſis Num. 13. quæſt. 36. *Eſt longitudo terræ prædictæ 85. vel 90. leucarum: latitudo autem non peruenit ad 30. vel quaſi, vt patet ex ſcriptis illorum, qui diligentiſſime iſta retulerunt. Ideo tota longitudo terræ Chanaan non eſt decem diætarum.* Brochardus vero ait, *eandem illam longitudinem eſſe 64. vel 66. milliariũ, quorum quodlibet hora vna permeari queat,* quemadmodũ & hodie accipiuntur milliaria in *Kempinia,* vt dum aiunt pagũ *Becam* duorum eſſe milliarium, id eſt, cuius longitudo duarum ambulationem horarum poſtulat: *latitudinem vero à mari ad Iordanem, alicubi eſſe milliarium 16. alicubi 18.* Atque hanc Brochardi ſummam laudat præ aliis omnibus, & quadantenus explicat Chriſtianus Adrichomius præfatione in Theatrum terræ ſanctæ. *Hoc,* ait, *diligens Lector attendat, me ex omnibus ſecutum eſſe maxime*

A *Brochardum: ideoque nemini temere ferendum eſſe iudicium: cum Hieronymi, & aliorum milliaria plurimum, ab hac ratione diſtent, quæ tamen ipſa à quouis paulo accuratiore, ad huius noſtræ deſcriptionis conſonantiam, redigi facile poſſunt. Quantuli enim ingenij eſt, horæ ſpatium ad quæuis minima, mediocria, maxima milliaria accommodare?* Et paulo poſt. *D. Hieronymus Italica hic, vt & in aliis ſuis locis Hebraicis, milliaria intelligit, quorum fere tria vnius horæ miliare abſoluunt.* Sed nota illud *fere:* Nam ſi præciſe milliaria Italica tria poſſent hora vna confici, &
B tria in Brochardica lõgitudinis miliaria 64. vel 66. duceres, exiſterẽt non 160. vt vult S. Hieron. ſed 192. vel 198. latitudinis vero non 46. vt eidẽ S. Hieron. placuit: ſed 48. vel 54. Non magno tamẽ opere ambo, vt apparet, diſſident calculi.

Reſtat trium adhuc quæſtiuncularum explicatio. *Prima,* ſi tam breuis, curta, & anguſta erat terra Chanaan, quomodo eam Dominus hic c. 13. v. 1. *latiſſimam,* Exod. 3. v. 8. *ſpatioſam* nominat? Reſpondeo, *ſpatioſa* erat reſpectu anguſtiarũ, & ergaſtulorum, in quæ in Ægypto compacti erãt
C Iſraëlitæ. *Altera,* quomodo tantam fructuum copiam, tantam hominum multitudinẽ capere terra eadem poterat? Reſpondet citato loco Arias. *Terra omnis, quamuis non ita magna, tamen quia frequentibus montibus vallibuſque referta, iiſque omnibus, ſumma fertilitate, nulli terrarum angulo cedentibus multis alendis vrbibus & opidis ac pagis fere innumeris ſatis commoda, oportunaque adeo eſt, vt gentili ipſorum cultorum dicendi more, lacte ac melle fluere dicta fuerit.* Sane vbi montes frugiferi ſunt, ij pro vna plana terra, quam obtegunt, ſuperficie multo plus
D ſpatij ac ſuperficierum reddunt, & tanto plus, quanto ſunt altiores. In omnibus enim montiũ ipſorum lateribus & cacuminibus multiplum exſtat, quod in vna tantum planitie ſimplũ exſtitiſſet. Hoc tamen in diſputationẽ ingenioſe contra ipſum, vt mihi videtur, Ariam reuocauit Villalpand. noſter lib. 3. Apparatus c. 6. *Tertia.* Tantulam ditiunculam, tot, tantiſque promiſſis promittere, an Deo dignum ſatis? Cum enim ei fines adeo anguſti circumſcripti ſint, quãtulæ liberalitatis ac magnificẽtiæ tantillum donum?
E mouit iſta res nonnullos, vt putarint non proprie terrã hanc Iſraëlitis promiſſam, ſed cœleſtẽ terram potius, terram viuentium, de qua qui in illa terrena terra iam erat, dicebat vates regius Pſ. 26. v. 13. *Credo videre bona in terra viuentium.* Et in hoc probando & explicãdo totus eſt S. Hieron. epiſt. iam citata ſæpius ad Dardanũ. *Reſpondeant,* inquit, *mihi, qui hanc terram (quæ nunc nobis* CHRISTI *paſſione & reſurrectione terra repromiſſionis effecta eſt) poſſeſſam putant à populo Iudæorum poſtquam reuerſus eſt ex Aegypto, quantam poſſederit? vtique à Dan vſque Berſabea, quæ vix 160. milium in*
F *longum ſpatio tenditur. Neq. enim David & Salomon potentiſſimos Reges, exceptis his, quos poſt victoriam in amicitiã receperunt, plus tenuiſſe Scriptura teſtatur. Et hoc dico, vt taceam quinq. Palæſtinæ ciuitates, Gazam, Aſcalonem, Geth, Accaron, & Azotum* (quæ ſcilicet ab Iudæa non admodum aberant) *Idumæos quoq. à meridiana plaga vix 75. milibus* (Germanicis paruis miliaribus 18. ¾) *ab Hieroſolyma ſeparatos: Arabas & Agarenos, quos nunc Sarracenos vocant, in vicinia vrbis Hieruſalem. Pudet dicere latitudinem terræ promiſſionis, ne Ethnicis occaſionem blaſphe-*

Digitized by Google

mandi dediſſe videamur. *A Ioppe vſque ad viculum* A *noſtrum Bethlehē* 46. *milia ſunt*, (Germanica parua 11.½) *cui ſuccedit vaſtiſſima ſolitudo plena ferocium barbarorum. Hæc eſt, Iudæe tuarum longitudo & latitudo terrarum: in his gloriaris: ſuper his te, per diuerſas prouincias, ignorantibus iactas. Ad populum Phaleras. Ego te intus & in cute noui.* quia nimirum totam hanc ipſe terram circumierat, vti ad Domnionem & Rogatianum explicat: & in ea etiamnum commorabatur. Et poſtea: *lege tu librum Ioſue & Iudicum, & quantis poſſeſſionum anguſtiis ſis coarctatus, intelliges.* Ecce quemadmodum S. Pater Iudæos arguit, quaſi ſupra verum B terræ, quam à Deo acceperint, amplitudinem apud imperitos efferant: & veretur ne cognitis eius anguſtiis, rideant Ethnici, de ipſoque Deo blaſpheme dicant, *Quid tanto tantus dedit hic promiſſor hiatu?* Sed vult S. Hieronymus cœleſtem, vt dixi potius terram Patriarchis promiſſam, de qua Hebræ. 11. ver. 10. 13. 14. 15. 16. Et ſane veriſſima eſt Patris hæc ſancti ſententia, ſi recte ſaneque accipiatur. Nam *primo* quidem ſemper loquitur de ea terra quam acceperunt, reque ipſa tenuerunt, ac incoluerunt C Iſraelitæ ante Dauidis ac Salomonis tempora, qui latius imperarunt. *Secundo.* Non negat terram, vt dixi, terrenā illis promiſſam fuiſſe: ſed negat ita hanc promiſſam, vt in ea ſola ſiſtendū foret, cum ex ea tanquam è figura & imagine aſcendendum eſſet altius ad terram, quæ primario ſignificabatur, ad terram, inquam cœleſtem, terramque viuentium. *Non, ait, hoc dico in ſugillationem terræ Iudææ, vt hæreticus Sycophanta mentitur, aut quo auferam hiſtoriæ veritatem, quæ fundamentum eſt intelligentiæ ſpiritalis, ſed vt decutiam* D *ſupercilium Iudæorum, qui ſynagogæ anguſtias Eccleſiæ latitudini præferunt. Tertio.* Cœleſtis hæc terra, eſt partim Eccleſia ipſa Chriſtiana, partim cœleſte domicilium. *Quarto.* Terrena terra erat quidem Iudæis amplior promiſſa: ſed propter peccatorum ſuorum magnitudinem illa tota potiti nunquam ſunt. *Quinto.* Ea, qua, Dauidis & Salomonis tempore potiti ſunt ampliſſima, non ita omnino ipſorum fuit, vt eam incolendo tenerent ipſi, ſed in amicitiā tantummodo recepta & vectigalis fuit: neque eam ex diuino illo promiſſo acceperunt, quia id per E ipſorum peccata caſſum & irritum factum iam fuerat.. Sed de his diſputatum antea fuit, cap. 1. quæſt. 9. ſatis nunc eſt, D. Hieronymi mentem intelligi, eamque veritati quoad prima illa tria, prorſus conſentaneam. Ideoque nullam Ethnicis de Deo, ſiniſtre aut ſentiendi aut loquendi cauſam eſſe. *Primo.* Quia non per ſe, neque primario terreſtris gleba promiſſa fuit, ſed ſpiritalis & cœleſtis, & illa quidem tanquam huius figura & typus: hæc tanquam res ipſa & veritas, vti ex S. Auguſtino in Pſalm. 34. infra etiam notabitur. *Secundo.* Quia latior fuit F iis promiſſa terra etiam terrena: ſed ea ſe illi reddiderunt, culpa ſua, indignos. *Tertio.* Ea ipſa etiam anguſta, quæ Iſraelitis data, nullo modo diuinæ maieſtatis promiſſo indigna erat, quia tot tantiſque, quot & quantas audiuimus antea, laudibus cumulata erat: & totam illorū nationem complecti, affatimque ac munifice omnes ſuſtentare ac tueri poſſet, ita vt maximum etiam hoc donum, vereq. Diuinum fuerit. Atque hæc de propoſitæ diuiſionis *materia*. ſequitur de *forma*.

QVÆSTIO V.

In quas diuiſa terra partes?

Diuiſionis terræ *forma* non alia eſt quam diuiſio ipſa: ſicuti neque actionis vel accidentis alius alia inuenitur forma quam actio vel accidens ipſummet, niſi metaphyſice, nimium illius cum genere differentiam ſpeculari velit quiſpiam. Illud potius, quod ſuperiori materiæ propius eſt, iam conſideremus quas in partes tributa terra ſit. Fuit autem tributio duplex, prior generalis, in ipſas ſcilicet tribus, quibus hæreditas, è Domini præſcripto, danda quidem erat: ſed hactenus data nondum fuerat. Poſterior ſpecialis, earum, quæ tribui cuilibet datæ fuerant, portionum diſtributio in familias & domos. Per priorem diuiſionē partes factæ ſunt ſeſqui nouem. Quia duæ iam integræ tribus *Ruben* & *Gad* cum dimidiata *Manaſſea* hæreditatem vltra Iordanem acceperant Numer. cap. 32. *Leuitica* vero in hæreditatis partem venire non debebat, Numer. 18. ver. 23. 24. Deut. 10. ver. 9. & hoc cap. 13. v. 14. Supererant igitur, quibus attribuenda eſſet portio, tribus nouem, & reſidua Manaſſæ dimidiata: Nouem vero partes iſtas putant nonnulli fuiſſe ſpacio prorſus æquales. Sed è partium ſingularum aſpectu contrarium ſtatim elucet. Ideoque cum Abulenſi, Genebrardo, Aria, dicendum, æquales quidem fuiſſe partes, non ſpacio & amplitudine, ſed ſola tantum proportione, quam ſuadebant, diuerſa tribuum multitudo, diuerſa item locorum vbertas. Habita igitur tribus vnius ad tribus alias, quoad capitum multitudinem, ratione, rurſuſque locorum ad loca, quoad vbertatē facta collatione, ſuæ tribubus omnibus partes aſſignatæ ſunt, inæquales quidem ſpacio, æquales vero analogia & æquitate. Atque hoc eſt quod Num. 35. v. 8. ſignificatur. *Ipſæ vrbes, quæ dabuntur de poſſeſſionibus filiorum Iſrael, ab his qui plus habent, plures auferentur, & qui minus, pauciores. Singuli* iuxta menſuram *hæreditatis ſuæ dabunt oppida Leuitis.* Et vero idipſum præceperat antea Dominus, eodem lib. c. 33. v. 54. *Dedi*, ait, *vobis terram in poſſeſſionē, quam divideritis vobis ſorte. Plurribus dabitis latiorem, & paucioribus anguſtiorem.* Ideoque cum terræ huius partes inter ſe comparaſſet lib. 5. c. 1. Ioſephus, dixit τιμητοὺς μᾶλλον ἢ μετρητοὺς τοὺς κλήρους εἶναι δεῖν, id eſt, *ſortium ſeu portionum æſtimari potius precium, quam menſuram.* Et poſtea, Ἰησοῦς κατὰ μέγεθος ἑκάστης τῶν φυλῶν τὴν μέτρησιν πεποιημένος, id eſt, *Ioſue ſecundum tribus cuiuſque magnitudinem, fecit terræ dimenſionem.* Rurſumque poſt dans Ioſephus cauſam, cur anguſtiſſima eſſet Beniaminiticæ tribus portio, στενότατος ὁ κλῆρος οὗτος διὰ τὴν τῆς γῆς ἀρετὴν, id, ait, factum *propter ipſius ſoli præſtantiam ac fecunditatem.* Maſius tamē p. 280. iſtam quoad ſpacium inæqualitatē notat in ſeptem tribubus, quæ ſortitione poſteriore ſuam indeptæ partem, quod multitudinis non eius, quæ tunc erat, ſed futuræ habendum putet rationē. At hoc in prioribus locum etiam

Digitized by Google

habuiſſet, in quibus tamen illam concedit. Et quænam futura eſſet multitudo, ſolus prouidere Deus poterat, quam niſi præmonſtraſſet, aliqua fuiſſet tribubus relicta de iniuria ſuſpicandi occaſio cum exiguo tunc numero maiorem donari portionem conſpexiſſent. Quemadmodum autem hac in re, principio error in tribu Iuda & Simeon interuenerit, idemque poſtea correctus ſit, dicetur non multo poſt.

QVAESTIO VI.

Ab hæreditate, omnique terræ portione cur excluſa tribus Leuitica?

CVm fuerit Patriarchæ Iacobi filius *Leui*, non minus quam *Iudas, Dan, Gad*, alij: imo vero hiſce nominatis naſcendi prærogatiua prior, & inter omnes duodecim, loco genitus tertio, cauſæ quidnam eſſe potuit, cur eadem cum fratribus hæreditate non participarit? An, vt Iacob ipſum, fratres alios dilexit Deus, hunc, vt Eſau, odio habuit? Malach. 1. v. 2. & 3. Rom. 9. v. 13. an, ob noxiam, quam in Sichemitarum admiſit cæde, Gen. 34. ver. 25. exhæredatus? Et prius quidem illud nuſquam legimus: iſtud vero poſterius confirmari videtur poſſe ex Gen. 49. v. 7. *Maledictus furor eorum* (Simeonis & Leui) *quia pertinax: & indignatio eorum, quia dura: diuidam eos in Iacob, & diſpergam eos in Iſrael.* At iſta ratione debuiſſet, qui culpæ fuit ſocius, & eadem hac diſperſionis in fratres pœna mulctatur, Simeon exhæres fieri, neque cæteris cum fratribus particulonem agere.

Abulenſis Num. 18. quæſt. 20. Leuiticæ huius exhæredationis cauſas attulit tres. *Prima* eſt, quia nulla ei partis vllius neceſſitas: è primitiis enim, decimis, ſacrificiis, & oblationibus ad Leuitas omnes, rerum ad vitæ ſuſtentationem neceſſarium plus ſatis ſuppetebat. Narrat cap. 37. R. Eliezer quemadmodum Leui fuerit decimæ filiorum Iſraël incipiendo à Beniamin. ideoq. oblatus per S. Michaëlem Deo, vt hunc Leuitæ in terra ſeruirent, ſicut in cœlo Angeli: tumque dixiſſe S. Michaelem Deo æquum eſſe, vt ſuos famulos alat Rex: ſicque oblationes & alia Leuitis dediſſe. *Altera* cauſa, quia eidem tribui nulla portionis eiuſmodi vtilitas. Cum enim Sacerdotalibus, aliiſque ſacris functionibus occupati, diſtinerentur Leuitæ, agros arare, vites colere, aliaque id genus opera facere non quiiſſent. Ex inarata vero incultaque terra fructuum quid? *Tertia.* Quia fuiſſet aliis tribubus grauis & moleſta diuiſio, ſi partem quoque vnam obtinuiſſent Leuitæ. Nam pars quidem iſta eos aliis tribubus omnibus pares feciſſet, prout ſuperiore quæſtione indicatum: Alia vero tam multa, tamque magna iis à Deo data nimio aliis ditiores ac potentiores conſtituiſſet. Nam XII. tribus dabant iis è terræ fructibus, pecoribus, & iumentis decimas. Illæ igitur aliæ retinebant ſibi ſingulæ nouem decimas, hæc vna vero Leuitica XII. decimas accipiebat, ſicque amplius quam portionem obtinebant. Tribus igitur decimis partibus alias omnes tribus iſta iam ſuperabat. Accedant primitiæ, accedant hoſtiarum, libaminumque iu-

A ra, accedant demum vota & oblationes. Quanta hæc inæqualitas? quam inuidenda, vixque tribubus aliis ferenda Leuitarum opulentia? Et hæc portionem tertiam vel ſuperabant, vel æquabant. Si enim hæreditatis exſortes inuidiam adhuc ſubierunt Num. 16. quanta conſortes flagraſſent? Ex hiſce rationibus firma parum eſt ſecunda. *Primo.* Quia poſt fixum, erectumque templum, magna onerum ac negociorum parte ſoluti Leuitæ fuerunt: adeo vt nouas veluti occupationes iis imponere debuerit Dauid Rex & Propheta. 1. Paralipom. 23. *Deinde.* Quia
B eſto, fuerint Leuitæ ſemper occupatiſſimi, ſacras etiam, Dominique leges, labore ac ſtudio perdidicerint, alioſque docuerint maximo, ſuos tamen agros & vineas nonne per mancipia & mercenarios colere potuiſſent? Nonne id aliis in tribubus faciebant ditiores, potentiores, nobiliores?

Duæ vero aliæ rationes peridoneæ ſunt, ſiquidem poſita iam & conſtituta duo hæc fuerint. *I.* Deum voluiſſe tam variis ex rebus, tam opimos eſſe ſacerdotij, miniſteriique ſui ſacri reditus. *II.* Voluiſſe item Deum in Leuiticam
C tribum, & quidem ſolam muneris & dignitatis hoc totum conferre. Sed quæri rurſum poteſt duo iſta cur voluerit Dominus? Et prioris quidem minime obſcura & impedita videtur ratio. Dei ſiquidem honor & maieſtas apud homines extat maior, ſi eius cultui ac ſacerdotio tantæ, tamque multæ addicantur & conſecrentur opes. Poſterioris vero cauſa in ſapientiæ diuinæ arcanis eſt, quemadmodum etiam, cur non tribum hanc tantum aliis præferre, ſed in ea etiam cur præ Moyſe Aaronem ſtatum ordinariúmq. Pontificem, præ illius poſteris hu-
D ius poſteros eſſe voluerit Sacerdotes. Hic enim non occurrit aliud, quam quod reapſe videmus, eum ita feciſſe: & quoad ſacram hanc functionem, eiuſque dignitatem ac diuitias, dilexiſſe Leui: tribus vero alias odio habuiſſe, id eſt, poſtpoſuiſſe. Totius ergo poſitæ quæſtionis rationem vnicam, in qua tamen & eæ, quæ iam dictæ ſunt, includuntur, affert ipſemet Dominus Num. 18. ver. 20. dum Aaroni ait: *In terra eorum* (filiorum Iſraël) *nihil poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos. Ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Iſraël*, id eſt, ego Deus, ſum vobis
E Leuitis loco partis & hæreditatis, quam ſicuti fratres alij veſtri accipere potuiſſetis in medio filiorum Iſrael, ſeu in communi terræ partitione. Ego vero vobis arua, vineta, olueta, ſegetes, vuæ, oliuæ, omnia, inquam, vobis ero commoda & fructus, quos ſuppeditare terra poſſit. Ego abſque vomere ac aratro, abſque foſſione ac paſtinatione, abſque labore atque cura vlla veſtra, vobis proferã ac reddam, quæ pinguiſſima gleba vlla, vitis feraciſſima, olea fructuoſiſſima, ingenti ſolitudine, impenſoque ſudore proferre ac reddere poſſet. Ego ager &
F fructus, qui neque hominum cultura & manu, neque nubium temporaneis ac ſerotinis imbribus, neque Eurorum aut Zephyrorum auris ac tempeſtatibus, neque Solis, vllorumve cœlorum calore ac influxu egeo. Vobis & ſemper, & certo, & abunde procurabo ac largiar neceſſaria omnia. bono eſte animo. in me ſpes om-

Digitized by Google

nes veſtras figite. A me bona manant omnia. A Vobis ne quidquam deſit, cura erit mea: imo etiam vt multo plus quam tribus aliis fratribus, inter quos terræ fiet diſpertitio, ſuperſit ac redundet: fecit autem hoc Dominus, cum, quæ ſibi debebantur, omnia in Leuitarum ius tranſtulit, decimas, primitias, victimas, oblationes, & tot legibus ac præceptis omnia iſta recte ac fideliter tradi præcepit: tot exhortationibus & monitis piam tribuum aliarum in iſtos beneficentiam excitauit: tot aut præmiis aut pœnis ſuam iſtam voluntatem ſanxit, omnibuſque certiſſimam reddidit. B Ex hoc eodem Numer. cap. 18. verſ. 21. notatum his verbis: *filijs autem Leui dedi omnes decimas in poſſeſſionem pro miniſterio, quo ſeruiunt mihi in tabernaculo fœderis.* Et verſu 24. *nihil aliud poſſidebunt, decimarum oblatione contenti: quas in vſus eorum, & neceſſaria comparaui.* Et Deuter. ver.8.cap. 18. ver.2.& huius lib.cap. 13. bis. v.14.& 33 ſic: *Tribui Leui non dedit Ioſue poſſeſſionem: ſed ſacrificia & victimæ Domini Dei Iſrael, ipſa eſt eius hæreditas, ſicut locutus eſt illi.* Et cap.18.ver.7. *Non eſt inter vos pars Leuitarum, ſed Sacerdotium Domino eſt eorum hæreditas.* C vide infra cap.21.quæſt.3.

Ex iſta vero Leui exhæredatione, eiuſdemque vberi adeo & copioſa compenſatione, fluit mira quædam & iucunda diuinæ prouidentiæ conſideratio. Nam *Primo* Iacob moriturus ipſi Simeon & Leui, & Sichemitarum cædem, & Ioſephi, vt quidem Chaldæus Paraphraſtes Geneſ. 49. & Rabbini cenſent, occidendi conſilium, imprecatus vel interminatus eſt, diſperſionem inter fratres: vt quos furor & ſcelus D coniunxiſſet, eos in promiſſa terra diuelleret, atque diſtraheret habitatio, dum vnam certam terræ portionem fixamq. ſedem non haberent, ſed pluribus in locis diſiunctis eorum eſſent ſparſim poſteri, prout de tribu Simeon habetur, 1. Paral. 45. de eadem, & Leui hoc in libro infra cap.19.& 21. Noluit vero Deus iuſtam boni ſenis ac Patriarchæ imprecationem vel interminationem tollere, aut immutare: ſed pro ſua immenſa benignitate fecit, vt diſperſio iſta quidem eſſet, nullo tamen cum incommodo. E quin vero, quoad Leuiticam tribum, non paruo cum commodo & honore. *Secundo.* Vt charitate Leuiticam tribum perſequerentur aliæ, & alias ipſa, ſimulque coniunctis operis in Dei cultum & honorem propriamque animarum ſalutem incumberent omnes, fecit idem Dominus, vt in ſpiritualibus & ſacris penderent à Leuitis alij: in corporalibus, humaniſque vitæ agendæ ſubſidiis ipſi ab aliis Leuitæ, quaſi diceret Dominus: vultis, ô Iſraelitæ alij, me Deum veſtrum, prout debetis venerari, mihi F ſacrificare, me propitium habere? Leuitis meis, quæ ad victum & veſtitum requiruntur, quæ à me vobis dantur, quæ mihi à vobis debentur, date omnia, date affatim. Vultis ô Leuitæ, veſtram ab Iſraelitis aliis alimoniam, pingues hoſtias, dapſiles decimas, vberes primitias, frequentes oblationes, donaque perampla & opulenta accipere? ſacris operamini meis nauiter: populum meum meas leges & præcepta ſedulo docete: ipſos vobis veſtra, religione, doctrina, ſedulitate, ac exemplo deuincite: ipſorum liberalitatem ac munificentiam, impietate, inertia, ocio, laſciuia, ne retundite. A vobis illi, ab illis vos apti & nexi eſtis. Eorum mens vobis, veſtrum iis corpus à me commendatum. *Tertio.* Quod in terræ partitione deceſſit Leuitis, id aliis acceſſit tribubus, vt hæ illorum quaſi beneficio locupletiores, in eoſdem ipſos eſſent beneficentiores. *Quarto* demum, forma quædam agendi, ſeſeque mutuo complectendi & adiuuandi, tam populo quam clero Chriſtiano deſcripta eſt, quam libro 13. de adoratione in ſpiritu & veritate perſequitur S. Cyrillus Alexandrinus & S. Hieronymus Epiſtola ad Nepotianum de vita Clericorum, viderique aliquid in Bellarmino poteſt lib. 1. de Clericis cap. 25. & 26. Paulus item Burgenſis de ſeipſo, filiiſque ſuis Leuitis in Epiſtola ad filium Alphonſum ante additiones ad Lyranum, D. Ambroſius de fuga ſæculi cap. 2. *Cui Deus portio eſt, nihil debet curare niſi Deum, ne alterius impediatur neceſſitatis munere. Quod enim ad alia officia confertur, hoc religionis cultui, atque huic noſtro officio decerpitur.*

QVAESTIO VII.

Quando capiendæ interpretationis ius ipſi Leui ademptum?

TRiplex à triplicibus refertur tempus. *Primum.* quando dixit Iacob Geneſ. 48.ver.5. *Duo filij tui* (ô Ioſeph) *qui nati ſunt tibi in terra Aegypti antequam huc venirem ad te, mei erunt. Ephraim & Manaſſes, ſicut Ruben & Simeon reputabuntur mihi. Alterum.* quando ſequenti cap. 49. idem Iacob dixit: *Maledictus furor eorum* (Simeonis & Leui) *quia pertinax: & indignatio eorum quia dura: diuidam eos in Iacob, & diſpergam eos in Iſrael.* Ita cenſet Maſius in hoc 13. cap. & libr. 1. de Clericis cap. 26. Bellarminus. *Iacob*, ait, *exhæredauit filium ſuum Leui propter peccatum ipſius, vt patet Gen.49. Diuidam &c. Tertium* tempus, quando dixit Dominus Num. 18. v. 20. *In terra eorum* (filiorum Iſrael) *nihil poſſidebis,* (ô Aaron) *nec habebis partem inter eos.* Et hæc Abulenſis in illud caput 18. quæſt. 20. & hic cap.14.quæſt.4. ſententia eſt, cui ſubſcribendum. Cum enim *primo* per adoptionem, in filiorum priorum & legitimorum numerum noui aſciſcuntur filij, non adimitur prioribus ac legitimis ſua hæreditas, vti ex adoptionum patet legibus: licet propter filiorum multiplicationẽ imminuatur aliquantulum cuiuſque portio. *Secundo.* Eſto autem, adimatur prioribus liberis hæreditas per poſteriorum adoptionem: an prioribus omnibus? an tantummodo aliquibus? Si omnibus, nulla terræ portio, ſicuti nec Leuiticæ, tribus aliis aſcribenda fuiſſet. Si aliquibus, an tot, quot noui aſcribantur filij? Duæ igitur ab hæreditate repellendæ fuiſſent tribus. At ſola repulſa eſt Leuitica. *Tertio.* Siue duæ, ſiue vna tantum repellenda eſſet, cur Leuitica potius quam aliarum aliqua? *Quarto.* Superiore quæſtione iam dixi, propter peccatum, illatamque Sichemitis iniuriam, non priuatum hæreditate Leui, quia eadem Iacobi verba Geneſ. 49. in Simeonem etiam feruntur: & ſua tamen is portione priuatus non fuit. Quomodo igitur priuatus fuiſſet

Digitized by Google

Leui? Pœna pari par culpa plectitur: & eadem A ſententiæ in vtroſque pronunciatæ vis in Simeonem quæ in Leui fuit.

QVÆSTIO VIII.

An in Leuitarum locum ſucceſſerint Ephraim & Manaſſe?

ASſerit hoc diſerte capite ſequenti 14. ver. 4. textus: *Leuitæ nihil*, inquit, *terræ acceperunt inter fratres ſuos.* Sed in eorum ſucceſſerunt locum filij Ioſeph in duas diuiſi tribus Manaſſe B & Ephraim. Sed quomodo ſucceſſerunt? Nam vel in eorum ius, vel in ipſam eorum terram ſucceſſerunt. Non in ius, quia hi Ioſeph filij terræ cum omnibus Iacobi filiis occupandæ & diuidendæ ius acceperunt, quando ab hoc adoptati ſunt Geneſ.48. verſ.5. *Duo*, ait, *filij tui* (ô Ioſeph) *mei erunt. Ephraim & Manaſſes, ſicut Ruben & Simeon reputabuntur mihi.* Cum autem duobus iſtis, qui inter Iacob filios primi erant, pares fiant Ephraim & Manaſſe, multo magis fratribus aliis. Et ſuum tunc ius retinuit Leui vſque dum diceret Dominus Num.18.verſ.20.in C terræ partitione nullā Leuitis eſſe debere particulam, prout ſuperiore dictum quæſtione. Non in terram etiam ſucceſſerunt, quia eam prius habuiſſe debuiſſent Leuitæ. At vero nunquam habuerunt. Sciendum igitur primo in Hebræo & Græco textu non haberi hoc *ſucceſſionis* verbum: ſed in illo ſic eſt. *Et Leuitis non dedit hæreditatem inter ipſos.* quia fuerunt duo filij Ioſeph, duæ tribus Manaſſes & Ephraim: in Græco ſic, τοῖς Λευίταις ἐκ ἔδωκε κλῆρον ἐν αὐτοῖς, ὅτι ἦσαν οἱ υἱοὶ Ἰωσὴφ δύο φυλαὶ Μανασσῆ καὶ Ἐφραίμ. *Secundo. Succeſſiſſe* tamen dici Manaſſe & Ephraim ipſi Leui, D non quoad ius aut portionem, ſed quoad numerum duodecim tribuum, duodecimque terræ portionum. Et hoc, aliudque nihil noſter voluit Interpres. Cum enim oſtendere textus vellet, terram totam in duodecim diuiſam partes, prout XII. fuerant Iacob filij, dicit nunc à Ioſue faciendam in partes nouem & dimidiam diuiſionem. Quia ſeſquiduæ ſuas iam partes vltra Iordanem tribus acceperant. E reſiduis vero tribubus, Leuiticæ partem nullam dandam. Qua ex re cum videretur ſtatim inferri, octo tantum tribus & dimidiam, quibus diſtributio E fieri debeat, ſupereſſe, reſpondet textus fuiſſe 9. & ½. quia hunc ad numerum explendum ſucceſſerunt duo filij Ioſeph: ita ſcilicet: vt eorum alter patris locum ac numerum tueretur, alter vero ipſius Leui.

QVÆSTIO IX.

An in XIJ. portiones diuidi terram oportuerit, & Cur?

NOn id neceſſarium fuiſſe ait ſequenti cap. 14. quæſt. 4. Abulenſis. Et vero non fuit, F ſi XII. Iacob filij non fuiſſent, aut ſi eorum iuſtam ob cauſam exhæredati aliqui fuiſſent, & adoptati nulli, aut ſi deniq. duobus plures adoptati fuiſſent. ſed filij cum fuerint ipſius Iacob XII. & vnus tantum Leui exhæredatus, duoque adoptati, neceſſarium fuit in XII. portiones terram diuidi. Quod ſi quæratur, ipſi Iacob XII. filios eſſe cur voluerit Dominus, mihi equidem, præter myſticam, cauſa perſpecta nulla, vt per XII. illos Iſraelitici populi Patriarchas ſignificarentur, XII. Eccleſiæ Chriſtianæ Patres ac Magiſtri primi: XII. nimirum Apoſtoli. Et duodenariæ ſectionis *altera* hinc *ratio* ducitur: vt præmonſtraretur videlicet orbis terram in XII. veluti partes à XII. Apoſtolis peragrandas & vera Dei cognitione imbuendas ac illuſtrandas, diuiſio. Explicans enim B. Cyrillus illud quod Iſaiæ cap. 61. apud 70. legitur, *Secundo poſſidebunt terram*, *Olim*, ait, *Ieſus Naue regiones gentium Amorrhæorum, & Idumæorum, diuiſit Iſraelitis. Poſtquam autem venit* CHRISTVS, *cuius ille fuit typus, non ſolum Iudæam, ſed cunctam terram ſuis miniſtris diuiſit. quæ fuit ſecunda poſt illam diuiſio. Diſtribuerunt enim ſibi regiones & ciuitates ſuffragio diuino illi ipſi diuini Myſtagogi*, id eſt, myſteriorum diſpenſatores ac Doctores. *Tertiam* porro partitionis eiuſdem duodenariæ *rationem* afferunt aliqui, ex gentium, quæ, antequam ex Aegypto egrederentur Iſraelitæ, terrā iſtam occupabant, numero. Has enim fuiſſe XII. colligunt ex Gen. 10. v. 15. 16. 17. vbi duodecim in terra iſta populorum auctores indicantur, ſi & cum vndecim filiis ipſe Chanaan illorum pater numeretur, & Vltraiordanina accenſeatur?

1 *Sidon.*
2 *Hethæus.* Cheth.
3 *Iebuſæus.* Iebuſi.
4 *Amorrhæus.* Emorrhi.
5 *Gergeſæus.* Girgaſchi.
6 *Heuæus.* Chiui.
7 *Aracæus.* Harki.
8 *Sinæus.* Sini.
9 *Aradius.* Aruadi.
10 *Samaræus.* Themari.
11 *Hamathæus.* Chamathi.
12 Ipſe iſtorum pater *Chanaam.*

Confirmatur autem iſta ratio ex Deut.32.v.8. *Quando diuidebat Altiſſimus gentes, quando ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos populorum, iuxta numerum filiorum Iſrael.* Legunt quidem 70. κατ' ἀριθμὸν ἀγγέλων Θεοῦ. *iuxta numerum angelorum Dei*, & cum his fere Græci Patres, Dionyſius Areopagita cœleſtis Hierarch.cap.9. Orig.lib.4.& 5. contra Celſum homil.11.& 28. in Num. 1. S. Epiphanius hæreſ. 51. S. Chryſoſtomus homil. 3. Coloſſ. S. Iuſtinus cum Tryphone, Auctor operis imperf. in Matth. Euthymius, Pantaleo de ſancto Michaele, alij & Latini etiam nonnulli, vt ſanctus Hieronymus lib.2.in Michæā. & in Epheſ. S. Gregorius homil. 34. Ruffinus in Symboli expoſitione, Nouatianus lib. de Trinitate, qui Tertulliano mendoſe adſcriptus. Sed cum textu noſtro cōſonat Hebræus, Chaldæus, & Græcus Aquilæ ac Symmachi: eiuſq. meminerunt Origenes citata hom.28. in Num. & Iuſtinus citato loco. Et vero multo clarior ac expeditior ſententia eſt: & poteſt cum 70. congruere, ſi ab iis *Angelos Dei* vocatos dicamus filios Iſraelis. Et quidni dicere liceat, cum pios ſanctoſque viros *Dei filios* appellatos Gen. 6. ipſoſque Angelos *Dei* etiam *piſtos* Iob. 1. 4.

Digitized by Google

38. Pſal.88.videamus? Et ſi de veris proprieque dictis Angelicis mentibus verba hæc accipiamus,expoſitiones nimium multæ ac diſcrepantes exiſtant? Alij enim *de bonis* tantum *Angelis*, alij *de malis*, vt autor imperfecti operis, accipiunt. Et qui *de bonis*, alij *vniuerſos* vt gloſſa ordinaria ex D. Gregorio, alij *aliquos* tantum ſumunt, regionum ſcilicet ac gentium præſides, vt Areopagita, Euthymius. Ineſt igitur huic rationi tertiæ probabilitatis aliquid, quod in huiuſmodi re ſatis exiſtimandum. Repugnantem alioquin aduerſarium vincere haud poteſt. *Primo*. Quia, vt dixi, varia eſt lectio & intellectio de Angelis & filiis Iſraël. *Secundo*. Quia non deſunt etiam,qui de gentium diuiſione illis agi cenſeāt, quoad linguas & idiomata. *Tertio*. Qui de terrarum diuiſione ac Iſraelis filiis intelligunt, iſtud, *iuxta numerum filiorum Iſrael*, varie rurſum exponunt. Nam alij ſimpliciter terræ magnitudinis,hominumque multitudinis,quæ Iſraelitarum numero capiendo & locupletando ſufficeret, proportionem conſiderant,vt tot & tantæ gentes in terra illa fuerint,quot & quātæ Iſraelitis poſtea recipiendis & benigniſſime habendis ſatis forent, ſiue illæ eſſent duæ, ſiue tres, ſiue quatuor,aut alio quocunque numero, proūt de ſeptem populis, Exod.3. Deut.7. v.1. interpretatur Abenezra: de decem Geneſ. 15. alij pariter poſſunt explicare. *Quarto*. Qui gentes XII. Gen.10. vt ex Iſraelis filiis reſpondeant, colligunt, parum apte videntur cum filiis ſuis patrem cōiungere: ſic enim & cum liberis ſuis connumerare Iacob oporteret: tumq. non XII. ſed XIII.gentes numerum filiorū Iſrael cōficere deberent. *Quinto*. Denique non tam videretur terræ huius as in 12. diuiſus vncias, quia XII. gentes illæ fuiſſent, quod quia XII. Iſraelis filij fuiſſent, ob quorum numerum definitus ille XII. gentium numerus in terra iſta collocatus, olim fuiſſet.ſicque ad primam rationem reuolueretur hæc tertia: ſeiungi tamen poteſt, quia diuiſa ſic terra iſta dici poteſt, vt quod iam olim, cum orbem terrarum gentibus diſpertiretur Dominus, ſtatutum ab eo, & quaſi adumbratum fuerat, reipſa nunc exploretur,palamq. fieret. ſed hæc ſatis: Ad efficientem eo cauſam.

QVAESTIO X.

Terræ promiſſæ diuiſores qui?

Diuiſionis cauſa efficiens duplex fuit, imperans & exequens. *Imperans* fuit partim Deus, partim Moyſes. *Deus* quidem Num. 34. v.1. & 16. hoc cap.13. v.1.2. & 7. c.14. v. 2. *Moyſes* vero Num.32.v.28. Deuteron.31.v.7. *Exequendo* vero poſſet eatenus etiam Deus ipſe conſtitui, quatenus non generali influxu ad actionē hanc totam concurrit, (ſic enim omnibus in rebus exequitur omnia) ſed quatenus ſpeciali modo ac ratione ſortes, de quibus poſtea, direxit accommodeque verſauit. Sed eas quæ infra ipſum ſunt,hoc potius nomine afficio,haſque aio fuiſſe duplices. *Vna*, & quidem *principalis* fuit, *Eleazar* Pontifex & *Ioſue* infra cap.14. verſ.1. cap. 21. verſ.1. Numer. cap.34. ver.17. vbi & ille ante iſtum, velut ſacer Princeps & diuiſor,perpetuo ponitur licet interdum ſolus etiam nominetur Ioſue, vt iſto cap.13.v.7.& 14. c.18.v. 6.8.& 10.

Altera veluti *ſecundaria* duplex eſt, ipſi videlicet *Phylarchi*, ſeu tribuum Principes, & *eorum adiutores*: de illis infra cap. 14.v.1. *filiis Iſrael terram dederunt Eleazar Sacerdos & Ioſue filius Nun, & Principes familiarum per tribus Iſrael, ſorte omnia diuidentes*.& vocantur *Principes filiorum per tribus Iſrael*,qui in 70.ἄρχοντες πατριῶν φυλῶν τῶν υἱῶν Ἰσραήλ. in Hebræo, *capita patrum ipſarum tribuum filiorum Iſrael*. Rurſum cap.21. ver.1. vbi ἀρχίφυλοι appellantur. Sed apertius, etiam nominatim recen-
B ſentur Num. 34. v.17. *Hæc ſunt nomina virorum, qui terram vobis diuident*.

ELEAZAR Sacerdos, & IOSVE filius Nun.

Et ſinguli principes de tribubus ſingulis, quorum iſta ſunt vocabula.

1 De tribu Iuda, *Caleb* filius Iephone.
2 De tribu Simeon, *Samuel* f.Ammiud.
3 De tribu Beniamin, *Elidad* f.Chaſelon.
4 De tribu filiorum Dan, *Bocci* f.Iogli.
C 5 Filiorum Ioſeph de tribu Manaſſæ, *Haniel* f. Ephod.
6 De tribu Ephraim, *Camuel* f.Sephtan.
7 De tribu Zabulon, *Eliſaphan* f.Pharnach.
8 De tribu Iſachar, Dux *Phaltiel* f.Ozan.
9 De tribu Aſer, *Ahiud* f. Salomi.
10 De tribu Nephthali, *Phedael* f.Ammiud.

Hi *ſunt, quibus præceperat Dominus, vt diuiderent filiis Iſraël terram Chanaan*. Neque his in verbis notandum aliud, quam ex iis tantum tribubus, diuiſores iam nominatos, quibus diuidenda cis
D Iordanem terra: & in Hebræo Græcoque textu tribui Dan, & aliis deinceps omnibus apponi *Principis* aut *Ducis* titulum, quem,quia è ver. 18. facile intelligere eſt,omiſit Latinus,præterquam in Iſſachar.

Horum vero omnium *adiutores* fuerunt illi, qui vel cum ipſis, vel abſque ipſis miſſi ſunt ad terram contemplandam & dimetiendam. Dixi *vel cum ipſis*, *vel abſque ipſis*, quia ex Abulenſi inf. c.18 q.3. dubitari poteſt an non ipſi, vel eorum aliqui dimenſores fuerint. Non fuiſſe tamen reor ego.*Primo*. Quia id Scriptura, cum magni
E res eſſet momēti,non reticuiſſet. *Secundo*. Quia narrat Ioſeph. lib.5. c.1. Iſraelitas à Ioſue monitos,vt è ſingulis tribubus,virum vnum aliquem virtute præſtantem deligerent, qui hoc ad munus mitteretur. At Phylarchos deligere opus non fuiſſet, cum eos antea deſtinaſſet ac nominaſſet Dominus, prout paulo ante referebat Numer. cap.34. *Tertio*. Poſt dimenſionē iſtam, alia poſtmodum deſcribitur inf. c.18. & tum e tribu qualibet menſores terni lecti ſunt v.4. & ſeqq. Miſſi ergo, antequam primo & generaliter diſtribueretur prouincia, ſunt ad terræ to-
F tius cognitionem ac dimenſionē, non tribuum principes & capita,ſed alij,quos tribubus ipſis, prudenter ac opportune viſum deligere. Quorū etiamſi taceantur nomina, virtus tamen à Ioſepho innuitur, & vere ex re ipſa intelligitur. Cum enim requireret officium hoc magnam ſapientiam, induſtriam,integritatem, & ſancti-

Digitized by Google

moniam, vt bene, accurate, fideliter, abſque omni dolo ac fraude, tanta res transfigeretur, transfigique perſuaderetur omnibus, cumque, ex animi ſententia, optatus acciderit effectus, quos alios, niſi ſapientiſſimos, maxime induſtrios, integerrimos, & ſanctiſſimos, quorum magna eſſet apud omnes auctoritas, miſſos putemus?

Numero autem hi *quot* fuerint, opinio triplex eſt. *Prima* Ioſephi loco citato, *decem* fuiſſe indicantis. Cum enim è decem tantummodo tribubus Principes rei huic præpoſiti antea fuerint, Numer. 34. & è ſingulis tribubus vnum iam dimenſorem lectum dicat Ioſephus. Denarius extitit dimenſorū numerus. *Viri*, ait, *miſſi erant decem. Secunda*, Fuiſſe *triginta*, è decem ſcilicet iiſdem tribubus ternos, videtur enim vero ſimile, in poſteriore dimenſione, quæ minor & iterata, non plures fuiſſe cognitores ac decempedatores, quam in priore: At in poſteriore fuerunt ij è ſeptem vel decem tribubus terni, id eſt, ſummatim XXI. vel XXX. vt vult infra c.18. Maſius. *Tertia*, Fuiſſe *triginta ſex*, ob eandem omnino rationem, quod non videatur dimenſorum in poſteriore dimenſione maior ponendus, quam in priore numerus. At in poſteriore fuerunt XXXVI. vt ait infra eodem cap. 18. quæſt. 3. Abulenſis. Sed in prima libentius acquieſco ſententia. A Ioſepho ſiquidem, abſque cauſa, illibens vnquam diuerterim, quem à Maſio ſcio equidem ita loco indicato accuſari: *Admiranda eſt Ioſephi ἀπερισκεψία, in iis rebus, quæ ſunt ſacris litteris planiſſime proditæ. Scribit enim ille, decem modo viros eſſe miſſos deſcriptum terram. Atqui clarius luce eſt, quod dicitur ſacris verbis, ternos è quaque tribu eſſe miſſos.* Verumenimuero iſte ternorum è tribus qualibet numerus ad poſteriorē ſpectat diuiſionem infr. cap.18. Tradit vero Ioſephus eorum numerum, qui ad priorem ſpectarent. Confundit enim ille ac permiſcet dimenſionē, diuiſionemq. vtramque. In quo, quia textui plane contrauenit, excuſari non poteſt. Interim tamen ex vna hoc, ex altera vero arripit aliud, quæ vni tantum diuiſioni tributa, falſum præ ſe ferunt: diuerſis, verum ſicque in iſto miſſorum metatorum numero. His vero ablegatis deſcriptoribus narrat eodem loco Ioſephus adiunctos à Ioſue quoſdam, τῆς γεωμετρίας ἐπιστήμονας, οὓς τ' ἀληθὲς οὐκ ἤμελλε λήσεσθαι διὰ τὴν τέχνην. Quod in Ezechielis c.43. approbans D. Hieronymus, *Non parui*, ait, *operis eſt, quod oculis carnis vel mente conſpexeris, audientibus demonſtrare, vt & ipſi tecum vidiſſe videantur. Quamobrem ſcribit & Ioſephus, eos qui ad ſcribendam terram miſſi ſunt ab Ieſu filio Naue, fuiſſe Γεωμέτρας, & artem, quæ nunc Philoſophorum propria eſt, habuiſſe Geometriæ.* Atque hoc eodem modo cum Romani, quacunque id in orientem & occidentem, Auſtrum & Aquilonem porrigēbatur, imperij totius deſcriptionem, molitus eſt Auguſtus, viros & optimos & Geometriæ conſultiſſimos adhibuit, prout Aethicus & SVIDAS referunt, ex iiſq. in Annalium apparatu extremo Reuerendiſſimus BARONIVS. Fuiſſe vero eius artis in Iſraelitarū populo peritos non paucos, ex eo poſſe videtur colligi, quod ex Aegypto venirent, vbi, ob anniuerſariam Nili fluminis inundationem, agrorumque oblimationem Geometria nata & alta eſt, quemadmodum lib. 17. à Strabone ſcriptum. De cauſa vltima, quæ finis eſt, dicendum iam eſſet. At vno ea verbo dicitur, *Concordia*. Si quid quis velit amplius, id quæſt. 17. poſt circunſtantias, futurum videtur oportunius. Ad haſce igitur accingor.

QVÆSTIO XI.

Terræ diuiſio vbi facta?

B DVplex, vt ſuperiore iam tetigi quæſt. facta fuit promiſſæ terræ in tribus *partitio*. Et *prior* quidem *in Galgalis*, de quibus cap.4.& 5. dictum, accidit, vti è c.14.v.6. perſpicuum. Cum enim illa vt fieret, vel facienda iamiam eſſet, *Acceſſerunt*, ait textus, *filij Iuda ad Ioſue in Galgala, locutuſque eſt ad eum Caleb filius Iephone. Poſterioris* vero locus fuit *Silo* infra c. 18. v. 1. & ſeqq. quia nimirum vtrobique fuit illis temporibus, Domini tabernaculum: in priore equidem loco, prius, in poſteriore, poſterius. Decebat vero in loco ſacro, ante ipſam veluti Dei ſuper Cheru-
C bin ſedentis faciem, partes tribubus omnibus attribui, partim vt pacate, integre, ac ſancte partitio tota fieret: partim vt ſingulæ ſuam ſibi à Domino partem, porrecta quaſi manu dari exiſtimarent. Habet enim ad religionē, Deiq. memoria commouēdos animos, vim non paruam locus. Ideoq. & poſtea c.19. v.51. cum tribuum omnium ſortibus omnib. finis imponitur, tam accurata ſacerrimi loci huius, ſanctiſſimorumq. diuiſorum, repetitio adhibetur, vt quod factum erat, id vero in omnem poſteritatem, ratum fixumque eſſet: neque vllus poſitos tribui cuili-
D bet fines commouere aut diſturbare, vnquam auderet. Eſt autem *Silo* & mons, & vrbs in eo ſita, diſtans ab Hieruſalem trium forte horarum itinere, ſeptentrionem verſus: cuius accuratior deſcriptio eſt Iud. 21.v.19. ſecundum noſtram verſionem, & fere Græcam 70. *Ecce ſolennitas Domini in Silo, quæ ſita eſt ad Septentrionē vrbis Bethel, ad orientalē plagam viæ, quæ de Bethel tendit ad Sichimam & ad meridiē opidi Lebona.* Dixi *fere quoad Græcam verſionē*, quia cum in ea non ſint duæ illæ voces, *ſita* & *vrbis*, poſſet illa quodammodo in eum trahi ſenſum, quem ex Hebræo volunt
E aliqui, vt non Siluntis ſitus, ſed ad Siluntem locus, vbi feſtum, cuius ibi mentio ageretur, deſcriptus ſit hoc modo: *Ecce feſtum Domini eſt Silunte, de anno in annum, quod celebratur ab Aquilonari parte Domini Dei* (quæ ibid. eſt) *verſus ortum Solis ad tritam illam viam, quæ à domo Dei aſcendit in Sichem, & à meridie Lebonæ.* Eſt vero in hodiernis Hebraicis Bibliis *Silo* Gen.49.10. Pro his enim verbis, *donec veniat, qui mittendus eſt*, legitur, *donec veniat Silo*: putatq. R. Ioſeph eſſe d. loci nomen, & Hebræū *veniendi* verbum accipit, prout aliquando Soli tribuitur, vt ſententia ſit, *donec*
F *occumbat Silo*, id eſt, *donec ipſius Silo finis veniat: & tum veniet Dauid Rex.* Sed multas ob cauſas perinepta expoſitio eſt, de quibus illo in loco: ſed vna hæc huc ſpectat, quod illic ſcribatur cum *iod ſchiloh*, hic vero abſque illo cum ſolo *chirek*. Quod & alibi, dum pro loco vox ea ponitur, obſeruatum. Quia vero *pacis* nomine

Digitized by Google

quietem, abundantiam, fauſtitatemque omnem Hebræi ſignificat, vanus haud fuerit coniector, qui à verbo *ſchalah*, quod eſt *pacificum eſſe*, hoc ipſum Siluntis nomen arceſſierit. Nam & inde eſt *ſchaluah*, id eſt, *pax*, Pſal. 121.v.7. Prou. 1.v.32.& c.17.v.1. Ierem.22.v.21. Ezech.16.v.49. Dan.11.v.21. & 23. alibi, fortaſſis etiam Latinorum *ſalue* ac *ſalus*, quam apud S. Auguſtinum expoſitionem Epiſt. ad Rom. ducebat P. Valerius Epiſcopus à Punico Hebræoq. *Salos*, quod *tria* ſignificat, quaſi occulte inſinuatum eſſet, à SS. TRINITATE *veram exſpectandam ſalutem.* Demum vero huic loco tribuit ipſe Ioſeph.l.5. cap.1. τὸ κάλλος, id eſt, pulchritudinem & amœnitatem: ipſe vero etiam ſitus montoſus & arduus robur, & contra belli omnis iniurias, quietem ac munimentū. Hodie porro vocatur *mons Samuelis*, & à Brochardo noſtroque Breitenbachio. *Rama.*

QVAESTIO XII.

Quonam modo facta diuiſio?

PRimo quidem miſſi à Ioſue metatores, qui terram dimetirentur & deſcriberent, vt iam ſupra dixi. In modo autem quo iſti ſuum munus obierunt, notanda duo. *Vnum* eſt, funiculos ad menſuram adhibuiſſe, hinc enim cuius libet pœne rei ſolidæ, pars & partitio ſolet in ſcripturis vocari *funiculus*, vt inf.c.17.v.5.& 14. c.19.v.4.& 29. 2.Reg.8.v.2.4.Reg.21.v.13.1.Par. 16.v.17. Amos 7.v.17.vnde Pſal.77.v.55. de hac ipſa terræ diuiſione clariſſima Dauidis vox. *Eiecit* (Dominus) *à facie eorum gentes, & forte diuiſit iis terram in funiculo diſtributionis.* Huiuſmodi enim agros & terras dimetiendi ratio in Aegypto & Oriente vſitata tunc erat, prout diſertim oſtendit cap.7.v.1. Zacharias. *Ecce vir, & in manu eius funiculus menſorum. Et dixi. Quo tu vadis? Et dixit ad me. Vt metiar Ieruſalem, & videam quanta ſit latitudo eius, & quanta longitudo eius.* Ezec.40.v.3.ædificandam Hieruſalem dimenſurus Angelus *funiculum*, ſeu *filum lineum* in manu geſtat, quod à 70. σπαρτίον οἰκοδόμων vertitur; id eſt, *funiculus architectorum*, ſeu vt in S. Hieronymo illic eſt, *cæmentariorum.* Sed qui tam longi, tamque porrecti funes, vt tantis terræ ſpatiis, tot montibus, & vallibus, tot vrbibus & vicis, tot locorum flexionibus, obliquationibus, & ambagibus ſufficerent? Reor equidē non materiatos iſtiuſmodi funiculos neque *per nulla*, vt Genebrardo videtur Chron. pag.36. neque *per loca omnia* ductos, ſed *per minora* quædam: è quibus per Geometriæ Opticæque diſciplinam, ratiocinatio de aliis omnibus fieret, quæ ratiocinatio quidam veluti mentis Geometricus funiculus eſt. Et vero per vnum dimenſionis inſtrumentum ſignificantur. Synechdochicōs etiam alia, cuiuſmodi ſunt quadrata Geometrica, baculi metrici, & ſimilia quæcunque. *Alterum* eſt, quomodo per Chananæorum regionem, bello iam indicto, inchoato, geſto, neq. dum finito aut compoſito, peruadere potuerunt Iudæi metatores, omniaque tam accurate rimari, ac ſuis quibuſcunque funiculis metiri? Potuerunt exploratores à Moyſe miſſi Num.14. quod agebant diſſimulare, perſonam alienam induere, in montibus & ſpeluncis latitare. At iſtorum opus, non niſi luce, palam, ſpectantibus omnibus, fieri vix potuit. Quomodo igitur non millies mactati, non capti, non ſaltem impediti: credendum videtur, eos quidem quam latentiſſime conatos è locis editioribus, cum licuit ſpeculando, alia pedibus obeundo & paſſus dinumerando, Geometricā deinde ſubtilitatē omnem adiungendo, exequi quod à Ioſue imperatum fuerat: maxime tamen latentem quandā diuinam vim concurriſſe, qua & Chananæorum animi cladibus ac prodiis valde iam fracti obſtupefierent penitus: neq. de his aut perimendis aut capiendis & impediendis quidquā tentarent: è contrario autem præſiderent, & mittentium & miſſorum Iſraelitarum animi: auderent in Chananæorū ſeſe penetralia inferre: illos, etiamſi forte conſpicerentur, notarentur, ac in opere ſuo menſorio deprehenderentur, non formidare, felicemq. demū totius impoſiti muneris executionem ſperare ac moliri. Neq. ſpes ac molitio inanis fuit. Rem cōfecerunt: & ad ſuos feliciter ſalui ac incolumes reuerſi ſunt.

Secundo. Poſt dimenſorum reditum, miſsis ſortibus facta fuit partitio. cap.14.v.2. c.15.v.1. cap.16.v.1.c.17.v.1.& alibi. Ita enim præceperat Dominus Num. 34. v.13. ideoque & ipſe, vt ſupra è Pſal.77. dicebam, forte terram filiis Iſrael diuiſiſſe dicitur. De *ſortium* quidem *vſu* ac bonitate aut malitia dictum largiter ſupra c.7. à quæſt.17.ad 22. Nunc tantummodo dicendum, quemadmodum ſortitio iſta facta ſit.

Quatuor igitur *modis*, modus hic exponitur. *Primo.* à Thalmudicis in *Baba bathra* cap.8. dicitur fuiſſe vrnas duas, è quarum vna extraherentur tribuum ſingularum ſingula nomina, ex altera vero ſingularum terræ portionum chartulæ. ita vt cuilibet extractæ tribui ſua ſtatim extracta attribueretur ditio: & ne quid in extrahendo ſuſpicionis eſſet, quin ſumma potius fides, atque auctoritas, Eleazari Pontificis manu extracta inquiunt illi omnia. *Secundo.* à Ioſepho lib.5.cap.1.vna ſolummodo vrna traditur, è qua ita ordine tribuum ducerentur nomina, vt iis, quæ primo exiiſſent, liceret primo ſtatim, quam è deſcriptis terræ portionibus vellent eligere. *Tertio.* vna etiam tantummodo vrna ab aliis recipitur, ſed ita vt ex ea non tribuum, ſed diuidendarum terrarum inſcriptiones ac ſigna educantur: harum vero eductarum attributio ſingulis fiat tribubus ex diuino monitu & indicatu. Sed hunc ſpectatum & cognitum fuiſſe putat in cap.15. Maſius in duplici, quæ Iacob filiis naſcendo obtigit prærogatiua. Vna eſt è libera matre natum eſſe, vel ancilla: ita vt qui è libera, ſortem prius omnes acciperent, quam qui ex ancillis. Altera, prius ex hac vel illa natum eſſe. ita vt qui libera primus eſſet, primam ex vrna ductam portionem acciperet. qui ſecundus, ſecundam, & ita deinceps. poſt hos vero, qui ex ancilla primus primam, quæ, poſt liberorum portiones, ex vrna egrederetur, caperet: ſecundus ſecundam, ſicque alij ordine. Admonet tamen idem Maſius obſeruandum, quod ab eo ad c.14. dictum iam erat: primogeniti Ruben ortus ac ætatis prærogatiuam & legitimū ius fuiſſe, partim ad Iudam quoad principatum

ac dominatũ, partim ad Ioſephum quoad duplicatam hæreditatis portionem, tranſlatum. Quod verumne ſit, haud iam diſquiro (addubitat certe ſequenti cap. 14. quæſt. 4. Abulenſis) ſed mihi, quem in ſortitione ſeruatum auctor ille ritum cenſuerit, explanaſſe ſatis eſt. *Quarto* demum, Vrnam vnicam, diuidundæque terræ ex illa eductionem & diuinum, ad tribum, quæ cui pars obtigiſſet, cognoſcendum iudicium amplectitur etiam Arias: ſed hoc per Pontificis Vrim & Thummim de quibus libro priore cap. 9. q. 23. & ſectis multa, factum exiſtimat.

Hi ſortitionis in diuidunda terra illa modi quatuor, è quibus quis veriſſimus, ad ſortem pœne pertineat. Vna ſane in omnibus inſidere videtur difficultas. Explicant enim omnes quidem quæ terra cui tribui obueniat: ſi terra quoad ſitum ſpectetur, ſed non quoad magnitudinem. Cum enim ſupra quæſt. 4. oſtenſum ſit, partes amplitudine inæquales, ob multitudinis quæ in tribubus eſſet, inæqualitatem, eſſe oportere, quomodo maioris numeri tribui maiorem portionem hi modi aſcribunt? In *primo* ſi dicas, Deum ita duarum Vrnarum ſortes temperaſſe, vt id ipſum fieret, maiorique tribui maior obueniret pars, primo quidem fruſtra à Deo imperatum fuit, vt inæqualitatis huius rationem diuiſores haberent, cum id facere totum vellet ipſemet: deinde iam debuiſſent antea partes inæquales factæ fuiſſe: ſicque ante ſortem, quæ cui pars danda perſpectum pœne fuiſſet. *Secundus* vero modus aperte poteſtatem tribui etiam minimæ, ſiquidem prima exiiſſet, facit, vt partem deligat maximam. *Tertius* nihil amplius, quam quæ quoad locum, cuiuſuis eſſet hæreditas, commonſtrat. *Quartus* pœne ſimiliter. Adiicienda igitur duo hæc videntur. I. Permiſſum hoc à Deo & commiſſum diuiſoribus, vt ſuis quamlibet portionem finibus circumſcriberent, & partes ex Vrna prodeuntes, pro tribuum aut multitudine aut paucitate dilatarent, & contraherent. Id enim omnino ſuadet citatus q. 5. locus è Num. 35. v. 8. II. Fecerunt autem hoc diuiſores, vel ante ſortes in vrnam coniectas ex eaque eductas, vel poſt. *Ante* quidem fieri hoc modo potuit, vt eſſent decem poſitæ in omnium conſpectu partes, quas deſcripſerant metatores: de ſingulis vero partibus tractaretur, communiq. ſenſu tandem ſtatueretur, ſi ea huic aut illi tribui ſorte obtingeret, eam tantam & tantam eſſe debere, id eſt, aut quantam definierant metatores, aut maiorem aut minorem, pro tribus videlicet, cui obtigiſſet, numero. Si igitur ſorte quapiam extracta magna, minor eſſet, cui deberetur illa tribus, iam antea conſtitutum fuiſſet, illam circuncidendam. & quidem ſic aut ſic. Si vero eſſet tribus maior, conſtitutum item fuiſſet, eam ſortem amplificandã, & quidem tanta & tanta acceſſione. *Poſt* vero dupliciter fieri potuit proportionis exæquatio hæc. *Primo.* Si diuiſores, cum ſortem extractam vidiſſent, diſpicerẽt accurate, concordibuſque poſtea ſuffragiis concluderent, eam tribui, cuius ordo in hæreditate conſequenda eſſet, aut ſufficere, aut non ſufficere, aut ſuperfluere: eamque aut ſic relinquerent, aut ei quantum videretur, adderent, de-

A merent. *Secundo.* Si hoc ipſum ab oraculo Vrim & Thummim rogarent, vt quemadmodum oraculi huius effato cognitum eſſet, quæ tribus quam ſortem indipiſceretur: ita etiam cognoſceretur, quantã & quantam indipiſci deberet. Atque hic quidem modus facillimus. an vero etiam accõmodatiſſimus, non habeo aſtruere, priuſquam ſane ad Simeonicam ſortem, c. 19. ventum fuerit. *Ad ſortitionis*, inquit Maſius, *ritum, modumque quod attinet, neſcio an eum non ſtudio nobis occultarit, vbique ſacra hiſtoria, ne ſuperſtitioſe imitaremur, in rebus noſtris.* Hinc demum in poſ-
B ſeſſionem itum eo modo, & ab iis tribubus, de quibus poſtea.

QVAESTIO XIII.

Quonam tempore facta diuiſio?

DVplex, vti antea monui, fuit *diuiſio*, *Galgalæa* & *Siluntina.* In priore conſiderandum, principium & finis. Eam igitur ante quintum, ab Iordanis tranſitu, primoque in terram populi totius ingreſſu, annum cœpiſſe, non quidẽ affirmat, ſed innuit Ioſephus. Vult enim anno
C quinto & arcam & caſtra è Galgalis Siluntem tranſlata lib. 5. c. 1. Silunte vero poſterior diuiſio facta cum fuerit hoc lib. c. 18. liquet Galgalæam ſeu priorem, ante quintum illum annum, ei factam videri. Adrichomius in Chronologia ſextum annum mauult. pag. 219. & Mercator. Sed ſane *cœpit* eadẽ *prior diuiſio anno ab tranſmiſſo Iordane ſeptimo.* Nam c. 14. vel cum tribui Iudæ ſors obueniſſet, antequam eius iam in familias partitio inſtitueretur, vel antequam omnino ſors mitteretur, ſed mittenda iamiam eſſet, vti eius capitis 14. & 15. ſeries monſtrare videtur, acceſ-
D ſit ad ipſum Ioſue ipſius in exploranda quondã terra ſocius Num. 14. & dixit ver. 7. & 10. *Quadraginta annorum eram quando miſit me Moyſes famulus Domini de Cadesbarne, vt conſiderarem terram. Hodie octoginta quinque annorum ſum.* At miſſio illa facta eſt anno poſt Aegyptum relictam ſecundo, vt patet è libri prioris cap. 8. & totum per ſolitudinem, vſque ad tranſitum Iordanis, iter non fuit niſi XL. annorum, vt alibi probatum. Duo igitur ex hiſce XL. detrahantur anni, ſuperſunt XXXVIII. & hi è XLV. qui ad Calebi priores XL. iam acceſſerant, demantur,
E ſunt omnino reſidui VII. Anno igitur poſt trãſmiſſum Iordanem, aditamque terram ſeptimo cœpit, vti aiebam, diuiſio. Idque ſentiunt Rabbini cap. 11. *Seder Holam*, Euſebius in Chronicis, Maſius cap. 14. ad verſ. 7. Scaliger lib. 5. de emendat. temp. pag. 353. Mercator cap. 1. methodi temporum. Ioſephus vero, quia duorum & quadraginta annorum fuiſſe putauit totum ex Aegypto iter, quinque tantum annos reſiduos dicere potuit. Sed in itinere illo duo redundant anni, prout alibi monſtratum, clareque perſpici poteſt in Deuteron. cap. 1. verſ. 3.
F cap. 2. ver. 14. & diuiſiones terræ duas antea notatas deſcribit & confundit velut vnam. Eum tamen ſequitur Caluinus in cap. 14. Mercator vero & Adrichomius ipſum explorationis annum, qui itineris ex Aegypto ſecundus, ita cum Calebi anno XL. copulant, vt è XL. peregrinationis annis, vnum tantummodo primum exi-

Digitized by Google

eximant: ſicque ſuperſint xxxix. qui è xlv. Calebi reſiduis exempti, relinquunt ſolummodo vi. quod concedi poteſt. Eiuſdem vero Galgalæ diuiſionis finis ſtatuitur ab Rabbinis in eodem *Seder Holam*, & Genebrardo iſtis aſſenſo libr. 1. Chron. pag. 35. in altero anno ſeptimo, ſeu in anno xiv. poſt Iordanis tranſitum. Hoc autem ita colligunt. Iſraelitæ ab eo tempore, quo in promiſſa terra ſedem figere cæperunt, in ea ſolidos 17. Iubilæos perſtiterunt, id eſt, totos 850. annos. At poſt emigrationem ex ea terra vltimam, ſiue poſt Nabuchodonoſorianum Hieroſolymitanæ vrbis excidium anno xiv. agebatur Iubilæus octauus decimus. Eius enim principio dixit Ezechiel c. 40. verſ. 1. *In 25. anno tranſmigrationis noſtræ, in exordio anni, decima menſis, quatuordecimo anno poſtquam percuſſa eſt ciuitas.* Neceſſum igitur Iubilæos numerari cœpiſſe poſt xiv. annum ingreſſus in terram, aut certe populum in terra non commoratum Iubilæos plenos xvii. ſed tantummodo xvi. & inſuper Iubilæi decimi ſeptimi annos xlvi. Sed in diuiſione illa conſumptum ſeptennium non queo, vt credam, inducere animum. Quorſum enim temporis tantum? An vt ſortes in vrnam mitterentur, ex eaque ducerentur? At hoc die vno, vel diebus certe non multis fieri potuit. An, vt dimenſores mitterentur, iique deſcriptiones referrent? At hoc ante diuiſionis inchoationem factum: neque ſi factum non fuiſſet, ſeptem ea in re anni ponendi fuiſſent: An ad portiones adeundas, in iiſque collocanda domicilia? ſed cum profligati eſſent ex iis, quæ primæ tribus è priore ſortitione adeptę locis hoſtes, neque regiones quę adibantur tam vaſtæ aut à Galgalis tam remotæ eſſent, paucis vel hebdomadibus vel menſibus iſta in ſedes nouas immigratio fieri potuit. Præterea verò qua è Scriptura colligitur, fuiſſe plenorum Iubilæorum, ſeu annorum 850. commorationem in promiſſa terra? Vnde item colligitur, illum, quem notauit Ezechiel annum ab Hieroſolymitano excidio decimum quintum, fuiſſe Iubilæi primum? & Iubilæi quidem decimi octaui? In ſuam igitur ſententiam me magis rapiunt, qui priori diuiſioni finem ante octauum annum arbitrantur impoſitum. De poſteriore autem diuiſione poſtea cap. 18.

QVÆSTIO XIV.

Ab iſta terræ diuiſione Sabbathici, & Iubilæi anni num inchoati?

Leuitici cap. 25. *non dierum*: qui ſingulas hebdomadas conficiunt ſed *annorum Sabbatha* duplicis generis præſcribuntur. *Vnum* eſt, vt annus quilibet ſeptimus Sabbathum ſit, eoque terra quandum veluti quietem & ceſſationem ab omni aratri, foſſionis, ſationis, ac plantationis cultura obtineat, iſque dicitur *annus Sabbathicus*, hebdomaticus & ab Hebræis ab eorum, quę ab alio tenebantur remiſſionē ac relaxationem, *Schemitah*. Et de hoc citato Leuit. c. 25. v. 2. vſque ad 8. *Alterū* eſt, vt annus quilibet poſt annos ſeptē ſepties, id eſt, annos xlix. ſimiliter Sabbathū ſit. Atq. iſte vocari ſolet in Hebræo *Iobel* in 70. *ἀφέσεως σημασία*. in Ioſepho lib. tertio capite 10. *ἰώβηλος*, à nonnullis *Iobelæus* aut *Iubelæus*, à noſtro Interprete, atque ipſum ſecutis non male plurimis, *Iubilæus*, de quo ibidem à verſ. 8. vſque ad finem. De hoc tamen dubium primum eſt.

An ipſe ſeptimus hebdomadarum annuarum ſeptem annus, id eſt, *ipſe quadrageſimus nonus ſit Iubilæus*, an vero qui illum ſequitur. *quinquageſimus?* Triplex opinio. *Prima.* Eſſe xlix. Ita Hugo Cardinalis in Leuitici capite 25. Rodulphus Flauiacenſis libro 18. capite 13. è Iudæis Rabbini quidam, & hoc tempore Mercator Chronol. & capite 1. methodi, Iunius ac Tremellius in idem illud caput. Ioſephus Scaliger lib. 5. vbi ſic: *Quam falluntur & veteres, & recentiores, qui Iubilæum definiunt ſpatio annorum 50. abſolutorum, non autem 49. hinc animaduerti poteſt.* Et libro ſeptimo. Iubilæa inquirenda docet diuidendo ſæcula per 40. idemque repetit lib. 3. Iſag. p. 282. & ſeqq. & maxime 289. in Animaduerſionib. Euſebianis etiā p. 15. 16. 25. 234. 259. eumque ſecutus ac idcirco mox valde ab ipſo in Iſag. Prolegomenis laudatus Sethus Caluiſius cap. 24. Iſagoges Chronologicæ. *Secunda* opinio, eſſe ipſum 50. *Tertia.* Lyrani eodem Leu. c. 25. vtramque opinionem eſſe probabilem. Sed ſane ſecunda, & autorum & rationum plurium ac meliorum robore tutior. Ita enim iudicauit Euſebius in Chronicis, Cyrillus lib. 17. de adoratione. Beda in ſermone 2. de feſto Pentecoſtes, & lib. 2. de tabern. cap. 3. Clemens 6. Pontifex, D. Ambroſius in pſalmū 50. Caſſiodorus ibidem, Iſidorus lib. 4. Etymol. c. 8. D. Hier. epiſt. 127. ad Fabiolam manſione 12. & in c. 5. Amos, Abulenſis in Leu. 25. q. 6. Caiet. ibidem. Oleaſter ibidē. Rutilius Benzonius lib. 1. de anno Iubilæi c. 1. alij è Chriſtianis, qui de Iubilæo ſcripſerunt, & è Iudæis clare Ioſephus citato loco. Dominum enim ait, præcepiſſe, vt ipſi terræ Sabbathum ac requies daretur, non anno tantum ſeptimo, ſed etiam *μετὰ ἑβδόμην ἐτῶν ἑβδομάδα*, id eſt *poſt ſeptimam annorum hebdomadem.* At ſane *poſt hanc*, quid niſi quinquageſimus eſt annus? idq. ſubiungit explicatiſſime, Ταῦτα πεντήκοντα μὲν ὄντ' ἔτη τὰ πάντα, id eſt, *ſunt anni omnes quinquaginta.* Cum vero dicere ibidem voluit, anno ſeptimo agris quietem eſſe, non dixit, *μετὰ ἕβδομον ἔτος*, id eſt, *poſt ſeptimum annum*: ſed *δ' ἑβδόμῳ ἔτει*, *in anno ſeptimo*, ſicuti hominibus item à quotidianis operibus feriandum, non *μετὰ ἑβδόμην ἡμέραν*, ſed *δ' ἑβδόμης ἡμέρας*, *die ſeptimo.* Et ne vlla vlli reſideat dubitatio, adiecit inſuper: *καλεῖται ὑπὸ Ἑβραίων ὁ πεντηκοστὸς ἐνιαυτὸς ἰώβηλος.* id eſt, *vocatur ab Hebræis annus quinquageſimus Iobelus.* Et vero huic è Rabbinis aſtipulantur etiam nonnulli, prout ipſo loco indicato agnoſcit Lyranus: è Nouatoribus etiam Hugo Broughthonus in Concentu ſuo, & in Danielis cap. 9. vbi Dominicum paſſionis annum incidiſſe ait in Iubilæum xxviii. ſeu in annum ciↄcccc. ab terræ partitione. Alioquin dicendus Iubilæi 29. currentis annus 28. vt eſt apertum, ſi 1400. anni per 49. diuidantur. Sed ipſum in manus contextum ſacrum ſumamus. Leuit. 25. v. 8. Hebraice loquitur ſic: *Et numerabis tibi ſeptem ſabba-*

Digitized by Google

tha (ſeu ſeptimanas,) *annorum* (id eſt) *ſeptem annos ſeptem vicibus, & erunt tibi dies ſeptem ſabbathorum* (ſeu ſeptimanarũ) *annorum. XLIX anni: & pertranſire facies tuba clangorem in menſe ſeptimò, in die decimo menſis, in die explicationum* (ſeu propitiationis) *pertranſire facietis tuba clangorem in tota terra veſtra: & ſanctificabitis ipſum annum quinquageſimum.* En quemadmodum poſt annos 49. præſcribitur anni quinquageſimi ſanctificatio. Sane ſi annus XLIX. eſſet Iubilæus, eum cur non dixiſſet ſanctificandum potius, quam quinquageſimum? Nonne, in dierum hebdomade, *diem ſeptimum* celebrandum, ait, non octauum? Nõne in annorum hebdomade, *annum* item *ſeptimum* ſanctificat, nõn octauũ? Cum igitur hic plane adeo ipſe *quinquageſimus*, non vndequinquageſimus quieti aſcribatur, fruſtra omnino ſunt, qui alium quam 50. annum Iubilæum exiſtimant. Sic & poſtea v. 10. *Et ſanctificabitis ipſum annum quinquageſimum.* Reſpondent apud Abulenſem loco citato nonnulli, & ſuo cum Tremellio Iunius, in annotatione itemq. Caluiſius cap. 24. Iſag. pag. 80. *quinquageſimum* dici ab Iubilæo antecedẽte incluſiue. Sed hoc iam eſt textui gloſſam attexere. Ideoque ſimpliciter & nude à cõmuni opinione ſtat textus: & hunc per gloſſam iſtam nõ explicari, ſed deprauari, probatur dupliciter. *Primo.* Quia primus Iubilæus non eſſet neque ſecundum Scripturam vocaretur, aut ſanctificaretur *annus quinquageſimus.* Nullũ enim includeret antecedentem Iubilæum. *Secundo.* In poſterioribus Iubilæis aliis vnus & idem annus numerari bis deberet. Nam vt ſecundi Iubilæi annus quadrageſimus nonus dici poſſet quinquageſimus, deberet primi Iubilæi annus vltimus ſemel numerari, & vocari annus quadrageſimus nonus, ruſumque numerari, & dici primus ſequentis Iubilæi, vt huius annus vndequinquageſimus dici poſſet quinquageſimus. ſicque in aliis omnibus. At in continuo aliquo numero eandem bis vnitatem repeti quis ferat? & numerum aliquem tantum & tantum denominari, qui tantus & tantus non ſit, quæ ſinat Arithmetica? Similis è Thargum argumentatio eſt. Græcus vero in 70. textus multo adhuc clarior eſt. Καὶ ἐξαριθμήσεις σεαυτῷ ἑπτὰ ἀναπαύσεις ἐτῶν, ἑπτὰ ἔτη ἑπτάκις καὶ ἔσονταί σοι ἑπτὰ ἑβδομάδες ἐτῶν ἐννέα καὶ τεσσαράκοντα ἔτη. διαγγελεῖτε σάλπιγγος φωνῇ ἐν πάσῃ τῇ γῇ ὑμῶν, ἐν τῷ ἑβδόμῳ, τῇ δεκάτῃ τοῦ μηνὸς, τῇ ἡμέρᾳ τοῦ ἱλασμοῦ διαγγελεῖτε σάλπιγγι ἐν πάσῃ τῇ γῇ ὑμῶν, καὶ ἁγιάσετε τὸ ἔτος, τὸν πεντηκοστὸν ἐνιαυτόν. Et poſtea. ἀφέσεως σημασία αὕτη, τὸ ἔτος τὸ πεντηκοστὸν, ἐνιαυτὸς ἔσται ὑμῖν. Textus porro Latinus perſpicuitate ſuperioribus nihil cedit, ſemperque diem quinquageſimum deſignat verſ. 10. & 11. Sed alia occurrit etiam ratio. Videtur enim arcano quodam conſilio ſuo in annorum hebdomadibus voluiſſe, quod in dierum hebdomadibus. Voluit enim diem ſeptimum ſacræ ceſſationis eſſe: voluit è Paſchate poſt dierum hebdomadas ſeptem ſeu poſt dies XLIX quinquageſimum eſſe ſacrum, ſupra Leuitici 23. verſ. 15. & 16. & hodierna teſtis Pẽtecoſte de qua lib. 1. c. 4. q. 12. & ſequentibus. Voluit igitur poſt annorum hebdomadas ſeptẽ ſeu poſt annos XLIX. quinquageſimum ſacrari. Ad hæc, ſi ſemper eſſet idem Iubilæus & Sabbathicus, nihil opus fuiſſet in illo præſcribere, quę in hoc præſcripta iamiam fuerant, inarata ſcilicet ac inculta illo anno terra vt eſſet. At præſcribit Dominus Leuit. 25. v. 11. 12. Sane Rabbini in tractatu de *ſchemitah*, & *Iobel*, quæ in ill. i explicarunt in iſto non repetunt, vt ex magno præceptorum libro patet in *helacoth ſchemitah* p. 68. col. 2. Nec video contra hæc diſſeri quidnam poſſit, præter vnum hoc fore iſto modo vt duo quietis ac feriationis anni connecterentur proxime. Nã in Iubilæo verbi cauſa, primo, annus XLIX. eſſet Sabbathicus ſeu feriatus, & ſtatim ſubſequens annus quinquageſimus. Difficilis autẽ alimonia populo tanto foret, ſi ab aratione, ſatione, meſſe, omniq. ſoli cultura continuos annos duos totos vocarẽt. Sicque ſeptimo quolibet poſtea Iubilęo eueniet. Interiectis vero annis inter Sabbathicũ & Iubilæũ, primo vnus tantũ laboris & agricolationis annus intererit, deinde, duo, tres, quatuor, quinq. ſex. In ſecundo ſiquidem Iubilæo idem annus, qui Iubilæus eſſet primus ſeu quinquageſimus, eſſet iã Sabbathici octaui primus. Ideoq. Iubilæi ſecũdi annus quadrageſimus octauus eſſet Sabbathicus decimus quartus. Ergo Iubilæi eiuſdem quadrageſimus nonus eſſet operoſus. Sequens quinquageſimus ruſum feriatus & Iubilæus. Rurſum vero idem annus Iubilæus eſſet incepti iam Sabbathici decimi quinti tertius. Ergo Iubilæi tertij annus 47. eſſet Sabbathicus 21. totuſque ocioſus. Iubilæi vero eiuſdem duo anni ſequentes 48. & 49. negotioſi. At quinquageſimus ruſum ocioſus. Sicque deinceps. Si vero non XLIX. ſed L. dicamus Iubilæum, ſemper qui Iubilæus eſt, erit Sabbathicus.

Nam Iubilæus	1 Primus	erit Sabbathicus	7	ſicque perpetuo.
	2 Secundus		14	
	3 Tertius		21	
	4 Quartus		28	
	5 Quintus		35	
	6 Sextus		42	
	7 Septimus		49	

Sunt iſta. Sed alimoniæ difficultas illa pari tollitur facilitate, qua in anno Sabbathico. Qui enim ſe vnius anni feriati annonam curaturum promiſit Dominus Leuit. 25. verſ. 20. idẽ & duorum poteſt, ac vero vult. Ideoque cum citatum iamiam verſiculum exponit Caietanus, *ſimilem*, ait, *proportionaliter benedictionem intellige pro anno Iubilæi, eo quod duob. cõtinuis annis, terra tunc quieſcebat.* Dubium porro alterum eſt.

Vnde dicatur Iubilæus? Opinionum diuortia hic multa: ſed è duobus fere iugis. quorum vnum Latinorum quorundam eſt, Ioannis de Anania, Petri Bercorij, Stephani Noti, à Latino *Iubilare*: Sed & hoc, & *iubilus* ac *iubilum* videtur nonnullis ab altero, de quo iam dicendum, iugo fluere, quod eorum eſt qui ab Hebræo Io-

bel, ductum volunt Iubilæum. Hi autem in digitos miſſi, comperiuntur decem.

I. Aiunt *Iobel* valere *buccinam* ſeu *tubam*. Quia igitur die propitiationis clangebatur buccina Leuit. 25. verſ. 9. vt celebraretur annus hic ideo vocatum Iubilæum. Sed buccinam iſtam fuiſſe *argenteam* Abulenſis in illud caput q. 7. *corneam* alij: ſed è maiorum animalium cornibus Ribera in Hoſeæ 5. ex arietino fere Thargũ qui plerumque pro *Iobel* ponit *dichra*, & Raſchi, Lyranus, Vatablus, Pagninus in Theſ. Auguſtinus Eugubinus in c. vlt. Num. Oleaſter in c. 26. Leu. Turrecremata de pœnit. diſt. §. *in Leuiticum*.

II. Ioſephus lib. 3. c. 10. *Iobeli nomen ſignificat* ἐλευθερίαν, id eſt, *libertatem, quia eo anno datur libertas ſeruis, & diuenditis agris ac poſſeſſionibus*. Placet hoc Theodoreto quæſt. 35. in Leuit. Nazianzeno orat. in ſanctam Pentecoſten, Ruperto lib. 2. in Leuit. cap. 41. & in Ezech. 11. Vnde lib. 1. c. 4. de Iubil. Rutilius: *Ita*, inquit, *videtur mihi vera deriuatio. Aperte enim in textu Leuitici exprimitur hic verbis. Hunc annum vocabis, quinquageſimum remiſſionis cunctis habitantibus terram veſtram*.

III. Ab Muſices inuentore *Iubal* Geneſ. 4. v. 21. Maſius in Ioſue capite 6.

IV. Euſebius in Chronicis: *Iobel apud Hebræos*, inquit, *quinquagenarius annus vocatur*. Atque *meo iudicio*, ait rurſum Rutilius, *hæc deriuatio proculdubio, eſt etiam valde Germana textui ſacræ ſcripturæ*. Num. vltimo & Leuit. 25.

V. Hugo Cardinalis, & V. Beda lib. de tabernaculo, putant *Iobel*, eſſe *initium*, & Iubilæum annum vocari, quod eius initio inciperet Variorum libertas ac remiſſio.

VI. D. Gregorio *Iobel* eſt ipſa quies ac remiſſio l. 1. Tob. c. 6. hom. 24. in Euang. l. 2. in Ezech. homil. 17. & 19. Aſſimilis ac pæne germana interpretatio illi, quæ ſecundo locata loco ex Ioſepho.

VII. V. Beda hom. de Pentecoſte: *Iubilæus*, inquit, *mutatus appellari iuſſus eſt, quod ſerui à Captiuitate in libertatem mutarentur, quod poſſeſſiones mutatione facta, ad priſtinos Dominos redirent*.

VIII. Paulo Ioanni Pauliano Iobel eſt *magnus Dei*, ideoque Iubilæus dictus, quod ſit Magnus Dei annus, præ cæteris dignior & excellentior.

IX. *Iobel* à terræ germine vocatus videtur Caietano in Leuit. potius, cum *iabal* ſit ducere, proferre, & *iebul*, ſit ipſe terræ fructus ac germẽ Exod. 31. v. 22. Leu. 26. v. 4. Iudi. 6. v. 4. pſ. 66. v. 6. pſ. 77. v. 45. pſ. 84. v. 13. Ezech. 34. verſ. 27. Habacuk. 3. v. 16. Aſſentitur Angelus Pientinus lib. 3. de Iubilæo c. 4. Bellarminus lib. 1. de indulgentiis cap. 1.

X. Concentus Brugthonianus, *Vox*, inquit, *iubal, ſignificat erectionem ſiue riui fluxum Iubilæus autem non poteſt ab Hebræo deriuari, quod eſt cornu arietinum: ſed percommode à iubal, fluxu, ſiue vectione & deductione, eo quod nos quaſi ſecum vehat & deducat ad* Christi *mortem*. Sane vero *iubal* eſt riuus. Ierem. 16. verſ. 8. quod per literarum permutationem, putant idem eſſe aliqui cum *vbal*, Danielis c. 8. v. 2. & 3. Sic etiam *iebel* riuus eſt Iſaiæ 30. verſ. 25. & c. 44. v. 4. itemque *iubla* è Threnorũ. 3. apud Eliam in Methurgeman, & *iobela* Iacobi 3. deductio, effluxus. Sed meam de hiſce rebus c. 6. q. 5. ſupra indicaui ſententiam, & quæ ibi dicta, potuiſſent iam eſſe ſatis niſi omnia hic de Iubilæo in quadam velut ſynopſi videre non iniucundum eſſet.

Tertium, dubium eſt. *Quonam incipere ſolebant mẽſe ſabbathicus & Iubilæus annus*: Duplex opinio. *Prima*, Abulenſis Leuit. 28. q. 8. cœpiſſe in *Niſan* qui nobis fere Martius. *Secunda*, cœpiſſe mẽſe *Tiſri*, qui nobis fere September, idque verius. *Primo*. Quia ita docẽt multo plures, ex antiquiorib. quidem Rabbini. è recentioribus Burgẽſis ſuper Exod. cap. 12. additione prima. Pererius in Geneſ. diſputatione de creationis mundi tempore, Rutilius l. 1. de Iubil. c. 1. Scaliger locis ante citatis. *Secundo*. Quia in omni Sabbatico anno annorum duorum fructus perirent, ſeu vſitato more non colligerentur & conderentur. Quia enim, vti ſupra cap. 3. monſtratum, matureſcebant in Iudæa ſegetes, vuæ, fructuſque alij citius, adeo vt die XVI. ipſius Niſan offerretur iam Domino ſpicarum manipulus Leuitic. capite 23. verſu 11. & quia rurſum neque Sabbathico neque Iubilæo anno metere, vindemiare, ſerere, putare, aut ſimile quid agere licebat Leuit. 25. verſ. 4. 11. 12. Clare perſpicitur anno VI. aut ſementem fieri nullam debere aut ex ea ſecuturo anno VII. meſſem nullam futuram: cumq. rurſum anno illo VII. nulla fiat ſementis, nulla item octauo anno eſſe meſſis poterit, ſicque duorum prorſus annorum fructus nulli eſſent, contra ſcripturæ mentem Leuit. 25. v. 21. 22. At dum Septembri menſe inchoatur annus, collecta iã & meſſis & vindemia eſt anni VI. ideoque tantum impeditur ſementis, quæ anno ſeptimo metenda fuiſſet. Sequenti vero Septembri, quando iam finitus ille annus VII. rurſum ſeritur ſequente VIII. anno, meſſiſque colligitur. Et par in anno XLIX. & L. ratio eſt qui dum Sabbathico proxime coniungeretur, trium prorſus annorum annona eriperetur, eo quo in duobus oſtendi modo.

Quartum dubium eſt, *Quo in anno accipiendus menſis ille ſeptimus, quo Iubilææ tubæ clangor erat* Leuit. 25. verſ. 9. Duplex pariter opinio. Abulenſis enim citata quæſtion. 8. credit fuiſſe in anno, qui ante Iubilæum decurreret. Alij vero in ipſo Iubilæi anno. & hoc probabilius. Sed è dictis ſuperiori dubio iſte *menſis* in Iubilæo anno eſt quidem *Septimus*, reſpectu *Niſan*, vnde aliquando anni principium ducitur, prout in Geneſi docui, eſt vero primus reſpectu ipſius Iubilæi: & eſt September illius anni qui à *Niſan* aut *Ianuario* ante Iubilæi *Niſanem* aut *Ianuarium* inciperet. ſicque ruit quod obiicit Abulenſis ſerum nimis, futurum Iubilæi clangorem. cum eius anni tranſiiſſent iam menſes ſolidi ſex. Nam menſis, vt dixi, eſſet primus, eiuſque dies, *dies decimus*, qui certe quam aptiſſime ad buccinalem hunc Iubilæum à Deo delectus, vt quod die peterent Iudæi ab ipſo debitorũ ſeu peccatorum ſuorum veniam, eo remitterent, ſuis etiam fratribus vera alieni æris debita, redderent poſſeſſiones, largirentur libertatem. dieſque alias pœnitentiæ, triſtitiæ, ac mœroris, eo anno eſſet gratiarum actionis, lætitiæ, ac Iubilationis. Quod autem notant Lyranus & Abulenſis, magna feſta lætis acclamationibus apud gentes quaſdam ſolita prenuntiari,

vt cum verbi cauſa, proclamant *Natale*, *natale*: *Paſcha, paſcha*, verum equidem puer in *S. Romarici* opido expertus ſum, vbi, poſt Dominicæ Aduentus primæ veſperas iucunde, qui ſcholam ineunt pueri, clamant, *Noel Noel*: id tamen ipſo die clamitant & canticant multo iucundius ac frequentius. Sicque hic Moguntiæ ac paſſim alibi, quamuis feſtorum celebrium pridie magnus, è templorum turribus, campanarum ſit conſonitus, multo tamen maior, lætior ac feſtior ipſomet feſtorum illorum die.

Nunc tandem quintum, ob quod alia hic excitata, eſto dubium, *An à terra diuiſione Sabbathici, Iubilæique anni cœperint?* videntur profectò nonnulli à prima mundi conditione ipſos ordiri, vt Euſebius, qui anno LI. ipſius Abrahæ initium ſtatuit Iubilæi XLI. & addit hoc à ſe ita fieri, *ſecundum Hebræos. Itaque*, inquit, *iuxta ſupputationem eorum ab Adam vſque ad annum præſentem ſunt anni* 200. Adiici poteſt è Thalmud, tractatu *ſanedrin*, capite *Helck*, id quod colligit ac notauit R. Iacob Salomonis filius: dixiſſe Eliam Rabbi Iudæ fratri R. Sallæ Eſſeni: *Mundus non habet Iubilæos pauciores* LXXXV: *Extremo autem Iubilæo filius Danidis venit.* Et poſtea: R. *A ſe etiam ei dixit. Ante illum Iubilæum, ne eum exſpectes. Hinc deinceps illum præſtolare.* Videntur Hebræi iſti Iubilæos ab ipſo rerum conditu auſpicari, quia de iis, quos mundus habet, loquuntur.

Dicendum tamen *Primo, Sabbathicorũ & Iubilæorum annorũ obſeruationem ac dinumerationem à diuiſa terra inceptam*, Primo. Quia id Scriptura ipſa ſignificat citato 25. Leuitici capite verſ. 2. *Quãdo ingreſſi fueritis terram, quam ego dabo vobis Sabbathizet terra Sabbathum Domino.* Hic Sabbathicus annus eſt. Et de Iubilæo ſimiliter ſubditur verſ. 8. *Numerabis tibi quoq. ſeptem hebdomadas annorum.* At in terram iſtam perfectè ingreſſi ſunt, quando eam poſſidere, diſtribuere, arare, conſerere, metere, colere ac incolere cœperunt. Quod ſeptimo poſt primum & imperfectum in eandem terram ingreſſum contigiſſe docuit ſuperior quæſtio. *Secundo.* Confirmat idipſum res ipſa: In Sabbathico ceſſare debebat aratio, cultuſq. terræ cæterus. Arari ergo & coli ab Iſraelitis iam cœperat. In Iubilæo præterea, debebant venditæ domus, agri, vineæ prædiaque omnia redire ad priores Iſraelitas Dominos. Hæc igitur omnia, prius eos accepiſſe, veroque dominatu tenuiſſe oportuit. *Tertio.* Fatentur hoc qui poſt Euſebium de Iubilæis ſcripſerunt Chriſtiani & Iudæi qui ſupra fere nominati.

Dicendum *Secundo. A Rabbinis inchoari tam Sabbathicos quam Iubilæos poſt ſecundam ſeu poſteriorem ac Siluntinam terræ diuiſionem.* Sic enim eorum *Seder bolam.* cap. 11. loquitur. *Congregata eſt omnis multitudo Iſrael in Silo. Et tum captum eſt numerare decimas, remiſſionis annos, Iubilæos.* Ea propter iiſdem Rabbinis, multo poſt XIV aduentus in Chananæam, Iordaniſque tranſmeationis annum Iubilæos & Sabbathicos inchoari neceſſarium, non autem XV, vti facit Genebrardus libro primo Chron. pag. 35. quia vt ſuperiore dictum quæſtione, diuiſionem terræ Galgalæam ſeu priorem conferunt in annum ſui ad Chana-

A næam acceſſus decimum quartum: & Siluntinam diuiſionem aliquot poſt annis inſtitutam docet infra liber hic c. 18. Chriſtianorum vero Chronologi eorundem annorum initia in anno fere poſt acceſſum illum octauo, deſignunt confeſtim ſcilicet in primo anno poſt partitionem priorem. Et hi meum, licet perexiguum ac futile punctum ferunt. *Primo* quidem quia poſſeſſionibus à Deo acceptis, æquiſſimum erat, iis ita vti ac frui incipere, vt quamprimum Dei voluntas expleretur, honos augeretur, cultus omnimodus inchoaretur. At voluit ille,
B poſteaquam in terræ poſſeſſionem ventum eſſet, Sabbathicos & Iubilæos incipi Leuit. 25. Voluit quamprimum eorum, qui egeſtate ac ſeruitute preſſi eſſent Iſraelitæ, cõmodis ac libertate ſubuentum? voluit tribuum ſortes ac pomœria manere quamprimum diuiſa & impermixta Numer. capite vltimo: Voluit cæremoniis, quas in Sinai ante præſcripſiſſet, religioſe quamprimum coli. Quid ergo mora & procraſtinatione, cum tribuum multæ & magna domicilia & fundos haberent, ad Sabbathicos Iubilæoſque auſpicandos, opus? cur eo
C in negocio cunctaretur ſolicitiſſimus, diuiniq. honoris amantiſſimus DUX Ioſue? cur ignauiam, ingratitudinem, inobedientiam, hac ipſa de cauſa, populo non obiectaſſet infra cap. 18. vti, aliis de cauſis, obiectat verſ. 3. *Secundo.* Primitiarum, decimarumque datio tum cœpit. Nam hæreditatem ſtatim ſuam adire ipſos, qui Dei altare miniſtrarent, Leuitas fuit rationi conſentaneum vel maxime. Ipſorum vero hæreditas erant primitiæ ac decimæ ſupra quæſt. 6. & 8. Cœpit igitur etiam ſimul Sabbathicorum & Iubilæorum annorum ratio. Quid enim
D cauſæ, cur illæ inciperentur, iſti non?

QVÆSTIO XV.

Sabbathici & Iubilæi anni quomodo à Iudæis numerari deſierint?

Sabbathicorum, quod ij à Iudæis ſeruati vel neglecti ſint, crebra ſatis in Scripturis mentio eſt. Ierem. 34. verſ. 14. 4. Reg. 19. verſ. 29. 1. Mach. 6. 53. & apud Ioſephum lib. 13. cap. 15.
E lib. 14. cap. 28. vt in Machabæorum etiam Harmonia notaui. Iubilæos vero annos in vſu fuiſſe nuſquam lego. De iis Angelus Pientinus accipit illud Iſaiæ vltimo verſ. 23. *Erit Sabbathum ex Sabbatho.* Sed aut *ſpeciatim* de dierum hebdomadibus illic ſermo eſt, quia antecedit *menſis ex menſe*, ad illum ſcilicet Sabbathiſmum ſignificandum, de quo Hebr. 4. verſ. 9. & 10. vel *generatim* quietis tempus omne & tum includentur quidem Sabbathici & Iubilæi anni, ſed iſti tum viguiſſe non dicuntur at futuri. Affert alius illud vatis eiuſdem verſ. 1. capite 61. *Spi-*
F *ritus Domini ſuper me, eo quod vnxerit Dominus me: ad annunciandum manſuetis miſit me, vt mederer contritis corde & prædicare captiuis indulgentiam & clauſis apertionem: vt prædicarem annum placabilem Domino.* ſed vſitatos tũ Iubilæos fuiſſe, nihil verba iſta demonſtrẽt, cũ de futuris CHRISTI agant

Digitized by Google

temporibus, vt ipſemet expoſuit Dominus Lucæ 4. verſu 18. Si tamen vſitabantur Sabbathici prout vſitatos fuiſſe monſtratum, idem de Iubilæis quidni cenſeamus? Manſit ſane ad Babylonicæ captiuitatis tempora tribuum diſtinctio, & in tribubus, bonorum, quæ ſingulis propria familiis eſſent: ſecretio. Viguerint igitur Iubilæi oportet, vt ex Num. vltimo colligitur v. 4. Modo autem neque Sabbathicos neque Iubilæos vllos obſeruant Iudæi. quia nimirum neque agros, vineas, prata, & areas vllas vbique fere gentium poſſident: neque tribuum inter eos & familiarum vetus & accurata diſtinctio eſt: neque vt vlla iam ſit, neceſſitas aut vtilitas aliqua poſtulat. Maxime ſiquidem hæc olim requirebatur, perque diligenter obſeruabatur, vt ea omnino tribus & familia, vnde promiſſum illud Abrahæ ſemen eximium, CHRISTVS, inquam Dominus, eſſet quam perſpectiſſima: ſicque ab omnibus diuinorum promiſſorum, ſacrarumque Prophetiarum, veritas cognoſceretur ac ſuſciperetur. Solent nihilominus in ſuis interdum factis, hoc etiam tempore, Iudæi notare Sabbathicorum ſeriem annorum. In Palæſtinorum ſiquidem Calendario inerant hoc anno 1575. verba. *Et annus iſte primus eſt ſchemitæ ſeu currentis annorum hebdomadis, ſecundum opinionem Rambam, cuius memoria in benedictione, & excellentium Magiſtrorum, & ſecundum vſum filiorum terræ Iſrael*, id eſt, eorum Iudæorum qui Iudæam nunc incolunt. Ideoque ab illo anno 1575. Sabbathicus fuit 1581. 1588. 1595. 1602. eritque 1609. 1616. & ſic deinceps. At iſtud notant, non quod annos iam iſtos ferientur, ſacroſque habeant: ſed vt oſtendant quis illorum ſi quidem obſeruari adhuc deberent, curſus ſit: & vt annorum per 7. diuiſionem retineant. Parique de cauſa à mundi primordio Sabbathicos interdum numerant, cum tamen, vt ſuperiore traditum quæſtione, non niſi poſt diuiſam, poſſeſſam, cultamque terram Sabbathici primi fuerint. Eademque cauſa eſt omnino, cur ab eadem orbis creatione Iubilæorum principium arceſſerint aliqui, de quibus eadem ſuperiore quæſtione: vt ſæculorum ſcilicet per quinquagenos annos aduerteretur diuiſio. quemadmodum & indictiones à CHRISTI tempore, numerant aliqui: & poſſent, ſi quidem vellent à primo rerum omnium exorſu, dum per 15. partirentur annos omnes.

Quando autem *cœperint omitti ambo annorum genera* poteſt ita conſtitui. I. In Hieroſolymitanæ vrbis excidio, quod per Veſpaſianum & Titum illatum. Tanta enim tunc facultatum, poſſeſſionumq. omnium direptio & vaſtatio fuit, tanta Iudæorum omnium ſtrages, captiuitas, & à patriis ſedibus abſtractio, vt nullus aut Sabbathicis aut Iubilæis annis, eorumque muniis ſupereſſet locus. Et hunc annorum iſtorum terminum amplectitur Mercator. II. Collegerunt ſe tamen iterum Iudæi temporib. Traiani, & Adriani, adeo vt ab hoc ſcribat Dion Nicæus, in Palæſthinæ regionib. cæſa gladio quingenta & octoginta millia: fame vero & flamma & morbo tantam multitudinem: vt omnis pœne diſiecta fuerit Iudæa. Et eum ſi nondum forte antea, ſine dubio proſtratum tota hebdomadicorum & Iubilæorum annorum cæremonia. III. In Hieroſolymitano excidio, quod intulit Nabuchodonoſor, totoque captiuitatis Babylonicæ tempore ceſſarunt iidem anni: ïedvtroſque ſeptimo redditæ à Cyro libertatis anno repetitos affirmat citatus Mercator: & de hebdomadicis probari poteſt è l. 1. Mach. c. 6. & Ioſepho locis antea citatis. De Iubilæis vero non item, præſertim cum non omnes in patriã tribus redierint, vt in Eſdræ initio monſtraui. Quia tamen quæ redierant, fundos iterum & domos habuerunt, familiarumque inter ſe diſtinctionem tutatæ ſunt, præſertim Iudæ tribus tam Iubileos quam Sabbathicos ad CHRISTI Domini tempora, & vltra, vſque ad extremas per Titum & Adrianum Iudaici populi clades à Iudæis numeratos & obſeruatos, non nego: ſed in Mercatore miror, ad has vſq. diduci Sabbathicos, non autẽ Iubilæos: quin à Babylonico reditu Iubilæos tantũ octo, qui è 56. Sabbathicis conſtant, recenſeri, cum tot adhuc poſtea Sabbathici recenſeantur. Cur enim pergũt hi, & inſiſtunt apud illum illi? Scaliger lib. 7. ad noſtra vſque tempora veteres illos producit Iubilæos ſicuti lib. 5. Sabbathicos.

QVÆSTIO XVI.

A terræ diuiſione ad CHRISTVM *Dominum quot ſummatim fuere Sabbathici & Iubilæi.*

DIſcors auctorũ calculus. *Hugo* in Concentu, & in Danielis 9. à diuiſa terra vſque ad Domini paſſionem ſtatuit Iubilæos 28. Sabbathicos 189. ſeu annos 1400. *Mercator* ab eodem principio vſque ad Captiuitatem Babylonicam Sabbathicos numerat 123. Iubilæos 18. inchoatique 19. annos quatuor. Inde horum facta interruptione, rurſus à ſolutis Babyloniæ vinculis ad Romanam Captiuitatem, Sabbathicos refert 86. & Iubilæos, prout ſuperiore iam quæſtione tetigi, multo ante terminat, vt VIII. tantum fuerint, cum tamẽ ſi pari cum Iubilæis gradu iiſſent, eſſe ſolidi deberent XII. *Scaliger* vero ab mundi annis imperat primo abiici 2499. tum reſiduos ad quodcumque tempus, ſiue CHRISTI domini naſcentis, ſiue patientis, ſiue nati & paſſi, Arithmetica diuiſione ſequari per 7. & habebitur illius temporis Sabbathicus. Rurſum vero eoſdem omnes mundi annos reſiduos, diuidi per 49. & exiſtet ſimiliter Iubilæus annus. verbi cauſa anno 1599. fuit Sabbathici 436. currentis annus tertius, & 63. Iubilæi currentis annus decimus abſolutus. quia mundi annus erat 5546. At ſapiens firmumque hiſce de rebus iudicium è multis, quæ magna multorum contentione agitantur, & difficiles profecto explicatus habẽt, pendet: maxime tamen ex annorum mundi numero, ex hebdomadicorum, ac Iubilæorum intermiſſione vel cõtinuatione è ſalutaris Domini ortus anno, & è ſimilibus aliis pluribus, de quibus in tota Bibliorum ſerie ac Chronologia diſſeri aſſoler. Quia vero mihi ἐν ϖλάτῃ diuiſionis annus eſt mũdi annus 2495. Incipit hebdomadicorum & Iubilæorũ curſus anno mundi 2496. quocun-

Digitized by Google

que mundi anno poſteriore dato detrahantur A illi 2495. & qui reſidui ſunt, ſiquidem poſſunt (quod propter priores primo Sabbathico & Iubilæo annos dico) diuidantur per 7. & habebitur quotus Sabbathicus dato illo tempore agatur: diuidantur iidem per 50. & habebitur ſimiliter, quotus fluat Iubilæus. Eſto exemplũ Natiuitas Domini, quæ mea in Chronologia in mundi annum 4155. incidit. Ex his demo 2495. ſuperſunt 1660. Hiſce per ſeptem diuiſis Sabbathicus comperitur elapſus. 237. & ſequẽtis 238. annus primus, dum cœleſtis illa & ter beata naſcentis Saluatoris hominibus illuxit B dies. Iiſdem 1660. per 50. diuiſis, exiſtit Iubilæus præteritus 33. & ſequentis 34. currens annus decimus.

Eodem modo videbis hoc anno Domini 1604. fuiſſe hactenus Sabbathicos 466. & agi nunc primum ſecuturi 467. Sabbathici, fuiſſe vero Iubilæos 65. nunquam progredi ſecuturi 66. annum 13. Vnde perſpicuum, ſi cum citatis q. 14. Rabbinis Elia & Aſe, Iubilæos à mundi ducamus exordio, meſſiam ſeu Chriſtum iam pridem, ex iſtorum ſententia veniſſe, ſiue 70. Babylonicos annos, & alios recuperatæ libertatis C ſeptimos numeremus, ſiue non. Rurſum vero ſi magis libeat eorundem Rabbinorum 85. Iubilæos à terræ diuiſione ordiri, nondum quidem veniſſe: Venturum tamen poſt Iubilæos 14. id eſt annos 700. ſeu poſt CHRISTI qui vere iam pridem aduenit, annum 2340. Sed à mundo, vt eorum quidem ſonant verba incipiant. Ideoque Iudæis fatendum, veniſſe ante annos plures eum, qui ab illis adhuc fruſtra expectatur, Meſſiam. Notant vero Rabbini, Barbinel, Bochai, maxime Zohar columna 210. multiplices & eximias, quæ in Iubilæum cadant, benedictiones, quas intereſt, *Shekintha*, D id eſt πνεῦμα ἁγιωσύνης, ſeu *Spiritus ſanctitatis*, quia CHRISTO Domino maxime eſt. Rom 1.

QVÆSTIO XVII.

Quas ob cauſas terram illam ita diuidi voluit Dominus?

DIcebam quæſt. 10. de diuiſionis huius fine, paulo, quæ dicenda eſſent, ſupereſſe plura. Ea iam exequar. *Primo.* igitur voluit Dominus E ſanctam in vniuerſo populo ſuo concordiam ſtatuere. Hanc enim & opum immenſa libido, & finium propagandorum cupiditas nimia, & verbo vt dicam, MEVM ET TVVM, inter amiciſſimos etiam, ſæpe diſſoluit ac diſſipat. Cum vero intelligerent omnes, non temere aut caſu, non hominum quorundam voluntate ac iudicio tantum, ſed oraculo, pœneque manu diuina, ſuam cuilibet obtigiſſe portionem, eademque ſemper fixam & ratam manſionem, neque vetantibus Iubilæorum orbibus, augeri aut mi- F nui poſſe, quod inter eos de proferendis vlterius terminis aut defendẽdis, bellum & diſcordia eſſe poſſit, Deuteron. 19. v. 14. *Secundo.* Vt inuidia inter eoſdem omnis comprimeretur. Peruulgatum enim Horatianum illud.

Qui fit Mæcenas, vt nemo quem ſibi ſortem
Seu ratio dederit ſeu ſors obiecerit, illa
Contentus viuat.

Et è vulgo illud:

Semper gerit aliena capra vber diſtentius.

Qui vero perſuaſum habet, alteri quidem pluſculum aliquid amplius eſſe, quam ſibi, ſed hoc iuſtiſſime, diuinoque prorſus nutu fieri, quid eſt, cur inuidere illi queat? *Tertio.* Vt mõſtraretur, non omnia inter omnes neceſſario eſſe oportere bona communia: ſed à Deo etiã approbari rerum diuiſionem, prout in 2. ſecundæ D. Thomæ ad quæſt. 57. 58. doceri conſueuit ampliter. *Quarto.* Vt qua è tribu, gente, domo promiſſum Abrahæ ſemen, optatiſſimus mundi Saluator CHRISTVS Dominus ortum duceret, omnibus vel modice intuentibus eſſet longe clariſſimum. *Quinto.* Vt cœleſtis terræ ac hæreditatis quædam nobis ob oculos ſpecies poneretur, & intelligeremus, eam varie diuidi. *In domo enim Patris mei manſiones multæ ſunt,* ait Dominus Ioan. 14. verſ. 2. Et accipient quidem veri Iſraelitæ portionem ac manſionem ſuam omnes: alij maiorem ac ſplendidiorem pro ratione ſcilicet multitudinis ac magnitudinis eorum, quæ in corpore olim bene geſſerint. *Omnes,* inquit Apoſtolus 2. Corinth. 5. verſ. 10. *nos manifeſtari oportet ante Tribunal* CHRISTI, *vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit ſiue bonum ſiue malum.* Et Rom. 2. verſ. 6. *Deus reddet vnicuique* ſecundum *opera eius.* Origenes in hunc librum homilia 25. *Fortaſſis ſicut ordinauit Deus ſtellas cæli & rationibus eas quibuſdam mirandis & ineffabilibus collocauit: & alias quidem ipſarum ſtatuit in axe Aquilonis, alias in partibus Orientis: ita credo, quod & eos, qui ex reſurrectione mortuorum tales erũt, ſicut ſtellæ cæli in multitudine & claritate, venientes ſcilicet ex ſemine Abraham ordinabit Deus in regno cælorum ſecundum ordinem ſtellarum & partium cæli & dabit aliis ſortem ad Orientem, aliis ad Occidentem, ad Auſtrum aliis: & quos ipſe nouit ſtatuet ad Aquilonẽ. quoniam quidem multi venient ab Oriente & Occidente, ex quatuor orbis partibus, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Iacob in regno cælorum. Sexto.* Quemadmodum vero tribuum quarumlibet, non portio tantum & hæreditas, quæ ipſis data, ſed ipſa etiam cauſa prima, ob quam tanta & tanta huic aut illi data, multitudo inquam, numeruſque maior à Deo erat, ſic & princeps cauſa, propter quam maior ac felicior vni quã alteri exiſtit beatitudo, Dei Donum eſt. *Vnicuique enim noſtrum, data eſt gratia ſecundum menſuram donationis* CHRISTI Epheſ. 4. verſ. 7. Et ſancta ſua chariſmata, *Spiritus diuidit prout vult.* 1. Corinth. 12. v. 11. *Quid eſt,* ait Rupertus in Ioſue c. 23. *quod eiectis à facie eorum gentibus, ſicut & pſalmiſta canit, (pſ. 77.) ſorte diuiſit eis terram in funiculo diſtributionis, niſi quod beata patria, de qua ſuperbientes eiecti ſunt apoſtatæ Angeli, cunctæ manſiones illæ, quæ multæ ſunt in domo Patris, gratia Dei diſtribuuntur, & non ex meritis. Dei enim donum eſt, & non ex nobis, inquit Apoſtolus Epheſ. 2. vt ne quis glorietur. Recte igitur ſorte, in qua non hominis electio, ſed occulta Dei cuncta agit diſpoſitio, terra illa diuiſa eſt, quia videlicet gratia Dei, quam nulla præceſſerunt merita, noſtra terra viuentium, ſperanda nobis & poſſidenda eſt. Septimo.* Vt ſignificaretur, omnes ad

cœlorum poſſeſſionem à Deo vocari, non Iu-
dæos tantum, ſed Gentiles etiam. *Si quidem ÿs,*
ait quæſt.15. Theodoretus, *qui citra Iordanem poſ-
ſeſſiones acceperunt, Moyſes terram diuiſit: qui vero
trans Iordanem partes adepti ſunt, Ioſue. Et illi qui-
dem, qui per Moyſen acceperant hæreditatem, Iudæo-
rum figuram referunt: qui vero per manum Ioſue, re-
præſentant gentes, quæ crediderunt. At quoniam Iſrael
eſt primogenitus per manum Moyſis, primogenitis ſor-
tes ſunt conſecuti nempe Ruben, Gad, Manaſſes: qui ta-
men & ipſi velut ſtrenui milites cæteris præeunt, quan-
doquidem, qui crediderunt ex Iudæis, ſalutem genti-
bus attulerunt. Aſſumpti ſunt nihilominus & Iebuſæi
& Chananæi aliæque gentes extraneæ, & habitarunt
cum Iſraele.* Legatur homilia 16. & 18. Origenes.
Octauò. Oſtendit Dominus, ad ſe, inquit S. Auguſti-
nus conc. 1. in pſal. 34. *pertinere iſta omnia, pecu-
niam, vxorem, filios, ſimilia: & in ſua eſſe poteſtate,
non ſolum æterna, quæ in futurum promiſit, verum-
etiam temporalia, quæ in terra dat, quibus voluerit, &
quando voluerit, oportune ſciens, cui det & cui non det,
tanquam medicus medicamenta, ſciens melius morbum
ægroti quam ipſe ægrotus. Vt ergo Deus hæc oſtenderet,
diſtribuit tempora veteris & noui teſtamenti: In veteri
teſtamento promiſſiones ſunt rerum terrenarum, in no-
uo autem Regni cœlorum. Pleraque ſunt præcepta Deum
colendi, & recte viuendi. Ipſa ſunt & ibi, & hic: ſed
quia promiſſio ibi alia videtur, alia hic, iubentis impe-
rium & obedientia ſeruientis eadem eſt: ſed merces
quaſi non eſt eadem. Etenim illic dictum eſt, accipietis
terram promiſſionis vt in illa regnetis, vt inimicos ve-
ſtros ſuperetis, vt ab eis non ſubiugemini, vt omnia
vobis abundent in hac terra, vt filios procreetis. Hæc
terrena promiſſa ſunt, ſed tamen figurata.* Nonò. Vt
expendamus quam longe veteri teſtamento
nouum, legi Euangelium, Moyſi CHRISTVS
antecellat. Sua enim cum lege ac teſtamento
Moyſes duas tantum & ſemis tribum in terræ
poſſeſſionem miſit. Ieſus vero nouem & ſemis:
& ipſam quoque Leuiticam hæreditatis domi-
nicæ ius & poſſeſſionem adire fecit. Neq; duas
illas & ſemis in terræ poſſeſſionem ſimpliciter
& abſolute miſit Moyſes, ſed cum conditione,
ſi nimirum ita, poſteaquam Chananæa bella
confecta eſſent, iudicaret Eleazarus Pontifex,
noſterq; Ieſus Num. 34. v. 28. ita vt hi has etiam
tribus in terræ illa poſſeſſione collocaſſe po-
tius videantur. Paucos per legem Moyſes, plu-
rimos autem ex omni gente, regione, ac lingua
per Euangelium cœleſtib. bonis beauit CHRI-
STVS, & quotquot vetere in lege ſalui facti
ſunt, pependit eorum omnium ſalus ab ſummo
ſecundum ordinem Melchiſedech Sacerdote,
& eo cuius nomen ſalutis plenum eſt, IESV
CHRISTO Domino & Saluatore mundi. Act.
4. v. 12. & ad Hebræos c. 11. Et licet viderentur
ſeſquiduæ illæ tribus, quibus portionem de-
derat Moyſes, primas in hæreditate cernenda
& capienda tenuiſſe, non tenuerunt tamen: ſed

A expectare, quoad aliæ ſuarum eſſent compotes
partium, debuerunt, & poſt eas ſuis demum
potiri: quia gentes ad fidem à IESV CHRI-
STO vocatæ Iudæos credendi alacritate, con-
ſtantia, & feruore ſuperarunt, Matth. 8. v. 10. 11.
12. neq; in æterna illi cœlorum domicilia prius
admiſſi, quam eadem ſubirent, qui è Gentibus
crediderunt, vt explicat ad Hebr. 11. Apoſtolus,
& ex eo hunc in librum Origenes homil. 16. Et
Moyſes eam tantummodo terram dedit, quam
oculis iam luſtrabant, pedibus calcabant, vi &
armis ſuam in ditionem ſubiunxerunt. IESVS
B vero Naue & eam, quæ oculis iam cernebatur,
pedib. peragrabatur, bello ſubacta erat, & eam
quæ nondum ab omnibus videbatur, nondum
pedibus obibatur, nondum armis deuicta &
occupata erat, partitus eſt, vt quemadmodum
ex Auguſtino dictum antea, perſpiceretur IE-
SVS CHRISTVS terrenorum & cœleſtium,
caducorum & æternorum, præſentium & futu-
rorum bonorum Dominus. Ideoque & Moy-
ſes nullum in partitione oraculum, ſortem
nullam, diuiſores ſecum nullos, nullos qui ter-
ram dimetirentur exploratores adhibuiſſe legi-
tur. IESVS vero hæc adhibet omnia, vt in
C CHRISTO IESV diuinum prorſus oraculum
diuinitatemque ipſam agnoſcamus, & ſum-
mam erga homines benignitatem, quos vt ip-
ſos, & per eorum operam, alios quamplurimos,
honeſtet, ornet, meritiſque maximis cumulet,
in ſacrarum, quarum ipſe auctor & perfector
eſt, actionum ſocietatem aſciſcit. Ipſe ſiquidem
ſecundum ordinem Melchiſedech, in æternum
ſacerdotali poteſtate alios afficit. Apoſtolos in
totum terrarum orbem mittit: Paſtores & Do-
ctores conſtituit, qui cœleſtia mortalibus dona
diſtribuant: ad cœleſtem hæreditatem omnes
vocent: opportune, pariteq; omnia, quæ agen-
D da, omnibus præſcribant. O ſanctos funiculos,
quibus ſanctiſſimi à CHRISTO IESV miſſi
Geometræ ampliſſima, beatiſſimaque illa cœ-
lorum latifundia dimetiuntur! O fauſtas lætaſ-
que ſortes! O venerandos omnique amore ac
lætitia complectendos diribitores, à quib. vbe-
res illi cœlorum campi, nectareis grauidæ vites
vuis, melleis onuſtæ pomis arbores, conſulgen-
tes auro ædes, patrimonia nullo vnquam tem-
pore aut caſu peritura diſtribuuntur. *Decimò.*
demum vt certo nobis perſuaderemus veros
Sabbathicos & Iubilæos, in quibus omnium
E redemptio, libertatis recuperatio, quietis con-
tinuatio, priſtinum in ſtatum, è quo per Adami
lapſum excidimus, reſtitutio, & beatiſſima om-
nium felicitatio, ab IESV CHRISTI tem-
poribus inchoatos in omnem deinceps æterni-
tatem perpetuandos. *Venite* igitur *exultemus &
iubilemus Deo Salutari noſtro præoccupemus faciem
eius in confeſſione & in Pſalmis iubilemus ei, Pſal. 94.*

Digitized by Google

CAPVT XIV.

De terræ diuiſione ſpeciatim.

1. HOc eſt,quod poſſederunt filij Iſraël in terra Chanaan, quam dederunt
eis Eleazar ſacerdos,& Ioſue filius Nun,& principes familiarum per tri-
bus Iſraël: 2. ſorte omnia diuidentes, ſicut præceperat Dominus in
manu Moyſi,nouem tribubus, & dimidiæ tribui. 3. Duabus enim tri-
bubus, & dimidiæ dederat Moyſes trans Iordanem poſſeſſionem: abſ-
que Leuitis,qui nihil terræ acceperunt inter fratres ſuos: 4. ſed & in eorum ſucceſſe-
runt locum filij Ioſeph in duas diuiſi tribus,Manaſſe & Ephraim: nec acceperunt Leui-
tæ aliam in terra partem, niſi vrbes ad habitandum, & ſuburbana earum ad alenda iu-
menta & pecora ſua. 5. Sicut præceperat Dominus Moyſi, ita fecerunt filij Iſraël, &
diuiſerunt Terram. 6. Acceſſerunt itaque filij Iuda ad Ioſue in Galgala,locutuſque eſt
ad eum Caleb filius Iephone Cenezæus: Noſti quid locutus ſit Dominus ad Moyſen
hominem Dei de me & te in Cadesbarne. 7. Quadraginta annorum eram quando
miſit me Moyſes famulus Domini de Cadesbarne,vt conſiderarem terram, nunciaui-
que ei quod mihi verum videbatur. 8. Fratres autem mei, qui aſcenderant mecum,
diſſoluerunt cor populi: & nihilominus ego ſecutus ſum Dominum Deum meum.
9. Iurauitque Moyſes in die illo,dicens: Terra, quam calcauit pes tuus, erit poſſeſſio
tua,& filiorum tuorum in æternum:quia ſecutus es Dominum Deum meum. 10. Con-
ceſſit ergo Dominus vitam mihi, ſicut pollicitus eſt vſque in præſentem diem.Quadra-
ginta & quinque anni ſunt, ex quo locutus eſt Dominus verbum iſtud ad Moyſen,
quando ambulabat Iſraël per ſolitudinem: hodie octoginta quinque annorum ſum:
11. ſic valens, vt eo valebam tempore quando ad explorandum miſſus ſum: illius in me
temporis fortitudo vſque hodie perſeuerat, tam ad bellandum quàm ad gradiendum.
12. Da ergo mihi montem iſtum,quem pollicitus eſt Dominus,te quoque audiente, in
quo Enacim ſunt,& vrbes magnæ atque munitæ: ſi forte ſit Dominus mecum, & po-
tuero delere eos: ſicut promiſit mihi. 13. Benedixitque ei Ioſue: & tradidit ei Hebron
in poſſeſſionem. 14. atque ex eo fuit Hebron Caleb filio Iephone Cenezæo vſque in
preſentem diem: quia ſecutus eſt Dominum Deum Iſrael. 5. Nomen Hebron ante
vocabatur Cariath Arbe: Adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt: & Terra ceſſauit
à prælijs.

COMMENTARIVS.

V*Bi modice quæ ad* generalem *terræ diuiſionem ſpectant, hæc in c.14.tacta ſunt, incipit v.6.*ſpecialis, *quæ ſingularum tribuum eſt diuiſio. Et primo quidem explicatur* Iudæ ſors *hic & c.15.deinde* ſors Ephraim. *c.16.tum* ſors Manaſſæ.*c.17.demum vero aliarum ſeptem c.18.19.*

QVÆSTIO I.

Cur Iudaica & Ioſephinæ tribus omnium primo ſortitæ ſunt portionemque acceperunt?

EXiit diuino nutu, ante alias, tribuum iſtarum ſors. *Primo.* Quia,vti quidem Lyrano videtur,hæ aliis erant digniores.*Secundo,*quia vt ait Abulenſis, idipſum Iacob Patriarchæ teſtamentum c.49.inſinuarat. *Tertio.* Quia, vt aliis videtur, hæ omnium primæ de accipienda hæreditate ſolicitæ fuerant partitionemque inſtitui rogarant. *Quarto.* Quia,ſecundum Maſium, hæ tribus omnium erant aptiſſimæ, quæ caſtris in Galgala hærentibus eſſent præſidio à meridie quidem Iudæa: ab Aquilone vero Ioſephina. Poteſt *quinta* etiam adiici cauſa, quod ij duo,

A qui è tanto Iſraëlitarum numero ſoli terram iſtam ingreſſi: laudati, magni, Deoque dilecti Principes ex hiſce ortum tribubus ducebant: è Iudæa *Caleb,*è Ioſephicis *Ioſue.* Ita igitur ſortiariam vrnam direxit atque gubernauit Dominus, vt in poſſeſſionem ea primo mitterentur tribus,quibus,ob dictas iam cauſas,videbantur merito deberi primæ, ſed harum cauſæ poſtremæ in prima continentur omnes, eiuſque veluti explicatio quædam ſunt.
B

QVÆSTIO II.

Quando ad Ioſue acceſſit Caleb promiſſam petiturus ditionem?

DVplex opinio eſt. *Prior* ipſius Abulenſis capite illo ante quæſtionem 5. & in ipſa

Digitized by Google

quæſt. 5. acceſſiſſe Caleb ad Ioſue, vt promiſſam ſibi terram impetraret, eo tempore quo hæreditatem iam ſuam ſortita erat Iudæa trib. tota. *Poſterior* aliorum, acceſſiſſe antequam hæreditatem eadem tribus ſortiretur: idque textui videtur magis conſentaneum. *Primò.* Quia prius hanc petitionem iſto capite, poſtea tribus totius ſortitionem, ſequenti narrat capite. *Deinde.* Quia filij Iuda dicuntur ad Ioſue acceſſiſſe, & ex iis ſolus locutus Caleb, & de ſola ſua portione, quaſi ſortitio iam indicta eſſet, ob eamq; conuenirent ſtatim tribus omnes: ſed maxime ac primo *Iudaica.* vt quia ex ea vnus extraordinariæ veluti portionis diuinum promiſſum habebat, illam is ante omnes acciperet, ne iactis iam ſortibus, ipſe tribui illi, in cuius finibus extraordinaria illa portio ineſſet, nimium terræ auferret: quin potius ea, cuicunque tandem tribui fines ij caderent, acceſſione Iudaicam tribum augeret, ſiue in ipſius contineretur illa pomœrio, ſiue non. Quemadmodum Manaſſææ ac Danicæ tribuum partes quædam ab aliis diſtractæ, tribuum tamen totarum portiones ac membra erant: ſic extraordinaria Calebi hæreditas, etiamſi à Iudaica tribu ſummota longius fuiſſet, ad eam tamen pertinuiſſet, eamque adauxiſſet: quemadmodum ſpeciali modo tribum Ephraim extraordinaria ipſius *Sichen* additione adiunctam fatetur Abulenſis infra cap. 17. quæſt. 3. *Demum* vero ita Origeni viſum hic hom. 20. *Data eſt,* inquit, *Calebo portionis ſuæ ſors, priuſquam tribus ſua, quæ eſt filiorum Iuda, perciperet.*

QVÆSTIO III.

Quis & qualis vir Caleb?

PRimò ipſius *genus* monſtratur hic ver. 6. dum dicitur *filius Iephone Cenezæus.* Iephone vero in Hebræo vocatur *Iephunneh*: in 70. ἰεφονῆ. & à Thalmudicis Rabbinis in *Themorah*, ſiue tractatu de hoſtiis in ſacrificio non immutandis, traditur nomen eſſe non proprium, ſed *appellatiuum*: ita vt *filius Iephone* nihil aliud ſit, quam *filius*, ſeu *homo prudens*, prouidus, & circumſpectus, vel *filius diuerſionis*, quia ſe, populumq; ab improborum exploratorum quiritationib. diuertit, vt apud Abulenſem 1. Paralipom. cap. 4. quæſt. 10. Hebræi volunt alij: Eſt enim *Phanah* aſpicere, circumſpicere, reſpicere, ab vno ad aliud ſe conuertendo. Sed quamuis reuera prudentiſſimus & circumſpectiſſimus Caleb fuerit, ſeq; & populum à falſis exploratorum aliorum querelis, rectiſſime auerterit, abſurda tamen eſt ea interpretatio: quia cum Hebræa nomina propria fere huiuſmodi quidpiam ſignificent, liceret omnium quaſi parentes negare, & aliquam eorum qualitatem, aut elogium ſubſtituere. Et vtroque modo etiam *Iephone filius* eſſet Ioſue, quia & inſigni pollebat prudentia, & in auertendo ab iiſdem exploratorum aliorum commurmurationibus, ipſi Caleb ſocius fuerat. Quidam vero *proprium* nomen eſſe *Iephone* libenter annuunt, ſed vt Chytræus, eo ſignificari eum aiūt hominem, qui aliter in Scriptura *Eſron* vocatur. quia 1. Paralip. cap. 2. ver. 18. ſcriptum, *Caleb filius Eſron accepit vxorem.* Ita hic & in 1. Paralip. 2. Lyranus, Gloſſaque ordinaria. Alij vero Iephone *patrem* ipſius Caleb *proximum* volunt, ſed ita vt *remotus pater* ſit ipſe Eſron, id-eſt, auus, aut proauus, aut etiam atauus. ſicque Caleb ſit *filius Eſronis*, id eſt, *nepos* aut pronepos, aut etiam abnepos: filius vero ipſius Iephoneh proximus. Et ſic loco iſto Maſius & Abulenſis 1. Paralip. cap. 2. quæſt. 9. cap. 4. quæſt. 10. è quo hæc texitur genealogia.

Caleb eſt filius ipſius Iephone. *Iephone* autem filius eſt ipſius Cos, de quo in 1. Paralip. c. 4. v. 8. *Cos* vero 95. filius ipſius Ethnan, de quo ibidem v. 7. *Ethnan* vero ibidem v. 5. & 7. filius eſt Aſſur. *Aſſur* vero filius *Bethleem* apud eundem Abulenſem ibidem in verſum 5. & hic filius *Vr.* & hic *Calebi* ex Ephrata vxore, ibidem eſt q. 2. & ante 4. hic vero Eſronis ante q. 8. *Eſron* ipſius Phares, *Phares* ipſius Iuda 1. Paral. 2. v. 1.

Mihi vero placet *primò* quidem iſtum *Caleb non eſſe filium proximum & immediatum Eſronis,* quia in Ægyptum deſcendit cum Iacob proauo *Eſron* Geneſ. 46. v. 12. in qua manſerunt filij Iſraël annos c c x. vt Exod. 12. monſtratum: Ideoque habita illius temporis vitæ hominum ratione, ſi natus fuiſſet ex illo Caleb, vel viuendo non attigiſſet exitum ex Ægypto, vel certo attigiſſet annis quamplurimis obſitus, cum tamen ex iſto ca. 14. prout poſtea dicetur, liqueat, non fuiſſe tunc, niſi annorum duodequadraginta. *Placet* vero *etiam duos diuerſos eſſe Calebos*, quorum 1. Paralip. cap. 2. & 4. mentio eſt, & *poſteriorem eſſe iſtum*, de quo hic ſermo, *filium Iephone.* Placet quoque *tertio, per ſenſum tropologicum ipſius explicari nomina.* Caleb enim ſeu *Celeb*, canis eſt, qui ſceleratam exploratorum aliorum nequitiam inſigniter allatrauit, & pro eo eſt etiam 1. Paral. c. 2. verſ. 9. *Calubi*, ſeu vt in Hebræo eſt *Celubai*, id-eſt, *Canes mei.* quia is, multorum inſtar, cum lupos illos videret, latrauit, omneſque ad euigilandum, ſibique à teterrimis illorum faucibus cauendum excitauit. Aliis quibuſdam, vt Ruperto lib. 8. de diuin. offi. cap. 7. eſt *quaſi cor*, aut *totus cor*, qui ex corde faciebat omnia: ex toto corde Dominum ſequebatur: cui vt cor, ſic & lingua, & manus. Et vero *filius* etiam *Iephone* fuit ob prudētiam, & circumſpectam ab iiſdem exploratoribus diuerſionem. An Abulenſis vero Genealogia tota recipienda ſit, poteſt, ob nodulos, qui eam aliquantulum implicant, dubitari: ſed ad Paralipomena ſpectant illi: ſatiſque eſt, probabilitatis ineſſe illi non parum.

Sed *Cenezæus* idem *Caleb* cur appellatur? Varia eſt variorum reſponſio. Aiunt enim quidam *Cenez* fuiſſe *vitricum* Calebi, & ab illo id cognominis acceptum: alij, *fratrem* & quidem Calebo ipſo natu maiorem, quia ſequenti cap. *Cenez* appellatur. Radak vero eiuſdem *auum*, vel proauum: Abulenſis *patrem*, qui alio nomine *Cenez* vocatus ſit. Ideoque ancipitem ſe ait Maſius, an non debeat ita verti textus: *filius Iephone Cenezæi.* Autor quæſtionum in Paralipomena vult Cenez, *locum* quendam eſſe, à quo iſta nomenclatio. Reor ego *Primò* vertendum prout à noſtro vertitur, *Caleb filius Iephone Cenezæus*, non Cenezæi. quia ſic Interpreti noſtro præierunt Septuaginta. *Secundò.* Si tamen pater ſit Cene-

zæus,& Caleb vocaretur filius Cenezæi, recte ab illo Cenezæus cognominaretur. *Tertiò*. Opiniones duæ vltimę videntur probabiliores. quia quoad *primam* cur à vitrico quam à patre cognomen ductum eſſet potius? quoad *ſecundam* quia Calebi fratrem illum Cenezæum oporteret propria cum matre inceſtum admiſiſſe. *Othoniel* frater ipſius Ioſuæ dicitur cap. ſequenti & Iudic. 1. idemque *filius Cenez*. 1. Paralip. c. 4. ſi ergo Cenez proprie frater eſt Calebi, & pater fratris etiam proprie dicti Calebi, è Calebi matre fratrem tunc poſteriorem procreauerit. Quo quid abſurdius? Quomodo autem fratres dicantur Othoniel, & Caleb, dico Iud. 1.

II. *Aetas* vero *Calebi* notatur. v. 10. *Hodie octogintaquinque annorum ſum*. Ex iis deducantur 7. qui ad terræ diuiſionem vſq; in bellis conſumpti ſunt. reliqui erunt 79. Ex his rurſum demantur 38. anni, quibus, poſt primam regionis explorationem, vt ſupra oſtenſum in itinere ex Ægypto hæſum eſt, reſtabunt 41. Ex his demum auferantur anni 2. qui ante miſſos & reuerſos exploratores, quadam ex parte, fluxerant, ſupererunt 39. anni, ita vt ante annum 39. ſiue anno 40. priuſquam ex Ægypto exiretur, natus Caleb fuerit: qui in eum incidit annum, quo Ægyptium interfecit Moyſes Actuum c. 7. & aſſentiuntur *Midraſche ſchemoth*. pag. 118. & Bereſchith pag. 115. licet R. Bochai, vt S. Stephano fidem impie abroget, fingat exiiſſe aula Moyſen anno ætatis 13. Quidam vero Rabbini alij anno 20. ſed impios mendaceſque iſtos iam mittamus.

III. *Corporis ſanitas & vires* ab ipſomet Caleb annos vt dixi 85. nato indicantur verſ. 11. *Sic*, ait, *valens, vt eo valebam tempore, quando ad explorandum miſſus ſum. Illius in me temporis fortitudo, vſque hodie perſeuerat, tam ad bellandum quam ad gradiendum*, id-eſt, ad quidlibet agendum, ad omnia vitæ munia quæ per ingreſſum & ingreſſum in Scriptura ſignificari ſolent. 1. Reg. 18. verſu 5. At Maſius pag. 246. *Non plenè ſatis dixit Latinus, ad gradiendum*. Imo genus poſuit *gradum*, cuius ſpecies ſunt *ingredi* & *egredi*. Præclara vero ſed rara hæc tam viridis, vegetaque ſenectus. De M. Catone Porcio Liuius decadis 4. l. 9. *Inuicti*, ait, *cupiditatibus animi erat, & rigidæ innocentiæ: contemptor gratiæ, diuitiarum. In parſimonia, in patientia laboris periculique, ferrei prope corporis, animique: quem ne ſenectus quidem, quæ ſoluit omnia, fregerit: qui ſextum & octogeſimum annum agens cauſam dixerit, ipſe pro ſe orauerit, ſcripſeritque: nonageſimo anno Sergium Galbam ad populi adduxerit iudicium*. Auſonij pater, apud hunc ipſum Idyllio. 3.

• *Nonaginta annos, baculo ſine, corpore toto*
Exegi, cunctis integer officiis.

De quadam Æthiopum gente in Coſmographia Poſtellus: *Multi*, ait, 180. *annos nati, etiam operas ditioribus locant*. Colligit alia libro de ſenectute Cicero exempla, & nuper Centuria 2. cap. 68. Camerarius, addique poſſunt alia complura, vt è *Germania* noſtra, quod hiſce diebus mihi quidam de proaui ſui ſenectute ad annum vſq; CXL. de aui ad annum vſque CXX. propagata. Erant autem ij Dilingani: è *Polonia* vero, quod de longiſſimo aui ac Patris ſui æuo ſępius commemorauit CLVD. *Stanislaus Krziſtanowsk* Leopolitanus: & quod Confeſſionis c. 91. de cæremoniis Reuerendiſſimus & Illuſtriſſimus ſcribit Hoſius. *In opido, ait, Srenſco, memorabili quedam opere ſepulchrum conſtructum videre licet, quod Felix à Srenſco, Palatinus & Præfectus Plocenſis auo ſuo paterno poſuit. Teſtatur hunc inſcriptus ſepulchro* CXL. *annos vixiſſe*. Sed præter illos ante diluuium macrobios, & poſtea, vnum *Heberum*, paucoſque vſque ad exploratam terram alios, *Moyſes* Deut. vltimo verſ. 7. *centum & viginti annorum erat quando mortuus eſt. Non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti ſunt*. Miraculo autem Moyſi hoc diuinitus datum, ambigi vix poteſt: *ſed in Caleb an, vi naturali, viuida illa ſenectus non fuit?* Nam & in aliis vt dixi, multis fuit, & etiamnum eſſe poteſt, ſi ad bonam corporis temperationem bonamque valetudinem accedat in victu temperantia, ſobrietas, & exercitatio: *Ipſa*, inquit Tullius, *defectio virium, adoleſcentiæ vitiis efficitur ſæpius, quam ſenectutis. Libidinoſa & intemperans adoleſcentia effœtum corpus tradit ſenectuti*. Et poſtea. *Arbitror te audire Scipio, hoſpes tuus auitus Maſiniſſa, quæ facit hodie nonaginta annos natus: cum ingreſſus iter pedibus ſit, in equum omnino non aſcendere: nullo imbre, nullo frigore adduci vt capite aperto ſit: ſummam in eo eſſe corporis ſiccitatem: itaque exequi omnia regis officia & munera. Poteſt igitur exercitatio & temperantia etiam in ſenectute conſeruare aliquid priſtini roboris*. S. Hieronymus Epiſt. ad Paulum Concordienſem, Plinius l. 3. Epiſt. 1. *de Spuriana*, libro 7. pag. 207. *de Quadrantilla*. Ante annos 4. aut 5. cum Vogeſum, qui ab Alſatia Lotharingiam diſpeſcit, tranſirem, eſſemque in Senonenſi cœnobio, vocauit eius loci Abbas è neſcio quo eius montis pago, qui longicule aberat, Ruſticum natu grandem, annorum, ſupra centum, plurium. Venit ille pedes, cito ſatis: & ad prandium cæteris cum hoſpitibus adhibitus, vt aſſedit & eſcis extructam menſam pluribus, conditioribuſque aſpexit, cœpit ſubmiſſiore ſecum voce, vt ab omnibus tamen ſonus audiretur, loqui, ac veluti murmurare. Tum ei Abbas: Quid ini Pater (ſic reuerentiæ cauſa ſenem vocabat) loqueris? an deeſt quidpiam? eloquere clarius. Iſthuc vero eſt, reſpondit ſenex, quod loquor: *Si tantam, talemque menſam ſemper habuiſſem, tamdiu non vixiſſem*. Idem vero abeunti mihi abiturus ipſe Scipionem oſtentans, Hoc, aiebat, adhuc die, illuc, vnde huc ego mane, repedabo. Nulla hominum viribus peſtis capitalior, nulla longiori vitæ infeſtior ſecuris, quam intemperantia, quam qui ſectantur, fiunt imbecilli, enerues, pallidi, tremuli, cadamoſi: antequam ſenes. Vide Ruth c. 4. q. 19.

IV. *Animi virtus* in eo, quæ, quantaue fuerit argumento ſunt hæc. *Primò. Nunciaui ei* (Moyſi) *quod mihi verum videbatur*. Veritatis videlicet amans, ſyncerus, & fidelis erat. Mendax, fucatus, eique, à quo curandum quidpiam accepit, infidelis eſt, qui aliud, quam quod ſibi verum videtur, in deliberationibus, conſiliis, reſponſiſve quibuſlibet, enunciat. Et hic inſigne Principum conſiliariis, Rerumpublicarum Senatoribus, Dominorum procuratoribus, actuariis, viatoribus, & famulis omnib. exemplum eſt. Magnum publico ſæpe bono inferunt detrimentum, qui aut commodi, gratiæve alicuius aucupandæ ſtudio verum per aſſentationem reticēt:

Digitized by Google

aut incommodi iræue alicuius fugiendæ cauſa per ignauiam & metum aliud quam ſentiunt, effantur. Quia vero in Hebræo eſt, *Rem Moyſi retuli, ſicut erat in corde meo*, nugantur infelices Rabbini, Calebum coram Moyſe retuliſſe, non quæ in ore coram querulis & ſeditioſis exploratoribus aliis habuiſſet, ſed quæ illis clam, in corde quaſi is ſimulator & hypocrita improbus, cuius à corde diſcreparet lingua: veterator pertimidus, qui ſociorum improbitatem ore probaſſet, corde accuſaſſet impoſtor ſceleratiſſimus, qui aliorum nequitiam in itinere, contra mentem animique ſui ſententiam, nutu ac verbo fouiſſet, adiutaſſet, auxiſſet: eoſdem poſtea vehementiſſime oppugnaſſet, laceraſſet, ac deteſtatus eſſet. Valeant Machiauelliſtæ. Septuaginta vertunt κατὰ τὸν νοῦν αὐτοῦ, id eſt, ſecundum mentem ipſius, quæ ſcilicet eadem, quæ Calebi, vt verum diceretur & intelligeretur.

Secundò. Fratres mei, qui aſcenderunt mecum, diſſoluerunt cor populi, & nihilominus ego ſecutus ſum Dominum Deum meum. In malorum frequentia, cum eorum, qui ſcelerate agunt maior numerus eſt, retinere mentem contagione nulla inquinari Deo potius quam hominibus adhærere, id vero præſtantis & eximiæ virtutis eſt, vt in Tobiæ 1. docui. At iſtud eſt, quod de ſe narrat Caleb in cuius Hebræa oratione, pro, *ſequutus ſum Dominum Deum*, legitur, *compleui poſt Dominum Deum meum*: prout etiam infra verſ. 14. & Num. 14. v. 24. & ſignificatur non ſimpliciter ſequutus Dominum, ſed *plene perfecteque ſequutus.* Elliptica enim Phraſis eſt, quam integrare liceat ſic: *compleui ire poſt Dominum.* 70. ἐγὼ δὲ προσετέθην ἐπακολουθῆσαι κυρίῳ τῷ θεῷ μου. ſed iſtud à me iam expoſitum. q. 4. lib. 1. Ioſua.

Tertiò. Eſt teſtimonium de ipſo Moyſis v. 9. & Dei v. 10. ſi à laudato viro laudari laus eſt, vt è veterib. dixit quidam, quid à Dei ſeruo. Deoque ipſo prędicatione tam egregia efferri? Nam ille quidem ait, *ſecutus es Dominum Deum meum*, plene videlicet ac perfecte vt ſupra: hic vero & Moyſi de ipſo Caleb locutus eſt, & huius exitum ad iſtud vſque tempus ſingulari ſeptum præſidio cuſtodiuit ac propugnauit. Pro *Deo meo* in Moyſis oratione ponunt 70. θεοῦ ἡμῶν, id eſt, *Deum noſtrum*, vt tam de ſe quam de Caleb loquatur. Ideoque ibi quidam Latini minus recte *Deum tuum* habent.

Quartò. Perſpicacis, bonæque mentis, omnia quibus à Deo quis afficitur, beneficia intueri, agnoſcere, profiteri, etiam illa quæ naturalia videntur, & vix à paucis expenduntur. Vitam igitur ætatemque ſuam, prouectiorem, & viuidiorem Deo libens gratuſque aſcribit Caleb. v. 10. *Conceſſit Dominus vitam mihi, ſicut locutus eſt, vſque in præſentem diem.* Eccleſiaſtici 46. verſ. 11. *Dedit Dominus ipſi* Caleb *fortitudinem, & vſque in ſenectutem permanſit illi virtus*, ſeu robur. Sane in Scripturis alibi per ſæpe ipſi Domino accepta refertur *longitudo dierum.* Exod. 2. verſ. 12. pſ. 20. v. 5. pſal. 90. verſ. 16. Prou. 3. v. 2. & 16. Eccleſiaſtici 23. verſ. vltimo. Corporis enim coagulum, & εὐεξίαν tribuit: vitæ neceſſaria ſuppeditat: valetudini aduerſantia remouet: mente bona, tranquillaque conſcientia ſerenat: noſque demum ad moderate, ſapienter, ſobrieque viuendum excitat, è quibus omnibus diuturna, valens vegeta & beata, prout hoc in mundo eſſe poteſt, vita.

Quintò. Verumenimuero has Calebi laudes vnus obſcurare ac deformare videtur næuus, quod ſeipſum laudare ac pœne iactare videatur, dum verſ. 7. animi ſui candorem, oris veritatem verſ. 8. pectoris conſtantiam, plenumq; ac perfectum Domini obſequium commemorat. Sed profecto næuus hac in re nullus. Fas enim, & bonum, rectumque eſt de benefactis virtutibuſque ſuis prædicare, cum id neceſſitas aut vtilitas poſtulat: & vtraque ſpectata reſpectu vel Dei, vel ipſius hominis de ſe prædicantis, vel aliorum, *Dei* quidem, dum eius requirit gloria, vt quæ homini benigne fecit, donaque dedit, ab aliis cognoſcantur, qui illum idcirco & ipſi ſuſpiciant, laudent, audiant, diligant & ſequantur. Atque hoc Apoſtolo eſt, *in Domino gloriari.* 1. Cor. verſ. 31. 2. Cor. 7. v. 17. *Ipſius hominis*, de ſeipſo prædicantis, quando famam ſuam tueri debet & aliorum intereſt, vt non praua ſolum, ſed exilior etiam contemptiorque de ipſo eximatur opinio & maior atque auguſtior in datur. Sicque enim S. Paulus 2. Cor. 10. & 11. plurima & maxima, quæ alioqui mortales omnes latuiſſent, de ſeipſo aperit: *Aliorum* denique *reſpectu*, quibus nimirum prodeſſe optamus. Sicque apud diſcipulos Magiſter, apud filios Pater, apud iuniores ſenior laudes quaſdam ſuas narrare poteſt, vel quod apud illos ipſi auctoritas neceſſaria ſit, vel quod ad honeſtatem illas, ac imitationem exſuſcitare oporteat. Sic CHRISTVS Dominus: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Matth. 11. *Vos vocatis me Magiſter & Domine: & bene dicitis. Sum etenim. ſi ergo laui pedes veſtros Dominus & Magiſter, & vos debetis alter alterius lauare pedes.* Sic S. Auguſtinus epiſt. 68. tract. 8. in Ioannem & lib. 50. hom. 25. ſed de his in *Doxologico meo* ſecundo plura, quæ in Calebum pœne conueniunt omnia. Dei enim gloriam deprædicat, dum cordis eum ſcrutatorem optimum, beneq. factorem remuneratorem oſtendit iuſtiſſimum v. 9. Obſignatas enim veluti tabulas diuini teſtimonij promiſſique præmij recitat & à Deo ipſo enunciante ac teſtante habet, vt plene Domino ſe obſequutum dixerit v. 8. Suam quoque tuetur famam, dum alioqui videretur importunus, ambitioſus, & in alios iniurius, ſi, cur ſibi, præ aliis, portionem depoſcat, cauſam celaret. Aliis etiam conſulit, quibus reclamandi, obſiſtendi, maleque de ipſo ſuſpicandi eſſet alioquin cauſa.

QVÆSTIO IV.

Quis mons, quem à Ioſue petit Caleb?

QVem à Ioſue petit Caleb v. 12. *mons* generatim. I. eſt mons à Deo illi promiſſus, eod. v. 12. id eſt, terra montana, etiam à Moyſe promiſſa v. 9. ſed quia ita dicitur, *Terra, quam calcauit, pes tuus, erit poſſeſſio tua*, putant Rabbini terram ſignificari, quam propter pericula & gigantum inibi habitantium horrorem, exploratorum alij nulli adire auſi ſint, ſolus vero ipſe Caleb introierit, & explorarit. idq; confirmant,

Digitized by Google

A quia Num. 13. v. 23. in Hebræo ita legitur. *Aſcenderunt* (exploratores) *ad Meridiem : & venit in Hebron. Cur enim*, aiunt, *ſingulariter dicitur*, VENIT, *& non*, VENERVNT, *niſi quia ſolus eo penetrauit Caleb?* At dignum hoc Rabbinis commentum. Qui enim & exploratorum in numero fuit Ioſue, num meticuloſus, ignauuſque adeo fuit, vt ab terræ illius aditu abhorruerit? Et nonne in Hebraica lingua peruſitatiſſimum, vt ſingulare pluribus verbum tribuatur, diſtributiuaque fiat oratio, cuius ſit ſententia, illorum quilibet, hoc aut illud fecit, verſ. c. *Aſcenderunt exploratores ad Meridiem, & venit eorum quilibet Hebronem.* Quod **B** idem valet, atque id, quod in textu noſtro eſt: *Aſcenderunt ad meridiem, & venerunt Hebronem.* Et ſi de vno tantum ſingulare illud *venit* accipiendum eſſet, cur appoſitum Calebi nomen haud eſſet? cur de hoc potius, quam de Ioſue intelligeretur? Eſt hæc promiſſa terra Moyſis iureiurando v. 9. vbi amplius quiddam in Hebraico videtur, quam in noſtro textu, videlicet: *Iurauitque Moyſes in die illo: ſi non: Terra quam calcauit pes tuus*, &c. Illud, *ſi non*: apoſiopeſis eſt, quæ in execrationum formulis tota quidem exprimebatur, ſed in earundem narrationib. ſæpe omittitur vel tanquam tunc nota, vel tanquam dira **C** & ominoſa. Hoc enim aut ſimili modo expleri deberet oratio, ſiue aiens ſit, vt Geneſ. 14. v. 22. in Heb. c. 21. v. 23. ſiue negans, vt hic: Si non facio, quod aio, me auerruncet Dominus: omnibus me mactet calamitatibus: diris deuotus ſim omnibus: ne viuam: ne ſim qui ſum, vanus mendaxque habear. Eam vero apoſiopeſin, reticuit interdum noſter Interpres, quia plane & abſolute iuſiurandum, quod qui violat, pœnæ obnoxius eſt, conuertit. Dicitur autem terram iſtam iuratus promiſiſſe Moyſes: quia iuſiurandum, quo illam promiſit Deus Num. 14. ver. 20. ipſe, velut huius internuncius ac legatus, **D** Calebo propoſuit.

Tertiò. Promiſſus fuit Calebo à Deo ac Moyſe *mons* ac terra iſta, ipſo audiente Ioſue verſ. 12. Putant aliqui hanc de particulari & definita Chananææ portione promiſſionem Calebo factam priuatim, in Dei vel Moyſis tabernaculo, vel certe alio quocunque loco à multitudine ſecreto: & quia Moyſi frequentiſſime aderat Ioſue, omniumque pœne ipſius factorum & dictorum conſcius, illam ab hoc auditam: neque tamen hoc alibi literis proditum. Huic ſententiæ quia, quod abſonum ſit, habet nihil, aſtipu- **E** lari, cuilibet, licet. Maſio tamen aſſentior potius exiſtimanti, palam publiceque, audientibus omnibus, ideoque & ipſo etiam Ioſue, definiti, deſignatique loci hæreditatem Calebo promiſſam, verbis illis Domini, quæ Numer. 14. verſu 24. *Seruum meum Caleb, qui plenus alio ſpiritu ſecutus eſt me, inducam in terram hanc, quam circuiuit: & ſemen eius poſſidebit eam.* Terra hæc non fuit profecto tota Chananæa, quam cum exploratorib. peragrarat aliis. Quid enim vniuerſo populo terræ fuiſſet? ſed eius definita pars, quam cum iiſdem etiam obierat. Nam quod Iudæi aiunt, ſolum huc loci penetraſſe Caleb, refutant ipſi alij exploratores, dum Numer. 13. verſu 29. clamant, *ſtirpem Enac vidimus ibi*. Et vero certam illam partem, vbi Enacim iſti erant, ei verbis illis attributam, colligitur etiam vel ex antitheſi, vel à Calebi animo ac virtute. *Antitheſis* eſt, voluiſſe Dominum, vt quam ſeditioſi partem maxime vituperarent, & è cuius incolis ac vrbibus potiſſimam terroris materiam, ſeditionibuſque facem raperent, ea, cum eſſet optima, eius patrono, defenſori, ac vindici Calebo tráſcriberetur. *Eius* vero *animus & virtus* eſt, ſi ipſemet eam ſibi partem depoſcerit, eaque vna ſe contentum ac beatum prædicarit, quam alij horribilem, inuiam, inexpugnabilemque maxime iactabant. Et fortaſſis ad partis huius definitionem ac determinationem pertinent, quæ ibidem ſubiunguntur verba verſu 25. *Quoniam Amalecites & Chananæus habitant in vallibus.* Hebraice. *Et Amalecites & Chananæus habitat in valle.* Porro eadem promiſſio Deuteronomij primo, verſu 36.

Quartò. Mons eſt, *in quo Enacim ſunt*, *& vrbes magnæ ac munitæ* verſu 12. Eadem dicuntur Nu. 13. verſ. 28. & 34. Vnde colligitur *Henakim* fuiſſe giganteæ magnitudinis homines, poſteros percelebris cuiuſdam æuo priſco gigantis; cui nomen *Henak* quod cum *torquem* ſignificet, putant Rabbini, *Henakim* eſſe appellatiuum nomen, quo *torquati* ſignificentur, nobiles videlicet opibus, & potentia homines. Hæc enim, vi & rapto, parabant ij facile, quod corporis præpollerent viribus. Sed, vt dixi, ab *Henak* primo generis ſui auctore appellationem eam conſequuti ſunt, quemadmodum ab *Heber* Hebræi, ab *Iſrael* Iſraëlitæ, ab *Iſmael* Iſmaëlitæ, ſeu *Iſmaelim*, vt vocantur Geneſis 47.

Quintò. Iam ſpeciatim mons & locus, quem ab Ioſue rogat Caleb, eſt *Hebron*, de qua, quia in Scripturis frequens, in ſeq. quæſt. amplius.

QVÆSTIO V.

Quænam Hebron vrbs? & in ea quid?

IAm occurrit antea cap. 10. hæc quæſtio: ſed ea hic nunc explicanda. Et *primò* vrbis huius *antiquitas* à Moyſe indicatur Num. 13. v. 23. *Hebron ſeptem annis ante Tanim Ægypti condita eſt.* Et hoc quidem Hebræis in Ægypto tamdiu commoratis, ex eaque nuper egreſſis, erat tunc notiſſimum: nobis vero vt alia id genus antiqua, perobſcurum. Quando enim Ægyptiaca *Tanis*, de qua & Pſalm. 77. condita? *Taniticum* autem *Nili oſtium, Taniticaque præfectura* ſeu *Nomus* ab ea eſt, vt indicat libr. 17. Strabo, vbi eandem vrbem *San* etiam vocari docet. Nimirum cum Tſohan Hebraice dicatur, & litera צ *ts* valeat, alij *t*. alij *ſ*. retinuerunt. Plinius lib. 5. cap. 9. & 10. *Tanitem nomum* & *Tanicum oſtium* vocare maluit. ab eademque vrbe ducunt aliqui apud Abulenſem Numer. 13. quæſt. 6. *Titanas*, nullo vel tenuiſſimo argumento. Quamuis vero certus, quo vel Tanis, vel Hebron exſtructa fuit, ignoretur annus, non multo tamen poſt diluuium exſtructam vtramque patebit ex iis, quæ de Abraham ſubiicientur. Ioſephus libr. 4. Captiuitatis cap. 31. in Græco non cum *Tani*, ſed cum *Memphi* eam confert, vel quod huius etiam vrbis nota tum eſſet antiquitas, vel quod Hebraicum vocabulum, *Tſohan*, putarit vertẽdum *Memphim*,

Digitized by Google

Memphim, ſed credere illud nolim, quia ſemper 70. quos legit Ioſephus vertunt, *Tanim*, & Chaldæus item Paraphraſtes. Memphis vero iiſdem eſt, quæ Hebraice *Noph*, vt in Iſaiam, & Ieremiam dixi. ſed ſua iſta Memphi Hebronem ait Ioſephus antiquiorem, & quidem ita, vt eo tempore cum ſcriberet, vrbis huius numerarentur anni 2300. Cum vero ſcripſerit poſt Hieroſolymitanum excidium, quod Olympiade finitum 112. fit vt inde ad priora aſcendendo tempora, videatur ſub 90. à diluuio annum condita, vti recte noſter diſputat Pererius Diſp. 5. in Gen. 13.

II. *Nomen* ei primum & antiquum fuit *Cariath Arbe*, vt hic dicitur verſ. 15. & Geneſ. 23. v. 2. 35. 27. non vt in Græcis quibuſdam, & in 70. Geneſ. 23. ἀρβὸκ, aut hic ἀργὸβ, prout de priore illo ſæpius monuit lib. de locis. S. Hieronymus: iidem tamen 70. Gen. 35. vertunt, πόλιν τῆς πεδίν. quaſi non eſſet *Arbah* ſed *barbab*. ſed peſſime Iudicum 1. v. 12. in iiſdem 70 ſcriptum καριαθάρβοκσεφερ. Nam iſtud *Sepher* eſt ex vrbe, cuius paulo poſt fit mentio. *Cariath Sepher*. Quidam vero nominatam ita putant, quia vox iſta *quatuor* ſignificat, & illic habitarunt olim viri pij quatuor, *Abraham*, *Eſchol*, *Aner*, & *Mamre* Geneſ. 14. inde inſecutus Abraham & profligauit Reges 4. ibidem: illic ſepultæ fœminæ percelebres 4. *Eua*, *Sara*, *Rebecca*, *Lia*: Virique celeberrimi totidem, *Adam*, *Abraham*, *Iſaac*, & *Iacob*. Ita Rabbini qui quaterniones iſtiuſmodi plures congerunt in *Bereſchith Rabbah*. Annius in librum de æquiuocis, quod *tetrapolis* eſſet, id-eſt, tam magna, vt vrbes complecteretur 4. *Arbam* vocat. Vidi qui *Arbam* interpretetur *accubitum*, eique applicat, *dum Rex eſſet* in accubitu ſuo. Sed cum eiuſmodi nulla ſignificatio ſit, ea ſe ſuus oblectet auctor. Aliis vero *Arba* eſt gigantis nomen proprium. idque verius. *Primo*. Quia in fine huius capitis Hebraice, ſatis aperte ſignificatur *Arba* eſſe vir magnus, vt infra explicabitur. *Secundò*. Quia ante Abraham, & alios aut viros, aut fœminas, quorum quaternarios colligunt Rabbini, iam olim vocabatur *Cariath Arbe*, Quia Geneſ. 13. tentorium fixit ad Hebronem Abraham: ſed antequam Hebronis nomen eſſet, priſcum nomen erat *Cariath arbee* hic verſu vltimo. *Tertiò*. Quia de Adam & Eua ibi ſepultis non liquet, vti diſſeretur poſtea. ſed cum *Cariath Arbe* ſit idem atque *vrbs Arbe*, cur & quomodo *eius* dicitur? Reſpondent aliqui, ædificatam vrbem ab eo hanc, alij, dominatu & imperio tentam, & quidem diu. Probabilius vtrum ſit, Oedipi fuerit conijcere: tametſi è ſequentibus aliquid fortaſſe, ſed pertenuis coniecturæ, duci videatur poſſe. Raſchi ſane à *Cham* Noæ filio extructam putat: Annius in librum de æquiuocis, ab *Adamo*.

III. *Hebron* vero *vnde*, & *quando* dicta ſit, æque obſcurum. Diu. Hieronymus libr. de locis Hebr. à Calebi filio, qui 1. Paralipom. 2. verſu 42. *Hebron* vocatur, petitum nomen cenſet. Sed *primò* Caleb ille non fuit, vt dixi quæſtion. 3. noſter iſte Caleb. ſed iſto prior. Eius vero filij fuere in Ægypto. Hebronis regionem viderunt nunquam. Ab eorum igitur vllo illi nomen cur? *Deinde* prioris Calebi Hebron ille non immediatus, ſed mediatus tantum filius ſemper eſt, immediatus vero ipſius Mareſæ, vt ibidem dicitur. Et quamuis cum Maſio patrem Hebronis putaremus in Paralipomenis vocari: qui illa in vrbe dominatus eſſet, prout *Machir*, *pater Galaad* vocatur, nondum tamen nominis ratio conſtaret, quia, vt dixi, ſeruitutem in Ægypto ſeruierunt Hebron & alij, non autem Hebrone imperarunt. Mallem à *ſocietate & amicitia*, quam cum eius loci viris principibus coiit Abraham Geneſ. 14. verſu 13. ita vocatum *Cheber* enim *Chebrah*, & *Chebron*, Latine vertitur *ſocietas & coniunctio*, prout etiam homilia 17. & 18 notat Origenes. Et inde vocari potuerunt poſtea Calebi prioris poſteri quidam *Hebrones*, tandemque ad poſteriorem Calebum illa deuenire. Hinc etiam ſolueretur illa perfacile quæſtio, de qua tam ſæpe Maſius, *quomodo in Geneſi legeretur Hebronis vox*, quam Moyſis æuo nondum cauſam illo, aliique putant, prout libri huius Prolegom. 2. tetigi.

IV. Multa hic olim *facta*. Nam vt Annij loco citato dicentis, *Noachum hac in vrbe natum*, fabulas omittam, hic tabernaculum inquilinus tetendit *Abraham* Geneſ. 13. verſ. 18. hinc ad Reges illos, qui Loth, Sodomæamq; prædam multam abducebant, perrexit, eoſque debellauit Gen. 14. hic mortem obiit *Sara* Geneſ. 23. initiumque dedit illi coëmendo agro, quem hic ad ſuam, ſuorumque ſepulturam coëmit Abraham eodem cap. 23. verſ. 19. Hic, ſicuti pater, commoratus eſt *Iſaac* Geneſ. 35. verſ. 27. & poſtea quoque ipſe *Iacob* Geneſ. 37. verſ. 14. Huc à Ioſepho, eiuſque fratribus ſacræ illius vita functi ex Aegypto deuectæ reliquiæ Geneſ. 49. verſ. 29. & cap. 50. verſ. 13. Huc *Moſaici exploratores* venere Num. 13. 23. Hinc per Berſabeam in Aegyptum, tota cum familia tetendit *Iacob* Geneſ. 46. Huius Regem ſuperauit & occidit *Ioſue* ſupra c. 10. & deinceps c. 11. & 12 *Hæc ciuitas quondam Sacerdotalis*, *& fugitiuorum*, vt loquitur lib. de locis S. Hieronymus, & infra c. 20. v. 7. patebit. Hic ex hoſtium manubiis, ad amicos munera, miſit *Dauid*. 1. Reg. 30. v. 31. & ipſe poſtea, Dei iuſſu ac oraculo venit. 2. Reg. 2. verſ. 2. Hic, idem Rex annos 7. regnauit. 2. Reg. v. 5. & 3. lib. c. 2. 11 1. Paralip. 29. v. *Abnerem* luxit ac ſepeliuit eodem lib. 2. c. 2. v. 32. Huc ambitioſus tetendit per votorum ſpeciem *Abſalon*, ibidemq; patre viuo ac regnante ſeipſum Regem vocauit eodem lib. cap. 15. Hic, vti Baronio Tomo 1. Annalium, & Delrio noſtro in panegyrico viſitationis, aliiſque videtur, *Zacharias* pater Ioannis Baptiſtę domicilium ſedemq; habebat. Huc in montana è Nazareth aſcendit *B. Virgo*, illius Baptiſtæ matrem viſitans. Hanc vrbem, cum Hieroſolymæ ab Titio inferendum iam inſtaret exitium, cepit, ac diripuit Geraſenus factioſorum, ac latronum Dux Simeon, vt apud Ioſephum eſt lib. 4. Belli c. 31. Huc *S. Paula*, vt in Epitaphio narrat S. Hieronymus, aſcēdit. vbi etiam antea Conſtantini Magni mater vere magna *Helena* templum excitarat ſplendidiſſimum, referente Nicephoro lib. 8. cap. 30. Hic Epiſcopalis etiam ſedes à Catholicis Latinis, poſteaquam Lotharingo Duce *Godefrigo* terram ij

Digitized by Google

ſanctam recuperaſſent, erecta fuit, prout notat libro 20. cap. 3. Vvilhelmus Tyrius. Hæc nunc diruta & euerſa tota iacet: ſed noua ex ſe procreata Hebrone, quæ à vetere abeſt trium veluti ſagittæ miſſionum ſpacio: ſpurciſſimarum Turcicarum ſuperſtitionum *Moſchea* infamis. Eodemque modo vetus illa vel *ilex*, vel *quercus*, vel *terebinthus*, quæ Abrahami tempore fuit Geneſ. 35. Ioſephique hiſtorici, vt ipſe libr. 4. Captiu. capite 31. ait, & Conſtantij etiam Imperatoris æuo adhuc ſtetit, nouam ex ſe vel ilicem vel quercum, vel terebinthum progenuit, è qua ſe lignum & fructum tuliſſe ſcribit Brochardus.

V. Vnum vero in capitis huius extremo factum dicitur, de quo controuerſiæ & quæſtionis aliquid eſt. Noſter enim textus ita loquitur, *Adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt.* Vnde hic *Adam* protoplaſtum ſepultum eſſe inuulgata manauit opinio. Nam in B. Paulæ citato antea Epitaphio S. Hieronymus: *Aſcendit*, inquit, *Chebron. Hæc eſt Cariatharbe, id-eſt, opidum virorum quatuor. Abraham, Iſaac, Iacob, Adam magni, quem ibi conditum, iuxta librum* IESV *Naue, Hebræi autumant, licet plerique Caleb quartum putent, cuius, ex latere, memoria monſtratur.* Et libro de locis Hebraicis in Arboch: *Corrupte*, inquit, *in noſtris codicibus Arbach ſcribitur, cum in Hebræo legatur Arbee, id eſt, quatuor, eo quod ibi quatuor Patriarchæ Abraham, Iſaac, & Iacob ſepulti ſunt, & Adam magnus, vt in* IESV *libro ſcriptum eſt, licet eum quidam conditum in loco Caluariæ ſuſpicentur.* Abulenſis quæſtione decima in iſtud decimumquartum caput, *Adam*, inquit, *maximus, id-eſt, primus homo, qui eſt maximus, cum ſit Pater & origo totius ſpeciei, eſt ſitus inter Enacim, id-eſt, ſepultus fuit in vrbe Hebron, in terra gigantum. Et iſte eſt verior atque communior ſenſus, quem fere omnes Catholici tenent.* Alij vero Adamum eo loco ſitum negant, iique partim *veteres*, vt hi ipſi, qui à S. Hieronymo traduntur exiſtimare, ipſum in Caluariæ monte conditum, & qui pro Adamo quartum ſubſtituunt Calebum, partim *recentiores*, vt hoc loco Caietanus & Maſius, Pererius in Geneſ. 13. Diſputat. 5. Sunt vero eorum valde multi, qui in Caluariæ monte aiunt ſepultum. Diuus Auguſtinus ſermone 71. de tempore, Sanctus Cyprianus ſermon. de reſurrectione CHRISTI, Sanct. Athanaſius de paſſione Saluatoris, B. Ambroſius libr. 5. Epiſt. 19. Origenes tract. 35. in Matthæum, Theophylactus in Ioannis caput 19. D. Chryſoſtomus hom. 84. in Ioannem, S. Epiphanius hæreſi 46. D. Baſilius in Iſaiæ ca. 5. & ipſe Diu. Hieronymus in Paulæ ad Marcellam epiſt. qui tamen in Matth. 27. *Fauorabilis*, inquit, *opinio, & mulcens aurem populi, nec tamen vera. Tertia* quædam nuper ingenioſa prodiit opinio, quam explicat & exornat in B. Virginis Panegyrico 7. Delrius noſter ac Vilalpandus in Hieroſolymæ vrbis Apparatu lib. 1. c. 9. fuiſſe ſcilicet duobus in locis ſepultum Adamum, prout in Chronicis ſcripſit Honorius Auguſtodanenſis, & primo quidem Cariatharbæ, vt ait prima iam citata opinio: Deinde in Caluariæ monte, vt in ſecunda opinione aiunt nonnulli. Nam ſancti Ephrem præceptor Iacobus Orrhoahita ſiue

A Edeſſenus, memoriæ prodidit (quemadmodum in vltimum huius libri caput refert, ipſemet Maſius) Noëmum primi patris oſſa, religioſe in arcam intuliſſe: & poſt ſiccatum ex aquarum eluuione terrarum orbem, cum ipſo terrarum orbe oſſa quoque illa filiis diuiſiſſe: &, quem præ cæteris diligebat, Semo caluariam dediſſe, cumque caluaria, terrarum partem, quam poſtea Iudæam nuncuparunt. Aſſentiri R. Simeonem Heſraitam tradit loco citato Vilalpandus.

Mea vero, quæ ſententia ſit, ſcire ſi vellet vllus, ea eſt, videri duas haſce diſtinguendas quæ- B ſtiones: *ſitne Adam Cariatharbæ ſepultus?* & *an id ex huius 14. capitis verbis colligatur?* Nam *ſepultum eſſe Cariatharba Adamum*, propter veterum quorundam auctoritatem, eamque traditione quadam, quam etiam è vicina lachrymarum valle confirmat Abulenſis, ſubnixam, *probabile eſt: eam* tamen *ſepulturam capitis huius 14. textus non affirmat.* Hebraice ſiquidem ad verbum ita legitur. *Et nomen Chebronis antiquitus erat Cariatharba. Hic homo magnus in Enacim ipſe.* Quis vero *hic homo*, niſi quo de, ſermo fuerat, *Arba*? Et quis *inter Enacim magnus*, præter *Arba*? Parentis primi nulla C facta erat mentio: & neq; inter Enakim is fuit, ſed ante ipſos omnes, imo & ante omne, quidquid vſquam eſt hominum. Et quæ idonea fingi poſſet ratio, cur de Adami ſepultura hic ageretur? Num quod ait Abulenſis, ideo agi, quia alibi actum non eſſet? Id vero eſt, quod quæritur, cur non alibi vſquam, & hic agitur? & ita ex abrupto? Græcus vero in 70. textus ab Hebræo valde abit: Adami tamen aut ſepulturæ nihil omnino meminit: Pro citatis enim verbis hæc, quæ ab Euſebio de locis afferuntur crebrius, reddit alia, Μητρόπολις τῶν Ἐνακὶμ αὕτη. D Latinus vero eundem, qui in Hebræo eſt, ſenſum poteſt recipere. Per *Adam* enim non neceſſario intelligitur, hominum primus, ſed *homo* ſiue pro toto is humano genere accipitur, ſiue pro hominum aliquo. Quemadmodum 2. Reg. 7. verſ. 19. *Iſta eſt lex Adam, Domine Deus.* Oſeæ 11. verſ. 4. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Ipſa etiam *Heua* vocatur in Hebræo, Græcis veteribus, & Latino *Adam* Geneſ. 5. verſ. 2. *vocauit nomen eorum Adam.* Et ſæpiſſime, vbi noſter *hominem* vertit Interpres, in Hebræo eſt, *Adam*: vt Geneſ. 1. verſ. 26. *faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* E cap. 2. verſ. 5. *Homo non erat, qui operaretur terram.* cap. 6. verſ. 1. *Cum cœpiſſent homines multiplicari ſuper terram.* & verſ. 3. *Non permanebit ſpiritus meus in homine.* verſ. 4. *ingreſſi ſunt filij Dei ad filias hominum.* verſ. 5. *videns Deus quod multa malitia hominum eſſet in terra.* verſ. 6. *pœnituit quod feciſſet hominem.* verſ. 7. *delebo hominem quem creaui à facie terræ ab homine vſque ad animantia.* Quid, quæ plurima ſunt, exempla perſequar alia? Illud vero, *ibi ſitus eſt*, non eſt quidem in Hebræo ad verbum, ſed vt intelligi poſſit. Nam *inter Enacim ipſe*, valere poteſt: *inter Enacim eſt.* At illi mortui, & Hebrone ſiti cum ſint, eſt & inter eos iſte mortuus, ac Hebrone ſitus. Poteſt etiam valere *inter Enacim erat.* Atqui olim erant, iidem Hebrone mortui ac humati ſunt Enacim: adeoque inter eos *Arba*. Sicque ab ea mente, quam

Hebræa nobis verba ingerunt, *fuiſſe* videlicet *Arbam inter Enacim virum quendam magnum* non diſſonant Latina. *Magnus* autem dicitur iſte Arba vel corpore, vel dignitate Si *corpore*, ſenſus eſt, inter eos, qui vaſta corporis magnitudine cæteris anteſtabant hominibus, fuiſſe hunc maximum & vaſtiſſimum. Nam & gigantes inter, ſunt aliis alij maiores ac vaſtiores. Si *dignitate*, ſenſus eſt, Principatum inter Enacim ei fuiſſe. Vnde & ſeq.cap.15.verſ. 3. dicitur idem *Arba* eſſe *pater Enac*. & ſicuti generis tanta corporum proceritate ac vaſtitate horrifici auctor erat, ita & eadem omnibus, itemque auctoritate, poteſtate, ac dignitate præſtabat. Vtramque magnitudinem tam corporis, quam potentiæ ac dignitatis, ſimulque Hebronicæ vrbis conditionem Arbæ huic tribuit Toletus in capite 19.Ioan.not.12. *Erat*, inquit, *Arbee nomen viri magno corpore, à quo ciuitas illa prius nomen acceperat, vt à Romulo Roma, ab Aelio Aelia. Et ſic legendum videtur: Ante vocabatur Cariath Arbe. Homo maximus inter Enacim ipſe. In Origene non habetur*, ſitus eſt, *ſed maximus inter Enacim ipſe, hoc eſt, Erat homo quidam eximius & præcellens Arbe, à quo nomen accepit ciuitas.*

QVÆSTIO VI.

An, quam à Ieſue petebat Caleb, impetrarit Hebronem?

IMpetrauit omnino, & quidem cumulatiſſime. Sic enim habet textus: *Benedixitque ei Ioſue, & tradidit ei Hebron in poſſeſſionem atque ex eo, fuit Hebron Caleb filio Iephone Cenezæo, vſque in præſentem diem, quia ſecutus eſt Dominum Deum Iſraël.* Quibus in verbis notanda tria.

I. *Benedicere* triplex eſt, vel enim benedicit creaturam creator, vel creatorem creatura, vel creaturam creatura. *Primum* eſt ſemper bonorum aliquorum in creatura efficax. Hinc enim ea dona ſemper Deus dat, è quibus, & propter quæ tum creatura ipſa vere ac ſolide laudari poſſit, tum vero ad donorum illorum auctorem, Deum ipſum laudandum excitari ipſa, ſiquidem intelligentiæ, mentiſque compos ſit, vel alias ſaltem excitare. Sic Geneſ.1.v.22.28. c. 2.v.3.c.5.v.2.c.9.1.c.12. 2. & 3. & ſæpiſſime alibi. *Secundum*. Benedicere nullius rei in creatore ipſo efficax eſt, ſed ei laudem tantum & gloriam, quæ debetur, aſcribit, eum auctorem bonorum omnium & largitorem agnoſcit, deprædicat, celebrat Geneſ.14.v.20.c.24.27.Exod.18. 10. Pſ.15.v.7. Pſ.17.47. Pſ. 25.12. Pſ. 27.v.6.& in aliis plurimis. *Tertium*. Benedicere duplex eſt. Vel enim à Deo precatur creatura creaturę boni aliquid: & ſic Iſaac *benedixit filiis ſuis*. Geneſ. 27.& 28.Iacob Regi Pharaoni Geneſ. 47. verſ. 7. & 10. filiiſque ſuis Geneſ. 49. v. 25. & 28.ſic populo Sacerdotes benedicunt filiis Iſraël.Nu. 6. verſ. 23. hac à Deo ipſo præſcripta formula. *Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te. Oſtendat Dominus faciem ſuam tibi & miſereatur tui. Conuertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem.* Et Sacerdotalis huius benedictionis ſubditur effectus, diuinaque promiſſio, hiſce verbis. *Inuocabuntque* (Sacerdotes) *nomen meum ſuper filios Iſrael, & ego benedicam eis.* Vel creaturam laudat creatura: & ſic etiam interdum *iniquus benedicitur* pſ.10.v.3.& apud Apoſtolum Rom. 16. v. 18. diſſenſionum ſcandalorumq; in Eccleſia Chriſtiana molitores, *per dulces ſermones, & benedictiones ſeducunt corda innocentium.* Ioſue vero Calebum alterutro, vel etiam vtroque modo iſto benedixit. Eximiam eius erga Deum religionem & obſequium, erga Moyſen, & ſe ipſum fidem ac obedientiam, in adeundis ac ſuperandis periculis animi magnitudinem, totumque virtutum, quæ inerant ipſi, quamplurimæ, chorum publica & inſigni proſequutus eſt laudatione, ſimulque à Deo.O.M.petiit, vt ſua ipſum munificentiſſima benedictione dignaretur: ſanctæque cum ipſo in exploranda terra conſtitutæ, & in peruicacium exploratorum repellendis criminatoribus, minacibuſque furentis populi contumeliis ferendis conſeruatæ Societatis certum veluti pignus, diuinumque Symbolum, *Hebronem* quæ ſuo, vt dixi q. 5. nomine Societatem importat, ille acciperet, iure optimo tota ſua cum poſteritate obtineret ac poſſideret. Sed vt re ipſa poſſideret, bello prius domanda fuit ver.12. Iſta vero hæreditatis traditio refertur etiam infra c.15.verſ.13.Iud.1.verſ.20. 1. Mach.2.v.56.

II. Hebronis nomine hic non ſola vrbs Hebron, ſed & vicinia etiam dilatatior & amplior continetur. Vna cum Hebrone vrbs *Debir* ſimul data vt infra c.15.videbitur.

III. Additur, *vſque in præſentem diem*, qui quod in tempus inciderit, non conſtat. Huius enim libri auctor Ioſue quidem eſt: de ſuo tamen tempore ita non loqueretur, quia vel præſens id, vel illi certe diei proximum. Quis vero è poſterioribus particulas iſtiuſmodi adiecerit, an Samuel, Eſdras, Prophetaue alius, *Rabbini certant, & adhuc ſub Iudici lis eſt.* Eſdram tamen haud eſſe, videtur perſpicuum ex capitis ſequentis verſu vltimo, vbi, *vſque in præſentem diem* Hieroſolymis dicitur habitare cum Iuda Iebuſæus. Id enim Eſdræ tempore non erat. Vide proleg. 2. ſed quomodo *vſque in præſentem diem* Calebi fuit Hebron, cum fuerit poſtea Leuitis & fugitiuis data? Erit infra c. 20. & 21. reſpondendi locus oportunior.

QVÆSTIO VII.

An ab Ioſue, aut Calebo expugnata Hebron? & quomodo?

AB Ioſue captam & expugnatam Hebronem aſſerit libri huius caput 10. v. 36. ſic: *Aſcendit* (Ioſue) *cum omni Iſrael de Eglon in Hebron, & pugnauit contra eam, cepitque, & percuſſit in ore gladij:* Et de vrbe *Debir* ſimiliter poſtea verſ. 38. *inde reuerſus in Debir. cepit eam, atque vaſtauit.* rurſum c.11.v.21. *in illo tempore venit Ioſue, & interfecit Enacim de montanis Hebron, & Dabir, & Anab, & de omni monte Iuda Iſrael, vrbeſque eorum deleuit:* At quod ſequitur caput quintumdecimum gigantes iſtos à Caleb deletos, & vtramque ab eo vrbem occupatam, atque Chananæis extortam narrat verſ. 14. 15. & ſeq. Idemque repetitur Iudicum 1.v. 20. Et videntur quidem inter

ſe pugnare iſta, ſed pugnare negant, & merito negant, qui Spiritum ſanctum librorum iſtorum omnium auctorem & dictatorem agnoſcunt. Varij vero ab iiſdem repugnantiæ tollendæ modi traduntur. *Primò.* Lyranus *Hebrones, Debiraſque duas* fuiſſe ait, quarum vnam Ioſue, Calebus vero alteram ceperit. *Alij vero* Hebronem Debiramq; vnicam exiſtimant, & modos alios hos afferunt. *Primus* eſt ipſius Abulenſis cap. 10. libri huius qu. 96. poſſe dici, vnam Hebronem eſſe, ſed cuius duæ partes ſunt. vna in plano: in monte altera. quarum illam expugnauerit Ioſue; hanc vero Caleb. *Alter* iterum Lyrani modus eſt Calebum vere ac proprie vrbes iſtas cepiſſe: dici tamen Ioſue ipſas cepiſſe per anticipationem. quia eius conceſſu & auctoritate illas poſtea cepit Caleb. Solent enim quæ à Ducibus minoribus geruntur, attribui omnium maximo, ſeu belli imperatori. Et poſt perplexas diſputationes cap. 11. quæſt. 84. & 85. hunc maxime modum amplectitur Abulenſis, & Caietanus iſto cap 14. & 15. demonſtrans iſta, quæ hic dicuntur, dicta fuiſſe ante Ioſuana cum Hebrone prælia cap. 10. & 11. *Tertius.* Maſij modus eſt, ab vtroque vere ac proprie vrbes eaſdem captas. Accidiſſe ſiquidem poſt Ioſue victorias, & vitam, vt defectionem ac rebellionem excitarint Chananæorum reſidui: ſicque contra eos à Caleb arma ſumpta & feliciter expugnata illorum omnia. Et hinc, *de expugnationis tempore* ſentiendum quid ſit, fere intelligitur. Duplex enim eſt, *vnum* illud ipſum, quo ſuperiora bella confecit Ioſue, alterum poſt eius mortem. Et hoc quidem tempus è cap. 1. Iudicum certum eſt: illud vero etiam certum, ſi datorum modorum quemlibet, præter eum, qui anticipationem conſtituit, amplectamur. Ex iis tamen modis, arridere mihi ille non poteſt, qui *Hebrones* & *Debiras* extruit geminas. In tota enim terræ diuiſione, vna ſolummodo *Hebron*, vna *Debira* ſemper occurrit: & in Chananæorum Regum cæde ſupra cap. 9. 10. 11. 12. vnus tantum Hebronis Rex, vnus Debiræ Rex. Modis aliis omnibus ineſt probabilitas, ſed penultimo & vltimo maxime & hunc vltimum penultimo illi anteponat, qui ad contextum magis adhæreſcere, ſimulque animo reputare ſecum voluerit, quam facile, poſt eas vrbes à Ioſue ſubactas, in eas vel irrepere vel irrumpere poſtea potuerint Chananæorum & Enakimorum aliqui. Licet enim omnes, quos inuenerat, deleuiſſet Ioſue, ſuperfuerũt ex his tamen vicina Palæſthina complures, qui captata poſtmodum occaſione, dolo aut vi, loca ſibi iſta rurſum vendicare potuerunt. Sic enim cap. 10. verſ. 37. ſignificatur ca. 11. verſ. 22. dum ſcribitur: *Non reliquit Ioſue vllum de ſtirpe Enacim in terra filiorum Iſrael · abſque ciuitatibus Gaza, & Geth, & Azoto, in quibus ſolum relicti ſunt.* Occaſio autem Enakimis iſtis eſſe potuit, vel quod nullum in hiſce captis vrbibus collocatum adhuc eſſet præſidium, dum in Galgalæis caſtris iuncti adhuc omnes hærerent Iſraëlitæ: vel quod aliquorum ibi relictorum incuria eſſet quæpiam, aut certe virium ad irruentibus illis reſiſtendum, infirmitas. Varij enim & A anticipites præſidiorum ac præliorum euĕtus. Certe dum Hebronem hic peteret Caleb, iam in ea iterum erant iſti Enakim ver. 12. & bellum aduerſus eos iam cogitabat, omninoque ſpirabat idem Caleb. eodem verſ. 12. At tantum de quæſtione, in qua, propter expoſitum τὸ ἐναντιοφανὲς, difficultatis plurimum fatetur q. 85. cap. 11. Abulenſis.

QVÆSTIO VIII.

Quomodo Hebronem cepit Caleb?

B EXplicatur hoc per hiſtoriæ prolepſin cap. ſequenti à v. 14. vſque ad 21. recte vero ac ordine ſecundum temporis, rerumque geſtarum ſeriem. c. 1. Iudicum à v. 10. & 20. Sed vrbis huius à Caleb expugnatæ modo vnum hic tangitur, quod explicandum. *Si*, ait Caleb. v. 12. *forte ſit Dominus mecum, & potuero delere eos, ſicut promiſit mihi.* Vide viri modeſtiam & religionem. Ab Ioſue locum petit, quem hoſtes adhuc tenebãt, & hoſtes ipſa corporum mole formidabiles. Hoſce tamen ſe profligaturum, & illam capturum plane confidit, ſed ope auxilioque fretus C diuino. Hoc enim eſt illud, *ſi Dominus ſit mecum*, vt libri huius c. 1. q. 11. oſtenſum, ſed cur addidit *forte?* Num dubitabat? num quod dixerat ſeu promiſerat, velle Deum facere ambigebat? Reſpondet Nouatorum aliquis, Hebræos voce *oulai* difficultatem ſimpliciter notare, *vtcumque nulla diffidentia inquietudine animos agitet.* Verum ita difficultatem illam notat, vt ex ea oriri ſimpliciter poſſit diffidentia: & licet iſta non oriatur, aliquis tamen timor ſemper adiunctus ſit, qui è rei magnitudine, propriarum virium infirmitate, ſimilibuſq; circumſtantiis aliis conſideratis naſci ſolet. Ita Caleb, ſi ſolam Dei pro-D miſſionem, potentiam, & auxilium intueretur, nulla prorſus neque diffidentia, neque timore tangebatur: ſed cum rei difficultatem, ſeque ipſum ſpectabat, poſſe fieri videlicet, vt peccato ſuo aliquo Dei beneficentiam impediret: neq; quod promiſiſſet Deus aſſeqneretur. Solent enim huiuſmodi diuina promiſſa certis quibuſdam conditionibus affici. quæ ſi ab hominibus violentur, irrita illa caſſaque redduntur omnia vt 2. Reg. 7. Oſtendit igirur Caleb, ſe optimam de proſpero rei euentu ſpem habere ob Dei opitulaturi præſentiam & adiutorium: ſe tamen non præfidere, neque omnis curæ ac me-E tus vacuum prorſus eſſe, cum accidere ſua ipſius vel ſuorum culpa poſſit, ne adeſſet Deus, ne felicia eius hæc promiſſa euenirent. De Hieroſolymis tam ſero à Dauide occupatis ait ca. ſeq. Caluinus p. 58. *longi temporis mollities Dei benedictionem quodam modo repulit.* Et poſtea de Manaſſæis pag. 68. *Dei virtutem ſua pigritia ſuffocarunt.* Etiamſi vero iſtud *forte*, abeſſet, ea tamen aut ſpes aut fiducia timore quopiam condienda ſatis ſignificaretur per particulam *ſi*, vt apud 70. *ἐὰν οὖν κύριος μετ' ἐμοῦ ᾖ ἐξολοθρεύσω αὐτοὺς ὃν τρόπον εἶπέ μοι κύριος.* id-eſt: ſi agitur Dominus mecum ſit, diſperdam eos, eo modo, quem mihi dixit Dominus.

Digitized by Google

CAPVT XV.

Iudæ tribus portio ac ditio.

1. IGITVR ſors filiorum Iudæ per cognationes ſuas iſta fuit: A termino
Edom,deſertum. Sin contra meridiem, & vſque ad extremam partem
Auſtralis plagæ. 2. initium eius à ſummitate maris ſalſiſſimi, & à lingua
eius, quæ reſpicit meridiem. 3. Egrediturque contra Aſcenſum Scor-
pionis, & pertranſit in Sina: aſcenditque in Cedesbarne, & peruenit in
Eſron,aſcendens ad Addar,& circuiens Carcaa, 4. atque inde pertranſiens in Aſemo-
na,& perueniens ad Torrentem Aegypti; eruntque termini eius mare magnum. hic
erit finis meridianæ plagæ. 5. Ab Oriente vero erit initium,mare ſalſiſſimum vſque ad
extrema Iordanis; & ea quæ reſpiciunt ad Aquilonem à lingua maris vſque ad eundem
Iordanis fluuium. 6. aſcenditque terminus in Beth Hagla, & tranſit ab Aquilone in
Beth Araba:aſcendens ad lapidem Boën filij Ruben. 7. & tendens vſque ad terminos
Debera de Valle Achor, contra Aquilonem reſpiciens Galgala, quæ eſt ex aduerſo
Aſcenſionis Adommim, ab Auſtrali parte torrentis: tranſitque aquas, quæ vocantur
Fons ſolis: & erunt exitus eius ad Fontem Rogel. 8. aſcenditque per conuallem filij
Ennon ex latere Iebuſæi ad meridiem, hæc eſt Ieruſalem: & inde ſe erigens ad verti-
cem montis, qui eſt contra Geennom, ad Occidentem in ſummitate vallis Raphaim
contra Aquilonem. 9. pertranſitque à vertice montis vſque ad fontem aquæ Ne-
phtoa: & peruenit vſque ad vicos montis Ephron: inclinaturque in Baala, quæ eſt Ca-
riathiarim,id-eſt, vrbs ſiluarum. 10. & circuit de Baala contra Occidentem, vſque ad
montem Seir: tranſitque iuxta latus montis Iarim ad Aquilonem in Cheſlon: & de-
cendit in Bethſames, tranſitque in Thamna. 11. & peruenit contra Aquilonem partis
Accaron ex latere: inclinaturque Sechrona, & tranſit montem Baala: peruenitque in
Iebneel, & magni maris contra occidentem fine concluditur. 12. hi ſunt termini fi-
liorum Iuda per circuitum in cognationibus ſuis. 13. Caleb vero filio Iephone dedit
partem in medio filiorum Iuda, ſicut præceperat ei Dominus: Cariath Arbe patris
Enac, ipſa eſt Hebron. 14. Deleuitque ex ea Caleb tres filios Enac, Seſai & Ahiman,
& Tholmai de ſtirpe Enac, 15. Atque inde conſcendens venit ad habitatores Dabir,
quæ prius vocabatur Cariath Sepher, id-eſt, ciuitas literarum. 16. Dixitque Caleb:
Qui percuſſerit Cariath Sepher, & ceperit eam, dabo ei Axam filiam meam vxorem.
17. Cepitque eam Othoniel filius Cenez frater Caleb iunior: deditque ei Axam filiam
ſuam vxorem. 18. Quæ cum pergerent ſimul, ſuaſa eſt à viro ſuo vt peteret à patre ſuo
agrum,ſuſpirauitque, vt ſedebat in aſino. Cui Caleb: Quid habes inquit? 19. At illa
reſpondit: Da mihi benedictionem: Terram Auſtralem & arentem dediſti mihi, iunge
& irriguam. Dedit itaque ei Caleb irriguum ſuperius & inferius. 20. Hæc eſt poſſeſſio
tribus filiorum Iuda per cognationes ſuas. 21. Erantque ciuitates ab extremis partib.
filiorum Iuda iuxta terminos Edom à Meridie: Cabſeel & Eder & Iagur. 22. & Cina
& Dimona,& Adada, 23. & Cades, & Aſor, & Iethnam, 24. Ziph & Telem & Ba-
loth, 25. Aſor noua & Carioth, Heſron,hæc eſt Aſor. 26. Amam, Sama,& Molada,
27. & Aſergadda & Haſſemon & Bethphelet, 28. & Haſerſual & Berſabee & Bazio-
thia, 29. & Baala & Iim & Eſem, 30. & Eltholad & Ceſil & Harma, 31. & Siceleg &
Medemena & Senſenna, 32. Lebaoth & Selim & Aën & Remon, omnes ciuitates
viginti nouem, & villæ earum. 33. In campeſtribus vero: Eſtoal & Sarea & Aſena,
34. & Zanoë & Aengannim & Taphua & Enaim, 35. & Ierimoth & Adullam, Socho
& Azeca, 36. & Saraſim & Adithaim & Gedera & Gederothaim: vrbes quatuorde-
cim, & villæ earum. 37. Sanan & Hadaſſa & Magdalgad, 38. Delean & Maſepha &
Iecthel, 39. Lachis & Baſchath & Eglon, 40. Chebbon & Leheman & Cethlis 41.
& Gideroth & Bethdagon & Naania & Maceda: ciuitates ſedecim, & villæ earum.
42. Labana & Ether & Aſan, 43. & Iephtha & Eſna & Neſib, 44. & Ceila &
Achzib & Mareſa: ciuitates nouem, & villæ earum. 45. Accaron cum vicis & vil-
lulis ſuis. 46. Ab Accaron vſque ad mare: omnia quæ vergunt ad Azotum & vi-
culos eius. 47. Azotus cum vicis & villulis ſuis. Gaza cum vicis & villulis ſuis, vſq. ad

torrentem Aegypti, & mare magnum terminus eius. 48. Et in monte: Amir & Ie-
ther & Socoth, 49. & Danna & Cariathſenna, hæc eſt Dabir: 50. Anab & Iſtemo &
Anim, 51. Goſen & Olon & Gilo: ciuitates vndecim & villæ earum. 52. Arab &
Ruma & Eſaan 53. & Ianum & Beththaphua, & Apheca. 54. Athmatha & Cariathar-
be, hæc eſt Hebron, & Sior: ciuitates nouem & villæ earum. 55. Maon & Carmel &
Ziph & Iota, 56. Iezrael & Iucadam & Zanoë, 57. Accain, Gabaa & Thamna: ciuita-
tes decem, & villæ earum. 58. Halbul, & Beſſur, & Gedor. 59. Mareth & Bethanoth,
& Eltecon: ciuitates ſex & villæ earum. 60. Cariathbaal, hæc eſt Cariathiarim vrbs ſil-
uarum, & Arebba: ciuitates duæ, & villæ earum. 61. In deſerto Betharaba, Meddin,
& Sachacha, 62. & Nebſan, & ciuitas Salis, & Engaddi: ciuitates ſex, & villæ earum.
63. Iebuſæum autem habitatorem Ieruſalem non potuerunt filij Iuda delere: habita-
uitque Iebuſæus cum filiis Iuda in Ieruſalem vſque in præſentem diem.

COMMENTARIVS.

B*Iſariam Iudæ tribus portio, ſors, ac ditio hic deſcribitur. 1. Generatim ab huius initio capitis vſque ad verſ. 12. Deinde ſpeciatim à verſ. 20. ad finem. Sed inter vtramque deſcriptionem inſeritur de Caleb per prolepſin Hiſtoria, quæ poſt Ioſue obitum accidit, & de qua ſuperiore aiebam capite dicendum Iud. 1. ſicque* capitis *huius* partes tres. *In* prima *generalis Iudaicæ ſortis deſcriptio. In* ſecunda *prolepticа de Caleb narratio à verſ. 12. ad ver.* 20. *In* tertia *ſpecialis eiuſdem ſortis deſcriptio.* Generalis *vero illa quatuor Iudaicæ ditionis terminos conſtituit.* Primus, *eſt à Meridie.* Secundus, *Ab Oriente.* Tertius, *Ab Aquilone.* Quartus, *Ab Occidente. Et* Primus *quidem vocatur verſ. 1.* terminus Edom, ſeu Idumææ, terminus deſerti Tſin verſus meridiem, terminus extremitatis Theman, *ſeu, vt noſter vertit*, Extremæ partes Auſtralis plagæ. *Idemque terminus primus ſpectatur progrediendo, quendamque veluti funiculum ducendo ab Orientali parte ad Occidentalem verſ. 2.3.4.* Secundus *terminus. verſ. 5. progrediendo à Meridie ad Septentrionem, eſt totum mare ſalſum à Meridionali eius termino vſque ad Iordanis in illud influentis finem ſeu oſtium.* Tertius *ſpectatur progrediendo ab Oriente ad Occidentem verſ. 6. vſque ad verſ. 12.* Quartus, *niſi Ariam in exponendo verſ. 5. ſequamur, de quo infra, colligitur ex huius verſ. 12. fine, & ex verſ. 4. Cum enim producatur Aquilonaris terminus vſque ad mare magnum, quod alias mediterraneum dicitur, Auſtralis vſque ad Aegypti torrentem ſeu fluuium Rhinocoluram; fit, vt Iudææ terræ terminus Occidentalis ſit ea interiecti Mediterranei maris pars ſeu ora, quæ duobus illis terminis Aquilonari & Auſtrali intercipitur.*

Specialis *vero deſcriptio v. 20. præcipuas quæ tum temporis vigebant vrbes recenſet, earumque diſtinctionem facit quadruplicem. Aliæ ſiquidem erant* Auſtrales *de quibus verſ. 21. vſque ad 33. Aliæ* campeſtres *ſeu in humili ac plano ſitæ, de quibus verſ. 33. vſque ad 37. iterumque à v. 37. vſque ad 48. Aliæ ſunt* montanæ, *de quibus verſ. 48. vſque ad 61. Aliæ demum, quæ* in deſertioribus, *minuſque habitatis* locis, *de quibus verſ. 61. & 62. Hiſque omnibus appendicula* de Hieruſalem *tanquam celeberrima, nominatiſſimaque vrbe, cuius mentio fuerat verſ. 8. attexitur verſ. 63. quomodo eam totam capere nimirum non potuerit Iudaica tribus: ſed in ea cum Iudæis tribubus vna adhuc manſerint veteres coloni Iebuſæi.*

QVÆSTIO I.

Sit ne vrbium, locorumque iſtorum vtilis inueſtigatio.

VIdetur quibuſdam vanum ac inutile, in vrbium locorumque iſtorum ſitu ac nominibus inueſtigandis ac exponendis operæ aliquid ponere. Qui profecto falluntur admodum. *Primò* enim ſumma Chorographiæ in omni prorſus hiſtoria vtilitas prout lib. 1. principio docet Strabo, & ipſa, eo ſilente, quotidiana experientia. Ne, inquit l. 5. Polybius, *obſcura ſint quæ dicuntur propter locorum imperitiam, natura & ſitus illorum, declarandus eſt.* & paulo poſt. *Non eſt contemnenda topographia, nulla prorſus in re.* Refert in Nicia Plutarchus, in artificum hemicyclis & officinis propoſuiſſe illum Siciliæ Topographiam, ſicque ob loci, vt contra Pœnos bellum geri poſſet, oportunitatem, excitaſſe Athenienſes. *Secundò.* Non eſt de nihilo, quicquid ſacris in literis à Spiritu ſancto poſitum eſt. *Omnis Scriptura*, inquit Apoſtolus, *diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in Iuſtitia.* Quomodo, ea

A quæ locos denotat ac proponit, Scriptura inutilis ſit? Quomodo eius inueſtigatio & contemplatio inanis ac infructuoſa? *Tertiò.* S. Chryſoſtomus homilia in Priſcillam & Aquilam in principio. *Nihil omnino*, ait, *in ſacris literis ſuperuacaneum. Nonne didiciſtis & inſcriptiones, & nomina diligenter in arcanis Scripturis excutienda? Ego ſane ſtudioſos arbitror ne laturos quidem, vt verbulum aliquod in ſacris literis contemptim prætereatur, etiamſi*
B *tantum nomina recenſeantur, vel tempus numeretur, vel breuis cuipiam cognitio contingat.* In eadem Scriptura ſacra, quæ videntur parua, magna ſunt, vt idem oſtendit S. Chryſoſtomus hom. 1. ad populum. *Metallorum*, ait, *terram excoquentes poſtquam in caminum ipſum iniecerint, non tantum auri maſſas tollunt, ſed & paruas bracteolas multa cum ſedulitate colligunt.* Similia in Origene leguntur non raro, vt in hunc lib. hom. 13. 14. 20. 23. *Quar-*
C *tò.* Tantum hac in re commodi poſitum cenſuerunt priſci Eccleſiæ doctores, vt librum *de locis Hebraicis* perutilem operoſe ſcripſerit Euſebius, eumque Diu. Hieronymus in Latinam linguam, non vt ante ipſum alius quidam vix primis imbutus literis, Latine verterit, hoſque poſtea ſecutus Beda ſit, & alij. *Quintò.* Quin vero

Digitized by Google

& regionem totam peragrandam ſibi duxit idē A
S. Pater & quidem cura, ſtudio, ſumptuque
magno, vt eius, qui è locorum cognitione per-
cipi ſolet fructus compos fieret, prout ipſius
in Paralipomena præfatio teſtatum facit hiſce
verbis. *Quomodo Græcorum hiſtorias magis intelli-
gunt, qui Athenas viderint, & tertium Virgilij librum
qui à Troade per Leucatem, & Acroceraunia ad Sici-
liam, & inde ad oſtia Tyberis nauigarunt: Ita ſanctam
Scripturam lucidius intuebitur, qui Iudæam oculis con-
templatus ſit, & antiquarum vrbium memorias, loco-
rumque vel eadem vocabula vel mutata cognouerit.
Vnde & nobis curæ fuit cum eruditiſſimis Hebræorum* B
*hunc laborem ſubire, vt circumiremus prouinciam,
quam vniuerſæ* CHRISTI *Eccleſiæ ſonant. Sexto.* Vi-
dere eſt interdum nonnullos, qui vel in ſcholis
vel populi concionibus, cum *Capharnaum, Beth-
leem* & ſimilium incidit mentio, non ſecus, ob
locorum imperitiam hallucinentur, quam ille,
de quo paulo poſt in 8. quæſt. Apion. Reſpuit
igitur eorum opinionem prudentia, qui loco-
rum ſacris in codicibus poſitorum perſcruta-
tionem cenſent infructuoſam. Quid ſi vtiliter
ac iucunde, quibus in locis à Cæſare, Liuio &
ſimilibus res quæpiam narrantur, prophanæ C
ac gentiles, ea inquiruntur, diſcuntur, & per-
tractantur, cur non ea multo magis, quæ diui-
ni annotarunt, ſacraſque miſerunt in litteras
homines.

Non queo tamen Origenis homilia in Nu-
meros vltima, & hunc in librum homilia 23.
laudare ſententiam, dum locorum iſtorum
tantam arbitratur vtilitatem, vt ſimilium in
cœlis locorum Symbola & figuras exiſtimet.
Idque ob argumenta fere tria. *Primum.* Terre-
na omnia vocat Apoſtolus ad Heb. 8. v. 5. *vm-
bram & exemplar cœleſtium. Secundum.* eſt *cœleſtis*
Hieruſalem, & *cœleſtis mons Sion* in eadem epiſto- D
la c. 12. v. 22. *Tertium.* Quemadmodū terræ, ſic
etiam cœli plagæ quædam ſunt: aſtrorumque
nomina eadem quæ in terris, prout in *Enoch* li-
bellis traditur. Sed vt omnibus in rebus, ſic &
in allegoricis, anagogiciſque ſcripturarum ex-
plicationibus eſſe modum oportet. Quæ ſiqui-
dem in cœlo *Samaria*? Quæ *Bethauen*? Quod ma-
re ſalſum? Qui *Acrabbim* ſiue qui *Scorpionum a-
ſcenſus*? Neque illius quidquam efficiunt argu-
menta. Quoad *primum* enim *cœleſtia* vocantur
ſpiritalia & diuina, quæ ad cœlos deducunt, my- E
ſteria, ſiue in terris ſiue in cœlo ea ſint. *Ad Se-
cundum. Cœleſtis Hieruſalem* eſt Eccleſia tam mi-
litans, quam triumphans. Sed vt de hac tantum
agam cum totum cœlorum regnum ſit Hie-
ruſalem, qui locis aliis locus? An in vrbem
vnam, vrbes, vicos & caſtella XII. tribuum cō-
geremus omnia? *Ad tertium.* Dixi iam alias ex S.
Hieronymo, deturpata infamibus gentilium
nominibus Sydera. Neque enim in cœlo vr-
ſæ vllæ, arietes, tauri, cancri, ſcorpij, canes, &
caniculæ. Ipſius autem *Enoch libelli* apocryphi
ſunt, prout in S. Iudæ epiſtolam attigi. & ipſe
citata in Num. homilia non diffitetur Orige- F
nes. Inter extremas vero iſtas opiniones video
à nonnullis aliquando temporum locorumque
in Scripturis diſquiſitionem inutilem vocari,
non ſimpliciter, ſed quando ab vtilioribus, ma-
giſque neceſſariis animos vel auocat, vel æquo
plus retardat, vt in ſcholis ſi aliqui, anno vno,
Scripturarum libri prælegendi ſint, operæ non
videtur precium in his immorari diutius, me-
tiſque aut annorum numeris, aut locorum pi-
cturis Theologiæ perdiſcendę cupidas opplere
mentes. Vide infra quæſt. 8.

QVÆSTIO II.

In Iudææ terminis quæ notanda?

PRimo. *Deſertum Sin* verſ. 1. non eſt idem cum
eo, in quod menſe ab Ægyptia egreſſione
ſecundo venerunt filij Iſrael Exodi 16. Licet
enim vtrumque Græcè σὶμ, & nos *Sin* vocemus
manifeſtum tamen in Hebræo diſcrimen eſt,
cum vnum per צ alterum per ס inchoetur. Et
hic quidem primo per *tſade. tſin* ſcriptum eſt, ſi-
cuti & paulo poſt verſ. 3. pro *tſena*, aut Græce
σινὰ, eſt Hebraice *Tſinah*, ne Sinæum hic mon-
tem quis cogitet. Videtur autem deſertum
iſtud *Tſin* extra Iudææ ſortem fuiſſe ad Aſphal-
titæ lacus auſtralem terminum proxime. Idque
vt exprimant aliqui, dicunt Iuda terminum eſſe
contiguum terræ Edom, & filiis Sin.

Secundo. Salſiſſimum mare vocatur in Hebræo
mare Salis, ſeu mare ſalſum. Superlatiuo ta-
men vtitur Interpres vt hoc ab aliis diſtinguat
maribus, quæ etiam ſalſa ſunt, & ita, vt
interdum *Sal* vocentur, prout apud Maro-
nem Æneid. 1. *Vela dabant læti, & ſpumas ſalis
ære ruebant.* Hoc vero ad Iudæam mare multo
quam alia omnia ſalſius, de quo dixi iam, &
in Geneſin, & in librum hunc. Vnde tamen hic
repetendum, huius longitudinem, quæ ab Au-
ſtro ad Septentrionem eſt, ab Ioſepho lib. 5. an-
tiq. cap. 5. tradi ſtadiorum 580. latitudinem 150.
Idemque vocatur *Aſphaltites lacus.* Quemad-
modum vero ab *Adria* mare quoddam dicitur
Adriaticum, ſic à ciuitate Salis, de qua infra.
verſ. 62. mare hoc ſalſum vocatum putat è No-
uatoribus Beroaldus lib. 3. Chron. capite ter-
tio: ſed verior cauſa è Sodomitico incendio
tradita in Geneſi.

Tertio: lingua maris vocari ſolet ſinus eius ali-
quis vt Iſaiæ 11. verſ. 15. Septuaginta tamen hic
vertunt λοφιὰν, & Thargum *Cepha*, id eſt, *Petrum*
ſeu *Petram*, vel quia Hebræa vox non aquas tan-
tum, ſed terras etiam ac rupes, quæ linguæ ſi-
militudinem habent, ſignificat: vel quia pro ea
poſuerunt illi aliam, quæ terminum & locum
eundem à nota valde tum inſigni, omnibuſque
nota ſignificaret, à petra ſcilicet aliqua immi-
nente, aut vicina.

Quarto. Meridiem Auſtralemque plagam fe-
re vocant hic 70. λίβα, qui ventus ab Auſtrali
plaga eſt. Et iidem ſæpe hic ponunt κάδως, vt
verſ. 1. & 4. Rurſumque *Addar* & 70. dicitur
σάραδα. Sed enim iſtud ς. videtur acceſſiſſe ex in-
tercedente præpoſitione εἰς: ita vt legendum
videatur εἰς ἄραδα, vel potius ἄδαρα.

Quinto. Aſcenſus Scorpionis, cliuus eſt aut
mons, in quo vel Scorpionum copia, vel quæ-
dam figura & ſimilitudo. Eum faciunt aliqui
extremo Aſphaltitæ termino Auſtrali Aquilo-
nariorem, vt arias in *Phaleg*, ſeu tabula omnis
terræ Iſrael. Id tamen minime placet Maſio.

Sexto. torrens Aegypti, Nilus à quibuſdam dicitur, ſed dupliciter. *Primo.* Vt ea eius pars ſeu oſtium ſignificetur, quod ad Peluſium eſt. Atque hoc non diſplicet hic Maſio. *Secundo.* Vt ſit fluuius *Rhinocolura,* qui & alio nomine *Nilus* vocatur, vel quia ex eo per ſubterraneos quaſi meatus & colliquias eſt, vel quia ab illo non remotiſſimus.

Septimo. Ea quæ reſpiciunt ad Aquilonem verſu quinto triplicem habent explicationem. *Prima.* eſt Iunij, vt ab Aſphaltitæ Aquilonari termino porrigatur Iudææ portio per illam Iordanis fluuij partem, quæ exinde eſt vſque ad lacum Genezareth: & ſic infra capite 19. verſu 34. ait Nephthalicæ tribus fines eſſe Iudaicæ finibus conterminos. *Altera* eſt Ariæ, vt Septentrionalis hoc loco Iudææ terminus inchoetur à lingua ſcilicet Mediteranei ſiue occidui maris, vſque ad orientalem eundem Iordanis fluuium. *Tertia.* vt ſit medij prioris repetitio, & exegeſis hoc modo, Iſte ab Auſtrali maris eiuſdem Lingua terminus verſus Aquilonarem angulum ſeu partem eſt ipſa Iordanis fluuij extremitas, vbi nimirum in Aſphaltiten conditur. *Prima* Iudææ fines profert nimium, neque textui ſatis conſona. *Media* perfacilis eſt, ſicuti & *tertia:* ſed illa textui Latino, hæc Hebræo iunctior.

Octauo. Ichneel verſ. 11. *Quin ſit duarum Iamniarum altera, nihil dubito,* inquit Maſius. Nam ſolent Græci litteram *beth* in ſuum *mi* ſæpe cõuertere. Idem & Ariæ videtur hic & in *Caleb* vbi de tribu Dan. & vterque maritimam eſſe vult.

Nono. Magni maris contra occidentem fine con- A *cluditur.* Breuiter concluſit Interpres, quod in Hebræo dicitur pluribus ſic: *Et fuerunt egreſſus termini huius ad mare* ſeu *verſus occidentem. Et terminus maris verſus mare magnum,* Poſſetque membrum hoc poſterius ita ſumi, quaſi terminus hic eſſet à mari orientali ſeu ſalſo ad mare occiduum, ſeu *magnum,* quia cum aquarum cõgregationes paulo maiores *maria* Hebræis vocarentur, Gen. 1. verſu 10. & apud Plinium lib. 5. capite 16. Virgilium Æneidos 1. indeque appellatum eſſet illis in locis *mare Genezareth, mare ſalſum;* omnia ibidem longe ſuperaret magnitudine, aquarumque mole Mediterraneum.


Decimo. Lapis Boen verſu 6. ſeu *Euen Bohan* B dicitur eſſe filij Ruben. An quia inter Chananæos *Ruben* aliquis erat? an potius quia è Rubenitis, qui ſub Ioſue adhuc militabant: *Bahan* iſte præclarum quidpiam ad lapidem iſtum egerit? hoc veriſimilius. ſed recentiſſimum tunc nomen fuerit.

Vndecimo. Galgala verſu 7. diuerſa quibuſdam videntur ab iis in quibus Iſraelitarum caſtra, ſupra cap. 5. fiximus. Hæc enim cliuo *Adommin,* qui D. Hieronymo in Paulæ Epitaphio teſtante, inter Hieruſalem & Hierichuntem erat, vicina: ſed caſtrenſia illa Hierichunti & Iordani propiora: & hæc infra cap. 18. non *Galgal* vt cap. 5. ſed *Geliboth* vocantur.

Duodecimo. In his locorum expoſitionibus hæ C frequenter occurrunt voces, *aſcendere, tranſire, tendere, reſpicere, exire, inclinari, circumire, deſcendere,* quas breuiter indicat Arias vna iſtius modi linea.

Adde ab interprete noſtra ſumi *contra* ſæpicule pro *verſus,* vel *exaduerſo, è regione.*

a b Tranſire.
b c Tendere.
c d Reſpicere.
d e Conuertere.
e f Circuire.
f g Exire.



QVÆSTIO III.

Auſtrales Vrbes Iudaæ quot fuerunt?

Reſpondet verſ. 32. textus, omnes ciuitates xxix. & villę earum. At ſi quæ in textu ſunt nomina à verſ. 21. ad hunc vſque 32. colligamus plures multo videbuntur eſſe vrbes, & quidem ſecundum R. Iſaiæ calculum xxxvi. Secundum 70. & noſtrum xxxvii. ſecundum Rabbinorum aliorum xxxviii. Hunc in calculo iſto nodum conantur ſoluere Rabbini, eoſque ſecutus Iunius, quod 29. fuerint *Iudaicæ tribus:* aliæ vero, quæ hic adiiciuntur, *nouem Simeoniticæ.* Sed cum de Iudaica hic tribu tantum agatur, & Simeoniticæ portionis ne verbulum quidem iniectum ſit, an non abſurda reſponſio hæc? Si cuius bona quis recenſeret, omniaque ſigillatim per calculum denotans in vera ſumma prætereat aliqua & dicat. ideo fieri, quia huius aut illius, de quo mentio nulla fuit, futura ſint, an non calculator habeatur imperitus, ridiculus? Abulenſis vero Hebræum *textum* ait D *corruptum,* & in eo aliiſque omnibus pro 29. reponendum. 39. Sed non niſi in extremo voluti naufragio tabula hæc arripienda. Dicendum potius in textus verbis ſpectanda etiam illa verba, *& villæ earum.* Nam vrbes quidem recenſitæ tantummodo ſunt 29. ſed cum iis villæ ipſarum cæteræ, quas maiores quidem & celebriores, mœnibus tamen haud cinctas vocant 70. κώμας, Hebræus textus *chaſerim,* Galli *bourgs,* Germani *Flecken* aut *Marcken,* Hiſpani *los corrales,* vt hic ab Hiſpano Aria notatum.

QVÆSTIO IV.

In Iudaæ planis vrbes quot?

E NVmerantur xiv. v. 37. rurſumque xvi. v. 41. Ideoque conſummate omnes xxx. At in priore illo numero non 14. ſed 15. potius numerandas, videntur exigere poſita nomina. Reſpondent R. Iſaias, & Raſchi *Aenam* ex vrbiũ eximendam numero, cum non vrbs, ſed fons apud Taphnam ſit. Sed iſto modo non inter

Iudaicos fines numerari debuiſſet, ſed Ioſephinos, vt ex ſequenti patebit c. 16. Reſpondet igitur ſecus Radak, Lyranus, & cum hoc Abulenſis, duo hic referri nomina, quæ vnam eandemque vrbem ſignificent *Gedera*, & *Gederothaim*, quemadmodum *Aſor* dicitur etiam *Eſrō* & *Dabir Cariath Sepher* vel *Cariathſenna*. Sed cum tam diſtincte, cæterorum inſtar, duo notentur nomina, cur non, vti & alia, pro locis accipiantur ſingulis? Quando eiuſdem loci nomina duo ſunt idipſum monere conſueuit textus, vt in *Aſor* verſ. 25. & *Debir* verſu 15. & 49. *Hebron* verſu 13. & 34. In ſuperioris igitur quæſtionis reſponſo perſtandum, *villam* ſeu municipium aliquod celebrius cum 14. vrbibus nominatum antea fuiſſe. Si vero quæras, cur harum in planitie vrbium ſummulæ duæ factæ ſint? reſpondet hoc loco, & quæſt. 10. Abulenſis, aliquod inter illas regionis fuiſſe diſcrimen.

QVÆSTIO V.

In montanis, deſertis, & ſummatim in Iudæa tribu tota vrbes quot?

IN *montanis* vrbes fuere XI. verſu 51. in *deſertis* VI. verſu 62. omnibus vero poſitis hactenus ſummulis in ſummam vnam adductis, datæ tam Iudaicæ tribui fuerunt vrbes 76. vna cum villis, municipiis, pagiſque plurimis. Caluinus vero, *numerantur*, inquit, *centum & tredecim vrbes cum oppidis & villis*. At nunquam ſumma tanta exiſtit, etiamſi villas & oppida, quæ in textu nominantur, in numerum vocemus omnia. Tantummodo enim ſummum forent LXXXVII. vt ex dictis perſpicuum.

QVÆSTIO VI.

An aliquæ tribui huic vel deceſſerint, vel acceſſerint vrbes poſtea.

DEceſſerunt ei aliquæ, & quidem eo modo & cauſa, quæ poſtea cap. 19. explicabitur. Acceſſerunt etiam progreſſu temporis aliquæ, vt *Bethleem* ſeu *Ephrata*, quæ cum olim iam fuerit, merito miretur quis hic prætermiſſam. Illas vero in ſuo *Caleb* recenſere ita incipit Arias. *Quæ poſt mortem Ioſue variis temporibus commemorata adnotantur, ſunt: Medemena, eademque Memnonis proxima Hazzab & Bethdagon non procul à Iamia, & Gabaath, Ceila adeo vicina, vt Habacuc vatis ſepulchrum vtraque ſibi vendicet, Halul villa Hebron proxima, & Eſchol vallis cum torrente, Theorah oppidum, de quo iam diximus, & ſaltus vaſti inter Ieruſalem & Engaddi, in eoque agro Aſphar lacus, & ſuper Thecuam ad Ortum Ieruel vallis, Beth-anabal, & Aorabi in terminis Iudææ ad Orientem, & Arath non longe à Cades agro, cuius regem infeſtum Iſrael aliquando ſenſit, ibidemque Barath, Arith in Daroma locus Dauid præſidio inſignis, & iuxta eum Aſthemech, & in agro Ieruſalem Bethſam ſiue Aſam vicus, Puteus ſiue ſons videntis me inter Cades & Arath, Bare ſiue Bera ſiue Beroëa vrbs inter Aſcalonem, Azotum & Ie-*

A *ruſalem, quæ Ioathan filio Ierubaal latebras dedit, Abimelech fratris ſæuitiam fugienti, & in eodem tractu Baaldezel vicus iuxta Bethſemes ſiue ciuitatem Solis, Berat Bethur, & Bezech Palæſthinorum ſiue Bezedim & Challis vrbs, & rupes Ethan, vnde Samſon ad Philiſthæos demiſſus eſt, & prope rupem Ebezinthia locus, & Vhatura villa non longe à Gaza & Sephir prope Aſcalonem, Beſſeron, quæ poſtea Bethſura, Ieroſolymorum præſidium ad vallem Rephaim in montibus ſitum. Bethacaris, Syriace vinearum domum ſignificans inter Beſſeron & Ieruſalem, eadem corrupte Bedus Carith & Bergazura & Deſſan caſtellum ad Aquilonem vrbis,* B *& Carnea vicus decem millibus paſſuum longe ab Ieroſolymis. In Gerara agro Beer Dan, ibidem Gerara metropolis dicta, & Gurbaal, & vallis ipſa magna Gerar, & putei Iacob multi in ea valle. Inter Ieruſalem & Iericho, Bethagan, qua fugam in deſertum Sedechias petebat, & Lacabus vicus in agro Ieruſalem, & Salem cōtra ortum Ieruſalem in tractu ipſo atque vicinia Ieruſalem, Bethania villa ad Auſtrum montis Oliuarum duobus paſſuum millibus ab vrbe diſtans, & ſecus villam Bethphage, inter quam & vrbs collis eſt montis, & Turris gregis ſiue Geder non longe à Bethlehem Ephratha, monimentum olim ſceleris Reuben aduerſus paternæ* C *domus pudicitiam admiſſi. Hic paſtoribus Angelus Chriſtum nunciabat natum, in eadem regione Rama locus inter Tecboam & Hebronem Gebrata ſepulchrum Rachelis ſortitus locus. In agro vero Hebronis Luza & Ogyſoi regio Cananæorum olim vbi Agar Abrahæ locata dicitur. Et Malatha vrbs, & Maſeroth vbi aliquando Dauid in ſpeluncis latuit, ibidem Siphemoth locus: & Abel Miſraim, id eſt, luctus Aegyptiorum, Et Aſedoth ſiue Aſdoth locus: in ea regione Enacim fuerunt quorum reliquiæ in Gad & Aſdod manſere. Ad fines Auſtrales, Petra vrbs antiqua, alia ab Arabum Petra in Aegypti confinio. Paran deſertum in ambitu Maon & Carmel montium ad Auſtrum ſpectabat.* D *Sunt & alia minoris notæ loca, tamen vel commemoratione, vel rei in eis geſtæ monumento celebrata, vt Bethſaliſa in Tamnitica regione, & Bozor torrens ad Auſtrum Siceleg. Poſt Chiriathiarim ſunt caſtra Dan verſus Ieruſalem, quorum etiam nomen eſt Bethmaacha. Nobe etiam vrbs fuit Sacerdotibus adſcripta, inter Ramath Beniamin & Ioppen, quæ Saulis in Sacerdotes crudelitatem teſtata eſt. In agro Mareſa vallis fuit Zaphatha, aliis Sephala dicta à depreſſione, eadem etiam Rophaim vallis dicta, in eadem valle Adiada vrbs. Apud Bethſemes locus caſtrorum Philiſthiim indicabatur Aphech nomine. Ebenhazer lapis adiutorij* E *dictus prope Bethur. Circa mare Salis Sohar eſt, ſiue Sebor, quam Lot Sodomiticum incendium fugiens petiuit. Iuxta eam ad Aquilonem fuit Nimrim ſiue Benamrim, & in Iudæ montibus, qui ad Seir aſcendunt, ad vſque Baalgad erat mons Lenæus dictus, Caſphim vrbs munitiſſima ſuper Iabniam ad ortum in Dan tribu, atque in eiuſdem tribus termino occidentali, Eleutheropolis, quam Eltola quondam dictam putamus, itinerarij Hieronymiani notatione inſignis: in eadem tribu Dan ad Ortum verſus Ieroſolymam Malatha fuit.*

D. Hieronymus in Michææ cap. 5. *Legimus*, ait, F *iuxta* LXX. *duntaxat Interpretes in* IESV NAVE, *vbi tribus Iudæ vrbes & opida deſcribuntur, inter cætera etiam hoc ſcriptum: Thecua, & Ephratha, hæc eſt Bethlehem, & Phagor, & Aetham, & Culon, & Tami, & Soris, & Caræm, & Gallim, & Bether & Monacho ciuitates* XI. *& viculi earum. Quod nec in Hebraico, nec apud alium inuenitur Interpretem: & ſiue de*

veteribus libris eraſum ſit malicia Iudæorum, ne CHRISTVS *de tribu Iuda ortus videretur, ſiue à 70. additum, nequaquam liquido cognoſcentes, certum quid nouimus.*

QVÆSTIO VII.

Ad quam tribum ſpectarit Hieruſalem, & ex ea cur expelli non potuerunt Iebuſæi?

DIcetur partim cap. 18. partim Iudic. 1. verſ. 2. Vide Villalpandum in Apparatu vrbis l. 1. cap. 15. pag. 61.

QVÆSTIO VIII.

Cur Iudææ tribus, loca vel ſingula vel plurima hic non pertractentur?

CVm, vt ſupra quæſt. 1. dictum eſt, Sacræ Typographiæ vtilitas magna ſit, requirat merito quiſpiam, cur locorum, aut ſingulorũ, aut certe præcipuorum & plurimorum accuratior ac longior à quibuſdam hic non inſtituitur pertractatio? variis variæ cauſæ ſunt, & vbi ſuus eum premat calceus nouit quidlibet. Ei qui olim *orbis cymbalum* dictus eſt, Apioni obiicit libro ſecundo, contra ipſum Ioſephus: Geographiæ imperitiam. Hanc vero eandem ſibi cauſam ait Caluinus, cur in horum explicatione infans ac omnino nullus ſit. Iam, inquit p. 55. antea præfatus ſum, (opinor p. 49.) in delineando locorum ſitu & excutiendis nominibus non fore me curioſum, partim quia, me in A Topographica ſcientia non eſſe exercitatum fateor: partim quia magni laboris non niſi tenuis fructus ad Lectores rediret. At de fructu quidem actum quæſtion. 1. Hæc vero Geographiæ ignoratio ei ſane doctori turpis, qui præ ſe veteres contemnit omnes: eaque Caluino quam Apioni tanto probroſior, quanto magis à tam multis hodie ſuſpicitur, omnibus anteponitur, *Doctiſſimus* perpetuo *Interpres* κατ' ἐξοχὴν, appellatur. Quamuis vero à ſacrarum interpretatione litterarum, illum alia multo maiora, magiſque neceſſaria repellant, præſertim vero malus animus, arrogantia, diſſenſionis, ac diſſectionis Eccleſiaſticæ ſtudium, repellit tamen, & vtraque manu abarcet, non B parua etiam inſcitia, quæ illo Platonis progrãmate damnata, & à ſacro ſcholarum iſtarum limine penitus excluſa, οὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω. Alios vero, vt hiſce non immorentur, mouet vtilis ad alia quædam vtiliora properatio, prout quæſt. 1. etiam attigi. Me autem ab his hoc tempore auocat maxime, quod in promptu eos iam auctores videam, à quibus præclara in his eruendis, explicandis, delineandis, ac expingendis poſita opera. nam præter veterum Euſebij, Pamphili, & Interpretis D. Hieronymi ac Bedæ de ſacris locis commentarios, extat perdiligens Maſius, Arias Montanus, tam in huius libri commentario, quam incitatis ante libris *Caleb & Phaleg*, Chriſtianus Adricho- C mius in *terræ ſanctæ theatro*, P. Alphonſus Salmeron prolegomeno 41. Ab his peracta, recte num agam? Ad hos, in ſecuturis etiam tribubus & capitibus, i, bone Lector, i pede fauſto.

CAPVT XVI.

De Ioſephinarum tribuum duarum Portionibus, & ſingulatim de ipſius Ephraimicæ.

1. CEcidit quoque ſors filiorum Ioſeph ab Iordane contra Iericho & aquas
eius ab Oriente: ſolitudo quæ aſcendit de Iericho ad montem Bethel:
2. & egreditur de Bethel Luza: tranſitque terminum Archi, Ataroth,
3. & deſcendit ad Occidentem iuxta terminum Iephleti, vſque ad terminos Beth horon inferioris, & Gazer: finiunturque regiones eius mari
magno: 4. poſſederuntque filij Ioſeph Manaſſes & Ephraim. 5. Et factus eſt terminus filiorum Ephraim per cognationes ſuas: & poſſeſſio eorum contra Orientem Ataroth addar vſque Beth horon ſuperiorem. 6. Egrediunturque confinia in Mare:
Machmethath vero Aquilonem reſpicit, & circuit terminos contra Orientem in Thanathſelo: & pertranſit ab Oriente Ianoë. 7. deſcenditque de Ianoë in Ataroth &
Naaratha: & peruenit in Iericho, egrediturque ad Iordanem. 8. De Taphua pertranſit contra mare in Vallem Arundineti, ſuntque egreſſus eius in mare ſalſiſſimum. hæc eſt poſſeſſio tribus filiorum Ephraim per familias ſuas. 9. Vrbeſque ſeparatæ ſunt filiis Ephraim in medio poſſeſſionis filiorum Manaſſe, & villæ earum. 10.
Et non interfecerunt filij Ephraim Chananæum, qui habitabat in Gazer: habitauitque Chananæus in medio Ephraim vſque in diem hanc tributarius.

COMMENTARIVS.

EX Geneſi 49. & ex alijs hic antea memoratis conſtat duos Ioſephi filios Ephraim, & Manaſſe à Iacobo in filiorum ſuorum numerum adoptatos, ita vt non ſecus hæreditatem ij ambo adirent, quam alij filij Iacob, & non tam huius nepotes quam filij cenſerentur. amboque eſſent poſterorum ſeu tribuum ſuarum capita, ſicut alij filij & Patriarchæ, cum alioquin vnum tantummodo caput forent, ſi ſuo tantum Patri Ioſepho, qui, cæterorum fratrum inſtar, vnus fuit, ſucceſſiſſent. Harum igitur duarum à duobus iſtis proſeminatarum tribuum in promiſſa terra portiones duobus hiſce capitibus deſcribuntur, & quidem dupliciter. Primo, generatim primis quatuor verſibus capitis 16. Deinde ſigillatim reliquis vtriuſque capitis verſibus, ſed ita vt capite 16. v. 4. Ephraimi abſoluatur ſors, capite 17. Manaſſæ. Et generatim quidem ſoli ac ditionis ambarum ſimul tribuum limes Auſtralis oſtenditur, progrediendo ab oriente ad occidentem, ab ea ſcilicet Iordanis parte quæ Hierichunti vicina, & è regione ipſi obiecta eſt, vſque ad mare mediterraneum: ducendo illinc huc uſque funem ſeu lineam per Ierichuntinas illas Eliſæi poſtea miraculo, 4. Regum cap. 2. celebres aquas per ſolitudinem, quæ ſcilicet ſolitudo, vt Chaldæo, aut ſors vt Ariæ magis placet, ſeu linea ad Bethelem montem aſcendit, inter Bethelem & Luzam per Archiataroth, (quam Chaldæus vocem diuidendo in loca duo partitur) iuxta Iephleh, & per Bethoron inferiorem, vrbemque Gazer. Tum vero terminus, in quem linea iſta deſinit, eſt ipſum, de quo ſuperiori capite quæſtione 2. magnum mare. In ſingulari vero partium deſcriptione poſſunt notari hæc.

I. Particularis hæc inter duas iſtas Ioſephinas tribus portio videtur Maſio non ante facta, quam tribuum reliquæ ſuas quæque poſſeſſiones ſortito acciperent. Abulenſi q. 2. & alijs videtur aliud. Et ſubdit ipſe Maſius: ſed non magni intereſt, illico an poſt, diuiſerint priuatim ipſi inter ſe hæreditatem, quam in commune vnicâ ſorte, vt dixi, acceperant.

II. Duæ in iſta Ephraim tribu hic indicantur Bethorones vrbes, inferior, quæ Auſtralis & occidentalior v. 3. & ſuperior, quæ Aquilonaris & Orientalior, v. 5.

III. Ephraimicæ tribus eiuſdem indicatur 1. Latitudo, ab meridie ad ſeptentrionem, v. 5. eiuſque ſpacium inter lineam, quæ per Auſtralem Ataroth addar tranſit, & inter lineam, quæ per Aquilonarem Bethoronem ſuperiorem. Sed illud, contra orientem valet, verſus orientem ita duæ celebres vrbes in orientalibus huius latere ſignificantur, ſed Auſtralis vna, Septentrionalis altera, vt dixi. Indicatur 2. Latitudo ſeptentrionalis, ab oriente in occidentem tripliciter. Nam primo ponitur, quaſi terminus quidam communis nominata vrbs Bethoron ſuperior: & ab ea pergitur verſu 6. verſus occidentem, ita vt confinia ſeu termini deſinant in mare mediterraneum, relicta tamen & veluti ſecluſa, verſus ſeptentrionem, vrbe Machmethah. Deinde ab eadem Bethorone circuit terminus ſeu reflectitur, & pergit verſus orientem cœptus ille Aquilonaris funiculus in vrbes orientales ſex; quarum vltima, & maxime orientalis eſt Iericho, donec ad Iordanem ipſum verſu 7. ventum ſit. Tertio. abſoluitur vel magis explicatur verſu 8. quæ à Bethorone ſuperiore indicata erat linea in occidentem. Hæc enim progreditur per Thaphnam & arundineti vallem vſque ad idem Mediterraneum mare.

IV. In iſta deſcriptione aquilonaris latitudinis duo ſunt in Latinis quidem libris menda. vnum verſu 6. circuit terminos, pro circuit terminus. Alterum, v. 8. in quem verſum irrepſit illud falſiſſimum. Et vtraque iſta correctio ex Hebræo & Græco perſpicitur.

V. Pro valle arundineti, ſeu quæ arundinibus abundat, vertunt quidam fluuium vel torrentem Cannæ ſeu arundinis quia Hebræa vox nachal, & vallem & torrentem ſignificat, prout vtroque etiam modo vertitur ſeq. c. 17. v. 9. Sed cum arundinoſa vallis dicitur, ſimula, quis nonnullis abundare ſignificatur. Depingit autem hunc torrentem Maſius: eundemque putant alij eſſe illum torrentem Carith, apud quem latuit Elias, 3. Reg. 17. Alij vero eum, qui Iudith. 7. c. in Græcis exemplaribus Machmour vocatur, prout eum in locum notaui, pap. 289. quaſi eſſet torrens aut fluuius niger, cuiuſmodi eæ fere cernuntur aquæ, in quibus, vel è quibus arundineta. Sunt enim plerumque ſtagnantes, limoſæ, ac torpidæ, vt idcirco minus recte verti videatur fluuius. Septuaginta vero χελκατὰ omiſſa prioris nominis priore ſyllaba Hebræas voces retinuerunt, & quaſi aut vrbem vnam, aut locum vnum aliquem poſuerunt.

VI. Vrbes ſeparatæ verſu 9. in Hebræo ſeparationum vrbes vocantur & exponuntur dupliciter. 1. Vrbes quæ ab Ephraimitis Manaſſæos ſeparant: & ſic à Tremellio ac Iunio vertuntur limitares vrbes. 2. Vrbes quæ ſeparatæ ſunt: & hoc melius non ob Latinum modo textum, ſed Græcum etiam, in quo αἱ πόλεις αἱ ἀφορισθεῖσαι. Et cur limitares ſeu limitaneæ vrbes in Manaſſæa tribu, quam in Ephraimica ipſa ponuntur potius? Nam limes vtriuſque limes eſt. Sed ſeparatæ dupliciter dicuntur, vel nimirum, quia ſeparatim Ephraimitis deſignatæ ſunt, vt vertit Maſius, vel quæ ab enumeratis iam Ephraimitarum vrbibus diſiunctæ ſunt: & ſic Arias: Annotationem, inquit, ſiue emphaſim lectio hæc habet, indicatque præter eas vrbes, quæ Ephraimitis in propria regione à fratribus Manaſſenſibus diuiſæ contigerant, certas alias iam tum illis notas communi ſenſu fuiſſe adſcriptas, atque diligenti & accurata conſignatione traditas, cum viculis & pagis. Idemque in commentario ſenſus Maſio eſt, quem amplectitur etiam Caietan. Intellige, ait, non quoad proprietatem, ſed quoad ſitum ciuitates aliquas Ephraim in medio Manaſſis fuiſſe. Non enim ablatæ ſunt à Manaſſe, & datæ Ephraim, ſed ſitæ deſcribuntur inter terminos Manaſſis hinc & inde, vt in capitulo ſequenti manifeſtari videtur. Idem & Lyrano viſum, quem ratione nulla refellit Abulenſis, aſſerens opinionem quæ minus probabilis, hanc: vrbes Ephraim fuiſſe circumdatas à Manaſſæa tribu nimirum quoad Aquilonare ac orientale latus. At ſic interiores tribus omnes ab alia quapiam circundantur: neque exponitur, cur vocatæ ſint vrbes illæ ſeparationum.

VII. Ephraimicæ tribus in Chananæis interficiendis, ſeu expellendis, & diſperdendis, vt Hebræus Græcuſque textus habent v. 10. vel conſilium, vel, contra Exodi c. 23. v. 32. Deut. 7. v. 2. peccatum rurſus explica-

Digitized by Google

bitur Iud. 1. v. 29. & ſimile quid à 70. inſeritur infra c. 19. ante verſum 49. antequam de Iſſuana portione agant eum verſum 48. ſurſum, ante Damicam in Leſem *expeditionem, traxiſſent, & illud explicat de exorciſtis, & pro Chriſtianis Origenes homil. 24. Quod autem hic additur,* vſque in diem hanc, *iam ſupra occurrit ſæpius. Hic tantummodo notandum à 70. diem illum quodammodo indicare, fuiſſe* Salomonis tempore. *Vnde colligas non inepte quis, aut librum hunc coſcriptum tempore, aut potius, vt proleg. 2. tactum, haſce additiunculas tum factas. Ita vero illi.* κατῴκει ὁ Χαναναῖος ἐν τῷ Εφραιμ ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης, ἕως ἀνέβη Φαραὼ βασιλεὺς Αἰγύπτου, καὶ ἔλαβεν αὐτὴν Γάζερ, καὶ ἐνέπρησεν αὐτὴν ἐν πυρὶ καὶ τοὺς Χαναναίους, καὶ τοὺς Φερεζαίους, τοὺς κατοικοῦντας ἐν Γάζερ ἐξεκέντησαν. καὶ ἔδωκεν αὐτὴν Φαραὼ ἐν φερνῇ τῇ θυγατρὶ αὐτοῦ. *3. Regum 9. verſ. 16. & hoc eſt, quod hom. 22. tangit Origenes.*

CAPVT XVII.

De Manaſſææ tribus Portione.

1\. Cecidit autem ſors tribui Manaſſe: (ipſe enim eſt primogenitus Ioſephi)
Machir primogenito Manaſſe patri Galaad, qui fuit vir pugnator, habuitque
que poſſeſſionem Galaad & Baſan: 2. & reliquis filiorum Manaſſe iux-
ta familias ſuas, filiis Abiezer, & filiis Helec, & filiis Iſrael, & filiis Sechē,
& filiis Hepher, & filiis Semida. iſti ſunt filij Manaſſe filij Ioſeph, mares,
per cognationes ſuas. 3. Salphaad vero filio Hepher filij Galaad filij Machir filij Manaſſe
non erant filij, ſed ſolæ filiæ: quarū iſta ſunt nomina, Maala & Noa & Hegla & Melcha
& Therſa. 4. Veneruntque in conſpectu Eleazari ſacerdotis, & Ioſue filij Nun, &
principum dicentes: Dominus præcepit per manum Moyſi, vt daretur nobis poſſeſſio
in medio fratrum noſtrorum. Deditque eis iuxta imperium Domini poſſeſſionem in
medio fratrum patris earum. 5. Et ceciderunt funiculi Manaſſe, decem, abſque Terra
Galaad & Baſan trans Iordanem. 6. Filiæ enim Manaſſe poſſederunt hereditatem in
medio filiorum eius. Terra autem Galaad cecidit in ſortem filiorum Manaſſe qui reli-
qui erant. 7. Fuitque terminus Manaſſe ab Aſer, Machmethath quæ reſpicit Sichem:
& egreditur ad dextram iuxta habitatores Fontis Taphuæ. 8. Etenim in ſorte Manaſſe
ceciderat Terra Taphuæ, quæ eſt iuxta terminos Manaſſe filiorum Ephraim. 9. De-
ſcenditque terminus Vallis arundineti in meridiem torrentis ciuitatum Ephraim, quæ
in medio ſunt vrbiū Manaſſe: terminus Manaſſe ab Aquilone torrētis, & exitus eius per-
git ad mare: 10. ita vt poſſeſſio Ephraim ſit ab Auſtro, & ab Aquilone Manaſſe, & vtraq.
claudat mare, & coniungantur ſibi in tribu Aſer ab Aquilone, & in tribu Iſſachar ab O-
riente. 11. Fuitq. hereditas Manaſſe in Iſſachar & in Aſer. Betſan & viculi eius, & Ieblaā
cū viculis ſuis: & habitatores Dor cū oppidis ſuis, habitatores quoq. Endor cū viculis
ſuis: ſimiliterque habitatores Thenac cū viculis ſuis, & habitatores Mageddo cū viculis
ſuis, & tertia pars vrbis Nopheth. 12. Nec potuerunt filij Manaſſe has ciuitates ſubuer-
tere, ſed cœpit Chananæus habitare in terra ſua. 13. Poſtquam autem conualuerunt
filij Iſrael, ſubiecerunt Chananæos, & fecerunt ſibi tributarios, nec interfecerunt eos.
14. Locutique ſunt filij Ioſeph ad Ioſue, & dixerunt: Quare dediſti mihi poſſeſſionem
ſortis & funiculi vnius, cum ſim tantæ multitudinis, & benedixerit mihi Dominus. 15.
Ad quos Ioſue ait: Si populus multus es, aſcende in ſiluam, & ſuccide tibi ſpatia in Terra
Pherezæi & Raphaim: quia anguſta eſt tibi poſſeſſio mōtis Ephraim. 16. Cui reſpōderūt
filij Ioſeph: non poterimus ad montana cōſcendere, cum ferreis curribus vtantur Cha-
nanæi, qui habitant in terra campeſtri, in qua ſitæ ſunt Bethſan cum viculis ſuis, & Iez-
rael mediam poſſidens vallem. 17. Dixitque Ioſue ad domum Ioſeph, Ephraim & Ma-
naſſe: populus multus es, & magnæ fortitudinis, non habebis ſortem vnam, 18. ſed
tranſibis ad montem, & ſuccides tibi, atque purgabis ad habitandum ſpatia: & poteris
vltra procedere cum ſubuerteris Chananæum, quem dicis ferreos habere currus, & eſſe
fortiſſimum.

COMMENTARIVS.

QVatuor huius capitis videntur partes. In prima *explicatur quibuſnam Manaſſæarum familiarum capitibus data ſit Ciſiordanina tribus huius hæreditas à verſ. 1. ad 7. In* ſecunda. *quibus ea hæreditas circumſcribatur terminis, ad verſ. 12. In* tertia, *quomodo ſe erga Chananæos habuerint Manaſſæi v. 12. & 13. In* quarta, *eorundem quædam apud Ioſue proponitur conqueſtio, de qua à v. 14. ad finem.*

In I.

Digitized by Google

In I. poſſunt notari hæc. 1. Data eſt Manaſſenſibus duplicibus eius tribus hæreditas. Alij fuerunt trans Iordanem, de quibus ſupra cap. 13. & hic breuiter, dum dicitur verſ. 1. Machir, eiuſque primogenitus Galaad, homo admodum bellicoſus, illic ſuipſius nominis terram Galaaditidem, ſimulque Baſanem occupaſſe. Alij cis Iordanem in Chananæa, & hi fuerunt à ver. 2. ex illius nepotibus filij filiorum, qui mares, ſex, Abiezeris nimirum, Cheleki, Eſrielis, Sechemi, Chepheris, & Schemidæ. Sed quia penultimi huius filius fuit vnicus Salphaad, & huic mares nulli filij, ſed filiæ quinque v. 3. fit vt pro vno Cephere ponantur filiarum iſtarum portiones, quæ licet reſpectu & patris, & aui, eſſet, vti cæterorum illorum, vnica, quia tamen, ſecundum harum numerum, in quinque poſt modum fuit dirempta partes, dicuntur v. 5. Manaſſenſium Ciſiordanitorũ partes omnes ſimul decem, quarum quinque filiis data Abiezeris, Chelekı, Eſrielis, Schecemı, & Semidæ: quinque vero filiabus Salphaad, quæ eadem Chepheris neptes. Sed hæ quinque ſimul iunctæ non plus quam priorum quintarum vnius inſtar obtinebant. Atque hæc veriſſima atque expeditiſſima eſt illorum decem funiculorum, qui ver. 5. memorantur, expoſitio, quam ad hipparchias commentitias decem. R. Iſaias ad alios pridem mortuos, alij Rabbini in Babæ batræ c. 8. perinepte traxerunt. 2. Cur vero ſtatim v. 1. dictum ſit (ipſe enim Manaſſe eſt primogenitus Ioſeph) cauſam eſſe, ait Maſius, exiſtimo vt animaduertat Lector, præclare iſto ſortis caſu comprobatum eſſe Iacobi iudicium, Geneſ. 48. ver. 14. Sed Hebræam iſte particulam ci transfert autem, cum potius cauſæ nota ſit, valeatque quia, nam, & enim, prout vertit noſter & 70. Iunius vero & Tremell. vertunt, quia, & id additũ aiunt, vt ratio ſit, cur duæ partes ſint Menaſchi attributæ ex leg. Deut. 21. v. 17. Non quod legitur Gen. 48. 18. & ſeqq. prælatum Ephraimum Menaſchi, hoc non ad tranſlationẽ primogenituræ referendum eſt, ſed ad propheticam benedictionem Sobolis. At id contra omnium ſententiam, & interpretationẽ dicitur, vt illic docetur. Melius igitur ab Aria reſpondetur, hoc ideo iam dictũ, vt duo hæc in tribu ſignificentur miranda. vnum eſt, quod tam populoſa, tamque cis & vltra Iordanem late ſparſa ea fuerit. Alterũ quod poſt Ephraim, ſuæ huius Ciſiordaninæ partis compos fiat. vtriuſq. ſiquidem cauſa eſt, quod fuerit Manaſſe primogenitus Ioſephi, qui à Iacobo patre accreſcens dictus fuerat, Gen. 49. v. 22. & quod nihilominus ei ab eodem Iacobo prælatus Ephraim, Gen. 48. v. 16. & 19. Atque hanc etiam, quoad prius illud expoſitionem laudat citatus Maſius. 3. Salphaadinarum vero iſtarum hiſtoria, ad quam hic aſpicitur, eſt Num. 27. & 36.

In II. parte poſſunt etiam notari hæc. 1. Orientalem tribus huius limitem deſcribit textus v. 7. pergendo ab Aquilonari parte, Auſtralem verſus, ab vrbe Aſer vſque ad vrbem Machmatham, quæ vrbi Sichem è regione oppoſita erat, paulo tamen, quam illa Meridionalior. Aſer vero pro vrbe non pro tribu accipi, recte ſentiunt Arias, & Maſius, licet pro tribu acceperit Radak. 2. Ab vrbe vero Machmatha, dextram verſus pergendo ad occidentem, ſeu ad mare Mediterraneum ver. 7. 9. & 10. occurrit fons Taphuæ ver. 7. & vallis arundineti, de quo ſuperiori capite: & ſic tribus huius limes Auſtralis habetur idem ſc. qui Ephraimicæ tribus erat Aquilonaris. Admonet vero textus ver. 8. Taphuam vrbem pertinuiſſe ad Ephraimitas: eius vero terram ſeu agrum, ſuis cum municipiis & pagis, ad Manaſſæos. Funiculus enim ſeu linea, quæ à Meridie, aut vallem aut torrentem illum cannoſum ambiebat, ipſiſque Manaſſæis dabat, vrbes tamen, quæ valli huic ſeu torrenti adiacebant, ſi ab Auſtrali huius latere ſtabant, Ephraimitarum erant: ſi ab Aquilonari Manaſſæorum. Id enim ſignificant Hebræa ver. 9. quæ in Latino ſic accipienda. Deſcendit terminus vallis arundineti in Meridiem, ſeu meridionale latus ipſius torrentis: eſtque terminus illarum ciuitatum, quæ cum ſint in medio Manaſſæarum vrbium, ſunt tamen ipſius Ephraim. ita vt verbo tenus clarius verti queat: vrbes iſtæ ſunt Ephraimitarum in medio vrbium Manaſſæ. 3. Occidentalis terminus vtriuſque tribus aliquo modo indicatur ver. 10. ab Auſtro in Aquilonem. Vtrumque ſiquidem terminat mediterranei maris latus, & vtraque aliquo modo contermina eſt, Aſericæ tribui ad Carmelum montem, prope Doram vrbem. Dixi aliquo modo, quia eo per ſe non pertingit, Ephraimica ſors, ſed tantummodo per fraternam ſuam tribum Manaſſenſem, cum ambæ Ioſephinæ ſint. 4. Vtraque ſimili modo ab Orientali parte pertingit ad Iſachartanam tribum eodem ver. 10. 5. Habuit ipſa Manaſſenſis tribus in duabus iam dictis conterminis tribubus vrbes & vicos aliquot VII. videlicet 1. Bethſam, quæ & Scytopolis. 2. Ieblaam. 3. Doram. 4. Endoram. 5. Tenacum. 6. Mageddo. 7. Nepheth, ſed tertiata, ſeu eius tertia pars, vt eſt in noſtro textu, & Græco 70. τὸ τρίτον τῆς ναφετὰ, vel potius ναφετά. Maſius tamen hic & ſupra cap. 11. putat non vrbem eſſe, ſed tractum ac regionem, ita vt, interprete Aria, qui illi ſubſcripſit, pro tertia vrbis parte ſcribendum ex Hebræo ſit, trinitas ſeu triplicitas Nepheth, aut regionis. Symmachus tria Phœnicij maris littora conuertit. Ego Interpreti noſtro & 70. cum aliunde firmi nihil ſit, adhæreo. Abulenſis tamen, non in tribubus, ſed apud tribus iſtas fuiſſe Manaſſenſibus hæreditatis hoc vult, pag. 79. 6. Sunt in hiſce verſibus iſta fere per prolepſin omnia de hiſce vrbibus, & Aquilonaribus, Manaſſæorum terminis.

In III. parte narrantur etiam προληπτικῶς, quod Iud. 1. v. 27. dicendum, quemadmodum ſupra c. 16. verſ. vlt. In iſtius loci commentario videretur nonnihil Catholica quædam dogmata perſtringere Maſius, niſi morum vitia potius notare ac reprehendere cerneretur perſpicue.

In IV. demum parte notanda hæc. 1. Solos Manaſſenſes queſtos. Radak & alij quidam Iudæi putant, ſed vna cum illis Ephraimitas fuiſſe, non noſtri tantum docent Interpretes, Abulenſis, Arias, Maſius, ſed ipſe etiam contextus totus, præſertim vero ver. 17. 2. Statim poſt tentatam, neque perfectam Chananæorum expulſionem, queſtas fuiſſe has tribus exiſtimat R. Moyſes Gerundenſis. Sed non niſi poſt Ioſuæ mortem factum id fuiſſe cum in ſuperiori capitis parte dictum ſit, cenſendum, narrationem illam de Chananæis non expulſis per prolepſin ibidem poſitam. Nam Ioſue viuo ac ſuperſtite, nunquam illi maximo etiam cum tributo & quæſtu tolerati fuiſſent. Cenſet vero Maſius, poſt factam tribuum aliarum, de quibus cap. ſeq. ſortitionem, querelam hanc inſtitutam. Sed putarim ante potius hancque ipſam fuiſſe Ioſue occaſionem arguendæ tribuum omnium ignauiæ cap. ſeq. Videntur enim primo ſuam in poſſeſſionem collocati Ephraim & Manaſſe: in ea deinde aliquandiu habitaſſe: tum deinum de anguſtiis ſuis conqueſtum ad Ioſuam acceſſiſſe. 3. Quod de Ioſue dixi, & dicit textus, accipiendum retur Abulenſis per Synecdochen. Querelam ſiquidem depoſuiſſe illos non apud ſolum Ioſuam, ſed apud Eleazarum etiam principeſque diuiſioni huic præpoſitos. 4. Queſti ſunt vnius ſibi tribus poſſeſſionem datam, non quod vel ambæ Ioſephinæ tribus pro vna tantum ſumptæ eſſent, neque quod vnis finibus vna veluti tribus,

Digitized by Google

circunſcriptæ, neque demum quod totæ illis attributæ portiones, inſtar tribus vnius, anguſtæ, ſed quod ambæ ſimul non plus iam in datis amplis alioqui portionibus vacuæ, quietæ, ac è veteribus Chananæis liberatæ terræ obtinerent, quam ſi vna tribus eſſent, vel quam vni tribui ſatis eſſet, prout ex ipſius Ioſuæ reſponſis manifeſtum. 5. Per montem v.18. intelligunt aliqui montem vnicum, eumque aut Gelboæ, vt R. Iſaias, aut Ephraim: alij vniuerſe montanam regionem. & ſic noſter interpres ver. 16. Maſius, Abulenſis. Erant enim Ioſephinæ tribus, vti & Iudaica, montuoſæ. 6. Hebræus textus vt ver.16. & 18. admodum videtur intricatus. Ideoque & Rabbini, & noſtri expoſitores varie ipſum extricare, planumque reddere conantur. Noſter ſane Interpres id feliciter non verbo verbum reddendo præſtitit, apud quem illud & poteris vltra procedere, exprimit quod in Hebræo eſt, Et erunt tibi exitus eius, montis videlicet aut ſyluæ. 7. De Raphaim diſſerit hic quæſt.4. Abulenſis. Sed diſſerui alibi & de ferreis falcatiſque curribus dicetur, cap.1. Iud. 8. Querulorum hominum obſeruanda hic natura. Fere ſiquidem in alios rei, de qua queruntur, culpam conferunt, cum in ipſis ea hæreat. 2. exaggerant dotes ſuas, & quidem interdum aliquo cum pietatis prætextu vt iuſtam ſibi querendi cauſam monſtrent. Populus, inquiunt iſti, multus ſum, ſiue magnæ multitudinis ſum, & mihi valde benedixit Dominus, adeo ſane vt tanto, tamque præclaro numero ſim. 3. omnia mala, quæ ipſis eſſe videntur, augent: vt iſti, terræ anguſtias, Chananæorum robur & armaturam. 9. Omnia in iſtiuſmodi querulos retorquet Ioſue, vt vel ex iis quæ dicunt, à quiritando abducantur, æquioreque animo ſint. 10. Idem verus Ioſue CHRISTVS IESVS, & iam nobiſcum facit, & faciet in extremo olim iudicio. Stomachatur enim quis, & dicit vel coram ſuis ſuperioribus, vel in corde ſuo: Talis & talis, tantus & tantus ſum: deberem ſic & ſic ab his & illis coli: deberem his & illis frui commodis: priuilegia hæc & illa mihi eſſent concedenda. Si talis & talis es, tantus ac tantus, cur hoc & illud non agis? cur talentis tuis non vteris? cur adeo torpuiſti? cur ad vſuram illam non dediſti? Matth.25. 11. Non vult Deus otioſis dare omnia: operi etiam admouenda manus, aſcendendum in montes: collucanda nemora: exſcindendæ ſyluæ: domus exſtruendæ: Raphaim aggrediendi: hoſtium falces, enſes, & terrores omnes ſubeundi ac ſuperandi, prout hic homil.22. pulchre docet Origen. qui & inter alia, ſic: Emundemus ſyluam, quæ in nobis eſt, & excidentes, inutiles ac infructuoſas ex nobiſmet ipſis arbores, faciamus ibi noualia, quæ ſemper innouemus, & ex quibus fructum capiamus triceſimum, & ſexageſimum, & centeſimum. Hæc prioribus noſtris. Nauæ filius Ieſus præcepit de infructuoſis arboribus excidendis: hæc nobis Dominus Ieſus in Euangeliis mandata deſcribit Matth.3. Et quomodo non verum eſt, quod vmbra præceſſit, & veritas ſecuta eſt? 12. Excellens Ioſuæ fides eſt, qui Dei promiſſis fretus certe Ioſephinis promittit futurum, vt regione tota potiantur, ſi vel paululum iis, quas iis dedit Dominus, viribus ac opportunitatibus connitantur. 13. Egregia eiuſdem etiam integritas ac ſeueritas, qui cum ex Ephraim tribu eſſet, tribulium tamen ſuarum querimoniis aures obſtruit, iis nihil cedit. Quin & grauiter ac ſerio eos increpat & caſtigat: ſed ita rurſum prudenter ac moderate, vt iis & iniuſtas illorum querimonias, & facilitatem votis, optatiſq. patiendi iuxta oſtenderet.

CAPVT XVIII.

De ſecunda terræ in ſeptem reſiduis tribus diuiſione: ac ſpeciatim de Beniaminia portione.

1. COngregatique ſunt omnes filij Iſraël in Silo, ibique fixerunt tabernacu-
lum teſtimonij, & fuit eis terra ſubiecta. 2. Remanſerant autem filio-
rum Iſraël ſeptem tribus, quæ necdum acceperant poſſeſſiones ſuas.
3. Ad quos Ioſue ait: Vſquequo marcetis ignauia, & non intratis ad
poſſidendam Terram, quam Dominus Deus patrum veſtrorum dedit
vobis? 4. Eligite de ſingulis tribubus ternos viros, vt mittam eos, & pergant atque
circumeant Terram, & deſcribant eam iuxta numerum vniuſcuiuſque multitudinis:
referantque ad me quod deſcripſerint. 5. Diuidite vobis Terram in ſeptem partes:
Iudas ſit in terminis ſuis ab auſtrali plaga, & domus Ioſeph ab Aquilone. 6. mediam
inter hos Terram in ſeptem partes deſcribite: & huc venietis ad me, vt coram Domi-
no Deo veſtro mittam vobis hic ſortem: 7. quia non eſt inter vos pars Leuitarum,
ſed ſacerdotium Domini eſt eorum hæreditas. Gad autem & Ruben, & dimidia tri-
bus Manaſſe iam acceperant poſſeſſiones ſuas trans Iordanem ad Orientalem plagam:
quas dedit eis Moyſes famulus Domini. 8. Cumque ſurrexiſſent viri, vt pergerent ad
deſcribendam terram, præcepit eis Ioſue, dicens: Circuite Terram, & deſcribite eam,
ac reuertimini ad me: vt hic coram Domino, in Silo mittam vobis ſortem. 9. Itaque
perrexerunt: & luſtrantes eam, in ſeptem partes diuiſerunt, ſcribentes in volumine.
Reuerſiq. ſunt ad Ioſue in caſtra Silo. 10. Qui miſit ſortes coram Domino in Silo, di-
uiſitq. Terram filiis Iſraël in ſeptem partes. 11. Et aſcendit ſors prima filiorũ Beniamin
per familias ſuas, vt poſſiderent Terram inter filios Iuda & filios Ioſeph. 12. Fuitq. ter-
minus eorũ contra Aquilonẽ à Iordane: pergens iuxta latus Iericho ſeptẽtrionalis pla-
gæ, & inde contra Occidentẽ ad montana conſcendẽs, & perueniens ad ſolitudinẽ Be-
thauen, 13. atq. pertrãſiens iuxta Luzam ad Meridiẽ, ipſa eſt Bethel: deſcenditq. in Ata-
roth adar in montẽ, qui eſt ad Meridiẽ Beth horon inferioris: 14. Et inclinatur circuiẽs

contra mare ad Meridiem montis qui reſpicit Beth horon contra Africum: ſuntque
exitus eius in Cariath baal, quæ vocatur & Cariathiarim, vrbem filiorum Iuda. hæc
eſt plaga contra mare, ad Occidentem. 15. A Meridie autem ex parte Cariathiarim
egreditur terminus contra mare, & peruenit vſque ad fontem aquarum Nephtoa.
16. Deſcenditque in partem montis, qui reſpicit Vallem filiorum Ennom: & eſt
contra Septentrionalem plagam in extrema parte Vallis Raphaim. Deſcenditque
in Gehennon (id eſt, Vallem Ennom) iuxta latus Iebuſæi ad Auſtrum: & peruenit
ad Fontem Rogel, 17. tranſiens ad Aquilonem, & egrediens ad Enſemes, id eſt
fontem Solis: 18. & pertranſit vſque ad tumulos, qui ſunt e regione. Aſcenſus A-
dommim: deſcenditque ad Abenboen, id eſt, lapidem Boen filij Ruben: & per-
tranſit ex latere Aquilonis ad campeſtria: deſcenditque in planitiem, 19. & præ-
tergreditur contra Aquilonem Beth hagla: ſuntque exitus eius contra linguam ma-
ris ſalſiſſimi ab Aquilone in fine Iordanis ad auſtralem plagam: 20. qui eſt ter-
minus illius ab Oriente, hæc eſt poſſeſſio filiorum Beniamin per terminos ſuos in
circuitu, & familias ſuas. 21. Fueruntq. ciuitates eius, Iericho & Bethhagla & Val-
lis Caſis. 22. Beth Araba & Samaraim, & Bethel 23. & Auim & Aphara & Ophera,
24. Villa Emona & Ophni & Gabee: ciuitates duodecim, & villæ earum. 25. Gabaõ
& Rama & Beroth, 26. & Meſphe & Caphara, & Amoſa 27. & Recem, Iarephel &
Tharela, 28. & Sela, Eleph, & Iebus, quæ eſt Ieruſalem, Gabaath & Cariath: ciuita-
tes quatuordecim, & villæ earum. Hæc eſt poſſeſſio filiorum Beniamin iuxta familias
ſuas.

COMMENTARIVS.

P*Artes capitis fere quatuor. In* Prima *populi totius habitus Silunte conuentus deſcribitur verſ.* 1. *In* Secunda, *dimenſorum terræ delectus, ac emiſſio à verſ.* 2. *ad* 10. *In* Tertia, *Sortitio. verſ.* 10. *In* Quarta, *Beniamicæ ſortis deſcriptio à verſ.* 11. *ad finem. In iſto autem conuentu duo tractata potiſſimum ſunt.* Vnum *quod ad religionem, proxime, directeque ſpectabat, de Domini ſcilicet mouendo tabernaculo:* Alterum *quod ad politiam, publicamque populi vtilitatem de ducendis hæreditatum reſiduarum ſortibus. Fælix populus in quo hic rerum viget ordo, vt diuina prius, humana deinde curentur.* Quærite, *aiebat Dominus Matt.* 6. *verſ.* 33. primum regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. *Refert apud Gellium lib.* 14. *c.* 7. *Romanorum ille doctiſſimus Varro, in Romano ſenatu de diuinis quam de humanis prius actum ſemper, priuſque Diis factum ſacrificium. Optime ſi Deo, non Dæmonibus hæc adhibita religio fuiſſet. Aliter enim vita quæri, obtinerique iuſtitia non poteſt, vti commonſtrat S. Auguſtinus lib.* 2. *de Ciuitat. Dei cap.* 21. Vera, *inquit,* iuſtitia non eſt, niſi in ea Republica, cuius conditor, rectorque CHRISTVS eſt. *Videtur & Plinij Panegyricus.*

QVAESTIO I.

Quæ & vbi Silo?

MAgna ex parte quæſtio hæc antea expoſita eſt. cap. 13. quæſt. 11. neque aliud iam eſſet addendũ, niſi diceret Raſchi eſſe Siluntinam vrbem in Beniaminia ditione: Certum enim eſt ex pſal. 77. in Ephraimica fuiſſe. nullaque ab illo afferri poteſt ratio præter vnam hanc futiliſſimam. In capite iſto 18. collocatur Silunte tabernaculum, eodemque capite deſcribitur ſors Beniaminia, Ergo in huius vrbibus reponenda illa. ſed negatur conſequentia, quæ profecto nulla eſt. quia primo Silunte indicta fuere comitia, & in iis, vt aliæ reſiduæ ſortito cernerentur hæreditates, decretum. Exiit vero ex vrna omnium prima ſors Beniaminia: ideo primo hic deſcribitur. Si exiiſſent primo loco tribus Zabulonica, vel Aſerica, primo vtique deſcriberetur. Num in ea Silo propterea? Sed in Ephraimica tribu cap. 16. non eſt hæc recenſita. Verum, quia non omnes in tribubus omnibus recẽſentur vrbes, vt ſupra etiam dictum eſt. Et cum capite iſto Beniaminia ſors explicetur, nullus in ea Silunti locus. ſatis eſt, eam Auſtrali Ephraimico limite cõprehenſam fuiſſe. In 70. ſcribitur, Σηλώ, quaſi *Selo.*

QVÆSTIO II.

Quis à Ioſue habitus Silunte conuentus, & quid in eo decretum?

REcte monet Arias ad iſtud concilium à Ioſue indictum conueniſſe omnes, qui totius populi perſonam ſuſtinebant: Pontificem nimirum, ſacerdotes, Proceres, Seniores ſeu 72. qui Synedrion illud Iethronis conſilio à Moyſe conſtitutum efficiebãt, familiarum denique capita, præcipuos quoſlibet. At hoc totum ex rei circumſtantia potius, quam ex ſolo verbo *Kahal*, quod Arias & Montinas vrgent, colligitur, cum illud de ſeditioſo etiam tumultu ac concurſu accipiatur. Exod. 32. ver. 1. Num. 16. ver. 4. & 18. Verbo autem tenus pro *congregati ſunt omnes filij Iſrael*, in Hebræo eſt, *congregati ſunt omne concilium* ſeu *cœtus totus filiorum Iſraël*, prout Exod. 35. v. 1. in 70. ἐξεκκλησίασεν πᾶσαν συναγωγὴν υἱῶν Ισραήλ. In eo autem concilio, ſeu conuentu actum quid ſit, dixi ſupra 1. in argumento huius cap. 18.

QVÆSTIO III.

Quid tabernaculum teſtimonij?

NOminis huius ratio hic tantum explicanda. Nam de ipſo alioqui tabernaculo, eiuſque partibus, & cauſis omnibus mihi fuit in Exodo ſermo ſatis multus. Aliqui ergo putant vertendum potius *tabernaculum conuentus*. Quia Hebraice vox *mohed* eſt à *iahad*, quod nimirum ad hoc tabernaculum ſolet Iſraeliticus populus conuenire, Dei audiendi, colendi, ſacrificiis, precibusq. placandi cauſa conuenire. Sic Maſius, Arias, & alij. Poteſt admitti hæc interpretatio, præſertim cum etymon hoc videatur indicari Exodi 29.42. & cap. 30.35. Ei tamen veterem & vſitatam, vt *teſtimonij tabernaculum* vocetur, antepono. *Primo.* Quia ſic interpretantur 70. *σκηνὴν τοῦ μαρτυρίου*. *Secundo.* Quia verbum *iahad* videtur ſignificationem cognati verbi *houd* accipere. Id enim apud Hebræos in hiſce verborum formis peruſitatum. Et vero ideo conueniunt homines, vt publicam veluti teſtificationem vel accipiant, vel edant & alias quidem aliter. Sed ad Dei tentorium ac domum ideo ſane accedunt vt ſuam publice fidẽ, & erga Deum ſuum religionem profiteantur: ab eo gratiam, felicitatem, promiſſorum vel effectum vel teſtimonia identidem accipiant. *Tertio.* Cum *mohed* ſignificet etiam certum, indictum, feſtumque tempus, ſi ab vſitata interpretatione liberet diſcedere, quidni verti etiam poſſet, *tabernaculũ feſtum*, aut *feſti temporis*? Nam eiuſmodi tempore ad illud confluebatur maxime, & quidem vndique ter in anno. *Quarto.* In citatis Exodi locis, poſſumus indicatam teſtimonij ſignificationem tueri: quaſi Deus diceret, à teſtimonio vocari hoc tabernaculum, quod in eo Iſraelitis teſtificari ac loqui vellet, ſeu teſtificari dum loqueretur ipſis. Et confirmatur. quia melius dicitur *Deus ibi teſtificari*, ſeu ad teſtandum adeſſe, quam *congregari*. Neque enim vnus aliquis conuenire, aut congregari videtur. *Quinto.* Videtur etiam recte à teſtimonio vocari, quia in eo *teſtimonij arca* erat, & in arca teſtimonij tabulæ, idque innuitur Exod. 31. v. 7. vbi quod ait noſter *tabernaculum fœderis & arcam teſtimonij*, Hebræus textus dicit *tabernaculum mohed, & arcam Laheduth*. ipſæ vero *tabulæ* dicuntur *teſtimonij* ſeu *heduth*. Et Exod. 31. ver. vlt. & cap. 32. v. 15. & c. 34. v. 29.

QVÆSTIO IV.

An Silunte omnium primo in Chananæa terra fixum fuerit Moyſis tabernaculum?

DVplex Rabbini quidem primis illis temporibus *tabernaculum* confiunt, vnum, *verum*, quod Moyſes deſcripſit Exod. c. 25. & confecit Beſeleel, eiuſq. ſocius Ooliab Exod. 31. Alterum, quod *ad huius imitationem & ſimilitudinem factum* ſit. Aiunt igitur eorum quidem verum illud prius tabernaculum non fuiſſe in Galgalis erectum, ſed poſterius tantum priori illi ſimile: nunc vero Silunte omnium primo erigi. Alij vero in *Seder*, ne Silunte quidem erectum fuiſſe, prius illud autumant, ſed ædiculam parietibus lapideis ſubſtructam, quæ velis, tentoriiſque pedibus contegeretur. Sed verum & in Galgalis & Silunte tabernaculũ excitatum, non autem eius aliquod ſimulachrum, affirmate contra Iudæos iſtos pronunciandum. *Primo:* quia in ſolitudinis manſionibus verum illud Moſaicum exſtruebatur, vti Numerorum liber à cap. 9. ſemper docet, ipſiq. fatentur Rabbini: Cur non igitur Galgalis & Silunte? *Secundo.* Nulla de ſecundo & imitatitio tabernaculo, Moſaicis Ioſuaniſq. temporibus, vſquam eſt mentio, nullum vel minimum indicium. *Tertio.* Vbi, quando, & à quo confectum iſtud fuiſſet? *Quarto.* Rabbinorum coniecturæ duæ ſunt, ſed leuiſſimæ. Prior Deuteronom. cap. 12. verſ. 8. 9. 10. erigendum dicitur tabernaculum, cum in Chananiditide foret ab hoſtibus quies & pax. Ita eſt, ſed hoc de ea erectione intelligitur, quæ firma & conſtans eſſet, cum videlicet proficiſci ac tabernaculum Leuiticis imponere humeris amplius neceſſe non eſſet. Alioqui ſi nullo aut loco aut tempore collocari niſi domitis hoſtibus, quies ac ſecuritas Iſraelitico populo parta eſſet, ne in deſerto quidẽ collocari vnquam debuiſſet. Collocatum tamen, vt dixi ſupra fuit, adeo vt idcirco à quibuſdam fuerit vocatum *ζευγηφορούμενος ναὸς*, & à Ioſepho lib. 3. Antiquit. cap. 5. in titulo dicatur *μεταφερομένου ναοῦ οὐδὲν διαφέρειν*, id eſt, *à mobili ac portatili templo nihil differre*. Et quod ad Siluntem attinet, hic ſtatim initio capitis, Terra ſubiecta, hoſteſque compreſſi traduntur: Idemque cum Galgalis tabernaculum hæreret, ſignificatum aliquoties antea cap. 14. ver. 15. cap. 11. verſ. 23. *Secundo.* Siluntinum tabernaculum vocatur interdum *Domus Dei*, 1. Reg. 1. verſ. 23. interdum vero *tentorium* pſal. 77. verſ. 60. & quidem *Linteatum* 2. Reg. 7. ver. 2. Conſtabat igitur lapidea ſtructura & linteis. Quaſi vero non poſſit eſſe domicilium, ſiue lapidibus, ſiue lignis aut luto imo etiam velis, & pellibus conſtet. quid? Nõne apud Hebræos latiſſime patet *Domus* nomẽ? Nonne Chirothecæ, caligæ, aliaque id genus quamplurima *Domus* ab iis vocantur? Quamquam igitur è linteis, alutiſq. ſolis exſtructum eſſet tabernaculum, recte *Domus Dei* appellabatur. Dixi vero primis illis Moyſis ac Ioſue temporibus nullum fuiſſe putandum, quod verum ac Moyſaicum non fuiſſet tabernaculum, quia poſtea, ipſum templum à Salomone, ad illius ſimilitudinem conſtructum fuit, & ſæpe *tabernaculi* nomine inſignitum, Eſdr. 7. ver. 15. Ierem. 10. ver. 10. Ezech. 37. v. 27. & c. 41. Amos 9. 11. Et de communi ac publico gentis tabernaculo ſermo eſt, quod propter priuatum Moyſis extra caſtra tabernaculum Exod. 33. admoneo.

QVAESTIO V.

An ſub dio, vel in domo aliqua ſteterit Silunte tabernaculum?

IN magna quapiam domo collocatum Silunte tabernaculum aſſerit iſto cap. 18. quæſt. 1. Abulenſis, quemadmodũ Hieroſolymis poſtea in Salomonico templo. Alioquin enim pluuiis,

Digitized by Google

ventis, aliiſque aëris iniuriis expoſitum fuiſſet. Sed ſub dio potius, nulla incluſum domo fuiſſe, verius eſt. *Primo.* Quia ſic in ſolitudine totos vndequadraginta annos pœne fuerat, rurſumque in Galgalis annos complures. de quibus ſupra, iterumque infra. *Secundo.* Quia tota conſtructione, pellibuſque, quas vocat, opinor, Trebellius *tentorias* contra omnem imbrium, ventorum, aliarumque tempeſtatum vim munitum ſatis erat. *Tertio.* Sic adhuc Dauidis tempore, cum de templo ædificando liberaret, 2. Reg 7. ver. 2. Nathani enim Prophetæ dicebat, *Videſne, quod ego habito in domo cedrina, & arca Dei poſita ſit in medio pellium? Quarto.* Domus ac tecti, quo vel contineretur vel quo obtegeretur tabernaculum, nulla vſquam mentio, prout q. 4. contra Iudæos etiam argumentabar. *Quinto.* Domus illa vel antiqua, vel noua eum in vſum recens exſtructa fuiſſet. Si antiqua, oportuiſſet prophana Chananæi hominis ſtructura ſacerrimam Dei ædem includi: prophano aduerſus tempeſtates tecto protegi. An vellet hoc Deus? an ferret? Cum hoc Dei tabernaculum confectum nondum eſſet, aliud ſibi erexerat Moyſes, Ex. 33. & quia inquinatus erat peccato populus, id caſtrorũ pomœrio intercipi, ſed ab illis procul, ad mille facile cubitos vt ex analogia Num. 35. verſ. 5. colligitur, diſparari voluit. Quomodo igitur in Gentilis hominis, prophanique Chananæi prophano diuerſorio, non vno vel altero die, aut anno ſiſtere, ſed quamplurimis conſtanter habitare, ac permanere voluiſſet Dominus? Sin vero noua fuit domus, vel antequã eo traduceretur tabernaculum, exſtructa eſt, vel poſtea vtrumlibet ſit, mirabile tantum de tanto, tamque nouo & religioſo ædificio eſſe in ſcriptura tota ſilentium. Tam accurate, tam ſigillatim omnia, quæ ad tabernaculi huius tectum, latera, & baſes attinerent, præſcripſerat olim Dominus, deſcripſerat Moyſes Exod. c. 25. quomodo ædis huius idea, veſtigium, adumbratio nulla vſpiam? Sub cœlo igitur patente conſtitit Silunte tabernaculum, non in domo vlla.

QVÆSTIO VI.

Cur è Galgalis abductum, Siluntemque traductum tabernaculum?

ERant *Galgala* in prima Chananææ quaſi veſtibulo. In iis populo Iſraëlitico erat non domicilium, ſed hoſpitium: caſtrenſis manſio, non ſtata commoratio. Cum igitur Chananææ ipſius regionis occupatum eſſet plurimum, firmaſque iam ſedes Iſraeliticarum tribuum præcipuæ cepiſſent, æquum erat è primo illo ingreſſu ac veſtibulo ad interiora terræ progredi, ipſaque eius introire penetralia, vt ſacro iſto domicilio, auguſtaque Numinis præſentia tota exprimeretur, ſanctificaretur, benediceretur regio: vt felicior è tribubus omnibus vndique eſſet ad aram & oraculum acceſſus: vt ne videretur in extremo illo terræ angulo timere, terram hanc ſubire non audere, fugamque veluti proſpectare. At vero ſit iſtud. excedere debuerit è Galgalis, regionemque penitus introgredi debuerit tabernaculum, *cur Siluntem potius, quam alia in loca*, quæ vt è capite 15. & 16. & 17. patet, multa & varia non deerant, *abductum?* Optime reſpondetur id factum, quia *locum hunc elegit Dominus.* Ita enim ſcriptum Deuteronom. cap. 12. ver. 5. *Ad locum quam elegerit Dominus Deus noſter de cunctis tribubus veſtris, vt ponat nomen ſuum ibi, & habitet in eo, venietis, & offeretis in loco illo holocauſta & victimas.* Et ſimilia rurſum ver. 11. Licet enim Silunte, vt ſupra dixi, comitia fuiſſent, in iiſque factum eſſet Senatuſconſultum vt è Galgalis eo traduceretur tabernaculum, id tamen abſque conſulto Dei oraculo, acceptoque reſponſo nequaquam accidit. In re ſiquidem tanta & tali, de qua tanto ante, tam ſerio indicaſſet Moyſes Deuteronom. cap. 12. fieri non potuit, quin Dominios interrogarent, ſuo præſertim malo edocti, ſupra cap. 9. verſ. 14. Facilis vero fuit ſacerdoti magno ad *Vrim & Thummim*, quæ ad arcam in Galgalis adhuc erant, ob paruam loci diſtantiam, itio ac reditio. Rationes tamen, quæ, vt locus præ aliis ille deligeretur, apparent nonnullæ. *Prima.* Quia erat is aptus, & pulcher: ſupra cap. 13. quæſt. 11. *Secunda.* Quia tutus etiam erat, & natura, cum eſſet editior, & fortiſſimarum circumpoſitu tribuum cum ab Auſtro eſſet Iudæa, tribus, ab Aquilone Manaſſæa, à partibus omnibus Ephraimica. *Tertio.* Ipſius Ducis Ioſuæ tribui primam hanc veluti benedictionem ac dignitatem concedi par nunquid erat? *Quarta.* Vix horarum trium ſpacio aberat Silo Hieroſolymis. Cum huc ergo tandem venire tabernaculum, in eoq. nobiliſſima excitata æde, deinceps ſemper permanere deberet, oportuniſſime fiebat, vt eam ad vrbem propius accederet, vicinoque in loco, tantiſper, dum vrbs illa penitus deuicta, & à Chananæis perpurgata, ſubſiſteret. *Quinta.* Quia vero vt eadem quæſt. 11. cap. 13. dictum, quietem ac ſalutem *Silo* ſignificat, recte à Ioſue, qui & ſuo iſto alio nomine *ſalutis auctor* eſt, poſt quietem ſalutemque ab hoſtibus obtentam, pacis ſalutiſque Gymnaſium, Saluatoris Dei domicilium in ſalutari ac pacifica vrbe collocatum. ſicque monſtratus nobis typus cœleſtis tabernaculi, eiuſque ſedis, quam in cordibus noſtris vult Dominus. Debent enim hæc Siluntina eſſe, id eſt, quieta, pacifica, ſalutaria, vt neque in nobis odia, ſimultates, exitialeſque animorum peſtes inſint, neque vlla prætermittatur pacis, quietiſque publicæ ac inter proximos priuatæ, veræque item ac ſempiternæ ipſorum ſalutis procurandæ occaſio. *Sexta* & poſtrema, poſſunt è ſingulis aut vrbibus aut locis, in quæ introductum tabernaculum non eſt, aliquæ peti rationes. v.c. ſi quis cum Abulenſi quæſt. 1. quærat, cur non in Ioſue vrbem *Thamnatſare?* dici poteſt, quia nondum ipſi Ioſuæ data erat. Cur non *Hebronem?* cur non *Taphuam?* cur non alio? Sed generalis, vt dixi, optima, certiſſimaque ratio eſt, quia quoad illud tempus, elegit ipſam Silo DEVS.

Digitized by Google

QVÆSTIO VII.

Quonam tempore tralatum Siluntem tabernaculum?

POſt bella, obtentamque, vt ſuperiore aiebam quæſtione, tranquillitatem, & ſalutem, è Galgalis emotum, & Silunte fixum fuit tabernaculum. Id enim ſignificăt, hæc verſus primi verba; *& fuit ei terra ſubiecta.* Eorum vero duplex apud Latinos interpretatio eſt. *Vna* veluti negans ipſius Abulenſis, *terra iis non repugnabat:* nemo contra ipſos vim & arma iam parabat. *Altera* vero aiens, *terra Iſraelitis erat ſubdita*, Synecdochicῶs quoad magnā partem ſcilicet. Sicque 70. ἡ γῆ ἐκρατήθη ὑπ' αὐτῶν. Ralbag vero & Iudæi alij, & Arias Mōtanus: quia in Hebræo ad verbum eſt: *& terra ſubiecta ante ipſos.* ſeu *ad facies eorum*, ſic interpretantur: Terra quam deuicerant, belliſque ſubegerant, erat iam Iſraelitis ante oculos propius quam in Galgalis: magis eam conſpiciebant, quod eius interiora iam tenerent ac incolerent. Et ab hac expoſitione, non abhorret Caietanus, licet quia textui Latino haud conuenit, eam non audeat probare. *An*, inquit, *ſignificetur etiam, quod terra acquiſita erat in proſpectu exiſtentium in Silo, affirmare non audeo.* At fateor ego fuiſſe in Siluntinorum conſpectu ſubactam terram, id tamen citatis verbis non ſignificari affirmare audeo, fretus noſtra & ipſorum 70. citata verſione: fretus etiam Hebraicis verbis, quæ verſionem iſtam & ſenſum optime admittunt, fretus denique Maſij aſſeueratione hac: *Ego nihil dubitans dixerim, hoc plane illud eſſe, quod iam ſemel iterumque commemoratum eſt: Terra autem quieſcebat à bello.* Quja vero *terram acquiſitā* in expoſitione illa vertit Caietanus, magna mihi ſuſpicio eſt, Iudæum, cui operam dedit, confudiſſe, *nikheſab.* quod in textu eſt cum *nikneſab.* quod eſt *acquiſita.* Sed in quotum tranſmiſſi Iordanis annum iſta tanta quies, iſtaque tralatio incidit? *Decimus quartus* à Rabbinis numeratur: & pæne iis aſſentitur Maſius, non ob illorum rationem, quæ vt cap. 13. quæſt. 13. dicebam, nulla eſt: ſed quia plures iam à priore Galgalæa diuiſione annos elapſos indicat Ioſuæ ducis hoc loco vert. 3. increpatio: *Vſquequo marcetis ignauia?* Et verba quidem iſta, ceſſationem moramque longiorem oſtendunt, præciſe tamen ex iis non colligitur pluresne anni quam ſeptem an pauciores fuerint. Demus hoc igitur omnium concordi pæne auctoritati ac ſententiæ, vt anno à Iordanis tranſitu decimo quarto, Siluntinam tabernaculi tralationem factam exiſtimemus.

QVAESTIO VIII.

Quamdiu Silunte perſtitit tabernaculum?

TRecentis ſexaginta nouem annis perſtitiſſe aiunt in *Seder* cap. 11. Iudæi: paulo pauciores, Maſius, diſtinctio tamen adhibenda. Si quæ in tabernaculo fuit, *arca* ſpectetur, reſponderi poteſt, præciſe hanc Silunte in tabernaculo perſtitiſſe vſque ad ea Heli Pontificis tempora, quibus ab Iſraelitis illinc elata, & à Philiſthæis capta, fœdeque in Philiſthæam abre-

A pta fuit, 1. Regum cap. 4. Si *tabernaculum* vero, quod ædis inſtar, illam, aliaque plura continebat, inſpiciatur, paulo illud quidem Silunte manſit quam arca diutius, ſed ita vt poſt Heli mortem, ſuperſtite adhuc Samuele, *Noben* trãſportatum ſit. Moriens enim Heli tabernaculum in Silo reliquit, 1. Reg. 4. & poſtea Saülis, Dauidiſque tempore, cum in viuis adhuc eſſet Samuel, 1. Regum 27. verſ. 3. inuenitur in vrbe *Nobe* idem tabernaculum, eodem lib. 1. Regum cap. 21. Nec in *Silo* vnquam legitur ſacrificaſſe Samuel, ſed in *Maſpha*, *Ramatha*, *Bethleem*, 1. Re- B gum 7. 8. 16. Quo autem anno delatum illuc tabernaculum ſit, definite nuſquam dicitur. Sed quot anni à prima ij in Silo collocatione, vſque ad arcæ dictam exportationem, ipſiuſque tabernaculi tranſportationem ſtatuendi, è variis partim Ioſuæ, partim Iudicum annis, qui loco alio explicati, pendet. Eſto illud nunc ſatis, *annos* illis 369. quos numerant Rabbini, *non eſſe pauciores.*

QVÆSTIO IX.

C *Cur Silunte poſtea emigrauit tabernaculum?*

TRibus in locis cauſam plane cur Siluntem deſeruerit tabernaculum, explicat Scriptura. In primo generatim ait, fuiſſe peccata, populique Iſraelitici nequitiam, & improbitatem, Ierem. 7. ver. 12. *Ite*, ait Dominus, *ad locum meum in Silo, vbi habitauit nomen meum: & videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Iſrael.* In ſecundo generalis cauſa eadem ponitur: ſed ſpeciatim vnum peccati genus, idque ſane grauiſſimum tangitur, idololatria, Pſalm. 77. ver. D 56. *Et tentauerunt, & exacerbauerunt Deum excelſum, & teſtimonia eius non cuſtodierunt: & auerterunt ſe, & non ſeruauerunt pactum: quemadmodum patres eorum conuerſi ſunt in arcum prauum. In iram concitauerunt eum in collibus ſuis, & in ſculptilibus ſuis ad æmulationem eum prouocauerunt. Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum ſuum, vbi habitauit in hominibus.* In tertio loco aliud peccati genus, quod in ſacerdotibus quibuſdā inhæſit, notatur, 1. Reg. cap. 2. 3. & 4. vbi hoc ipſum explico pluribus. Poſſunt aliæ quædam ex loco, in quem, poſt modicam in Nobe diuerſationem ac peregrinationem, emigrauit tabernaculum, 2. Paral. 1. E peti rationes, è tribu Iuda ſcilicet, è Ieruſalem, è monte Sion, è Dauidis vrbe, haſque omnes innuit, vnaque Dei beneuolentia & electione comprehendit idem pſalmus 77. v. 67. & ſeqq. *Repulit Dominus tabernaculum Ioſeph, & tribum Ephraim non elegit*, ob dictas iam cauſas: *ſed elegit tribum Iuda, montem Sion, quem dilexit, & ædificauit, ſicut vnicornium ſanctificium ſuum in terra, quam fundauit in ſecula.* D. Hieron. in Epit. Paulæ, *Quid narrem Silo, in qua altare dirutum hodie monſtratur?* Et in Sophoniæ cap. 1. *Silo tabernaculum, & arca* F *Domini fuit. Vix altaris fundamenta monſtrantur.* Hic vero cernimus in locorum, templorum, aliarumque ſimilium rerum ſanctitate fiduciam non ita ponendam, vt licenter peccemus, peccata impunita fore credamus, aut Dei cultum ita ſacris quibuſdam ædibus, vrbibus ac locis alligatum, vt ab iis, noſtram in pœnam, magno

Digitized by Google

cum gloriæ diuinæ incremento, gentium aliarum commodo, noſtroque inſigni dedecore ac detrimento transferri non queat.

QVAESTIO X.

An, vna cum tabernaculo, Siluntem è Galgalis tranſlata Iſraelitarum caſtra?

SVbdubitat Maſius, ſed ita vt affirmet potius, ac recte. Affirmant enim Ioſeph. lib. 5. Antiq. Rabbini Iudaici, Abulenſis, Caietanus. Et quæ tabernaculi tranſlationem probabant ſupra quæſt. 6. rationes, eædem fere & caſtrorum tranſpoſitionem conſtabiliunt. Et his v. 9. verbis, *Reuerſi ſunt ad Ioſue in caſtra Silo*, quid clarius? Accidit quod diuturnior, quæ hactenus fuiſſet, caſtrorum in Galgalis commoratio, magnam ignauiæ ac torpori, qui à Ioſue cap. iſto ver. 3. accuſatur, occaſionem videtur non paruam dediſſe: quia locus erat peramœnus, variarumque oportunitatum, ac pæne deliciarum pleniſſimus, vt ex iis, quæ de Ierichuntino agro dixi alias cap. 2. quæſt. cap. 13. quæſt. 2. & 3. perſpicuum eſt. Omnia deinde ita ſibi ſtruxerant ibi, compararant & concinnarant Iſraelitæ, vt pacate, ſecure, ac iucunde ibidem viuerent: iiſque caſtris, tanquam vrbe, in qua perpetuum habitare deberent, oblectarentur. Prudentiſſime igitur Imperator Ioſue, hanc ſegnitiæ ac ſocordiæ, qua marceſcebant, præcidendam anſam, locumque mutandum ſtatuit. Et ſterili aridoque ſolo in pinguius, ac ſuccoſius tranſplantantur ſtirpes, vt fructus plus afferant: ſed in hominibus contraria mutatio ſæpe melior.

QVÆSTIO XI.

An tranſlato Siluntem tabernaculo, caſtriſque ibidem fixis, cœperit Moſaicarum cæremoniarum, legiſque totius obſeruatio?

MVlta quidem è cæremoniis, legeq. tota, quam à Domino attulerat Moyſes cœpta erant in Galgalis obſeruari. In his enim circunciſio, & Paſcha cœpit, prout ſupra cap. 5. vidimus. nec dubitandum, quin ſacrificia, vel quotidiana, vel quamplurima, quæ ſponte offerrent Iſraelitæ, factæ ſint. In prima etiam telluris diuiſione cœpti Sabbathici & Iubilæi anni. Fortaſſis etiã in ſolitudine, cum alicubi fixum hæreret tabernaculum, nonnulla interdum litatæ hoſtiæ. Sed Silunte ſtatuto ſemel tabernaculo, cœperunt in vſum & conſuetudinem traduci omnia, etiam à quibus ad hoc vſque temporis abſtentum: & cœperunt ex obligatione. Quod breuiter ac perſpicue, ita hoc loco quæſt. 1. ſcribit Abulenſis: *Conſiderandum quod hoc tempore, quo fuit fixum tabernaculum in Silo, inceperunt Cæremonialia veteris teſtamenti obligare. Nam antequam Iſraelitæ introirent in terram Chanaan, non erant obligati ad aliqua cæremonialia, vt patet Deut. 12. vbi dicitur quod in deſerto quilibet faciebat, quod ſibi rectum videbatur: ſed poſtquam tranſirent in poſſeſſionem, quam eis Dominus daturus erat, non debeant ſic facere. Item poſtquam ingreſſi ſunt in terram Chanaan, non fuerunt immediate obligati ad obſeruationem, ſed poſt habitam pacem, deuictis hoſtibus, vt patet præallegato capite. Item dato quod eſſet pax data ab hoſtibus, adhuc non obligabantur ad cæremonias immediate: ſed primo locus erat aſſignandus pro ſacrificio, & tunc poterant ſacrificia fieri quotidiana & votiua, atque ſpontanea, & oblationes, cæteræque Cæremoniæ obſeruarentur, quæ pertinebant ad ſanctuarium. Etiam tunc poterant obſeruari feſtiuitates. Nam omnia feſta habebant aliquam cæremoniam ſacrificiorum, & ſine illis non erat plena legis obſeruatio, prout eodem cap. 12. Deut. traditur.* Ad vſque Thoſtatus.

QVAESTIO XII.

Cœpta in Galgalis terræ ſortitio cur interrupta?

MIrum omnino eſt, quo modo, quæ Deo iubente, Ioſue obtemperãte, populo applaudente, cœpta in Galgalis ante annos ſeptem fuit, Chananææ terræ ſortitio ſupra c. 13. & ſequentibus, vltra tribus tres progreſſa non ſit, ſed intermiſſa, tantoque interrupta tempore fuerit: An ſortiẽdo pergere noluit Ioſue Dux, aut Eleazar Pontifex? An exire porro ſors noluit, eamque impediit Dominus? An vero ipſe Iſraeliticus populus, eiuſque Principes eam ceſſare, ac interquieſcere petierunt? Iſtud reor ego, non priorum quidquam. Quomodo enim, quod auctore Deo indixerant, iamque agebant, per ſe illi, abſque cauſa vlla, tales ac tanti viri, tam ſubito, tam præter omnem omnium opinionem deſererent ac omitterent? Quomodo, qui ſortiendi auctor erat Deus, qui ſeneſcentem Ducem Ioſue excitarat, qui primas tam bene, tamque Iacobi Patriarchæ voto ac Prophetiæ, Geneſ. 49. congruenter ſortes direxerat, tam publicam, tam ſolennem ac religioſam actionem, nulla, de qua conſtet, cuiuſpiam culpa offenſus, tam repente, in ipſo rei articulo deſtitueret ac diſſiparet? In ipſo potius populo credẽdum fuiſſe aliquid, quod cœptum ſortis curſum ſolueret. Id vero quidnam fuerit in Canonicas, quod quidem obſeruarim, non eſt miſſum literas. Coniicere tamen aliquid forſan liceat. Videtur enim *primo* incidiſſe aliquibus ſuſpicio, quaſi vel minus bona fide, vel minore ſaltem peritia, qui olim miſſi fuerunt Geometræ, terram totam dimenſi eſſent. Ideo enim tam diſerte hoc loco videntur à Ioſue multo plures è tribu qualibet præſcribi, qui terram dimenſum eant, Geometræ. Sic ſane vt cum ad terram totam dimetiendam ſatis olim viſi fuiſſent decem, prout c. 13. q. 10. ex Ioſepho proditum, nunc ad eiuſdem terræ partem, quæ reſidua, duplo plures mittantur, prout non multo poſt alia explicabit quæſtio. Quin vero quibuſdam oculatioribus, prout in magna multitudine, aliqui ſemper inueniuntur, nimia iam videbatur Iudææ tribus portio: quod & euentus comprobauit poſtea cap. 19. Ex his igitur quorundam vel ſuſpicionibus, vel iudiciis, cœptæ in populo nonnullæ muſſationes, tum vero aperti ſermones de ſortitione tantiſper intermittenda, dum explorarentur ac deſcriberentur diligentius omnia. *Secundo.* Potuit etiam fieri, vt cum ad hæreditatem adiiſ-

Digitized by Google

ſent ternæ iam tribus, optarent reliquæ ſuas tantiſper differri ſortes, dum viderent, quemadmodum aliis illis ſuccederet. *Tertio.* Ben ac pæne molliter habebant in Galgalæis caſtris vt ſupra etiam attigi. Ad alia igitur loca minus nota, minuſque blanda & amœna ſecedere non optabant reſiduæ tribus. Hic enim oportunitatum quorundam, quibus aſſueuimus, amor, ita hominum pleriſque infixus, vt veluti prudens & cautus ioculari commendetur diſticho.

Si qua ſede ſedes, & ſit tibi commoda ſedes,
Illa ſede ſede, nec ab illa ſede recede.

Grauiſſimis in Aegypto laboribus, duriſſimaque ſeruitute attriti fuerant Iſraelitæ, ab illa tamen difficulter abduci, auellique potuerunt, At poſt egreſſum, quoties reſpexerunt? & oculos, ipſoſque pæne pedes reflexerunt? Quam querule ac vehementer illius piſces, carnium ollas, cucumeres, cepas, & allia requiſierunt? Prorſus à paruis etiam ac vilibus, quorum nos delectat conſuetudo, adſtrahimur commodis perinuiti, licet non raro vere incõmodis. *Quarto.* Metus etiam à Chananæis, qui deleti nondum erant, eorundem animos tardabat. cumq. duo in iis pugnarent, nouarum terrarum cupiditas, & Chananæorum timor, illam iſte vicit, omniumque ad nouas ineundas poſſeſſiones impetum cohibuit. Et ob ſimilem cauſam Iſraelitas ex Aegypto egreſſos non duxit Dominus per viam terræ Philiſthiim, quæ vicina eſt, *reputans, ne forte pœniteret eos, ſi vidiſſent aduerſum ſe bella conſurgere & reuerterentur in Aegyptũ.* Exod. 13. verſ. 17. *Quinto.* Timoris vero huius fons & origo fuit fides in iis debilior ac remiſſior. Si enim Deo, eiuſque promiſſis fiſi, vti erat, fuiſſent, nihil Chananæorum arma extimuiſſent, tot preſertim tamque ſecundis & mirabilibus, quæ hactenus geſſiſſent, præliis erecti. Atque hic quoddam veluti ſpeculum humanæ noſtræ infirmitatis ac vitioſitatis videmus, qui cum bona nonnulla magno alacrique animo exorſi fuerimus, paulo tamen poſt elangueſcimus, obtorpeſcimus, minimiſque reculis, & quidem ſæpe falſa quadam ſuſpicione fictis admodumque pernicioſis, frangimur, impedimur, & alligamur. Ad pias quaſdam actiones, ad virtutis, perfectioniſque ſtudium, ad religionem ad cœleſtem hæreditatem nos diuina ſors vocat. videmus eandem nobis viam præiuiſſe beatiſſimos cœlites, quoſdam etiam nobis notos, amicos, familiares: cœpimus fortaſsis cum illis etiam idem tenere iter, optimum vitæ ſtatum ſortiri, inflammato virtutem exercitare animo: & ecce ſubito derepẽte inſiſtimus, congelaſcimus, in mundi huius Galgalis immoramur libentius. Cur vero? In ſeipſum deſcendat quilibet: vaniſsimas vtique ineptiſsimaſque perſpiciet remoras.

QVAESTIO XIII.

Quomodo ſuſcepta, & perfecta ſecunda terræ diuiſio?

PRimo inſigni ac vehementi Ioſuæ oratione, qui hæreditatem nondum adierant, excitati Iſraelitæ: *tum* ab his delecti & ab illo diuiſi regionis menſores, *demum* ſortitioni data opera. Oratio vero illa increpationem populi culpa, Imperatoriſque grauitate dignam complectitur, v. 3. cum adiuncto eius ad quod hortabatur, perficiendi modo, ver. 4. & ſeqq. Increpatio eſt: *Vſquequo marcetis ignauia & non intratis ad poſsidendam terram, quam Dominus Deus patrum veſtrorum dedit vobis?* Non per Ioſue, non per Deum, non per aliam quampiam cauſam ſtetit quominus adirent omnes tribus promiſſam hæreditatem, ſed per ſolam earum, quæ nihil dum acceperant, ignauiam. Hanc iis igitur eximere conatur Ioſue. *Primo.* Per vitij illius opprobrationem, cum ignauia eos marcere inquit. Idque vno Hebraice participio *mithrappim* exprimitur. quod quia in *hithpael* eſt, vitioſam ſponteque ſuſceptam ignauiam ſignificat, quod ſegni ipſos deſidiæ ac ſocordiæ totos dediſſent. Nam verbum alioqui *raphah*, ſignificat *remittere*, relaxare: & in paſsiuo, *remiſſum eſſe*, pigrum ac ignauum: ſeu vt hic 70. ἐκλύεσθαι. vnde & Pharao Exod. 5. 8. de Iſraelitis adhuc ſeruientibus iratus dicebat: *Nirpim hem*, id eſt, *vacant*, vt vertit noſter: σχολάζουσι, ſeu *occiſi ſunt*, inquiunt 70. Et verſ. 17. *nirpim atthen nirpim*. Deſides ſeu pigri eſtis, pigri noſter, *vacatis ocio*: 70. σχολάζετε, σχολασταί ἐστε. At *mitthrapim*, ex coniugationis illius vi appellantur, qui ſeipſos pigros faciunt, qui ſe ignauiæ dedunt, eaque volentes ac lubentes marceſcunt. Quo quid turpius? Quem probri talis non pudeat? Quis à ſe tantum illico amoliri ac excutere dedecus non optet? ſed omnium minime pigros eſſe decuit diligentiſsimi ac vigilantiſsimi paſtoris illius poſteros, qui de ſeipſo Geneſ. 31. ver. 40. minime mendaciter profitetur? *Die, noctuque æſtu vrebar & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis. ſicque per 20. annos ſeruiui:* qui tam ſedulo, contente ac nauiter cum diuina quadam forma luctatus eſt, Geneſ. 32. vt *Iſraelis* inde nomen acceperit, verſ. 27. Iam *Secundo* præſto erat diuinum auxilium, vt ſi modice conniti ac adlaborare voluiſſent, in oblatam poſſeſsionem percommode progredi ac intrare potuiſſent. Neque enim qui promiſerat Deus, quique tam feliciter huc vſque ipſos deduxerat, victoriis, manubiiſque maximis auxerat, in extremo actu defuiſſet. *Tertio.* iniicere iiſdem debuit ruborem, ipſoſque à tanto veterno excitare temporis diuturnitas: & ideo ait, bonus Imperator *vſquequo?* Ille in Catilinã: *Quouſque tandem abutere patientia noſtra?* & noſter Salomon Prouerb. 1. ver. 22. *vſquequo paruuli diligitis inſantiam?* & cap. 6. ver. 9. *vſquequo piger dormies? quando conſurges è ſomno tuo?* Num. 14. v. 11. bis, & alio tamen vocabulo v. 27. Admodum vero prudenter fecerit, qui ab ipſa oratione ſe à vero Ioſue, CHRISTO Domino, compellari ac exſuſcitari ſenſerit: ſicuti reuera noſtrum quilibet compellatur ac exſuſcitatur quam creberrime, cum ſuperioris quæſtionis compedibus deuincti, Lethæoque veluti torporis ac ignauiæ poculo ſoporati Galgalæa ſæculi huius caſtra, quam cœleſtis hæreditatis felicitatem malumus. Et hoc *ſcientes tempus*, inquit Apoſtolus Rom. 13. v. 11. *quia hora eſt iam nos de ſomno ſurgere.*

Modus porro deſidiæ huius excutiendæ, diuiſioniſque faciendæ optimus eſt, vt noui &

Digitized by Google

A plures in reſiduam terram mittantur Geometræ, qui oculis omnia colluſtrent, in tabulas ac libros referant, ipſique demum Ioſuæ nunciẽt. Quot vero illi fuerint, dixi cap.13. quæſt.10. ambiguum. A quibuſdam enim numerantur xxx. ab aliis vero xxi. & horum magis videtur contextus approbare calculum. Cum enim non omnes xii. tribus alloquatur hoc loco Ioſue, ſed ſeptem tantum qui ſui adhuc exſortes erant peculij, ad eas vtique ſolas pertinet illud verſ.4. *Eligite de ſingulis tribubus ternos viros*. ſed quod poſt eadem verba ſubditur, *iuxta numerum*
B *vnius, cuiuſque multitudinis*, Hebraice *ad os hæreditatis eorum*, vel *iuxta hæreditatem eorum*, id eſt, ita terram deſcribant metatores illi, vt quam optime fieri poſſit à diuiſoribus diuiſio, iuxta illud, quod cuique debebitur vt æquam ſingulæ tribus pro ratione ipſarum multitudinis hæreditatem accipiant, prout cap.13. quæſt. 5. expoſitum. Et hoc manifeſte declarant verſione ſua 70. κατὰ δίαιν διελεῖν αὐτήν. Monet vero etiam imperator verſ. 5. vt noua iſta deſcriptio nihil
C attingat eas quibus iam hæreditas attributa, tribus: ſed eæ prout collocatæ ſunt, ſuis in ſedibus maneant: Iudæa in Auſtrali totius terræ latere, Manaſſæa & Ephraimica in Aquilonari quod Aquilonare latus eius modi eſt, non reſpectu totius promiſſæ terræ, ſed reſpectu Iudææ tribus, ſeu terræ, quam ſortita hæc erat. Tria vero hæc verba, *Mediam inter hos*, redundant, vt ex Hebræo patet. cui & Græcum adderem, niſi non hæc ſolum verba, ſed alia etiã nonnulla hic omitteret, ſuſpicor autem in Latino ſcriptum fuiſſe, *aliam inter vos terram in ſe-*
D *ptem partes deſcribite*. Nam alioqui reſidua, quæ in vii. partes deſcribenda & diuidenda erat terra, non fuit inter Iudæam, Ephraimicam, & Manaſſæam tribus tres media, ſed cum ſuis has locis relinquendas dixiſſet Ioſue, ſubiunxit, vt *aliam* ſeu reſiduam *terram* deſcriberent in ſeptem partes inter ſe metatores. Putat vero Arias hæc verſus quinti & ſexti verba iis dici, qui Senatores, tribuumque proceres ac diuiſores erant. Sed ſimplicior expoſitio fuerit ſi dicamus, ea vii. tribubus, ad quas loqui cœperat,
E dici, quæ reliquam terram deſcribere ac diuidere non quidem per ſeipſas, ſed per ſuos dimenſores, ac diuiſores, deberent. Cæterum, quia ſeptem tantummodo partium meminerat, monet idcirco fieri hoc, quod Leuitis ver.7. aliunde pars eſſet, quæ cap. 13. quæſt. 9. expoſita: tribubus vero duabus & ſemis ſuæ iam vltra Iordanem aſſignatæ partes fuerint. Quomodo autem proficiſcentibus Geometris tutum inter Chananæos iter eſſe potuerit, dictum eodem
F cap. 13. quæſt. 12. etſi potuerit in hac ſecunda miſſione, aliud etiam concurriſſe, vt Ioſue aut Senatus populuſque Iudaicus ad Chananæorum ciuitates ac Magiſtratus literas dederit, quibus hoſce incolumes ac tutos eſſe petierit: illi vero aut metu recuſare auſi non ſint: aut gratiæ beneuolentiæque demerendæ cauſa noluerint. In ea vero peregrinatione, metiendique opere ſeptem pœne poſitos menſes affirmat lib.5. cap. 3. Ioſephus, dicens ſeptimo eos menſe ad Ioſuam Siluntem reuerſos. Quæ ad ſortes miſſas & ductas huc ſpectãt alia, fuerunt ad caput 13. allata omnia. Inter iſtas vero poſteriores exiit Beniaminia, de qua, conſueto more, ſequitur vt ſtringam paucula.

QVAESTIO XIV.

Beniamitica tribus limites & vrbes quæ?

QVæ inter ſegniores ac reſiduas ſeptem tribus hæreditatem ſorte primum accepit, tribus fuit Beniamitica. hoc enim eſt quod ver. 11. dicitur, *Aſcendit ſors prima filiorum Beniamin*: aſcendit inquam é ſortium vrna; non autem, vt Lyrano putatum, *ab Iordane*. Limites autem huic tribui deſcribuntur. *Primo. Septentrionales* ver. 12. vbi ab Iordane porriguntur, non vt in aliis antea tribubus, ad ipſum vſque mediterraneum mare, quod tamen lib.5. cap. 3. aſſeruit Ioſephus: ſed vſque ad Ararothaddarem. *Secundo. Occidentales* ver. 14. à dicta iam vrbe Atarothaddare vſque ad Iudæam vrbem Cariathbaalem quæ & alio nomine dicitur *Cariathiebarim*. Et hoc ver. 14. atque 15. *contra mare*, eſt, è maris regione ſeu à latere marino & occidentali prout in fine verſus huius, libri quidam, explicationis ergo, adiungunt. *Contra Africum* vero, eſt, verſus Africum, ſeu verſus Meridiem, vt Hebræus habet. *Tertio. Auſtrales* iidem, qui cap. 15. erant tribui Iudæ Aquilonares. ſed contrario hic modo notantur, ab occidente ſcilicet in orientem: ab vrbe inquam *Cariathiebarim*, vſq. Iordanis Lingulam ſeu Sinum, quo in mare ſalſum influit ver.15.16.17.18. & 19. vbi Aquilonaris terminus maris eiuſdem eſt, Auſtralis terminus ipſius Iordanis: itemque Auſtralis Beniamitarum termini extremum in occidentali parte. *Quarto. Orientales* termini ſunt ab extremo iſto, aſcendendo ab Auſtro Septentrionem verſus, verum non procul: ſed vſq. Ephraimicæ tribus orientale principium, de quo ſupra cap.16. Hoc vero non eſt hodie in Latino textu: ſed eſſet, ſi, vt forte olim legeretur ſic verſ. 19. *Qui eſt terminus illius Auſtralis, & Iordanis terminat ipſum ab oriente*. Videntur enim excidiſſe verba hæc, *Auſtralis & Iordanis terminat ipſum*. Nam ita loquitur Hebræus textus, & ipſi etiam 70. ταῦτα τὰ ὅριά ἐστιν ἀπὸ λιβὸς καὶ ὁ Ἰορδάνης ὁριεῖ ἀπὸ μέρους ἀνατολῶν.

Vrbes porro eiuſdem tribus numerãtur xxvi. duabus comprehenſæ ſummulis: quarum vna xii. continet ver.25. altera xiv. v.28. Quæ autem cauſa ſit haſce ſummulas diſtinguendi, generatim dictum eſt in Iudæa tribu cap.15. & hoc generali reſponſo contentus hoc etiam loco Abulenſis. Sed notandum *Primo* vel vrbium iſtarum aliquibus alia etiam eſſe nomina, vel non omnes tribus huius vrbes hic recenſitas, cum infra cap.21. duæ, quæ ſic ſilentur, nominandæ ſint. Et vero in aliis etiam tribuum aliarum catalogis quædam, vel quia minus tum celebres erant, vel alia quapiam de cauſa prætеritæ cernuntur. 2. *Mons qui vallem filiorum Hinnom reſpicit*, verſ. 16. putatur à quibuſdam eſſe *Hathlade-ma*, qui Act.1. dicitur *Achaldema*, ab aliis alius, ex iis, qui circum Hieruſalẽ plures erant, Pſal. 124. ver.2. Et hunc eſſe in quo 3. Reg. 11. verſ.7. inſanum Chamao fanum mulieraria inſania in-

Digitized by Google

ſanus extruxit Salomon, quique 4. Reg. c. 23. dicitur *mons offenſionis*, putat Maſius. 3. Eundem de monte ac *valle filiorum Hinnom* locum ita verterunt 70. ϗ καταβαίνει τὰ ὅρια ἐπὶ μέρους τοῦ ὅρ κατὰ πρόσωπον νάπης σονὰμ. vbi poſt μέρους, videtur propter quandam ſimilitudinem cum illo, omiſſum ὄρους. Sed cur *vallem filiorum Hinnom* vocent νάπην σονὰμ, cauſam non video aliã, quam cur vallem iſtam vocent νάπην. Ita enim aut mons aut vallis nemoroſa, vel obſcura, & lucis expers à Græcis vocari ſolet, à priuationis particula, νὴ & φάος, id eſt, lumen, quaſi νηφάος vel νήφαος, prout de notionis & originis eiuſdem nomine νάπης diſſerunt Grammatici. σονὰμ vero eſt pro ὀνὰμ, id eſt, *hinnom*, traducta vt ſæpe alibi ex antecedẽtis vocis fine litera ſigma. Quæ alioquin eodem ver. 16. vocatur *gehinnom*, ab iiſdem 70. ſcribitur γαίεννα, quæ vox proxime ad Latinam ab eadem valle accedit: ad *gehennam* ſcilicet. 4. Quia ibidem additur ipſius *gehinnom* interpretatio per *id eſt*, generalis hæc ab Aria ponitur admonitio. *Admonendus eſt Lector*, ea omnia verba, quæ *expoſitiua oratione* (id eſt) *notãtur, vel à Latino Interprete ſic, explicationis cauſa, indicari vel in margine in contextum irrepſiſſe*. Par ei vtique ratio de vſitata iſta phraſi, *Quod eſt interpretatum*. Sed in veteri potius quam in nouo Teſtamento huic monitioni locus, vt Geneſ. 30. v. 35. cap. 32. v. 2. cap. 47. v. 27. non autem Rom. 9. v. 8. 1. Cor. 1. v. 18. licet in Græco hic tantum ſit σωζομένοις ἡμῖν. Sic Iud. 1. ver. 35. *quod interpretatur teſtaceo*. & cap. 12. v. 6. c. 15. ver. 17. 2. Matth. 1. 34. non autem Matth. 1. 23. Mar. 5. 42. cap. 15. 22. & 34. Ioan. 1. 38. 41. 42. cap. 9. 7. Actor. 4. 36.

A cap. 9. 38. Sed 5. pro *tumulis* ver. 17. in Hebræo ſunt *geliloth*: & in Latina tranſlatione retinentur à Maſio, & aliis: à 70. vero γαλιλὼθ. putatque in commentario idem Maſius eſſe *Galgala*, ſed ab iis, in quibus Iſraelitica tandiu caſtra fuerunt, diuerſa, eſſeque illa, quæ Iud. 3. ver. 19. *Galgal* vocantur. Alij eadem ex cap. 15. verſ. 7. & infra cap. 22. v. 13. Sed cum à volutatione & exaggeratione vox illa Hebræa ducta ſit, recte interdum *tumuli* vertitur, & *littora*, prout vult c. 13. v. 2. Maſius, interdum vero retinetur, prout hic à citatis auctoribus fit, & à noſtro Interprete
B capite illo 13. ver. 2. vbi *Galilæa* dicitur. 6. *Hieruſalem* hic v. 28. in tribu Beniamin ſtatuitur, ante vero in tribu Iuda cap. 15. ver. 8. & 63. Nimirum vtriuſque tribus fuit. ſed Synecdochicẽs. Vna enim *pars*, quæ *ſeptentrionalior, ad Beniamin* pertinuit: Altera, quæ *Meridionalior ad Iudam*. Et ſunt qui haſce duas partes, duo parua viciniſſima opida exiſtiment, vno eodemque nomine inſignita, muris tamen diuerſis cincta, vel vnis certe ac iiſdem communibus, præter illa, quæ vtriuſque fuerunt propria. Sed de hoc ante cap. 10. quæſt. 2. fuit innutum aliquid. Abu-
C lenſis vero hic quæſt. 10. mauult, aut vrbis alterius permutatione Iudæis vrbem hanc ceſſiſſe Beniamitas, vel animi potius paruitate ac deſperatione, cum diffiderent, à ſe Iebuſæos expugnari vnquam poſſe. Sed quod Lyrani eſt, reſponſum malo, in tribuum duarum ſecundum duas diuerſas partes iure ac poſſeſſione Hieroſolymã fuiſſe. 7. Anguſta videretur Beniaminia hæc portio, niſi ex antedictis conſtaret eas anguſtias vbertate maxima compenſari.

CAPVT XIX.

De reliquarum ſex tribuum, ipſiuſque Ioſue portionibus.

1. ET egreſſa eſt ſors ſecunda filiorum Simeon per cognationes ſuas: fuitque
hæreditas 2. eorum in medio poſſeſſionis filiorum Iuda: Berſabee &
Sabee & Molada, 3. & Haſerſual, Bala & Aſem 4. & Eltholad, Bethul
& Harma 5. & Siceleg & Bethmarchaboth & Haſerſuſa. 6. & Beth-
lebaoth & Sarohen: ciuitates tredecim, & villæ earum. 7. Ain & Rem-
mon & Athar & Aſan: ciuitates quatuor, & villæ earum: 8. omnes viculi per circui-
tum vrbium iſtarum vſque ad Baalath Beer Ramath contra auſtralem plagam. Hæc eſt
hæreditas filiorum Simeon iuxta cognationes ſuas, 9. in poſſeſſione & funiculo filio-
rum Iuda: quia maior erat. & idcirco filij Simeon poſſederunt in medio hereditatis eo-
rum. 10. Cecidítque ſors tertia filiorum Zabulon per cognationes ſuas: & factus eſt
terminus poſſeſſionis eorum vſque Sarid. 11. Aſcenditque de Mari & Merala, & per-
uenit in Debbaſeth, vſque ad torrentem qui eſt contra Iecconam. 12. Et reuertitur de
Sared contra Orientem in fines Celeththabor: & egreditur ad Dabereth, aſcenditq.
contra Iaphie. 13. Et inde pertranſit vſque ad orientalem plagam Getthepher & Tha-
caſin: & egreditur in Remmon, Amthar & Noa. 14. Et circuit ad Aquilonem Ha-
nathon: ſuntque egreſſus eius Vallis Iephtahel, 15. & Cateth & Naalol & Semron &
Ierala & Bethlehem: ciuitates duodecim, & villæ earum. 16. Hæc eſt hereditas tri-
bus filiorum Zabulon per cognationes ſuas, vrbes & viculi earum. 17. Iſſachar egreſſa
eſt ſors quarta per cognationes ſuas. 18. fuitque eius hereditas Ieſrael & Caſaloth &
Sunem 19. & Hepharaim & Sehon, & Anaharath, 28. & Rabboth & Ceſion, Abes,
21. & Rameth, & Engannim, & Enhadda & Bethpheſes. 22. Et peruenit terminus
eius vſque Thabor & Seheſima & Bethſames: eruntque exitus eius Iordanis: ciuitates

Digitized by Google

ſedecim, & villæ earum. 23. Hæc eſt poſſeſſio filiorum Iſſachar per cognationes ſuas, vrbes & viculi earum. 24. Ceciditque ſors quinta tribui filiorum Aſer per cognationes ſuas: 25. fuitque terminus eorum Halcath & Chali & Beten & Azaph, 26. & Elmelech & Amaad & Meſſal: & peruenit vſque ad Carmelum maris & Sihor & Labanath. 27. Ac reuertitur contra Orientem Bethdagon: & pertranſit vſque Zabulon & Vallem Iephthael contra Aquilonem in Bethemec & Nehiel. Egrediturque ad læuam Cabul, 28. & Abran & Rohob & Hamon & Cana, vſq. ad Sidonē magnam. 29. reuertiturq. in Horma vſque ad ciuitatem munitiſſimam Tyrum, & vſque Hoſa: eruntque exitus eius in mare de funiculo Achziba: 30. & Amma & Aphec & Rohob. ciuitates viginti duæ & villæ earum. 31. Hæc eſt poſſeſſio filiorum Aſer per cognationes ſuas, vrbeſque & viculi earum. 32. Filiorum Nephthali ſexta ſors cecidit per familias ſuas: 33. & cœpit terminus de Heleph & Elon in Saananim, & Adami, quæ eſt Neceb, & Iebnael vſque Lecum: & egreſſus eorum vſque ad Iordanem: 34. reuerriturque terminus contra Occidentem in Azanotthabor, atque inde egreditur in Hucuca, & pertranſit in Zabulon contra Meridiem, & in Aſer contra Occidentem, & in Iuda ad Iordanē contra ortum ſolis. 35. ciuitates munitiſſimæ, Aſſedin, Ser & Emath, & Reccath & Cenereth. 36. & Edema & Arama, Aſor, 37. & Cedes & Edrai, Enhaſor 38. & Ieron & Magdalel, Horem & Bethanath & Bethſames: ciuitates decem & nouem, & villæ earum. 39. Hæc eſt poſſeſſio tribus filiorum Nephthali per cognationes ſuas, vrbes & viculi earum. 40. Tribui filiorum Dan per familias ſuas egreſſa eſt ſors ſeptima: 41. & fuit terminus poſſeſſionis eius Sara & Eſthaol, & Hirſemes, id eſt, ciuitas ſolis. 42. Selebin & Aialon & Iethela, 43. Elon & Themna & Acron, 44. Elthece, Gebbethon & Balaath, 45. & Iud & Bane & Barach & Gethremmon: 46. & Meiarcon & Arecon, cum termino qui reſpicit Ioppen, 47. & ipſo fine concluditur. Aſcenderuntque filij Dan, & pugnauerunt contra Leſem, ceperuntque eam: & percuſſerunt eam in ore gladij, & poſſederunt, & habitauerunt in ea, vocantes nomen eius Leſem Dan, ex nomine Dan patris ſui. 48. Hæc eſt poſſeſſio tribus filiorum Dan, per cognationes ſuas, vrbes & viculi earum. 49. Cumque compleſſet ſorte diuidere Terram ſingulis per tribus ſuas, dederunt filij Iſrael poſſeſſionem Ioſue filio Nun in medio ſui, 50. iuxta præceptum Domini, vrbem quam poſtulauit, Thamnath Saraa in monte Ephraim: & ædificauit ciuitatem, habitauitque in ea. 51. Hæ ſunt poſſeſſiones, quas ſorte diuiſerunt Eleazar ſacerdos, & Ioſue filius Nun, & principes familiarum, ac tribuum filiorum Iſrael in Silo, coram Domino ad oſtium tabernaculi teſtimonij, partitique ſunt Terram.

QVAESTIO I.

Simeonicæ tribus limites & vrbes quæ?

SEcunda inter ſæpe dictas reſiduas ſeptem tribus ſors, Simeonicæ obuenit tribui: eique hæreditatem attribuit in ipſa Iudaicæ tribus portione. ideoque hic non deſcribuntur tribuum, de quibus hactenus, aliarum more, limites ex quatuor mundi plagarum reſpectu: ſed tantummodo dicitur hæreditas hæc fuiſſe *in medio poſſeſſionis filiorum Iuda*, ita vt limites illi Iudaici poſſint quodammodo Simeonici etiam haberi, quemadmodum ſcilicet pártis ac totius iidem poſſunt cenſeri termini. Illud tamen *in medio*, quod & 70. dixerant, *ἀναμέσον κλήρων υἱῶν Ἰέδα*. & ver. 9. *ἐν μέσῳ*, non ita ſitus medium ſignificat, vt præciſe in Iudææ medio loco, ipſoque veluti centro Simeonica tribus hæc exiſtat: ſed quod in illa, inter eius terminos. Fuit enim alioqui Simeonitarum portio in extrema Iudaicæ portionis parte ad Occidentem & Meridiem. Eius vrbes indicantur v. 6. tredecim, & inſuper verſ. 7. quatuor vniuerſæ xvii. vnde efficitur vnam tantum eandemque vrbem eſſe, cuius duo ponantur nomina verſ. 2. *Beerſabee & Sabee*. Ideoque 1. Paralip. 4. eorum tantummodo alterum ponitur, prius videlicet

A v. 28. quod & celebrius eſt maiore vſu contritius, prioreque hic loco poſitum, quia inibi cum Abimelech fœdus percuſſit Abraham apud puteum, eique, amicitiæ conteſtandæ ergo, ſelectos agros ſeptem dedit. Ab his rebus omnibus vrbi illi nomina hæc, cum *beer* puteum, *ſabee* vero vel *iuſiurandum*, vel *ſeptem* ſignificet. Quia vero circum vrbes iſtas magna villarum ac pagorum erat frequentia, adeo cum vniuerſitatis nota dicitur verſ. 8. *Omnes viculi per circuitum vrbium iſtarum.* Eſt autem hic

B obſeruatu non indigna quædam ipſius Radak monitio, *propria* ſcilicet *hominum ac locorum nomina variis in locis poſita, vna ſæpe aut etiam altera littera variari.* Nam verbi cauſa quæ verſ. 3. hic *Balaa*, ea 1. Paral. 4. v. 29. in Latino quidem eodem nomine appellatur: ſed in Hebræo *Bilba*, & ſupra c. 15. v. 29. *Baala*, Num. c. 1. v. 14. *Debuel* cap. 2. v. 14. *Rebuel.*

C

QVÆSTIO II.

Quo iure aut modo in Iudæa tribu Simeonica poſita portio?

FActum id ait Raſchi non ſolenni ſorte illa, qua tribubus hæreditatem dabat Dominus: ſed priuata quadam, quam ipſæ inter ſe tribus omnes ex compacto miſerunt. Vult enim ex

Digitized by Google

Iacobi teſtamento Geneſ. 49. ob admiſſum in [A] Sichemitas ſcelus, tam Leui quam Simeonem exhæredatum. Sed cum illi à Deo prouiſum eſſet, hic vero hæreditatis omnis exſors maneret, ipſius miſertas tribus alias, miſiſſe ſortem, quænam ex omnibus illum ſuam in poſſeſſionem reciperet, eique vnam veluti hæreditatis vnciolam aſpergeret. Cecidiſſe autem ſortem hanc ſuper Iudæ tribum. Sed aduerſatur omnino textui Rabbinus hic. Nam ſolennis & publica ſors, quæ ante Domini arcam Silunte facta eſt, deſcribitur: & ex ipſa dicitur *egreſſa ſors filiorum* Simeon, & quidem *ſecunda*. Quomodo [B] *ſecunda*, niſi reſpectu primæ, & quomodo reſpectu primæ ſecunda, niſi idem ſortis genus obſeruatum? Quomodo item poſtea ſors Zabulon *tertia* verſ. 10. niſi ſecundæ huius reſpectu: ſicque de cæteris omnibus. Et quæ ratio, quod ſignum aut ſigillum priuatæ illius ſortis afferri poteſt? Sane ſuis illis teſtamenti tabulis neque Leui, neque Simeonem ab hæreditate obtinenda excluſit Iacob, prout c. 13. quæſt. 6. & 7. de Leuitica tribu expoſitum: ſed tantummodo dixit Geneſ. 49. v. 7. *diuidam eos in Iacob, &* [C] *diſpergam eos in Iſrael.* Quod etiamſi, tribuum aliarum inſtar, ſortita iam ſit hæreditatem Simeonica, factum tamen aptiſſime videmus, dum in alienæ tribus terminis, in alieno veluti hoſpitio collocatur.

QVÆSTIO III.

Cur intra Iudaicæ potius, quam alius cuiuſcunque tribus fines collocata Simeonica?

RESpondet v. 9. textus: *Hæc eſt hæreditas filiorum Simeon iuxta cognationes ſuas, in poſſeſſione* [D] *& funiculo filiorum Iuda, quia maior erat.* Pro *in poſſeſſione & funiculo*, in Hebræo eſt, *ex funiculo*, id eſt, ſecundum 70. ἀπὸ τοῦ κλήρου τοῦ Ἰούδα. Sed iſta Iudæ poſſeſſio dum *maior* dicitur, cum quanam alia comparatur? An cum ipſa Simeonica. ſed eodem modo Beniaminicam, in partem, ſinumque veluti ſuum recipere illa debuiſſet. quia hæc etiam maior erat. Rurſumque aliam quamcunque minorem in ſortis ſuæ participatum ſimiliter admittere. Dicendum, tribum Iudaicam ad ſeipſam comparari, fuiſſeque maiorem, quam ei conueniret: ſicque abſciſſam [E] ab ea particulam, quæ Simeonicæ ſedem tribui præberet. Verbotenus in Hebræo eſt: *quia fuit pars filiorum Iuda multa* ſeu *magna præ ipſis*, videlicet filiis Iuda, id eſt, maior, quam ipſis neceſſaria erat, quam ipſis deberetur. Sicque 70. ὅτι ἐγενήθη ἡ μερὶς υἱῶν Ἰούδα μείζων τῆς αὐτῶν.

QVAESTIO IV.

An ſortis errore, vel quo alio modo fuit Iudaicæ tribus, quam conueniret, maior portio?

IN cap. 15. q. 9. Thoſtatus poſſe fortaſſis aliquem dicere, inquit, [F] Deum in ſortibus iſtis errorē permiſiſſe, prout in quotidianis diuiſoriis ſortib. non raro permittit. A quo tamē hoc dictum ſit, prodit neminem. Neq. vero ſapiens eſſe vllus poteſt, qui hiſce in diuidēda terra ſortibus à Deo præceptis, tantoque opere laudatis & commendatis, Num. 26. & 34. & ſupra c. 13. errorem vllum impingere audeat. Sed *modus*, quo à Iudaica tribu maior æquo accepta ſit hæreditas, *duplex* affertur alius. *Vnus* à Lyrano, terram Iudaicæ tribui datam fuiſſe duplicem: vnam ſcilicet tanquam propriam hæreditatem, ex diuinæ ſortis oraculo: alteram, velut beneficiariam acceſſionem, è beneuola populi totius conceſſione. Fuiſſe ſiquidem in Iudaicorum finium vicinia Chananæas gentes nōnullas, quarum terra, ſi eam occupare, illaſque deturbare poſſet, ei data ſit: & in hanc, non autem in propriæ portionis agrum admiſſos, benigneque à Iudæis receptos Simeonitas. Et hanc, veluti expoſitorum omnium, laudat idem Lyranus ſententiam. Sed eam & merito exſibilat hic quæſtion. 2. Abulenſis. Etenim claro clarius aſſerit contextus verſ. 1. & 9. fuiſſe Larem Simeonitis datum *in medio hæreditatis* ac *funiculi* Iudæorum. *Hæreditas* vero & *funiculus*, quid niſi propriam, dimenſamque portionem notat? Et ne miretur quiſpiam horum hæreditatem ac funiculum tot colonorum nouorum millib. receptis imminui nimium & anguſtari cauſa vt vidimus illico ſubditur, quod illa ipſa Iudæorum hæreditas, & funiculus fuiſſet multo, quam oporteret, maior ac dilatatior. *Alter* igitur *modus* ab eodem affertur Abulenſi, erraſſe non ſortem, quæ ſuam cuique tribui regionem ac ſitum tribuebat, ſed ipſos diuiſores, qui ſuam cuique tribui in monſtrata per ſortem regione ac ſitu amplitudinem, pro tribus ipſius multitudine, aſſignabant. Hos enim, primo illo diuiſionis principio, conſideraſſe Iudaicæ tribus magnitudinem, quæ alias omnes millibus pluribus ſuperaret Num. 2. verſ. 3. & cap. 26. verſu 22. putaſſeque tribubus omnibus habitandum laxiſſime, ac eam ad laxitatem, omnemque commoditatem abunde ſatis in promiſſa terra eſſe ſpacij. Poſt vero, in ſecunda diuiſione aliquot iam elapſis annis, maiore locorum per populum ipſum & ſecundo miſſos Geometras, eoſque plures, accepta peritia, deprehenſum eſſe errorem: ſicque è Iudaicæ tribus ampla nimium portione, decerptum ac deciſum fuiſſe aliquid: quantum videlicet Simeonicæ tribui ſatis tunc eſſet. Quāuis enim altero ex Aegypto egreſſus anno in iſta numerarentur 59300. Num. 2. v. 13. poſtremo tamen anno in eadem fuerunt ſolum 22200. Num. 26. verſ. 14. Intelligi poteſt error iſte melius ex iis, quæ c. 13. quæſt. 12. diſputata, vbi quod quærebatur, *An per Vrim & Thummim ſua ſingulis tribubus aſſignata eſſet finium amplitudo?* apparet negandum. Sicuti namque ſortes gubernans, ita per *Vrim* & *Thummim* reſpondens Deus errare haudquaquam potuit. Hic vero diuiſorum principum error, an è priorum Geometrarum errore, quem aliqua vel pepererit inſcitia, vel negligentia, natus ſit, an vero ex ipſorummet inconſiderantia, incuriaque ſola, non definio. Fieri vtrumque potuit. Omnia enim humanarum rerum primordia ſolent fere, rudia, imperfecta & inſcita eſſe, prout in Dialecticis ab Ariſtotele notatum: & vero in ſcientiis, artibus, artificiiſque omnibus, notari à quolibet ac videri quotidie poteſt.

Cæterum magnæ nobis error hic ſapientiæ documenta præbere poteſt. Videmus enim *primo* humanæ rationis noſtræ imbecillitatem ac cœ-

Digitized by Google

ac cœcitatẽ, quæ in terrenis etiam reb. quæ oculis etiam perſpici, & manib. pedibuſq. tangi poſſunt, tantopere caligat, tã facile aberat, tamtemere quidpiam ſtatuit. *Secundo.* Videmus in ſacris boniſq. rebus, quando concurrunt inter ſe connexa & implicata, diuina & humana quæpiam, diuinis certiſſimam ſemper firmiſſimamque fidem adhibendam: his vero non æque certam & firmam, ſed humanam tantummodo, quæ opinionis ac dubitationis aliquid admittat, niſi forte humana iſta diuinitus fulciri ac regi aliunde nobis conſtaret. Diuina hic ſors erat nullus in ea vel ex ea in locorum, vbi tribus conſidere ſingulos oporteret, ſitu error fuit. Accedebat humana hominũ diuidentium deliberatio ac ſententia. huic nulla diuina vis, nullũ ſupernaturale ac ſingulare auxilium vel concurſus promiſſus erat. Lapſa igitur eſt, minuſque prudenter & accurate de Iudaicis pronunciauit finibus. Sic in iſto, in quo tantopere noſtri Nouatores exultant, & in quo perduellis ille Caluiniſta Saxoniæ Cancellarius, dum propter Caluiniſticas technas à Luterano ſuo Principe pœnas daret ſpem, anchoram, præſidiumque omne ſuum, prout à Lutheranis ipſis memoriæ proditum, reponebat, ſyllogiſmo: *Qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit. Ego Nicolaus Crellius, credo, & baptizatus ſum.* Ergo. Propoſitio diuina eſt, Marci 16. v. 16. aſſumptio humana. Sed pergamus. *Tertio.* Vbi diuiſorum error patefactus: eum libenter correxerunt. Non exiſtimationem ſuam minui, non ſibi dedecus aliquod inuri, non in contemptum ſe vocari clamarunt: neque quod à ſe, Geometris auditis, decretum fuiſſet, pertinaciter tueri ac fixum eſſe voluerunt: Sed errore comperto, ſuam potius reſcindi ſententiam, aliter hæreditatum partes fieri, ſuamque publice ac palam diuiſionem corrigi. Et tamen viri Principes erant, Phylarchæ inſignes, à Deo ipſo ad diuidendi munus dati ac nominati, vt ſupra cap. 13. quæſt. 10. vidimus. Magna horum ſane modeſtia, magna virtus, ac prudentia extitit. Errare ac labi hominis eſt. errantem, vbi aduerterit, in viam non redire, lapſumque vbi licuerit, non reſurgere, trunci aut ſaxi eſt, ſane plus quam pecudis. *Non eſt*, inquit Seneca lib. 4. de beneficiis cap. 38. *leuitas à cognito & damnato errore diſcedere. & ingenue fatendum eſt, Aliud putaui, deceptus ſum, Hæc vero ſuperbæ ſtultitiæ perſeuerantia eſt, quod ſemel dixi, qualecunque eſt, fixum ratumque ſit. Non eſt turpe cũ re mutare conſilium.* Sed de hoc egi cum de vtili ac ſapiente hæreticorum ad Eccleſiam Catholicam reditu agerem alibi. Videatur idẽ Seneca libro ſecundo de ira, Tertullianus lib. de pudicitia cap. 1. S. Ambroſius Epiſtol. 3. S. Auguſtinus de verbis Apoſtoli ſermone 22. capite 10. libr. contra Epiſtol. fundamenti cap. 2. lib. de vtilitate credendi cap. 1. 2. & 3. S. Chryſoſtomus hom. 46. ad populum. Iam *Quarto* ſuas minui poſſeſſiones, anguſtioribus ſeſe terminis includi, hæreditatis ſuæ partem non paruam dari aliis, moderate fert Iudæa tribus tota. Quam hoc præclarum. Ne domunculam, agellum, patellam, paſſum vnum aut reculam aliquam cedat fratri frater, quantæ inter eos ſæpenumero lites? quæ forenſia prælia? quam

A acerba odia? vere hi Abrahæ filij ſunt, qui terram quam optaret, tam libenter geſſit Geneſ. 13. Non ſuam ſibi poſſeſſionem eripi, non ſe in anguſtum redigi, non dato & acquiſito iam iure ſpoliari ſe queſti ſunt: ſed cum diuiſores ipſos errorem ſuum fateri, priorique diuiſioni correctionem ac modum adhibere viderent, eorum imitati modeſtiam, maluerunt cum iuſtitia & æquitate ſibi ſuæ partem hæreditatis adimi, quam, cum aliarum tribuum iniuria & detrimento, relinqui totam.
B Caninum eſt in bonorum, quæ obtigerint, ſocietatem admittere neminem, prout vulgari illo notatu verſiculo: *Dum canis os rodit, ſocium quem diligit, odit.* Et contrario autem inter homines, quibus cordi humanitas, amicorum communia omnia.

QVÆSTIO V.

An inuite ac dolenter Simeonitas in ſortem ſuam acceperint Iudæi?

C IAm id quidem negatum. Verumenimuero intermurmurant Raſchi, Raſbal, aliique nonnulli Rabbini: & quod facerent ipſi, feciſſe aiunt Iudaicam tribum. peræ gre ipſam, perque dolenter Simeonitas hoſpites, inquilinos, ac particulones tuliſſe. Ne autem nihil videantur dicere, vt ſane nihil dicunt, probare illud ex eo conantur, quod Iudæi poſtea, cum viribus, Dauide Rege, præpollerent, Simeonios iſtis è ſedib. exegerint, alioque proripere ſeſe coegerint 1. Paral. 4. v. 39. At vis, exactio, & expulſio iſta nuſquam aut legitur aut inuenitur. Tantũmo-
D do illic narratur, quemadmodum alias etiam ſedes ſibi conquieſierint, ſuoſque latius fines protulerint, non veteres in Iudæa poſſeſſiones deſerẽdo, ſed nouas iis adiungendo tam in Gador quam in Seir. Et fortaſſis eædem terræ vna cũ Iudaica portiuncula, hoc ipſo ſortitionis tẽpore, iis à diuiſoribus attributæ fuerãt: ſed eas vincere ac obtinere tũ non potuerunt: ſicq. in Iudaico ſeſe ſolo, donec obtinendarum earum maior affulgeret ſpes, continuerunt. Obtinere autem cœperunt, non Dauidis tempore, ſed Ezechiæ, id eſt, annis poſt Dauidem, amplius trecentis. Nam capite illo 4. l. 1. Paral. v. 41. de
E Simeonitis ita ſcibitur. *Hi venerunt, quos ſupra deſcripſimus nominatim in diebus Ezechiæ Regis Iuda.* & reliqua. Quod autem v. 31. de iiſdem dicitur: *Hæ ciuitates eorum vſque ad Regem Dauid*: non eam habet ſententiam, quaſi Dauidis tempore illorũ eſſe deſierint omnes illæ vrbes: ſed quod ſub illud tempus eorum vnam *Siceleg* ſcilicet ab Rege Achis Paleſthino acceperit Dauid, ipſiſque Iudæis vrbibus adiunxerit, 1. Reg. 27. Ea vero erat è Simeoniorum portione quoad ius, licet eam re ipſa nunquam fortaſſis adhuc inſediſſent, aut ſi antea inſediſſent, bello certe poſt aliquo amiſiſſent. Atq. ita locum illum expla-
F nant Auctor quæſtionum in Paralip. & Abulenſis 1. Paral. 4. q. 24. vbi cõtra Lyranũ decertat acriter, quod cũ Rabbinorũ antea dictorum illũ irretiiſſent ibidem caſſes, fabuletur, Iudæos à Saule Rege petiiſſe, vt Simeonios è tribu ſua eiiceret: illum vero Dauidis, qui Iudæus erat,

Digitized by Google

odio noluiſſe: ſed Dauidem cum ſceptrum cepiſſet, illico tribulium ſuorum poſtulatis annuiſſet, ac illos expuliſſe. Anilia ſiquidem hæc nugamenta ſunt, neque teſtimonio, neque ratione vlla ſubnixa. Hoc exquiri tantum poſſet an recte Dauid vrbem, quæ Simeonici iuris eſſet, Iudaicæ tribui addiderit, Simeonitis non reddiderit? Sed bona Lectoris venia eſto in lib. 1. Reg. cap. 27. dilatio.

QVÆSTIO VI.

Quibuſnam Zabuloniæ tribus terminis, vrbibuſue conſtat?

TErtia, in poſteriore diuiſione, Zabuloniæ tribui effluxit ſors: cuius in textu delineãtur, vel potius adumbrantur termini hoc & ordine & modo. *Terminus occidentalis* v. 11. ab Auſtro Aquilonẽ verſus pergendo eſt ab vrbe *Sarid*, vſque ad torrentem, qui ad torrentem, qui eſt è regione vrbis *Ieconam*. Hunc autem torrentem retur Maſius eſſe *Belum*, in quo illa, quæ à Strabone lib 16. ὑαλῖτις ἄμμος vocatur, id eſt, arena, è qua vitrum fit, quo Sidonij, & cõfines alij magnopere, vt ibidem narrat Strabo, excelluerunt, adeo vt illis in partibus Firmus quidam Tyrannus prædiues vitreis quadraturis, bitumine aliiſque medicamentis infertis domum induxiſſe perhibeatur, quemadmodũ in eius vita Syracuſius Vopiſcus, Riuus Pagida, ſiue Belus, inquit lib. 5. c. 19. Plinius, *vitri fertiles arenas paruo littori miſcens*. *Auſtralis* terminus ab occidente Orientem verſus progrediẽdo, eſt à *Sarid* vſque ad vrbem *Remmon* v. 12. & 13. vbi poſt Remmon ponitur *Amthar* & *Noa*. ſed videntur iam eæ terminum conſtituere *orientalem* ab Auſtro ad ſeptentrionem ab Remmon ad Noam: & demum eſt *ſeptentrionalis* terminus ab oriente in occidentem à Noa vſque in torrentem, de quo ſupra, in vallem nimirum *Iephthael*, vſque ad mare mediterraneum. Sic iſtos fere terminos è capite iſto eliciunt ac finiunt Arias, & Maſius: aliter alij vt Adrichomius & è veteribus, illos vſque ad mare Geneſareth, Orientem verſus, producit Ioſephus, ita vt orientalis terminus ſit iſtud mare: *Ego*, inquit Maſius, *ideo hoc probare non poſſum, quia nulla aut Iordanis aut Geneſaræ mentio eſt in textu. Nõ enim profectò tam nobilem terminum reliquiſſet tacitum, qui diſcripſit.* Variæ tamen Scriptoribus cauſæ ſunt, cur interdum hoc potius quam alio modo loquantur, ideoque Ioſephi hoc vno ſolo, quod à negatione ac ſilentio ducitur, argumento ſẽtentiam nolim abiicere. Præſertim cum per *Iaphiam* & *Remmon* proxime mare ſeu ſtagnum illud monſtrarit. Et inter haſce vrbes ac mare lud interiectam terrulam, quæ alia ſortita tribus dicitur. Zabuloniæ vero vrbes XII. traduntur v. 15. Sed videntur in textu plures multo recenſeri, videlicet:

1 *Sarid*
2 *Meralaa*
3 *Debba eth*
4 *Iecenam*
5 *Ceſeleth Thabor*
6 *Dabereth*
7 *Iaphia*
A 8 *Gethepher*
9 *Ethacaſim* prout in Latino legendum
10 *Remmon*
11 *Amthar*
12 *Noa* ſeu *Nea*
13 *Hanathon*
14 *Iephthael*
15 *Cateth*
16 *Naalol*
17 *Semeron*
17 *Iadala*
19 *Bethlehem*, ſed ab ea, quæ in Iudæa, diuerſa.

B Et in Hebræo videtur adhuc addi v. 11. bis *Phaga*. Hoc enim nomen vertit noſter primo *peruenit*, ſicuti & infra v. 22. 26. & 34. bis. *Deinde*. cum hic poſt *Debbaſeth* in Hebræo repetatur, idipſum ſubaudiit, & continuauit per *vſque*. In 70. vero hæ numerantur vrbes XX.

1 ἰσδιεχωλὰ
2 μαγελδὰ
3 βαιθάραβα
4 ἰεκμὰν
C 5 σιδδὶκ
6 βαιθσαμὺς
7 χασαλωθαὶθ
8 δαβιρὼθ
9 φαγγαὶ
10 γεβεὲ
11 κατασὶμ
12 ῥεμμωνὰ
13 μαθαραοζὰ
14 ἀμὼθ
15 γαφαὴλ
16 κατανάθ
17 ναβαὰλ
D 18 συμοὼν
19 ἰερεχὼ
20 βαιθμάν.

Dicendum *primo* quaſdam hic enumerari vrbes, quæ ſint iuxta, non intra Zabulonios terminos. Nam *Dabereth* infra diſerte c. 21. Iſſacharianæ tribus eſſe dicitur Leuitiſque ab illa datur. Et de *Hanathon* v. 14. dubitari poteſt, an ad Aquilonem intra eoſdem terminos includatur an extra relinquatur. *Secundo*. De quibuſdam Hebræis vocibus ambigitur, ſintne propria locorum nomina, an vero communis eorum accipienda notio. Et hoc ſane de *Phaga* noſtro viſum Interpreti: de *Amthar* Symmacho, Paraphraſtæ Chaldæo, Raſchi, Radak, & Maſio. quem & idcirco laudat Arias. Ruſumque noſter Interpres, quod v. 12. & 13. in Hebræo eſt *cedmah, mitzrachah ſchemeſch*, ſatis expreſſit per *Orientem*, aut *orientalem plagam*: ſed inde, quaſi proprium Βαιθσαμὺς vel Βαιθσαμὺς nomen in 70. efformatum. *Tertio*. Tenendum, illud etiam, quod c. 15. & iterum poſtea dictum eſt, celebriora interdum municipia, & vicos nominari, qui tamen extra vrbium numerum ſint. *Quarto*. Fatentur omnes in Græcis nomina eiuſmodi vel à librariis deprauata, vel ab ipſis 70. conſulto Hebraice relicta, & quaſi obſcurata. *Quinto*. Vt in aliis antea tribubus non omnium ſemper vrbium nomenclatura

facta. ſic neque in Zabulonia. Vrbs enim eius fuit inclyta *Cetron* Iud. 1. v. 30. & hic tamē omiſſa. *Sexto.* Si omnia ſigillatim hæc inter ſe componerentur nomina, inuenirentur quæ ſono quidem differunt, ſignificatu tamen eadem, vt *Bethleem* & *Βαιθμαὰν* (nam illa eſt *domus panis*, hæc *domus mannæ*, ſeu *domus panis optimi*, & quaſi cœleſtis) *ἰτεδὶα* & *ὀεδδὰα*: inuenirentur etiam quorum ſonus ac litteræ immutatæ, vt *ἱερεχὼ* pro *ἰεδιλὼ*, *συμοὼν* pro *σεμερὼν*, *ναβαὰλ* pro *ναανὰλ*: alia quæ è pluribus breuiter conflata, vt *γαιφαὴλ* ex Hebræis *γεὶ* vel *γαὶ*, *ἰεφθὰχ*, *ἠλ*, id eſt, *vallis Iephthael*. Eademque aliorum in aliis etiam tribubus excutiendorum nominum ratio. Sed ſatis eſt in hæc quendam veluti digitum intendiſſe. Nam accuratior horum omnium diſquiſitio iis, quos antea laudaui, Topographis conſulto relinquitur. Duo hic ſupereſſent quærenda. Primum, *Quomodo in Iacobi teſtamento dicitur Zabulon vſque ad Sidonem pertracturus, & Sidonis tamē hic nulla mentio?* Secundum, *Cur ante Iſachar ſortem conſequutus ſit Zabulon, qui ex eadem Lia natu minor?* Geneſ. 30. verſ. 18. & 20. rurſumque c. 35. verſ. 25. Et *hoc* quidem videtur obſcurius quam vt diuinum enucleari arcanum poſſit, non hic tamen ſolummodo, ſed in ipſo etiam Iacobi teſtamento ſeruatum Gen. 49. v. 13. & 14. *illud* vero planum ſatis eſt. Licet enim *Sidonis* hic nulla fiat mentio, ſic tamen eius finiuntur fines vt facile appareat, eam tribum Sidoni fuiſſe vicinam, potuiſſetque illam ad vrbem terra & mari quam commodiſſime ac expeditiſſime proficiſci, illic negotiari, ac ingentem quæſtum quærere. Ac idcirco dixit Deut. 33. v. 18. Moyſes: *Lætare Zabulō in exitu tuo*: qui ſcilicet ad peregrinandū nauigandū, & negotiandū tibi futurus eſt oportuniſſimus: ſicuti contra, magnam è ſua in tabernaculis quiete ac ocio voluptatem capturus additur Iſſachar, de quo iam dicendum.

QVÆSTIO VII.

Ecquos Iſſachariana tribus limites ac vrbes habuerit?

QVarta Iſſacharianæ tribui portionem dedit ſors. Illius limites, primus, *Auſtralis* per vrbes ſex oſtenditur, quæ ab occidente in orientem decurrunt, v. 18. & 19. ſecundus *occidentalis* ab Auſtro ad Aquilonē per vrbes quinque v. 20. Tertius *Aquilonaris* per alias vrbes quinq. v. 21. & 22. vbi vrbibus illis, quaſi extremus in Oriente limes, apponitur Iordanis. Addubitat vero Maſius, an *occiduus* Iſſacharianorū iſtorum limes mare attigerit Mediterraneum, cum huius ne nomen quidem hic poſitum. Sed cum *Carmelus* mons hanc ad tribum, Ioſepho auctore, pertineat, & mari fere is immineat infra ver. 26. quidni ad illud vſque tribum hanc pertigiſſe putemus? Fuere in eadem tribu vrbes XVI. v. 22. in quibus omnium facile princeps *Iezrael*, de cuius valle ſupra c. 17. verſ. 16. & à qua magnus ille ac præferrilis *campus Eſdrelon*, de quo Iudith. 1. dicebam p. 233. Et vero ab vbertate, inſignique feracitate, quam iniecta profert ſementis, Iezraelis nomen videtur extructum. Nam *Zera* ſemen eſt & *el* Deus. Quæ

A autem magna & excellentia ſunt, ea in Scripturis Dei eſſe dicuntur, vt *montes Dei*. *Sion* vero verſ. 19. in Hebræo *Sion* ſcribitur, aliis tamen litteris, quam Hieroſolymitanus mons *Sion*.

QVÆSTIO VIII.

Aſerianæ tribui, qui fines? quæ Vrbes?

QVinta ſors Aſerianam tribum in hæreditatem miſit: cuius fines deſcribuntur. Pri-
B mo, *Occidentalis*, quadam ex parte ab Aquilone in meridiem fune ducto menſorio v. 25. Deinde *Auſtralis*, ab oriente in occidentē v. 27. Tertio, *Orientalis*, ab Auſtro in Aquilonem v. 28. Quarto, *Aquilonaris*, ab oriente in occidentem, eodem verſ. 28. quia iſti duo termini orientalis & Aquilonaris vna veluti gyratione ſimul explicantur. Sed tandem perfectius oſtenditur *occiduus limes* verſ. 29. ab Sidone, de qua cap. 11. vſque ad *Aczib*, vbi antea cœptus idem limes, & inde vſque ad *Rohob* quæ Iud. 1. è 70. dicitur *ἐφεὼ*. Ita quidem Arias, & Maſius: ſed ſi Adri-
C chomij tabulas, vulgataſque picturas conſulamus, vix nominatis in textu vrbibus poſſunt hi dicto iam ordine applicari termini, vt potius aliquæ vndecunque videantur conglobatæ vrbes, quibus, etiamſi lineis non directis, aliquo tamen modo tribus huius fines definiantur. Sunt vero vrbes recenſitæ XXII. verſu 29. Vbi *Acziba* eſt, quæ ſcriptoribus aliis, vt Plinio lib. 5. cap. 19. *Ecdippa* vocitatur, *in nono miliario Ptolemaidis pergentibus Tyrum*, inquit D. Hieronymus lib. de locis, hancque putant aliqui Geneſ. 38. v. 5. in Hebræo ſignificatam, dum dicitur Iudas fuiſſe in *Cezib*, quando illi filium peperit
D Selam Chananæa vxor. ſicque fere 70. niſi quod ipſam illic fuiſſe & filios ibidem ſuos peperiſſe, vertunt *αὐτὴ ἦν ἐν χασβὶ, ἡνίκα ἔτεκεν αὐτούς.* Noſter vero Interpres conſiderans in voce *Cazab* ineſſe mentiendi ac fruſtrandi vim, trāſtulit: *parere vltra ceſſauit*. Rurſum verſ. 26. ex *Sibor* & *Labanah* volunt eximi plerique omnes copulatiuam particulam, &, quia in Hebræo non eſt, ea tamen etiam in 70. legitur: ſed priore corrupto nomine, ſic: *τῷ σιὼν καὶ λαβανὰθ*. Qui vero ſimpliciter *Sibor Labanaah* legunt, varias eius afferunt explicationes. *Prima* ſic appellari Pto-
E lemaidem, quæ quondam *Ace*, inquit ibidem Plinius: ſeu *haco*, vt in Hebræo eſt Iudic. 1. verſu 31. de qua in Machabæorum Harmonia pag. 660. ego plura vero in Centuria ad Germanos epiſt. 36. Lipſius. *Altera*, eſſe riuum, quē ſupra quæſt. 6. vitriferum dicebamus. Cum enim *Schichor* Nilū in Scriptura ſignificare ſoleat, videtur ei nigredine ſimilis riuus hic, quia limo & terra fere ſemper turbidus, quia minime profundus eſt, & tamen apud Ioſephum cētum pœne cubitos latus. Quæ autem profun-
F diora ſunt, eadem limpidiora, vti vox *miſchcab* indicat apud Ezechielem 34. 18. Iam vero *Libnath* apud Hebræos Cryſtallum ſignificat. Hic vero riuus vitrariam defert, vti limum Nilus, arenam, ita vt videatur *paruus quidam Nilus cryſtallinus ſeu cryſtallifer*, inquit Maſius. *Tertia*, *Sibor* quidem riuum eſſe, ſed *Libnath* eſſe album

Digitized by Google

promontorium, quod eidem riuo & vrbi Ptolemaidi aſſitũ tradit citato loco Plinius: Ideoque & hic nullam vrbis fieri mentionem, quod per promontorium, aut riuum hunc ſatis ſignificetur, De *Chabul* verſ. 28. dixi 3. Reg. c. 19. 13. *Cana* eodem verſu intelligenda eſt *maior*, nam illa *minor*, in qua, ex aqua vinum fecit Dominus Ioan. 2. *Abran* ibidem à quibuſdam ſcribitur *Hebron:* & ſcribi ſic poteſt, ſed Hebrææ tamen litteræ aliæ ſunt, quam in Hebrone Calebi vrbe, de qua ſupra cap. Cum vero *Sidon*, huiuſq. proles *Tyrus* Aſeriæ huic tribui aſſcribantur, diſſertatiuncula eſt, num reipſa haſce aliquando vrbes illa poſſederit? Et negant plerique. Vocantur *vrbes magnæ ac munitæ*, quia & natura, & arte tales erant. Atque hoc tantummodo vt ſignificaret, vſus eſt Interpres ſuperlatiuo verſ. 29.

QVÆSTIO IX.

Nephthalicæ tribui fines, atque vrbes decretæ quænam fuerunt?

SExta Nephthalicam tribum attigit ſors eique hæreditatem decreuit, cui circundati fines. 1. *Orientalis*, qui à ſeptentrione verſus Auſtrum per vrbes monſtratur verſ. 35. Hæ vero cum ad Iordanem fere aſſitæ ſint, fit vt ipſe à ſuo exortu ac fonte Iordanis vſque ad ſeipſum in Geneſareth mare influentem, *Orientalis* rectè *terminus* dicatur. Vellet ei libenter adiungere Maſius ipſum etiam huius maris littus, ad vrbem vſque Tiberiadem: ſed ſine auctore vllo, niſi Abulenſem ei concedere libeat, dum ad huius capitis verſ. 34. ait, *in commiſtione ſortis Iſſachar, peruenire ſortem Nephthali vſque ad locum, in quo ſors Iudæ coniungitur Iordani.* Sed perobſcure loquitur, & quidem contra Ioſephum, quem quæſt. 6. dixi ſpacia hæc Zabuloniæ aſſcribere tribui. Neque vrbs *Lakkoum* ſeu *Leccum* vltra oſtium, quo in Geneſariticum ſtagnũ deuoluitur Iordanis, collocata eſt. 2. Terminus *Auſtralis* eſt ab oriente in occidentem v. 34. idem ſcilicet, qui Zabulonii erat Aquilonaris terminus. ſed hic vrbibus duabus, quæ in ipſa Nephthalica tribu ſunt, indicatus. 3. Terminus *occidentalis* eſt, qui Aſerianorum erat orientalis, eodẽ v. 34. vbi quod additur, *Et in Iuda ad Iordanem contra ortum Solis*, duplicem habet expoſitionem *vnam*, quod Nephthalica tribus Iudææ, orientali latere, contermina ſit, & quidem immediate. Et hoc repugnat iis, quæ ſupra dixit textus, dum tribum Beniamin ad Iordanem vſq. pertingere aſſeruit c. 18. v. 12. & 20. tribum itẽ Manaſſæam c. 16. & Ephraimicam cap. 17. *Altera* expoſitio eſt, vt Nephthalica ſit Iudææ tribui contermina mediate, quod rurſum dupliciter dicitur. *Primo*. Vt quod inter vtramque tribum intercipitur fluuij Iordanis, perexiguum ſit, ac idcirco, è vulgari Philoſophorum pronuntiato quod & Iuriſconſulti ferunt, diſtare inter ſe nihil videantur iſtæ tribus. Et ſic exiguum illud intercepti Iordanis tribueretur quidem nominatis iam tribubus Beniaminicæ, Manaſſenſi, & Ephraimicæ, ſed totum Geneſareticum latus iſto modo Nephthalicę tribui cõcederetur,

A quod negatum. *Secundo*. Vt Iordanis quidem multum inter Iudæam & Nephthaliam tribum interiiciatur, idque à Zabulonia, Iſſachariana, & aliis dictis iam tribubus obtineatur, ſed facili & oportuna vel per Iordanis alueum nauigatione, vel per eius littus profectione iungatur, & quodammodo vicina & affinis fiat Iudaicæ tribui Nephthalica. Et quãuis Geneſareth mare huic Nephthalicæ det Maſius, hoc tamẽ modo locum iſtum explanat bis p. 297. 298. eumque

B ſecutus Mõtanus. Videtur enim velle textus indicare Nephthalicã hãc tribum eſſe quidem verſus Aquilonem extremam, omni tamẽ oportunitate perfrui, ex eo quod ad omnes pœne tribus facile ac expeditum iter haberet: omnibuſque hominum commodis & oportunitatibus, per amicum fraternumque commerciũ, gauderet. 4. *Terminus Aquilonaris* non tam exprimitur in textu, quam innuitur v. 33. *Libanus* ſeu *Antilibanus*. Non deſunt tamen, qui longius terminum hunc producant, vt eo etiam includatur *Damaſcus*, *Abila*, *Chalcis*, *Palmygra*, *Emeſa*,

C vrbeſque verſus Euphratem aliæ nobiliſſimæ, de quibus in *Aureliano* Zoſimus. Sed ſane fuiſſet tribus huius pomœrium, multo quam Iudææ amplius, quod reſpuunt omnino earum inter ſe compoſitæ multitudines Num. 26. Nã *Iudæi* fuere ſeptuagies ſexies mille ac quingenti v. 22. *Nephtalitæ* vero quadragies quinquies mille ac quadringenti v. 50.

Vrbes porro hac in tribu fuere xix. v. 38. At plures videbuntur, ſi propria in textu colligantur nomina, & non obſeruentur, quæ ſemel & iterum antea de iſtiuſmodi numeris ac nominibus monui. Certe *Saanim* verſ. 33. quibuſdam

D eſt vrbs: aliis eſt appellatiuum nomen, quod Chaldæus Iud. 4. v. 11. interpretatur, *planitiem ſtagnantem & aquoſam*. Græci quidem (Nam in 70. eſt *Ceruulũ*) *quieſcentes*, quaſi hoc & prius nomen *Elon* dicerent *quercum quieſcentium*: Maſius *vagos & transmigrantes*, vt eorum illic quercetũ fuerit. *Adami* vero videtur eodem verſu nonnullis eadem eſſe, quæ paulo poſt *Edemah* v. 35. rurſumque eadem, cum illa, quæ ad *Sarthan* ponebatur c. 3. v. 6. Sed tum vltra Geneſareth mare ad Auſtrũ prolatanda eſſet Nephtalina ſors: vel certe *Sarthan* vltra idem mare ad Aquilonẽ pertrahenda: ideoque cautius diuerſas vrbes

E iſtas facit, & loco etiam admodum disiunctas Adrichominus. *Neceb* vero cum ei *ha* Hebraicũ præponatur, vertunt aliqui *verſus Meridiem*: ſed noſtrum Interpretẽ ſequitur Maſius, vt ſit nota, quæ ſignificet eandem eſſe *Neceb* & *Adami*. Pro *Ser*. v. 35. legerunt 70. *Sor*. quia tranſtulerunt *Tyrum*. Ibidem *Cenereth* putatur à Maſio & Aria eſſe vrbs, à qua propter vicinitatem dictũ ſit per aliquam litterarũ mutationem, mare *Geneſareth*. Sed hoc eſſe verum queat ſi, quod aliqui dicũt: *Tyberias* vocata eſſet *Cinereth*, non autem ſi vna hæc Nephthalica ſit. *Hemath* à D. Hieronymo in Amos Prophetam *duplex* dicitur,

F *maior*, quæ ſit Antiochia: & *minor*, quæ ſit Epiphania. Sed adiicit Maſius *tertiã*, duplicemque *Reblam*, ſiue *Reblatam* facit. Harum ſæpe in Scripturis mentio. Numeri 13. verſ. 22. 4. Regum 23. 33. Ierem. 49. Zachar. 9.

Digitized by Google

QVÆSTIO X.

Quibus Danica portio terminis contenta? quas vrbes continuerit?

SEptima &vltima poſterioris ſortitionis ſors Danicam in hæreditate ſua tribuum collocauit, cuius termini non aliter hic explicantur, quam aliquarum vrbium, quæ tamen vnum aliquem ordinem non tenent, enumeratione: ſed ex qua planum ſatis, maximam Danicæ portionis partem Iudaicis terminis incluſam fuiſſe, ob eandem nimirum cauſam, ob quam intra eoſdem Simeonicam tribum conſtitutam ſupra dictum eſt, capitis huius quæſt. 1. 2. & 3. Eſt autem Danica hæc in Iudaicis occidentalibus terminis, ita vt, quam Simeonica, ſit Aquilonarior, collocata. Sicque Aquilonares Simeonitarum fines, ſunt Danitarum Auſtrales. Sed verſus Aquilonem extra Iudaicos fines, in eodem occidentali latere procurrit eadem tribus Danica paululum vltra *Ioppen*, prout clare indicat verſus 46. Præſertim cum accedũt, quæ explicationis cauſa, in Latinum admiſſa textum ſunt verba hæc: *Et ipſo fine concluditur.* At idcirco hic à Ioſepho diuertendum, qui capite 3. l. 5. Danitarum fines ad *Doram* vſque vrbem producit. Hoc enim etiam impediunt Ephraimitarum & Manaſſenſium interpoſiti funiculi. Vrbium vero ſumma nulla hic inſtituitur, ſed eas quæ in Latino textu ſunt à verſ. 41. ad 47. ſi numeremus, inueniẽtur XVIII. Dixi in Latino textu. *Primo.* Quia in Hebræo videtur vna eſſe *Benebarac* verſ. 45. Itemque in 70. Βαναιβακάτ pro Βαναιβαράκ. *Secundo.* Quia in iiſdem 70. non niſi XV. vel XVI. leguntur, in quibus quæ in Hebræo dicitur *hirſemes* & in eodem Latino exponitur *ciuitas ſolis*, vertitur πόλεις, vel potius πόλις σαμμαύς priorem ſcilicet partem interpretãdo, & poſteriorem Hebraicam retinendo. *Ioppe* in Hebræo dicitur *Iaphoh*, quemadmodum & hodie *Iapha*. Accidit vero poſt aliqua datæ ſortis ac portionis huius tempora, vt anguſtioribus ſeſe circumſcriptos terminis exiſtimarent Danitæ: non quod attributa gleba, longa, lataque non eſſet: ſed quod eam totam nondum occupaſſent. Sibi ergo è ſuis erumpendum anguſtiis ſtatuerunt, nouaſque alibi ſedes quærendas. Quod breuiter hic quidem verſ. 47. tangitur ſed narratur & explicatur vberius Iud. cap. 18. Hic illud modo inſpiciatur præter illud verſu 47. *Aſcenderunt filij Dan*, in Hebræo ante hoc eſſe: *Et egreſſus eſt terminus filiorum Dan ex ipſis*, ſeu *ab* vel *præ ipſis*. Et *ſententia*, inquit Maſius, *verborum ſacrorum hæc eſt: Danitas olim extra ſe, hoc eſt, extra eã hæreditatem, in qua collocati diuina ſorte fuerant, emigraſſe, aliaſque poſſeſſiones quæſitum eſſe profecto.* Alia tamen eorundem verborum eſſe poteſt ſententia. hæc nimirum? *Egreſſus erat terminus filiorum Dan minor quam illis ſufficeret.* Hoc enim valere poteſt Hebraiſmus, *ab* vel *præ ipſis*, id eſt, *præquam ipſis conueniret*, quoad occuppationem ſcilicet, ac poſſeſſionem à Chananæis impeditam. Alioqui ſatis ampla erat portio, cuius penes eos ius. Sic enim & hic loquendi modus accipi videtur, Num. 16. verſ. 8. *An parum à vobis* ſeu *præ vobis eſt quod ſeparauit vos Deus Iſrael?* id eſt, An hoc minus eſt, quam vobis conueniat? ſic & ſupra iſto capite quæſt. 3.

QVÆSTIO XI.

Quam & vbi accepit hæreditatem Imperator Ioſue?

VRbem, quam hæreditario iure deinceps teneret, vnicam accepit Dux ac Imperator Ioſue v. 50. Illi nomen duplex fuit. Vnum hic *Thamnath Saara* Hebraice *Thimnath Serach*: in 70. Θαμναθσαράχ. Alterum Iud. 2. v. 9. in Hebræo *Thimnath Cheres*: in 70. Θαμναθαρές: & propter ſimilitudinem, vel propter maiorem claritatem in Latino eſt, *Thamnath Sare*. Quia vero vtrumque nomen è duobus componitur, poteſt vtrique varia ex his accommodari ſignificatio. Nã *Thamnath*, vel ſimilitudo ac imago eſt, vti & *Themonnath* vel dinumeratio, à verbo *manach*, à quo per Arabicum articulum *al* præpoſitum, eſt *Almanach*, tabella ſeu libellus, in quo ſolis, aliorumque Syderum motus ac efficientiæ numerantur ac proponuntur. vel ſicuti *Themam*, Auſtralis pars eſt. vel denique perfectio à *Tham* *Sarach* vero aut ſuperuacaneum, ſuperfluum quaſi luxurians ſignificat: aut deficiens, exoleſcens ac fœtens. At *Cheres* vel ſolem, vel teſtam, lateremue aridum commonſtrat. Interpretationes aliæ omnes ab aliis indicantur: ſed vna hæc ab Aria: *Vrbi huic ex regionis plaga Thamna, hoc eſt, Auſtralis nomen: ab arborum vero graueolentia & ſoli ſterilitate zzarabh cognomentum factum videtur.* Erat vero in tribu Ephraim, quæ eadẽ ipſius erat Ioſuæ tribus: & quidem in monte, qui v. 50. ſicuti & Iud. 2. v. 9. dicitur *mons Ephraim*. At plures in eadem tribu montes cum eſſent, hic erat *mons Gaas* Iud. 2. & huius libri c. vlt. v. 30. 2. Reg. 23. verſ. 30. id eſt, *mons tempeſtatis, commotionis, & procellæ*: in cuius Septentrionali latere poſtea ſepultus traditur idem Ioſue. Vrbs autem tum erat vilior, maleque prorſus ædificata, vel certe tum diruta, vt quaſi lapidum aceruus, vrbiſque cadauer eſſet. Ideoq. ipſam neceſſe habuit ædificare, commodiorẽque ad habitandum reddere. verſ. 50. Poſt vero ita fuit celebris, vt D. Hieronymi, quemadmodum lib. de locis Hebraicis teſtatur, tempore ſupereſſet, in eaque Ioſuæ ſepulchrum oſtenderetur: & quidem inſigne, prout ab eodem, vbi de *Gaas* agit, additur. Quin vero cum in decem Toparchias Iudæam totam diuiſiſſent Romani, ab hac fuit nominata vna *Thamnitica*, indice Plinio lib 5. cap. 14. Locus tamen aſper, pœneque horridus, non priſco tantum ſed ſancti Hieronymi æuo extitit: *Satis*, inquit iſte de Paula, in eius Epitaphio, *mirata eſt quod diſtributor poſſeſſionum, ſibi montana & aſpera delegiſſet.* Fuiſſe hic ſolis poſitam imaginem, ob ſolem à Ioſue in prælio tardatum ac inhibitum, ſupra cap. 10. v. 13. miſere in litteras nonnulli, quorum ſi certa fides, probabile foret, inde *Thamnatares* nomen ductum poſterius. Confundi videtur in libro de locis cum *Themna* Danitarum vrbe hic v. 43. à qua etiam Ghytræo *Thamnitica præfectura*.

QVÆSTIO XII.

Quando & quomodo hæreditatem iſtam accepit Ioſue?

VTrumque iſtud nobis ante oculos defi-
gunt, hæc textus verba verſ. 49. *Cumque
compleſſet ſorte diuidere terram, ſingulis per tribus
ſuas, dederunt filij Iſrael poſſeſsionem Ioſuæ filio* Nun
in medio ſui iuxta præceptum Domini. Tempus ergo
fuit poſt abſolutam totam tribuum omnium
diuiſionem. Quando autem abſoluta fuerit
eodem æſtimandum modo, quo priorem ab-
ſolutam dictum fuit c. 13. q. 13. eodem inquam,
quo cœpta fuit anno. *Modus* porro fuit. *Primo.*
Vt in hæreditatem iſtam ierit Ioſue, non ſua
ipſius voluntate ac poteſtate, ſed Iſraelitarum
omnium conceſſu ac dono. *Secundo.* Vt ei hãc
illi conceſſerint ac donarint nõ ſuopte nutu ac
mera liberalitate, ſed Dei iuſſu ac imperio: ſeu,
vt in Hebræo eſt, *Dei ore. Tertio.* Vt locum ac
vrbem quamcunque voluiſſet, deligendi ipſi
optio facta fuerit Ioſuæ: montem vero vrbem-
que illam optarit ipſe ac delegerit. Sed quando,
& vbi de aliqua, extra ordinem, hæreditate Io-
ſuæ deferenda & donanda, præcepit Dominus
aliquid? Reſponſio duplex. *Vna* Maſij: à Deo
in hac ipſa poſteriore diuiſione Pontifici Elea-
zaro datum oraculum, vt locum eligeret Ioſue
electumque ab eo locum darent Iſraelitæ. *Al-
tera,* Præceptum hoc à Deo fuiſſe dum factioſis
exploratoribus reſtiterunt Caleb & Ioſue. Sed
hoc ipſum aſſeritur tripliciter. *Quidam* enim id
volunt præſcriptum Num. 14. vt hoc loco A-
bulenſis: *alij* ſupra c. 14. cum dixit ipſi Ioſuæ
Caleb v. 6. *Noſti quid locutus ſit Dominus ad Moyſen
hominem Dei de me, & te in Cadesbarne.* & ſic hoc
loco Arias: *alij* demum hic primo ſcriptum, &
alibi nuſquam. Caietani verba ſunt: *Quemad-
modum, non ſunt ſcripta in libris Moſis, quæ fuerunt
dicta pro hæreditate Caleb: ita non eſt ſcriptum in iiſdẽ
libris huiuſmodi verbum diuinum pro hæreditate Ioſuæ,
ſed hic primo ſcribitur.* Ac de Caleb quidem di-
ctum ſupra c. 14. q. 4. de Ioſue autem videtur
à Deo præſcriptum, quando & de Calebo illo
præſcriptum. Cur enim præteritus fuiſſet? Cur
nullum ei etiam terrenum, vt illi, decretum
premium? De eodem tamen Ioſue non vide-
tur ſcriptum, niſi ſupra capite 14. & hic verſu
49.

QVÆSTIO XIII.

Quid in ſuæ huius hereditatis dilectione, petitione, ſtructione, habitatione monſtrauit Ioſue Dux.

MErito ſane, Paula beatiſſima, Ioſuanum
hoc peculiũ admirata es. Quis enim no-
ſtrum ſi optio daretur, non optimum, vberri-
mum, amœniſſimumque locum deligeret?
Quis vrbem ampliſſimam mœnitiſſimam, pul-
cherrimam, ac florentiſſimam non poſtularet?
Quis, cum alios omnes principatu auctoritate
ac dignitate ſuperaret, vltimum in diſtributio-
ne aliqua ſibi locum dari æquo ferret animo?
A Quis, quod ſui ipſius iure ac poteſtate poſſet
occupare, id ab aliis veluti procario ac mendi-
cato mallet accipere? Et fortaſſis ambitioni,
cupiditati, audaciæque noſtræ non deeſſent,
quæ boni ſpecie aliqua illam tegerent ac tue-
rentur. *Omnes* enim *ſibi bene, quam alteri eſſe ma-
lunt:* & à ſe ipſa incipit Charitas: æquumque
videtur, vt qui præſunt aliis, idem ad reueren-
tiam ac maieſtatem opibus ac latifundiis præ-
polleant: ad curarum, quibus diſtinentur ma-
ximis, relaxationem amœniſſima, & ridentiſſi-
ma quæque obtineant. Ita ſcilicet nos animæ
B curuæ, humique affixæ totæ ſentimus, & lo-
quimur. At Ioſue Dux.

I. Quidem egregiam, prorſuſque diuinam
animi ſui virtutem monſtrauit, dum tot tan-
tiſque rebus geſtis, tot & tantis partis victo-
riis, tantum ad clauum ſedens, tantam gloriam
ac dignitatem adeptus, tam ſeipſum, in diui-
ſione iſta, modeſte ac demiſſe gerit, non inuo-
lat in acquiſitarum terrarum opimas, nõ agro-
rum, ac vinearum vberrimas, occupat, non vr-
bium maximas, munitiſſimas, exſtructiſſimas
præcerpit: ſed locum omnino perexiguum, vi-
C lem, aſperum, ruinoſum, vel potius dirutum
deligit: eumque non auctoritate ſibi ſua vendi-
cat, ſed ab Iſraelitis petit omnibus: & quidem
vltimo prorſus loco, dum aliis prouiſum iam
& factum ſatis eſſet omnibus.

II. Monſtrauit, quid merito imitari ac facere
deberent omnes, quibus regundorum aliorum
commiſſæ habenæ. Publicam in primis vtilita-
tem, non ſuam priuatam ipſos quærere opor-
tet, hancque vnam omnium primam & anti-
quiſſimam habere curam, vt iis, quibus præ-
ſunt, bene ſit: in Dei cultu ac religione conſer-
uentur: iura, facultates, & bona ſua, iuſte quie-
D teque obtineant: tum vero poſtea ſuorum ipſo-
rum, ſi velint, commodorum rationem ha-
beant: in poſtremis amœnitates, voluptates,
deliciaſque ſuas etiam moderatas, reponant.
Nota eſt, apud ſapientem Æſopum, *Leonina* di-
uiſio: nota *Tyranni* & *Principis* differentia, quæ
1. Reg. capite 8. nonnihil adumbrata.

III. Monſtrauit nobis etiam priuatis omni-
bus, quantam inter nos, in omni vita, in quo-
tidiano conuictu, & æqualium conſuetudine,
moderationem, abſtinentiam, & frugalitatem
conſectari deceat. Si enim ille Princeps, & Prin-
E ceps tantus, tot triumphis totque miraculis in-
clytus, adeo ſe inter inferiores probauit mode-
ratum, quid inter æquales nobis merito facien-
dum? An aliis cedere, honore ipſos præuenire,
primas iis libenter deferre, poſtremos nos in
omnibus gerere non æquiſſimum? In minimis
etiam rebus valere poteſt Ioſuana hæc monitio
& exemplum, ſi procedendum, ſi loquendum,
ſi eadem ex patina edendum. Cur enim ego
ſemper eſſe primus velim? cur optima quæque
ſemper occupem, omnibuſque præripiam? ſed
F quia tria documenta iſta oportune ſuauiterque
admodum tractat homilia 24. hunc in locum
Origenes, operæ nobis fuerit precium, eius
parumper aures dare ſermoni. *Declarat textus,
quantam manſuetudinem habeat Ieſus, qui dignus erat
ferre nomen Domini* IESV *& Saluatoris noſtri. Ipſe eſt
qui dedit hæreditatem omnibus filiis Iuda: quid dedit*

Digitized by Google

Effrem, & dimidiæ tribui Manaſſæ. Ipſe dedit magnifico illi Caleb filio Iephonæ hæreditatem: ipſe miſit ternos per ſingulos tribus, qui vniuerſam terram peragrarent, atque deſcriberent in libro, & redirent, & oſtenderent: ipſe miſit omnibus ſortes, & ſe in nouiſſimus reſeruauit. Quare putas, voluit eſſe omnium nouiſſimus? ſine dubio vt eſſet omnium primus. Et nec ipſe hæreditatem ſorte præſumpſit, ſed à populo accepit, & illi dat populus hæreditatem, à quo ipſe acceperat. Sic enim ſcriptum eſt: & dederunt filij Iſrael ſortem filio Naue. Sed & hæc figuraliter contingebant illis, quæ nobis preponerentur ad formam, vt & nos ſeruemus præceptum illud, quod iſte opere impleuit, quod dicitur: Quanto magnus es, tanto B *magis humilia te: & ante Dominum inuenies gratiam: Et iterum quod ſcriptum eſt: Si te Ducem ordinauerint, ne extollaris, ſed eſto inter eos, quaſi vnus ex ipſis. Vide ergo quomodo Dux erat populi, ipſe qui eos introduxerat in terram ſanctam, in terram repromiſſionis. Ipſe erit ſucceſſor Moyſi, & non ipſe ſibi permittit ſumere ſortem terræ, ſed expectat vt accipiat portiunculam à populo populi Dux.* Ita Origenes, in quo & illud contra Nouatores obſerua quanto apud veteres Eccleſiaſtici liber in precio fuerit, cuius locus è c.32. citatus in Latinis quibuſdam libris, plurium tranſlationum aggeſtu aliquantulum obſcuratus.

C *IV.* Monſtrauit in ſe ipſo Ioſue pulcherrimam veri IESV Domini ac Saluatoris noſtri figuram. Cum eſſetis Rex Regum, & Dominus dominantium, formam ſerui elegit Philipp. 2. deſpectus, & nouiſſimus virorum Iſai. 53. Quid mundus iſte aliud eſt quam *Thamnathſarach*, in qua ſuperfluitas, marcor, & fœtor tantus: in qua ſimilitudinem peccati noſtri, imaginem luxuriantis carnis noſtræ, pleniſſimum mortalitatis noſtræ numerum aſſumpſit Dei filius? Neque hic ſibi elegit fortia, opulenta, ſublimia, ſplendida: ſed *Bethlehem*, ſtabulum, præſepe, pauperculum item fabrum: D pauperculam huic deſponſatam virginem, quibus in diuerſorio locus nullus. In monte *Gaas* fuit, qui non venit pacem, ſed gladium, contra impietatem, eiuſq; miniſtros ac ſatellites omnes, mittere: qui tot tantiſque paupertatis, perſecutionum, contumeliarum, cruciamentorum, mortis demum acerbiſſimæ tempeſtates excepit. In medio Ephraim tribuliumque ſuorum, habitauit, qui factus eſt *Emmanuel*, id eſt, nobiſcum Deus: qui medius noſtrum ſtetit, & quaſi è vulgo vnus habitus eſt.

E Poſſumus & duplicis nominis, quod Ioſuanæ, vt dictum eſt, vrbi fuit, ratione, duplicem veluti ſtatuere IESV noſtri ſedem: Vnam veterem, caducam & euerſam, Iudæorum *Synagogam*: alteram à Ioſue ipſo inſtauratam ac ædificatam, & communitam, *Chriſtianam Eccleſiam*, quæ iam non *Thamnathſarach* ſed *Thamnatheres* dicenda: in qua non vetus illa ſuperfluitas, carnaliumque ſacrificiorum graueolentia & nidor: ſed egregia ſolis iuſtitiæ longe lateque clarantis imago. Sane vero & corda noſtra, in quibus peccatorum quondam omnium luxuriantiſſima ſuperfluitas, teterrimus efferueſcētium,

A modumq; omnem excutientium cupiditatum fœtor, *Thamnatſarach* fuerunt. ſed reſecuit luxuriam omnem, depulit fœtorem omnem IESVS noſter, nouamque rurſus vrbem, vt in ea ipſa habitet, condidit: de qua ita citato ſermone Origenes: *Quoniam ad Dominum, & Saluatorem noſtrum ea, quæ de Ioſue ſcribuntur referre conſueuimus, fortaſſis etiam noſter omnis hic populus dat partem aliquam meo Domino* IESV, *& velut locum quendam habitationis eius tribuit. Sed ne iniurioſum eſſe videatur, quod dicitur, requiramus quomodo ei damus nos ſerui eius locum habitationis. Ego ſi poſſem bonus fieri, darem locum filio Dei in me: & acceptum locum à me in* B *anima mea Dominus Ieſus ædificaret eum, & adornaret, & faceret in eo muros inexpugnabiles, & turres excelſas, & ædificaret in me manſionem ſi mererer, dignam ſe & patre: & ita adornaret animam meam, & capacem eam ſuæ ſapientiæ & ſcientiæ, & totius ſanctitatis efficeret: in tantum, vt etiam faceret Deum patrem ſecum intrare, & in ea facere manſionem, & cœnare etiam apud talem animam cibos, quos ipſe donaret. Quod vt conſequi mereamur, præparemus in nobis cor mundum, quo libenter & grate mundum, cordis noſtri introire dignetur hoſpitium, cui eſt imperium & gloria in ſæcula ſæculorum.* Et homilia 26. *Qui putas ſunt in omni populo* C *ita acceptabiles Deo, qui ad hoc eligi digni ſunt, vt in eis locum accipere, ædificare ac habitare dignetur* IESVS. *Aut forte nec ſinguli ad hoc capaces eſſe poſſunt, ſed vniuerſus populus, & cuncta ſimul Eccleſia vix capax eſſe poteſt, vt recipiat in ſe Dominum* IESVM, *& habitet, in ea? Videamus ergo, quis iſte locus, in quo habitare debet* IESVS. *In monte inquit Ephrem hoc eſt in monte fructifero. Qui, putas, ſunt in nobis montes fructiferi, in quibus habitet* IESVS? *Illi profecto in quibus ſunt fructus ſpiritus, gaudium, pax, patientia, Charitas. Iſti ergo ſunt montes fructiferi, qui fructum* CHRISTI *afferunt, & mente ac ſpe ſemper excelſi ſunt. Et licet pauci eſſe poſſunt tales, tamen ſi vel pauci* D *fuerint in ipſis habitans Dominus Deus, qui eſt lux vera, mittet radios lucis ſuæ etiam ſuper reliquos omnes, quos non dignos ſuo habitaculo principaliter iudicarit.* Quem vero ſtruere ac incolere dignabitur IESVS noſter locum, eum, etiamſi minimus, contemptiſſimus, infirmiſſimus & obſcuriſſimus ſit, maximum, glorioſiſſimum, robuſtiſſimum & illuſtriſſimum efficiet. *O*, inquit S. Bernardus ſerm. 1. de Vigilia Natiuitatis, *Bethlehem parua: ſed iam magnificata à Domino. Magnificauit te, qui factus eſt in te paruus ex magno. Lætare Bethlehem, & per omnes vicos tuos feſtiuum hodie Alleluia cantetur.* E *Quæ tibi ciuitas, ſi audiat, non inuideat precioſiſſimum illud ſtabulum, & illius præſepij gloriam? In vniuerſa ſiquidem terra, iam celebre eſt nomen tuum, & beatam te dicunt omnes generationes. Vbique glorioſa dicuntur de te, ciuitas Dei: vbique pſallitur, quia homo natus eſt in ea: & ipſe fundauit eam altiſſimus. Vbique, inquam prædicatur, vbique clamatur, quia Ieſus Chriſtus filius Dei naſcitur in Bethlehem Iudæ.* Alia ibidem plura, & ſerm. 3. in Natali Domini quæ ſpectare huc poſſunt. Sed præſtat IESVM rogare, vt ſuæ nos vrbis ciues, montis participes, hæreditatis conſortes efficere dignetur in hoc & futuro ſæculo. Amen.

Digitized by Google

CAPVT XX.

1. ET locutus eſt Dominus ad Ioſue, dicens: Loquere filiis Iſraël, & dic eis:
2. Separate vrbes fugitiuorum, de quibus locutus ſum ad vos per ma-
num Moyſi, 3. vt confugiat ad eas quicumque animam percuſſerit ne-
ſcius: & poſſit euadere iram proximi, qui vltor eſt ſanguinis: 4. cum ad
vnam harum confugerit ciuitatum, ſtabit ante portam ciuitatis, & loque-
tur ſenioribus vrbis illius ea, quæ ſe comprobent innocentem: ſicque ſuſcipient eum,
& dabunt ei locum ad habitandum. 5. Cumque vltor ſanguinis eum fuerit perſecutus,
non tradent in manus eius: quia ignorans percuſſit proximum eius, nec ante biduum,
triduumve eius probatur inimicus. 6. Et habitabit in ciuitate illa, donec ſtet ante iu-
dicium cauſam reddens facti ſui & moriatur ſacerdos magnus, qui fuerit in illo tempo-
re: tunc reuertetur homicida, & ingredietur ciuitatem & domum ſuam de qua fuge-
rat. 7. Decreueruntque Cedes in Galilæa montis Nephthali, & Sichem in monte
Ephraim & Cariatharbe, ipſa eſt Hebron in monte Iuda. 8. Et trans Iordanem contra
Orientalem plagam Iericho, ſtatuerunt Boſor, quæ ſita eſt in campeſtri ſolitudine de
tribu Ruben, & Ramoth in Galaad de tribu Gad, & Gaulon in Baſan de tribu Manaſſe.
9. Hæ ciuitates conſtitutæ ſunt cunctis filiis Iſraël, & aduenis, qui habitabant inter eos:
vt fugeret ad eas qui animam neſcius percuſſiſſet, & non moreretur in manu proximi,
effuſum ſanguinem vindicare cupientis, donec ſtaret ante populum expoſiturus cau-
ſam ſuam.

COMMENTARIVS.

REfugij vrbes *capite iſto conſtituuntur. Nam primo mandat ipſi Ioſuæ Dominus, vt id fieri iam curet, prout faciendum olim denunciarat ac deſcripſerat Moyſes. Numer. 35. à v. 14. ad capitis eius finem. Deuteronom. 19. Exod. 21. verſ. 13. Deinde vero cum paruiſſet Domino Ioſue, remque ad populum totam retuliſſet illico verſu 7. refugij vrbes nominantur.*

QVÆSTIO I.

Quæ refugij Vrbes?

REfugij ſeu *confugij vrbes* vocantur, ad quas qui fugiebant, erant ab impendente aliquo diſcrimine tuti ac ſecuri. Et huiuſmodi non vrbes tantum, ſed loca etiam alia & nunc ſunt, & olim, prout infra patebit, fuerunt, quæ *aſyla* vocabantur. quod cum συλᾶν (non autem vt Couarruuiæ lib. 2. var. Reſo. c. 20. & Ludouico Viue in S. Auguſtini cap. 34. lib. 1. ciuit. putatum, συρεῖν: Nam quod lib. 2. Aeneid. ait Seruius ἄσυλον, quaſi ἄσυρον à σύρειν eſt) Græcis ſit, *rapere, ſpoliare*, ac *violare*, & iiſdem *α* priuationis nota ſit, loca iſtiuſmodi aliquem, ne à quoquam rapi, ſpoliari ac violari poſſit, protegant ac tueantur. Quemadmodum enim naturalia rei cuiuſque loca illam, Ariſtotele teſte, vi quadàm naturali conſeruant, ſic aſyla, eos, qui ad ea confugiunt morali vi quadam ac iure quod τὸ ἄσυλον dicitur. Ouidius lib. 3. faſtorum.

Romulus vt ſaxo lucum circumdedit alto,
Quilibet huc, inquit, confuge, tutus eris.

Et de eodem Virgilius lib. 7. Aeneid.

Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer aſylum
Rettulit, & gelida monſtrat ſub rupe lupercal.

Sicque de aſylis loquuntur Tullius in Verrinis. Liuius lib. 1. Lactantius lib. 2. ca. 7. alij. Quin vero hinc etiam apud Euripidem dicitur ἄσυλος γῆ: apud Auctorem lib. 2. Machab. cap. 4. ἄσυλος

A τόπος: apud Syneſium Epiſt. 58. ἄσυλος τράπεζα; apud Philoſtratum ἄσυλος ἀνδριάς. id eſt, inuiolabilis, neque vllo modo ſpolianda, prædatuve vllo vexanda terra, locus menſa, ſtatua. Ideoque aſylorum genera plura ſunt: eorumque vnum faciunt hæ refugij vrbes, quæ in 70. αἱ πόλεις τῶν φυγαδευτηρίων, τῶν φυγαδευτηρίων, εἰς φυγαδευτήριον: & ſimpliciter φυγαδευτήρια, φυγαδεῖον. Num. 35. Hebraice vero *hare miklat*, id-eſt, vrbes retentionis aut receptus. *Miklat* enim dicitur à quibuſdam proprie ſignificare collectionem vel retentionem. Et in illis vrbibus ſeſe homicidas conti-
B nere oportuit. Aliis valet eadem vox contractionem ex Leuit. c. 22. verſ. 23. At in vrbes iſtas contrahebantur homicidæ refugij cauſa.

QVÆSTIO II.

Quos apud Iſraëlitas tutabantur refugij vrbes & cur?

NOn omnibus, qui has in vrbes ſeſe recepiſſent, tutum ac ſecurũ erat perfugium, ſed iis tantummodo, quos tutos ibi iuſſiſſet
C Dominus. Ij autem erant, in quos cadit iſte capitis huius textus verſu 3. *Quicumque animam percuſſerit neſcius.* ſæpe in Scripturis per Synecdochen pro homine ponitur *anima*: & *percuſſio* non pro qualicumque verberatione aut vulneratione, ſed pro cæde ac homicidio. Sic enim facit homo animas, Geneſ. 17. v. 5. deletur ac perit

anima de populo Geneſ.17.14.Leuit.8.verſ. 20. A & *percuſſionis* nomen late quidem patet Exod. 21. ex ipſa tamen circumſtantia poteſt intelligi, quando vel ad mortem, vel cis mortem ſit: prout hoc loco, vt alia nulla ſuppetat ratio. Quia tamen v. 3. *vltor ſanguinis* additur, cædem intelligimus, vel certe percuſſionem iſtiuſmodi, è qua ſi nondum contigiſſet, attamen certe proxima videtur, atque certa mors. Atque hoc in Hebræo textu minus ambiguum, vbi percuſſor dicitur *rothſeach*, id-eſt, *occidens*. Et ſic apud Latinos *percuſſor* etiam dicitur homicida: & B quidem etiam conductus, ſed leuiore nomine, vti pro Roſcio Amerino dixit Cicero, apud quem lib. 4. ad Atticum *percutere animum* eſt timorem iniicere ſicuti apud Lucretium libr. 1. *Spes laudis acri Thyrſo cor percutit*, id-eſt, excitat, vrget, exſtimulat. Non omni tamen percuſſori tutum has in vrbes confugium erat, ſed ei qui percuſſit *neſcius*: ſeu, vt in Hebræo eſt, *per errorem & abſque ſcientia*. Hinc enim fit, vt inuoluntarie percuſſerit, ſeu ἀκουσίως, vt in 70. eſt. Nullus ergo huc aditus, nulla ſecuritas conceſſa voluntariis homicidis, nulla iis, qui adulterium admiſiſſent, ſtuprum intuliſſent, ſcelus vllum aliud C patraſſent. His enim omnib. debita erant conſtituta ſupplicia, è quibus neque vrbs, neq; locus, aut res alia vlla per aſyliam eripere poterat. Exod. 21. verſ. 12. & 14. *Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab altari meo euelles eum, vt moriatur.* & Num. 35. verſ. 16. vſque ad 22. Sed quid ſi voluntarie quem quis occidiſſet: at ſeipſum defendens, vimque vi repellẽs? Hunc receptabant refugij vrbes: & ex iis, quo libuiſſet abire poterat, poſteaquam Iudicum ſententiis abſolutus fuiſſet. Ita qu. 5. Thoſtatus. D Sunt enim priuilegia dilatanda. Si quis vero in ipſis refugij vrbibus, cædem feciſſet, refugio iſto non gaudebat. Idem Thoſtatus q. 19. 20. 22. 25. Conceſſæ vero fuerunt iſtiuſmodi vrbes. *Primò*. Vt innocentiæ auxilium, ac præſidium eſſet aliquod. *Secundò*. Vt quam ſerio in homicidium inquirendum & animaduertendum eſſet, miniſtraret Dominus. *Tertiò*. Vt eius, qui peremptus propinquorum iræ, dolori ac vindictæ ſubtraheretur materia. *Quartò*. Vt nouarum aut rixarum aut cædium auferretur occaſio. *Quintò*. Vt pœnitentiæ figura eſſet.

E

QVÆSTIO III.

Quomodo, & aduerſus quos, confugam aliquem tutabantur aſylæ vrbes?

CVm aliquem aliquis inſcius, imprudenſq; ac inuoluntarius occidiſſet huic, ſi vitam conſeruare vellet ſuam, neceſſum fuit ſeſe in pedes dare, ſtatimque ad vrbium iſtarum aliquam fugere, quia, diuino permiſſu, fas erat F eius, qui occiſus eſſet, propinquis, illum qui cædem feciſſet interimere vbicumque locorum eum vel in vrbibus, vel in agris, viis ac montibus inueniſſent extra haſce aſylas vrbes. Sic Num. 35. v. 26. *ſi interfector* (inuoluntarius de quo ibi ſermo) *extra fines vrbium, quæ exulibus deputatæ ſunt, fuerit inuentus, & percuſſus ab eo, qui vltor eſt ſanguinis, abſque noxa erit, qui eum occiderit.*

Sed iis in verbis quæri poteſt. *Num extra vrbium iſtarum fines cenſendus, qui extra earum mœnia fuerit?* an vero pomœrium, ditioque vrbis tota, ſeu, vt vulgo dicimus, tetritorium totum vrbis termino incluſum? Et contextu patet, fines ac terminum vocari mœnia. Et ſic etiam Deuter. 19. verſ. 5. & 6. Iam vero. *Secundo*. cum ad vrbium iſtarum aliquam acceſſiſſet occiſor, debebat in celebriori vrbis porta, vbi apud veteres Iſraëlitas Iudicum tribunal & conſeſſus erat, ſubſiſtere: ibidemque narrare cædis admiſſæ caſum ac innocentiam indicare ſuam: & ſic in vrbem illam recipiebatur. ibidemque liber ac immunis tantiſper erat quoad accuratius eius cauſa, auditis eius accuſatoribus, expenſaque ipſius defenſione, diſceptata eſſet. Hoc enim vnum liquido perſpiciendum erat an vere in homicidio iſto ignarus, imprudens, inuoluntarius, ac innocens fuiſſet: an vero idipſum falſo diceret, in ſui defenſionem afferret. Hallucinatus vero videtur Oleaſter cap. 35. dum ait p. 85. b. *Putarem cauſam prius deſcribi, quam iſte iret ad ciuitatem refugij*. Quomodo enim fugam cito accipere, vindicumque iram euadere potuiſſet? cui & textus aperte ſatis reclamat. Sed quæſtio eſt, *vbinam accuratior hæc diſceptatio fieret*? An in eadem refugij vrbe, an in alia? Duæ opiniones. *Prior* Maſij & Montani, eam in eadem vrbe refugij fieri. *Primò*. Quia Deuter. 19. v. 11. & 12. ſi quis nocens ac voluntarius percuſſor eſſet, is ex Aſyla vrbe, ab illius vrbis in qua cædes commiſſa, ſenatu repetebatur. Debebat igitur in aſyla vrbe iudicatus, & talis compertus fuiſſe. *Secundò*. Refugij vrbes, eædem Leuitarum erant, vt ſequenti planum erit capite. Id autem ideo videtur factum, vt capitalia iudicia maiore cum religione atq; iuſtitia fierent. *Poſterior opinio* eſt Rabbinorum in Thalmudico tractatu de percuſſione capite 2. & Chriſtianorum hiſce aſſentientium, Lyrani & Abulenſis, ante quæſtione 15. accuratiorem diſceptationem in ea vrbe factam fuiſſe, vbi lethalis inflicta plaga. quia Num. 35. verſ. 25. dicitur, *Poſt cauſæ totius examen, liberabitur innocens de vltoris manu, & reducitur per ſententiam in vrbem, in quam confugerat*. Videtur ergo ad alterius vrbis tribunal ductus fuiſſe, ibidemque accuſatus, excuſatus: tandemque explorata eius innocentia, omnino abſolutus, & in tutam refugij ſtationem reductus. Eſt opinio vtraque probabilis, ſed in priore maior probabilitas. *Primò*. Quia permoleſtum fuiſſet, hominem, cuius innocentia exploranda, vna ex vrbe in aliam educere, ac ex iſta in eandem illam reducere. *Secundò*. Periculoſum etiam fuiſſet innocenti, cum ei, licet ſatellitibus ſepto & cuſtodito, inſidiæ ab occiſi neceſſariis poni potuiſſent, ſicque miſer interfici. *Tertiò*. Quia hoc diffidere fuiſſet ſapientiæ, iuſtitiæ, ac virtuti eorum, qui in refugij vrbe, iudiciis præfuiſſent. Quod & ipſis graue, & Iudaicis inſtitutis parum conſentaneum, præſertim cum ij omnes è Leuitis eſſent, vt ſupra indicatum. *Quartò*. Quia illud de reductione in refugij vrbem Nu. 35. commode admodum exponitur, de reductione non ex alia vrbe vlla, ſed è iudicij loco, ex vrbis porta, vbi, vt dixi, exercebantur iudicia. Sic enim & quotidiano ſermone reos in cuſtodiam reduci dicimus, quando à

Digitized by Google

tribunali & Iudicum ſubſelliis, quæ in eadem A alioquin vrbe ſunt, in carceres iterum ducuntur. *Quintò.* Quia locus Deut.19.ad probandum illum,qui voluntariæ cædis damnatus eſt, damnatum eſſe in refugij vrbe, multo clarior eſt, quam ille Num.35.ad probandum in alia vrbe: Nam hoc vnico *reuertendi* aut *redeundi* verbum habet, idque tamen iam expoſitum. Ille vero ait, in refugij vrbem ab vrbis alterius ſenioribus mitti,qui ſontem repetant, ab hiſque accipi,& in accuſatorum, vindicumque manus, vt plectatur,dari. neque poteſt aliter locus hic exponi.*Sextò.*Quia hic verſ. 9. vocantur Hebraice B *vrbes hammohedah*, id eſt, vt veteres loquuntur Latini, *vrbes conuentus, vrbes iudicij.* Et ad hoc dicuntur à noſtro interprete *vrbes conſtitutæ*: à 70. *αἱ πόλεις αἱ ἐπίκλητοι. Septimo.* Demum, quia Numer. 35. in textu Hebræo, Græco, & Latino ſatis ſignificatur, eum qui ad vrbicum aliquod aſylum fugiſſet,debere inibi quam citiſſime fieri poteſt,iudicari,& quidem accurato illo iudicio, vt vel noxiæ damnetur vel abſoluatur. Nam cum de refugij vrbibus ibi agatur, & eæ omni voluntario percuſſori occludantur, confeſtim de inuoluntario ſubiicitur. verſ.23.& 24. *Quod ſi fortuito, abſque odio & inimicitiis, quidquam* C *horum fecerit & hoc audiente populo fuerit comprobatum, atque inter percuſſorem & propinquum ſanguinis quæſtio ventilata, liberabitur innocens de vltoris manu & reducetur* (è iudiciali loco) *per ſententiam iudicis in vrbem in quam confugerit.*Atque hinc patet, confugas iſtiuſmodi tutos in vrbibus iſtis fuiſſe,primo quidem aduerſus occiſi hominis propinquos, iratoſque vltores: deinde aduerſus aliarum etiam vrbium iudices.

QVÆSTIO IV.

Quamdiu confugam aliquem tutabantur eadem refugij vrbes?

TEmpus diſtinguendum.Ante ſiquidem accurationem cauſæ diſceptationem omnes, qui non aperte ac palam voluntarij homicidæ fuiſſent, quique ſuam innocentiam aliquo modo refugij ciuitati probaſſent, recipiebant, receptoſque tutabantur, vſque dum diligentius ac plenius cauſa tota diiudicaretur.In hac vero diiudicatione vel pronunciabatur ipſe refuga nocens,vel innocens. Si *nocens*, debebatur ad pœnam ei vrbi,ad quam ſpectabat cædes,prout ſuperiore quæſtione dictum ex Deut.19.v. 11. & 12.ſi *innocens*, abſoluebatur quidem: ſed tamen priſtinam ad vrbem, propriamque domum redire nondum poterat,quia licet de ipſius innocentia pronunciatum iam eſſet, adhuc, tamen, diuino conceſſu, ad certum quoddam tempus, quod vſque ad Pontificis maximi mortem definiebatur,ab hominis,quem fortuito peremiſſet,cognatione perimi poterat, vbicumq; tandem locorum,extra refugij vrbem, deprehenſus fuiſſet. Nam poſt iſtiuſmodi refugæ abſolutionem, latamque de ipſius innocentia ſententiam,non è refugij vrbe dimittitur,ſed in eam à tribunalibus reducitur,ibidemque ad Sacerdotis magni mortem manere iubetur Num. 35. v. 25.ſtatimque adiicitur v. 26.27.28. *Si interfector extra fines vrbium, quæ exulibus deputatæ ſunt, fuerit inuentus,& percuſſus ab eo,qui vltor eſt ſanguinis,abſque noxa erit qui eum occiderit. Debuerat enim profugus vſque ad mortem Pontificis in vrbe reſidere. Poſtquam autem ille obierit, homicida reuertetur in terram ſuam.* Tum enim occiſi hominis propinquis conceſſum nullo modo erat, occiſorem iſtum, quem è refugij vrbe ac exilio Pontificis Maximi liberaſſet mors,interimere. Duobus autem modis poteſt Pontificis, quemadmodum & alius cuiuſuis mors conſiderari: reſpectu ſcilicet agentis & patientis. Priore modo videtur inchoari,poſteriore finiri. Quemadmodum vero in naturalibus,ex motus mutationiſque fine ſtatuitur, quid res quæq; ſit,& qualis,aut quanta,aut vbi,ſic in moralibus ex actionum exitu, cuiuſmodi res quæque habenda ſit, decernitur, quemadmodum in percuſſione patet, quæ ſi mortem afferat, *homicidium* habetur: ſin ſecus, tantum *verberatio* aut *vulneratio*, prout in Aquiliæ legis explicatione notant iuriſprudentes. Pontificis ergo mors,ipſius,qui mortem obiit, reſpectu ſpectanda eſt, & exinde fit, vt ſi illum caſu quis interfeciſſet,is non ipſius,ſed ſequentis Pontificis morte ab exilio reuerti poſſet: quia mortis illius finis ad ſequentis Pontificatum iam pertinet,qui in veteri teſtaměto, non, vti apud nos, electione ac ſuffragiis, ſed hæreditario iure alicui ſtatim obueniebat, ita vt iuris huius ratione,nunquam deeſſet aliquis Pontifex, nunquam vacaret ſedes: etiamſi ad illius conſecrationem & vnctionem temporis aliquid interflueret. Videatur Thoſtatus q.17. & 18.hic,& Num.cap.20. Cur vero poſt compertam,abſolutamque homicidæ innocentiam, ei adhuc exulandum eſſet,cauſa in Iudæorum duritiem confertur. Cum enim præfracto, vindictæque percupido animo, eſſent, ideoque ſuorum morte admodum ſtimularentur, indulſit iis hoc Deus, vt ab eorum oculis aliquanto tempore, innocens etiam, ſegregatus abeſſet homicida. Thoſtat.q.15.& 23.

QVÆSTIO V.

Cur ab refugij vrbibus, & exiliis exules liberabat Pontificis mors?

CAuſas afferunt varias tam Iudæorum Rabbini,quam Chriſtianorum magiſtri. Nam *Primò* ait R. Omer Pontificem diuinæ gloriæ, adminiſtrum, celebratorem, & propagatorem eſſe: homicidam vero diuinæ eidem gloriæ officere, ipſamque obſcurare. ideoque non niſi Pontifice ſublato in patriam eum reuerti poſſe.*Secundò.*R.Mair, Pontificem ait ſuis precibus ac ſacrificiis vitam ac incolumitatem vniuerſo conciliare populo:hanc eandem vero ab homicidis oppugnari ac minui. Illo igitur ſuperſtite iis ad proprios lares intercludi reditum. *Tertiò.* Raſchi & Thalmudici tract.de percuſſione cap. 2.Pontificis in eo poſitum fuiſſe munus volunt, vt cœleſte ſemper Numen propitiaret, triſteſq. ab Iſraëlitis caſus omnes auerteret. Non fuiſſe igitur fortuitum etiam homicidium admittendum,ſi quidem ſuo in munere diligens ille fuiſſet. Recte igitur ipſius morte culpam expiari,

Digitized by Google

quæ illius negligentia fuiſſet admiſſa. *Quartò.* Putat R. Iſaac Æramæus in lib. de Iſaaci ligatione, cum refugij vrbes Leuiticæ fuerint, omnes fuiſſe Pontifici maximo ſubditas: ideoque & qui in illis morabantur, eidem illi Pontifici ſubiectos quodammodo ſeruiiſſe. Satis vero ab inſontibus exulibus pœnarum exſolutum, ſi Pontifici vni ſeruiiſſent, non autem & ſecundo ſeruiendum fuiſſe. *Quintò.* Rambam lib. 3. *Moreh Nebuchim* capite 40. conſentaneum ait fuiſſe, vt cum Iſraëlem totum luctu ſummo afficeret Pontificis mors, deſinerent occiſum aliũ quemlibet lugere: ideoque & cædem eius vindicta proſequi alij quicumque. Quemadmodum enim à maiori obſcuratur lumen minus, ſic & à maioribus triſtitiæ tenebris infuſcantur, pæneque tolluntur minores. Sed quia Pontificis apud veteres illos Iſraëlitas auctoritatem pulchrè commonſtrant Rabbini huius verba, ea exſcribam. *Cauſa*, inquit, *cur qui homicidium inſciẽter ac errore admiſit, exulet, eſt, vt eius, qui ſanguinem vleiſci parat, pacetur, interea temporis, animus, dum eum qui cædem fecit, à conſpectu remotum non videt. Eius vero exulantis pendet in patriam reditus, ex hominis illius morte, qui cæteros omnes dignitate antecellit, ſummeque ab Iſraëlitis omnibus amatur. adeoque conſentaneum eſt, luctuoſo, eius interitu dolorem ſedari omnem quem è propinqui ſui cæde propinquus ſanguinis vindex hauſerat. Eſt enim ea hominum conditio, vt qui acerbiore aliquo malo afficitur, is ſi aut par, aut etiam maius eueniſſe alteri videat, minus iam de ſuo ipſius dolere incipiat. Sextò.* Placet nonnullis, dari hoc Pontificis noui, qui mortuo ſuccedit. gratiæ, vt quemadmodum ad Deum hominibus propitiandum nouus accedit, ita etiam nouum reipſa beneficium & ſalutem hominibus qui ea egent, eaque digniores videntur, præſtet. *Septimò.* Oleaſter in c. 25. Num. p. 84. *Summus Sacerdos Dei vicarius agebat partes iuſtitiæ diuinæ, qua Deus vindictam ab hominibus expetit. Et eo mortuo, videbatur pars aduerſa extincta, quæ vltionem pro Deo peteret*: & ideo tunc omnino abſoluebatur. *Octauò.* Idem poſtea p. 85. *Oſtendere voluit Dominus, quantum abhorrere debeat Sacerdos homicidia etiam inuoluntaria. Nonò.* Similiter *quam polluat hominem homicidium perpetratum, vt nullo pacto eſſe poſſit, vbi eſt Domini Sacerdos.* Ita Oleaſter. *Decimò.* Maſius tota iſta in re cenſet id ſpectatum, vt ab homicidio abſterrerentur Iudæi quam maxime. atque idcirco homicidam, quamuis imprudentem ac inuoluntarium, debuiſſe veluti ſanguine humano pollutum intra aſylorum latebras contineri, ab hominumque cœtu quaſi piaculum arceri tantiſper ſaltem, *dum ſuperſtes is eſſet, quem in terris Dei primarium Interpretem, & eius diuinæ Maieſtatis perſonam quodammodo adumbrantem, atque omnino omnis religionis, pietatis, ſanctitatis ἀρχηγὸν ac principem & ſublimi muneris ſui ſolio Reipub. ſtatum ſemper continentem, ille facinoris illius ſui diritate omnium grauiſſime offendit.*

Hæc dicuntur, & non omnino incongruenter: licet ſint aliis alia congruentiora. Vera tamen & propria, omniumque Princeps illa mihi cauſa videtur, fuiſſe homicidarum iſtorum, latebram & exilium ad Pontificis vſque mortem prorogatam, eaq; ipſa omnes illicò in patriam reuertiſſe, vt ſignificaretur vera illa libertas quæ nobis per Iesv Christi mortem parta. Hic enim verus Pontifex maximus eſt Hebræ. 5. 6. 7. 8. 9. & 10. & per homicidas illos ſignificantur omnis generis peccatores. His ante illius mortem nullus in cœleſtem patriam, vnde in Adamo eiecti exulabamus omnes, patuit aditus: & poſt illius mortem confeſtim, ipſo præeunte, illuc remigrare omnibus, quicumque ſe ad refugij vrbes conferunt, licet qui ſe inquam ad Catholicam Christi Eccleſiam, quæ particulares in omni terrarum orbis plaga eccleſias plures continet, recipiũt: qui Christi, Leuitarum, ac Sacerdotum poteſtati ac patrocinio ſeſe committunt: ab illis non diſcedunt; eorum ius ac tutelam non contemnunt: extra eorum ſepta & muros nuſquam vagantur. Hiſce omnibus, ſiue in limbo, ſiue in purgatorio, ſiue in terra, dum moreretur Christvs, Dominus Pontifex noſter, fuerint, ſiue poſtea, ſæculis omnibus futuri erant, vera libertas in cœleſte domicilium reditus, & æterna ſalus data. Et quia idem Pontifex deinceps ſemper manet, nunquamque amplius moritur, & ſucceſſorem nullum (vicarium in terris licet habeat) accipit, à nullo alia expectari poteſt ac debet, à peccatorum noſtrorum pœnis liberatio, in beatiſſimas cœlorum domos reſtitutio, æterna ſecuritas. Vocat hanc rationem Maſius *anagogycam*, Thoſtatus q. 23. partim *litteralem*, partim *allegoricam. Nec tamen*, inquit, *multum deuiaret quis, ſi penitus eam litteralem aſſeruerit.* Imo, nihil omnino deuiaret, ſed in rectiſſima potius exponendi via inſtiterit, qui literalem penitus aſſeruerit. In iis enim, qua aliquarum rerum ſigna ſunt, vel ratio tota è mero illius, qui ſigna illa inſtituit, arbitrio, vel è ſignificatarum rerum ſimilitudine atque analogia peti ſolet. Sed in ſignis diuinitus inſtitutis, quia temere ac inconſulto nihil facit Deus, aliqua ſemper iſtiuſmodi analogica occurrit ratio, & ea dum inueniri, cernique poteſt, merito litteralis & primaria dicitur. Nam, verbi cauſa, cur paſchalis agni oſſa infringi non deberent, quæ propria & litteralis alia ratio, quam illa in Christo Domino ſignificatio à S. Ioanne. c. 19. v. 36. prodita, *Os non comminuetis in eo?* Iam *Secundò* in cauſarum aliarum nulla poteſt acquieſcere animus: hæc vero ita quæſtionem explicat, vt nihil quod recte obiiciatur, adſit, nihil, quod præterea quæratur, ſuperſit. *Tertiò.* Niſi ſpectata maxime typica hæc ſignificatio fuiſſet, videretur iſta de homicidarum exilio & poſtlimio lex parum iuſta. quia pari vel innocentiæ vel culpæ non eſſet par vel pœna, vel ſeruatio. Si enim parem duo cædem inſcij admiſiſſent, vnus ante annos 20. alter hodie: & cras aut perendie moriatur Pontifex, liber vtrique in patriam æque cito erit reditus: & ille quidem annorum 20. exilio mulctatus fuiſſet, hic vero eadem in cauſa, diurno tantum aut biduano. Et quæ iſta æquitas? *Quartò.* Fuiſſet etiam lex periculoſa, & ipſi quidem Pontifici exitialis: aliis vero, ad malum illecebroſa. Nam Pontificis mortem optaſſent, ac forte machinati fuiſſent aliqui, vt ſuo quam citiſſime oſtraciſmo defungerentur, ad ſuoſque redirent. Hanc enim ob cauſam iure vetitum canonico videmus, ne certi Eccleſiaſtici beneficij expe-

Digitized by Google

ctatio ſit: & ad parricidia interdum, fictaſque lachrymas hæreditatum inuitat cupiditas. Hæc vero propter ſacrum momenti maioris Typum ac ſignificationem vel fieri vel tolerari potuerunt, non autem propter aliam quamcumque momenti minoris cauſam. *Quinto.* Cum de his refugij vrbibus, ad Philonis in libr. *de profugis* imitationem, quatuor poſuiſſet S. Ambroſius lib. de fuga ſæculi cap. 2. quæſtiones, & quidem iſtam, qua de agitur, loco vltimo, ad eam ſic reſpondet: *Quartum ſupereſt, quod ait: quia vſque ad illud tempus erit in ciuitate refugij homicida ille, donec moriatur Sacerdos magnus. In quo ſecundum litteram hæret interpretatio. Primo ipſa fuga ſorte magis quam æquitate alicuius examinis definita: deinde in cauſis paribus impar euentus. Poterat enim fieri, vt poſt homicidæ illius refugium, ſequenti die obiret magnus Sacerdos, Quæ autem ſub incerto ſententia? Ergo quia hæret littera, quæramus ſpiritalia. Quis eſt iſte magnus Sacerdos, niſi Dei filius, verbum Dei, cuius aduocationem pro nobis habemus apud Patrem, qui exors eſt omnium voluntariorum & accidentium delictorum.* Philo autem citato loco ſic ait: *Hæc eſt noſtra ſententia, Pontificem hunc, non hominem, ſed Dei verbum eſſe, quod expers eſt peccatorum omnium, non ſolum ſpontaneorum, verum etiam inuoluntariorum. hunc enim negat Moſes, vel ob Patrem intellectum, vel ob matrem ſentiendi vim contaminari, vt opinor ideo, quia parentes immortales, puriſſimoſque ſortitus eſt: Patrem Deum, qui omnium rerum Pater eſt, matrem vero ſapientiam, per quam quicquid eſt, cum prius non fuerit, in lucem prodiit, & ideo caput eius vngitur oleo: principatus inquam eius ſplendido circumfulget lumine, vt merito exiſtimetur amictus veſtibus. nam antiquiſſimum eius. Qui eſt verbum mundo vt veſte induitur, veſtitur enim terra, aqua, aëre, igne & cæteris quæ ex his ortum habent.* Et non multo poſt: *Non alienum eſt à iure naturali, mortem Pontificis præſcribi profugis exilij terminum. Nam quamdiu hoc ſanctiſſimum verbum viuum ſupereſt in anima, non eſt poſſibile verti eam ſponte in deterius. Expers eſt enim peccati omnis, & ſuopte ingenio abhorret ab eo. Quod ſi moriatur, non quod ipſum pereat, ſed diſiungatur à noſtra anima, confeſtim datur reditus peccatis inuoluntariis. Nam ſi illo ſaluo in nobis exulabant, omnino poſt eius diſceſſum redibunt. hic enim eximius honor impolluto Pontifici à natura eſt exhibitus, vt illo præſente, mentis error locum non habeat. Ideo votis omnibus expetendum eſt, vt viuat in anima Pontifex, iudex ſimul, & redargutor, qui pro mentis tribunali erga reorum perſonas ſit indifferens. Sextò.* Huc maxime nos vocat, quod Num. 35. v. 25. ad Sacerdotis huius magni mortem additur: quem vnxit Deus, vel certe aliquis oleo ſancto. Etſi enim dici hoc potuit, vt ſignificaretur Pontificis mors, non qui iure tantum ac hæreditate Pontifex fuiſſet, ſed qui præterea ſacris cæremoniis inauguratus vnctuſque Pontificiæ poteſtatis perfectionem accepiſſet, idipſum tamen clare videtur miſericordiæ ac lenitatis, qua liberabuntur exules, mentionem inijcere, illumque ſignificare, quem *vnxit Deus præ participibus* ſuis Pſ. 44. v. 8. quique à ſacroſancta vnctione ſacrum Chriſti nomen adeptus eſt, quem oro vt ex infelici aut mundi huius aut purgatorij exilio in patrium æternæ fœlicitatis ſolum quam ociſſime reducem me faciat. AMEN.

QVÆSTIO VI.

Quot refugij Vrbes & quales?

SEx iſto cap. 20. nominantur aſylorum vrbes. Sed ſi longius aliquando Iſraëlitarum proferrentur termini, putarit complures, vt indicat Num. 35. ante quæſt. 7. in q. 8. & 11. Thoſtatus, alias his addendas fuiſſe, vt eſſent omnes IX. quia Deut. 19. v. 8. ſcribitur: *Cum autem dilatauerit Dominus Deus tuus terminos tuos ſicut iurauit patribus tuis, & dederit tibi cunctam terram, quam eis pollicitus eſt, (ſi tamen cuſtodieris mandata eius, & feceris, quæ hodie præcipio tibi, vt diligas Dominum Deum tuum, & ambules in via eius omni tempore) addes tibi tres alias ciuitates, & ſupradictarum trium vrbium, numerum duplicabis, vt non effundatur ſanguis innoxius in medio terræ, quam Dominus Deus tuus dabit tibi poſſidendam, ne ſis ſanguinis reus.* Negant alij tamen iſtiuſmodi aliarum vrbium additionem *Primò.* Quia facta nuſquam legitur. *Secundo.* Quia nunquam ita Iſraëlitarum dilatati fuere fines, vt extra, trans & ciſiordaninam à Moyſe ac Ioſue diuiſam datamque regionem tributim habitarint, quemadmodum c. 1. quæſt. 9. dictum. *Tertiò.* Quia Deuter. citatus locus, ad vrbes tres addendum, nos haud cogit. Loquebatur enim Moyſes trans Iordanem: & in Chananæa vbi Iordanis tranſmiſſus fuiſſet, dicebat eodem c. 19. ver. 2. tres refugij vrbes conſtituendas. Poſtea vero hiſce tribus tres adiungendas alias præcepit, cum dilataſſet Dominus Iſraëlitis terminos, id-eſt, cum non illas tantum partes, in quibus vltra Iordanem tum morabantur, tenerent, ſed Chananæa etiam, Iordane tranſito, regna occupaſſent, ſuoſque fines modo iſto amplificaſſent. Et confirmatur iſta expoſitio, quia ibidem vrbium iſtarum ſummula fit, &, vbi etiam prolatati fines fuiſſent, ſex tantum numerantur vrbes. *Addes*, inquit, *has alias ciuitates*, & ſupradictarum trium vrbium *numerum duplicabis*: ita vt Chananææ ternis refugij vrbibus, iubeantur aliæ ternæ addi, idque hic ideo memoratur, quia de hiſce ternis in altero Iordanis latere iam egerat Moyſes Deuteronom. cap. 4. verſ. 41. nunc de ternis aliis agit, & omnes ſimul tandem ſenas indicat. *Non eſt*, inquit citata quæſtione Abulenſis, *difficile dici, omnes vrbes refugij fuiſſe ſolum ſex, niſi communis opinio eſſet in contrarium, quæ rationabilis ſatis eſt.* Rambam Tomo 4. tractatu de Regibus & bellis, cap. 11. nunquam ſex hiſce vrbibus additas tres alias ſerio affirmat. *Nunquam*, ait, *factum: nec præcepit Deus benedictus quidquam fruſtra.* Meſſiæ tamen tempore addendas plures non diffitetur. Poſſet fortaſſe breuiter diſſentiuncula hæc ita componi: non fuiſſe vnquam refugij vrbes plures quam ſex, prout iſtud 20. caput, & Num. 35. explicat, futuras tamen fuiſſe nouem, ſi totam ſibi debitam terram perfectiſſime obtinuiſſent, neque ſua ſibiipſis peccando, anguſtaſſent latifundia, prout q. 9. cap. 1. expoſitum. Ideo enim Deut. cap. 19. verſ. 8. tam ſerio addi videtur, *ſi tamen cuſtodieris mandata*, &c. Et vero ſi terram illam ſibi diuinitus promiſſam, pleniſſimo iure totam obtinere ac incolere potuiſſent, cur ibi eorum, qui,

præter

Digitized by Google

præter mentem ac voluntatem, ſanguinis aliquid fudiſſent, innocentia & ſalus neglecta, contemptaque fuiſſet? Cur, vt in aliis occupatæ terræ partibus, aſyla deſcripta, fixaque nulla extitiſſent? Qui igitur nouenas refugij vrbes numerant, dicunt id quod eſſe potuit: Qui vero ſenas tantum, id quod fuit. & ſic S. Ambroſius c. 2. de fuga ſæculi: *Non otioſe numerus hic ſex ciuitatum præſcriptus videtur, neque plurium, neque pauciorum.* Quomodo autem 48. Iſraëlitis aſyla det Arias, dicetur ſeq. cap.

2. Harum vero ſenarum vrbium tres, vt dixi, erant vltra Iordanem: citra vero aliæ tres.

Citra Iordanem verſ. 7. erant hæ:
- 1. *Cedes*, in Nephtali.
- 2. *Sichem* in Ephraim, & hæc an cum D. Hieronymo & Euſebio duplex, an cum Maſio, hic Toleto cap. 4. in Ioannem vnica ſit, dictum in Gen.
- 3. *Hebron*, in Iuda.

Trans Iordanem verſu 8. hæ:
- 1. *Boſor*, in Ruben: & ſola in plano, ſed patente loco, & conſpicuo.
- 2. *Ramoth*, in Gadaad.
- 3. *Gaulon*, in Manaſſe.

Tertiò. Omnes æquali ſpatio diſtabant Deut. 19. verſ. 3. & 7. Dixi *omnes*, vt non tantum Ciſiordaninæ inter ſe, ſed cum Transiordaninis etiam conferrentur. ita vt ad vicinam transiordaninam iis, qui cis Iordanem aliquem caſu obtruncaſſent, confugere liceret. Indeque illa quæſtio expeditur, cur in Ciſiordanina ditione, quæ quod Transiordanina maior erat, non plures decretæ refugio vrbes, quam in transiordanina, vt recte quæſtione citata monet Toſtatus, ſicque tres æquales trientes Ciſiordaninæ terræ accepti ſunt, in quibus aſyla tria eſſent, Deuter. cap. 19. verſ. 2. quod ſuperfuit ad Transiordanina ſpectauit.

Quartò. Erant fere omnes iſtæ vrbes in montibus, vt eminus videri, & Pharaorum inſtar, fugientes inuoluntarios homicidas ad ſe inuitare, ac ne aberrarent, vel de via interrogando ſeſe aut proderent, aut traderẽt, dirigere viderentur.

Quintò. Ad eas etiam viæ parari commodeq; ſterni debebant, ne quid eſſet quod illorum fugæ ac ſaluti obſtaret Deut. 19. verſ. 3. Quin vero dicunt Oleaſter Num. 35. p. 85. & Rabbini, fuiſſe in biuiis aut triuiis cippos, aut ſtipites, in quibus ſcriptum eſſet, *Miklot*, id-eſt, *refugium*, vt adhoc via monſtraretur.

Sextò. Demum erant omnes iſtæ vrbes Leuiticæ, ſed de hoc poſtea.

Septimò. Conceſſum ad has erat confugium, non iis tantum, qui genere ac ortu Iſraëlitæ eſſent, ſed aduenis etiam & peregrinis. Num. 35. verſ. 15. *Aduenas* exiſtimant nonnulli eos, qui ad Iudaiſmum eſſent conuerſi, *peregrinos*, qui non conuerſi. ſed id veriſimile non eſt. *Primò.* Quia Deus inter Iudæos, cum rerum potirentur, nolebat Gentiles tolerari, niſi fortaſſe ſeruitutem ij ſeruirent. Quomodo igitur de iſtiuſmodi, qui Iudaiſmum amplexi non eſſent, legem ſtatueret, priuilegioque ipſos donaret? *Secundò.* Hebrææ voces *Ger* & *thoſchab* poſſunt aliter diſtingui, vt ſignificet quidem vtraque illum, qui ex aliena gente ad Iſraëliticam religionem acceſſiſſet, ſed *ger*, eum, qui nunc primo vel certe non ita pridem acceſſiſſet: *Thoſchab* vero qui pridem acceſſiſſet, diuque inter Iſraëlitas commoratus iam eſſet, prout Radak explicat, ſicque accipiendæ Græcæ. 70. voces: *ὁ προσήλυτος, καὶ ὁ πάροικος.* Et hoc idem hic ver. 9. ſignificatur, dum vox *ger* tantum ponitur, quæ ſola generatim peregrinum & aduenam denotat, ſiue is modo, ſiue pridem aduenerit. Vide cap. 15. libri *de Herode.* ſed additur, *qui peregrinatur* ſiue *qui habitat inter vos*: in 70. *ὁ προσήλυτος, ὁ προσκείμενος ἐν αὐτοῖς.* Adiiciunt apud Oleaſtrum loco citato Rabbini alia, ſed parum certa, & fortaſſe commentitia. oportuiſſe nimirum eſſe frequentes mundi eas: ad opificium aliquod, vnde aleretur, applicandum fuiſſe homicidam: & tunc ſi legis eſſet ſtudioſus, non debuiſſe à Rabbino ſeu Magiſtro & Doctore ſuo deſeri: ſi Rabbinus ipſe eſſet, totam cum eo ſcholam illuc venire oportuiſſe. In via vero ſemper fugienti homicidæ duos aut tres ſapientes viæ comites adiunctos Pontificum matres iſtiuſmodi exulibus miſiſſe munera, ne ſuis ipſi votis Pontificum illorum accelerarent mortem. Sed lepida hæc Rabbinis ipſis relinquamus, vt nec licuiſſe his in vrbibus arma vlla, funes, aut retia parare, aut vendere.

QVÆSTIO VII.

An Sacrarij Vrbs vel Sacrarium ipſum Aſylum fuerit.

NOn fuiſſe affirmat hic q. 6. & 7. Toſtatus, & Nu. 35. q. 11. ſecus verò cenſent Couarruuias c. 20. concl. 2. lib. 2. variar. Reſol. Gregorius Tholoſas libro 3. de Rep. c. 22. At paucis res ita videtur ſtatuenda.

Primò. Nuſquam diſerte ſcriptum vt ad ſacrarij vrbem aut ſacrarium & altare cuiquam refugium ſit.

Secundò. Sacrarij vrbem vlli refugium fuiſſe, non poteſt etiam è Scripturis colligi.

Tertiò. Ad ipſum altare fuiſſe refugium, poteſt è Scripturis colligi. *Primò.* Quia Exodi 21. v. 14. ſcribitur. *ſi quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab altari meo euelles eum, vt moriatur.* At ſi nullum apud altare cuiquam refugium fuiſſet, cur ab eo ſons homicida euelli iuberetur? cur de ſonte potius, quam de inſonte caueretur, cum & iſte poſſet extra refugij locum occidi? An ſi ſe ad altare applicuiſſet, idq; teneret innocens homicida, deduci abſtrahiq; ab illo poſſet? Videtur profecto iſta de inſidiatorib. aliiſq; homicidij voluntarij reis exceptio,

aliis refugium illic aliquod fuiſſe. *Secundò.* A Fugit Ioab in tabernaculum Domini, & apprehendit cornu altaris. 3. Regum cap. 2. verſ. 28. Id vero videtur feciſſe, quia id vſitatum erat. Et cum illum occidere iuſſus à Salomone Rege fuiſſet Banaias, morem ei gerere eo loco non eſt iſte auſus, eandem, vt videtur ob cauſam verſu 30. Quia tamen erat ille homicida voluntarius, improbuſque inſidiator, ei ex Domini iam citata lege Exod. 21. prodeſſe aſylum non poterat, Dixit enim Salomon verſu 31. *Interfice eum, & ſepeli, & amouebis ſanguinem innocentem, qui effuſus eſt à Ioab, à me & à domo* B *Patris mei. Et reddet Dominus ſanguinem eius ſuper caput eius: quia interfecit duos viros iuſtos, melioreſque ſe, & occidit eos gladio patre meo Dauid ignorante. Aſcendit itaque Banaias* verſ. 34. *& aggreſſus eum interfecit. Tertiò.* Solitos etiam aliquos olim eodem confugere oſtendit apud Abulenſem capite 3. Ioſuæ quæſt. 16. R. Salomon, dum ait, *etiam Sacerdotes* morti obnoxios potuiſſe ab aræ Dominicæ cornibus auelli, ac perimi. *Quartò.* Demetrius Rex vt Iudæorum ſibi animos adiungeret, *Quicunque*, ait, 1. Machab. capite 10. C *confugerint in templum, quod eſt Hieroſolymis, & in omnibus finibus eius, obnoxij Regi in omni negotio dimittantur.* Cur hoc Iſraëlitis alienigena Rex priuilegij concedit, & amplificat, niſi quia ſciebat, id veteris apud illos moris fuiſſe, ipſiſque illud idem eſſe, quam optatiſſimum? *Quintò.* Cum honorem illum haberent vanorum Deorum aris Gentiles, vt infra dicetur, quis putet honoris priuilegiique minus altari ſuo eſſe voluiſſe dominum? Quin ex his videtur, non in cædis tantum, ſed in aliorum etiam facinorum criminibus aliquam apud D Domini altare aſyliam more ac vſu receptam fuiſſe. Quod tamen arbitratu ſuo, accipiat reſpuatve Lector.

QVÆSTIO VIII.

An apud Chriſtianos aſyla etiam quæpiam ſint? & quæ illa?

OMnia ſunt apud Chriſtianos aſyla. & inter ea principem locum tenent ſacroſancta *Altaria*, & *Eccleſiæ* diuino cultui *dedicatæ, conſecratæ*, E in quibus diuina peraguntur officia, vt patet ex toto pœne Decretalium titulo *de immunitatibus Eccleſiarum*, præſertim capit. *cum Eccleſia.* capit. *inter alia*, ex 17. quæſt. 4. è libro 5. capitulari, ex Concilio Moguntino 1. cap. 39. Triburienſi cap. 20. Hilerdenſi cap. 8. Toletano 12. in quæſtione illa citatis: ex Diu. Chryſoſtomi oratione in Eutropium, de quo Suidas, & Nicephorus libr. 13. cap. 14. D. Auguſtino epiſt. 187. lib. 1. de Ciuit. ca. 1. 3. & 4. ex Taraſij Patriarchæ hiſtoria, ex Victore Africano lib. 2. de perſec. Afric. Denique ex Ciuilis iuris titulo *de iis,* F *qui ad Eccleſiam confugerint.* maxime Leg. *pateant* lib. 1. C. tit. 12. Proximo loco ſunt Eccleſiæ diuino quidem cultui dicatæ, & in quibus diuina iam peraguntur myſteria, nondum tamen conſecratæ. c. *Eccleſia* de immunitat. Eccl. Adiungunt è iuris Canonici prudentibus aliqui Eccleſiam, quæ diuino quidem cultui dicata, & Epiſcopi annutu conſtructa, ſed neq; dum conſecrata, neque diuinorum Myſteriorum operatione vlla initiata. Quarto loco ſint *cœmeteria*: & erant olim *ſpacia circa matricem Eccleſiam* ad 40. paſſus deſcripta. c. *ſicut antiquitus* 17. quæſt. 4. Quinto adiungit in Canone, *definiunt eadem* qu. 4. Archidiaconus & alij *hoſpitalia*, quæ Epiſcopi auctoritate fuerint excitata. Sexto idem Archidiaconus in cap. *quæſitum* 13. quæſt. 2. exiſtimat *ſacroſanctam Euchariſtiam*, cum à Sacerdote, vel ad ægrum, vel in proceſſione quapiam defertur, illi etiam, qui ad eam extra Eccleſiam confugerit, aſyliam & immunitatem tribuere. Si altaris aſylum erat, inquit Gregorius Tholoſas libr. 33. Syntag. cap. 21. multo magis & corporis Domini erit. Sanctificatur enim inde altare: & maius digniuſque quod ſanctificat, quam quod ſanctum factum eſt. Et apud Ethnicos, ſi quis ad verberandum duceretur, iſque ad pedes flaminis Dialis ſupplex procubuiſſet, eo die verberari piaculum erat, vti ſcribit libr. 10. cap. 15. Gellius. Quia vero ſi ad mortem duceretur quis, & ei forte obuiam fieret Veſtalis virgo, ſupplicium euadebat. Septimo *Cœnobia, religioſa* omnes, ac *Eccleſiaſtica*, præſertim vero alicubi Metropolitanorum, aut Cathedralium Canonicorum *domus.* Sed vt in aſylorum iſtorum primo concors omnium ſenſus eſt, ſic in aliis diſſenſus ac diſputatio nonnulla, quam, ne extra chorum ferar, libens prætereo. Videri queant citatis locis Greg. & Couarruuias itemque Anaſtaſius Germonius libr. 1. de ſacrorum immunitatibus c. 15. lib. 3. c. 16. & alibi.

QVÆSTIO IX.

Inter Veteris Teſtamenti & Noui aſyla diſcrimen quod?

INter Veteris & Noui Teſtamenti aſyla diſcrimen potiſſimum occurrit quadruplex. *Primum.* Plura ſunt apud Chriſtianos, quā apud Iudæos fuerunt. Quot enim, vt cætera omittam, in vrbe vna paulo maiore templa? Quot in ditiunculæ alicuius pagis, arcibus & villis? *Secundum.* In malefactis pluribus ad CHRISTI Eccleſias, quam ad priſcas refugij vrbes, refugium eſt. Ad has enim in vno tantum homicidij, & quidem inuoluntarij caſu confugere licuit: ad illas vero in omni propemodum crimine ac periculo. Dico *propemodum*, quia c. *Inter alia* x. *de immun. Eccleſ.* immunitatem ac ſecuritatem in templorum aſylis negat nocturnis agrorum depopulatoribus, publicis latronibus, viarumque obſeſſoribus. Et eadem aſyliæ iactura & detrimento afficiũtur virginum raptores, proditores, ſacrilegi, blaſphemi, hæretici, apoſtatæ, Iudæi, & quotquot in ipſiſmet aſylis delinquũt, vt pluribus explicant citati antea iuris Interpretes, maxime Couarruuias. *Tertium.* Ad plura valet Chriſtiana quam Iudaica immunitas. Refugas enim illa tantummodo aduerſus ſanguinis vindices ac inſectatores protegebat: non autem aduerſus iudices. Chriſtiana vero etiam aduerſus hos, vt ab aſylo eos, qui ad illud ſeſe contulerint, abſtrahere, ac ad tribunal, litiſq. cognitionem abripere hi non queant.

Digitized by Google

Quartum. Veteris teſtamenti refugium & immunitas ab ipſomet Deo conceſſa & præſcripta erat: Chriſtiana vero ab hominibus tantum, ſed auctoritate vel Eccleſiaſtica, vel politica præditis, vt ſunt Pontifices, Imperatores, ac Reges, vt recte probat loco citato Couarruuias, & Abulenſis hoc loco q. 7. vbi eos carpit Iuriſconſultos, qui ex eo, quod in veteri Teſtamento à Deo præcepta erat, putant ab eodem in nouo ibidem præceptam eſſe. Nam ſane per CHRISTVM Dominum ac Saluatorem noſtrum Veteris Teſtamenti leges antiquatæ omnes, quas ipſa hominum animis non indidit ac infixit natura, cuiuſmodi morales in Decalogo ſunt. Aliæ vero quæ ad cæremonias & iudicia ſpectabant, abolitæ omnes Act. 15. Rom. 3. Gal. 2. 3. 4. 5. neque vim iam vllam habent, niſi quam iis forte Chriſtiani Magiſtratus, ob aliquam certam vtilitatem & cauſam, iure auctoritateque ſua, dederint.

QVÆSTIO X.

Num apud Iſraelitas, & Chriſtianos recte inſtituta id genus aſyla.

SI vel in Veteri Teſtamento eum, qui illa inſtituit, Deum, vel in nouo eorum, qui eadem decreuerunt, ſapientiam & auctoritatem intuemur, extra omne dubium fuerit, rectiſſime inſtituta omnia. Sed quod quæritur eſt id potiſſimum, num rationes aliquæ ſint, propter quas recte facta hæc iudicare poſſit non imprudens quiſpiam. Eæ autem inueniuntur duplices. Aliæ ſiquidem veluti *generales*, aliæ *particulares* ſunt.

Prioris generis eſt, quod iſto modo magnus Numini videatur honos deferri. *Primò.* Quia ſumma eius monſtratur maieſtas, dum eius loca & domus adeo habentur ſacroſanctæ, vt etiamſi hominibus illatum detrimentum ſit, & vel priuatum vel publicum bonum pœnas exigat, ob illius tamen reuerentiam ſecurus in illis quiſpiam ſit, eum illinc extrahere, ibi violare aut attingere audeat nemo. *Secundò.* Prædicatur eiuſdem miſericordia & benignitas, quod eos, qui ad ipſum ſeſe receperint, in eius ſe tutelam dederint, ita complectatur, vt nocere ipſis nemo poſſit. *Tertiò.* Debita ipſi à nobis veneratio ſignificatur, dum in eius gratiam, & ob eius nomen, eos ſaluos & incolumes patimur, quos alioqui è medio tollere, ſuppliciiſque forſan exquiſitis mactare fas foret. *Quartò.* Gloria eius & amplitudo celebratur, dum eius nomine inanimis etiam aris, ædibus & locis ea ſit reuerentia, vt qui ſuam iis ſalutem commiſerint, ij à nemine, quamuis iuſta fortaſſis cauſa eſſet, neque potentia deeſſet, lædantur. *Quintò.* Conſulitur multorum innocentiæ, iniicitur quoddã veluti frenum incitatæ quorundam iracundiæ ac furori: tempus & ei qui fugit, pœnitẽtiæ: & aliis qui eum inſequuntur, & ad mortem depoſcũt, maturioris conſilij, atq; moderationis conceditur. *Sextò.* Magis quædam & ſplẽdida de diuinis reb. conciliatur hominum multitudini opinio, dum vident in aris, templis, & religioſis ædificiis tantum eſſe miſeris mortalibus opis ac præſidij.

Particulares vero rationes videntur eſſe hæ.

A 1. Permiſſum Iudæis erat, vt percuſſoribus, vbicunq; ante & poſt iudicialem de ipſorum innocentia ſententiam, mortem inferre poſſent vindices. Æquum igitur aliqua iis loca, in quib. tuti ſaltem tum forent, concedi. 2. Apud Chriſtianos nulla quidem, neq; ante neq; poſt Iudicum ſententiam, permiſſio eiuſmodi eſt: attamen vt quorundam quandoque dum, quos ſceleroſos putant, inſectantur, ardentior animus, furentiorque ira coërceatur, ſitque inſigne ac publicum Chriſtianæ lenitatis ac moderationis documentum, aſyla bene inſtituta ſunt. 3. Iſraëlitas dedecuiſſet olim, & Chriſtianos dedecet plus à

B Gentilibus honoris falſiſſimis Diis, nonnulliſque interdum mortalib. Principibus adhiberi quam ab illis vero ſummoque Deo. At ſuos illos Deos, & homunciones etiam, principes nõnullos aſylorum immunitate coluerunt maximopere Gentiles, vt oſtendit apud Æmilium Probum. & Xenophontem Ageſilaus: Euripides in ſupplicibus, Virgilius Æneid. 1. & 6. Parthenius in Erotem cap. 9. Teſtis de *templo* & ara *Epheſiæ Dianæ* Cicero in Verrem, Iuſtinus lib. 28. Strabo lib. 14. de *Veneris* templo. Plautus in Rudente Act. 3. Sc. 3. Moſtellaria Act. 5. ſc. 1. de *ara*

C *miſericordiæ* Pauſanias lib. 1. in Atticis. Theophylus in Paraphraſi inſtitutionum. §. 1. de iuſti: & iure. Statius Thebaidos libro 21.

Vrbe fuit media nulli conceſſa potentum
Ara Deûm, mitis poſuit clementia ſedem.

De *Thebes* templo Pauſanias in Corinthiacis, de *Mineruæ*, idem in Atticis & Laconicis, & de *Palladis Chalcioecæ* ibidem. Et Diodorus lib. 2 de *Apollinis Delij*, Liuius lib. 36. de *Iouis*, Strabo libr. 12. de *Herculis*, Herodotus libro 2. de *Neptuni*, Pauſanias in Achaicis. Sic & caſtrorum ſigna fuere aſyla. *Planco*, inquit libr. 1. Tacitus, *maxime, quem dignitas fuga impediuerat, neque aliud pericli-*

D *tanti ſubſidium, quam caſtra primæ legionis. Illic ſigna & aquilam amplexus religione ſe tutabatur.* ſic *flaminis Dialis domus* apud Gellium lib. 10. c. 15. ſic *Principum ſtatuæ*, apud Philoſtratum, & Vlpianum ex Labeone in l. *quid ſit fugitiuus* de ædil. edict. in Pandectarum titulo *de iis, qui ad ſtatuas confugerint.* Videri queat cum Tiraquello Alexander ab Alex. lib. 3. cap. 20. Sane D. Auguſtinus ex eo Dei, CHRISTIque gloriam, etiam apud Gentiles maxime illuſtrari ſcribit, quod à Barbaris Gothis, capta Roma, in Chriſtianorum templis ſarti tecti fuerint quotquot ad ea ſeſe contuliſſent. *Romulus & Remus*, inquit lib. 1.

E de ciuitat. Dei cap. 34. *Aſylum conſtituiſſe perhibentur, quo quiſquis confugeret ab omni noxa liber eſſet augere quærentes creandæ multitudinem ciuitatis. Mirandum in honorem* CHRISTI *præceſſit exemplum. Hoc conſtituerunt euerſores vrbis, quod conſtituerunt antea conditores. Quid autem magnum ſi fecerunt illi, vt ciuium ſuorum numerus suppleretur, quod fecerunt iſti vt ſuorum hoſtium numeroſitas ſeruaretur?* Et cap. 1. *Martyrum loca, & baſilicæ Apoſtolorum in illa vaſtatione vrbis ad ſe confugientes ſuos, alienoſque receperunt. Huc uſque cruentus ſæuiebat inimicus: ibi accipiebat limitem trucidatoris furor, illo ducebantur à miſerantibus hoſtibus, quibus etiam extra ipſa loca pepercerant, ne in eos incurrerent, qui ſimilem miſericordiam non habebant. Qui tamen ipſi, etiam alibi truces, atque hoſtili more ſæuientes*

poſteaquam ad loca illa veniebant, vbi fuerat interdi- A *ctum, quod alibi iure belli, licuiſſet, tota feriendi refrænabatur immunitas, & captiuandi cupiditas frangebatur.* Et vero vt nulla eſſet alia vtilitas hæc ſane perinſignis eſt, per aſyloruum iſtiuſmodi religionem in bellis cohiberi, ſi non omnino ſemper, plurimum tamen ac ſæpiſſime retundi hoſtium mucrones: bachanteſque in cæde ac ſanguine alibi dextras hic miteſcere, ac veluti fractas ac debilitatas elangueſcere. Sed noſtrum ſiquidem fert animus, conſule Azorium libr. 8. Moralium Inſtit. cap. 9. parte 2.

B

QVÆSTIO XI.

An contra Chriſtianorum Aſyla prudenter ſatis loquutus hoc loco Maſius?

DE Chriſtianorum aſylis ita hoc loco ſcripſit pag. 302. Maſius, vt hæretice videatur nonnullis loqui. Verba eius ſunt, *Poſteritas partim gloriæ cupidine ac ſuperba arrogantia, vt ſuam ipſa maieſtatem amplificaret: alij imprudente religionis opinione ius τὰς ἀσυλίας apud ſtatuas, apud quæuis templa, apud ipſa etiam cœmiteria, apud Epiſcopos, & neſcio* C *vbi non conſtituerunt. Et haberent quidem fortaſsis iſta tam frequentia aſyla maioris miſericordiæ ſpeciem, ſi innoxiorum hominum ſalutis gratia inſtituta eſſent. Verum quod homines cuiuis flagitio obnoxios, imo omnibus ſceleribus coopertos, tutentur id mihi certe videtur longe indigniſſimum eſſe: & Romuli inſtituto, quam Dei legibus iſtis magis conſentaneum. Sed publicos latrones & nocturnos depopulatores agrorum excipit Innocentius. ſcilicet, vt alius nemo quantumuis ſceleratus, qui modo ad paſsim obuia aſyla confugerit, noxæ dedi poſsit. Sed quamuis graue & impium ſcelus admiſit,* D *impunitatem corpore, ſaltem habeat. Parum clementer ſcilicet dictum à Deo eſt: ſi quis ſtudio occidit proximum ſuum, ab altari meo auelles eum, vt moriatur. Melior profecto in Republ. vt certe nunc morati homines ſunt, ſanctio Iuſtiniani eſt, Auth. de mandat. Princ. §. Neque autem, qua ſceleratos homicidas, adulteros, virginum raptores, ab aſylis abſtrahendos, ſupplicijſque aſſiciendos cenſet. Quis enim æquo animo ferat, Deum ipſum homicidij, quo nullum facinus magis deteſtatur, patronum, defenſoremque ſtatui? aut Principes, quorum munus erat, facinoroſos mortis pœnis coercere facinoroſorum receptatores, protectoreſque eſſe? Certe res* E *ipſa clamat, indulgentiores iſtos legumlatores, dum clementiæ laudem ex ſcelerum impunitate affectauerunt, optimos quoſque atque innocentiſſimos homines maleficiorum libidini expoſuiſſe, cum nulla ſit peccandi illecebra maior, quam impunitatis ſpes, adeo vt iam ea, quæ ipſa etiam horrere deberet natura, flagitia, aſsiduitate & conſuetudine peccandi, vix grauia eſſe videantur: & præ delinquendi licentia & ἀδείᾳ multi ne ad aſyla quidem, etiamſi atrociſsime peccauerint, feſtinandum ſibi putent: fruſtraque Tyberius ſi ad imperium ex inferis redeat, aſyla omnia ſublaturus poſſit videri.* Hæc & his adhuc plura Maſius. qui mihi ſcelerum odio iu- F ſtitiæque zelo, videtur parum prudenter & caute nonnulla, hæretice tamen nulla omnino loqui. Prius in eo apparet. 1. Quod aſylorum inſtitutores, omnes temere ſatis iudicet, dum illis inſtituendis non finem, cauſamq; è bonis illis, de quibus ſuperiore quæſt. vllam propoſitam fuiſſe indicat, ſed vel ſolam gloriæ cupidinem, A vel ſuperſtitionem, ſeu vt ipſe loquitur, imprudentem religionis opinionem. 2. Quod *imprudentem religionis opinionem* vocet, quæ prudentiſſima, optimiſque rationibus firmata eſt. 3. Quod videatur negare, innoxiorum etiam hominum ſalutis gratia inſtituta, cum inter alias, hæc vna etiam illorum cauſa ſit, etſi non ſola. 4. Quod adeo ſiniſtre Innocentium III. interpretatur & carpit, quaſi, præter duo ſceleratorum genera, ſceleratum neminem alium noxæ dedi velit: cũ tamen tria illa illa in capitulo. *Inter alia, De im-* B *mun. Eccl.* genera numeret: aliaq. non neget, quæ ſupr. q. 9. attigi. 5. Quod ita ſcelerũ impuritatem exaggeret, quaſi ea per Chriſtianorũ aſyla omnino ſtatuatur, cum tamen iis tantum ea ſit, qui in aſylis verſantur, & quamdiu verſantur. Quod ipſum etiam pœna quædam eſt, licet mitior. 6. Quod dum alia & aliter ſtatuuntur aſyla, quam olim ſtatuit Dominus, malam in partem interpretatur, quaſi minoris clementiæ arguatur Deus, aut eo velint aſylorum conditores videri clementiores, cum Deus Iudæorum ſtatui & conditioni tantum proſpexerit, non Chriſtianorum aut leges, aut priuilegia tum præſcripſe- C rit, & aſylorum auctori nulli tãta in Deum, vel contra Deum, vel accuſatio, vel cogitatio in mẽtem venerit. 7. Quod Deum & principes dicat ab aſylarchis cõſtitui vel homicidij vel ſcelerum aliorum patronos & protectores. Abſit. ſed miſerorum, & quidem ad illos confugientium, opemque ab ipſis palam poſcentium, & potentiam, auctoritatemq; profitentiũ patroni & protectores ad bonum finem exiſtimantur. 8. Quod quæ quorundam hominum vel vitia vel abuſus ſunt, ea in aſyla, eorumque religionem D perperam ac praue conuertat. 9. Denique quod politicam Iuſtiniani ſanctionem canonicis ſanctionibus meliorem videatur affirmate.

Poſterius vero ipſum ſcilicet, hæretice tamen haud loqui, probatur. 1. Quia Eccleſiaſticam auctoritatem nõ negat, ſed ſolummodo auctoritatis huius factum quoddam improbat. Non eſt autem ſtatim hæreticus, qui ſacroſanctæ auctoritatis ad hoc vel ad illud ſingulare applicationem minus rectam exiſtimat. v. c. aliquam diſpenſationem, abſolutionem, excommunicationem. 2. Videtur velle aſylorum abuſum perſtringere, nõ vſum. Hoc enim ſibi verba illa vo- E lunt: *vt certe nũc morati homines ſunt.* Et *multi ne ad aſyla quidem, etiamſi atrociſſime peccauerint feſtinandum ſibi putant.* 3. Pro temporum & locorum varietate fieri poteſt, vt tali in re abuſus quidam & licentiæ nimiæ irrepant. tumq; bonum videretur immunitatem iſtiuſmodi aliquãtum minuere, prout etiam fatentur Couarru. loco cit. n. 4. Gregor. lib. 13. de Rep. c. 23. quod inſcribitur *Abuſus immunitatis* ſeu *Aſylorum Eccleſiæ & remedia*: Oleaſter in Num. 35. ann. ad motum compoſitionem p. 85. Thoſtatus c. iſto q. 12. Vbi F Maſij fere mentem explicat, dum ait, *Plurima crimina ſub ſpecie Eccleſiæ immunitatis peragũtur. Aliqui enim ordinum immunitate gaudentes, alij vero immunitate locorum horrenda facinora peragunt.* Et intra modum ſeſe tamen idem Maſius continet, dum ſubdit, *Nec tamen hoc dico vt detraham vel lacerem Eccleſiaſticam libertatem. Satis enim rationabile fuit, maiorem eſſe immunitatem Eccleſiarum*

Digitized by Google

noſtrarum, quam ciuitatum in Veteri Teſtamento. quia perfectior eſt ſtatus Eccleſiæ noſtræ quam Veteris Teſtamenti. Et ex hoc abuſu natæ illæ in Anglia olim, Polydoro lib. 1. hiſtoriæ Angl. teſte, immunitatum reſtrictiones: itemque in Gallia, vt ſcribit in Regiarum conſtitutionum procemio gloſſ. 5. n. 40. Rebuffus, Greg. loco cit. n. 11. & Couarr. n. 17. A

QVÆSTIO XII.

Quæ refugij vrbium explanatio myſtica?

MYſtica refugij vrbium explicatio traditur multiplex, Nam quibuſdam omnes hac in vita vrbes conſiderantur: quibuſdam tres in hac vita, & in altera tres. Et in prioribus poteſt anteſignanus laudari Sanct. Ambroſius, qui libro de fuga ſæculi capite 2. *Docet,* inquit, *lex fugiendum ſæculum, Deum ſequendum. Quid enim aliud docet, cum dicit: diſponetis vobis ciuitates ad refugium: & erunt vobis refugia, quo refugiat homicida omnis, qui percuſſerit animam inuitus.* & poſtea ſex iſtas ciuitates iſta explicat vt ſit. B

1 Velut metropolis, *Cognitio verbi*, & ad imaginem eius forma viuendi. C
2 *Conſideratio diuinæ operationis*, qua creatus eſt mundus.
3 *Contemplatio poteſtatis Regiæ*, & maieſtatis æternæ.
4 *Propitiationis diuinæ contuitus.*
5 *Legis diuinæ contemplatio*, quæ præcepit, quid faciendum.
6. *Portio legis, quæ præcipit, quid non faciendum.*

Imitatus nimirum eſt Sanct. Ambroſius, vti quæſt. 5. dicebam Philonem, qui libro περὶ φυγάδων in earum, quas de his refugij vrbibus poſuit quatuor, quæſtionum ſecunda, vbi vrbes hæ ſex. D

1 ὁ θεῖος λόγος. & hæc non vrbs tantum, ſed & metropolis.
2 ἡ τοῦ λέγοντος θεοῦ ποιητικὴ δύναμις.
3 ἡ βασιλικὴ δύναμις.
4 ἡ ἵλεως δύναμις.
5 ἡ νομοθετικὴ δύναμις ἡ προστάττουσα ἃ δεῖ.
6 ἡ νομοθετικὴ δύναμις ἡ ἀπαγορεύουσα ἃ μὴ δεῖ.

Haſque omnes in Dei etiam arca ſignificatas ſubiungit idem Philo. Quidam in ordinaria huius loci gloſſa nominant peccatorum remedia ſex: ante baptiſmum quidem, veluti ante Iordanis tranſitum, *fidem parentum*, *oblationem Deo factam*, & *circumciſionem*, poſt baptiſmum E verò, *ieiunium*, *orationem*, & *eleemoſynam*, vel etiam tres pœnitentiæ partes, *contritionem*, *confeſſionem*, & *ſatisfactionem.* Poſſet quis tria vitæ genera quæ ante CHRISTVM fuerunt, & quæ poſt, accipere. Nam vel fuit *vita tantum contemplatiua*, vel *tantum actiua*, vel *vtraque ſimul*. & prima eſt in plano *Boſor*, egregie aduerſus ſpirituales hoſtes munita. *Secunda.* Eſt *Ramoth*, excelſa per bonorum exercitationem operum. *Tertia. Gaulon*, quæ tranſmigrationem indicat, ab contemplatione nimirum ad actionem, & ab actione ad contemplationem. rurſumq; prima eſt *Cedes* in propriæ ſtudio ſanctitatis quieta. Secunda *Sichem* humeros labori & actioni ſubiiciens: Tertia *Chebron*, ſocialis vita, contemplationem actioni, ocium negotio, propriam alienæ ſanctitatem ac ſalutem conſocians. Etſi hominum diſcrimina capias *ante* CHRISTVM fuerunt qui præter bonam, ſanctamque communis vitæ rationem, è Dei præceptis inſtitutam, alia ſibi ſponte pia quædam & bona impoſuerunt, vt *Prophetæ* ac *è Phariſæis* ſi qui probi, & *Eſſeni.* de quibus in *Trihæreſio. Poſt* CHRISTVM vero ſunt *Anachoretæ*, *Cœnobitæ*, & *Societatis Ieſu homines.* Qui vero alias in hoc ſæculo vrbes, alias in altero, poſt Iordanem, id eſt, poſt mortem iudiciique diem cogitant, ij nunc ex Epheſ. 4. *Vnum Deum*, *vnam fidem*, *vnum baptiſma*, terna inquirunt refugia: Poſt vero, ipſas tres ſacroſanctæ Trinitatis perſonas, aut diuinæ maieſtatis *claram viſionem*, *beatam fruitionem*, & *æternam poſſeſſionem.* Quid ſi & tria poſt mortem receptacula, in quibus vel gaudia vel cruciamenta æterna non ſunt, vt in cœlo & inferis, è quibus ad cœleſtem patriam & ad quæ velut ad fœlicitatem quandam naturalem demigratio eſt, intelligantur vt *Patrum limbus*, *purgatorium*, & *infantulorum ſedes*? Quid ſi ternæ in purgatoriis locis differentiæ, imæ, ſummæ, ac mediæ, vel alio quoquo modo diſtinctæ? Refugij vrbem cogitat, qui ait Iob 14. *Quis mihi tribuat, vt in inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus, & conſtituas mihi tempus, in quo recorderis mei?* Sed ſatis ſit, per has ſignificatum pœnitentiæ, poſt peccata refugium. Quod variis modis ſextuplex inueniri poteſt, vt ab ira Dei tutus quiſpiam ſit, & per IESV CHRISTI, Pontificis Maximi mortem ad cœleſtem euadat patriam, prout ſupra q. 5. tractatum. Et his vtiliter & commode applicari poſſunt, quæ de vrbium iſtarum conditionibus dicta qu. 6. maxime quæ de ipſarum perſpicuitate, de viis ad eas vrbes certiſſime, clariſſimeque ferentibus, & ſimilibus dicta ſunt.

Digitized by Google

CAPVT XXI.

1. ACceſſeruntque principes familiarum Leui ad Eleazarum ſacerdotem,
& Ioſue filium Nun, & ad duces cognationum per ſingulas tribus filio-
rum Iſraël: 2. locutique ſunt ad eos in Silo Terræ Chanaan, atque di-
xerunt: Dominus præcepit per manum Moyſi, vt darentur nobis vrbes
ad habitandum, & ſuburbana earum ad alenda iumenta. 3. Dederunt-
que filij Iſraël de poſſeſſionibus ſuis iuxta imperium Domini, ciuitates & ſuburbana ea-
rum. 4. Egreſſaque eſt ſors in familiam Caath filiorum Aaron ſacerdotis de tribubus
Iuda, & Simeon, & Beniamin, ciuitates tredecim. 5. Et reliquis filiorum Caath, id-eſt,
Leuitis, qui ſuperfuerant de tribubus Ephraim, & Dan, & dimidia tribu Manaſſe, ciuita-
tes decem. 6. Porro filiis Gerſon egreſſa eſt ſors, vt acciperent de tribubus Iſſachar &
Aſer & Nephthali, dimidiaq. tribu Manaſſe in Baſan ciuitates numero tredecim. 7. Et
filiis Merari per cognationes ſuas de tribubus Ruben & Gad & Zabulon vrbes duode-
cim. 8. Dederuntque filij Iſraël Leuitis ciuitates & ſuburbana earum, ſicut præcepit
Dominus per manum Moyſi ſingulis ſorte tribuentes. 9. De tribubus filiorum Iuda
& Simeon dedit Ioſue ciuitates: quarum iſta ſunt nomina, 10. filiis Aaron per fami-
lias Caath Leuitici generis (prima enim ſors illis egreſſa eſt) 11. Cariatharbe patris
Enac, quæ vocatur Hebron, in monte Iuda, & ſuburbana eius per circuitum. 12. Agros
vero, & villas eius dederat Caleb filio Iephone ad poſſidendum. 13. Dedit ergo filiis
Aaron ſacerdotis Hebron confugij ciuitatem, ac ſuburbana eius: & Lobnam cum ſub-
vrbanis ſuis: 14. & Iether, & Eſtemo, 15. & Holon, & Dabir, 16. & Ain, & Ieta, &
Bethſames, cum ſuburbanis ſuis: ciuitates nouem de tribubus, vt dictum eſt, duabus.
17. De tribu autem filiorum Beniamin, Gabaon, & Gabae, 18. & Anathot & Almon
cum ſuburbanis ſuis: ciuitates quatuor. 19. Omnes ſimul ciuitates filiorum Aaron
ſacerdotis, tredecim, cum ſuburbanis ſuis. 20. Reliquis vero per familias filiorum
Caath Leuitici generis hæc eſt data poſſeſſio. 21. De tribu Ephraim vrbes confugij Si-
chem cum ſuburbanis ſuis in monte Ephraim, & Gazer 22. & Cibſaim & Beth horon,
cum ſuburbanis ſuis, ciuitates quatuor. 23. De tribu quoque Dan, Eltheco & Gaba-
thon, 24. & Aialon & Gethremmon, cum ſuburbanis ſuis, ciuitates quatuor. 25. Por-
ro de dimidia tribu Manaſſe, Thanach & Gethremmon, cum ſuburbanis ſuis ciuitates
duæ. 26. Omnes ciuitates decem, & ſuburbana earum, datæ ſunt filiis Caath inferioris
gradus. 27. Filius quoque Gerſon Leuitici generis dedit de dimidia tribu Manaſſe
confugij ciuitates, Gaulon in Baſan, & Boſram, cum ſuburbanis ſuis, ciuitates duas,
28. Porro de tribu Iſſachar, Ceſion, & Dabereth, 29. & Iaramoth, & Enginnim, cum
ſuburbanis ſuis, ciuitates quatuor. 30. De tribu autem Aſer, Maſal & Abdon. 31. &
Helcath, & Rohob, cum ſuburbanis ſuis, ciuitates quatuor. 32. De tribu quoque
Nephthali ciuitates confugij, Cedes in Galilæa, & Hammoth Dor, & Carthan, cum
ſuburbanis ſuis, ciuitates tres. 33. Omnes vrbes familiarum Gerſon, tredecim, cum
ſuburbanis ſuis. 34. Filiis autem Merari Leuitis inferioris gradus per familias ſuas da-
ta eſt de tribu Zabulon, Iecnam & Cartha. 35. & Damna & Naalol, ciuitates quatuor
cum ſuburbanis ſuis. 36. De tribu Ruben vltra Iordanem contra Iericho ciuitates re-
fugit, Boſor in ſolitudine Miſor & Iaſer & Iethſon & Mephaath, ciuitates quatuor cum
ſuburbanis ſuis. 37. De tribu Gad ciuitates confugij. Ramoth in Galaad, & Manaim
& Heſebon & Iazer, ciuitates quatuor cum ſuburbanis ſuis. 38. Omnes vrbes filiorum
Merari per familias & cognationes ſuas, duodecim. 39. Itaque ciuitates vniuerſæ Le-
uitarum in medio poſſeſſionis filiorum Iſraël fuerunt quadraginta octo. 40. cum ſub-
vrbanis ſuis, ſingulæ per familias diſtributæ. 41. Deditque Dominus Deus Iſraëli om-
nem Terram, quam traditurum ſe patribus eorum iurauerat: & poſſederunt illam, at-
que habitauerunt in ea. 42. Dataque eſt ab eo pax in omnes per circuitum nationes:
nullusque eis hoſtium reſiſtere auſus eſt, ſed cuncti in eorum ditionem redacti ſunt.
43. Ne vnum quidem verbum, quod illis præſtiturum ſe eſſe promiſerat, irritum fuit,
ſed rebus expleta ſunt omnia.

Digitized by Google

COMMENTARIVS.

D*Væ poſſunt capitis huius partes conſtitui. Prior vrbes Leuitis datas refert, ad verſum vſque 41. Poſterior generalem diuiſionis totius concluſionem à verſ. 41. ad finem.*

QVÆSTIO I.

Leuitis vrbes cur datæ?

HÆreditatis, vt ſupra dictum, c. 41. q. 6. exſortes erant Leuitæ, ideoque regionis partem nullam acceperant. Eos tamen in eadẽ regione cum tribubus aliis manere oportebat. Neceſſarium igitur erat, vt vel ſub dio ac tentoriis perpetuo habitarent, vel tecta & domos incolerent. Illud haud viſum Deo conſentaneum. quia hominum eſt aut peregrinantium, vt in ſolitudine ac Ægyptiaco exitu factum hactenus, aut vagantium, vitamque agreſtem & ineruditam ducentium, vt ſunt Opiliones, Arabes, & Scythæ palantes, ac ſæpe latrocinantes. At Leuitis neutrum conueniebat. Nam & itineris ac peregrinationis in promiſſa terra finis iam erat: & illi omnium politiſſimi ac eruditiſſimi, cum Dei eſſent miniſtri, & ſacrorum omnium Interpretes, Camilli, & Antiſtites. Nec vero, conquieſcentibus domoſque incolentibus Iſraelitis aliis, hos tabernacula obtinere, nullas habere domos ordinarie decuit. quia nimirum aliis diſſimiles ac inter eos velut peregrini, & contemptiores viſi fuiſſent. Dixi, *ordinarie*, quia ſi ſponte, non neceſſitate, idipsũ domicilij vitæq. genus amplecterentur aliqui, vt *Cinæi* & *Rechabitæ*, de quibus Iud. 4. Ierem. 35. & in meo *Tribæreſio*, laudanda quidem eſſet eorum pietas, modeſtia, & virtus, ſed non à principio ſtatim omnibus imponenda. Solet enim Deus cum hominibus agere humanius: neque difficilia & ardua imperare omnia, licet bona interdum & vtilia ſint: ſed eorum, qui animis ſunt excellentiores, virtutiſque ſectantiores, optioni iſta relinquit. Quemadmodum enim qui famulos habent plurimos Domini, non omnib. omnia, ſed præſtantiorib. & cultiorib. præſtãtiora & cultiora committunt munia. Si vero domos habitare fuit generatim magis decorum Leuitis, debuerunt igitur ij aut nouas ipſi ædificare, aut veteres ac iam ædificatas accipere, idq. vel precio vel dono. Nouas ædificare nõ poterãt. quia nullus iis locus, nullus fundus, nullus aut mons, aut vallis, vbi ædificarent, fuit. Veteres vero & iam ædificatas ab Iſraelitis aliis domos emere, fuiſſet ſordidum: Cum enim ditionẽ tantam illis daret Deus, domos, ac vrbes tot ac tantas, an ab his nullas ipſius Dei miniſtris ac ſacerdotibus dari decuiſſet? an è tam multis, tamque liberaliter ac munifice à Deo donatis illos iis, qui huius procurarent ſacra, & cæremonias nihil tribuere auariſſimum, ingratiſſimumque non fuiſſet? Quin & Deus, qui in cæteros Iſraelitas, tam benignus ac, vt ita dicere liceat, profuſus erat, Miniſtrorum ſuorum obliuiſci non potuit. Et hæc eadem Dei de Miniſtris ſuis cura, eorumque amor fecit, vt iis non caſas, pagos, & vicos, ſed vrbes dari præ- A ceperit. Conſtat vero hanc habitanti rationem primo tutiorem, deinde vero etiam hominum quidem opinione, honeſtiorem ac ſplendidiorem eſſe.

QVÆSTIO II.

Quomodo Leuitis datæ Vrbes?

AD Leuitarum ipſorum portionem datas iis vrbes indicat capitis huius principium. Vbi *primo* quæritur, *quid* hos *illas petere neceſſum fuerit*, cum vt ipſi verſ. 2. dicunt, & patet ex Numer. 35. iis eas dari præcepiſſet Dominus? B Reſpondere videtur Maſius, non petiiſſe, ſed ſeſe ſiſtendo ſimpliciter Dei iuſſa expoſuiſſe. Sed & hoc ipſum quoddam petitionis genus fuit. Reſpondet vero Caluinus, *Probabile eſt fuiſſe neglectos, donec cauſam ſuam agerent. Sic enim accidere ſolet, dum quiſque ad ſua curanda attentus eſt, vt fratrum obliuiſcatur. Certe turpe fuit vellicari aurem populo, & in memoriam reuocari, quod Deus de Leuitis clare iuſſerat. Atqui, niſi domicilium flagitaſſent, periculum erat, ne iacerent ſub dio.* Sed accuſat homo hic non Iudæorum tantummodo tribus vniuerſe, ſed eorum & principes & ſapientes omnes, ac inprimis eos, qui diuiſioni à Deo præpoſiti erant, ipſumq. Eleazarem Pontificem, & Imperatorẽ Ioſue. At quis hoc credat ad ſua curanda fuiſſe C adeo attentos, vt fratrum obliuiſcerentur? quis credat ita eos temere ſortem aggreſſos, vt abſque omni agendarum rerum ordine, ante Dominum ſteterint. neque prius conſtituerint, diuidendam primo terram totam XII. tribubus: tum vero poſtea Leuitis de vrbibus prouidendum? Non cadit imprudentia, temeritas, & obliuio tanta in viros tantos. Quin etſi ad ſua ipſorum curanda ij tantummodo attenti fuiſſent, id tamen abſque iſta de Leuitis omnibus cura facere non potuiſſet Eleazar. Eius enim habitatio, commodum, fructuſque omnis cum aliorum habitatione, commodo ac fructu Leuitarum adeo prorſus coniungebatur, vt de illis D abſque his, nulla vlli eſſe poſſet cogitatio. Aliæ igitur petitionis huius cauſæ. *Vna*: cum è ſingularum tribuum vrbibus iſtas, quæ Leuitis erant aſcribendæ, oporteret decerpi, primo quidem neceſſe fuit has vltimo loco his dari (neque enim priuſquam accepiſſent, eas dare poterant tribus aliæ.) Deinde admonebat Leuitas modeſtia & æquitas, vt quod liberaliter aliæ ipſis erant daturæ tribus, id modeſte, tanquam beneficium, peterent. *Altera:* quia licet Ioſue, licet Eleazar, licet diuiſores omnes optime Dei de vrbibus iſtis præceptum meminiſſent, eique quam citiſſime ac pleniſſime factum ſatis vellent, multo tamen fiebant iſta Leuita- E rum petitione ac monitione alacriores,

Acer & ad palma per ſe curſurus honores.
Si tamen horteris, fortius ibit equus.

populo fundere, legem illius perdiſcere, alioſ- A que docere oportet. Ad veſtitum porro refertur habitatio. Domus enim eſt quædam veluti veſtis laxior, quæ nos noſtroſque cingat ac tegat. *Altera* vero cauſa eſt quod tribubus aliis, præter vrbes, dati etiam pagi,& vici plures ſint quorum nullos acceperunt Leuitæ. Abulenſis quæſt. 9. Num. 35. Adiungunt & *tertiam* aliqui cauſam, quod non omnes in ſuperioribus vrbium, quæ ad ſingulas tribus pertinerent, catalogis enumeratæ ſint. Sed hoc, etſi verum, admirationi tamen & quæſtioni propoſitæ parum ſatisfacit. Neque enim putandum, licet omiſſæ B vrbes aliquæ ſint: omiſſas multas: non certe tot, aut fere tot, quot enumeratæ fuerunt. At ſi tot etiam omiſſas dicamus, & impoſitis vrbibus numerum duplicemus, nondum tamen ad Leuiticarum ſummam vrbium accedet. In Aſeriana ſiquidem tribu forent ſolummodo XLIV. in Nephthalica XXXVIII. in Simeonica XXXIV. Iſſachariana XXXII. in Danica pauciores. Ideoque cauſa illa prima, omnium vere prima & ſumma, quam Caluiniani vnius, contra Caluinianas, Lutheranaſque ſacrilegas harpyas omnes, vno libet firmare teſtimonio, C Adriani Sarauiæ. *Deus*, ait libro 2. cap. 14. *in lege ſua præter decimas & oblationes, Sacerdotibus & Leuitis vrbes & pomœria vrbium ac opidorum duci præcepit. in quas non minorem habebant auctoritatem, quã reliquæ tribus in vrbes & agros, qui ſorte ipſis obuenerant. Recepto Euangelio, auctoritate publica, ad eundem modum miniſtros Euangelij agros & poſſeſſiones poſſidere, aut poſſidenda ipſis dari, nuſquam Saluator noſter prohibuit: nec in conſtituta Republ. quæ Euangelium recepiſſet, deteriore conditione eſſe voluit, quam fuerant olim in Iſraele Leuitæ & Sacerdotes. In ciuitate cum ſit viuendum Eccleſiarum miniſtris, adiumenta illa* D *ipſis ſunt neceſſaria, quibus ciuilis ſocietas opus habet, & auctoritatem, & gratiam apud vulgum conciliant: cuiuſmodi ſunt ſapientia & diuitiæ. Alterum horum qui contemnit, cum dignitate in ciuitate verſari non poteſt. Sapiens in ſuo Eccleſ. 7. c. v. 11. & 12. id notauit. Bona eſt ſapientia, inquit, cum hæreditate, & eſt excellentia videntium ſolem, quia in vmbra ſapientiæ, & in vmbra argenti requieſcit homo.* Hæc ille, qui c. 4. *Vnde ait, quorundam Magiſtratuum impietas & ingratitudo maiori vituperio digna eſt, qui dum fauere videri volũt religioni Chriſtianæ, miniſtros debito fraudant honore, & non tantum nihil de ſuo largiuntur, vt* E *quidquid olim impios vſus deſtinatum fuit in profanos conuertant.* Et pergit porro contra ſuorum iſtorum Magiſtratuum & gregalium auaritiam, tenacitatem, impietatem, ac ſacrilegia diſputare: ipſorumque ratiunculis ad populi plauſum, auaritiæque velamen concinnatis reſpondere.

QVÆSTIO IV.

Quot, & quæ præcipuis Leuitarum familiis datæ vrbes?

PRæcipuæ Leuitarum familiæ ac partes nu- F merantur tripliciter. *Primo. Secundum carnem*, vt ſcilicet tot ſint, quot ipſius Leui fuere filij: & ſic tres tantum familiæ ſunt, *Gerſonitarum Caathitarum*, & *Meraritarum* Exod. 6. verſ. 16. & alibi ſæpius 2. *Secundum officium* ac munus, quod ab iis in Dei cultu obibatur. & ſic duæ partes *Sacerdotum* videlicet ac *non Sacerdotum*. Illi vocari ſolent à Sacerdote primo, cæterorumque parente ac ſatore omnium, *Aaronitæ*. Alij vero cõmune *Leuitarum* nomen retinent. *Tertio. Secundũ vtrumque*, tam carnem ſcilicet quam officium. Nam ſecunda illa Caathitarum familia Sacerdotes omnes complectitur, & præterea Leuitas alios, qui ab Aarone progeniti non erant: ſed vel ab eius fratre Moyſe, vel ab vtriuſque patruis Iſaare, Hebrone, & Oziele. Hi enim tres cum Amrám Aaronis Moyſiſque patre filij fuere ipſius *Caath*, nepotes ipſius *Leui* Exod. 6. verſ. 18. & iſto modo hic ſtatuuntur quatuor Leuitarum partes. Prima, *Caathitarum Sacerdotũ*. Secunda. *Caathitarum non Sacerdotum*. Tertia, *Gerſonitarum*. Quarta. *Meraritarum*. Et primæ quidem parti vrbes datæ ſunt XIII. verſ. 4. quarum erãt è tribu Iudæ ac Simeonis IX. è tribu Beniamin reliquæ IV. Et fuit profecto admirabile tot vrbes tam paucis attribui Sacerdotibus. Num vt capitis 5. parte ſecunda q. 1. dicebam, in Iordanis tranſitu, non multo plures quam XXIV. fuerunt, & poſt XIV. annos iſtos, ſi quater & decies illos omnes multiplicemus, nondum tamen in iſta terræ diuiſione quadringenti eſſe poterant Sacerdotes. Et ſi per 13. diuidere liceat 400. inueniemus non potuiſſe in omnib. & ſingulis vrbibus collocari Sacerdotes XXXI. Admirabile item illud, ita tuliſſe ſortem, vt Sacerdotibus eæ obuenirent vrbes quæ tabernaculo ac templo, ipſi etiam futuræ vrbi regiæ ac populi totius metropoli eſſent proximæ. Deinde, vt commodius cum Iudaica tribu poſſent inire connubia Leuitæ, prout q. 18. monet hoc loco Theodoretus. *Has enim tribus*, inquit, *permiſit miſceri Dominus, quod is qui è tribu Iuda naſci debebat, non Rex ſolum, ſed etiam Pontifex appellatus eſt.*

Secundæ Caathitarum parti datæ ſunt vrbes X. è tribubus Ephraim, Dan, & Manaſſæ ciſiordanini verſ. 5. Tertiæ parti XIII. è tribubus Iſſachar, Aſer, Nephthali, & Manaſſæ tranſiordanini verſ. 6. Quartæ parti XII. è tribubus Ruben, Gad, Zabulon, verſu 7. Summatim XLVIII. quarum hæc nomina.

1 *Hebron*. verſ. 11.
2 *Lobna*. verſ. 13.
3 *Iether*.
4 *Eſthemoa*.
5 *Holon*.
6 *Dabir*.
7 *Ain*.
8 *Ieta*.
9 *Bethſames*.
10 *Gabaon*. verſ. 17.
11 *Gabae*.
12 *Anathoth*.
13 *Almon*.
14 *Sichem*. verſ. 21.
15 *Gazer*.
16 *Cibſaim*.
17 *Bethoron*.
18 *Eltheco*.
19 *Gabathon*.
20 *Aialon*.

Digitized by Google

21 *Gethremmon.*
22 *Thanach.*
23 Gethremmon.
24 *Gaulon.* verſ. 27.
25 *Boſra.* verſ. 27.
26 *Ceſion.*
27 *Dabereth.*
28 *Iaramoth.*
29 *Engannim.*
30 *Maſal.* (∴)
31 *Abdon.*
32 *Helcath.*
33 *Rohob.*
34 *Cedes.* verſ. 32.
35 *Hammothdor.*
36 *Carthan.*
37 *Iecnan.* verſ. 34. (∴)
38 *Cartha.*
39 *Danna.*
40 *Naalol.*
41 *Ramoth.* verſ. 36.
42 Manaim.
43 *Heſebon.*
44 *Iazer.* Ιαζήρ. (∴)
45 *Boſor.* verſ. 37. μισώ.
46 *Iaſer.* Hebraice *Iachſa*, Ιαζήρ.
47 *Iethſon.* Aſcedemoth Δεκμών.
48 *Mephaath.* μαφά.

Circa vltimas vero iſtas quatuor dubia oboriuntur. *Primum.* E qua illæ Scriptura promantur: Hebraicus enim Maſoretharum textus eas non habet, vetuſtioraque exemplaria hi laudant, quæ iiſdem careant. At ſunt in noſtro textu, in Græco 70. in Chaldæo, & in Hebraicis exemplaribus aliis perantiquis, vti non è noſtris tantū Thoſtatus inter q. 8. & 9. & Maſius, ſed è Iudæis etiam fatetur hoc loco Radak, qui & oculatum ſe teſtem profitetur. Et vero niſi addantur, primo quidem non fuiſſent à tribubus omnibus datæ Leuitis vrbes, cum eſſet Rubenica omiſſa. Sed id contra diſertum Dei iuſſum. Num. 26. contra capitis huius v. 3. aſſertionem. *Dederunt filij Iſrael de poſſeſsionibus ſuis iuxta imperium Domini.* contra hiſtoriam 1. Paralip. 6. v. 78. & 79. *Deinde* non fuiſſent Meraritarum vrbes XII. vt ait hoc capite verſus 38. ſed VIII. tantum. *Tertio.* Demum non eſſent Leuitarum vrbes omnes XLVIII. ſed ſolum XLIV. contra ſuperioris quæſtionis decretum. Atq. hinc patet *Primo* quod in Bibliacis Prolegomenis aſſertum, Hebraica Maſoretarum biblia, quæ à Iudæis hodie iactantur correctiſſima, incorrecta ac deprauata eſſe. Patet *Secundo* has in editione Latina vrbes, non de Græca 70. tralatione ſimpliciter expreſſas, prout aſſeuerat Maſius & laudat Mōtanus: ſed è vetere textu Hebręo, qui, vt recte ait Abulenſis loco citato, extabat interpretis noſtri tempore. Patet etiam *Tertio* 1. Paral. 6. illas huc tralatas. Hinc enim ſi abfuiſſent, tota cap. huius vacillaret hiſtoria & calculus, prout paulo ante indicatum. Et vero huius & illius capitis nomina diuerſa non vrbium quidem, vt paulo poſt dicetur, ſed textus diuerſitatem monſtrant, vt è Paralipomenis huc traducta illa eſſe nequeant.

Dubium alterum. In noſtro textu & Græco
A 70. inter iſtas vrbes IV. ponitur *Miſor*, ſicque vrbes fiunt v. numerorumque ſummæ redundant. Sic enim eſſent è Rubenica tribu v. vrbes contra verſum 37. Meritarum vrbes XIII. contra verſum 38. Leuitarum vrbes XLIX. contra v. 39. Dicendum *Primo.* nomen hoc omnino in Latinum textum ex aliquorum irrepſiſſe margine, qui è 70. notarant τὴν μισώ, vt nūc in Romanis editum eſt, vel potius τὴν μισὼρ, vt in noſtro textu eſt. & confirmatur ex ſignificatione, de qua iam. *Secundo.* Non eſſe hic nouam
B vrbem à *Boſor*, ſed per iſtam vocem ſignificari, *Boſor* eſſe in planitie ſitam prout ſuperiori cap. quæſt. 6. dictum. Nam Hebraice *miſor* ſeu *miſchor* eſt planities, vt ſupra cap. 13. ter. v. 9. 18. 20. & clare ſupra cap. 20. verſu penultimo ea dicitur eſſe vrbs *bammidbar bammiſchor*, id eſt, *in ſolitudine, in planitie.* Et confirmatur ex ipſo textu Græco, vbi ſic Βοσὸρ τὴν ἐν τῇ ἐρήμῳ, τὴν μισώρ. Obſeruandum enim in cæterarum adiunctarū vrbium trium numeratione præponi καὶ, id eſt, &, vt ſignificentur diuerſæ. At *Miſor* ita cum
C *Boſor* nectitur, vt ſententia ſit: *Boſor, quæ eſt in eremo, quæ in planitie:* ſeu *& quæ eſt in plano.*

Tertium dubium. Latine ac Græce *Iazer* hic nominatur, quæ in Hebræis exemplaribus nulla eſt. Reſpondeo vel eſt eadem, cum ea quæ hic & 1. Paralip. 6. v. 29. dicitur *Cademoth*, vel certe eſt eadem quæ duplicata in Latino, non in Græcis 70. nomenclatura dicitur *Ietſſon*, in Paralipomenis *Iaſſa* ſeu *Iachſa.* & tunc in Latino vrbs deeſſet, quæ in Hebræis hic & in Paralip. eſt *Cademoth*, aut *Cedemoth.* in Græcis δεκμών, per litterarum ſcilicet metatheſin pro κεδμὼν vel κεδμώθ: imo è proximo v. 36. pro *Cademoth* no-
D ua huc immigrauit *Iazer.*

Quartum dubium eſt. An 4. iſtæ vrbes loco ſint numerandæ vltimo? In exemplaribus Hebręis melioribus, & in Romana Latina correctione ante *Gad* ponitur ipſe *Ruben.* id eſt, fit verſuum 36. 37. tranſpoſitio: ſicque poſt quatuor vrbes has, numerantur aliæ, quæ hic præpoſitæ. 4.

1 *Rameth.*
2 *Manaim.*
3 *Heſebon.*
4 *Iazer.*

Et hinc apparet, vulnus alicunde textui huic
E tam in Latinis, & Græcis, quam Hæbreis inflictum, quod nondum hactenus curatum ſatis.

Quintum dubium, Cur in iſtis non ſit *Hieroſolyma?* Quia ſcilicet à Iebuſæis adhuc tenebatur: quia diuerſarum tribuum erat, quia in ea etiam iis habitandi locus eſſe potuit, vt ſequenti quęſtione dicetur.

Sextum & vltimum dubium, cur nomina quædam ab iis quæ in tribubus ante poſita, diſcrepant? Reſponſum ſæpius.

QVÆSTIO V.

F *An in vrbibus aliis habitarint Leuitæ?*

NOn in hiſce tantum datis vrbibus, ſed in aliis etiam habitare potuerunt Leuitę tripliciter. *Primo.* In ea vrbe vbi eſſet ſacrorum

Digitized by Google

ſedes, holocauſtorum altare, ipſumque tabernaculum, vel templum. *Secundo*. Si quæ ipſis alibi ab Iſraelitis per oblationem aut votum domus darentur. *Tertio*. Si quam ipſi alia in vrbe domum conducere, ibique habitare vellent. Nam certe modorum iſtorum aliquo fuiſſe aliis in vrbibus Leuitas, oſtendunt non raro Scripturæ, etiam illæ quæ trietericas decimas cum iis comedi præcipiunt Deut. 10. 17. & poſtea ſæpius. Duas etiam cur aliæ ab iis vrbes habitarentur, cauſas afferunt Iudæi. *Vnam*, vt Magiſtratibus ac iudiciis adeſſent illi omnibus. Ἑκάστῃ ἀρχῇ, ait lib. 4. capite 8. Ioſephus, *δύο ἄνδρες ὑπηρέται δεδόσθωσαν ἐκ τῆς τῶν Λευιτῶν φυλῆς.* *Alteram*, quia initio vrbium ſuarum nonnullas, quæ à Chananæis adhuc tenebantur, poſſidere haud potuerunt, aliæ pro iis commodato ipſis datæ. Et hinc expediunt nodum illum Rabbini in Thalmud. tractatu de plagis capite 2. quomodo alia hic non pauca Leuiticarum vrbium nomina ſunt, quam in 1. Paralipomenon 6. Hic enim traduntur, quæ donationis iure ipſorum fuere vrbes, illic vero, quæ vel donationis vel commodationis iure. *Cedes*, inquiunt, *cum diu in hoſtium poteſtate maneret, Leuitæ pro ea vicinam Gamalam habebant.* Et Maſius, *Si verum eſt quod Doctores Hebræos opinari dicebam, habitarunt fortaſſis Leuitæ in Hucoc, cum vicinam ſuam Helcath obtinere non poſſent.* Et hinc rurſum apparet, quanta Leuitis habitandi commoditas & laxitas conceſſa ſit, qui non in ſuis tantum, ſed alienis etiam vrbibus habere poterant domicilium.

QVÆSTIO VI.

Quanta, & quales iſtæ Leuitarum vrbes?

PRimo. Fuere magnitudinis pœne omnis vrbes: magnæ quædam, paruæ aliæ. Nam certe magna fuit *Hebron*, *Dabir*, *Gabaon*, *Ramoth*, aliæ. *II*. Fuere illuſtres famaque inclytæ complures, vt iam dictæ, obſcuriores aliæ. *III*. Ita erant eæ iuris Leuitarum, vt non vſufructuarij tantum ſed veri eſſent Domini. Nam Leuit. 25. v. 33. Scriptum legimus: *Aedes Leuitarum, quæ in vrbibus ſunt, ſemper poſſunt redimi: ſi redemptæ fuerint, in iubilæo reuertentur ad Dominos, quia domus vrbium Leuitarum pro poſſeſſionibus ſuis ſunt inter filios Iſrael.* *IV*. Erant non in vna quapiam Chananææ ditionis parte ſitæ, ſed longe lateq. per omnes omnino partes ac tribus cis & trans Iordanem ſparſæ: idque ſapientiſſimo Dei cõſilio & voluntate. *Primo*. Vt eſſent vbique legis diuinæ Interpretes ac Magiſtri, qui populum totum erudirent, monerent, in officio continerent, quidam veluti eius Pædagogi Deut. c. 23. v. 10. in Hebræo maxime vbi ſic: *docent* (Leuitæ) *iudicia tua ipſum Iacob & Legem tuam Iſraelem.* Et in 70. *Δηλώσουσι τὰ δικαιώματά σου τῷ Ἰακὼβ, καὶ τὸν νόμον σου τῷ Ἰσραήλ.* *Secundo*. Gratum Deo eſt, variis in locis aperiri ſapientiæ Scholas ſapientum cœtus, religioſorumque hominum collegia vigere. Quid autem aliud erant Leuitarum vrbes? *Tertio*. Ad Dei gloriam pertinet, quam plurimos, eius quamplurimis in locis eſſe miniſtros. Quemadmodum enim nõ in palatio tantum & aula Regij miniſtri ſunt:

A Sic nec in tabernaculi tantum, templiue vrbe Sacerdotes Leuitæque alij. *Quarto*. Ne alij ab aliis diſtracti vulgaribus aliorum vitiis ac moribus aſſueſcerent. *Quinto*. Vt iuncti & in quibuſdam veluti cœnobiis aut collegiis incluſi, ſe ipſos, magis, alij alios, ad vitam ordine graduque ſuo dignam excitarent. *Sexto*. Sic magis videbatur Dei cultus, qui vna potiſſimum in vrbe ac loco vigebat, tribuũ eſſe omnium, quia in his illius miniſtri omnibus. *Septimo*. Facilius à populo tam debita quam ſpontanea, quæ ad vitam faciebant, accipere neceſſaria ſic pote-

B rant. Neque iſta infringit Abulenſis diſputatio hic quæſt. 4.

V. Erant eædem vrbes ſuburbanis quibuſdam ſpaciis inſtructæ, prout infra explicabitur. In earum numero erant ſex de quibus ſuperiori capite, refugij vrbes. *Primo*. Vt maior apud omnes Dei miniſtris beneuolentia & auctoritas conciliaretur, à quorum vrbibus præſidij ac ſalutis tantum eſſet. Abul. quæſt. 7. Num. 35. *Deinde*. vt vbi Doctores & iudices optimi ac ſapientiſſimi, ibi verſarentur, qui eorum ſententia liberari, conſuetudine inſtrui, melioreſ-

C que poſſent fieri. Hanc, aliaſque cauſas plures affert S. Ambroſius lib. de fuga ſæculi, c. 2. & lib. 2. de Cain & Abel cap. 4. *Ciuitates*, inquit, *Leuitarum, redemptrices ſignificauit Moyſes: quia is qui confugit ad eas, animam in qua habitat Dei verbum quæ vrbis modo munita atque vallata ſit, perpetuam libertatem acquirit ſibi. Sicut enim in ciuitatibus Leuitarum erat pœnarum remiſſio, vt ſi quis ad eas confugerat qui non voluntariam necem hominis admiſerat, nulli eum occidere liceret, intra vrbes duntaxat poſitum: ita quam peccati proprij pœnitet, quod aut imprudenter aut inuitus admiſit, ſi Leuitarum adhæreat incolatui, & ab his præceptoribus, qui Dei mandata di-*

D *ſpenſant, recedendum non putet, lex ipſa ab omni eum commiſſi flagitij pœna ſupplicioque liberat. Nec abſurdum putes, quod facinoroſi cohabitant piis, maculoſi ſacratis: opus enim habent purificari, qui aliquo polluti ſunt delictorum contagio, Et quodammodo diuerſo genere cauſa concurrit. Sicut enim Leuites mundanis voluptatibus abdicatus, exul eſt culpæ: ita ſanguinis reus, fugitiuus eſt patriæ. Sed hoc intereſt, quod iſte neceſſitate ſuos deſerit propter metum legis, miniſter autem Dei humanarum conſortiis renunciat paſſionum, & quadam carnalis illecebræ ſe abdicat neceſſitudine propter ſtudia virtutis. Etiam illud non abhorret à vero,*

E *quod etiam iſtud velut quaſdam in ſe manus inicit, vt interficiat voluptates ſui corporis, & quendam, ſuæ carnis operetur interitum. Interfecit nempe Moyſes Aegyptium, & fugax factus eſt de terra Aegypti, vt declinaret eius tyrannum. Sed non ante illum interfeciſſet Aegyptium hominem, niſi in ſe prius Aegyptium ſpiritalis nequitiæ interemiſſet, & abdicaſſet regalium luxum honorum: maius patrimonium æſtimans theſauris Aegypti opprobrium* CHRISTI. *Quod ſtultis quidem videtur opprobrium nobis autem illud opprobrium Dominicæ crucis, Dei eſt virtus atque ſapientia. Accedit*

F *eo, quod duo quædam in Deo principalia ſunt genera virtutum, vnum quo remittit, aliud quo vindicat. Remittuntur peccata per Dei verbum, cuius Leuites interpres, & quidem executor eſt: remittuntur etiam per officium Sacerdotis, ſacrumque miniſterium: puniuntur quoque per homines, ſicut per iudices, qui poteſtate ad tempus vtuntur: ſicut Apoſtolus docet dicens. Vis*

Digitized by Google

autem non timere poteſtatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim miniſtra eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris, time. Non enim ſine cauſa gladiū portat. Dei enim miniſter eſt, Iudex in ira ei, qui malum agit. Puniuntur peccata etiam per populos, ſicut legimus, quia ſæpe alienigenis, Dei iuſſu excitatis, propter diuinæ Maieſtatis offenſam ſubiectus eſt populus Iudæorum. Nec is quidem qui inuitus aliquod fecerit homicidium, extra miniſteriū eſt. Siquidem lex ait de eo: Quia Deus dedit eum in manus eius. Manus ergo eius, inſtrumenti modo, diuinæ vltioni miniſterium præbuerunt. Leuites igitur miniſter remiſsioris eſt. Percuſſor autem, qui tamen non ex diſpoſitione, ſed præter voluntatem fecerit homicidium, diuinæ miniſter vltionis.

Sed binæ adhuc reſtant quæſtiunculæ. *Vna*, fuerint ne omnes aliæ Leuitarum vrbes etiam aſyla? *Omnes*, inquit Arias, *Sacræ etiam fuerunt, & recipiendis tutandiſque inſontibus homicidis dicatæ quamquam ſex illæ ſingulari prærogatiua, aſyla dictitarentur.* Ego tamen id aſſerere non auſim, quia neque à Scriptura, neque ab idoneis auctoribus vllis aſſeri video. Et vero cauſæ quid foret, cur ne vno quidem verbulo res tanta, tam inſontibus neceſſaria & vtilis, tam Leuitarum tribui toti honorifica, vſquam inueniretur? *Altera*, Prius ne fuerint in refugium decretæ vrbes ſex, quam eæ aliæq; omnes Leuitis datæ? An. XLVIII. prius Leuitis datæ, ac tum demum ex iis in refugium ſecretæ ſex? Opiniones duæ. *Prior*, prius ait refugij vrbes conſtitutas, Poſterior, poſterius. Illa Maſij eſt in capitis huius initium: hæc vero Ioſephi libro 5. cap. 1. & Abulenſis Num. 35. vbi clare textus, prius Leuitis decernit vrbes duas de quinquaginta: ex iis deinde, quæ fugientibus receptui ſint: ſex deligit. Et ſi hoc ſequamur, neceſſario fatendum erit, huius & ſuperioris cap. narrationes tranſpoſitas. Sed id creditu facilius in Numer. vno c. 35. vt ibi periodi vnius aut alterius tranſpoſitio potius facta ſit, quod totorum hic capitum: maxime cum in textu etiam Hebræo nihil ſit, quod huic refragetur tranſpoſitioni: hic vero ſit cap. 20. principium quod iubet, vt duodenæ ipſæ tribus dent refugij vrbes. At ſi has vna cum XLII. duabus aliis iam antea Leuitis dediſſent, non tribus illæ, ſed Leuitica ſola dare ipſas debuiſſet.

QVÆSTIO VII.

Quæ, & ad quid circum vrbes iſtas Leuitis data ſpacia?

VNa cum enumeratis iam vrbibus, fuerunt è Domini præſcripto ſpacia circū illas iiſdem attributa Leuitis. Ea hic & alibi Hebraice ſemper vocantur earum vrbium *migraſchim*: id eſt quæ extra illas poſita, & quaſi longius eiecta, expulſa, porrectaque: In 70. hic interdum τὰ περισπόρια αὐτῶν. interdum vero τὰ ἀφορισμένα αὐτῶν, τὰ ὅμορα & προάστεια. ſed alicubi τὰ ἀφορίσματα αὐτῶν, τὰ συγκυροῦντα τὰ περιπόλια. Significantur vero hiſce omnibus ſpacia ipſis vrbibus adhærentia, circumſationalia, ſeu ſatiua, diſparata, ſeu ſecreta, contermina, ſuburbana, & circumurbana, ſeu amburbalia. Ea vero *quatuor ad fines* data volunt Rabbini in Thalmud. tract. *heroubim* c. 5. *Primus* eſt, vt in iis paſci poſſent oues boues, iumenta. *Secundus*, vt ne ſuburbanorum Leuitis deeſſet hortorum ac pomariorum amœnitas. *Tertius*, vt inambulationi etiam illi quæ ſabbathis conceſſa, ſuppeteret, ſpacium. *Quartus*, vt quæ efferendis ac egerendis variis ex vrbe ſordibus ſeruirent loca, non abeſſent. Sed ex hiſce quatuor, finem vſumque primum tantummodo tradit ſcriptura. Num. 35. v. 9. *Ipſi Leuitæ in oppidis maneant, & ſuburbana ſint pecoribus ac iumentis.* Et hic v. 2. aiunt ipſi Leuitæ: *Dominus præcepit per manum Moyſi vt darentur nobis vrbes, ad habitandum, & ſuburbana earum ad alenda iumenta.* Vnde Num. 35. q. 3. ſcribit Abulenſis, ſi quid in hiſce, quæ dabantur, ſpaciis fuiſſet fortaſſis antea cultorum agrorum, vinearum, hortorum, arboretorum, id vero fuiſſe totum in paſcua cōuertendum. Et Arias in cap. 14. *Nuſquam legimus alium vſum, quam habitationis intra, & familiaris pecuariaque res extra vrbem.* Et alij, qui afferuntur fines, aut neceſſarij non erant, aut vero ſuppleri aliunde poterant. Nam *Primo*, ſuppeditabant Leuitis poma, omniſque generis fructus, etiam olera è premitiis, decimis, voluntariis oblationibus Matth. 23. v. 23. vbi ait Dominus, hæc, licet exigua ac minuta, omittenda non fuiſſe. Quia tamen de cymino, anetho, ſimilibuſque herbis, & oleribus præcepti fuiſſe nihil videtur etſi qua iſtiuſmodi offerrentur in templo, ea in Leuiticas inferri vrbes commode haud potuiſſent, & vero quia holuſculorum, herbarumq. magnus, pœneq; neceſſarius in re familiari vſus eſt, iſtaſque res, interdum etiam, ob ægros, minime vetuſtas eſſe cōueuit, hortos Leuitis negandos haud putarim: & quidem etiā, vt feſſos interdum meliorib. curis animos aliquantulū relaxarent. Sed intra vrbes, in ipſis domiciliorum fundis, prout paſſim videmus, eſſe potuerunt. Deambulatio vero potuit in paſcuis etiā haberi: neque opinor in vicinarum etiam tribuum viis, agris, & montibus negata vnquam fuiſſet. Sordibus demum vel in vrbibus, vel in paſcuis ipſis, deeſſe locus non potuit. Excrementitiæ ſiquidem vel in cloacas condebantur ſubterraneiſque aquarum aut pluuiarum aut aliarum meatibus conſumebantur vel ipſa etiā temporis diuturnitate in terram vertebantur. Sin foris in paſcuorum ſpaciis foueæ iis excipiendis fierent, lætius illic, pecorique iucundius gramen arborumque magnitudo & amœnitas exiſtebat vt lib. 2. de monarchia, vbi cur à templo abſuerit lucus cauſas dat, exponit Philo. Aliæ vero vrbanæ ſordes, vt nonnulla rudera & fuligines, facile alicubi ſparguntur & conculcantur. Vnus igitur tantum, aut certe præcipuus ſuburbanorum iſtorum finis fuit, paſtio.

QVÆSTIO VIII.

Leuiticarum vrbium ſuburbana quanta?

MAgna hic tam Iudæis quam Chriſtianis Interpretibus crux. Nam Numer. 35. verſ. 4. ſuburbanis iſtis magnitudo tribuitur cubitorum

Digitized by Google

ſeu paſſuum mille: *Quæ* (ſuburbana) *à muris ciuitatum forinſecus, per circuitum mille paſſuum.* At v. 5. proximo, bis mille cubitorum eadem magnitudo dicitur: *Contra orientem duo millia erunt cubiti: & contra Meridiem ſimiliter erunt duo cubiti. Ad mare quoque, quod reſpicit ad Occidentem, eadem menſura erit: & Septentrionalis plaga æquali termino finietur,* Quo iſta modo conſonant? *Octuplex* fere auctorum, in conſonantia ſtatuenda, *conatus.*

Primo. Videntur 70. innuere, mendum in Hebræo eſſe: quia ſicuti poſteriore loco, ita priore ij ſemper hiſce ſuburbanis tribuunt δισχιλίους πήχεις *bis mille cubitos.* At cum exemplaria Hebræa conſentiant omnia, eaque Latinus ſequatur textus, omneſque cum Interpretibus omnibus libri, laudanda quidem Septuaginta interpretatio, qui ſine ambiguitate vlla ipſiſſimam, vt infra patebit, reddidere ſententiam: non deſiſtendum tamen, quin vera in Hebræo Latinoque textu concordia inquiratur.

Secundo. Igitur ſunt apud Lyranum Num. 35. è Latinis nõnulli, qui obſeruant in Latino textu poni priore verſu *paſſus*, poſteriore, *cubitos*: horumque bis mille non plus eſſe aiunt, quam 1000. paſſus. quod in cubito ſint pedes duo, in paſſu quatuor: ſicque vtroque loquendi modo ſuburbanis dari quatuor pedum millia. Sed *Primo.* in Hebræo vna eadem vox in vtroque verſu eſt, quæ proprie *cubitum* ſignificat, licet pro paſſu, qui illi æqualis, non male ſumatur. *Deinde* paſſui, non quatuor ſed quinque attribui, ſolent pedes, quemadmodum è vulgaribus in Sphæræ Geographiæque rudimentis recitantur, verſibus notum: *Quinque pedes paſſum faciunt.* &c.

Tertio. Igitur Abulenſis Num. 35. quæſt. 6. dicit in Latino textu *paſſum* priore loco poni, tãquam explicationem, quod in illo contineantur duo cubiti: ſicque 1000. paſſus eſſe 2000. cubitos. At ne citatis iam verſibus idem ipſe impetatur, diſtinguit paſſum, eumque ait eſſe ſpacium vel quod inter pedem ac pedem tantummodo interiectum eſt, vel & hoc & illud, quod ſub hominis pede, aut pedib. ſubiectum. Et vtroque modo duplex paſſus eſt. Vel enim *ſtans* eſt, vel *ambulatorius.* Priore modo *ſtans* duos habet pedes, poſteriore quatuor. Nam inter hominis ſtantis pedes, non plus quam bipedale intercipitur ſpacium. & huic ſi adiungatur, quod ſub vtroque ſtantis eiuſdem pede eſt, fit quadripedale ſpacium. *Ambulatorius* vero priore modo, pedes habet tres, quia grandiri tum ſolent gradus: poſteriore vero habet quatuor, dum accipitur motus, ambulatioque continua: Sic enim ſpacij hoc tantummodo accipitur quod ſub vno pede, non ſub duobus eſt, quia ſic vnus tantummodo pes terram premit eique adhæret: alter vero ſublatus, cum in terram recidit ſpacium quod ad ſequentem paſſum pertinet, occupat. Habet vero ambulatorius idem paſſus pedes quinque, dum, vtroque in terram fixo pede, ſpacium & quod inter vtrũq. & ſub vtroq. eſt, ſumitur. Et de poſterioris huius generis paſſu ambulatorio loquuntur citati verſus, de prioris generis ambulatorio Interpres hoc loco noſter. Facilis eſt iſta expli-

A catio: ideoque & olim à me breuiter notata in Ioſuanis Sacerdotibus cap. 5. num. 59. ſed nondum omnem omnino eximit ſcrupulum. *Primo.* Quia oſtendendi eſſent auctores, qui hiſce ſtãtibus ambulatoriiſque paſſibus ita vterentur. Quomodo enim alioqui de paſſu ita noſtrum locutum Interpretem, credemus? *Secundo.* Nõ explicatur iſto modo Hebræi textus varietas, vbi paſſuum nulla proprie, ſed cubitorum ſolorum mentio eſt.

B *Quarto.* Diſtinguunt cubitos alij. Nam Geometrici *cubiti* ſunt vel *ſacri* vel *communes*, illique his duplo maiores. Cum igitur, prius de ſacris ſermo fuiſſet, ij poſtea per communes explicãtur, ideoque duplicantur. Sic enim ſicli ſacri communibus duplo maiores ſunt. & ſacrorum id genus cubitorum mentio videtur 3. Reg. 2. 6. 2. & cap. 7. 15. Sed *Primo.* quo ſigno colligi poſſet modo de ſacris, modo de communibus textum loqui? *Secundo.* Ad purarum terræ arearum dimenſiones, non autem ad ſolos ædificiorum, ſtructurarumque commenſus ſacrorum
C eſſe cubitorum vſionem probandum foret.

Quinto. R. Salomon & Thalmudici loco ſuperiore quæſtione indicato, dicunt proprie *migraſchim* & ſuburbana, eſſe loca vrbibus proxima quæ inambulationi tantum, lotioni, hominumque recreationi ſeruirent. & hæc cubitorũ tantummodo 1000. fuiſſe. Sed præter hæc fuiſſe alia rurſum his contigua ſpacia, quæ ab vrbe remotiora, cubitos alios mille patebant. & in his arari, ſeri vineaſque plantari potuiſſe: ac idcirco iſta ſuperioribus iuncta ſpacia vere 2000. cubitorum in omnem terræ plagam fuiſſe. Figmentum hoc improbant Abulenſis & Paulus
D Burgenſis. & merito. Sunt enim, vt ex ſuperiore quæſtione patuit, omnia hæc inania, cum ſola Leuitis data fuerint paſcua.

Sexto. Rabbi Nehemannus vult circa vrbem quamlibet, quadratum accipiendum, cuius latera ſingula cubitorum ſint 500. Sed quomodo hinc ſpacia ex ipſis murorum mœnibus ducuntur 1000. cubitorum. Nam totum quidẽ quadratum eſt 2000. cubitorum: ſed non ſunt ſpacia in Orientem 2000. cubitorum, non in Occidentem, non in alias partes.


Septimo. Paulus Burgenſis in additione ca-
E pite 35. Num. ſimile circa vrbes quadratum deſcribit, ſed cuius latera ſingula ſint 2000. cubitorum: & ab vrbium mœnibus, tanquam à centro ſpacia ſint 1000. cubitorum. Et de hiſce 1000. ait priorem verſum agere: de laterum ſingulorum, quæ in plagas omnes feriuntur cubitis 2000. poſteriorem placet hoc Ariæ Montano in libri huius capite 14. ſed tria quædam adiicit. *Primum.* Huiuſmodi quadratum tantummodo exiſtere, quando vrbs ſpacij nihil occuparet, ab eaque tanquam à puncto magnitudinis omnis experte ducerentur in omnem mundi partem lineæ 1000. cubi-
F torum. *Secundum.* Quando vero magnitudinem aliquam obtinere vrbs ponitur, vt vere ſemper obtinet, duci quidem ab ea poſſunt in omnem mundi partem lineæ 1000. cubitorum: ſed ex iis non exiſtet quadratum vllum. Quãtũ enim vrbis magnitudini datũ fuerit, tantum profecto quadrato decedet. Vt ſi, verbi gratia,

Digitized by Google

vrbs eſſet quadrata, cuius latera ſingula eſſent longa 100. cubitorũ, deerunt 400. cubiti quadrati illius maioris lateribus, id eſt, paruula quadrata quatuor, quorum latera ſingula ſunt 100. cubitorum. *Tertium.* Iſtam quadratorum menſuram hic indicari colligit ex phraſi, quæ in poſteriore verſu adhibetur Hebraice. Cum enim priore verſu ſimpliciter dictum eſſet, *ſuburbana à pariete* ſeu *muro vrbis, & ad exteriorem partem* eſſe oportere 1000. cubitorum, circumquaque, in poſteriore non dicitur numerari oportere 2000. cubitos: ſed *bis mille in cubito.* Solet autem ea phraſis adhiberi, quando quadrati latera duo ſignificantur, quæ ſingula habeant illum poſitum numerum, quatuor latera quadruplicatum numerum. Ac idcirco *bis mille in cubito* hic ſignificant quadratum faciendum cuius latera ſingula ſint 2000. cubitorum omnia 8000. ſic alibi *ſex in cubito*, id eſt, quadratum, cuius latus quodlibet ſit 6. cubitorum, totum 24. Et de iſta phraſi relegat idem auctor

A Lectorem ad ſuum *Tubalcaim*, & librum *de fabricis* in ſacro Bibliorum apparatu, vbi tamen ſolidam probationem nullam video. Ingenioſa tamen & erudita explicatio eſt.

Octauo, & poſtremo Maſius in cap. 14. iubet ab vrbis muro verſus orientem, aliaſque plagas, duci cubitorũ mille lineas. Duæ iſtiuſmodi lineę oppoſitę, sũt bis mille cubitorũ: & ab vnius extremo ad alterius extremũ, prætérito, quod in eorũ medio eſt, vrbis ſpacio, ſunt bis mille cubiti. Ideoque ſi te ipſum in vrbis muro colloces, ſuburbana in quamcunque partem aſpexeris: erunt 1000. cubitorum: & contra ſi in ſuburbanorum extremo poſitus ad ipſa vſque vrbis B mœnia tantum aſpicias. Sed ſi in eorundem ſuburbanorum extremo vno ſtans ad extremũ alterum conuertas oculos erunt, ſemper vrbe, vt dixi, omiſſa, bis mille cubiti, à quacumque ad quamcumque oppoſitam plagam aſpectus & dimenſio fiat hoc modo.




1. Vrbs eſt. e. f. g. h.

2. A muro vrbis g. verſus orientem vſque ad a. ſunt 1000. cubiti. Similiter verſus occidentem ab h. muro vſque ad b. item ab f. vſque ad d. & ab e. vſque ad c. Sicque à muro ſunt 1000. cubitorum ſuburbana, vt ait verſus 4.

3. Ab a. vero vſque ad b. ſunt 200. cubiti, omiſſo vrbis ſpacio d. g. Sic ab c. ad d. omiſſo e. f. & contra, ſicque in omnem plagam numerat verſus 5. cubitos 2000. Videtur ſane textui conſentanea expoſitio hæc maxime, cum in priore verſu 4. tam diſerte dicatur *à muro*, in poſteriore vero à plaga ad plagam ſuburbanorum fiat dimenſio: & in iſto etiam adatur, *in plagarum iſtarum medio eſſe vrbes*: quaſi moneret clare, ipſarum interius ſpacium haud numerandũ, ſed tantummodo exteriora eius amburbalia ſpacia progrediendo ab vna parte ad op-

C poſitã alteram, id eſt, ab Oriẽte in Occidentẽ, ab Aquilone ad Auſtrum, & cõtra. Neq. tantũ congruit expoſitio iſta, ſi ſit vrbs rotunda, ſed etiam ſi quoquo modo figurata & anguloſa, trigona, tetragona, pentagona, & deinceps, dũ à quolibet muri latere verſus quatuor mundi plagas lineæ ducuntur perpẽdiculares: ſecundũ quas fieri à Mathematicis commẽſuratio ſolet vt in 1. caput *Sphæræ* noſter ex Ptolemæi libro de analẽmate docet Clauius. Tunc autẽ quã habẽt vrbis mœnia figurã, eandẽ & obtinent mœnia æqualibus perpendicularibus deſcripta.



QVÆSTIO IX.

An in datas Leuitis vrbes nullũ aut tribub. aut tribulibus qui illas dediſſent, fuit poſt dationem ius?

DVplex opinio eſt: *Quibuſdã* videtur, directum, vt loquuntur Iuriſconſulti, Leuiticarum vrbium dominium pænes aut tribus aut

D tribules, qui eas dediſſent, manſiſſe ſemper: vſum vero earum ac habitationem Leuitis tãtummodo conceſſam fuiſſe. *Alij* abſolutos fuiſſe Dominos Leuitas aiunt. Diſtinctionis vnius adhibitu poſſe videtur componi diſputatio. In vrbibus præter domos earumque habitationẽ, ſunt publica & priuata quædam commoda.

Digitized by Google

Sunt enim Magiſtratus, dignitates, honores; A ſunt interdum portoria, vectigalia, negotiationes, nonnullæ quæſtuoſæ, quas loci ſuppeditat oportunitas, ratione agrorum, vinearum, oliuetorum, fluminum, metallorum, aliorumque ſimilium. Leuitæ igitur: *Primo.* quoad domos, eorumque vſum fructumque omnimodum abſoluti fuere domini, quia cæterorum Iudæorum inſtar, vendere has poterant, & præ illis tamen eas, quando liberet, ex Dei priuilegio redimere. Leuit. 25. v. 32. *Aedes Leuitarum, quæ in vrbibus ſunt, ſemper poſſunt redimi, quia domus Leuitarum pro poſſeſſionibus ſunt inter filios Iſrael.* B *Secundo.*. Suburbanorum etiam abſoluti erant Domini Leuitæ, ſi ad homines conferantur. quia in iis ab hominum nemine pendebant: ſed ſi ad Deum conferātur, vetabantur illa vendere. Leuit. 25. v. 33. *Suburbana eorum* Leuitarū *non veneant, quia poſſeſſio ſempiterna eſt. Tertio.* Magiſtratuum adminiſtratio, publicique honores, ac dignitates eorundem erant, in iis vrbibus, Leuitarum. Id ex hiſtorici Ioſephi vita intelligitur, & ex ratione. Non enim decebat vt in ſacris hiſce vrbibus, quæ Sacerdotum, C Deique miniſtrorum erant, pœnes alios vllos eſſet Reſpublica, & membra quidem ſacra eſſent. caput vero prophanum. *Quarto.* De commodis aliis, quæ cum loci natura & oportunitate, cultus, labor, ac induſtria coniuncta efferre ac ſuppeditare poterant, ita breuiter in Num. 35. q. 2. Thoſtatus. *Cum dabatur ciuitas aliqua Leuitis, non dabantur agri nec rura illius vrbis. quia ad habitandum ſolum erant vrbes datæ, & non ſimpliciter. Dicitur autem,. quod ſi in iſtis vrbibus eſſent aliqui reditus. vt pote vectigalium, vel aliorum modorum, non pertinebant ad Leuitas, ſed ad tribum* D *quæ dediſſet talem vrbem: etiam ſi intra ciuitatem aliquæ eſſent lapidicinæ, vel aurifodinæ, vel minieriæ aliorum metallorum, vel ſimilia. Non pertinebant illa ad Leuitas, ſed ad illos qui dederant vrbem. etiam totum territorium cuiuslibet vrbis, vinearum, agrorum, & vineulorum, non pertinebat ad Leuitas ſed ad dantes vrbem. præter* 1000. *paſſus in circuitu vrbis ad quamlibet partem.* Hæc ille. Atque iſto modo Caleb de quo hic v. 11. & 12. Hebronem, quam ſuum in dominatum acceperat ſupra cap. 14. Leuitis donauit, quoad vrbem, & ei aſſita ſuburbana: donationemque iſtam ſuo, diuiſorum iudicio approbauit & confirmauit Ioſue. vnde & illā E etiam *donaſſe* dicitur. Agros vero, & villas ſeu pagos, & vicos, qui ad Hebronem ſpectabant, ex donationis huius lege ſibi retinuit idem Caleb. & quia id ipſum toto cum diuiſorum Synedrio probauit & confirmauit itidem Ioſue, dicitur hoſce agros, & villas Calebo dediſſe. v. 12. Quæri tamen poſſet, *an nullo modo immobilia bona poſſidere potuerint Leuitæ?* Non potuiſſe cenſet B. Cyrillus lib. 13. de adoratione. Potuiſſe vero probat Abulenſis Leuit. 27. q. 67. & indicaui c. 5. Ioſuanorum Sacerdotum Num. 60. vbi Ioſephi exemplum addi potuiſſet, qui Sa- F cerdos cum eſſet, ſe tamen in *Vita* ſcribit agros in Hieroſolymitano rure habuiſſe, alioſque à Tito accepiſſe poſtea in campo magno libro 5. Captiu. c. 15.

QVÆSTIO X.

An in Leuiticis vrbibus, præter Leuitas, habitabat nemo?

HAbitare in vrbe aliqua multifariam poteſt aliquis. Vel enim ciuitatis pars eſt, vel non. & ſi non, aut ſeruus eſt, aut liber. Et ſi liber, vel indigena eſt vel aduena, vel ad certum tantummodo tempus manet ac veluti diuerſatur, prout hoſpites ac peregrini ſolent, vel conſtanter ibidem moratur, ſedemque figit, vt faciunt inquilini. *Primo.* Igitur certum eſt, hoſpites ac peregrinos, qui per haſce vrbes tranſirent, diuerſorium habere hic potuiſſe. Quæ enim tam barbara id neget ciuitas? *Deinde* certum eſt, in quibuſdam Leuitarum vrbibus habitaſſe, qui homicidij eo cauſa confugiſſent, de quibus hoc, & ſuperiore actum capite. *Tertio.* certum eſt in vrbibus & opidis omnibus varios eſſe oportere opifices, qui quæ ad neceſſarios hominum vſus, varia parent & conficiant, vt piſtores, lanij, coci, ſutores, ſartores, tonſores, portarum, murorumque diurni & nocturni cuſtodes, cæmentarij, fabrilignarij, ferrarij, alij quemadmodum ab Ariſt. libro 7. Polit. Platone libro 2. de Republ. ſapienter monſtratum: & vero etiam ab Eccleſiaſtico noſtro, qui c. 36. à v. 26. cum laudaſſet agricolas, fabros, architectos, figulos, & per horum ſimilitudinem manuarios opifices alios ſubiunxit verſ. 35. *Omnes hi in manibus ſuis ſperauerunt, & vnuſquiſque in arte ſua ſapiens eſt, Sine his omnibus non ædificatur ciuitas.* Si Leuitæ igitur per ſeipſos obire munia hæc non poterant, neceſſarij erant habitatores alij. Si poterant, nihil opus erat aliis. Sed ſiue poterant, ſiue non, aliis etiam erat in eorum vrbibus locus & habitatio. Quemadmodum enim ſupra quæſt. 9. ex Leuitici 25. patuit: fas iis erat domos ſuas vendere aliis. Quoad opera vero vel opificia ſupra memorata, licebat Leuitis non pauca per ſeipſos tractare. Portarum enim & murorum excubias agere, quid vetabat, cum præliis adeſſe, manum cum hoſte conſerere, ferroque decertare fas iis eſſet, prout in Machabæorum hiſtoria, & Exod. 32. verſ. 26. & ſequentibus videmus. Et nonne in templo cocos, piſtores, ac lanios agebant? Matth. 12. verſ. 5. Marc. 2. ver. 24. In fabrili vero arte, architectura, & ſimilibus aliis quid aut ſordidum aut illiberale? Rabbi Gamaliel filius Rabbi Iudah principis, dicebat cap. 2. lib. *pirke auoth*: *Pulchra eſt diſciplina legis cum adiuncto artificio. Vtriuſque ſiquidem labor, peccati obliuionem inducit*, vt peccare ſcilicet neq; libeat, neq; in mentem veniat, *Græci Philoſophos*, inquit S. Aug. libro de opere Monachorum, capite 13. *multum ſibi honorabiles, ſutores habuerunt*, in quibus ſane fuit Menedemus, qui vt obſeruat libro 11. Antiq. Lect. capite 11. Muretus, σκηνοῤῥάφος fuit. Quid Paulus noſter? Nonne doctiſſimus, legiſque Moſaicæ ſcientiſſimus erat? & tamen σκηνοῤῥάφος fuit, vt oſtēdit S. Lucas Actuum 18. verſu 3. Diuus Chryſoſtomus in 1. Cor. homil. 20. & 24. hom. 5. ad

Digitized by Google

populum, hom. de S. Paulo, ſeu σκυτοτόμος, vt ab eodem appellatur. 2. Tim. 2. hom. 5. Cum diuinæ igitur legis ſtudiis, ſacriſque templi fũctionibus, ſellularias manuariaſque artes nonnullas coniungere potuerunt Leuitæ. *Duo* tamẽ hac in re mihi videntur. *Vnum*: ſi manuum opera hæc tractaſſent Leuitæ, tractaſſe neque aſſidue, neque lucroſe, aut mercenarie. Aſſiduitas enim liberaliores ac ſacratiores animi cogitationes, neceſſariamque ſacrorum procurationem impediiſſet: plurimum lucri vero mercediſque cupido eorum auctoritatem. *Alterum*, eoſdem eadem hæc non attigiſſe opificia. 1. Quia nullum, qui ſecus aſſeueret, audire aut legere hactenus potui. 2. Nulla eiuſmodi opera extra templum, ab iis factum legimus. 3. Ædificaſſent ipſi Salomonis templum, ſi non totum, maxima ſaltem ex parte. 4. In Babylonico reditu, cum maior eſſet operariorum neceſſitas, populique tenuitas, cum templi reſtauratio & ædificatio à Prophetis. Haggæo, & Zacharia vrgeretur maxime, ſi architecti & cæmentarij, lapicidæ ac ſtructores erant Leuitæ, cur manum operi non admouebant? cur templum nouum non exſtruebant? cur ſumptu ac labore maximo ærumnoſum è Babylonio reducem carcere populum non leuabant? 5. Nihil fuiſſet opus, vt tanta de iis à Deo cura ſuſciperetur: toties ac tam ſerio de iis ille populo præciperet, vt fideliter, & cumulate iis primitiæ, decimæ, oblationeſque optimæ, ampliſſimæ, frequentiſſimæ darentur, eorum nũquam eſſet obliuio: in trieticarum etiam decimarum participationem vocarentur: modis pœne omnibus liberaliter ac prolixe à populo, ſiquidem erga Deum gratus ac religioſus eſſe vellet, haberentur. Manu ſiquidẽ & arte vitam ipſi ſuam tolerare, penuriam ac egeſtatem profligare potuiſſent. 6. Demum licet hæ artes reuera non ſint homine, libero etiam, polito, docto & ſacro per ſeipſas indignæ, hominum tamen iudicio, illiberaliores, viliores, contemptioreſq. habentur: ſolentq. βάναυσοι χειροτέχναι contemni, vt apud Dionyſium Halicarnaſſæũ de Romanis lib. 2. apud Ælianum lib. 1. variæ hiſtoriæ num. 1. de Alcibiade, apud Heraclydem de Theſpienſibus: apud Horapollinem lib. 1. cap. 38. alioſque de aliis. Ideoque ſi in his Dei illi miniſtri occupati, verſatique fuiſſent, plurimorum de ipſorum auctoritate de diuini cultus excellentia, de Dei ipſius maieſtate apud rude ac imperitum vulgus, apud alios etiam, qui ſupra hoc haud multum ſapiunt, quorum magna eſt vbique natio, detractum fuiſſet. Mechanicarum iſtiuſmodi artium vilitatem iſtam

A deſcribere videtur Eccleſiaſticus, poſt citata paulo ante verba, cum de neceſſariis alioquin artificibus ſubiungit: *Et non inhabitabunt nec mãbulabunt & in Eccleſiam non tranſilient: ſuper ſellam Iudicis non ſedebunt: & teſtamentum iudicij non intelligent: neque palam facient diſciplinam & iudicium: & in parabolis non inuenientur.* 7. Scimus demum, quid egerint idolorum Sacerdotes, & quo apud ſuos loco fuerint. Nam verbi gratia ij apud Ægyptios, φιλοσοφίαν, inquit libro 17.
B Strabo, τέχνην καὶ ἀστρονομίαν, ὁμιληταὶ τῶν βασιλέων: & non artificis manuumq; operibus, ſed regiis publiciſque impendiis alebantur Geneſ. 47. verſu 22. Scimus præterea quam in Iudæos fuerint iidem Gentiles dicaces, acerbi, maledici, vt è Romanis Tacitus, Martialis, Iuuenalis, è Græcis & Ægyptiis Strabo lib. 16. Manetho, Chæremon, Lyſimachus, & omnium importuniſſime Appion, contra quem libris duobus, in quorum priore iſta, pugnat Ioſephus. Si fuiſſent Iudæorum myſtæ ac ſacerdotes è calceolariorum, ſarcinatorum, lapicidarum, opi-
C lionum, & bubulcorum vulgo, quam Iudæorũ ſacra irriſiſſent? quam petulanter Iudæorum Numen contempſiſſent, gentemque totam ſubſannaſſent? Nihil tamen eiuſmodi vnquam obiecerunt, quin de ipſorum Sacerdotibus & Leuitis ample potius ac magnifice ſemper locuti ſunt. Et vero ſi qui forte Leuitarum, ob corporis aliquod vitium, à ſacrorum miniſterio, vita tota, excluderentur, eos non præcepit Dominus, vulgaribus iſtiuſmodi operibus addici, vel victum per ea quærere: ſed è ſacris etiam reditibus ſuſtentari eos voluit. Leuitici 21. verſ. 17. & ſequentib. Alios
D igitur fuiſſe, quorum ad iſtiuſmodi operum neceſſitatem, ſuis in vrbibus, vterentur Sacerdotes ac Leuitæ opera, ſentiendum: ſiue ij ſerui eſſent, ſiue Iſraelitæ alij. Et horum, in donationis, habitationiſque huius principio, maximum eſſe oportuit numerum vel eam ob cauſam, ſolam, quod Sacerdotum ſumma tum erat paucitas. Noſter porro Gretſerus lib. 2. Conſiderationum, conſil. 11. *Tacco*, inquit, *habuiſſe ſuas ciuitates proprias. & in iis Magiſtratus, ad quos* FORTASSE *ex tota Iſraele: iuris obtinendi gratia, vel vltro ibant, vel citabantur.* Sed prudenter appoſitum,
E FORTASSE. Nam probari hoc non poteſt: & ab Ioſepho libro 4. cap. vltimo improbari videtur potius, dum vt ſupra dictum quæſt. 5. Iudicib. ac Magiſtratib. adiungit Leuitas, ſed in vrbibus omnibus: & grauiora nonnulla Hieroſolymam ad Pontificis, Prophetæ ac Senatus cognitionem ac ttibunal amandat.

Digitized by Google

CAPVT XXII.

1. EOdem tempore vocauit Ioſue Rubenitas, & Gaditas, & dimidiam tribum
Manaſſe, 2. dixitq. ad eos: Feciſtis omnia quæ præcepit vobis Moyſes fa-
mulus Domini: mihi quoque in omnibus obediſtis, 3. nec reliquiſtis fra-
tres veſtros longo tempore, vſque in præſentem, diem, cuſtodientes impe-
rium Domini Dei veſtri. 4. Quia igitur dedit Dominus Deus veſter fratri-
bus veſtris quietem & pacem, ſicut pollicitus eſt: reuertimini, & ite in tabernacula veſtra
& in terram poſſeſſionis, quam tradidit vobis Moyſes famulus Domini trans Iorda-
nem: 5. ita duntaxat, vt cuſtodiatis attente, & opere compleatis mandatum & legem
quam præcepit vobis Moyſes famulus Domini, vt diligatis Dominum Deum veſtrum,
& ambuletis in omnibus viis eius, & obſeruetis mandata illius, adhæreatiſque ei, ac ſer-
uiatis in omni corde, & in omni anima veſtra. 6. Benedixitque eis Ioſue, & dimiſit
eos. Qui reuerſi ſunt in tabernacula ſua. 7. Dimidiæ autem tribui Manaſſe poſſeſſio-
nem Moyſes dederat in Baſan: & idcirco mediæ, quæ ſuperfuit, dedit Ioſue ſortem in-
ter cæteros fratres ſuos trans Iordanem ad Occidentalem plagam. Cumque dimitteret
eos in tabernacula ſua, & benedixiſſet eis, 8. dixit ad eos: In multa ſubſtantia atque di-
uitiis reuertimini ad ſedes veſtras, cum argento & auro, ære ac ferro, & veſte multipli-
ci: diuidite prædam hoſtium cum fratribus veſtris. 9. Reuerſique ſunt, & abierunt
filij Ruben, & filij Gad, & dimidia tribus Manaſſe à filiis Iſrael de Silo, quæ ſita eſt in
Chanaan, vt intrarent Galaad Terram poſſeſſionis ſuæ, quam obtinuerant iuxta impe-
rium Domini in manu Moyſi. 10. Cumque veniſſent ad tumulos Iordanis in Terram
Chanaan, ædificauerunt iuxta Iordanem altare infinitæ magnitudinis. 11. Quod cum
audiſſent filij Iſrael, & ad eos certi nuncij detuliſſent ædificaſſe filios Ruben, & Gad, &
dimidiæ tribus Manaſſe altare in Terra Chanaan, ſuper Iordanis tumulos, contra filios
Iſrael: 12. conuenerunt omnes in Silo, vt aſcenderent, & dimicarent contra eos. 13.
Et interim miſerunt ad illos in terram Galaad Phinees filium Eleazari ſacerdotis, 14. &
decem Principes cum eo, ſingulos de ſingulis tribubus. 15. Qui venerunt ad filios Ru-
ben, & Gad. & dimidiæ tribus Manaſſe in Terram Galaad. dixeruntque ad eos. 16.
Hæc mandat omnis populus Domini: Quæ eſt iſta träſgreſſio? Cur reliquiſtis Dominũ
Deũ Iſrael, ædificãtes altare ſacrilegũ, & à cultu illius recedẽtes? 17. An parũ vobis eſt
quod peccaſtis in Beelphegor, & vſq. in præſentẽ diẽ macula huius ſceleris in nobis per-
manet? multiq. de populo corruerũt. 18. Et vos hodie reliquiſtis Dominũ, & cras in vni-
uerſũ Iſrael ira eius deſæuiet. 19. Quod ſi putatis immundã eſſe terrã poſſeſſionis veſtræ
tranſite ad Terram, in qua tabernaculum Domini eſt, & habitate inter nos: tantum vt
à Domino, & à noſtro conſortio non recedatis, ædificato altari præter altare Domini
Dei noſtri. 20. Nonne Achan filius Zare præteriit mandatum Domini & ſuper om-
nem populum Iſrael ira eius incubuit? Et ille erat vnus homo, atq. vtinam ſolus periiſ-
ſet in ſcelere ſuo. 21. Reſponderuntque filij Ruben & Gad, & dimidia tribus Manaſ-
ſe principibus legationis Iſrael: 22. Fortiſſimus Deus Dominus, Fortiſſimus Deus
Dominus, ipſe nouit, & Iſrael ſimul intelliget: ſi præuaricationis animo, hoc altare
conſtruximus, non cuſtodiat nos, ſed puniat nos in præſenti: 23. & ſi ea mente feci-
mus vt holocauſta, & ſacrificium, & pacificas victimas ſuper eo imponeremus ipſe quæ-
rat & iudicet: 24. & non ea magis cogitatione atque tractatu, vt diceremus: Cras di-
cent filij veſtri filiis noſtris: Quid vobis & Domino Deo Iſrael? 25. terminum poſuit.
Dominus inter nos & vos, O filij Ruben, & filij Gad, Iordanem fluuium: & idcirco
partem non habetis in Domino. Et per hanc occaſionem auertent filij veſtri
filios noſtros à timore Domini. putauimus itaque melius, 26. & diximus: Ex-
ſtruamus nobis altare, non in holocauſta, neque ad victimas offerendas, 27. ſed in te-
ſtimonium inter nos & vos, & ſobolem noſtram veſtramque progeniem, vt ſeruiamus
Domino, & iuris noſtri ſit offerre & holocauſta: & victimas, & pacificas hoſtias: & ne-
quaquam dicant cras filij veſtri filijs noſtris: Non eſt vobis pars in Domino. 28. Quod
ſi voluerint dicere, reſpondebunt eis: Ecce altare Domini, quod fecerunt patres no-
ſtri, non in holocauſta, neque in ſacrificium, ſed in teſtimonium noſtrum ac veſtrum.
29. Abſit à nobis hoc ſcelus vt recedamus à Domino, & eius veſtigia relinquamus ex-

Digitized by Google

ſtructo altari ad holocauſta, & ſacrificia, & victimas offerendas, præter altare Domini
Dei noſtri, quod exſtructum eſt ante tabernaculum eius. 30. Quibus auditis, Phinees
ſacerdos, & principes legationis Iſrael, qui erant cum eo, placati ſunt: & verba filiorum
Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manaſſe, libentiſſime ſuſceperunt. 31. Dixitque Phi-
nees filius Eleazari ſacerdos ad eos: Nunc ſcimus, quod nobiſcum ſit Dominus, quo-
niam alieni eſtis à præuaricatione hac, & liberaſtis filios Iſrael de manu Domini. 32.
Reuerſuſque eſt cum principibus à filiis Ruben & Gad de Terra Galaad, finium Cha-
naam ad filios Iſrael, & retulit eis. 33. Placuitque ſermo cunctis audientibus. Et lauda-
uerunt Deum filij Iſrael, & nequaquam vltra dixerunt, vt aſcenderent contra eos, atque
pugnarent, & delerent Terram poſſeſſionis eorum. 34. Vocaueruntque filij Ruben,
& filij Gad altare, quod extruxerant. Teſtimonium noſtrum, quod Dominus ipſe ſit
Deus.

COMMENTARIVS.

EX ijs, quæ poſt Chananæa bella geſſit Ioſue, alterum eſt, trans Iordaninarum tribuum dimiſſio, quæ in iſto capite ita perſcribitur, vt quatuor complectatur maxime. 1. Eſt extrema ipſius Ioſuæ ad abituras illas oratio. 2. Altare ab iiſdem iam abeuntib. ad Iordanis ripam exſtructum, 3. Nata ex eo ſuſpicio, & comitiorum celebratio. 4. Legatio ad illas, eiuſque felix exitus.

QVÆSTIO I.

Quid, & quomodo Tranſiordaninis tribubus diſceſſuris locutus Ioſue?

PRimo. eas inſigniter laudauit verſ. 2. & quidem quadrupliciter. 1. Quod Moyſi obedientes fuiſſent. 2. Quod ſibi, & quidem in omnibus. Sunt nonnulli, qui ſuperiorum vni obediunt, aliis non: primos colunt, ſucceſſores contemnunt: ſummos obſeruant: inferiores pendunt nihili. At Tranſiordaninis tribubus ait Ioſue, *Feciſtis omnia, quæ præcepit vobis Moyſes famulus Domini: mihi quoque in omnibus obediſtis.* Magna iſta laus, quia in omni bene morata Republica, hominumque cœtu, magna virtus obedientia, quæ, vt ab Æſchylo ſapienter dictum, εὐπραξίας μήτηρ, γυνὴ σωτῆρος, id eſt, *felicitatis mater eſt*, vxor vero *ſeruatoris*. Ac idcirco in illa quondam nobiliſſima Spartana vrbe, omnis puerorum & adoleſcentum inſtitutio referebatur, Plutarcho in Lycurgi vita teſte, ad obediendum, tolerandum, & vincendum. & Pædonomo ita parebant illi ὥστε τὴν παιδείαν εἶναι μελέτην εὐπειθείας, id eſt, *vt omnis liberorum diſciplina eſſet*, inquit Plutarchus, *obedientiæ exercitatio* 3. Quod fratribus ſuis in eorum terra, & hæreditate acquirenda fidelem nauaſſent operam: neque eos vllo in periculo aut diſcrimine reliquiſſent hactenus. idque tanto præclarius eſt, quãto fuit operæ, auxiliique huius tempus maius. Ideo enim ait textus verſ. 3. *longo tempore*, ſeu vt in Hebræo eſt, *hiſce diebus multis*. Erant autem vt ex ſupra dictis patet, anni XIV. Auocare ab fratrum auxilio multa poterant has tribus: periculorum ſcilicet diſcrimina, deſiderium ſuæ ipſius hæreditatis, cura rei familiaris, inprimis ipſa temporis diuturnitas. Durarunt tamen, & perdurarunt illæ in alieno ſolo ad aliorum commodum, à ſuis ipſorum rebus alieni annos tot. Diſcamus quemadmodum proximis opitulari, & quam conſtanter oporteat. *Quarto.* Quod Dei mandata cuſtodierunt. Nimirum,

A qui charitatem ſeruat, legem implet: qui ſuum
erga ſuperiores & æquales facit officiũ, is Deo
quoq. ſatisfacit. *Deinde* in ſuam hæreditatẽ abeũ-
di fecit iis Ioſue poteſtatem v. 4. quia ipſorum
iam opera Iſraelitis non neceſſaria, quod his
dediſſet Deus, quietem, & pacem, prout iis
olim promiſerat. Erat quidem iſta quies nondũ
perfecta, omnibuſque numeris abſoluta, cum
Chananæorum ſupereſſent quamplurimi: erat
tamen ita inchoata, vt ſi voluiſſent, Iſraelitæ,
deincepſque paulum admitterentur, nullo ne-
gocio funditus illos delere poſſent. *Tertio.* Præ-
clara iis vitæ deinceps agendæ præcepta de-
dit Ioſue verſ. 5. Non enim ſatis eſt bene ad
B certum aliquod tempus ad plures etiam annos
agere: ſed in omni ſemper vita ad mortem vſq.
in eodem recto perſiſtendum tramite. Neque
ſatis eſt, vno in loco, & in Præpoſitorum con-
ſpectu, officium colere, laudateque viuere: ſed
vbique, vltra etiam Iordanem, & ab eorum,
qui nobis præſunt, oculis procul, idem ſemper
tenendus curſus. *Quarto.* iiſdem benedixit ver.
6. & 8. bona ſcilicet à Deo Opt. Max. plurima
ipſis precatus. Et hoc quidem per ſeipſum fe-
cit tanquam Imperator, & Propheta: ſed ſine
dubio fecit hoc etiam per Eleazarum Pontifi-
cem. Multa enim tum Euchariſtica & pacifica
vtique oblata Deo ſacrificia: & ab illo pax &
C fauſtitas his à Deo rogata. Sunt tamen qui ver-
ſu 8. *benedicere* putant eſſe numerari, beneficiis
proſequi. *Quinto.* reducit iiſdem tribubus in
memoriam ſumma in ipſos Dei beneficia, qui
dum debitum præſtitiſſent fratribus officium
ſpoliis ditati opimis eſſent. Nihil quidem iis
debebatur, ſuam iam ſortem, eamque bonam
& luculentam vltra Iordanem adepti erant: fe-
cerant id tantummodo quod facere ipſos opor-
tebat: & quod in conditione datæ ipſis regio-
nis poſitum fuerat Num. 32. nihilominus tamẽ
ea Dei erga homines bonitas eſt, vt officia quæ
D neceſſario etiam facere debent, nunquam caſ-
ſa, & abſque aliquo præmio, interdum etiam
temporali, eſſe ſinat. Hinc trans Iordaninarum
tribuum tribules, auro, argento, ære, ferro, ve-
ſteque plurima onuſti, ſuas nunc domos repe-

Digitized by Google

tunt verſu 8. Et hoc nobis, vt in bellis contra Turcas, & in Eccleſiæ ruinam, omniumq; Catholicorum exitium coniuratos, ac infeſtiſſima iam ſigna tollentes hæreticos feramus aliis alij Chriſtiani ſuppetias, facere animos merito deberet: neque in iis tantum, quæ manu & ferro, ſed in iis etiam, quæ mente ac doctrina, precibus & calamis geruntur. *Sextò.* prædam cum ſuis aliis tribulibus iſtos diuidere admonuit verſ. 8. qui domi remanſiſſent, vrbes & agros coluiſſent, de quibus c.1. part.2. in præparatione certæ partis Populi q.2.

Sed quæſtio hic eſt, *An præda diuiſio iſta fuerit à Ioſue, tanquam præceptum*, an vero tanquam conſilium, *impoſita?* Duplex opinio eſt. Vni placet poſterius: aliis prius, vt Maſio hic, & Abulenſi. Et ſane *primò*, ſi textum ſpectemus, præceptum videtur, quia dicitur *Chilku*, id-eſt, *diuidite*. Quod nimium leniter Iunius & Tremellius transferunt, *participes eſtote prædæ hoſtium veſtrorum cum fratribus veſtris.* Id vero videntur facere, vt Magiſtri ſui Caluini, qui conſilium hic ſolummodo vult, ſententiam faciant probabiliorem. *Secundo.* Numer. 31. verſ. 27. Datum fuit etiam præceptum prædæ inter bellatores & Iſraëlitas alias diuidendæ. Et ſane iſti, qui domi manſerant, nonnullum etiam belli periculum adibāt, cum in terræ præſidio relicti eſſent, vt dicitur quæſt. 2. citata. Sed obiicitur è 1. Reg. 30. legem de præda iſto modo diuidenda cœpiſſe Dauidis tempore. Reſpondet hic Abulenſis quæſt. 6. & Numer. 31. ante quæſt. 9. & Maſius hoc loco, cœpiſſe non ſimpliciter, ſed quoad hoc, vt æqualis eſſet portio, iis qui prælio interfuiſſent, & qui ad ſarcinas remanſiſſent: cum & Moyſis & Ioſuæ hoc ipſo tempore aliqua tantum, licet non æqualis data pars fuiſſet. Atque ita laudibus, ſpoliis, benedictionibus, præceptis, ac monitis affectas tribus illas dimiſit Ioſue. Vnde optandum nobis & vero conandum, vt vbicumque diuerſabimur atq; morabimur eiuſcemodi à Præpoſitis noſtris teſtimonium, beneuolentiam, ac benedictionem conſequamur. Sed & illuſtre hic præpoſitis ipſis in Ioſue propoſitum exemplum, vt ſingulari eos beneuolentia & laude proſequantur, qui bene ſe geſſerint precibus eos & benedictionibus cumulent: præceptis & hortationibus confirment. Sunt adeo quidam moroſi, difficiles, vel inepte ſcrupuloſi, vt laudare vllum, maxime ſi inferior & præſens ſit, vereantur. ne inquiunt, ſuperbia, vanaque gloria efferatur ille. Prorſus quemadmodum ſi cibum & potionem eidem nollent præponere, ne ſeſe infarciat & ingurgitet à quo plus. Vera laus, vti quæſt. 1. hic oſtendit Thoſtatus bona & vtilis eſt.

Sunt vero & præcepta, quæ dedit Ioſue, obſeruanda. 1. Vt diligentiſſime attendant ac ſeipſos cuſtodiant. 2. Exequantur, opereque compleant mandatum & legem, quam dediſſet Moyſes. 3. Diligant Dominum Deum. 4. Ambulent in viis eius, & quidem omnibus. 5. Obſeruent præcepta eius. 6. Et adhæreant. 7. Ei ſeruiant: & quidem *in omni corde, & in omni anima ſua.*

Demum vero modus haſce tribus dimittendi ipſo ſtatim capitis principio indicatur, dum dicitur eas vocaſſe Ioſue. Non igitur ſigna deſeruerunt, non è ſtatione ſua vltro diſceſſerunt, nō exauctorationem ac miſſionem importune flagitarunt: ſed moderato æquoque animo, etiamſi ditionis totius facta eſſet diuiſio, omnes aut certe multi ſuas in poſſeſſiones iam introiiſſent, exſpectarunt, dum à Ioſue vocarentur ab eoq; perhoneſte dimitterentur. Exemplum quod in militia, in auxilij latione, in omni vita obſeruandum, ne Imperatorum iniuſſu nos quoquam proripiamus. Sed tam diſceſſus huius modum, quam Ioſuæ ad ipſos diſcedentes orationem conſultiſſimum videtur ex ipſo audire Ioſepho lib.5. c.1. *Quandoquidem Deus & pater Dominus Hebræorum generis & hanc poſſidere terram dedit, & poſſeſſam omnino ſe nobis conſeruaturum promiſit, veſtrum autem auxilium ex illius præcepto rogantibus, vos ipſos ad omnia promptos & alacres præbuiſtis, æquum eſt vos, cum difficile porro nihil iam ſuperſit, quietem nunc adipiſci. Ea tamen nos de animorum veſtrorum alacritate ſumus fiducia, (pro ἀιδεῖ legendum vt ex Ruffina apparet πειθοῖ) futurum, vt ſi ea rurſum deinceps nobis neceſſaria ſit, impigra & ad ea quæ ingruent omnia nihil cunctabunda, neque his, quibus iam perfuncta eſt laboribus ac moleſtiis tardior præſto ſit. Gratia igitur vobis ſint ob eorum, quæ nobiſcum pertuliſtis, pericula. Neque nunc tantum, ſed & ſemper eum bonum retinentes animum mementote amicorum. & cum animo veſtro reputate, quæ ab ipſis adſunt vobis bona, & quod iis ipſis, quæ vobis ſuppetunt, propter nos frui diſtuliſtis: & tum iis demum horum fieri participes dignum iudicaueritis, cum ad ea, in quibus,* Dei *beneuolentia, conſtituti iam ſumus, adlaboraſſetis. (pro* πειθοῦντες *legendum* πονοῦντες*) Ad ea vero, quæ iam erant, ingens acceſſit, è laboribus, quos nobiſcum toleraſtis, bonorum cumulus: ſicque domum & prædam multam, & aurum, & argentum refertis. & quod his amplius eſt, omnem à nobis beneuolentiam, & ad omnia, quæ optabuntur, & viciſſim requirentur, paratum animum. Neque enim ab iis, quæ prænunciarat Moyſes, diſceſſiſtis velut contemnentes eum, poſtquam ex hominibus abiiſſet: neque eſt quidquam, propter quod vobis non agamus gratias. Lætos igitur vos in ſortes ac hæreditates dimittimus & hortamur, vt eius, quæ inter nos eſt, neceſſitudinis terminum exiſtimetis nullum. neque quod hic interſit fluuius alios nos putate ac non Hebræos. Omnes enim Abrahamidæ ſumus, & qui hic, & qui illic habitamus. Deus vnus eſt, qui & noſtros & veſtros maiores in vitam adduxit: cuius cultus, viuendique diſciplinæ, quam per Moyſen conſtituit, curam gerere oportet, omnem adhibentes cautionem, vt dum in his perſiſtimus, beneuolum ſe nobis & auxiliatorem præbeat: neque dum ad gentium aliarum imitationem deflectimus, à noſtro ſeſe auertat genere. Hæc dixit Ioſue: & ſtatim eos quidem, qui in dignitate aliqua erant, ſigillatim: totam vero ipſorum multitudinem communiter ſalutauit, ac ſuo in loco remanſit: ipſos vero deduxit populus, non abſque lachrymis: & vix alij ab aliis disiuncti ſunt.*

QVÆSTIO II.

Quomodo diſceſſerunt, & diſcedentes Tranſiordanina tribus altare in via excitarunt?

Miſſione ab Imperatore ſuo Ioſue dimiſſi honeſtiſſima Tranſiordanini, vnde, &

Digitized by Google

quo ierint, explicat verſ. 9. textus ſic: *Reuerſique ſunt, & abierunt filij Ruben, & filij Gad, & dimidia tribus Manaſſe à filijs Iſraël de Silo, quæ ſita eſt in Chanaan, vt intrarent Galaad, terram poſſeſſionis ſuæ, quam obtinuerant iuxta imperium Domini, per manum Moyſi*, id-eſt, per Moyſem. Millies namque in Scripturis fieri aliquid in alicuius manu, eſt, *per eum fieri*. Imperium Domini fuit, Moyſis vero miniſterium, ille, inquit Ioſephus lib. 4. capit. 8. ςρατηγὸς eſt, iſte ὑποςρατηγὸς: ille *Dominus*, iſte *famulus*, prout iſto capite toties dicitur verſ. 2. 4. & 5. de quo c. 1. quæſt. 2. *Galaad* vero dupliciter in Scriptura ſumitur. *Primò. Particulatim* idque tripliciter. 1. Pro monte, de quo Gen. 31. verſ. 48. Ieremiæ 8. & 22. 2. Pro vrbe ad montis illius pœne radicem, de qua Num. 32. verſ. 39. 3. Pro regiuncula, quæ à monte illo ad Iordanem vſque porrigitur, & *Galaaditis* appellatur, de qua Ioſephus lib. 1. Antiq. c. 27. Sumitur *ſecundò generatim*, pro tota hac ipſa regiuncula, ſimulque pro tota Moabitarum, & Amorrhæorum terra, quam Sehon & Og Reges olim tenuerant, & ita hic tres iſtæ tribus, *Galaad terram poſſeſſionis ſuæ* intraſſe dicuntur. & v. 14.

Dum vero illuc pergerent, exſtruxerunt in ipſa via altare, de quo traduntur verſ. 10. duo. 1. Vbi, *ad tumulos Iordanis*, id-eſt, in aggeribus ſiue tumulis, qui defluentes Iordanis aquas obiecti coërcebant, de quibus ſupra ca. 18. In 70. hic, & paulo ante verſ. 11. eſt γαλαάδ Hebraica ſcilicet vox, ſed corrupta pro γαλιλαὰθ, vel γαλιλωὰθ, vt in Regiis Bibliis eſt, pro qua voce dixit Symmachus τὰ ὅρια, id-eſt, *limites*, ac terminos, vt ſupra in Hebr. cap. 13. verſ. 2. Ioſephus ἐπὶ τῆς ὄχθης, *in ripa Iordanis*. Putant vero quidam, & innuit *Sederholam*. cap. 11. ipſeque lib. 5. c. 1. Ioſephus, tumulos iſtos, adeoque in ædificatam iis aram in altera Iordanis ripa fuiſſe ad Orientem, ſed ſecus eſt. Ideo enim additur v. 10. *in terra Chanaan*, & v. 14. Hebraice, *in tranſitu*, ſeu in latere filiorum Iſraëlis, prout agnoſcunt Arias, Maſius, Adrichomius, Abulenſis q. 7. & 12. alij. 2. Cuiuſmodi fuit altare hoc? *Infinita*, ait textus noſter, *magnitudinis*. Magna enim magnitudo, & valde alta ſignificatur per Hebræam phraſim, quæ ait, *altare fuiſſe magnum ad conſpectum*, ſicuti & Græca inquit βωμὸν μέγαν τῷ ἰδεῖν. Magnum erat in Domini tabernaculo holocauſtorum altare. Exod. 27. vbi de maioribus cubitis eius accipitur magnitudo, vt in *Tubalcain* & lib *de ſacris fabricis* explicat Arias, quia tamen tale ipſi nunquam tribuitur epitheton, apparet hoc fuiſſe illo maius: & quia in tumulis excitatum erat, multo fuiſſe magis conſpicuum. Et hi ſunt lapides, de quib. Gregorius Nazianzenus in Apologetico, dum ait, *Nobis nullus eſt poſitus terminus docendi ac diſcendi, quemadmodum lapides illi, olim his, quæ vltra Iordanem, & his, quæ intra Iordanem erant, tribubus*, vbi cum eos, de quibus ſupra c. 4. lapides intellexiſſet Scholiaſtes Gabrielius Eugubinus, neque tamen ſatis quadrare videret, adiecit, *Soluat, qui poteſt*.

QVÆSTIO III.

Egerintne Tranſiordanini rectè aram illam erigendo?

Dvm aram erexiſſent Tranſiordanini Iſraëlitæ, illam rumor illico Iſraëlitis Ciſiordaninis indicat verſ. 11. & his ſtatim nata opinio, rem eſſe malam, ac impiam: ideoque & oborta ſuſpicio, moliri à vero Dei cultu apoſtaſiam Tranſiordaninos verſ. 12. 16. 17. 18. 19. Ratio erat, quia Dei præceptum fuit, vt in Iſraëlitico populo, totaque ipſius regione, tam vltra, quam cis Iordanem, vnus tantummodo ſacrorum locus eſſet, vnum ſacrificiorum altare Exod. 20. & 24. Leuit. 17. v. 8. & 9. Deut. 12. v. 5. 11. 13. Ioſephus lib. 4. Archæol. c. 8. ἱερὰ πόλις ἔςω μία τῆς χαναναίων γῆς ἐν τῷ καλλίςῳ καὶ δι᾽ ἀρετὴν ἐπιφανεῖ. καὶ ναὸς εἷς ἐν ταύτῃ ἔςω, καὶ βωμὸς εἷς ἐκ λίθων μὴ χαλεξγασμένων. Et lib. 2. contra Apionem, πρέπει δὲ τῆς εὐσεβείας ἔτος ἑσιότητος, εἷς ναὸς ἑνὸς θεοῦ. φίλον γὰρ ἀεὶ παντὶ τὸ ὅμοιον. Et pereleganter Philo ſub libri 2. de Monarchia principium: Ἐδ᾽ εἰδὼς ὁρμὰς ἀνθρώπων μὴ ἀνακόψαι, φορὰς τὰς εἰς εὐσέβειαν συντελούντων, καὶ θυσίαις βουλομένων ἢ ἐπὶ τοῖς συμβαίνουσιν ἀγαθοῖς εὐχαριστεῖν, ἢ ἐφ᾽ οἷς ἂν ἁμάρτωσι, συγγνώμην καὶ παραίτησιν αἰτεῖσθαι. Προνοεῖ δ᾽ ὡς οὔτε πολλαχόθι οὔτ᾽ ἐν ταὐτῷ πολλὰ κατασκευασθήσεται ἱερά, δικαιώσας, ἐπειδὴ εἷς ἐςὶ θεὸς, καὶ ἱερὸν εἶναι μόνον. Cum ergo alterum Tranſiordanini iſti altare, & alio in loco, quam vbi verum Dei altare ac tabernaculum fuit, erexiſſent, videbantur apoſtaſiæ ac impietatis rei v. 11. 16. 19. quaſi factum hoc ab illis eſſet, ἐπὶ νεωτερισμῷ, καὶ ξενισμῷ τῶν θεῶν, inquit Ioſephus.

Comitia igitur Silunte habita v. 12. in quibus tota iſta de re tam noua, tamque inuſitata & ſuſpecta diſceptaretur. Sed ad illa videntur Ciſiordanini veniſſe ſuapte ſponte ac inuocati, quod extemplo, vbi de altari nouo audierant, vindicandum facinus, apoſtataſque funditus delendos, & auerruncandos iudicarent: neque expectandum quoad vocarentur: ſed vltro Siluntem ad Dei domum, ad Pontificem Maximum, ad Imperatorem Ioſue approperandum, & curandum, vt ex illorum, populique totius iudicio commune tolleretur malum. Qua in re laudandus illorum zelus, neq; magnopere improbanda ſuſpicio. Licet enim, vt poſtea patebit, falſa fuerit, ſuſpicandi tamen cauſa fuit: & ſuſpicioni non ita indulſerunt, quin ad Præpoſitos, communeque conſilium illam referrent. Et vero in rebus, quæ Rempublicam totam, diuinamque religionem attingunt, lentos ac ſpiſſigrados eſſe nos vituperabile potius eſt, quam accelerare, approperare, atque currere. Feſtinatio enim & curſus, qui conſilium & deliberationem non excludit, maxime ſolet occupare & auertere pericula, neque præceps ac temerarius dici poreſt. huc enim pertinet totū è Deut. cap. 13. & quod *contra Filidinum* in præfatione; & lib. 1. c. 2. dixi. *Arida*, inquit Seneca li. 2. Epiſt. 18. *& corripi facilia, ſcintillam quoque fouent, vſque in incendium. Multo*, ait Petrus Venerabilis l. 1. Epiſt. 2. *citius rebus peſſimis quam optimis incrementa ſuccedunt. Longe facilius & feracius zizania diaboli, quam triticum Dei in eius agro ſe dilatat.*

Digitized by Google

In Comitiis vero decreta, è Pontificis & Ioſuæ potiſſimum, vti notat lib. 5. c. 1. Ioſephus, auctoritate ac iudicio tria. *Primum.* Vt inquireretur, non, an aram ſtatuiſſent (id enim conſtabat) ſed quem ad finem eam ædificaſſent? an ad idololatriam, Deique iniuriam, an aliam ob cauſam? *Secundum.* Si ad idololatriam, Deique iniuriam, opera daretur vt à nefaria iſta defectione ac ſcelere quam ocyſſime reuocarentur per monitionem, reprehenſionem, obiurgationem. *Tertium.* Si hiſce nihil impia illorum inflecteretur mens, ſed in ſuſcepta illi contumaciter manerent impietate, bellum contra eos atrox & internecinum ſuſciperetur: idque ipſis mox indiceretur, indictumque inferretur. Vt autem tria hæc fierent commodiſſime ac optime, decretum etiam, vt legatio ad illos, quæ omnia iſta vel ageret vel nunciaret, mitteretur. Delecti ergo ad eam è toto cis Iordanem Iſraële, primo quidem à ſacro Leuitarum ac Sacerdotum ordine ſacerdos *Phinees* verſ. 13. Pontificis Eleazari filius, Araonis Nepos, vir ſapientia, ſanctitate, zelo ac eloquentia ſpectatiſſimus. Deique etiam teſtimonio ac inſigni ſempiterni Sacerdotij munere commendatiſſimus, iam ab eo tempore, quo fornicantem cum Madianitide *Cozbi* Iſraëlitam *Zambri* perfoderat Numer. 25. Deinde cum ille è decem Ciſiordaninis tribubus, qui prudentia & auctoritate ſumma pollerent, principes decem χιλίαρχοι in 70. vt hic in Hebræo infra v. 30. quorum ignota nomina v. 14. & 30. Hi ergo trans Iordanem profecti, legationis impoſitæ munus obierunt nauiter: ſed in primis, qui eius princeps & caput erat, ſacerdos Phinees. Is omnium os fuit: per hunc locuti alij omnes verſu 15. & 16.

Huius & in Ioſepho, & in iſto noſtro capite ad Transiordaninos congregatos, & in quodam veluti Senatu & Comitio, quod ἐκκλησίαν vocat Ioſephus collectos extat oratio. In ea vero, vt auctoritas omnibus, quæ dicturus eſt plus ſit: oſtendit Phinees. *Primò.* ſe publico populi totius, à quo cum ſociis miſſus eſſet, nomine, voluntate, ac auctoritate loqui verſ. 16. *Hæc mandat omnis populus Domini*, vbi vis magna eſt in eo, quod populum ſuum vocet *populum Domini.* quaſi videlicet in Dei cultu, à quo videbantur iſti diſceſſiſſe, conſtantem eique firme adhærentem: itemque in illo *omnis.* Pro populo autem Hebraice eſt *hedah*, id-eſt, Eccleſia, cœtus, συναγωγὴ, vt in 70. eſt. *Secundò.* Ad rem ipſam ſtatim accedit, & duo prima legationis capita coniungit, inquirendo ſcilicet, cui tandem rei altare ab iis excitatum ſit, & eos monendo: Inquirit vero ſubtiliter, dum velut certum obiicit, quod inquirit verſ. 16. & 17. Sic enim magis excitabantur Transiordanini, vt quod obiiciebatur, ſi falſum eſſet, pernegarent, &, quo illud factum eſſet animo, explicarent. *Altare ſacrilegum* vocat Interpres, quod in Hebræo vocatur, *altare ad deficiendum* ſeu *apoſtatandum à Deo*: in 70. βωμὸς τῦ ἀποστάτας γενέσθαι ἀπὸ τῦ κυρίου.

Monet vero tripliciter. *Primò.* Ingentem Dei iram & vindictam interminando, quæ & in omnes & ſubito inuadat, idq; certum ſit exemplo peccati in idolo *Peor*, ſeu *Baalphegor* admiſſo Numer. 25. cuius tanta pernicies ac exitium

A fuit, vt plurimi è populo ceciderint: & quamuis propitiatum ſe Phineæ hic loquentis zelo teſtatus ſit Dominus: nondum tamen id peccatum totum expiatum ſit verſ. 17. vbi legendum, *vſque in præſentem diem macula huius ſceleris in nobis permanet*, quod Hebraice dicitur, *nondum nos ipſos purificauimus ab eo ſcelere.* in 70. οὐκ ἐκαθαρίσθημεν ἀπ' αὐτῦ τῦ ἁμαρτήματος φογὸς. non quod aliqui adhuc peccatum illud adamarent, vt ait Ralbag, neque quod ſola eius ſupereſſet infamia: ſed quod ob illud pœnæ adhuc indies à quam plurimis exigerentur. Certum enim, pec-
B cato ignoto, æternaque pœna condonata, temporarias non raro pœnas reſtare pendendas, vt Numer. 14. verſu 20. 2. Reg. 12. *Parua*, inquit S. Auguſtinus in Ioannem, *putaretur culpa, ſi cum illa finiretur & pœna.* Obſeruetur igitur, iſtud Phineæ pronunciatum contra noſtri temporis Nouatores, putantes poſt factam peccati alicuius veniam, nullas eius amplius formidandas pœnas. *Secundò.* Tacitæ cuidam occurrit Phinees obiectioni verſ. 19. Ideo fortaſſe cultum vobis nouum cuditis, quod veſtram Deo terram velut immundam putetis, cum non apud vos, ſed apud nos tabernaculum ille fixe-
C rit. At immunda non eſt: & ſi talem putatis, eam deſerite: ad nos migrate. Partem vobis portionis noſtræ cedemus perlibenter, dum ab iſta deſiſtatis impietate. O præclaram Iſraëlitarum iſtorum virtutem, qui vt ab errore ac ſcelere, alios auocent, ad Deum traducant, reſipiſcere faciant, ſe ſua ipſos hæreditate orbant, in eius participatum & communionem proximos vltro inuitant. Væ miſeris, auaris, ac ſordidis illis Euclionibus, qui ne ab hæreſi ad Eccleſiam Catholicam redeuntibus dare aliquid debeant, eos ab illa non abduci, non euocari, non ſuſcipi malunt. *Tertiò.* Vnius ob Achanis
D noxam, graui populus totus clade ac dedecore affectus fuit ſupra cap. 7. quid tanta iam contra Deum peccante multitudine futurum? *Vtinam ille ſolus periiſſet in ſcelere ſuo.* verſu vigeſimo. Quod hic optatur, quaſi Hebraice non לא ſed לו ſcriptum olim fuerit, hodie in Hebræo affirmatur ſic: *non vnus* ſiue *non ſolus periit in ſuo ſcelere*: ſed cum eo nimium quam multi. In 70. vero videretur aſſeri contrarium, οὗτος εἷς αὐτὸς ἀπέθανεν τῇ ἑαυτῦ ἁμαρτίᾳ. niſi per interrogationem legeretur. *Iſte vnus ipſe immortuus eſt peccato ſuo?* q. d. Non, ſed cum eo etiam alij.

E Hiſce à Phinee peroratis, reſponderunt Transiordanini verſ. 21. falſam eſſe, qua laboraſſent Ciſiordanini, ſuſpicionem. Primo igitur verſ. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. καρδιογνώστην Deum teſtantur cum imprecatione, ab omni ſe apoſtaſia prorſus alieniſſimos: eoque animo & mente aram illam excitaſſe, non vt vlla in ea ſacrificia facerent: ſed vt eſſet illa ſymbolum, monimentum, ac teſtis ſuæ erga Deum verum religionis, ſuæ cum Iſraëlitis aliis concordiæ, fraternæque in ſacroſancto Numinis cultu ſocietatis. Timuiſſe ſiquidem, ne Iſraëlitarum Ciſiordaninorum poſteri cum ſe, poſteroſq; ſuos à ſe Transiordaninis, Iordane fluuio, diſparatos viderent, eos à ſacris quoque ſuis arcerent, ſicque idololatriæ iis fœdiſſimæque à Deo diſceſſionis occaſionem aliquam darent. Atque

Digitized by Google

hæc omnia, vt veriſſime, ſic & grauiſſime reſpõderunt Tranſiordanini, & quemadmodum pathetica prorſus & ardens fuerat Legatorum oratio, ſic & iſtorum eſt reſponſio. cuius is exitus fuit, qui, veritate patefacta, eſſe inter bonos debuit. His enim auditis, Phinees ſacerdos, *& Principes Legationis Iſrael, qui erant cum eo*, ait textus verſ. 30. *placati ſunt: & verba filiorum Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manaſſæ libentiſſime ſuſceperunt*, ſeu vt in Hebræo eſt, *hoc totum viſum eſt ijs bonum*, ſeu, *fuit in eorum oculis bonum*. in 70. ἤρεσεν αὐτοῖς. Ergo lætus totus Phinees, exultabundus, & ingentem veluti plauſum dans: *Nunc*, ait ver. 31. *ſcimus quod nobiſcum ſit Dominus, quoniam alieni eſtis à præuaricatione hac, & liberaſtis filios Iſrael de manu Domini.* quæ grauiſſimam ſcilicet pœnam & calamitatem inflixiſſet, ſi ab ipſius cultu ac lege deſciuiſſent hi. Cumque eadem iſta Ciſiordaninis retuliſſent Siluntem reuerſi Legati ver. 32. *placuit ſermo cunctis audientibus* verſ. 33. *& laudauerunt Deum filij Iſrael.* Idemque non verbo tantum, ſed facto etiam Tranſiordanini ſuſpicione illa liberati fecerunt. Dum verſ. 34. altari nomen impoſuerunt, quod & ipſos in vero Dei cultu perſeuerare, & quis aræ illius verus eſſe deberet vſus, ſignificaret. Vocarunt enim aram hanc, *Teſtimonium, quia teſtantur Dominum eſſe Deum*, ſeu Deum ac dominum eſſe, quem Trãſiordanini colerent ac venerarentur, non autem alium vllum. Ideo enim 70. dicunt ὁ θεὸς αὐτῶν. Ideoque cum aram iſtam vocat Petrus Bleſenſis Epiſt. 106. ſacrilegam, vel intelligendus quoad primam ſuſpicionem, vel vt ab ipſius editore ibi notatum, memoria lapſus eſt, præſertim quia ſubiungit, ideo *iram Dei vniuerſaliter deſæuiſſe in populum.* Quod tamen factum non eſt.

Cæterum ex hac tota hiſtoria præter ea, quæ iam interſperſa, diſcimus. 1. Si hæreſes atq; ſcandala oriuntur, eorum confeſtim obſtandũ principiis. Sæpe ſiquidem *ſero medicina paratur, dum mala per longas inualuere moras. Subueni quæſo*, ait ad Atticum Tullius, *dum eſt ἀκμή*. Scribit Narſæ Patricio Pelagius Pontifex, vt habetur cap. *De liguribus*. 23. quæſt. 5. *Regula Patrum hoc ſpecialiter conſtituerunt, vt ſi qua Eccleſiaſtici officij perſona, cui ſubiectus eſt, reſtiterit, vel ſeorſum collegerit, aut aliud altare erexerit, ſeu ſchiſma fecerit, iſte excommunicetur atque damnetur.*

2. Zeloſe ac prudenter cum iis, qui errare videntur agendum, ac primo quidem conandum doctrina & inſtitutione, monitione ac perterrefactione, vt in viam redeant. Tum vero ſi nolint, vim adhibendam, quod valde probat & commendat Epiſt. 50. S. Auguſtinus.

3. Quia hoc altare, non verum altare, ſed quod typum ac formam haberet veri altaris, vt loquitur homil. 3. in hunc librum Origenes, fuit, diſcimus, poſſe imagines & ſtatuas fieri, quæ CHRISTI Domini, ſanctorum, diuinarumq; rerum memoriam conſeruent, fidem accendãt, obliuionem eximant. Id hoc loco contra Caluiniſtas notant Catholicus Maſius, & Lutheranus Chytræus, huiuſque congregum ſuorum omnium nomine verba ſunt hæc. *Iconomachi ſpecioſè in ſuo theatro Eccleſias harum regionum accuſant, quod contra expreſſam prohibitionem, primi & ſecundi præcepti, imagines & ſtatuas in ſuis templis tolerent. His, vt Rubenitæ Legatis decem tribuum, reſpondemus. Non adorari nec coli imagines, nec vllam earum adorationem aut cultum tolerari in noſtris templis: ſed picturas paſſionis & reſurrectionis* CHRISTI, *& Martyrum ſanctorum velut μνημόσυνα & monumenta hiſtoriarum retineri. quibus ad veram pietatem, fidem, conſtantiam, & cæteras virtutes Sanctorum, pro noſtro modo, imitandas excitamur. Qui finis imaginum in verbo Dei nequaquam prohibitus eſt.* Et hoc præfatione in libros noſtri Vaſquez de adoratione hic editos monſtraui pluribus: ſed confitentem hic habemus Caluinum: *Craſſa*, inquit, *impietas, cuius rei acti fuerant probe refutata fuit: non tamen videntur omni ex parte fuiſſe extra culpam. quia lex vetat quaſlibet ſtatuas erigere.* Verum excuſatio facilis eſt, non alias ſtatuas damnari, niſi quæ ad Deum repræſentandum ſpectant: Interea congeriem lapidum (multo magis lapidem aut lignum vnum quodpiam) erigere trophæi loco, vel in teſtimonium miraculi, vel in memoriam inſignis Dei gratiæ, nuſquam lex prohibuit. Alioqui & Ioſue, & poſt eum nonnulli ſancti Iudices ac Reges ſe profana nouitate inquinaſſent. At vero aliquem etiam cultum & venerationem, quæ tamen diuina non ſit & latrica, iis (quod cum Caluino iſto Lutheranus non vult) poſſe adhiberi, argumento *eſt titulus*, quem Geneſ. 28. verſu 18. erexit Iacob. Fuit enim is *ſtatua*, vt illic Caluinus & eiuſdem vertunt diſcipuli Tremellius ac Iunius: & religioſam illi vnctionis cæremoniam adhibuit Iacob, prout iidem in notationibus annotant. Cum enim vertiſſent. *Diſpoſuit Iacob lapides in ſtatuam, & effudit oleum in ſummitatem eius*, ſubiungunt, *veluti conſecrationis ſignum, non ab eo excogitatum, ſed à patre auoque acceptum & diuinitus inſtitutum. Hæc cæremonia deinde ſub lege, in rerum perſonarumque conſecrationibus, ex Dei mandato in vſu fuit.* Exod. 29. Et ipſemet itidem Caluinus: *Hæc ceremonia appendix fuit diuini cultus. Neque enim externi ritus veros faciunt Dei cultores, ſed tantum pietatis ſunt adminicula.*

Quarto. Quia vero in Caluinum iſtum incidi, libet aliud ex eo hic notare. *Non leuiter*, inquit, *peccarunt tribus Ruben, Gad, & Manaſſæ, quod prætereito ſummo ſacerdote, inconſultis fratribus, rem nouam aggreſſi ſunt: deinde, quod forma ipſa teſtimonij in ſiniſtram partem trahi poterat.* Sed ſi vtrumq; hoc tam graue peccatum fuit, quomodo tantum de vtroque in textu ſilentium? Quomodo neutrum abiicit Phinees? Quomodo poſteaquam de altaris ſui fine, reſpondiſſent illi, non vrget iſte violatam Pontificis Maximi auctoritatem: reſiduam ipſius facti ſpeciem, quæ ſuſpicionib. & ſermonibus obnoxia fuerit? Neutrum ſane peccatum fuit, vel omnino perleue. Nuſquam enim prohibitum erat, ne quis quod bonum iudicaret, facere poſſet, ſummo inconſulto ſacerdote. Nuſquam præceptum, vt totæ tribus, ſi quod ſponte ſua, diuinorum in ſe beneficiorum teſtimonium vellent ſtatuere, id ad tribus omnes alias referrent. Licuit hoc ipſum priuatis & ſingulis, vti de Iacob vidimus, & faſſus ipſe Caluinus eſt de Ioſue, ac aliis poſt eum Iudicibus ac Regibus. Quomodo igitur totis non licuiſſet tribubus? Et vero meditate magnoque

Digitized by Google

conſilio aram hanc ab illis erectam perſpicue A monſtratur hoc ipſo capite à v. 23. ad 29. Nec refert potuiſſe factum hoc in ſiniſtram trahi partem. Quid enim trahi non poteſt? Quid à Catholicis boni fit, quod ſiniſterrime non interpretentur Lutherani, Caluiniani? Scite Plautinus ille Callicles Trinummo.

Ne admittam culpam, ego meo ſum promus pectori
Suſpicio eſt in alieno pectore ſita. Et rurſum,
Eſt atque non eſt, mihi in manu Megaronides,
Quin dicant, non eſt, merito vt ne dicant, id eſt.

Sed qui tam graui ſe haſce tribus obſtrinxiſſe ait ſcelere, quod præterito Sacerdote ſummo, B aram erexerunt, quod tandem & quantum ipſiuſmet ſcelus eſt, qui, Sacerdote ſummo præterito, contempto & irriſo, tot vetuſtiſſima Dei templa & aras euertit ac diſturbauit? qui noua dogmata tot & errores quaſdam velut impietatis aras & focos excitauit? qui ſe ſuoſq; omnes à Dei tabernaculo, veroque altari, ab Eccleſia inquam Catholica Chriſtianorumque fratrum omnium ſacris & communione diſiunxit, diſtraxit, auulſit? Memini etiam legere ad Grynæum quendam, ipſius Caluini manu ſcriptam epiſtolam, in qua ſe de nonnullis, quæ ad fidem ſpectant controuerſiis ſcripſiſſe, C neq; ſuos alios Sacramentarios fratres ſymmiſtas voluiſſe in illis conſulere, ne ipſorum impediretur conſilio. Quemadmodum vero Tranſiordaninos iſtos nimium accuſat Caluinus: ita nimium excuſat Moncæius, dum lib. 1. *de Aarone* c. 12. p. 133. ſcribit, eos verum habere voluiſſe altare: vt in eo, extra præceptas tres Paſchatis, Pentecoſtes, ac Tabernaculorum ſolennitates, quibus ad tabernaculum omnibus erat eundum, poſſent ſacrificare: ne tam longe, ſacrificij cauſa, proficiſcendum ſemper eſſet. At excuſatio hæc, grauis potius accuſatio eſt. *Primò* enim non veram conſilij, factique ſui cauſam aperuiſſent Phineę D Pontifici, legatiſque aliis. *Deinde*, alibi nuſquam, etiam extra terna illa feſta, ordinarie fas erat ſacrificare. *Tertiò*. Negligentes admodum ac in diuino cultu ſocordes fuiſſent iidem Tranſiordanini, qui cum bona illa & religioſa, vt vult Mōcæius, mente aram erexiſſent, in ea tamen cum liceret, maximeque, in principio ac dedicatione, oporteret, nullum adhuc feciſſent Sacrificium. Hoc enim ſi feciſſent, iam ſuam ipſorum antea poſitam reſponſionem ac purgationem facto ipſo confutaſſent penitus.

Sed *Quintò*. Diſcimus cum aliqua de amicis E aliquibus extiterit, in re aliqua ſuſpicio, eos adeamus, interrogemus, moneamus, E citata paulo ante *Trinummo* prudens quidam ſenex.

Amicum caſtigare ob meritam noxiam.
Immune eſt facinus, verum in ætate vtile
Et conducibile.

Sextò. Cum ab amicis monemur, caſtigamur, obiurgitamur, non ægre id ferendum, ſed æque amiceque accipiendum. & ſi quidem innoxij ſumus, innocentiam cum Rubenitis, Gaditis, & Manaſſenſibus noſtris explicanda: ſuſpicio à nobis bono modo ſegreganda, & aliis eripienda. Quin vltro ad nos monendos & abiurgandos verenti, & cunctanti amico animum addere, viri boni eſt vt ſeni illi Callicles.

Si quid ſcis me feciſſe inſcite, aut improbe
Si id non accuſas, tu ipſe obiurgandus es, ſcio.

Septimò. Cum amicorum excuſationem & innocentiam audierimus, ei facile credamus & acquieſcamus: non aſperos & implacabiles illos imitemur, qui ſi quando exaſperati offenſique fuerint, placari defenſione nulla poſſunt: ſed ſemper quod maligne ac inique carpant, habent. Imitemur potius decem iſtas tribus, earumque legatos: & ſi placet, ſenem illum, qui ad amicum dedita opera venerat, malis eum vt verbis multis multum obiurgitaret. Cum enim quæ ab eo non peruerſe, ſed recte facta eſſent, accepiſſet:

Pauſa, inquit, *Viciſti caſtigatorem tuum.*
Occluſti linguam. Nihil eſt qui reſpondeam.

Octauò. Habent Epiſcopi Eccleſiaſticiq; omnes præclarum in Phinees, quod ſequi par eſt, exemplum: vt ab nouis prauiſque in religione opinionibus, ad veterem priſcamque pietatem reuocentur. Ad eos eundem eſt: cum iis colloquendum: nihil formidandum: ſuſcipiendæ profectiones: tranſeunda flumina: conciones habendæ: gratia illorum publicæ poſtponenda vtilitati, priuatæque ipſorum æternæ ſaluti, prout etiam attigi cap. 6. Ioſuanorum Sacerdotum Num. 70.

Nonò. Si allegoricum denique quis quid cupiat, in promptu eſt Origenes, qui homilia hūc in librum vltima docet ſignificari, veteres Iſraëlitas, qui per primogenitos Ruben, Gad, Manaſſe, notantur, non habuiſſe altare verum, in quo veræ offerrentur hoſtiæ, vere auferrentur peccata: ſed apud IESVM, hæc eſſe, ac apud Chriſtianos. Sed ita vt fide vna, Eccleſia vna, ſalute vna iuncti ſint ambo populi, fiantque vnus grex, & vnus paſtor illi priores iuſti, & qui nunc ſunt Chriſtiani. Cum vero hic ait *altare* Iudaicum *non fuiſſe verum altare*, ſed *formam ac figuram futuri ac veri altaris*, non negat id quod ſupra ex homilia 3. dictum eſt, tribuum trium altare fuiſſe typum ac imaginem veri, quod in tabernaculo erat, altaris. Nam iſtud Rubenicum Siluntini typus fuit, & hoc Siluntinum Chriſtiani, & Siluntinum *verum* dicitur, quoad hoſtias & ritus tum vigentes, *vmbraticum* vero & imaginarium, quoad veritatem & effectum, qui CHRISTI tempore nunc eſt.

Digitized by Google

CAPVT XXIII.

EVoluto autem multo tempore, poſtquam pacem dederat Dominus Iſraë-
li, ſubiectis in gyro nationibus vniuerſis, & Ioſue iam longæuo, & perſeni-
lis ætatis: 2. vocauit Ioſue omnem Iſraëlem, maioreſque natu, & princi-
pes ac duces, & magiſtros, dixitque ad eos: Ego ſenui, & progreſſioris æta-
tis ſum: 3. voſque cernitis omnia, quæ fecerit Dominus Deus veſter
cunctis per circuitum nationibus, quo modo pro vobis ipſe pugnauerit: 4. & nunc
quia vobis ſorte diuiſit omnem Terram, ab Orientali parte Iordanis vſque ad mare ma-
gnum, multæque adhuc ſuperſunt nationes: 5. Dominus Deus veſter diſperdet eas &
auferet à facie veſtra, & poſſidebitis Terram, ſicut vobis pollicitus eſt. 6. tantum con-
fortamini, & eſtote ſoliciti, vt cuſtodiatis cuncta quæ ſcripta ſunt in volumine legis
Moyſi: & non declinetis ab eis neque ad dexteram neque ad ſiniſtram: 7. ne poſt-
quam intraueritis ad Gentes, quæ inter vos futuræ ſunt, iuretis in nomine deorum ea-
rum, & ſeruiatis eis, & adoretis illos: 8. ſed adhæreatis Domino Deo veſtro: quod fe-
ciſtis vſque in diem hanc. 9. Et tunc auferet Dominus Deus in conſpectu veſtro gen-
tes magnas & robuſtiſſimas, & nullus vobis reſiſtere poterit. 10. Vnus è vobis perſe-
quetur hoſtium mille viros: quia Dominus Deus veſter pro vobis ipſe pugnabit, ſicut
pollicitus eſt. 11. Hoc tantum diligentiſſime præcauete, vt diligatis Dominum Deum
veſtrum. 12. Quod ſi volueritis gentium harum, quæ inter vos habitant, erroribus ad-
hærere, & cum eis miſcere connubia, atque amicitias copulare: 13. iam nunc ſcitote
quod Dominus Deus veſter non eas deleat ante faciem veſtram, ſed ſint vobis in fo-
ueam ac laqueum, & offendiculum ex latere veſtro, & ſudes in oculis veſtris, donec vos
auferat atque diſperdat de Terra hac optima, quam tradidit vobis. 14. En ego hodie
ingredior viam vniuerſæ terræ, & toto animo cognoſcetis quod de omnibus verbis,
quæ ſe Dominus præſtiturum vobis eſſe pollicitus eſt, vnum non prætierit incaſſum.
15. Sicut ergo impleuit opere quod promiſit, & proſpera cuncta venerunt: ſic adducet
ſuper vos quicquid malorum comminatus eſt, donec vos auferat atque diſperdat de
Terra hac optima, quam tradidit vobis, 16. eo quod prætereritis pactum Domini
Dei veſtri, quod pepigit vobiſcum, & ſeruieritis diis alienis, & adoraueritis eos: cito
atque velociter conſurget in vos furor Domini, & auferemini ab hac Terra optima,
quam tradidit vobis.

COMMENTARIVS.

EXtremam libri huius partem extrema occupant Ioſuæ Ducis verba & facta. Verba eius ſunt, quæ morientium ſolent præpoſitorum eſſe ad ſubditos, parentum ad filios. Quia enim illi ex hoc iam mundo diſceſſuri & ſummi iudicis adituri tribunal ſunt, ea tum dicunt, quæ rectiſſima, optima, & vtiliſſima iis, quos amant, intelligunt. Vnde & natura comparatum eſt, vt ab iis, quibus dicuntur, memoria id genus monita cuſtodiantur maxime: ac, ſi quidem ii prudentes, obſequioſi, minimeque degeneres ſint, executioni mandentur efficaciſſime. Duplicem ergo moriturus vereque moriturieus Ioſuæ ad Iſraelitas ſuos orationem habet, quarum vna iſto capite, ſequenti altera perſcripta. Et iſta quidem Maſio videtur Silunte *habita: Rabbinis vero Ralbago & Raſchio* Thamnathſarax, *quæ ipſius vrbs, & hæreditas erat, ſupra c.19.v.50. idque verſimilius apparebit magis capite ſequenti q.1. Cum igitur ab hoſtibus quies à Deo conceſſa iam eſſet, ipſeque ſenio confectus Ioſue, mortem ſibi inſtare vel natura, vel Deo etiam docente, præſentiſceret, Iſraelem ad ſe totum vocauit, non quidem ex eo ſingulos, ſed quamplurimos potuit: eos certe qui populi totius perſonam ſuſtinerent, & à quibus penderent omnes alii, vt erant ipſi tribuum Principes & Senatores, de quorum hic v.2. poſitis nominibus dixi ſupra c.3. quæ ſunt quatuor in Hebræo* Zekenim, Raſchim, Schophetim, Schoterim. *in Græco, γερουσία, ἄρχοντες, δικασταὶ, γραμματεῖς: in noſtro textu,* maiores natu, Principes, duces, Magiſtri.

In oratione autem Primo *cauſam conuentus huius oſtendit, ſimulque iis, quæ dicturus eſt, attentionem, fidem, auctoritatemque parit verſ. 3. dum ait:* Ego ſenui, & progreſſioris ætatis ſum. *Deinde ſtatim, & ſerio, & conſtanter vnam tantummodo ad rem, ad Dei ſcilicet amorem, timorem & cultum hortatur à verſ. 3. ad finem capitis. Sed facit hoc ipſum varie.* Primo. *Dei maxima & plurima in ipſos beneficia memorat tam præterita quam præſentia, & ſi quidem velint, breui futura verſ. 3. 4. & 5. ſed verborum in v. 4. traiectionem nonnihil obſcuram habet Hebræus textus, mendum vero Latinus in quo legitur* diuiſit, *pro* diuiſi. *Loquitur enim de ſe in perſona prima Ioſue: Hebraice* Hippalthi, *Græce in 70.* ἐπέῤῥιψα *& ſenſus duplex fieri poteſt.* Vnus, *vt dicat Ioſue ſe gentes iſtas Chananæas deieciſſe, ac viciſſe, & ſic videntur innuere 70. dum poſt illud* ἐπέῤῥιψα *ſubdunt* ἐξωλόθρευσα, *niſi hoc ex alio forte textu inculcatum ſit.* Alter, *vt ſe ſortem atat feciſſe cadere, ſeu, vt recte noſter ait Interpres,* ſe ſorte terram diuiſiſſe, *partim quæ ab Occidentali Iordanis parte vſq. ad Occidentalē maris magni ſeu*

Mediterranei

Mediterranei terminum occupata iam eſt ac poſſeſſa, partim quæ adhuc occupanda & poſſidenda, in qua multæ adhuc ſuperſunt nationes, quæ tamen à Deo etiam deinceps, niſi obſtent iſti ac remoram ſuo aliquo peccato ponant, breui delebuntur ac diſperdentur. Has vero promiſſiones cum conditione, quam appoſui, accipiendas indicant, quæ deinceps adnectuntur cohortationes verſu 6. & ſequentibus, maxime verſu 9. 10. Secundò. Igitur cohortatur Iſraelitas Ioſue ad inſignem animi magnitudinem atque conſtantiam verſu 6. ad accuratam diuinæ legis obſeruationem v. 6. 7. ad Chananæorum familiaritatis, conſuetudiniſque omnis fugam verſ. 7. In illo enim ne poſtquam intraueritis, negatiuum includitur præceptum, ne intretis ad gentes iſtas, quæ inter vos reſiduæ ſunt. Et iſtud intrare, poteſt ex Hebræi verbi ratione vel ſpeciatim de familiaritate ac neceſſitudine, quæ coniugio initur, accipi, prout colligi queat è v. 12. vel potius generatim de omni familiaritate atque conſuetudine. Eſt enim iſta longe periculoſiſſima, è qua grauiſſimorum ſæpe vitiorum, ſcelerumque fœdiſſima contagio, in quibus hic enumerantur in Latino tria, iurare in nomine Deorum alienorum, ſeruire ipſis, adorare ipſos. In Hebræo autem quatuor ſunt, & prohibendi modo ſumi poſſunt. Primum. Non memorabitis nomen Deorum gentium illarum. Secundum. Non iurabitis per illos. Tertium. Non ſeruietis eis. Quartum. Non adorabitis eos. Sed per iurare in nomine Deorum illorum duo priora comprehendit interpres Latinus. Nam vel generatim vetatur primo illo præcepto Deorum illorum memoria & mentio, vel honorifica memoria & mentio. Non illud. quia ipſa etiam Scriptura, illos deteſtando, eorum meminit, eorumque non infrequenter ponit nomen. Honorifica porro memoria fit per iuſiurandum, quod vel ipſi aliis imponimus, vel ipſi concipimus. & vtrumque iſtud in Latino iurare intelligitur. Et ab eorum qui omnia iſta quatuor apponunt nonnullis vertitur ſecundum ſic: Ne adiuretis: ſeu, ne iurare faciatis gentes illas per Deos ſuos, vt Exod. 23. 13. Deut. 12. 3. quia in hiphil eſt Hebræum iurandi verbum. Sed & primum memorandi verbum in hiphil etiam eſt: ideoque & ſic etiam accipi queat, vt ne efficerent, gentes iſtas Deorum ſuorum memoriam, nominaque vſurpare. Pij ſane Iudæi vix, aut non niſi cum deteſtatione, Deos iſtos nominare ſoliti olim ſunt, ſicuti etiamnum hodierni, dum hæreticos, etiam ſcribendo, nominare volunt, pacem veniamque præfantur per ſuam illam Symbolicam breuitatis notulam וְן id-eſt, Chas ue Schalom, id-eſt, Ignoſce, & pax eſto. Quod ijs obſeruandum, quibus in ore ſemper Mehercule, Mecaſtor, dies Solis, Lunæ, & ſimilia de quibus Minerualis lib. 1. c. 6. Hortatur inſuper ad conſtanter ac intime Deo adhærendum v. 9. & benedictiones, quibus inuitentur omnes, adiungit eodem v. 9. & 10. Quibus & ad officium Chriſtianos inuitat Principes Ribadenera noſter lib. 1. contra Machiauellum c. 7. Iterum vero ad Deum ſtudioſiſſime amandum incitat v. 11. vbi hoc tantum diligentiſsime præcauete, valet: Attendite valde animis veſtris: Cuſtodite hoc animis veſtris admodum ſedulo, vt Dominum Deum veſtrum diligatis. Dehortatur poſtremo ab omni cum Chananæis amicitia & conſuetudine v. 12. vbi Hebraice eſt: ſi auertendo auertetis vos (quod erroribus gentium adhærendo fit) & adhæſeritis reſiduo gentium iſtarum, quæ inter vos aut vobiſcum relictæ ſunt, quod fit omni conſuetudine, ſed maxime illa, quæ per connubia & affinitates fit, ideoque & nominatim hic ponitur, tum vero mala comminatur omnia: & pro benedictionibus, quas re ipſa præſtitit hactenus Dominus, omnes ab eodem effundendas maledictiones denunciat v. 15. & 16. In his vero duæ terribiles maxime.

Prior v. 13. futurum ſcilicet, vt hæ ipſæ gentes, quæ aliqua ex parte adhuc reſiduæ ſunt: cum quibus affinitates, amicitias, conſuetudineſque copulare volent Iſraëlitæ, quas ope auxilioque ſuo, funditus ac cito exterminaturus erat Dominus, ſint Iſraëlitis ipſis in foueam ac laqueum, in offendiculum ex latere, in ſudes oculorum. Pro fouea in Hebræo eſt pach, id-eſt, laqueus, eodemque modo in 70. παγίς. Sed litteræ vnius adiectione videtur noſter pro pach legiſſe pachath. id-eſt, fouea. Laqueus eſt hoc loco is maxime, quo intricantur, implicantur, ac impediuntur pedes, ideoque à 70. vertitur εἰς σκάνδαλα, & à nonnullis, in tendiculam, à Maſio, in rete. Quod offendiculum noſter dixit, id vertunt 70. ἥλους, clauos. qui longiores cum ſunt, & corpori pungendo ac lacinando adhibentur, vocari ſolent ſtimuli: & ijs potiſſimum latera forari ac fodicari ſolita. Huc enim ſpectant Plautina illa: ſtimulorum ſeges, Aulul. act. 1.

Si hodie hercle fuſtem cepero, aut ſtimulum in manum,
Teſtudineum iſtum tibi ego grandibo gradum. il id.
Aduerſum ſtimulos, laminas, cruceſque, compedeſque,
Neruos, catenas, carceres, numellas pedicas, boias.
Stimulorum loculi. (Aſina. act. 1.
O carnificinum cribrum, quod credo fore.
Ita te forabunt patibulatum per vias ſtimuli. (Moſtel. act. 1.
Vtinam nunc ſtimulus in manu mihi ſit.
Qui latera conteram tua, quæ occaluere plagis.
Aſinaria act. 2.

Quamquam & Hebræum nomen pro tereti baculo, aut flagro moleſtiſſimo, quo latera cæderentur, Eccleſiaſtici 30. 12. & c. 42. 6. accipi poteſt. Et flagellis iſtis ſolos, qui acriores eſſent, Scorpiones oppoſuit Ieroboam 3. Reg. 12. 11. Pro τὰς πλευρὰς vero in 70. πλεύρας legendum putat Maſius, aut certe τῶν πλευρῶν vox late ſumenda. Sudes vero verti poſſunt etiam Spinæ, 70. εἰς βολίδας. Chaldæus propter aliquam Hebræorum nominum ſignificantiam pro flagris dixit copias arma ſumentes: pro ſpinis, exercitus, qui clypeorum inſtar, Iſraelitas cingerent, non ad tuendum, ſed ad nocendum, & diſperdendum. Eadem Num. 33. Deut. 7. quæ ad aſtuta Chananæorum conſilia, inſidioſas fraudes, occultas artes, exitialiaque arma refert Arias.

Altera maledictio eſt in verbis vltimis: Cito atque velociter conſurget in vos furor Domini, & auferemini à terra hac optima, quam tradidit vobis. Vbi plura terroris argumenta ſunt. Primum. Furor Domini. Secundum. Cito atque velociter. Licet vnicum in Hebræo vocabulum ſit, eius tamen interſa celeritas duplicato hic aduerbio recte ſignificatur. quorum alterum ad impromſam eius immittendæ pœnæ ac furoris breuitatem, alterum ad celerrimam executionis velocitatem refert Maſius. In 70. deeſt id ipſum. Tertium. Auferemini. Hebraice peribitis. Quartum. A terra hac, quam iam poſſidetis. Miſerum ſpoliari bonis, quæ etiam præſentia ſunt, & ad quæ labore multo, tempore longo, deſiderio magno peruenium. Quintum. Optima. Hebraice, bona. Sed vt

Digitized by Google

terræ præſtantia, quæ hactenus expoſita, percipiatur melius vtitur noſter ſuperlatiuo. Sextum. Quam tradidit vobis Deus: *vt eo tanto Dei beneficio ſpoliari miſerum ſit, ſua id culpa & peccato amittere, ingratiſſimum ac ſceleratiſſimum. In his itaque latent fere illa, quæ Eclog. 1. in Virgilianis admirantur multi verſibus.*

Impius hæc tam culta noualia miles habebit?
Barbarus has ſegetes? En quo diſcordia ciues
Perduxit miſeros! en queis conſeuimus agros?

Orandus Deus, ne huiuſmodi nos malis obnoxij. Qui cum hoſtibus familiariter loquitur, blande conuerſatur, iucunde ac hilariter epulatur, huius obſtringi laqueo gulam, æquiſſimum. Qui à Dei via recedit, ad impiorum ſeſe cœtum confert, ad flagitia procurrit, huius innecti, obligari, ac irretiri pedicis æternis pedes, conſentaneum. Qui ab improborum ſodalium, nequitiæque Magiſtrorum latere non diſcedit, totus laſciuiæ ac improbitati adhæret, huius ambo latera ſtimulis perfodi ac lacerari quidni iuſtiſſimum? Qui ad petulantiam, libidinem, vanitatem oculis abutitur, qui terrena libentius, quam diuina intuetur, qui exteriorem impiorum ſpeciem ac formam aſpicit ac miratur magis, quam interiorem piorum gratiam ac pulchritudinem, nonne ipſius ambo lumina ſpinis compungi, & cruentari par eſt maxime? Dedit nobis Deus veram fidem, Eccleſiam ſanctam, cæleſtem illam terram optimam & beatiſſimam: ſed niſi caueamus, niſi erga ipſum grati pijque ſimus & quæ ipſius accendere furorem poſſunt crimina declinemus diligentiſſime omnia, cito ſane ac velociter auferemur ab ea, & in exilium præcipites agemur ſempiternum. Sed abſit, abſit. Ieſum audiam: Ieſum bona promittentem ſequar: mala pronunciantem timebo: meque ipſum obſeruabo & corrigam.

CAPVT XXIV.

1\. COngregauitque Ioſue omnes tribus Iſraël in Sichem, & vocauit maiores
natu, ac principes, & iudices, & magiſtros: ſteteruntque in conſpectu
Domini. 2. & ad populum ſic locutus eſt: Hæc dicit Dominus Deus Iſ-
raël: Trans fluuium habitauerunt patres veſtri ab initio, Thare pater
Abraham, & Nachor: ſeruieruntque diis alienis. 3. Tuli ergo patrem
veſtrum Abraham de Meſopotamiæ finibus: & adduxi eum in Terram Chanaan: mul-
tiplicauique ſemen eius, 4. & dedi ei Iſaac: Illique rurſum dedi Iacob & Eſau, E qui-
bus, Eſau dedi montem Seir ad poſſidendum: Iacob vero & filij eius deſcenderunt in
Aegyptum. 5. Miſique Moyſen & Aaron & percuſſi Aegyptum multis ſignis atque
portentis. 6. Eduxique vos & patres veſtros de Aegypto & veniſtis ad mare: perſe-
cutique ſunt Aegyptij patres veſtros cum curribus & equitatu, vſque ad mare rubrum.
7. Clamauerunt autem ad Dominum filij Iſraël: qui poſuit tenebras inter vos & Ae-
gyptios, & adduxit ſuper eos mare & operuit eos. Viderunt oculi veſtri cuncta quæ
in Aegypto fecerim, & habitaſtis in ſolitudine multo tempore: 8. & introduxi vos in
Terram Amorrhæi qui habitabat trans Iordanem. Cumque pugnarent contra vos,
tradidi eos in manus veſtras, & poſſediſtis Terram eorum, atque interfeciſtis eos. 9.
Surrexit autem Balac filius Sephor rex Moab, & pugnauit contra Iſraëlem. Miſitque &
vocauit Balaam filium Beor, vt malediceret vobis, 10. & ego nolui audire eum, ſed
econtrario per illum benedixi vobis, & liberaui vos de manu eius. 11. Tranſiiſtiſq. Ior-
danem & veniſtis ad Iericho. Pugnaueruntq. contra vos viri ciuitatis eius, Amorrhæus,
& Pherezæus, & Chananæus, & Hethæus, & Gergeſæus, & Heuæus, & Iebuſæus: & tra-
didi illos in manus veſtras. 12. Miſiq. ante vos crabrones: & eieci eos de locis ſuis, duos
reges Amorrhæorum, non in gladio nec in arcu tuo. 13. Dedique vobis Terram, in
qua non laboraſtis, & vrbes quas non ædificaſtis, vt habitaretis in eis: vineas & olïueta,
quæ non plantaſtis. 14. Nunc ergo timete Dominum & ſeruite ei perfecto corde atq.
veriſſimo: & auferte Deos, quibus ſeruierunt patres veſtri in Meſopotamia & in Aegy-
pto, ac ſeruite Domino. 15. Sin autem malum vobis videtur vt Domino ſeruiatis,
optio vobis datur: eligite hodie quod placet, cui ſeruire potiſſimum debeatis, vtrum
diis, quibus ſeruierunt patres veſtri in Meſopotamia, an diis Amorrhæorum, in quo-
rum Terra habitatis: ego autem & domus mea ſeruiemus Domino. 16. Reſpon-
ditque populus, & ait: Abſit à nobis vt relinquamus Dominum, & ſeruiamus diis
alienis. 17. Dominus Deus noſter ipſe eduxit nos, & patres noſtros de Terra Aegi-
pti, de domo ſeruitutis: fecitque videntibus nobis ſigna ingentia, & cuſtodiuit nos in
omni via, per quam ambulauimus, & in cunctis populis, per quos tranſiuimus. 18. Et
eiecit vniuerſas gentes, Amorrhæum habitatorem Terræ. quam nos intrauimus. Ser-
uiemus igitur Domino, quia ipſe eſt Deus noſter. 19. Dixitq; Ioſue ad populũ: Non
poteritis ſeruire Domino: Deus enim sãctus, & fortis æmulator eſt, nec ignoſcet ſcelerib.
veſtris atque peccatis. 20. Si dimiſeritis Dominũ, & ſeruietis diis alienis, cõuertet ſe, &

affliget vos atque ſubuertet poſtquam vobis præſtiterit bona. 21. Dixitque populus
ad Ioſue: Nequaquam ita vt loqueris, erit, ſed Domino ſeruiemus. 22. Et Ioſue ad
populum, Teſtes, inquit vos eſtis, quia ipſi elegeritis vobis Dominum vt ſeruiatis ei.
Reſponderuntque: Teſtes. 23. Nunc ergo, ait, auferte Deos alienos, de medio ve-
ſtri, & inclinate corda veſtra ad Dominum Deum Iſraël. 24. Dixitque populus
ad Ioſue: Domino Deo noſtro ſeruiemus, & obedientes, erimus præceptis eius. 25.
Percuſſit ergo Ioſue in die illo fœdus, & propoſuit populo præcepta atque iudicia in
Sichem. 26. Scripſit quoque omnia verba hæc in volumine legis Domini: & tulit la-
pidem pergrandem, poſuitque eum ſubter quercum, quæ erat in Sanctuario Domini:
27. & dixit ad omnem populum: En lapis iſte erit vobis in teſtimonium quod audie-
rit omnia verba Domini, quæ locutus eſt vobis: ne forte poſtea negare velitis, & men-
tiri Domino Deo veſtro. 28. Dimiſitque populum, ſingulos in poſſeſſionem ſuam.
29. Et poſt hæc mortuus eſt Ioſue filius Nun ſeruus Domini, centum & decem anno-
rum: 30. ſepelieruntque eum in finibus poſſeſſionis ſuæ in Thamnathſare, quæ eſt ſita
in monte Ephraim, à Septentrionali parte montis Gaas. 31. Seruiuitque Iſraël Domi-
no cunctis diebus Ioſue & ſeniorum, qui longo vixerunt tempore poſt Ioſue, & qui no-
uerunt omnia opera Domini quæ fecerat in Iſraël. 32. Oſſa quoque Ioſeph, quæ tu-
lerant filij Iſraël de Aegypto, ſepelierunt in Sichem, in parte agri, quem emerat Iacob à
filiis Hemor patris Sichem, centum nouellis ouibus, & fuit in poſſeſſionem filiorum
Ioſeph. 33. Eleazar quoque filius Aaron mortuus eſt: & ſepelierunt eum in Gabaath
Phinees filij eius, quæ data eſt ei in Ephraim.

COMMENTARIVS.

IN vltimo iſto libri huius capite traduntur Ioſuæ vltima partim verba, partim facta, cum aliis aliorum nonnullis. Nam crebræ populi ad eius verba reſponſiones ponuntur: ſimulque cum ipſius morte Pontificis Eleazari mors proponitur, & quæ vtramque conſecuta ſunt, vti patebit. Vocauit vero prout & ſuperiori capite Iſraelitas Ioſue, & ad eos inſignem habuit orationem bene longam, neque interruptam à verſ. 2. vſque ad 16. & in ea vnum id agit, vt in Sacroſancto Dei cultu, veraque religione ac præceptorum illius obſeruatione omnes deinceps conſtantiſſime perſiſtant Iſraëlitæ: & hunc ad finem primò. *Illuſtrem Dei beneficiorum iam inde ab heroicis Abrahæ temporibus repetitam enumerationem inſtituit vſque ad verſ. 14.* Deinde *concludit illud quod ei propoſitum maxime, vt Deum colant, ei vni ſeruiant, Deos aſpernentur alios omnes verſ. 14. & 15. de quo pulchra* S. Antonius *apud S. Athanaſium in vita. Et beneficia quidem illa, eorumque hiſtoriæ omnes expoſitæ ſunt in Geneſi, Exodo, aliiſque libris, & in hoc etiam ipſo Ioſuano, maxime quæ verſ. 11. & 13. ſunt. Pauculæ tamen hic ſuperſunt quæſtiunculæ.*

QVÆSTIO I.

Vbi nam vltimum hunc populi conuentum, nouiſſimaque ad eum verba Imperator habuit Ioſue?

IN duas abiere ſententias doctores. Quibuſdam enim videntur hæc Silunte dicta, quibuſdam vero in Sichem: & vtriſque textus quidem ſuffragantur. Nam ſic habent 70. *Καὶ συνήγαγε Ἰησοῦς πάσας τὰς φυλὰς Ἰσραὴλ εἰς σηλώ*: & infra iterum verſ. 25. *Ἔδωκεν αὐτῷ νόμον καὶ κρίσιν ἐν σηλώ.* hancque lectionem ac ſententiam ſecutus eſt B. Auguſtinus qu. 27. in Ioſue. At Hebræus textus, Chaldæus, noſterque Latinus v. 1. *Congregauit Ioſue omnes tribus Iſrael in Sichem.* & ſic legunt etiam Græci quidam *εἰς συχὲμ*, prout notat annotatio in 70. vtraq; tamen vera cenſeri poteſt ſententia. Nam ſane dum à Ioſuę vrbe ac domicilio abimus, locus occurrit nullus commodior, nullus ſanctior, & ad omnia, quæ dicenda nunc & agenda erant, aptior. Et edita quaſi voce Siluntem clamant verba hæc verſu 1. *ſteteruntque in conſpectu Domini*, qui nimirum Ioſuæ vocatu conuenerant, ſeu, vt in Hebræo eſt, *ſtatuerunt ſemetipſos coram Domino.* quod in Septuaginta ipſi tribuitur Ioſuæ quia ipſius inuitatu ac imperio ſic ſtabant: *ἔστησεν αὐτοὺς ἀπέναντι τοῦ θεοῦ.* Rurſumq. illa v. 26. *Tulit lapidem prægrandem*

A *poſuitque eum ſubter quercum, quæ erat in ſanctuario Domini, & dixit ad omnem populum: En lapis iſte erit vobis in teſtimonium.* Quia tamen tam diſerte *Sichem* nominat Hebręus Latinuſque textus, non eſt id negandum, ſed ita explicandum, vt in hiſce textibus vocetur *Sichem*, non ipſa vrbs Sichē, ſed *Sichemicus ager*, in quo erat Silo. Sic enim eodem iſto capite infra v. 32. Ioſephi oſſa dicuntur in *Sichem* ſepulta, cum tamen non in vrbe, ſed in vrbis agro, ſita fuerint, prout ibidem illico ſubditur: *in parte agri, quem emerat Iacob à filiis*
B *Emor.* Atque nullum vt dubium ſit, quin extra vrbem fuerit ager hic, legatur Geneſ. 33. 18. & ſequenti. Neque ſimiles deſunt in prophanis phraſibus loquendi modi, quos etiam notant Iuriſconſulti, dum quis *Romæ* eſſe dicatur, exquirunt. Vtrobique igitur iſte conuentus fuit iſtaque Ioſuana verba, ſed Silunte proprie, Sichemi late. Hincque apparet, ſuperiorem concionem in Ioſuana vrbe factam potius, quam Silunte niſi quis vnam & eandem, ſuperiori ac iſto capite vellet orationem, vnaque ac eadem Comitia. Sed quam inepta foret capitum iſto-
C rum diſtractio? quam perturbata rerum narratio? quam abſurda capitum eorundem inculcatio? Vnum tamen fuiſſe conuentum, ſed diuerſis diebus habitum, & quidem in ipſa vrbe Sichem, vult Caietan. Hinc enim facies ſuas verſus abſentis ac Silunte fixi tabernaculi anticam

partem vertiſſe omnes, ſicque in Domini conſpectu ſtantes hic vocari. Maſius vero allatum Silunte putat in Sichem tabernaculum. Sed quæ dixi certiora, textuique congruentiora.

QVÆSTIO II.

An Iſraëlitarum, quos in terram promiſſionis induxit Ioſue, maiores, in Meſopotamia & Aegypto idololatræ fuerint?

DE Iſraëlitarum iſtorum maioribus, perſpicuitatis maioris cauſa, loquar ordine. *Primò* igitur horum maiores Abrahami patre, auo, proauo, vel atauo vetuſtiores non fuerunt idololatræ. Nec ſi quidem verum vero cultu Deum proſequutus eſt, & *Sem*, *Arphaxad*, *Sale*, *Heber* ac *Phaleg*. Et de primis quidem certum: de poſterioribus vero non item. Non enim conſtat ſatis, quando cœperit in hac ipſa ſtirpe, impietas: quam recens mundi totius exitium ac eluuio prohibere merito debuiſſet. *Secundò*. Abrahami auus *Nachor*, & huius filius, illius pater *Thare* fuerunt idololatræ. Diſerte hoſce duos in idololatris nominat verſus ſecundus, ita vt ad hoc vſque videatur verus vnius Dei cultus ea in proſapia ſtetiſſe. Cur enim potius, quam horum patres *Sarug*, *Reu*, aut alij nominantur? atque hanc ob cauſam dixi antea, *proauo vel atauo vetuſtiores*. Et confitentur hoc ipſum Iudæi quotannis in paſchali illa precatiuncula, quæ eſt in ipſorum libello *Haggadah*, & apud Rambam Tomo 1. in fine tractatus *Zemanim* fol. 249. b. eaque precatiuncula incipit *Miththechil-lah*, id-eſt, *à principio*: citaturque in ea hoc Ioſuæ teſtimonium, quod generatim repetitur hic paulo infra verſ. 14. *Tertiò*. Ipſe Abraham, cum ætate eſſet iunior, fuit quoque cum hiſce ſuis parentibus idololatra. Negant hoc quidem Abulenſis hoc loco quæſtion. 6. Caietanus, & Carthuſianus: ſed declaraui hoc Geneſeos cap. 11. & affirmant Rabbini in *Thalmud*, vbi de *auodah Zarah* diſſerunt, eumque ſtellas adoraſſe ait Rambam libr. 1. *Helacah* 4. cap. 1. & libro 3. Helacah 1. capite 8. pag. 247. b. R. Godolias in *Schalſcheleth* fol. 8. Philo li. περὶ ἀπ... S. Ephrem ſerm. 2. de pœnitentia, Recognitiones Clementis lib. 1. aliique plures & præſertim recentiores ab Alphonſo Mendoza citati Controu. 7. Poſitiua: licet ſub quæſtionis extremum faciat is Lectoribus alterutrius opinionis optionem. Et vero ſunt, qui putent idcirco eundem Abrahamum ab Apoſtolo vocatum ἀσεβῆ Rom. 4. verſ. 5. dum dixit: *Et qui non operatur, credenti autem in eum, qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad iuſtitiam. Quartò*. In Meſopotamia ſeu trans fluuium Euphratem admiſſa fuit hæc impietas, vt eſt in verſ. 2. & 14. *Quintò*. An in Aegypto fuerint Iſraëlitarum aliqui eodem contaminati ſcelere, videtur negare vel ambigere S. Epiphanius lib. 1. poſt principium, niſi generatim de omnibus negare velit. Nam de aliquibus negandi vel ambigendi locus nullus. *Auferte*, inquit noſter Ioſue verſu 14. *Deos, quibus ſeruierunt patres veſtri in Meſopotamia, & in Aegypto*. Ezech. 20. verſu 7. & 8. dicit Dominus. *In idolis Aegypti nolite pollui. Et irritauerunt me, nolueruntque me audire. Vnuſquiſque abominationes oculorum ſuorum non proiecit, nec idola Aegypti reliquerunt*. Idque fatetur in citato loco Rambam & in citato Thalmudico tractatu Rabbini alij ac in Cabalæ ſuæ principio R. Abraham Leuita: *A morte*, ait, *Ioſeph ad tempus, quo ſurrexerunt in Aegypto falſi Prophetæ de filiis Ephraim, & Galaad, ſeducentes Iſraëlem, occiſi ſunt, anni centum decem*. D. Hieronymus in Galat. 3. *Poſt Idololatriam, cui in Aegypto fuerunt mancipati, ita vt Deum patrum ſuorum obliuiſcerentur*. &c. Et in citatum Ezechielis caput, ſimulque Theodoretus: & hic idem in Ieremiæ caput 7. Cyrillus libr. 11. *de adoratione*, ſeu *de ſacerdotibus*. Et hanc ad rem applicat R. Abraham illud pſalmi 105. *Patres noſtri in Aegypto non intellexerunt mirabilia tua. Sextò*. Aliqui etiam Idololatriæ fuerunt poſt Aegyptiacum exitum in deſerto. Quod credibile vix videretur, niſi omni exceptione maiores aſſererent Amos Propheta c. 5. v. 25. 26. & S. Stephanus act. 7. 42.

QVÆSTIO III.

An &, Ioſuæ ipſius tempore, Iſraëlitæ adhuc aliqui fuerint Idololatræ?

AD hoc negandum facit quamplurimum eximia Ioſuæ Imperatoris tanti religio, pietas ac induſtria, qui nequaquam paſſus id fuiſſet. Accedit capitis huius teſtimonium v. 31. *Seruiuit Iſrael Domino cunctis diebus Ioſue*. Ad affirmandum tamen hoc idem impellunt verba hęc verſ. 14. *Auferte Deos, quibus ſeruierunt Patres veſtri*. Et verſ. 23. *Nunc auferte Deos alienos de medio veſtri*. Poteſt vtrumlibet probabiliter putari, & negatio magis placet Iudæo Ralbag, & noſtro Caietano, imprimiſque S. Auguſtino hic quæſt. 29. cuius in verbis plura eam in ſententiam argumenta ſunt. Primum. *Credendi non ſunt adhuc habuiſſe aliqua gentium ſimulachra, cum ſuperius* (c. 22. v. 2. & 5. c. 23. v. 3. & 4. & 8. maxime) *eorum obedientiam prædicauerint*. Secundum. *Aut vero ſi haberent, illa eos propoſita ſequerentur*. Tertium. *Cum ſic in eos vindicatum ſit, quod vnus eorum de anathemate furtum fecerat*. Quartum. *Denique Iacob dixit*. Gen. 35. v. 2. *hoc eis, qui cum illo exierant de Meſopotamia, vbi ſic idola colebantur, vt & Rachel paterna furaretur*, Gen. 31. v. 19. *Sed poſt illam admonitionem Iacob dederunt quæ habebant. Vnde apparuit hoc eis ita dictum eſſe, quod ſciebat eos habere ille qui dixerat. Nunc vero poſt hanc admonitionem Ieſu Naue nullus tale aliquid protulit*. hocque poſtremum poteſt, alio confirmari exemplo. Cum enim Saül 1. Reg. 7. verſ. 3. dixiſſet: *Auferte Deos alienos de medio veſtri*, ſtatim ſubditur verſ. 4. *Abſtulerunt ergo filij Iſrael Baalim, & Aſtharoth, & ſeruierunt Domino ſoli*. Nihil autem hic ab Iſraëlitis factum ſimile. Vidimus præterea capite 22. quemadmodum Iſraëlitarum Ciſiordaninorum tribus omnes exarſerint, armiſque correptis in fratres inuadere parati eſſent, quod aram eos impietatis excitaſſe ſuſpicarentur. Quomodo igitur Deorum vaniſsima ipſi adhuc idola venerarentur? Sed ſi Moyſis tempore, cum in ſolitudine verſaretur populus, idola idolorumq; thenſæ ac tabernacula fuere, ab illo

Digitized by Google

populo, vt ſuperioris quæſtionis extremo attingebam, circumlata & culta, quid mirum ſi & in Ioſuano imperio? An vero fruſtra prudentiſſimus oculatiſſimuſque Imperator tam abſolute dixit Ioſue verſ.23. *Nunc auferte Deos alienos?* Cur non dixit. *Nunc auferte Deos alienos, ſi quos habetis?* ſi qui forte inter vos ſunt? Reſpondent citati Ralbag, & B. Auguſtinus, *per Deos alienos* hic intelligi cogitationes prauas, vel certe falſas, dum verus etiam Deus cogitatur talis, qualis non eſt. *Propheta ſanctus*, (Auguſtini verba ſunt) *in cordibus eorum eſſe cernebat cogitationes de Deo, à Deo alienas, & ipſas admonebat auferri. Quiſquis enim cogitat Deum qualis non eſt Deus, alienum Deum vtique & falſum in cogitatione portat.* Sed cum ſemper alias idolorum ablationem ac exterminationem phraſis ea imperet, vt ex Geneſ. 35. & 1. Reg.7. vidimus: cur hic aliud quiddam importaret? Cur proprie alibi, improprie hic ſumeretur? Cauſa certe vt à verborum propria vſitataque notione diſcedamus, vrget nulla. Etſi *dij alieni* ſunt omnes de Deo cogitationes, quæ aliter eum, quam ſit, efformant & intuentur, non pij pœne omnes falſos in mente ſua Deos habebunt? Nonne omnes eum in ſpeculo & ænigmate, non autem ſicuti eſt vident 1.Cor. 13. *Quis eſt*, inquit ipſemet hoc loco Auguſtinus, *qui ſic cogitet Deum, quemadmodum ille eſt?* Per myſticum igitur ſenſum poſſunt quidem vana id genus phantaſmata vocari *Dij falſi*, non tamen vere ac ſecundum litteram.

Concordia tamen inter diſcordantes haſce ſententias videtur poſſe ſtatui ſi dicatur. 1. Nullum tunc fuiſſe publicum, apertumque idoli vllius in Iſraëlitico populo cultum. Id enim probant fere allatorum argumentorum pluria. 2. Non affirmare Ioſue, falſos eſſe in populo Deos: ſed cum eſſet populi Dux & Imperator, eoſque officij monere vellet, timuiſſe, ne forte Dij adhuc aliqui apud aliquos laterent: ſicque quod ei, tanquam Principi, timere ac ſuſpicari licebat, monuiſſe. 3. Vero ſatis eſſe ſimile, fuiſſe aliquos, quamuis perpaucos, qui quædam adhuc idola retinerent, & occulte colerent. In magna enim multitudine, optimorum etiam & ſanctiſſimorum, ſemper improbi & nequam aliqui inueniuntur. & hoc fere conficiunt ſecundæ opinionis argumenta. 4. Ioſue neque diuino neque humano vllo indicio iſtos reſciuiſſe. Alioqui ſane in eos, prout improbitas tanta commerebatur, animaduertiſſet ſine dubio grauiſſime. Neque valde ab his ea, quæ ad v. 22. dixit Maſius, diſſonant. Caietanus vero vtramq. primum opinionem proponit ad v. 14. ſed magis eam probat, quæ ad animum iſtam Deorum remotionem refert, vt patet ex iis, quæ ad v.23. ſcripſit.

QVÆSTIO IV.

Veroſne crabrones, ante Iſraëlitas, in eorum hoſtes immiſerit Dominus?

QVam *crabrones* vertit noſter Interpres vocem ver.12. ea in Hebræo eſt *Tſirbah* quæ veſparum, ſeu œſtrorum, crabronumue multitudinem ſignificat: obſcenarum ſcilicet muſcarum viliſſimorumque volatilium, quæ vt aiunt Radak & Raſchi, in hominū oculos inuolant, eoſq; morſicant, & effuſo veneno ſauciant: vocant hic 70. τὴν σφηκίαν alibi σφῆκας, & σφηκίας. Huiuſmodi vero beſtiolarum volatilium agmina pollicitus olim Deus Exod 23. v.28. Deut.7. v.8. ſe Iſraëlitarum copiis præmiſſurum, hoſteſq; illis maxime læſurum & debilitaturum. Promiſſis autem ſuis ſtetiſſe Deum, narrat hoc loco Ioſue v.12. At diſquirunt Doctores, *an proprie* hi *accipiendi crabrones*, an metaphorice? *S. Auguſtinus* in Exod. q.93. & hic q.27. *metaphoricos* intelligit crabrones. quia veros diuinitus immiſſos nūquam legimus, *neque*, ait, *Moyſi temporibus, neque ſub Ieſu Naue, neque ſub Iudicibus, neque ſub Regibus.* Bona tamen Doctoris tanti venia *veros alij* crabrones accipiunt vt Arias, Maſius, Caietan. *Primò* enim ipſiuſmet S. Auguſt. regula eſt, verborum proprietatem in Scripturis tenendam, dum abſurdi nihil eſt. At quid abſurdi, ſi beſtiolarum iſtarum in Chananæos immiſſa diuinitus examina dicamus? Quid non potius mirabile, Deiq; potentia & maieſtate dignum? *Secundò.* Per metaphoricos crabrones intelligit S. Auguſtinus vniuerſe quidquid terrorem incutit, ipſumq; à Deo timorem hoſtium animos inuadentem, & torquentem. *Veſpæ*, inquit, *iſtæ aculei timoris intelligendæ ſunt fortaſſe, quibus agitabantur memoratæ gentes, vt cederent filiis Iſraël.* Speciatim vero hic qu. 27. veſpas iſtas exponit idem dupliciter. *Primò.* Vt fuerint præuolantes de Iſraëlitarum aduentu *rumores*, quib. vehementiſſime pungebantur & cruciabantur Chananæi, prout ſupra in Rahab oratione patuit c.2. v.11. *Secundò.* Vt fuerint Dæmones ſeu occulti aërij ſpiritus, quod in Pſ. 77. dicit *per Angelos malignos.* Sed textus ante citatos, qui paulo aſpicit diligentius, videt ea crabronibus coniungi, quæ metaphoricos abigāt, veros retineant. Exod. 23. v. 26. prius dicit Dominus: *Terrorem meum mittam in præcurſum tuum*, ſiue *ante te, & occidam omnem populum*, ſiue *conturbabo*, perterrefaciam, & vt 70. vertunt ἐκστήσω. exanimabo. Tum vero poſt, quaſi modus, quo futurum id ſit, vt exponi poſſet noſter Latinus, vel potius vt Hebræus & Græcus clarius indicant, maius & prodigioſius quid ſubiicitur: *Cunctorumque inimicorum tuorum coram te terga vertam, emittens crabrones prius, qui fugabunt Heuæum & Chananæum.* In Hebræo autem & Græco clarius eſt, vt dixi: *Et mittam crabones ante te.* Deuteron.20. cum dixiſſet Moyſes mira, quæ propter Iſraëlitas feciſſet in Ægypto Dominus, addit, alia eum adhuc, iis in gentibus, ad quas venturi ſunt, facturum, verbi cauſa, in has, ante illorum aduentum, crabrones immiſſurum. At in Aegypto nonne *terrores*, nonne *maligni*, qui Aegyptiorum animos metu cruciarent, fuere *ſpiritus*? Sed *tertio*, rem hanc totam conficere poteſt vel vnus è Sapientiæ 12. verſ.8. locus. Cum enim dixiſſet ſapiens, Chananæos, propter grauiſſima, quibus erant contaminatiſſimi, crimina grauiſſime à Deo punitos, Iſraëlitarumque manibus verſ. 6. perditos, adiunxit: *ſed & hiis, tanquam hominibus, pepercisti, & miſiſti antecesſores exercitus tui, veſpas, vt illos paulatim exterminarent.* Ecce præter Iſraëlitarum gladios, fuit aliud quidpiam quod hoſtes, & quidem paulatim exterminaret. Id autem præcurrens timor haud

Digitized by Google

A fecit. Neque enim iſtorum aliquos deleuit, neque paulatim deleuit. Sed ſimul omnes corripuit: ſimul omnes perculit, fregit & diſſoluit, vt ex timoris natura & Rahab narratione ſupra c.2. fit perſpicuum. Verum addit, quæ veros crabrones clariſſime indicent, alia Sapiens verſ. 9. & 10. *Non quia impotens eras in bello ſubiicere impios iuſtis, aut beſtiis ſæuis, aut verbo duro exterminare: ſed partibus, iudicans, dabus locum pœnitentiæ.* His in verbis cauſam dat, cur veſpas ſeu crabrones, Iſraëlitici exercitus prodromos vt hic appellat Græcus textus, præmittere voluit Dominus. Et
B ea cauſa non in tropicos ac improprios, ſed in veros ac proprios cadit crabrones. Cum enim hi animalcula ſint minutiſſima & viliſſima, poſſet forte aliquis dicere, non potuit alia Deus contra Chananæos maiora & terribiliora facere? non potuit bello, populique ſui ferro illos exſcindere? nonne vrſas, lupos, leones, ſæuaſq; ac immanes alias in illos immittere beſtias? nõ verbo aliquo duro, ſeu vt in Græco eſt, ἀποτόμῳ, id eſt, *præciſo ac vibrante*, medullaſque intimas penetrante ac *diſſecante verbo*, imperio, ac nutu illos è medio funditus tollere? Imperio, inquit, potuit hæc, qui omnipotens eſt, omnia: ſed per-
C exilium, abiectiſſimarumque beſtiolarum opera vti maluit, vt paulatim, & per partes, ſenſim ac minutim (hoc enim eſt illud *partibus* verſ. 10. Græce κατὰ βραχύ, vt verſ. 8. & κατ' ὀλίγον verſ. 2.) gentes iſtas iudicaret ſeu indicium in eos exerceret, eas profligaret, idque vt iis, tarditate iſta, & lento, diuturnoque cruciatu, pœnitentiæ locum & occaſionem daret vt Romanæ 2. verſ. 4. idque rurſum, quia licet grauiſſimi eſſent peccatores, homines tamen erant, quibus aliquo modo parcere, aliquidque in ipſis etiam pœnis, miſericordiæ ac lenitatis tribuere, cenſet miſerator & miſericors Dominus æquum verſ. 8.
D *non ignorans, quia* v. 10. *nequam eſt natio eorum* (ſeu natiuitas & conceptio πονηρὰ γένεσις, vt Pſ. 50. ver. 7.) *& naturalis malitia ipſorum*: ἔμφυτος κακία, id eſt, natiua & ingenita, ob originalis peccati comitem naturæ deprauationem, ac ad malum propenſionem. Gen. 6. v. 5. Si *crabrones* hic eſſent *bellici rumores* ac *tutores*, an non hi ipſi ad bellum, quod iis tamen opponi vidimus, pertinuiſſent? & cum ſæuis ac immanibus beluis cur conferrentur? nonne debuiſſet minutas etiam ac viles his adiicere ſapiens beſtiolas, vt ranas, locuſtas, & ſcinipes, cũ & his Ægyptios vexaſſet olim Dominus Exod. 8. 9. 10. & cum his poſſent etiam
E timores conferri? Et nonne hi Chananæos peruaſiſſent, ſimul omnes, ſimul eos compugiſſent, ſimul, vno, velut agmine facto perculiſſent ac lancinaſſent? Quod ad *malignos* etiam transferendum *ſpiritus*, & hoc præterea: ſi per *crabrones* ij eſſent ſignificati, non recte à ſapiente dictum fuiſſet v. 9. *Non quia impotens eras*: Maioris enim videtur potentiæ dæmonibus vti adminiſtris quam veſpis ac inſectis animaliculis, imo quam hominibus, beluis, ac verbis, quantumlibet aſperis ac tonitruoſis. Veros igitur, Dei iuſſu in Chananæos, ante Iſraëlitarum ad illos acceſſum, præuolaſſe crabrones, ſatis opinor manifeſtum. Ideoque Sanct. Auguſtinus à priore ſententia nonnihil recedens, aut certe remittens, hoc ipſo modeſte ait hoc loco: *Niſi forte quis di-*

cat, non omnia, quæ facta ſunt eſſe conſcripta: & hæc quoque viſibiliter factum, vt veras veſpas velit intelligere. E contrario autem cum metaphoricas tantum veſpas vellent Iunius ac Tremellius, immodeſte admodum & audacter idipſum in textum ipſum inſerere auſi ſunt. Exod. 23. verſ. 28. dum vertunt ſic. *Mittam, inquam, terrorem mei tanquam crabronem ante te.* Qua in re non ea tantum, quæ hactenus dixi, ſed ipſum etiam Magiſtrum ſuum Caluinum hic, & Camerarium Centuriæ 2. c. 13. aduerſantem habent. Simile vero huic veſparum plagæ videtur illa, quam in Perſarum Niſibim obſidentium copias, equos, & Elephantes precibus ſuis Epiſcopus immiſit Sanctiſſimus Iacobus Niſibenus, vt eſt apud Theodoretum, in Patrum hiſtoria c. 1. Forſaſſis vero ſtatim dum ex Ægypto egredi cœperunt Iſraëlitæ, ſæuire cœpit hoc in Chananæos flagellum, vt quemadmodum dictum eſt, paulatim ac ſenſim conficerentur ac extirparentur.

QVÆSTIO V.

An veram Iſraëlitis fecit Ioſue optionem Deo aut dijs ſeruiendi?

Clare dicitur v. 15. *optio vobis datur: Eligite hodie quod placet.* Sed 1. nomen illud *optionis* in Hebræo & Græco non eſt, res tamen ipſa eſt. 2. Et ea re, ipſoque, quod in textibus omnib. eſt, *eligendi* verbo ſignificatur quidem arbitrij humani libertas qua alterutrum optare illi ac eligere poſſent: nullo tamen modo aut volebat, aut velle recto poterat Ioſue, vt Deorum eligerent ſeruitutem. Id enim & Dei & naturæ legibus prorſus aduerſum. 3. Sic tamen locutus eſt Ioſue, vt vehementius ac efficacius ipſos ad Dei cultum eligendum, conſtanterque tuen-
D dum adduceret. Cum enim inter duo datur optio, quorum vnum optimum, & quidem ita, vt eiuſmodi eſſe conſtet, alterum vero peſſimum & abſurdiſſimum, idque ita eſſe pateat, exhortatio eſt ardentiſſima, qua quædam veluti neceſſitas ratione præditis hominibus imponitur ad illud ipſum, cujus tanta tamque nota bonitas eſt, amplectendum: & contrarium illud magnum malum omni modo fugiendum, ac deteſtandum, quemadmodum recte obſeruat q. 11. Abulenſis, vt ſi dicam; vultis exleges prorſus & pecudum more, vitam agere, an hominum
E more boniſq; ac honeſtis legibus? Alterutrum vobis, ô mortales, agendum, vt vel æterna in cœlis perfruamini beatitudine, vel æternis apud inferos ſuppliciis dies noctesque macteminis vobis datur optio; vtrumuis eligite. Atque hoc etiam exhortandi modo vſus eſt Elias Propheta 3. Reg. 18. v. 21. Eccl. 15. v. 18. imo & Pilatus, cũ ad ſceleratiſſimos cæciſſimoſq. illos clamauit Matt. 26. v. 17. *Quem vultis dimittam vobis, Barabam an* IESVM, *qui dicitur* CHRISTVS? & ver. 21. *Quem vultis de duobus dimitti?* Tanta tamen in Iſraële tum fuit cæcitas, vecordia, & inſania tanta, vt nihil profecerit Pilatus, ſed inſignis ille homicida, magis quam innocentiſſimus Saluator & Meſsias, quam IESVS inquam CHRISTVS optaretur. Hi vero Iſraëlitæ multo cum Ioſue ſapientius verſ. 16. 17. 18.

Digitized by Google

QVÆSTIO VI.

Quomodo Deum eligentibus Iſraelitis dixit v. 19. Ioſue, Non poteritis ſeruire Domino?

FIeri non poteſt, vt Domino ſeruire nō poſſint ſerui Creatori creaturæ, Deoq. homines. Nam & Tyrannus foret ille, qui his, quod facere non poſſent, præcepiſſet; inſanus eſſet Ioſue, qui rerum, quæ fieri non queunt, optionem daret: quin & ad illas moneret ac exhortaretur. Omnes igitur Interpretes, iſtud, B quod ait Ioſue, *Non poteritis ſeruire*, accipiendum negant abſolute, ſed modificate tantum ac reſtricte. *Modificatio* vero ac reſtrictio à multis traditur *multiplex. Primo.* A S. Auguſtino hic q. 28. *Non poteritis, veſtris viribus* abſque Dei adiutorio & miſericordia. *Secundo.* Ab eodem ibidem. *Non poteritis perfecte*, ſineque offenſione vlla. *Tertio.* Ab Abulenſi q. 12. *Non poteritis, impune*, citra iram pœnamque diuinam. *Quarto.* Ab eodem ibidem. *Non poteritis facile*: ſed tantum difficulter, eo ſcilicet modo, quo Ariſtoteles Phyſ. 3. c. 3. text. 34. *infinitum* quod- C dam ait, quod *difficulter* ſeu *vix finiri*, tranſirique poteſt. *Quinto.* A Caietano. *Non poteritis conſtanter* & diu. *Sexto.* Ab aliis. *Non poteritis vna cum idolorum cultu.* Mihi videtur iſta negatio, *Non poteritis ſeruire Domino*, vehementiſſima eſſe ad ei ſeruiendum cohortatio. Qui enim aliquos aliquid velle vident, idque magis eos adhuc velle optant, ſolent iis dicere, *Non poteritis hoc facere, habere, conſequi.* Hoc enim loquendi modo, non ſimpliciter negatur eos illud poſſe: ſed aliquis intelligitur modus & conditio, quā intelligit, qui ita loquitur, quāq. ab eo cui loquitur, intelligi, aut ſcit aut curat. v.g. Sit Impera- D tor, qui milites quoſdā aliquid aggredi volētes acuere magis ac exſtimulare velit, proponit iis primo ipſorum paucitatē, rei difficultatem, periculorum, quæ obuentura ſunt, magnitudinem: tumque ait, *Non poteritis, quod inſtituiſtis, efficere*, non hoſtes vincere, niſi ſcilicet magnos induatis animos, labores ac pericula perferre parati ſitis maxima, decretumque animo ac fixum habeatis aut cadere aut vincere. Quod ſi vero tam generoſo animo tamque præſtanti virtute eſtis, efficere vtique illud, quod agitatis animo, poteritis. & tales vt ſitis, negocium- E que ſtatim aggrediamini, vehementer opto, exhortor; & per Deum, perque omnia vobis chara obteſtor. Quid hic illi milites? An ex illa prima Imperatoris negatione animum deſpondent? An non intelligunt, non eſſe abſolutam præciſamque negationem, ſed quæ conditiones potius quaſdam requirat? Et nonne has illico accipient? Nonne incitabuntur magis, vt quam iis innuit bonus Dux, virtutem, tolerantiam, & animi excelſitatem ſuſcipiant? in labo- F res & diſcrimina ruant fortiter omiſſa? neque acquieſcant prius quam effectam rem illam dederint? Ita profecto Ioſue cum Iſraelitas Deū præ diis omnibus eligentes vidiſſet, magnoque ob electionem eam affectus eſſet gaudio. Eas tamen eā in re voluit adhuc reddere inflammatiores, impigriores ac perſeuerantiores. No-

A uerat ipſe ipſorum ad vitia, & idololatriam præſertim, nimium quam præceps ingenium. Nouerat prauam quorundam in aduerſis quiritandi ac murmurandi, in ſecundis ac proſperis luxuriandi, ac diuinorum obliuiſcendi conſuetudinem. Nouerat à reſiduis Chananæis, à circumfuſis idololatricis gentibus, & à diabolo & carne multas iis, ad omnigena peccata, Deique deſertionem, occaſiones, illecebras, ac fraudes plurimas obuenturas. Ad hæc omnia quam munitiſſimos & attentiſſimos eſſe vult Ioſue, vt ſuperare hæc deinceps enitantur illi omnia, vt peccatorum occaſiones, idololatriæ incitamenta, nequitiæ ſtirpes ac ſemina ſtudioſiſſime, fortiſſimeque declinent omnia. vt nulla re ſe à Deo ſanctiſſimoque ipſius cultu deducere patiantur: ſed in eo diuina cum gratia & auxilio, alacerrime, conſtantiſſime, perfectiſſimeque, quantum mortalibus fas, perſiſtant ac perſeuerent. Et hoc in iis deſiderium, ardorem ac impetum, vt excitet, vt occulte tecteque vitioſitatis prauitatiſq. ſuæ monitos, ad ſui deinceps cuſtodiam ſeriamque curam inſtiget: vt ad ipſius Dei cultum, omnibus etiam conſideratis difficultatibus, promptiſſimos, maximeque lubentes ac voluntarios efficiat, nunc ait: *Non poteritis ſeruire Domino*, prout ſcilicet oportet, pure, caſte, integre, diu, & conſtanter, niſi vobis deinceps caueatis, animoque ipſius leges ac cæremonias colatis maximo.

Et hoc intelligi etiam poteſt è rationibus, quas ſuo huic dicto adiungit quaternas. *Prima. Deus* enim *ſanctus.* Sancte igitur pure, & caſte coli vult. Et Hebraice in plurali eſt. *elohim cedoſchim*, id eſt, *Deus valde ſanctus, ſanctiſſimus* ſeu præciſe, ac ſine additione vlla, ſanctus, vt noſtro eſt Interprete, ac 70. ὅτι ὁ θεὸς ἅγιός ἐστι. vt Ieremiæ 10. verſu 10. *Deus viuens*, Hebraice *viuentes. Secunda, Et fortis æmulator eſt* ſeu zelotes, vt in 70. ζηλώσας. Nihil igitur contra eum, quod grauius quidem ſit, quodque ſacra & religiones ipſius euertat, admittendum. *Tertia*, Ab zeli huius diuini effectu. *Nec igneſcet ſceleribus veſtris atque peccatis.* quæ, vt dixi, eius cultum euertunt, ſcandala magna ſunt, grauius ipſum offendunt, prout ſequitur verſu 20. *Quarta, Si dimiſeritis Dominum, & ſerujeritis Diis alienis, conuertet ſe & affliget vos, atque ſubuertet poſtquam præſtiterit bona.* Ne quid horum igitur malorum vobis, quod abſit, eueniat, & quia Deum talem habetis, ſeruite, ſeruite ipſi, ô Iſraelitæ, toto corde, totaque anima, religioſiſſime, accuratiſſime, perſeuerantiſſime. Intellexit iſto modo populus: ideoque ita ſe facturum reſpondit ac ſpopondit verſu 21. 22. 24.

QVÆSTIO VII.

Quomodo cum Iſraelitis fœdus percuſſit Ioſue?

PErcuſſit cum populo fœdus Ioſue, vt narratur v. 25. De modo autem exprimuntur ſtatim nonnulla, & quæruntur alia. Quæ exprimuntur ſunt quatuor. *Primum. Propoſuit populo præcepta, atque iudicia in Sichem.* Caietanus *Præcepta hæc & iudicia* in ſuperiori capite putat tradita. indeque colligit, vnum & eundem huius

Digitized by Google

& ſuperioris concionis locum eſſe. Sed infirma collectio eſt. Nam poſſunt ita duo hæc nomina exponi, vt iſto etiam capite contineantur iis ſubiectæ res. Quid enim tota capitis huius exhortatio, quam ad obſeruanda Dei præcepta & iudicia exhortatur? Deinde dicunt Interpretes alij omnes, hic generatim ſolum dici quid factum ſit, non autem ſingillatim, quæ præcepta & iudicia propoſita ſint. Proponere autem accipit Radak pro monimentis *ad memoriam mandare*: & tunc ſuperuacaneum putat Hebræũ *lo.* id eſt, *ipſi*, quemadmodum alias notaui *Ire ſibi* pro ſimpliciter ire. Sed expoſitio hæc repugnat 70. Latinoque textui & Rabbinis aliis. His autem *proponere* eſt *recitare*. Aiunt enim Ioſue, ad morituri Moyſis imitationem, legis capita, vel omnia vel præcipua palam recitaſſe. *Quod ſane*, inquit Maſius, *credibile eſt*. Ipſe tamen mauult *proponere* hic eſſe *imponere*, vt ſententia ſit: in fœderis conditionibus hoc ab Ioſue Iſraelitis impoſitum, vt legis ſtatuta & iudicia cuſtodirent. Quomodo autem differant *ſtatuta & iudicia* docet idem ex R. Moſe Albo. Sed de his alibi.

Secundum. Scripſit quoque omnia verba hæc in volumine legis Domini v. 26. id eſt, iſtud fœdus, factaſque has à Ioſue hactenus monitiones ac ſtipulationes, à populo autem ipſo reſponſiones ac teſtationes in eum legis librum, quam olim ſcripſerat Moyſes, & vel iuxta fœderis arcam, vt Maſio videtur, vel in ipſa, vt aliis pleriſque, retulit. An autem per ſe ſcripſerit ipſemet, an per alios, non habeo dicere. Nouatoribus autem Iunio ac Tremellio tantum, quod mirum, Sacerdotibus tribui placet, vt dicant: *Iuſſit Ioſue vt Sacerdotes referrent in librum legis Dei Deut. 31. v. 26. quem penes ſe habebant, & in ſanctuario aſſeruabant depoſitum coram Iehoua.* Ita iſti Sacerdotum hoſtes.

Tertium. Et tulit lapidem pergrandem, poſuitque eum ſubter quercum, quæ erat in ſanctuario Domini v. 26. Pro, *poſuit*, eſt, in Hebræo *erexit, ſtatuit.* ita vt etiam *ſtatua* fuerit, & ſic appellari videatur Iud. 9. verſ. 9. magnitudine quidem magna, ſed figura formaque informi, rudi ac impolita, vt indicat quæſt. 30. S. Auguſtinus: niſi quod aliqua in eo de fœdere iſto inciſa fuiſſe videtur inſcriptio, prout eius declarat finis, de quo nõ multo poſt, idque diſerte affirmat Chaldæus Paraphraſtes. Sed *quæ illa quercus* in ſanctuario Domini? & quemadmodum in hoc erectus lapis hic? Hebræum quercus nomen *ala*, ſeu *ela*, & *allon* exponi varie ſolet. *Primo*. A Raſchi hic, non *arbor* ſed *limen*. abſque cauſa, & contra omnes. *Secundo*, Ab aliis *arbor*. ſed ea vertitur & 70. τέρμινθος, id eſt, vt etiam q. 30. legit S. Auguſtinus, *terebinthus*: Ab aliis, *ilex, pinus, abies, vlmus, caſtanea*. Verum ſcilicet eſt, quod à quibuſdam Rabbinis notatum, *nomina lapidum, arborum, & beſtiarum in Hebræa lingua, vel non accurate cognita, vel polyſema eſſe*. Recte ſubinde *terebinthum* Gen. 35. verſ. 4. & ſubinde *quercum* vocat Interpres noſter, vti oſtendit Maſius. Et eadem numero quercus hæc à Rabbinis & Chriſtianis aſſeritur, ſub qua in Sichemio agro conſedit, cum in Chananæam terram primo venit, Abraham, vbi & altare, poſteaquam apparentem Dominum, terramque illam promittentem audiiſſet

A ædificauit Gen. 12. v. 7. & ſub qua idola defodit Iacob Gen. 35. ver. 4. Hæc vero arbor *in Domini ſanctuario, quemadmodum fuerit*, non eſt vna expoſitio. *Primo* enim aliqui *ſacrarium* improprie accipiunt, pro loco ſcilicet ſacro, vbi Deo ſacrificatum, & in eius, cultum ac honorem factum aliquid. Et ſic Maſius & Caiet. locum quercus huius *ſanctuarium* appellant, quia, vt iam dixi, altare ibi erexerat olim Abraham, & Deos in tenebras damnarat & infoderat Iacob,
B vel pro loco vbi nouum erectum iam eſſet altare, abſque tabernaculo tamen, quod erat Silũte. Alij vero *ſacrarium* proprie accipiunt, ſed primo ita vt Sichemum fuerit, comitiorum tempore, tranſlatum tabernaculum, & eius tunc atrio comprehenſa fuerit quercus hæc: ſicque Abulenſis q. 19. Alij tabernaculum, vt ſupra dixi, Silunte aiunt manſiſſe, & dupliciter adhuc locum hunc exponunt. Nam Rabbini dicunt præpoſitionem ſuam *be.* accipi pro *iuxta*. ita vt ſteterit quercus hæc non præciſe *in ſanctuario*, ſed *prope ipſum* in Sichemico agro.
C Alij vero malunt in ipſo Siluntino tabernaculi atrio fuiſſe hanc arborem, & vtrumque iſtud cum iis, quæ de conuentus huius loco dicta q. 1. cohæret. Sed *obiicitur*. vetitum fuiſſe Deut. 16. v. 21. ne lucus & omnis arbor iuxta Domini altare plantaretur. *Reſpondent* aliqui non licuiſſe quidem plantare, ſed ſi plantata iam olim fuiſſet, relinqui potuiſſe. At recte id reiicit Abulenſis, fuiſſe id contra legis finem, qui erat, ne vlla eſſet, vel occaſio vel ſpecies idololatriæ cum ſolerent Gentiles lucis & arboribus, diuinum quendam honorem habere, vel per huiuſmodi arboreta nefarios Deos colere. At iſtum
D ob finem, non modo, non plantare, ſed ne relinquere quidem arbores licebat, quod & adiũctis rationibus probat lib. 2. de Monarchia Philo: vt propterea nullo modo audiendus ſit, qui nuper lib. 2. *de vitulo* cap. 11. lucum hic fuiſſe dixit vir doctus Moncæius. Reſpondet igitur ipſe Abulenſis, non licuiſſe relinqui, ſi quidem inibi diu figendum eſſet tabernaculum: ſed ſi ad paucos aliquot dies iſtud ibi tantum applicaretur, licuiſſe. Ita vero nunc in Sichem factũ fuiſſe. Sed cum alicubi ponebatur tabernaculum, omnis illa certe munditia & ſanctitas, quã
E requirebat Dominus, adhibenda erat, etſi ad vnum tantummodo diem hærere ibi debuiſſet. Deinde negatum ſupra, factam fuiſſe tabernaculi in Sichem tranſlationem. Reſpondeo igitur, non vetari vnius vel alterius arboris in ſubdiali & patente tabernaculi atrio ſtatum, maxime ſi antea iam ibi fuerit, eiuſque vſus conſtet rectus & ſimplex. Nam quod obiicit Abulenſis, in textu *omnem prohibitam arborem*, Reſpondeo non prohiberi, quaſi membrum à luco diſtinctum: ſed omnem quæ luci pars ſit arborem ſeu *lucum ex omni arbore*, prout ex Hebræo & græco recte intelligitur Latinus. Omnes enim per
F appoſitionem loquuntur, quæ reſoluitur optime in lucum ex quocunque arborum genere. Vna vero vel altera arbor, lucus non eſt. Et potuit omnium maxime iſta tam annoſa quercus, tot tantiſq. rebus à tot ac tantis nobilitata Patriarchis relinqui, dum & ſuo ipſo aſpectu ad veram Dei religionem, iſtorumque Sancto-

Digitized by Google

rum imitationem excitaret.

Quartum dixit Ioſue verſu. 27. *ad omnem populum. En lapis iſte erit vobis in teſtimonium, quod audierit omnia verba Domini, quæ locutus eſt vobis.* Sic enim recte correctum in Latinis Romanis Bibliis, cum exemplaria quædam haberent, *quod audieritis* vel *audieris.* Horrebant ſiquidem exemplarium iſtorum librarij, ſaxo auditum tribui. At ab Hebræo & Græcis 70. tribuitur, diciturque lapis audiuiſſe verba Domini omnia. Quod tamen ab omnibus per tropum explicatur. Sed varie. *Primo.* quoad effectum, quaſi diceret: lapis hic tam teſtatur omnia, quæ locutus eſt Dominus, quam ſi, vti ſolent teſtes, ſuis illa auribus audiuiſſet, idque vult Chaldæus paraphraſtes dum vertit: *En lapis iſte erit nobis, quaſi duæ tabulæ lapideæ fœderis. Facimus enim ipſum pro teſtimonio. Verba enim, quæ in eo ſunt inſcripta, referunt omnia verba, quæ Dominus locutus eſt ad nos. Secundo.* Vt *audire* ſit *obedire*: Ideoque non Iſraelitarum, ſed Dei dicitur lapis hic audiuiſſe verba. Omnes enim creaturæ Deo ad nutum obediunt. Ita fere Caietanus. *Tertio.* Vt per proſopopœiam lapidi auditus tribuatur, ad rei magnitudinem monſtrandam, vti obſeruat quæſt. 19. Theodoretus, quemadmodum Iſaiæ 1. *Audite cœli*, & Deuter. 32. verſu 1. *Audite cœli*, quæ loquor, *audiat terra verba oris mei.* At hic lapidis ſeu ſtatuæ huius finis, teſtari ſcilicet perpetuo, ac in memoriam omnibus redigere fœderis huius pactionem. Emphaſim vero magnam habet hoc, quam ſuo ex loco, pro ſuo nouitatis ſtudio, ſuſtulerunt Nouatores & Tremellius, dum verterunt: *Ipſe lapis interfuit, conteſtando omnes ſermones Ioſuæ, quibus locutus eſt nobiſcum.* Pulchre vero ac vere hic quæſt. 30. per anagogen quatuor notat S. Auguſtinus. *Primum.* per lapidem iſtum ſignificari Christvm Dominum qui eſt *lapis angularis* 1. Petr. 2. Pſal. 11. *petra ſpiritalis* Exod. 17. 1. Corinth. 10. Atque hanc Sancti Patris anagogen notat etiam & amplectitur, (quod valde obſeruandum) R. Moſes Nehemannus. *Alterum*, contra infideles Iudæos clamare hunc lapidem: ideoque & dixiſſe ad iſtos Ioſue, Ne forte poſtea negare velitis & mentiri Deo noſtro. *Tertium*, cum iam olim cum populo Iſraelitico percuſſerit fœdus Moyſes, Exod. 24. Per iſtam nunc fœderis iterationem ac renouationem ab Ioſue inſtitutam, ſignificari nouum, quod verus Iesvs ſanxit, teſtamentum. *Quartum*, per *terebinthi* vel *quercus* arborem hanc ſignificari lignum ſanctæ crucis, ſub quo per humilitatem, & in quo erectus fuit lapis iam dictus Christvs Dominus. Hic tamen è terebintho vel quercu fuiſſe dominicam crucem non colligitur, vt pluribus contra Ciacconum probat Gretſerus noſter l. 1. de cruce c. 6. Atque hæc de fœdere iſto Ioſuano diſerte narrat contextus.

Alia vero ab Abulenſi quæruntur q. 13. & 14. Sed breuiter ſic Maſius: *Eſt autem veriſimillimum hic nullum eſſe ſolennem ritum omiſſum, vt eſſet omnibus modis ſanctiſſimum fœdus. Et quia iſta pactione rurſus veluti initiabatur ſacra religione, non ſolum ſacrificatum eſſe, verum etiam, tanquam nexu quodam, victimæ ſanguine partim aram Dei, quaſi Deum ipsũ, partim populum eſſe inſperſum ſolenni ritu quando à Moyſe ſic factum conſtat, cum illud fœdus pangeret primum cuius nunc renouatio agitur, Exod.* 24. Attamẽ à Moyſe fuerunt illic xii. erecti lapides: à Ioſue vnus tantum: quia illi ſignificabant xii. tribus, quæ cum Domino paciſcebantur, iſte vero Dominum, qui cum tribubus paciſcitur denotat. Nec procul hinc erant alia illa xii. ſaxa, quæ c. 8. dicta ſunt à Ioſue ſtatuta cum inter Garizim & Hebal montes ſacrificatum. Et ſi monſtratam ab S. Auguſtino anagogen perſequi placet, nonne vnus angularis lapis Christvs Iesvs? Nonne vna petra ſumma & ſolidiſſima, cui minores aliæ innitantur omnes? Quin & in teſtamento non tot erat ſymbolis & figuris opus, quot in veteri Moſaico, cum eſſent illic omnia typi vmbræ, ac imagines rerũ Christi Domini tempore futurarum. Cæterum hiſce abſolutis omnibus comitia ſoluta: & dimiſit Ioſue populum, ſingulos in poſſeſſionem ſuam verſu 28.

QVÆSTIO VIII.

Quando mortuus Ioſue?

Tempora poſſunt conſiderari varia. *Primo.* enim quæri poteſt, *quanto poſt comitia* & *fœdus hoc ſancitum, tempore vixerit?* & reſpondet Maſius: *Credibile eſt, cum poſt iſta comitia non diu vixiſſe, ſed paulo poſt, reuerſum domum exceſsiſſe è vita:* ſicut & poſt eiuſmodi vltimam concionem exceſſit ſubito Moyſes: Deinde poteſt quæri, *quo ætatis ſuæ anno mortem obierit?* Et reſpondet ſacer ipſe textus v. 29. *fuiſſe centum & decem annorum.* Qua etiam ætate fuit Ioſeph cum moreretur. Gen. c. 50. v. 25. Vnde notat in eum locum *Bereſchith Rabbah* fol. 115. colum. 3. ſex eorum paria, quibus par viuendi ætas.

1 *Rebecca & Cahat.*
2 *Leui & Hamram.*
3 *Ioſeph & Ioſue.*
4 *Samuel & Salomo.*
5 *Moſes, & Hillel ſenior.*
6 *Iuchanan ben Zochai, & R. Akiba.*

Poteſt *tertio* quæri, *quoto principatus ſui mortuus ſit*, ſeu *quoto poſt Iordanis tranſitum, anno?* Et de hoc tot fere, quot diei horæ, ſunt, ſententiæ. *Prima.* Scaligeri *in Elencho Parei* p. 29. *Non ſolum*, ait, *quot annos Ioſua populo præfuerit, ignoratur, ſed & quantum annorum ab initio libri Ioſuæ ad finem interfluxerit. Altera* ſententia certum nullum definit tempus, ſed quot illi tandem anni fuerint, eos ait contineri annis 40. qui Othonieli Iudici primo aſcribi ſolent. Ita quidam apud Abulenſem in Iudicum proleg. q. 9. & ipſe ibidem q. 21. Ribera lib. 1. de templo c. 1. Clemens quidam Schubertus libr. de ſcrupulis Chronic. cap. 4. Aliæ certum definiunt tempus ſententiæ. *Tertia* igitur, quæ Adrichomij in vtroq. Chronico eſt, poſt Moyſis mortem Iordaniſque trãſitum annos tantum 7. Ioſuæ dat. *Quarta* Mercatoris in Chronolog. octo vel nouem. *Quinta* Caietani, & Ariæ hic, & Cani lib. 11. c. 5. ad 11. argumentum, decem. *Sexta.* Rambam lib. 2. *Moreh Nebuchim* c. 32. quatuordecim. *Septima* V. Bedæ, Lucidi, & Hugonis Brughthdonin ſuo concentu, ſeptendecim. *Octaua* Genebrardi, &

Digitized by Google

Chytræi in ſuo Onomaſtico, duodeuiginti. *Nona*, Ioſephi ſub finem capitis lib. 5. vigintiquinque. *Decima*, Ralbagi in caput 11. Iudicum Euſebij, Sulpitij S. Theophili lib. 3. D. Auguſtini l. 18. Ciu. cap. 11. Nicephori Conſtantinopolitani, Georgij Sincelli, qui & ex agrapho ſeu non ſcripta conſuetudine ac traditione id haberi ait, viginti ſeptem. *Vndecima*, Sederholam cap. 12. & Radak, & R. Abraham Zacuth libr. Iuchaſin fol. 10. R. Godolias in Catena ſua folio 14. & 97. ipſiuſque etiam Maſij c. 11. 18. 24. viginti octo. *Duodecima*, Eupolemi apud Euſebium lib. 9. Præparationis, triginta.

Nunc opinionum iſtarum omnium, quæ veriſſima? Sane ex iis, quæ ſupra de diuiſionis tetræ annis prioris & poſterioris conſtituta ſunt, apparet ſententiarum iſtarum, quæ præter aliquam minime improbandam ignorantiæ confeſſionem, aliquid ſtatuunt, quatuor aut quinque primas reiici. De reliquis vero ante Iudicum omnium examinata, firmataque tempora certo pronunciari haud poteſt. Expecta igitur parumper, bone Lector, & paulum, vel in ſequentem librum, vel in 3. Regum *differ. Habent paruæ commoda magna moræ*.

Menſis vero, mortiſque dies memoratur in Hebræorum Calendario *Niſan dies* XXVI. videlicet poſt Moyſen, qui præcedẽte menſe, *Adar*, dicto, è vita migrauit, ſequeretur *Ioſue*: & vero etiam, quia hoc ipſo *Niſan* menſe olim verus erat moriturus Ioſue CHRISTVS Dominus.

QVÆSTIO IX.

Vbi, & quo cum planctu ſepultus Ioſue?

IOſuanæ ſepulturæ locum intento veluti digito monſtrat ſacer textus v. 30. *Sepelierunt*, inquit, *eum Iſraelitæ in finibus poſſeſsionis ſuæ in Thãnathſare, quæ eſt ſita in monte Ephraim, à ſeptentrionali parte montis Gaas*, pro quo vitioſe in 70. eſt *mõs Galaad*: & pro *Thamnathſare* aliquandó eſt, & recte, Θαμνασαράχ, aliquãdo, & male, Θαμνάσαχαρ vt ſupra c. 19. interdũ alio nomine Θαμναθαρὲς vt Iudic. c. 1. pro *Thamnachares* vel *Thãnacheres*. In principio Midras Ruth fol. 40. col. 2. dicit R. Barachias: *Euoluimus totam Scripturã, & nullum inuenimus locum, cui nomen ſit Gabas.* additque hoc ei loco nomen impoſitum, quia ibi tumultuati ſunt, vt nullo remunerarentur beneficio ac pietate ipſum Ioſue, qui terram iis diſtribuerat. Planctus verò viris magnis & luctus, plures dies fieri apud Iudæos ſolebat, vt *Iacob*, Gen. 50. *Aaroni* Num. 20. *Moyſi* Deut. 24. His enim duob. totos 30. dies in luctu parentatum. Quid noſtro igitur factum Ioſuæ? Veriſimile non factum minus. Attamen de hoc nihil omnino litteris proditum. Ideoque S. Hieron. Epiſt. ad Fabiolam de XLII. manſionibus, manſione 34. *Aaron plangitur* IESVS *non plangitur. In lege deſcenſus ad inferos, in Euangelio ad paradiſum tranſmigratio.* Et ad Paulam ſuper obitum Bleſillæ, *Nequeo*, ait, *ſatis Scripturæ laudare myſteria: & diuinum ſenſum in verbis licet ſimplicibus admirari, quid ſibi velit, quod Moyſes plangitur &* IESVS Naue *vir ſanctus, ſepultus refertur & tamen fletus eſſe non ſcribitur. Nempe illud quod in Moyſe, id eſt, in lege veteri ſub peccato Adam* A *omnes tenebantur elogio, & ad inferos deſcendentes cõſequentes lachrymæ proſequebantur, ſecundum Apoſtolum, qui ait Rom. 5. Et regnauit mors ab Adam vſque ad Moyſen etiam ſuper eos, qui non peccauerunt. In* IESV *vero, id eſt, in Euangelio, per quem paradiſus eſt apertus mortem gaudia proſequuntur: fleuiſque Iudæi & nudatis pedibus in cinere volutati ſacco incubant. Ac ne quid deſit ſuperſtitioni ex ritu vaniſsimo Phariſæorum primum cibum lentis accipiunt, videlicet oſtendentes, quali edulio primogenita perdiderint. Sed merito, quia in reſurrectionem Domini non credentes, Antichriſti præparantur aduentui. Nos vero qui* CHRISTVM *in-* B *duimus, & facti ſumus iuxta Apoſtolum 2. Pet. 2. genus regium & ſacerdotale, non debemus ſuper mortuos contriſtari.* Hæc ſanctus, cui fidem faciunt hodierni etiam noſtratum Iudæorum planctus, qui in ſuorum funeribus, Moguntiacam hic arenam, dum è vicino, vbi ſua lauant cadauera, tugurio exierunt, complent, quæſtibus, fictiſque lachrymis & ſuarum adhuc veſtium circa collum particulam à Rabbino modice abſcindi faciunt, modiceque ipſi poſtea manu vellunt ac lacerant.

C

QVÆSTIO X.

Quale Ducis Ioſue ſepulchrum? & num in hoc lapidei cum illo ſepulti cultri?

DE ſepulchro nihil aliud habeo ſcribere, quam quod ſcripſit S. Hier. in Paulæ Epitaphio: illud ſuo adhuc tempore fuiſſe: & quidem in magno adhuc precio & honore. *Sepulchra*, inquit, *in monte Ephraim Ieſu filij Naue, & Eleazari filij Aaron Sacerdotis, è regione venerata eſt* Paula, *quorum alter conditus eſt in Thamnath ſare, à ſeptentrionali parte montis Gaas: alter in Gabaa filij ſui Phinees*. Brocardus in terræ ſanctæ deſcriptione. D *In ſpelunca*, inquit, *Leopardorum montis, ſpelunca quædam pedum* XXVI. *frequentatur deuote à Saracenis, quod illic ſepultum putant Ioſue.*

In idem vero ſepulchrum conditos lapideos cultros, quibus ſupra c. 5. circumciſionem ab ipſo in Galgalis factam diximus, narrant hoc c. 70. ſic: ἐκεῖ ἔθηκαν μετ' αὐτοῦ εἰς τὸ μνῆμα, εἰς ὃ ἔθαψαν αὐτὸν ἐκεῖ, τὰς μαχαίρας τὰς πετρίνας, ἐν αἷς περιέτεμε τοὺς υἱοὺς Ισραὴλ ἐν γαλγάλοις, ὅτε ἐξήγαγεν αὐτοὺς ἐξ Αἰγύπτου κατὰ συνέταξεν αὐτοῖς κύριος. καὶ ἐκεῖ εἰσιν, ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας. Hoſce E vero gladiolos ſeu cultros iam antea capite 21. ſcripſerant ab ipſo Ioſue in vrbe ſua Thamnathſare aſſeruatos, Vbi ergo ſunt, qui ſanctorum res, & reliquias cuſtodiri tam inique ferũt? Myſtica vero harum petrinarum machærarum expoſitio eſt in Origene homilia vltima. Certe vero, cum per eas Dei fere verbum intelligat, apparet quanto amore ac honore ipſa etiam veræ ſanctæque doctrinæ inſtrumenta, vt ſacros libros, & multo magis eos, qui hiſce inſtrumẽtis pie periteque vtuntur, homines proſequa- F tur, verus IESVS.

QVÆSTIO XI.

Epitaphium Ioſuæ quod?

ELogia, quæ, illuſtrium Epitaphiorum inſtar ſint, tria inuenio. *Primum* in Ioſepho

Digitized by Google

lib. 5. c. 1. ſub finem. *Ἰησοῦς ἀνὴρ μήτε συνέσεως ὢν ἐνδεής, μήτε τοῦ τὰ νοηθέντα πρὸς τοὺς πολλοὺς ἐξενεγκεῖν ἄπειρος, ἀλλ' ἐν ἀμφοτέροις ἄκρος. Πρὸς δὲ τὰ ἔργα καὶ τοὺς κινδύνους εὔψυχος, καὶ μεγαλότολμος, πρυτανεῦσαι τὰ κτ̄ τὴν εἰρήνην δεξιώτατος, καὶ πρὸς ἅπαντα καιρὸν τῆς ἀρετῆς ἡρμοσμένος.* *Alterū* in Eccleſ. c. 46. *Fortis in bello Ieſus Naue ſucceſſor Moyſi in Prophetiis, qui fuit maximus ſecundum nomen ſuum, in ſalute electorum Dei, expugnare inſurgentes hoſtes, vt conſequeretur hæreditatem Iſrael.* (id eſt, vt faceret Iſraelem promiſſam cōſequi hæreditatem, in eaque ipſum collocaret) *Quam gloriam adeptus eſt in tollendo manus ſuas, & iactando contra ciuitates rhomphæas? Quis ante illum ſic reſtitit? Nam hoſtes ipſe Dominus perduxit. An non in iracundia* (ſeu manu) *eius impeditus eſt Sol, & vna dies facta eſt quaſi duo? Inuocauit altiſsimum potentem in oppugnando inimicos vndique, & audiuit illum magnus & ſanctus Deus in ſaxis grandinis virtutis valde fortis. Impetum fecit contra gentem hoſtilem, & in deſcenſu* (ſeu deſcendens) *perdidit contrarios vt cognoſcant gentes potentiam eius quia contra Dominū pugnare non eſt facile. Et ſecutus eſt à tergo potentis* (id eſt, proſequebatur hoſtes ſequens ipſe Ducem Deum, ſeu Angelum, de quo Ioſ. 6. potentem) *Et in diebus Moyſi miſericordiam fecit ipſe, & Caleb filius Iephone, ſtare contra hoſtem*) ſeu, vt in libris aliis eſt, *coram Eccleſia*) *& prohibere gentem* (Iſraeliticam) *à peccatis, & perſtringere murmur malitiæ* (ſeu murmurationē improbam & ſceleratam,) *Et ipſi duo conſtituti à periculo liberati ſunt, è numero ſexcentorum millium peditum, inducere illos in hæreditatem, in terram quæ manat lac & mel.* *Tertium* eſt hoc ipſo c. vlt. v. 29. verbis quidem breuiſſimū rerum tamen pondere, ac dignitate maximum IOSVE FILIVS NVN SERVVS DOMINI. Sed hoc explicatum ſupra c. 1. q. 2. Et addi huic poteſt quod hic paulo poſt additur v. 31. & repetitur Iudicum 2. v. 7. *Seruiuit Iſrael Domino cunctis diebus Ioſue.* Quæ Principis, Regis, ac Imperatoris illius laus maior, quam vt ipſius tempore, principatu, regno ac imperio ſeruiant Domino populi? felices, & vere coram Deo & hominibus magni, & terque quaterque magni, quibus nobiliſſimum hoc congruere poteſt elogium. Veriſſimi hi Philoſophi, quibus regnantibus, beatam & Plato & Ariſtoteles dixere Rempubl. vt ex illo etiam commemorat Tullius in Epiſt. ad Quintum fratrem qui & lib. 1. ep. ad Lentulum: *Sunt hæc apud Platonem noſtrum ſcripta diuinitus: Quales in Republ. Principes eſſent. tales reliquos ſolere eſſe ciues.*

QVÆSTIO XII.

Ad perpetuam Ioſuæ memoriam monimenta quæ alia.

MEmorant Iudæorum Rabbini monimenta duo alia. *Vnum* eſt, fuiſſe ſuper Ioſuæ ſepulchro collocatam Solis imaginem, vel potius ſtatuam, qua in poſteritatem omnem celebris perennare admirandæ illius ſolaris inſtitutionis ab ipſo Ioſue diuinitus impetratæ, de qua ſupra c. 9. memoria. idque iudicat Maſius probabile, vt putet inde Ioſuanam vrbem *Thamnathſarach*, litteris tranſpoſitis, appellatam quæ Iud. 2. v. 10. integre ac recte *Thamnath cheres* appellatur, id eſt, *vrbs Solis*. Et Caietanus in c. 2. Iudicum. *Ciuitas*, ait, *quæ prius vocabatur prohibitio reſidui* (*neſcio à quo euentu*) *vocata, fuit poſt readificationem, à Ioſue prohibitio Solis, in memoriam prohibiti à Ioſue Solis, ne progrederetur. Thimnath enim prohibitionem, Serach reſiduum, cheres vero Solem ſignificat.*

Alterum, Magnum cum ſepeliretur Ioſue in monte Ephraim, terremotum extitiſſe: ex eoque montem vocatum *Gaas*, id eſt, commotionis ac tremoris. Verbum enim *Gabas* commoueri ac tremere ſignificat. Vaniſſima eſt hoc aniliſque fabula Maſio: ſed, abſque argumento, & nulla de cauſa negare, vanum fortaſſe ac anile potius eſt: Nam fieri hoc potuit & factum eſſe veteres aſſerunt, qui midras ſeu explicationem libri *Ruth* antiquitus ſcripſerunt, & qui *Seder holam*: neque eſt, quod repugnet quidquā, quin vero eſt hoc valde ad veri IESV CHRISTI Domini mortem ac ſepulturam ſignificandam idoneum. In hac enim *terra mota eſt & petræ ſciſſæ ſunt* Matth. 26. v. 15.

Sed hiſce duobus *duo* adiicit alia Gregorius Turonenſis libro 1. Miraculorum cap. 18. *Primo, Sunt*, ait, *ad Lemdam ciuitatem aquæ calidæ, in quibus Ieſus Naue lauare ſolitus: vbi ſimiliter leproſi mundantur. Eſt autem ab Hiericho* XII. *milibus. Secundo, Propè Hiericho habentur arbores, quæ lanas gignunt. Exhibet enim poma in modum cucurbitarum teſtas in circuitu habentia duras, intrinſecus autem plena ſunt lana. Et de his enim ferunt ipſi Ieſu Naue ſolere fieri indumenta. Sed & hodie tales exhibent lanas ex quibus nos à quibuſdam delatas vidimus, & admirati ſumus vel candorem vel ſubtilitatem earum.* Meminit & ſequenti capite harum *Lemdæ* aquarum quæ fortaſſis illæ ſunt, ad quas ægrum & phtiriaſi tabeque confectum Herodem Tyrannum iiſſe, narrat lib 17. c. 8. Ioſephus. *Ποταμὸν ἰορδάνη περάσας Ἰορδάνην, θερμοῖς τοῖς κτ̄ Καλλιῤῥόην αὐτὸν παρεδίδου ἅπερ σὺν τῇ ἐς πάντ' ἀρετῇ, καὶ ποτιμά ἐστι.*

QVÆSTIO XIII.

An vllum cum Armenia, Perſidis, Mediæque Regibus bellum geſſerit Ioſue?

MIra in ſuo *Iuchaſin* libro, folio 154. & 155. recitat R. Abraham Zacuth, & ex eo R. Godolias in *ſchalſcheleth*, ſeu catena ſua f. 96. b. & 97. Quæ quia iucunda, & Latinis inaudita hubuſque auribus, ea ex Hebræo annitar conuertere: ac poſtea, num veritati conſentanea ſatis, diſquirere. Sic igitur ibi ſcriptum.

Dixit Samuel Scholem: Inueni & vidi in libro Chronicorum Cuthæorum, ſeu Samaritanorum narrationem, quam in quodam Iudæorum Midras ſeu Explicatione viderunt ipſi. Ea eſt eiuſmodi. Cum ſubegiſſet Iſraelis terram Ioſue, & vnum ac triginta Reges occidiſſet, accidit, vt ex iſtis vni cuidam Regi eſſet filius Rex minoris Armeniæ, qui Schobach nominabatur. Et hic flens, Regeſque Perſarum ac Medorum congregauit numero XLV. *Acceperunt autem hi ſecum Iapheth gigantem, ſeu robuſtiſsimum illum, qui contra multos haſtam ſolitus erat vibrare: ſimulque arenæ, quæ eſt in littore maris, inſtar, exercitum collegerunt: & epiſtolam ad Ioſue miſerunt, eius hoc exemplum eſt.*

Ab eximia, & fortunata congregatione Perſarū ac Medorum Reges tibi O Ioſue fili Nun. ſalutem. Tu lupus

Digitized by Google

es veſpertinus. Cognouimus, quæ in propinquos noſtros feciſti, quos in palatiorum noſtrorum vaſtationibus mactaſti, & nulli peperciſti, à puero ad ſenem: Patres occidiſti gladio, omneſque famoſas eorum vrbes. Et idcirco audi hoc, & cognoſce. nos ab hoc die ad triceſimũ ad te peruẽturos, obtenturos etiã te in hæreditatis tuæ finibus, in mõte Ephraim. Sumus nos XLV. Reges fortes: & noſtrũ cuilibet LX. millia fortiũ, qui ad iacula & armis inſtructi omnes, tenentes gladium, reique periti bellicæ. In auxilio etiam noſtro eſt Iapheth gigas, cuius antea meminimus. Ea propter paratus eſto: paraque tibi arma: & ne dicas, faciam poſtea. quia contra te venimus cito cito.

Tradiderunt autem illi haſce literas nuncio cuidam prudenti ac ſapienti. qui abijt, & inuenit Ioſue ſedentem in ſolio ſuo regio. circa ipſum vero totum ſtantem populũ. Et iuſsit Ioſue ſuum in conſpectum illum adduci nuncium: ad quem tamen non attendit, quoad diiudicandis Iſraelitarum negotiis finem impoſuiſſet. Tum vero ſcriptum illud è nuncij manu accepit, ipſumque in Dei domo legit in ieiunio, fletu, ac planctu. & ſua in domo reſeruauit, donec feſtus Pentecoſtes dies, qui tunc erat proximus præteriiſſet. Noluit enim eo tempore moleſtiæ populo quidquam creare: ſed, vt dicebam, illas apud ſe literas interea cuſtodiuit: & cum Pentecoſtes elapſum fuit feſtum, vniuerſi cœtum coegit populi: eoque audiente litteras illas perlegit, & dixit: Ecce quot pugnas pugnaui ego hactenus? & quot deuici Reges? Nihil tamen ij me conturbarunt. Nunc tamen iſto in caſu pauor me ac tremor inuadit. Ea cum audiiſſent viri illi, & dolore affecti eſſent, vacillarunt omnium renes, colliſa ſunt aliis alia genua: deiecerunt in terram capita, & Ioſuæ dixerunt. Quemadmodum Moyſen audiuimus: ſic & te audiemus, O Princeps. Volumen accipe, digitum mitte, & ſcribe eo modo ac Stilo, quo ſolent homines iiſque, qui oderunt nos, reſponde, improbis nimirum, contumacibuſque verbis, quæ dura, ſeu velut abſynthiũ amara ſunt. Reſpondit iis Ioſue. Conſiſtite, & curabo audiatis litterarum, quas ad illos concinnaui, formulã: & ſi vobis recta videtur, mittam illis. Et dixit omnis populus: Aperi os tuum, & illuſtria fiant verba tua. Tum legit, ac dixit.

In nomine Dei Iſrael, qui fortes ſuperbos infirmat, impios contumaces morte afficit, peccatores nocentes conſociatos diſsipat, diſsipatos iuſtos & ſanctos conſociat, ipſe Deus Deorum, & Dominus Dominorum, Deus Abraham, Iſaac, & Iacob: Dominus vir pugnator, A me Ioſue ſermo Dei, & ab Eccleſia ſancta, electa, & beato cœtu Iſraelis, filiorũ Abrahæ, Iſaac & Iacob populo nocẽti, cœtui exitiali eorũ, qui colunt ſimulachra, & adorant vana, Salus nulla, Dixit Deus ſcitote quia male feciſtis, quia excitaſtis leonẽ dormientẽ, & exſuſcitaſtis leonem. Nam cruentabitur, ſeu rubeſiet ad dandum gladium in manum eorum. Ego ego euigilaui in iuſtitia ad referendam in caput veſtrum mercedem veſtram. Et quid vobis vt veniatis in locum ſanctum? & venietis vos, atq. terram notam contaminabitis? parate vos ipſos, & ne egrediamini è loco veſtro, quia vna dierum hebdomade veniam ego ad vos, & interimam fortes, & peribit à vobis fuga. Ecce vos gloriamini, vos eſſe Reges XLV. & cum veſtrum quolibet ſexaginta eſſe millia fortium. At non gloriabor ego, nobiſcũ eſſe Reges terræ, ſed Angelos excelſi, quorum vnus Sodomã euertit & Gomorrhã: vnus diluuiũ induxit: vnus terrã diuiſit in 70. Populos. & populus, qui mecum, eſt 60000. fortium robore. iique tranſierunt mare atque aridam: & ante ipſos præiuit Deus noctu, & interdiu in columna nubis, & columna ignis. ex iiſque electi duodecies mille interemerunt quinque Reges Madian, & Baalam filium Behor occiderunt, omneſque maſculos: & non factus ex iis reliquus quiſquam. Sacerdos autem quidam, cuius nomen Phinees, cum ſonoras in manu tubas habet, iiſque clangit, confeſtim hoſtes noſtros omnes cogit ruere. An non audiſtis de Pharaone omnique ipſius multitudine? infixi ſunt in mare, & nos velut in arida tranſiuimus. An vobis non nunciatum quid Amalecho, eiuſque populo fecerimus? An non vidiſtis, quæ Seoni & Hogo duobus Amorrhæorum Regibus intulerimus? Et ſi vobiſcum eſt Iapheth ille robuſtus, nobiſcum eſt robuſtorum robuſtiſſimus excelſus ſuper omnem excelſum.

Et audierunt filij Iſrael verba hæc, & ſteterunt in ſtatione ſua: dimiſitque Ioſue nuncium illum in terram ſuam. Is vero venit ad eos, à quibus miſſus fuerat, iiſque retulit, quod viderat: Populi ſcilicet ordinem, & deſcriptionem ſtaturæ Ioſuæ, quæ fuit cubitorum quinque: & quemadmodum is indutus hyacintho & purpura haberet in capite coronam regiam, in qua Dei nomen inſcriptum eſſet. Iſta illi cum audiiſſent, ceciderunt in terram, & dixerunt: Quid eſt hoc, quod fecimus nos? Circumdedimus nobis ipſis omne malum hoc:

Poſtea ſurrexit Ioſue cum XII. millibus fortium robore, ac intra ſex dies ad illos profectus eſt. Cumque videret exercitus ordinem ipſe Schobach, vehementer admiratus eſt, mater eius malefica erat Naga, quæ illis dixit: Ne timeatis. quia intra ſeptem ferreos muros includam Iſraelitas iſtos, vt neſciant locum vbi ſint. Faciebat autem illa ſuas incantationes, ac praſtigias, & concluſit illos intra muros ſeptem. Quod cum videret Ioſue, clamauit corde ſuo ad Dominum, cepitque in animo ſuo conſilium, & ſcripſit ad Ianiach è tribu Ruben qui erat Rex ſuper duas tribus, & vnam dimidiatam, quæ trans Iordanem, vt ſuis cum copiis veniret, adduceretque Sacerdotem Phinees qui clangoris tubas in manu haberet: Venit autem ad Ioſue ſub tempus veſpertinum colũba vna, & alligauit Ioſue hoc, quod ſcripſerat ſub illius alis. Surrexit autem columba, & abiit ad Ianiach. qui eam cum vidiſſet, apprehendit eam alis, & epiſtolam accepit, eaque lecta ſurrexit in loco ſuo, clamoremque ſuſtulit magnum & equo ſuo vehens clamauit in totis caſtris ſuis Gladius Domino, Et ex omni parte congregati ſunt ad eum, & miſit, ipſumque Phinees vocauit. Vna vero profecti ſunt ambo. & cum vidiſſet Sobachi mater copias iſtas, dixit filio ſuo. vidi aſcendentem ab Oriente ſtellam: & non eſt ſapientia, neque conſilium in ſapientia mea, quia coacta ſum vires ante ſtellam illam prohibere. Id cum audiiſſet filius eius Sobach valde iratus eſt, & præcepit eam è muro deiici. Venit autem Ianiach, & aciem inſtruxit aduerſus Sobach, ipſumque interfecit. Venit vero & Phinees ad clangendum tubis: & in ipſo clangore diſrupti, ſeu patefacti ſunt muri, primo vnus, deinde alij omnes. Et egreſsi ſunt (Iſraelitæ nimirum qui muris antea Magice incluſi fuerant) & eos qui oderant ipſos, interfecerunt omnes vſque ad me vnum, qui ſuperſtes iis ſui reliquus & euaſi. Dixit autem Samuel Schelem: & Ego rei huius inueni ſignum in verſu, Donec det Dominus requiem fratribus veſtris, ſicut & vobis dedit. finis.

Sed ab hoc fine ſi eius, quod ſecundo loco propoſueram, ducamus initium, mira quidem ſemper hæc videbuntur: ſed quæ ad Iudaicas *Hagadoth*, fictaſque Rabbinorum fabulas potius pertineant. *Primo* enim quis iſte vnus, qui è tot millibus ſaluum euaſiſſe ſe memorat?

& cuj

& cui memorat? *Secundo.* Qui tot ac tanti illo tempore Medorum .Perſarumque Reges? Vnde tanta inter eos concordia & *Societas*? *Tertio.* Quomodo ad bellum tam graue, tam cito, aduerſus gentem quæ non ita pridem in eas Chananææ oras veniſſet, tam multos excitaret vnus Armeniæ Rex, & quidem minoris? *Quarto.* Cur maioris Armeniæ Regem omiſit? Cur Occidentalem aut Regem aut populum concitauit nullum? *Quinto.* Sed nimia Regum iſtorum litteris infuſa Lethe: dum ipſe Armeniæ minoris Rex in iis nequaquam, ſed ſoli Medorum Perſarumque memorantur Reges. Et tamen ille eſt, qui bellum excitabat. qui aliorum opem expetierat: cui alij auxiliares tantummodo aderant. *Sexto.* In iſta expeditione nimium pæne arrogans & præfidens deſcribitur Ioſue. cum & tam pauca ſecum millia contra 2700000. duxit, & tam facile includi ſe paſſus eſt. *Septimo.* Nimia magicæ diſciplinæ ac impietati vis tribuitur, dum tam facile XII. Iſraelitarum millia muris, tanquam caulis oues, iucluduntur. Quis vllo in bello tantam Magis vllis vim conceſſam legit? audiit? Quæ hominum caſtra, copiæ & acies tutæ forent, ſi tantum valerent præſtigiæ? Quis non magos, quam milites ac Duces ad victoriam magis optaret? *Octauo.* Nimio inferior Moyſe ſuo fuiſſet Ioſue. Ille ſiquidem Pharaonis Magis omnibus reſtitit feliciſſime: Exod. cap. 7. 8. Iſte vero vel ab vna muliercula victus fuiſſet, omnibuſque ſuis cum copiis in ferreum compactus carcerem. *Nono.* Sed etiamſi ſepties ſeptem ferrei & ahenei muri, quibus circumſcripti omninoque circumſepti eſſent Iſraelitæ, fuiſſent, nonne viri duodecies mille, iique fortes, robuſti ac valentes, nullis impediti manicis, nullis aſtricti compedibus & cæteris, illos euertere, deiicere, ac exfundare potuiſſent? *Decimo.* In lib. 1. Paralipomenon cap. 5. Rubenica deſcribitur proſapia. Sed in ea *Ianiah* nullus. *Vndecimo.* Ex ipſis etiam epiſtolarum phraſibus forte colligat quis non male, commentitiam hanc eſſe narrationem. Nam non paucæ è libris, qui Ioſuanis illis temporibus poſteriores ſunt, promptæ videntur, vt *lupus veſpertinus* ex Ieremiæ cap. 5. verſ. 6. Habakuk 1. v. 8. Sophoniæ cap. 3. verſ. 3. Pſalmo 103. verſ. 20. *verba inſtar abſynthij amara* è Prouerb. 5. vti notat in *gid* Elias Thisbi. *perire fugam ab aliquo*, è Pſalmo 141. v. 5. Sed hoc verborum telo haud pugno: illud malim *Duodecimo* ſpectari loco, futurum non fuiſſe, vt in Ioſuæ librum, vel in aliquam certe diuini voluminis partẽ tam admirabilis relata non fuiſſet hiſtoria, ſi à vero exerraret nihil. Quod vero ſe huius argumentum ac ſignum inueniſſe ait Samuel Scholem in verſu, cuius hæc verba ſunt, *Donec det Dominus requiem*, ſignum eſt Rabbinico prorſus dignũ acumine. Solent enim illi quæcunque voluerint, ſomnia ex aliquo ſcripturæ *paſuk* ſeu verſu, admodum videlicet ſolerter, exſculpere. Quæ iſta ſiquidẽ concluſio, In Ioſuæ cap. 1. verſ. 15. Hebraice dicitur, *Hadeſiber ianiach Adonai* &c. id eſt, *quouſque quieſcere vos faciat Dominus.* Ergo fuit aliquis nomine *Ianiach*: & is quidem Rubenita, & Princeps: & qui è ſummo periculo Ioſuæ ipſũ eiuſque copias eriperet: idque mirifico colum-

A bæ adſuolatu ac indicio Hagadothæi Rabbinorum logi ſunt hæc: quæ tamen & veritatis, & iucundæ oblectationis ergo, patefacere ac excutere volui.

QVAESTIO XIV.

Liberos num reliquerit, vel cælebs fuerit Ioſue?

AVdiuimus capite 6. qu. 45. & 49. quemadmodum fabulati ſunt Rabbinorum quidam, vxorem ad Ioſue ductam *Raab* meretricem. B At ſane omnino dicendum, liberos nullos reliquiſſe Ioſue, ſed vita tota cœlibem permanſiſſe. Ita enim docent S. Ignatius epiſtola ad Philadelphienſes, S. Hieronymus lib. 1. aduerſus Iouinianum, D. Chryſoſtomus ſerm. de martyribus, & legitur in Breuiario Romano 6. die infra octauam omnium ſanctorum, lectione 5. alij. Et ſi liberos aliquos aut vxorem habuiſſet vnquam, quomodo id reticuiſſet Scriptura? Cur quæ Moyſis nuptias, coniugem, filios, nepotes, quæ Calebi, Eleazari Pontificis, alio- C rumque tam multorũ & æqualium connubia, & proles recenſet, adeo in Ioſuæ coniugio & ſobole infans ac muta prorſus eſſet? Maiores ipſius eadem recenſet vt lib. 1. c. 1. vidimus, eius poſteros cur ne vno quidẽ vocabulo afficeret? ſed nimirum iis prorſus caruit: coniugij expers, omninoque cœlebs vitam totam egit. in hoc etiam veri IESV, qui vxorem duxit nunquam, & ab vxore innumerabiles, conſilio & hortatu ſuo, Eunuchos auocauit Math. 19. typum nobis figuramque præferret pulcherrimam. Sed D quia locus hic à citato iam D. Hieronymo venuſte vtiliterque tractatur, & quia libri huius quandam veluti Epitomen & exegeſin continet, pluſcula eius hic aſcribere verba non grauabor, *Tranſcendam*, inquit, *ad Ieſum filium Naue, qui antea dictus eſt Auſe: ſiue vt rectius habetur in Hebræo, Oſee: id eſt, Saluator. Ipſe enim, ſecundum epiſtolam Iudæ, ſaluauit & eduxit populum Iſrael ex Aegypto, & in terram repromiſſionis induxit. Hic Ieſus ſtatim vt venit ad Iordanem, aquæ nuptiarum, quæ ſemper in lege fluxerant, areſactæ ſunt, & ſteterunt: & ſiccis pedibus ac nudis populus omnis tranſiit,* E *venit in Galgala, ibiq. ſecundo eſt circuncíſus. Quod ſi iuxta literã accipimus, penitus ſtare non poteſt. Si enim duplex haberemus præputium, vel exciſa pellicula iterum naſceretur, recte ſecunda circumciſio haberet locum. Nunc autem hoc ſignificatur, quod IESVS cultello Euangelij populum, qui per deſertum venerat, circumcidit: & circumcidit cultello petrino: vt quod in Moyſi filio præfigurabatur ante in paucis, id ſub Ieſu duce impleretur in cunctis. Sed & ipſa preputia in vnum cumulum coacernata: & ſepulta & terra obruta, & ablatum opprobrium Aegypti, & nomen loci Galgala quod interpretatur reuelatio, oſtendunt dum in* F *præputio ambularet populus per deſertum, oculos eius fuiſſe cæcatos. Videamus & conſequentia. Poſt Euangelij circumciſionem, & conſecrationem duodecim lapidum, in loco reuelationis ſtatim paſcha celebratur, immolatur eius agnus & ſanctæ terræ veſcuntur alimentis. Egreditur Ieſus, occurrit ei Princeps militiæ gladium tenens, id eſt, vel pro circumciſo populo pugnare ſe monſtrans, vel diſſecans glutinum nuptiarum. Similiter vt Moyſi præceptum fuerat, & huic præcipitur:*

Digitized by Google

Solue calceamentũ tuum. Locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt. Quia ſic erat Domini armatus exercitus in tubis ſacerdotalibus, quaſi ad Euangelicam prædicationem ſub typo Hiericho, mundus ſubuertitur. Et vt infinita prætercam. (neque enim mihi nunc propoſitum omnia veteris teſtamenti aperire myſteria) quinque Reges qui in terra repromiſſionis ante regnabant, reſiſtebantque Euangelico exercitui, Ieſu pugnante ſuperantur. Hoc puto intellectu eſſe perſpicuum, quod antequam Dominus populum ſuum educeret de Aegypto, & circumcideret eum, viſus, odoratus, guſtus, auditus, tactusque regnauerint: & his quaſi principibus fuerint vniuerſa ſubiecta. Quos Ieſus ad ſpeluncam corporis confugientes, & ad tenebroſum locum, id eſt, ipſum ingredientes corpus interfecit; vt per id occiderentur, per quod ante regnabant. Verum iam tempus eſt. vt caſtitatis Ieſu vexillum leuemus. Moyſes ſcribitur habuiſſe vxorem. Moyſen autem & Dominus noſter, & Apoſtolus interpretantur legem: habent Moyſen & Prophetas. &c. Ab Adam vſque ad Moyſen regnauit peccatum, etiam ſuper eos, qui non peccauerunt in ſimilitudine præuaricationis Adæ: nulli que dubium eſt, in vtroq. teſtamento Moyſen ſignificare legem. Sicut ergo legimus, quod Moyſes, id eſt, lex habuerit vxorem: oſtende mihi Ieſum Naue vel vxorẽ habuiſſe vel filios. Si potueris monſtrare, victum me eſſe fatebor. Et certe pulcherrimum terræ Iudææ, in partitione, accepit locum, moriturque non in vicenario numero, qui ſemper in Scripturis infauſtus eſt, in quo ſeruiuit Iacob, & venditus eſt Ioſeph: & quem diligit Eſau, accipiens in eo quædam munera, ſed in decimo, de cuius laude crebro diximus: ſepeliturque in Thamnathſareth, id eſt, in perfectiſſimo Principatu, ſiue in numero operimenti noui, vt virginum ſignificaret greges, Saluatoris auxilio coopertos in monte Ephraim, hoc eſt, in monte frugifero, ab Aquilone montis Gaas, quæ interpretatur commotio. Mons enim Sion latera Aquilonis, ciuitas Regis magni, quæ oppoſita ſemper inuidiæ eſt & per ſingulas tentationes dicit, Mei vero pæne moti ſunt pedes. Cumque in ſepultura Ieſu, liber, qui ex nomine eius appellatur, expletus ſit, rurſum in Iudicum volumine, quaſi viuens, reſurgenſque deſcribitur, & ſub ἀνακεφαλαιώσει opera ipſius prædicantur, & legitur. Miſit Ieſus populum, & abierunt filij Iſrael vnuſquiſque in hæreditatem ſuam, vt poſſideret terram. Et ſeruiuit populus Domino cunctis diebus Ieſu. &c. Statimque ſubiungitur: Et mortuus eſt Ieſus Naue ſeruus Domini centum decem annorum. Porro Moyſes vidit tantum terram repromiſſionis, & intrare non potuit: & mortuus eſt in terra Moab, & ſepeliuit eum Dominus in valle terræ Moab contra domum Phegor: & non cognouit vir ſepulchrum eius vſque in diem hunc. comparemus vtriuſque ſepulturam. Moyſes in terra Moab moritur. Ieſus in terra Iudææ. Ille ſepelitur in valle contra domum Phegor, quod interpretatur ignominia (proprie quippe Phegor lingua Hebræa Priapus appellatur) hic in monte Ephraim ab Aquilone montis Gaas. Et eſt in verbis ſimplicibus ſemper diuinarum Scripturarum ſenſus anguſtior, quia apud Iudæos gloria erat in partubus, & percuſſionibus, & maledicta ſterilis, quæ non habebat ſemen in Iſrael: & beatus cuius erat ſemen in Sion, & domeſtici in Hieruſalem & in benedictione maxima ponebatur: Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ: filij ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ: idcirco ſepulchrum eius poſitum in valle deſcribitur contra domum Idoli, quod pro- A *prie libidini conſecratur. Nos autem qui militamus ſub Ieſu duce, vſque ad præſentem diem ignoramus, vbi Moyſes ſit ſepultus. Contendimus enim Phegor, & omnem ignominiam eius: ſcientes quod qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Et dominus ante diluuium quoque dixerat: non permanebit Spiritus meus in hominibus iſtis, quia caro ſunt. Quamobrem & Moyſes moriens plangitur à populo Iſrael autem quaſi victurus non plangitur. Nuptiæ enim finiuntur in morte, virginitas poſt mortem incipit coronari.* Quin vero ipſemet Ioſue in Thalmudico Tractatu Peſachim c. 10. fol. 116. b. ait *Lo Zacithi leben*, id eſt, *dignus non fui filio*: ideoque filium ſemper appellari; vt lib. 1. c. 1. q. 8. iam notatum. & locum illum Thalmudicum citat, approbatque R. Abraham Zacuth lib. *Iuchaſin* fol. 10. Sed idem, & R. Godolias in *ſchalſcheleth* fol. 14. & 19. ex capite primo *Megillæ* affirmant, non fuiſſe Ioſuæ filios vllos, filias tamen aliquas, è quibus nati poſtea fuerint Prophetæ octo, *Ieremias* videlicet, *Chelcias*, *Machſia*, *Chanamel*, *Salum*, *Baruch*, *Ezechiel*, & ſecundum quoſdam illa etiam Propheris *Holda*, de qua & R. 22. 14. At ſane Ioſuæ ſtemma in ipſo clauditur in 1. lib. Paral. c. 7. & ſicuti nullus ei datur filius, ita nec filia: nec probare poſſunt Rabbini nominatos C iam Prophetas, aut Prophetidem ortum ab illo ducere. Quin vero ſicuti ex Paralipomenis confirmant nullum ei natum filium: ita & nullam ei natam filiam debent confirmare.

QVÆSTIO XV.

An hæreticorum dentes effugerit Ioſue?

D QVi gentium, Regumque tot victor fuit, teterrimas hæreticorum linguas & dentes effugere haud potuit. Hunc enim illi *crudelẽ & ſanguinarium* dicere auſi ſunt. At vel è ſolo capitis huius elogio à tam inſigni vindicatur contumelia. Dei enim ſeruus fuit & in cædibus quas geſſit, Dei tantum adminiſter fuit, vt ſupra dictum aliquoties, viderique contra illorum petulantes calumnias poſſunt. S. Auguſtinus quæſt. 19. in hunc librum, & lib. 22. contra Fauſtum cap. 78. 79. Theodoretus in huius libri caput 8. vel 9. & 10. Origenes homil. 10. E 11. 12. 13.

QVÆSTIO XVI.

Quando Ioſephi oſſa ſepulta?

EX dictis Geneſ. 40. verſ. 24. patet, morientem Ioſephum iureiurando Iſraelitas obſtrinxiſſe, vt ſua ex Ægypto, vbi moriebatur, oſſa in Chananæam olim tranſportarent. Et vero id accurate factum, teſtatum vidimus Exod. F 13. ver. 19. Ea igitur ſacra ſanctiſſimi Patriarchæ oſſa terræ mandata narrantur ſub capitis huius finem. Putat vero Maſius id factum ante ipſius *terræ ſortitionem*, cum ſcilicet apud montes Hebal & Garizim fœdus à populo cum Deo initum ſupra cap. 8. Alij *poſt ſortitionem* malunt, quando pacata nimirũ terra, & Sichem ab omni

Digitized by Google

hoſtium impetu libera. Sed ſecundum illam priorem ſententiam, non eſſet ſuo loco poſita hic narratio, ſed tantummodo per occaſionem mortis ac ſepulchrorum Ioſuæ & Eleazari, de quo paulo poſt. Secundum poſteriorem, quærendum adhuc, an ante Ioſuæ mortem an poſt, humata eadem ſint. Et hoc poſterius ipſe textus ordo ſignificat.

QVAESTIO XVII.

Vbi ſepulta Ioſephi oſſa?

IN *parte*, ait ver.32. textus, *agri, quem emerat Iacob à filiis Hemor patris Sichem centum nouellis ouibus: & fuit in poſſeſſione filiorum Ioſeph.* Quibus in verbis notanda quinque.

Primum. Vbi emerit Iacob agrum iſtum. In Geneſi exprimitur diſerte, cap.33. ver.18. & 19. *Tranſiuit in Salem vrbem Sichimorum, quæ eſt in terra Chanaan, poſtquam reuerſus eſt de Meſopotamia Syriæ: & habitauit iuxta opidum. Emitque partem agri, in qua fixerat tabernacula, à filiis Hemor patris Sichem, centum agnis.* Idemque denuo ſignificatum poſtea Geneſ.48. verſ.22. vbi & Ioſepho in peculium ab illo donatur. quemadmodum & à B. Ioanne in Euangelio repetitum, cap. 4. verſ. 5.

Secundum. Quæ hic dicuntur *centum nouellæ oues*, & Geneſ. capite 33. *centum agni*, dupliciter accipi poſſunt. *Primo.* Vt vere datæ fuerint oues pro agro. Fuit olim vſitata rerum permutatio, vt in quæſtionibus de Emptione dixi, in 2.2. diſput. de Iuſt. Nam & Prou. 27. v. 26. in Hebræo *Commutatio agri arietibus:* in Latino autem *Hædi (ſunt) agri precium.* Defendit hanc opinionem Villalpandus lib.2. Apparat. cap.25. pag.388. & ſeque. *Secundo.* Vt per oues iſtas intelligantur nummi: idque S. Stephanus Act. 7. verſ.16. confirmare videtur dicens: *Sepulchrum* hoc *emptum precio argenti*, id eſt, *nummis argenteis*, qui vel è centum venditis ouibus potuerunt colligi, (ſic enim quæ pro ouibus & aſinis acceptæ fuerant pecuniæ à Plauto vocantur *oues & aſini*, vt exponit lib.9. variar. lect. cap. 15. Muretus. In Truculento: *Ego propere minas oues in crumena hac, in vrbem detuli.* Et alibi: *Verberarem aſinos, ſi forte occeperint clamare hinc ex crumena*) vel qui *oues* vocabantur. Peruſitatum enim, vt eiuſmodi nomen nummis imponatur, vel quia figuram & imaginem talem habent, vel ob aliam cauſam aliquam. Sic enim nomiſmata fuere *boues*, à quibus in Theſei vita dixit Plutarchus δεκάβοιον, & ἑκατόμβοιον, vti etiam obſeruat in *diſcurſu de monetis* Sebaſtianus Eizzus: *Noctuæ.* Vnde illud Prouerbij, *volat noctua:* πῶλοι ſeu *pulli* apud Corinthios: χελῶναι, *Teſtudines*, de quibus ſupra cap.5. quæſt. 44. apud Peloponneſios. Vnde illud, Cælio teſte lib.10. cap.2. profectum: τὰν ἀρετὰν καὶ τὰν σοφίαν νικῶντι χελῶναι, id eſt, *virtutem & ſapientiam ſuperant teſtudines.* nummuſque Lacedæmonius vocatus ab Eupoli *Callichelonus*, recte crucigero nummo accommodatus à Gretſero noſtro tomo 3. de cruce, lib.1. cap.23. Et hinc ἀρνίδας, ὀνίδας, καὶ πωλεῖν, ab ouibus ſcilicet, aſinis, & pullis, vt oſtendit lib. 10. var. lect. cap. 3. Muretus. κόραι puellæ apud Athenienſes. denique *oues*, prout clare teſtatur Plinius lib. 18. cap. 13. & *Seruius boum & ouium effigie æs primo ſignificauit.* Pierius lib. 10. pag. 76. *Illud*, ait, *ſatis conſtat æs prius nota pecudum ſignatum à Seruio Romanorum Rege: vnde Varro etiam, vt apud Marcellum eſt, vnum ouem multam dictam ait, cum citatus neque reſpondit, neque excitatus eſt. Vnum vero virili genere dixit, ſiue quod nummum intelligeret, ſiue ad imitationem Homeri.* Et poſtea: *Pleríque interpretantur* πρόβατον *quaſi* πρόβασιν *appellatur, quod rerum earum opulentiam ſignificat, quæ ad victum faciunt. Sed vt in ouillis perſiſtamus (latum enim eſt,* τὸ προβάτων *vocabulum) vbi Heſiodus ait*, μαργαμένοις μήλων ἕνεκ' Οἰδιπόδαο, *interpretes aiunt*, μῆλων ἕνεκα, *de imperio & opibus debere intelligi, propterea quod principes olim paſtoralem vitam agere ſoliti ſunt. Sane veteres in tanto oues honore habuere, vt ex iis tantum opes fieri exiſtimarent & pecuniam & peculium inde dicta Iuriſconſulti tradunt: ideoque fictum, oues lanam olim auream habuiſſe. Hinc cum Hercules ex Africana victoria nihil, præter oues, abegiſſet, aurea mala ſecum aſportaſſe dictus eſt:* μῆλον *enim dicitur ouis, & ea locutione pomum vſurpatur.* Apud Gallos & Brabantos, nummi fuere dicti *mutones*, id eſt, arietes, Gallice *moutons*, vt in V. Sacramenti miraculi hiſtoria Bruxellenſi cap. 1. & 10. in Cantapratenſi Thoma lib. 1. cap.20. in Renato Choppino lib.2. de doman. ſect.7. Greg. Tholoſate lib. 32. Syntag. cap.2. num.22. videre eſt. Et Germanice *Berna* apud Freyherum lib.3. de re monetaria cap.3. p. 42. ex Adelheidis Cæſariſ. in ordinatione monaſterij Salſenſis, & Aenea Syluio Bohem. cap.58. & vertitur à M. Abbate Argenti ſub an. 1448. & Fabricio Orig. Saxon. lib. 6. fol.663. *Vrſus*, quia vrſi ſigno inſigne nomiſma. & inde *Batziones.* Freyher ibid. pag.43. Ac idcirco recte hic accipi hoc loco poteſt, ouium nouellarum, ſeu τῶν ἀμνάδων nomen, & Hebraice Keſchitah, ſicuti & Iob.42. verſ. 11. Et ſic accipiunt Maſius & Arias.

Tertium. Poteſt tamen & illud obſeruari Hebræum *Keſchitah* alluſionem quandam habere ad arcum, de qua hac in re Iacob. Geneſ. c. 48. verſ. 22. Nam *Keſcheth* arcus eſt, ſed alia in fine litera t.

Quartum. Hunc agrum non Iacob, ſed Abraham emiſſe dicitur Actuum cap 7. ver.16. Exiſtimant non pauci, vt hoc loco Maſius, & in Geneſin Eugubinus ac Lipomannus, delendum illic *Abraham:* & vel reponendum *Iacob* nomen, vel non reponendum, cum è ſuperioribus ἀπὸ τοῦ κοινοῦ clare ſatis intelligatur. Quod cum tamen librarij quidam non animaduerterent, & meminiſſent agrum ab Abrahamo emptum in Geneſi, à Iacob autem non meminiſſent, in textum intulerunt *Abraham.* Sed ſane non à filiis *Emor*, neque in *Sichem* agrum emit Abraham, ſed à filiis *Heth*, ſeu ab *Ephrone* apud Hebronem Geneſ.23. Sic enim & S. Hieronymus lib. de optimo genere interpretandi ſcribit in Matthæi cap.3. v.35. irrepſiſſe *Iſaiam* pro *Aſaph:* & de *Zacharia* pro *Ieremia* idem aſſerunt multi, Matth. cap. 27. ver. 9. Neque tamen hoc mendum recens, cum *Abraham* nomen in eo Act. cap. habeat textus Syriacus, iſtamque difficultatem tangat in epiſt.101. idem S. Hieronymus, neque tamen diſſoluat, ſed alibi diſſoluturum

dicat. vbi vero diſſoluerit, non apparet. Accedit & correcta Bibliorum editio, quæ id nominis nunc etiam retinuit. Alij ergo *Abraham* poſitum pro nepote ſeu pro *Iacobo* volunt, qui ad Abrahæ imitationem, agrum illum Sichemicum emerat. Alij alia dicunt, vti noto in Act.7. Sed breuiter dici iam poteſt, Abraham non in ſeipſo, ſed in nepote ſuo locum hunc emiſſe, illique emptionem tribui, quia emendi aliquid in Chananæa initium fecit, in qua ne paſſum quidem pedis annos complures habuerat, eod. cap.7. Act.v.5.

Quintum. Hemor in noſtro Latino textu, eodem Act. cap.7. ver. 16. dicitur *filius Sichem*. At non filius, ſed pater erat, Geneſ.34. Et ſane in Græco, & Syriaco, & Arabico non dicitur *filius*. Sed in Græco quidem ſic eſt: παρὰ τῶν υἱῶν Ἐμμὸρ τοῦ Συχέμ. In Syro autẽ & Arabico, tantum eſt, *à filiis Chamur* ſeu *Hemor*, nulla *Sichem* facta mentione. Tripliciter vero exponitur Græca phraſis, Ἐμμὸρ τοῦ Συχέμ. *Primo*. Vt ſit epexegeſis, *à filiis Emor*, nempe *à Sichem*. *Secundo*. A Iunio in illum locum, vt ſit Hebraiſmus: & ſubauditur nomẽ *Principis*, hoc modo: *à filiis Chamur, Principis Sichẽ*. Sed tum Græcè deberet eſſe non τοῦ ſed τῆς. *Tertio*. Ab aliis, vt intelligatur *Pater*. Hoc enim dicendi genere ſubaudiunt auctores interdũ parentum nomen, vt Herodotus in Clio, Ἄδρηστος ὁ Γορδίεω τοῦ Μίδεω, id eſt, *Adraſtus nepos Gordij, qui fuit pater Midæ*. Rurſum in Thalia, Κῦρος ὁ Καμβύσεω. *Cyrus Cambyſæ pater*. Et Luc.24.10. Μαρία Ἰακώβου. *Maria Iacobi* mater, vt eo loco diſerte ponit Syrus, & S. Marcus cap.15. verſ.40. Sed ſi *filium* retineamus, dicendum, *Sichemum Hemoris* quidem filium fuiſſe, ſed ei poſtea filium fuiſſe, quem ſui patris nomine vocauit etiam *Sichem* & ab hoc poſteriore *Sichem* agrum emiſſe Iacobi ſicuti Geneſeos cap. 11. duplex *Nachor* eſt: vnus Tharæ pater & Abrahæ auus: alter Tharæ filius, & Abrahæ frater.

V. Textum hunc à D. Hieronymo Traditionibus in Geneſin paucis quidem, ſed aptis illuſtrari verbis, dum ait: *Ea* Sichimorum *loco ſepultus eſt Ioſeph: & mauſoleum eius ibi hodieque cernitur.*

QVAESTIO XVIII.

An cum Ioſepho alij plures in Sichimis ſepulti Patriarchæ?

ALios cum Ioſepho in Sichemico agro ſepultos Patriarchas negat in Act.7. Iunius: eiuſque opinio poteſt ex Ioſepho firmari, qui cum Patriarcharum obitum denarraſſet lib. 2. Antiq. cap.4. tandem ſubiungit, τούτων δὲ τὰ σώματα κομίσαντες μετὰ χρόνον, οἱ ἀπόγονοι, καὶ οἱ παῖδες ἔθαψαν ἐν Χεβρῶνι. Sed *primo* apud nos Chriſtianos maioris multo auctoritatis eſt S. Stephanus, qui Act.7. verſ.15. *Deſcendit*, ait, *Iacob in Aegyptum, & defunctus eſt ipſe, & patres noſtri. Et tranſlati ſunt in Sichem, & poſiti ſunt in ſepulchro, quod emit precio argenti à filiis Hemor filij Sichem*. *Secundo*. D. Hieronymus in Epitaphio Paulæ: *Inde* (è Sichem) *diuertens Paula vidit duodecim Patriarcharum ſepulchra*. Quid clarius? Et de hoc contra ſuum Iunium ait Beza in Act. 7. *D. Hieronymus oculatus teſtis, cui potius fides habenda eſt, quam Ioſepho*. *Tertio*. Poteſt tamen explicari Ioſephus, vt à S. Stephano, diuoque Hieronymo, nihil diſſentiat. Subdit enim ibidem, poſt Patriarcharum illorum in Hebron ſepulturam, humata fuiſſe Ioſephi oſſa. Potuit ergo fieri, vt primo aliorum Patriarchatum oſſa Hebrone tumulata fuerint: Poſtea vero Sichemũ tranſlata. Illius, quæ citatis adnectuntur, verba ſunt: Τὰ δὲ Ἰωσήπου ὀστᾶ ὕστερον, ὅτε μετανέστησαν ἐκ τῆς Αἰγύπτου οἱ Ἑβραῖοι, εἰς τὴν Χαναναίαν ἐκόμισαν. οὕτως γὰρ αὐτοῖς ὁ Ἰώσηπος ἐξώρκισεν. *Quarto*. E contrario vult Iunius. Iacobi corpus quod diſerte Geneſ. 50. *Hebrone* humatum ſcribitur, primo deportatum fuiſſe *Sichemum*: & inde poſtea Hebronem. quia in Syro & Arabico eſt, μετετέθη εἰς Συχὲμ, καὶ ἐτέθη ἐν μνημείῳ. Sed niſi iſte ſingularis ad oſſa illorum referatur, mendoſus potius dicendus codex, quam abſona res, contra expreſſum Geneſeos textum, admittenda. *Quinto*. Denique ſuum Iunium ita confutat Beza: *Primum, ſi* παρὰ τῶν υἱῶν Ἐμμὸρ, *à filiis Emor, non cum verbo* ὠνήσατο, *emit, ſed cum verbo* ἐτέθη, *poſitus eſt, conſtruas, dura fuerit admodum tractio. Deinde vnde liquere poteſt, aream Atad in ipſo tranſitu Iordanis ſitã, (ibi enim ſubſtiterunt primum, qui funus Iacobi deducebant) Sichemam eſſe? Etſi Sichema eſt, cur filios Chamor maluerit Stephanus nominare, quam vel Sichemæ nomen referre, vel relatiuum* ἐκεῖθεν, *illinc, vſurpare. Quod ſi etiam iſtud, à filiis Emmor ſic velimus conſtruere, nihil prohibet, quo minus vt Ioſephi, ſic etiam reliquorum ipſius fratrum oſſa fuiſſe ſimul Sichemam deportata dicamus, quæ poſtea à filiis Emmor, id eſt, à Sichemæ territorio Ephronem tranſlata ſint, ſolius Ioſephi oſſibus Sichemæ relictis. Et hac ratione fuerint Sichemæ quidem cenotaphia, de quibus agit Hieronymus: In ſpelunca autem Hebronis vera Patriarcharum ſepulchra, de quibus ſcribit citato loco hiſtoricus Ioſephus.*

QVÆSTIO XIX.

Quomodo, & cur tranſlata in Sichem Ioſephi oſſa?

IN arca fuiſſe Ioſephi oſſa, & à baiulis quibuſdam honorifice geſtata referunt nonnulli: ſed quærit libri huius c.3. Abulenſis q. 10. immunditiamne aliquam legalem contraxerint geſtatores illi? Et reſpondet, contraxiſſe. Tranſlata vero fuere, quia, vt dixi, adiurarat Iſraelitas ipſe Ioſeph moriturus. Geneſ.50. Adiurarat vero varias ob cauſas, de quibus alibi dictum, non quod qui ea in terra ſepulti eſſent, primi reſurgerent, vt apud R. Iacob in *al kath rocel* nugãtur Iudæi, ſed ob promiſſionũ ſcilicet de terra Chananæa adeunda diuinarum certitudinem monſtrandam: & ob natiuitatis, paſſioniſque CHRISTI ea in terra futuræ myſteria.

Cur vero in *Sichem* ſepultus ſit Ioſeph, cauſam affert Radak, Ioſephi præceptum & voluntatem, quod eum ſibi ſepulturæ locum delegerit, ac mãdarit. Alij vero Rabbini in Thalmud, tract. *ſotah*, dicunt id factum, quia illic in Aegyptum à fratribus venditus fuerat. Sed è *Dothaim* venditus potius fuerat Gen.37. verſ. 17. Vel prior igitur cauſa tenenda, vel putandum, Iſraelitis viſum commodiſſimum ſepulchri locum eſſe illud, quod à parente ipſi pecu-

Digitized by Google

liariter datum fuerat prædium. Alij vero ibidē conditi & ſepulti cur Patriarchæ fuerint, cauſa fortaſſis eſt, vt tribuum omnium Patrum monumenta ſpectarentur, & qui à Ioſepho vitam, vitæque ſubſidia, & habitationis locum in Aegypto accepiſſent, ab eo etiam mortui ſepulturæ locum acciperent. Fortaſſis etiam habita fuit ratio tabernaculi, quod eodem in agro proximum erat. Quia enim in illo eſſe non poterant, quod quædam à mortuis eſſet contaminatio, proxime ſaltem ſiti fuere. ſicuti & hodie ſanctorum, magnorum aliqrumq. quandoque hominum in templis ſepultura eſt, vt apud S. Auguſtinum lib. *de cura pro mortuis* videre eſt, & in conciliis nonnullis.

QVAESTIO XX.

Quomodo mortuus, & vbi ſepultus Eleazar Pontifex?

Libri huius in Latino & Hebræo verba extrema ſunt, *Eleazar quoque filius Aaron mortuus eſt: & ſepelierunt eum in Gabaath Phinees filij eius, quæ data eſt ei in monte Ephraim. Credibile eſt,* inquit Maſius, *Imperatorem ac Pontificem cum in omni vita coniunctiſſimi fuiſſent, eodem pæne tempore ex ea migraſſe: ſed Pontificē poſteriorem, pro hiſtoriæ ſerie.* Ac olim quidē Aaron Pōtifex ante Moyſen mortuus eſt, nunc poſt Ioſue moritur Eleazar Pontifex, vt ſignificaretur Iudaicum ſacerdotium vetus vel cum Moſaicæ legis obſeruatione, vel etiam paulo ante interire: Chriſtianum vero ſacerdotium & pontificatū, poſt CHRISTI mortem manere, alioſque ſtatim ſemper ſuccedere ſacerdotes: neque ſacerdotium hoc tollendum, donec redeat ad iudicium verus IESVS.

De ſepulchro autem audiuimus antea q. 10. ſanctum Hieronymum. Id erat *Gabaath* (quod veluti proprium nomen retinent 70. ſed vitioſa littera vltima γάβααρ: alij vertunt *in colle*) Phinees. Sed cum ſacerdotum hæreditas fuerit, vt ſupra c. 21. dictum eſt, in tribubus Iudæ, Simeonis, & Beniamin, quomodo tulit Phinees collem in Ephraim? Reſpondet textus, cum illi datum fuiſſe. Sed quæruntur tria. *Primum.* Cui illi datus iſte collis? an Phinees? an Eleazaro? Nam vtriuſque facta mentio: & vtrique poteſt pronomen *illi* accommodari. Reſpondet Maſius, datum fuiſſe Eleazaro: D. Hieronymus vero in Epitaphio Paulæ, ſignificat datum Phinees. *Secundum.* Cur alterutri datum? *Primo.* Vt eſſet Pontifex vicinus Imperatori, cum is ex illius ore ac præſcripto penderet maxime Num. 27. & ſupra monſtratum ſæpius. *Secundo.* Vt vicinus etiam eſſet Dei tabernaculo Pontifex Maximus. *Tertio.* Si datus fuit Eleazaro collis, cur vocatur *Phinees collis* aut *Gabaath*? Reſpondet Maſius, quia illo tempore quo iſta ſcribebatur narratio, vocabatur *Phinea collis*, quod in eo ſcilicet tunc habitaret, & quod in eo non diu habitarit Eleazar, cum eum poſt terræ diuiſionem accepiſſet.

QVÆSTIO XXI.

Huius libri finem quis ſcripſerit? & quid ei à 70. addatur?

Qvemadmodum non Moyſen, ſed alium aliquem pium & ſanctum Prophetā ſcripſiſſe, quæ de illius morte ſunt Deuteronomij vltimo dictum ibi eſt: ſic hoc loco dicendum, Ioſue non ſcripſiſſe, ſed alium vel alios aliquos poſtea, quæ ſunt in vltimo iſto capite à verſ. 29. vſque ad finem. Dixi autem in Prolegomeno à Thalmudicis aſſeri hoc fuiſſe partim *Eleazarum*, partim *Phineem*. Huic vero Hebræi & Latini textus fini adiiciunt 70. hæc: *Ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ λαβόντες οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ τὴν κιβωτὸν τοῦ θεοῦ περιεφέροσαν ἐν ἑαυτοῖς. καὶ Φινεὲς ἱεράτευσεν ἀντὶ Ἐλεάζαρ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ ἕως ἀπέθανε· καὶ κατωρύγη ἐν Γαβαὰρ τῇ ἑαυτοῦ. οἱ δὲ υἱοὶ Ἰσραὴλ τὴν Ἀστάρτην καὶ Ἀσταρὼθ, καὶ τοὺς θεοὺς τῶν ἐθνῶν τῶν κύκλῳ αὐτῶν. καὶ παρέδωκεν αὐτοὺς κύριος εἰς χεῖρας Ἐγλὼν τῷ βασιλεῖ Μωάβ, καὶ ἐκυρίευσεν αὐτῶν ἔτη δέκα ὀκτώ.* Sed hæc ſequenti libro Iudicum cap. 2. & 3. quæ tamen in 70. eſſe notat etiam Syrus Interpres, teſte Maſio.

Gloria P. & F. & SS. ſ. e. in pr. & nunc & ſ. & in ſ. ſ. Amen.

BIBLIOTECA ... [library stamp]

Digitized by Google

INDEX
LOCORVM SACRAE
SCRIPTVRÆ QVÆ HOC OPERE
passim citantur & interpretantur.

EX GENESI.

Cap. v. VOCAVIT nomen eorum Adam 1148
viii. Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt 179
xii. Et tranſiit Abraham in terram, vſque ad locum Sichem, &c. 943
xv. Necdum completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum vſque ad præſens tempus 97
xviii. Ipſe ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum & optimum 563
xxv. In Aegyptum deſcendit populus io
xxvi. Benedicētur in ſemine tuo omnes gen-terræ, &c. 1013
xxxi. Dixitq. angelus Domini ad me in ſomnis 642
xxxii. Ecce vir luctabatur cum eo 643
xxxiii. Venit Iacob in Salem Sichimorũ. 990
ibid. Emit partem agri, in qua fixerat tabernacula à filiis Hemor patris Sichem, centum agnis 1294. & ſeqq.
xli. Omnes prouinciæ veniebant in Aegyptum vt emerent eſcas 810
xlviii. Duo filij tui mihi erunt Ephraim & Manaſſes, ſicut Ruben & Simeon reputabuntur mihi 1111
xlix. Donec veniat qui mittendus eſt 1116

EX EXODO.

cap. iii. SOlue calceamentum tuum de pedibus tuis: locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt 113
xii. Menſis iſte vobis principium menſiũ eſt, primus ipſe vobis menſium anni eſt 577
ibid. Primo menſe, quartadecima menſis ad veſperam comedetis azima 615
xvi. Filij Iſrael comederũt Man quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem 628
xvii. Quid faciam populo huic? adhuc paulum, & lapidabit me 170
xxiii. Neque audietur nomen eorum ex ore veſtro 96
xxiiii. Aſcẽde ad Dominũ tu & Aaron &c. 109
ibid. Surrexerunt Moyſes & miniſter eius, aſcendens Moyſes in montem Dei ſenioribus ait Expectate hîc, &c. 99
xxxii. Et reuerſus eſt Moyſes, portans duas tabulas teſtimonij, &c. 127
xxxiii. Miniſter eius Ioſue filius Nun, puer, non recedebat de tabernaculo 130
xxxiiii. Nullus inſidiabitur terra tua, &c. 739
ibid. Caue ne vnquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias, &c. 967

EX LEVITICO.

ca. xxiii. PRimus dies celeberrimus ſanctuſque 616
xxv. Vocabis remiſſionem cunctis habitatoribus terræ tuæ 746
ibid. Et numerabis tibi ſeptem Sabbata annorum 1123
xxvi. Qui de vobis remanſerint, dabó pauorem in cordibus eorum in regionibus hoſtium, &c. 998
xxvii. Omne quod Domino conſecratur, ſiue homo fuerit ſiue animal, &c. 789

EX NVMERIS.

cap. vi. BEnedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te, &c. 1150
xi. Remanſerant autem in caſtris duo viri, quorum vnus vocabatur Eldad, & alter Medad 140
xiii. Vocauitq. Oſée filium Nun Ioſue 17
ibid. Mitte viros qui conſiderent terram Chanaam, &c. 150. & 151
xiiii. Quadraginta annorum eram, quando miſit me Moyſes, &c. 1120
ibid. Filij veſtri erunt vagi in deſerto annis quadraginta, & portabunt fornicationem veſtram 510
xvi. Aperiens terra os ſuum deuorauit eos cum tabernaculis ſuis 161
xxxi. Cur fœminas reſeruaſtis? Nonne iſtæ ſunt, quæ deceperunt filios Iſrael ad ſuggeſtionem Balaam, &c. 793
ibid. Aurum & argentũ, æs & ferrum, plumbum & ſtannum omne quod poteſt tranſire per flammam, &c. 798
xxxii. Non immolabis ſuper fermento 545
xxxv. Si interfector extra fines vrbium, quæ

Digitized by Google

exulibus deputatæ ſunt, fuerit inuentus, &c. 1110. & ſeqq.

EX DEVTERONOM.

cap. iiii. Dominus eduxit vos de fornace ferrea Ægypti 881
vii. Non inferes quicquam ex idolo in domum tuam, ne fias anathema, ſicut & illud eſt 789
ibid. Sculptilia eorum igni cõbures &c. 800
xi. Montes qui ſunt trans Iordanem, poſt viam, &c. 942
xiiii. Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo 637
xvi. Iuſte quod iuſtum eſt exequeris 921
xviii. Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus 314
xix. Cum autem dilatauerit Dominus Deus tuus terminos tuos, &c. 1116
xx. Cum tradiderit Dominus Deus tuus vrbem in manu tua, percuties omne, &c. 1069
ibid. Percuſſitque omnes animas, quæ ibidẽ morabantur, &c. ibid.
xxi. Maledictus à Deo, qui pendet in ligno, &c. 937
xxvii. Immolabis hoſtias pacificas, comedeſque ibi, & epulaberis coram Domino Deo tuo 951
xxix. Vos ſtatis hodie cuncti coram Domino Deo veſtro, &c. 974
xxxi. Noui quod poſt mortem meam inique agetis, & declinabitis cito de via quam præcepi vobis 279
ibid. Vocauit Moyſes Ioſue, & dixit ei coram omni populo, Confortare, & eſto robuſtus 235
xxxii. Leuabo manum meam ad cælum, & dicam, Viuo ego in æternum 88
xxxiiii. Non cognouit homo ſepulchrum eius vſq. in præſentem diem 245. & 246

EX IVDIC.

Cap. vi. Aſcendebat Madian & Amalec. 61
xxi. Ecce ſolennitates in Silo, quæ ſita eſt ad Septentrionem, &c. 1116

EX I. REGVM.

cap. iii. Et Samuel dormiebat in tẽplo Domini, vbi erat arca Dei 135
xiv. Stabimus ſub nobis, in Hebr. 760
xviii. Dominus erat cum Dauid 821
xxv. Et mortuum eſt cor in medio eius, & ipſe fuit in lapidem, in Hebr. 838
xxvi. Eiecerunt me hodie, vt non habitem in hæreditate Domini, dicentes, Vade, ſerui Diis alienis 973

EX II. REGVM.

cap. vii. Ego tuli te de paſcuis ſequentem greges, &c. 821
xi. Surrexit Dauid è ſtratu ſuo poſt meridiem 937
xxi. Virum qui attriuit nos, &c. 979. & ſeq.

EX III. REGVM.

cap. ii. Interfice eum, & ſepeli, & amouebis ſanguinem innocentem, &c. 1218
iiii. Salomon erat in ditione ſua, habens omnia regna ſecum 274
xvi. In Abirã primitiuo ſuo fundauit eam, & Segub nouiſſimo ſuo, &c. 818

EX I. PARALIPOM.

cap. ii. Porro Hur genuit Vri, & Vri genuit Beſeleel 69
vii. Filij autem Ephraim Suthala, Bared filius eius, Thalad filius eius, Elada filius eius, &c. 6
xii. Iſti ſunt qui tranſierunt Iordanẽ menſe primo, &c. 431

EX I. ESDRAE.

cap. vi. Fecerunt filij Iſrael tranſmigrationis paſcha, decimaquarta die mẽſis primi 556
viii. Et de Nathinæis quos dedit Dauid. 979

EX NEHEM.

cap. x. Sortem ergo miſimus ſuper oblationẽ lignorũ inter Sacerdotes. 977

EX IOB.

cap. x. Vtinam cõſumptus eſſem, &c. 744
xiiii. Quis mihi tribuat, vt in inferno protegas me? &c. 1126
xxix. Oculus adulteri diligit caliginem. 921
xxxviii. Cõcentũ cæli quis dormire faciet? 1103

EX PSALMIS.

Pſal. iii. Tu autem Domine ſuſceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum 821
iiii. In cubilibus veſtris cõpungimini. 1103
ix. Periit memoria eorum cum ſonitu 95
x. Qui laudabant me, aduerſum me iurabant 812
xviii. Cæli enarrant gloriam Dei 203
xxvi. Dominus illuminatio mea, &c. 1046
xxx. Factus ſum tanquam vas perditũ. 1047
xlii. Firmauit orbem terræ, qui non commouebitur 1106
xliv. Adducẽtur in lętitia & exultatione. 744
lxxvii. Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum ſuum vbi habitauit in hominibus 1180
lxxxix. Beatus populus qui ſcit iubilationẽ. 775
xc. Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, &c. 1041
xciiii. Quadraginta annis proximus fui generationi huic 441
ci. Scribatur hoc in generatione altera, & populus qui creabitur, &c. 81

Qui

ciii. Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam 1106
cv. Patres noſtri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua 1266
cxxxviii. Quo ibo à Spiritu tuo? & quo à facie tua fugiam 844
cxlix. Exultabunt ſancti in gloria,&c. 1047

EX PROVERBIIS.

cap.x. Filius ſapiens lætificat patrem: filius vero ſtultus mœſtitia eſt matri ſuæ 916
xvi. Sortes mittuntur in ſinum,&c. 863
xviii. Contradictiones comprimit ſors,& inter potentes quoque diiudicat 863
xxi. Equus paratur ad diem belli,&c. 81
ibid. Vir obediens loquitur victorias 1071
xxii. Dicit piger, Leo eſt foris,&c. 879
xxvii. Hœdi agri pretium 1294
xxix. Qui delicate à pueritia nutrit ſeruum ſuum,&c. 15

EX ECCLESIASTE.

cap.i. Terra in æternum ſtat. Oritur Sol & occidit,&c. 1006
iii. Omnia tempus habent,&c. 773

EX CANTICIS.

cap.vii. Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis 1110

EX SAPIENTIA.

cap.ii. Coronemus nos roſis antequam marceſcant,&c. 110
ibid. Non eſt refrigerium in fine hominis, &c. 177
ix. Non quia impotens eras in bello ſubiicere impios iuſtis,&c. 1269

EX ECCLESIASTICO.

cap.xix. Qui cito credit, leuis corde eſt, & minorabitur 972
xxiv. Quaſi Libanus non inciſus vaporaui habitationem meam 270
xlvi. In diebus Moyſi miſericordiam fecit ipſe,& Caleb filius Iephone 163
xlviii. Inuocauit Ieſus altiſſimum potentem in oppugnando inimicos 1013

EX ISAIA.

cap.iii. Dabo pueros principes eorũ, & effœminati dominabũtur eis. 185
ibid. Circumueniamus iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis,&c. 169
v. Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam 778
vi. In medio populi polluta labia habentis ego habito 1118
viii. Voca nomen eius, accelera ſpolia detrahere, feſtina prædari 651.880
xii. Confitebor tibi Domine: Ecce Deus Saluator meus venit,&c. 50
xiii. Ego mandaui ſanctificatis meis, & vocaui fortes in ira mea 412
liii. Sicut ouis ad occiſionem ducetur. 744
ibid. Coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum 551.742
lxiv. Tu iratus es,& peccauimus 789

EX IEREMIA.

cap.iii. Quomodo ponam te in filios, & tribuam tibi terram deſiderabilem,&c. 1119
xxxi. Exultate in lætitia Iacob, in fletu venient,&c. 744

EX THRENIS.

cap.ii. Non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui 1003

EX EZECHIELE.

cap.xx. In idolis Ægypti nolite pollui,&c. 1265
xxxvi. Inundatione equorum operiet te puluis eorum,&c. 764
ibid. Dabo vobis cor nouum, & ſpiritum meum ponam in medio veſtri 129

EX DANIELE.

cap.ii. Ceſſare faciet principem opprobrij ſui,&c. 530

EX OSEA.

cap.x. Et ipſe ad Aſſur ducetur vt ſit Minchah Regi vltori 744

EX HABACVC.

cap.iii. Sol & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo 1001

EX I. MACHAB.

cap.i. Sanctificatio eius deſolata eſt ſicut ſolitudo,&c. 608
x. Quicumque cõfugerint in Templum, quod eſt Hieroſolymis,&c. 1120

INDEX LOCORVM NOVI Teſtamenti.

EX MATTHAEO.

cap.i. Ipſe ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum 27.& 30
ibid. Et non cognoſcebat eam donec peperit filium 530
vi. Vbi eſt theſaurus tuus, ibi & cor tuum 845
x. Intrantes in domum ſalutate eam dicentes, Pax huic domui 481
ibid. Nolite arbitrari quia pacem veni mit-

Digitized by Google

tere in terram 785
xvii. Amen dico vobis, ſi habueritis fidem ſicut granum ſynapis,&c. 1011
ibid. Ecce nubes lucida obumbrauit eos 417
xxii. Licet cenſum dare Cæſari,an non. 828
xxvii. Quem vultis dimittam vobis,&c.1270
ibid. Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros 376
xxviii. Ego vobiſcum ſum omnibus dieb.vſq; ad conſummationem ſæculi 135

EX MARCO.

cap.xiii. NEſcitis,quando Dominus veniet, ſero,an media nocte, &c. 545
vlt. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit 468

EX LVCA.

cap.i. EXurgens Maria in diebus illis abiit in montana cũ feſtinatione 116
ii. Neſciebatis quia in his quæ patris mei ſunt,oportet me eſſe 786
ibid. Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth 787
vi. Qui male agit,odit lucem 920
vi. Virtus de illo exibat,&c. 438
ix. Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum,&c. 788
xii. Ne terreamini ab his qui occidunt corpus,&c. 890
xvi. Recordare fili quia recepiſti bona in vita tua,&c. 872
xvii. Si habueritis fidem,ſicut granum ſinapis,&c. 1011
ibid. Serui inutiles ſumus, quod debuimus facere,fecimus 315
xxi. Attendite vobis, ne forte grauentur corda veſtra in crapula & ebrietate 97.415.
xxii. Quis maior eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat? nonne qui recumbit 105

EX IOANNE.

cap.iii. QVi male agit,odit lucem 844
vii. Beati eſtis cum maledixerint vobis homines 1046
ibid. In nouiſſimo die magno feſtiuitatis ſtabat IESVS 91
xi. Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo,vt non tota gens pereat 825
xiv. Paracletus quem mittet pater in nomine meo,ille vos docebit omnia. 45
xvi. Confidite,ego vici mundum 786

EX ACT. APOST.

cap.iv. NOn poſſumus quæ vidimus & audiuimus,non loqui 209
vii. Sepulchrum emptum pretio argenti 1293
xvi. Præcipio tibi in nomine IESV exire ab ea 37

EX EPIST. AD ROMAN.

cap.i. COmmutauerunt veritatem Dei in mendacium,&c. 1074
ii. Gloria,& honor, & pax omni operanti bonum 477. 822
ibid. qui reddit vnicuique ſecundum opera eius 757
v. Vbi abundauit delictum, ſuperabundat & gratia 351
vi. Sicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ,&c. 798
xiii. Et hoc ſcientes tempus quia hora eſt iam nos de ſomno ſurgere 400.1182
ibid. Neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram,ſed etiam propter conſcientiam 600
xv. Habeo gloriam in Chriſto Ieſu ad Deum 822
xvi. Per dulces ſermones, & benedictiones ſeducunt corda innocentium 1150

EX I. AD CORINT.

cap.i. FIdelis Deus per quem vocati eſtis in Societatem filij eius Ieſu Chriſti 54
ibid. Videte enim vocationem veſtram fratres,quia non multi ſapientes, &c. 749
ibid. quæ ſtulta mundi ſunt elegit Deus 788
vi. Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt 925
vii. In Chriſto Ieſu neque circumciſio aliquid valet,neque præputium 105
vii. Tempus breue eſt, reliquum eſt vt qui habent vxores,tanquam non habentes ſint 414
xix. Siue manducatis,ſiue bibitis,ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite 489

EX II. AD CORINTH.

cap.vi. EXhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros in multa patientia, &c. 467

EX EPIST. AD GALATAS.

cap.v. OPera carnis ſunt fornicatio, immunditia, idolorum ſeruitus, &c. 192
ibid. Teſtificor autem rurſus omni homini circuncidenti ſe, quoniam debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ 515

EX EPIST. AD PHILIPP.

cap.ii. HVmiliauit ſemetipſũ factus obediẽs vſque ad mortem,&c. 1071

EX II. AD THESSALON.

cap.ii. ET quod veritatem charitatis nõ receperunt vt ſalui fierent,&c.1074

Digitized by Google

EX I. AD TIMOTH.

cap.ii. ECcleſia Dei domus eſt, & columna veritatis 498

EX II. AD TIMOTH.

cap.ii. IN magna domo non ſolum ſunt vaſa aurea,&c. 802

ibid. Omnes enim qui pie volunt viuere in Chriſto Ieſu,perſecutionem patientur 788

ibid. Omnis Scriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum,&c. 729

EX EPIST. AD HEBRAEOS.

cap.ii. FIde Raab meretrix non periit. 809

xii. Non enim acceſſiſtis ad tractabilem montem, ſed acceſſiſtis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis 100

EX APOCALYPSI.

cap.ii. VIncenti dabo calculum candidum, &c. 19

v. Sedenti in throno & agno benedictio, &c. 486

Tii ij

Digitized by Google

INDEX PRAECIPVARVM RERVM QVÆ HIS DVOBVS IOSVÆ TOMIS CONTINENTVR.

A.

ABraham quomodo in Actib. Apoſtolorum dicatur emiſſe agrum pretio argenti,&c. 1294
Abſtinentiam & frugalitatem quomodo nos Ioſue doceat 1203
Actiones humanæ morali modo iubentur & ſumuntur 407
Adam primus humani generis parens vbi ſepultus ſit 1148
Addereth quod & quale veſtimentum fuerit 827
Adoleſcentes quorum ſocietatem ſectantur, eorum imbibunt mores 103. & 104
Adoratio varia 695.& 696
Adriani Sarauiæ Caluiniſtæ ſententia contra ſacrilegos 1233
Ægyptij aliqui num Iſraëlitis iuncti in terram promiſſam venerint 752.& ſeq.
Æmulatio diſcipulorum pro CHRISTO melior quam Ioſuæ pro Moyſe 145
Æternitas longum aliquando tempus ſignificat 491
Agar ancilla Veteris, Sara libera Noui Teſtamenti typus 107
Agni paſchales quot ſingulis annis fuerint mactati 1094
Altare à Domino erectum cur dicatur. *Dominus exaltatio mea* 86
Altare verum apud Ieſum & Chriſtianos: Typicum apud Iudæos 1256
Amalecitæ vocati interdum Idumæi 61
S.Amianus tonitrua & fulmina in Attilam exciuit 1044
Amicorum bona excuſatione audita, acquieſcere debemus 1256
Amicorum ſalus duplex, inchoata & perfecta 808
Anathema & Cherem quid? 759. quotuplex 790.& ſeq.
Angelus Michaël nouatoribus eſt vere CHRISTVS Dominus. 647. & 648. refutantur 641.& ſeq.
Angeli an adorandi 700
Angeli mali bonis ſunt ſubiecti 1008
Angelorum opera muri Hierichuntis proſtrati fuerunt 761
Angelorum bonorum opera grando facta 1001
Angelorum circa cœlorum corpora & motum officia. 1007. & ſeq.item 1015
Angelorum præſtantiſſimus omnium primus in DEVM peccauit. 668. is communiter Lucifer vocatur 670
Angelorum ſupremus poſt lapſum Luciferi eſt ſanctus Michaël 673.& ſeq.
Animis vt opitulemur, nullus labor recuſandus 1043
Annus Sabbathicus 1127.& ſeq.
Apoſtoli per duodecim lapides Ioſuæ figurati 497
Aquæ calidæ ad Leuidam ciuitatem 1280
Arca Domini ſplendido comitatu honoranda 769
Arca quibus modis geſtata à ſacerdotibus 426
Arcam quater Sacerdotes extra ordinem tulerunt 404.& ſeq.
Arcam ſoli Sacerdotes,Ioſuæ tertio capite, tulerunt 404
Arcam præcedentem ſequi iubetur multitudo 406
inter Arcam & populum diſtantia quanta eſſet 407.& illius diſtantiæ cauſæ 410
coram Arca Domini adorare quid ſit 850
Arenam maris quis numerare poſſit 1061
Arma in alios,etiam ſceleratos,an quilibet licite capiat 720
Aſylum quid ſit,& vnde dictum 1205.& ſeq.
Auallonis muri, orante Roberto Francorum Rege,ſubito corruerunt 763
Auari fere omnes Plutonij condi ſunt 842
Audire pro obedire vſitatum Hebræo textui 1013
Auri pondus ad argentum eſt pretio decuplum 838
Auri, argenti & gemmarum apud aliquas gentes vix vllum pretium 841
Azymus panis vere eſt panis 610. 611.
Azymus panis an ſalubris ibid.
Azymus panis cur à Deo præſcriptus, cauſæ quatuor. 612. quando eo vti caperint Iſraëlitæ 624
Azymorum dies qui & quot ſint 615.& ſeq.
Azymorum dies ſeptimus cur dictus collecta. 618.de ſacrificiis eorum dierum 621

B.

BAbylonij & Aſſyrij Reges cum imperio nomina priuata exuebant 23
Balſamon in terra Palæſtina 1100
Balſami feraces regiones 326
Bellandi antiqua ratio exoleuit,& quare 978
Bellicæ rei præcepta ex diuinis litteris petenda 728.729
Bellicæ Germanorum & aliorum populorum vociferationes 755
Bellum Deo authore ſuſceptum iniuſtum eſſe

non poteſt 721. 722
Bellum Chriſtianorum contra Turcas quinam improbauerint 727
Belli Amalecitici in Iſraëlitas cauſſæ 64
in Bello, cur res ratione, aut etiam vita carentes aliquando diſperdantur 495
Bella contra Chananæos quot fuerint. 718. eadem iniuſta fuiſſe quinam dixerint. ib. & 719
Bella vtrum aliquando vtrinque iniuſta eſſe poſſint 723
Bella ſpiritualia in hac vita nunquam deſunt. 730. ad ea quomodo nos diuinæ litteræ hortentur 731
Benedicere triplex eſt 1149. & ſeq.
Bethania num idem cum Bethabara 449
Bibliorum vernacula verſio non plane abolita per Concilium Tridentinum 293. 294
Brutiorum apud Romanos grauis pœna 973

C.

CAbala Rabbinorum 240. & 241
Caleb quare vocetur Cenezæus. 1138. & 1139.
Caleb & Ioſue exploratorum ſeditioſæ orationi ſe oppoſuerunt. 162. cur tamen Ioſuæ mentio non ſit facta 285
Caleb maioremne zelum habuerit quam Ioſue, diſceptatur 171
Calebis virtutes 1152
Calebi duo, vnus Iephonæ filius, alter Eſronis 90
Caluinus temere diſcipulos Domini reprehendit 144. & 145
Caluini iudicium de Ioſue, & cenſura eiuſdem. 919. 931. 968. de Tranſiordaninis tribubus. 1254. eiuſdem malitia aut cæcitas. 1072. eiuſdem in Topographia ignorantia. 1163. idem ſe ſua ſententia damnat 1254. & ſeq.
Caluiniſtæ ad Hollandicas perduelliones & latrocinia, quam ad bellum contra Turcam ſe applicare malunt 728
Caluiniſtarum inſania dicentium, infirmam eſſe hanc concluſionem, hoc Deus iuſſit, ergo iuſtum eſt 723
Cantica decem in ſeculo iſto dicta 1042
Capucini paupertatem & ſimplicitatem etiam in altaribus ſpectant 946
Cariatharbe eadem quæ Hebron, vnde nomen ſortita ſit 1145
Carnis variæ notiones 179
Carolus quintus quam clemens in rebelles. 981
Chananæi inuadentibus Iſraëlitis, an iuſte repugnare potuerint 727
Chriſtus à Rabbinis botrus vocatur 156. 157
Chriſtus venit in has terras, vt mundo immundo & diabolo exitium inferret. 785. 786. & ſeq.
Chriſtus ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. 1134. alios tali Sacerdotali poteſtate afficit ibid.
Chriſti Domini vita in ſeptem fere quinquennia diuiſa. 786. item in ſeptem circuitus. ibid. & ſeq.
Chriſtianus imprimis pro aris & ſacris depugnare debet 770
Chriſtiani quomodo ſibi mutuo ſuppetias ferre debeant 1253
Cidon quid ſit 933
Circumciſionis varia acceptio 504
Circumciſio quamdiu in ſolitudine intermiſſa. 509. eiuſque cauſſæ ibid. & ſeq.
Circumciſio poſt Iordanis tranſitum ab Iſraëlitis rurſum vſurpata, cur 515
Circumciſio quomodo à Ioſue facta 520
Circumciſio lapideis cultris facta 521
Circumciſio myſtice quomodo ſeruanda 535
Circumciſionis culter myſtice 526
Circumciſi cur tertio circumciſionis die intenſiſſimum dolorem percipiant 533
Circumciſorum poſt Iordanis tranſitum numerus. 521. 522. tempus, locus 525
Clamor Iſraëlitarum quid ſignificauerit 775
Clamore ſolo quantumuis magno, vtrum moles aliqua deiici poſſit 766
Clamores in bello cur tollere ſoleant milites 757
Clerus & populus quomodo conſpirare debeant 1109
Cœli nomen pro aëre 1123
Cœlorum motu ceſſante vtrum ceſſent inferiora omnia. 1030. 1031. eorundem harmonia qualis 1003
Cogitationes quales homines in improbitate confirmare ſoleant 871
Concupiſcentia primus ad lapſum gradus 839
Confeſſio ſacramentalis 874. & 875
Confeſſionis varij modi 872. & ſeq.
Conſiliarij Principum & Senatores exemplum Caleb imitari debent 1140
Conſtantia in rebus bonis commendatur. 770
Copernici de terræ mobilitate ſententia non defendenda 1005
Cor hominis quomodo in lapidem conuerti poſſit 849
Cordis induratio quid ſit. 1075. quæ eius cauſſæ 1076. & ſeq.
Cornua arietina in Iubilæo inflari ſolita. 741. & 742
Crucis figura litteram Tau repræſentabat. 936. eiuſdem quanta olim infamia 937
Cultri lapidei cum Ioſue ſepulti. 1278. & quid per eos intelligatur ibid.
Cultui diuino intereſſe omnes, æquum eſt. 769
Cunctatio ſitne in Duce laudanda potius quam celeritas 1055. & ſeq.
Cupiditas quam noxia, niſi refrænetur 770
de Cymino, anetho, & ſimilibus, vtrum præceptum aliquid ſit 1240

D.

DÆmon mercator 730
Dæmonibus acerba eſt pœna, ſi eorum voluntatibus nunquam obſequamur 731
Dauidis Chytræi ſententia contra ſacrilegos. 907. item contra iconoclaſtas 1254
Deus cur de humanis caducíſque etiam rebus reſpondere dignetur 226
Deus poſt Moyſis mortem prius Ioſuæ locutus eſt, & cur 243
Deum ſpirituum & omnis carnis quomodo dicatur 177. & ſeq.

Deus hominibus variis modis loquitur 257
Deus cur terram Chanaan Iſraëlitas tranſire voluerit 304
Deus Ioſue duodecim argumentis confirmat 280.& ſeq.
Deus cur viuens vocetur 421
Deus ex multis in mundo deſpicatiſſimis quædam ad optima eligit ibid.
Dei ſeruus homo dici poteſt naturaliter & moraliter 258
Dei Gratiæ collaborandum 306
Dei benignitas hominis pœnitentiam expectantis 770
Dei auxilium fœlix hominibus panoplia 1046
in Dei cultum rectè quædam conuertuntur quæ impietati ſeruierunt 797.& 798
Deo ſeruire, regnare eſt 265
Deo dedicari & ſeruire omnia noſtra debent pretioſa 798.& 799
ad Deum in bellicis etiam periculis confugiendum. 1044. eiuſdem auxilij ab eo impetrati exempla ib.
à Deo quomodo fuiſſe dicatur, vt Chananæi repugnarent Iſraëlitis 1074
Dies hebdomadis feriarum nomine appellandi potius 787
Diem quomodo nobis produxerit Chriſtus 1046
Die quonam menſis tertij aſcenderit in montem Sinai Ioſue 112
Diris publice deuotus olim apud Rom. cui pœnæ ſubiectus fuerit 791
Diuerſoria hodie apud Græcos publica nulla 961
Diuina primo curanda & quærenda 1174
Diuina virtus quomodo confortauerit Ioſue & populum 1032
Dominorum in ſeruos bonos comitas commendatur 105
Donorum & talentorum varia genera ſignificata per metalla 801
Druydarum in Gallia mos excommunicandi 791
Duo hominum genera qui ſalui fiunt 953
Duodecim filios Iacob cur Deus eſſe voluerit 1112.1113.
Duplicis nominis in Scriptura complures memorantur. lib.1.cap.1. 6

E.

Eccleſia quomodo ſpiritualiter habeat mulieres, infantes, &c. 955
Eccleſiæ doctrinam quomodo ſuſcipere oporteat 1072
in Eccleſia Dei Catholica omnis generis homines locum habere poſſunt 770
Eccleſiis Chriſtianorum an theſauros habere fas ſit 802
Eliæ melotæ, & Prophetarum veſtes 828
Ephraim Patriarcha Ioſephi filius è Ioſuæ maioribus defenditur 7
Epiſcopis & Eccleſiaſticis Phinees exemplum proponitur 1256
Epitaphia Ioſuæ 1278
Equos ſubneruare quid ſit. 1066. eos vtrum habere licuerit Iudæis ib.& ſeq.
Errare ſi quis viſus fuerit, quid ei faciendum 1253
Eſſeni excommunicati plerumque miſerabili morte conſumebantur 791
Euchariſtia ἄναιμος & ἀναίμακτος θυσία, vocata antiquitus 946
Euchariſtiæ Sacramentum non inconuenienter in proceſſionibus circumfertur 767
Exploratores myſtice quinam 174.& 175
Exploratores à Ioſue quomodo miſſi. 341. & 342
Exploratores Ierico miſſos Aprili menſe eſt probabilius 329
Exploratores bifariam Chriſtus mittit. 341. & 342.
Exploratorum vtilitas 319.& 320
Exploratorum à Ioſue miſſorum nomina incerta 322
Exploratorum poſt reditum è terra promiſſionis oratio explicatur 157.& ſeq.
Extenſio manuum crucis figura 75
Ezechiæ ſolaris regreſſus 1026.& ſeq. & 1033

F.

Familiaritas cum impiis noxia 1256
Fides an ſeruanda ſit criminoſis 925
Fides miraculorum 1010
Fides Ioſuæ & populi Iſraëlitici egregia 775
Fœderibus ſanciendis quænam ab aliquibus cærimoniæ adhiberi ſoleant 966
Fœminæ cum Raab ſeruatæ aqua luſtratæ 810
Fœminis & pueris aliquando in bellis parcitur, aliquando non 793
Fons perennis aquæ Hieroſolymis 978
S. Franciſci in SS. Ieſu nomen affectus 44. & 45
Franciſci Iunij in Pontificem & Chriſtianos veros maledictum 728
Furtum Achanis quanti fuerit pretij 836

G.

Gabaonis nomen & ſitus 959. & 960
Gabaonitarum fraus, an peccatum fuerit 962.963.
Gabaonitæ vocantur. 1. Paralip. 2. Viri Cozeba, id-eſt mendacij. 965. repelluntur ab Iſraëlitarum connubio ex ſententia Rabbinorum. 974. quinam per eos deſignentur 984
Galilæa quot vrbes & vicos habuerit 1095
Germani vnde oriundi 1086
Gethæi Ephraimi filios inuaſerunt, non contra 10
Gigantes 1148
Gloriæ cupiditas aliqua omnibus innata 821
Gloria vera quænam ſit 821
Gloria bonum adiaphorum 822
Gloriam Deo tribuere quid ſit, & quot modis fiat 874.& ſeq.
Grand o memorabilis quantitatis 999

Digitized by Google

Gratianus per errorem citauit S. Gregoriũ pro Origene 728
Gubernatoris munus. 277. 278

H.

Hacan quidam legum & rituum Caræorum ac Sadduc. ſcriptor 925
Hæreſibus & ſcandalis confeſtim occurrendũ & obſtandum 1253
Hæretici quomodo ex vno errore in alium prolabantur 983
Hæreticorum anteſignani Hierichuntis reſtauratores ſunt 817
Hai figura fuit huius mũdi à Chriſto expugnati 938
Haurim quid 204. 205. vide Vrim
Hiel Hierichuntis reparator 816. & 817
Hierichô myſtice mundum & peccatoris animam deſignat 342. & 343
Hiericho cuius rei typum habeat 777. item 796
Hierichuntis ambitus quot ſtadia continuerit 784. & 785
Hierichuntem huius mundi quales homines deſtruxerint 749
Hierichuntinam vrbem an per miraculum ingreſſi exploratores 343. & 344
Hierichuntinorum terror tum ſupernaturalis tum naturalis fuit 371
Hilaris animus munera omnia facit gratiora 744
Hora tempore Ioſuæ an in vſu fuerit 1063
Horeb mons in quem aſcendit Moyſes 67
Horologio ſonante orare aliquid quem deceat 1044
Hoſtes ſupplicantes & ſeſe dedentes audiendi ſunt 982
Hoſtes ſpirituales calcandi 1048
Hur Mariæ Moyſis ſororis maritus, Efronis nepos 70
Hyperbole in ſacris Scripturis vſitata 1061
Hypocriſis & ſimulatio fugienda 983
Hypocritæ per ſtannum & aurichalcum rectè ſignificari dicuntur 800

I.

Ianiach ex tribu Ruben dux à Rabbinis fictus 1283
Idololatria quando apud Iudæos cœperit 1266. & qui poſtea ea inquinati fuerint ibid.
Idolorum nomine quid intellexerit Ioſue cap. 24. 1266. & ſeqq.
Iehoſua idem Hebræis quod Ieſua 29
Iehuſech vocem pro Ieſu inepte finxit Oſiander 31
Ieruſalem quibus nominibus, & vnde appellata fuerit 999. & ſeqq.
Ieſus Chriſtus circunciſionis miniſter fuit. 105
Ieſus Chriſtus veriſſimus noſter dux & Imperator, 732. 733. quomodo diuidat terrãm 1034
Ieſum ab ἰάσαθ cur deducant nonnulli 33
ἰάω σωτηρίαν Hebræis nonnunquam ſignificat 33
Ieſu nomen ex Hebræo quomodo factum 33. & 34
Ieſu nomen ſuper omne nomen *Philip.* 2. quomodo accipiendum 34. è patribus 36
Ieſu nomen à Clemente VII. 15. Ianuarij annue celebratum 35
Ieſu nomen præſignatum Ioſue, & Ieſus Ioſedeci filius 36
Ieſu nominis efficacia ad ſalutem 36. ad corporis ægritudines curandas, ad pellendos dæmones 37. & 38. ad miracula ibid. ad animorum ſolatium 39
Ieſu nomen amuletis omnibus præſtantius 41
Ieſu nomen oppugnantium argumentis reſpõdetur 47
Ieſu nomen non reuerentes Caluiniani reprehenduntur 48
Ieſu nominis veneratio an impropria 50. præſtantia eius 51. & 52
Ieſus nomen Deum & hominem ſignificat 43. & 44
Ieſu nomen miracula peragit ex opere operato 45
ΙΗΣΟΥΣ nomen continet 888. 43
ΙΗΣΟΥΣ anagrammata σὺ ὁ ὢν apud Auratum 44
Ieſuani vel Ieſuitæ rectè vocantur quidam 54
Imagines ac ſtatuæ quas ob cauſas fieri & retineri poſſint 1253. & ſeqq.
Improborum, contumaciũ & ſtolidorum iuſtæ pœnæ 1261
Infantibus & pueris in bello parcendum 796
Infirmitatis humanæ ſpeculum 1181
Iniquitas omnis lucifuga eſt 842
Inobedientia hominis erga Deum quam grauis & indigna 1044
Inſidiæ an proprie in bello ſint, & an iis in bello vti liceat 919. & ſeqq.
Iobel & Iubilæus vnde dicatur, & quidnam ſit 743. & ſeqq. item 1124. & ſeqq.
Iod elementi Hebraici variæ functiones 26
Iordanis origo, & etymon 427. 428
Iordanis terminus 429. latitudo, profunditas 430
Iordanis cur meſſis tempore inundet 433. & ſeqq.
Iordanis diuiſio 436. eius cauſæ 440. & ſeqq. efficiens Deus 437
Iordanis tranſitus tempus 450. & 462
Iordanis in priſtinum alueum refluxus. 461. & 462
Iordanis tranſitus myſtice quid 465. & ſeqq. item 487
Ioſephi Scaligeri verſio noua reprehenditur 87.
Ioſuæ maiores & genealogia lib 1. cap. 1. & ib.

quæſt. 7. ſcilicet Chriſti D. N.
Ioſuæ veri genealogia ibid. quæſt. 9
Ioſuæ nomen à quibus mutatum cap. 2. quæſt. 1. & 3. quando ibid. quæſt. 6. 28
Ioſue Auſes dictus 29
Ioſua pro Ioſue num rectè in ſuis verſionibus vſurpent Nouatores 30
Ioſue & Ieſus idem eſſe qui negent 30
Ioſue dux belli Amalecitici à Moyſe conſtituitur 65
Ioſue cum Moyſe in monte Sinai permanſit 121. quidnam ibi egerit quadraginta diebus 123. an & quis ei in monte hoc cibus & potus 124
Ioſue in ferendis Decalogi legib. Moyſen non iuuiſſe vero eſt ſimilius 129. vlulatum pugnæ audire ſe in deſcenſu montis Sinai dicendo, num mentitus 130
Ioſue cur electus dicatur è pluribus 141. 142
Ioſue pro Moyſe 141. 142. 143. 144. in ſeptuaginta ſeniorum numero non fuit 148
Ioſue Moyſi ſucceſſorem Deus nominauit. 190
Ioſue cur miniſter Moyſis dictus cauſæ complures 103. & 104
Ioſue typus veri Ieſu D. N. 105. 109. & 110.
Ioſue coram Pontifice ſtare eumque interrogare iubetur 204
Ioſue Moyſi morienti adfuit 245. non tamen ſepulturæ 246
Ioſue Chriſti typus 247. 417
Ioſue præclarus typus fuit noſtri Saluatoris in ſeruando Raab 806. item expendendo manus 935. & in aliis 1205. vxore caruit 1284. ipſum mortuum planxiſſe Iſraelitæ non leguntur 1277
Ioſue libri authoritas Canonica 252. vtilitas, interpres, diuiſio 136. & 137
Ioſue Angelus apparuit 640
Ioſue alacritas & induſtria 997. mirabilis obedientia 1071. aliæ eiuſdem virtutes. 1204
Iubilare quid ſit, ſecundum S. Auguſtinũ. 746
Iubilæus: vide Iobel ſupra
Iudæi ſuis in ſacerdotibus Gentilibus feliciores 233. vtriſque vero antecellunt Chriſtiani 234
Iurisjurandi quanta apud nos eſſe debeat religio 806

L.

Lactis & mellis copia in terra ſancta quid ſit 1094. eorundem copia in Lituania 1098
Lapis Moyſi orandi ſuppoſitus varia ſignificat 78. 79
Lapis ſignificat Chriſtum 1275
Lapis quomodo dicatur verba Dei audiuiſſe 1275
Lapides xii. è Iordane ſublati cur ſint, & vbi hodie 455. & 456. vbi nã ſtatuti ibid. & 470
Lapides erigere Ioſuæ licuit 492. & 493
Lapides à Ioſue erecti myſtice quid 495
Lapides viui ſunt omnes credentes 953. integri quinam ſint ibid.
Lapidibus ex impolitis quare ſibi Deus altare fieri voluerit 945
Lectio S. Scripturæ num per Tridentinum vetita 291. & 292
Leuitę quaſi decimæ à Deo ex Iſraelitis accepti fuerunt: & quales poſſederint opes 1107. & ſeqq. quænam ipſorum fuerit conditio 1229. & ſeqq.
Lex in monte Sinai quoto & menſis tertij, & Ægyptiaci exitus die data 114. & 115. confirmata 115
ad Legem Dei quæ ſpectant, habentur vel ſcripto vel ore communicata 239
Legem ſuam nouam quomodo ſcribebat Ieſus 954. quomodo eandem nobis legat 955. & quibuſnam eam legat ibid.
Legum omnium Moſaycarum compendium quot præcepta contineat 952
Liber iuſtorum quis ſit, variæ ſentẽtiæ. 1036. & 1038
Libros aliquos Canonicos ab Eſdra & aliis cõbuſtos eſſe aiunt Rabbini 1039
Litteræ gentilium per Regem Dabir ſignificantur 1049
Locis non ita certis alligata eſt Religio, vt licenter peccare poſſimus 1181
Lucifer an dæmonis nomen 670
Lutheri & aliorum ſententię in ſacrilegos 907. & 908

M.

Magicis artibus an in bello vti contra hoſtes liceat 928
Manna quãdo defecerit 627. eius cauſæ tres 629
Manna Iſraelitis poſt ingreſſum in terram promiſſionis nunquam cecidit 630
Manuum impoſitio ſextuplex 193
Manuum impoſitio quomodo facta in Ioſue 194. quiſnã eius effectus 195. facta à Moyſe tãquã Sacerdote & Põtifice extraordinario. 197
Mare ſalis cur dicatur 446
Maris Virgo cur Raab aliquo modo comparari poteſt 397
Maſij de aſylis Chriſtianorum grauis cenſura 1223. & ſeqq.
S. Matthiæ electio ſortitione facta 867
Medium cœli accipitur tripliciter 1011
Mellis copia in terra ſancta, &c. vide Lac ſup.
Mendacio vtrum aliquando hoſtes circumuenire liceat 963. & ſeqq.
Menſes aliqui à veteribus Iudæis appellati Reges 977
Meriti nomen vſurpatum ab hæretico 903
Meſſis in Scriptura duplex 432
Meſſis triticeæ tempus apud Iudæos, Maius menſis 432
Metalla cur ſola ex omnibus rebus in Hierichuntis excidio ſeruata 797
S. Michaelis etymon 650
S. Michael cur armatus Ioſuæ apparuerit 684. eius gladius eſt verbum Dei. 685
Militum erga Ducem, & ſubditorum erga ſuperiorem exemplum 1254
Miniſtri boni & fidelis laus 879
Mirabilium duo genera 412
Monachi aliqui quomodo poſt profeſſionem decepti perierint 908. & ſeq.
Moncæus de vitulo aureo 1279
Monitiones amicæ vtiles ſunt 1255. nec ægre ferendæ ibid.
Morituri quænam maxime ſuis inculcare ſoleant. 1258
Mortis præparatio 301. & 302
Mortis Chriſti & acquiſitæ per eam libertatis

Digitized by Google

figura 1213
Moyſis præſtantia,& eaſdem cum aliis Prophetis collatio 1034
B. Mutius Eremita Solem ſtare fecit 1026.& ſeqq.

N.

NAaſſon tribus Iudæ Princeps 816
Nathinæi quando nomen ſuum acceperint 979
Negotium maius minori præponendum 1045
Nicolai Crellij confeſſio à Prædicantibus reuelata 878. eiuſdem Syllogiſmus 1093
Nomen varium & ſignificatio Nun Ioſuæ patris 73
Nomẽ aliquod primo imponere cuiuis fas, nõ fas cuiuis mutare 10
Nominis alicuius præſtantia vel ex ſono vel ex ſignificatione ſumitur 31
in Nomine venire quid ſit 966 & ſeqq.
Nomina vrbibus olim variis de cauſis indita 960
Nomina cur olim in Circumciſione, nunc in baptiſmo indita 15
Nomina mutata in baptiſmate, Confirmatione, ingreſſu Religionis, SS. Ordinum ſuſceptione 21. & 22
Nomina diuina creaturis tribui etiam poſſunt ſed modo inferiore 85.& 86
Nominum mutandorum cauſa efficiens Deus, Angelus bonus, Angelus malus, homines 20. finalis, impietas, ambitio & fraus, ibid.
Nominibus magnorum virorum propriis dum nominantur, honos haberi ſolitus 34. & 35.
Nominibus bonis magniſque quomodo fiat ſatis 56. & 57
Nouator Beza male barbariſmi Latinum Sacræ Scripturæ interpretem inſimulat 398

O

OBedientiæ virtus 316. & 317
Obedientiæ laus 1254. in Moyſe & Ioſue quanta ea fuerit 1071
Obediens qualis eſſe debeat 1071.& ſeqq.
Obedire quomodo Deus dicatur homini 1113 & ſeqq.
Occultum nihil eſt quod non aliquando pateſiat 843
Oculorum neglecta cuſtodia quantorum malorum cauſa extiterit 838. & ſeqq. eorumdem diligens cuſtodia quantopere ſit neceſſaria ibid.
Opera ſupererogationis male aſpernantur Nouatores 84
Opinio ab hominibus præcepta quantum poſſit 841
Orationis efficacia 73. & 74
Orationis tempore etiam externa reuerentia exhibenda Deo 705
Orbiculari circuitione æternitas ſignificatur 780
Ordines diuerſi in Dei Eccleſia ſibi inuicem neceſſarii ſunt 769

P.

PAcis nomine Hebræi omnem fauſtitatem ſignificant 1116
Palmarum in Sabbatho geſtationis apud Iudæos, cauſa 546
Panem diuidere, & vna eſitare, beneuolentiæ ſunt ſigna 966
Parentum de filiis auguria quam ſæpe vana. 819
Paſchatis etymon 540. 541. & ſeqq.
Paſcha facere proprie eſt paſchalem agnum immolare 544
Paſchatis finis primarius 545
Paſchatis materia Agnus & Hœdus 547
Paſchatis materiæ cõditiones tres, vt ſit Agnus ſine macula, maſculus, anniculus 550. & harum conditionum cauſæ 551. & 552
Paſchatis formalis cauſa conſumptio 553
Paſchate veſci incircumciſus nullus cur poſſit 556. 557
Paſchate veſci qui non potuerint etiam è circumciſis ibid.
Paſchatis edendi modus duplex 560. vterque varie explicatus 561. & ſeqq.
Paſchatis reſiduum igne comburi cur voluerit Dominus 565. 566
Paſcha edentes quatuor modos adhibebant 568
Paſchatis locus primus Aegyptus: ſecundus Solitudo Sinaitica, tertius terra promiſſionis 571
Paſchatis celebrati annus 575. & 576. menſis, noſtris Martio & Aprili reſpondens ibid. & ſeqq. dies ordinarie decimus quartus menſis Niſan 584. & ſeqq. extraordinarie in aliũ diem traduci potuit 590
Paſchatis edendi hora 600. 603
Paſcha Iudaicum poſt Chriſti aduentum deſiit 608
Paſcha cruentum incruenti noſtri typus fuit 609
Paſchalis agnus myſtice quid 632
Paſchatis hodierni Iudæorum deſcriptio 636
Patienter ferendæ linguæ maledicæ 1046
Pauci cordati multos ſæpe fugant ac proſternunt 948
Pax de incertis non iudicat: incognita non cõfirmat, &c. 972
Peccare Deo dupliciter accipitur 826
Peccatum vnius ſæpe cauſa eſt punitionis multorum 892. & ſeq.
Peccato ignoto, non raro reſtant aliquæ temporales pœnæ 1252
Peccata in confeſſione ſpeciatim exponenda 877. & ſeqq.
Pecuniæ aliquando nominibus animalium appellantur 1293. eorumq. notis ſignantur. 1294
Pentecoſte Iudaica duplex conſiderari poteſt 118. cum vtraque noſtra conſentit. ibid.
Pentecoſte Iudaica noſtræ typus 120
Perſæ à muſcis fugati 1044
Petrus Bleſenſis memoria lapſus 1253
Picturæ & ſtatuæ turpes non tolerandæ 946
Plumbum quoſnam homines ſignificet 800
Pœna lapidationis in quos lege olim conſtituta 169
Pœna decem exploratorum murmurantium 159. 160
Pœnitent[illegible] Achanis exemplum non contemnendu[illegible] 903
Politicorum & aulicorum exemplum in Hiel 817

Digitized by Google

Pontifices in fidei articulis controuerſiiſque decidendis ad Deum confugere oportet. 230
Populus Ioſue nec elegit, nec ei manus impoſuit 235. & 236
Populi Iſraelitici aduerſus Ioſue obedientia 31
Populum ſine Principe relinqui noluit Moyſes, & quibus de cauſis 188. & 189
Præpoſitorum erga ſubditos beneuolentiæ exemplum 1254
Principis quæ vera laus ſit 1279
Princeps bonus ſubditorum pater eſt 872
Princeps ſacrarum literarum ſtudioſi 287
Princeps populi qui fuerint, variæ opiniones 269
Principes populi Iudaici duplices, Politici, & Eccleſiaſtici, iique varij 151. 153
Principibus Chriſtianis ſummæ curæ eſſe debet Religio 770. & publicum bonum 1204
Probatica piſcina 978
Proceſſio Chriſtianorum Hieroſolymis captis 768
Proceſſionum ſacrarum exempla 768. & 770
Promiſſio ſub fide falſæ aſſertionis an partes obliget 971
Promiſſis Dei ineſſe ſolet conditio. 851. & 1152
Puer dupliciter dici poteſt Ioſue 120
Pugnantes contra inferorum Reges quomodo nos habere debeamus 1046
Pugnantium contra mundi flagitia pulchra figura 770
Pythagoras in nominum Arithmeticis litteris momenti plurimum poſuit 43

Q.

QVercus in Sanctuario Domini 1274

R.

RAab nomen quod 344. 245
Raab proprie meretrix fuit. 343. & ſeqq. è cuius progenie Chriſtus originem ducit, Matth. 1. cap. 351
Raab meretrix tantum, non vero etiam cauponaria fuit 353. 354
Raab exploratores ſub lino abſcondit 359
Raab quadruplicis mendacij rea 362. eius mendacij grauitas mitigatur 363
Raab num patriam prodiderit 365. peccaſſet occidendo exploratores 366
Raab fides qua exploratores excepit tū ſupernaturalis fuit, tum naturalis 370
Raab quatuor ab exploratoribus petiit 372. eique annuerunt exploratores 375
Raab è muro demiſit exploratores 359. 390. quænam lingua locuta cum eis 363
Raab quantum proprio ſuo facto meritum habuerit 803. eam in vxorem ductam nugantur Rabbini 806. & 809
Rabbinorum fabulæ de littera Iod 27
Rabbinorum de murorum Hieri[illegible] cadentis lapſu ſententia 759. 764
Rabbinorum errores & fabulæ 8[illegible] 809. 1141. 1142. 1190. 1194. 1281
Rationis humanæ imbecilitas 1192. 1193
Reges capti quare pedibus ſint calcati 1041. eorum nomina quid ſignificent 1049
Reges quanti olim fuerint 1084. eorum fortuna quam inconſtans 1045
Regula aurea quid fuerit 836. & ſeqq.
Religionis negotia non lente & ſegniter agenda 1250
Res diuinas audientium & ſpectantium diſpar animus 980
Rex infantulus in cunis ad prælium geſtatus 769

S.

SAbbatho & in diebus feſtis quid licitum fuerit agere 795
Sabbathum an à Chriſto fuerit deſtructum 781. & ſeqq.
Sabbati præceptum non æternum, ſed temporale 781
Sacerdotum dignitas 228. 229
Sacerdotum qui arcam portarint ſub Ioſue numerus 474
Sacra Chriſtiana 774
Sacrificium in Eccleſia verùm incruentum defendunt Catholici 633
Sacrificium duplex, cruentum & incruentum 946
Sacrificium quomodo Ioſue & populus obtuliſſe dicatur 947
Sacrilegij tres ſunt ſpecies 886
Sacrilegus eſt qui alium à pietate vel Religione abducit 886
Saluatoris nomen num recte deuitent nouelli Ciceroniani lib. 1. cap. 2. quæſt. 1.
Saluatores num recte hominum quidam dici poſſint. 59
Salutandi vrbem, patriamve mos 480
Salutandi Deos, mos vetus 482
Sanctificari quid ſit 412
Saraa Beriæ filia diuerſum à Sara Abrahæ coniuge nomen habuit lib. 1. cap. 1. quæſt. 5. vrbes reædificauit ibid. q. 6
Saulis in Gabaonitas ſæuitiæ quænam cauſa fuerit 980
Scripturæ ſacræ nulla portiuncula inutilis 1156
Seir mons 1069. & ſeqq.
Senes Iſrael quinam vocentur 850
Senes longæui 1140
Septem rerum genera, ex quibus totum hoc vniuerſum conſtat 777
Septenarius numerus ſacer, myſterioque plenus 777. ſæpe indefinitum ſignificat ibid. & ſeqq.
Septenarius dierum & circuitionum, & tubarum quid ſignificet 778. & 779
Serui olim nomina dabant Domini. lib. 1. c. 2. 24
Sibyllinum carmen de nomine Ieſu 44
Sicli Hebraici nomen, figura, antiquitas, pondus, valor, &c. 830. & ſeqq.
Sidon quæ & vnde dicta 1063. & ſeqq.
Silentium Iſraelitarum arctiſſimum 774. eiuſdem finis quæ cauſæ 775
Silentium quando interrumpendum 775
Sinai monſtribus nominibus in Scriptura vo-

Digitized by Google

catus 104. num diſtinctus ab Horeb 105
Sinai mons nomen à rubis accepit in eo frequentibus 105
Societas Ieſu defenditur 54. 55. 56. 58
Societas Ieſu quomodo à maledicis linguis exagitetur 852
Sodomitarum aliorumque impiorum ſupplicium 887. & ſeqq.
Solarium dupliciter accipitur 360
Sol horæ vnius ſpatio quot milliaria decurrat 1022
Sol à miniſtrando apud Hebræos nomen inuenit, & quare 1044. & ſeqq.
Sol quomodo nos doceat, & quomodo imitandus 1045
Solis ſtatua ſuper ſepulchrum Ioſue 1279
Solem vere ſtetiſſe negant aliqui Rabbini 1146
Solem duodecim horas conſtitiſſe communis eſt ſententia 1023
Somno indulgendum non eſt 399. 400
Sortium genera varia 855. & ſeqq.
Sortium vſus in electionibus prohibitus 866
Spiritus variæ notiones 177
Spiritus maligni multi, & diuerſi generis 731
S. Stephanus 1293
Succeſſorem conſtituendi optimæ rationes 186. 187. 189

T.

Tabernaculum duplex conſtituunt Rabbini 1176
Tabernaculum in quem vſum tetẽderit Moyſes 120. 132. 133
Tabernaculi cuſtos Ioſue 135. cur in eo tam aſſiduus 135. & quamdiu 136
Tabernaculorum & Oratoriorum vſus ad concipiendum preces tam apud veteres Hebræos, quam Chriſtianos 132
Tacere pro quieſcere, vel ſtare 1003
Tarditas in rebus, magni momenti perniciosa 997
Terra Chanaan quo pacto Iſraelitis data 272
Terra Chanaan termini 269
Terræ motus qui in ſepultura Ioſuæ fuiſſe à Rabbinis aſſeritur 1279
Terram promiſſam totam noluit dare Dominus Iſraelitis, & cur 276
Terram hanc perfecte non poſſederunt Iſraelitæ ſua culpa 275
Terror in hoſtes diuinitus immiſſus 998
Thummim quid: vide Vrim infra
Titulus iuſtæ poſſeſſionis quomodo à poſteris acquiratur 720
Tribus Iſraeliticæ quomodo diuerſimode duodecim numerentur 855
Tubarum diuerſa genera 739. earum varius vſus ibid.
Tubiluſtrum 740
Tueri oportet eos quos quis in tutelam ſuſcepit 1043

V.

Vallis Achor quid ſignificet 919
Veneno vtrum in bello contra hoſtes vti liceat 926. & ſeqq.
Verſus & numeri poetici in ſacris Scripturis 1037. 1038. hodie ignorantur ibid.
Veſpæ Perſarum copiis immiſſæ diuinitus 1270
Veſtes ſcindere Iudæi, aliæque gentes ſummo in luctu ſolitæ 166
Vetantur multa interdum quæ ex genere ſuo mala non ſunt 864
Vim iuſte illatam an quis iuſte repellere queat 724
Vinum in deſerto num habuerint Iſraelitæ 130
Virorum in terra ſancta numerus quantus. 1095
Vitæ vltimo tempore Angeli boni ad ſalutem vehementius ſollicitant 780
Vitam nouam ingredientes quid facere oporteat 952
Vox bacchantium vox afflictionis 130
Vrbes refugij 1209. & ſeqq.
Vrim quid ſit vniuerſe explicatur 206. diſtinctius 207. ornamentum in quo Vrim, Hebræis Choſen, à 70. λόγιον, à noſtro interprete pectorale, D. Hieronymo rationale dictum, & cur 206. & 207
Vrim & Thummim vſus 210. & 211
per Vrim & Thummim interrogãdi varij modi explicantur 211
per Vrim & Thummin reſpondendi modum vnde colligat Ioſephus 216. alij alios dant modos 222. quis ex omnibus probabilior 224
de iudicio Vrim & Thummim interrogare eſt à Sacerdote exquirere quid in ſacro pectorali faciendum Deus indicet 229
Vxores alienigenas Iudæis quando ducere licitum, aut illicitum 811

X.

Xylophoriæ feſtum apud veteres Iudæos, die 22. Auguſti 977

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Google